THOMÆ LE BLANC

COMMENTARIA

IN

PSALMOS DAVIDICOS.

COMMENTARIA

IN

PSALMORUM DAVIDICORUM

ANALYSIM

AUCTORE

R. P. THOMA LE BLANC

E SOCIETATE IESU

SACRÆ SCRIPTURÆ IN ACADEMIA REMENSI ET MUSSIPONTANA PROFESSORE

EDITIO

HIERONYMO DE ANDREA

CARDINALI S. E. R.

ARCHIEPISCOPO MELITENO

DICATA

TOMUS II.

COMPLECTENS COMMENTARIA IN PSALMOS DECIMUM SEXTUM AD TRIGESIMUM TERTIUM



NEAPOLI

APUD I. NAGAR EDITOREM

IN VIA TRINITA' DE' SPAGNOLI N.° 33.

M. D. CCC. LVI.

COMMENTARIA
IN PSALMOS.

PSALMUS DECIMUS SEXTUS.

1. Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam.
2. Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis.
3. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.
4. Probasti cor meum, et visitasti nocte: igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.
5. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.
6. Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.
7. Ego clamavi quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.
8. Mirifica misericordias tuas: qui salvos facis sperantes in te.
9. A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.
10. Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie impiorum qui me afflixerunt.
11. Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.
12. Proiicientes me, nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.
13. Susceperunt me sicut Leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.
14. Exurge Domine præveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.
15. Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.
16. Saturati sunt filiis: et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.
17. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.

PSALMI DECIMI SEXTI ANALYSIS.

David insidiis a Saule appetitus, liberationem a Deo petit.
- Ob duo quæ ipsi offert.
  - Innocentiam suam erga Saulem. 1.
  - Et orationem Deo supplicem. 1.
- Et ob quatuor Dei attributa.
  - Iustitiam,
    - Qua vultu benigno disceptantes aspicit. 2.
    - Oculis æquitatem videt. 2.
    - Intellectu cor penetrat. 3.
    - Manu versat, et igne examinat. 3.
    - Innocentiam reperit, 3.
      - In cogitatione. 3.
      - Verbo. 4.
      - Et opere. 4.
    - Auxilium præbet, data
      - Constantia in omnibus. 5.
      - Et oratione ferventi. 6.
  - Misericordiam,
    - In se mirabilem. 7.
    - Sperantibus favorabilem. 7.
  - Potentiam,
    - Amabilem filiis 8.
      - Quos tuetur, ut pupillam paterna dextera. 8.
      - Et sicut pullos, sub alis maternis. 9.
    - Terribilem hostibus, qui
      - Multi sunt. 10.
      - Immites. 10.
      - Arrogantes. 10.
      - Vafri. 11.
      - Inflexibiles. 11.
      - Efferati. 12.
      - Solliciti. 12.
      - Fraudulenti. 12.
    - Efficacem omnibus. 13. Nam
      - Exurgit in auxilium proborum. 13.
      - Occupat conatus impiorum. 13.
      - Sternit humi ferocientes. 13.
      - Prædam illis ex ore eripit. 13.
      - Gladium a dextera excutit. 13.
      - Eos separat a piis soli terræ addictos. 14.
  - Fidelitatem,
    - Qua felicitatem æternam iusto tribuit. 15.
    - Et gaudium ac satietatem in Dei fruitione. 15.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

VERS. 1. ORATIO DAVID.

1. Argumentum psalmi — ARGUMENTUM Psalmi est oratio Davidis, qui ut ait A Theodoretus, persecutionem patiens a Saule et παντοδαπας επομενων επιβουλας omnigenas sustinens insidias, Deum universitatis in auxilium implorat: atque, ut loquitur Iansenius, innocentiam suam, et iustitiam multis modis a Deo probatam proponit, atque ob eam iudicium sibi contra adversantes fieri exoptat: tum etiam perseverantiam in iustitia, et diligentem ipsius custodiam, ne quicquam illi nocere possint hostes ipsius, quorum impietatem, iniustam oppressionem, superbiam et crudelitatem commemorat, ac deinde differentiam inter impios et iustos designans, iniustorum felicitatem in caducis huius mundi bonis, suam vero in futura Dei contemplatione et cognitione sitam esse confitetur. Itaque non agitur hic de persecutione Absalonis, tunc temporis enim reum se David censebat, non iustum. Hæc tamen ratio non prorsus concludit, ut alias dixi.

Alleg. et præcipue intento sensu agitur hic de Christo, qui est verus David, id est, dilectus Deo. Hæc oratio, ait S. Aug. est personæ Domini tribuenda, adiuncta Ecclesia, B quæ corpus eius est: et S. Hieron. recte ait, esse vocem Christi in passione, et vocem Ecclesiæ in tribulatione: illum sequitur Ludolphus, et alii.

Tropol. Oratio est iusti in magna afflictione positi, et iniuste persecutionem patientis, qua precatur a Deo liberationem: ducit autem argumenta, primum ab innocentia sua, secundum a iustitia Dei, tertium a misericordia eiusdem, quartum a malitia impiorum iustos persequentium: ita Bellarm. Canit in persona viri in via Dei perfecti, ait S. Athan. et esse multa fiducia refertum Psalm.

A QUÆRES. Quare hic psalmus vocatur oratio? 2. Psalmus hic oratio vocatur, et cur.

Respondeo primo, esse proprie loquendo Psalmum, et publice atque cum instrumento musico solitum esse decantari, sicut alios omnes: et patet ex Syr. et Arab. ubi simpliciter psalmus appellatur. Itaque non assentior Lyrano et Lorino negantibus proprie dici psalmum. S. Gregorius Nyssenus quidem tract. 2. in psalmos, cap. 3. sic distinguit inter psalmum, canticum sive odam, laudationem, hymnum, et orationem. Psalmus, inquit, est modulatio per instrumentum musicum: Canticum, prolatio cantus cum verbis ore facta: Laudatio sive laus, divinorum mirabilium predicatio et commendatio. Hymnus, benedictio reddita Deo, ob bona nobis præstita. Oratio, supplicatio ad Deum pro re aliqua nobis conducibili. Tamen mihi non est dubium, quin omnes psalmi, qui dicuntur cantica, laudationes, hymni, oratio, nonnumquam in tabernaculo, et postea in templo, etiam cum modulatione per instrumentum musicum canerentur: et vicissim ii, qui intitulantur psalmi aliquando sola voce sine instrumento efferrentur. Unde enim constat contrarium? Deinde etiam in psalmis stricte secundum illos sumptis reperiuntur divinorum mirabilium prædicationes, benedictiones redditæ Deo, et supplicationes ad ipsum.

Respondeo secundo. Hunc psalmum dici orationem, quia totus est in postulatione positus: atque ut ait Iansenius, *est quædam exemplaris forma omnium orationum*, quia ex hoc psalmo colligere possumus, qua animi sinceritate orandum sit, qua voce, qua instantia, denique quid orandum sit, et similia.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Duo præmittit, ob quæ debeat exaudiri. Primo, orationem suam vehementer iunctam innocentiæ, vers. 1. Secundo, Dei quatuor attributa, ad hoc eum moventia. Primo, iustitiam, qua post examen cognoscit innocentiam, vers. 2. ad 7. Secundo, misericordiam, quæ sperantes in se suscipit et fovet, vers. 7. Tertio, potentiam, quæ rabiem iniuste furentium atterit, vers. 8. ad 15. Quarto, fidelitatem, qua promissam gloriam dat meritis, vers. 15.

PARAPHRASIS.

1. *Exaudi Domine iustitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.*

1. Domine Deus, in quo spes omnes meas fixas habeo, innoxium tibi supplicem exaudi, faventique mente orationem meam excipe. Faciles ad aures deprecationem meam non fallacibus fucatam vocibus, sed ex interno afflicti cordis recessu deprompiam admitte.

2. *De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*

2. Benigno faventique vultu, qui trepidanti mihi fiduciam aspiret, causam meam discepta, oreque iusto sententiam profer. Nulla potentiæ Saulis et aliorum hostium, meæque tenuitatis habita ratione, in unam æquitatem oculos intende.

3. *Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.*

3. In æqua iustitiæ bilance cor meum expendisti, et latebras eius cæcasque et nulli pervias cogitationes versasti: atque in ardentem tribulationis fornacem coniecisti, ut quid adulterinum esset, dignosceres: et instar argenti aurive defæcati opera mea sine scoria iniustitiæ contra Saulem admissæ reperisti.

4. *Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

4. Ut inanes hominum plausus non consectarer, eorumque gratiam mendaci adulatione non aucuparer, mandatorum tuorum calles sentibus asperatos inii, tua unius voce incitatus, atque in te uno tuisque promissis spes omnes meas defigens.

5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

5. Contento cursu ad ardua enitentis gressus dirige, et stabili, ne fallente vestigio in præceps hostium præda decidar.

6. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.*

6. Nunc ad te quanta possum voce orationem meam dirigo, incitatus pristinis donis tuis, quæ precanti mihi concessisti, solita benignitate preces meas exaudi.

7. *Mirifica misericordias tuas: qui salvos facis sperantes in te.*

7. Tam insigni misericordia nutantem me et pavitantem complectere, illam ut omnes suspiciant: cum id moris sit tui, fiduciam in te suam reponentes, ut nunc facio, ab omni periculo liberare.

8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.*

8. Conserva me adversus eos, qui voluntati potestatique tuæ obluctantur, cum me a te in Regem designatum reiiciunt et persequuntur: ea vero in tot periculis me cura et vigilantia tuere, qua oculos pupillamque suam tutam et conservatam omnes volunt.

9. *Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt.*

9. Ut tenerum pullum advolantis milvi unguibus patentem, alarum tuarum secura inumbratione contege, ne in eorum manus incidam, qui dudum exitium meum ambiunt.

10. *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.*

10. Longa indagine, crudelique bastatorum corona, omnes aditus, quibus effugii spes erat, obsepsere hostes mei. Divitiis deliciisque saginati, viscera mihi misericordiæ occluserunt, miseroque mihi arrogantes insultarunt.

11. *Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.*

11. In terram delectum immanes molossi, veluti subitaneam escam prædatitiam, circumsteterunt. Oculos suos terræ affixerunt, ne miserabili iacentis aspectu misericordia tangerentur.

12. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

12. Miserum me occupare insidiis moliti sunt, non secus ac leo senior prædæ capiendæ intentus: vique aperta invadere tentarunt, leunculo ferocienti densis e frutetis exilienti assimiles.

13. *Exurge Domine, præveni eum, et supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*

13. Cum tu, o Domine Deus, sis in proximo, rabiemque illam vesanam videas, assurge in iras, et furentem Saulem eorum ducem ante occupa, pedibusque tuis insterne. Mox in eius manus venturum ab instanti periculo exime, gladium tuum, quo ipsius satellites omnesque hostes mei abutuntur, ab iis exprime, cum potentiæ tuæ adversentur.

14. *Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

14. Domine ab exiguo Sanctorum numero, qui bis in terris versantur, eos secerne: ipsi perituris terrenisque bonis, quæ ex imis fodinarum visceribus eruuntur, abundant.

Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Liberorum numeroso agmine læti incedunt, ac nepotibus suis facultates a te acceptas utendas transmittunt.

15. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

15. Iusti autem, egoque sacro illorum immixtus cœtui, coram te virtute ornati apparebimus: uberique bonorum tuorum abundantia in cælis satiabimur.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura Deus servos suos tribulationibus probat et in illis conservat, atque ad gloriam provehit.

4. Ordo sectionis. DAVID a Saule agitatus ad Deum duos legatos mittit, qui causam suam coram eo agant. Primo, innocentiam suam, v. 1. *Exaudi Domine iustitiam meam.* Secundo orationem, *Intende deprecationem meam*, et cætera.

Quatuor sibi in Deo parata videt contra hostes præsidia: nempe iustitiam, misericordiam, potentiam et fidelitatem.

Ac primo. Sistit se iustitiæ fretus innocentia sua, quam aspici optat, et ius ei reddi, v. 2. *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* Ostendit a se iure postulari favorabilem sententiam. Primo, quia fuit examinatus per multas tribulationes, v. 3. *Probasti cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti.* Secundo, quia in eo examine repertus est innocens, in cognitione et affectione interiori, *Et non est inventa in me iniquitas;* 2. in ore, v. 4. *Ut non loquatur os meum opera hominum;* 3. in opere, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

A Dei autem iustitia postulat primo, in bono suscepto perseverantiam, v. 5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Et precum exauditionem, v. 6. *Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus; inclina aurem tuam, et exaudi verba mea.*

Secundo, ne nimis innocentiæ suæ fidere videatur, misericordiam adit, eique fit supplex, v. 7. *Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Tertio, Potentiam Dei implorat, et petit eius ope conservari. Primo, cum studio et amore, instar pupillæ oculi, v. 8. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.* Secundo cum securitate et delectatione, instar pulli sub alis maternis, v. 9. *Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum, qui me afflixerunt.* Describit autem hostes suos primo, quod sint multi, v. 10. *Inimici mei animam meam circumdederunt.* Secundo, quod

A sint immites, *adipem suum concluserunt.* Tertio, arrogantes, *os eorum locutum est superbiam.* Quarto vafri, v. 11. *Proiicientes me, circumdederunt me:* ne scilicet ullus locus restaret ad evadendum. Quinto inflexibiles, *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Sexto efferati, v. 12. *Susceperunt me sicut leo.* Septimo, solliciti et ardentes, *paratus ad prædam.* Octavo, fraudulenti et hypocritæ, *et sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Petit autem a Dei potentia. Primo, ut exurgat ad terrendum hostes aspectu ipso, v. 13. *Exurge Domine.* Secundo, ut Saulem stricto iam mucrone imminentem sistat: *præveni eum.* Tertio, in terram deiiciat: *et supplanta eum.* Quarto, prædam iam spe devoratam, ac pene captam in libertatem asserat: *eripe animam meam ab impio.* Quinto, arma detrahat omnibus contra se sequentibus Saulem: *frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* Sexto eos removeat a suis suorumque cervicibus, v. 14. *Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum.* Rationem affert, cur sint removendi, quia alioquin illos possent op-
B primere, cum Primo divites sint: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum.* Secundo, cum abundent filiis etiam potentibus: *Saturati sunt filiis, et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Quarto denique, gratulatur sibi, contemplans Fidelitatem Dei, quæ promissam coronam iustitiæ ostendit, v. 15. *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo.* Deinde mensam videt a Deo iustis paratam, quibus Christus ipse inserviet ac se contemplandum præbebit. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

ARTICULUS I.

Deus servos suos tentationibus et calamitatibus probat, visitat, et examinat: sed clamantes ad se exaudit et iuvat.

DAVID causæ suæ confidens, ait v. 1. *Exaudi Domine* 5.
iustitiam meam (id est, iustam petitionem meam, ait Vers. 1.
Theodoretus; 2. et melius integritatem causæ meæ contra persecutores, et innocentiam in hac parte, ut ait Gordonus) *Intende deprecationem meam* (Chald. laudationem

meam. Hebr. רִנָּתִי *rinnati*, id est, clamorem meum) *auribus percipe* (Hebr. הַאֲזִינָה *haazina*, id est, auribus pondera *orationem meam*, *non in labiis dolosis* prolatam, ut hypocritæ, ait Richardus Pampolitanus. Est catachresis, Deus enim caret auribus. De orationis efficacia, et conditionibus dixi Psal. 4. 1. et 5. 1. et sequent. Nota tantum orationem iusti multum apud Deum valere. *Exaudi Domine iustitiam meam.* Chald. *Suscipe Domine deprecationem meam in iustitia*: supple factam, id est, iustam, in iustitia et innocentia fundatam.

Exaudit Deus iustos, ob tres causas.
I.
Quia est iudex iustus.

Ratio a priori, cur Deus iustos audiat, est primo, quia est iustus Iudex. Unde Symmach. et Theodotio vertunt: *Exaudi Domine iustitiæ*, id est, Domine iuste. Itaque sibi similes amat, dissimiles reiicit, eum legum suarum infractores videat. Agesilaus Rex Lacedæmoniorum, cum in quadam causa sederet Iudex, et is quidem, qui accusabat recte dixisset, patronus vero male, subinde tamen repeteret inter dicendum, Agesilae, decet regem opitulari legibus; perinde quasi bonam haberet causam, et ab ipso starent leges: hominis improbitatem interpellans Agesilaus: Si quis, inquit, tibi domum perfoderit, aut vestem abstulerit, num expectaturus esses ut architectus, aut qui vestem contexuit, tibi sit auxilio futurus? Subindicabat, regem esse veluti legum architectum: nec convenire, ut opituletur ei, qui contra leges aliquid admiserit. Ita Plutarch. in Lacon. Apophthegmatis.

6.
II.
Quia iusti Deum vocantem audiverunt

Secundo, Vir iustus sæpe Deum vocantem audivit, ut Samuel 1. Regum 3. 4. itaque eum vicissim audit Deus. *Samuel* significat, audivit seu exaudivit Deus: et quidem ad unam eius vocem et holocaustum, cum Philisthæi iniissent prælium contra Israel, *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, et exterruit eos, et cæsi sunt a facie Israel.* 1. Regum 7. v. 10. Sic orante Mose Deus iustitiæ exemplum dedit fulminibus conterrens exercitum Pharaonis in mari rubro, Exodi 14. Sic Chananæos contrivit per Iosue c. 18. Ios. v. 11. Sic barbaros etiam fulmina perdidit ac grandine et tempestate per legionem fulminatricem in preces prostratam, tempore Antonini Imp. qui eam ob rem Christianos exagitari vetuit, ut ait Eusebius lib. 5. c. 5. Sic Eugenium tyrannum per Theodosii Imperatoris preces superavit, immissa tempestate, quæ hostium tela averteret, et a militibus Imperatoris missa vehementius in rebelles intorqueret, teste Orosio lib. 7. cap. 35.

III.
Quia Deo suavis est eius oratio.

Tertio, Vir iustus orationem offert in anima sancta, velut aroma pretiosum in vase aureo, itaque est veluti duplex oratio; vita enim ipsa est oratio interpretativa, et sæpe aureum aut gemmeum vas principi oblatum maioris est pretii, et artificii, et consequenter magis placet, et impetrat, quam ipsum donum in eo contentum. Unde S. Cyprianus dicit in orat. Domin. *Cito ad Deum orationes ascendunt, quas ad Deum merita nostri operis imponunt.* Et Tertullianus de Oratione cap. 10. et de patientia cap. 13. *Hæc vox orationem impinguat, atque perficit.* Hoc sumpsit a Iesu filio Syrach, Eccli. 35. 8. *Oblatio iusti impinguat altare* (id est, victimam Deo gratam, ut sunt victimæ pingues, offert) *et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.* Et S. Iacobus ait epistolæ suæ canonicæ cap ultimo, v. 16. *Multum valet deprecatio* δέησις, id est precatio quæ in indigentia et afflictione simpliciter fit ad eam levandam: δέομαι enim est indigere. Sic *intende deprecationem*, δέησιν (in psalmo nostro habes) *iusti assidua*: ἐνεργουμένη, id est elaborata, strenua, efficax, vivida, Pagn. *intenta*, quæ scilicet tota animi contentione ex fundo pectoris ardenti spiritu, certaque fide et spe formatur, et emittitur. Hæc, enim, quasi cogit Deum dare quod petitur. Assidua ergo, id est, intenta et instans, ut assequatur quod petit. Assiduus enim latine proprie idem est quod ingis, continuus, et quasi assidens rei cui incumbit. Ita Festus. Inde secundo, assiduus idem est quod intentus, diligens, sollicitus. Sic Cicero lib. 1. de oratore, scripturam diligentem et elaboratam vocat assiduam. Et libro de senectute. Semper, ait, boni assiduique Domini referta cella vinaria, olearia, et penuaria est, villaque tota locuples est. Tertio assiduus, per metalepsim idem est quod locuples et probatissimus, ita a Gellio lib. 18. vocatur classicus assiduusque scriptor non proletarius. Simili modo oratio assidua, primo, est intenta, elaborata, solicita. Secundo continua, donec obtineat, quod tam solicite petit. Tertio, probata et locuples, quia totam se dat Deo, omnesque corporis et animæ vires in oratione impendens Deo tradit: locuples ergo est in Deum, dum ei se suaque liberaliter offert, ut eum vicissim sibi obliget, et liberalem in dando id, quod petitur, esse suadeat, et pene compellat. Sic Græcum ἐνεργός, idem est quod ἐν ἔργῳ ὤν, id est, in opere existens, operi intentus, sollicitus, strenuus, acer, continuus, donec opus suum conficiat. Item, oratio iusti multum valet, si sit ἐνεργουμένη, id est agens, operans non desidiosa et torpens, sed bonis operibus intenta, iisque comitata, alata et armata: opera enim tum orantis, tum eius, pro quo oratur, puta pœnitentia, vitæ emendatio, observatio mandatorum, et exercitium charitatis, patientiæ, humilitatis, aliarumque virtutum faciunt orationem efficacem et quasi omnipotentem, ait S. Maximus centuria 3. c. 8. et 84. et ex eo Theodorus Studita serm. 107. ita Cornelius. Eleemosyna orat, et iustitia orat, ut ait Beda in psalmum nostrum. Contra vero, oratio peccatoris displicet Deo. Proverb. 28. v. 9. *Qui declinat* (Syr. obturat) *aures suas, ne audiat legem, oratio eius fiat execrabilis.* Hebr. et Aquila, abominatio. Sic Ps. 108. v. 7. *Oratio eius fiat in peccatum.* Chald. ad condemnationem. Auctor operis imperfecti in Matthæum hom. 15. *Ille*, inquit, *orat, qui iam non peccat: qui autem rogat et peccat, non tam rogat quam deludit Deum.* S. Gregorius lib. 18. Mor. cap. 5. Ioannis voce dicitur, 1. Ioannis 3. 21. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et quicquid petierimus ab eo, accipiemus. Ac si diceret: Si id quod præcipit faciemus: id quod petimus, obtinebimus. Valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt: ut et oratione operatio, et operatione fulciatur oratio. Hinc enim Ieremias ait Thren. 3. 41. *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælos. Vias etenim nostras scrutari, est cogitationum interna discutere. Corda vero cum manibus levat, qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat, sed operari dissimulat: cor levat, et manus non levat. Quisquis vero operatur, et non orat: manus levat, et cor non levat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit.* Lege Ambrosium in cap. 4. Apoc. Parum ad impetrandum deprecationes valent, ait S. Hilarius tract. de opere et eleemos. nisi factorum et operum accessione fulciantur.

Nota cum S. Hieronymo, differentiam orationis et deprecationis: *Oratio*, ait, *Sanctorum est pro devotis, ut perseverent in bono: Deprecatio pro peccatis suis vel aliorum.* Oratio itaque ea petit, quæ sunt necessaria ad salutem, et ad vitæ commoditatem; deprecatio deprecatur et avertit ea, quæ sunt impedientia salutem, vel vitæ commoditatem. 7.

Oratio et deprecatio quomodo differunt?

Nota secundo, Labiis dolosis fieri orationem a peccatore. Ut enim ait Deus de Iudæis Isaiæ 29. v. 13. *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem eius longe est a me.* Id autem est fraudulentum, ore orare et supplicare, corde autem maledicere Deo per occulta peccata. Hoc detestatur Christus Matthæi 15. 7. et Ps. 77. 36. Orant, ait Hugo a S. Victore cap. 17. in psalmos, solis labiis dolosi, quia non habent in corde, quod ore proferunt: corde et labiis, veraces: quia sicut loquuntur, ita sentiunt: solo corde, devoti, quia orationem suam a Deo tantum audiri volunt. Postea sic præcipit, ut in oratione cogitemus, quod loquimur: si facere velimus quod debemus, si vero alienam a verbis cogitationem etiam de re bona suscipiamus, a culpa prorsus liberos nos esse, dummodo intelligere verba valeamus: si non intelligimus absque fructu non esse, bona intentione proferentes: si cogitatio vana sit, vanos effici, quamvis vari-

Oratio peccatoris est dolosa.

tatem loquamur: si, dum os veritatem loquitur, in corde turpitudo versetur, abominabiles in conspectu Dei reputari: sed aliud esse, si hoc inviti patiamur, aliud quando in eo per deliberationem delectamur.

8. Allegorice. Christus exaudiri petit iustitiam suam, et quam?

Allegorice. Christus postulat a Deo Patre exaudiri *iustitiam suam*, id est, primo iustissimam suam postulationem, pro se et suo corpore, quod est Ecclesia. Secundo, *iustitiam suam*, id est, vitam innocentissime actam, et omni virtute ornatam. Tertio, *iustitiam suam*, id est, iustissimam suam satisfactionem, quæ fuit facta ad æqualitatem et pondus, pro omnibus peccatis hominum omnium. Unde dicitur Psal. 129. vers. 7. *Apud Dominum misericordia, et copiosa* (Septuaginta πολλη, id est, multa) *apud eum redemptio;* et Paulus 1. Corinthiorum 6. vers. 20. *Empti estis pretio magno.* S. Basilius in illud Psal. 48. Frater non redimit, redimet homo, dicit pretium sanguinis Christi superare omnem valorem. 1. Petri 1. v. 19. *Redempti estis pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* S. Ambros. lib. 7. in Lucæ cap. 12. *Bene pretiosus dicitur sanguis Christi, quia immaculati corporis sanguis est; quia sanguis est filii Dei, qui non solum de maledicto legis, sed etiam de impietatis morte perpetuo nos redemit.* Et præfat. in Psal. 35. ait: *Bonum aurum, sanguis Christi, dives ad pretium, profluus ad lavandum omne peccatum.* 1. Ioannis 2. v. 2. *Ipse est propitiatio* (id est propitiator. Alludit ad propitiatorium supra arcam positum, nam figurabat Christum propitiatorem. Ad psalmum nostrum apte legit S. Augustinus exoratio; et S. Cyprianus deprecatio) *pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, id est, non tantum pro peccatis Iudæorum, sed etiam Gentilium, ut ait S. Cyrillus et Oecumenius; 2. non solum pro fidelibus, sed etiam pro infidelibus, sicut explicat Clemens Alexandrinus. Maximum miraculum passionis Christi dicit esse S. Gregor. Naziaz. orat. 42. sub finem, quod exiguæ cruoris guttæ orbem universum instaurarunt. Clement. 6. Extravag. unigenitus, de pœnit. et remiss. expresse dicitur, Christum suis meritis et satisfactionibus acquisivisse infinitum thesaurum hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti: et ideo habetur ibi, unam guttam sanguinis Christi fuisse sufficientem ad perfectam redemptionem nostram propter unionem ad verbum. S. Leo serm. 3. de Passione dicit: Inter omnia opera misericordiæ Dei nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quam quod pro mundo crucifixus est Christus. Et serm. 12. pro omnibus suffecisse ait: *Effusio pro iniustis sanguinis iusti* (potuit dicere, exaudi iustitiam meam) *tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent.* Et S. Ioan. Apocal. 1. v. 5. dicit: Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Suarez tomo 1. de Incarnatione, disputat. 4. sect. 4. probat, opera Christi Domini fuisse infiniti valoris et efficaciæ ad satisfaciendum, quia satisfactio crescit in valore ex dignitate personæ satisfacientis: sed persona satisfaciens in Christo est infinitæ dignitatis: ergo et opera eius sunt infiniti valoris ad satisfaciendum. Hæc ratio fundamentum habet in Patribus dicentibus, actiones Christi ex dignitate personæ operantis fuisse deificatas et Dei viriles: ut dicit S. Dionysius epist. 4. ad Caium, et cap. 2. de divinis nominibus, et S. Damascenus lib. 3. cap. 15. et 19. ubi actionem Christi dicit esse salutiferam: quia non tantum humana est, sed etiam divina: quod infra explicans, inquit esse deitate perfusam. Unde optime Theodor. Ancyr. homilia de Nativitate Domini, quæ habetur in Concilio Ephes. 4. 6. cap. 10. dicit, Deum assumpsisse passiones, ut illæ Deificatæ, victoriam adversus passiones nobis obtinerent: nam vim illis divinam tribuit; et quæ ibi late persequitur, et exemplo regiæ dignitatis accommodate explicat: et similia fere habet in alia homilia eiusdem festi. Dicendum porro est, in actibus voluntatis Christi ex triplici capite posse infinitatem considerari. Primo ex parte personæ, præcise ut operans

A est, et eliciens illos actus, per humanitatem sibi coniunctam. Nam ex vi huius respectus erant omnes illi aliquo modo divini, et speciali titulo proprii divinæ personæ. Quod autem hic respectus ad personam operantem infinitam conferat ad valorem moralem infinitum, probatur: quia persona operans moraliter est quasi forma propria actionis suæ. Unde illam dignificat, et æstimabilem reddit, ut patet in actione nobilis principis et regis. Secundo, potest hæc dignitas considerari in his actibus ex parte personæ, cui uniuntur. Sunt enim hi actus voluntatis immanentes, et ideo intrinsece postulant, ut maneant in eadem persona, a qua fiunt mediante natura, per quam fiunt. Et ex hac unione accipiunt actus inæstimabilem valorem: quia sunt Deitate perfusi, ut loquitur S. Damascenus. Unde hoc ipso quod illi afficiunt personam Dei media natura, quam Deus per unionem suam fecit: ipse etiam Deus illos moraliter afficit atque dignificat: quæ dignitas quamvis proveniat actionibus media unione humanitatis, quæ est quid creatum in ipso, tamen ab ea solum est tamquam a conditione necessaria: a persona autem Verbi sumitur formaliter, tanquam a persona quæ per seipsam sanctificat, tam naturam, quam actus eius, et consequenter confert illis valorem et dignitatem unicuique proportionatam. Tertio potest hic valor infinitus considerari in his actibus ex parte materiæ, circa quam versantur, ut quando Christus voluntarie effundebat suum sanguinem pro hominibus, voluntas illa versabatur circa rem infiniti valoris, quam offerebat in pretium, et ideo ex hac parte videtur etiam habuisse infinitatem: quamvis si illa materia, circa quam præcise consideretur in ratione obiecti, non sufficeret ad infinitatem simpliciter moralis valoris, seu satisfactionis. Ut ergo hic titulus conferat ad infinitatem, simpliciter coniungendus est cum præcedentibus, ut etiam considerandus tamquam quodammodo in illis inclusus virtualiter, aut secundum quamdam reflexionem. Actus enim voluntatis Christi, quatenus est immanens, habet illa duo supra explicata, scilicet, quod est a persona et in persona divina: quatenus vero est intrinsece voluntarius ac liber in obsequium alterius, non solum ipsum actum, sed etiam ipsum operantem, voluntarie submittit ac subiicit obsequio alterius, et hoc modo voluntas illa Christi habebat infinitum valorem ex hoc capite. Ita Suarez.

Postquam David in genere petit audiri orationem suam, Vers. 2.
nunc speciatim explicat, quid petat v. 2. *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* S. Augustinus legit, æquitatem. Vatablus vertit, quæ recta sunt, expendant. Nota, vultus ponitur primo pro notitia. Secundo, pro voluntate. Tertio, pro ore. Quarto, pro toto homine. Et est Synecdoche: eadem ratione vultus Dei sumitur pro Deo. Est etiam catachresis: quia Deus caret vultu sicut oculis et manibus. Nota secundo. *To iudicium meum* potest sumi primo active, id est, iudicium quod habeo. Secundo passive, id est, iudicium quod alius habet de me. Et sic iudicium Dei postulat, id est, sententiam eius de se, et hostibus suis.

De vultu Dei iudicium prodire dicitur septem modis.

Sensus autem est primo, ut vult Iansenius, *de vultu tuo iudicium meum prodeat*, id est, iudicium quod ego de me habeo, cum probabili arbitrio iudicans me iustum esse, I.
dixi, *Exaudi iustitiam meam*, tu calculo tuo iudicioque aliquo a te prodeunte approba. Approbabis autem si orantem exaudieris, sic enim declarabis me gratum esse in conspectu tuo: aures enim tuæ in preces timentium te, atque voluntatem, timentium te facies. Huius orationis exemplum habemus in Elia, qui petivit 3. Regum 18. exauditione precum suarum declarari populo se esse servum Dei, quod cum fieret, prodivit tum iudicium Eliæ de vultu Domini. *Oculi tui videant æquitates*, id est, exaudiant, adiuvent preces in æquitate fundatas. Secundo S. II.
Augustinus, qui legit a *vultu tuo*, sic exponit, q. d. *A vultu tuo iudicium meum prodeat*, id est, non proferam iudicans aliud, quam in te intelligo. Sive ut Didymus ait, optat internam sibi oculorum rectitudinem dari, secundum quam Deus iudicat, iudicium educens de vultu suo.

Vel, optat rectitudinem Dei quæ virtus est, intueri: utpote quam nondum viderat. Asterius id magis declarat. Sedebat David tanquam Rex et Iudex: sed tanquam Prophetæ et Regi secretiora illi iudicia manifesta reddebantur: ne vero quatenus homo circa iudicium falleretur, ignorans quid iustum est, dicit: *De vultu tuo iudicium meum prodeat.* Huiusmodi est illud Ps. 71. v. 1. Deus iudicium tuum Regi da. Sensum enim ipsius ad divinam voluntatem faciendam quærit, ut oculatus et perspicax in discernendo sit. Unde mox subiungit: *Et oculi mei videant æquitates*, ut a te directi cum omni libertate sine personarum acceptatione obliqua et contorta rerum detegant et refellant: cumque multi essent, qui eum in ius vocarent, præsentem orationem faciens, iudicium hominum prætermittens plures iudices detrectat, ubi adverte eum legere *oculi mei.* Sic etiam habent August. Sept. Arabs, et alii. Sed recte notat S. Hieron. epist. 135. nostram lectionem esse meliorem, et Hebr. Syr. Chald. Beda et alii sic legunt.

III. Tertio, Ludolphus sensum esse putat. *De vultu tuo iudicium meum prodeat*, q. d. De manifesta notitia tua iudicium meum prodeat, id est, exeat, vel esse appareat: id est, iudica me secundum illa quæ in me respicis et cognoscis, quia nullum habeo peccatum: *oculi tui*, id est, contuitio divinitatis tuæ videat æquitatem, ut facias mihi secundum eam, non secundum voluntatem hominum, et mihi des remedium: adversariis vero secundum suum demeritum. Hoc de Christo explicat, ut vides: ad Davidem transferre potes, et ad quemlibet iustum. Unde cum Rufino concludo: *Debent ergo sancti viri semper examinare cor suum, ut illud ante oculos Dei habeant probatum, ne ille, cuius oculi vident æquitatem, ullam in eis videre possit reprehensionem.*

IV. Quarto, Richardus Pampolitanus Angiosaxo et eremita sensum esse vult, q. d. *De vultu tuo*, id est, *de voluntate tua, iudicium meum prodeat*, id est, appareat, non de voluntate detractorum et malignorum, qui bona derogant, et famam denigrent: *oculi tui*, id est, contuitio divinitatis, *videant æquitates*, de bonis glorificandis et exaltandis, et de malis reprobandis et demendis: et ut ego non proferam aliud, quam quod to illuminante intelligam.

V. Quinto, vultum pro favore et benevolentia sumit Angelus Sangrinus Abbas Cassinensis in psalmorum paraphrasi: *De vultu tuo iudicium meum prodeat*, q. d. inquit, Si inter mea et hostium meorum gesta est iudicium, illud oro vultu fac miti, o qui es iniquitatis osor. Thomas etiam Anglicus vultum sumpsit pro notitia Dei et clementia. Beda, pro diligentissima, et perfectissima discretione eius. Oculos quoque sumit Hugo pro misericordia. Deus est sol iustitiæ, illuminat, recreat et vivificat pios illuminatio vultus eius. S. Ambros. in Ps. 50. putat, cum petitur iudicium prodiens de vultu Dei, designari pietatem et indulgentiam: et de vultu eius non pœnam, sed veniam procedere.

VI. Sexto, Bellarminus vultum pro ore sumi censet, et sensum esse, q. d. te appello Domine, a te iudicari volo, qui es iudex iustissimus. *De vultu tuo*, id est, ab ore tuo, iudicium meum prodeat, id est, sententia pronuncietur. *Oculi tui videant æquitates*, id est, noli claudere oculos, et considera, quid iustitia exigat. Non enim ponitur hoc loco æquitas pro epiichia, sed pro ipsa vera iustitia, ut sonant vocabula Hebræa et Græca.

VII. Septimo, vultum Dei pro Deo ipso sumunt Euthymius et Genebr. qui ait: *De vultu tuo*, id est, a conspectu tuo, a te *prodeat iudicium meum*, id est, ius meum, iustæ meæ causæ disceptatio, et defensio. Meam causam æquum vultu placido discepta. Me tuere a meis oppugnatoribus. Iudicium pro ultione et defensione sæpius ponitur in hac lingua. A te iudice ius meum, vel ultio mea exeat, me de meis hostibus ulciscere et defende. Oculi tui æquitates videant, id est, faveant iis, quæ æqua sunt, æquæ meæ causæ et iuri. Hi omnes sensus satis commodi sunt, sed præsertim duo ultimi; duo primi autem minus arrident, quod sumant iudicium Davidis ipsius aut iusti, non vero iudicium Dei, apud quem ut iudicem se David sistebat a Saule rege, qui nulli alteri suberat agitatus.

Symbolice. Vultum Dei, ait, esse Christum. Eusebius. 10. Symbolice.
Si, inquit, *Pater omne iudicium Filio dedit, Ioan. 5. v. 27. In vultu autem illius omne iudicium egreditur, plane cum Christus sit Patris imago, a Filio iudicium proficiscitur.* Oculos Dei Apostolos ait esse Asterius; prædicatores S. Hieronymus, qui ad mores sic traducit: *Oculi Christi*, inquit, *Sancti prædicatores, videant*, id est, *intelligant æquitatem: ut iustitiam quam prædicant, opere impleant.*

Allegorice de Christo sic explicat Ioan. Paulus Palanterius. Christus, inquit, ad Patrem ita loquebatur, *De vultu tuo*, id est, de sapientiæ tuæ manifestatione: vel de vultu tuo, id est, de tui vultus illuminatione: vel de vultu tuo, id est, de tuo beneplacito, *iudicium meum*, id est, cognitio omnium quæ assumpsi, feci, ac pro generis humani redemptione pertuli, *prodeat*, supple per Apostolos, aliosque Doctores universis hominibus publicetur, ut omnes sciant, quam iniusto iudicatus sum a Pilato. Oculi tui, o Domine Pater, videant æquitatem: id est, tuus considerat intellectus meam iustitiam, et secundum illam mihi corporis gloriam restituat, atque pro aliis audiat precem meam. Secundo, q. d. iudicium meum in publicum prodeat ad notitiam omnium gentium, de vultu tuo: id est, ut tu vides esse ad utilitatem Ecclesiæ, iudicatus sum a Iudæis, invidia nomen meum extioguere volentibus. De vultu igitur tuo, non ad Iudæorum voluntatem, iudicium meum prodeat atque cognoscatur, quia charitate, pro nobis pati voluit Christus, et sic conformari voluntati Patris, non Iudæorum. *Oculi tui* iudicando inter me et illos, videant æquitatem, mihi gloriam Resurrectionis retribuendo, et Iudæis pœnam condignam suæ iniquitatis: hæc enim est æquitas, ut sicut in passione humillimus omnium factus sum, ita in Resurrectione et Ascensione exalter. 11. Allegorice.

Moraliter nota. Iudices ut iuste iudicent, ait illis veluti πάρεδρος et assistens iustitia, quæ ab eorum latere et conspectu prodiens omnes cives recreet, atque exteros advenientes illustret: imo ita iudicibus sit velut incorporata iustitia, ut in eorum oculis, ore, toto vultu appareat, et inde prodeat atque emicet. Innocens ubi iudicem aspexerit, in eius facie benignitatem, charitatem, misericordiam, protectionem legat: impius vero ibi conspiciat severitatem, minas, tristitiam, condemnationem et supplicia. S. Isidorus lib. 18. origin. cap. 15. *Iudex*, inquit, *dictus est quasi ius dicens populo, sive quod iure disceptet. Iure autem disceptare est iuste iudicare, non est autem Iudex, si non est in eo iustitia. Accusator vocatur quasi adcausator, quia ad causam vocat eum quem appellat. Reus a re quæ petitur nuncupatus, quia quamvis sceleris conscius non sit reus: tamen dicitur, quamdiu in iudicio pro re aliqua petitur. Et paulo ante. Iurgium dictum quasi iuris garrium, eo quod qui causam dicunt iure disceptent. Lis a contentione litis nomen sumpsit. De qua Virgilius. Limes erat positus, litem ut discerneret agri.* Et anterius. *Forum exercendarum litium locus a fando dictum*, q. d. forum a fori. *Causa vocatur a casu quo evenit. Est enim materia et origo negotii, necdum discussione et examine patefacta, quæ dum proponitur causa est: dum discutitur, iudicium est: dum finitur, iustitia. Vocatur autem iudicium, quia iuris dictio: et iustitia, quasi iuris status.* In eam commodissime Salomon dixit Proverb. 29. v. 4. *Rex iustus erigit terram:* Hebr. stare facit. Chald. stabilem reddit. Rex bonus et sapientia insignis est velut centrum regni sui, omnes eius partes sustentans et inter se nniens. Aristoteles lib. 1. de cælo ait, terræ et corporibus omnibus quæ ad centrum tendunt, a centro triplex conferri beneficium, scilicet unitatem, conservationem et quietem; ita rex per iustitiam, quam omnibus unam eamdemque reddit, primo subditos omnes in ea sibi unit; secundo, in concordia extinctis dissensionibus conservat; tertio, quietem a bellis externis, et hostibus, quos exclu- 12. Moraliter iudices iuste iudicare debent.

dit, quietem affert. Quam studiose hæc præstare debeant Reges et Principes, dixi Ps. 2. v. 10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Vide illum locum.

De vultu tuo Regis iustitia prodeat, velut a Sole radius. Proverb. 20. v. 8. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Septuaginta vertunt, cum rex iustus sederit super thronum: non adversatur omne malum in oculis eius. Quis enim impius regi virtutibus fulgenti et iustitia ardenti resistat? Quis vero pius ad eius contuitum non recreetur? Plutarchus in Mor. *Sicut Deus,* inquit, *in cælo pulcherrimum ac iucundissimum sui simulacrum constituit Solem, sic in Republica Principem, qui prudentia, iustitia, benignitate se erga omnes repræsentet.* Illustriorem sole regem facit Agapetus Diaconus in admonitione ad Iustinianum Imperatorem. *Solis profecto,* ait, *partes sunt illustrare radiis orbem: Principis vero virtus est, egenorum misereri. Porro his clarior est imperator, qui pius est. Ille namque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgetve quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta arguit.*

Rationem affert, cur exaudiri debeat, et pro ipso sententia proferri in Dei tribunali, quia causæ examen præ-
Vers. 3. cessit, vers 3. *Probasti* (Hebr. בחנת *bachanta*, explorasti, examinasti, probasti, expertus es, experimento tentasti) *cor meum, et visitasti nocte, igne me examinasti,* (Hebraica צרפתני *tseraphtani*, conflasti, ut vertit S. Hieron. et Pagnin. excoxisti instar metalli, expurgasti a scoriis, explorasti) *et non est inventa in me iniquitas.* Heb. nunc habetur: *Non invenies, cogitavi,* ut vertit Felix. Ra-
13. tio varietatis est, quia nunc legimus *rammothi*, id est cogitavi. Septuaginta autem legerant *rimmothai*, id est, iniquitates meæ, vel cogitationes malæ. Unde S. Hieronymus reddit. *Non invenisti cogitationes meas transire os meum*, coniunxit enim cum sequentibus. Vel potius Septuaginta legerant *rimmathi*, id est, iniquitas mea: ad verbum redde. *Non invenisti iniquitatem meam,* quod idem est ac si dicamus, *et non est inventa in me iniquitas.* Neque ante illam afflictionem et examinationem, neque in ipsa afflictione et probatione, q. d. non peccavi per impatientiam vel iram, sentiens me licet innocentem graviter affligi: neque prius ullum scelus contra Saulem admittebam, sicut cognovisti in examinatione.

De qua nocte hic agitur? Quæres primo, de qua nocte hic agitur? Respondent
1. primo, aliqui intelligendam esse illam noctem, in qua David adulterium commisit cum Bethsabæa. Sed quomo-
2. do adderet, et non est inventa in me iniquitas? Secundo, Theodoretus noctem illam melius intelligit, qua in castris dormientem Saulem liberavit, et non permisit Abisai lethalem illi plagam inferre, 1. Regum 26. v. 7. *Venerunt David et Abisai ad populum* (in castra Saulis) *nocte, et invenerunt Saul iacentem, et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput eius.* Volebat autem Abisai hastam arripere, et illum confodere, sed David impedivit; itaque recte ait: *Et non est inventa in me iniquitas.* Euthymius noctem intelligi suspicatur, qua David in potestate sua Saulem habuit in spelunca Engaddi, et tamen eum occidere noluit, 1. Regum 24. v. 4. et sequent. Sed proprie tunc nox non erat, quia David oram chlamydis (id est vestis militaris, quæ pallio erat brevior et strictior) e loco remoto ostendit Sauli, qui ea visa indoluit, quod eum esset persecutus, et liberum reliquit eum exercitu domum repetens.

3. Tertio, itaque commodius intelligemus noctem illam, qua nisus est Saul configere Davidem lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul: lancea autem casso, id est, irrito et inani vulnere perlata est in parietem, *et David fugit, et salvatus est nocte illa:* se in domum suam recipiens. Misit autem Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annunciasset Davidi Michol uxor sua, dicens: *Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris*, deposuit eum per fenestram: porro ille abiit, et aufugit, atque salvatus est, 1. Regum 18. v. 10. et sequent. Tunc tenebrosa nox fuit Davidi, atque fornax probatoria. Aliis vero temporibus, quibus Saulem hostem in potestate habuit, potius erat illi res prospera quam adversa.

Quarto, per noctem intelligi tribulationem totam illam 4.
longissimam, calamitosissimam, et obscurissimam, qua Et genuine.
Saule insequente cogebatur David huc illuc fugere, et de monte in montem se subducere, perpetuam prope noctem in speluncarum tenebris agens. Sic arbitror noctem speluncæ Engaddi acceptam ab Euthymio, qui etiam per noctem intelligit tentationem et afflictionem.

Nota. Nox est symbolum afflictionis et tentationis. Pri- 14. Nox est tribulationis symbolum, ob septem rationes
mo, quia nox est privatio lucis, lux autem est hieroglyphicum prosperitatis, Ps. 54. v. 6. *Contexerunt me tenebræ.* Ad Ephes. 6. v. 12. Diabolus vocatur *princeps tenebrarum*, id est, dux tentationum, et agminis tartarei caliginem animo offundentis.

Secundo, Nox est symbolum afflictionis et tentationis, 1.
quia tenebræ utriusque exterrent. Magnetius. *Me sæpe* 2.
probasti nocturnis terrorum umbris, sævisque dolorum æstibus. Psal. 54. v. 5. *Cor meum conturbatum est in me* (S. Hieron. in vitalibus meis) *et formido* (S. Hieronymus *terrores* multi scilicet) *mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me,* (quasi potentiores, et superiores) *et* (id est quia) *contexerunt me tenebræ.* Et ex tenebris metus, et ex metu caligo mentis et oculorum oritur.

Tertio, Nox est symbolum afflictionis et tentationis, 3.
quia in nocturnis tenebris ambulans sæpe in lapides impingit, in præcipitia incurrit atque devolvitur, et a via sua aberrat. Isaiæ 59. v. 9. Iudæi afflicti inclamant: *Expectavimus lucem,* id est, prosperitatem, *et ecce tenebræ,* id est, calamitas: *splendorem, et in tenebris ambulavimus. Palpavimus sicut cæci* (alludit ad Sodomitas, qui non potuerunt reperire ostium domus Loth, cum essent ab Angelis excæcati Gen. 19. v. 11.) *parietem, et quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie* (in luce divitiarum, quæ nobis rapiuntur, et splendorem suum perdiderunt) *quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui. Rugiemus quasi ursi omnes, et quasi columbæ meditantes gememus*, (nunc desperatione in rabiem acti, nunc stolida pusillanimitate hosti non resistentes,) *expectavimus iudicium, et non est: salutem* (v. 9. vocavit iustitiam, quæ est salus inchoata) *et elongata est a me.* Ratio est, quia non poterant dicere, sicut David noster, *Exaudi Domine iustitiam meam,* etc.

Quarto, Nox est symbolum afflictionis et tentationis, 4.
quia de nocte latrones grassantur, domos expilant, impune obvios occidunt et spoliant. Abdiæ v. 5. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Heb. נדמתה *nometa*, id est, excisus esses, ut vertit, Tigurina, *nonne furati essent sufficientia tibi?* Tu fores mentis tuæ obstrue, et custodes adhibe.

Quinto, Nox est symbolum afflictionis et tentationis, 5.
quia de nocte dolores ægrotantium augentur, ob recessum luminis solaris; et quia, sicut ait Albunagur, nox naturaliter est humida.

Sexto, Nox est symbolum afflictionis et tentationis, 6.
quia de nocte multa sunt dormientium insomnia.

Septimo tamen, sicut in nocte primo cessatur a nego- 7.
tiatione, opificiis, fori et curiæ disceptationibus, platearum et vicorum tumultibus: secundo, corpus per somnum quietem capit: tertio, anima vigilans fit sapientior et attentius divina meditatur, ut dixi Ps. 1. v. 2. ita tribulatio a rebus mundanis removet, et animam quietam facit, atque in cælum erigit: quarto, in nocte lucent stellæ, quæ in die non apparebant: ita sancti in tribulatione.

Quæres secundo, De quo igne David dicat, *Igne me* 15.
examinasti? Respondeo hoc dici de igne tribulationis. Quo igne David est examinatus.
Ignis enim vocabulo quamlibet tribulationem designari clarum est. Hinc de Achan lapidato Iosue 7. v. 15. dicitur, quod sit igne comburendus, et S. Aug. quæst. 9. in Iosue ait: *Duæ causæ mihi occurrunt, propter quarum alteram Iosue non combussit hunc Achan. Aut enim vere pœnituit, et ita dignus non erat igne gehennæ, idcirco nec igne voluit eum Iesus comburere: aut non pœnituit vere, et*

ita fuit æterno igne torquendus. Ideo illam pœnam ignis reservavit Iosue Domino, et ipse aliam pœnam, scilicet lapidationem inflixit. Probabilius tamen mihi videtur, quod fuit primo lapidatus, deinde combustus. Deut. 4 20. *Vos autem tulit Dominus, et eduxit de fornace ferrea Ægypti* (id est, de maxima tribulatione, quæ urebat, velut fornax, id est, ignis fornacia, et concludebat, quasi claustrum ferreum) *ut haberet populum hæreditarium.* Isaiæ 48. v 10. Deus ipse ait: *Ecce excoxi te* (popule Iudæorum) *sed non quasi argentum* (quia si scoriam omnem voluissem removere, te totum consumpsissem) *elegi te in camino paupertatis.* Vatablus vertit in fornace inopiæ et afflictionis. Ieremiæ 29. v. 22. de Sedecia et Achab sceleratis senibus, qui Susannam tentaverunt, quosque Daniel ait fuisse lapidatos, dicitur: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, et sicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne.* Ita Rabbini, et S. Thomas, Lyranus, et alii. Probabilius tamen Maldonatus, Pererius, Sanchez, Cornelius et alii putant senes Danielis qui lapidati sunt a populo, fuisse diversos ab his Ieremiæ iudicibus quos frixit, id est, assari vel torreri iussit Nabuchodonosor rex Babylonis. Ignis calamitatis potest appellari ignis qui non succenditur. Iob 20. v. 26. *Devorabit eum* (impium) *ignis qui non succenditur.* Symmachus et Theodot. ignis sine sufflatione, q. d. qui non eget sufflante ut accendatur. Hinc Nicephorus putat significari ignem qui cecidit in greges Iobi: sed rectius de igne inferni intellexit Innocentius. *Ignis enim gehennæ, nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi. Scriptum est enim: Devorabit eum ignis, qui non succenditur.*

16. Quomodo inter se differunt, probat, visitat, examinat.

Quæres tertio, quomodo hæc tria differant, probat, visitat, examinat? Respondet primo S. Thomas: *Probat* Deus, cum diiudicat an habeat quis cordis rectitudinem: *visitat*, iuvando et corrigendo: *examinat*, utrum habeat firmitatem. Secundo, plane et distincte Bellarmin. *Probasti cor meum*, id est tentasti, qualis sim intus, ubi nemo videt præter te, experimentum de mea sinceritate fecisti. Quomodo autem id fecerit, declarat dicens: *Visitasti nocte, et igne me examinasti.* Nam duo sunt tempora, quibus apparet quid sit in corde, occasio occulte agendi, et tempus tribulationis. Multi enim intus mali, exterius boni, si occasionem habeant peccandi in occulto, ubi nullum sit periculum ne detegantur, tunc malitia se prodit. Sic etiam tempore prosperitatis non discernuntur mali a bonis: sed cum ignis persecutionis advenerit, tunc aurum lucebit, et palea fumabit. De primo tempore dicit: *visitasti nocte*, id est, cum in occulto occasiones peccandi habui, de secundo autem, *Igne me examinasti*, id est, ardente tribulatione. Alludere mihi videtur David ad probationem, visitationem, et examinationem auri. Nam primo probatur lydio lapide: secundo, manibus versatur, ad varios mittitur, ut videant an sit purum et probum, an vero adulteratum, ad extremum in caminum ardentem conîicitur, ubi si non minuitur, sed effulget, ut defæcatum assumitur et in thesauro reconditur: ita Deus tribulatione electos suos probat et probando purgat. Prov. 17. v. 3. *Sicut igne probatur argentum et aurum camino: ita corda probat Dominus.* Septuaginta vertunt, sic electa corda Dominus: et Cassianus collat. 7. cap. 25. ita elegit corda Dominus. Quæ scilicet et probationem ignis ferre possint, et inde per virtutum exercitia splendescere. Hinc ait Malachias de Christo in terras descendente, ut hominum scelera emundet et expurget, cap. 3. v. 2. *Ipse quasi ignis conflans.* Septuaginta, quasi ignis conflatorii. Tigurina, quasi ignis excoquens, *et quasi herba fullonum* (Chald. sicut quo dealbantur) *Et sedebit conflans* (serio et accurate, non perfunctorie et per transitum) *et emundans argentum, et purgabit filios Levi* (id est Sacerdotes, etiam non Iudæos: hi enim sunt filii spirituales Levi et Abrahami) *et colabit* (pauxillatim et atillatim transfundendo purgabit. Chaldæus, expurgabit. Pagninus, conflabit. Septuaginta, effundet) *quasi aurum, et quasi argentum: et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia*, id est, cum iustitia. Per afflictiones probari viros iustos ostendi satis fuse Ps. 65. v. 10. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, et v. 12. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*, sed fusissime Ps. 138. 1. *Domine probasti me*, etc. ubi inter cæteros ostendi iustos probari tribulatione, ut aurum igne, ut adamantem malleo, ut arborem ventis, ut rupem fluctibus. Hæc fuit Sanctorum consolatio, in afflictionibus tum externis, tum internis. S. Hieron. in vita S. Paulæ de ipsa dicit: *In tentationibus*, Deuteronomii verba volvebat cap. 13. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, et de tota animo vestra. In tribulationibus et angustiis.* Isaiæ replicabat eloquia, cap. 28. *Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem expectate, spem super spem, adhuc pusillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et scripturæ testimonium in consolationem suam edisserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere: scientes quoniam tribulatio patientiam operatur;* (Roman. 5.) *patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* Et 2. Corinth. 4. *Quod si is qui foris est homo noster corrumpatur: ille qui intus est innovetur: et in præsentiarum leve et momentaneum tribulationis vestræ, æternæ gloriæ pondus operatur in vobis, non aspicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Hactenus Hieron.

Quæres quarto, Quæ sit convenientia ignis aurum suscipientis, et tribulationis iustum involventis? Respond. 17. Ignis est tribulationis symbolum, ob quinque convenientias. I.
primo: Ignis in se coniectum aurum emollit, et in varias formas flexibile reddit. Hoc facit tribulatio compassionem in aliis miseriis ingenerans. De ipso Christo, ait Paulus Hebr. 4. v. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit condolere infirmitatibus nostris, tentatum autem* (Vatablus clare, sed tentatum) *per omnia* (id est, per omnes infirmitates nostras) *pro similitudine* (id est, similiter atque nos) *absque peccato;* Græc. χωρὶς ἁμαρτίας, id est, extra peccatum, dempto peccato. Ubi adverte, Christum fuisse tantum exterius tentatum a Diabolo, non fuit autem tentatus interius a carne, phantasia aut concupiscentia: quia concupiscentia ex peccato orta est peccati initium et inchoatio. Infirmitates porro nostræ, quas Christus suscepit, sunt carnis fragilitas, fames, sitis, fatigatio, verbera, ignominiæ, paupertas, mors, et similia.

Secundo, Ignis emollitum aurum liquat et effluere facit, ut in eam figuram formetur quam voluerit aurifex: II.
Tribulatio in mentem revocans peccata, ob quæ immissa est, lacrymas exprimit, et affectus effundit ad Dei voluntatem formandos. Hoc videre est in ingressu terræ promissionis, cum enim Hebræi duce Iosue feliciter et sine sanguine et pugna cepissent urbem Iericho, non leguntur Deo gratias egisse, sed Achan furatus est pallium coccineum, ducentos siclos argenti, et regulam auream quinque siclorum. Cum vero ob illud peccatum fusus est exercitus missus contra urbem Hai, tunc pertimuit cor populi, *et instar aquæ liquefactum est. Iosue vero scidit vestimenta sua, et pronus cecidit coram arca Domini* (vides aurum effusum coram Deo, ut ad eius nutum formetur,) *usque ad vesperam* (quamdiu gratia tibi lucet, cor effunde in conspectu Dei) *tam ipse, quam omnes senes Israel.* Anima tota cum suis facultatibus. Iudæi incrassati et impinguati recalcitrabant: afflicti vero revertebantur, et diluculo veniebant ad eum, prima scilicet in aurora gratiæ prævenientis.

Tertio, ignis liquefaciendo aurum, separat ab eo scoriam et metalla minus pretiosa: ita tribulatio secernit ab anima et expellit terrenas et inanes affectiones atque concupiscentias, ut iam nihil placeat nisi Deus et divina. Sic Paulus tot afflictionibus probatus dicebat 6. ad Gal. v. 14. *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo*, q. d. eum reputo ut cadaver putridum ac fœtens, et in cruce pendulum, quod horrorem intuentibus ingeneret. S. Chrysost. in 1. ad Timotheum. *Candore, ait, lucentis margaritæ* III.

attraheris? cogita maris esse aquam, et in eius sinibus ante iacuisse deiectam. Rapit animam auri fulgor, et nitor argenti? cogita terram, ac cinerem ea prius fuisse, et modo esse. Placet pretiosa et serica vestis? at sermium illa contextus est, opinio est, et humana præsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis. Ad emundationem vero et purgationem usui esse tribulationes docet Cassian. Collect. 7. v. 25. ubi sic loquitur: Cæterum, inquit, corporaliter traditos satanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos novimus pro levissimis quibusque delictis, cum in illis ne tenuissimum quidem nævum aut maculam in illo iudicii die patiatur invenire divina clementia, omnem cordis eorum scoriam, secundum Prophetæ, imo Dei sententiam excoquens in præsenti, ut eos tanquam aurum vel argentum ignitum, ad illam perpetuitatem, nulla indigentes pœnali purgatione transmittat: et excoquam, inquit, ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. *Et post hoc vocaberis civitas iusti, urbs fidelis*, Isai. 1. 26. Hinc fit, ut qui se non statim purgant afflicti, diutius affligantur. S. Chrysostomus hom. 4. ad populum: *Aurifex*, ait, *donec aurum bene purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: sic et Deus non abducit hanc nubem, donec nos penitus emendaverit. Qui enim tentationem permisit, ipse novit et tentationis solvendæ tempus. Et sicut citharœdus, neque nervum intendit, ut non abrumpat: neque remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat: sic et Deus agit, neque in remissione continua, nec in longa tribulatione nostram constituit animam, secundum suam prudentiam utrumque faciens. Non sinit enim nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus: non autem rursum sinit in continua esse tribulatione, ne concidamus, neve desperemus. Ipsi igitur adversitatis finiendæ tempus relinquamus; nos vero tantum in sanctitate vivamus.* Ita Chrysost.

IV. Quarto, Ignis vi separatis metallis aurum remanet purum, perfectum et splendidum. Daniel agens de viris iustis ab Antiocho Epiphane et ab Antichristo graviter afflictis, ait cap. 11. 35. *De eruditis* (id est, Deum et eius legem scientibus et speculative et practice) *ruent* (Arabs: subvertentur) *ut conflentur* (velut aurum vult Deus coquere ac liquefacere et purgare) *et eligantur* (Hebr. ut purgentur, et purgata seligantur) *et dealbentur*, id est splendescant et niteant. S. Augustin. in sent. 23. *Iuste*, inquit, *Dei iudicio datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, ut qui spiritu Dei aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.* Et Ps. 61. diffusius in eam rem sic loquitur: *Numquid lucet aurum in fornace aurificis? in monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat in lucem. Fornax ista, ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex. In fornace ardet palea, purgatur aurum. Illa in cineres vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex, tolero: iubeor ergo tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me: illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea.* Non tantum post tribulationem effulget iustus, sed etiam in ipsa tribulatione, ut stella in nocte, et Christus in cruce, S. Laurentius in craticula, Paulus in profundo maris. S. Basil. hom. 11. de patientia hoc declarat. *Sicut*, inquit, *gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas; sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt: ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex tentationibus descendit, ad perfectionem ducit, si cum decenti tolerantia, et gratiarum actione, ea quæ a Domino ordinantur, susceperimus.* Hinc concludit paupertatem, morbos, ignominiam, servitutem, aliaque læto animo esse perferenda, et intento semper animo ferri in lucem æternam.

V. Quinto, ignis vi et ardore aurum calefit, et ita accenditur, ut videatur in ignem transformari. Hæc efficit gratia Dei in fornace tribulationis, Christo crucifixo animam ita unit, ut eum Deus noster sit ignis consumens in eo esse, et vivere videatur, omni alio amore ablato Luc. 3. 16. ait de Christo S. Ioannes Baptista. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni*, id est, ut dicit Cornel. Spiritu sancto igneo et igniente. Spiritu sancto qui est ignis: id est, qui est similis igni, et quasi ignis urit et ignit. Est Hendyadis. Spiritus sanctus enim quasi ignis fideles a peccatis expurgat, illuminat, accendit, sursum ad cælum rapit ac roborat, ut omnia adversa superent. Denique eos intime sibi unit, et quasi ignis in se transformat. Hæ enim sunt dotes ignis, purgare, tenebras expellere, lucere, inflammare, sursum rapere, roborare, in se transformare. Auctor operis imperfecti in Matthæum ignem illum ait esse tribulationes, quibus quasi igne fideles suos affligit, et a peccatis abluit Christus. Quod amorem Sponsæ auxerit tribulatio, indicavit cum fasciculum myrrhæ suo pectori et cordi impositum vocavit dilectum suum. Cant. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ* (Syr. crumena myrrhæ. Septuag. alligamentum stactes, id est, saccus vel pyxis olfactoriolis in qua stacte vel liquor myrrhæ condensatus continetur) *dilectus meus* (Septuag. ἀδελφιδός, id est fratruelis. S. Hier. in versione Origenis, fraternus. S. Ambrosius frater item vertit, consobrinus. Quinta editio sodalis meus) *inter ubera mea* (Septuag. in medio uberum meorum) *commorabitur*. Hebr. ילין *Iolin*, id est, pernoctabit. Visitat Christus sponsam suam nocte, id est in tribulatione. Unde David noster dicit, Probasti cor meum, visitasti nocte. Visitationem illam cum amore et gaudio anima sancta et purgata suscipit. S. Bern. serm. 43. in Cant. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: ante rex, modo dilectus. Ante in accubitu regis, modo inter Sponsæ ubera. Magnæ humilitatis virtus, cui etiam Deitatis maiestas tam facile se inclinat. Cito reverentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum est: et qui longe erat in brevi factus est prope: fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amara res, dura et aspera tribulationem significat: ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant*, inquit Act. 5. 41. *gaudentes discipuli a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hic non fascem sed fasciculum vocat, quia nullum est tantum amanti pondus, quod præ amore non censeatur esse leve. Sit ipsa sponsa, hoc est anima casta fasciculus myrrhæ, hoc est tota sese mortificet, et tunc manebit in medio uberum sponsi, imo ad cor eius apertum admittetur, si cordi eius conformes patiendi et se crucifigendi affectiones habeat.

ARTICULUS II.

Dei verbis animati sancti viam mandatorum, licet difficilem generose decurrunt.

In mediis ignibus positum se David asseruit versu præ- Vers. 1
cedenti sine iniquitate cordis repertum esse, nunc ostendit se quoque caruisse iniquitate oris et operum, v. 4. UT NON LOQUATUR OS MEUM OPERA HOMINUM, EGO CUSTODIVI VIAS DURAS. Viæ hominis sunt eius actiones. 18.

Quæres I. Quænam hic intelliguntur viæ duræ, et quomodo eas custodivit David? Viæ duræ quænam?

Primo, viæ duræ, sunt viæ, id est actiones et opera impiorum. Ita Vatabl. Caietanus, et Beda, et iuvant Hebr. ut nunc leguntur: *Ego custodivi vias* פריץ *parits*, id est, *effractoris*, ut vertit Arias; perruptoris et violenti ut Genebrardus; dissipatoris, ut Caiet. et Pagn. grassatoris, ut Vatabl. et Muisius; latronis, ut S. Hieron. impudentis, ut Chaldæus; malignus ut Syrus; difficiles, ut Septuag. et Arabes; perversorum, ut Flaminius. Sensus porro est, sicut censet Caiet. q. d. Ratione legis tuæ ego curam habui, ne milites qui mecum affliguntur, exerceant opera prædonum. Hoc clarum est, 1. Reg. 25. 15. ubi servus quidam Nabal dicebat Abigail eius uxori loquens de Davide et eius militibus. *Homines isti boni satis fuerunt no-*

1 Viæ duræ sunt impiorum actiones, a quibus se custodivit David, et ab iis avertit.

bis, et non molesti: nec quicquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto: pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges.

Allegor. Christus custodivit vios duras, seu *vias latronis*, ut es Hebr. vertit S. Hieron. sicut dixi: quia instar lotrenis et in medio latronum est crucifixus. Ipse ait satellitibus ad eum capiendum venientibus, Matth. 26. 55. *Tanquam od latranem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.* Secundo, aliter Beda de Christo etiam exponit, q. d. Ego custodivi vios duras, id est vias latronis: quia sicut latro, qui non audet apparere in publica et iota via, graditur semper per sentosas et difficiles vias: ita ego omnia dura, omnia aspera passus sum. Iusta illud Catonis: *Qui nec mihi, nec anima meo unquom in delicto peperci.* Tertio, q. d. Custodivi vios latronis, id est, cavi opera malorum, ne incurrerem ea. Quæ viæ etsi blandæ videantur, tamen ex opposito sunt duræ: quia in fine sunt strictæ et asperæ, et hoc feci propter verba labiorum, id est propter promissionem pacis et reconciliationis summorum et imorum o te, pater, ante sæcula dispositæ, per me outem adimpletæ. Ita Beda. Percurre vitam Christi o stabulo Bethlehem usque ad Calvariæ crucem, et mortem, et intelliges quam fuerint duræ viæ, quas custodivit.

II. Viæ duræ sunt Dei præcepta. Secundo, ad literam, viæ duræ commodius accipientur hic viæ Dei, id est, a Deo præscriptæ, hoc est eius leges, præcepta et consilio. Unde ipse Christus ait, Mott. 7. 14. *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.*

19. Via mandatorum est dura, ob quatuor rationes. I. In se est aspera et salebrosa. Via porro hæc mandatorum dura est, primo in se et absolute, quia est aspero et montuoso. Angeli educendo Loth ex Sodoma dixerunt ei, Gen. 19. 17. *Salva animom tuam* (cætera nihil sunt) *noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione* (in via Dei semper est ambulandum) *sed in monte* (imminente urbi Segor) *salvum te foc, ne et tu simul pereas.* Mons primo est perfectio religiosa, et via consiliorum. S. Arsenius præceptor Arcadii, et Honorii Imp. eum fugisset in desertum, quadam vice descendit ad flumen. Erat ibi puella Æthiopissa, quæ tetigit melotem, id est, vestem ex pellibus ovium eius: ille outem increpavit eam. Illa vero dixit: *Si monachus es, vade ad montem.* Compunctus hoc verbo senex dicebat ad seipsum: *Arseni, si monachus es, vade ad montem.* Ibi vero assidue sibi dicebat: *Arseni, propter quid existi?* ita vixit in eremo 55. annos, mortuusque est anno ætatis 95. In monte Christus aperiens os suum docet Apostolos summam perfectionem ad beatitudines obtinendas, Mott. 5. 1. et seqq. S. Hier. putat fuisse montem Thabor, vel alium excelsum montem Golilææ. Salignacus tom. 9. cap. 8. et Adricomius in descript. terræ sanctæ pog. 111. num. 69. dicunt montem hunc vocari *montem Christi*, quod Christus in eo solitus sit orare et prædicare, qui ob urbe Capharnao versus Occidentem, tribus milliaribus distat, nec procul a mari Galilææ abest, adiacetque urbi Bethsaidæ. Altitudo eius tanta est, ut inde terra Zabulon, Nephtolim, Trochonitis, Ituræo, denique Seir, Hermon, et Libanus montes conspici possint. Natura totus herbosus, floridus et amœnus, ac cælesti Philosophiæ convenientissimus. Perfectionis mons, est mons Christi, ibi te docebit, od hunc te invitat et beatitudinem offert. Secundo, mons quoque est perfectio omnium Christianorum, ascendendum fuit ex Ægypto ad terram promissam, quæ erat terra montuosa. Deuter. 11. 10. ait Moses in sua concione, quam habuit ad populum ultimo anno vitæ suæ et peregrinationis Hebræorum, cum essent proximi Iordani et terræ promissæ. *Terra,* (Chanaan) *od quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, de qua existi, ubi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.* (Hebr. habetur, quam irrigabis in pede tuo, ut hortum oleris. Rigare in pede, seu pede, est rigare labore et fossione sua, canales faciendo quibus oquæ Nili in agros deriventur) *sed montuosa est et campestris de cælo expectans pluvias.* In ea non sunt deliciæ terrenæ, sed cæle-

A stes: non curat animo cælo nata aquas Nili turbidas, rem divinam amat, quærit et expectat.

20. II. Est dura viatori debili. Secundo, via mandatorum Dei non tantum est dura in se, sed longe magis respective ad debilitatem viatorum in ea ambulantium, qui variis morbis, languoribus, vulneribus enervati et exhausti ad passus quoslibet cæspitant, et corpus, quod aggravat animam, cum difficultate trahunt. Seneca ad eam rem apte: Quia, ait, omnes imbeciles sumus, dura et intoleranda credimus. Cum ascendit Christus in montem ad perfectionis viam docendam, soli eum discipuli secuti sunt Motth. 5. 1. *Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius:* turbæ manserunt in valle, ad montem non ascenderunt, sed instante nocte ad vicinas villas se contulerunt, sequenti die ad ipsum rediture descendentem de monte. Christum ascendentem in montem Thabor, ut ibi per transfigurationem corporis sui specimen aliquod gloriæ cælestis daret, tres tantum Apostoli sunt secuti: nempe S. Petrus, S. Iacobus, et S. Ioannes

B Mott. 1. 17. qui non viribus suis, sed eius gratia ascendisse monstrantur, cum dicitur, *et post dies sex assumit* (velut vi quadam occulto eos sursum trahens) *Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius, et ducit* (velut manu prehensos a præcipitiis, et lapsu servans) *illos in montem excelsum seorsum.* Cum Christus passionem suam incepturus ascendit in montem Oliveti, eosdem tres tantum comites sibi assumpsit, alios reliquit in villa seu potius ogro prope villam Gethsemani. Matth. 26. 36. *Tunc venit Iesus cum illis* (undecim Apostolis, iam enim Iudas a via ceciderat et lucem reliquerat) in *villam* (Græca εις χωριον, id est in prædium. S. Hilarius legit in ogrum: cui scilicet villa, id est, domus rustica esset adiuncta) *quæ dicitur Gethsemani: et dixit discipulis suis, Sedete hic, donec vadam illuc et orem.* Nota, manent plerique in Gethsemani, pauci Iesum sequuntur ad montem. Gethsemani, ut docet S. Hieron. in locis Hebr. erat villa ad radices montis Oliveti, olivarum fœcunda. Unde Gethsema-

C ni idem est quod *vallis olei* sive pinguedinis, valles pinguissima, vel, torcular olei. In ea villa videtur fuisse torcular ad exprimendum oleum ex olivis, quæ ibi abundabant. Dum Christus in monte sudat sanguinem ex toto corpore, multi quærunt oleum peccatorum, quo sese inungant. Eumdem denique Christum in montem Calvariæ, solus Ioannes; id est Domini gratia, seu Domino gratiosus, consequitur Ioan. 19. Isaac solus ferens ligna ad holocaustum ascendit in montem Moria, cum Abrahamo patre suo, qui ferebat ignem et gladium Gen. 22. 6. Pauci crucem portare volunt, et in montem scandere, ut ibi igne charitatis ardeant, et gladio mortificationis se iugulent, suosque appetitus. Ubi adverte, Moria significat, 1. amaritudinem, a Rad. מרר marar, id est, amarus fuit; 2. myrrheum, a מר mor, id est, myrrha, cuius erat ferax; 3. timorem, a ירא iare, timuit, quia ibi postea in templo cultus fuit Deus; 4. doctrinam, a ירה iora, id est docuit; 5. visionem: quia ibi Deus Abraham et vicissim Abrahamus Deum aspexit. Montem conscendo, licet tibi amarus ini-

D tio videatur, sicut Abrahamo filium immolaturo: illa amaritudo erit tibi myrrha confortans et boni odoris; deinde disces Deum colere, eius doctrina delectari, et tandem eum contemplari.

21. III. Quia illam decurrentes cruce onerantur. Tertio, via mandatorum Dei est dura, quia eam decurrere debemus cruce onerati. Christus ait Mott. 10. v. 38. *Qui non accipit* (quam manu offert Christus) *crucem suam* (quisque habet suam) *et sequitur me, non est me dignus.* Abraham ascendens in montem Moria, reliquit servos cum asino ad radices montis, id est tepidos et sensuales, et brutis affectionibus deditos in suis imperfectionibus: filium vero oneratum ad excelsa ducit Gen. 22. 5. *Dixit ad pueros* (sensus) *suos, expectate hic cum asino: ego et puer* (erat circiter 25. annorum) Hebræi aliqui putant fuisse 37. Beatus qui portaverit iugum Domini ab adolescentia) *illuc usque properantes* (fervens currit etiam cum cruce) *postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac,* (ipse ri-

sus noster cruce non careat. Isaac risum significat) *filium suum*: filii sunt, qui crucem portant, et properant; servi qui sine onere sunt, et cum asino iacent ac semper stupidi sunt: ad Moria, id est, ad visionem Dei, nunquam pervenientes. S. Prosper part. 1. prædict. cap. 17. et 18. ait: Isaac ferentem ligna fuisse typum Christi crucem baiulantis. Crux nostra est continua mortificatio, ut docet S. Gregorius, hom. 33. in Evang. Enthym. in Matt. ait: *Crucem Christus vocat mortem ad ea quæ mundi sunt, quia mortis instrumentum erat Crux. Oportet enim eum qui Christum sequitur, mortuum esse ad mundanas voluptates.* Terribilius est quod ait Christus Luc. 9. 23. *Si quis vult venire post me*, (quis autem non vult ire post fontem vitæ et lucis?) *abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie* (facile crux defluit fatigato, itaque quotidie est resumenda; 2. diebus singulis nova accedit ad præcedentes) *et sequatur me*, q. d. si habet crucem sequatur me: si non habet, non sequatur. Non est par ratio, ut dux crucem ferat, milites vero ante pugnam coronentur rosis. Christum cum cruce præeuntem sequamur armati cruce. Huius rei symbolum illustre est Abimelech sextus Iudex Israelis, qui cum audivisset viros turris Sichimorum; id est urbis Mello, pariter conglobatos, Iudicum 9. 48. *Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: et arrepto securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios* (Christus agit nobiscum ut cum sociis et amicis) *quod me videtis facere, cito facite.* Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia: qui nimis tardat, et aspicit, crucem non fert, audiendus dux noster, qui ait Ioann. 13. 15. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis: tum statim manus est operi admovenda. Sequitur Iudic. 9. 49. *Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem*: Victores evaserunt.

22. IV. Quia ibi hostes multi sunt. Tres hostes in ea via occurrunt. I. Dæmon. Quarto, via mandatorum Dei est dura, quia ibi sunt hostes multi nos ad ima repellentes, et ascensum in locis arctis et asperis impedientes, *Ego custodivi vias latronis.* Vide versiones supra. Ibi primo dæmon dux grassatorum agmen suum opponit et telis obruere nititur. Eccl. 2. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei* (Arabs. o fili mi, si adhæsisti timori Dei. Tigur. cultum Dei aggressurus) *sta* (firmus consiste ut rupes) *in iustitia et timore* (hi sunt duo pedes et bases ascendentis: ipse timor stabilem facit) *et præpara animam tuam ad tentationem.* Syrus vertit exposuisti animam tuam omni tentationi. Ratio est, quia dæmon dolet sibi ereptam esse prædam. S. Greg. lib. 4. Mor. 21. illa verba Iob. 3. 8. expendens. Qui parati sunt suscitare Leviathan, sic ait: *Omnes, qui ea quæ mundi sunt, mente calcant: et quæ Dei sunt, plena intentione desiderant, Leviathan contra se suscitant: quia eius malitiam instigatione suæ conversionis inflammant. Dolet contra se raptum reniti, et mox zelo accenditur, mox ad certamen movetur, mox ad tentationes innumeras contra rebellantem mentem se excitat.* Et lib. 33. cap. 6. in illud cap. 40. v. 18. Absorbebit fluvium, et non mirabitur, dicit: *Illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iungi iam cælestibus contemplatur. Itemque, sed prius. Toto nunc annisu in illorum mortem se erigit, quos contra se regeneratos tabescit. Iordanem sitit, et toties in os illius Iordanis fluit, quoties Christianus quisque ad iniquitatem defluit*, non quærit pirata navem vacuam, sed auro, gemmis, et pretiosis vestibus plenam. S. Isidorus Hispalensis Episc. lib. 3. de summo Bono, cap. 5. *Quia*, inquit, *diabolus in sanctis intrinsecus non regnat, contra eos extrinsecus pugnat: et qui intrinsecus amisit dominium exterius commovet bellum.*

II. Mundus. Secundus hostis est mundus, qui dolens divortium secum factum, infremit et insilit. Ioan. 15. 19. *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis* (id est, prius quam vos, ut Syrus et Arabs vertunt) *odio habuit. Si de mundo fuissetis* (essetis) *mundus, quod suum erat diligeret: quia vero non estis de mundo, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Itaque ut advertit S. Chrys. argumentum est virtutis odio haberi a mundo. Et S. Aug.

A dicit: *Aliquando Ecclesia, mundi nomine appellatur: ut illic Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.* In Iacob et Esau se collidentibus in utero materno, duo illi mundi figurantur. Gen. 25. 22. *Sed collidebantur* (Symm. [illegible], id est, colluctabantur, quasi palæstritæ. Sept. [illegible], id est, calcitrabant, ut vertit S. Hieronym. confringebantur, ut Aquila) *in utero eius* (Rebeccæ, quæ erat uxor Isaac) *parvuli.* Rupertus Alleg. ait figurari ea lucta Christianorum luctam cum Iudæis. Tropol. S. August. ad rem nostram serm. 78. de Tempore: *Sicut*, ait, *duo parvuli in utero Rebeccæ collidebantur: sic in utero Ecclesiæ duo sibi populi iugiter adversantur, in ventre spiritalis Rebeccæ, Ecclesiæ, duo populi colliduntur: humiles scilicet, et superbi: casti et adulteri.*

Tertius hostis in via Dei impediens est caro atrociter et crudeliter blandiens, ut telis oleo illitis exurat et occidat: oleum illud initio sua unctione placet, sed ubi se III. Caro.
B in venas insinuaverit, inflammat. Rom. 7. 23. *Sentio autem aliam legem in membris meis repugnantem* (Græc. ἀντιστρατευόμενον, id est, contra militantem, rebellantem) *legi mentis meæ, et captivantem* (captivare volentem) *me in lege peccati* (id est sibi ipsi: hoc est, concupiscentiæ facere captivum) *quæ est in membris meis.* Hoc in Ismael ludente cum Isaac repræsentatum est. Gen. 21. 9. *Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo*, etc. id est, ut explicat S. August. tract. 12. in Ioan. illudentem ei, illum subsannantem et irridentem. Origenes vero ad rem nostram de blanditiis sed hostilibus exponit homil. 7. in Gen. *Si caro*, inquit, *cuius personam gerit Ismael, qui secundum carnem nascitur, spiritui blandiatur, qui est Isaac, et illecebrosis cum eo deceptionibus agat et delectationibus illiciat, voluptatibus molliat, huiusmodi ludus carnis cum spiritu Saram maxime, quæ est virtus, offendit: et huiusmodi blandimenta acerbissimam persecutionem iudicat Paulus. Et tu ergo, o audi-*
C *tor non illam solum persecutionem putes, quando furore Gentilium ad immolandum idolis cogeris: sed, si forte te voluptas carnis illiciat, si tibi libidinis alludat illecebra, hæc si virtutis es filius, tanquam persecutionem, maxime fuge. Sed, si in iniustitia blandiatur, et gratia eius flexus non rectum iudicium feras, intelligere debes, quia sub specie ludi blandam persecutionem ab iniustitia pateris. Verum et per singulas malitiæ species, etiamsi molles et delicatæ sint, et ludo similes, has persecutiones spiritus dicito.* Hæc Origenes.

Quæres, Quo motivo asperitas illius viæ molliatur, ita ut alacriter et constanter decurratur?

Respondet David ipse: *Propter verba labiorum tuorum* 23.
(id est tua) *ego custodivi vias duras.* Verba illa Dei via- Verba
tores excitantia sunt, primo cohortationes ad virtutem, Dei mol-
et declaratio pulchritudinis eius, manifestatio excellentiæ liunt du-
infinitæ Dei: secundo promissiones beatitudinis, et minæ ritiem
suppliciorum: hi sunt stimuli ad cursum incitantes Ps. viæ man-
D 118. 112. *Inclinavi cor meum* (S. Hilarius legit, *declinavi*: ex naturæ scilicet humanæ peccatis in obedientiam Dei inflectendo, ut ipse explicat) *ad faciendas iustificationes* (S. Hieron. *iustitias*: itaque poterat dicere, ut est in psalmo nostro: Exaudi Domine iustitiam meam) *tuas in æternum propter retributionem.* S. Hieron. vertit, propter æternam retributionem. Tu servias Deo in æternum, id est semper, et Deus dabit tibi mercedem æternam. datorum.

Symbolice, ut ait S. August. Hugo Card. et alii, labia Dei sunt Prophetæ, Apostoli, Concionatores, eorum enim est aperire os Dei, et ad nos eius verba transmittere, et efficere ut suaviter resonent. Cant. 5. v. 13. *Labia eius* (Christi Sponsi Ecclesiæ) *lilia distillantia myrrham primam.* Aquila, electam. Arab. rorem plenum myrrha. Labia illa sunt Concionatores, ut ait S. Gregor. Nyss. Rupertus, et Philo Carpathiorum Episcopus. Hi dicuntur lilia, ait Cornelius, tum ob candorem vitæ, tum quia prædicant Christi puritatem, innocentiam, sanctimoniam, eiusque pariter stillant myrrham, id est mortificationem, Symbolice. Concionatores sunt labia Dei.

quæ mentes a putredine concupiscentiarum et peccatorum instar myrrhæ conservat: *quia Christi passionem loquuntur*, ait S. Ambros. lib. de Instit. Virg. cap. 14. *ac mortificationem illius in suo corpore circumferunt*, 2. Corinth. 4. 12. Myrrha enim prima est passio Christi, ait Richardus. Unde Paulus: *Nos autem prædicamus Christum Crucifixum*, 1. Cor. 1. 23. Rursum myrrha prima, est patientia in tormentis, ait Philo, et Martyrium: hæc enim primo est dignitate, *quia nullus sic mortificatur, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur*; ait S. Gregor. Addit Lucas Abbas in Cant. Labia Christi esse Confessarios, quia per illos loquitur Christus ad cor pœnitentium, eisque myrrham pœnitentiæ, vitæque austeræ instillat, ut vitia emendent, et emendata conservent. Ugo Cardin. in Ps. nostr. Prima myrrha, ait, est amaritudo præsentis pœnitentiæ, quæ sponte fluit de arbore homine, Ps. 53. 8. *Voluntarie sacrificabo tibi.* Secunda est amaritudo gehennæ. Et notat bene dici distillantia, non effundentia; quia pœnitentia præsens non est nisi stilla respectu doloris infernalis. Iob. 26. 14. *Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri.*

Et duo testamenta. Secundo etiam symbol. Labia Dei, ait Ugo, dicuntur testamenta duo. Vetus testamentum est labium timoris. Novum, est labium amoris, propter verba labiorum istorum custodiuntur viæ duræ, id est viæ pœnitentiæ, quæ sic fiunt dulces. Ut enim ait August. de natura et gratia, cap. 69. Omnia charitati facilia, duræ viæ timori, *leves amori.* Plautus in Cassia. *Ubi amor*, inquit, *condimentum inerit, cuivis placiturum credo. Neque falsum prorsus neque insuave esse potest quicquam ubi amor. Non admiscetur fel, quod est amorum id mel faciet. Hominem ex tristi lepidum, et lenem, etc.* Si hoc facit prophanus, quid sanctus efficiet? pro amico pati suavissimum est. Act. 5. 41. *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Memoriam etiam Passionis Christi amati, cui per afflictiones conformamur delectat amantes Exod. 15. 25. *Cum positum est lignum in aquis marath dulcoratæ sunt aquæ.* Præmia ab amico oblata et promissa, præsertim requies æterna cum ipso futura, animat et reficit fatigatum, Genes. 49. 14. *Issachar asinus fortis* (ut iumentum factus sum apud te, ait David Rex Psal. 72. 23.) *vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima, et supposuit humerum ad portandum.* Gratiæ etiam copia ab amico mentem inungit atque vivificat, roborat. Ps. 18. 12. *In custodiendis illis* (etiam dum custodiuntur) *retributio multa.* Unde S. Gregorius mirabili, ait, dispensatione dum exterius affliguntur, intus reficiuntur. Eam ob rem inunguntur cruces in dedicatione Ecclesiæ. Unde dicit S. Bernard. Multi vident nostras cruces, qui non vident nostras unctiones. Ipsum exercitium virtutis et conscientiæ testimonium recreat, et vias suaviores reddit. 2. Cor. 1. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Per verba labiorum Dei intelligit S. August. *verba pacis*, vel Prophetarum.

25. Opera hominum, sunt vanitates. Quæres tertio, quænam sunt opera hominum, quæ noluit loqui David, eum ait: *Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Qualia sunt opera hominum? ait S. Hieronymus. Vanitates, quas ipsi amant: vel diversa negotia; Ps. 4. 3. *Filii hominum usquequo diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* De illis loquuntur, qui ea amant. Ex bono thesauro proferuntur bona, ex vano evolant vana; Psal. 11. 3. *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labio doloso in corde, et corde locuti sunt.* Quale est cor, talia sunt labia. Has locutiones evitandas docet Salomon Prov. 30. 8. *Vanitatem* (Auctor catenæ Græcæ, verbum stultum) *et verba mendacii longe fac a me.* Recte monet S. Petrus 1. epist. 4. 11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.*

26. Opera hominum. Tria potissimum genera peccatorum, loquuntur opera hominum. Primo vani et iactabundi, qui se et sua iactant et prædicant. *Ut non loquatur os meum opera hominum*,

A q. d. ait, Beda, *ut me non iactem more hominum.* Ut aliud, ait S. Aug. non procedat ex ore meo, quam id quod pertinet ad gloriam et laudem Dei, non ad opera hominum, quæ faciunt præter voluntatem eius. Ludolphus atque Richardus eodem modo explicant. Loquuntur tria genera peccatorum. I. Iactabundi.

Secundo, adulatores *loquuntur opera hominum* illa laudando, ut explicat Aiguanus, qui laudant peccatorem in desideriis animæ suæ, ait Ugo. Hinc tot in aulas Regum et privatorum domos invehuntur mala. Proverb. 26. 28. *Lingua fallax non amat veritatem, et os lubricum* (Aquila λεῖον, id est levigatum. Syr. os eiectionis *operatur ruinas.* Salazar per os lubricum sive leno et molle, ac per fallacem linguam intelligit os et linguam adulatoris. Nam ut ait S. Chrysologus, *Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia: virtutibus vero austera et fortia sunt amica.* S. August. eas pestes oderat qui de se ita scribit lib. 9. de Trinit. *Magis optabo a quolibet reprehendi, quam ab adulatore laudari.*) Vide dicta Psal. 140. 5. in illud: *Corripiet me iustus in misericordia, oleum autem peccato-* B *ris non impinguet caput meum.* II. Adulatores.

Tertio, Detractores et susurrones *loquuntur opera hominum*, ut famam eorum denigrent, et odium aliorum in eos excitent. Hoc maxime vitium cavendum est in societate humana, si pacifice vivere, et alios pacatos relinquere volumus Prov. 26. 20. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, et susurrone sublato iurgia conquiescunt.* Septuaginta pro susurrone habet δίθυμος, bianimis, bicors, et discors, qui habet duo corda, et aliorum corda dividit, ac separat susurris suis atque criminationibus; et v. 22. *Verba susurronis* (Septuag. κερκώπων, id est, caudatorum, seu cauda blandientium) *quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad interiora ventris.* Septuag. usque ad intimos viscerum recessus. Auctor catenæ Græcæ, vafros illos comparat vulpibus, quæ caudas oculis obiiciunt, ut se dormire fingant, et temere ad se accedentia animalia devorent. David vero etiam læsus Sauli non detrahebat, at vias duras cum patientia decurrebat. Semper postea a se C removet detractores, ut testatur Ps. 100. 5. Vide ibi dicta, et Ps. 3. 8. III. Detractores.

ARTICULUS III.

In via mandatorum suorum ambulantes Deus corroborat, ab hostibus tuetur ut pupillam oculi sui, et tandem bonis æternis satiat.

Tria requiruntur in viatore, ut viam suam feliciter decurrat. Primo, ut in se firmus et robustus sit, ac proprio pondere aut debilitate non cadat. Secundo, ut ab hostibus non deiiciatur. Tertio, ut tandem ad optatam patriam perveniat. Hæc tria a Deo postulat et obtinet Rex noster. Vers. 5.

Ac primo, roborari ac fulciri petit, vers. 5. PERFICE Hebr. תמוך *tamoc*, id est firma, ut vertit Vatablus: sustenta, ut S. Hieron. Muis. et Pagnin. sustine, ut Felix συγκράτησον, id est corrobora, ut Symmachus. κατάρτισον, D id est coagmenta, ut Septuaginta: sustentando, ut Arias: sustentasti, ut Syrus. *Tamoc* est infinitivi. Sumunt illud Hebræi pro variis modis et temporibus; GRESSUS MEOS, hoc est, pedes: est Metonymia, IN SEMITIS (Vatabl. in orbitis) TUIS, UT NON MOVEANTUR (S. Hieron. et non labentur) VESTIGIA MEA. Petavius, πόδας, id est, pedes. Et Vatabl. ne pedes mei nutent. Est etiam Metonymia. Effectus enim pro causa, seu instrumento ponitur: nempe vestigia pro pedibus, qui vestigia sua, id est, signa, notam, figuram et formam sui imprimunt terræ. 27. Ambulandum est perfecte in via Dei.

Sensus est, ait Euthymius, q. d. Tu Domine perfectas ac rectas facito cogitationes meas in mandatis tuis, quæ gradientes per ea homines ferunt ad te. Nam si hæ mentis cogitationes perfectiores reddantur, cæteræ etiam operationes corporis non titubabunt: sed tutiores erunt. Secundo, et melius idem Euthymius: Perfice, ait, gressus meos, hoc est, omnes actiones meas, dum ambulo per vias tuas, quas in mandatis tuis esse statuisti iis, qui Sensus huius loci.

festinant venire ad te: ne, si forte commemorati gressus mei nullam a te perfectionem acceperint, deviont aliquando ab honesto, et sequantur, quæ deteriora sunt. Hunc versum sibi in symbolum sumpserunt Cælestinus III. Honorius III. et Gregorius X. Pontifices, ut refert Alphonsus Ciacconus.

Quatuor decore incedunt: nempe Leo, Gallus, aries, rex. Moral. disce, stabili et generoso gressu in via Dei stare et ambulare. Salomon Prov. 30. 29. et seqq. proponit quatuor decore incedentia: nempe Leonem, Gallum, Arietem, ac Regem. Sic autem loquitur: *Tria sunt quæ bene* (Septuag. prospere) *gradiuntur: et quartum incedit feliciter. Leo fortissimus bestiarum* (Vatabl. qui heros est inter belluas) *ad nullius pavebit occursum. Gallus* (Pagn. vertit Lelaps, id est, canis venaticus, ut reddit Vatabl. Sed melius nostro consonant Septuaginta Chald. Aquila, Theod. Symmach. et alii qui gallum vertunt) *succinctus lumbos suos: et aries, nec est Rex, qui resistat ei.* Hebr. et rex, cui nemo resistit. Vel, nec est, qui stet coram eo: sicut etiam Chald. et Septuag. habent. Quatuor porro in illis symbolis notantur Christiano ad cælum ambulanti necessaria, Primo, fortitudo Leonis. Secundo, galli vigilantia. Tertio, arietis mansuetudo. Quarto, Regis sapientia. Ut Leo hostibus resistat: ut gallus cantu et Dei veri solis laudibus sese excitet; ut aries cæteris exemplo præeat; ut Rex sibi et passionibus suis imperet. Hæc de Regibus, qualis erat David, de Principibus, Prælatis et Magistratibus adhuc commodius dicentur. Si hac ratione incedamus, gemmas et thesauros virtutum in via colligemus, quibus nos ornantes sponso placeamus, non sinentes iis animam nostram spoliari. Proverb. 31. 3. ait Salomon in persona Lamuelis: *Ne dederis mulieribus substantiam tuam, et divitias tuas ad delendos Reges.* Chald. *Et vias tuas* (id est, opes in via partas) *filiabus Regum.* Quot passus facis in via Dei, tot virtutum margaritas colligis, ne eas temere in delicias effunde, illas tibi et Deo serva. S. Ephrem de S. Basilio sic ait in eius encomio: *Arietem aliquando vidi, cui pulchra erat cutis, et cornua ratione prædita divinitus loquentia: ad quem ego propius cum multa anxietate accedens, parvum filium ex ipso sensim abstuli. Sapiens hic est et fidelis Basilius. Basilius enim vere gressus est virtutum, liber laudum, vita miraculorum, qui in carne gradiens, spiritu incedebat, beryllium* (beryllus gemma subviridis, et transparens) *plectrum mysticæ citharæ, regionem sanctorum Angelorum oblectans: certus agnus matricis suæ, Spiritus sancti agrum ac hortum illustrans, desiderio atque amore exultans, ac florem ex ima radice pretiosissimæ Crucis decerpens: præsepe sacrorum dogmatum, lingua verborum, membrana pulchra divinæ sapientiæ, quæ de cælo divinas elementorum impressiones accepit.* Hæc Ephrem.

Vers. 8. Secundo, Viatoribus in hostes necessarius est hyperaspistes ac protector, qui eos tueatur, hoc Deus iusto præstat, et quidem peramanter atque studiose, quod explicat duplici similitudine: nempe pupillæ oculorum, et pullorum sub alis matris latitantium.

28 Deus servos suos custodit, velut pupillam oculi. Ac primo, Deus servos suos tegit instar pupillæ suæ. v. 8. A RESISTENTIBUS DEXTERÆ (id est, potenti voluntati) TUÆ CUSTODI ME, UT PUPILLAM OCULI, id est, velut rem charissimam, tenerrimam et pretiosissimam. Oculus enim est maximi pretii in corpore: pupilla vero est pars pretiosissima oculi. De oculi excellentia ait Plinius l. 11. cap. 37. *Oculus est pars corporis pretiosissima, et qui lucis usu vitam distinguit a morte.* S. Chrysologus aperit clarius in quo sit illud pretium, serm. 139. *Oculus*, loquit, *est animæ fenestra, speculum mentis, lumen corporis, membrorum dux.* Pythagoras apud Laertium lib. 8. vocat oculum, portam Solis: melius S. Isidorus dicit, oculum esse Solem ipsum: sicut enim Sol est oculus mundi, ita oculus est Sol corporis. Verba eius sunt lib. 2. ep. 112. *Oculus est omnium lucerna membrorum*, και ωσπερ ο ηλιος εν τω κοσμω, ουτω και ο οφθαλμος εν τω σωματι: *et sicut Sol in terrarum orbe, sic quoque oculus est in corpore.* S. Greg. Nyssen. hom. 7. in Cant. ait, oculos omnium esse operum magistros et Doctores. Quod autem est oculus corpori, hoc pupilla est oculo: tolle oculum a corpore, truncus est sine lumine et duce: tolle pupillam ab oculo, orbis est sine Sole: imo oculus non est amplius oculus. Nam oculus si non videret, oculus non esset, ut ait Ioan. Grammat. in 2. de Anim. text. 8. et Albertus Magn. de mor. et vit. tract. 1. cap. 2. Oculi pupilla est sicut *lampas illuminata* ab exteriori lumine, ut dicit S. Thom. de sens. et sensa, lib. 5. Oculi forma substantialis, est visus, et oculus est materia visus, ut corpus organicum est materia animæ, ut idem docet in 2. de Anim. lib. 2. text. 9.

Pupilla, ut aliqui putant, est niger in cornea tunica, atque in medio oculi circulus tunicæ, quæ ῥαγοειδὴς, a Græcis dicitur foramini respondens. Plin. id declarat lib. 11. c. 37. ante med. *Media eorum*, loquit, *cornea fenestravit pupilla, cuius angustiæ non sinunt vagari incertam aciem, et velut canali dirigunt, obiterque incidentia facile declinant: aliis nigri, aliis atri, aliis rufi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis, ut habili mixtura et accipiatur circumiecto candore lux, et temperato repercussu non obstrepat. Adeoque iis absoluta vis speculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominis. Ea causa est, ut pleræque alitum e manibus hominum oculos potissimum appetant: quod effigiem suam in iis cernentes, velut ad cognata desideria sua tendunt.* 29. Pupilla quid in oculo.

Nota. Oculos sollicite custodit Deus, et adhuc pupillam accuratius, ut advertenti patet. De oculis ait S. Ambr. lib. 6. Hexaem. cap. 9. *Quid agat fortitudo nisi oculo duce utatur in prælium? Quid fuga, si desit obtutus? Carcer est totum corpus, tenebroso inhorrens situ, nisi oculorum illuminetur aspectu. Quod ergo Sol et Luna in cælo, hoc sunt oculi in homine. Sol et Luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne sydera fulgent desuper, et inferiora claro illustrant lumine, nec patiuntur noctis quibusdam nos tenebris implicari: speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Nam et ex sopore membris cæteris citius excitantur, et vigilantes circumspectant omnia; viciniores enim sunt cerebro, unde omnis manat usus videndi.* Ac paulo post fuse et elegantissime exponit, quam tuta custodia eos Deus munierit. Geminæ, ait, sepes superciliorum oculis munimenta prætendunt, prætexunt gratiam: ut et venustas decoris arrideat, et diligentia protectionis assistat. Si quid enim de capite sordium decidat, aut arenæ pulvis, aut ros nebulæ, aut humescentis verticis sudor, excipitur supercilio, ne teneras offensa acie visiones mollium perturbet oculorum. Adhæreat velut quibusdam montium superciliis oculi, ut et protegente montis cacumine tutiores sint, et tanquam in summo locati, de quadam scena superiore universa prospectent. Neque enim oportebat eos humiles esse, sicut aures vel os, ipsosque narium interiores sinus. Specula enim semper in alto est, ut advenientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne improviso occupent otiantem vel urbis populum, vel Imperatoris exercitum. Sic latronum quoque cavetur incursus, si exploratores in muris aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, ut desuper spectent plana regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari quoque positus si quis terræ appropinquare se coniicit, in ipsa mali fastigia, et celsa antennarum cornua voti explorator ascendit, et adhuc invisibilem reliquis navigantibus eminus terram salutat. At forte dicas. Si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt sicut cancris, vel scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa tamen cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana sicut nobis, quæ facile possit offendi, rubisque et cæteris interscindi sentibus. Aliis quoque animantibus huiusmodi species ut possint oculos aut ad cervicem conferre, ut equi ac boves, ac propemodum omnes feræ, aut ad alas suas, ut aves, quo tuta quiete potiantur, nobis autem in summa propemodum corporis parte constitui oculos oportuit, tanquam in arce, et ab omni vel minima offensione defendi: quæ duo sibi compugnantia videban- 30. Oculos natura provide vallavit.

tur. Nam si in humili essent propter tutamen, munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam. Itaque ne vel usui muneris aliquid detraheretur, vel ad propulsandem iniuriam non prospiceretur, eo ioel oculos constituit, eni supercilia desuper non minimum protectionis impertiant, subter malæ aliquantulum elevetæ haud exiguum manitionis adiungent, interiorem partem sepiant nares, exteriores quoque frontis melarumque gibbi extuberent: et licet ossium compage connexa, et æqueta confinia circumvallare videantur, inter hæc medii sunt oculorum orbes, et tuti ad cavendum, et ad intuendum liberi, et decori ad gratiam, utpote in crystalli speciem refulgentes. *In quorum media pupillæ sunt, quæ videndi munus operantur, ac ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, pilis hinc inde consertis velut quodam vallo per circuitum muniuntur.* Hactenus Ambrosius.

31. Et accuratius adhuc pupillam. Tunicæ oculorum. Pupillæ præterea cum sint in medio oculorum, tunicis etiam vestiuntur atque muniuntur. Conimbricenses ponunt tantum quinque tunices oculorum: in 2. de Anima quæst. 6. art. 2. Sed Albertus Magnus de Anim. lib. 1. tract. 2. cap. 7. septem tunicas assignat, et tres humores tunicarum. Prima tunica, inquit, est retina, quæ est in posteriori parte oculi orta a nervo optico, qui componitur ex nervis et arteriis: altera est ex parte posteriori, et dicitur secundine: cuius ortus est a pia matre cerebri, quæ est pannus involvens cerebrum: tertia est posterius claudens oculi humores, et dicitur sciros, et oritur a dura matre cerebri, has duas pelles trahit secum ad substantiam oculi nervus opticus in operimentum sui: quarta quæ appellatur, a quibusdam arance, est ante in oculo exorta a prima posteriori: quinta dicitur uvea, quæ oritur a secundina posteriori: et sexta est quæ dicitur cornea, et oritur a reliquiis secundinæ posterioris: septima coniunctiva est, quæ oritur a pelle sub arenea, quæ est in exteriori parte oculi. Primus humor est vitreus, secundus crystallinus, tertius glacialis albugineus, qui est purgamentum glacialis, vel crystallinus. Ita Albertus. Visionem fieri in congressu nervi optici putant Avicenna, et Cyruelus lib. 1. perspectivæ cap. 3. con. 6. ac Vitellius lib. 3. Theoremate 4. et 20. Sed probabilius est fieri in humore crystallino, quia humor ille est in medio aliorum humorum collocatus, eoque læso emittitur visio. Præterea hæc oculi pars maxime splendida est atque conspicua, neque ullo colore tincta, quod ad videndi actionem plurimum conducit. Hinc Galenus 8. de usu partium, cap. 6. docet reliquas oculi partes fuisse factas huius humoris gratia, sive ut illum contineant, sive ut alant, et 10. cap. 1. asserit organum visus in hoc humore consistere. Hoc ipsum tradit Aristoteles lib. 1 de generatione animalium cap. 5. ubi ait, in ea parte effici visionem, quæ tota nitida est et splendida, ut ab omni colore et luce moveri possit, et lib. 1. hist. anim. cap. 9. *Humor*, inquit, *oculi inferior, in quo videmus, pupilla est.* Et Alexander Aphrodisæus in 1. de anima cap. 33. *Oculi pupilla*, inquit, *ex aquo congenita est, quæ cum interminata perspicua est, illotas a coloribus affectiones quadam crassitudine, ac consistentia coercere potest, cuius naturæ non est actu.*

Deus servat amicos suos velut pupillam. Deus servos suos conservat velut pupillam oculi sui. Hoc patuit in conservatione populi Israel quadraginta annis in deserto Arabiæ. Deuter. 32. 10. ait, Moses: *Invenit eum in terra deserta*, (in Ægypto populus se perdiderat idolis serviendo, illum invenit Deus in Sina dando ei Legem) *in loco horroris* (talis est vita nostra) *et vastæ solitudinis, circumduxit eum et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui.* Et Zachar. 2. v. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Itaque iusti vel sunt pupillæ Dei, vel sunt intra illam positi. Et quidem dicit Propheta noster Ps. 30. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.* (S. Hieron. in protectione vultus tui. Psalt. Roman. et Ambros. in abdito vultus tui) *a conturbatione hominum.* Chald. a viris exercitus. Ne exercitus quidem integri eis nocere poterunt, cum erunt in oculis et pupilla Dei, id est in eius notitia et providentia paterna, qua ex omni parte circumdantur.

Reges potissimum. Reges præsertim, quos Isaias cap. 29. 10. appellat oculos populi, et qui ipsa pupilla oculi debent esse clariores, tuetur Deus, ut patuit in Constantino Magno, quem illius opis securum fecit ostensa Cruce: in Clodoveo pugnante in Germanos et Alaricum, in S. Ludovico prope Cyprum et Pelusium, atque in Davide nostro servato a leonibus et ursis, a Saule, ab Absalone, a Seba filio Bochri, a Iesbinebob gigante, et aliis; in Iosaphat Rege Iuda in Syros cum Achab pugnante, et in cæteris Regibus ac Principibus piis. Hinc in eorum custodiem deputat Deus Archangelos aliosve Angelos superiores. Ut enim dicit Suar. lib. 6. de Ang. cap. 17. num. 24. *Probabile est, quod communiter creditur, has personas publicas duos habere Angelos custodes: nimirum, inferiores, quatenus tales personæ sunt: et superiores ratione muneris. Nam sicut duplici egent prudentia et rectitudine, et illa quæ ad bonum commune pertinet, altioris rationis est, ita duplici egent gubernatore et custode Angelo.*

32. Moraliter. Si vis a Deo servari, esto pupilla per humilitatem, etc. Moral. Si vis a Deo protegi, sis pupilla: primo, parvus sis per humilem tui cognitionem. Secundo, sis absconditus, et opera tua fac in abscondito, per latendi desiderium. Tertio, Christum humiliatum, et abbreviatum in teipso, repræsenta, et eum iugiter efforma. Hebræi vocant pupillam אישון iscion, q. d. virunculum, parvum virum: quia in pupilla conspicitur imago viri: sic a Græcis vocatur κορη, q. d. puella, pupa: unde et pupillam dicimus. Hinc Orator apud Plutarchum tr. de vitiosa verecundia, ait, impudentem in oculis non habere κορας, id est, virgines seu puellas: sed πορνας, id est meretrices: quia, κορων αισχυνεσθαι, *virginum proprium est erubescere.* Quarto, sis pupilla, id est pervigil, in iugi visione, contemplatione, vigilia. Proverb. 31. 18. de Anima sancta, dicit Salomon: *Non extinguetur in nocte lucerna eius.* Cum alii dormiunt, vigilat. Ps. 1. 2. *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Vide illum locum. Plato apud Laertium lib. 3. Nemo dormiens, ait, ulla re dignus est: et Democritus apud Maximum serm. 29. Temperantes, inquit, et sobrii nunquam dormitant, *etiamsi* sua studia in multam noctem producant. Non enim somnus tanquam Dominus quidam eos impellit, cervicem vino subactam, et in servitutem redactam, quasi cum contumelia deprimens: sed liberi et recti permanent. Cum autem somnum petunt, eum pura mente recipiunt. Et Beda in eum locum Prov. *Lucerna*, inquit, *Ecclesiæ et animæ sanctæ non extinguitur in nocte; quia et cum a negotio quiescit actionis, vacat liberius luci supernæ contemplationis.* Ibi Christi figuram in oculo suo retinens ab ipso audit, quod olim S. Elisabetha Andreæ Hungarorum Regis filia, quæ in cælum defixa, meruit videre Dei Filium ad se inclinatum cælis patentibus ac dicentem: *Si tu vis esse mecum, ego ero tecum, et a te nullatenus separabor.* Sit itaque Christus signaculum cordis, brachii, et oculi nostri, Reges præsertim, et Magistratus sint oculi et pupilla semper aperta ad utilitatem populi sui. Theophylactus epist. 7. *Quia*, inquit, *hominum præfecturam nuper adeptus es, etiam animum tuum bene affectum esse oportet, ubique ad omnia apte conflari et colligi, et pluribus oculis te omnia intueri, quam oculatus ille Argus bovem, eius fidei et custodiæ commissum.* Leo est Regum, et vigilantiæ symbolum, quia apertis oculis dormit, ut simul et videre et dormire videatur. De Rege Persarum refert Plutarch. ad Principem indoctum; Rex, ait, Persarum unum habebat cubicularium, cuius hæ partes erant, ut mane ingrediens ad eum diceret; Surge Rex, et cura ea quorum tibi Mesoromasdes imposuit curam. Mesoromasdes erat eorum Deus, Rex intelligat subditorum sibi curam a Deo demandari, iis invigilet, tunc Deus ipsum custodiet veluti pupillam toti populo necessariam.

33. Allegorica. Pupilla oculi, est Christi humanitas. Alleg. S. August. pupillam oculi, Humanitatem Christi intelligit, quia eius est videre et iudicare omnes hominum actiones. *Custodi me Domine*, ait, *ut pupillam oculi, quæ apparet perparva et exigua; per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux et tenebræ diiudicantur, sicut*

per Christi humanitatem divinitas iudicii discernens inter iustos et peccatores. Secundo, S. Hieron. ait pupillam esse Christi humilitatem in oculo Ecclesiæ. *Vox Ecclesiæ,* inquit, *Oculus intelligitur corpus Ecclesiæ, et pupilla humilitas Christi, per cuius exemplum vivimus et videmus. Hoc supplicat Ecclesia, ut possiti llam humilitatem observare, quam Christus docuit. Quia si per pupillam non custoditur oculus, nequaquam videt.* Tertio, Ugo Card. sic explicat. In pupilla sunt tria propter quæ bene comparatur ei Filius Dei. In ea enim est lux interior; 2. extra corpus speculare; 3. et aliud non speculare. Sic Christus fuit lux, secundum illud 1. Ioan. 1. 5. *Deus est lux,* et in Christo sunt anima et corpus. Ita Ugo.

34. Symbol. Pupilla oculi est visus spiritualis concionatorum.

Symbolice. S. Hier. per oculos Ecclesiæ, prædicatores intelliguntur: per pupillam vero, sensus spiritualis. Hoc rogat corp. Christ. quod est Ecclesia, ut custodiatur sensus prædicatorum, qui est oculus: ne rapiatur in infidelitate hæreticorum. Et supra, *Oculi tui videant æquitates,* dixerat etiam oculos Christi esse sanctos prædicatores, qui vident, id est, intelligunt æquitatem, id est, æquelitatem: ut iustitiam quam prædicant, opere impleant. Secundo, Ugo Cardin. Fides Incarnationis, inquit, est pupilla: quia sicut pupilla lucem a tenebris discernit, ita Fides Incarnationis bonos a malis distinguit. Et caute servanda est ne lædatur, sicut pupilla oculi. Et dicitur humanitas Christi, vel fides humanitatis Christi, pupilla, quasi pupilla respectu Deitatis.

35. Tropol. Animam curemus velut oculi pupillam.

Tropol. Anima nostra nobis curæ esse debet, ut oculi pupilla, pro illa omnes facultátes nostras exponendo, sicut manus, brachia, et reliquum corpus periculo exponimus ad servandam oculorum pupillam, Iob. 2. 4. *Pellem pro pelle et omnia quæ habet, dabit homo pro anima sua,* id est, pro vita, ut dæmon intelligit: sed longe magis debet dare omnia sua pro anima proprie dicta, et pro eius vita æterna. Unde ait Christus, Matth. 16. 26. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (Græc. ζημιωθῇ id est, iacturam faciat) *aut quam dabit homo commutationem* (ἀντάλλαγμα, id est, compensationem, permutationem et pretium) *pro anima sua.* Philo mentem, id est intellectum, ait in homine esse animæ pupillam. Sic enim in Cosmopœia loquitur: *Postremus homo creatus est, cui conditor mentem eximiam donavit,* ψυχῆ τινα ψυχήν, καθάπερ κόρην ἐν ὀφθαλμῷ, *quæ sit velut animæ anima, quemadmodum pupilla in oculo. Nam hanc quoque scrutatores naturæ dicunt esse* ὀφθαλμὸν ὀφθαλμοῦ *oculi oculum.*

Sed cum illi custodiæ non sufficiamus ob naturæ debilitatem et somnolentiam, hostiumque vires atque vigilantiam, Dei nos curæ et tutelæ committamus. S. Ambr. lib. 6. Hexaem. cap. 9. *Ut protectionis,* ait, *divinæ fieret ei tam solicita et tuta custodia, quam pupillam oculi tutissimo quodam naturæ vallo munire dignatus est. Simul quia innocentia et integritas levi sorde aspersa violatur, et gratiæ suæ munus amittit. Et ideo prospiciendum, ne quis eam pulvis erroris oblimet, aut ullo vexet festuca peccati.*

Vers. 8. 2 Pars. 36. Deus pios tegit sub alarum suarum umbra.

Alio emblemate, nempe Gallinæ pullos suos alis contegentis contra milvum, opem Dei David implorat vers. eodem 8. SUB UMBRA ALARUM TUARUM PROTEGE ME. Hebr. *abscondes me:* spem notat auxilii, tempus futurum. Noster vertit per imperativum, quia sæpe Hebr. pro illo usurpant futurum, et ut denotaret illud auxilium esse precibus obtinendum. Nota, hæc possunt iungi cum præcedentibus et sequentibus, ut clarum est.

In ea Dei umbra quinque spectanda sunt.

Similitudo hæc sumitur ab avibus pullos suos alarum præsidio tegentibus; ac præsertim a gallina quæ magis est de pullis solicita. Unde Sangrinus ait: *Ut gallina suos ab ungue milvi pullos protegit, ac suis sub alis tutatur, me ita ab hoste redde tutum.*

1. Quod est secura.

Umbra illa Dei est primo, secura, Ps. 56. 2. *In umbra alarum tuarum sperabo* (Arabs protegar,) *donec pertranseat iniquitas,* velut, milvus tartareus me quærens ad devorandum. Hebr. donec transeant הוות hauuoth, id est contritiones: una iniquitas est sæpe multiplex contritio, ut patuit in peccato Adami, unde tot hominum millia infirmata et contrita sunt morte corporali et spirituali Ps. 35. 8. *Filii autem hominum in tegmine* (Syrus in umbra) *alarum tuarum sperabunt.* Arabs. protegentur. Petav. ἀμφικαλύψεις, id est, ex omni parte cinges, undequaque succinges. Vide utrobique dicta. S. Augustin. in psalmo nostro pro *in umbra,* legit, *in tegmine:* et in commentario securitatem illarum alarum aperit: *In munimento,* ait, *charitatis et misericordiæ tuæ proteges me.* Bonæ et fortes sunt hæ alæ; Genebr. tres alas assignat, potentiam, misericordiam et præsidium: melius duas primas tantum posuisset: qui enim iuvare vult, et potest, iuvat. Aloysius e S. Severino Princeps Bisiniani in Catena sua: Legimus, inquit, in Canticis Canticorum, Accubatio nostra in umbra. Ubi Philo Carpath. Episcopus: *Tu nostra umbra eris et protectio: clamat Sponsa, secundum illud, Ps. 90. 4. Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis eius sperabis; et Ps. 16. Sub umbra alarum tuarum. Ad te enim solum refugium nostrum, et protectio: tu nostra umbra, tu defensio, tu certa salus et vita. Dicamus cum Davide Ps. 22. Etsi constitero in medio umbræ mortis,* non *timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Secundo, umbra sub alis Dei est blanda, et lætitiam affert ac recreationem. Oritur enim ab alis paternis. Quid suavius charitate et misericordia Dei? Beda insistens S. 37. II. Blanda.
Augustino sic Christum loquentem inducit: *Sub umbra alarum tuarum protege me,* id est meos, sub protectione *charitatis et misericordiæ,* quibus nos tanquam alis obumbras: et accipitur hic charitas qua ipse prior, id est, ante etiam quam essemus, dilexit nos. Misericordia autem susceptæ humanitatis per verbum affectio propria. Vel per alas possumus accipere dilectionem Dei, et proximi. Quæ ideo dicuntur alæ, quoniam teste S. Augustino sine his duobus virtutibus non volatur ad cælestem gloriam. Ita Beda. Umbræ arboris fructibus onustæ possis quoque Dei umbram comparare. Sponsa postquam Cant. 2. Sponsum comparavit malo, id est arbori ferenti poma, hoc est fructus qui sunt molli cortice, ut ficus, cerasa, pyra, etc. (Arabs specietim vult conferri malo punicæ, et Syr. malo citreæ) ait v. 3. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Ad radices illius arboris, nempe crucis, aut potius ex ipsa arbore fluit fons vitæ, ut ibi reperias cibum et potum, Ps. 35. 8. *Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ,* apertæ per lanceam militis.

Tertio, umbra sub alis Dei habetur sine pondere. Cha- 38. III. Sine pondere.
ritas matris non onerat, 1. Corinth. 13. 4. *Charitas patiens, benigna est,* etc. S. Chrysost. *Probrum et dedecus, quid sit, ignorat charitas, alis aureis omnium quos complectitur vitia tegit.* Misericordia etiam quæ est altera ala, levis est, et miserias allevat. S. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 6. *Aliquando,* inquit, *ab avibus in Deum similitudo trahitur, sicut per Mosen dicitur,* Deuteron. 32. *expandit alas suas, et assumpsit eos; et sicut Propheta ait,* Ps. 16. *Sub umbra alarum tuarum protege me. Quia enim nos parvulos, dum protegit, nutrit, et non gravi atque onerosa, sed levi et blanda protectione nos refovet, dum suas in nos misericordias exerit, quasi more suo super nos avium alas tendit.* S. Laurentius Iustinianus in Codice manuscripto illustrans locum illum, Ps. 90. 5. *Protegar in velamento alarum tuarum,* ad rem nostram dicit. *Divina defensio alis avium ideo comparatur, quia non onerant, et omnem læsionem avertunt.*

Quarto, Umbra sub alis Dei in æstu tentationum refri- 39. IV. Refrigerat.
gerat, Isaiæ 25. 4. *Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine* (id est in turbine, seu persecutione) *umbraculum ab æstu,* id est, in æstu seu tentatione est refrigerium, Sap. 19. 7. *Nubes castra eorum* (Hebræorum in arenti et ardenti Arabiæ deserto) *obumbrabit.* Sis in castris Dei, militem te esse cogita, pugna tentatus, Deus tibi erit nubes roscida et obumbrans. Lege S. Ambros. in Ps. 118. serm. 19. litera Coph.

Quinto, Umbra sub alis Dei, calorem dat vivificum, si 40. V. Calore suo vivificat.
quando per tepiditatem refrigescit, Gen. 1. 2. *Terra autem erat inanis et vacua* (Hebr. solitudo et inane) *et te-*

nebræ erant super faciem abyssi (id est super aquas et molem aquarum, quæ quasi abyssus terram operiebat, seseque porrigebat usque ad cælum empyreum) *et spiritus Dei*, (non Angelus, ut vult Caiet. non ventus, ut Hebræi, sed Spiritus sanctus ut S. Basil. et Athan.) *ferebatur super aquas*. Pro *ferebatur* Heb. est מרחפת *merachepheth*, quod teste S. Basilio, Diodoro et S. Hieron. in quæst. Hebr. in Genes. est volucrum, dum super ova et pullos pendulæ leniter agitatione alarum se librant, motitant et volitant, iisque deinde incubant, calorem aspirant, fovent et animant. Pari modo Spiritus sanctus superferebatur: vel, ut Tertul. legit, supervectabatur aquis, non loco aut motu, sed omnia superante ac præcellente potentia, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas, et idea artificis, inquit S. Augustinus lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 7. Hac ergo voluntate, ac potentia sua, cum aura calida, quam a se spargebat, aquis quasi incubabat Spiritus sanctus, eisque vim prolificam indebat, ut reptilia, volatilia, pisces et germina, imo cæli omnes ex aquis producerentur. Ita Cornelius. Eamdem vim vivificam in anima iusti habet idem Spiritus sanctus, et Christus Dominus, de quo Ierem. Thren. 4. 20. *Spiritus oris nostri Christus Dominus* (non Rex Iosias ut Hebræi volunt et S. Thomas: sed Filius Dei, ut S. Clemens, S. Ambr. S. Hieron.) *captus est in peccatis nostris* (S. Ambros. in Ps. 118. serm. 11. legit, *in interitu nostro*, peccata nos occiderant) *in umbra eius vivemus in gentibus*. Est enim spiritus oris nostri, id est anima et vita nostra: sicut enim sine spiritu et anima corpus mortuum est: ita anima nostra sine Christi gratia et mortua, ut explicat Origenes. Rupert. et Rabanus. Umbra Christi vivifica, est eius caro fons vitæ. S. Bern. ser. 6. in Ascens. Loquens de Apostolis ante missionem Spiritus sancti ait: *Apostoli meram lucem Spiritus sustinere non poterant, sed exhiberi illis oportuit Verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna*. Et serm. 20. in Cant. *Sub umbra eius*, inquit, *vivemus inter gentes. Mihi videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui Solis ferre ardorem minus validos se sentiunt, et carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere quæ sunt Spiritus Dei. Umbram si quidem Christi, carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est, et Mariæ, ut eius obiectu fervor, splendorque Spiritus illi temperaretur. In carnis ergo devotione interim consoletur, qui vivificantem spiritum necdum habet, eo dumtaxat modo, quo habent illi qui aiunt: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. In Baptismo Christi, et in eius Transfiguratione adhuc nubes est; in cælo erit lux clara et perfecta sine umbra, sed tamen hæc umbra est salutifera viatori. Si carni illi vivificæ simus proximi, inspirabit in nos spiraculum vitæ. S. Gregor. Nyss. illud Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, contemplans ait: *Quia verba sponsi Spiritus sunt et vita, quicumque conglutinatur spiritui, fit spiritus, et qui coniungitur vitæ, transit a morte ad vitam*. Etiam ex loco remoto umbra Christi vivificat eos quos tangit. Unde S. Vincentius Ferrerius serm. in Parasceve, ait, quosdam arbitrari unum latronem fuisse conversum, quia umbra Christi crucifixi eum tangebat. S. Petrus umbra sua ægrotos sanabat, Actor. 15. 15. *Ita ut in plateas eiicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis*, omnes sanabantur uno tactu per umbram Petri, ut censet Thomas Bozius lib. 18. de notis Ecclesiæ, cap. 1. vel saltem ii, qui illa umbra tegebantur. Plinius lib. 17. cap. 12. docet corpora communicare qualitates suas umbræ, ideo in arboribus ferendis eius exactam habendam esse rationem. *Quibus satis*, inquit, *umbra aut nutrix, aut noverca est*. Lege illum. Aloys. a S. Severino varietatem hanc umbræ in spiritualibus rebus advertendam esse, monet in Catena sua.

41. Allegorice. Christus crucifi-

Allegor. Thom. Anglicus de Christo in cruce hunc locum, *Sub umbra alarum tuarum protege me*, explicat. Petiit enim umbram a Patre æterno. Primo, propter mitigationem caloris excedentis, Ps. 101. 4. *Ossa mea sicut cremium* (Aquila et Symmach. sicut incendium, S. Hier. quasi frixa) *aruerunt*. Symm. torres facta sunt. Arnob. sicut frixorium confrixa sunt. Cremium, est lignum seu virgultum aridum, quod facile cremari potest, ut ait S. Hieron. in cap. 10. Oseæ: *Percussus sum ut fænum, et aruit cor meum*. Itaque iure sibi umbram postulat refrigerantem. Dicit Ioan. 19. 28. *Sitio*, ob ardorem scilicet tormentorum, et effusionem sanguinis; dicit autem Isaiæ 16. 3. *Pone quasi noctem umbram in meridie*, ut me refrigeret.

xus umbra alarum paternarum petit protegi et cur. I.

II. Secundo, Christus in cruce petit umbram occultantem, quæ vere faciat noctem in meridie ad tegendam suam nuditatem 2. Reg. 6. 16. Michol uxor Davidis respiciens, et videns eum subsilientem atque saltantem coram Domino, despexit eum in corde suo, ac redeunti ait v. 20. *Quam gloriosus fuit hodie Rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris*. Quod Angelomus Allegor. exponit de Christo in cruce nudato. *In qua cruce*, ait, *velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantum carnis ostendit*. Vere in Cruce nudus fuit, iis tamen partibus tectis, quas pudor patere non patitur. Deus Pater umbram immisit tegentem. Matt. 27. 45. *A sexta autem hora* (id est a meridie: quia Iudæi ab ortu Solis horas suas numerabant) *tenebræ factæ sunt super universam terram* (Iudææ, ut ait Origen. totius prorsus terræ, ut S. Chrysost.) *usque ad horam nonam*, id est, usque ad tertiam pomeridianam: itaque tenebræ illæ per tres horas duraverunt: S. Chrysost. et Theoph. censent ortas esse ex interpositione densarum nubium inter Solem et terram. S. Dionysius vero testis oculatus epist. 7. ad Polycarpum ait esse ortas ex eclipsi Solis, in qua eclipsi septem miracula recenset Cornel.

III. Tertio, Christus in cruce petit umbram propter temperationem luminis offendentis. Nam ut ait Thomas Anglicus in minutione debilitatur virtus visiva, et ideo minutus non bene sustinet lucem excellentem, Christus autem valde fuit minutus per totum corpus, et Soli fuit expositus. Sed hæc ratio est levior, graviores enim dolores in sua passione non fugit, sed potius ambivit Christus.

42. Symbolice. Variæ sunt alæ Dei.

Symbolice, Hugo Cardinalis varias alas enumerat, quibus servos suos tegit Christus. Primo, duo testamenta. 1. Secundo, Angelorum officia et præsidia. Isa. 6. v. 2. *Sex alæ uni et sex alæ alteri*. 2. Tertio, virtutes, Iobi 39. v. 26. *Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter*. 3. Quarto, brachia Christi in cruce extensa. Deuter. 32. v. 12. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*. 4. Quinto, Prælatos, qui debent subditos protegere suis orationibus. Thren. 4. v. 20. *Cui diximus, in umbra tua vivemus in gentibus*. Sed e converso est hodie Ieremiæ 2. v. 34. *In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum*. Quia in domo Prælatorum invenitur rapina pauperum. Et qui deberent esse gallinæ fovendo, et protegendo subditos Matt. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, et noluisti*, fiunt milvi per rapacitatem, Zach. 5. q. d. mulieres habebant alas quasi milvi. Isaiæ 34. v. 15. *Congregati sunt milvi alter ad alterum*. Item simulatio hypocritarum dicitur ala vel alæ, non Domini, sed Diaboli. Unde Iobi 39. v. 18. *Cum tempus fuerit in altum alas erigit*. Hoc dicitur de struthione, per quem hypocrita designatur. Ita Hugo.

43. Peccatores feris peiores censet S. Columbanus, cum duodecim lupi invadunt, a quibus liberatur.

Hostium suorum multitudinem, crudelitatem, arrogantiam, etc. describit David, eosque Leoni prædam quærenti comparat. Vide dicta Ps. 9. v. 30. Unum addo de S. Columbano, ut pateat impios esse feris peiores. Cum in monte Vogeso per opaca saltus vir Dei inter devia deambularet: librum humero ferens, de Scripturis sacris secum disputaret, subita cogitatio in mentem ruit, quid de duobus eligeret melius, in hominum iniurias incidere, quam ferarum sævitiam sustinere. Cumque urgeret cogitationem innata severitas crebro frontem signo Crucis armans, atque orans intra se ait, melius esse feroci-

tatem bestiarum absque alieno peccato, quam hominum rabiem sustinere cum damno animarum. Dumque hæc animo volveret, conspicit *duodecim lupos* advenire, et dextre leveque sibi astare, manebatque immobilis, atque dicens: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina*. Propius autem illi accedunt atque ora vestimentis suis iungunt, eumque ille constans asteret, intactum relinquunt, saltumque pervagantur. Ita Ionas Abbas in eius vita. Et quidem feras illi mitiores fuisse quam homines planum est. Nam primo a lupis illis liberatus secessit a cellula, longiorique via eremi vasta penetrans, reperit saxum immane, præruptaque rupis latera, aspera scopulis terga, avia hominibus, ibique conspicit concavum in caute sinum: aggressusque abdita scrutari, reperit in interiori sinu *ursi* habitaculum, ipsumque interius residentem. Mitis ergo feram iubet abscedere. Nec deinceps, inquit, hos repetas colles. Abiit autem fera mitis, nec prorsus ausa est redire. Secundo, num. 16. ursum reperit cadaver cervi, quem lupi occiderant, vorare incipientem, quem vir Dei increpans imperavit ne corium, quod ad usus calceamentorum necessarium erat, læderet. Tunc ursus oblitus feritatis absque murmure blandiens, et colla submittens, discessit. Tertio, Chagnoaldus Lugduni Pontifex, qui eius minister ac discipulus fuit, testabatur sæpe a se visum esse, cum *feras et aves* ad se accerseret, quas manu blandiens attrectabat: feræ autem et aves gaudentes ac ludentes velut catuli, illi abblandiebantur. Feruculam, quam vulgo homines Squirium (Scirum, sive Hippurum, *un escurieu*) vocant, sæpe de arduis arborum culminibus accersitam, manuque receptam, suoque in collo positam, et sinum ingredientem et exeuntem, sæpe se vidisse idem Chagnoaldus testabatur. Quarto, num. 26. refertur tantam copiam avium sese ipsi et religiosis eius iam tridui ieiunio fatigatis obiecisse, ut abunde fami suæ possent consulere; item urso imperavit, ne in certo spatio fructus comederet, quod præstitit. Hæc et alia sunt ferarum erga virum Dei exempla. At vero Brunechildis, altera Iezabel, Regem Theodoricum excitat in ipsum; itaque ab eo expellitur ex ipsius regno, nec furorem evidens miraculum impedivit: cum enim a satellitibus quæreretur, in eorum oculis positus ab ipsis non videbatur.

Ursus illi locum cedit.

Feræ et aves, velut cicuratas, manu tractabat.

Eius famæ succurrunt aves, sponte se illi capiendas offerentes.

Quæres, quid sit *adipem suum concludere?*

Vers. 10. 44. Adipem suum concludunt. I. Ventri suo dediti.

Respondeo primo, adipem suum concludere eos qui ventri sunt dediti, q. d. præ pinguedine corporis sensus et meatus præcluserunt: vel, pinguedinem in sua cute, intra se continuerunt, se pinguefecerunt, se ita molliter curarunt, ut maxima pinguedo in ipsorum corpore inclusa sit. Sunt voluptatibus et ventri dediti; in adipem et pinguedinem omnes suas curas et cogitationes immerserunt, de solo abdomine cogitant. Ita S. Thomas, Beda, Geneb. R. Abraham, Cassiod. et alii. Scriptura vocat voluptati et deliciis mancipatos, *pingues*, Ps. 77. 35. *vitulos saginatos*, Ierem. 46. 21. *tauros pingues*, Ps. 31. 13. *effusos super herbam*, Ierem. 50. 11. *vaccas pingues*, Amos 4. 1.

II. Crudeles.

Secundo, *adipem suum claudunt*, qui nulla moventur misericordia: adeps enim, ac præcipue viscera, in quibus est adeps, sunt symbolum misericordiæ: qui itaque adipem suum et viscera concludit, immitis est ac barbarus. Ita Iansenius, Ludolphus, Lyranus et Euthymius qui ait: Per adipem, cor intelligi et viscera: quoniam circum hæc multa solet esse pinguedo. Ait igitur: omnem eos a corde atque visceribus misericordiam intra seipsos clausisse. Misericordia enim a corde atque a visceribus dicitur descendere. Hæc Euthymius.

Nota, Impietatis est, adipem et viscera sua claudere. Prov. 11. 10. *Viscera impiorum crudelia*. Syr. vertit, Impii claudunt viscera sua; Chald. miserationes impiorum crudelitas, q. d. etiam cum præstant misericordiam, sunt crudeles, vel usuras exigendo vel verbis atrocibus aliisve modis sæviendo. Hebr. vox רחמים *rachamim*, quam noster vertit, *viscera*, significat etiam miserationes: itaque claudere viscera, est claudere miserationes. Nota secundo, divites sæpe sua viscera claudere, et in pauperes superbire. Unde persecutores vocantur Psal. 21. 13. *tauri pingues obsidentes*. Et Amos 4. 1. *Vaccæ pingues calumniam facientes egenis*, ut patuit in Achab contra Naboth, in divite Epulone micas negante Lazaro. Involuti sunt argento, itaque ab iis nihil potest exire. Sophon. 1. v. 11. *Disperierunt omnes involuti argento*, sunt captivi loricati, et catenis argenteis circumcincti, ex quibus expedire se non possunt.

Tertium viatori necessarium, quod initio articuli proposuimus, est, ut ad amatam et quæsitam patriam perveniat, in qua requiescat et bonis suis fruatur. Hoc se obtenturum confidit David, et psalmum concludit suæ virtuti confidens v. 15. EGO AUTEM IN IUSTITIA APPAREBO CONSPECTUI TUO (S. Hieron. Syr. et Pagnin. videbo faciem tuam; Arias, *facies tuas*. Deus est omnia omnibus. Felix, vultum tuum) SATIABOR, CUM APPARUERIT GLORIA TUA. Iustitia hic sumi potest Primo Christus, ut ait S. Augustin. lib. 21. de civit. cap. 24. Nam nobis factus est iustitia 1. Corint. 1. 30. Secundo, Iustitia melius sumitur hic pro innocentia Davidis, qui in Saulem persecutorem suum non peccaverat. Tertio, Iustitia hic adhuc commodius sumetur pro omni virtute. Vide dicta initio psalmi in prima eius verba, *Exaudi Domine iustitiam meam*. *Gloria* quoque sumi potest pro Christo, q. d. *satiabor, cum apparuerit gloria tua*, id est, Christus, ut explicat Didymus. Apparituram, ait, gloriam unigenitum Dei filium intelligere possumus, de quo scriptum est Lucæ 3. Videbit omnis caro salutare eius, et apparebit gloria Domini; et Ioann. 1. 14. Quoniam vidimus gloriam quasi unigeniti a Patre pleni gratiæ et veritatis. Ita ipse. Speciatim gloriam illam de Christi resurrectione explicant Pintus in cap. 7. Daniel. Galatinus lib. 8. de arcan. ver. cap. 22. et Rabbini apud ipsum. Hunc resurrectionis Christi diem optavit videre Abraham, vidit et gavisus est. Favent Hebr. בהקיץ *behakits*, id est, in evigilando, in exurgendo: Unde Pagnin. vertit, *Satiabor cum expergefacta fuerit imago tua*. Felix, *dum surrexerit similitudo tua*. Secundo, gloria sumi potest pro arca, ut patet 1. Regum 4. 21. et sic sumit Agellius hoc loco, q. d. David. Tunc satiabor, id est, perfecto gaudio complebor, cum ex iis angustiis, in quas me Saul coniecit, liberatus, potero videre speciem augustam tabernaculi tui, et ibi coram arca preces fundere et vota persolvere.

Vers. 15. 45. Ad cælum est aspirandum.

46. Gloria hic tripliciter sumitur. I. Pro Christo.

II. Pro arca.

Tertio, et melius, S. Athanasius, Vatablus, Bellarminus et alii, de cælesti beatitudine explicant. Tunc enim perfecta et plena erit satietas, cum Dei visione perfruemur. Chald. vertit. *Satiabor in tempore, quo evigilaverit gloria vultus tui*. Nunc tecta est, veluti Sol cum est in altero hemisphærio, qui exurgit et quodammodo evigilat, cum ad nos redit et se nobis ostendit. Vatablus vero vertit, *Satiabor, cum evigilavero, specie tua*, q. d. planam et manifestam, absolutam omnibus numeris tui cognitionem consequar: satiabor specie tua videndo te facie ad faciem, cum resurrexero, ut a morte ad vitam transiero. Facies Dei hic usurpatur pro manifestiore Dei cognitione. Quidam vertunt, *Cum evigilaverit similitudo tua*, id est, cum homo ad similitudinem tuam conditus resurrexerit. Ita Vatablus. Ubi adverte, pro *gloria*, Hebr. est תמונה *temuna*, id est, imago, similitudo, figura. De visione Dei, sic explicant Hebræi. Et quidem R. Abraham vertit, *Satiabor, cum evigilare feceris imaginem tuam*, id est, cum videro faciem tuam, non oculari, sed intellectuali visione, quæ vere est visio Dei. R. Emmanuel. *Satiabor, cum evigilaverint animæ a somno suo*. R. Salomon. *Satiabor, cum evigilavero visu imaginis tuæ*, id est, te videndo. Denique R. David. *Satiabor, in sæculo venturo videndo faciem tuam, cum evigilaverit imago tua*. Non enim dormiet aut morietur anima mea. Facies porro Dei pro ipso Deo sumitur, ut Numer. 12. 8. *Et imaginem Domini aspiciet*. Quod non de sensibili, sed de intellectuali imagine intel-

III. Pro cælesti beatitudine.

ligit, quæ est apprehensio intellectus; intellectus enim Mosis fuit in actu, sine aliquo corporeo instrumento. Hæc ipsi, sed tamen non arbitror Dei essentiam a Mose, vel ullo mortalium visam fuisse in hac vita, sicut in se est.

47. Gloria æterna cadit sub meritum condignum, et quomodo.

Quæres primo, an mereamur de condigno vitam æternam, ita ut Deus teneatur illam dare, cum dicatur: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo?* Respondeo, primam gloriam quæ correspondet primo actui contritionis vel amoris Dei, gratia Dei formato et dignificato, cadere sub meritum condignum. Probatur id contra Vegam et Loream, quia alioqui sequeretur nullum hominem vel Angelum consequi totam gloriam veluti coronam iustitiæ, sive ex meritis: sed dari substantiam gloriæ (ut sic loquar) gratis, et solum augmentum gloriæ, et sine veluti quamdam accessionem ex meritis haberi, quod est absurdum, cum in Concilio Tridentino sessione 6. can. 32. dicatur: *Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, et Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum.* Ubi vide Concilium aliter loqui de gratia, et aliter de gloria: dicit enim nos mereri gratiæ augmentum, quia prima gratia non cadit sub meritum: nos vero mereri vitam æternam, id est, primam gloriam, et eius augmentum. Et Paulus generatim loquitur Colossens. 3. v. 24. *Scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis, Domino Christo servite.* Igitur gloria secundum se totam est retributio et merces, sicut secundum se totam est hæreditas. Et 2. ad Timotheum 4. vers. 8. *In reliquo* (id est de cætero. S. Ambros. legit, quod superest Græc. λοιπὸν) *reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum eius.* Græce ἐπιφάνειαν, id est apparitionem et illustrationem eius: cum scilicet ad iudicium extremum veniet gloria et maiestate effulgens. Diligunt autem illum adventum, qui sibi bene conscii, et laborum præmia expectant. Nam, ut ait S. Anselmus, Adventum iudicis non diligunt, nisi qui in causa sua habere se iustitiæ meritum sciunt. Præmium porro illud æternum dicitur corona iustitiæ, primo, quia actus bonus ex se tali præmio dignus est, eique proportionatus, et hanc merendi potestatem nobis meruit Christus, præsertim accedente Dei promissione. Secundo, quia Deus bene operantibus illud præmium promisit: itaque saltem debitor est iusto ex fidelitate, quæ est pars potestativa iustitiæ. Tertio, iustis debitor est Deus ex iustitia quadam commutativa, supposita tamen et manente promissione sua, qua tali operi mercedem promisit. Nota tamen hanc iustitiam non esse rigidam, sed talis qualis inter patrem et filium, servum et herum, creatorem et creaturam esse potest. Nam Deus ex mera liberalitate hanc mercedem bonis operibus promisit, et sic ipse se fecit debitorem, ut ait S. Augustin. serm. 16. de verbis Apostoli. *Debitorem se fecit non tantum sibi, sed et Christo et nobis, ut illi dicere possimus, Redde quod promisisti, quia feci quod iussisti.* Vide Suarez in Opusc. relectione 2. de libertate divina, et relectione de iustitia. Item tract. de gratia lib. 12. cap. 28. S. Thomam 1. p. quæst. 62. artic. 4. Ubi probat Angelos fuisse creatos in gratia, et in eodem primo instanti meruisse beatitudinem, licet neget primam gratiam meruisse. Nota tamen in actu v. g. contritionis duo instantia esse distinguenda. Primum quidem, in quo elicitur a libero arbitrio moto a Spiritu sancto per solum speciale auxilium. Secundum vero, in quo gratia habitualis ratione talis dispositionis infunditur, per quam persona sanctificatur et consequenter omnes eius boni actus, qui in eodem instanti fiunt moraliter consanctificantur et formantur. Contritio igitur priori modo spectata non meretur de condigno primam gloriam: tum quia ut sic non est a gratia habituali, nec per illam adhuc formatur; tum etiam quia non supponit primam gratiam, neque illam de condigno meretur: ergo nec meretur primam gloriam. Altero vero modo spectata contritio, ut iam formata per gratiam in posteriori signo naturæ, esse potest meritoria primæ: quia non est de ratione operis meritorii de condigno, ut ad illud antecedat gratia habitualis tempore vel natura in genere causæ efficientis: quia sufficiens principium talis operis esse potest motio divina, quæ quidem cum sit ab ipso Spiritu sancto movente, licet nondum inhabitante, ex parte principii efficientis est sufficiens ad meritum, si aliunde cæteræ conditiones concurrant: sed in eo actu concurrunt cæteræ conditiones. Nam in eodem instanti est actus hominis iusti, et est formatus per gratiam sanctificantem. Ergo nihil deest.

Respondeo secundo, esse de fide quod iusti merentur de condigno augmentum gloriæ essentialis: sic enim definit Concil. Trident. loco citato: deinde iusti merentur augmentum gratiæ, ergo et gloriæ. Nam omni gradui gratiæ correspondet aliquis gradus gloriæ.

Respondeo tertio, etiam iusti merentur de condigno accidentalem omnem gloriam: quia iusti non solum merentur nudam essentiam beatitudinis, sed merentur simpliciter statum beatitudinis, qui est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et ideo non solum meretur beatus visionem proportionatam suis meritis in gradu intensionis, sed etiam accommodatam eisdem in modo videndi ex parte obiecti seu in rebus visis in Verbo: quia unusquisque ea videbit, quæ sunt statui suo proportionata, ut Theologi docent, et ideo secundum eamdem proportionem unusquisque propriam visionem meretur, ergo simili modo meretur unusquisque iustus omnem perfectionem gloriæ etiam accidentalem, quæ ad statum illum, ut sit undique perfectus desiderari potest, et ita recte dixit S. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 2. artic. 1. quod gloria quæ est præmium Sanctorum comprehendit essentiale gaudium de divinitate, et accidentale de aliis bonis creatis. Ita Suarez de gratia, lib. 12. cap. 29. num. 7. Nota primo, interdum aliquis meretur maiorem gloriam essentialem, et minorem accidentalem, et contra. Fieri enim potest, ut Confessor habeat maiorem gloriam essentialem quam Martyr, licet Martyr semper habeat maiorem gloriam accidentalem, ut censet S. Thom. qu. 26. de verit. artic. 8. Nota secundo, numquam ullus meretur gloriam accidentalem, quin simul mereatur essentialem vel illius augmentum, ita Scotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2.

Quæres secundo. An beatitudo perfecta consistat in Dei visione, cum dicatur, Satiabor, *cum apparuerit* gloria tua. Nota, beatitudo nostra in solo Deo esse potest, et non in rebus terrenis: quia beatitudo perfecta debet esse primo quid ultimum simpliciter, ad quod omnia referri debeant. Secundo, debet esse aliquid secundum se perfectum. Tertio, debet expellere omnem miseriam, seu defectum boni quod sit homini necessarium. Unde Aristot. lib. 1. Ethic. c. 7. ait felicitatem esse bonum sufficiens. Quarto, beatitudo debet *satiare appetitum* hominis, ita ut nihil præterea desideretur cum anxietate et inquietudine. Hinc Aristot. lib. 10. Ethic. cap. 6. ait: Felicitas nullius rei indiga est, sed ex seipsa sufficit. Et lib. 1. Ethic. cap. 7. Sufficiens, inquit, id esse statuimus, quod si solum relinquatur, sufficientem atque expetibilem vitam, nulliusque rei indigam facit. Hoc autem solus Deus habet, de quo dicit David Ps. 102. 5. *Qui replet in bonis* (id est bona) *desiderium tuum.* Alii, Qui satiat bono os tuum, Ps. 64. 5. *Replebimur in bonis domus tuæ,* Ps. 143. 15. clare dicitur: *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Ut enim ait S. Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 26. *Ut vita carnis anima est, ita vita beata hominis Deus est.* Et S. Iren. lib. 3. cap. 22. *Gloria hominis est Deus.* Est Deus omnia in omnibus. S. Dionysius cap. 10. de cælesti hierarchia vocat Deum, totius pulchritudinis atque ordinis summum æternumque principium ac finem. S. Aug. lib. 2. Quæst. Evangelicarum, quæst. 39. *Omnia,* inquit, *dici possunt de illa ineffabili fruitione veritatis, et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid dici potest. Nam et lux* 48.

48. Beatitudo nostra in solo Deo consistit.

est illuminatorum, requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium, et quæcumque bona temporalia transeuntia per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora et in æternum manentia in creatore omnium simul inventura est pietas filiorum. Hæc August.

49. I. Beatitudinis essentiam ponit S. Thomas in visione Dei.

His positis S. Thom. 1. 2. qu. 3. art. 4. ponit essentiam beatitudinis in actu intellectus, cum dicatur Ioan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum*; quæ verba accipit in sensu formali, et censet beatitudinem sitam esse in visione Dei. Ratio eius est: quia beatitudo est consecutio finis ultimi: consecutio autem finis non consistit in ipso actu voluntatis: voluntas enim fertur in finem absentem, cum ipsum desiderat, et præsentem, cum in ipso requiescens delectatur. Manifestum est autem, quod ipsum desiderium finis non est consecutio finis, sed est motus ad finem: delectatio autem advenit voluntati, ex hoc quod finis est præsens; non autem e converso, ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso: oportet igitur, aliquid aliud esse quam actum voluntatis, per quod sit finis ipse præsens voluntati. Et hoc manifeste apparet circa fines sensibiles: si enim consequi pecuniam esset per actum voluntatis, statim a principio cupidus consecutus esset pecuniam, quando vult eam habere, sed a principio quidem est absens ei: consequitur autem ipsam per hoc quod manu ipsam apprehendit, vel aliquo huiusmodi, et tunc iam delectatur in pecunia habita: sic igitur et circa intelligibilem finem contingit. Nam a principio volumus consequi finem intelligibilem: consequimur autem ipsum per hoc quod fit præsens nobis per actum intellectus, et tunc voluntas delectata conquiescit in fine iam adepto. Sic igitur essentia beatitudinis in actu intellectus consistit, sed ad voluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens, secundum quod S. August. lib. 10. Confess. cap. 23. dicit, quod beatitudo est gaudium de veritate: quia scilicet ipsum gaudium est consummatio beatitudinis. Ita S. Thomas, qui concludit esse impossibile, ut beatitudo essentialis consistat in actu voluntatis.

50. II. Eam Scotus collocat in amore et fruitione Dei.

Secundo Scotus contrariam prorsus tenet sententiam, ait enim in 4. dist. 49. qu. 4. beatitudinem formalem seu essentialem consistere in actu voluntatis, quo beatus Deum clare visum summe diligit, in eoque conquiescit, et ipso fruitur. Et locus psalmi nostri favere videtur. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*: Ita ut visio videatur esse quid prævium ad satietatem, quæ est perfecta fruitio summi boni et delectatio in illo. Et S. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana dicit cap. 32. *Summa merces hæc est, ut Deo fruamur*; et lib. 10. Confess. cap. 21. *Omnes ipsum gaudium vitam beatam vocant.* Et Matth. 25. 21. dicitur: *Euge serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui*; et Ioann. 16. 22. *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Gaudium autem illud animam omnino satiat, quia plenum est, et nihil desiderandum restat de plenitudine gaudii orti ex amore Dei, vide S. Thomam 2. 2. quæst. 28. art. 3. In scripturis sæpe explicatur illa satietas per similitudinem cibi, et potus, Apocal. 7. 16. *Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos Sol, aut ullus æstus*, eadem dicit Isai. cap. 49. 10. Ibi datur illis edere de ligno vitæ Apoc. 2. 7. et manna absconditum cap. 2. 17. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. 35. 9. Symbolum huius cælestis convivii est convivium Ioseph cum fratribus suis, Gen. 43. 34. *Biberuntque, et inebriati sunt cum eo*: id est satiati sunt et exhilarati, vino incaluerunt, citra crapulam tamen aut temulentiam. Convivium Assueri cum suis magnatibus et principibus Esther 1. 7. *Bibebant qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur.* Item cœna magna, ad quam paterfamilias omnes invitat, Lucæ 14. 16. et convivium regis facientis nuptias filio suo, Matthæi 22. 2. et convivium, quod fecit pater filio prodigo, ubi erat musicæ læta symphonia, Luc. 15. 22. et seq.

51. III. Valentia in actibus utriusque potentiæ.

Tertio, Valentia tractatu de beatitudine, disputat. 1. quæst. 3. ait, multo probabilius dici essentialiter beatitudinem formalem consistere in actibus utriusque potentiæ: nempe intellectus et voluntatis, quatenus per utramque mens perfecte cum Deo coniungitur, summumque bonum adipiscitur cum quiete plena appetitus. Et quidem Boetius lib. 3. de consolatione prosa 2. definit, *beatitudinem esse statum bonorum omnium aggregatione perfectum.* S. Anselm. lib. de similitudinibus cap. 46. et 48. ponit 14. partes beatitudinis, et illam definit esse, *sufficientiam omnium commodorum*; et S. Augustin. lib. 1. de moribus Eccles. et Manich. cap. 25. ait: *Vitam æternam esse totum præmium, cuius promissione gaudemus.* Et lib. 13. de Trinitate cap. 5. dicit: *Beatum illum esse, qui habet quicquid vult, et nihil mali vult.* Hæc sententia plenius explicat versum nostrum. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Tres illæ sententiæ sunt probabiles. Vide etiam dicta Psal. præcedenti vers. ult.

52. Etiam in hac vita felicitas sita est in cognitione et amore Dei.

In hac etiam vita beatitudo nostra est sita in Dei contemplatione et amore. Hoc noverat Sponsa quæ dicebat Cantic. 1. v. 1. *Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Sept. vertunt: Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. S. Bern. serm. 9. in Cant. *Carnis*, inquit, *voluptatem, qua paulo ante tenebamur, vincunt hæ, quas tua nobis ubera stillant deliciæ spirituales. Et pulchre vino comparant carnalem affectum: ut enim uva semel expressa non habet iam quod denuo sudat, sed perpetua ariditate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultro reviviscit ad libidines. Unde Propheta Isaias cap. 40. Omnis caro fœnum, et omnis gloria eius tanquam flos fœni, exsiccatum est fœnum et cecidit flos. Et Apostolus Galat. 6. 8. Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Et rursum 1. Cor. 6. esca ventri et venter escis: Deus autem et hunc, et has destruet.* In psalmo nostro versu præcedente dixerat Propheta, Saturati sunt filiis. In emendata editione Septuag. *υἱῶν*, id est, *porcinis*, in alia, *ὑῶν*, id est, *porcis.* S. August. legit, *saturati sunt porcina*, id est, immunditiis, ut ipse explicat. Apollinaris, *repleti pinguibus porcis.* Psalt. Arab. *carne porcorum.* Deliciæ mundi sunt immundæ, ac præcipue deliciæ carnis, et cito pereunt, ac pro delectatione ariditatem, dolorem et desolationem relinquunt; pergit S. Bern. *Vide autem, ne non carni tantum, sed et mundo forte competat ista proportio. Si quidem et ipse transit et concupiscentia eius. Et cum omnia, quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non sic: Hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis, sæculive amore asseruntur ubera Sponsæ, quæ nullo unquam lactentium numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis: ut iterum fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre eius, fitque in ea fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ioan. 7.

53. Cellaria Sponsi quæ.

Dicit eadem Sponsa cap. 1. v. 4. *Introduxit me Rex in cellaria sua* (regia scilicet, opulenta et omnibus bonis, et gazis referta) ut ait Origenes, proprie tamen Donatus ait cellam et cellarium dici a celandis rebus esculentis et poculentis. Syr. in thalamum. Arab. in cubiculum secretum. Chald. intelligit arcana divinitatis. Unde sic reddit: *Applica nos ad radices montis Sinai, et da nobis legem de thesauro tuo, qui est in firmamento*, totum canticum explicat de Synagoga Iudæorum, nos de Ecclesia, Beata Virgine et anima sancta. S. Hieron. epist. 142. ad Damasum. S. Gregor. in Cant. aiunt, cellaria illa esse S. Scripturam, id est vetus testamentum, cuius mysteria Christus aperuit Ecclesiæ suæ; 2. cellaria S. Ambr. serm. 1. in Ps. 118. putat esse secreta seu mysteria Incarnationis, Passionis, Crucis et Resurrectionis Christi: Lib. au-

tem 5. de Sacram. cap. 2. ait ea Christi cellaria esse Sacramenta, præsertim Eucharistiam; 3. cellaria illa sunt secreta Dei consilia at iudicia, ut ait Philo Carp. Episc. 4. cellaria aut cellæ sunt diversæ mansiones sanctorum in cælo, ut censet S. Anselm. et Aponius; 5. ad rem nostram S. Ambr. lib. de Isaac et anima cap. 3. illa cellaria ait esse secreta Dei: nempe revelationes, visiones, consolationes, raptus, amores, gaudia cælestia prægustata in terris. Postquam enim explicuit qua ratione Sponsa dicat: *Osculetur me ab osculis oris suis* (sic ipse legit) et non unum osculum, sed plura oscula postulet, ut desiderium suum possit explere. Item, quomodo ob cupiditatem sequendi, quam unguentorum inspirat gratia, dicat: *Attrahe nos, post odorem unguentorum tuorum curremus*, subdit: *Denique ait: Introduxit me rex in cubiculum suum. Beata anima, quæ verbi ingreditur penetralia. Insurgens namque de corpore, ab omnibus fit remotior, atque intra semetipsam divinum illud, si quo modo assequi possit, scrutatur et quærit. Quod cum potuerit comprehendere, ea quæ sunt intelligibilia supergressa, in illo confirmatur, atque eo pascitur. Talis erat Paulus, qui sciebat se raptum in Paradisum: sed sive extra corpus raptum sive in corpore, nesciebat. Assurrexerat enim anima eius de corpore, et se a visceribus et vinculis carnis abduxerat atque elevaverat: factusque a semetipso alienus, intra semetipsum omnia tenuit verba ineffabilia, quæ audivit, et vulgare non potuit, quia advertit, ea loqui homini non licere. Anima ergo bona contemnit visibilia et sensibilia, nec consistit in eis, nec in suspiciendis his immoratur, et residet, sed ascendit ad illa æterna et invisibilia, et plena miraculis, puro sensu se piæ mentis attollens.* In Deum sese immergit anima sancta, et diversa etiam eius attributa velut pulcherrima et ditissima cellaria penetrat: modo infinitatem, immensitatem, æternitatem, omnipotentiam, omniscientiam contemplans: modo bonitatem, sanctitatem, amorem: modo dominium, providentiam, misericordiam et iustitiam percurrens, de quibus vide Lessium lib. de perfectionibus divinis.

54. Sponsa sedes in meridie. Exclamemus itaque cum Sponsa Cantic. 1. 7. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Hebr. habetur: Cur ero vaga super greges sociorum tuorum? Symmachus vertit, ῥεμβομένη id est vaga seu vacillans et errans: seu potius circumagitata et rotata sicut lapis rotatur in funda: ut illum vehementiori impetu emittat fundibularius: ῥόμβον enim est funda. Vatabl. reddit: Ne oberrans per greges sodalium tuorum videat palliolata, id est, meretricula. Sensus itaque est, q. d. O sponse domum tuam et tabernaculum mihi ostende, in quo requiescis in meridie, id est in gloria cælesti, vel in luce gratiæ, ut ibi tecum verser, te contempler, te exoscaler, spretis omnibus creaturis. S. Bern. serm. 33. Anagogico sensui hærens illum meridiem æternum sic describit: *O vere meridies plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies! o lumen meridianum! o vernalis temperies! o æstiva venustas! o autumnalis ubertas, et ne quid videar præteriisse! o quies et feriatio hyemalis! Aut certe si hoc magis probas, sola tunc hyems abiit et recessit. Hunc locum, inquit, tantæ charitatis, et pacis, et plenitudinis indica mihi, ut quemadmodum Iacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima eius. Genes. 32. Ita ego quoque te in lumine tuo, et in decore tuo per mentis excessum merear contemplari, pascentem uberius, quiescentem securius. Nam et hic pascis, sed non in securitate, nec cubare licet, sed stare et vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta: et ideo indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Beatum me dicis, cum esurio et sitio iustitiam. Quid hoc ad illorum felicitatem qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur et exultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia? Sed et si quid patior propter iustitiam, nihilominus beatum pronuncias. Et certe pasci ubi timeas pati, iucunditatem habet, sed non securitatem. Porro autem pasci et pati simul, nonne molesta iucunditas est? Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, et tutum nihil. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine requiram. Vultus tuus meridies est. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie. Scio satis ubi pascas, non cubans, indica mihi ubi pascas et cubes.* Bartol. de Martyribus Archiep. Braccarensis, in compendio spiritualis Doctrinæ vere divinæ cap. 15. in fine septem gradus ostendit, quibus ad hæc Sponsi cellaria, id est, ad contemplationem et unitivum amorem ascendamus, sed nomen septimi Deo soli esse notum. Gradus illi sunt. Primo, gustus. Secundo, desideria. Tertio, satietas. Quarto, ebrietas. Quinto, securitas. Sexto, tranquillitas. S. Laurent. Iustinian. de ligno vitæ tract. de Oratione cap. 6. sex contemplationis gradus ponit, ad rem nostram est sextus præsertim, quem sic describit: *Sextus*, inquit, *contemplationis gradus est, quando animus illa ex divini fontis irradiatione cognoscit, quibus omnis humana ratio declinat, et intelligibilium intelligentia rationem amittit, et omnem humanam ratiocinationem et intentionem transcendit. Hinc emanans fluminis impetus lætificat animum contemplantis memoria abundantiæ suavitatis Dei, in quo gustu cum ad Deum totis præcordiis amandum facile abducat hominem potentia eius, et virtus et gloria, maiestas bonitas, beatitudo, ad contemplanda eius amabilia per seipsa in affectum cordis contemplantis elucescentia, hoc potissimum amantem rapit in amabilem; quia ipse in seipso est quicquid in eo amabile est, qui est totum quod est, qui bono amore ipsius boni sic se intendit pius affectus, ut non se inde revocet, donec unus cum eo spiritus effectus sit: quod cum in eo fuerit perfectum, iam solo mortalitatis velo differt, ac dividitur a sanctis sanctorum, a summa illa beatitudine supercælestium, qua tamen in fide et spe eius, quem amat, in conscientia fruitur.* Hæc Laurentius Iustinianus.



PSALMUS DECIMUS SEPTIMUS.

1. DILIGAM te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.
2. Deus meus adiutor meus: et sperabo in eum.
3. Protector meus, et cornu salutis meæ: et susceptor meus.
4. Laudans invocabo Dominum: et ab inimicis meis salvus ero.
5. Circumdederunt me dolores mortis: et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6. Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.
7. In tribulatione mea invocavi Dominum: et ad Deum meum clamavi.
8. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.
9. Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt, quoniam
iratus est eis.
10. Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.
11. Inclinavit cælos, et descendit: et caligo sub pedibus eius.
12. Et ascendit super cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum.
13. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris.
14. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt: grando, et carbones ignis.
15. Et intonuit de cælo Dominus, et altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis.
16. Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.
17. Et apparuerunt fontes aquarum: et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.
18. Ab increpatione tua Domine: ab inspiratione spiritus iræ tuæ.
19. Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de aquis multis.
20. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab iis, qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.
21. Prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.
22. Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.
23. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum re-
tribuet mihi.
24. Quia custodivi vias Domini: nec impie gessi a Deo meo.
25 Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: et iustitias eius non repuli a me.
26. Et ero immaculatus cum eo: et observabo me ab iniquitate mea.
27. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in
conspectu oculorum eius.
28. Cum sancto sanctus eris: et cum viro innocente innocens eris.
29. Et cum electo electus eris: et cum perverso perverteris.
30. Quoniam tu populum humilem salvum facies: et oculos superborum humiliabis.
31. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.
32. Quoniam in te eripiar a tentatione: et in Deo meo transgrediar murum.
33. Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.
34. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?
35. Deus qui præcinxit me virtute: et posuit immaculatam viam meam.
36. Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum: et super excelsa statuens me.
37. Qui docet manus meas ad prælium, et posuisti ut arcum æreum brachia mea.
38. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: et dextera tua suscepit me.
39. Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit.
40. Dilatasti gressus meos subtus me: et non sunt infirmata vestigia mea.
41. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar donec deficiant.
42. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.
43. Et præcinxisti me virtute ad bellum: et supplantasti insurgentes in me subtus me.
44. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: et odientes me disperdidisti.
45. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.
46. Et comminuam eos ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.
47. Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.
48. Populus quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.
49. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt: et claudicaverunt a semitis suis.
50. Vivit Dominus, et benedictus Deus meus: et exaltetur Deus salutis meæ.
51. Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.
52. Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.
53. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: et nomini tuo psalmum dicam.
54. Magnificans salutes regis eius, et faciens misericordiam Christo suo David: et semini eius usque in sæ

PSALMI DECIMI SEPTIMI ANALYSIS GENERALIS.

David a Saulis, omniumque hostium insidiis liberatus,

Gratiam Deo habiturum se pollicetur. 2.	Eum amando. 2. 3. In ipsum sperando. 3. Bonorum auctorem eum credendo. 4.
Tribulationem præteritam recitat. 5.	Initio permolestam. 5. In progressu periculosam. 7. In fine prosperam. 7.
Modum, quo hostes sunt eversi, aperit sub typo tempestatis. 8. in qua.	Terra tremuit. 8. Aer exarsit. 9. Mare concussum est. 16.
Eductionem suam a tribulatione ostendit. 17.	Deo mittente auxilium. 17. Et ab hostibus liberante. 18.
Causam eductionis illius aperit. 22.	Innocentiam suam. 22. Et Dei sanctitatem. 26.
Victoriam prædicat post liberationem. 31.	Deo ipsum iuvante. 31. Et quidem, ante pugnam, in pugna 36. et post pugnam. 44.
Gratiarum denique actionem promissam exolvit.	Propter Deum. 47. Propter se. 48. Propter hostes. 49. Propter domitas nationes. 50. Propter populum suum priorem. 51.

Melius singula perspicies in particulari singularum sectionum analysi; Ut enim apertius totius psalmi contextus et ordo oculis subiiceretur, singulis sectionibus suam analysim attexui.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM PUERO DOMINI DAVID, QUI LOCUTUS EST DOMINO VERBA CANTICI HUIUS, IN DIE, QUA ERIPUIT EUM DOMINUS DE MANU OMNIUM INIMICORUM EIUS, ET DE MANU SAUL, ET DIXIT.

1. Argumentum psalmi.

HUNC hymnum Deo cecinit Rex David, ut patet ex 2. Regum 22. cum iam divina virtute omnes hostes suos, Saulem, Isboseth, Iebusæos, Philistæos, Moabitas, Syros, Idumæos, Ammonitas delevisset sibique subiecisset, et regno constituto placidissima pace frueretur. Itaque primum canit immotam suam in Deum fiduciam, deinde mala quibus fuerat obrutus, postea Dei potentiam pro se contra hostes suos declaratam, mox sui liberationem, tum et innocentiam, atque Dei iudicia in omnes, post hæc victoriam multo amplissimam de hostibus divina virtute relatam, regnique pomœria mirandum in modum prolata etiam in exteras gentes, postremum iuges Deo promittens laudes ob suam in ipsum benignitatem, psalmum claudit, canens omnia de se, tanquam typo Christi seminis sui, cuius passiones, victorias, et imperium in omnes gentes propagandum, et sine fine duraturum, in se prævidit adumbrari. Ita Iansenius. Illa iter laudandum cecinisse et prophetasse dicit Chald. Paraphrastes, id est, Ioseph Cæcus, qui vixit trecentis fere annis post destructionem templi secundi, et in multis favit nostræ religionis mysteriis in sua paraphrasi.

2. In hoc loco et in 2 Regum ubi psalmus hic refertur, non sunt eadem verba sed idem sensus.

Nota primo. In hoc psalmo esse aliqua diversa ab iis quæ recitantur 2. Reg. 22. neque sciri an hanc mutationem fecerit ipse David, an vero Esdras, qui psalmos collegit et in ordinem redegit. Ex illa mutatione recte infert Augustinus Iustinianus, inique agere Iudæos, qui auctores nostros, etiam sacros, arguant, quod non semper eadem verba usurpent, cum eorum aliquem veteris testamenti citant. Hic enim et in lib. 2. Regum non sunt eadem verba, sed idem sensus tantum. Etiam apud Septuaginta interpretes est aliqua diversitas in utroque loco. Non tamen bene inferes non esse utramque versionem ab ipsis exaratam. Nam S. Hilarius et Theodoretus docent, ab ipsis psalmos esse in græcum conversos: idem de toto veteri testamento tradunt S. Iustinianus, Irenæus, Chrysostomus, Hilarius, Cyrillus Ierosolymitanus, et alii, ac S. Hieron. Præfatione in lib. Paralyp. dicit, se totum vetus testamentum ex eorumdem versione cum asteriscis et obeliscis Origenis tradidisso suæ gentis hominibus. Cui autem credetur, si illi ea in re non creditur?

3. In finem quadrupliciter sumptum.

Nota secundo. *In finem.* Didymus ait, Primo: *finem* intelligi victoriam in omnes hostes. Secundo, Eusebius vult psaimum inscribi *in finem:* quia in estremo vitæ tempore eum David cecinit. Tertio, Alii *in finem*, id est, in Christum, seu de Christo exponunt. Et quidem Rabbini veteres dicunt, psalmos omnes, quorum titulus est *in finem*, loqui de Messia, et in illis latere multa ac profunda mysteria de Ipso. Quarto, Eusebius ait, etiam inscribi *in finem*, quia quæ in fine sæculorum futura sunt, prædicit. Vide titulum Ps. 4.

4. Tempus psalmi huius decantati.

Nota tertio. Anno ætatis suæ 67. regni autem 37. David ab omnibus bellis liber extitit, et tres annos vitæ reliquos in pace transegit. Itaque arbitror eo anno canticum hoc Eucharisticum, quod Eusebius vocat hymnum triumphalem, cecinisse, cum præsertim paulo ante in summo discrimine esset versatus in bello contra Philisthæos. Nam, ut refertur lib. 2. Regum 21. v. 15. *Deficiente David, Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David, præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit.* Quo periculo moti eius duces et principes iuraverunt, nunquam se permissuros ut belli aleam subiret, ne extingueret lucernam Israel: hoc est, splendorem et gloriam populi Israelitici. Rex enim pietate et fortitudine illustris, qualis erat David, est lux et sol regni sui. Allegor. Christus inducitur hunc psalmum canens in die suæ resurrectionis, tunc enim de omnibus hostibus suis perfecte liberatus est, ut explicant Hugo, Dionysius Carthusianus, Palanterius et alii. *De manu Saul*, id est, de potestate Iudæorum, et regis eorum, quem sibi ipsi petierunt. Nam sicut David manu fortis, ita Saul *petitio* interpretari dicitur, ut dicit S. August. et Ruffinus.

5. Cur David Saulem non

Nuta quarto, David Saulem non vocat inimicum suum. Nam velut ab aliis eum separans, dicit, *In die qua eripuit eum Dominus de manu inimicorum eius, et de manu Saul*,

vocat suum inimicum. Honorandi sunt affines etiam nobis iniurii.

Ratio est, quia Saul erat Davidis socer, dederat enim ei filiam suam Michol in uxorem. Unde advertant generi et nurus, qua modestia et reverentia gerere se debeant erga soceros et socrus. Theodoretus, *Licet*, ait, *admirari Prophetæ modestiam, qui cum tot insidiis a Saul expeteretur: eum tamen in hostium numerum non recensuit.* In morte eius scidit vestimenta sua, et ipsius interfectorem iussit occidi, eum laudavit, et in suo carmine lugubri amabilem et decorum appellavit, aquilis velociorem, leonibus fortiorem.

6. De Christo et Davide mixtim hic psalmus est intelligendus

Nota quinto. Ex hoc psalmo duo colligere licet. Primo, quod ex citatione alicuius loci ex psalmis, non statim concludendum sit, psalmum illum soli illi accommodandum, pro quo citatus est. Secundo, quod in his quæ de se in psalmis Propheta regius cecinit, Christi figuram prætulerit, in quem proinde etiam illa ex intentione sancti Spiritus competunt, et in quem pleraque dictorum verius et perfectius quadrant: sicut contra, Davidi quædam ad literam magis conveniunt, Spiritu sancto miro quodam artificio ita temperante hæc cantica, ut, quoniam Propheta de se frequenter loquitur, non sine respectu ad eum cuius fuit figura, quædam sint quæ ipsi figuræ magis conveniunt, quædam quæ ipsi figurato. Quemadmodum hoc in psalmo magis et perfectius quadrant in Christum, quæ de perfectione vitæ dicuntur, ut illud: Custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo, et quæ sequuntur. Item, Constitues me in caput gentium: et, Confitebor tibi in nationibus Domine. Psalmum tamen a Davide dictum etiam in sua persona, nimis manifestum est, tum ex titulo psalmi, et 2. lib. Reg. 22. tum ex materia psalmi, cum bella et victorias Davidis aperte ad literam describat. Ita Iansenius.

Nota sexto. Asterius, hymnum hunc non vocari psalmum, sed Canticum, quia cum iam senex esset David non cithara, non tympano utebatur, sed cum Deo familiariter loquebatur: nam senescenti molesta erant musica instrumenta. Nam Berzellai Galaadites recusavit ire in aulam Davidis, quod cum iam esset octogenarius, non posset aut certe nollet audire voces cantorum aut cantatricum, 2. Regum 19. Verum hæc ratio nulla est. Nam nec David erat octogenarius, et multi senes delectantur musica, et Berzellai loquebatur de musica prophana in honestis aulæ recreationibus: sacra autem musica senes maxime afficit, cum det illis quemdam prægustum cælestis musicæ. Itaque arbitror ut plurimum istas voces, psalmus, Canticum, Hymnus et similes confundi et esse synonimas. 7. Cur hic psalmus vocatur Canticum.

Notat septimo Peregrinus Herus, in titulo psalmi Deum ter Dominum vocari, propter mysterium Trinitatis, cui pro liberatione gratias agat David. Hæc notatio est magis pia quam solida. David vero vocat se puerum, propter simplicitatem et puritatem, ut ait Ruffinus: aut melius, puerum, id est servum, ut vertit S. Hieron. ubi adverte, in victoria utile esse oculum ad Deum, ut supremum Dominum, convertere, et gloriam ei uni tribuere, et per humilitatem servum se appellare. 8. Mysterium Trinitatis hoc in titulo indicatur, et quomodo.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Septem in hoc Psalmo David proponit. Primo, pollicetur se ob accepta, in tot victoriis præsertim, beneficia, gratiam habiturum, vers. 1. Secundo, tribulationum suarum magnitudinem ostendit, et fusas in iis preces, vers. 5. Tertio, modum subversionis hostium, sub typo vehementis tempestatis, vers. 8. Quarto, eductionem sui ipsius a tempestate, vers. 17. Quinto, causam eductionis illius, vers. 21. Sexto, victoriam post liberationem auxilio ostento, vers. 31. Septimo, denique gratias agit ob tot beneficia, vers. 47. usque ad finem.

SECTIONIS PRIMÆ ANALISIS.

David pace perfecta obtenta,

- Gratiam Deo habiturum se pollicetur. 2.
  - Amore Dei. 2. qui est
    - In acie fortitudo. 2.
    - In castris firmamentum. 3.
    - In fuga refugium. 3.
    - In obsidione liberatio. 3.
  - Spe in ipsum, cum sit
    - Adiutor in aggressione. 3.
    - Protector in defensione 3.
    - Cornu salutis in hostium proruptione. 3.
    - Susceptor in summo discrimine. 3.
  - Fide constanti. 4.
    - Omnia bona sua illi tribuendo. 4.
    - Et liberationem ab omni malo. 4.
- Tribulationem præteritam recitat. 5.
  - Initio permolestam. 5. cum
    - A fronte, mors circumdaret. 5
    - A dextris, iniquitas impeteret. 5.
    - A tergo infernus aggrederetur. 6.
    - A sinistris, mortis satellites instarent. 6.
  - In progressu periculosam. 7. unde
    - Humana ope destitutus ad Deum fugit. 7.
    - Et ad eum clamavit tardantem iuvare. 7.
  - In fine prosperam. 7.
    - Deo vocem eius exaudiente. 7.
    - Et clamorem. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Diligam te Domine fortitudo mea.*

2. Tot functus ope tua periculis, Domine Deus, quod vitæ reliquum est, id amori impendam tuo, qui es unicum robur meum, et in omnibus præliis extitisti.

3. *Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.*

3. Tu mihi petra immobilis es et fuisti, in qua tutus firmiter consistam, tu asylum fugientis, ad quod me recipere possim, tu Salvator meus ab omnibus periculis.

Deus meus adiutor meus, et sperabo in eum.

Tu Deus meus cui credidi, reiectis et contritis idolis gentium finitimarum: ideo auxilium mihi præstitisti, ac vicissim spem in te meam reposui.

Protector meus, et cornu salutis meæ, et susceptor meus.

Tu clypeo me divino obtegis, roboreque, ut cornu potenti, hostium globos dissipas: meque ad te cursu contendentem excipis, ut foveas et corones.

4. *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

4. Tot præteritis commotus beneficiis, tibi Deo meo laudes concinam: et si iterum in me hostes irruant, spero ut ab eorum manibus per preces tibi fusas evadam.

5. *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

5. Sæpe doloribus et angoribus circumdatus sum, cum undique mors immineret, atque hostes mei impii, torrentis instar, præcipiti vesanoque impetu irruerent.

6. *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupaverunt me laquei mortis.*

6. Cruciatibus animi gravissimis, quales in flammis inferorum tolerantur, agitatos sum; insidiæque mortiferæ omni me ex parte succinxerunt.

7. *In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.*

7. Cum his premerer angustiis, ab omni humano destitutus auxilio ad divinum confugi, Deumque te meum enixis precibus maximisque clamoribus ad opem ferendam vocavi.

Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam: et clamor meus introivit in aures eius.

Atque de sanctissimo tuo cæli habitaculo orationem meam audisti, et benigno favore susceptam exaudivisti.

QUÆSTIO UNICA.

Quam efficax et suave Dei præsidium obsessis a mundo, carne, et dæmone.

9. Ordo sectionis. DAVID tot bellis exacta pericula, ac præsertim evitatam mortem a Iesbibenob gigante intentatam, memori mente versans, armaque tholo appendens, et militiæ nuntium remittens, amoris cælestis suave hoc charisterion concinit.

Fidei, spei et charitatis cura habenda. Tria autem pollicetur Deo se præstaturum. Primo, Charitate, eum amaturum. Secundo, Spe, se in eo solo fiduciam habiturum. Tertio, Fide, ei omnem gloriam tributurum.

Ac primo, Charitatis suæ causas quatuor profert. Primo, quod Deus illi fuerit fortitudo in acie et pugna, v. 2. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Secundo, quod fuerit firmamentum in castris, v. 3. *Dominus firmamentum.* Tertio, quod civitas refugii in fuga, *Refugium meum.* Quarto, quod Salvator in obsidione, *et liberator meus.*

Secundo, Spem suam, ut arcem Deo uno constantem, proponit. Primum arcis illius propugnaculum sit esse Deum adiuvantem, v. eod. 3. *Deus meus adiutor meus, et sperabo in eum.* Secundum propugnaculum, esse Deum protegentem. *Protector meus.* Tertium, esse Deum conterentem hostes, *et cornu salutis meæ.* Quartum denique, Deum misericordem, *et susceptor meus.*

Tertio, Fidem oculatam, et perspicacem se conservaturum promittit, qua intelligat Deo uni victoriarum omnium præteritarum gloriam tribuendam, et ab eo uno futura subsidia poscenda, v. 4. *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

Secundo, ut omnibus patefaciat quantis laudibus dignus sit Deus, et quanto amore, quod eum adiuverit et liberaverit, explicat quam magna atque periculosa tribulatione per Saulem fuerit agitatus. Eius autem ostendit initium, progressum et finem.

10. Gravis afflictio Davidis. Ac primo dicit, tribulationem illam fuisse in principio molestissimam et gravissimam, cum 1. a fronte, mors circumdaret, v. 5. *Circumdederunt me dolores mortis;* 2. a dextris, iniquitas impeteret, *et torrentes iniquitatis conturbaverunt me;* 3. a tergo, infernus aggrederetur, v. 6. *Dolores inferni circumdederunt me;* 4. a sinistris, mortis satellites irretirent, *præoccupaverunt me laquei mortis.*

Secundo, dicit tribulationem illam fuisse in progressu periculosam, omnibus eum deserentibus, Deoque uno restante ad quem confugeret, v. 7. *In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi.*

Tertio, ostendit fuisse in fine lætam et prosperam eamdem tribulationem, Deo preces eius exaudiente, v. eod. 7. *Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, et clamor meus introivit in aures eius.*

ARTICULUS I.

Charitas animam iusti efficit fortem, securam et victricem.

A DAVID mente versans tot gesta a se bella, et tot reportatas de hostibus suis ex omni parte victorias, exclamat, v. 1. DILIGAM TE DOMINE FORTITUDO MEA. Amore, Vers. 1.
ut ait Theodoretus, beneficia compensat, ταυτῃ γαρ μονον 11.
τῳ Θεῳ τον ευπεπονθοτα δυνατον αντιδουναι, *hunc enim solum Deo qui beneficium accepit, potest rependere.* Hebr. רחם *racham*, denotat dilectionem cordialem, et visceralem, intimam et perfectam, q. d. inviscerare, id est intimo affectu, qui visceribus est inditus commoveri erga aliquem, cor autem est primum et potissimum inter viscera. Unde Tigurina translatio habet: *Ex intimis visceribus diligam te Domine:* optime vim verbi expressit, et vim amoris Petavius cum vertit, σε κραδιηθεν αμφαγαπησω, *te ex corde adamabo,* te ex omni corde et ex singulis eius partibus amabo; in toto circuitu cordis, et in singularum rerum ambitu atque in singulis earum circumstantiis, ubique amor reperietur, nihil erit amore vacuum; quicquid cogitabo, loquar aut agam, id faciam duce et promotore unico tui amore. Hunc amorem poscebat Deus Marci 12. 30. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Evangelium Æthiopicum habet, ex tota virtute tua, et ex tota potentia quæ tibi. Persicum vero, ex tota nimietate mentis tuæ, q. d. superabundanter et supra vires amoris ordinarii et terreni. Si Deus vult præcepta sua custodiri nimis, quomodo non vult essentiam suam amari nimis, cum sit infinita, et capacitatem omnis amoris creati infinitis partibus superet? Victor Antiochenus in Marci c. 16. 32. *Homo,* inquit, *tanto Dei amore flagrare debet, ut nihil prorsus in ullam animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat: sed in omnibus illi soli magis magisque assidue placere satagat, nec alteri personæ aut rei creatæ nisi propter Deum.* Dicebat Sponsa Cant. 2. 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, q. d. totum illum possideo, et ille me. Fornicatio est, imo adulterium, alium cum ipso amatorem admittere. S. August. de Verbis Domini, *Recedere,* inquit, *ab ipso simpliciter et singulari bono in istas multitudinum voluptates, et in amorem sæculi corruptionesque terrenas accedere, hoc est fornicari a Deo.* C *Amor mundi adulterat animam. Amor fabricatoris mundi castificat animam: Amandus est Deus pro amore suo, ita ut si fieri possit, nosmetipsos, obliviscamur.* Dicebat Propheta noster, Ps. 72. 27. *Mihi autem adhærere* (Græce προσκολλασθαι, id est agglutinari) *Deo bonum est,* q. d. alii alia sibi conquirant, avarus aurum, superbus honores, delicias mollis et voluptates, ea amplectantur; ea exosculentur, iis inhæreant, ego Deum meum volo, illi uniri appeto, atque in eum transformari. Psalmo item 118. 57. ait: *Portio*

Amandus est Deus ex toto corde.

B

mea Domine, dixi custodire legem tuam. Hebr. est: *Portio mea Dominus.* ut vertit S. Hieron. Pars mea es, o Domine, ut Sept. Vide illum locum. Ubi osteudo, charitate nos trahi ad Deum, et Deum ad nos, illi nos uniri, unitos fieri divites et divinos, ac Deum in omnibus potentiis nostris pingi ac delineari. Solum sibi præberi vult cor nostrum, sed totum: angustum enim est stratum, ita ut alter decidat. Ex toto corde amatur, Primo comparative, id est nihil ei contrarium amando. Secundo appretiative, id est ut nihil in tanto pretio et æstimatione habeas, ita ut si necesse esset, omnia alia perdere quam ipsum malis; licet sensibiliter aliquando plus aliqua terrena ames. Tertio, finaliter, id est ut velis Deum esse finem totum, et ultimum omnium tuarum cogitationum, affectionum et operationum. Mane et vesperi quotidie volebat Deus in altari holocaustorum sibi agnum immolari in holocaustum, ita ut victima in igne tota consumeretur, et in Festis plures. Primitiæ etiam frugum torrebantur Levit. 2. 14. *Si autem* (cum autem) *obtuleris munus primitiarum frugum tuarum de spicis adhuc virentibus* (Septnag. νέας, id est, novis) *torrebis igni.* Hebræi tenebantur offerre Deo triplices primitias. Primo, spicarum virentium, iam tamen maturescentium et optarum, ut ex iis tostis fieret far quod confringi posset. Illæ primitiæ hordei offerebantur in paschate secundo die azymorum. Secundo, tenebantur offerre primitias panum in Pentecoste, ut præcipitur Levit. 23. 15. et 17. Tertio, primitias omnium frugum in festo tabernaculorum, ut habetur Exod. 23. 16. 19. Prima sibi vult Deus; sed primæ omnium primitiarum igne, id est charitate, torreantur, inde est incipiendum, ut alia placeant. Ante hunc manipulum spicarum Deo oblatum, non poterant Hebræi hordeum suum aut alias segetes metere; nisi præcedat charitas, alia opera virtutis fieri non possunt cum merito: ipse Apostolus sine charitate se nihil esse fatetur, etiamsi det corpus suum, ita ut accendatur et ardeat. non corporis enim sed cordis incendium Deus postulat. Vox Chald. חבב *chabeb*, quæ in psalmo nostro est, significat amare et ardere, amore iungi et conglutinari.

12. Amatur Deus ex toto corde tribus modis. 1. 2. 3.

Nota, *diligam te.* ponitur in tempore futuro apud Sept. in Hebr. Syr. Chald. non quod excludat tempus præsens aut præteritum. Nam sine dubio tunc maxime Deum amabat, cum psalmum componebat et dicebat, considerans Dei erga se beneficia: unde Arabs reddit, *Diligo te Domine mi, fortitudo.* Sed in futuro dicit, *diligam.* Primo, quod, ut loquitur Theodoretus, non patitur, ut ulla satietas huius amoris eum capiat. Secundo, quod velit in eo amore crescere et perseverare, q. d. *Amplius adhuc* ait Nicephorus, *et amplius amabo te Domine, neque umquam desistam te amare, stabo proficiens in amore tuo.* Tertio, ut ostendat se quodammodo esse certum, quod in amore sit perseveraturus, ut ait S. Thomas. Quarto, quia charitas numquam excidit, licet fides et spes evacuentur, ut explicat Remig. Prima et secunda ratio maxime placent.

13. Charitas est omnia amanti. Moraliter disce, omnia charitas est amanti, tum in pace, tum in bello. Primo, est cibus. Cantic. 2. 3. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo.* Umbram illam censet S. Gregor. Nyssen. et
1. Cibus. S. Ambros. esse Christi providentiam; 2. S. Bernardus fidem quæ est umbrosa et obscura; 3. S. Greg. umbram Christi ait esse protectionem Spiritus sancti, qui omnem tentationum fervorem temperat; 4. Cornelius ait umbram Christi esse ipsum Spiritum sanctum: nam sicut corpus iacit umbram, eaque velatur et obumbratur: ita Christus qua Deus spirat Spiritum sanctum, eoque quasi velatur et tegitur. Fructus porro sacræ illius arboris est, 1. sermo et doctrina cælestis, ut ait S. Greg. Nyssen. hom. 4. in Cant. 2. Meditatio continua in Lege Domini, ut dicit Origen. 3. Meditatio mysteriorum Christi, ut S. Gregor. Papa; 4. Eucharistia, ut Aponius et Rupertus; 5. remissio peccatorum, iustificatio, gratia et virtutes, ut vult S. Ambros. serm. 5. in Ps. 118. 6. ad rem nostram, fructus illi sunt fructus Spiritus sancti, quorum primus est charitas, ut dicunt tres Patres apud Theodoretum.

Secundo, Charitas est potus suavissimus animæ. Cant. II. Potus.
1. v. 1. *Meliora sunt ubera tua vino.* Hebr. דודים *dodim*, tam ubera quam amores significat. Unde Vatablus vertit, Amores tui vinum bonitate superant. S. Gregorius Nyssen. per ubera sumit cor, quod uberibus tegitur. In corde autem est amoris domicilium. Sic vers. 13. dicitur, *Botrus Cypri* (Rabbini et Tigurini vertunt, caphura sive camphora. Est symbolum charitatis, quia in aqua ardet, ut charitas in ipsis afflictionibus et tentationibus.) *dilectus meus in vineis Engaddi.* Vox Engaddi significat oculum tentationis, ut ait Iustus Orgelitanus. Ex Hebræo et Syro, Engaddi idem est atque oculus incisionis: item et magis proprie, *Engaddi* Hebr. est oculus seu fons hædi: vel, oculus seu fons felicitatis. Talis autem est charitas.

Tertio (ne per multa vager) ad rem nostram apte (ubi III. Vexillum.
octo graduum est pro victoria) charitas est vexillum, sub quo militandum est et vincendum. Sponsa sub illo vexillo militabat, cum dicebat Cantic. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem.* Hebr. est דגל *dagal*, id est vexillavit. Unde verti potest, *Vexillum eius super me charitas*, sive, ut Vatabl. habet, *Vexillum eius erga me est dilectio.* S. Ambros. serm. 5. in Ps. 118. legit, *Constitue in me dilectionem*, additque ad explicationem, *Bona statica* (id est statio et munitio militaris) *ubi plenitudo est charitatis.* Illa autem charitas ordinata sit oportet. Ut enim ait S. Aug. in lib. 15. de Civit. cap. 22. *Definitio brevis et vera amoris, ordo est amoris.* Chald. vertit, vexillum præceptorum eius suscepi super me in dilectione, q. d. omnia mandata servo non coacte, sed ex amore Sponsi. Christus ait Ioan. 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*, q. d. opto servari ex amore, sunt præcepta amoris et amantis, ab amore incipiunt: *Diliges Dominum, etc.* Cupio ut per amorem promoveantur, ut in amorem desinant. Hæc est amoris probatio ibid. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Aristoteles interrogatus, quid sibi in Philosophia comparasset, ait: non coacte facere, quod aliqui ob timorem Legis faciunt. Aristippus vero rogatus, quid Philosophi plus cæteris hominibus haberent, ait: si omnes Leges peremptæ essent, omnes omnino similiter viveremus, sicut nunc vivimus. Vide dicta Ps. 118. 57. *Portio mea Domine, dixi custodire Legem tuam*, ubi probavi charitatem efficere, ut Legem Dei custodiamus.

Quarto, Charitas est animæ sanctæ fortitudo, firma- IV. Robur.
mentum, refugium, etc. quæ hic a Propheta nostro pronuntur; Deus enim illa nobis præstat per charitatem.

Ac primo, Deus est fortitudo iustorum in hac vitæ mi- 14 Deus est fortitudo militum suorum.
litia pugnantium, v. 1. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Hebr. חזקי *chizchi*, id est robur meum, ut vertunt Tigurini. Sept. ἰσχύς μου, id est virtus mea, ut habet Psalt. Roman. et Ambros. ac S. Augustinus. Hoc considerans Claudianus Mammertus Vienn. Presb. de statu animæ. *Deus, inquit, proculdubio virtus est: qui si immutabilis est, etiam cum se homini dederit, virtus in homine est. Ergo quod in Deo virtus est, et in homine virtus est, hoc tantum differens, quod illic substantialiter, hic accessibiliter. Unde Dominus ad Apostolos: Sedete, inquit, in civitate quoadusque induamini virtute ex alto. Et Propheta: Diligam te Domine virtus mea.* Hæc Claudianus.

Fortes quoque vult Deus esse servos suos, et fortes per 15 Eos vult esse fortes.
amorem Cantic. 2. 4. *Ordinavit in me charitatem*, q. d. omnes actus amoris et officia veluti sacros milites in aciem direxit, ut illa acies ordinata nullum hostem timeret. Sic cap. 6. 3. Sponsa dicitur *Terribilis* (Sept. φόβος pavor, id est pavenda, terrorem incutiens) *ut castrorum acies ordinata.* Hebr. sicut vexillatæ, id est, ut acies sub vexillis recte ordinatæ. Vexillum illud fortificans amantem est Christi amore morientis crux. S. Bernardus serm. 22. in Cant. *Ubi*, inquit, *vero fortitudo, nisi in Christi Passione?* Sub illo vexillo animus fortis in hostem fertur, secura victoriæ. Cant. 1. 9. Sponsus ait Sponsæ: *Equitatui meo* (Angelico) *in curribus Pharaonis* (quos everti in mari rubro, ut explicant Aponius, et Beda: quod fiebat duce columna ignis et nubis, id est charitatis et gratiæ) *assimilavi te.* Non tantum quæ amat est similis unicæ equæ,

sed universo equitatui. S. Bern. serm. 39. in Cantic. *Nec* A *miraberis*, ait, *unam animam equitatus multitudini similatam, si advertas quantæ in ipsa una, quæ tam sancta anima sit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus disciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror: quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum. Ibi populus eductus est de Ægypto, hic homo de sæculo: ibi prosternitur Pharao, hic diabolus: ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia et sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur: illi in fluctibus, isti in fletibus: marini illi, amari isti. Puto et nunc clamare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam, fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo.* Neque hostes tantum superat amans anima, sed Deum ipsum. De muliere forti habes Prov. 31. 25. *Fortitudo et decor indumentum eius*, per ipsam pulchritudinem fortis est, et vulnerat in uno oculorum et in uno crine colli. Sic etiam Sota malor intelligit equita- B tum amoris, quo Sponsa sibi Sponsum subiecit ac devinxit. Plato in Symposio seu de amore hanc præcipuam amoris excellentiam offert, quod sit potentissimus et fortissimus, et Morte ipsa fortior. S. Bern. sermon. 64. vim amoris contemplatur, quod Deum e cælo in terras traxerit. *O suavitatem*, ait, *o gratiam, o amoris vim! Itane summus omnium, unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo Amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ ista vis quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit, ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est.* Nec tantum in terras Deum amor traxit, sed etiam traxit ad crucem, ut vere dixerit Sponsus Cantic. 8. 6. *Fortis* (Symm. inexpugnabilis) *est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Amor enim mortem Christo attulit, et illum ad inferos descendere coegit. Sensus literalis est, q. d. tantus est amor Sponsi erga Sponsam, ut C se pro illa omnibus periculis, duellis et morti obiiciat, ut omnes alios amatores ab ea excludat.

16. Vide, ut amor tuus non sit languidus, sed fortis. S. Bern. serm. 20. in Cantic. illud versans: Adolescentulæ dilexerunt te, ait: *Disce, o Christiane a Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducatis, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacii et erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne forte tria ista tibi et in lege tradita fuerint, dicente Deo, Deuter. 6. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua.* Hactenus Bernardus.

Amor noster non debet esse languidus.

17. Amor hic invincibilem facit in omni tentatione. Idiota Contemplat. de Amore divino: *Homo*, ait, *scuto et armatura munitus amoris tui benignissime Domine Iesu Christe in tentationis prælio stat inconcussus, invincibilis, atque firmissimus, non timens etiamsi cum eo tota acies dæmoniaca decertaret. Tu enim piissime Domine Iesu homini amorem habenti, bonus adiutor et fortis defensor assistis; quia tu amor es: et qui in tuo amore stat, tecum stat. Assistis etiam homini dilectionem habenti, ut verus et fidelis amicus, qui libenter subvenit amico suo, et eum defendit, sicut scriptum est: Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores (id est, dæmones infernales, vel homines pestilentes) disperdet.* Dic itaque illi: Diligam te Domine fortitudo mea. Syr. חילי *chaili*, id est mea vis, robur, potentia, fortitudo, exercitus, Deus est instar omnium armorum et exercituum, est Deus sabaoth.

Amor fortis facit iustum invincibilem.

Secundo, Deus est firmamentum amantium in castris A clausorum, v. 3. DOMINUS FIRMAMENTUM MEUM, ET REFUGIUM MEUM, ET LIBERATOR MEUS. Nota, pro *firmamentum*, Hebr. est סלע *sela*, id est, petra, saxum, rupes, arx, munitio, quæ super petram saxumve construi solet. Unde S. Hieron. Pagn. Tigurini, habent, *petra mea*. Septuaginta στερέωμά μου, id est stabilimentum, munimentum, firmamentum, solidum ac firmum sustentaculum. Petavius vertit, ἔρεισμα, id est munimentum, fulcimen, fulturo, columen. Pagnin. reddit: *Tu pedibus substernis iter.* Chaldæus paraphrastes vertit תוקפא *tucpha*, id est, firmitas, robur, fortitudo, potentia, arx, munitio.

Vers. 3. 1. Pars. 18. Deus est firmamentum militum suorum, in castris manentium.

Alludit David ad rupes intercisas, in quibus stativa castra, aut potius translatitia, et volatica habebat, cum Saulem insequentem fugitabat. Nobis petra Christus est, in cuius culmen evadendum cum animabus generosis, ibi studium, ibi gressus firmandus. Beda ait, Deum dici a Davide firmamentum, q. d. me firmum et stabilem fecit in præceptis suis. S. Agatha dicebat Tyranno: *Mens mea* B *supra petram solidata, et in ipsa fundata est.* Et S. Augustinus lib. 2. Confess. cap. 10. ait, generatim: *Quies est apud te valde et vita imperturbabilis. Qui intrat in te, intrat in gaudium Domini, et non timebit, et habebit se optime in optimo.* Vide dicta Ps. 118. 60. Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua, ubi probavi a charitate oriri mentis tranquillitatem et stabilitatem. Deus dicit Isaiæ 58. 14. *Tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terræ.* Vide etiam Ps. 4. 9. *In pace in idipsum, dormiam et requiescam.* S. August. censet τὸ *in idipsum* Deum designare vel Christum, ac nomen Dei essentiale, *Ego sum, qui sum*, de quo Exod. 3. 14.

Tertio, Deus est refugium amantium, ET REFUGIUM MEUM. Hebr. מצודה *metsuda*, significat arcem, munitionem, receptaculum, et perfugium, ac locum arte vel natura munitum, ad quod se recipiunt homines venationis, id est persecutionis tempore. Alludit David ad cavernas, quæ in Iudæa frequentes sunt, et ad quas se recipie- C bat fugiens Saulem, et se occultans in montibus. Syr. vertit, *Diligam te Domine fortitudo mea, et spes mea, et domus refugii mihi.* S. Hieron. robur meum. Felix vero reddit, *Diligam te Domine fortitudo mea, et rupes mea, et propugnaculum meum.* Si sub equo S. Anselmi, lepus latitans securus fuit a canibus venaticis. Si cerva ad S. Ægidii speluncam fugiens illæsa permansit canibus frustra circumlatrantibus, et ad eam penetrare non valentibus, quis intra Deum inclusus timeat? Vide Ps. 103. 18. *Petra refugium herinaceis*, id est, vel ipsis peccatoribus, spinis peccatorum suorum horridis.

Vers. 3. 2. Pars. 19. Deus est refugium amantium.

Hoc refugium sibi poscit Sponsa, Cantic. 1. 7. *Indica mihi, quem diligit anima mea* (Christus est filius charitatis, ipsaque dilectio, ut dicit Origen. hom. 2. e quatuor) *ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Quod S. Gregor. explicat de refrigerio, quod dat animæ tentatæ sub umbra alarum suarum. *In meridie*, ait, *Christus sub umbra pascit et cubat: quia in refrigeratione Spiritus sancti sibi quasi re-* D *quiem et pastum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur; per umbram vero, spiritualis gratiæ flatus designatur. Meridie ergo fervente in umbra Christus requiescit, quia dum in reprobis æstus vitiorum flagrat, ipse sponsæ suæ spiritum refrigerii tribuit, et in ea sibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc sibi Sponsa indicari deposcit, quod nulli unquam declaratur, nisi ei, qui idem sanctificatricis gratiæ munus percipit.* De illa refugii umbra satis psalmo præced. v. 8. Ad rem nostram aptior erit locus S. August. soliloq. cap. 1. *Amem te Deus meus, adiutor meus, turris fortitudinis mihi, et spes mea dulcis in omni tribulatione mea, amplectar te bonum, sine quo nihil est bonum: fruar te optimo, sine quo nihil est optimum.* Hæc Augustinus.

Ad illud refugium invitat Sponsus, Cantic. 2. 14. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Septuaginta in Vaticana habent: *Tu columba mea in tegimento* (S. Ambros. et Origen. in velamento) *petræ iuxta promurale*, columbæ agrestes nidum sibi construunt non

in columbariis, sed in rupium foraminibus et cavernulis macieriarum, id est ruderum, lapidum aggestorum, et murorum dirutorum. Per foramina petræ, Aponius accipit quatuor Evangelia; per cavernam maceriæ, doctrinam Apostolorum, per quam Ecclesia et anima fidelis ad Dei cognitionem et cultum pervenit. Iustus vero Orgelitanus per illa intelligit S. Scripturam, et exempla meritaque sanctorum. S. Anselm. benignam provideutiam, misericordiam et protectionem Christi. S. Aug. S. Greg. S. Bern. Rupert. et alii foramina illa et maceriam explicant de vulneribus Christi, in quæ se anima coniicit, ut ibi lateat, et suavitatem percipiat. S. August. in Manuali cap. 20. *Tuta et firma requies est infirmis et peccatoribus in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera: quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine et charitate.* Rupertus dicit, foramina petræ, id est Christi esse pedum et manuum vulnera; cavernam vero maceriæ, esse vulnus lateris. Lege S. Bern. serm. 61. ubi ostendit Martyres ibi in tuto positos, dolores non sentire.

Vers 3. 3. Pars. 20. Christus est liberator amantium. Quarto, Christus est liberator amantium. ET LIBERATOR MEUS. Pagnin. vertit, *erutor meus*. Velut Iosephum e cisterna et carcere extrahens, et Abraham de Ur, id est, flamma Chaldæorum. S. Hieron. *Salvator meus*, ut populi Israelitici ex Ægypto. Hugo a S. Vict. cap. 26. in Psal. *Deus*, inquit, *quod attinet ad propellendum a nobis malum primo est liberator per baptismum, refugium per pœnitentiam, fortitudo per victoriam, ut eripiat a potestate diaboli, ut diffidentem de se patrocinio suo excipiat, ut casum impediat, ut pugnanti victoriam tribuat.* Idiota contempl. de amore divino cap. 19. quam bonus amicus sit Deus, amicos suos liberans, sic explicat: *Fidelis*, inquit, *et verus amicus es Domine Iesu Christe, amator vigilantissime, qui diligentem te custodis, liberas et defendis a malo et periculo, sicut ostendisti in servo tuo Daniele, te toto corde diligente, qui coniectus in lacum Leonum, illæsus te protegente fuit extractus, et penitus liberatus. Unde dixit: Recordatus es mei Domine, et non dereliquisti me. Liberas igitur Domine diligentem te a malo, et a Leonis infernalis insultu, et illæsum eripis ab eodem.* Sic Iacob liberatus est de manu Esau fratris, et Laban soceri sui, Samson de manu Philisthinorum, Susanna de peccato et furore senum impiorum.

21. In eam venit e cælo descendit. Ad hoc venit e cælo Christus, ut Sponsam suam in terris periclitantem liberaret. Cant. 2. 8. ait Sponsa: *Vox dilecti mei. Ecce iste* (Sponsus) *venit saliens in montibus, transiliens colles.* Vatab. vertit, accurrens per colles. Montes et colles sunt omnes Angelorum ordines, quos transcurrit et pertransiit, ut ad nos liberandos descenderet. S. Greg. per montes intelligit dæmones, quos sibi subiecit. Origenes vero accipit omnia regna mundi, omnesque Reges licet excelsos, quos suæ fidei subdidit. Hinc Symm. vertit, Ascendens contra montes, exiliens adversus colles. Chald. Paraphrastes explicat de liberatione populi Israel in Ægypto. Hæc liberatio erat figura liberationis totius mundi per Christum, qui est hinnulus, Primo ob velocitatem, qua amore incitatus ad nos venit. S. Greg. hom. 29. in Evang. *Ecce venit*, inquit, *saliens in montibus, veniendo quippe ad redemptionem nostram quosdam, ut ita dixerim saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos eius saltus agnoscere? De cælo venit in uterum, de utero venit in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in cælum.* Secundo, est hinnulus ob humilitatem. S. Bern. serm. 55. ut hinnulus, ait, apparuit parvulus, qui natus est nobis. In cruce vero dicitur Is. 53. 3. novissimus, id est ultimus et abiectissimus virorum. Iustus Orgelitanus, ait, eum dictum esse capream ob similitudinem carnis peccati. Tertio, est hinnulus cervorum, quia serpentes extrahit de cavernis, id est peccata de animæ potentiis. Vide Ps. 41. 1. S. Ambros. serm. 6. in Ps. 118. *Merito, ait, sicut hinnulus Dei Filius, cui paternæ inoleverit vis naturæ, ut eum occulta non lateant, serpentes fugiant venena non lædant.*

Anima amans e vinculis liberari exoptat, ut post Sponsum currat, Cantic. 1. 2. *Adolescentulæ dilexerunt te.* 22. Amans cupit mori.
Chald. reddit: Dilexerunt iusti ambulare post viam bonitatis tuæ, ut possideant sæculum hoc et sæculum venturum. Timens vero Sponsa ne suis viribus evadere ad alta non possit, ac sequi, dicit, v. 3. *Trahe me* (e præcipitio et fovea) *post te curremus*, q. d. Si manu tua me tetigeris, me vivifico calore tuo succendes et vires sufficies. Amore trahitur anima. S. August. serm. 1. de Verbis Apostoli. illud affert Christi, Ioan. 6. 44. Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum, et subdit: *Non dixit, duxerit. Ista violentia cordi fit*, non carni. *Quid ergo miraris. Crede, et venis: ama, et traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam: dulcis est, suavis est, ipsa suavitas te trahit. Nonne ovis trahitur, cum esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic et tu veni ad Christum, noli longa itinera meditari: ubi credis, ibi venis. Ad illum enim qui ubique est, amando venitur, non navigando.* Dic cum eodem sancto et pio Doctore lib. 13. Confess. cap. 8. Da mihi te Deus meus, redde mihi te. En amo, et si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam, quantum mihi desit amoris ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia male mihi est præter te, non solum extra me, sed et in meipso, et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. Hæc August.

Quinto, Deus specialiter Deum se amantium profitetur, eumque amans anima præcipue ut suum sibi optat et vendicat, vers. eod. 3. DEUS MEUS ADIUTOR MEUS, ET SPERABO IN EUM. Vers 3. 4. Pars. 23.
Dicebat Sponsa Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi*, supple, totum me tradidi. Non patitur adulteros, 2. Corinth. 11. 2. *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* S. Bern. serm. 68. in Cant. mutuum illum Sponsi et Sponsæ amorem sic considerat: *Ille mihi*, inquit, *quia benignus et misericors est, ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi et non alteri, quia una sum columba eius: ego illi, et non alteri.* Serm. autem 69. explicat, quod ita sit totus unius animæ sanctæ, ut sit tamen omnium, quibus singulis se totum tradat, quod oritur ex eius infinitate. Sic anima rationalis est tota in toto corpore, et tota in singulis eius partibus. Origenes illud Cantic. 1. 3. *In odorem unguentorum tuorum curremus*, considerans dicit: *Ego puto quod si aliquando ad hoc pervenerint, iam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis eius adstrictæ adhæreant ei, ne ultra mobilitatis alicuius ullus in eis resideat locus: sed sint cum eo unus spiritus, et compleatur in eis illud, quod scriptum est Ioan. 17. 21. Sicut tu Pater in me, et ego in te, ita et isti in nobis unum sint.* Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, 1. Ioann. 4. 16. Sic Cantic. 3. v. 3. ait Sponsa: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Syrus vertit, *An essentiam amoris, quam diligit anima mea vidistis?* Deus est amor essentialis et amoris essentia, extra illum non sunt nisi accidentia. Ideo dicit cap. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui*, id est Spiritu sancto, ut explicat S. Bern. serm. 7. in Cantic. est enim Spiritus sanctus nexus amoris, et quasi osculum, quo se osculantur Pater et Filius. Postulat itaque anima amans, ut tota Trinitas ipsam osculetur, hoc est ipsi intime per affectum sese coniungat atque uniat. Nam ut ait Paulus, 1. Corint. 6. 17. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Non est amplius caro, sed Spiritus, et Spiritus divinus. Vivit in Deo, et Deus in ipso. Ioann. 17. 23. *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint in unum consummati.* Ubi S. Cyrillus lib. 11. in Ioann. *Nexus unionis nostræ ad Deum Patrem Chri-*

Charitas Deo unit.

stus est: nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter unitus: per gratiom vero longe magis: unde Paulus dicebat Galat. 3. 20. *Vico autem iam non ego, vivit vero iu me Christus.* S. Gertrudis sæpe persensit Deum illabi in animam snam, sicut Sol illobitur in aerem suo splendore, ex quo illapsu anima eius tum miris gratiarum virtutibus, tum ineffabili serenitate et gaudio perfundebatur. Nam intime peuetrabat omnes animæ medullas, sensus atque potentias. Quin etiam visionem unam refert his verbis lib. 2. Revelationum, cap. 22. Quadam vice, ait, cum psalmodiæ tota intenderem, tu Domine dedisti decem vicibus et amplius dulcissimum osculum ori animæ meæ. O osculum longe exuperans omnem oromatum fragrantiam, et omnem mellis dulcedinem. Vide dicta Ps. 72. 26. in illa verba: *Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars meu Deus in æternum.*

Vers. 3. 5. Pars. 24. Deus est adiutor amantium.

Sexto, Deus est adiutor amautium. ADIUTOR MEUS. Hebr. צוּרִי *tsuri*, id est petra meo, ut vertit Pagoin. seu rupes mea, ut Muisius; 2. munitio mea, arx mea in rupe extructa; 3. fortis meus, ut S. Hieron. seu fortissimus, ut Syr. 4. adiutorium meum, ut Arabs, seu adiutor, ut Septuag. et noster. Totum versum sic habet Chaldæus, *Dominus fortitudo meo, et fiducia mea, et liberons me, Deus, qui complacuit sibi iu me, odiuaxit me timori suo: scutum meum, quoniam a præsentia eius data est mihi fortitudo, et salus super auctores iuimicitiæ meæ spes mea.*

Hoc auxilium in monte contemplationis ardens anima, illud sibi deposcit Cantic. 2. 17 *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ* (donec dies æternitatis oriatur, et huius vitæ tenebræ et calomitates prætereant) *revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hiunuloque cervorum super montes Bether*, id est, divisionis, separationis: a mundo scilicet atque eius deliciis. Montes Bethel ubi Iacob vidit scalam e terra in cælum usque pertingentem, dicti etiam sunt montes Bether, hoc est divisionis, quia divisi sunt et discissi, adeo ut plures intermedias habeant cavitates et valles, atque consequenter plures quasi montes in varios colles dissectos, ita ut capreæ ex uno in alium saliant. *Bethel* idem est quod domus Dei, in domo Dei mansiones multæ sunt Ioann. 14. 2. vide ut ab inferiore semper ad altiorem tendas. S. Ambros. lib. 3. de Virgin. et Syrus habent, *montes aromatum*. Hi sunt montes contemplantium, qui currunt in odorem unguentorum Sponsi. Adrichomius in descriptione terræ sanctæ pag. 16. num. 43. ait: Montes Bethel seu Bether, montes sunt fœcundi, nemorosi, et arboribus consiti, gramine et herbis aromaticis pleni: et ideo cervi, capreæ et hinnuli, illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis. Ita ipse. Montes excelsi cervis, Psal. 103. 18. id est contemplantibus, qui etiam sunt capreæ, ob acumen visus: unde capreæ dictæ sunt dorcades, q. d. videntes a δέρκω, id est video: sunt etiam hinnuli, quia sunt in oculis suis eo minores quo clarius Deum vident: et eo magis lac amant, quo diutius sugunt. Secundo, *Bether*, idem est atque *in contemplatione*, in exploratione, in scrutatione, in investigatione. Rad. תּוּר *tur*, id est explorare, cogitare, scrutari, contemplari. Tertio, *Bether*, id est in *turture*, quæ est symbolum et contemplantis et perfecte amantis Cantic. 4. 10. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Turtur enim amat solitudinem et non admittit nisi unum marem. S. Basil. hom. 8. Hexaem. S. Ambr. lib. 5. Hex. cap. 13. S. Greg. Nas. orat. ad Virginem, dicunt turturem perstantem in suo gemitu post mortem comparis sui esse perseverantis amoris simulacrum.

Cum porro ait Sponsa, *Revertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether*, petit auxilium. Luysius Legionensis sic illum locum ad rem nostram explicat. Postulat, inquit, anima fidelis, cum inclinantur umbræ, id est inclinato iam od occasum die, et irruentibus periculorum tentationumque tenebris, sibi auxilietur, nulla mora interposita. Similis, inquit, esto capreæ, hinnuloque cervorum. Quod sine Metaphora proprie et literate David dicebat, Ps. 69. 2. *Deus in odiutorium meum intende, Domine od adiuvandum me festina.* Et rursus Ps. 30. 3. *Domine, accelera ut eruas me.* Hoc autem facit amantibus et contemplantibus, qui sunt montes Bether. Beda in eo loco: Congruit, ait et nomen montium mentibus eorum, qui contemplationi cælestium oculos cordis aperire didicerunt, cum dicitur super montes Bether, quod domus consurgens, sive domus vigiliarum interpretatur. Sic Beda.

Vers. 3. 6. Pars. 25. Deus est spes amantium.

Septimo, *Deus est spes amantium*, v. eod. 3. ET SPERABO IN EUM. Spe scilicet, quæ formetur, et firmetur charitate. Ubi legimus *Dominus firmomentum meum.* Hebr. arx mea. Syrus et Arabs habent, *spes mea.* Spes enim est arx firmissima, et bene tecta, si in Dei protectione et amore stabiliatur. Hic quatuor eius propugnacula David assignat. Primum quidem ab Oriente, ut vano splendore et vanis spebus mundum sese inferentem repellat, assignat Deum adiuvantem: *Deus odiutor meus.* Secundum propugnaculum ab Aquilone est Deus protegens, *Protector meus*, qui dæmonis exercitum repellat. Figuratus dæmon est in Sennacherib Rege Assyriorum, qui habebat Niuivem regiam urbem Aquilonarem respectu Iudææ, et repulsus est ab urbe Ierusalem precibus Ezechiæ Regis in Dei protectione sperantis 4. Regum 19. sicut mundus figuratur in Benadad Rege Syriæ, quæ erat Orientalis *Iudææ*, et victus est ab Achab Rege Samariæ sperante in Deo adiutore, prout Elis. prædixerat 3. Reg. 20. Tertium propugnaculum arcis Spei est Deus conterens, *et cornu salutis meæ.* Sic a meridie repellit carnis mollitiem, quæ ignibus pugnat et deliciis. Figuratur in Idumæis, id est sanguineis, devictis a Davide 2. Regum 8. 14. Quartum propugnaculum Spei ab Occidente est Deus misericors, qui animo cadentes erigit et suscipit. Unde additur: *Et susceptor meus.* Non enim tantum Deus mundum et dæmonem repellit, neque tantum carnem reprimit, sed necesse est, ut ipsum animum sæpe cadentem et sibi ipsi contrarium, atque in se pugnantem in virtute stabiliat: et hominem veterem renovet et faciat cum tribulatione proventum in afflictionibus et rebus cadentibus huius ærumnosæ vitæ. Figuratum hoc in Philisthinis ab Occidente sæpius in Iudæam irrumpentibus, et a Davide profligatis.

Vers. 3. 7. Pars. 26. Deus est protector amantium.

Octavo, Deus est protector amantium. ET PROTECTOR MEUS. Non est tantum ensis, ut pro nobis pugnet; sed etiam scutum, ut tegat a telis hostium. Hebr. מָגִנִּי *maghinni*, id est *scutum meum*, ut S. Hieron. Pagnin. Felix, et alii vertunt.

Moses iure beatum dicebat populum Israel, quod Deus esset eius scutum et gladius. Deuter. 33. 29. *Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui salvaris in Domino* (id est per Dominum, auxilio Domini, intra Dominum te circumdantem positus, cum sit tibi) *scutum auxilii tui* (id est tibi auxilians, te protegens) *et gladius gloriæ tuæ* (id est tibi gloriosus, quo tibi gloriam et victorias compares. Hinc sequetur) *negabunt te inimici tui* (id est, omnino tibi subiicientur ait Cornelius; 2. et melius: in te rebellabunt, fœdus initum frangent) *et tu eorum colla calcabis*, ut erat mos veterum pede proterere collum devictorum, ut patet Iosue 10. 24.

2. Regum 22. 36. ait David Deo, *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ.* Vide dicta Ps. 5. vers. ult. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.* Et Ps. 90. v. 5. *Scuto circumdabit te* (S. Hieron. scutum et protectio) *veritas eius, non timebis a timore nocturno.* Chald. vertit, a timore dæmonum, qui ambulant in nocte; Sept. in Ps. nostro reddunt, ὑπερασπιστής μου. id est, qui fert clypeum ante me, qui clypeo suo me tegit a telis hostilibus. Beda explicat, clypeus meus contra vitia ingruentia.

Vers. 3. 8. Pars. 27. Deus est cornu salutis amantiu.

Nono, Deus est cornu salutis amantibus. ET CORNU SALUTIS MEÆ, id est, mihi salutiferum, quod mihi salutem, pacem, incolumitatem et tranquillitatem parit. Sensus est, ait S. Augustinus, q. d. *Non de me præsumpsi, quasi erigens adversum te cornu superbiæ: sed teipsum cornu, hoc est firmam celsitudinem salutis inveni. Quod ut invenirem, redemisti me.*

Cornu salutis

Cornu salutis tripliciter potest accipi. Primo, pro cor-

Tripliciter sumitur. 1. Pro cornu copiæ, et abundantia. nu copiæ, id est pro rerum omnium affluentia: sic ubertatem beatam vocat Horatius in Carm. sæculari, beatam pleno copiam cornu, et lib. 1. Carm. ode 17. benigno opulentam. Sic Iob filiam suam appellavit *Cornustibii* cap. 42. 14. *nomen unius* (filiæ suæ) *vocavit diem* (in sapiente nihil est tenebrosum) *et nomen secundæ Casiam* (est frutex aromaticus: omnes fructus viri pii sunt odoriferi et bonæ famæ) *et nomen tertiæ Cornustibii*, id est cornu, in quo ponitur stibium: hoc est cerussa *de la ceruse, du fard*, quo albor faciei inducitur, sive purpurissum, quo genæ pinguntur et rubescunt. Purpurissum est coloris genus, ex creata argentaria purpuræ succo inebriata. Vatablus vertit, *cornu conversionis*, id est conversionis fortunæ ab adversa in prosperam. Græci legunt, *cornu Amalthææ*. De illo Lactant. lib. 1. cap. 21. Strabo lib. 10. Ovidius lib. 9. Metam. et lib. 5. Fastorum Diodor. Sicul. lib. 4. c. 5. alii censent fuisse cornu caprinum, alii Taurinum, sive Amalthæa fuerit nympha, sive nutrix Iovis, sive capra, cuius lacte et beneficio nutritus fuerit, tradunt gratitudinis ergo inditam fuisse illi cornu mirificam facultatem, ut quicquid optari posset, ex illo cornu largiter proflueret.

28. II. Pro robore salvante. Secundo, et melius, *cornu salutis*, nobis est Deus, id est, cornu seu robur salvificum, et hostes avertens atque prosternens. Similitudo ducitur, ut recte notat Lorinus, a bestia cornupeta. Cornu salutis itaque denotat robur, vires, arma, quibus hostes ventilentur, dissipentur, sternantur, frangantur. Frequens translatio Scripturis, ut cornu sumant pro insigni imperii, gloriæ, superbiæ, roboris, ac fortitudinis. Cornibus tamquam rhinocerotis ventilandas a Ioseph, id est tribu Beniamin et Manasse, Gentes vaticinatus est Moses Deuteron. 33. 17. Anna cecinit exaltatum cornu suum in Deo suo, 1. Regum 2. et sublevandum cornu Christi, quod iam erectum erat, S. Zacharias S. Ioannis Pater decantavit. Luc. 1. 69. Sedecias pseudopropheta victoriam Achabo pollicens fecit sibi cornua ferrea, quibus ventilandam dicebat Syriam, donec deleretur et contereretur. 3. Reg. 22. 11. et 2. Paralipp. 18. 10. et de similibus meminit Zacharias Propheta, cap. 1. 13. 19. 21. Appellantur crebro cornua peccatorum: sed et regna, atque in exercitu disposito partes ipsius. 1. Machab. 9. 1. 12. 16. denique cornua peccatorum confringenda, iusti exaltanda, vaticinatur David Ps. 74. 11. sed et septem spiritus Dei nominavit Ioannes cornua. Apocal. 5. 6. De Deo ait Habacuc Propheta cap. 3. 5. *Cornua in manibus eius.*

29. III. Pro unctione regia. Tertio, *cornu salutis* fuit Deus Davidi, cum postquam fuit illi fortitudo, firmamentum, refugium, adiutor et protector contra Saulem, eo mortuo curavit illum iniungi Regem in Hebron, prius unctum a Samuele, et Regem acceptari a tribu Iuda, anno ætatis suæ 31. ante Christum 1073. et postea valuit regnare super duodecim tribus, Isboseth filio Saul interfecto a Rachab et Baana 2. Reg. 4. 7. Tunc etiam publice unctus est anno 7. ab unctione secundo. Est itaque Metonymia. Nam cornu in quo oleum erat ad unctionem, ponitur pro ipso auctore. Theophylactus, Euthym. et Beda dicunt in Luc. cap. 1. cornu pro Regno poni aliquando, quia Reges inungebantur cornu olei. 1. Reg. 16. 1. et lib. 3. 1. 39. De illa unctione dicam Ps. 19. 7.

Vers 3. 9. Pars 30. Deus est susceptor amantium. Decimo, Deus est susceptor amantium, eos apertis brachiis et sinu invitat, ut eos amplectatur, illis se uniat, suam puritatem, splendorem et ardorem infundendo. ET SUSCEPTOR MEUS. Postquam David unctus est, in Regem susceptus est a Deo in sanctuario illum declarari et agnosci curante, atque a populo voluntati Dei se adiungente. Hebr. משגבי *misgabbi*, id est, *elevatio mea*, ut hic vertit Pagninus: vel *elevator meus*, ut noster reddit 2. Regum 22. 3. ubi est psalmus, quem exponimus. Reges post unctionem et coronationem elevabantur supra clypeum vel thronum, et adorandi proponebantur exercitui et populo. Postquam unctus est Iehu in Regem Israel ab uno e discipulis Elisæi Prophetæ, Principes exercitus *festinaverunt, et unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis* (Sept. super ascensum graduum. Vatabl. in fastigio graduum: id est, ut ait Cornelius, in supremo gradu, nimirum summo et eminentissimo loco, q. d. loco excelso vestibus suis erexerunt ei quasi thronum Regium, ut in eo veluti Rex sederet: hoc enim ritu eum Regem crearunt) *et cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Iehu*, q. d. vivat Iehu Rex noster, 4. Reg. 9. 13.

Hebraicam vocem recte cum Tigurinis *arx mea*, cum Munsio, propugnaculum meum: cum Felice protectio mea; cum Syro, asylum meum gloriosum; cum Arabe, adiutor meus: cum nostro, *Susceptor meus*, in thronum scilicet Regium elevans. Unde Petavius vertit, ἀσφαλεῖ ἕξει ἕδρᾳ, *tuta collocat in sede*.

Sponsam suam, id est animam charitate ornatam, Christus Rex elevat ad thronum suum et Reginam facit, Ps. 44. 10. *Astitit Regina* (S. Hieron. *stetit coniunx*: ideo Regina, quia amata et sponsa) *a dextris tuis in vestitu deaurato* (S. Hieron. in diademate aureo: Symm. in auro primo: Pacianus, in veste aurata: id est, 1. in Baptismi gratia, ut vult Euthymius; 2. in sapientia, ut S. August. 3. in fide, ut S. Hieron. 4. in charitate, ut S. Thomas, Beda Cassiodorus) *circumdata varietate*; 1. sacrorum dogmatum, et prophanorum, ut S. Basilius, et Clemens Alexand. exponunt; 2. variarum virtutum, ut Richardus a S. Victore. Ibi dicit Sponso eam brachiis charitatis purissimæ stringenti Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hæc enim licet possint dici de anima pœnitente, de innocente et iusta, de meditante et contemplante: maxime tamen proprie dicuntur de amante, extatica et perfecta. *Osculum hoc*, ait S. Bern. in Cant. *non est strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; idcirco non competit animæ infantili ac nuper ad Christum conversæ, sed iam provectæ, et quæ iam ad ætatem perfectam et nubiles perveniens annos (meritorum, non temporum) facta est idonea cœlestis Sponsi nuptiis*, per illas nuptias fit regina, sibi et suis cupiditatibus imperans, Deo uni vivens, et cum eo regnans et regias virtutes exercens, ac beatitudinem possidens. Hæc enim animæ cum Deo desponsatio et connubium fit per mutuam inhæsionem et fruitionem, tuncque perfectissime est eius susceptor. Nam, ut ait S. Ambrosius anima desponsata Deo, Verbo innubit æterno, ac Verbum illabitur animæ non in apice, sed in ipso centro fundoque mentis, illudque sibi astringit Cant. 1. 16. ait Sponsa. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi et decorus: lectulus noster floridus.* Origenes et Theodoretus *umbrosus*. Sponsus enim suscipiendo protegit et recreat ac reficit sua umbra. Lectulus ille, ut ait S. Ambros. serm. 4. in Ps. 118. ubi legit: *Acclinatio nostra opaca*, est Christi gratia, crux, et spes futuræ gloriæ. *In hac*, ait, *requiescamus umbra, peccatorum nostrorum æstibus fatigati. Si quos adussit libido, hos Domini crux refrigeret, in qua se reclinavit, ut nostra delicta susciperet: si quos culpa lassavit, hos Iesus gremio suscipiat suo et molli foveat amplexu. Unde audeo dicere quod caro Christi, acclinatio sit Ecclesiæ.* Idem dic de anima fideli. 31. Christus amicos suos facit Reges.

Undecimo, Deus orationis gratiam dat amantibus, v. 4. LAUDANS (S. Hier. laudatum 2. Reg. 22. 4. laudabilem) INVOCABO DOMINUM, ET AB INIMICIS MEIS SALVUS ERO. Vers. 4. 32. Deus dat orationis gratiam amantibus.

Nota, qui orationem absolute orditur a petitione, indicat urgeri se necessitate ad orandum: qui a laude testatur se amare, ut ait S. Basil. Constit. Monast. cap. 2. Ideo propensior est Deus ad illam orationem suscipiendam, ut docet S. August. in Ps. 104. quia diligentes se diligit. Prov. 8. 17. et in Psal. nostr. idem S. Doctor ait: Non meam gloriam, sed Domini quærens invocabo eum, Ps. 118. 58. probavi charitatem per orationem splendescere: amor enim facit eloquentem, ut quotidie videmus. Franciscus de Sales Episcop. Genevensis de amore Dei lib. 5. cap. 8. et seq. probat ab amore benevolentiæ procedere laudem Dei amati.

Quanta autem sit orationis illius vis, additur versu eo-

dem 4. *Et ab inimicis meis salvus ero.* Orationis enim est ad Deum ascendere, illi et omnipotentiæ eius sese unire, et victoriam pœnamque ab eo accipere. Cantic. 3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula* (Hebr. תִימְרוֹת *thimerot*, id est, *palmæ*. Pagn. columnæ) *fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris* (id est, mortificationis et orationis. Arabs de oratione magis intelligit cum vertit, quasi thurificata camis thuris) *et universi pulveris pigmentarii*, id est, unguentarii, seu aromatarii, hoc est omnium virtutum, quæ fiunt et offeruntur Deo in odorem suavitatis. Primo itaque, anima orans ascendit, quia in virtute proficit et Deo approximat, nec retineri ab hoste potest in terra ut fœdetur et conculcetur. Secundo, ascendit sicut virga hosti terribilis, et sicut palma victrix et recta. Tertio, per desertum ascendit, id est, per conversionem sanctam separans se a mundo, ut ait Beda; 2. in vita solitaria, ut Rupertus; 3. in corde puro; et Hugo a S. Victore lib. 1. Erudit. Theolog. *Desertum*, inquit, *est cor bonum, quia longe est a strepitu et tumultu, et non conculcatur frequentia terrenorum actionum et cogitationum, sed virens permanens et floridum, germina virtutum producit, et canit ibi turtur Spiritus sanctus: et non auditur vox hominis neque ad hominem pertinentis.* Quarto, ascendit anima in oratione, sicut aromata myrrhæ et thuris, quia oratio debet esse socia mortificationis; alioqui non bene ascendit, sed ad terram reflectitur cogitando de honoribus, divitiis ac deliciis. Utrique autem amor velut ignis addendus est, ut aromata comburat et elevet. S. Gregor. in Cantica. *Per myrrham*, ait, *carnis mortificatio designatur: per thus vero, orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet, ut post iudicium a corruptione æterna sanum permaneat. Cum vero se ad cælestia maiori desiderio accendit, et a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abiicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit. In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo seipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suave redoleat, et proximos ad eius amorem concitet.* Quinto, addendus est universus pulvis pigmentarii, ne quis tetec odor remaneat, qui Sponso displiceat.

Virgula fumi ex aromatibus est oratio Sanctorum.

Orantem animam in pace et quiete Sponsus conservat et præsidio vallat. Canticor. 3. 7. *En lectulum Salomonis* (animæ, quæ habet passiones tranquillatas, et est pacata) *Sexaginta fortes* (alludit ad triginta fortes Davidis, de quibus 2. Reg. 23. 8. quos Salomon duplicavit) *ambiunt* (ut omnis pars sit tuta) *ex fortissimis Israel*, id est, ex Angelis, qui sunt Israel, hoc est, videntes Deum, et principes Dei. Lectulus ille Salomonis est oratio, ibi enim anima quietem ac somnum capit, et Sponso fruitur, eique unitur: unde fit, ut Christus illam puritate, gratia, pace, virtutibus, et robore insuperabili compleat. Eam ob rem Dæmones in eo toti sunt, ut orantes turbent, atque a precibus abstrahant, sed Angeli orantibus assistunt; et orantes in oratione conservant, ut docet S. Nilus tract. de oratione cap. 44. et seq. atque innotuit in S. Cæcilia, cui oranti vidit Angelum astare S. Valerianus eius Sponsus, ideoque ad fidem est conversus. Innotuit in S. Iuliano et S. Baptista, de quibus alias. Orationi iungenda est charitas, quæ est etiam lectulus Salomonis, quem cingunt et tuentur fortes Israel, id est omnes virtutes, quibus anima generosa fugat omnes hostes, et vicissim una charitas omnes conservat et vivificat. Richardus a S. Victore de gradibus charitatis cap. 1. *Charitas*, ait, *est vita fidei, spei robur, et omnium intima vis et medulla virtutum. Hæc vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus prævalens, quæ ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem.*

Lectulus Salomonis est oratio.

In eo lectulo orationis et charitatis Christum sponsum anima casta non vult dimittere. Sic enim Cant. 3. 4. dicit: *Tenui eum* (per fidem et spem, atque complexa sum per charitatem) *nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ*, id est, in mentem suam, quæ est quasi mater altrix et nutrix omnium virtutum, sensuum, et potentiarum, ut semper de eo cogitet atque meditetur, cum eoque colloquatur et dissavietur, sicut dicit S. Gregor. Nyssenus et Philo. Si, inquam, hæc dicebat anima, antequam eum duxisset domum, quid facit in lectulo et purissima cum ipso unione? Richardus a S. Victore id explicans, ait: *Tenetur Deus devotione, desiderio, importunitate, memoria, prece, fide, et expectatione exauditionis, nec dimittitur, si ab intentione non cesset, nec vultus amplius in diversa mutentur. Tenet itaque dilectum, quamvis aurora sit, nec dimittit, donec benedixerit ei. Luctata est cum ea tota nocte, qua dormivit, sed cor eius vigilavit; quia scilicet ab exteriori occupatione cessavit, et in quærendo dilectum laboravit. Etiam quamvis per noctem ad auroram pervenerit, non cessat a lucta; id est, ab orationis instantia, nec dimittit dilectum, nisi benedictionem det, ut eat de virtute in virtutem, et videat Deum Deorum in Sion: id est, in speculatione per speculum, et in ænigmate: benedictionem hanc quærit et nominis mutationem: ut non iam Iacob sed Israel dici possit, nec opus sit ut amplius vitio supplantet, sed ut expugnatis vitiis puritate fruatur virtutum, et Deum contempletur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quod autem in Sponsi sinu sit quietissima anima declaratur per somnum extaticum, quem non vult interrumpi Sponsus, v. 5. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, cervosque camporum* (id est, per Angelos, ut ait Origenes: per Prophetas et Patriarchas, ut Rupertus: per Apostolos et Doctores, ut Aponius: per sanctas animas, ut S. Bernard.) *ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam* (Vatabl. et Arabs amorem. S. Ambros. serm. 5. in Ps. 118. charitatem. Syr. essentiam amoris) *quoadusque ipsa velit.* Quando autem volet e dilecti sinu, in quo dormit, separari? Somnus ille est oratio, meditatio, contemplatio, extasis. Unde S. Gregor. ait: *Cervi et capreæ munda animalia esse perhibentur. Quid ergo per cervos et capreas nisi fidem, et spem et charitatem accipimus? Quas dum nobis mundus servamus per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima Sponsa Christi, a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit, in sinu Sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit, ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque Sponsi collocutione quanto quietius, tanto serenius hilarescat.*

complacet anima casta.

33. Vim porro orationis ad hostes arcendos exprimit S. Ephrem de orando Deum: *Oratio*, ait, *regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum, etc.* Hoc in Mose orante et manus elevante patuit Exodi 17. sic enim Amalecitas superavit. In Theodosio Imper. qui Eugenium tyrannum precibus vicit, ut docet Ruffin. lib. 2. Nam contra eum congressurus rupem conscendit, atque inde utrumque exercitum contemplatus erectis in cælum manibus suum exercitum Deo commendavit. Mira res, vix preces fuderat, cum exortus ventus in hostium faciem eorum tela in ipsos eiecit, quod sic cecinit ipse Claudianus, licet ethnicus, in Panegyr. ad Honorium Imper.

Te propter gelidis, Aquilo de monte, procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.
O! nimium dilecte Deo! cui fundit ab antris,
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Theodoretus scribit S. Ioannem et S. Philippum Apostolos apparuisse in medio Theodosii exercitu, ventum hunc excitantes, qui et pulverem in oculos hostium coniecit, et eorum sagittas reflexit: eaque ratione parta est victoria nullo prorsus ex parte Theodosii desiderato. Lege Baron. tom. 6. an. 446.

Oratio potens est contra hostes. Patuit hoc. 1. In Mose. 2. In Theodosio.

In eo lecto sibi

Simon Monfortius Albigensium in Gallia domitor curabat in castris ante pugnam hunc hymnum concini:

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

3 In Carolo 7. Rege Franciæ. Carolus septimus Rex Franciæ Anglorum domitor et expulsor ex Francia, in qua per ducentos annos circiter ingentes strages ediderant, et coronam ac regnum pene totum invaserant, hoc hymno opem Dei imploravit et impetravit:

O salutaris hostia
Quæ cæli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.

Scriptus erat hic hymnus a S. Thoma, qui de bellis spiritus loquebatur, sed rex ad bella sua transtulit, et victoriis illustris extitit. Unde etiam victoris cognomen ei adhæsit.

34. Oratio ut exaudiatur, debet esse fervens. Sed vide ut oratio tua sit fervens, si vis exaudiri. Hoc te monet Hebr. אקרא *ekra*, id est, clamabo, cum ardore et clamore invocato. Vide dicta Ps. 4. 1. Refert Cæsar. lib. 4. dialog. cap. 29. religioso cuidam in oratione dormire solito apparuisse Christum crucifixum humeros obvertentem, ac dicentem: *Quia tepidus es, et negligens, non es dignus, qui faciem meam videas.* Itaque lauda Deum abunde et cum amore. Imitare Sponsam Cant. 5. 10. et seqq. Nam, ut ait Phavorinus apud Gellium lib. 19. c. 3. Turpius est exigue atque frigide laudari, quam insectanter et graviter vituperari; quoniam, qui maledicit et vituperat, quanto id acerbius facit, tanto facilius pro iniquo et inimico ducitur; et plerumque præterea fidem non capit. Sed qui infœcunde atque ieiune laudat, destitui a causa videtur. Considera te Deum laudare: *Laudans invocabo Dominum.* Vide Ps. 94. 1. et seqq. Petit S. Basil. quomodo possit quis orare sine mentis evagatione, et respondet, *Si Deum præsentem consideret.* Sic sponsam cadentem in contemplationis somnum et extasim ad vocem et præsentiam Sponsi, vetat ipse Sponsus excitari. Cant. 2. 7. et 3. 5. et 5. 8. et 8. 4.

Vers. 5 et 6. 35 Dolores mortis, et torrentes iniquitatis. Quam graves sint animæ hostes declaratur, v. 5. CIRCUMDEDERUNT ME DOLORES (Hebr. funes) MORTIS, ET TORRENTES INIQUITATIS (S. Hieron. torrentes Diaboli) CIRCUMDEDERUNT ME. Dolores mortis, id est, dolores mortiferi, ex peccatis lethalibus orti. Torrentes iniquitatis sunt peccata actualia, ut ait Hugo Cardinalis; 2. mundi vanitas impellens ad peccata ut Hugo a S. Victore; 3. mala societas, ut Chald. qui vertit: *Caterva peccatorum;* 4. voluptatum et carnis illecebræ, ut Asterius. Talis erat torrens turbidus et cœno plenus, in quem demergi et demersos rapi vidit S. Anselmus. Eadem mala sunt dolores inferni, id est, ad infernum ducentes, et similes angoribus et cruciatibus Dæmonum. Unde additur v. 6. *Dolores* (Arabs, tempestates. S. Hieron. funes) *inferni circumdederunt me.* (Chald. cohors sceleratorum obsedit me) *præoccupaverunt me laquei* (Arabs, retia) *mortis.* Ad literam, dolores mortis, id est, pene mortem afferentes, et in periculo maximo existenti, fuerunt sæpe in tot bellis et calamitatibus Davidi.

36. Undique anima ab hoste obsidetur. Animæ arcem bis quatuor exercitibus circumcinctam contemplari possis. Primo, Orientalem plagam, ubi aperta camporum late porriguntur, et amœnam viriditatem spei abblandientis et honorum lucem ostentant, mundus insidet, et invidia stimulante in muros frequentissima tela immittit, eosque continua arietatione succutit. Ideo dicitur, *Circumdederunt me dolores mortis*, id est, milites et machinæ mortem allaturæ. Est Metonymia; actus enim ponitur pro obiecto: quod frequens est apud Hebræos. Septuag. vertunt ὠδῖνας, id est, dolores quales parturiens tolerat: et Chald. Circumdedit me angustia, tamquam mulierem, quæ sedet in sella parturientis, et virtus non est illi ad pariendum.

I. Ab Oriente, per mundum.

II. A Meridie, per carnem. Secundo, ad Meridionalem plagam Caro castra posuit, et torrentem in terrenas corporis substructiones immittens irrupturis militibus latum iter pandit. Sic Chosroes fluvium in urbis Nisibis muros immittens, antea vi retentum et auctum, eos evertit. Unde addit David. *Torrentes iniquitatis*, (Hebr. impietatis: seu, ut vertit Arias, Belial: ut Muisius, impii: ut Syr. et Arabs, iniquorum) *conturbaverunt me.* Torrens enim carnis præcipiti fertur alveo, et nullo rationis vallo contineri potest, limumque eructans turbidas aquas devehit; terram, quam attingit, nempe corpus, abrodit, excavat, et consumit, in abyssum obvias arbores non bene radicatas deiicit, in iis aquis sese mersantes convolvit, et ad litus enatare non patitur, sed rapido et perpetuo vortice circumagit, donec viribus destituti ad ima defluent ac pereant. Peccatum est torrens, ob novem rationes. Peccatum, ait Hugo Cardinalis, est torrens. Primo, quia torrens impetuose currit, sic peccatum. Seneca: *Virtus lenta; vitium præceps.* Secundo, torrens propter obicem fortius currit, ita prohibitum magis appetitur. Unde nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. Rom. 5. 20. *Lex subintravit, ut abundaret delictum,* 1. Corint. 15. 56. *Virtus peccati lex.* Tertio, torrens turbidus est, ita peccatum animam turbidam facit, Ps. 6. 4. *Anima mea turbata est valde.* Ieremiæ 2. 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam.* Quarto, torrens est tumultuosus, sic peccator, Isaiæ 57. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Quinto, torrens terram cavat et consumit, sic peccatum naturalia, Iob 14. 19. *Lapides excavant aquæ, et alluvione paulatim terra consumitur.* Sexto, torrens accidentaliter venit, sic peccatum. Unde Seneca, Virtutes sunt in proprio subiecto, vitia in alieno. Septimo, torrens non firma secum trahit, sic peccatum non radicatos in charitate secum rapit Ephes. 3. 17. *In charitate radicati et fundati,* ut scilicet resistant ventis et torrentibus, aliisque, Iudicum 5. 21. *Torrens Cadumin traxit eorum cadavera.* Cadumin interpretatur mare rubrum, et significat peccatum. Octavo, torrens præcipitat se in mare, sic peccator præcipitat se in infernum. Rom. 6. 23. *Stipendia peccati mors.* Nono, torrens provenit ex nivibus calore solutis, sic peccatum est ex Diabolo, qui prius erat sicut nix in cælo, sed calore superbiæ solutus est. Et iste torrens conturbat homines. Ita Hugo, Facile est illa restringere ad peccata carnis, cuius fluxus terribili diluvio terram totam inundat.

III. A Septentrione, per diabolum. Tertio, ad Septentrionalem plagam arcis nostræ abyssus est infinitæ profunditatis, et ventis infrementibus agitata fluctus in ipsas arcis domos eructat. Ibi dæmon classem integram habet, quæ muros arcis tormentis bellicis continuo quatit. *Dolores inferni circumdederunt me.*

IV. Ab Occidente per delectos insidiatores ex tribus illorum hostium exercitibus. Quarto, denique, ad Occidentalem arcis plagam inhorrescunt sylvæ, ad delicias factæ, sed insidiis aptissimæ, ubi venatores solertissimi et vaferrimi ex triplici exercitu mundi, carnis, et Dæmonis selecti insidias ponunt, a quibus se expedire sit difficillimum. Ideo ait David, *Præoccupaverunt me laquei mortis.* Mentis robore opus est ad hos omnes insultus repellendos et artificia evitanda. S. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 39. *Non est mediocris animi fortitudo, quæ inexpiabili prælio adversus omnia vitia decertat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, quibus aurem deferre nesciat, nec (ut dicitur) aut dicat, pecuniam negligat, avaritiam fugiat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effœminet. Nihil enim tam contrarium quam lucro vinci: nec tentetur cupiditatibus, nec frangatur metu: quia virtus sibi constat, ut fortiter omnia persequatur vitia tamquam virtutibus venena.* Hæc Ambros.

Vers. 7. 37. Oratio ab hoste nos liberat. Modus evadendi ex tanto periculo, est oratio, quæ Deo omnipotenti iuncta fit omnipotens. Eam ob rem ait David, v. 7. IN TRIBULATIONE INVOCAVI DOMINUM, ET AD DEUM MEUM CLAMAVI: ET EXAUDIVIT DE TEMPLO SANCTO SUO VOCEM MEAM, ET CLAMOR MEUS IN CONSPECTU EIUS INTROIVIT IN AURES EIUS: et consequenter in cor eius. Pater est, nihil a filio audit, quin exaudiat. Nota ibi primo, modum orandi, nempe cum fervore. Quod 1. notat vox קרא *kara*, id est, clamare, cum clamore vocare: redditur tamen per *invocavi*; quasi, intus vocavi, vel ex intimo vocavi; 2. vox שוע *sciava*, id est, clamavit opis pe-

tendæ gratia cum ardore et gemitu. *Et ad Deum meum clamavi.* Septuag. εκεκραξα, id est, instar corvi vociferatus sum, ab omnibus derelictus. Ea de re dicam Ps. 141.9. Clama ad Deum, si vis audiri. Ioan. Gerson in tract. de monte contemplat. ait, quemdam servum Dei dictitasse. A quadraginta annis orationis usum habeo, neque mihi melior modus occurrit, quam ut me Deo sisterem instar pueruli, aut pauperis cæci mendicantis stipem, nudi, et ab omnibus derelicti. Secundo, ora cum modestia et reverentia, ut servus Domino astans, et creatura Deo. *Invocavi Dominum et ad Deum meum clamavi.* S. Greg. Nyss. lib. de oratione Dominica cap. 1. *Oratio nostra*, inquit, *ad Deum ingreditur instar legati ad regem missi, palatium subit, aulam et cubiculum interius.* S. Chrysost. orantem Christianum admonet, ut magni orationem faciat, in qua cum Deo ipso et Christo possit loqui, et afflictiones suas ac desideria exponere. *Considera*, inquit, *quanta tibi commissa est felicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare.* Didymus in psalmo nostro per *Dominum* intelligit Christum, per *Deum* vero, Patrem æternum: sed de tribus personis sanctissimæ Trinitatis utrumque verius accipies; quanta puritas porro requiritur, ut Deo te sistas, et eum loquentem audias, sicut Moses in rubo. Exodi 3. 4. et Hebræi in Sinai ibidem cap. 19. 20. Tolle itaque calceamenta de pedibus tuis, id est, terrenas curas de affectibus, lava vestimenta tua, id est corpus, etc. Deum præsentem tibi semper ob oculos pone. Chald. vertit, *Quando angustia est mihi, ego oro coram Domino, et coram Deo meo ego deprecor.* S. Thomas 2. 2. quæst. 83. artic. 2. ait, Deum, ea, quæ divina providentia determinavit, dare per orationem. Quarto, locum indicat, ex quo Deus exaudit, *de templo sancto suo*, id est, de cælo, ut ait Theodoretus et Eusebius, et quidem Chald.

Est legatus ad Deum.

A clare habet. Accepit orationem meam de templo sanctitatis suæ, quod est in cælis. S. Augustinus lib. 3. de fide, cap. 4. vocat orationem cæli clavem; 2. templum sanctum Dei, ait Euthymius esse tabernaculum. In eo enim Deus sedens in propitiatorio preces populi sui audiebat. Nunc id longe verius est de Ecclesiis nostris, in quibus Christus est in Eucharistia. Templum Salomonis a Christo vocatum est domus orationis. Marci 11. 17. Ecclesiæ nostræ vocantur *Dominica*, quod ut ait Eusebius, uni omnium Deo atque universorum Domino consecrentur: vel certe, quod ibi Christus Dominus thronum sibi posuerit. Vocantur Basilicæ, id est, domus et aulæ regiæ. Ibi Deus liberalitatem suam et potentiam magis exhibet, quam in aliis locis. Unde ab Hebræis templum dicebatur הֵיכָל *hecal*, q. d. potens, a radice יכל *iacol*, id est, potuit. Hinc Sancti in Ecclesiis orare ardent. S. Xaverius in iis sæpe pernoctabat. B. Borgias sibi cubiculum quærebat Ecclesiæ proximum. S. Dominicus, cui Deus nihil unquam denegabat oranti, frequentissime et diutissime in templo orabat.

B Illustre est, quod refert Raderus in viridario Sanctorum ex Menologio Græcorum, de quodam sutore Zacharia, qui solitus Constantinopoli singulis noctibus venire ad templum Sanctæ Sophiæ, ibique diuturnas preces fundere, venienti portæ aperiebantur sponte, et eo egrediente claudebantur. Hoc deprehendit alius vir S. Ioannes nomine, qui solebat noctes in oratione transigere ante Ecclesiarum vestibula. Quid orans in templo rex Ezechias obtinuerit contra Sennacherib vide 3. Regum 19. et seq. Quid Salomon petierit, et impetrarit pro iis, qui orarent in illo templo, habes ibid. cap. 8. fuse. Itaque si oratione te munias ut oportet, non est, quod timeas arci animæ tuæ. S. Greg. Nazianz. orationem vocat, μηχανημα τειχυς οχυρυς και γενναιυς, id est, *machinam muri fortis et muniti.*

SECTIO SECUNDA.

Duo exhibet, Primo, terram trementem et aerem conturbatum, tempestate contra impios excitata, vers. 8. Secundo, Deum ipsum ultorem descendentem, qui fulgur in sceleratos evibret, vers. 11. usque ad 17.

SECTIONIS SECUNDÆ ANALISIS.

Modum quo hostes sui a Deo eversi sunt, aperit David, sub typo tempestatis, in qua	Terra	Commovetur. 8. Et tremit. 8.
	Montes	Conturbantur. 8. Et concutiuntur. 8.
	Aer	Nebula obscuratur. 9. Fulgetris micat. 9. Igne ad fulmen cudendum inardescit. 9.
	Nubes	Inclinantur. 10. Descendunt. 10. Tenebrescunt. 10.
	Venti	Ascendunt e terra. 11. Et per aerem volant. 11.
	Tenebræ	Aerem cingunt. 12. Nubes densatas probant. 12. Fulgetris, grandine at fulmine horrescunt. 13.
	Tonitru	E cælo auditur. 14. Grando decidit. 14. Fulmina ruunt. 14.
	Fulgura	Mittuntur. 15. Dissipant hostes. 15. Et exterrent. 15.
	Mare	Fontes aquarum aperit agitatum. 16. Et terræ fundamenta. 16. Ob ventos aquam disiectantes. 16.

PARAPHRASIS.

8. *Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.*

8. Philisthinis in me meosque eum validis copiis irruentibus tempestatem excitavit Deus, qua sceleratos exterruit. Terra enim imis e sedibus concussa est atque tremuit, et radices montium convulsæ sunt: quia Deus in eos iratus est.

9. *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.*

9. E terra, instar fumi, ascendit nebula, quæ atram densata in nubem, flante vento coarctata collisaque, ignem concepit: et fulmina, carbonum instar candentium, inflammari ceperunt.

10. *Inclinavit cælos et descendit, et caligo sub pedibus eius.*

10. Nubes in terram depressit Deus, iisque insidens descendit, suam ut potentiam in hostes meos declararet: horrendæque tenebræ longe lateque super terram diffusæ sunt.

11. *Et ascendit super Cherubim et volavit: volavit super pennas ventorum.*

11. Neque lento gradu ad vindictam processit, sed veluti citatissimis Cherubinorum alis deportatus advolavit: tum alatis invectus ventis omnem in partem se terribilis hosti circumtulit.

12. *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aeris.*

12. Tenebrosas nubes, veluti tegmen horrificum, sibi circumdedit: obscura aqua in nubibus pendente, instar tentorii, sese obvelavit.

13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt: grando et carbones ignis.*

13. Fulgetris illius divisæ nubes dissilire visæ sunt, ac discindi: deinde vero, post fulgetra grando, et fulmina in terram contorta, decussa sunt.

14. *Et intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: grando et carbones ignis.*

14. Tonitru horrendum immugiit: vocemque nulli imitabilem edidit, qua hostes intremerent. Nec minas in irritum misit: nam statim post tonitru grando depluens ac fulmen iterato hostes protriverunt.

15. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

15. Grandineam illam procellam et fulmina, instar sagittarum, Deus eiaculatus est, hostesque disiecit: ac disiectos multiplicatis fulgetris exterruit.

16. *Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.

16. Iactatis ventorum vi, ac divulsis montibus, terra, unde aquæ exiliunt, apparuit: et radices ipsæ montium patuerunt, horrendæque voragines pene centrum ipsum terræ aperuerunt.

Eaque omnia contigerunt, Domino, unico tuo imperio iustaque vindicta: et ob impetum ventorum indignante te excitatorum.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTA TEMPESTAS A DEO IN SCELERATOS EXCITATA.

38. Ordo Sectionis.
PHILISTHÆI in Davidem excitaverant maximam tempestatem, Deus vero eam in eos retorquet, eos exterrendo et feriendo: Describit autem David summam agitationem terræ, montium, nubium, ventorum etc.

Tempestas gravis in Philisthæos excitata
Primo, Terram Deus insolito concussu emovet, v. 8. *Commota est, et contremuit terra.*

Secundo, Montes a fundamentis agitat. *Fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt: quoniam iratus est eis.*

Tertio, Aer nubibus obscuratur, v. 9. *Ascendit fumus in ira eius.* Fulgetris micat. *Et ignis a facie eius exarsit.* Fulmine accenditur. *Carbones succensi sunt ab eo.*

Quarto, Nubes densatæ fiunt terræ propiores, v. 10. *Inclinavit cælos, et descendit.* Et maioribus tenebris obducuntur. *Et caligo sub pedibus eius.*

Quinto, Venti in aere cum impetu ruunt, vers. 11. *Et ascendit super Cherubim et volavit: volavit super pennas ventorum.*

B

Sexto, Tenebræ aerem totum occupant, sed præcipue nubem atram et horrendam, v. 12. *Et posuit tenebras latibulum suum.* In qua Deus ultor, velut in tentorio manet. *In circuitu eius tabernaculum eius.* Caligo magis ac magis augetur. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris.* Fulgetris, grandine, et fulmine omnia horrescunt. v. 13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt: grando et carbones ignis.*

Septimo, Tonitru terrificum insonat, v. 14. *Et intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Grando iterum et fulmen proruunt. *Grando et carbones ignis.*

Octavo, Fulgura e cælo mittuntur, v. 15. *Et misit sagittas suas.* Hostes dissipant. *Et dissipavit eos.* Atque exterrent. *Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

A

Nono, Mare fontes aquarum aperit, v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum.* Atque imi fundi solum ostendit. *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Quod ventorum agitatione huc illuc iactatur. *Ab increpatione tua, Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.*

ARTICULUS I.

Omnia elementa in impios conspirant.

PRIMO terra, in qua se maxime firmare nituntur, fluctuat, et eos succutit, v. 8. COMMOTA EST (Græc. ἐσαλεύθη, id est, velut in salo et maris agitatione fluctuavit) ET CONTREMUIT TERRA. Vers 8. 1. Pars.

Quæres, An et quando illa tempestas contigerit, quam refert David? Respondet primo Bellarminus, quod David describit iram Dei adversus hostes suos poetico more: sicut enim cum irascitur Rex aliquis, et bellum parat, totum eius regnum turbatur: ita cum irascitur Rex totius mundi, totus mundus turbatur ac potissimum tria visibilia elementa, terra, aer, et aqua. Non significat hoc loco David reipsa terram, et aerem, et aquam ita perturbata fuisse, ut verba sonare videntur: sed significat, talem esse Dei iram, ut possit continuo tremefacere terram usque ad ima fundamenta, et in aere continuo excitare ventos, nubesque tenebrosas, et tonitrua, atque fulgura. Denique fontes et flumina, et maria ita siccare, ut appareant cavernæ terræ, et fontium origines. Ita Bellarminus et alii multi. In hac tota descriptione hyperbolen esse dicit Aben Ezra. 39. Ira Dei est tempestas.

Secundo, Alii hæc explicant de prodigiis ac signis Dei olim editis: et quidem concussionem ac tremorem terræ intelligunt de excidio Sodomæ atque Gomorrhæ et Pentapolis universæ: ad eamdemque rem volunt pertinere quod sequitur. Ascendit fumus in ira eius. Sed in hoc psalmo

David gratias agit de beneficiis sibi speciatim collatis, ut evidens est ex titulo et toto contextu.

Tertio, Abulensis in 2. Regum 22. quæst. 1. sic explicat. Postquam, ait, posuit David gratiarum actionem pro liberatione sua de persecutione Saulis, hic ponitur gratiarum actio pro liberatione de terra Ægypti: et agitur de hoc ab isto loco usque ad illum versum: misit de excelso. Sic enim est modus facientium cantica laudis, quod nunc transeant de una materia ad aliam, ut habeant locum copiosum laudandi. Ita ipse. Sed cum David laudet Deum de liberatione sua e manu omnium inimicorum suorum, ei non defuit latus campus ad laudandum, itaque non debuit aliena quærere.

40. Vera tempestas Philisthæos afflixit. Quarto, accommodate Titelmannus exponit tempestatem hanc de clade Philisthinorum, de qua agitur 2. Regum 5. ibi enim refertur quemadmodum Philisthæis diffusis in valle Raphaim, ad quærendum David unctum in Regem Israel, Dominus ipse apparuit in cacumine pirorum. Sic enim responsum fuit Davidi a Domino. Cum audieris sonitum clamoris gradieutis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat contra Philisthiim. Et de hoc miraculo, commode intelligi potest David in his decem versibus peculiariter locutus. Videtur enim insignis admodum et manifesta fuisse victoria, quam a Deo cœlitus accepit pro se pugnante: propterea dignum duxit, illam singulariter in sua gratiarum actione commemorare. Percussit enim tunc temporis Philisthæos, a Gabaa usque Geser, plaga maxima. Quamquam autem non exprimantur illo in loco omnia quæ hic dicuntur de terræ motu, de fulmine, et tonitruo, et de nubibus condensatis: satis tamen est verisimile, omnia ibi sic apparuisse, quomodo ipse qui adfuit, et pro quo exhibebantur hæc mirabilia præsens ipse conspexit.

Quinto, plene et adæquate, arbitror Davidem specialiter describere ea, quæ contigerunt in illa victoria de Philisthæis, sub hoc tamen Symbolo voluisse etiam exprimere opem, quam ipsi præbuit Deus in variis bellis, licet non esset tam sensibile miraculum.

Vers. 8. 2 Pars. Secundo, Montes ipsi licet sint terræ pars firmissima et solidissima, eiusque velut ossa et columnæ tamen Deum iratum sentiunt et contremiscunt, v. eod. 8. FUNDAMENTA MONTIUM CONTURBATA SUNT, ET COMMOTA SUNT: QUONIAM IRATUS EST EIS, id est, primo, ipsis montibus: Deus enim solet describi iratus etiam rebus anima carentibus; sic erit prosopopœia. Offenso item Deo, et homine patiente, veluti orbis Rege, omnis alia creatura concutitur, et vanitati subiicitur. Secundo, *eis*, id est, hostibus meis, quos per contemptum ne nominare quidem dignor, Deus iratus est, ideo montes commovit, ut tractis et disiectis rupibus eos obtereret. Sic Zachar. cap. 14. v. 4. de Monte Oliveti tempore Antiochi et Machabæorum discindendo, ait: *Scindetur Mons Olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem, prærupto grandi valde: et separabitur medium montis ad Aquilonem, et medium eius ad Meridiem.* Neque refert quod hoc non referatur in libris Machabæorum, quia neque in libris Regum fit mentio terræ motus sub Ozio, de quo tamen certos nos reddit ipse Zacharias v. 5.

41. Sensus. (margin)

Nota primo. Nunc in Hebræo tantum est, *Quoniam ira fuit ei.* Itaque Felix vertit, *Quoniam iratus est ipse.* Richardus Cenomanus suspicatur olim fuisse למו *lamo*, id est, *eis*. Nunc est *lo*, hoc est, *ei*.

Nota secundo, pro *fundamenta montium*, in 2. lib. Regum cap. 22. ubi habetur hic psalmus, ponitur *fundamenta cælorum*, in textu Hebraico. Respondet Abulensis, fundamenta montium et fundamenta cælorum idem esse: scilicet partes occultissimas terræ, quia cælum existimatur tamquam fundatum super alia elementa, et alia elementa super terram, et ipsa super infimas et occultissimas partes suas. Istæ autem sunt fundamenta montium: ideo super fundamenta montium cæli, qui sunt partes extremæ orbis, fundati sunt. Iste erat modus concipiendi Hebræorum. Sic patet lib. 1. cap. 2. *Domini enim sunt cardines terræ, et posuit super eos orbem.* Adde hic Davidem poetice loqui; Poetæ autem dicunt altis montibus, v. g. Athlante, sustentari cælum; quia sic videtur oculis, qui in radice montis non discernunt distantiam montis et cæli, sed putant cælum monti incumbere. Dicit itaque David, *fundamenta cælorum*, id est, etiam altissimos montes, fuisse concussos in illa tempestate contra Philisthæos excitata, quia Deus iratus erat eis: id est, quia agebat cum ipsis perinde quasi esset iratus; solent enim irati ferri impetu et obvia quæque diffringere et disiectare.

Moraliter nota. Peccato terra ipsa concutitur. Id patuit in passione Christi, Matthæi 27. v. 51. *Terra mota est*, tota; ita ut totus terræ globus e centro suo conquassatus intremuerit, ut docet Didymus in Catena Græca in cap. 9. Iobi, eoque terræ motu multas domus eversas fuisse Nicææ in Bithynia tradit Phlegon, *et petræ scissæ sunt*, in monte Golgotha, ut ait S. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 13. atque nunc patet, teste Adrichomio, num. 252. et montem Alverniæ in Hetruria tunc esse scissum S. Francisco revelavit Angelus, ut narrat Lucas Waddingus in Annalibus Minorum anno 1215. num. 15. vindictæ divinæ nuntium esse terræ motum, ait Pausanias in Achaicis: et his annis experti sumus: in Germania enim, Lotharingia, Belgio et Campania nostra sensimus terræ motum, post quem singulis annis plurimum sanguinis Christiani in illis partibus effusum est, idque fieri ob peccata, omnes vident et inclamant, pauci tamen sunt qui vitam emendant. Core, Dathan, atque Abiron in Mosem et Aaronem rebellantes terræ motu absorbentur, et vivi ad inferos descendnnt. Num. 16. Deus dicit Isaiæ 13. v. 113. *Visitabo super orbis mala, et contra impios iniquitatem eorum, et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.* Quomodo id facturus sit declarat, v. 13. *Super hoc cælum turbabo, et movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, et propter diem iræ furoris eius.* Anno quarto Constantii Imperatoris, ut habet S. Hieronymus in Chronico, multæ Orientis urbes terræ motu horribili conciderunt; certum de offenso ab Arrianis numine in expellendis Episcopis Catholicorum prodigium: ut et Orosius notavit, et manifeste inde apparuit, quod Antiochena civitas, in qua Arrianorum sæpe conventus celebrati sunt, et in sanctos Episcopos decretæ sententiæ, per annum integrum, ut ait Socrates, terræ motu concussa est: quem quidem cœptum esse anno quarto Constantii et quinto perseverasse, ait Cedrenus. Et S. Ephrem adversus eos agens, qui cunctos terræ motus naturalibus causis tribuunt, et non comminanti Deo; cum admirabiles eorum recenset effectus, refert inter alia de montibus Armeniæ, eos tunc per terræ motum ab invicem dissitos, in mutuum quasi conflictum impulsos esse, ita ut ignis videretur excitari, plurimumque fumare, rursumque singulos suo ordine ac loco consistere. Vide Baronium anno 340. num. 34. Post mortem S. Ignatii Patriarchæ Antiocheni, qui sub Traiano Leonibus est expositus, terræ motus maximus Antiochiæ accidit, ubi plurimi occisi sunt, inter quos fuit Pedo Consul, et ipse Traianus in summo periculo fuit. Vide Dionem. De terræ motu, qui totos sex menses maximam orbis partem concussit, anno Christi 446. Theodosii Iunioris 39. vide Baronium. Pompeiopolim Ciliciæ civitatem a terra cum incolis absorptam esse tradit Nicephorus lib. 17. cap. 13. Cum Pelagius inundantibus Hispanias Mauris in Ausenæ montis spelunca, et mille milites eum secuti laterent, illumque ex illis latebris Mauri expellere niterentur, advertit tela in se suosque coniecta in hostes resilire. Itaque eruptione facta viginti barbarorum millia peremit, cæteri autem magno montis fragmine in Devam fluvium præcipitati sunt, ut refert Mariana lib. 7. histor. Hisp. cap. 2. 42. Peccato terra concutitur.

Tertio, post terræ montiumque concussionem sequitur nubis coactio, et fulminum velut in fornace fabrefactio, v. 9. ASCENDIT FUMUS IN IRA EIUS (S. Hieronymus de furore eius) ET IGNIS A FACIE EIUS EXARSIT (S. Hieronymus, ignis ex ore eius devorans) CARBONES SUCCENSI SUNT Vers. 9

AB EO. Ubi nota gradationem et augmentationem iræ. Primo, fumus egreditur o naribus. Secundo, ignis ab ore atque vultu. Tertio, carbones durabiles et diu ignem retinentes accenduntur, quibus iræ diuturnitatem denotari
43. dicit Theodorus Antiochenus. Ad literam, fumus ille est vapor cum exhalatione mixtus, qui sursum trahitur; in nubem densatur, fulgetris micat, et fulmen concipit. Non memorabo absumptos igni Sodomitas, Gen. 19. Ducentos quinquaginta proceres Hebræorum, qui offerebant incensum, singuli habentes suum thuribulum, cum non essent de familia Aaron, Num. 16. Quinquagenarios duos ab Ochozia Rege Israelitarum cum militibus suis ad Eliam missos, 4. Regum 1. Hoc supplicii genus interminatus est Deus, Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* (est hyperbole) *devorabitque terram cum germine suo, et montium fundamenta comburet*: ut ima et profundissima terræ loca consumat, et in sterilitatem vertat. Hæc vocat hyperbolice inferni novissima.

Nubes ignea imminens urbi Constantinopol.

Memorabile est, et in omnem posteritatem transmittendum, quod S. Augustinus de excidio urbis cap. 6. refert. Cum, inquit, Deus cuidam pio viro militari revelasset, fore, ut civitas Constantinopolis, igne de cælo deciduo deflagraret, idque populo enuntiasset Episcopus, in pœnitentiæ luctum universa civitas conversa est. Die præstituta, noctis initio visa est *nubes ignea* ab Oriente, primo parva, deinde paulatim ut accedebat supra civitatem, ita crescebat, donec toti urbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat. Omnes ad Ecclesiam confugiebant, nec capiebat multitudinem locus. Baptismum extorquebat quisque a quo poterat, non solum in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos, ac plateas. Verum ubi exhibuit Deus fidem revelationi servi sui, cepit, ut creverat, minui nubes, paulatimque consumpta est. Populus securus paululum factus, iterum audivit omnino esse migrandum, quod civitas esset proximo sabbatho peritura. Migravit itaque cum ipso Arcadio Imper. tota civitas: nemo in domo remansit, nemo domum clausit, sed relictis charissimis sedibus voce miserabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, uno tamen loco fundendis ad Deum orationibus congregata, *magnum fumum* subito vidit, et vocem magnam emisit ad Deum. Tandemque tranquillitate perspecta, missis qui renunciarent de rerum statu, cum salva cuncta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt, ac nemo de domo sua quicquam perdidit patente. Omnia, sicut dimisit, invenit. Hæc ex Augustino, quæ recitans historia miscella, urbis salutem tribuit precibus Arcadii, et populi. Addere potes, urbem fuisse servatam, quia omnes inde peccatores exiverant. De trepidatione Neapolis in Vesuvii incendio, quod a paucis annis contigit, dicam alias. Vide de illa Recupitum nostrum. De igne in Marcomannos, Quados, Sarmatas, aliosque devocato per preces legionis fulminatricis; lege Baronium anno 176. De igne exiliente e fundamentis templi Ierosolymitani, quod restaurare cupiebat Iulianus Imperator, vide eumdem Baronium anno 363. S. Gregorium Nazianz. S. Chrysostomum, Ruffinum, Theodoretum, Socratem, et alios.

Ira ascendere dicitur ad nares, et cur?

44. Quæres cum Abulensi in 2. Reg. 22. quæst. 2. Quare dicitur ira ascendere ad nares? hic enim loquendi modus in Scriptura usitatus est: Sic Isaiæ 2. *Cessate ab homine, cuius spiritus in naribus eius*, id est, qui habet iram in naribus. Respondeo quod ira fit ex quadam commotione interiori, et succenditur sanguis circa cor, et fervescit, ex qua ebullitione causantur quidam fumi sicci, qui sunt proprie materia iræ, et sunt aliquid corporale, illi autem præ subtilitate sua, et calore iræ elevantur ad cerebrum, et tunc interdum contingit calore ipsorum partes quasdam humidas congelatas existentes in cerebro, quæ sunt materia lacrymarum liquefieri, et fluere, et cum eis simul fluunt fumositates iræ, quæ ascenderant ad cerebrum. Unde experimur, quod si quis iratus valde, incipiat aliquantulum flere, totus impetus iræ eius extenuatur, et exinanitur: nec manet aliquid ferocitatis post huiusmodi fletum. Hoc autem experimur in ira mulierum et parvulorum: Nam quamquam multum concitentur in iram, sequitur in eis fletus, et tunc laxatur impetus iræ, et iam non moventur truculenter ad desiderium vindictæ, sicut prius, sed cessant iam illam expetere. Sic etiam est cautela in quibusdam hominibus, quod, cum velint aliis conservare iram; non flent postquam iram conceperint, ut possint retribuere: alioquin si fleant, iam non desiderant moveri ad retributionem, nec est in eis ille impetus fortis, quem ira causare solet. In viris autem non est iste modus, ut communiter, evacuandi iram: quia cerebrum virorum, potissimum cholericorum et melancholicorum est siccum: ideo non potest per ascensionem fumorum iræ distillare lacrymas: ideo fumus iræ non evacuatur cum lacrymis, sed manet semper in conditione fumi: et quia ille fumus est a calore iræ, est nimis calidus: unde per spiracula venientia a cerebro spiratur, scilicet per nares: ideo cum quis iratus est, nisi velit se coercere, aut fleat, necesse est, fumositates quasdam evacuari per nares, quæ valde calidæ sunt, et illi vocantur fumi iræ. Ita Abulensis. Et quidem Aristoteles lib. 4. Ethicor. cap. 5. distinguit tres species iracundorum. Primo, ἀκροχόλων, qui cito facileque irascuntur quodam impetu, sed mox conquiescunt: secundo, πικρῶν, id est, amarorum, seu acerborum, qui difficile reconciliantur, longoque tempore irascuntur, nec ante cessant quam sese ulti fuerint, interim sibi aliisque molesti: tertio, χαλεπῶν, id est, infestorum, sive difficilium, qui et ob quæ non debent, et magis quam debent, et diutius succensent, et placari etiam absque ultione non possunt.

Quarto, Coacta in unum nubes ob pondus subsidit, ac terræ fit propinquior, et consequenter Deus in ea residens et operans, v. 10. INCLINAVIT CÆLOS (id est, nubem aeream: aer enim etiam cælum vocatur) ET DESCEN- Vers. 10. 45.
DIT (Deus ipse, sive nubem resolvendo in ventos, ut vult S. Thomas, sive eam resolvendo in pluviam, aut grandinem, aliave,) ET CALIGO SUB PEDIBUS EIUS, totus enim aer tenebrescit, quando nubes sunt densatæ et terris proximæ.

Nota, nubes illa gravis et ponderosa designat punitionem gravem Philisthinorum in Davidem et populum Dei irruentium. Sic de ingenti Nabuchodonosoris exercitu dixit Ieremias cap. 4. vers. 13. *Ecce quasi nubes ascendet* (1. velociter, 2. cum impetu, 3. cum fulmine. Hæc omnia innuit nubes minax) *et quasi tempestas currus eius*.

Nota secundo, Circa nubem est caligo, quia hæc punitio est idololatrarum, nempe Philisthinorum, quibus mentem non illustravit, ut Deum vindicem agnoscerent, et adorarent: sed inde maiorem occasionem blasphemandi, et furendi sumpserunt. Contra vero, cum Deus punit servos suos in ipsa nube, et vindicta est splendor; castigatio enim illis dat intellectum. Ezech. 1. ubi describitur currus bellicus Dei irruens in Ierusalem, et Cherubini eam succendentes, dicitur v. 4. *Et vidi, et ecce ventus turbinis* (id est, ventus turbulentus, ventus in turbinem ac gyrum circumactus. Theodotio reddit, flatus tempestatis) *veniebat ab Aquilone* (inde conflaverat exercitum Nabuchodonosor) *et nubes magna* (pluvia, et grandine gravida) *et ignis involvens* (Septuaginta, fulgurans. Hebr. recipiens se, id est, modo e nube emicans, modo intra nubem se receptans, et in ea occultans. Vatablus vertit, ignis se reciprocans, id est, sese intersecans. Nam ex variis nubis partibus ignes exilientes mutuo occursu sese pervadere, et penetrare videntur, et sic se intersecare atque obvolvere) *et splendor in circuitu eius*, nubis scilicet, quæ, ut ait Pradus noster, circumcirca splendorem quasi iridis emittebat. Sic splendor ille denotat misericordiam Dei etiam punientis, de quo ait Habacuc 3. v. 2. *Cum iratus fueris* (non ante) *misericordiæ recordaberis*, quia peccator excitabitur tonitruo minarum et fulgetris, quas, non iridem, vult Maldonatus denotari per illum splendorem in circuitu nubis: sicque cum Polychronio dices repræsentare terrificam Dei maiestatem et gloriam, quæ se manifestat in

supplicio reorum. Sed parum refert, modo adsit sufficiens splendor, ut Deum peccatori osteodat: cum eoim eum viderit, convertetur, conversos misericordiam impetrabit, et Deos *fulgura ia pluviam* faciet Psal. 134. 7. Id est, ex ipsa punitione misericordiam elieiet, et animaio exterriti gratiis suis recreabit, et fœcundabit.

Quinto, Celeritatem et impetum nobis agitatæ per ventos declarat, v. 11. Et ascandit (Syrus. Felix, et Pagninus equitavit) super cherubim (Hebr. super Cherub: unus tantom ponitur, qui sit velut equus Dei. Multi tamen recte ponuntur, qui nubem impellant et dirigaot, ac Deum in nube existeotem vehant) et volavit: (celerrime nubem agitavit,) volavit super pennas ventorum, qui nobem pro eius voluntate deferunt, quam in partem placuerit. Felix vertit, super alas venti. Chald. super pennas turbinis. Lorinus opinatur veotos esse idem cum Cherubinis, et quidem Scriptura sæpe alas dat Aogelis, ot Seraphiois Isaiæ 6. 2. Cherubinis Ezechiel. 1. 23. et alibi. Venti quoque alati dicuntur, Ps. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Et Oseæ 4. 19. *Ligavit eum spiritus*, (id est ventus) *in alis suis*, ut populum ferret in captivitatem, ut Ruffinus et Theophylactus exponont. Secundo tamen, melius distingaes Cherubim a veotis, ut textus ipse clare denotat: sic Ezech. 1. ponitur ventus turbinis in illa oube terrifica, et Cherubini præter ventos. Deinde in omni tempestate terribili ordioarie sunt venti. Dicitur tamen Deus, et ascendere super Cherubim, et ferri ventorum alis, quia utrique nobem ferebaot, sed venti ab ipsis Cherubinis directi et agitati.

Vers. 11.

46.

47. Cherubinorum ordo qualis.
Nota, Cherubim sont Angeli primæ Hierarchiæ, in cuius primo ordine sunt Seraphini, in secuodo Cherobioi, in tertio Throoi. Sedulius Hibernensis in epist. ad Ephes. c. 1. Novem, inquit, scimus Angelorum ordines: Angelos, Archangelos, Virtutes, Priocipatus, Potestates, Dominationes, Thronos, Cherubim et Seraphim. S. Greg. hom. 34. in Evangelia, eodem ordioe ponit Cherubinos, et Seraphinos, in aliis variat. S. Chrys. hom. 3. de incomprehens. Dei, primo loco numerat Cherubinos. Malim tam communi sententiæ adhærere, et S. Dionysio lib. de cælesti Hierarchia, cap. 5. *Omnes*, inquit, *cælestes immortalesque substantias in novem ordines divinus sermo distinxit, propriisque ac significautibus vocabulis appellavit. Has eximius præceptor noster, in ternas tertio repetitas distinctiones ad sanctæ Triaitatis divisit imaginem, ac primam quidem esse, ait, quæ coram Deo versetur semper, idque ex divina dignatione susceperit, ut illi inhæreat iugiter, uullisque mediis interiectis spiritibus inseratur. Nam sanctissimos Thronos, et oculis plurimis aliisque præditos ordines, Cherubim scilicet ac Seraphim, Hebræorum voce appellatas, iuxta Deum nullis mediis iasertis agminibus, emiuenti propiuquitate locatos ait. Idque sanctarum Scripturarum tradere expositionem, ut una et per omnia æqualem primamque revera Hierarchiam illustris Dux noster, et Magister ait, quæ non sit præstantior altera, primoribusque Dei summi splendoribus maiori propinquitate coniuncta. Secundam vero asseruit, quæ Potestatibus, Dominationibus, Virtutibusque couficitur. Tertiam item, quæ in cælestibus functionibus extremum teueat locum ex Augelis, et Archangelis, Principatibusque constantem.* Rationes cur in tres Hierarchias facta sit illa distributio, babes apud S. Thomam 1. p. q. 108. art. 1.

48. Cherubini in terras mittuntur.
Nota secundo, Cherubinos, licet sint ex prima Hierarchia, et inter assistentes Deo, mitti tameo ad providendum hominibus, ut patet hoc loco, ubi Deus in nube dicitur supra illos sedere: quia Cherubioi oubem illam impellebaut io Philisthæorom castra, ot fulminibus percuterentur. Deiode Ezechiel. 1. Cherubini quatuor ad modum iuvenum alatorum dicontur stipare currum Dei. Genes. 3. unus Cherub cum gladio flammeo pooitur ante ostium Paradisi terrestris. Et S. Paulus Hebr. 1. 14. vocat omnes prorsus Angelos, administratorios spiritus, in ministerium missos, propter eos qui bæreditatem capiunt salutis. Sic ad Isaiæ labia purganda carbone ignito ex al-

A tari sumpto mittitur Seraph. cap. 6. et Raphael mittitur ad Tobiam ducendum et iuvandum, licet dicat se esse de astantibus Deo principibus. S. Augustin. lib. 2. Meditat. cap. 3. rationem optimam affert, cur omoes prorsus aliquando ministrent. *Neque*, ait, *id incredibile cuiquam videatur, quandoquidem ipse Creator et Rex Angelorum, venit, non ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis. De excelso igitur cælorum habitacula od consulendos, visitandos, et adiuvandos nos attrahit supereminens charitas Angelos: propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum utique, cuius tanta erga nos pietatis viscera, ipsi quoque, ut dignum est, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem admirantur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur.*

49. Super Cherubim volat, sedet, equitat Deus.
Nota tertio, Deus dicitur volare, sedere, equitare soper Cherubim, Deuteron. 33. 26. Ps. 79. 2. Ps. 98. 1. et hic. Item 4. Regum 19. 15. Isaiæ 37. 16. Daniel. 3. 55. Habacue 3. 8. allusione facta ad Arcam et Propitiatorium, ubi B Moses Dei iussu posuerat duos Cherubioos aureos, qui extentis alis, et sibi invicem iunctis Deo thronum faciebaot, in quo sedebat et oracula reddebat: sic erat velut biga invectus. Hic autem malim opinari a Davide velut quadriga invectum poni, unde volat; clare id vidit Ezechiel, cum quatuor rotas, et quatuor Cherubioos aspexit, velut stipatores currus, quem tamen nuu trahebaot, quin spiritus vitæ erat in rotis, et rotæ ipsæ erant Aogeli. Itaque Ezechiel alludit ad quatuor Cherubinos a Salomone positos in Sancto Sanctorum: quorum duo erant aurei arcæ impositi quos Moses fecerat, alii duo ex olea? seu potius, alludit ad doos aureos illos, et ad doos alios aureos a Salomone Altari aureo io Sancto positos: hi enim sibi correspondentes, melius repræsentant quadrigam, quam alii qui etiam magnitudine erant longe ab aureis differentes, sicque non ita commode cum illis quadrigam fecissent. Hinc collige probabiliter, per Cherubim hic accipi quoslibet Angelos.

50. Ascendit Deus super Cherubim, et cur?
C Quæres, Cur hic, et apud Ezechielem Deus dicatur ascendisse soper Cherubim, et habère illos sui currus stipatores? Respondeo, ut ostendat se non punire sine causæ notitia, at sine summa sapientia. Nam Cherubinis tribuitur scientia et cognitio, sicut Seraphinis ardor et charitas. S. Ioannes Damascenus, lib. 2. de Fide, cap. 3. vocat ocolatissimos. S. Bern. serm. 19. in Cantic. *Cherubim*, ait, *plenitudo scientiæ, Seraphim incendentia vel incenso dicuntur.* Vox Hebræa כרוב *Cherub*, deducitur, ut vult Pagnin. io ioterpretat. nomin. Hebr. a נכר *Nachar*, id est, scire. Est enim de defectivis *Pe Nun*: Itaque *Nun* facile excidit; et a רב *rab*, id est, multus, magnus, q. d. multus vel magnus, hoc est excellens, scientia. Vel, cognitionis aut scientiæ multitudo. Michael Angelus a S. Romulo, Cherub etiam interpretatur, *quasi pugnans*, a particula, כ *Che*, id est, quasi, et רבה *raba*, id est, iaculari, sagittare: Hæc etymologia aptissime conveniet nostro versiculo, ubi Deus inducitur pugnans in D Philisthæos vectus Cherubinis. Sic etiam patebit, cur potius utatur Cherubinis quam aliis Angelis. Ideo etiam Moses posuit in tabernaculo, et supra arcam Cherubinos, quia totam illam structuram Deus ordinavit post victoriam de Ægyptiis reportatam io mari rubro, ubi per Aogelos pugnaverat pro Israele: unde possis conücere, in ea oube pugnante adversus Ægyptios fuisse Cherubim, quibus id monimentum gratitudinis reponatur. Ezechiel quoque Cherubinos, prope currum Dei pergentis ut Ierusalem everteret et iocenderet, vidit instar militum humana forma et facie, quorum in galea a dextris esse facies leonis, a sinistris facies bovis, atque in summo facies aquilæ hoati obversa. An fuerint Cherubini, qui Sodomam et Gomorrham everterunt, incertum est, aliqua tamen sed levis coniectura in eam partem aliquantulum inclinat, cum dicat eorum dux, Gen. 18. 21. *Descendam et videbo* (cognitio at scientia io Angelis tribuitur illi præsertim ordini) *utrum clamorem qui venit od me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Cum de fructu arboris *scientiæ*

Cherub unde derivatur?

boni et mali comedisset Adam, positus est Cherub prope ostium paradisi, ut viam illi et posteris occluderet.

Sexto, Tanebria terram aeremque obvelantibus, ut dicitur v. 12. Incipiunt crebriora micare fulgura, et grandinis nimbi, ac fulmina decidere, v. 13. PRÆ FULGORE
Vers. 13.
(id est, ob fulgorem Dei in nube latentis, et tenebrosa aqua sese obvelantis) IN CONSPECTU EIUS NUBES TRANSIERUNT (id est, coram eo per aerem iverunt, dissolutæ sunt, discussæ, dissipatæ, celeriter motæ, et velut tela in
51. hostes directæ) GRANDO ET CARBONES IGNIS, supple transierunt, et a Deo in eosdem disiecti et contorti sunt velut sagittæ. Carbones ignis, id est, fulmina. Etenim ob fulgurum effulgentium, et rutilantium splendorem obscuritas, et caligo nubium excutitur, et igniti carbones grandine permixti apparent, atque exterrent, et rebelles conterunt. Asserit Isidorus cecidisse aliquando grandines non minores humano capite. Philo ait grandinem quæ cecidit in Ægyptios Exod. 9. inusitatæ fuisse magnitudinis, instar lapidum, et densam instar pluviæ: unde factum est, ut quicquid hominum ac iumentorum in agris repertum fuit, contuderit et occiderit, cunctamque herbam agri percusserit, et omnes arbores tam late patentis regionis confregerit.

52. Quæres, Quomodo grando et carbones ignis poterant simul cadere? Respondeo primo, fuisse miraculum. Sic Exod. 9. 24. habetur: *Et grando et ignis mista pariter ferebantur.* Septuag. adhuc signatius vertunt; Erat autem grando et ignis ardens in grandine. Hoc prodigium admiratur Salomon, Sap. 16. 22. *Nix autem et glacies* (id est, grando quæ est aqua, vel nix conglaciata: vel certe cum grandine et pluvia nix etiam cecidit, ut sæpe fit) *sustinebat vim ignis, et non tabescebant: ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, et* (repete, in) *pluvia, coruscans.* Rationem addit, quia creatura creatori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos. Sic etiam contra quinque Reges Chananæorum, qui Gabaonitas veluti transfugas impugnabant, dicitur Iosue 10. 11. *Dominus misit super eos lapides magnos de cælo*, id est, lapides grandinis: tonitrua et fulmina addit Iosephus lib. 5. Antiq. Iud. cap. 2. Hinc extitit illa celebris victoria, quam ut aspiceret et augeret sol, stetit, per duodecim vel quatuordecim horas præter solitum, quod cum acciderit sub vesperam, fecit diem artificialem 27. vel 28. horarum, et consequenter diem naturalem 36. aut 38. horarum.

Grando et ignis simul cadebant in Philisthæos

53. Respond. secundo, sæpe in eadem nube, et fulmen, et grandinem formari. Grando enim, ut docet Aristoteles lib. Meteor. cap. 12. est pluvia in aere conglaciata. Generatur enim grando, cum aqua pluvia, priusquam terram pertingat, in gelu cogitur. Quod duobus temporibus accidit: magno æstu, vel magno frigore. Cum priori tempore, materia eius remota est spiratio, magni caloris efficientia in sublime evecta, et in nubem paulo densiorem, et calidiorem concreta. Materia proxima est imber, in quem nubes solvitur. *Proxima causa efficiens est calor* circumfusi aeris, aquam per antiperistasim refrigerans, et totum ab ea calorem exprimens atque extinguens. Quo fit, ut grando, horridior ac dirior sit cæteris impressionibus humidis, quæ in aere fiunt. Si autem grando existat, cum omnia circumquaque algent, eius remota materia est expiratio, non tanto calore, nec in tam densam calidamque nubem coacta. Proxima vero efficiens causa est frigus aeris ambientis, docet autem Aristoteles, ideo aquam, e qua grando fit, celerius congelari, quia retinet in se aliquid caloris, quem ad conglaciationem multum conferre constat experientia: siquidem aqua præcalefacta frigido cælo exposita, impensius celeriusque refrigeratur: nimirum quia calor aquam attenuat et rarefacit: rarefacta hosti magis patet, eiusque vim incunctanter recipit: quemadmodum et densa ob materiæ multitudinem pertinacius resistit: Ita fit, ut aqua pluvia ob inclusum calorem facilius in gelu coeat, quia rarior est: proindeque insinuanti se frigido aeri faciliorem præbet aditum. Quod edisserit Theophrastus lib. 5. de causis plantar. cap. 20. Lege etiam Aphrodisæum lib. 1. probl. quæst. 56. ita Conimbricenses in lib. Meteor. Arist. tract. 7. cap. 1.

Grandinis causæ.

Septimo, Fulgetras, grandinem et formationem fulminis saltem inchoati sequitur auditio tonitrui, licet prius fiat nubis fractio, quam fulgur appareat. Sed oculus est aure promptior. Sequitur itaque v. 14. ET INTONUIT DE
Vers. 14.
CÆLO (id est de nube) DOMINUS, ET ALTISSIMUS DEDIT VOCEM SUAM, GRANDO ET CARBONES IGNIS, supple, intonuerunt, et dederunt vocem suam. Nam et grando cadens crepitat, et fulmen stridet.

54. Nota, tonitru dicitur *vox Dei*. Primo, quia Deus est in nube, ea omnia agens quæ ibi fiunt, itaque sonus nubis per catachresim eius vox dicitur. Secundo, quia ille sonus est magnus. Vox Dei itaque, id est, vox seu sonus magnus, sicut ob magnitudinem dicuntur Cedri Dei, montes Dei. Hinc Iob dicit cap. 26. 14. *Cum vix parvam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis* (Hebr. tonitruum fortitudinum, seu potentiarum: id est, fortissimum et vehementissimum) *illius intueri?* et Eccli. 43. 18. *Vox tonitrui eius verberavit terram:* id est, verberare solet, 1. ob collisionem aer agitatur qui terram ferit; 2. terram, id est, homines in terra versantes sonitu percutit, et ad audiendum excitat; 3. illos exterret atque dolore afficit. Unde Septuag. vertunt ὠδίνησε, id est, dolere et parturire fecit. S. Isidorus lib. 13. Origin. cap. 7. ait, tonitruum esse dictum, quod sonus eius terreat: nam tonus et sonus idem sunt. Augustus Cæsar ita timebat tonitru, ut teste Svetonio in vita c. 90. in abditum locum et concameratum se reciperet: ac semper et ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio. De Anastasio Imp. dixi alias: Tiberius quoque Imp. ut ait Svetonius in vita sub finem, tonitrua præter modum expavescebat: et turbatiore cælo numquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.

Tonitru dicitur vox Dei, et cur.

Tonitru inquietat.

1. Augustus.

2. Anastasius.

3. Tiberius.

Neque ii tantum qui sibi male conscii pœnam scelerum timebant, sed etiam sancti viri trepidaverunt auditu tonitru. De S. Ceodda Provinciæ Merciorum Episcopo, refert Beda lib. 4. Hist. Anglicanæ, cap. 3. Si forte legente eo, vel aliquid agente repentinus turbo insonaret, e vestigio misericordiam Dei invocavisse, eamque humano generi propitiare studuisse. Si vero violentior hæc aura non subsideret, clauso codice procidisse in faciem, aut obnoxium orationi incubuisse: si denique procella vehementior aut nimbus perurgeret, vel fulgetræ ac tonitrua terram percellerent atque concuterent, tum temporis ad Ecclesiam properasse, sollicitisque votis ac psalmis, dum aeri rediret serenitas, fixa mente vacavisse. Rogatum autem, quid causæ esset, cur eum se præstaret, psalmi nostri versiculum protulisse. *Non legistis,* inquit, *quia intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam: misit sagittas suas et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.*

4. S. Ceadda.

S. Thomas innocentia et eruditione Scholæ Angelus, ubi primum tonitrui infrementem sonum auribus acceperat, contremiscebat, quod diceret, fulminum ictus in eam rem a Deo esse ordinatos, ut a sceleratis pœnas repeteret delictorum: tum procumbens in genua, summa mentis demissione solitus erat dicere: *Te ergo quæsumus, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* Et quidem si causas tonitrui inquirimus. Primo, finalis est, metu tonantis numinis, eoque sonitu potentiam suam declarantis, homines percellere. Secundo, materialis est, exhalatio sicca et calida: unde tonitru potissimum fit, cum est magna exhalationum copia: atque in illis regionibus, quæ iis spirationibus abundant. Neque necesse est semper eas accendi et ignescere. Aliquando enim sine fulgetris et fulmine fit tonitru. Tertio, causa formalis tonitru, est collisio nubium cum fragore et sonitu. Aliquando, ut ait Asclepiodorus apud Senecam lib. 2. Natur. quæst. cap. 30. etiam absque nube, quorumdam corporum concursu possunt edi tonitrua, ut fit in monte Ætna. Non est enim probabile in illis crateribus flammeis esse ullas nubes. Sed obluctante, et magno impetu se effundente e

5. S. Thomas.

Tonitrui causæ.

terræ cavernis spiritu, sulphureaque materia, aer insonat. Quarto denique, causa efficiens tonitru, est pugna exhalationis e nube conantis erumpere. Ut enim ait Aristoteles in lib. Meteororum. Cum sicca et calida exhalatio in nubem magnam et lateribus crassam, ac densam includitur, accidit ut per nubis cavitatem huc illuc diffugiat, et vel motu, vel antiperistasi, vel ab utraque causa simul incalescat et rarescat, proindeque ampliorem locum poscat. Tum vero dum nubes magis magisque frigore coarctatur, spiritus incitato impetu fugam quærens ictu vehementi in nubem impingit, eamque diarumpit, sicque ingens sonitus existit, quem tonitruum vocant. Lucretius quoque et Seneca docent sola nubium vento agitatarum collisione fieri posse tonitru, licet nulla sit exhalatio, neque in ea re videtur ulla repugnantia.

55. *Tonitru esse avem barbari putavere.*

Ridiculi fuerunt quidam barbari, qui tonitru avem esse crediderunt, cuius vox tanta esset. Sed hæc vox est unius Dei, quem omnes timere et revereri atque adorare debeant intonantem. Unde Deus ait Iobo cap. 20. Iob. v. 1. *Accinge sicut vir lumbos tuos* (q. d. ait Olympiodorus, Noli silentio uti, loquere, te ipse collige, vir esto, viro dignam da responsionem) *interrogabo te, et indica mihi. Numquid irritum facies iudicium meum* (infirmabis, labefactabis, mutabis) *et condemnabis me, ut tu iustificeris?* (ut appareas innocens, et supra merita tua punitus) *et si habes brachium*, (id est robur) *sicut Deus, et simili voce tonas*, q. d. hoc tibi est impossibile. Deus se Deum esse omnipotentem, et cui nemo possit resistere, declarat terrifico suo tonitru.

Tonitru terrentur Israelitæ.

Deus non tantum unum hominem, sed gentes integras tonante voce exterret. Exod. 20. 19. post Decalogi promulgationem in Sina, Angelus buccina insonat, sicut ante eius promulgationem, ideo timet populus: instar enim tonitrui hæc vox erat terribilis. Verba sunt: *Cunctus populus videbat* (id est, excipiebat, audiebat: visus ab Hebræis pro quolibet sensu sumitur) *voces, et lampades* (id est, fulgura micantia et flammantia ad modum lampadum, ut patet cap. 19. 16. ubi tonitruorum ac fulgurum fit aperta mentio) *et sonitum buccinæ, montemque fumantem: et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Mosi: Loquere tu nobis, et audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Si Deus amicis dans legem ita intonat et terrorem parit, qualis erit et quam horribilis vox tonitrui eius iudicantis peccatores, et in tota æternitate torquentis? Hæc erit vox tonitrui in rota, numquam cessans et novos semper dolores inferens.

Fulmen quomodo formatur?

Notabile est, quod Spondan. refert tom. 3. anno 1545. ex Neugebavero in histor. Polonica lib. 7. videlicet in fine Aprilis mane circa horam octavam primo *horrendum tonitru auditum esse, quo incolæ in stuporem dati*: post, tres rubras Cruces orientem versus apparuisse, duas iuxta se positas, tertiam subtus, in medio virum armatum cum gladio ignito: contra quem exercitus instructus peditatu equitatuque progressus, cum eo ad meridiem dimicavit. Eo vincente, omnes disparuisse copias, solumque armatum inter Cruces substitisse, tamquam victorem, et triumphatorem. A tergo immanem draconem adortum esse victorem, et ipsum atque arma absorpsisse, simulque Cruces evanuisse: inde totum cælum duabus amplius horis ignitum visum esse: demumque tenebras densissimas incubuisse usque ad sequentis diei nonam antemeridianam: tandem cælo sereno facto tres irides amœnissimas supra se positas conspectas, quibus Angeli species insedit aspectu iucundissimo, et amplius horam videndum se præbuisse: ad extremum omnia discessisse, tempestatemque serenam subsecutam esse. Hæc ibi.

Octavo denique, postquam Deus fulguribus homines admonuit, et tonitru exterruit, tandem fulmine percutit,
Vers 15. vers. 15. ET MISIT SAGITTAS SUAS, ET DISSIPAVIT EOS:
56. FULGURA MULTIPLICAVIT ET CONTURBAVIT EOS. Nota, fulmina vocavit prius *carbones ignis*, quia, ut ait, Albertus, 3. Meteor. tract. 3. cap. 26. fulmen nullum venit sine igne: deinde, ut idem docet cap. 21. fulmen ex vapore nigro et fumoso, si vapor ignitur, potest esse lapis. Nunc

Vir cum dracone pugnans in aere.

vero fulmina dicuntur *sagittæ Dei*, quia fulmen est exhalatio ignita e nube magno impetu excussa. Dicitur exhalatio ignita, sive ignis in exhalatione accensus: quia fulmen, ut Aristot. lib. 3. Meteor. cap. 1. ostendit, est ignis, non lapis igni delatus, ut vulgus putat: alioquin non esset tam subtile, nec posset corpora traiicere, quod sæpe facit: cum forma lapidis in tanta tenuitate servari nequeat: tametsi non sit negandum posse exhalationes intra nubem *concrescere in lapidem*, qui una cum fulmine *tamquam bombardæ globus* trudatur: quemadmodum et aliquando exhalationes in metalla addensantur, ut advertit Albertus lib. 3. tract. 3. cap. 23. et Georgius Agricola lib. 4. de rerum subterranearum ortu. Itaque ea fulmina, quæ non penetrant, sed terebrant et diffindunt, sæpenumero lapidem vehunt, quem *cuneum* vocant. Incenditur vero talis exhalatio, quæ admodum sicca esse debet, vel per motum, vel per antiperistasim: et quia accensa rarefit, magnoque conatu exitum e nube frigida et densa ac diu reluctanti quærit, dum eam tandem rumpit, horrendum edit tonitruum: quod si nubem per inferiorem partem, quam tunc tenuiorem invenit, frangat: eadem vi et impetu, quo eam scindit, ad terras fertur: nec in aere mox diffluit et dissipatur, ut pleræque omnes exhalationes ignitæ: tum quia velocissime erumpit, tum quia constat partibus bene coagmentatis, et inter se cohærentibus. Nonnumquam tamen fulmen, quia languidiore ictu vibratur, non pertingit ad terras: sed in aere extinguitur et evanescit. Ita nostri Conimbr. in lib. Meteor. tract. 2. cap. 5. ubi etiam ostendunt fulmen differre a tonitruo, quia tonitruum est sonus editus modo explicato vers. 14. fulmen autem est substantia ignea. Differre etiam a fulgure: quia spiritus fulguris est rarior ac minus compactus. Item, quia spiritus fulguris sparsim, et per intervalla; fulminis autem uno ictu, ac totus confertim incenditur. Tertio, quia fulmen est ignis e nube vibratus: fulgur, ignis nube inclusus. Quarto, quia fulmina nonnisi crassis et magnis nubibus et nimborum caligine obruto cælo proveniunt. Quinto, quia maiori vi ad fulmen opus est, quam ad fulgur: unde vult Seneca, fulgur nihil aliud esse, quam flammam futuram fulmen, si plus virium habuisset.

Nota secundo, duplicem hic effectum fulminis et fulguris David ponit. Primo, dissipationem hostium: secundo, conturbationem, Ac primo, ait: *Misit sagittas suas, et dissipavit eos.* Ubi adverte, sicut docet Albertus 3. Meteor. tract. 3. cap. 26. fulminum tria sunt genera: primum, quod terebrat, quod est materiæ subtilis: secundum, quod *dissipat*, quia habet commixtum multum spiritus procellosi: tertium, quod urit, quia habet multum vaporem terreum, et est maxime igneum, et urit, vel flando levi iniuria, vel comburit, vel accendit. Hæc sumpsit a Seneca, quia ait tria esse fulminum genera, quod terebrat, quod discutit, quod urit. Deinde eodem pene modo illa explicat. Plinius lib. 2. cap. 47. ait, *Ignes stellarum* superne decidere, quorum ictu aer concutiatur, quando et tela vibrata strident. Cum vero in nubem pervenerint, vaporem dissonum gigni, ut candente ferro in aquam demerso, et fumidum verticem volvi. Hinc nasci procellas. Et si in nube luctetur flatus, aut vapor, tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetra. His findi nubem, illis perrumpi. Et esse tonitrua impactorum ignium plagas, ideoque protinus coruscare igneas nubium rimas. Hæc Plinius, qui si de stellis proprie dictis loquitur, errat, cum ait ignes earum decidere. Iure autem dixeris, fulmina esse ignes Dei, sagittas ac tela Dei, ob admirabiles eorum effectus, et vim, cui nihil est quod resistat. Nam quod ferunt laurum non percuti fulmine, id negat Vicomercatus in lib. 3. Meteor. cap. 10. ubi laurum ante paucos annos de cælo tactam narrat. Plinius lib. 2. cap. 55. et lib. 37. cap. 10. asserit laurum non ici fulmine, nec corallium, nec tabernacula e pellibus vitulo marino detractis, quod e natantibus hoc solum animal non percutiat, sicut nec a volucribus aquilam. Sunt etiam qui asserant ferentem lapidem hyacinthum fulmine non tan-

57. *Fulminis effectus duplex in Davidis hostes.*

gi. Sed quis hæc velit experiri? commentitia esse multi negant, nisi quod dicunt vitulum marinum et aquilam tacito naturæ instinctu fulmina præsagire, ideoque se recipere in abditissima et tutissima loca. Tu fulmen vides intentatum vertici peccatorum, et præsertim superborum: nam feriunt summos fulmina, et in terram non penetrant, nisi ad quinque pedes, ut ait Plinius lib. 2. cap. 55. Tu per humilitatem, et modestiam ad ima descende, et illæsus ibi perstabis. Cave etiam obdurationem, quia quæ densa sunt et dura, fulmen semper comminuit, aut exurit. Unde fit, ut nonnumquam intacta vagina, ensem liquefaciat: illæsa carne, ossa exurat: integra crumena, aurum, argentum, et æs conflet, quia, ut docet Aristoteles lib. 3. Meteor. cap. 1. S. Damascenus in Physic. cap. 17. Theophrastus lib. 5. de causis plantar. cap. 17. et S. Thom. lib. 2. in 3. Meteor. (qui etiam addit puerum esse fulmine interfectum in utero matris, matre intacta) quæ resistunt, quanto magis sunt dura, tanto magis percutiuntur, tum quia magis immoratur fulmen: tum quia dum primæ parti fulminis resistit, secunda primæ condensatur, et est fortior. Ita S. Thomas. In iis vero quæ tenuia et rara sunt, ubi fulmen vim sibi resistentem non reperit, per poros et occulta foramina celerrime, atque adeo sine iniuria transcurrit. Reservat Deus fulmen in potentia sua, velut gladium in vagina reconditum, ut in tempore feriat, atque hostes suos dissipet, amicos tueatur. Marcomannorum, Quadorum, Sarmatarum, et aliorum cladem verbo iam attigi. Sic se res habet. Cum tempore M. Aurelii imper. ab ingenti hostium multitudine Romani conclusi essent apud Carnutum oppidum in locis difficilibus, adeo, ut nulla exeundi, nec vi, nec arte facultas daretur, atque insuper tum aliis incommodis, tum maxime siti vexarentur: et Marcus Imperator Deos suos precatus ab illis non exaudiretur: tum milites Christiani, qui magno numero in exercitu erant (quos ex Melitina Armeniæ urbe fuisse volunt) flexis genibus ad Deum se converterunt: qui mox illos exaudiens, non solum aquam Romanis, qua reficerentur, immisit: sed et eodem momento hostes vehementi grandine, igne et fulminibus consumpsit. Arti magorum gentilium id tribuit Dio. Imperatoris meritis at precibus, Capitolinus. Christianis vero, ipse Imperator scriptis ad Senatum literis. Vide Baronium anno 176.

Secundus effectus fulminis et fulguris est, conturbare. *Fulgura multiplicavit, et conturbavit eos*. Anastasius Imp. Orientis, hæreticus, ut tradit Zonaras, in somnis vidit terribilem virum, qui librum manu gestans diceret. *Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo*. Cumque aliquando tonitrua horrendum in modum resonarent, et fulgura multa eliderentur, atque ipse perterritus e cœnaculo in cœnaculum descenderet, et alios atque alios thalamos subiret, in quodam regio cubiculo mortuus inventus est. Cedrenus autem adiicit, Anastasium, cum oraculo edoctus esset, igne sibi pereundum fore, cisternam in palatio, quæ frigida dicitur, multis meatibus aperuisse, quorum cuique cadus appositus esset, conatum hoc pacto oraculum irritum reddere. Verum id abs re fuisse: nam fulmine ictum esse divinitus. Dicitur quoque Procli Mathematici celeberrimi consilio Tholotum ædificium extruxisse ad mortem evitandam, sed in Deum nulla valent consilia: fulmen enim manu numquam aberrante contorquet, ut ait Salomon Sap. 5. 22. *Ibunt directe* (solet fulmen oblique ferri, quia ignis est levis, et sursum tendit, et materia exhalationis densata est gravis, et terram petit. Sed Deus tamen non aberrat) *emissiones* (βολίδες, id est, hastæ missiles, tela missilia) *fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur* (id est, emittentur, executientur) *et ad certum locum insilient. Et a petrosa ira* (ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, id est, ab ira saxorum iaculatrice) *plenæ mittentur grandines*. Agit de reprobis in fine mundi. Vide cap. 16. Apocal.

ARTICULUS II.

Christus in Incarnatione charitatem suam maximam erga homines declaravit, et varias virtutes.

58. Allegor. Christi mysteria et gloria hic exprimitur. I.

PRIMO, varia hic Christi mysteria posses in sensu Allegorico contemplari. Primo, eius Passionem, v. 5. *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.*

Secundo, Descensum ad inferos, v. 6. *Dolores inferni circumdederunt me*. Cave tamen Calvini blasphemiam, qui putat Christum in Inferno veros dolores passum esse. In Cruce consummata sunt omnia Christi tormenta, et totum pretium Redemptionis persolutum: ad inferos vero descendit triumphator, ut inde Patres et animas Purgatorii educeret. Itaque de Christo in Cruce patienti hæc explicant Didymus, Theodoretus, et alii. Potest etiam descendens ad inferos dici circumdatus eius doloribus, nostro loquendi modo, licet iis non fuerit affectus, qui enim in pædorem carceris descendit, miseriis cingitur, licet sit cælorum Angelus, sed illis non læditur. II.

Tertio, designatur confractio montium et terræ concussio tempore Passionis. *Commota est, et contremuit terra.* III.

Quarto, Iudæorum punitio ob Christum neci traditum, v. 9. *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* IV.

Quinto, Ascensio Christi in cælum declaratur, quam meritus est sua humiliatione: ideo ponit prius descensum eius ad terras per Incarnationem, v. 10. *Inclinavit cælos et descendit*. Eam enim ob rem exaltatus est, v. 11. *Et ascendit super Cherubim, et volavit.* V.

Sexto, Maiestas eius in Throno gloriæ, et Deitatis eius incomprehensibilitas, v. 12. *Et posuit tenebras latibulum suum, etc.* VI.

Septimo, Evangelii prædicatio per concionatores, miracula Christi, et præmia cælestia declarata v. 13. *Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt:* et per concionatores minas intentantes: *Grando et carbones ignis*. Ac præsertim Deus eorum voce utitur ad intimandum iudicium suum, v. 14. *Et intonuit de cælo Dominus.* VII.

Octavo, Conversio peccatorum declaratur v. 15. *Et misit sagittas suas, et dissipavit eos, etc.* Signa conversionis sunt eorum fletus et pœnitentia, v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum*. Etiam divitibus et magnatibus sarcinam peccatorum et divitiarum a se abiicientibus. *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum*. Hic ordo mihi maxime consentaneus videtur. VIII.

Secundo, pleraque ex his ad Incarnationis mysterium referuntur a plerisque: itaque de illo agendum est specistim, quantum textus patietur.

59. Terra commota est propter Christum. I. Ante Incarnationem.

Primo itaque, ante Incarnationem concionibus suis Prophetæ et Doctores populum peccantem paratis sibi suppliciis exterrebant, et proximo Dei adventu, v. 8. *Commota est, et contremuit terra:* id est, terrena corda: quia, ut ait Lombard. tempore Incarnationis, terra, id est, peccatores, commota est interius ad pœnitentiam, et contremuit exterius pro peccatis. Necesse est enim, ut præsentiam iudicis tremant peccatores. *Et fundamenta montium*: id est, spes superborum in sæculo, ut ait S. August. *Conturbata sunt, et commota sunt*, ut iam spes mundi non habeat firmamentum in cordibus hominum: *quoniam iratus est eis:* id est, quia innotuit eis ira Dei. Ita Lombardus.

II. In Passione.

Secundo, de tempore Passionis Christi hoc explicant Palauterius, Ruffinus, Dionysius, et alii, tunc enim vere et propria terra mota est, et montes scissi: Deinde concussi sunt etiam peccatores: nempe bonus latro, milites, centurio, et populus. Unde sic Dionysius explicat, q. d. Commota est per admirationem, et contremuit per timorem terra, id est, habitantes in terra: videlicet Iudæi, et Gentiles, præsertim in terra sancta, quando videbant, Christo moriente, Solem supernaturaliter eclipsari, terram moveri, et Iesum alta voce clamantem expirare. Un-

de in Evangelio scriptum est, Matt. 27. 34. *Centurio autem* (C. Oppius, ut dicit Lucius Dexter in Chronico, vel potius, Longinus, ut Baronius) *et qui cum eo erant* (eius milites) *viso terræ motu* (terrenum cor terra tremens movet, cum videt in ea, cui fidebat, non esse stabilitatem) *et his quæ fiebant* (in Sole obscurato, et aliis) *timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste.*

III. In Resurrectione. Tertio, de tempore Resurrectionis Christi exponit Beda, et de tempore prædicationis Apostolorum, q. d. *Terra commota est*, id est, simul omni parte mota est, et præ illa commotione terra *contremuit*, id est, obstupefacti sunt. Et deinde per prædicationem Apostolorum *fundamenta montium*, id est, firmæ spes in terrenis Principum superborum, qui totam fiduciam suam in terrenis posuerant, *conturbata sunt*, id est, pariter cum ipsis turbatæ sunt: quia ceperunt ipsi montes, id est, Principes diffidere in spe terrenorum, cum audirent Apostolos, dicentes: *Transit mundus, et concupiscentia eius.* Et: *Nolite sperare in incerto divitiarum.* Et post conturbationem commota sunt ex toto illa fundamenta, cum eisdem Apostolis hortantibus multi prius confidentes in terrenis ipsa contempserunt: et hoc ideo, quoniam Dominus iratus est eis: id est, quia revelatum est eis iram Domini venturam super omnem animam operantis malum. Ita Beda. Et quidem ipso primo die Pentecostes S. Petrus ita Auditores concussit narratione Passionis Christi, et aliorum, ut quinque millia hominum ad fidem veram accesserint, de quibus ait S. Lucas. Act. 2. 37. *His autem auditis compuncti sunt* (intimo dolore, et perfecta contritione) *corde, et dixerunt ad Petrum, et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* q. d. omnia facere sumus parati, præscribite tantum, quid velitis a nobis fieri, et illa exequemur. Bona est ad Deum conversio, quæ nihil el præscribit, sed cum Paulo ait Act. 9. 6. *Domine, quid me vis facere?* Qui valde tremunt, ad omnia se offerunt, ut periculum evadant. Periculum ostendit Dei illuminatio et gratia, Ps. 96. 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ* (potentiis omnibus animæ terrenæ) *vidit, et commota est* (Hebr. תחל *tachel*, id est, tremuit sicut parturiens) *terra.* Parturit spiritum salutis.

60. Peccator est similis terræ, ob rationes quinque. Nota primo. Peccator est similis terræ. Primo, quia terra est infima omnium elementorum, peccator semper ad ima tendit, velut massa plumbea visa a Zacharia Propheta cap. 5. 8. Secundo, quia terra est vilissima, et luto ac pulvere plena. Ierem. 2. 36. dicit Sion, id est, Iudææ populo. *Quam vilis facta es, iterans vias tuas* (id est, actiones, nolens sequi viam Dei, id est, legem) *ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur.* Neutrius tibi auxilium proderit. De luto peccati. Deut. 32. 5. *Peccaverunt ei, et non filii eius in sordibus.* Pater noster cælestis est, Matth. 5. 48. et ei iubemur dicere cap. 6. 9. *Pater noster qui es in cælis*: non vult filios terrenos, sed qui dicunt cum Paulo Philipp. 3. 20. *Nostra conversatio in cælis est.* Tertio, terra pedibus calcatur, ita peccator a diabolo. Iob. 18. 14. *Avellatur de tabernaculo suo fiducia eius, et calcet super eum quasi Rex interitus.* Quarto, terra est habitaculum bestiarum, ita peccator dæmonum, qui in eo velut in sua spelunca manent. Iob. 37. 8. *Ingredietur bestia latibulum, et in antro suo morabitur.* Quinto, terra nisi irrigetur pluvia, est sterilis, ita et peccator. Ps. 142. 6. *Sicut terra sine aqua tibi.* Vidi ibi dicta. Iob. 39. 6. *Tabernacula eius,* (onagri liberi, qui est symbolum peccatoris) *in terra salsuginis.*

61. Fundamenta montium quid sunt mystice? Nota secundo, *Fundamenta montium* sunt, Primo ipsi

I. Principes superbi et potentes: eorum enim est populum sustentare: unde Græci Regem vocant βασιλευς, id est, βασις λαου, hoc est, basim, fulcrum, columnam, sustentaculum populi. Hinc Iob 9. 13. dicitur: *Deus sub quo curvantur* (prosternuntur, deiiciuntur, et iacent) *qui portant orbem*, id est, dæmones, ait Didymus; 2. Angeli boni, ut censet S. Thom. 3. homines sancti, ut Philippus et Beda; 4. Reges et Principes, ut R. Abraham. Ideo Reges capite gestant coronam mœniis cinctam, quod videantur suarum civitatum pondus capitibus suis impositum gestare, ut notat Pineda. Hos montes humiliat Deus. Baruch 5. 7. *Constituit Deus humiliare omnem montem excelsum, et rupes perennes, et convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israel diligenter* (Græc. ασφαλως, id est, tuto) *in honorem Dei*, hoc est, ad Dei gloriam. Eos montes Deus transfert Iob. 9. 1. triturat et comminuit Isaiæ 41. 15. conterit Habacuc 3. 6. Deo se incarnante, atque e cælis descendente, montes illi defluunt. Isaiæ 64. 1. *Utinam dirumperes cælos et descenderes: a facie tua* (vel ad primum aspectum) *montes defluerent*, id est, superba hominum corda vi gratiæ tuæ, et exempli emollires, et inflecteres ad humilitatem, patientiam, et omnem virtutem, ita ut dissolvi et liquefieri viderentur, ut ait S. Iustin. S. Hier. et Leo Castrius. Tremant Principes, cum Deum humilitatis, et abiectionis amantem vident, et videant quam illi sint contrarii in domibus, vestibus, cibis, et aliis.

Secundo, *fundamenta montium* Iansenius censet esse dæmones quorum adminiculis atque potentiæ altitudo sæculi, atque sæcularium innitebatur. Eos autem conturbavit Christus, quia a pristina possessione et tyrannide amovit. II.

Tertio, Remigius *fundamenta montium* ait esse idola, quæ in montibus colebantur. Illa enim adventu suo evertit Christus. III.

Quarto, *fundamenta montium*, sunt spes superborum in sæculo, ut ait S. August. Fundamenta montium, ait Cassiodorus, significant præsumptiones superborum: id est, divitias, honores, cæteraque humana: quibus illi detenti velut fundamentis constantibus innituntur. Hæc omnia turbata sunt: quia mundi falsa spes vero Domino veniente sublata est. Ugo Card. *Fundamenta*, inquit, *horum montium sunt amor mundi, et spes humana, quæ per prædicationem Christi destructa sunt, et posita sunt fundamenta fidei, spei, et charitatis.* Qui terrenum habet fundamentum, non potest diu esse stabilis. Hinc Iudith. 16. 18. dicitur: *Montes movebuntur a fundamentis.* IV.

Quinto, *fundamenta montium*, ut ait Thom. Anglicus, sunt vires animæ inferiores, quæ ad sensualitatem pertinent, quarum inclinatio est semper deorsum ex sui natura, ubi requiescunt immobiliter, cum in profundo malorum fuerint, sed tamen timore dictæ iræ concutiuntur, id est, commoventur: quia contra suam inclinationem, sursum a spiritu trahuntur. Ita ille, sed magis placet quarta expositio, quam etiam affert postea. V.

Nota tertio, Thomas Anglicus confert conversionem peccatoris terræ motui propter tria: Primo, quia dicit Philosophus 3. Meth. Terræ motus quandoque est causa diluvii, et magnæ inundationis super terram, et hoc convenit, quando intra terram arctantur venti diversi, sicut Meridionalis et Septentrionalis, et elevat unusquisque aquam latentem intrinsecus sub terra. Ita in corde peccatoris, quando converti incipit, sunt quasi duo venti oppositi, scilicet Meridionalis, id est, spes veniæ, et Septemtrionalis, id est, timor gehennæ, qui aqua lacrymarum, et pœnitentiæ lavant, quasi quædam inundatio super terram, Ps. 64. 10. *Visitasti terram, et inebriasti eam. Flumen Dei repletum est aquis.* Secundo, quia sicut dicit Albertus 3. Meth. signum concomitans terræ motum est sonus, qui non conquiescit aliquando, donec terra sit rupta, et tunc exit ventus cum sono magno: sic in proposito, nam signum conversionis a malis, est sonus iste, de quo Ps. 37. *Rugiebam a gemitu cordis mei*: vel etiam sonus confessionis, de quo Ps. 9. 7. *Periit memoria eorum cum sonitu*, id est, peccatorum, qui non cessat, donec terra scindatur, id est, cor aperiatur, et ventus superbiæ, et inspirationis contra Deum, expiret. Tertio, quia (sicut dicit idem) in terræ motu, quandoque terra sic evertitur, quod illud quod fuerat prius inferius, efficitur superius: et e converso: sic vere est in conversione peccatoris. Nam caro. quæ prius dominabatur spiritui, tamquam superio- 62. Conversio peccatoris est terræ motus, ob tres rationes.

si, efficitur subiecta spiritui, et e contrario. Matth. 28.2. *Ecce terræ motus factus est magnus: Angelus autem Domini descendit de cælo, et accedens revolvit lapidem.*

63. Deus est ignis illuminans, et inflammans.

Secundo, Christo Incarnato viderunt peccatores, quanto odio Deus prosequatur peccatum, pro quo ut Deo satisficeret, necesse fuerit, Deum ipsum incarnari et pati: iuda vero ipsis quoque eluxit charitas Dei, qui pro tam vilibus creaturis ad tantam se humilitatem deiecerit, unde et ipsi eodem igne accenduntur, v. 9. *Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* Democritus Deum vocabat mentem in igne orbiculari. Et Parmenides dicebat, Deum esse coronam continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum. Accedentes ad ipsum illuminantur, et accenduntur. In curru igneo pergit ad Ierusalem, id est, ad animam fidelem, et ipsi consecratam succendendam suo amore, cum per Incarnationem in Iudæam, id est, ad Ecclesiam cum laudantem venerit. Est autem igneus. Ezech. 1 26. *Et super firmamentum* (hoc est, cælum stellatum, et lucidum) *quod erat imminens capiti eorum* (quatuor Cherubim flammantium) *quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper*, hoc est, visus sum mihi videre hominem, nempe Regem, in hoc throno, id est, Christum in Virgine, quæ est thronus Seraphicus, ut vocat S. Epiphanius. Addit v. 27. *Et vidi quasi speciem electri* (id est, æris præstantissimi, quod dicitur aurichalcum) *velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: a lumbis eius et desuper, et a lumbis eius usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.* Hæc imago, seu species, et figura Regis in eo throno sedentis erat a lumbis sursum electrina, a lumbis vero deorsum ignea, ut patet cap. 8. 2. et S. Gregor. ac Maldonatus docent: aliqui tamen volunt totam illam imaginem fuisse electrinam, et flammentem, ita ut interius, aursum, deorsum, et ex omni parte esset ignita; sursum tamen fulgidior, infra calidior, et magis ignita. Quicquid facit Deus Ecclesiæ et animæ sanctæ, ex amore id facit. Vide S. Thom. 1. p. q. 20. ubi docet in Deo amorem esse, et ab eo amari omnia, meliora tamen magis. 1. Ioan. 4. 8. *Deus charitas est.*

64. Incarnatio figurata in visione Ezech. ob quinque

Tota illa visio Ezechielis nobis exhibet Symbolum Christi e cælo descendentis per Incarnationem. Primo enim videntur aperiri cæli, ut currus Dei invisibilis, et ipse Deus humana specie descendens ad Ierusalem, videretur. Secundo, videt nubem magnam vento impulsam, et ignem involventem, id est, sese per totam nubem convolventem,
1. versantem, intersecantem, atque reciprocantem per varias
2. fulgetras sibi immixtas et implexas. Hæc nubes est charitate Dei et proximi ardens, flammas modo sursum, modo
3. deorsum, modo in orbem circumqueque immittens. Tertio, in medio nubis emicabat splendidus currus habens quatuor rotas ignitas, vitali spiritu præditas, et altitudinis stupendæ. Rotæ illæ sunt motiva quatuor charitatis Christi eum urgentia ad celerem descensum in terras: 1. ardens desiderium gloriæ Patris; 2. desiderium gaudii Angelorum qui optabant sedes cæli vacuas cito repleri; 3. desiderium salutis hominum; 4. desiderium fugandi dæmones ex universa terra. Ideo velut bellator venit in
4. curru bellico. Quarto, prope quatuor rotas apparebant quatuor Cherubini in forma iuvenum armatorum, et ad pugnam evolantium, qui toti ardebant instar carbonum ardentium, et fulgebant instar lampadum. Christo enim Incarnato, et nascenti astiterunt Angeli. Et sunt qui censeant Christo Incarnato, et nascente omnes prorsus Angelos e cælis descendisse, ut eum adorarent, ut dicit Paulus Hebr. 1. 6. *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius.* Quod sumpsit ex Ps. 96. 8. *Hæc iterata introductio melius explicatur de Resurrectione ipsius*, vel de die iudicii. S. Chrysostomus tamen, S. Ambros. et S. Cyrill. lib. de fide ad reginas explicant de Incarnatione, in qua secundo inductus in orbem, cum in eum primo atque in omnia prorsus spatia inductus esset per æternam generationem.
5. Quinto, super Cherubinos erat firmamentum, id est, cælum extensum et fulgidum instar crystalli, cui impositus erat regius thronus, in quo sedebat homo toto corpore irradians et ignitus. Cælum illud est B. Virgo, quæ omnibus Angelis supereminet, et virginitate sua crystallus est purissima et fulgidissima, thronus est uterus eius castissimus, Rex in eo residens est Christus, qui totus est in charitatem transformatus: et in parte superiori, hoc est, in sua Deitate; et in inferiori, id est, in sua humanitate. Ante illum hominem seu Regem erat arula vel focus ignis positus inter rotas currus. Hæc est charitas in medio cordis eius, quæ ibi a tota æternitate exarsit, foras prodire gestiens. Ierem. 31. 3. *In charitate perpetua dilexi te.*

Nota, in fumo, igne, et carbonibus succensis, potest denotari status incipientium, proficientium, et perfectorum. 65. Fumus, ignis, carbones sunt symbolum.

1. Fumus incipientium.

Primo quidem, lignum a radice arboris suæ præciditur, ut amplius non crescat et fructificet; ita peccator a mala sua consuetudine, ut non fructificet morti. Secundo, lignum viride igni applicatur, ut exsiccetur, et tunc emittit aqueum humorem et fumat. Item peccator conversus meditatur iram Dei, et ignem æternum, ibique in vapores et exhalationes resolvitur. Itaque dicit: *Ascendit fumus in ira eius*, id est, lacrymosa deprecatio pœnitentium, cum cognovissent, quid minetur Deus impiis, ut ait S. Augustinus, quem sequuntur S. Bernardus in sententiis, Lombard. hic, Thomas Anglicus, Richardus Pampol. Ludolphus, Ioannes a Pastura, et alii. S. Bern. serm. de ligno, fœno et stipula: *Ignis*, inquit, *tria habet, fumum, lucem, ardorem. Fumus excitat lacrymas, lux vicina illuminat, ardor adurit.* Hæc aptissima sunt vitæ purgativæ, illuminativæ, et unitivæ. Pergit idem sanctus Pater: *Ita et qui eiusmodi est* (stipula scilicet igni applicata) *fumum, hoc est, amaritudinem in mente habere debet, quia tepidus est, quia remissus est, quia levis, quia ordinem, quantum in se est, subruit et perturbat. Sed et lucem in ore, ut qualis est in mente, talem se in confessione, et dicat, et plangat, ut et linguam acuat conscientia, et conscientiam arguat lingua. Necesse est quoque ut ardorem sentiat in corpore, id est, pœnitentiæ tribulationem, etsi non omnimodam, aliquam tamen.*

Fumus hic animæ pœnitentis suavem odorem Deo aspirat et Angelis. Cantic. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii*, id est, aromatarii, qui aromata in pulverem redigit, commiscet, componit, etc. Syrus vertit, *quæ ascendit ex deserto:* non ex deserto tantum, sed etiam per desertum ascendit anima sancta dum vivit, et in compunctione versatus. S. Bernard. id meditans serm. 60. ex parvis ait: *Ascendere dicitur animo pœnitens per desertum, terram scilicet iniuriosam et inaquosam, peccatorum suorum recordando. Ascendit sicut virgula, eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confessio recte fieri sicut virgula fumi dicitur, quia per plures peccatorum species tamquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum, quod cum fumus numquam habeat splendorem, nonnumquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quemdam pietatis habeat, innuitur ex his quæ subiunguntur. Ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Confessionem debet comitari myrrha et thus, id est, mortificatio carnis, et oratio cordis: Alterum enim sine altero, aut parum, aut nihil prodest. Nam si quis carnem mortificet, et orare dissimulet, superbus est: et dicitur ei, Ps. 49. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Item si oraverit, et carnem suam mortificare neglexerit, audiet Luc. 6. Quod vocatis me Domine Domine, et non facitis quæ dico? Et illud Proverb. 28. Qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Utrumque ergo alteri suffragatur, dum constat quod alterum sine altero reprobatur.* Per universum autem pulverem pigmentarii interpretatur eleemosynam, quæ pulvis dicitur, quia de terrena substantia fit: pigmentarius vero, quia suavissimum odorem emittit. Vel certe, pulvis pigmentarius denotat non solum magna, sed etiam

minima peccata conterenda esse per confessionem, et diluenda per compunctionem. Lege ipsum serm. 10. tract. de modo bene vivendi, ubi agit de lacrymis compunctionis; et S. Gregor. in illud Cant. 4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Ubi montem myrrhæ ait esse fortam altitudinem mortificationis: collem vero thuris, esse altam humilitatem in oratione, quæ lacrymis abluit sordes animæ.

Contritiu præsertim ex perfecto charitatis motivo has lacrymas, et odoratum fumum exprimit: Charitas enim ignis est, sed in incipientibus needum flammam concipit, sed adhuc fumat. Fumus, ut ait S. Thomas in 2. Meteor. lib. 7. est exhalatio sicca lignorum ignitorum. Et in 2. de generat. et corrupt. text. 25. lib. 4. fumus, ait, est ex terra et aere: et humiditas aerea expirans, et secum trahens partes terrestres. Itaque qui iam Deo fumat altari holocausti impositus, vel altari thymiamatis, iam ad Deum se erigit per orationem, se extenuat per mortificationem, odorem suavem afflat per bonum exemplum, sed needum lucet per fulgorem cognitionis Dei, nec ardet per purgatam ab omni prorsus labe virtutem.

66. II. Ignis proficientium.

Secundo itaque, flammam anima concipiat oportet in vita illuminativa, quæ lucem, et sibi, et aliis faciat, vers. ad 9. *Et ignis a facie eius exarsit.* Facies Dei est Christus: vel, facies Christi, est eius Incarnatio, et adventus in orbem, quo venit ignem mittere in terram, de quo ait Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Arab. Quid volo, nisi accensionem eius? Sicut etiam vertit Æthiopicus, Persicus, et Ægyptius interpres. Per ignem illum, quem Christus attulit, intelligit Tertullian. lib. 4. in Marcionem cap. 29. persecutiones infidelium; 2. prædicationem Evangelii S. Cyrill. in Catena; 3. et melius, Spiritum sanctum, et eius dono ac præsertim charitatem. S. Athanas. lib. de communi essentia Patris et Filii, et S. Augustin. serm. 108. de Tempore. Ignem esse convenientissimum Dei symbolum, probat S. Dionys. de cælesti Hierarchia, cap. 15. et multas affert analogias. Deuter. 4. 24. dicitur: *Deus tuus ignis consumens est.* De Christo ait David Psal. 79. 4. *Deus converte nos, et ostende* (Hebr. הָאֵר *aer*, id est, illumina, ut vertit S. Hieron. splendescere fac, ut Chald.) *faciem tuam* (Chald. splendorem faciei tuæ, vel iucunditatis tuæ) *super nos.* Christus est facies Patris, per eum enim innotescit, et est splendor gloriæ et figura substantiæ eius, Hebræorum 1. 3. *Et salvi erimus*; cum ad nos venerit, et incarnatus fuerit Salvator, se ex invisibili faciens visibilem, et non tantum posteriora, id est, Patriarchas, Prophetas, et sanctos viros, et miracula ostendens, sed faciem propriam, ut lux vera, non figurata tantum, veniens in hunc mundum nos illuminet. In Apocalypsi visus est a S. Ioanne cap. 1. v. 14. in medio candelabrorum aureorum cum oculis igneis, *Oculi eius tamquam flamma ignis.* Omnes aspicit oculis charitatis, nullum unquam dicitur aspexisse, cui non benefecerit. Pedes illi assignantur ignei, v. 15. *Et pedes eius similes auricholco*, (id est, æri, quod colorem habeat aureum, ut ait Sextus Pompeius. Græc. χαλκολιβάνῳ, est autem Chalcolibanum genus æris, quod olim habitum in pretio dicit Plinius lib. 32. 2. Suidas opinatur esse genus electri auro pretiosius) *sicut in camino ardenti*, ecce ignem. Facies eius ardet et lucet, instar Solis, vers. 16. *Facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*, id est, cum maxime viget ac fulget, id est, sicut Sol meridianus in ardentissima æstate. Itaque ignis a facie eius exardet. De illo Sole verius quam de corporeo dixeris illud Eccli. 43. 3. *In meridiano* (tempore scilicet: fuit aurora in tempore legis Mosaicæ) *exurit terram, et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere?* Si Sol ad terram descenderet, quis non ureretur? quomodo frigidi sumus, Christo ad nos veniente? Additur v. 4. *Fornacem custodiens in operibus ardoris, tripliciter Sol exurens montes*, q. d. Sol magis ardet atque comburit quam fornax accensa: itaque tripliciter, id est, triplo magis, ut vertit Syrus (hoc est multo magis) Sol qui montes calefacit est ardentior et efficacior igne fornacis. Democritus et Metrodorus dicebant Solem esse ferrum aut saxum ignitum. Anaxagoras vero, esse candentem laminam seu ferrum. Anaximander, esse ignem purissimum. Mathematici etiam nunc aliqui esse ignem censent, tum ob eius ardorem, et quia radii eius etiam exurunt, ut in speculis concavis patet, et in radiis refractis in ampulla aqua plena, tum ob maculas et faculas quæ per tubum opticum continuo intra Solem volvi, et revolvi conspiciuntur, sicut in fornace flamma volvitur et revolvitur. Præcipue autem dicitur montes exurere, quia sunt ei propiores et radios habent diutius: unde aurum, argentum, ac metalla facilius fiunt in montibus. Si vis esse aureus, sis mons, et Iesum Solem aspice. Euripides in Phaetonte vocavit Solem *auream glebam:* a Iesu oritur charitas aurea et virtutes. Primo, commovet montes spiritu suo, et flatu oris sui per Prophetas et Apostolos. Secundo, fumum in eis excitat compunctionis eos tangendo sua potentia, licet in nube se occultans, Ps. 103. v. 32. *Qui tangit montes et fumigant.* Rickelius tactum benignum gratiæ divinæ in montibus intelligit, id est, in magnis et perfectis, qui fumigent, hoc est, lacrymis fluant præ desiderio existendi cum Christo. Hinc orat Propheta idem Psal. 143. v. 5. *Domine inclina cælos tuos, et descende* (in Incarnatione) *tange montes, et fumigabunt.* Alius apud S. Chrysostomum vertit, *fumaverunt.* Vide ibi dicta. Tertio, cum vultum suum ostendit, montes exurit triplo magis quam fornax accensa, ut dictum est. Id autem fit per charitatem.

67. III. Carbones perfectorum.

Tertio denique, post fumum et igneam flammam vitæ purgativæ et illuminativæ, remanent carbones succensi vitæ unitivæ, Christo per Incarnationem ad nos accedente, *Carbones succensi sunt ab eo:* id est, veniente Domino, ut ait Lombardus. Opus est solius Domini, carbones per peccatum mortale extinctos succendere: alii ordinare, flatu excitare, loco movere possunt, charitate inflammare, et gratia exornare non possunt.

Carbonibus quinque peccatores comparantur ob quatuor.

I. Nota, Peccatores comparantur carbonibus. Primo, quia sunt extincti. *Carbones*, ut ait S. August. *qui iam mortui erant:* igne charitatis, qui est velut anima animæ, vacuati.

II. Secundo, quia sunt obscuri et denigrati. Threnor. 4. v. 8. de Nazaræis nive candidioribus, et ebore antiquo prius candidioribus, ait Ieremias: *Denigrata est*, Septuag. ἐσκότωσε, id est, obtenebrata est, *super carbones facies eorum:* quid erat reliquum corpus, si facies, cuius curam præcipuam homines habent, erat fuliginosa, et nigra instar carbonum extinctorum? Hoc de Religiosis et Clericis a virtute recedentibus explicat S. Greg. lib. 32. Mor. 23. *Nazaræi*, ait, *sunt continentes, et abstinentes: hi in Ecclesia plerumque tam mira opera faciunt, ut ab eis multi qui cælestem vitam tenuerunt*, (qui denotantur nivis candore) *multi qui terrena bene dispensaverunt* (hi late designantur) *superari videantur. Sunt rubicundiores ebore antiquo, quia sæpe ante oculos nonnullis præcedentibus patribus studii ferventioris existunt: Sapphiro sunt pulchriores, quia ad superna tendentes per cælestem conversationem videntur vincere: sed dum virtutum copia in quamdam sui fiduciam mens adducitur, et præsumptione propria fuscatur*, subiungitur: *Denigrata est super carbones facies eorum; nigri enim post candores fiunt, et frigidiores carbonibus extinctis, id est, frigidis mentibus, evadunt.* Vocantur filii Æthiopum Amos 9. 7. et Æthiopes, Soph. 2. 12. Qui sunt in peccato mortali, ait Hugo, sunt obscuri, exempli corruptione.

III. Tertio, Peccatores sunt carbones frigidi. Zachar. 14. 6. *In die illa non erit lux, sed frigus et gelu.* S. Augustinus in psal. nostr. Carbones, inquit, qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderii ac luce iustitiæ, et frigidi tenebrosique remanserant. De Petro per timorem mortis frigefacto, et fervore fidei, et charitatis destituto, habes Ioannis 18. v. 18. *Frigus erat* (extraordinarium: nam Pascha erat, in quo in Iudæa regione calida tenebantur Deo offerre spicas hordei iam albicantes et maturescentes, ex quibus tostis posset far excuti et confringi) *et calefaciebant se.* Petrus et milites, frigidus cum frigidis. Matth. 24. 12. *Refrigescet charitas multorum.* Uni te Deo

trade, cum illo uno conversare, amorem tuum ne divide, et non refrigescet charitas tua.

IV. Quarto, Carbones sunt viles et immundi, et maculant manus accipientium: ita et peccatores, Ps. 17. 27. *Cum perverso perverteris*, ut dicitur sequenti sectione. Qui tangebat cadaver, vel leprosum, erat immundus, ut habetur in Levitico. Unde Isaias generatim prohibet cap. 52. 11. *Pollutum nolite tangere.*

68. Carbones ardentes sunt symbolum perfectorum, ob quatuor. Iusti vero sunt prunæ, seu carbones succensi. Primo enim, intus calent, et ignem sibi Spiritus sancti charitatem Christi incorporant. Ierem. 20. 9. *Factus est* (sermo Dei, id est, inspiratio divina) *in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis* (in solidis virtutibus: Primo, solidis virtutibus firmetur concionator, deinde charitate ardeat, tum de aliis cogitet succendendis) *et defeci, ferre non sustinens.*

I. Quia intus caleat.

II. Quia foris lucent.

Secundo, lucidi sunt, qui charitatem intus habent, non potest enim se continere, quin erumpat foras. Matth. 5. 14. ait Christus Apostolis: *Vos estis lux mundi.* Sed antequam eos in totum mundum mitteret, illos implevit igne Spiritus sancti, ita ut redundaret, et super capita eorum appareret. Act. 2. 3. *Seditque* (id est, institit, incubuit, permansit) *super singulos eorum*, ut eos auctoraret orbis DD. ut ait Amm. Tunc Spiritus sanctus fuit Sol tripliciter exurens montes, et Apostoli facti sunt montes flammivomi, ac pharus prope portum, ut navigantes illustrent. et Deum omnibus ostendant, qui est ignis inextinguibilis, ab æterno ardens usque in æternum. S. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum. *Stoici*, ait, *Deum vocant ignem artificialem, via incedentem ad nativitatem mundi. Democritus asserit Deum esse mentem in igne orbicularis speciei, esseque animam mundi.* Lucem hanc in Sponsis suis vult Christus animarum ferventium Sponsus. Cant. 4. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite* (id est, de vertice: in capite Apostolorum erat ille ignis: et Amana significat, 1. fidem; 2. nutricem: dant fidem, et nutriunt Apostoli) *Amana, de vertice Sanir* (significat dentem lucernæ vel dentem luminosum: sermo Apostolorum erat lux, et lingua lampas, magis quam lingua piscis, qui dicitur lucerna) *et Herman, de cubilibus leonum, de montibus pardorum:* id est, de gentilitate et moribus barbaris: vel de fortitudine mentis, et varietate virtutum. Ubi adverte, ter vocatur Sponsa, scilicet per fidem, spem et charitatem ut dicit S. Gregorius; 2. ut proficiat in cogitatione, locutione et operatione, ait, Beda; 3. ut fugiat carnem, mundum, et dæmonem. Carnem figurat Amana, id est, nutrix, lactat enim sibi adhærentes, deliciis. Mundum figurat Sanir, id est, *mutatio lucernæ*: mentitur enim splendorem, sed ut vermis et lignum putridum, vel ignis erraticus prope paludes. Dæmonem figurat Herman, id est, destructio, quia omnes virtutes ac potentias viresque animæ destruit et corrumpit. Adverte secundo, unde vocetur Sponsa, nempe ex montibus non ex valle, quia vult Deus fortes et excelsos animos. Montes illi sunt quatuor ad quatuor mundi plagas siti: nempe ad Septentrionem Libanus, ad Occidentem Amana, quem censet Glossa esse Amanum montem, qui Ciliciam a Syria dividit: ad Meridiem, Sanir; ad Orientem, Herman. Tres Patres Anonymi apud Theodoretum legunt: *Venies, et prævenies ab initio fidei a capite Sanir, etc.* Atque sic exponunt, q. d. Venire incipies ab initio fidei, sed pervenies ad coronam per spem et charitatem. Sept. verterunt, *ab initio fidei*, explicantes etymon Amana. Ad rem nostram est maxime Sanir, quod significat *dormientem*, id est, quiescentem, non agitatam, *lucernam*. Vel, *iterationem lucernæ*. id est, lucernam sæpius oblatam, vel sæpius lumen effundentem. Ad has etymologias alludere videtur S. Ambros. libro de Isaac cap. 5. ubi accessum iustorum ad Deum considerans, ait: *Adest mihi, qui exit de sæculo: adest mihi, qui me cogitat, de me sperat, cui ego portio sum. Adest mihi, qui abfuerit sibi: adest mihi qui se negaverit sibi: ille mecum est, qui intra se non est: quoniam qui in carne est, non est in spiritu: ille mecum est, qui ex seipso egreditur: ille iuxta me est, qui extra se fuerit: ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam suam. Et ideo adest Sponsa, transibis, et pertransibis a principio fidei. Transit et pertransit cæteros, quæ ad Christum pervenit. Transit fidei merita et operum claritate, quæ lucet sicut Sanir et Herman. Hoc est, via lucernæ transit devictis tentationibus sæculi, et superatis nequitiæ spiritualibus, legitimi petens coronam certaminis, et ideo meruit Christo iudicante laudari.*

69. III. Mundi sunt, et mundant. Tertio, iusti sunt carbones mundi et mundantes Isai. cap. 6. v. 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim* (qui vere erat de ordine Seraphinorum, ut docet S. Ambros. lib. de Spiritu sancto cap. 10.) *et in manu eius calculus* (Heb. רצפה *ritspa*, id est, carbo, seu pruna ignita) *quem forcipe tulerat de altari.* Carbo ille est symbolum confessionis fidei et peccatorum nostrorum, ut ait S. Cyrill. 2. pœnitentiæ et contritionis peccata nostra exurentis et consumentis; 3. Prophetiæ, ut scilicet Isaias ore purgato et illuminato futura prædiceret; 4. et nobis accommodatius, carbo ille erat symbolum gratiæ Spiritus sancti, quæ os atque animam purificat et sanctificat. Ita S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 9. denique 5. carbo ille erat figura charitatis, de qua agimus: ut scilicet Isaias nihil amplius, nisi purum, mundum, lucidum, et igneum loqueretur.

70. IV. Succensi sunt, et succendunt. Quarto, denique, Sancti sunt carbones succensi, et succendentes, foris enim se prodit charitas, et flammanti vultu omnes ad se accedentes exurit Ezech. 1. 13. de quatuor Cherubinis currum Dei stipantibus dicitur: *Et similitudo animalium aspectus eorum* (vel vultus, vel totius corporis compositio) *quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.* Hebr. לפידים *lappidim*, id est, facularum, lampadum, titianum. S. Greg. hom. 5. aptissime quod intendimus explicat: *Quia*, inquit, *sancti viri quosdam iuxta se positos, quasi tangendo, ad amorem patriæ cœlestis accendunt, carbones sunt: quia vero quibusdam longe positis lucent, eorum itinera, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt.* Oculi præsertim sunt veluti duo carbones accensi, aut carbunculi et pyropi scintillantes, et omnes amore et luce complentes. De oculis Christi habes Apocal. 1. 14. *Oculi eius tamquam flamma ignis.* Sponsam intuens, et ab ea conspectus, inflammat. De oculis sponsæ, id est, animæ castæ, ait Cantic. 4. 9. *Vulnerasti cor meum.* Hebr. לבבתיני *libbabtini*, id est, abstulisti cor mihi, ut vertunt Vatablus, et Pagnin. cor meum cepisti, ut S. Ambros. in Ps. 118. serm. 11. *ἐκαρδίωσάς με*, ut Septuag. hoc est, excordiasti me, id est, ut ait S. Gregor. Nyss. Cor meum mihi eripuisti, et in corde tuo conclusisti et captivasti. Rabbi David, vertit, *transfixisti mihi cor.* Itaque cum sagitta sit ignita, non unam tantum partem, sed totum mihi cor accendisti. Neque meum solum, sed etiam servorum meorum mihi adhærentium. Arabs, *Inflammasti corda nostra*, si tamen sunt plura in amantibus, qui verius sunt cor unum, et anima una: id est, unus amor; eos enim informat et transformat amor, et est eorum anima, sine qua moriuntur. Septuaginta vertunt, *vulnerasti cor nostrum*, et ad rem nostram apte Philo Carpathius explicat de tribus personis sanctæ Trinitatis, quæ amore hominum commotæ decreverunt, ut filius pro ipsorum salute incarnaretur. Oculus enim ille Sponsæ, Primo, est eius cognitio, intentio et fides, quibus cognoscit unum suum Sponsum, in eum unum omnia sua dirigit. Secunda, est spes, oculos enim eo dirigimus, unde auxilium expectamus, Ps. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Syr. in Cant. vertit, confidere me fecisti. Tertia, oculus ille est charitas. Unde Chald. reddit: *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea cœtus Israel, quæ comparata es Sponsæ, quæ est honesta. Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est iustus, sicut unus de Principibus Concilii, sicut unus ex Regibus domus Iuda, super cuius collum positum est diadema regni.* Servire Deo, regnare est: si præsertim servias cum amore, quia amor facit æqualitatem: unde Christus vocat Sponsam et sororem. Sponsa Regis est Regina. Psal. 44. 10.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato (id est, in charitate) *circumdato varietate*, omnium virtutum et donorum.

Tertio, aperte, ut ait Hugo, noster Propheta agit de Incarnatione v. 10. *Inclinavit cælos, et descendit, et caligo sub pedibus eius*. Rupertus in cap. 20. Apocal. id exponit demissione Spiritus sancti in Pentecoste, ratione cuius effectus Christus dici possit descendisse, et discipulos suos fecisse cælos. Sed hoc est coactius ut apparet. Itaque cum S. Augustino, S. Hieron. Cassiodoro, Beda, Glossa, Lombard. et omnibus aliis, de mysterio Incarnationis ea verba explicemus.

71. Verbum Patris a cælo descendit, et quomodo? Quæres, quomodo Verbum Patris e cælo descendit, cum sit immensum, et in cælo permanserit tempore Incarnationis, et postea non minus quam ante? Respondeo cum Didymo Theodoreto, S. Thoma, et aliis, ideo dici descendisse, quia in forma servi nobis apparuit, et visibile factum est hominibus terram habitantibus, cum prius a solis videretur Angelis. Verba S. Thomæ sunt 3. p. q. 57. art. 2. ad 2. *Descensus duplex attribuitur Christo: unus quidem, quo dicitur descendisse de cælo, qui quidem attribuitur Deo homini, secundum quod Deus. Non enim est iste descensus intelligendus secundum motum localem: sed secundum exinanitionem, qua cum in forma Dei esset, servi formam suscepit. Sicut enim dicitur exinanitus, non ex eo, quod suam plenitudinem omiserit, sed ex eo quod nostram parvitatem suscepit: ita dicitur descendisse de cælo, non quod cælum deseruit, sed quia naturam terrenam assumpsit in unitatem personæ. Alius autem est descensus, quo descendit in inferiores partes terræ, ut dicitur Ephes. 4. Qui quidem est descensus localis: unde competit Christo secundum conditionem humanæ naturæ.* Idem pene ait q. 33. art. 3. ad 3.

72. Inclinavit cælos ad descensum, et quos. Quæres secundo, Quomodo inclinavit cælos ad descensum? Respondeo per cælos posse intelligi, 1. ipsum verbum; 2. Angelos; 3. cælos ipsos corporales.

I. Primo, itaque Christus, ut descenderet inclinavit cælos, id est, cælestem suam sublimitatem ut loquitur Innsonius. Vel, ut ait Thom. Anglicus, altitudinem divinæ potentiæ et sapientiæ. Ut enim dicit S. Bernard. serm. 4. de Ascensione: *Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus. Descendit de monte sapientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello corpore et infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola matris ubera noverit? Quis impotentior eo cuius omnia membra clavis affixa, cuius omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, et quæ non rapuit tunc exsolvebat? Vides quam multum descenderit, quantum a potentia sua, quantum a sapientia sua qui exinanivit semetipsum.*

II. Secundo, *Inclinavit cælos*, id est, Angelos cæli cives. Est metonymia: ponitur enim contentum pro continente. Inclinavit autem Deus Angelos in mysteriis Incarnationis, supra ipsos humanam naturam elevando, et eam sibi uniendo. Ita Ioannes a Pastura, et Thomas Anglicus. Sic enim homo factus est Deus, ita ut eius servi facti sint Angeli. Matth. 4. 11. *Accesserunt Angeli et ministrabant ei*, et eum adorare tenentur. Hebr. 1. 6. *Adorent eum omnes Angeli eius*. Philipp. 2. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium* etc. Secundo, inclinavit Angelos Deus in Incarnatione, eos præmittendo legatos, et secum assumendo, sicut in Ascensione Ipsi præiverunt, Ps. 23. 7. Attollite portas principes vestras et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ: Ita cum S. Gabriele orant portam templi orientalem, id est, Deiparam, ut velit patere Principi. S. Hieron. *Cæli*, ait, *id est, Angeli, inclinati sunt, quando Gabriel ad Mariam venit et descendit Christus, et venit in carnem.*

III. Excipe Tertio, et melius, *Inclinavit cælos*, id est, cælum empyreum acclinavit, inflexit, invertit, ut ros ille divinus in terram deflueret. Vel inclinavit, id est, depressit, demisit, deiecit cum ipso Verbo, ut veluti loco motum in terram veniret, et Deum suum terræ communicaret. Hæ omnes

A locutiones sunt metaphoricæ.

Nota, Inclinatio cælorum denotat primo Humilitatem Christi, qua e cælis descendit. Lombard. Humiliavit se, ait, verbum Dei, ut carnem sumeret. Euseb. notat summam declarari humiliationem filii Dei, quod non unum sed omnes cæli dicantur inclinati, q. d. descendit usque ad infima, omni se maiestate sua exuit, e throno suo per omnes gradus ad infima perrexit, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Exodi 19. 20. de Deo daturo legem Hebræis dicitur: *Descendit Dominus* (Angelus Dei vicarius) *super montem Sinai in ipso montis vertice*. Non descendit usque in planitiem, neque permittuntur Hebræi montem tangere, nedum ascendere. Descenderat tunc Deus, ita ut audiri posset e loco remoto, nunc Incarnatus ad ima venit, et videndum se palpandumque etiam post resurrectionem præbet. Ephes. 4. 9. *Descendit in inferiores partes terræ*, id est, usque ad inferos, ut S. Hieron. S. Ambros. S. Chrysost. exponunt. 73. Inclinatio cælorum notat in Christo quatuor. I. Humilitatem.

B Figuratus est ille descensus Christi e cælo, ubi in sinu Patris percipiebat arcana verba et voluntatem eius per descensum de monte Sinai afferentis duas tabulas legis populo, et ambulaturi cum iis in deserto per multos annos. Exodi 34. 29. Lux e vultu Mosis illuminabat Hebræos, et nato Domino pastores circumfulsit lux magna de cælo. Luc. 2. 9.

Secundo: Inclinatio cælorum notat charitatem Christi, qua cælum terris iunxit, et fecit utraque unum, velut cælum terræ miscens, et terram cælo. Remigius *Inclinavit*, inquit, *Deus Pater cælos, id est, summa imis coniunxit, cælestia terrenis, divinitatem mortalitati*. Statim nato Christo Angeli venerunt ad homines illis gratulantes. Luc. 2. 9. *Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos*, ut nulla pars eorum luce careat, ut fiant stellæ firmamenti ad lucendum in perpetuas æternitates. Græce est, *επεστη αυτοις*, quod quidam vertunt, *stetit super illos*, sed melius noster, *iuxta illos*, velut amicus prope amicos, par prope pares, et conservus prope conser- 74. II. Charitatem.

C vos. Post Incarnationem non passi sunt Angeli se ab hominibus adorari Apocal. 19. 10. *Et cecidi* (ego Ioannes) *ante eius pedes* (Angeli) *ut adorarem eum. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu*. Rupertus et Ansbertus id factum ab Angelo dicunt, ob reverentiam Incarnationis Christi. S. Gregor. item homil. 8. in Evang. ait: Angeli postquam naturam nostram supra se assumptam in Christo perspiciunt, prostratam eam sibi videre pertimescunt. Et S. Ambros. in Apoc. *Pertimescit*, inquit, *Angelus adorari ab homine, qui supra se adorabat hominem Deum*. Cum prius Angeli permiserint adorari se, adoratione scilicet duliæ, id est servitutis, ab Abraham Gen. 18. 2. a Loth. Gen. 19. 1. a Ios. in agro urbis Ieric. ubi videns Angelum Ios. 5. 15. *Cecidit pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* vocat se Angeli servum, et Angelus silentio suo id approbat et venerationem illam suscipit. Ioanni vero Angelus se esse con-

D servum ait, nec patitur incurvatione corporis, (hoc enim est Hebr. השתחוה *histachave*, id est, adorare) honorari.

Tertio, Inclinatio cælorum in Incarnatione denotat liberalitatem Dei dona omnia sua effundentis. Quid enim retineret dato filio, *et quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Cum vas inclinatur, liquor omnia in eo inclusus defluit. Ugo Card. *Inclinavit cælos, sicut vas, ut totum effunderet. Unde in Nativitate cantat Ecclesia: Hodie melliflui facti sunt cæli*. Cantic. 4. 11. de Sponsa, id est, Deipara, habes: *Favus distillans labia tua, Sponsa; mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, quod de Christo sic explicat Hugo a S. Victore erudit. Theolog. ex Miscellaneorum lib. 1. tit. 115. *Favus Verbum caro factum est in Virgine: distillans, redundantiam significat et gratiam fundens*, et tom. 2. serm. de Assumpt. B. Virg. *Favus*, inquit, *mel et ceram habet: mel divinitas est, cera humanitas. Favus, Verbum caro factum est in Virgine*. Et postea: *Mel et lac sub lingua tua, Verbum sub carne tua: sub lingua tua, quia Verbum: sub* 75. III. Liberalitatem.

carne tua quia absconditum. Mel et lac, Deus et homo: mel divinitas, lac humanitas. Mel de cæli rore venit, quia divina natura supra omnia est: Lac de carne exprimitur, quia humanitas de deorsum assumpta est. Apes mel ferunt e floribus et arboribus in favos, id est, in cellulas cereas: Spiritus sanctus de cælo Christum ut sacrum mel effudit in Mariam. Dicebant sancti Isaiæ 45. 8. *Rorate*, (Syr. Iucundamini. Forerius, defluite. Pagninus, stillate. Arabs, gratiam præstate.) *cæli desuper, et nubes pluant iustum.* Pagn. iustitiam. De Christo id accipiunt S. Thom. Vatablus, Forerius, et Lyranus, aliique. Cornel. novem analogias affert Christi, et roris, et ultimam quidem huic loco aptissimam. Ros, inquit, est melleus, adeoque mel non est aliud quam roris medulla, eiusque succus prædulcis et subtilis, qui herbis, flosculis, et terræ solo excipitur, atque ab apibus colligitur. Ita Aristot. lib. 5. hist. animal. cap. 22. docet apes favos construere e floribus ceram ex arborum lacryma effingere, mella ex rore aeris colligere. Quod enim apes non faciant mel, ut putat Seneca, sed confectum in aere asportent, probant Aristot. Plin. et nostri Conimbricenses tract. 7. in meteora, c. 9. tum ex eo, quod uno aut altero die cellas apum melle repletas inveniunt apiarii: tam brevi enim tempore tantum mellis conficere non possunt apes: tum ex eo, quod in autumno apes mel sibi detractum non reparant, cum tamen illo etiam tempore flores suppetant. Secus est de bombycibus, quas videmus byssum conficere, sed lente post diutinam foliorum mori comestionem, concoctionem, et alterationem, ut tertio colorem mutent tandemque flavescant: tunc enim flavæ byssi fila e visceribus nendo (miro naturæ, imo Dei opere) sensim educunt. Hoc in apibus non videmus: colligunt ergo illæ mel, id est, roris medullam, non conficiunt. Pari modo, quid est Iesus, nisi roris cæli medulla: hoc est, *Mel in ore, melos in aure, iubilus in corde*, ait S. Bernardus.

Vino effuso in terras Christum comparat Thomas Anglicus. Imaginemur, inquit, filium Dei, *Tamquam vinum*. Eccl. 9. 15. *Vinum novum, amicus novus.* Vas autem vinum illud continens erat cælum empyreum, ante Incarnationem, de isto vase vinum affluxit, dum Dei filius invisibiliter missus est illuminando fideles per inspiratam sapientiam; sed non videbatur quoad nos venire satis purum et clarum, nec in sufficienti copia, quia per illum adventum non erat nobis Deus clare cognitus, nec sufficienter habitus, nunc autem inclinavit hoc dolium: ut nobis vinum purum et clarum, in copia effunderet, quando per seipsum visibiliter ostendit et vivificavit illud, Ioan. 17. 22. *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.* Claritatem, id est, amorem, dilectionem, ut ait Maldonatus; 2. Eucharistiam, ut Leontius; 3. gloriam filiationis divinæ, ut S. Ambros. lib. 5. de fide cap. 4. denique 4. claritatem, id est, ipsam Verbi divinitatem incarnatam; nobis enim parvulus Christus natus est, ac nobis datus. Et quidem cum abundantia, quia totus, et cum omnibus donis cælorum quos inclinavit, et quorum cataractas effregit, ut nihil amplius retinere possint, quod non communicent, os et cor aperientibus.

Sponsa autem in Canticis comparat Christum oleo e cælis effuso. Cantic. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum*, id est, nomen Iehova, ait Chald. Paraphrastes, qui sic vertit: Nomen tuum sanctum auditum est in universa terra, quod est electum magis quam oleum unctionis, quo unguntur capita Regum, et Sacerdotum; 2. nomen effusum velut oleum sive unguentum nomen est *Christus*, id est, unctus. Unde Euseb. lib. 4. Demonstrationis Evang. cap. 15. vocat Christum *Dei oleum*, et lib. 5. cap. 1. *fragrantiam Patris*, 3. Nomen effusum velut oleum seu unguentum, nomen *Iesus*, de quo egi Ps. 8. v. 1. Hinc S. Dion. cap. 4. Hierarch. Eccl. Iesum vocat *supersubstantialiter odorem fragrantem*; 4. Nomen sumitur metonymice pro re nominata. Christus autem Iesus e cælo effusus est velut oleum, cum se exinanivit factus homo. Pro *effusum*. Heb. est, תורק *turac*, id est, ut vertunt Septuag. ἐκκενωθέν, hoc est evacuatum, sicut reddit Vatablus; exinanitum, ut alii. Philip. 2. 7. ait Paulus. *Semetipsum exinanivit.* (Tertullian. legit, exhausit) *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*, (id est, factus similis hominibus) *et habitu* (σχήματι, id est, externa specie et figura) *inventus ut homo*, hoc est, verus homo, ut explicat S. Chrysostomus. Cum itaque homo nihil sit, cum se hominem fecit, ac se exinanivit et ad nihilum redegit, Psal. 38. 6. *Substantia* (S. Hieron. vita; Chald. corpus; Græce οὐσία, essentia, substantia) *mea tamquam nihilum ante te*: quia vides res ut sunt. Vide illum locum, si nihil est nostra substantia, quid erunt nostra accidentia? id est honor, deliciæ, ac divitiæ, et spes inanes ac mendaces, et umbræ somnia.

Quarto, inclinatio cælorum denotat Christum ex illis descendisse sine strepitu, occulte, latenter, insciis omnibus potestatibus, id est, dæmonibus. Ita Euthym. Nicephor. et S. Hieron. Ps. 71. 6. comparatur ille descensus tacitus pluviæ in vellus, id est, in lanam ex ovibus evulsam atque detonsam et conglobatam, cadenti. *Descendet sicut pluvia in vellus*, in vellus autem cadit pluvia molliter nullo sono edito. Alludit ad vellus Gedeonis, quod fuit figura Deiparæ. Nam, ut ait S. Ambros. serm. 9. *Maria recte velleri comparatur, quæ ita concepit Deum, ut toto eum corpore hauriret.* Et S. Chrysol. serm. 3. de Annunt. *Cælestis*, inquit, *imber Virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et tota Divinitatis unda bibulo se nostræ carnis celavit in vellere: donec per patibulum Crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet.* S. Hieron. hic: Humilem, ait, se nobis, et in forma servi occultum præbuit, et latentem. 76. IV. Descensum sine strepitu.

Symbolice, cæli primo sunt Apostoli, quos inclinat Deus, ut se plebis capacitati accommodent. S. Hieron. Cæli, inquit, id est, sancti Apostoli, et imitatores eorum, inclinaverunt se ab altitudine, hoc est, de contemplatione, ut doceant brutos et infirmos in Ecclesia, propter compassionem proximorum. Secundo, cæli sunt Prædicatores, ait Ugo, quos Deus inclinavit a contemplatione ad actionem, a quiete ad molestiam, de subtili doctrina ad lacteam doctrinam. His tribus modis inclinantur Prædicatores. Unde Iacob vidit Angelos ascendentes et descendentes, et Dominum innixum scalæ. Gen. 28. Vel inclinavit cælos, id est, Prædicatores exposuit persecutionibus et tribulationibus, Vel, inclinavit, hoc est, humiliavit cælos, id est, Prælatos et Prædicatores, ut eis libentius crederetur, quia humilibus melius creditur. Et contra a superbis Pastoribus oves fugiunt. Ezec. 34. 4. *Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.* Hinc sequitur v. 5. *Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor: et factæ sunt in devorationem bestiarum agri, et dispersæ sunt.* 77. Symbolice. Cæli sunt 1. Apostoli. 2. Concionatores.

Tertio, cæli sunt quilibet iusti, qui inclinantur cum Christo in terras descendente, et ad se veniente, cum audiunt vocem eius. Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Ad humilem non descendunt nisi humiles: neque humilis Christus, qui amat descensum, sese inclinando venit nisi ad humiles. Dicit Deipara Luc. 1. 48. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* De ea et de anima sancta, ait ipse Sponsus Cantic. 4. 12. *Hortus conclusus* (Hebr. נעול *naul*, id est, obseratus, seu sera clausus, ut vertit Arabs) *soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Arabs sigillatus. Sponsa est hortus conclusus in corpore per virginitatem, in mente per humilitatem, nec se laudans, nec laudes vanas admittens. Ideo bis conclusus est. Ad eum hortum venit Sponsus, Cantic. 5. 1. *Veniat* (Septuag. et Arabs, descendat) *dilectus meus in hortum suum*, id est, in me, quæ pro ipso me humiliavi. Hoc se fecisse iam ait Sponsus ibidem. Syr. vertit. *Veniat patruelis meus* (id est cognatus meus filius patrui mei) *per hortum meum* (qui meus est; ut eum expurget) *in hortum suum*, hoc est, sibi placentem per gratiam et flores virtutum a se ibi positos. Non venit autem nisi se inclinando. S. Gregor. Nyssen. in illum locum: Quia, inquit, fieri non potest, ut aliter assumamur ad Altissimum, nisi *inclinetur* ad humilitatem et depressionem, quia mites assumit Dominus, propterea sublime ascendens Sponsa, ac- 3. Omnes iusti.

cersens deductionem feciendem ab eo, qui *inclinatur*, optat ut ipse descendat e sua magnitudine. Ite Nyss. Sponsa non tentum est fons signetus, et fons bortorum per varias virtutes, sed etiam puteus aquarum viventium, per humilitatem se deiicientem et inclinantem, ut postea fiat fons aquæ salientis in vitam æternam, et quo megis se deiecit, eo magis escendet, ut fit in foutibus per tubos seu canales plumbeos fluentibus.

78. *Incarnationis mysterium est incomprehensibile.*

Quod vero additur de Christo cælos inclinante, et per Incarnationem descendente, *caligo sub pedibus eius*, denotat obscuritatem et incomprehensibilitatem mysterii. Caligo sub pedibus, ait Theodoretus, invisibilem præsentiem designet. Non enim videtur Divinitas incarneta. S. Chrysost. serm. 4. de Ascens. accipit caliginem pro velo carnis Christi, et Remigius, *Obscuritas*, inquit, *et lux incomprehensibilis sub pedibus eius, id est, in carne eius latuit: scilicet Divinitas Verbi*. Ubi caliginem sumit pro ipsa Divinitate, quæ habitat lucem inaccessibilem, 1. Timoth. 6. 16. et consequenter caliginosam et obscuram atque imperviam nobis. Hinc Iansonius ait: Obscura eius facte est cognitio sub pedibus eius, id est, in hominibus terræ incolis. Ioann. 1. 10. *In mundo erat* (per Incarnationem, ait Maldonatus) *et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit*. Dixit Deus, id est, Angelus Dei Vicerius, Mosi Exod. 1. 9. *Veniam ad te in caligine nubis:* est figura Christi venturi in humanitate. Tu Mosem imitare cap. 20. 21. *Moses accessit ad caliginem, in qua erat Deus*, id est, ad humiliationem Christi humaneti, qui est in carne, tamquam Sol in nube, in cuius umbra iucunde quiescamus. Threnor. 4. 20. *In umbra eius vivemus inter gentes*, quod S. Bern. serm. 20. in Cant. expendens ait: *Mihi videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui Solis ferre ardorem minus validos se sentiunt, et carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere, quæ sunt spiritus Dei. Umbram siquidem Christi, carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est et Mariæ, ut eius obiectu fervor splendorque spiritus illi temperaretur.* Hæc Bern. Si faciem Mosis lucentem non poterant Israelitæ intueri, interiecto velo, quomodo lucem Divinitatis ferre possent oculi mortalium, nisi refractis radiis per mediam humanitatem? Deum nemo vidit unquam, nec videre potest terrenis oculis. Exod. 33. 90. *Descendebat columna nubis* (id est, nubes in modum columnæ confirmata) *et stabat ad ostium tabernaculi, loquebaturque* (columne nubis, id est, Angelus intra nubem, quæ etiam replebat tabernaculum) *cum Mose: cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi, stabantque ipsi et adorabant per fores tabernaculorum suorum*, nube inter se et Angelum interposita.

79. *In Incarnatione quatuor præsertim sunt incomprehensibilia.*

In Incarnatione multa sunt incomprehensibilia. Primo, quomodo humana nature sit sine propria subsistentia. Secundo, quomodo natura humana subsistat in persona Verbi sine ulla ipsius Verbi mutatione, et secundum aliquos sine unione distincta in ipsa humanitate. Tertio, quomodo unio facta sit in persona Verbi, et non in eius natura, cum tamen persona eius et natura sint idem realiter. Quarto, quomodo vere Deus sit homo, et homo Deus, et fiet communicatio idiomatum, ita ut quæ Dei sunt, homini vero tribuantur, et quæ hominis sunt, Deo. Hinc S. Ioannes Damascenus serm. 4. de Nativit. vocat Deiparam, *miraculorum officinam*, et S. Ephrem de laudibus B. Virginis, *miraculum miraculorum*. Ierem. cap. 31. 22. *Creavit Dominus novum super terram: fœmina circumdabit virum.* Christus enim castissimo Virginis utero circumdatus, primo Conceptionis instanti erat vir perfectissimus, pari sapientia præditus, qua fuit in ætate perfectissima, si excipias scientiam experimentalem.

80. *Incarnationis septem miracula.*

Miracula septem incarnationis ibi notat Cornel. Primum est, Virgo integra virginitate concipit. Secundum, Spiritus sanctus Virginem obumbrat, corpus infantis puncto temporis efformat, animamque mirabilem infundit. Tertium, corpus et anima eodem temporis puncto cum Verbi persona copulentur. Quartum, Deus fit homo. Quintum, infans omni sapientia pollet. Sextum, absque peccato originario omni gratia plenus concipitur. Septimum, infantis sanctissima anima, protinus ut creata est, Dei essentiam videt, simulque se Deo ad Crucem et mortem pro hominibus offert. Quænam unquam maiora miracula orbis vidit? Vidit olim tempore Iosue Solem stantem, tempore autem Ezechiæ retrogredientem; at nunc videt Deum seipsum exinanientem. Vidit olim in igne conservatam rubi viriditatem: nunc videt in conceptione conservatam Matris virginitatem. Vidit Aaronis virgam subito sine humana cultura florentem: nunc videt Iesse virgam absque humana opera optatum mundo fructum parturientem. Vidit virgam Mosis in serpentem commutatam: hic videt Deum in hominem peccatoribus similem transformari. Vidit mare rubrum aperiri et findi: hic videt Deum Virginis utero clausum. Vidit manna e cælo depluens: hic videt Verbum Patris e cælo in gremium Deiparæ descendere. Vidit Eliam in cælum ascendere: hic videt naturam humanam ad Deitatem ascendere, Verbique æterni supposito copulari. Multa mirabilia coacervat S. Bernard. hom. 2. super missus est, ante medium, ubi post explicatum Isaiæ versiculum mox citatum, ait: *Ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem: videas, si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.* Lege S. Leonem serm. 2. de Nativ. et S. Cypr. serm. 3. in eadem festivitate.

81. *Symbolice.*

Symbolice. Caligo, id est diabolus, sub pedibus, id est, sub potestate Christi fuit. Ita S. Thom. Hugo, Thomas Angl. et alii. Secundo, caligo, hoc est, scelerati Christum non cognoverunt. Ita August. et Bernardus.

Quarto, post expositam Christi inclinationem caliginosam, penit eiusdem Ascensionem etiam tenebrosam, vers. 11. *Et ascendit* (Hebr. equitavit) *super Cherubim, et volavit: volavit super pennas ventorum*, quod alii de Ascensione in cælum, alii de Incarnatione exponunt.

Ac primo, sensu maxime obvio et proprio, S. Thom. Lombard. Dionys. Palanterius, Ugo, et plurimi de Christo in cælos ascendente sic exponunt, q. d. ille ipse quem vidisti in Incarnatione sese inclinantem ad infima, per Ascensionem triumphans, et victor ascendit ad summa, etiam super omnes Angelos supremos. Nam Cherubim ibi ponuntur synecdochice pro omnibus Angelorum ordinibus, præsertim pro summis. Bis repetitur *volavit*, ut notetur volatus celeritas: *super pennas ventorum*, id est, veluti ventis evectus, hoc est, celerrime. Est metaph. 2. id est, celerius quam ipsi venti, licet alati, et totis viribus volantes; 3. celerius pennis, quæ agitantur vento; 4. super pennas ventorum, id est, super alas Angelorum, qui dicuntur venti, Ps. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Vide illum locum. Primus sensus maxime placet.

82. *Christi Corpus est super omnes cælos.*

Nota, S. Thom. 3. p. q. 57. artic. 4. probat, Corpus Christi esse super cælos, quia quanto aliqua corpora perfectius participant bonitatem divinam, tanto sunt superiore corporali ordine, qui est ordo localis. Unde videmus, quod corpora, quæ sunt magis formalia, sunt naturaliter superiora, ut patet per Philosophum in 4. Phys. et lib. 2. de cælo textu 30. per formam enim unumquodque corpus participat divinum esse, ut patet in 1. Physic. text. 81. Plus autem participat de divina bonitate corpus per gloriam, quam quodcumque corpus naturale per formam suæ naturæ. Et inter cætera corpora gloriosa, manifestum est, quod Corpus Christi maiori refulget gloria: unde convenientissimum est sibi, quod sit supra omnia corpora constitutum in alto. Et ideo super illud Ephes. 4. 8. Ascendens in altum dicit Glossa interlinearis: Ascendens in altum, loco et dignitate. Et clarius v. 10. *Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia*, id est, ut omnes, sicut ait S. Anselmus electo-

rum Angelorum et hominum sedes, ac numerum restauraret, impleretque. Secundo, ut omnia impleret sua maiestate, gloria et triumpho. S. Bern. serm. 2. de Ascensione, initio: *Ascendit Christus super omnes cælos, ut adimpleret omnia: iam enim cum se Dominum universorum, quæ sunt in terra, et in mari, et in inferno probasset, non restabat nisi ut aeris et cælorum se esse Dominum, argumentis similibus, vel certe potioribus approbaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis eius, cum clamasset magna voce: Lazare veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit infernus, cuius ipse portas æreas, et vectes ferreos confregit, ubi et ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus et Satanas. Profecto, qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, et omnes exsufflavit infirmitates, Dominus omnium fuit: et eadem manus, quæ fecerat, quæ defecerant, reficiebat.* Etiam ex statere prædicto in piscis ore eum esse Dominum maris probat, ex triumpho per Crucem de dæmonibus reportato esse Dominum infernalium officinarum, tum subdit: *Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsutilem, Domine Iesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat ut videntibus Discipulis, per medium aeris Dominus ascendas super omnes cælos. Ex tunc probabitur, quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti, et iam tibi profecto debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria, et in dextera Dei Patris.* De illo triumpho Ascensionis super omnes cælos fuse agam Ps. 67. aliqua dicam Ps. 23.

Christus sua potestate et gloria totum orbem implevit.

83. Nota secundo, Corpus Christi non tantum est super omnes cælos, et super omnia corpora, sed etiam super omnes Angelos et spiritus, non tantum dignitate, ut putavit Suarez in 3. part. (ubi dicit seclusa illa dignitate, quæ sumitur ex persona, vix posse intelligi, cur unus locus in cælo dicatur altior etiam respective) sed etiam situs altitudine. Non enim arbitror ita Christum esse supra cælos, ut sit cum beatis supra extimam superficiem eius, et tangat pedibus illam superficiem, ac toto corpore sit in vacuo seu inani: sed puto locum beatorum esse intra cælum empyreum: ibique pulcherrimo ordine secundum cuiusque merita varias esse sedes et ordines, splendore et situ inter se differentes, et quo quisque fuerit sanctior, eo propiorem fore Christo, qui Regis instar in solio excelso præ cæteris emineat. Hoc docere videtur S. Thomas 3. p. quæst. 57. artic. 5. cum ait. Tanto alicui rei debetur altior locus, quanto est nobilior: sive debeatur ei locus per modum contactus corporalis, sicut corporibus: sive per modum contactus spiritualis, sicut spiritualibus substantiis. Exinde enim spiritualibus substantiis debetur secundum quamdam congruentiam locus cælestis, qui est supremus locorum, quia illæ substantiæ sunt supremæ in ordine substantiarum. Corpus autem Christi, licet considerando conditiones naturæ corporeæ, sit infra spirituales substantias, considerando tamen dignitatem unionis, qua est personaliter Deo coniunctum, excellit dignitatem omnium spiritualium substantiarum. Et ideo secundum prædictæ congruentiæ rationem debetur sibi locus altior ultra omnem creaturam, etiam spiritualem. Unde S. Gregorius homilia 20. in Evangelia dicit, quod, qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur, et S. Paulus Ephes. 1. 20. *Et constituens ad dexteram suam in cælestibus* (ad dexteram, id est, in summa Patris gloria. Est metaphora) *supra omnem Principatum et Virtutem* (δυνάμεως, id est, potentiam, robur, fortitudinem) *et Dominationem.* Abstracta more Hebræo sumit pro concretis: id est super omnes Principes, Potentes atque Dominantes. Ita Adamus; 2. hoc est, super istos quatuor Angelorum Choros, qui synecdochice pro omnibus ponuntur. Hinc S. Dionys. Chrysost. et alii ex hoc loco quatuor illos ordines Angelorum statuunt, et inter se distinguunt. Illis Christus præsidet, ut sacris exercitibus Rex cælestis, ac Dominus Sabaoth. Ierem. 32. 18. Fortissime, magne et

Christi Corpus in cælo est super omnes Angelos.

A potens, *Dominus exercituum nomen tibi*, magnus consilio, et incomprehensibilis cogitatu. Hebr. multus opere, vel adinventione. Sept. potens operibus.

Hanc Christi super omnia eminentiam habes Ps. 8. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas: insuper et pecora campi. Volucres cæli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Ubi in sensu mystico Euthymius *oves* ait esse eos, qui credunt Evangelio de Gentilibus: quos errantes in collibus, et montibus Pastor Christus invenit, et in ovile reduxit: *boves*, qui de Iudæis grave iugum legis trahentibus: *pecora*, qui in idolorum cultu perseverant, et proni terrenas voluptates spectant: *volucres cæli*, Angelos; *pisces maris*, dæmones, qui inter fluctus præsentis vitæ subsiliunt, atque in amara pravarum actionum salsugine vivunt. Iacobus de Valentia per volucres cæli intelligit, tam bonos Angelos quam malos.

84. Illustre symbolum Ascensionis Christi, et sessionis super Cherubim, et super omnes Angelos, in throno gloriæ suæ, est currus gloriæ oblatus Ezechieli, et ascendens e
B Babylone in Ierusalem, id est, ab hoc mundo confusionis pleno ad Paradisum, qui est visio pacis. Ibi erant quatuor rotæ plenæ oculis, id est, Angeli perspicacissimi, prope rotas quatuor Cherubim, supra ipsos cælum stellatum, supra cælum thronus sapphirinus, cui insidebat Deus humana specie, id est, Iesus Dominus noster Deus et homo. Species enim illa electro, et igne constabat, ut dixi supra. Unde S. Gregor. hom. 2. in Ezech. *Cum ait, humanitas ad maiestatis gloriam excrevit, divinitas a sui fulgoris potentia humanis se oculis temperavit, et quasi electrum in igne, est Deus factus homo in persecutione.* Hinc notant Rabbini si nomen חשמל *Chasmal*, id est, electrum, per anastrophen ordine retrogrado legas, efficies למשיח *lamaseiach*, id est, Messias, seu Christus. Electrum est hieroglyphicum divinitatis, quia est fulgidissimum, durissimum, et sonantissimum. Ignis etiam est Dei symbolum. Hebr. 12. 29. *Deus noster ignis consumens est.* Humana figura ostendit eum humanatum. Ignis potest denotare
C eius charitatem ardentem. Situs autem est super Cherubim, Ezechielis 1. 26. *Et super firmamentum* (id est super cælum stelliferum) *quod erat imminens capiti eorum* (Cherubinorum currum stipantium) *quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni* (est hysterologia. Sic enim verborum ordo statuendus est. Super firmamentum erat similitudo throni, id est thronus, non realis, sed in visione apparens, et thronus ille erat ex sapphiro factus, hoc est candidus pretiosus et splendidus mirum in modum) *et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper.* Eum deinde describit. Forma regis apparuisse censet Cornelius, quod apte convenit Christo, ad dexteram Patris collocato in Ascensione: tunc enim est coronatus Rex cæli et terræ, et data est ei omnis potestas in cælo et in terra, non tantum quoad dominium, sed etiam quoad usum, et exercitium plenissimum illius dominii, et præsertim ut appareret esse Rex Cherubim, et omnium Angelorum. Maiestatis quoque et gloriæ Christi supra Angelos sedentis, potest esse symbolum Angelus huma-
D na specie sedens in propitiatorio, et arca super alas Cherubinorum aureorum in tabernaculo Mosaico, et in templo Salomonis.

Ascensionis Christi symbolum.

85. Secundo, *Ascendit super Cherubim et volavit*, explicari potest de mysterio Incarnationis. Primo, quoad descensum ipsum, q. d. inclinatis cælis, ut celeriter Deus descenderet, *ascendit*, id est, ut Hebraica habent, *equitavit* super Cherubim, et in terras devolavit. Secundo, *Ascendit super Cherubim*, quia, ut ait Cassiodorus, *per mundi spatia velociter cucurrit: quando ipso in cunabulis iacente, Magis
eum stellæ claritas nuntiavit.* Tertio, ob incomprehensibi- 1.
litatem mysterii. Ascendit enim in eo mysterio Christus 2.
super Cherubim, id est, super omnem plenitudinem scien- 3.
tiæ Angelicæ et humanæ, quod figuratum potes advertere Ezech. 1. 27. *Et vidi quasi speciem electri, veluti aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum.* Ubi S. Hieron. Ignis, inquit, superne in eo erat intrinsecus: quia gloria Deitatis in se latet, et hominibus est abscondita. Ita i-

In Incarnatione Christus ascendit super Cherubim, et quomodo?

pse, sed maxime latet in humanitate. Unde ea, quæ in psalmo nostro sequuntur, *Posuit tenebras latibulum suum* etc. exponit Hugo de mysterio Incarnationis, et eius obscuritate. 3. Regum 8. 12. *Dixit Dominus ut habitaret in nebula*. Unde S. Augustinus ait, Domine absconde te, ut credamus.

86. *Symbolice. Deus manet in charitate.*

Symbolice. Ascendit Deus super Cherubim, quia supergreditur omnem mundi scientiam, in ea non manet, eam transit, habitat in solis Seraphim, id est, in charitate. 1. Ioann. 4. 8. *Deus charitas est*, et v. 9. *Charitas ex Deo est*, et vers. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*. S. Dionys. cap. 4. de divin. nomin. *Hoc*, inquit, *amoris verbum vim habet faciendi unum, et colligandi, præstantique modo res inter se miscendi*. S. Augustin. tract. 9. in illam Epistolam, optimum dat consilium: *Sit*, ait, *tibi domus Deus, esto domus Dei. Mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat: mane in Deo, ne cadas: quia sic de charitate dicit Apostolus. Charitas numquam cadit: quomodo cadit quem continet Deus?* Idem sanctus Doctor in ps. nostrum. *Ascendit super Cherubim et volavit: id est, exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret nisi per charitatem. Plenitudo enim legis charitas.* Roman. 13. *Et cito se incomprehensibilem esse demonstravit dilectoribus suis, ne illum corporum imaginibus comprehendi arbitrarentur. Volavit super pennas ventorum. Illa autem celeritas qua se incomprehensibilem esse monstravit, super virtutes animarum est: quibus se velut pennis a terrenis timoribus in auras libertatis attollunt. Et posuit tenebras latibulum suum. Et posuit obscuritatem sacramentorum, et occultam spem in corde credentium ubi lateret ipse, non eos deserens. In his etiam tenebris, ubi per fidem adhuc ambulamus, non per speciem: quamdiu quod non videmus, speramus, et per patientiam expectamus. In circuitu eius tabernaculum eius. Conversi tamen ipsum ambiunt, qui credunt ei quia in medio eorum est, cum omnibus æqualiter favet: in quibus tamquam in tabernaculo habitat hoc tempore.*

87. *Posuit Deus tenebras latibulum suum, id est, I. Pauperes in tenebris latentes.*

Quæ sequuntur, sic exprimere potes Symbolice: *Posuit tenebras latibulum suum*. Primo, per tenebras intelligendo pauperes, et humiles, qui latent et latere volunt, et clauso ostio orant, et intrant in caliginem orando cum Mose in monte Sinai, id est, in afflictione. Sinai enim rubum significat: et cum Christo existendo in Thabor seorsum a mundo, et intra nubem occultando lumen in se resultans ob Christi splendorem, ut ne a Mose quidem et Elia, neque a se invicem luminosi videantur: etiam oculos Sanctorum fuge, et Spiritus sanctus te obumbrabit. 50. 3. *Induam cælos*, (id est iustos) *tenebris, et saccum* (velut saccum) *ponam operimentum eorum*. Ita scilicet, ut non appareant. Cogita diem iudicii extremi, et omnem tuam lucem occultabis. Apocal. 6. 12. S. Ioannes agens de temporibus mundi novissimis ait: *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum: et ecce terræ motus factus est magnus* (contritio magna peccatoris) *et Sol* (vir pius) *factus est niger* (per timorem) *tamquam saccus cilicinus: et Luna tota facta est sicut sanguis* (id est, voluntas agnovit se esse inquinatam multis peccatis) *et stellæ de cælo ceciderunt super terram* (id est, potentiæ animæ, et sensus corporis se humiliaverunt) *sicut ficus emittit* (Græce βάλλει, hoc est, emittit, eiicit) *grossos suos* (id est, ficus immaturas) *cum a vento magno movetur. Et cælum recessit sicut liber involutus*, hoc est, qui convolvitur. Utebantur enim voluminibus veteres, et illa cylindro circumvolvebant. Cælum porro est totus vir iustus, qui suum omne lumen occultat, et se nihil reputat compositus Deo, ut dicit Ps. 142. 2. *Non intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo* (S. Augustinus legit coram te) *omnis vivens*. In timentibus autem, et pauperculis ponit Deus domicilium, et latibulum suum. Isaiæ 66. 2. respondens Iudæis templum suum venditantibus, et restaurari optantibus, ait, templum se velle non materiale, sed spirituale, animae humiles. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum* (hoc est humilem, ut vertit Vatablus: afflictum, ut Arias et Pagn. vox Hebr. עָנִי ani, pauperem, et humilem, et afflictum significat) *et contritum spiritu, et trementem sermones meos.*

88. Secundo, *posuit tenebras*, id est, cælum empyreum, *latibulum suum*: quia de cæli empyrei altitudine, profunditate, pulchritudine, figura, et cæteris nihil scimus. Hoc unum usurpare possumus. 1. Corinth. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor* (id est in mentem: sicut enim cor vitæ corporalis, ita mens vitæ spiritalis est fons et radix. Est catachresis) *hominis ascendit* (hoc est, venit. Hebræi enim cogitationem vocant mentis ascensum: quia res emittit sui speciem in oculos, aures, vel alium sensum, inde transit ad sensum communem et phantasiam, ubi fit minus materialis, postea ad intellectum agentem, qui eam penitus spiritualem facit, et in intellectu patiente, id est in mente, velut in hominis arce et vertice collocat) *quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*. Hoc sumptum est ex Isaiæ cap. 64. 4. ubi cum prius egerit de Incarnatione Christi, id de illa explicant S. Cyprianus, Pacianus, S. Hier. S. Chrysost. Vasquez, et Leo Castrius et alii. Melius tamen explica de cælesti gloria cum S. Thoma, S. Anselmo, S. Hieron. S. Cypr. S. Dionysio de cælest. Hierarch. cap. 12. lege S. Bern. serm. 11. in Cant. Idem Propheta Isaias ait cap. 6. v. 1. *In anno quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum*; (videbat enim thronum illum in cælo positum, et a pavimento cæli elevatum) *et ea, quæ sub ipso erant* (id est, fimbriæ et oræ, ac firmata paludamenti, seu vestis regiæ Dei: vel throno instrati tapetes) *replebant templum*: describit deinde sex Seraphim alatos, et quatuor modeste, et humiliter se contegentes, quasi se suaque Dei conspectu indignos iudicantes, atque ad rem nostram addit, *et domus repleta est fumo*, ut illo fumo, id est, nube, Deus maiestatem suam obvelaret. Sic cum Salomon dedicaret templum, dicitur 3. Reg. 8. 10. *Nebula implevit domum Domini*, et v. 11. vocat illam nebulam gloriam Domini, tum quia in ea erat aliquid lucis, tum quia Dei gloria est, quod ipse et eius domus sit hominibus invisibilis, id est, incomprehensibilis ob excellentiam: ideo Salomon exclamat, v. 12. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*, id est, se habitaturum in nube. Hoc autem dixit Levit. 16. ubi imperat, ut Pontifex intraturus Sanctum Sanctorum in die expiationis, id faciat thymiamate imposito thuribulo, ut fumus operiat arcam et Deum in propitiatorio sedentem ac reddentem oracula. Verba sunt v. 12. *Assumpto thuribulo, quod de prunis Altaris* (holocausti) *impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum ultra velum intrabit in sancta κατ' ἐξοχήν*, id est, in Sanctum Sanctorum, hoc est, in locum tabernaculi suavissimum) *ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum, et vapor operiat oraculum* (id est, propitiatorium) *quod est supra testimonium*, (hoc est supra arcam, in qua servabatur testimonium, id est lex, seu tabulæ legis testificantis populo Dei voluntatem) *et non moriatur*, q. d. si secus fecerit, morietur. Deus noster est, Deus absconditus. Ignoto Deo enim Atheniensibus sacrificemus. Act. 17. 23. Ammon apud S. Iustinum in parænesi Deum vocat παγκρυπτον, id est, penitus occultum. Sanctum Sanctorum, quod erat figura cæli empyrei, cum ibi specialiter Deus habitaret, carebat fenestris. Bethsamitæ retegentes arcam pereunt stupenda clade, occisis de populo septuag. viris, primariis scilicet (Chald. vertit, senibus populi. S. Greg. et Angelom. aiunt, fuisse iudices vel nobiles) et quinquaginta millibus e plebe.

II. Tenebras hoc est cælum empyreum.

89. Tertio, *posuit tenebras*, id est, sacras Scripturas Deus, *latibulum suum*, Ps. 50. 8. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*. Vide ibi dicta. 2. Petr. 1. 19. *Habemus firmiorem* (id est firmissimum: sic 1. Corinth. 13. v. 13. Maior, id est maxima horum est charitas) *cui benefacitis attendentes* (Græce προσέχοντες, hoc est intendentes, sicut legit S. August. tract. 2. in Ioannem) *quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*; lucerna denotat vitam hanc esse tempus nocturnum, itaque nos non videre mysteria nisi obscure. Fides etiam comparatur speculo et ænigmati, 1. Corint. 13. 12. Ænigma autem est obscura allegoria, vel

III. Tenebras id est, Scripturas.

quæstio obscura, quæ difficile intelligitur, nisi aperiatur.
Græce *αινιττω*, id est, obscure loquor.
90 IV. Quarto, *posuit tenebras* (id est, Ecclesiæ Sacramenta)
Denique, Sacramenta *latibulum suum*, ibi enim est per gratiam suam et efficaciam, et in Eucharistia per suam substantiam, ibi nos videt, et a nobis non videtur, nisi obscure et per fidem velut
per cancellos. Cant. 2. 9. *En ipse* (Sponsus) *stat post parietem nostrum, respiciens* (Hebr. משגיח *masghiach*, id
est, attente intuens, et observans quid geratur) *per fenestras, prospiciens* (Hebr. מציץ *metsits*, id est, efflorescens; instar floris emicans, Iesus est Nazarenus, hoc est,
floridus) *per cancellos*. De Incarnatione, per quam sub
humanitate latuit Divinitas explicat S. Ambros. et Bern.
Secundo, de S. Scriptura exponunt Origen. Theodor. et
Philo Carpathi Episc. qui parietem sumit pro lege, fenestras pro Prophetis, retia pro Apostolis; quibus ait Christus Matth. 4. 19. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Septuag. vertunt, prospiciens per retia.
S. Hieron. lib. 3. in Ezech. cap. 12. apparens per retia,
id est, per cancellos reticulatos. Tertio, ad rem nostram
multi explicant de Christo latente in Eucharistia; ibi enim
latet et omnes videt: 1. per suam divinitatem; 2. oculis
mentis; 3. ut aliqui censent, etiam oculis corporis. De Agno Paschali, qui erat Eucharistiæ typus, explicat Chald.
Paraphrastes.

Quinto denique, ponit David missionem Apostolorum
ad fructificandum, quod et ante, et præsertim post Ascensionem Christi contigit, v. 13. *Præ fulgore in conspectu
eius nubes transierunt: grando, et carbones ignis*. Ubi et in
versibus sequentibus notatur modus et efficacia prædicationis. Nam per nubes intelliguntur Prædicatores, et per
sagittas.

91. Primo, Apostoli, et Apostolici viri sunt nubes. Is. 5. 6.
Apostoli sunt nubibus similes, ob quinque convenientias. *Nubibus mandabo, ne pluant super eam* (vineam meam, id
est, synagogam, aut animam) *imbrem*. תורה *tora*, id est
Lex: מורה *more*, id est, Doctor: et יורה *iore*, id est, pluvia, ab eadem radice Hebr. nempe a verbo ירה *Iara*, id
est, emisit, demisit, proiecit, deiecit, deducuntur. Debent
1. nubes illæ esse primo fulgidæ, ob vitæ, et doctrinæ splen-
2. dorem. *Præ fulgore*. Christus ait Apostolis Matt. 5. 14. *Vos
estis lux mundi*. Secundo, debent esse veloces, *nubes transierunt*, ab una regione ad aliam, a Iudæis ad gentes, a
terrenis ad cælestia, a suis commodis et propria voluntate,
ad loca asperrima pro Dei nutu. Isaiæ 60. 8. *Qui sunt isti,
qui ut nubes volant?* non ambulant, non currunt, sed volant, quia eorum animus et conversatio in cælis est. S.
Gregor. homil. 18. in Ezech. post medium: *Recte prædicatores sancti nubes appellati sunt: quia verbis pluunt, miraculis coruscant. Qui volare quoque ut nubes dicuntur:
quia in terra viventes, extra terram fuit omne quod egerunt. Unde et per quamdam nubem dicitur: In carne enim
ambulantes, non secundum carnem militamus*. 1. Cor. 10.
*Priores enim Patres coniugiis utebantur, filios procreabant, substantias possidebant, curis rei familiaris intendebant. Istos autem Prophetiæ iam spiritu prævidens substantias deserere, nihil in terra quærere, nihil possidere, non
eos vel homines per terram ambulantes, sed nubes volantes
nominat. Volant enim qui terram, quasi non tangunt, quia
3. in ipsa nihil appetunt*. Tertio, Prædicatores debent esse
terribiles improbis: ideo additur, *grando*, supple, transiit. 1. Corinth. 4. 21. *Quid vultis? in virga veniam ad
vos?* id est, ut ait S. Chrys. et S. Anselm. cum severitate correptionis et potestate puniendi, *an in charitate, et in
spiritu mansuetudinis?* q. d. ad utrumque paratus sum,
ambidexter ex isto. Cap. seq. tradit incestuosum Satanæ
in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Apocal. 1. 16.
4. de Christi ore exit gladius utraque parte acutus. Quarto,
Prædicatores debent esse amabiles bonis, eosque amore
Dei non timere ducere. *Et carbones ignis*. Spiritus sanctus
est ignis, quem Iesus venit mittere in terram. Luc. 12.
hic cecidit in Apostolos. Act. 2. et sedit super capita eorum; itaque carbones effecit. Ignis enim ille non est otiosus, sed efficax et inflammans. Ierem. 5. 14. *Ecce ego do
verba mea in ore tuo in ignem* (id est, instar ignis; vel, ad

A *ignem*, ut alios scilicet inflammet) *et populum istum in ligna, et vorabit eos*. Carbo factus erat, ideo ardebat et urebat. Cap. 20. 9. ait: *Factus est* (sermo Domini) *in corde
meo quasi ignis exæstuans* (non erat tantum in superficie,
et pictus) *claususque in ossibus meis* (erat medulla eius
ignis) *et defeci, ferre non sustinens*: quin scilicet illum
ignem foras emitterem et abire paterer. S. Paulin. epis. 4.
ad Severum, Sanctos ait esse *aurum ignitum Deo*. Sponsa
Cant. 5. 10. ait dilectum suum esse candidum et rubicundum; candidum per innocentissimos mores: rubicundum
per charitatem. Quinto, Prædicatores debent minas inten- 5.
tare tepidis et languentibus, ut eorum torporem excutiant:
ideo additur v. 14. *Et intonuit de cælo Dominus*, non tam
Apostoli, quam eorum ore Dominus tonat. Matt. 10. 20.
Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Hæc vox pigros excitat, Psal.
103. 6. *Super montes stabunt aquæ*, id est, frigiditas super divites et superbos. Illi increpandi sunt dure, ut excitentur. Unde adiicit v. 7. *Ab increpatione tua fugient* (addit Chald. ut currant) *a voce tonitrui tui formidabunt*. Vi-
B de dicta de tonitru artic. præced.

Secundo, Apostoli et Apostolici viri sunt sagittæ Dei, 92.
quibus corda hominum penetrat, et inflammat, v. 15. *Et* Apostoli sunt sagittæ Dei
misit sagittas suas et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et ob sex
conturbavit eos. convenientias.

Primo, Sagittæ illæ sint rectæ oportet. Psal. 32. 1. *Rectos decet collaudatio* (S. Hieron. vertit, laudatio. Unde 1.
Siracides ait Eccli. 15. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Ratio a priori est, quæ ponitur Psal. eod. 32. 4.
Quia rectum est verbum Domini. Itaque non potest esse in
corde, et ore obliquo, et incurva per sinistram intentionem. Concionatores maxime studeant rectæ intentioni.
Sagitta recta certius tangit scopum. Secundo, sagittæ il- 2.
læ sint graciles, et tenues per mortificationem. Proverb.
21. 17. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum
et pinguia, non ditabitur*. Longe minus alios ditabit. Anima sicca est sapientior. Tertio, sint leves et pennatæ per 3.
orationem. Isaiæ 6. 2. *Sex alæ uni, et sex alæ alteri*. Agit
de Seraphinis. Ezechiel vero cap. 10. 19. *Elevant Cheru-
C bim alas suas*. Parum prodest scientia occulta, et lucerna
sub modio, et sagitta sine alis. Quarto, sagittæ illæ sint 4.
acutæ per meditationem diligentem, sapientiam, et prudentiam, ut bene penetrare possint cor audientium. Psal.
44. 6. *Sagittæ tuæ acutæ* (in Psalt. Romano et Gallicano
additur, potentissime: tunc Deus est potens ad vincendas
animas, cum Prædicatores sunt acuti) *Populi sub te cadent, in corda inimicorum Regis*, id est, tuorum. Est enallage personæ. *To* vero populi sub te cadent, est intextum
per parenthesim. Quinto, sagittæ illæ sint ferratæ per pa- 5.
tientiam et constantiam. Ierem. 1. 17. *Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam* (est anastrophe, id
est, faciam, ut non timeas) *vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie* (id est, nunc constitue) *in civitatem* (id est,
velut civitatem) *munitam, et in columnam ferream, et in
murum æreum, super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, et Sacerdotibus, et populo terræ*. Christus monet Apostolos ut non timeant eos, qui occidunt corpus,
animam autem non possunt occidere. Matt. 10. 28. Sex- 6
to, sagittæ illæ sint veloces per fervorem, sed tamen per
D humilitatem meminerint se esse fragiles. De Primo dicitur
Ps. 147. 15. *Qui emittit* (velut sagittam, aut legatum)
eloquium (Psalter. vetus, verbum) *suum terræ* (Deiparæ
Verbum æternum Incarnatum, ait Arnob. 2. verba Concionatorum, toti orbi) *velociter currit sermo eius*. Eccli.
31. 27. dicitur: *In omnibus operibus tuis* (longe magis in
operibus Dei) *esto velox* (*εντρεχης*, id est, strenuus, acer,
velox, currens. Nam *τρεχω* significat curro) *et omnis infirmitas non appropinquabit tibi*. Fugit fortes, instat fugacibus. De secundo 2. Corinth. 4. 7. *Habemus thesaurum
istum* (Evangelii ministerium, et prædicationem nobis creditam) *in vasis fictilibus* (*οστρακινοις*, id est testaceis) *ut
sublimitas sit virtutis* (*δυναμεως*, id est potentiæ) *Dei et non
ex nobis*. Vasa illa testacea, et figulina S. Chrysost. ait
esse nostra corpora. Cornelius vero esse nos ipsos totos,

q. d. habemus thesaurum istum in nobis, qui licet simus Apostoli, sumus tamen homines personæque luteæ et fragiles, tam anima quam corpore: quique quasi vasa testacea, viles sumus, ignobiles, inopes, abiecti, contempti, calcati, omniumque iniuriis expositi.

93. *Apostoli sunt fulmina, et cur?* Tertio, Apostoli et Apostolici viri sunt fulmina et fulgura, quibus nihil resistit. *Misit sagittas suas* (id est, sua fulmina, nam in hoc loco integro describit nubem, in qua est Deus, et per orbem defertur et agit) *et dissipavit eos: fulgura multiplicavit, et conturbavit eos.* Ubi advertere potes primo, auctoritatem esse Prædicatori necessariam, *misit;* non habetur enim auctoritas sine missione Dei, ut Prælatorum. Roman. 10. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sagitta non volat, nisi manu sagittarii emittatur. Hinc Apostoli vocantur Ps. 126. 4. *Filii excussorum*, id est excussi. Secundo efficacitatem nota, *et dissipavit eos*, ut non sibi sint uniti, ac terræ ad peccandum, sed cogantur ad Deum confugere. Ierem. 1. 10. *Posui te, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes.* Is. 58. 6. *Dissolve colligationes impietatis* (o peccator, tolle pacta usuraria, et alia opera mala, quibus te et alios constringis) *solve fasciculos deprimentes.* Chirographa obligationum de solvendis usuris, quæ habes tam multa, ut integros fasciculos reserves: idem est de propriis peccatis. Tertio, splendor necessarius est miraculorum, aut mirabilium operum. Unde additur: *Fulgura multiplicavit.* Iob. 38. 35. *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi: Adsumus?* quæ Dei verba Pineda sic exponit. Fulguribus atque fulminibus pro mea suprema conditoris maiestate, tamquam servis utor obsequentissimis, quibus cum quidpiam a me demandatum est, diligentissime exequuntur; atque celerrime ex uno loco in alium resilientia, et, si opus sit, parata reverti, et ab incepto itinere desistere, mandata perficiunt, perfectisque alacriter revertuntur, et coram supremo Conditore consistentia. Ecce, inquiunt, absque mora imperata tua confecimus. An defecimus in aliquo? An est aliquid reliqui nobis perficiendum? Vide dicta artic. præced. et ad mores applica. Quarto, ex his fulminibus, fulguribus, et cæteris, oritur conturbatio ad contritionem cordis: *Et conturbavit eos.* Deinde lacrymæ fluunt ex oculis, v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum.* Ugo Cardin. ait fontes illos duo esse testamenta, quæ sunt fontes aquarum, id est doctrinarum, salientium in vitam æternam, Ioan. 4. Hi fontes apparuerunt Apostolis, quia Christus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Item ait, fontes aquarum, id est, gratiarum, vel doctrinarum, esse Christi vulnera, ubi debet Prædicator haurire quod aliis prædicet. Isaiæ 12. 3. *Hauristis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Aquas illas S. Ambros. in Ps. 4. ait esse Ecclesiæ Sacramenta. S. Cyrill. et Procop. esse S. Scripturam ut doctrinam Evangelicam; alii de omni gratia exponunt: ego nunc de aquis remissionis cum S. Bern. serm. 1. de Nativit. ubi assignat quatuor fontes Christi; et serm. 66. ex parvis, alios quatuor: ipsum consule. Quinto, anima sacro illo tonantis, fulminantis, et fulgurantis Dei terrore concussa, sibi semper ob oculos ponit pœnas æternas inferorum. *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum.*

SECTIO TERTIA.

Duo continet. Primo, liberationem Davidis a summis periculis, vers. 17. Secundo, causas liberationis, vers. 21.

SECTIONIS TERTIÆ ANALISIS.

David, memor beneficii accepti

- Eductionem suam a tribulatione ostendit. 17.
  - Deo mittente auxilium e cœlo. 17.
  - Manu eum accipiente. 17.
  - E naufragio educente. 17.
  - A piratis insequentibus servante. 18.
  - In portu a barbarie defendente. 19.
  - In apertos amœnosque campos ducente. 20.
  - Ex omnibus periculis terra, marique servante. 20.
- Causam eductionis illius aperit. 21.
  - Propter suam
    - Mentis iustitiam. 21.
    - Manuum puritatem. 21.
    - Pedum in via Dei laborem. 22.
    - Oculorum in aspicienda Dei lege studium. 23.
    - Voluntatis puritatem. 24.
    - Omnium corporis animique potentiarum sanctitatem. 25.
  - Propter Dei
    - Sanctitatem. 26.
    - Innocentiam. 26.
    - Benignitatem erga pios. 27.
    - Severitatem in impios. 27.
    - Iustitiam
      - Elevando humiles. 28.
      - Deprimendo superbos. 28.
    - Sapientiam
      - In prosperis iuvando. 29.
      - Et in adversis. 29.
    - Potentiam
      - Eripiendo ab omni tentatione. 30.
      - Omnesque difficultates amoliendo. 30.

PARAPHRASIS.

17. *Misit de summo et accepit me: et assumpsit me de aquis multis.*

17. E supremo cœli palatio opem dimisit Deus, meque veluti manu prehensum fulcivit, ne mergerer, et calamitatibus a verticibus, quibus implicabar, eripuit.

18. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his, qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me.*

18. Globo me succinctum potentissimorum, atque odio infensissimo animatorum hostium eripuit, quod eorum viribus imparem cerneret.

19. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.*

19. Ex improviso cum variis iam difficultatibus luctantem aggressi sunt: Deus vero tela eorum omnia clypeo obiecto retudit.

20. *Et eduxit me in latitudinem: salvum me fecit, quoniam voluit me.*

20. Conclusum me, summasque coactum in angustias a Saule aliisque liberavit Deus, eamqoque libero frui permisit: salutem mihi nullo meo merito attulit, quod in Regem me populi sui delegisset.

21. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*

21. Gratia quidem me sua nec opinantem prævenit Deus, ex meritis tamen ac virtute coronam mihi retribuet iustus index.

22. *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.*

22. Postquam enim mandatorum divinorum viam inii, ab illa non deflexi: neque in Deum, cui me ex animo tradidi, nefarii quicquam admisi.

23. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: et iustitias eius non repuli a me.*

23. Præcepta enim illius omnia præ oculis semper habui, eaque sedula mente pervolvi: ac leges ipsius iustas ab animo meo numquam exclusi, perinde quasi eas aut contemnerem, aut negligerem.

24. *Et ero immaculatus cum eo: et observabo me ab iniquitate mea.*

24. Omnemque vel levissimam mentis labeculam summa provisione mentis declinabo: et solicitus excubabo, ne incauto vitia subrepant, virusque suum inspergant.

25. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.*

25. Hæc cum præstitero, non deerit pactis suis Deus, sed pro meritis mihi meis præmia rependet: atque operum meorum innocentiam, et integritatem compensabit, cum nec vanos honorum titulos, neque hominum inanes rumusculos, sed unam ipsius voluntatem et gratiam ambiverim.

26. *Cum Sancto Sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris.*

26. Neque vana est hæc spes mea. Tu enim, o iuste hominum arbiter, piis pium te exhibebis, bona illis plena manu affundens: et innoxiis innoxium te præbebis, nullis eos incommodis afficiens, aut affici permittens.

27. *Et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.*

27. Atque cum eo, qui non vulgari studet sanctitati, summa te ac singulari propensione benignum munificumque præstabis: Cum eo autem, qui distorta mente a te ad creaturas avertitur modum quoque a tua benignitate alienum atque insolitum servabis, severa ab eo pœna repetita.

28. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.*

28. Id enim moris tui est, ut demissæ mentis viros ab hostium omnium insidiis; et insultibus expedias: arrogantes vero erectique supercilii homulos ita contundas, ut oculos a terra ne tollere quidem audeant.

29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.*

29. Et vero. quia prope iam extinctam gloriam meam vitamque toties cælesti luce, et favore illustrasti: quod humanæ caliginis menti obductum superest, id omne discuta.

30. *Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum.*

30. Spero fore, ut quicquid tentationum incubuerit, hoc totum subsidio tuo amoliar: neque irruentibus modo hostibus obvius eorum impetum retardem: sed vel arces ipsorum munitissimas transiliam, atque occupem, de illis triumphans.

ORDO TERTIÆ SECTIONIS.

34. Ordo Sectionis Liberantur viri iusti a tempestate.

Sua tempestatis typo afflictiones suas descripsit David. Nunc in sua allegoria perseverans liberationem suam exponit. Primo a fluctibus, v. 17. *Misit de summa*, unde manu demissa eriperet, *et accepit me, et assumpsit me de aquis multis.*

Secunda, a piratis insequentibus, v. 18. *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me.*

Tertio, a barbaris in portu existentibus, v. 19. *Prævenerunt me in die afflictionis meæ: et factus est Dominus protector meus.*

Quarto, ex portu in amœnam regionem educit, v. 20. *Et eduxit me in latitudinem.*

Quinto, in arce tuta collocat, ut hostem rideat. *Salvum me fecit, quoniam voluit me.*

Causas deinde huius liberationis duas profert. Innocentiam scilicet suam, et virtutem: deinde benignitatem Dei erga pios.

Ac primo, Innocentiam suam declarat, 1. quod fuerit mente iustus, v. 21. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam*; 2. manibus incorruptis. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi*; 3. pedibus alacer, v. 22. *Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo*; 4. oculis attentus, vers. 23. *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: et iustitias eius non repuli a me*; 5. voluntate purissimus, v. 24. *Et ero immaculatus cum eo:*

A *et observabo me ab iniquitate mea*; 6. omnibus animi corporisque viribus sanctus, v. 25. *Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.*

Secundo, Deum depingit veiut altera manu clypeum tenentem, ut servos iuvet; altera gladium, ut eorum hostes confodiat. Primo enim, bonos protegit, ac donis cumulat, v. 26. *Cum Sancto Sanctus eris, etc.* Secundo, impius severe punit, v. 27. *Et cum perverso perverteris.*

Modum liberationis aperit ac punitionis. Primo, humiles et deiectos Sanctos exaltando et salvando, v. 28. *Quoniam tu populum humilem salvum facies*: sceleratos deiiciendo. *Et oculos superborum humiliabis*: ut non alta sapiant, sed humum suam spectent. Secundo ereptos ac salvatos iustos Deus deducit per vias luminosas, v. 29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine*: et tenebras ab hostibus factas discutit. *Illumina tenebras meas.* Tertio, efficit illos victores, v. 30. *Quoniam in te* (per te) *eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum*, id est,
B per Deum meum, vel in eo et intra ipsum positus, eo circumcinctus et scuto bonæ voluntatis eius.

ARTICULUS I.

Societas mala nocet, bona prodest plurimum.

Ex his omnibus nota primo, Deum se talem exhibere erga nos, quales erga eum nos præstamus, v. 26. Cum Sancto Sanctus eris (Syrus vertit, cum puro purus eris. Vers. 26.

Arabs, cum honesto honestus eris. Tertull. exhort. de castit. cum iusto iustus eris. Caietan. Cum gratioso gratiosum ages. Symm. erga sanctum sancte ages. Vatabl. cum
95. misericorde misericors eris. Hebr. חסיד *chasid*, significat misericordem, pium, benignum, beneficum, probum, sanctum, ὅσιον, (inde enim hæc vox Græca derivatur) qui pio est animo affectuque, sive in Deum, sive in homines (ET CUM INNOCENTE INNOCENS ERIS. Vatablus vertit, cum viro perfecto perfectus eris. S. Hier. innocenter ages. Syr. cum simplici simpliciter ages. Heb. תמים *tamim*, significat perfectum, immaculatum, integrum, completum, omnibus numeris absolutum, innocentem, nulla labe conspersum.

Sensus genuinus huius loci. Sensus est primo, non uni mihi retribues secundum iustitiam meam, sed cuilibet iuxta opera eius. Etenim erga illum, qui sanctitati studebit, atque iustitiæ, et qui, quæ electum decent, probum ac probatum faciet, omnibus bonus æquusque: tu etiam exhibebis te benignum, et iustum retributorem, nihil ei mali iniuste inferens. Contra vero, si quis moribus perversis dederit sese, aliis etiam infensus et infestus, cum eo severe ages, et quoniam pervertit officii ac promissi rationem, invertes tu quoque adversus ipsum tibi proprium, et consuetum benignitatis modum. Additur enim, v. 27. *Et cum perverso perverteris.* Hebr. perversum te reddes, id est ostendes. Arabs et Tertullian. perversus eris. Syr. cum obliquo oblique tu geres. Pro *perverteris* est vox Hebraica *Tithphattal*, quæ est in Hithpael, et denotat actionem eiusdem in seipsum: פתל *patal* vero significat, ut docet Mercerus, complicatione et distortione membrorum conari se invicem subvertere, calliditate magis et versutia, quam virtute et robore. In novo Testamento vertitur διεστραμμένη ut Matt. 17. et Philipp. 2. item in veteri Testamento Deuter. 32. Pro *Perverso* Hebr. est עקש *ikkes*, id est vafer, versutus, fallax, simulator, recti et veri specie fallens, fraudulentus, hypocrita. Pro generatione *Ikkes*, id est, perversa, Matt. 16. habetur ἄπιστος, id est, incredula: quæ scilicet a fide deflexerit, at specie sanctitatis fallat. Ad Philipp. 2. σκολιᾶς, quod ibi est contrarium τῶν ἀκεραίων, id est, sincero ac sine fuco. Sic in psalmo nostro 2. Reg. 22. Proverb. 11. et 28. opponitur τῷ *tamim*, id est perfecto et innocenti: et נבר *nabar*, id est mundo, ut vertit Muisius, electo, ut habet noster Interpres: possis reddere candidum et purum. Sic עקשות *ichsciut*, perversitatem Matth. 22. πονηρίαν dici volunt, quæ dicatur πανουργίαν. Luc. 20. et ad Ephes. 4. 1. versutia, astutia: a Marco autem ὑπόκρισις, id est simulatio.

Sensum illum sequuntur S. Hieron. in cap. 7. Eccles. S. Gregor. Nyssen. hom. 9. in Cant. Tertull. Exhort. ad Cast. cap. 10. et de pudicitia cap. 18. Lorin. Iansen. Bellarm. Genebr. Abulensis, et alii pene omnes Interpretes, agitur enim in hoc psalmo de laudibus Dei, et clarum est Prophetam loqui Deo, cum statim addat, Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis.

Generatim ait Christus Matth. 7. 2. *In quo mensura mensi fueritis* (præsertim alios iudicando) *remetietur vobis.* Propheta mittitur a Deo ad Heli Pontificem, ut pœnas intentet familiæ eius paratas ob peccata filiorum, nempe Ophni et Phinees, atque inter cætera dicit 1. Reg. 2. 3. *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Prophetam hunc fuisse Elcanam patrem Samuelis putat R. Salomon. Angelum fuisse humana specie apparentem censet Abulensis qu. 22. ibi. Sed hæc sunt in incerto. Davidi Salomoni daturus ideam templi, cui ædificando impensas paraverat, eum ad virtutem hortatur his verbis, 1. Paral. 28. 9. *Tu autem Salomon fili mi scito Deum* (id est, cognosce, crede, sæpe animo volve Dei maiestatem, potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, et cætera attributa) *Patris tui* (cui totum me dedidi) *et servito ei corde perfecto, et animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum.*

Prov. 8. v. 17. dicit æterna Sapientia: *Ego diligentes me diligo* (Hebr. diligam: id est, ero amator constans) *et qui mane* (id est cito, tempestive) *vigilaverint ad me, invenient me.* S. Ignat. epist. ad Mariam Cassabolitem, habent, invenient pacem. Compiut. invenient gratiam, sed melius et locupletius noster, *invenient me*, quia cum Deo et in Deo non solum pax et gratia, sed omne bonum invenitur. S. Bernard. serm. 66. in Cant. *Vigilas tu, vigilat et ille.* Sed si dormis, cave ne et ipse dormiat, et te afflictum deserat.

Cantic. 2. 16. ait Sponsa, id est Ecclesia, vel anima sancta: *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Quod considerans Theodoretus ait: Dilectus meus mihi vivit, et ego illi vivo non mihi, ut ait S. Paulus. Hoc vero magis dilatat Aponius in Cant. *Dilectus meus mihi, ait anima sancta, præstat gratiam vocationis, redemptionis insigne, adoptionis clarissimam libertatem. Et quid ego illi? Voluntatis obedientiam, conservandæ integritatis studium, quod indidit per naturam. Quid ille mihi? Singulare conservandæ virginitatis exemplum, nascendo per Virginem. Et quid ego illi? Singularem lætitiam, denuo nascendo per Baptismum, in toto corde meo servando præcepta, Angelicam cælestemque imitando naturam.* Ex S. Bern. serm. 69. in Cantic. Amor Dei, inquit, amorem animæ parit, et illius præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. *Nescio enim qua vicinitate naturæ, cum semel revelata facie gloriam Dei speculari anima poterit, mox illi conformari necesse est, atque in eamdem imaginem transformari? Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum Sancto Sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris. Quidni æque, et cum amante amans, et cum vacante vacans, et cum intento intentus, et solicitus cum solicito?* S. Bonaventura notat in sanctitate bonam operationem: in innocentia, vitationem mali: in electione, prædestinationem Dei: in perversione, reprobationem, et punitionem. Græce est, διαστρέψεις, id est perverteris: nempe teipsum: nam Hebr. verbum est in Hithpael, ut supra monui. Ugo notat ordinem prædestinationis in illis tribus: in electione, præparationem: in innocentia, gratiam in præsenti: in sanctitate, gloriam in futuro.

Secundus sensus est, sed tantum accommodatitius. Si 96.
Sensus accommodatitius Conversatio cum viris bonis facit bonos, et contra. cum viris sanctis, innocentibus, et electis converseris, evades Sanctus, innocens et electus: si vero frequenter te adiungas sceleratis et perversis, tu fies sceleratus et perversus. Cum sensum illum prima specie præ se ferant verba, illum secuti sunt Euthymius, Ioan. a Pastura, Ludolphus, ut sensum literalem: eo usi etiam sunt, sed ut reor per accommodationem, S. Cyrill. Alex. 12. de adoratione in spiritu. S. Cypr. lib. 3. cap. 95. Sylverius Papa epist. 1. Fabianus Papa epistol. 2. et alii. De vi mali consortii fuse dixi Ps. 1. v. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Et pestilens vir malus. Ps. 105. 35. *Commixti sunt* (per fœdera, negotiationes et coniugia) *inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum.* Ideo prius Abraham vetuerat, ne daretur Isaaco filio suo uxor de filiabus Chananæorum Gen. 24. 3. quod urget S. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 9. et locum psalmi nostri citat.

Prov. 22. 24. *Noli esse amicus* (Chald. ne commiscearis) *homini iracundo, neque ambules cum viro furioso. Ne forte discas semitas eius, et sumas scandalum* (Heb. מוקש *mokes*, id est, laqueum, ut vertit Pagninus) *animæ tuæ*, id est, vitæ tuæ et corporali et spirituali, q. d. ne te vinciat, irretiat, et tandem strangulet. Canis latrans, et lupus ululans, et leo rugiens, excitat alios ad latratum, ululatum et rugitum.

Non diu cum malis eris sine vulnere. Cant. 5. ait Sponsa: *Invenerunt me custodes.* (id est, mali Doctores, Consiliarii, Socii) *qui circumeunt civitatem* (ut leones rugientes ad prædam inveniendam et devorandam) *percusserunt me et vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi.* (Heb. רדיד *redid*, id est, Theristrum, ut vertunt Sept. quod est æstivum vestimentum, dicit Suidas. Mercerus dicit *redid*, esse proprie peplum subtile, quo caput velent mu-

lieres: Et Cornel. ait esse peplum, seu velum, quo Sponsæ nobiles caput et humeros obvelant in signum pudoris et pudicitiæ. Hoc velamen cum pudore et puritate tollit mala Societas. De immunditia contracta ob contactum leprosi, seminiflui, menstruatæ, morticini, etc. Vide Levit. 11. et 13. atque aliis locis.

Quanta sit vis consortii in utramque partem ostendit Seneca lib. 3. de Ira. *Sumuntur*, inquit, *a conversantibus mores. Et ut quædam in contactis corpore vitia transiliunt, ita animus mala sua proximis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini traxit. Impudicorum cœtus, fortem, etsi liceat virum emollit. Avaritia in proximos virus suum transtulit. Eadem e diverso ratio virtutum est, ut omne quod secum habet, mitigent: nec tam valetudini profuit utilis regio, et salubrius cælum, quam animis parum firmis in turba meliorum versari. Quæ res quantum possit, intelliges, si videris feras quoque convictu nostro mansuescere, nullique immani bestiæ vim suam permanere, si hominis contubernium diu passa est.* Idem Philosophus epist. 6. ad Lucilium duplicem fructum boni exempli, quod nobis in convictu bonorum exhibetur, ostendit. Plus tibi, ait, viva vox et convictus, quam oratio proderunt: primum quia homines plus oculis, quam auribus credunt: deinde quia longum iter est per præcepta, breve et efficax per exempla. Theodoretus narrat de Publio sanctissimo viro, cum, eum Senatorio, atque imprimis claro genere ortus esset, ex civitate Græciæ, quæ Zeugma dicitur, in iugo quodam proximo consedisse, moxque ad eum multorum concursu facto, initio quidem singulis singulas casas ædificatas esse: deinde vero melius visum, ut iis dirutis in unam omnes domum cogerentur, ut convivendo se simul ad pietatem inflammarent. Itaque ipsum deinceps sæpe eos cohortari solitum, ut alter ab altero assiduam utilitatem haurire conarentur, atque hic quidem illius mansuetudinem imitaretur, ille contra mansuetudinem suam huius zelo roboraret, alius porro ab alio vigilantiam discens, illum vicissim ieiunii austeritatem doceret, denique omnes sibi invicem, et discipuli fierent et magistri. Sic enim fore aiebat, ut alter ex alterius vita, quæ sibi deerant, desumentes, perfectissimum virtutis cumulum conficerent. Quod documentum aptissima similitudine confirmabat. Nam ut in civitatis forum plurimi opifices conveniunt, alii qui panes, alii qui olera, alii qui vestes aut calceos vendant: neque ullus est, qui sufficiat ad omnia, quæ vitæ necessaria sunt, per se paranda, sed potius aliis impertiendo, quibus ipse abundet, ut panem, ut vestem, sumit ab aliis, quæ sibi desint, oleum, vinum, calceos, et similia: ita omnino oportere Dei famulos, in unum quasi mercatum convenientes, cum nemo solus omnia obtinere possit, hoc studiose agere, ut virtutis partes pretiosissimas inter se commutent, et alii ab aliis accipiant, quod per se non habent ἀλλήλοις ἀντιδιδόναι προσήκει τῆς ἀρετῆς τὰ πολυτίμητα μόρια.

97. Thomas Anglicus in Ps. nostr. post explicationem litteralem, et veram, de qua dixi in primo sensu, addit. Secundo modo *cum sancto sanctus eris, etc.* exponitur, ut sermo dirigatur ad hominem aliquem: et ideo, secundum glossam, hoc est argumentum, quia ex convictu mores formantur: propter quod dicit S. Ambros. Socios bonos tibi coniunge, quia si fueris socius conversationis, eris et virtutis. Periculosum est his, qui male vivunt, sociari et conversari: melius enim est malorum odium, quam consortium. Dicit S. Isidorus, quod natura mulierum est, ut quales prospexerint, talem sobolem procreent. Ideo prohibetur mulieribus gravidis, ne turpium animalium species intueantur, ne similes fœtus pariant. Unde columbarum dilectores, ponunt columbas depictas pulcherrimas in locis, in quibus columbæ versantur, ut eorum visu generent similes. Ita Isidor. Sic anima nostra, si cum Æthiopibus versetur, periculum est, ne Æthiopem generet: si vero cum iis versetur, qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni, ne desperet de sua et filiorum suorum dealbatione. Utrumque visum est in variis mulierum fœtibus, cum nigræ albos, albæ nigros pepererunt, ob imagines a se conspectas, vel homines.

98. Sponsus comparat dentes Sponsæ suæ, id est, Ecclesiæ, gregibus ovium fœcundis. Cantic. 4. 2. *Dentes tui sicut Greges tonsarum* (supple ovium) *quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, et sterilis non est inter eas.* Dentes illi sunt sancti homines et perfecti, ut ait S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 6. Item Doctores, ut Beda et Theodoretus in Cantica. Sacerdotes et Levitæ, ut Chald. Religiosi, ut S. Bernard. Gemelli fœtus sunt Charitas Dei, et proximi, ut S. August. et S. Greg. exponunt. Item, actio, et contemplatio, ut Theodoretus. Denique exemplum vitæ et doctrina verbi, ut S. August. in Psal. 3. et S. Bern. serm. 64. ex parvis, ubi tredecim dentium dotes pie et ingeniose applicat Religiosis, et ad rem nostram ait: *Omnes gemellis fœtibus: quia et verbo pariunt et exemplo.* Si essent solitarii, vix unum fœtum haberent, sed sæpe essent steriles: quia vero in communitate vivunt, ideo ab aliis fœcundantur et illos fœcundant. Deinde ipsa multitudo eos conservat, et eorum vitam spiritualem. Aristot. in problem. sect. 10. num. 47. docet animalia quæ densos et constipatos habent dentes, longæva esse ac diu vivere: quæ vero raros et laxos, brevis esse ævi et vitæ.

Religiosi etiam sunt capilli Ecclesiæ, de quibus Sponsus ait. Cant. 4. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Mons Galaad est pinguis et fertilis, et resina, stacte atque aromatibus abundat. Ibi, ait Cornelius, pascentes capræ densos, nitidos et flavos vel fulvos villos induebant: præsertim quia ex affrictu arborum, stillantem ex eis resinam et liquorem flavum ac pinguem, caprarum vellera imbibebant. Galaad significat *acervum testimonii*, in domo religiosa est acervus et multitudo Martyrum voluntariorum, et testium bonitatis et veritatis atque beneficentiæ divinæ. S. Gregor. per greges Galaad intelligit multitudinem Martyrum, nam Martyr testem significat. S. Gregor. Nyss. hom. 7. et S. Paulinus intelligunt viros perfectioni studentes, quales sunt Religiosi, quos esse Martyres docet Platus, tract. de bono status Religiosi. Chald. vertit, *Et reliqui filii congregationis tuæ, et populus terræ sunt iusti: sicut filii Iacob, qui collegerunt lapides, et fecerunt acervum in monte Galaad.* Vatablus vertit, *Quæ aspiciunt in monte Galaad*, in domibus Religiosis viget contemplatio. R. Iona reddit, *quæ manicaverunt*, hoc est, mane apparuerunt: ibi etiam est vigilantia. Marinus vero, quæ glabræ, politæ, læves et tersæ sunt: in Religione est omnis virtus et nitor. Noster recte vertit *quæ ascenderunt*, quia semper ad maiora et altiora est tendendum. R. Abraham denique, *quæ prominent et spectantur*, quia Religiosi facti sunt spectaculum Deo, Angelis et hominibus, in monte positi, latere non possunt. Elias in monte Galaad et Carmelo floruit cum suis Religiosis. Inde fideles deducebant sibi medicamenta in morbis suis spiritualibus. Chald. Paraphr. illud Ierem. 8. 22. Nunquid resina non est in Galaad? aut Medicus non est ibi? quare igitur obducta non est cicatrix filiæ populi mei. Sic reddit: *Desiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba erant medicina.* Si ipsis sæcularibus sunt parata remedia in illa officina medica, quanto magis ipsis Religiosis simul viventibus? idem proportione servata dic de aliis domibus, et cœtibus virorum iustorum.

99. Filiæ Ierusalem dicunt Sponsæ, id est, animæ sanctæ, Cant. 5. 16. *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quæremus eum tecum?* illum sine te reperire non possumus, et tu sine nobis fortasse non reperies, licet simus minus perfectæ. Et quidem notabile est sponsam illam, quæ erat pulcherrima mulierum, quamdiu sola Sponsum quæsivit, eum non reperisse; at cum adolescentulis quæsivit, illi obvium factum esse: mox enim se ostendens: ait, *Pulchra es*, etc. Sibi placet Sponsus in multitudine. Matth. 18. 20. *Ubi sunt duo, vel tres consentientes in nomine meo* (propter me, ob mei amorem) *ibi sum in medio eorum.* Ut sol eos illuminans, recreans, accendens, fœcundans, Cantic. 6. 1. *Di-*

lectus meus descendit in hortum suum (in domum sanctam, ubi varii flores) *ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis et lilia colligat*, pascitur inter lilia, non uno lilio, ut sequitur v. 2.

Non suavitas tantum et decor animæ oritur ex Congregatione sancta; sed etiam invictum robur. Cantic. 6. 3. *Pulchra es amica mea suavis* (Hebr. Sicut Thersa. Sept. εὐδοκία, id est, beneplacitum. Unde Syrus vertit: *Pulchra es secundum meam voluntatem*) *et decora sicut Ierusalem, terribilis* (*Sept.* θάμβος, id est pavor, admiratio) *ut castrorum acies ordinata.* Hugo a S. Victore erudition. Theol. es Miscellan. lib. 1. Suavis est, inquit, hominibus, decora numinibus, terribilis dæmonibus. Quare? quia ambulat ut castrorum acies ordinata, non dissipata per invidiam, sed constipata per charitatem. *Acies est per Conventum:* castrorum, per procinctum: ordinata per consensum. Conventum facit pœnitentia, procinctum ponit vigilantia, consensum præbet concordia. Hæc ipse de unica anima: sed ad rem nostram aptius S. Greg. in Cant. *Notum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim et concorditer gradiuntur, ab hostibus contravenientibus timentur, quia dum in eis aditum per scissuram non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt: illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati stipatis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt: et ut occidantur oppetiti, ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est, ut pace charitatis constringatur, qua salva fit. Si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet; si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace itaque se muniat, unitate se vinciat: charitate se uniat, ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur.* Quantum virium in bello spirituali habeat multorum coniunctio, probare possis ex eo, quod dicebat Moses Iudæis Deuter. 32. 30. *Quomodo persequatur unus mille, et duo fugent decem millia?* Cum ab uno seorsim pugnante fugentur tantum mille hostes, a duobus divisis fugarentur tantum duo millia: Cum igitur ab unitis in fugam vertantur decem millia, sequitur quinquies esse fortiores duos simul iunctos, quam si essent separati. Itaque dicere possumus, *Et cum robusto perfectus eris*, ut aliqui vertunt, ubi habemus, *et cum viro innocente innocens eris.*

ARTICULUS II.

Deus humiles exaltat, illuminat, roborat.

Cum sancto, innocente, et electo, Deum esse sanctum, innocentem et electum, cum perverso autem perver-
Vers 28 100. sum David probat ab effectis, v. 28. QUONIAM TU POPULUM HUMILEM SALVUM FACIES, ET OCULOS SUPERBORUM HUMILIABIS. Nota עָנִי *ani* Hebr. significat, primo, afflictum, ut vertit Pagn. miserum, ut Syrus, pauperem, ut S. Hieron. et Felix. Secundo, mansuetum, ut Symm. Nota secundo, in oculis maxime et in superciliis apparet superbis, quæ in alto loco et in specula se collocat; ut inde videat et videatur, atque omnibus emineat. Unde superbi sic describuntur, Prov. 30. 13. *Generatio* (id est, genus hominum. Nam Hebr. דּוֹר *dor*, tria significat, 1. ætatem hominis; 2. sæculum; 3. genus hominum) *cuius excelsi sunt oculi, palpebræ eius in alta surrectæ.* Et Siracides timens elationem superbiæ, orat Eccl. 23. 5. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Isaiæ 37. 23. reprehenditur Sennacherib Rex Assyriorum, quod levaverit altitudinem oculorum suorum ad Sanctum Israel, id est, contra Deum: unde Deus minatur fore, ut ponat circulum in naribus eius, et frænum in labiis eius, ut vilis instar pecudis aut bubuli efferati eum reducat in viam per quam venerat: multa enim ob superbiam effutierat in Deum. Unde dicta Ps. 100. 5. in illud: Superbo oculo et insatiabili corde cum hoc non edebam. S. Hieron. in Ps. nostro vertit, *Oculos excelsos humiliabis.* Coges scilicet ut afflictionibus, et pudore coacti terram suam respiciant, et se deprimant, sicut oculi pavonis ad aspectum pedum suorum caudam deiicinnt, prius in oculis caudæ suæ vane gloriantes. Nota tertio, oculos superborum, et ipsos superbos Deus deiicit unico oculorum suorum iactu. 2. Regum 22. ubi est iste psalmus, habetur: *Oculisque tuis excelsos humiliabis.* Sic Habacuc Propheta cap. 3. 6. ait de Deo post transitum Iordanis domante Chananæos per Iosue: *Stetit* (Deus in Galgalis, ubi positum est tabernaculum Mosis, et arca fœderis) *et mensus est terram. Aspexit* (minaci vultu) *et solvit gentes*, (cor eorum instar aquæ dissolvendo præ pavore) *et contriti sunt montes sæculi*, id est, Principes et Reges superbi. Vide S. August. lib. 18. de Civitat. cap. 32. hæc explicantem de superbis deiectis ut convertantur.

Moraliter nota, Deus humiles e fovea eripit et salvat. 101. Humiles erigit Deus et salvat.
3. Regum 21. cum Elias a Deo iussus varias pœnas intentasset Regi Achab, pœnitentiam egit: ideoque Deus sententiam suam mitigavit, v. 29. ait Eliæ: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me: quia igitur humiliatus est* (humiliatione ficta, ut ait Calvinus, sed perperam; 2. non amore iustitiæ, sed timore pœnæ temporalis, ideo sine merito aut culpæ deletione, ut Lyranus, et S. Gregorius homil. 49. in Ezechielem, et alii; 3. ex vera contritione et culpam tollente, ut censet S. Chrysost. epist. ad Theodorum Mopsuestenum Lapsum, Abulensis, et Serarius; 4. et probabilius, ex attritione vera, quæ tamen non sufficiebat ad delenda peccata. Hæc incerta sunt) *mei causa* (mei metu) *non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui* (Ioram Regis Israel) *inferam malum domui eius.* S. Chrysost. vim illam humilitatis, sed veræ, considerat in Publicano peccatore. Sic enim ait in Ps. 4. licet peccator sit, si tamen oraverit cum humilitate, quæ est para virtutis, μεγάλα ἀνύσαι δυνήσεται magna poterit efficere: et licet sit iustus, si cum arrogantia accesserit, πάντων ἐκπεσεῖται τῶν ἀγαθῶν, *a bonis omnibus excidet.* Utriusque exempla nos docuerunt Publicanus et Pharisæus. Oportet itaque scire etiam modum orandi. Quomodo autem orandum sit, disce a Publicano: nec te pudeat eo uti magistro, qui hac in re adeo se præclare gessit, ut solis verbis universum effecerit. Quia enim erat ei mens recta parata, *sufficit vel unum verbum ad cælos ei aperiendos.* Quomodo autem erat parata? seipsum miserum clamabat, pectus tundebat, ne cælum quidem aspicere audebat. Si tu quoque ita oraveris, πτερῶν κουφοτέραν ἐργάσῃ τὴν εὐχήν, *vel penna leviorem reddes orationem.* Si enim peccator iustus oratione factus est, considera cuiusmodi erit iustus, si talem orationem offerre didicerit. Hæc ibi, et homil. 25. de diabolo tentatore ait humilitatem, δαπανᾶν ἁμαρτημάτων φύσιν, peccatorum naturam absumere, non minus quam faciat condonatio alienorum delictorum, oratio et eleemosyna: et in Ps. 9. vocat humilitatem ὄχημα εὐχῆς, id est, currum et vehiculum orationis. Hoc patet in orationibus Davidis, Ezechiæ, Iudithæ, Estheris, et aliorum. Humilitatis est salvare. *Tu populum humilem salvum facies.* Christus per humilitatem totum salvavit mundum, qui sine illa humilitate periisset. Philipp. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Per Crucem factus est Salvator. S. Chrysostomus homil. 33. de petitione filiorum Zebedæi sic loquitur: *Antequam carnem assumpsisset Dei Filius, ac seipsum abiecisset, perierant omnia, et de omnibus actum erat: postquam autem seipsum deiecit,* πάντας εἰς ὕψος ἀνήγαγε, *omnes in altum erexit, maledictum delevit, mortem extinxit, Paradisum aperuit, peccatum mortuum reddidit, cælorum ianuas reseravit, primitias nostras in cælum sustulit, orbem terrarum pietate complevit, errorem abegit, veritatem reduxit, primitias nostras regium in thronum subvexit, innumera bona præstitit, quæ neque ego, neque mortales omnes possent oratione complecti.*

Nota secundo, Humiles omnes iuvat et salvat Deus, sed 102. Pauperes Deus adiuvat.
præsertim pauperes. Ps. 9. 40. *Factus est Dominus refugium* (S. Hieron. elevatio. Felix, munimentum. Chald.

fortitudo) *pauperi* (Caietan. contrito. Pagnin. tenui. Felix, inopi) *Adiutor in opportunitatibus* (cum tempus exigit) *in tribulatione.* Ubi S. Chrysostomus præclare. Non dixit, inquit, fuerunt mihi castra refugium meum, nec pecunia, nec muri, sed fuit Dominus refugium pauperi. Ipse me, ait, in tuto collocavit: nihil enim conferri potest cum hoc refugio, quod et ad facilitatis, et securitatis rationem attinet. Aliis enim refugiis possunt afferri insidiæ, nec possunt in promptu inveniri, sed et tempore, et loco innumeris arcentur circumstantiis. Hoc autem utpote quod prope sit, invenies, si id tantum exacte quæsieris. Te enim adhuc loquente dicet: Ecce adsum. Et, Deus appropinquans ego sum, et non Deus procul. Nec cursu ergo, nec peregrinatione nobis opus est, sed vel domi sedentes hoc possumus avocare auxilium. Et aliquando quidem liberat a periculis: aliquando autem eos ipsos reddit præclaros, et potentiores adversariis, et utrumque in tempore convenienti. Hæc ibi, et homil. de diabolo tentatore, ostendit pœnitentiæ vias esse faciles, B et paupertate neminem ab illa arceri: sed licet in egestate gravissima positum posse iram deponere, humilitatem præ se ferre, assidue precari, et peccata damnare. Isaiæ 66. 2. dicit Deus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos?* per pauperculum intelligitur humilis, ut vertit Vatablus. Et S. Bern. hom. 1. super Missus est. *Super quem,* ait, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? super humilem dixit, non super virginem. Si ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Respexit ait ipsa, humilitatem ancillæ suæ potius quam virginitatem: et si placuit ex virginitate, tamen concepit ex humilitate. Unde constat, quia, etiam ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit.* Amat IESUS poma convallium, id est, humilitatis fructus et eos visitat. Cant. 6. 10.

Humilitas orantes pauperes salvat. *Tu populum humilem salvum facies,* Psal. 9. 13. ait David: *Non est oblitus clamorem.* Psalt. Roman. orationes, *pauperum,* ne unius C quidem: ne orationes quidem dudum fusas. Orationes vero divitum superborum etiam præsentes contempsit, ut Antiochi Epiphanis Regis Syriæ lib. 2. Machab. 9. 13. et divitis epulonis Luc. 16. 26. Audi itaque S. Chrysost. in Ps. 9. 13. monentem, eos *qui orant maxime debere esse remotos a tumore et fastu,* itaque tumor vitæ cavendus est, ne illius ratio habeatur, etiam in maxima supplici oratione.

103. Oratio humilis Deum inflectit.

Nota tertio, oratio humilis maxime Deum flectit, cum fit a toto populo. Tu *populum* humilem salvum facies. Maxime tempore afflictionis et paupertatis. Chald. vertit, populum egenorum. Hoc patuit in populo Iudaico (qui erat in Imperii Persici Provinciis variis iam a tempore captivitatis, sub Assuero, id est, Artaxerxe Longimano, qui post Cyrum regnavit interiectis inter utrumque annis 63.) Cum enim Aman omnes Iudæos neci destinasset propter odium conceptum in Mardochæum avunculum Estheris Reginæ, illa rogata succurrere, ait Mardochæo, Esther. 4. 16. *Vade, et congrega omnes Iudæos, quos in Susan re-* D *pereris, et orate pro me. Non comedatis, et non bibatis tribus diebus, et tribus noctibus: et ego cum ancillis meis similiter ieiunabo, et tunc ingrediar ad Regem contra legem faciens, non vocata tradensque me morti et periculo.* Cum id omnes fecissent, Aman hostis ipsorum suspensus est cum decem filiis, alii maximo numero occisi sunt, Iudæi liberati, Mardochæus ad summam in Regno dignitatem et potestatem evectus. De Ninivitarum humiliatione et liberatione ab instanti clade habes Ioan. 3. 5. et seq. Orationem demissam Civium Bethuliæ et eorum liberationem per Iudith etiam se humiliantem, vide Iudith 7. et seq.

Secundo, Deus humiles a manibus hostium ereptos et
Vers 29 salvatos, in via dirigit et luce sua recreat, vers. 29. QUONIAM TU ILLUMINAS LUCERNAM MEAM DOMINE: DEUS MEUS ILLUMINA TENEBRAS MEAS.

104. Lucerna Davidis et illustr-

Primo, lucerna Davidis est, Deus ipse, qui fulgore suo Davidem in speluncis sese occultantem et in dubiis rebus hæsitantem, et quid ageret, nescientem, illustrabat. Hinc A in lib. 2. Regum 22. 29. Noster vertit; *Quia tu lucerna mea Domine;* et Chald. in eo loco: *Quia tu ipse Dominus lux ipsius Israel Domine.* De Christo qui est lux supernaturalis animarum dicitur Ioan. 1. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Gr. το φως το α'ληθινον, id est, *illa lux illa vera:* primo, quia ubique lumen diffundit: secundo, quia a se illud sumit, non ab alio. Est enim prima et increata lux et fons lucis inexhaustus. S. August. tract. 2. in Ioan. expendens hæc verba, ait: *Erat lux vera. Quare, inquit, additum est vera. Quia et homo illuminatus dicitur lux, sed vera lux illa est, quæ illuminat. Nam et oculi nostri dicuntur lumina: et tamen nisi aut nocte lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina ista sine causa patent. Sic ergo Ioannes erat lux, sed non vera lux, quia non illuminatus, tenebræ: sed illuminatione factus est lux. Nisi enim illuminaretur, tenebræ erat: sicut omnes impii, quibus iam credentibus dixit Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ. Modo autem quia crediderunt, quid? Nunc autem lux, inquit, in Domino.* B *Nisi adderet, in Domino, non intelligeremus. Lux, inquit, in Domino: tenebræ non in Domino eratis. Fuistis enim aliquando tenebræ, ibi non addidit, in Domino. Ergo tenebræ in vobis, lux in Domino. Sic et ille non erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Ioann. 8. 12. dicit Christus de seipso: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris* (errorum et vitiorum) *sed habebit lumen vitæ,* nunc per fidem, postea per speciem et claram visionem. S. Augustin. tract. 44. in Ioan. hæc meditans. Concordant, inquit, hæc verba cum illis Psal. 35. 10. In lumine tuo videbimus lumen, quoniam apud te est fons vitæ. In istis corporalibus aliud lumen, aliud fons: apud Deum quod lumen, hoc fons, qui tibi lucet ut videas, ipse tibi manat ut bibas: si sequaris istum solem visibilem, te deserit in occasu: a Deo si non facias casum, numquam a te ille faciet occasum. Ita August. paucis multa complexus est. S. Ambros. lib. 6. Hexaem. cap. 4. *Omnia,* inquit, *habemus in Christo, et omnia Christus est nobis: si* C *vulnus curare desideras, medicina est: si febribus æstuas, fons est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est.*

rum octuplex. 1. Deus.

Secundo, Theodoretus, S. Thomas, Nicephor. Folengius, Vatablus, et alii. *Lucernam* illam splendentem sumunt pro liberatione a periculis mœrore, et incommodis, quæ sunt tenebræ molestissimæ. Tu is es, ait Iansenius, qui lucernam meam iam pene extinctam, rursus tua luce accendere solitus es: tu meam gloriam adversitatum tenebris obscuratam, ac pene deletam, tuo favore quasi luce quadam rursus illustrare soles. Lux post tenebras est symbolum lætitiæ et gloriæ, ut patet Esther. 8. ubi dicitur quod Mardochæus de palatio et de conspectu Regis Assueri egrediens fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet, et aeriis, coronam auream portans in capite, et amictus serico pallio atque purpureo: et additur v. 16. *Iudæis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium.* Lux quoque pro gloria sumitur. Iob. 19. 1. *Quis* D *mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus custodiebat me. Quando splendebat lucerna eius super caput meum, et ad lumen eius ambulabam in tenebris.* q. d. cum alii erant inglorii, lucebam et florebam honoribus. Alludit ad Ægypti tenebras, in densa enim Ægyptiorum caligine, populo Dei, id est, Israelitis, erat lux. Et cap. 18. 5. Baldad Sunites, infamiam, miseriam atque obscuritatem scleratorum exprimit lucis extinctione ac tenebris. *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo illius; et lucerna quæ super eum est, extinguetur.* Sic Isaiæ 43. 17. *Contriti sunt quasi linum* (id est, pari facilitate qua linum) *et extincti sunt.* Sicut linum aut stupa accensa in aquam coniecta. Ier. 25. 10. *Perdam ex eis vocem gaudii et vocem lætitiæ, vocem sponsi, et vocem sponsæ, vocem molæ,* (id est, cantus puellarum molentium et versantium molam domesticam) *et lumen lucernæ,* cuius erat usus in conviviis, nuptiis ac festis, q. d. tollam a vobis omnem lætitiam festorum, nuptiarum et conviviorum.

105. II. Liberatio a periculis.

106. III. Regnum Tertio, Caietanus *lucernam* hic sumit pro regno, q. d. *tu illuminabis lucernam meam Domine.* Hoc est, ad similitudinem accensæ a te lucernæ facies me Regem: illustrabis dignitate regia *tenebras meas*, id est, obscuritatem meam, et in qua natus sum, et in qua versatus sum, et in quam deiectus sum ex persecutione Saulis. Ita Ipse. Quod autem per lucernam significetur Regnum Davidis, probat 3. Regum 11. 36. ubi Abias Propheta ait Ieroboamo de Salomone: *Filio eius* (Roboamo) *dabo tribum unam, ut remaneat lucerna David servo meo cunctis diebus coram me in Ierusalem civitate, quam elegi, ut esset nomen meum ibi.* Lucerna ibi sumitur pro successione Regia posterorum Davidis, hæc enim fuit residuum quoddam lucis, id est, splendoris et gloriæ Davidis refulgens in Ierusalem. Et de impio Abia Rege Iuda filio Roboami habes cap. 15. v. 4. *Propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam*, id est, ut ait Cornelius, prolem gloriosam et regiam) *ut suscitaret filium eius post eum* (Asa scilicet qui in regno succederet) *et statueret Ierusalem*, id est, per ipsum in fide et cultu Dei, et consequenter in pace et splendore Regio, stabiliret. Iob coronam regiam vocat lucernam, quæ splendebat super caput suum, cap. 19. 1. Potest etiam sumi pro gloria, ut dixi: seu potius, pro corona gloriosa, et auro gemmisque effulgente, atque cum admiratione et reverentia ab aliis spectata. Servio Tullio Regi postea Romanorum in pueritia dormienti, visus est ignis caput circum lustrare, quod, ut ait Plutarchus de fortit. Rom. erat testimonium ipsam ex igni natum, σημειον δε χρηστον και αποσδοκητον ηγεμονιας ως στυχε, bonumque indicium Insperati Regni, quod obtinuit. De Ascanio, cui ignis fulgens supra caput visus omen Regni fuit, habet Maro lib. 2. Æneidos. De quo etiam agit Claudianus in 4. Consul. Honorii Imperatoris. Illustre regni Symbolum fuit fons solis Mardochæo oblatus. Esther. 10. 5. ipse somnium narrans ait: *Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit, Esther est, quam Rex accepit uxorem, et voluit esse Reginam*, loco Reginæ Vasti. Ubi adverte hanc historiam esse scripturam canonicam, licet non sit in textu Hebræo, hoc definivit Concilium Tridentinum sess. 4. quod etiam verum est de capitibus quæ sequuntur usque ad libri finem, cap. 11. v. 10. Esther. additur: *Fons parvus crevit in fluviam maximum, et in aquas plurimas redundavit. Lux et sol ortus est, et humiles exaltati sunt, et devoraverunt inclytos.*

107. IV. Vita. Quarto, Agellius *Lucernam* ponit pro anima seu vita, q. d. *Tu illuminas lucernam meam*, id est, animam, vitamque meam, cum in tenebris afflictionum, et pressurarum degit ac pene extincta est, tu illuminas atque lætificas: et, cum ærumnis premitur, spe illam sublevas, aut commutatione rerum feliciorem recreas. Unde cum nunciatum esset Iacob a filiis vivere Ioseph, et fidem nuntii dona, quæ ille miserat, confirmarent, legimus revixisse spiritum eius, quasi ad eum usque diem dolore ac mœrore propemodum extinctum. Itaque septuaginta aptissime ibi transtulerunt, ανεζωπυρησε το πνευμα Ιακωβ: refocillatus est Spiritus Iacob: quasi illos animi igniculos tristitia ac dolore semisopites lætus ille nuntius exsuscitasset. Ita Agellius. Animam esse ignem plerique Philosophorum et Poetarum censuerunt. Unde Græce, φως et lucem et homines significat. Plutarchus in libello, de occulte vivendo, sub finem: *Animam ipsam*, ait, *nonnulli Philosophorum lumen suapte natura esse statuunt, tum aliis utentes argumentis, tum quod nullam rem anima magis aversatur, quam ignorantiam, et omnia lucis expertia vitat, tenebrisque turbatur, metuit ac suspectas habet. Ita autem ei dulce est lumen, ita desiderabile, ut nihil aliud ipsi iucundum sine eo, aut in tenebris velit admittere: sed omnem voluptatem, iocum ac delectationem lux admista, veluti commune condimentum, suavem reddat atque gratam.* Plato tradit l. 6. de legibus, lampades gestari in nuptiis, ut significaretur liberis operam dandam, ut quam ab aliis accepissent vitam, aliis quasi lampada traderent. Lucretius lib. 3. nos similes facit illis cursoribus, qui cursu fatigati sibi mutuo lampadem tradebant, cum canit: *Et quasi cursores vitæ lampada tradunt.*

Quinto, Salmeron tom. 1. Proleg. 11. *Lucernam* pro liberis sumit, q. d. Tu mihi das filios, in quibus adhuc vivam et splendeam ut lampas, illumina tenebras meas, dispelle ærumnas vitæ, eruc potissimum mortis caligine, illuminans oculos, ne unquam obdormiam in morte, Psal. 12. vers. 5. Mulier illa sapiens de urbe Thecua (quæ a Bethlehem distabat sex millibus passuum, a Ierusalem vero novem) ingeniosa Parabola effecit, ut Absalonem filium David ab exilio revocaret; fingebat autem inter cætera quæri filium suum ad mortem, quod his verbis expressit 2. Regum 14. v. 7. *Quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est*, id est, filium unicum, qui mihi relictus est, ut sit scintilla qua meam, virique mei familiam pene extinctam reaccendam, redintegrem ac propagem. Sicut enim consumpto igne relinquuntur favillæ, et scintillæ sub cinere, ex quibus ignis per sulphurata reaccendi, et resuscitari possit; sic extinctis filiis cæteris ultimus relinquitur, quasi scintilla, ex qua familiæ propago suscitetur: ac nomen et memoria conservetur. Sic Cicero scintillas belli, vocat belli reliquias. Nota appositam metaphoram. Anima enim et vita comparatur igni, quia ipsa in calore, qui igni est proprius, consistit. Rursus sicut ignis ignem inflammando, sic homo hominem gignendo propagat. Tertio, quia sicut ignis lucet et splendet, sic et vita. Quarto, sicut una lucerna accendit aliam, in qua quasi superstes lucet et fulget: sic et homo moriens, in filio quasi superstes manet et vivit. In filio enim videtur parens, sicut in imagine videtur exemplar; ita Cornelius. Hinc illud Psal. 131. v. 17. *Illuc producam cornu David* (τω Δαυιδ, id est, Davidi. S. Hieron. vertit, ibi oriri faciam cornu David. Chald. ibi germinare faciam Regem gloriosum in domo Davidis) *paravi* (disposui, ordinavi) *lucernam* (id est, filium) *Christo meo*, id est, Davidi Regi a me uncto. 108. V. Liberi.

Sexto, Eusebius speciatim per lucernam Davidis intelligit Messiam, seu Christum, qui fuit filius Davidis. Verba eius sunt: *Quærens in sacris literis lucernam Davidis, inveni in 131. Psalmo scriptam. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Lucerna autem parata Christo ex semine David, quænam sit alia nisi illa secundum carnem proles ex David successione genita, qua Christus est usus, lumen in ipsa factus, ac suæ virtutis splendorem, et luminis exortum omnibus hominibus immittens. Itaque in propositis verbis prophetice dicit David. Tu illuminas lucernam meam Domine. Tu ipse, inquit, Dominus, cum sis verum lumen, unitus tandem ineffabili modo lucernæ, quæ ex me gignetur, ipsam illuminabis.* Christus est lucerna, illa scilicet excellens in summo candelabri vertice posita, et in candelabro Mosis Exodi 25. v. 37. et apertius in candelabro viso a Zacharia Propheta, de quo ait cap. 4. v. 2. *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas eius super caput ipsius, et septem lucernæ eius super illud, et septem infusoria* (id est, calami concavi arcuatim sustinentes lucernas, ut in eas infunderetur oleum quod defluebat ex lucerna in summo candelabri posita) *lucernis, quæ erant super caput eius*, id est, circa caput seu summitatem hastilis candelabri, illæ octo lampades, cum non possent commode esse in lateribus, sicut septem Mosaicæ, instar coronæ splendidæ erant dispositæ in orbem. Mosaicæ vero tres erant in latere uno, et tres in alio, una in vertice hastilis. In candelabro autem Zachariæ erant septem dispositæ in circuitum, et una cæteris altior, supra ipsum hastile candelabri, quæ Christum figurabat ex quo oleum gratiæ defluit in septem Sacramenta; et animæ sanctæ dat septem dona Spiritus sancti ex summa misericordia: duæ olivæ circumstantes sunt S. Petrus et Paulus, qui sunt filii olei, id est, misericordiæ Dei, summa Dei misericordia a peccatis extracti, et ad tantam dignitatem evecti, atque misericordiæ vasa effecti, ut peccantem reciperent non tantum septies, sed etiam septuagies septies, id est, innumeris vicibus. Thomas Anglicus in Psal. nostr. per lucernam sumit etiam Christum: Sic Ps. 118. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, id est, 109. VI. Messias.

inquit, verbum incarnatum: per tenebras vero intelligit fideles, qui lucem Divinitatis sibi iunctam personaliter non habent: ideo petit potestatem, ut qui Christum sic illuminavit, etiam fideles suos illuminet.

110. VII. Lumen rationis. Septimo, S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. In Ioannem cap. 8. S. August. serm. 8. de verbis Domini, Euthymius hic, et Nicephorus, Iansenius, Richardus Pampolitanus, *Lucernam* esse dicunt mentem humanam, seu intellectum, et lumen rationis, quod Deus luce sua illuminat. Vide dicta Ps. 4. v. 7. *Signatum est* (Symm. επισημον ποιησον, id est, insigne fac) *super nos lumen vultus tui* (Tertull. 5. in Marcionem cap. 11. personæ tuæ) *Domine*. Didymus psalmum nostrum sic explicat, q. d. Pars animi, seu facultas illa, quæ lucem suscipit, quam nonnulli rationem vocant, id est, mens ipsa lucerna illius esse dicitur: non quod natura, et vis ipsa sit lux, sed quod lucem suscipiat. Tenebræ vero illius sunt appetitiones et impetus, iracundia scilicet, et concupiscentia. Cum ergo mens a Domino, qui claritatis suæ illam participem reddit, illuminata fuerit, tum affectus et impulsus ratione carentes, ad prudentiam redacti illuminantur: non quod illi, quatenus rationis expertes, lucem suscipiant (non enim sapientiam admittunt) sed quod ab animo sapientiæ et virtutis splendore illuminato reguntur. Unde cum mens lucerna, ut dictum est, a Domino illuminata fuerit, necessario sequitur, ut et tenebræ nostræ illuminentur. Quod si mentem, quæ natura nobis indita illuminatur, ob ignorantiam et inscitiam tenebras fieri contigerit, multo magis vires illæ ratione carentes, cum mentem ducem lumine privatam habuerint, tenebræ existimandæ sunt. De his ergo tenebris hoc loco Propheta loquitur: et hoc est quod Salvator ait Matthæi 6. *Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Nam si oculus corporis, hoc est mens, quæ lucerna esse debet, luce careat: multo magis (ut ita loquar) corpus animæ, tenebræ sunt: corpus vero non illud quod nos circumvestit mortale, sed illud quod ex irrationali concretione constat, intelligo. Forsitan vero, et qui cognitione veritatis illuminati sunt, accensam lucernam habent, hoc Domino concedente: cum vero actiones suas rectitudine temperaverint, tunc et tenebras quoque suas illuminatas habebunt. Verumtamen non ii solum, sed etiam qui sapienter in contemplandis intellectualibus et invisibilibus rebus versantur, lucernam habent a Domino illuminatam. Et qui recte circa sensibilia affecti sunt, secundum sensum illuminantur; ea, ut decet, intuentes. Qui sensus tenebræ sunt, quod per se illuminari, hoc est scientiæ lumen suscipere nequeunt: alioquin quæ sensum habent, et ratione carent, scientiam susciperent. Ita Didymus. Inverte itaque dictum Christi, et dic: Si tenebræ nostræ, id est, partis inferioris affectiones lumen sunt, ipsum lumen, id est mens et ratio, ac pars superior, quantum erit.

111. VIII. Denique lumen supernaturale. Octavo denique, Ruffinus *Lucernam* intelligit de supernaturali lumine, q. d. donando fidem, illumina tenebras operum meorum: ut quod teneo credendo, sequar operando. Plenius sume non tantum de lumine fidei, sed etiam sapientiæ supernaturalis, consilii, intellectus, etc. De quibus fuse agit noster Thomas Massutius de cœlesti conversatione lib. 4. Hæc sunt arma lucis, de quibus Apostolus Roman. 13. v. 12. *Abiiciamus opera tenebrarum* (id est, peccata, quæ hic S. August. in psalmo nostro et Ruffinus per tenebras intelligunt) *et induamur arma lucis*, (id est, opera fidei, gratiæ et virtutum) *sicut in die honeste* (ευσχημονως id est decore, et composita) *ambulemus*, in luce Evangelii positi, sole Christo nos illuminante. Ephesios etiam monet cap. 5. v. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem* (estis) *lux in Domino* (in Christi fide et gratia ac doctrina) *ut filii lucis ambulate*. Peccata, inquit Cornelius, dicuntur tenebræ. Primo, quia peccantes oderunt lucem et quærunt tenebras. Secundo, quia peccata lumen rationis excæcant. Unde Prov. 14. v. 22. dicitur: *Errant qui operantur malum*. Semper enim peccatum oritur vel ex errore, vel ex imprudentia, inconsideratione et inadvertentia aliqua rationis et intellectus: ac rursum dum committitur, eamdem adauget, offuscatque rectum prudentiæ et conscientiæ dictamen per proclivitatem ad idem peccatum. Contra, virtus et bona opera dicuntur lux. Primo, quia amant lucem, Dei hominumque conspectum. Secundo, quia manant a luce, id est, dictamine fidei et prudentiæ. Tertio, quia eamdem lucem adaugent. Quarto, quia alios illuminant, et quasi lux sancti exempli coram aliis resplendent. Quinto, quia oriuntur a Deo, qui est prima et increata lux omnia transcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, vivificans, continens, et ad se quasi Sol convertens, ait S. Dion. de divinis nominibus cap. 4. Quantæ sint humanæ tenebræ si relinquamur nobis, patet ex tenebris gentilium, de quibus Eusebius lib. 6. de præpar. Evangel. et Theodoretus de Græcor. affect. Nam Persæ et sorores, et filias, et matres suas nefandis sibi matrimoniis iungebant: Scythæ humanis carnibus vescebantur, et filios suos immolabant: Massagetæ cognatos senes comedebant: Hyrcani senes avibus: Caspii canibus devorandos obiiciebant: Lacedæmones furtum laudabant, quasi rem ingeniosam et solertem: alii coniuges suas hospitibus in symbolum hospitii adulteriis polluendas concedebant. Plato ipse aliquot leges improbas tulit, de non subveniendo valetudinariis, de licenter mentiendo, de occidendis infantibus, et de communione uxorum. Lycurgus iubebat suis Legibus hospites finibus pelli, pueros impune prostitui, fœminas licenter exponi. Vide plura apud Eusebium et Theodoretum, et de Chananæorum sceleribus Levit. 18. et Deuter. 10. et 16. Contra vero dicit Apostolus Ephes. 5. v. 9. *Fructus lucis*, (id est, fidei, prudentiæ et virtutis Christianæ) *est in omni bonitate, iustitia et veritate*. Ut enim ait Cassianus Collat. 14. cap. 15. et seq. *Nemo in vas fœtidum atque corruptum, unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit: et quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci cum tenebris? Non ergo alias ad scientiam spiritualem nisi hoc ordine pervenitur, quem unus Propheta eleganter expressit dicens: Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Primum enim seminandum est nobis ad iustitiam, hoc est, actualem perfectionem operibus iustitiæ propagemus: deinde metenda nobis est spes vitæ, id est, virtutum spiritualium fructus, expulsione vitiorum carnalium, congregandi, et ita illuminare nobis lumen scientiæ poterimus.*

Anagogice. Richardus Pampolitan. explicat de vita beata in cælo, q. d. Quoniam tu illuminas luce gratiæ tuæ lucernam meam, id est, cor meum, ut ferveat igne amoris tui, Domine Deus meus, illumina tenebras meas, id est, omnia interiora mea, quia in tenebris mihi esse videntur, quamdiu te non video, et non illustror perfecta claritate vultus tui. 112 Anagogice

Symbolice. Ludolphus Carthusianus per *lucernam* intelligit Apostolos et Prædicatores, in quibus est lux et cognitio veritatis, qua illuminantur alii: Deus meus illumina etiam per eos, tenebras meas, id est, animas tenebrosas peccatis: seu eos qui adhuc sunt in tenebris, ad me per prædestinationem pertinentes. Christum et Ecclesiam putat hoc in psalmo loqui. Symbolice

Tertio, Deus humiles in arce collocat fortiter prælian-
tes, v. 30. QUONIAM IN TE (id est, per te) ERIPIAR A TENTATIONE, ET IN DEO MEO TRANSGREDIAR MURUM. Vers 30 113.
Nota, Sept. vertunt, in te eripiar, απο πειρατηριου, id est, Primo, ab experimento, tentatione, tentamento, ut sumit Hippocrates. Secundo, a sede piratarum, a loco piratis infesto, ut Plutarchus in Pompeio. Tertio, accipitur pro exercitu piratarum. Quarto, pro traiectione, seu loco et arte ac modo traiiciendi. Vox Hebr. גדוד *ghedud*, significat exercitum, ut vertit Pagninus: seu turmam, ut Muisius; militum cuneum, ut Felix. Dicitur præcipue de Latrunculis, ut noster vertit aliquando: de turma ad prædam excurrente, ex militibus levioris armaturæ collecta, ut faciant excursiones et populationes. Secundo *ghedud*, non tantum ipsas turmas Prædatorias, sed eorum etiam prædationes et vastationes significat: unde noster vertit: *In te eripiar a tentatione*. Ubi alludit ad Latrunculos A-

maiecitas, qui invaserant urbem Siceleg, et abripuerant omnia Davidis, et cum eo militantium bona, liberos et uxores: sed eos devicit David, et sue suosque illæsos recuperavit, 1. Reg. 30. v. 1. ac seq. Convenit Petavii Paraphrasis, *Cum Deo parricidalem manum tentatoris evitabo.* Sed ad Absalonem videtur aiiudere, qui patrem soiio expulit, occidere cogitavit, explicatis signis cum eius exercitu dimicavit, sed victus est.

114. Vita nostra est tentatio.

Moraliter nota. Vita nostra est tentatio et piraterium. Iobi 7. v. 1. *Militia est vita hominis super terram.* Septuaginta habent πειρατηριον, id est, piratarum receptaculum, etc. In mari sumus, et in mari agitato. S. Chrysostomus homil. 52. de S. Eustathio Antiocheno. *Nam nos quidem, ait, qui adhuc vivimus, ut qui medio in mari fluctuant, multis sumus obnoxii mutationibus: et ut illi nunc quidem fluctibus intumescentibus in altum tolluntur, nunc in profundum ipsum deprimuntur: sed neque tuta celsitudo, neque stabilis est deiectio ei quidem horum utrumque ab aquis fluentibus minimeque consistentibus pendet: Sic nimirum est in rebus humanis,* ουδεν βεβαιον και εστως, *nihil est firmum et constans, sed frequentes sunt mutationes, et perlevi sæpe momento fiunt. Hic quidem ob res secundas in altum subvehitur, ille vero propter res adversas profunde admodum deprimitur. Verum nec infletur ille, nec animum ille despondeat,* ταχιστην γαρ εκαστος δεξεται την μεταβολην, *quippe celerrimam singuli mutationem sortientur.* Hæc Chrysostomus.

115. Tentationes evadendi modus duplex 1 Spes in Deum.

Nota secundo, modos primus evadendi tentationes, ac dæmonum seu piratarum incursus, est spes in Deum. *In te eripiar a tentatione*, non in me et per me. Ps. 43. 5. hoc sperans David noster exclamat: *Tu es ipse Rex meus et Deus meus qui mandas salutes Iacob,* (id est, Israelitis, Iacobitis seu Iacobi Patriarchæ posteris mittis sæpius salutem, quæ et iis declaret paternam tuam erga eos benevolentiam, et eos custodiat ac protegat) *in te inimicos nostros ventilabimus cornu* (sicut taurus pilam fœneam cum summa faciiitate dissipat, cornu in ventos proiicit) *et in nomine tuo* (in te et per te, invocatione solius nominis tui) *spernemus insurgentes in nobis*, id est, in nos, contra nos: vel etiam in nobis, in corpore nostro, in appetitu sensitivo: sed hoc est mysticum. S. Hieron. vertit, *Conculcabimus adversarios nostros*: corpus tuum reputa esse lutum, et iiiud calca, quia nullus tibi est hostis tetrior, Ps. 59. v. 14. dicitur. *In Deo* (id est, per Deum: vel intra Deum positi, Deo succincti et armati, induentes Iesum Christum, ut mulier illa pugnans in draconem induit solem, Apocalip. 12. v. 1.) *faciemus virtutem* (Hebr. חיל *chail*, id est, robur, potentiam, fortitudinem) *et ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.* In piraterio sumus, in mari agitato, Iesum habeamus in nave nostra sicut Apostoli, licet fluctuet, non mergetur: dormiat licet oculis nostris, vigilat tamen sibi et nobis. Matth. 8. v. 24. Emblemata hoc explicare possis navem, quæ cum cariosa esset, quia S. Ignatium e Terra sancta redeuntem vehebat, salva portum tenuit, Turcica perdita cum suis nautis et militibus, Veneta hausta fluctibus, salvis tamen vectoribus. Ribaden. in vita. Vel pinge navem vetustate fatiscentem, cui in extremis Sinis S. Xaverii corpus imponitur, iactata est gravibus proceliis, quas tamen vicit aliis pereuntibus, sed ut ait Orlandinus lib. 13. hist. Soc. num. 89. *Reddito sacro pignore mercibusque levata, veluti suo perfuncta iam munere, illico sua sponte cælo marique tranquillo demergitur. Nemini ut ambigendi locum reliquerit, cum iam vetustate fatiscens, laxatis compagibus fluctus inter et scopulos non ante sit mersa: sed omnes intelligerent suum ei pondus levamini fuisse, et quasi vehiculo id quod vehebat.* Nonnumquam Christus ipse et Angeli sanctique visi sunt in tempestate naves, aut cymbas periclitantes levare, ut de S. Xaverio constat in duobus locis apparente in mari Iaponico, et cymbam abreptam fluctibus, ad navem reducente cum omnium stupore et admiratione.

116. 2 Fortitudo mentis.

Nota tertio, modus secundus evadendi et superandi tentationes est fortitudo animi. *In te eripiar a tentatione.* Hebraizantes in varie vertunt. Primo S. Hieron. reddit: *In te curram accinctus.* Ubi denotatur fervor, et libertas animi parati ad prælium, et hostes non timentis. Vult Deus servis suis esse pedes cervorum et cor leonum. Ratio versionis est, quod ארוץ *aruts* potest desumi a rad. רוץ *ruts*, ruere, currere, irruere, cursu irrumpere, vel curso erumpere: unde Sept. verterunt *eripiar*, id est, cito et velociter rapiar, fervore mihi indito exiliam a tentatione, ut leo, vel cervus e disruptis laqueis. Secundo, Eugubinus vertit: *In te curram contra accinctos armatos intrepide*: ubi robur animi declaratur, ut unus multos, et armatos aggredi sine trepidatione audeat Deo duce. Tertio, Felix vertit, *In te conteram militum cuneum.* Nec cuneum tantum, aut turmam, ut habet Muisius, sed totum exercitum. Vatablus enim vertit: *In te contrivi* (Caietan. frangam) *exercitum*, ubi felicitas pugnantis aperitur. Quarto, Chald. reddit: *In verbo tuo* (id est, in Iesu incarnato, vel ad unicam vocem tuam,) *multiplicabo exercitus, et castra*, ubi declaratur constantia et perseverantia in hostibus sæpius rebellantibus, conterendis. Ubi adverte το *aruts*, posse deduci a רצץ *retsats*, id est, frangere, conterere, contundere.

Versiones variæ.

Severus Sulpitius in vita S. Martini, cap. 3. refert, cum Iulianus Apostata eum velut ignavum argueret, quod pridie pugnæ missionem a militia peteret, ut Deo se totum dederet, ipsum respondisse. *Si hoc ignaviæ ascribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo, et in nomine Domini Iesu signo Crucis non clypeo protectus, aut galea hostium cuneos penetrabo securus*, id est, sine timore, qui cor urat. Cum asservari generosum Christi athletam iussisset Apostata, ut sine armis hosti obiiceret, summo mane Germanorum legati ad castra venerunt, pacem petituri: sic evasit periculum vir in Deo solo non timens: integros exercitus velut alter Ionathas, qui solus cum armigero in Deo confidens fudit exercitum Philisthinorum. 1. Regum 14. 1. et seq. S. Ambros. lib. 4. offic. cap. 40. probat virtutem bellicam non inusitatam fuisse fidelibus: *Quam fortis*, inquit, *Iesus Nave, ut uno prælio quinque reges captos sterneret cum populis suis.* Nonne fortis fuit, qui Solem ipsum stare compulit, ut perfecta de hostibus victoria haberetur? pergit: *Gedeon in trecentis viris de ingenti populo et acerbo hoste revexit triumphum*, (erant plusquam centum et triginta millia Madianitarum) *Ionathas adolescens virtutem magnam fecit in prælio.* Amplificat deinde virtutem Iudæ Machabæi. *Stimulatus*, inquit, *Rex Antiochus, cum bellum accenderet per duces suos Lysiam, Nicanorem, Gorgiam, ita cum orientalibus suis et Assyriis attritus est copiis, ut quadraginta, et octo millia in medio campi a tribus millibus prosternerentur.* Eleazarum deinde extollit, qui cursu concito in medium Legionis prorupit, et abiecto clypeo pervasit usque ad elephantem, super quem putabat Antiochum Regem pugnare, eumque interfecit, ideo Antiochus, qui alio in loco erat virtutem tantam admiratus, licet cum centum viginti millibus armatorum venisset, et cum triginta duobus elephantis, recessit. Itaque Eleazarus hæredem virtutis suæ pacem reliquit. Fingunt Poetæ quosdam super fluctus cucurrisse, periode atque in terra, nullo etiam in arena relicto vestigio, et super aristas, illas non lædendo, ut de Orione habet Hyginus, de Iphiclo Hesiodus, de Camilla regina Volscorum Virgilius, de Lada Iuvenalis.

Fortitudo S. Martini. Iosue. Gedeonis. Ionathæ. Iudæ Machabæi. Eleazari.

Esto tu sicut Asael, frater Ioab ducis exercitus David, de eo enim dicitur 2. Regum. 2. 18. *Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis* (S. Bachiarius legit, sicut cervus) *quæ morantur in sylvis.* עשהאל *Asael*, id est, fecit Deus, vel opus Dei. In Deo confide, opera tua refer ad Deum, et in Deo, et eius gratia fac, et eris cursor velocissimus et acutissimi visus, ne currens in aliquid impingas. Et tu obvia transilies. Syr. vertit in psalmo nostro, *per te curram adversus phalangem*, et Arabs, per te redimar a calamitatibus insidiarum. Flaminius, per te acies hostium fregi. S. Hieron. *In te curram accinctus*, baltheo scilicet castitatis, quæ vigorem mentis conferunt et corporis, et expeditum hominem facit ad currendam alacriter viam mandatorum. S. Bachiarius epist. de lapsis. *A-*

Fervens in via Dei est cælestis Asael.

sael, inquit, *velox sicut cervus a scriptura esse perhibetur, ob hoc crede quod incoinquinati corporis puritas donum ei velocitatis indulserat: corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam. Velox erat sicut cervus: id est, qui non solum perspicacia mentis, inimici laqueos evitabat, verum etiam serpentum, id est, adversarium virtutum, interfector existit.* Via mandatorum curritur, cum cor dilatatur per ardorem charitatis, quæ etiam frigidam senectutem inflammat ut currat, ut in Abrahamo hospites recipiente patet Genes. 18. 2. Unde meruit Angelis ministrare, et eorum secreta discere. S. Paulin. Epist. 5. ad Amandum comparat Asael Cardamam charitatis operibus magno ardere vacantem, et illi dat pedes cervorum: *Nam*, inquit, *positus est in tantæ ministerio charitatis, ut in libertate serviat, in senectute discurrat, et requiem vacationis emeritæ malit in peregrinationis labore, quam in domestica sede consumere: quia pigrorum vias spinis stratas calcare declinat, ne convertatur in ærumnam, dum ei de inertiæ infructuoso otio miseræ solicitudinis spina confringitur. Exultat itaque impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti, pedissequa pigrorum inopia tamquam bonus cursor occurrat.*

117. *Fortitudo patet in mediis difficultatibus.* Neque currit tantum vir fortis, ubi nulla est difficultas et obstaculum, sed vel maxime eius virtus et fortitudo se exerit, ubi maior est repugnantia et obstinatio hostium. Unde additur, Et in Deo meo transgrediar (S. Hier. transiliam) murum. Hebr. דלג *dalag*, subsilire, saltare, transilire, transgredi, alacritatem denotat, ut Cant. 2. 8. Isai. 35. 6. Ducem suum aspicit vir generosus, et ad eius vel minimum nutum evolat in pinnas murorum. Chald. *in verbo Dei mei subiugabo arces munitas*. Alludit David ad arcis Sionis occupationem, quæ adeo munita erat, ut Iebusæi obsessi milites cæcos et claudos in muris statuerent: perinde q. d. vel hos a natura resistendi facultate destitutos posse castellum hoc tueri. Sed Dei ope eo præsidio potitus est David, unde vocata est civitas David. Ioab autem dux exercitus scalis positis primus ad muri culmen evasit. Ut patet 1. Paralip. 11. Nam proposuerat David præmium ei, qui percussisset Iebusæum, et tetigisset domatum fistulas, 2. Reg. 5. 8. id est tectorum imbrices, vel canales, per quos aqua e tectis defluebat; hoc est summitates murorum et canalium Sionis, et per eos in arcem intrasset. Præmium autem illius fortitudinis bellicæ erat, ut is fieret Dux et Princeps militiæ Davidis, qui primus muros conscendisset et pervasisset. *Alexander et Scipio primi murum ascendunt.* Alexander Magnus in Tyri obsidione, Scipio Africanus in Carthaginis novæ expugnatione in Hispania, aliique Principes, primi in hostium muros evaserunt. Corona muralis dabatur ei qui primus id fecisset, ut ait Gellius lib. 5. cap. 6. Illustre est quod refert Scipio du Pleix tom. 2. hist. Franc. pag. 547. ex Villartio. *Galli cuiusdam audacia et fortitudo mirabilis.* Cum, inquiunt, Gallicorum castrorum præfectus primarius, seu, ut loquuntur, Marescallus de Brissac urbem Vignaium obsideret, miles quidam non expectato ducis mandato, murorum partem muris disiectam solus conscendit, explosaque in hostes igniariæ glandis catapulta, ense nudo diu pugnavit illæsus. Alii hac audacia excitati convolant, tum ad oppugnationem directi militum cunei succedunt, urbemque occupant. Brissacensis præter spem urbe potitus, lætitiaque gestiens torquem aureum pondo scutatorum centum iis largitus est, qui strenuam operam navarant præ cæteris. Unum excepit militem illum, qui pugnam primus inierat, quem iudices sibi traditum ad mortem damnarunt, quod Imperatoris sui iniusso pugnasset. Dux tamen ipsis iudicibus, totiusque exercitus nobilissimis quibusque deprecantibus veniam temeritati dedit: virtutibus vero donativum honorarium esse voluit catenam auream pondo scutatorum ducentorum, quam in collum victoris immisit: addidit equos duos, Hispanicum alterum, alterum Germanicum, ferendis armis idoneum. Si temeritas tanti valuit, quid nos Deo duce non speremus?

Tropol. Murus est omne impedimentum et obstaculum 118. *Tropologice. Murus est omne impedimentum.*
quod nobis in cælum euntibus obiicitur a carne, mundo et dæmone. Iansenius, *Transgrediar murum*: id est, inquit obstaculum quod humana cupiditas, infirmitas et humana sapientia interposuit inter Deum et hominem, quod tantum est, ut homini impossibile sit suis viribus Dei participationem, atque consortium acquirere. Murus ille est obstaculum peccatorum, ut ait Ludolphus. Isaiæ 59. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret.* Murus primo dividit nos ab amicis. Secundo, impedit ne eos videamus, audiamus, tangamus. Tertio, impedit ne ad eos ire possimus, et eorum auxilio et divitiis, ac deliciis frui. Ita peccata dividunt nos a Deo, et omne cum illo commercium auferunt. Ezechieli dicit Deus cap. 4. 3. *Sume tibi sartaginem* (Arabs patellam, Pocie a frire) *ferream, et pones eam in murum ferreum inter te, et inter civitatem.* Sartago illa ferrea, ait R. David, erant corda Iudæorum, ferro duriora et fuligine turpiora: quæ Deum natura sua mollem, misericordem et melleum, durum et ferreum efficiunt, atque decretum ferreum duræ punitionis et vindictæ ab eo extorquent. Murum illum peccatorum sic describit Ugo Card. *Iste murus*, inquit, *fit ex luto luxuriæ, et latere avaritiæ, et palea inanis gloriæ, et cæmento amoris mundi, ac lapidibus avaritiæ. Fundamentum est timor satisfaciendi, qui sustinet totum murum: Latitudo est perseverantia in peccato: altitudo, præsumptio.*

Anagog. Euthymius. Tentatio, inquit, pro vita homi- 119 *Anagogice.*
nis intelligitur, in qua multa esca et multæ sunt voluptatum illecebræ, multi mortis laquei, et multæ etiam visibilium et invisibilium inimicorum insidiæ: murus vero, pro corpore, quod positum ante animam veluti muro quodam eam circumdat, atque obstruit, et prohibet a divina luce. Vel, per muros, ipsos dæmones intellige versantes in aere, qui animam ad Deum pertransire cupientem, muri instar impediunt.



SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

Duo complectitur. Primo, post liberationem ab hostium potentia, docet datam sibi de illis victoriam, auxilio
120. *concesso ante pugnam, in pugna, et post pugnam, vers. 31. Secundo, Deo gratias agit ob tot percepta beneficia, vers. 47. ad finem Psalmi.*

SECTIONIS QUARTÆ ANALISIS.

In beneficiorum a Deo acceptorum commemoratione pergens David.

- Victoriam prædicat post liberationem, ope obtenta.
  - A Deo
    - Mente, impollnto. 31.
    - Locutione, porissimo. 31.
    - Opere, potentissimo. 31.
    - Maiestate, augustissimo. 32.
  - Omni tempore,
    - Ante pugnam,
      - Baltheo, atque ense præcingendo. 33.
      - Viam præsternendo. 33.
      - Pedes roborando. 34.
      - Manus instruendo. 35.
      - Brachia firmando. 35.
    - In pugna,
      - Sinistra, clypeum obtendendo. 36.
      - Dextera, ex hostibus eripiendo. 36.
      - Ore, evadendi modum docendo. 37.
      - Gladio, hostium globos dividendo. 37.
      - Brachio, fatigatum sustinendo. 37.
      - Quo præsidio nixus,
        - Hostes persequitur. 38.
        - Comprehendit. 38.
        - Delet funditus. 38.
        - Concidit fugientes. 39.
        - Cadentes subtus pedes suos. 39. 40.
        - Dissipatos. 41.
        - Clamantes, nec exauditos. 42.
        - Contritos, velut lutum. 43.
    - Post pugnam,
      - Bella civilia arcendo 44.
      - Nationibus exteris præficiendo. 44.
      - Longinquis etiam populis Regem præficiendo. 45.
      - Antea rebelles domando. 46.
- Gratiarum actionem promissam exolvit,
  - Propter Deum,
    - Qui per se existens, vita est. 47.
    - Ab Angelis benedicitur. 47.
    - Ab hominibus exaltatur. 47.
  - Propter se,
    - Præpositum variis nationibus. 48.
    - Et a periculis liberatum. 48.
  - Propter hostes,
    - Depressos ipso exaltato. 49.
    - Elusos eo liberato. 49.
  - Propter domitas nationes, apud quas
    - Ore Deum laudaturum se promittit. 50.
    - Et psalterio Canticum dicturum. 50.
  - Propter populum suum priorem, cuius
    - Regem Deus extulit. 51.
    - Et posteros eius pios efferet in æternum. 51.

PARAPHRASIS.

31. Deus meus impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

31. Spero fore, ut in Deo meo eripiar a tentatione, et omnes obiectas difficultates transgrediar, cum id mihi promiserit. Actiones enim eius omnes puræ sunt ac synceræ, et promissa, instar argenti igne excocti, ab omni adulterina admixtione falsitatis purgata sunt, manuque potenti scutum impenetrabile telis hostium in pios coniectis obiicit.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum.

32. Nullus enim in cælo terrave Deus est præter eum, quem veneramur: proinde nullus est eo dempto, qui sperantes in se protegere possit.

33. Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam.

33. Deus unus est, qui me fortitudine cinxit ut baltheo: effecitque ut facilem rerum cursum, ac sine offensione consequerer.

34. Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.

34. Qui pedibus meis eam in currendo agilitatem indidit, ut cervis non absimilis velocitate hostes prævertam, arcesque celsissimas occupem ad muros earum evadens.

35. Qui docet manus meas ad prælium, et posuisti ut arcum æreum brachia mea.

35. Scientiamque mihi rei militaris tribuit, et manus meas ad pugnam habiles expeditasque præstitit, et brachia mea roboravit, non minus ac si ænea ferreave forent, quæ nec lædi, nec fatigari possunt, atque ad feriendum plurimum valent.

36. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, et dextera tua suscepit me.*

36. Protectione salutari variis periculis expositum me protexit, manuque omnipotentiæ suæ prehensum a lapsu eripuit.

Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.

Lapsumque benigna monitione ac paterna castigatione docuit semper, ne in peccatis perseverarem: mihique flagella ab eo immissa pro monitore ac pædagogo extiterunt.

37. *Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea.*

37. Confragosis, præruptisque in viis lapsantem apertos in campos eduxit, neque passus est ab hostibus de via fractum in præceps deiici.

38. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos: et non convertar donec deficiant.*

38. A Deo roboratus fugacium tergo inimicorum insistam, eosque assequar: neque prius a cœpto prælio desistam, quam exhaustis viribus concidant.

39. *Confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

39. Tanta clade illos atteram, ut nova bella excitare non possint, directisque aciebus contra me consistere. Ad pedes meos enervati, subiectique accident.

40. *Et præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.*

40. Fastu turgescentes hostes meos, et arma in me moventes ita mibi subiecit: ut si lubeat, plantis eos proterere possim.

41. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.*

41. Eosque turpem in fugam me præliante, et vincente coniecit: atque infestos et odio implacabili adversus insontem me furentes delevit.

42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret: ad Dominum, nec exaudivit eos.*

42. Clamoribus licet maximis atque ululatibus opem implorarent, nemo tamen suppetias tulit: Deusque sibi supplices ne precum quidem auditione dignatus est.

43. *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.*

43. Ego unus, Deo fretus adiutore, densatos illorum cuneos dissipabo, non secus ac vehemens ventorum turbo pulvisculum per aerem raptat et disiicit: eosque a facie mea amovebo, perinde quasi lutum platearum, quod omnium pedibus protritum aufertur, et dissipatur.

44. *Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.*

44. Bella civilia a filio meo, aliisque excitata sopivit Deus, et nationes externas ditioni meæ circumiectas, sceptro meo subdidit.

45. *Populus, quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.*

45. Quinimo longe positos populos, quorum ritus linguamque non noveram, regno meo adiecit: licet illis præsens non adsim, Deo tamen eorum animos moderante, ad nutum obediunt.

46. *Filii alieni mentiti sunt mihi: filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis.*

46. Idque præstiterunt, cum ipsi filii mei, servique domestici bello in me intestino sævirent. Cum enim in fide mihi data illi languescerent atque ab obsequio debito resilirent, aut in eo claudicarent: exteri tamen domiti in fide steterunt, mihique auxilium dederunt, ut regnum recuperarem.

47. *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ:*

47. Non est similis idolis inanimis Deus meus: sed vivit, seque vivum ostendit hostium meorum attritu, ideoque ab omnibus laudandus est. Illum omnes excelsum potentemque æstiment, qui tot agminibus agglomeratis implicitum me expedivit.

48. *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.*

48. Tu Domine effecisti, ut de hostibus ultionem sumerem, plurimosque mihi populos subiicerem: tu me ab infestissimis, et ira efferata insanientibus inimicis liberasti.

49. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me.*

49. Atque eorum ab insidiis insultibusque ereptum in Thronum Regium extulisti: a Saule me diu persequente, necemque moliente vitam meam servasti.

50. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, et nomini tuo psalmum dicam.*

50. Propter hæc aliaque beneficia, non in Regno tantum Iudææ, sed in omnibus mibi subiectis nationibus, psalmos tuam in laudem per me, meosque concinam: tibique hymnos et cantica conscribam, quæ toto in orbe canentur.

51. *Magnificans salutes Regis eius: et faciens misericordiam Christo suo David, et semini eius usque in sæculum.*

51. Quod in dies singulos maiorem illustrioremque mihi salutem contuleris, unctoque in Regem populi tui misericordiam singularem exhibueris. Nec mibi modo, sed etiam posteris meis, in perpetuum, cum ex me nasciturus sit Messias, omnium Sanctorum salus et gloria.

QUÆSTIO UNICA.

Quam facilem adiutore Deo victoriam iusti reportant.

In mentem revoca Davidem omnibus defunctum bellis, velut alta specula antegressas ærumnas spectantem. Primo enim, pollicitus est memoriam se acceptorum beneficiorum futurum. Secundo, quid periculorum subierit, exposuit. Tertio, hostium suorum exitium fuse descripsit. Quarto, liberationem suam. Quinto, causam suæ liberationis. Nunc docet, post liberationem ab hoste, maximis se celeberrimisque, Deo ductante, victoriis potitum esse, et de iis gratias agit.

Primo itaque, velut ex umbratili palæstra, ad Solem,

A et pulverem eductos, ut nemerose in exercitu Deo duce pugnet, ac triumphum reportet, Ducis sui dotes describit, eique armigeros quatuor assignat.

Primo, sanctitatem in actionibus, vers. 31. *Deus meus impolluta via eius.* Secundo, fidelitatem in promissis. *Eloquia Domini igne examinata.* Tertio, benignitatem erga suos. *Protector est omnium sperantium in se.* Quarto, potentiam in hostes, v. 32. *Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum.* 122. Dei ducis dotes.

Secundo, describit auxilium sibi datum a Deo ante pugnam, in pugna, et post pugnam. Deus milites suos iuvat ante pugnam, in pugna et post pugnam.

Ante pugnam, 1. baltheo eum præcingendo, vers. 33. *Deus qui præcinxit me virtute*; 2. viam præsternendo. *Et posuit immaculatam viam meam*; 3. pedes roborando, v. 34. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me*; 4. manus instruendo, vers. 35. *Qui*

docet manus meas ad prælium; 5. brachia firmando. *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.*

In pugna, dicit se in hostes ruentem, ab iisque circumcinctum, omni ope adiutum fuisse, et incolumem præstitum. Primo, sinistra clypeum obtendendo, ne telis pateret, vers. 36. *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ.* Secundo, dextera ex hostium phalange eripiendo. *Et dextera tua suscepit me.* Tertio, ore periculorum admonendo, et ab illis revocando, v. eod. *Et disciplina tua correxit me in finem: et disciplina tua ipsa me docebit.* Quarto, gladio cohortes inimicas dividendo, ut libero gressu illas pervaderet, vers. 37. *Dilatasti gressus meos subtus me.* Quinto, brachio fatigatum sustinendo. *Et non sunt infirmata vestigia mea.*

His præsidiis facili se, et illustri victoria potiturum sperat et prædicat: Primo, fugientes se persecuturum, v. 38. *Persequar inimicos meos.* Secundo, capturum, *et comprehendam eos.* Tertio deleturum. *Et non convertar donec deficiant.* Quarto, eos qui pugnæ superfuerint, ita attriturum; ut rebellare amplius non possint, v. 39. *Confringam illos, nec poterunt stare.* Quinto, fore ut supplices sibi accidant. *Cadent subtus pedes meos.* Sexto, arrogantes pedibus protriturum, v. 40. *Et præcinxisti me virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me.* Et dorsum eorum calcaturum, v. 41. *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti.* Septimo, Deum eos sine auxilio reiecturum; licet opem clamoribus implorantes, vers. 42. *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret: ad Dominum, nec exaudivit eos.* Octavo, se Deo fretum eos funditus deleturum, v. 43. *Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.*

Post pugnam, 1. bella civilia comprimit Deus, v. 44. *Eripies me de contradictionibus populi*; 2. nationibus externis domitis, pacatisque Regem præficit. *Constitues me in caput gentium*; 3. illas licet distantes in officio continet, v. 45. *Populus quem non cognovi servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.* Etiam cum subditi et domestici rebellabant, v. 46. *Filii alieni mentiti sunt mihi, etc.*

123. Gratiæ Deo de omnibus sunt agendæ. Tertio, Gratias agit Deo. Primo ipsum confitendo Deum verum et vivum, omnique laude dignum, v. 47. *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus, et exaltetur Deus salutis meæ.* Secundo, ei acceptas referendo ditiones a se occupatas, v. 48. *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me, Liberator meus de inimicis meis iracundis.* Tertio, in eo solo spem suam reponendo, ad hostes superandos, v. 49. *Et ab insurgentibus in me, exaltabis me: a viro iniquo eripies me.* Quarto, omni in loco eum laudando, et psalmos scribendo, qui ubique et omni tempore decantentur, vers. 50. *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: et nomini tuo psalmum dicam.* Præsertim quod Regem ipsum factum servaverit ab omni periculo, et sceptrum in eius familia conservare decreverit, v. 51. *Magnificans salutes Regis eius, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini eius usque in sæculum.*

ARTICULUS I.

Quatuor Dei Imperatoris summi eximiæ dotes.

In medio exercitus Davidis emicat, omnibusque, sed præsertim Davidi ipsi spectabilem se præbet Deus, quem cælestes Principes ac Duces omni ex parte circumdant: nempe iustitia, fidelitas, benignitas, et potentia: eos prout res exigit, modo ad primam, modo ad postremam aciem, modo ad utramque alam emittit, ut fluctuantibus subsidio sint, eosque roborent.

Primo, Iustitia Dei elucet tum in permissione afflictionis, tum in punienda segnitie militum suorum, tum in iusta de hostibus, licet aliquando sera, vindicta, vers. 31.
Vers. 31. 1. Pars. Deus meus impolluta (S. Hieron. et Syr. immaculata. Pagnin. perfecta. Septuag. ἄμωμος, q. d. momum ipsum non metuens, reprehensioni non obnoxia, inculpabilis, irreprehensibilis) via eius, id est, Dei via, hoc est, agendi ratio, nullam in se continet iniustitiam: passus est quidem me deiici, sed ut altius eveheret, ac Regem populi sui efficeret.

Nota moraliter. Providentia Dei et ratio gubernandi iusta est in omnibus. Deut. 32. 4. ait Moses populo Israelitico, *Dei* (Hebr. צור *tsur*, petræ, rupis. Sic Deus vocatur; 1. quia stabilis est in se, et immutabilis; 2. quia servos stabiles facit) *perfecta sunt opera* (ea ad exitum perducit, illa perficit; 3. nihil est in illis imperfectionis) *et omnes viæ* (agendi modi) *eius iudicia*, id est iustissima, sunt ipsa æquitas. Isaiæ 55. 9. ait etiam Deus. *Sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris*, id est, præ viis, et cogitationibus; nostræ sunt maculatæ in cœno: Dei vero, puræ in cælo. 124. Iustus est Deus omnibus providens.

Sponsa describens Sponsum ait Cantic. 5. 11. *Caput eius aurum optimum.* Syrus vertit, *Caput eius petra* (id est, massa, seu gemma) *auri.* Caput Christi est eius Divinitas et providentia. *Caput Christi Deus*, 1. Cor. 11. 3. Illud caput est aureum, 1. ob infinitum eius pretium; 2. ob charitatem; 3. ob splendorem et maiestatem; 4. quia non contrahit rubiginem; 5. quia providentia sua ad omnes extenditur. Philo lib. quis rerum divinarum hæres. *Inter laudes auri multas*, ait, *duæ referuntur præcipuæ. Una quod non sentit rubiginis iniuriam: altera, quod in tenuissimas bracteas sine scissura deducitur. Merito ergo maiorem naturam significat, quæ diffusa et protensa usquequaque tota per totum plena est aptissime contexens cætera.* Caput Christi est aureum, et quomodo.

Pergit Sponsa, v. 11. *Comæ eius sicut elatæ* (ἐλάτη, id est elata, est vox Græca, et significat germen palmæ novellæ, ut ait Galenus lib. 8. simplic. vel, ramos Palmarum erectos et elevatos, ut placet Ruperto) *Palmarum nigræ quasi corvus.* Capillos Dei censet Lucas Abbas esse Angelos, qui eum circumdant, ut capilli caput; 2. capillos esse gratias omnis generis a Deo defluentes opinatur Theodoretus; 3. esse omnia eius attributa, ut omnipotentiam, bonitatem, iustitiam et alia, censent tres Anonymi Patres apud Theodoretum; 4. ad rem nostram apte, capilli Dei sunt omnia providentiæ eius, et sapientiæ consilia, et cogitationes. Deus autem, ut dixi, est caput Christi. Consilia illa divina sunt sicut palmæ elevatæ, quia semper in cælum tendunt, et a terra exaltantur, deinde omnia superant, attingunt enim a fine in finem fortiter. Nigri sunt illi capilli ut corvus, quia consilia Dei sunt impenetrabilia, et inscrutabilia hominibus. Isaiæ 40. 13. *Quis consiliarius* (non tantum dator, sed etiam conscius, consilii) *eius fuit?* Octo libros pulcherrimos scripsit Salvian. de providentia Dei. Duobus libris primis docet a Deo gubernari omnia: sex aliis probat rectam esse et sapientissimam hanc gubernationem, ac præcipue in punitione Christianorum per barbaros ob admissa scelera, lib. 3. cap. 1. impenetrabilitatem divinorum, et obscuritatem sic profitetur. *Qua de causa*, inquit, *Deus hæc de quibus loquimur, ita faciat, volo a me requires. Homo sum, non intelligo secreta Dei, investigare non audeo, et ideo etiam attentare formido: quia et hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias quam sinaris.* Et lib. 8. c. 1. contra eos acerrime invehitur, qui dicere audent gubernationem Dei non esse iustam. *Cum*, ait, *eum incuriosum, et negligentem, resque humanas, aut non ex iudicio gubernare; aut etiam nec gubernare blasphement: quid aliud utique Deum, quam inertiæ, et abusionis, et iniquitatis accusant? O humanæ insipientiæ cæcitatem! o insanæ temeritatis furorem! Deum ergo, o homo, incuriosum, ac negligentem vocas. Si quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, iniuriarum insolentium reus esses, certe si illustriorem quempiam ac sublimiorem, etiam censuram iuris publici sustineres. Pupillis enim vel maxime prodigis hæc obiiciantur approbria, perditorum hoc adolescentium speciale convitium est, ut abusores scilicet, et incuriosi ac negligentes rerum suarum esse dicantur. O sacrilegæ voces! o profanæ dicacitates! Deum ergo hoc esse dicimus, quod etiam inter homines nonnisi perditissimos nuncupamus.*

Alleg. Cassiodorus. *Deus meus impolluta via eius.* Hoc, inquit, ad Incarnationem pertinet Verbi, quam constat 125. Allegor.

pollutionem non habuisse peccati. Et Euth. De Salvatore nostro inquit, est sermo, qui per viam bene ambulans peccatum non fecit. Ioann. 14. 6. ait Christus: *Ego sum via, veritas, et vita.* Quod expendens S. August. serm. 55. de verbis Domini, ait: *Quo vis ire? ego sum via: quo vis ire? ego sum veritas. Ubi vis permanere? ego sum vita. Veritatem et vitam omnis homo capit: etiam Philosophi Deum esse vitam quamdam et veritatem viderunt, viam non omnis invenit. Verbum ergo Dei, quod apud Patrem est veritas et vita, assumendo hominem factum est via: ambula per hominem, et pervenies ad Deum, melius est in via claudicare, quam præter viam fortiter ambulare.* Nihil est quod timeamus Christo nostro inhærentes. Ut enim ait, S. Hilarius lib. de Essentia Patris et Filii. *Nec ducit*, inquit, *per erratica, quia est via; nec illudit per falso, quia est veritas: nec in mortis horrore relinquit, quia est vita. Si via, duce alio non indigetis. Si veritas, non loquor falsa. Si vita, etiam morientes ad me venietis.*

126. Tropol. Tropol. viam Dei accipe, et qua ad nos venit, et qua ad illum pergimus. De prima sumit Lombardus: *Via Dei, ait, est impolluta: id est, non incedit nisi per mundam viam: quia non venit ad homines, nisi mundent viam fidei, qua veniat, quia impolluta est via eius. Unde Isaiæ 40. 3. Parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri. Et alibi clamat Propheta, cap. 62. Eligite lapides de plateis. Inde est quod in præcipuis solemnitatibus templa manufacta mundantur et ornantur, ut magnus Sacerdos cum processione intret; ita et tu adorna thalamum mentis, ut æternus Sacerdos cum plenitudine gratiarum ad te introeat, teque paulatim procedere de virtute in virtutem faciat.* De secunda dicit Euthymius: Via Dei virtus est quæ ad Deum ducit. Oportet igitur irreprehensibiles illos esse, qui per viam istam incessuri sunt.

Secundo, Deum in exercitu præliantem contra mundum, carnem, et dæmonem, sequitur dux alter: nempe,
Vers. 31. 2. Pars. veracitas seu fidelitas in promissis v. 3. ELOQUIA DOMINI
127. IGNE EXAMINATA, id est purgata, et ab omni scoria et
Verax faece mendacii emundata, q. d. sunt purissima et since-
est Deus rissima. De lege Dei explicat Chaldæus, qui vertit: *Lex Domini electa.* Melius ad omne eius promissum et verbum extendes cum Symmacho, qui reddit: *Locutio Domini probata.* Arabs quoque: *In semitis Dei non est hæsitatio. Eloquium Domini probatum.*

Alludit David ad Deum, seu Angelum eius Vicarium, loquentem ad populo et Mosi ex medio igne, tum in rubo ardenti Exod. 3. 4. tum præsertim in monte Sinai, cap. 19. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* De medio igne loquitur primo, ut amorem suum ardentissimum declararet. Unde decalogum incepit his verbis: *Diliges Dominum.* Secundo, ut zelum suum denotaret et fervorem necessarium servis suis. Tertio, ut rigorem punitionis intentaret impiis legum suarum transgressoribus. Quarto, ut puritatem atque sinceritatem verborum suorum ostenderet. Dicit Paulus 1. Corinth. 1. 9. *Fidelis* (id est constans et verax) *Deus, per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi.* Hæc est via eius impolluta et viæ terminus: nempe communio fidei, gratiæ et gloriæ Christi, quæ habetur in Ecclesia. Illa fidelitas eum in acie sequitur, ne patiatur milites suos aut numero, aut viribus, aut insidiis ac vafritie hostium obrui aut circumveniri. Ibidem cap. 10. 13. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Unde patet in omni tentatione dari a Deo auxilium sufficiens. Ut enim ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis.* S. August. in Ps. 144. 13. ea verba meditans, *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Allevat* (S. Hieron. sustentat) *Dominus omnes qui corruunt* (omnes nutantes et casuros sine eius gratia) *et erigit omnes elisos*, ait, nos habere sacram Scripturam *quasi chirographum Dei*, quod omnes transeuntes legant, *et viam promissionis eius tenent.* Illa est via sine macula, et per eam ambulat Deus purissimus, de quo Apoc. 1. 15. *Pedes eius similes aurichalco*, (id est æri, quod colorem habet aureum) *sicut in camino ardenti.* Id est, aurichalco calenti, candenti, coruscanti, scintillanti et urenti obvia. Omnia expurgat et accendit Christus, ubi pedem suum ponit. Pedes Christi mystice sunt Apostoli orbem decurrentes, et illustrantes, et mentis robore adversa tolerantes. Quomodo verba Dei sint argento similia per ignem purgato dixi Psal. 11. 7. satis fuse.

Symbolice, Ioannes a Postura Monasterii Gemblacensis Prior. Eloquia, inquit, Domini, id est Christi, sunt igne sancti Spiritus examinata: id est præcepta eius sunt adeo munda, ut nullis confusionibus adulterari possint. Secundo, S. Augustinus et Lombard. dicunt esse examinata, id est probata igne tribulationum. Unde S. Chrysostomus in Ps. 9. docet non dari a Deo auxilium otiosis et animo deficientibus, sed iis qui fortiter pugnant in adversis: *Ita*, inquit, *Iobo latum est auxilium stanti, et fortiter dimicanti: ita etiam Apostolis pulchre laborantibus.* Et magis ad rem nostram affert exemplum trium puerorum, quos Deus adiuvit in media fornace Babylonica.

Tertio, Benignitas etiam Dei medias acies penetrat, ut vulneratos sanet, fatigatos roboret, trepidos animet et recreet, omnibus fiat omnia in omnes se facies convertens, ac sperantibus in se clypeum obtendens, quem nulla hostium tela penetrent, v. eod. 31. PROTECTOR, (Syrus adiuvans. Arabs salvans. Hebr. et Chald. clypeus. Sept. ὑπερασπιστὴς, id est hyperaspistes, qui clypeum et arma prægestat.) EST OMNIUM (nemo excluditur) SPERANTIUM IN SE. Eccl. 2. 11. et seq. ait Siracides: *Respicite filii nationes hominum* (Cornel. ἀρχαίας γενεὰς, id est antiquas generationes, hoc est homines per continuas generationes sibi diversis sæculis succedentes. Natio enim, ut ait Festus, est genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt) *et scitote, quia* (quod) *nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius* (Græce in timore eius. Hic dat constantiam et fervorem) *et derelictus est? quis invocavit eum, et despexerit illum? Quoniam pius* (ut Pater nos respicit. Septuaginta οἰκτίρμων, id est, clemens) *et misericors.* (codices Complutenses addunt μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, id est longanimis, et multæ miserationis) *est Dominus. Et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se in veritate:* id est corde simplici, vero, sincero: unde subdit: Væ duplici corde.

Nota, Deus est clypeus aptatissimus iustorum. Primo, 128.
quia semper est illis præsens. Secundo, quia eos ex omni Clypeus
parte circumdat. Tertio, quia circumdatos protegit. Quar- bonorum
to, quia est impenetrabilis omni telo. Unde Salvianus lib. est Deus
2. de Provid. eos acriter reprehendit, qui Deum semper, et quomodo.
nobis præsentem negant nostri curam gerere. *Tu eum*, inquit, o *ingratissime homo, qui sine cessatione nobiscum est, nec curam, nec respectum nostri habere dicis? Quid facit ergo nobiscum? Numquid ergo ad hoc nobiscum est, ut non respiciat et negligat? Et quomodo sibi utrumque convenit, ut qui pietati præstat præsentiam, impietati tribuat incuriam? Ecce enim, inquit, Matth. 28. 20. vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Præclare scilicet affectum Dei interpretamur, si nos calumniamur ab eo negligi, cum ille nos a se testetur iugiter non relinqui. Ille per hoc ostendere voluit, quod a nobis affectu et protectione iugiter non discederet, quia a nobis etiam præsentia non abesset: nos in contemptum nostri divinam vertimus charitatem, nos amoris testimonia in odii argumenta mutamus. Hoc enim quod præsentem se esse dicit, odii magis testimonium esse volumus, quam amoris. Nam si absentem se Dominus futurum esse dixisset, minus causari fortiton de incuria poteramus absentiæ. Maioris contemptus res est atque fastidii, si nos iugiter negligit, qui a nobis iugiter non recedit: et plus in se odii nostri habet, si ad hoc semper nobiscum permanet, ut qui nos præsentia numquam deserit, semper repudiet affectu.*

Ad infideles ablegandus est, qui in Deo non speret; ut

enim ait S. August. in psal. nostr. *Spes sequitur fidem:* atque David ait Ps. 9. 11. *Et sperent* (Hebr. sperabunt. Aquila et Symmachus πεποιθήσονται, id est, magnam fiduciam habebunt) *in te qui noverunt nomen tuum* (hoc est te. Metonymice nomen sæpe ponitur pro re cuius est nomen; 2. nomen Dei, a dando dicitur; 3. nomen omnipotentis, et cap. 4. nomen Iesu, ut ait S. Thom. et Valentia. Illud vocat S. Bern. serm. 15. in Cant. nomen adiutorii,) *quoniam non dereliquisti* (Psalt. Roman. non dereliquis. Psalt. Ambros. non derelinques. Itaque nullo tempore relinquit) *quærentes te Domine*. Ibi sic spem in Deum extollit S. Chrysost. Qui te, ait, noverunt et auxilium ne defensionem tuam satis validam, habent anchoram, spem quam in te habent, satis validum auxilium, et πύργον ἄρραγον, *Turrim infractam*, eum, qui non solum pollicetur liberationem a malis, sed ne præsentibus quidem difficultatibus perturbari permittit. Qui enim liberatus est ab humanis, et a superna spe dependet, non solum non asciscit sibi celerrimam a malis liberationem: sed ne in ipsis quidem malis vexatur et perturbatur, ut B cui ferat auxilium spes illius anchoræ. Ita S. Chrys.

Spes in Deum firmissima in S. Carolo Borromæo apparuit, eum nihil timens Deo fretus aggressus est reformationem quorumdam sceleratorum, quorum unus in domestico sacello eum tota familia precibus vacantem sclopo petiit ad necem, sed excussa pila evidenti miraculo defluxit ad pedes. Nec vitam tantum, sed etiam bona servorum suorum custodit Deus, ut in ovibus et capris S. Spiridionis videre est in eius vita, 14. Decembr.

Nota secundo, Sicut Dei eloquia ignita sunt, ita clypeus eius est ignitus. Proverb. 30. 5. *Omnis sermo Dei ignitus* (ecce eloquia igne examinata) *Clypeus est omnibus sperantibus in se.* Clypeus est primo ipse Deus: secundo, sermo eius. Salonius in illum locum ait, *Omnis sermo divinæ auctoritatis, idcirco igneus clypeus dicitur, quia corda Electorum, qui spem suam in Deo ponunt, 1. et igne charitatis accendit; 2. et scientia veritatis illuminat; 3. et sordes vitiorum, quas in eis reperit, consumit et purgat; 4. ac ab* C *insidiis hostium, cunctisque defendit adversitatibus.*

Quarto, Dux quartus, Deo astans in exercitu, est eius Potentia, qua omnia pervadit et perrumpit hostium agmi-
Vers 32 na. v. 32. QUONIAM QUIS DEUS PRÆTER DOMINUM? AUT QUIS DEUS PRÆTER DEUM NOSTRUM.

129. Unde quinque discrimus. I. Dei esse unum essentiam. Ex his verbis, disces primo, esse tantum unum Deum, cui omnes servire et obedire debeant. Sic Ps. 85. 10. dicit Propheta noster. *Omnes gentes quascumque* (S. Hier. quotquot) *fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: tu es Deus solus.* Recte dixit Tertullianus lib. 1. in Marcion. cap. 3. Deus si non unus est, non est. S. Thom. 1. p. q. 11. artic. 3. probat Deum esse unum: Primo, ab eius simplicitate. Secundo, ex infinitate eius perfectionis. Si enim essent plures dii, oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri: et sic ille in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus. Tertio, ab unitate mundi. Artic. autem 4. probat Deum esse maxime unum, quin est maxime ens, et maxime in- D divisum. Nam non est compositus, neque ex materia, et forma, neque ex substantia et accidente, neque ex essentia, et existentia, neque ex genere et differentia.

130 II Esse trinitatem in personis. Secundo, hic non tantum unitas Dei, sed etiam trinitas indicatur, ut S. Hier. et Dionysius in Catena advertunt, ad extremum, ait Genebrardus, dicitur, *Præter elohenu*, id est, præter Deos sive iudices nostros: hoc est Patrem, Filium. et Spiritum sanctum, quorum unusquisque Deus est iudex noster. Nam *Elohim*, est etiam appellativum, ut proinde et de Angelis et de Magistratibus enuntietur. In hoc versu sunt quatuor divina nomina, unum proprium, tria appellativa. Ita Genebr. proprium nomen Dei est *Iehova*, quod non recte ipse pronunciat *Iahueh*, appellativa sunt *Eloha, sur, et Elohim*. In Deo est una essentia, tres personæ. Cognitionem Trinitatis in rebus naturalibus adumbratam, in lege veteri, a paganis aliquantum habitam, docet noster Garassus lib. 2. summæ Theol. sect. 4. et seq.

Tertio, hic etiam apparet Deum esse supremum Iudicem. *Quis Deus* (Hebr. אלוה *Eloha*, id est, Iudex,) *præter Dominum?* Sap. 12. v. 12. et seq. hoc de Deo fuse prædicat. *Quis enim dicet tibi*, (quasi superior rationem exigens,) *quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum*, (Græc. quis resistet iudicio tuo?) *aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit*, (Græc. quis vero accusabit te?) *Si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus quam tu, etc.* Ex hac Dei unitate sequitur etiam eius suprema potestas iudicandi et puniendi. 131. III. Deum esse supremum iudicem

Quarto, summum Dei dominium etiam profitetur Propheta: *Quis Deus præter Dominum?* Nomen illi Dominus, cæteri servi sunt et mancipia, ne iumenta apud eum et coram eo: sedet super Cherubim, et nutabit super pennas ventorum, in throno sedet stantibus, et se incurvantibus Seraphim coram eo. Hoc Dei nomen aperit David Ps. 82. 19. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus*, (et quidem ut habetur Ps. 42. 2. Magnus Dominus) *tu solus Altissimus in omni terra.* Chald. super omnes habitatores terræ. Ibi S. August. Cognoscant, inquit, quia nomen tibi Dominus, tamquam nec vero, nec suo nomine nuncupentur, quicumque alii Domini nominantur, quoniam serviliter dominantur, et vero Domino comparati nec Domini sunt, sicut scriptum est Exod. 3. v. 14. *Ego sum qui sum:* tamquam non sint ea quæ facta sunt. Ita August. 132. IV. Esse supremum Dominum.

Quinto, Dei potentia hic declaratur. *Aut quis Deus* (S. Hier. et quis fortis. Syr. potens. Heb. צור *ghud* id est, petra, rupes, munitio, arx, basis, centrum, fortis, potens) *præter Deum nostrum?* ei comparati cæteri fortes, sunt calamus confractus et inutilis, Eccl. 1. 8. *Unus est altissimus Creator omnipotens, et Rex potens, et metuendus nimis, sedens super thronum illius.* Græce, αὐτῆς, id est, suum. S. Bern. lib. 5. de Consid. ad Eugenium. Quid est Deus? inquit, voluntas omnipotens, etc. S. Anselmus in Monologio. Deus, ait, est summa essentia, et summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immutabilitas, summa incorruptibilitas, summa immortalitas, summa beatitudo, summa æternitas, *summa potestas, summa unitas:* Arabs vertit, *unus est metuendus solus ipse Deus, dominans universis thesauris illius.* S. Xaverius in Iaponia disputans contra Firacondonum Bonzium sua pertinaciter tuentem, dicebat: Quemadmodum una in domo unus est paterfamilias, *unus in regno Rex:* ita in hac quasi magna domo, magnoque mundi regno, unum necesse est esse parentem, unum Principem esse. Sic Nicol. Orlandin. lib. 11. hist. Soc. num. 124. 133. V Esse potentem Regem.

Psal. 134. 5. et Dominum et potentem prædicat Deum David. *Ego cognovi* (S. Hieron. *scio*, etiam per demonstrationem naturalem Deus cognosci potest, et suprema eius maiestas atque dominium) *quod magnus est Dominus, et Deus* (S. Hieron. dominator) *noster præ omnibus diis.* Ibi Ugo notat Deum esse magnum immensitate, potestate, sapientia, bonitate, fortitudine, iudicio, iustitia. Addere potes omnia alia attributa. Et S. Chrysost. vidisti, inquit, potentiam cui nihil omnino deest. Vidisti, πηγὴν ζωῆς, fontem vitæ? vidisti, ἰσχὺν ἄμαχον, vires inexpugnabiles? Vidisti excellentiam omnino incomparabilem? Vidisti potestatem, quæ nullo modo prohibetur? Vidisti ei omnia expedita et facilia? Ita ipse Lucifero in Deum rebellanti ait S. Michael: *Quis ut Deus?* eiusque superbiam contudit. Inde nomen ei factum: Michael enim idem est atque, quis ut Deus. Machabæi etiam id nominis habuerunt a literis quæ in vexillis suis militaribus præferebant, nempe מי כמוך id est, *mi*, quis, *camocha*, sicut tu, באלים *Baelim*, in fortibus, יהוה *Iehova*, seu אדני *Adonai*, Domine; Exod. 15. 17. id dicit Deo Moses, *Quis similis tui in fortibus*, (Sept. *in diis*, אל *El* Deum et fortem significat) *Domine?* Symm. reddit. Neque in sanctitate, neque in potestatibus quispiam æquiparandus est tibi. Etymologiam nominis Machabæorum sic referunt R.

Isaac Ben Hoie, et Reuchlinus lib. 3. cabalæ. Alii deducunt a מכבי *machabbe*, id est extinguens, hostes scilicet, et eorum ardentem impetum. Quantum effecerint illo sacro Labaro Iudas, Simon et Ionathas Machabæi. Vide lib. 1. et 2. Machab.

134. Allegor. Allegorice de Christo hæc expone cum R. David, est enim ipse Dominus et Deus, unde S. Thomas en viso et palpato in Resurrectione exclamat Ioann. 20. 28. *Dominus meus, et Deus meus.* Chald. in psalmo nostro vertit, Quoniam propter miraculum et redemptionem quæ facies Christo tuo et reliquiis populi tui, laudes dicent omnes nationes, populi et linguæ: et dicent: Non est Deus nisi Dominus. Non est nisi tu: populus autem tuus domus Israel dicet. *Non est fortis nisi Deus noster.* Ita Chaldæus. Ubi in hac duplici interrogatione indicari vult et Gentiles et Iudæos ad Messiam fide accessuros, eumque veneraturos, ut Deum summum.

ARTICULUS II.

Deus milites suos iuvat ante pugnam, in pugna, et post pugnam.

Ante pugnam, primo arma accipienda sunt ac præsertim Baltheus, ex quo gladius pendeat. *Illa* sibi a
Vers. 33. I Pars Deo data esse ait, David v. 33. Deus qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam. Nota Hebr. חיל *chail*, duo significat. Primo cœtum, et exercitum, in quo sunt strenui: ad differentiam גדוד *ghedud*, id est, multitudinis latrunculorum ad excursiones tantum, et populationes instructorum. Secundo, gene-
135. raliter pro robore sumitur, tum militari, tum alio. Græcenm etiam δύναμις, et latinum *virtus*, robur ac fortitudinem, et præterea exercitum significat. Unde dicitur *Deus virtutum*, id est exercituum, δυνάμεων, Ps. 23. 10. et 58. 6. ac. 68. 7.

136. Præcingit servos suos Deus dupliciter. I. Extrinseca custodia. Primo itaque, vertere aliquis possit, *Deus qui præcinxit me exercitu.* Sic Elisæus Propheta in urbe Dothan a Syris obsessus, vidit montem plenum equorum et curruum igneorum in circuitu suo, et ostendit Giezi puero suo trepidanti. 4. Reg. 6. 17. Iacob etiam Patriarcha rediens cum uxoribus, liberis et gregibus ex Mesopotamia et domo Laban soceri sui ac timens fratrem suum Esau, habuit obvios Angelos Dei: quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc: et appellavit nomen loci illius, מחנים *machanaim*, id est castra, seu binæ acies, est enim duale. Tostatus opinatur fuisse Angelos custodes Syriæ et Chananitidis. Isaias cap. 62. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes*, id est, Prælatos et Concionatores, ut S. Hieron. et S. Cyrillus volunt: Angelos Ecclesiæ et fidelium custodes, ut S. Hieron. et S. Bern. serm. 4. de Dedicat. Eccles. Angelos urbis tutelares, ut Tostatus. Vide lib. 2. Machab. cap. 11. auxilium Angelorum datum exercitui Iudæ Machabæi contra Lysiam in Iudæam irrumpentem cum octoginta militum millibus, et equitatu universo, atque octoginta elephantis.

II. Intrinsecus robore. Secundo, melius explica de robore interno a Deo dato ad fortiter ac generose pugnandum. Chald. *Deus qui accingit me cingulo in virtute.* S. Hieron. Deus qui accingit me fortitudine. Sept. περιζωννύων με δύναμιν. Sic Deus Ps. 64. 7. dicitur, *accinctus potentia.* Ubi S. Hieron. vertit, fortitudine: et Chald. accingens se cingulo in robore; et Ps. 92. 1. *Indutus est fortitudinem, et præcinxit se.* Psalt. Rom. habet, et præcinxit se virtute, Ambros. virtutem. Psalt. 54. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Chald. sicut fortis, quo interficias reges eum potentibus splendore tuo et gloria tua.

137. Tropol. Præcingitur mens contra tentationes, ob tres rationes. Tropologice. Mens nostra contra tentationes præcingitur, primo, ut sit fortis, nec succumbat hostibus. Luc. 24. 49. *Sedete in civitate quoadusque induamini virtute*, (δύναμιν, id est, vi et robore: nempe Spiritu sancto) *ex alto*, id est, e cælo. Sitis in Ierusalem, hoc est in visione pacis, nolite exire ad bellum, sed in civitate, id est civium ac fidelium piorumque unitate, perstate, donec vestiami-

A ni lorica virtutum, et sic possitis cum hoste congredi. I. Ut sit fortis.
Non patitur dux inermes milites in aciem prodire. S. Gregorius 3. p. Pastoralis admonit. 26. *In civitate*, inquit, *considemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur: ut, cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus.* Proverb. 31. 17. de muliere, id est anima, forti, dicitur: *Accinxit fortitudine* (Hebr. in fortitudine) *lumbos suos.* Aquila et Theodor. τὸν ὦμον id est humerum, armum, dorsum. Propter quatuor præcingimur, primo ad iter: secundo, ad opus: tertio, ad ministerium: quarto, ad bellum. S. Aug. in Ps. 92. Succingi, cingi, accingi, præcingi sic distinguit: *Succingi est iter aggressuri: cingi, operis quippiam facturi, accingi, præliaturi: præcingi, ministraturi.* Græci ζώννυν, vocant fortem et strenuum. Et Tullius id præcepti Oratori dat, Aretiori, inquit, cingulo latera cingat, ut ea ad dicendum sint firmiora et fortiora. Hinc postea dicit Rex noster, v. 40. Ps. nostri: *Præcinxisti me virtute* (S. Hieron. for-
B titudine) *ad bellum* (quid est inde consequens) *et supplantasti* (S. Hieron. incurvasti. Chald. confregisti. Leot. συνεπόδισας, id est, illaqueasti, impedivisti, implicasti compedibus) *insurgentes in me subtus me.* Et vero qui resistat præcincto manu Dei et armis eius? Omen victoriæ sumpsit Clodovæus Francorum primus Rex Christianus, ex illo versu. Cum enim contra Alaricum Regem Gothorum pugnaturus, munera S. Martino Franciæ tutelari misisset, præcepit ut ingressi templum eius, observarent quæ futuri belli eventus præbere coniecturam valerent. Audiunt illi, limen subeuntes templi, canentes ex psalmo nostro, *Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me.* Non fuisse vanum omen ostendit victoria de Gothis hostibus, cæso Alarico Rege manu ipsius Clodovæi in singulari certamine dum acies inter se confligerent.

Secundo, cingulum est symbolum diligentiæ, strenuitatis et alacritatis. Qui enim cinctus est, expeditior est II. Ut sit diligens et strenua.
C ad conficiendum quod vult. Habacuc 3. 16. *Ut ascendam ad populum accinctum nostrum*, id est, ut abeam ad sanctos Patriarchas, Prophetas, aliosque, qui iam in fasciculo viventium collecti sunt et colligati; 2. ad rem nostram, sancti sunt populus accinctus seu præcinctus, quia alacriter viam mandatorum Dei decurrerunt. De Elia dicitur 4. Reg. 1. 8. *Vir pilosus* (id est intonsa barba et capillis, ac vestitu hispido et piloso: nempe melote, hoc est pelle ovina vel caprina intonsa utens) *et zona pellicea accinctus*, id est, corio adhuc piloso et villoso. Fervor Eliæ notus est; de eo etiam habetur post miraculum ignis in victimam deiecti in monte Carmelo, et pluviæ obtentæ, lib. 3. 18. 46. *Accinctis lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.* Nobis currendum est donec veniamus in Iezrahel, id est, *aspersionem Pastoris Dei*, quæ in cælo habebitur rore perpetuo Sanctos recreante. Iezrahel etiam significat *semen Dei*, id est Sanctos: donec illis aggregemur, curramus et non respiciamus retro. Via longa adhuc restat, licet sis Angelus, præcinge
D te. Tob. 5. v. 5. *Tobias invenit iuvenem splendidum, stantem, præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum*, erat Angelus Raphael qui se Azariam, id est, auxilium Dei, nominabat. Præcinctus erat, ut Tobiam moneret, ut se quoque succingeret, et comitem viæ alacriter præberet. Sic alius Angelus dixit Petro in carcere constituto, et a catenis soluto Act. 12. 8. *Præcingere et calcea te caligas* (id est sandalia seu calceos) *tuas.* Iubetur vestem præcingere: quia Iudæi longas gerebant vestes, quas ituri vel operaturi cingebant, ut nunc faciunt Turcæ, Sinæ, et multi Orientales.

Tertio, cingulum est symbolum castitatis. Sic de muliere forti dicitur Prov. 31. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Quod de mortificatione carnis et castitate explicant Salonius et S. August. serm. 45. ac S. Gregor. in illud Luc. 12. 35. Sint lumbi vestri præcincti, ait: *Tunc lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* Et lib. 32. Moral. cap. 2. *Lumbos car-* III. Ut sit casta.

nis succingere est luxuriam ab effectu refrænare: Lumbos vero mentis succingere, est hanc etiam a cogitatione restringere. Ratio est, quia in lumbis est origo seminis et luxuriæ. Hoc bellum est vehemens et intestinum: ibi necesse est a Deo ipso succingi: quia ut ait Salomon Sap. 8. 21. *Scivi*, (facile est habere demonstrationem in ea re) *quoniam aliter non possem esse* (Græce, aliter non ero: Noster significantius ait, non possem esse) *continens* (ἐγκρατὴς, id est castus) *nisi Deus det.* S. Chrysolog. Episcop. Raven. ad psalmi nostri locum aptissime dicit, debere nos præcingi castitate, ut immaculata et expedita sit via nostra ad Deum. *Cincti*, ait, *castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ fluxæ carnis detruncemus ignaviam. Dominus lumbos nostros astringi iubet baltheo castitatis, et totum carnis nostræ pendulum, fluidum, resolutum, confringi mandat continua zona virtutis, ut carne succincta ad Domini occursum, liber, velox, expeditus nostræ mentis reddatur incessus.* S. Thomæ Aquinati et aliis donum castitatis datum est, lumbis succinctis ab Angelis.

Præcinctis viam complanat Deus, et facilem reddit, v.
Vers. 33. 2. Pars. 138. Viam iusto complanat Deus. eodem 33. Et posuit immaculatam (Hebr. תמים *tamim*, id est perfectam, ut vertit Aquila, et Pagn.) viam meam; Arabs semitas meas; in lib. 2. Reg. 22. 33. Noster vertit, *complanavit perfectam viam meam.* Septuag. reddunt, *Et posuit viam meam* ἄμωμον, id est, irreprehensibilem, seu in qua nihil est quod reprehendatur, ubi omnia sunt recta, plana, munda, facilia, expedita q. d. Viam fecit mihi non lubricam, non lutosam, non præcipitiis intercisam, obscuram sylvis, interruptam arte hostium. Crucius noster sic exprimit: *Nunc aperit sine fraude vias.* Et Arias, *Instravitque viam mihi firmam.*

Montes recisi ad agendum iter Si potuit Semiramis per apertos ferro montes viam longam et latam ducere, et Romani prope Neapolim, et Annibal Alpes transire cæsa, incensa et aceto putrefacta rupe, non potuit Deus S. Ludovico prope Cyprum rupem obiectam aperire oranti ante SS. Sacramentum? non potuit Balduini exercitum per Angelos e loco periculoso explicare, et alios servos suos incolumes præstare?

139. Alleg. Allegorice Christus adventu suo fecit prava in directa, et aspera in vias planas. Isaiæ 40. 4. Et cap. 35. 8. *Et erit semita et via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus* (id est peccator, et gentilis in sceleribus et infidelitate manens) *Et hæc erit nobis directa via, ita ut stulti non errent per eam*, (id est rudes et imperiti: quia lucem habebunt fidei et doctores) *mala bestia (dæmon et peccatum) non transibit per eam*, cum victoria et triumpho, neque ibi habitabit velut in domo sua: in Idumæa vero, id est extra Ecclesiam, (quæ est Iudæa, id est laudans Deum,) erunt onocrotali et variæ malæ bestiæ, ut dixerat cap. 34. 11. et seq. Castitatis præsertim viam immaculatam amat Agnus, qui pascitur inter lilia, et est candidus. Hinc Christianos castos et pudicos servat ut Alphonsum castum in Hispania, S. Eduardum in Anglia. Contra vero, hircos caprarum deiicit, et hædos proterit. Salvianus lib. 7. de provid. cap. 2. probat causam ruinæ Romani Imperii fuisse corruptionem morum ac præsertim luxuriam. Ea de re egi Ps. 3. art. 4. ubi id de omnibus Imperiis probavi. Lege Caussinum nostrum tom. 2. Curiæ sanctæ, tract. de Equite sect. 6. ubi ostendit, quantum amor inhonestus fugiendus sit viro nobili et bellicoso. S. Augustin. eo respexisse videtur pro omnibus, cum ait: *Deus præcinxit me virtute, ut sim fortis, ne diffluentes sinus cupiditatis impediant opera et gressus meos.*

140. Anagoge. Anagog. Viam Deus immaculatam sternet Sanctis suis in cælum euntibus, ut S. Benedicto. *Non intrabit in eam (Ierusalem cælestem) aliquod coinquinatum*, Apoc. 21. 27. Non modo pollutus, non transibit per eam, sed ne quidem transibit in eam civitatem. Reges sunt qui sunt in cælo: unde S. Dominicus de Silo visus est cælum petere triplici corona decoratus, Regem vero sordes non decent. Plateæ cælestis Ierusalem sunt *aurum mundum*, Apoc. 21. Itaque via est immaculata, et pedes, hoc est affectus vult immaculatos. S. August. in Ps. nostro: *Posuit Deus immaculatam viam charitatis* (est aurum mundum) *qua ad illum veniam: sicut immaculata est via fidei, qua venit ad me.* Et Beda serm. 18. de Sanctis: *Ad hanc igitur*, inquit, *operum salutarium palmam libenter ac prompte certemus, omnes in agone iustitiæ Deo et Christo spectante curramus: et qui sæculo et mundo maiores esse cœpimus, a cursu nostro nulla sæculi cupiditate retardemur. Si expeditos, si celeres in hoc operis agone, si currentes dies ultimus invenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator. Qui coronam in persecutione purpuream pro passione donavit, ipse in pace viventibus pro iustitiæ meritis dabit candidam.* Stolas dealbent in sanguine Agni, et in lacte fidei eius, qui ad coronas illas aspirant.

Via complanata, pedibus per eam in hostes pergendum
est alacriter atque generose, v. 34. Qui perfecit (Fe- Vers. 34. 141.
lix posuit. S. Augustin. perficit) pedes meos tamquam cervorum (S. Hieron. coæquans pedes meos cervis) et super excelsa (Felix, super excelsa mea) statuens me, Pssi. Vatican. statuit me. S. August. statuet. Pagn. et Chald. stare me faciet. *Excelsa* illa possis primo interpretari de montibus excelsis, ad quos se recipiebat David Saulem fugiens; sic Maro fugientem Turnum cervo comparat, lib. 12. Æneidos. Ad varios et altissimos montes secessit David in sua fuga. 1. Regum 24. 1. et sequ. *Ascendit ergo David inde* (ex deserto Maon, ubi etiam montem insederat, et decurrerat summo cum periculo) *et habitavit in locis tutissimis Engaddi. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David et viros eius, etiam super abruptissimas petras quæ solis ibicibus* (ibices sunt capræ sylvestres pernicitatis mirandæ, quamquam onerato capite vastis cornibus, ut ait Plinius lib. 8. cap. 53.) *perviæ sunt.* Sed non videtur hic esse mentio de fuga, sed potius de agili, et alacri, ac facili, et felici impressione in hostes, cum dicatur statim, qui docet manus meas ad prælium, et posuisti ut arcum æreum brachia mea. Secundo, *excelsa*, sunt qui Iudæam intelligant. Vocatur enim Deut. 32. 13. excelsa terra. Erat enim montosa. Eccl. 46. 11. excelsus terræ locus. Isai. 49. 11. montes et semitæ exaltatæ, cap. 55. 12. montes et colles. Sed neque hic per excelsa censeo Iudæam intelligi, quia non agitur hic de tempore, quo David erat exul Saule vivente, et eum persequente, q. d. In Iudæam me Deus tandem reducet. Tertio, *excelsa* possis interpretari de regno ipsi dando et fama illustri. Quarto, melius dixeris, *excelsa* sumi pro locis elevatis et situ munitis, in quibus acies hostilis, vel Philisthinorum, vel Moabitarum, aut Idumæorum erat, q. d. Licet hostes mei in montibus habitent, tamen ad eos evadam pari celeritate ac facilitate, quam si essem cervus libero cursu per montes exultans, victorque consistam in castris, arcibus et urbibus hostium excelsis, et situ suo ac munitione humanas vires contemnentibus, sed Deo me roborante dimico.

Celeritas porro duplex hic spectari potest. Primo, per- 142.
gendo in hostem. Secundo, illum vincendo. De prima di- Celeritas duplex iustorum.
cit Plato lib. 8. de Legibus, πάντων πολεμικώτατον, omnium rerum accommodatissimam ad bellum esse corporum a-
gilitatem, tum in pedibus, tum in manibus, et ad fugien- i.
dum, atque insequendum, et ad captandum et compre- In pugnando.
hendendum. In Libya qui cæteros cursu præcellerent, reges eligebantur, ut tradit Alexander lib. 4. cap. 23. ro-
bustissimi, in Media, ait Strabo lib. 11. ut cursus exer- Veloces regnabant in Lybia.
citationem ad bellum esse utilem probat Petrus Faber. 1. Agonist. cap. 2. Achillem Homerus cursus velocitate præstantem facit, et finxerunt alii in infantia eum sub Chirone enutritum medulla cervorum et leonum. Asael frater Ioabi laudatur 2. Regum 2. 18. quod esset cursor velocissimus, quasi unus de capreis (S. Bachiarius epist. de Lapsis legit, *sicut cervus*) quæ morantur in sylvis. Et Gadditæ qui iuverunt Davidem tempore fugæ suæ sub Saule 1. Paralip. 12. 8. sic describuntur: *Sed et de Gaddi*, (id est, de tribu Gad) *transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam: facies eorum quasi facies Leo-*

nis, et veloces quasi capreæ in *montibus*. De Camillæ Amazonitæ fictitia velocitate vide Virgil. lib. 7. Æneid. ubi ait, eam cursu ventos prævertere, per intactæ segetis summa gramina volare, nec cursu teneras aristas lædere, et per mare medium ferre iter, nec celeres plantas æquore tingere.

II. In vincendo. De secunda velocitate, nempe victoriæ, etiam locum hunc esse intelligendum pars postrema ostendit, *et super excelsa statuens me*, q. d. cito ad montis culmen perveniam deiectis hostibus, ibi positis vexillis meis et militibus. De Iulio Cæsare dicit Tullius in oratione pro M. Marcello, non posse quemquam disiunctissimas terras passibus citius peragrare, quam illius non cursibus, sed victoriis illustratæ sint. De victoria quidem in Pharnacem Mitridatis filium reportata scripsit ad Senatum, *veni, vidi, vici*. Carolus V. modestius parta victoria de Protestantibus in Germania, cum Ducem Saxoniæ Ioannem Fridericum cepit, at Ernestum Ducem Brunsvicensem, dixit: *Veni, vidi, Deus vicit*. Ut refert Spondanus tom. 3. Annalium, anno 1547. num. 11. David quoque de Philisthæis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Syris, Absalone, Seba, aliisque victoriam, et ut plurimum celerrime, reportavit. Alexander decem annis maximam Asiæ partem superavit. Unde Plutarchus orat. 2. de Fortuna Alexandri, ait, *ως σκηπτος απεκοψε τους αλλους, και διεφθειρε, in morem fulminis alios succidit ac perdidit*.

Nota, pro *cervorum*, Hebr. est אילות *aialot*, id est, *cervarum*, ut etiam Chald. Pagnin. et Moisius vertunt, Vatablus, Caiet. et alii. Cervæ enim sunt velociores maribus, quia cornibus non onerantur. Mares etiam soluti desiderio libidinis avide petunt pabula. Ubi se præpingues sensere, latebras quærunt. Secundo, cervæ solertia et prudentia excellunt: hinnulos ducentes in stabula, quo refugere debeant, condocefaciunt. Ut ait Aristot. lib. 5. Anim. cap. 29. et lib. 9. cap. 5. Saxum est arduum præruptumque, aditu unico, ibi si quis invadat, expectant ac repugnant, quamvis excornes. Tertio itaque maribus sunt animosiores et pugnaciores. Nam ut habet Plinius lib. 8. cap. 32. *Cornua mares habent, solique animalium omnibus annis stato veris tempore amittunt: ideo sub ipsa die quam maxime invia petunt. Latent amissis, velut inermes.* Etiam cornibus armati statim audito strepitu fugiunt, secunda semper aura, ut vestigia cum ipsis abeant. Arabs tamen et Felix vertunt etiam *cervorum*, ut Noster. Itaque sub nomine cervorum intellige item cervas, et vicissim. Hoc enim sæpe fit in nominibus animalium et volucrum, ut sub uno genere aliud quoque intelligatur. Obiter nota, quod refert Iulius Scaliger lib. 2. poetices cap. 4. In Gallia, inquit, cerva cum cornibus, nostris temporibus et visa et capta est, cuius etiamnum servatur caput.

143. Allegor. Christus velox fuit in omnibus. Alleg. Dionysius de Christo sic explicat, q. d. *Qui perfecit pedes meos*, id est, gressus et actus meos, *tamquam cervorum* videlicet ut velocissime et efficacissime operarer ac paterer in mundo, quicquid Patris voluntati complacuit, sicque sitirem hominum salutem in omni vita mea, quemadmodum cervus cursu lassatus cupit aquarum fluenta. *Et super excelsa*, id est, in cordibus hominum contemplativorum per spem in cælis erectorum, *statuens me*, id est, faciens me per gratiam talium corda inhabitare, sicut ait Apostolus Ephes. 3. 14. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, *Christum habitare per fidem in cordibus nostris*. Secundo, *super excelsa*, id est, super altitudinem omnium cælorum ad dexteram suam statuens me in die Ascensionis. Tertio, *super excelsa*, id est, in vertice universarum virtutum statuens me, concreando animæ meæ omnes virtutes perfectas. Ita Dionys.

Nephthalim cervo contatus est figura Christi. Genes. 49. 21. Iacob benedicens filium suum et tribum Nephthalim ait, *Nephthalim cervus* (Hebraice אליה *aiala*, id est, cerva) *emissus, et dans eloquia pulchritudinis*, id est, pulcherrima, ornatissima, facundissima, q. d. Sicut cervus e stabulo suo ac domo emissus et liber, in herbosa et fertili terra exultim ludit, ita etiam tribus Nephthali in sua sorte fertili exultabit, et sua urbanitate atque facundia omnes sibi conciliabit. S. Hieron. et Ambros. dicunt, Christum esse Nepthali, eumque instar cervi exilientis in virtute Spiritus Luc. 4. 14. iuxta Genezareth, qui lacus est in tribu Nephthali, alacriter perrupisse castra diaboli, nempe Pharisæorum et aliorum impiorum, et dedisse eloquia pulchritudinis, dicentem in suo Evangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, etc.* ibique collegisse Apostolos, qui hæc eloquia Evangelii pulcherrima toto orbe prædicarunt. Sallustius, et ex eo Vegetius lib. 1. cap. 9. scribit, Pompeium cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certasse. Sed Christus omnes omnino in omni virtute superavit, et præsertim charitate et ardore in agendo. Cant. 2. 8. ait Sponsa: *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Deinde v. 9. ostendit, cursum illum fuisse cum perspicacia et velocitate, v. 9. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Transilivit colles et montes, id est Angelos omnes, ut veniret ad nos per Incarnationem, et Nativitatem: transilivit etiam in vita et morte montes et colles, id est omnes Sanctos et eorum virtutes: transivit denique in Ascensione, evolans super omnes cælos, Angelos ac Sanctos.

Tropolog. Fervor et agilitas requiruntur in vita spirituali. Chald. vertit, *Ponit pedes meos agiles sicut cervorum, et in domo fortitudinis meæ stare me faciet.* S. Aug. sic exponit: Qui, ait. perficit amorem meum ad transcendenda spinosa et umbrosa implicamenta huius sæculi. Quod dilatans Ludolphus sic ait: *Qui perfecit, id est perfectos effecit pedes meos, id est amorem meum et animi affectus, quibus vado ad eum, et pedes meos corporales, scilicet operum meorum gressus, tamquam cervorum, hoc est ad currendum post eum et transiliendum omnia huius sæculi impedimenta agiles, et in bonorum operum cursu non deficientes: et super excelsa, id est in cælo statuens me corde, id est figens cordis mei intentionem in supernis, et collocans spem meam in cælestibus.* Charitas enim pennata est, et volat, aut celerrime currit instar cervi. Thomas a Kempis lib. 3. de Imitat. Christi c. 5. *Amans*, inquit, *volat, currit, et lætatur: Liber est, et non tenetur. Dat omnia pro omnibus, et habet omnia in omnibus: quia in uno super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit et procedit. Amor modum sæpe nescit, sed super omnem modum fervescit. Amor onus non sentit, laborem non reputat, plus affectat quam valet, de impossibilitate non causatur, quia cuncta sibi posse et licere arbitratur. Valet igitur ad omnia, et multa implet, et effectui mancipat, ubi non amans deficit et iacet.* Urget dilectus dilectam, ut festinet. Cantic. 2. 10. *En dilectus meus loquitur mihi: Surge* (Hebr. surge tibi) *propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Hebr. veni tibi, q. d. propera, tua res agitur: tibi, id est in tuum commodum, surgis et venis. Sed amor Sponsi acrius amantem stimulat, quam utilitas propria. S. Greg. in Cant. Propter fidem, inquit, Christus Sponsam suam amicam vocat: columbam, propter simplicitatem: formosam, propter operationem. Hanc itaque hortatur, ut surgat et veniat: quia dignum est, ut quicumque ad amorem Christi properat, caruis torporem quantum potest, abiiciat, et se ad æterna consequenda celeriter accingat. Ita Gregor. 144. Tropol. Fervor est necessarius.

Anagog. 8. August. *Super excelsa statuens me*, id est super cælestem habitationem figet intentionem meam, ut implear in omnem plenitudinem Dei. Cum S. Bernardo sermon. 2. de festo Sanctorum omnium, dicamus: *Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem toto aviditate curramus.* Eo præsertim spectabat Habacuc Propheta, cum clamabat cap. 3. 19. *Dominus fortitudo mea* (Hebr. *Iehova noster elohim*, id est, ait Cornelius, noster provisor, gubernator et rector, est, חילי *cheli*, id est, virtus mea, strenuitas mea, vigor meus, exercitus meus, vires meæ, robur meum) *et ponet pedes meos quasi cervorum,* 145. Anagog. Ad cælestem beatitudinem currendum est.

et super excelsa mea (id est, super iuga montium, et collium Iudææ; 2. super cælos, nihil enim nostrum est in terris, quas relinquere debemus,) *deducet me victor in psalmis canentem.* Ibi Remig. Deducet, inquit, me super excelsa mea. Ipse autem deducet me, quia hæc non mea virtus efficiet, sed eius gratia. Deducet autem me canentem victori, id est Christo triumphatori mortis et diaboli. Deducet ergo me super excelsa; hoc est, ad beatam supernæ civitatis frequentiam, quæ ex Angelis, et sanctis hominibus constat, ut illis admixtus atque coniunctus canam victori cum Angelis, gloria in excelsis Deo. Hæc ille: quia in Hebræo textu est, deducet me victori.

Meaus præcipue instruit Deus, et brachia roborat. Un-
Vers 35. de additur v. 35. QUI DOCET MANUS MEAS AD PRÆLIUM,
146. ET POSUISTI (est enallage personæ: quia sæpe Deum alloquitur in tertia persona ad maiorem reverentiam, deinde redit ad secundam, ut in hoc psalmo videre potes) UT ARCUM ÆREUM BRACHIA MEA, id est, infatigabilem fortitudinem meam, ait Hugo, q. d. tu Domine insigne robur brachiis meis contulisti, et effecisti ea similia æreo arcui: quia fecisti ea ad feriendum et iaciendum fortia, ad læsionem suscipiendam dura ac talia quæ nullis possent frangi aut fatigari laboribus. Ita Iansenius: et quidem brachia distenta arcum referunt. *Ærea*, id est, fortia, brachia David fuisse, necesse est, de quo ait Siracides Eccles. 47. 3. *Cum Leonibus lusit*, (id est, certavit, sed velut ludens et facile eos prosternens et suffocans,) *quasi cum agnis*, (Græce, et Syr. cum hædis) *et in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in iuventute sua*, id est, cum esset pastor in sua adolescentia. Arabs vertit, ut gigas in adolescentia sua. Hoc sæpius contigisse colligunt Abulensis et Sanchez in cap. 1. Regum 17. 34. ubi David hoc Regi Sauli narrat, ut facultatem pugnandi cum Golietho impetret.

Nota secundo. Nunc corruptum esse textum Hebraicum. Nam pro נתתה *natatta*, id est, dedisti, posuisti, habetur נחתה *nichata*, id est, conteritur seu contritus est. Unde Paguinus et Vatablus vertit, *conteretur* (Arias conteritur. Felix, et Caietanus contritus est) *arcus æreus brachiis meis*, q. d. ait Campensis. Docuit manus meas arma tractare sic ut frangere potuerim brachiis meis arcum etiam ferreum. Notabile est quod in lib. 2. Regum 22. 35. ubi S. Hieron. et noster vertit *componens* quasi arcum æreum brachia mea. Septuag. vertere καταξας τοξον χαλκυν επι βραχιονας μυ, id est, *confringens*, seu inflectens, *arcum æreum per brachio meo*, q. d. tam fortia mihi brachia dedisti, ut possem ad libitum adducere, flectere aut frangere arcus quoslibet, licet ferreos, æreos aut chalybeos. Itaque utraque versio pene eumdem sensum facit. Qui enim potest æreum arcum confringere, ærea habeat brachia necesse est.

147. Æris usus frequens olim. Nota secundo, æris olim usum quam ferri frequentiorem fuisse tradit Pausanias in Laconicis, Homerum citans, cuius interpres Eustathius in Iliad. Idem observat, et S. Isidor. lib. 16. Etymolog. cap. 19. Utebantur veteres temperatura, qua densabant æs, ut Tzetzes notat in Hesiodum. Reprehendit Genebrardus interpretantes ærcum chalybeum: quoniam omnia fere olim ex ære fabricabantur, enses, tibialia, etc. ut apud Athenæum testis est Alcæus, et quod adeo sæpe χαλκεα τευχεα, id est ærea arma, cognominent Hesiodus, Homerus, aliique: μελας γαρ ουκ εσκε σιδηρος, nigrum enim non erat ferrum, ait Hesiodus, cuius interpretes Proclus et Tzetzes id ipsum confirmant. Probat id præterea Genebrardus, quod in tabernaculi templique rebus ærea omnia erant instrumenta, etiam clavi, paxilli, mallei, et quia scriptum est 3. Regum 6. v. 7. malleum et securem, et ullum ferramentum non esse audita in domo cum ædificaretur. Sed quod attinet ad hoc ultimum, non est sensus, ut recte annotat Abulensis ibidem quæst. 12. quod ferramentis non sint usi artifices ad ædificationem: sed quod non sint audita in domo sive in templo, quia prius in monte cædebantur, ac poliebantur lapides et ligna, deinde in templo coniungebantur, atque aptebantur suis locis: tuncque ferra-

A mentorum sonus nonnullus, etsi levior, edebatur et audiebatur. Consentit Hugo Cardin. nec abnuit Dionysius Carthusianus. Iam vero non in æris solum, sed etiam in ferri opera malleator ac faber celebratur primis mundi temporibus Tubalcain Genes. 8. 22. at de frequenti ferri usu non in supellectili tantum, Iosue 6. 19. 24. et alibi. Ita ut inter necessaria vitæ hominis numeretur. Eccli. 39. v. 31. qua de re Plinius lib. 34. cap. 14. ubique propemodum reperiri scribens: sed in armis quoque Iudicum 3. 22. præter Plinium aliosque, mentionem divinæ Scripturæ faciunt. Et quod Philisthæi caverant, ne faber ferrarius inveniretur in omni terra Israel, qui conficeret iis gladios aut lanceas. David ipse testatus est 1. Paralip. 29. 2. se ferrum præparavisse in vasa templi ferrea, non solum æs in ænea, aurum et argentum ad aurea et argentea: et Salomon ab Hiram postulavit peritos etiam in operando ferro. 2. Paralip. 2. 7. 14. Denique fieri potest ut arcus æreus hoc loco sumatur pro ferreo, aut chaly-
B beo: quia ferrum per se solum non funditur, sed mistum cum ære, vel chalybe. Græce etiam χαλκεον, significat non modo æreum, sed ferreum quoque. Ita Lorinus, æris vocem communem esse, ita ut dicatur æs argenteum, aureum, ferreum: notat etiam Ludov. de la Cerda, in illud 10. Æneid. v. 482. *Clypeum tot ferri terga, tot æris.*

Moraliter nota. Tria duci exercitus sunt necessaria. Primo, scientia rei militaris ac prudentia suos ut sapienter regat, atque hostes ingeniosis stratagematis decipiat. Secundo, ut sese exerceat, et exemplo cæteris prælucent. Tertio, fortitudo mentis et corporis, ut occurrentes labores perferat.

Primum a Deo dari fatetur David. Qui docet manus 148. Duci exercitus tria necessaria.
meas ad prælium, q. d. ait Nicephorus, hic bellicæ artis peritiam me docet. Statim post primam unctionem a Samuele factam in Bethlehem coram Isai et eius familia, dicitur 1. Regum 16. 13. *Directus est spiritus Domini a* 1.
die illa in David, ut scilicet prudenter, discrete, provide, Scientia rei militaris.
tum seipsum ac familiam, tum regnum universum in pa-
C ce et bello administraret: et licet esset unctus, non ut statim regnaret, sed ut morienti Sauli succederet, tamen prudentia ei insignis tunc data fuit, usui futura, ut Goliathum inermis vinceret, et turmas duceret in Philisthæos, ac Saulis insidias declinaret, cap. 18. 30. *prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen eius nimis.* Unde illie solertia etiam militaris Davidi obvenerit, clare habes v. 14. *In omnibus viis suis David, prudenter agebat, et Dominus erat cum eo.* Cum Sole ambulans et eo vestitus, non potest esse in tenebris. Si vere dixit Salomon Prov. 20. 18. *Cogitationes consiliis roborantur* (Chald. diriguntur. R. Levi, rectificantur) *et gubernaculis tractando sunt bella*, quanto magis consilio et luce Dei indigemus? unde num. 27. 21. præcipit Deus, ut Iosue dux populi sui referat res dubias ad Eleazarum Pontificem, ut Deum consulat. Etiam stratagematis agi voluit Deus in cives Hai prius victores, Ios. 8. 11. Ale-
D xander dicebat hostes vicisse se consilio, eloquentia et arte imperatoria. Et Leo Imper. generatim ait, de re militari cap. 1. num. 11. *Proprium Imperatoris munus est subiectos suos prudentia, fortitudine, iustitia, temperantia onteire.* Cæteras virtutes dirigit et iuvat perficitque prudentia ac peritia. Ut enim ait Vegetius lib. 1. Nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Et lib. 3. Natura paucos facit bellicosos, sed institutio multos. Prov. 24. 5. *Vir sapiens, fortis est: et vir doctus, robustus et validus.* Aben Ezra vertit, Vir sapiens robore præditus invenitur: et qui scientia præditus est, vires firmat et roborat. Chald. vero reddit, Melior est vir sapiens robusto, et vir scientiæ magis quam qui accinctus est fortitudine sua. Et v. 6. *Quia cum dispositione* (Sept. cum gubernatione, id est, cum arte gubernandi. Paguin. in consiliis. Caietan. in ingeniis. Vatablus, industriis) *initur bellum.* Euripides in Antiope, ait: *Viri prudentia, ad bellum magnum momentum est: consilium enim sapienter initum multas vincit manus: imperitia cum multitudine deterius malum est.*

149. II. Ardor in agendo. Secundo, theoria ad praxim revocanda est, ut adhuc solertior fias, et regni gloriam promoveas. Qui docet *manus meas* ad prælium. David a Deo edoctus statim manum operi admovit, et funda gigantem disiecit. Unde laudat Deum Ps. 143. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos* (qui lapidem in funda aptaverant) *ad bellum.* Vide ibi dicta fusissimo, varia attuli symbola Regum, Principum et nobilium. David factus tribunus a Saul super mille viros, 1. Regum 18. 13. *egrediebatur, et intrabat in conspectu populi*, veluti dux eius, primus ad prælium procedens, atque victores domum reducens. Velleius lib. 2. *Dux*, ait, *primus faciat: nam facere recte cives suos Princeps optimus faciendo docet: cumque sit imperio maximus, exemplo maior est.* Traianum laudat Plinius in Paneg. quod esset *Dux et miles.* De Philippo Rege Macedonum, ait Demosthenes orat. 12. Ipse militat, atque ærumnas tolerat, et κινδύνοις παρεστιν, id est, periculis adest. Alexander eius filius apud Curtium lib. 4. dicit. Non postulare se ut fortiter capessant prælium, nisi ipse præ cæteris fortitudinis fuerit exemplum, se ante prima signa dimicaturum spondere. Dux quidam præstantissimus apud Simocattam lib. 3. in orat. ad milites: χειραγωγήσω, ait, ὁ δημηγόρος ἐγὼ πρῶτον τὸν πόλεμον, τὰς πάντων χεῖρας τῇ προθυμίᾳ μισθώσομαι, *Ego orator vester primus prælium manu conserta iniens, alacritate mea omnium vestrum manus quasi mercede pacta ad pugnandum obligabo.* Manu propria duces et reges hostium interfecere Romulos, Clodovæus, et alii. Georg. Scanderbegus (quæ vox Alexandrum Magn. sonat) Rex Albaniæ septies collatis signis Turcarum exercitum fudit, et variis in congressibus duo hominum millia manu sua interemisse fertur.

150. III. Robur mentis et corporis. Tertio, robur quoque militi ac præsertim duci est necessarium. *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.* Chald. *fortificans* (Syr. et Arabs, corroboravit) *quasi arcum æreum brachia mea.* De robore Davidis vide S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 35. recte refutat Abulens. in psalmo nostro 2. Regum, commentum R. Salomonis, qui fingit Davidi in palatio multos fuisse arcus æreos, quos cum Philisthæi Reges cum adeuntes cernerent, et ostentationis ornatusque tantum causa positos crederent, cum nullus esset qui eos flectere posset aut adducere, sagittamve dirigere, Davidem tunc ipsis spectantibus et mirantibus eos fregisse, id est, intendisse, inflexisse et armasse. Trebellius Pollio de Martio Septimio aie ait, in eius vita: *Nullius manus vel ad feriendum, vel ad impellendum fortiores fuisse, cum in digitis nervos habuisse videretur, non venas: Nam et serra venientia digito salutari repulisse dicitur: et fortissimos quosque uno digito sic afflixisse, ut quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent.* Et de Claudio secundo, in eius etiam vita. *Digitis usque adeo fortibus fuit, ut sæpe equis et mulis ictu pugni dentes excusserit.* Capitolinus asserit a Maximino Imper. equos pugno nudatos dentibus, et maiusculas arbores esse dimidiatas. Paulus Diaconus lib. 5. hist. Longob. cap. 40. dicit, quod Cunipertus Rex Longobardorum duos verveces lana dorso tenus in singulas manus apprehensos a terra levavit.

Adde robori corporis fortitudinem mentis, et aspice Constantinos nostros, Theodosios, Heraclios, Clodovæos, Carolos Martellos, Carolos Magnos, Godofr. Bullionæl, Belisarios, Simones Monfortios, Baiardos, Scanderbegos, etc. de quibus Caussinus noster tom. 2. aulæ sanctæ tract. de equite Christiano, ubi docet fortitudinem Christianorum non esse inferiorem fortitudini veterum ethnicorum. Dio. Chrysost. orat. 4. ὁ βασιλεὺς, ait, ἀνθρώπων κράτιστος ἐστιν ἀνδρειότατος ὢν καὶ δικαιότατος, *ille est Rex hominum optimus, qui fortissimus.* Et S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 3. *Non in viribus corporis*, ait, *et lacertis fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi, etc. Et revera iure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione.* Hæc Dio.

151. Tropol. Brachia ærea denotant. Tropolog. Manus sunt symbolum operationum: brachia ærea, infatigabilis intentionis in bono opere. Ita S. August. Ludolph. Richardus Lampr. Thomas Anglicus, et alii. Secundo, Ugo Cardin. speciatim per brachia ærea intelligit patientiam. *Arcus æreus*, inquit, *in bonis est patientia.*

I. Infatigabilitatem in opere. Ieremiæ Prophetæ, ait Deus Ier. 1. 18. *Ego dedi*, (id est, do et dabo) *te in civitatem* (id est, velut civitatem) *munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram*, Iudææ scilicet.

II. Patientiam. Vir patiens est civitas munita quæ hosti non patet; 2. columna ferrea, onus impositum sustinens, et Ecclesiam Dei, ac domum religiosam aut familiam, ut columnæ Iachin et Booz in templo Salomonis 3. Reg. 7. 21. et columnæ æneæ atrii in tabernaculo Mosaico Exod. 38. 10. et seq. basis erat illis ænea et capitella cum cunctis cælaturis erant argentea; 3. vir patiens est murus æreus, ipsa tormenta bellica, id est graviores afflictiones repellens. Agathon Abbas in vitis Patrum lib. 7. cap. 42. sic ait: *habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea: quæ si iniuriatur non irascitur: si glorificatur, non extollitur.* Ribadeneira in vita sanctæ Melaniæ 31. Decembr. refert adolescentem quemdam ad Eremitam iam senem se contulisse, ut ab eo in vitæ societatem reciperetur. *Prius*, inquit ille, *pedibus manibusque hanc statuam percute.* Quod cum ardens candidatus fecisset, rogavit senex, Num querelarum aliquid a statua audivisset? Respondit iuvenis, mansisse statuam mutam, verbo nullo reddito. *Hæc*, inquit senior, *religiosi vita est; si mecum morari cupis, idem tibi præstandum est.* Origenes in Ps. nostro ait, æs esse hieroglyphicum actionum, fortium scilicet. Nonne tibi ærei aut ferrei et chalybei Martyres videntur, Machabæi in sartagine ferrea: Laurentii, Gorgonii in craticula, Clementes cum lorica et casside ardente et rubente. Tu qualis eris ad eum conspectum? S. Chrysost. serm. quod Martyres aut non laudandi, aut imitandi sunt. *Apostoli*, inquit, *discipuli Christi, credentium magistri habentur; e quibus eruditi confessores fortissime pugnant, Martyres perfecti triumphant, et Christiani semper exercitus diabolum Deo armati debellant. In istis semper pares virtutes, dissimiles pugnæ, gloriosæ victoriæ. Unde tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce, pactum quod spopondisti, conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti.*

III. Orationis constantiam. Tertio, S. Basilius brachia ærea et manus, dicit esse orationes sublatis in cælum manibus elevatas. Vide dicta Ps. 140. 2. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Nonne S. Dominico Loricato erant brachia ærea, corpus ferreum, pectus adamantinum, cum brachiis in crucem conformatis duodecim psalmos vicies quater sub nullo prorsus intervallo, sed uno ductu quotidie decantabat, ut ait S. Petr. Damiani in eius vita, ubi habentur mira admodum de eius flagellationibus. Nonne Iacobo erant omni ære et chalybe brachia fortiora, cum in oratione stringens Angelum, ita eum tenuit, ut non prius dimiserit, quam ab illo benediceretur, Gen. 32.

IV. Fortitudinem Sanctorum. Quarto, duo brachia æreo arbitror esse duplicem sanctorum fortitudinem. Brachium dextrum est fortitudo in aggrediendo: brachium sinistrum. est fortitudo in patiendo. Sunt Sancti similes Gabaitis. *Qui septingenti erant viri fortissimi ita sinistra, ut dextra*, (in adversis, sicut in prosperis) *præliantes.*

152. Symbolice, Brachia Christi sunt Prophetæ et Apostoli. Symbolice, Cassiodor. *Brachia Christi*, ait, *Prophetæ sunt et Apostoli: per quos desiderium suæ voluntatis operatus est. His comparat æreum arcum, quia nesciunt Dei servi prædicando mollescere: sed in cælesti fortitudine permanentes, verbis salutaribus emissis tamquam sagittis eminus iaculatis, devotorum hominum corda compungunt.* Sibi itaque illud dictum putet concionator Isaiæ 51. 9. *Induere fortitudinem brachium Domini.* Ad literam, S. Thomas censet brachium Domini esse Cyrum, qui vicit Babylonios, et captivos Israelitas liberavit; 2. Sanchez noster, brachium Dei ait esse potentiam, qua debellat dæmones

peccatum et mortem, ei ab iis servos suos liberat, atque per Apostolos sibi subigit hostes, tyrannos, atque orbem universum; 3. Brachium Dei est ipse Christus, ut ait Forerius. Facit potentiam Deus in hoc brachio suo, Lucæ 1. v. 51. In eo fecit et refecit homines. Ieremiæ 21. v. 5. *Ego feci terram* (Ecclesiam) *et homines* (rationem ducem sequentes, et in oratione contemplantes Deum) *et iumento* (activos, et peccatores conversos ac iugi præceptorum patientes) *quæ sunt super faciem terræ in fortitudine mea magna* (fuit fortitudo parva in prima creatione) *et in brachio meo extento*, per incarnationem scilicet ostenso, quod antea contractum tenebam in sinu meo.

153. Allegor. itaque de Christo explica cum Dionys. q. d. *Qui docet manus meas*, id est intellectum practicum et voluntatem, quæ sunt duæ principales potentiæ operativæ, *ad prælium*, contra diabolum et Iudæos, omnesque adversarios humanæ salutis. *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea*, id est virtutes meas, quibus mundum atque diabolum vici. Quemadmodum enim arcus æreus fortiter vulnerat, sagittamque festinanter valde emittit, ita virtutes Christi mortem celerrime occiderunt, quemadmodum ait Oseæ 13. 14. *Ero mors tua o mors:* diabolum vulneraverunt ac minuerunt, sicut per eumdem testator, *ero mors tua, o inferne!* atque operationes optimas tamquam sagittas, incessabiliter produxerunt.

Allegor. Brachia Christi sunt eius virtutes.

Secundo, brachia ærea, ait Iansonius et Thomas Anglicus esse brachia Christi in Cruce extensa. His verbis, ut loquitur Iansonius *posuisti, ut arcum æreum brachia mea*, idem significatur quod facto Mosi, qui cum extendisset manus suas ad Deum, factum est, ut illæ non lassarentur usque ad vesperam. Quid enim per brachia æreo arcui (qui ob robur metalli indesinenter tolli potest) assimilata, aliud significatur, quam quod Christus in cruce extensionem illam brachiorum suorum, licet laboriosissimam, infatigabilis patientiæ virtute perseveranter pertulerit, eoque armorum genere potestatem diaboli, qui, ut docet S. Cyprianus cap. 8. de exhort. mart. non nisi perseverantia superatur, eliserit? Et certe ostendit Christus brachia ærea se habere, cum dicentibus Pharisæis Marc. 15. descendat a Cruce, morem gerere noluit, ut perseverantiæ, daret exemplum, ait S. Leo serm. 1. de Pasch. de ipso dicit Habacuc cap. 3. v. 4. *Cornua in manibus eius*, (id est, clavi ipsum crucifigentes) *ibi abscondita est fortitudo eius*, hoc est, eius charitas, quæ ex eo arcu versus cælum et terram extento sagittas ignitas in omnem partem emittat. Septuaginta vertunt: *Cornua in manibus eius, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Huic pro nobis et in nos e Cruce pugnanti recte aptabis, quod S. Fulgentius dixit sermone de S. Stephano: *Stephanus*, ait, *ut nominis sui coronam meruisset accipere, charitatem pro armis habebat, et per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei, sævientibus Iudæis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit. Per charitatem arguebat errantes, ut corrigerentur: per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur: charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sævientem, et quem habebat in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem.* S. Bernard. de Christo dicit: Vincit non manu armata, sed cruci affixa: non equo insidens, sed in Cruce pendens. Ita ipse. Arcus sunt Christi brachia in Cruce. Primo, ob figuram. Secundo, quia de longinquo vulnerat, tum homines tunc viventes, sed absentes, tum dæmones in Inferno, tum cor Dei in cælo, tum corda hominum usque ad mundi finem futurorum: tertio, quia ex improviso ac velut ex insidiis vulnerat: quis enim crederet per crucifixum dandas hominibus gratias, et dæmones transfigendos ad mortem. Sagitta huius arcus, est totum Christi corpus extensum, ipse ait, Isaiæ 49. 2. *Posuit os meum* (Deus Pater, *verba mea*, ut vertit Chald.) *quasi gladium acutum, et posuit me sicut sagittam electam.* Vatablus et Forerius reddunt, *extersam*, id est, politam, nitidam ac splendentem: quibus denotatur acumen, velocitas, fulgor, et vis atque efficacia sagittæ. De Cyro id exponit Hugo: de S. Ioanne Baptista, alii: de Christo explicandum patet Act. 13. ubi illud v. 47. *Posui te in lucem gentium*, de eo dicitur: fit tamen allusio ad Cyrum Regem Persarum, quo velut gladio et sagitta usus est Deus, ut confoderet Balthasarem et Babylonios. Sed adverte unum, arcum esse supra, at sagittam infra, quia ad homines amore, et dæmones terrore vulnerandos dirigitur. Efficacitas huius arcus et sagittæ habetur Sap. 11. 12. *Virtuti brachii tui quis resistet?* Et Isaiæ 51. 5. *Brachia mea populos iudicabunt.*

Item brachia eius in Cruce extensa, sunt brachia ærea.

Pugnantem Davidem iuvit Deus, v. 36. ET DEDISTI MIHI PROTECTIONEM (Hebraice מגן maghen, id est clypeum. Chaid. fortitudinem. Magn. umbonem. Pagn. Felix, Muisius, scutum) SALUTIS TUÆ, ET DEXTERA TUA SUSCEPIT ME. Protectio salutis tuæ, id est, protectio tua salutaris, hoc est divina ac paterna providentia, instar scuti me undique circumvallantis et ab hoste protegentis, securum me et illæsum præstitit: et fortitudo tua invicta ab omni periculo me subduxit, ac sustinuit, ne animo et viribus deficerem. Alludit præsertim ad liberationem suam, cum a Iesbibenob gigante salvatus est per Abisai. 2. Reg. 21. 15. *Deficiente autem David* (præ senectute et prælii fatigatione) *Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha* (id est de gente Rapha sive Raphaim, hoc est, gigantum, qui a Rapha gigante ducebant originem. Rapha enim idem est quod Arapha: quia in הרפה harapha, he primum est articulus, non vero litera radicalis) *cuius ferrum hastæ trecentas uncias* (hoc est, Libras 25. sicut illa Goliathi,) *appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit.* Contra vero, impios præsidio et protectione sua Deus nudat, ut Abimelech Iudicem Israelis occisorem Septuaginta fratrum suorum, unde fragmine molæ a fœmina deiectæ periit. Iudic. 9. v. 53. Saul a Philisthæis cæsus est, 1. Regum cap. ult. Achab in Syros pugnans sagitta transfixus est. 2. Paralip. 18. 33. Iulianus Apostata sancti Mercurii lancea confossus, interiit contra Persas decertans, ut ait S. Damascenus orat. 1. de imag. Guilleimus Rex Angliæ eiecto ex Anglia S. Anselmo venationi intentus, sagitta in corde percussus concidit, ut refert Edinerus lib. 2. vitæ S. Anselmi.

Vers. 36. 1. Pars.

154. David liberatus est a gigante Iesbibenob.

155. Allegorice. Protectio salutis, est Crux et Passio Salvatoris. Ita Ugo et Thomas Anglicus: Primo enim, a parte Superiori protegit nos ab ira Dei Patris. Secundo, a parte inferiori protegit nos ab amore et impugnatione mundi. Tertio, a parte anteriori protegit nos a blanditiis atque stimulis carnis. Quarto denique, a parte posteriori protegit ab insidiis dæmonis. Unde dicta Ps. 5. 13. *Scuto bonæ voluntatis* (id est, benevolentiæ tuæ) *coronasti nos.* Clypeo in pugna, et corona gloriæ in triumpho. De Cruce et Passione apertius Ieremias Threnorum 3. 65. *Dabis eis scutum* (Septuag. ὑπερασπισμόν, id est, protectionem) *cordis, laborem tuum.* Hebr. תהלה taola, id est, stultitiam, ut vertit Salomon. Crux et Passio fuit Iudæis scandalum, gentibus stultitia; 2. תהלה tala, id est, laborem, fatigationem, molestiam, angorem, cruciatum. Hector Pintus sic explicat, q. d. Tu Christe dabis hominibus laborem, quem pro iis suscepisti, ut sit eis scutum in omni tentatione. Tua passio erit illorum clypeus. S. Greg. hom. 22. in Evang. contrario senso dicit. Dabis eis scutum laborem tuum: ne enim prædicationis spicula eorum corda penetrarent, dum passionis eius laborem dedignati sunt: quasi eumdem laborem illius pro scuto tenuerunt, ut eo ad se transire eius verba non permitterent, quo eum laborare usque ad mortem viderunt. Ita Gregorius magis ad literam; alium tamen sensum ut pium varii sequuntur: Christus est noster Abisai, id est *patris donum*, liberans nos a Iesbibenob, id est, *captivante in locutione*, hoc est, a dæmone, qui sicut Evam, ita multos verborum telis confodit et captivat.

Allegor. Crux est protectio salutis. Protegit ab omni parte.

Nihil nos sic armat et protegit ab hostibus, sicut passio Christi. 1. Petri 4. 1. *Christo igitur passo in carnem* (S. August. lib. de fide et oper. cap. 10. legit per carnem) *et vos eadem cogitatione* (consideratione, æstimatione, ratio-

einationo; 2. decreto meniis ac proposito idem faciendi et patiendi) *armamini*, id est, armate vos. Crux enim est panoplio, id est omnis armatura Christiani. Hinc Christum iu Cruce tibi fignrare potes, velnt equitem armatum, aut Imporatorem in acie beilantem: Crux est equus, vel potius eurrus beliicus: corona spinea, est galea: totius corporis vulnera in flagellatione accepta, sunt lorica, tibialia, et ocreæ: elavi, snnt gladius et sagittæ. Thomas Augiicus refert ex Vegetio iib. 3. quod Romaui contra elephantos dimicaturi, bane cogitarunt industriam, ut in humeris et armis, acuiei ingentes portarentur et ponerentur, ne elephanti possent beilatores contra se venientes apprehendere. Et Plinius iib. 4. ait, quod quædam aves spinis nidum suum sic muniunt, quod contra hostes aufficienter valiantur. Aristoteles iib. 8. de anim. refert quasdam aves graves facere nidum suum de spinis propter accipitrem. Aculeus et spina est mors Christi, iuxta illud, tu devieto mortis aculeo. Aculei quoque fuerunt elavi, lancea, at cætera passionis instrumenta, quibus una cum spinis ita nos vaiiemus, et nidum nostrum, id est, conscientiam nostram, ut dæmon fera pessima non audeat nos impugnare. Prov. 4. v. 8. de Sapientia, id est, Christo dieitur: *Accipe illam*, *et exaltabit te* (ait ipse. Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Ioan. 12. 32. id est, ad amorem meæ crucis, et postea ad gloriam) *glorificaberis ab ea*, *cum eam fueris amplexatus* (Chald. amplexare eam, ut glorificet te, q. d. non glorificat, uisi amplexantes, id est, ex toto corde ei adhærentes) v. 9. addit, *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum* (pro numero aculeorum) *et corona inclyta* (id est, spinea, quæ facit inclytum et iilustrem Dei servum) *proteget te*, instar scuti, vei potius galeæ, ait Cornelius: hic sensus est pius, sed symbolicus tantum.

156 Christus gratia sua nos tegit, ne lædamur. Nota. Primo Deus, seu Christus, tegit nos gratiæ suæ favore, ne lædamur. S. Hieron. *Dedisti mihi clypeum salutis tuæ*, id est, salutarem, salvificum. Sic S. Ignatio Romam petenti ut Societatem Iesu constitueret, ipse Iesus auxilium poliieitus est ac præstitit. Oriandin. lib. 2. hist. Soc. num. 29. Quo die, inquit, propius accedebat ad Urbem, eum templum ex itinere salutandi numinis gratia solus esset ingressus, mente excessit a sensibus, et in ipso contemplationis æstu maiestatem Dei Patris, qui Filio Iesu *Crucem baiulanti*, se suosque amicissime commendabat, clarissima luce perspexit, quos eum in suum Iesus patrocinium fidemque reciperet, ad Ignatium placido ora conversus: *Ego vobis*, inquit, *Romæ propitius ero.* Quo ilie tam mirifico viso dulcissime recreatus, Fabrum Lainiumque compelians, quid nobis, inquit, futurum sit Romæ, in crucemne Deus an in rotam agi nos velit, haud mihi quidem satis est exploratum: illud certe valde persuasum est, *Iesum vobis quocumque in eventu numquam defuturum*, et simul ut eorum in sententia pectora magis roboret, visum indicot. Hinc percepta iam in sententia animum confirmavit, tamquam penitus in familiam Christi Iesu receptus, eiusque patrocinio tutus, ac benignitate eius in recipienda clientela invitatus, ut cœtus, quem subinde instituit, Societas Iesu nominaretur. Ita ilie. Quas deinde tempestates dæmon in Ignatium at socios excitarit, et quomodo Iesus naufragium impendens impediverit, vide apud eumdem auctorem.

157. II. Sustentat, ne labamur. Secundo, sustentat nos Deus, ne labamur. Heb. *et dextera tuo*, תסעדני *tishadeni*, *fulcivit me.* Dextera patris æterni est Christus. Ps. 20. v. 9. *Dextera tua* (id est, filius tuus, ait Hugo) *inveniat omnes qui oderunt te*, ut illos inventos puniat. Ps. 62. v. 9. *Adhæsit* (Hebr. agglutinata est) *anima mea post te: me suscepit* (Apollinaris vertit, ἐπιῤῥωμένως προεμάχεσεν, potenter propugnavit) *dextera tua*, id est Christus, qui humanam suscepit naturam, et factus est protector ac defensor noster, volens corpus nostrum conforme gloriæ corporis sui reddere, ut dicit S. Hilarius. Secundo, sustentat etiam nos Iesus sibi adhærentes: unde secura Sponsa, id est anima sancta, dicit Cant. 2. 6. *Læva eius sub capite meo* (Vatablus, supponatur capiti meo) *et dextera illius amplexabitur me.* Symm. circumplicetur mihi. Ut scilicet nihil sit non tutum. Læva Christi est eius humanitas, qua nostram imbecillitatem suscepit: dextera vero est divinitas, qua fortissimus est et insuperabilis; 2. Læva eius, est robur datum in adversis: dextera eius consolatio, et perfecta propitiatio, felicitas et victoria. Hoc dicit Sponsa in sua infantia, tunc enim magis eget sustentaculo. *Divina consolatio*, ut ait Hugo in Psal. nostr. *est armiger noster, qui portat arma illa, de quibus dicit S. Hieronymus, cinis et cilicium arma sunt pœnitentium.* 2. *Cor.* 1. 4. *Consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Ps. 90. 15. *Cum ipso sum in tribulatione.* Præsentiam illam Iesu servos suos consolantis habes apud Oriand. lib. 1. num. 34. S. Ignatium, inquit, Ierosolymam petiturum amici Romæ coegerunt, septem circiter ad navium olim solvendum, aureorum nummum summam accipere: sed mox iis tamquam paupertati propositæ minus consentaneis, in obvios pauperes distributis, lætior inde perrexit ærumnis et mendicitate ditissimus. Excludebatur ab urbium et oppidorum ingressu, non recipiebatur hospitiis, stipe non iuvabatur, ipsis quoque viatoribus pallore ac macie tamquam pestilens erat horrori. Verum incedebat suo *ductor et socius* peregrino Christus Iesus, tanto præsentior, quanto longius aberant humana solatia. Qui prope Patavium videndum se illi, uti solebat Manresæ, obtulit, consolans, et ad asperiora toleranda confirmans. Inde in urbes ipsas Patavium ac Venetias, quæ ob eosdem pestilentiæ metus peregre patebant externis, aditus ei facillimos dedit. Utque appareret certare quodammodo famuli fidem, et indulgentiam Domini, etc. In benedictione tribus Aser, quod idem est ac beatus, dicit Moses Deuteronomii 33. v. 29. *Beatus es tu Israel* (id est, vir videns Deum, vel, fortis Deo, seu per Deum, vel Dei, vel in Deum) *qui salvaris in Domino* (per dominum, vel intra dominum ut arcem positus) *scutum auxilii tui* (id est, tibi auxilians) *et gladius gloriæ tuæ*, id est, tibi gloriosus, tibi dans gloriam et victoriam. Vide dicta v. 1. et 2. Ps. nostri.

158. III. Erigit lapsos, ne pereamus. Tertio. Erigit Deus lapsos, ne pereamus. *Dextera tua suscepit me*, ut noster vertit. Vide dicta Ps. 143. 2. in illud. Misericordia mea et refugium meum, *susceptor meus*, *et liberator meus.* Ruffinus in Ps. nostr. *Dat*, inquit, *electis suis Dominus salutem suam, qua eos protegat tamquam nudos. Dat dexteram suam, id est favorem gratiæ suæ, qua suscipiat eos tamquam medicus ægrotos. Si timueris æstus vitiorum, et tela inimicorum invisibilium, sive adversitates persequentium hominum, postula protectionem divinæ salutis. Si senseris te peccatorem et infirmum, multis vitiis et negligentiis corruptum, postula Dei misericordiam, et sublevantem dexteram, ut ab eo suscipiaris et saneris. Ipse enim est vera salus, qui protegit suos ab exteriore persecutore. Ipse est sublevans misericordia, qui suscipit et sanat a propria infirmitate corporis et animæ.*

IV. Iuvat erectos, ne torpeamus. Quarto, iuvat Deus erectos, ne torpeamus. Arabs vertit, *Dedit mihi donum salutis. Dextera eius adiuvit me.*

Vers. 36. 2. Pars. Iuvat autem Deus, primo verbis erudiendo, secundo flagellis in viam reducendo, v. 36. ET DISCIPLINA TUA CORREXIT ME IN FINEM, ET DISCIPLINA TUA IPSA ME DOCEBIT.

159. Disciplina duplex: nempe verborum et verberum. Nota primo, disciplina duplex est, una quæ fit verbis, sive simpliciter docendo et instruendo discipulos aliosve, sive castigando; altera quæ fit verberibus et flagellis. De utraque sermonem hic esse volunt S. Thom. Hugo Card. Thomas Anglicus, et alii. De sola correctione, Iansen. et Lombardus.

Christus pios illuminat et docet. Primo, Deus et Christus eius, qui est sapientia æterna, iustos illuminat ac docet. Arabs vertit. *Disciplina tua direxit me ad perfectionem, et sapientia tua docuit me.* Disciplina seu doctrina Christi ita intellectum illustrat, ut perfectionem sub tanto magistro bonus discipulus cito consequatur. Hic est adeundus, ad eius pedes sedendum cum Magdalena, ab eo non recedendum. Petrus dicebat Ioan. 6. 69. *Domine ad quem ibimus. Verba vitæ æternæ habes*, id est, vitam æternam dantia, cum sis verbum æternum Patris, et vitam habens in temetipso. S. August. id meditans in Ioan. ait: *Ad quem ibimus? Repellis nos a*

te: da nobis alterum te: ad quem ibimus si te relinquomus? S. Ambr. lib. 1. offic. vocat Christum præceptorem sapientiæ ot demonstratorem beatitudinis adipiscendæ, ot lib. 3. de virgin. c. 16. comparat illum Aminadab principi per mare medium dnecenti popnlum, cnm a facie Pharaonis fugit. *Anima*, inquit, *sexum non habet, sed ideo fortosse fœminaeum nomen accepit, quod eom violentior æstne corporis angit: ipsom autem impetus carnis, amore eni, molli qnodam et blando ratione demnleet. Ergo orationibus et obsecrationibus Deum invitore debemus, ut quasi bonus aneter offlare dignetur, verbique nobis auram cælestis aspiret, quæ fructiferas arbores non turbare vento gravi, sed levi spiramine flatuque molli consuevit agitare. Unde scriptum est Cant. 6. Posuit me currus Aminadab, eo quod anima nostro cosinngitnr corpori, ut velut quidom equorum frementium enrrue rectorem sui quærat aurigam. Aminadab enim pater Naason fuit, sicut in Numeris legimne, qui erat Princeps populi Iudæ. Cuius figura refertur ad Christnm, qui verus Populi princeps onimam iusti velut currum agitot oscendens, verbi habenis gubernat, ne violentorum equorum furore in abrupto rapiatnr. Snnt enim sine velnt quotnor equi, quatnor affectionee, ira, cupiditas, voluptas, timor. Quibue furentibus cum ceperit agi, nequaquam seipso cognoseit. Corruptibile enim corpus animam gravat.* Est Christus magister bouus. Matth. 19. 16. non vuit te decipere. Viom Dei in veritate docet ibid. 22. 16. Scit necessaria, ut te non decipiat.

160. Christus oves errantes verberibus in viam reducit. Secundo, Deus seu Christus servos snos, nt oves a via errantes, pedo pastorali perentit, et castigatione ad viam reducit. Syr. vertit: *Et correptio tna contriet me;* vel 2. multiplicabit me; 3. erescere sen germinare me faciet; 4. magnificabit seu magnum faciet me; 5. nnget me. Hæc enim omnia significat רבה *raba*, S. Aug. sic explicat q. d. Correptio tua mo deviare non sinens direxit, ut quidquid ago in eum finem referam, quo cohærotur mihi. S. Thomas correctionem refert ad errata; doctrinam ad dubia. Hugo a S. Victore in Ps. c. 30. disciplinam constituit in præceptis, tentamentis, flagellis, ad obedientiam, constautiam, patientiam. Docet deinde, per correctionom expiari culpas præteritas: oruditionem sen doctrinam valere ad cautelam contra culpas futuras. Notent parentes moderata et paterna correctione pueros magnificari, etc.

161. ענוה anava, quid significat. Nota secundo, pro *to Disciplina*, Hebr. esse ענוה *onaco*, id est, primo, humilitos; secnndo, mansuetudo; tortio, modestia; quarto, responsio; quinto, locutio, eruditio, institutio, doctrina, collocutio, disciplina. Unde R. Abraham vortit, *Mansuetudo tua quam posnisti in me, magnificabit me, et roborabit me.* Malim tamen intepretari de Dei ipsius mansuotndine in ipso existente ot dona varia lucemque nobis impertiente. R. David reddit, *Mansnetnda tna magnificabit me.* Vatabl. ex mansuetudine tua augustum mo reddes. Caietan. ot mansuotudino tua multiplicabis me. Sic etiam S. Hior. Felix, ot Pagn. de mansuetudine exponit. Notent itaque præceptores et Doctores atque concionatores benignitate, modestia, mansuetudine, morum facilitate discipnlos et peccatores in virtute crescere. Chald. autem reddit, *Verbo tuo magnificasti*, vel multiplicasti *me*. Eamdem mansuotudinom ex amore procedentem requirit Deus in pastoribus animarnm, ut advertit S. Chrys. hom. 31. de S. Philogonio. *Postquam*, ait, *Petrum Christus interrogasset Ioan. 21. 17. Petre, omas me? Isque respondisset, Tu Domine scis quod amo te. Non dixit Christus, abiice pecnnias, ieiuuium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmones abice, nihil vel horum vel aliorum miraculorum recteque factorum in medium adduxit, sed omnibue prætermissis dixit illi: Si diligis me, pasce oves meas. Hoc outem dicebat, non solnm ut nobis certissime declararet, qnantopere illum diligeret Petrue: verum etiam ut palam foceret quantam haberet benevolentiam erga oves snas. Vide igitur quam multa propter hanc gregem passue sit Christus. Homo factne est, servi formam assumpsit, consputus est, alapis cæsus est, postremo ne mortem quidem recusovit, et qnidem ignominiosissimam.* Bell. opinatur, quod mansuetudo posset accipi de leni ac paterna castigatione.

Quæres. Quid sit corrigere in finem? Respondet primo Ugo Card. *Correxit me in finem:* id est, ut quicquid ago vel patior, dirigam ad finem Christum, qui est finis noster, corona ot præmium. Rom. 10. 4. *Finis legis Christus*, sed nt apparet hoc est mysticum. Secnndo itaque ad literam Bellarm. Eruditio, inquit, quæ ox lege tua habetur, illa me direxit, ne errarem: ot si quando in periculo essem errandi, illa diligenter inspecta et considerata, *me correxit*, idquo perseveranter nsque in finem.

Gladio Deus obstantes hostes removet et disiicit, viamque latam facit militibus suis, ut vincant v. 37. Dilatasti (S. Hier. *dilatabis:* perseveranter scilicet) gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea. id est Vers. 37.
pedes mei, seu plantæ pedum meorum. Vestiginm est pedis 162.
Vestigium quid? impressio, id est, signum et nota quæ a pedo relinquitur, *la marque du pied;* ponitur autem metonymice pro ipso pede. Vestigium equi, usurpat Plinius pro ipsius equi ferrea solea. Sic enim l. 28. c. 20. *Vestigium equi*, ait, *excussa ungula, nt solet plerumque si quis collectum reponat, singultus remedium esse, recordantibus quonam loco id reposuerint, traditur.* Quis credat, nisi id fiat a magis aut dæmone? Sed ad rem, pro *vestigia*. Hebr. est קרסלי *carsullai*: Primo, *carsul*, significat talum pedis. Unde S. Hier. vertit: *Et non deficient tali mei.* Felix, non sunt lapsi malleoli mei, id est, *chevilles du pied*, sic etiam explicat R. Salomon. Secundo, *carsul* est genu seu poples, id est, pars opposita genn quæ curvatur: sic dicta quod post plicetur. *le jarret.* Hinc Chald. reddit, *et non nutavit genu meum.* R. David in libro radicum exponit otiam genua mea. Vatabl. autem vortit: *Ne vertebræ meæ vacillent.* Tertio, *carsul* significat crux. Unde Pagnin. reddit; *Et non declinaverunt* (Arias, non nutarunt. Muisius, non vacillarunt) *crura mea.*

Sensus porro est. Cum frequenter in eas inciderim an- Sensus literalis.
gustias, nt iam non haberem ubi vestigium facerem, gressusque mei plane essent coarctati, tum præstitisti gressibus meis latitudinem viæ, ut tuto quo vellem, incedere possem: ot te mo sustentante, non sum unquam collapsus et prostratus nllo vi inimicorum. Præterea in persequendo hostes meos liberum ot expeditum iter mihi concessisti, ot te fortitudinem mihi suppeditante, quamquam diu longeque hostes meos insequerer, pedes tamen non sunt nimio labore delassati ot infirmati. Ita Iansenius. Sic populus Israel per quadraginta annos ab exitu Ægypti usque ad ingressum terræ promissionis roboratus est, ita nt pedes eius non fuerint læsi. Deut. 8. 4. ait ei Moses: *Pes tuus non fuit subtritus* (id est contritus, læsus, pelle nudatus. Hebr. *non intumuit*, vesicis turgentibus ob teneras planias) *ea quadragesimus annus est.* Moses enim Deuteronomium dixit ot scripsit anno ultimo peregrinationis Israelitarum, ætatis suæ, 120. in campestribus Moabiticæ regionis.

Allegorice. *Dilatasti*, id est, per charitatem latos, co- 163.
Allegor. piosos ac multos fecisti *gressus meos*, id est, actus animæ meæ, quibus te honoravi et mundum salvavi, quia a primo conceptionis maternæ instanti nsque ad ultimum vitæ meæ momentum, numquam cessavi ab actuoli exercitio operis virtuosi. *Et non sunt infirmata vestigia mea*, id est, opera mea, quæ sunt signa atquo indicia internæ dilectionis atquo dispositionis meæ: quia non segniter egi, nec desii ab opere cœpto, donec pendens in cruce, dixi, Consummatum est. Ita Dionysius. Hinc non tantum manus, sed etiam pedes Christi crucifixi sunt, ut eius perseverantia notaretur. Cum itaque dicerent principes Sacerdotum Matth. 27. v. 42. *Si rex Israel est, descendat nunc de Cruce, et credimus ei*, non est loco motus, sed per tres horas pedes illius et crura totum corporis pondus constanter sustinuerunt. Hinc peculiari Dei providentia, non *fregerunt eius crura*, Ioan. 19. v. 33. et Sponsa ait Cant. 5. v. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, id est primo super divinitatem eius, secundo super decretum Patris æterni de morte, tertio super charitatem, qua ot Patrem et nos amabat?

164. Symbolicus. Symbolice, vestigia, pedes et crura Christi sunt Apostoli et viri Apostolici, qui charitate firmati Christum per totum orbem detulerunt. Hinc Gal. 2. 9. et Ephes. 2. 20. vocantur columnæ et fundamenta Ecclesiæ. Et super Petrum dicitur Ecclesia ædificata Matth. 16. 18.

165. Tropologicus. Tropolog. *Dilatasti gressus meos subtus me.* Gressus, id est, affectiones. Subtus me, id est primo, in his quæ sunt subtus, scilicet in temporalibus, ut non habeam cor strictum per avaritiam, vel iram, vel huiusmodi. Hæc autem dilatatio fit per tria principaliter: 1. per largitionem eleemosynarum, Proverb. 18. v. 16. *Donum hominis dilatat viam eius, et ante principes spatium ei facit*; 2. per delectationes spirituales, quas Dominus immittit in tribulatione, Ps. 4. v. 2. *In tribulatione dilatasti mihi*; 3. per pœnitentiam, Proverb. 4. v. 11. *Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Secundo, Dilatasti gressus meos, id est affectus meos, subtus me: id est, ut sint subditi mihi. Gen. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus eius.* Necessarium quoque est pugnanti, ut stet super pedes suos. Ideo addit David, Et non sunt infirmata vestigia mea, sed sunt fortia et stabilia. Ezech. 2. v. 1. *Fili hominis sta super pedes tuos.* Pedes alve gressus, ut dictum est, sunt affectiones. Vestigia autem quæ relinquuntur ex pedibus vel gressibus quasi signa, sunt opera. S. Gregor. Probatio dilectionis, ait, exhibitio est operis. Qui bene vult pugnare contra Diabolum, necesse est, ut non infirmentur vestigia eius. Unde dicit S. Hier. Semper aliquod operis facito, ut te Diabolus inveniat occupatum: quia ipse intravit in domum suam, quia invenit eam vacantem, licet mundata et ornata esset. Matth. 12. v. 44. Ideo dicitur de muliere forti Prov. ult. v. 19. *Manum suam misit ad fortia.* Iosue doct 14. 10. dicit Caleb: *Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum, illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum.* Ecce, non erant infirmata vestigia eius. Hoc non possunt dicere illi, qui statim fessi sunt de pœnitentia, vel de religione, quam assumpserant. De quibus Nahum ult. 12. *Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis, quæ si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.* Ita Ugo. Pes meus, amor meus ait S. August. sed gressus nostri sunt duplices, ut dicit Thomas Anglicus, videlicet superiores, et ii sunt desideria spiritualium, procedentia a pede dextro, scilicet ab amore æternorum. Gressus vero inferiores, sunt desideria temporalium procedentia ab amore terrenorum, quasi a pede sinistro. Gressus vero isti inferiores, quos facimus ambulando per bona temporalia, arctantur per nimium eorum affectum: sed iis qui bona temporalia in bonis usibus expendunt, læto animo et hilari gressus dilatantur, Ps. 17. 20. *Eduxit me in latitudinem.* Et S. Augustin. super versiculo nostro: *Dilatasti gressus meos subtus me*, ne impediant, ait, carnales angustiæ, quoniam latam fecisti charitatem meam, operantem hilariter, etiam de ipsis quæ subter me sunt, mortalibus rebus et membris.

166. Via est arcta initio vitæ spiritualis. Moraliter nota primo. In vitæ spiritualis principio arcta et difficilis videtur via: unde pauci eam inveniunt, pauciores ineunt, paucissimi in ea perseverant. Matt. 7. v. 14. ait Christus: *Quam angusta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Arctiorem adhuc atque angustiorem facit dæmon et cupiditates fallaces mundi et carnis. Iudicum 1. 34. *Arctavitque Amorrhæus* (id est, *amarus*, et sic figura est dæmonis; 2. *rebellis*, figura carnis; 3. *loquax*, figura mundi) *filios Dan* (id est iudicii: qui scilicet iudicio proprio adhærent; vel, qui sunt iudicio Dei damnandi) *in monte* (id est, in difficultate) *nec dedit eis locum, ut ad planiora* (ad valles frugiferas) *descenderent.* Coarctationem illam viæ spiritualis expertus est S. August. ut ipse testatur lib. 8. Confessionum cap. 8. *Ego, inquit, fremebam spiritu indignans turbulentissima indignatione, quod non irem in placitum et pactum tecum Deus meus, in quod eundum esse omnia ossa mea clamabant, et in cælum tollebant laudibus, et non illuc ibatur navibus, aut quadrigis, aut pedibus, quantum saltem de domo in eum locum ieram, ubi sedebamus. Nam non solum ire, verum etiam pervenire illuc, nihil aliud erat quam velle ire, sed velle fortiter et integre, non semisauciam hac atque illac versare voluntatem, cum hac parte assurgentem, cum alia parte luctantem. Denique tam multa faciebam corpore in ipsis cunctationis æstibus, quæ aliquando volunt homines et non valent, si aut ipsa membra non habeant, aut ea vel colligata vinculis, vel resoluta languore, vel quoquo modo impedita sint.* Et clarius cap. 11. Dicebam, ait, apud me intus. Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo iam ibam in placitum, iam pene faciebam, et non faciebam: nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam et respirabam. Et item conabar, et paulominus ibi eram, et paulominus iam iamque attingebam, et tenebam, et non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, et vitæ vivere: quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem. Cum diceret mihi consuetudo violenta. Putasne sine istis poteris? Sed iam tepidissime hoc dicebat: Aperiebatur enim ab ea parte qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ serena, et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum, et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ, ibi iuventus multa, et omnis ætas, et graves viduæ et virgines, anus, et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum, marito te Domine. Hæc et plura August.

Secundo, moraliter nota. In progressu via spiritualis fit latior et facilior. Pythagoras etiam dictitabat, viam virtutis initio esse arctam et strictam, deinde vero sensim dilatari. Salomon id pollicetur Proverb. 4. 11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas* (semita est semi iter, id est, iter arctissimum) *æquitatis*, id est æquabiles, planas, rectas. Hebr. in orbitis rectitudinis. Dilatationem audi v. 12. *Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur* (Syr. non nutabunt. Symm. non tribolabuntur: nolli triboli seu stimuli ferrei, nollæ spinæ et cardui occurrent, et te compriment et angustabunt) *gressus tui, et currens non habebis offendiculum.* Syr. non offendes: seu, non impinges. Arabs, non scandalizaberis. Septuaginta non laborabis. Exodi 19. 4. ait Deus Mosi: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum* (non laborat, qui sic fertur) *et assumpserim mihi.* Initio fuerant Israelitæ arctati super mare rubrum instante a tergo Pharaone, et mari iter claudente cap. 14. 9. Sed Deus virga, id est ipsa afflictione, viam in ipso mari, hoc est amaritudine, dilatavit, et per deserti cautes aperuit. Lactantius virtutis et vitii iter sic describit, lib. de vero cultu cap. 3. *Duæ, ait, sunt viæ, Constantine Imperator, per quas humanam vitam progredi necesse est; una quæ in cælum ferat: altera, quæ ad inferos deprimat, quas et Poetæ in carminibus, et Philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem Philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum: eamque, quæ sit assignata virtutibus primo aditu esse arduam, et confragosam, in qua si quis difficultate superata in summum eius evaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumque campum, et omnes laborum suorum capere fructus uberes atque iucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna multoque tritior: deinde cum in eam paulo ulterius processerint, amœnitatis eius speciem repente subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere necesse sit. Quæ omnia eo proferuntur ut appareat in virtutibus capiendis labores esse maximos: in perceptis autem fructus maximos, et solidas atque incorruptas voluptates.* Lege cætera. De illis etiam conversationis viis agit S. Hieron. epist. ad Ce- 167. Via fit latior in progressu.

lantiam Malronam. Vide quoque a me dicta Ps. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*, et considera iter Apostolorum per totum orbem, Christi ut cervi et gigantis per Iudæam; S. Caroli Borromæi Card. ut Archiepis. Mediolan. per suam Diœcesim et montes asperos; S. Xaverii per Indias et Iaponiam, ac præsertim Meacum urbem petentis, quod sic refert Orland. histor. Soc. lib. 11. num. 100. *Meacense*, ait, *iter erat non modo saxis asperum et alta nive constratum propter anni tempus: verum etiam bellis, quibus tota illa regio flagrabat, et frequentissimis latrociniis infestum. Id Xaverius ne sine certo duce, et viarum gnaro susciperet, haud indignum ratus pro suo in Christum amore hominem homini famulari, Meacensi equiti famulum se adiunxit. Ergo equitantis impedimentis una cum suis sarcinulis elatis in humerum, citatis gressibus præcurrentem subsequebatur herum: cui non tam peditis alienigenæ commodum propositum erat, quam ut latronum ipse pericula equi velocitate vitaret. Durissimo anni tempore faciebat iter, tempestate perfrigida, et pede nudo, aquilonibus exulcerato, cum crebro torrentes intercursantes vado traiiceret: via adeo lubrica et conglaciata frigoribus, ut eam ingredi præsertim sub sarcinis et oneribus sine frequenti casu et prolapsione vix posset. Exacto per has ærumnas die, cum ad diversorium vesperi pervenisset, fame et algore confectus, totusque imbribus madefactus, subsidii nihil ad se reficiendum ac recreandum erat: toloque illo itinere, nulla alio nisi oriza emendicata et semitosta se aluit. In pagis autem et oppidis, qua transibat, vexabatur omnium conviciis ignominiis appetebatur et saxis, iisdemque excipiebatur in navi probris ac contumeliis, cum transmittendi essent sinus maris intercurrentes. Denique quocumque ingrediebatur homo longinquus, et sui contemptor, exagitabatur ut stolidus. Sed hæc ille velut inferiora, multaque minora flagrantissima Dei charitate, et animarum siti, qua totus ardebat, non modo devorabat alacriter, sed numerabat in lucris.* Itaque Deus illi dilatabat viam per charitatem, ita ut posset dicere, viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Tursellin. ait, tantum gaudii illi esse affusum a Deo in eo itinere, ut ne spinas quidem et sentes, quibus pedes eius cruentabantur, adverteret. S. August. in Psal. nostr. ut dixi, *Dilatasti gressus meos subtus me*, sic explicat, q. d. *Latam fecisti charitatem meam operantem alacriter*. Et in Ps. 118. 96. Latum mandatum tuum nimis, dicit: *In hac diffusione latitudo est, in qua sine angustiis via quoque ambulatur angusta*. Non infirmabantur Xaverii vestigia, quia cor Deo fixerat. Hugo a S. Victore in psal. cap. 31. ait, cum David dicit, non sunt infirmata vestigia mea, indicari, quasi pedes desiderii fixos in rebus æternis.

Concludo cum S. Cypriano lib. de mortalitate in fine. *Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cepimus: quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus?* Sed vires pete a Deo, eius enim est dilatare gressus et stabilire vestigia. Lege pulcherrimam elegiam nostri Hermanni Hugonis lib. 2. in illud Psal. 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. Vide etiam S. Ambros. lib. de fuga sæculi, ubi viæ pericula declarat et modum evadendi.

Restat denique victos hostes persequi et impedire, ne
Vers. 38. rebellent. Hoc addit David v. 38. PERSEQUAR INIMICOS
MEOS, ET COMPREHENDAM ILLOS, ET NON CONVERTAR,
Vers. 39. DONEC DEFICIANT. Ac v. 39. CONFRINGAM ILLOS, NEC
168. POTERUNT STARE: CADENT SUBTUS PEDES MEOS. De Phi-
listhæis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis, Syris, et aliis, qui non erant de populo Dei, hoc dicit: multos ex iis comminuit etiam tamquam pulverem venti, et velut lutum subegit et calcavit. De Ammonitis habes 2. Reg. 12. 31. quod capta et expilata Rabbath eorum metropoli, *populum eius adducens serravit et circumegit super eos ferrata carpenta* (Quæ ut ait S. Hieron. in cap. 1. Amos Prophetæ, rotis ferreis et dentatis ad frumentum e spicis excutiendum instructa erant) *et traduxit in typo laterum*, id est, in officina lateritia. Divisit eos cultris, ait S. Hieron. in Tradit. sicut lateres dividi solent, qui ex paleis et luto conficiuntur; 2. in typo laterum, id est, in fornace lateritia, ut Vatablus explicat.

Tropol. Hostes nostri sunt passiones nostræ, et pravi 169.
habitus. Cum his bellandum est, Primo, ardenter. *Persequar* (Arabs, requiram) *inimicos meos*. S. Chrysost. in Ps. 125. vocat peccatum, αγριον και βαρβαρον δεσποτην. *Sævum et barbarum Dominum*, qui cogat facere res turpissimas et maxime probrosas. Pugnam partis superioris et inferioris vide apud S. August. lib. 8. Confes. cap. 5. et 8. et 9. et seq.

Passiones et habitus mali sunt hostes nostri. Cum illis pugna.

I. Ardenter.

Secundo, bellandum est audacter. *Et comprehendam* (2. Reg. 22. conteram) *illos*.

II. Audacter.

Tertio, perseveranter. *Et non convertar*, (S. Hieron. et Pagn. non revertar) *donec deficiant*. S. Hier. Felix, donec consumam eos. Vatablus donec eos internecioni darem. Heb. כלותם *callotham*, et active et passive sumi potest. Ita ut significet, vel consumere illos: vel defectum eorum. Hanc constantiam in hostibus Dei persequendis ostendit Saul, 1. Reg. 14. 24. cum Philisthæorum turbatum exercitum et fugientem videret. *Adiuravit Saul populum, dicens: Maledictus vir* (id est, illi Deus malefaciat, et eum ego morte puniam) *qui comederit panem* (id est quemlibet cibum: hunc enim nomine panis intelligunt Hebræi) *usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis*. Omnis populus a cibo abstinuit præter Ionatham, qui ob mel gustatum fuit in vitæ summo periculo. Lyranus censet Saulem male id sanxisse et iurasse, ac peius implevisse. Serarius vero et Salianus id recto fervore et zelo factum fuisse putant, quibus assentior, et patet ex eo, quod Deus iratus est, quod Ionathas præceptum illud violasset, atque sortem in eum, ut peccati reum direxit.

III. Perseveranter.

Quarto, severe impedienda est nova rebellio. *Confringam* (S. Hieron. cædam. Pagnin. transfigam. Muisius, transfixi. Vatablus, concido. Arabs proiiciam: in terram scilicet, ut conterantur) *illos, nec poterunt stare*. S. Hier. Felix, Vatabl. surgere. Sic Deus voluit confringi et conteri Chananæos populi Dei hostes, ait Moses populo Deuteron. 7. 1. et seq. Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum, et Gergezæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Iebusæum, septem gentes multo maioris numeri, quam tu es, et robustiores te: tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, *percuties eas usque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia* etc. Ac vers. 5. *Aras eorum subvertite, et confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite: quia populus sanctus es Domino Deo tuo*, id est, vocatus ad cultum veri Dei, atque ad sanctitatem, et separatus ab aliis nationibus, Deoque uni consecratus. Septem illæ gentes sunt septem vitia, ut dixi. Lege Cassian. Collat. 5. cap. 16. et seq. Moses eam severitatem iubente Deo exercuit in Sehon Regem Amorrhæorum, et totum eius regnum Deut. 2. 31. in Og Regem Basan, et in regnum eius cap. 3. v. 3. et seq. in Madianitas n. 31. 17. et seq. Iosue idem præstitit in urbe Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron, Dabir. et aliis. Generatim enim dicitur Ios. 10. 40. *Percussit itaque Iosue*, (Christianus leanita, Iosum sequens) *omnem terram montanam* (superbiam) *et meridianam* (ardorem carnis) *atque campestrem*, (divitias mundi) *et Asedoth, cum regibus suis: non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne, quod spirare poterat, interfecit*. Cum Saul Rex non delevisset ad internecionem Amalecitas, ut Deus iusserat ei, dicitur a Samuele 1. Regum 15. 23. *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex*. Non quod tunc fuerit privatus regno, quod S. Chrysost. videtur dicere homil. de Davide cum Goliatho, sed quod brevi esset illo privandus, et tota eius posteritas. Fuit enim occisus in monte Gelboe cum tribus filiis, et Isboseth post septennium a Baana et Rechab, cum dormiret sub meridiem. David quidem sta-

IV. Severe coercendi sunt.

tim unctus est in Regem, sed futurum post Saulis mortem. A
Cum bella externa conquiescunt, sæpe oriuntur bella intestina, eo periculosiora quo sunt propinquiora: sed Deus
Vers. 44 ab illis eripit, v. 44. ERIPIES ME DE CONTRADICTIONIBUS POPULI. Id expertus est David victo Absalone 2. Reg. 18.
170. et Seba suscitante tribus Israel cap. 20. Sedato tumultu, quem excitaverat Adonias regnum ambiens, et invadens contra voluntatem Davidis, volentis sibi substitui Salomonem, 3. Reg. cap. 1.

Mosem eripuit Deus sæpius a populo murmurante.
In Mose clarius apparet, quam studiose servos suos fideliter sibi servientes, et officio suo fungentes, eripiat Deus a contradictionibus populi.

I. Primo enim, cum populus liber a metu Pharaonis et Ægyptiorum venisset ad Mara in deserto, ob aquarum amaritudinem, conquestus est graviter de Mose, Exod. 15. 25. qui clamavit ad Dominum, qui ostendit ei *lignum*: quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt: idque virtute naturali, sed corroborata et aucta.

II. Secundo, Exod. 16. cum murmuraret omnis congregatio filiorum Israel contra Mosem, et Aaron in deserto Sin, quod est inter Elim et Sinai, ac desideraret ollas carnium Ægypti, iubet Deus illi dici a Mose v. 8. promittit coturnices.

III. Tertio, cum in loco, qui dictus est incensio et sepulcra concupiscentiæ, ortum esset murmur populi quasi dolentium pro labore itineris Num. 11. 1. accensus in eos ignis Domini devoravit extremam partem castrorum, ibi erant pigri et murmuratores. Sed precibus Mosis absorptus est ignis.

Quarto, in eodem loco vulgus promiscuum, quod ascenderat cum Israelitis ex Ægypto, flagravit desiderio carnium sedens et flens, iunctis sibi pariter filiis Israel Deus dat illis coturnices ad mensem integrum. Num. 11. 4. et sequent. IV.

Quinto, locuta est Maria ipsa et Aaron contra Mosem propter uxorem eius Æthiopissam, id est Sephoram, quæ erat Madianitis. Nam Madianitæ in Scriptura vocantur Æthiopes 2. Paral. 14. 10. et Habacuc 3. 7. Sed Deus Mariam lepra percussit, et solius Mosis precibus sanata est post septem dies, Num. 12. V.

Sexto, redeuntibus exploratoribus e terra Chanaan murmur ortum est contra Mosem, et Aaron. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini, id est, splendor quidam insolitus in columna nubis, super tectum tabernaculi fœderis, Num. 14. VI.

Septimo, Core filius Isaar; Datham, et Abiron filii Eliab; Hon, filius Phileth de filiis Ruben, surrexerunt contra Mosem, et alii filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur, id est, qui ad concilium evocari solebant. Ambiebant scilicet Aaronis Sacerdotium. Sed partim a terra sunt absorpti, partim igne ex Altari holocaustorum egresso combusti, Num. 17. Ubi etiam populus iterum in eum insurgens punitur igne divino occisis quatuordecim millibus, ibid. v. 41. et seqq. Hæc sufficiunt, alias etiam seditiones et murmurationes in Mosem et Aaronem Deus compescuit. VII.

B

PSALMUS DECIMUS OCTAVUS.

1. CŒLI enarrant gloriam Dei: et opera manuum eius annuntiat firmamentum.
2. Dies diei eructat verbum: et nox nocti indicat scientiam.
3. Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.
4. In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum.
5. In sole posuit tabernaculum suum: et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.
6. Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio eius.
7. Et occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.
8. Lex Domini immaculata, convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.
9. Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.
10. Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.
11. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum: et dulciora super mel et favum.
12. Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.
13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: et ab alienis parce servo tuo.
14. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: et emundabor a delicto maximo.
15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.
16. Domine adiutor meus: et redemptor meus.

PSALMI DECIMI OCTAVI ANALYSIS.

David legis divinæ, præsertim Evangelicæ, præstantiam animo contemplans, eius præcones

- Apostolos vocat cælos, qui
  - Dei gloriam prædicant.
  - Et opera eius mirabilia ostendunt. 2.
    - Sine temporis intermissione, diu noctuque. 3.
    - Sine personarum exceptione, cunctis populis. 4.
    - Sine loci differentia, orbi universo. 5.
- Christum, Solem. 6. qui
  - Splendoris maiestate, thronus est Dei. 6.
  - Ortus pulchritudine, Sponso amabilior. 6.
  - Cursus velocitate, giganta fortior. 7. cum
    - Ab Oriente quotidie oriatur. 7.
    - Et ad Orientem redeat. 7.
  - Caloris fœcunditate, cæteris astris utilior. 7.
- Legis ipsius radios ostendit. 8. quæ
  - Fidem iuvat
    - Conversione ad Deum peccata fugando. 8.
    - Prudentiam ad virtutum acquisitionem ingenerando. 8.
  - Spem
    - Lætitiam de futura beatitudine infundendo. 9.
    - Desiderium ardens excitando, viam ad cælum ineundi. 9.
  - Charitatem
    - Timore filiali, in officio continendo. 10.
    - Amore filiali, ad Deum propter Deum ducendo. 10.
  - Homines allicit ad opera bona.
    - Utilitate in hac vita.
      - Super aurum. 11.
      - Et gemmas. 11.
    - Suavitate
      - Super mel. 11.
      - Et super favum. 11.
    - Ac mercede æterna. 12.
- Peccatorum tenebras timet. 13.
  - Ob intellectus ignorantiam, qui illa non satis cognoscit. 13.
  - Memoriæ infelicitatem, quæ eorum oblita sit. 13.
  - Voluntatis fragilitatem, quæ suasionibus perditorum adhæserit. 13.
- Illas excutere exoptat. 14.
  - Opere, suasores malos reiiciendo, ut mundus sit. 14.
  - Ore, Deum invocando et laudando. 15.
  - Corde, Legem eius meditando. 15.
  - Omni modo, spem suam in uno Deo ponendo. 15.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus David.

1. Argumentum. De hoc titulo actum et Ps. 4. ubi est idem prorsus. De sensu literali psalmi controversia est. Primo, S. Thomas, Ugo Cardin. Ageilius, Caietanus, Mariana, Iansenius, et alii, volunt agi de notitia Dei quæ habetur, tum ex cæli contemplatione, tum ex lege divina. Secundo, et melius, etiam ad literam explicant hunc psalmum de Christo, et Apostolis legem Dei per totum mundum annunciantibus S. August. Ruffin. Cassiod. Beda, Ludolphus, Glossa, Titelman. Remig. Salmeron, et alii. A Nam 1. S. Paulus Rom. 10. 18. v. 5. huius psalmi: nempe, *in omnem terram exivit sonus eorum*, attribuit Apostolis; 2. Sic psalmus est sublimior et augustior: Aben Ezra, dicit esse psalmum valde insignem; 3. Ordo illius atque connexio est aptior et concinnior, ut videbitur in decursu. Primus itaque sensus est grammaticalis, et veluti cortex; hic secundus, est parabolicus et medullaris. Sicut fit in Canticis Canticorum, ubi sub variis symbolis altissima sunt mysteria.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Quatuor complectitur. Primo, Præcones legis Dei Apostolos, cælorum instar, lucem legis divinæ per totum orbem deferre, vers. 1. Secundo, Christum velut solem fontem illius lucis, vers. 6. Tertio, legis ipsius splendorem, et præstantiam aperit, vers. 8. Quarto, Studium hominibus necessarium esse, ut illam custodiant, et a peccatis sibi caveant, vers. 12. usque ad finem.

SECTIO PRIMA.

2. *Duo continet. Primo, Apostolorum prædicationem illustrem, et toti orbi mirabilem, vers. 1. Secundo, Christi Incarnationem, ut eos cæterosque homines illuminaret, vers. 6.*

PARAPHRASIS.

1. Cæli enarrant gloriam Dei: et opera manuum eius annunciat firmamentum.
2. Dies diei eructat verbum:

1. Apostoli et Apostolici viri, cælis persimiles, mirifico virtutum, et doctrinæ splendore spectabiles, atque fervoris agitatione et gratiarum influxu admirabiles, Dei nobis sapientiam, potestatem bonitatemque prædicant.

2. Quod diu noctuque tanta constantia et felicitate efficiunt, ut dies præcedens

et nox nocti indicat scientiam.

sit veluti magister sequentis eumque illuminet, et nox præcedens stellarum cælestium luce emicans noctem seq. unde fiat ut Evangelii lux magis magisque tempora procedente inclarescat.

3. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.*

3. Nullæ sunt nationes tam barbaræ et agrestes, et tam diversæ idiomatis, et linguis, ad quas Apostolorum vox non pervenerit.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

4. Orbem universum cæli illi divini decurrerunt, et cælestem musicam suam in omnium populorum, etiam tote oceano divisorum, aures effuderunt, atque Deum summum orbis dominatorem, ac redemptorem prædicarunt.

5. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

5. Hic autem Apostolis splendor oritur a sole Christo, qui in humanitate virtutibus omnibus, sapientia et donis radiante, habitare dignatus est, eamque sibi unire: quod ut faceret, e sinu Patris, in quo velut sacratissimo thalamo quiescebat, instar sponsi gloria et decore ornati egressus est, ac seipsum incarnavit ad terram descendens.

6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio eius.*

6. Magna autem alacritate id præstitit: ad nos enim venit more magnanimi gigantis, ut hostes nostros dæmonem, mundum et carnem contereret. Viæ initium faciens a supremo cælorum, ubi thronum sibi constituerat.

7. *Et occursus eius usque ad summum eius: nec est, qui se abscondat a calore eius.*

7. In Ascensione, ad eum locum rediit unde exiverat, ibi in æternum Rex hominum, et Angelorum dominaturus, atque gratias suas inde ac dona effusurus, ita ut nullus sit, qui vivificum eius amorem erga se non sentiat.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO SPLENDORE, ET QUAM UTILI INFLUXU APOSTOLI VELUT CÆLI DIVINI, ORBEM ILLUSTRARINT.

3. Ordo Sectionis.

DAVID in extasim raptus, et Apostolos orbem universum decurrentes contemplans, lucemque Evangelii longe lateque sparsam discussis infidelitatis, impietatis, ignorantiæ et malitiæ tenebris admirans: cælis ipsos Apostolos, soli Christum, luci inde emicanti legem comparat, atque tenebras omnes peccatorum esse excutiendas ne splendores illi a nobis recedant.

Christi Evang. per totum orbem ab Apostolis est propagatum.

Ac primo Apostoli sunt similes cælis planetarum, id est stellarum errantium, v. 1. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Secundo, stellato cælo, ubi sunt stellæ fixæ ob doctrinæ constantiam. *Et opera manuum eius annuntiat firmamentum.*

Modum assignat, quo gloriam Dei et opera annuntiant. Primo sine temporis ullius intermissione, v. 2. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam.* Secundo, sine personarum ullarum exceptione, v. 3. *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Tertio sine loci ullius exclusione, v. 4. *In omnem terram exivit sonus eorum: et in fines orbis terræ verba eorum.*

Secundo, fontem lucis ostendit Christum veluti solem, in quo Divinitatis fulgor inhabitat, v. 5. *In sole posuit tabernaculum suum.* Illum Sponso nuptialibus vestibus ornate comparat, ob radiorum splendorem. *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo sua.* Et giganti ob celeriter et alacriter decursum iter maximum, v. 6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* A supremo enim cælo descendit per Incarnationem. *A summo cælo egressio eius*, et ad illud rediit per Ascensionem, v. 7. *Et occursus eius usque ad summum eius.* Inde lucet ac radios diffundit gratiarum per totum orbem. *Nec est, qui se abscondat a calore eius.*

ARTICULUS I.

Cælorum ornatus, dierum et noctium varietas, Dei gloriam enarrant.

SANCTUS Bernardus in illud Ps. 84. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, ait, mundum hunc esse

4. Orbis totus gloriam Dei enarrat.

voluit veluti *communem librum*, et catena alligatum, ut in eo sapientiam Dei legat, quicumque voluerit. Et Trismegistus cap. 11. creaturas omnes nobis repræsentat instar speculi, in quo Deum intueamur atque admiremur. Ideo, inquit, Deus fecit hæc omnia, ινα δια παντων αυτον βλεπης, *ut per omnia ipsum videas.*

Cæli præsertim. Vers. 1.

Hoc tamen a cælis præsertim fieri docet David noster v. 1. CÆLI ENARRANT GLORIAM DEI, ET OPERA MANUUM EIUS ANNUNTIAT FIRMAMENTUM. Pro *enarrant*, Hebr. est מְסַפְּרִים *mesaperim*, id est numerantes, mensurantes,

A narrantes, recensentes, nuntiantes, velut in libro exponentes: ספר *sepher* enim librum significat, et cælum vocatur liber Is. 34. 4. *Complicabuntur sicut liber cæli:* id est densis atrisque nubibus ita occultabuntur, ut in eis nulla stella, aut Luna, aut Sol videri possint, sicut literæ nullæ apparent in libro complicato. Ubi adverte obiter. Veteres usos esse libris, qui constabant charta, vel membrana ex variis consuta, quam circa cylindrum convolvebant; cum vero legere cupiebant, explicabant. In creatione cælum instar libri expansum dicitur Psal. 103. 2. *Extendens cælum sicut pellem*: vel per pellem intellige tentorium seu tabernaculum.

Quæres de quibus cælis hoc loco agatur in Ps. nostro. 5.

Primo, cum Iansenio, Agellio, Bellarm. et aliis in titulo citatis, cælos accipi materiales existima, ita ut sensus sit, q. d. Cæli sua sublimitate, varietate, ornatu, amplitudine, motu et influxu, ostendunt nobis et inclamant summam esse Dei potentiam, sapientiam atque bonitatem; ac præcipue cælum sidereum, quod firmamentum vocamus, magna esse et admirabilia Dei opera declarat. Et

Cæli materiales hic sumi possunt.

B tot literas aureas nobis ostendit quot stellas, quæ id aperiant et legendum proponant orbi universo. Magnetius eleganter vocat cæli aurea templa, et suspensos globis volventibus ignes. Illi ignes suspensi, id est stellæ, Luna, et Sol, nostros quoque oculos animosque sui ac Dei Creatoris et moderatoris admiratione suspensos tenent. Ipsi Philosophi cælo divinitatem tribuebant. Plato in Epimomide illud inter Deos numerat. Aristot. lib. 2. de cælo, cap. 3. vocat, θειον τι σωμα, id est, divinum quoddam corpus. Plerique, ut ait Herodotus in Clio τον κυκλον παντα τῃ ȣρανου Δια καλεȣσι, omnem cæli gyrum, Iovem vocant.

Cælo divinitas olim attributa.

Cæcutiebant scilicet, et lippitudine oculis obducta extimam cæli faciem cernebant: Dei vero numen maiestatemque in eo latentis eique omnia donantis non videbant. 6.

At vero qui fidei luce purgatis luminibus in supera illa convexa mentem intendunt, prodigio rerum tam admirabilium stupefacti auctorem earum venerantur. S. Chrys. in illud Isaiæ 45. 7. Ego Dominus Deus feci lucem et te-

Cælum suspiciens Deum laudet.

C nebras, tom. 3. serm. 7. sic ait: *Cum videris cæli pulchritudinem, magnitudinem, situm, perpetuitatem, splendorem, et hæc omnia colligens apud te conditorem glorificaveris, creatorem laudaris: tum vocem emisit cælum, et per linguam Deo gloriam laudemque detulit. Atque hoc illud est quod dixit: Cæli enarrant gloriam Dei. Quo tandem modo? Dum sui splendoris pulchritudine spectatorem in admirationem traducunt conditoris. Cum enim conspecto tanto opere dixeris: Gloria tibi Deus, quale corpus condidisti, et in medio constituisti? cæli gloriam istam detulerunt, et tua lingua utentes per aspectum, admirationem exhibuerunt. Ita silentes gloriam et honorem Deo deferunt, et hanc vocem audiunt omnes:* vocat illa omnia θαυμα, id est miraculum. Itaque cæli gloriam Dei enarrant obiective,

id est sunt obiectum quod sua sdmirabilitate excitat homines ad Deum laudandum. Sic etiam exponit Cbald. qui vertit, *Qui suspiciunt cælos, enarrant gloriam Domini: et opera manuum eius annuntiant, qui speculantur in aera.* Plato et Iulianus Imper. cælum aptissime vocant magistrum sapientiæ, et Pisidas in Hexaem. dicit nos esse instar puerorum, qui traduntur magistro ut instruantur ab illo. S. August. lib. 10. Conf. cap. 6. dicit, se illam vocem percepisse, quæ etiam a surdis audiri possit. Non dubia, inquit, sed certa conscientia, Domine, amo te. Percussisti cor meum verbo tuo, et amavi te. Sed et *cælum*, et terra, et omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem: nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis cui misertus eris, et misericordiam præstabis, cum misericors fueris. *Alioquin cælum et terra surdis loquuntur laudes tuas.* Ita August. Cælum aspicienti S. Ignatio terra sordebat, et S. Martinus in lethali morbo ab eo aspectu depelli non poterat.

7. Firmamentum dici potest: 1 Aer.

Quæres secundo, Quid nomine firmamenti hic intelligatur?

Resp. *Per firmamentum*, intelligit primo aerem Lorinus, secutus Chaldæum et R. Abraham. Firmamentum, ait Græce στερεωμα, Hebr. רקיע *rakia*, id est, extensio, ut hic vertit Caietanus, est omne illud expansum et patens spatium, quod a terra pertingit usque ad astra exclusive. Nam soli huic spatio convenit quod de firmamento scribitur Gen. 1. 7. esse in medio aquarum, dividens aquas ab aquis, siquidem in superiore parte ipsius locus proprius est imbrium producendorum. Ita ipse. Sed nec in Genesi arbitror per firmamentum intelligi aerem, verum cælos omnes supra quos sunt veræ aquæ, ut censent S. Basilius, S. Ambros. S. Chrysost. S. Hilarius, et plurimi alii, ut ostendam Ps. 148. 4. nec cælis, ac Soli, et legi Dei lucidæ apte adderetur aer. Secundo, Euthymius, Theodoretus, Bellarminus per firmamentum intelligunt cælum: idem enim volunt hoc in hemistichio significari quod in primo: nempe totum corpus cæleste, in quo sunt stellæ, et ipse etiam Sol et Luna. Nam Genes. 1. 8. *D-us vocavit firmamentum cælum*, et in eo posuit Solem, Lunam et Stellas. Nihil autem refert, sive cælum, sive cælos dicamus. Nam apud Hebr. nomen est habens formam numeri multitudinis, et coniungitur cum verbis numeri multitudinis. Sed interpretes modo vertunt cælum in numero singulari, modo cælos in numero plurali. Ita Bellarm. Tertio tamen concinnius, cælos a firmamento distinguit hoc loco Catharinus in Gen. cap. 1. et ait, per firmamentum intelligi octavam Sphæram, quam Græci vocant απλανη, propter stellas non errantes: nomine autem cælorum sumi cælos alios.

2 Cælum omne.

3 Et me hus octavum cælum, ubi sunt stellæ.

8. Stellæ enarrant gloriam Dei.

Stellæ enarrant etiam gloriosa Dei opera. Quis enim scintillantes has astrorum choreas sine stupore videat, et sine cognitione creatoris contempletur? Stellas vocabat Empedocles, ignes cælestes. Xenophanes, nubes ignitas. Diogenes, mundi spiracula. Metrodorus, emicantes ex oculis fulgetras. Aristot. putavit esse animatas. Cicero, esse rationales, imo deos. Sic enim lib. 2. de Nat. deor. dicit, non indocte solum, verum etiam impie facere, qui deos esse neget. Trismegistus longe melius, stellas appellat, οφθαλμους θεων, id est, *oculos Deorum*, quibus scilicet humana spectent, terræque abblandiantur, atque amicabiles radios indices benevolentiæ emittant. Ad rem præsentem aptius Pisidas in Hexaem. Stellas vocat, ουρανιων γραμματα, hoc est, *literas cælestes*, quibus Dei essentiam atque maiestatem perspicimus. Non quod in cælis scriptum sit radiis fulgentibus illud priscum יהוה *Iehova*, ut quidam Rabbini nugantur: sed quod Dei virtus, ac potentia, sapientiaque in eis elucescat. Cæcum itaque esse necesse est, qui stellas errantes et fixas contuens, Deum in iis latentem, eiusque bonitatem, sapientiam et potentiam non videt. Tullius lib. 2. de Nat. Deor. *Nolo*, inquit, *in stellarum ratione multus vobis videri, maximeque earum, quæ errare dicuntur: quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus, ut, cum summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, his interiecta Iovis illustret, et temperet, infraque Martem duæ Soli obediant, ipse Sol mundum omnem sua luce compleat, ab eoque Luna illuminata graviditates et partus afferat, maturitatesque gignendi. Quæ copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ, quem non commovet, hunc horum nihil unquam reputacisse certe scio.*

Variæ de illis veterum opiniones.

Sunt oculi Dei.

Et literæ cælestes.

9. Cæli et stellæ quatuor de Deo enarrant. 1. Deum esse

Nota, quatuor præcipue de Deo enarrant atque annuntiant cæli ac stellæ. Primo, Deum esse. Zaleucus Locrensium Legislator, in proœmio legum suarum: *Omnes*, ait, *qui urbem ac regionem inhabitant, persuasos esse oportet, et existimare Deos esse, quod manifestum fit ex cæli et totius mundi inspectione, rerumque in ipsis dispositione pulcherrima et ordine. Haud enim fortuita aut humana eiusmodi opera putare convenit.* Secundo, Dei bonitatem cæli prædicant, homines luce tam eximia recreantis, et tam efficaci terram et maria aeremque fœcundantis. Hæc est Dei gloria, qua pleni sunt cæli et terra. In benignitate enim, misericordia, liberalitate, bonitate gloriam suam Deus collocat. Sic dicit Paulus Rom. 3. 23. *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei*, id est, Christo, qui est gloria Patris, ait S. Cyrillus lib. de recta fide. Vel, melius, gratia ibi vocatur gloria Dei. Unde S. August. lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 27. legit: Omnes egent gratia Dei. Tertio, cæli et stellæ prædicant Dei potentiam. *Cæli enarrant gloriam* אל *el*, id est, *Dei*, seu fortis, potentis, validi. S. Chrysost. serm. 7. in Isaiam: Ex differentibus, ait, sonus conflatus orbis unum habet concentum, glorificationem, qua celebrat conditorem: et sonant quidem separatim cordæ singulæ, sonant autem et inter se coniunctæ. Atque ut intelligas, quo pacto separatim sonant cæli, chordam cogitatione pulsato, tum ingenti edito sono audies Deo laudem offerre. Quod cum animadvertisset Propheta, dixit: Cæli enarrant gloriam Dei, opus autem manuum eius annuntiat firmamentum. Quarto denique, cæli et stellæ enarrant Dei sapientiam, tot ingentia corpora tanta concinnitate, atque pulchritudine, et ordine disponentis, ac tanta constantia librantis, et moventis, tantaque prudentia ad utilitatem hominum et frugum aliarumque rerum productionem, conservationem et augmentum moderantis. Tullius lib. 2. de Nat. Deor. *Si*, ait, *in Scythiam, aut in Britanniam, sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulæ conversiones idem efficiunt in Sole, et in Luna, et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus et noctibus! quis in illa barbaria dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur et fiunt omnia, casune ipse sit effectus aut necessitate aliqua, an ratione, an mente divina: et Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis Sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis? præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam hæc simulata, solertius.* Hæc Tullius.

2. Eum bonum esse.

3. Potentem.

4. Sapientem.

10. An sit in cælis materialibus harmonia. Hoc censuit Pythagoras.

Quæres, An in cælis sit et audiatur musica? Pythagoras musicæ admodum studiosus, cum ad officinam quamdam divertisset, ubi fabri ignitum ferrum ictibus molliebant, observavit ex ictu malleorum, certo proportione et intervallis repetito compositum quid ac sibi consonans ad auditum pervenire. Itaque rem diligentius considerans, in ea sententia, quam iam pridem animo agitabat, confirmatus est, ut crederet, doceretque ex astrorum circumductu, et primi orbis Sphærarumque subiacentium rapido impetu, admirabilem quemdam concentum, et plenum artis ac suavitatis cantum effici. Primum namque aiebat, haudquaquam esse verisimile, corpora illa tam vasta, tam acri agitata motu, seque tanta vi collidentia, nullum sonum edere: cum hæc nobis propinqua movendo sonum efficiant, quæ præ illis nullam habent magnitudinem, et velut punctum sunt tardeque moventur. Deinde cælestem sonum non fortuitum, aut inconditum esse, sed ad harmoniæ rationem temperatum, inde probabat, quod in cælo nihil tumultuarium sit, sed omnia divinis legibus et rata et æquabili ratione procedant.

Hæc Pythagoræ de cælesti musica persuasio complu-

rium mentes dulcedine sua occupavit; ex eaque natum est, ut plerique ethnicorum asseruerint, ideo homines tantopere cantu delectari, quod musicæ, qua animus priusquam corporis custodiam subiret, in cælesti regione fovebatur, memoriam recoleret. Quocirca et vita functos eum cantu ad sepulturam prosequebantur, quod animas nexu corporis solutas, ad primævæ illius harmoniæ suavitatem remeare crederent.

Plato posuit in cælis Sirenes.

Pythagoræ assensus est Plato, qui singulas etiam Sirenas aiebat singulis Sphæris insidere: significans, Sphærarum motu cantum numinibus exhiberi. Platonicæ vero disciplinæ imitator Cicero, eadem quoque musica delinitus, in libello de Somnio Scipionis, sub persona Minoris Africani, hæc scripsit: *Quis hic, quis est, qui meas aures complet, tantus et tam dulcis sonus? Hic est*, inquit, *ille, qui intervallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium efficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt: et natura fert, ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille cæli stelliferi cursus, cuius conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic Lunaris atque infimus.* Idem sensit Philo Iudæus lib. de Somniis, ubi cælum vocat Archetypum musicæ instrumentum: atque illud propterea tam affabre fuisse elaboratum, ut rerum parentis hymni scite decantentur, et musice. Eius tamen sonum asserit ad nostras aures non pervenire: quia si pervenisset, futuram erat, ut mortales cibi ac rerum necessariarum obliti, quodam mentis excessu, quasi immortalitatis candidati, nihil iam operis in hac vita molirentur. Eamdem approbat opinionem S. Anselmus in lib. de imagine mundi, si eius est illud opus. Nec ab ea alienus fuisse videtur S. Ambros. in præfat. Comment. in Psal. tametsi lib. 2. Hexaem. cap. 2. eam parum firmis rationibus constitutam doceat.

S. Anselmi opinio.

Solvuntur obiectiones.

Neque hæc Pythagoræorum positio argumentis, quibus innitatur, destituta est, ut ex superius dictis patet: neque ea, quibus illam Peripatetici oppugnant, adeo firma videntur. Etenim ad id quod aiunt, magnis sonis nostratia corpora dissolvi, respondet Simplicius aliam esse rationem in cælesti, aliam in sublunari sono. Ille enim tantum abest, ut inferiora dissipet, aut eis præ vehementia incommodet, ut potius ea reficiat: siquidem ut cæli motus, ita et cæli sonus, præsertim artificis ratione ad sanitatem compositus, res generabiles et corruptibiles tueri potius et conservare debet.

Quod item opponunt, eum sonum percipi a nobis atque internosci debuisse, non concludit, primum, quia, ut ex Pythagoræorum doctrina Aristoteles cap. 9. lib. 2. de cælo, retulit, fieri non potest, ut is sonus a nobis ob assuetudinem dignoscatur: quia nimirum ei ab ipso ortu assuefacti sumus, sicut accidit iis, quorum aures crebris malleorum ictibus in excussoriis officinis continenter pulsatæ occalluerunt. Quod similiter evenit incolentibus prope Catadupa, ubi Nilus ex altissimis montibus ingenti fragore præcipitat. Item, quia non omnia sensibilia omnium sensibus commensurata sunt, ut patet argumento canum, qui odores longe remotos persentiscunt, quos homo haud quaquam sentiat, sicut et nos rosarum odore delectamur, qui tamen ab eis percipi non videtur. Quare si est sensus aliquis terrenus, qui non omnia sui obiecti sensibilia sublunaria comprehendit: quis absurdum putet asserere, aliquod cæleste sensibile dari, quod elementari hoc crassoque sensu percipi nequeat? Quod si quis Dei munere sensum aliquem melioris notæ, et quasi cælestem sortitus fuerit, qualem habuisse Pythagoram Auditores eius memorat, is cæli musicam, et astrorum concentum assequi poterit. Ita Conimbr. in cap. 9. lib. 2. de cæl. qu. 1. art. 1. qui tamen art. 2. sententiam Aristot. et Peripateticorum stabilire conantur. Arbitror ego musicam illam Pythagoræ non esse improbabilem. De illa non immerito explicare possis illud Iob. 38. 37. *Quis enarrabit cælorum rationem? et concentum cæli quis dormire facit?* Symmachus vertit, organa cæli quis ornabit? S. August. vero legit, quis organa cæli in terra declinavit? organum porro sumitur pro quolibet instrumento musico: dicitur quasi *ἔργανον*, hoc est operatorium, soni scilicet at harmoniæ. Cælum autem et eius astra maxime operantur, et iucundissime. Concentum cælorum Pineda ait esse convenientiam et proportionem omnium motuum atque orbium inter se. Et Philippus concentum illam ait esse dispositionem et pulchritudinem cælorum, de quibus homines vel Angeli Deum laudant; sed nihil vetat intelligere de harmonia proprie dicta. Hoc probabile esse censet etiam Malvenda lib. 3. de Antichrist. cap. 29.

Dices, S. Basil. hom. 1. Hexaem. vocat opinionem il- 11.
lam de concentu cæli, imposturam veteratoriam, et ruinosa carie perflaccidam. Resp. S. Bas. aliosque, non tam reiicere illam sententiam, quatenus dicebat ex contactu mutuo cælorum et planetarum fieri sonum, eumque suavem et musicum, quam quatenus sentiebant id fieri a cælis et astris animatis et ratione utentibus ac divinis. Deinde multa alia addebant mere fictitia, ut apparet ex Plin. lib. 2. cap. 22. *Pythagoras interdum*, ait, *ex musica ratione appellat tonum, quantum absit a terra Luna. Ab ea ad Mercurium, spatii eius dimidium, et ab eo ad Venerem fere tantumdem. A qua ad Solem sesquiplum. A Sole ad Martem tonum, id est, quantum ad Lunam a terra. Ab eo ad Iovem, dimidium: et ab eo ad Saturnum dimidium, et inde sesquiplum ad signiferum: ita septem tonos effici, quam diapason harmoniam vocant: hoc est, universitatem concentus. In ea Saturnum Dorio moveri, Mercurium Phthongo, Iovem Phrygio, et in reliquis similia, iucunda magis quam necessaria subtilitate.* Marsil. Ficinus in Platonis Ionem. Musa, inquit, Terpsichore, Iovis est, salutifer enim est choro hominum. Musa Polymnia vox est Saturni, propter memoriam rerum antiquarum, quam Saturnia exhibet, et siccam ac frigidam complexionem. Musa Urania vox est cæli stelliferi, per dignitatem sic dicta. Musa Clio est Martis propter gloriæ cupiditatem. Musa Calliope, vox est ex omnibus resultans sphærarum vocibus. Musa Erato, Veneris est propter amorem. Musa Melpomene, vox est Solis; quia totius mundi temperatio est. Musa Thalia, Lunæ est, propter viriditatem, eius humore rebus exhibitam. Musa Euterpe, Mercurii est, propter honestam in gravibus rebus delectationem. Musas cum dicit Plato, sphærarum animas intellige, ita Marsil. quis autem non videt hæc gratis fingi? De cæli musica lege Macrob. 2. in Somn. Scipionis c. 3. Phil. de Somn. Boet. 1. de musica cap. 2. et 10. S. Isid. 3. Etymol. c. 16. Georg. Venet. t. 1. probl. script.

Nota, modum triplicem Propheta noster aperit, quo cæli Deum laudant: nempe, omni tempore, omnibus personis, et omni loco.

Ac primo, sine intermissione, omnique tempore illum laudant, cum diu noctuque illud præstent. Dies enim præcedens præceptor est sequentis. v. 3. DIES DIEI ERUCTAT, Vers. 3.
Syr. emittit; Arabs, manifestat; Pagn. loquetur. Heb. יַבִּיעַ 12.
iabbia, significat, effundet cum copia, eructabit velut ex fonte copioso VERBUM. Syr. sermonem. Est veluti fons lucis et veritatis. ET NOX NOCTI INDICAT SCIENTIAM, q. d. illa perpetua et constans dierum ac noctium sibi mutuo succedentium alternatio aperte declarat hominibus, Deum esse orbis moderatorem, qui summa sapientia, bonitate, et potentia conversiones illas Solis, Lunæ, stellarum ita temperet atque dirigat.

Cæli Deum laudant semper.

Primo, si diem seorsim sumas, eius lucem amant o- 13.
mnes, sed non perinde admirantur, cum assuetudo admirationem abstulerit. Tullius ut tantæ rei contemplatione animos feriat lib. 2. de Nat. Deor. ait: *Non autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret; cum autem tertio die Sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut subito lucem aspiceremus, quænam species cæli videretur? Sed assiduitate quotidiana et consuetudine oculorum, assuescunt ani-*

Diei lux est admirabilis.

mi: neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident: perinde quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Qui sub polis habitant, et diem ac noctem, quinque sexve mensium habent, feruntur viso Sole lætitiæ signa dare maxima.

14. Nox est amabilis et admirabilis.

Secundo, si noctem seorsim accipias, eam quoque miraberis et amabis. Nam 1. Securam affert quietem, et fractos diurno labore homines et iumenta reficit ac recreat; 2. mentis curas atque solicitudines sopit suavem somnum inducens, et veluti mater palpebras claudens ac velum tenebrarum oculis obtendens. Unde S. Chrysost. hom. 8. ad populum ait, non solum morborum corporis, sed etiam, ψυχικων νοσηματων φαρμακον, animæ morborum afferre medicinam; 3. Terram ardore Solis excoctam refrigerat; 4. Stellarum nobis multitudinem admirabilem et choreas ostendit, earumque influxum ad metallorum aliorumque productionem et conservationem elargitur; 5. Lunam cæli reginam eiusque incrementa et decrementa aperit.

15 Diei et noctis coniunctio est admirabilis

Tertio, si dierum et noctium mutuam et perennem complexionem atque consecutionem spectaveris: atque, ut ait S. Chrysost. serm. 7. in Isaiam, a cæli chorda ad diei noctisque chordam descendas, tum et hos *Lyra quavis et cithara suaviores* emitti sonos videbis: præsertim vero cum adfuerit, qui chordas istas pulsare noverit. Lege cætera. Quis non deprædicet, ea lege tam dissentanea permanere, ut si universum anni circulum expendas, non plus temporis dies quam nox occupet, vicissimque die succrescente se nox contrahat et coarctet: et quantum uni detraxerit æstas temporis, tantumdem hyems restituat? Qui sub polis rigent, noctem semestrem habent, sed diem quoque illi coævum. Qui elevationem habent 48. graduum cum 40. minutis, maximum habent diem, qui est circa sex Cancri, horarum sexdecim: minimum vero diem, qui est circa initium Capricorni, octo tantum horarum: et ex consequenti noctem minimam horarum habent octo: maximam vero, sexdecim. Hoc miratur S. Chrysost. homil. 9. ad popul. *Cum*, ait, *cogitaveris, quomodo per annum dies et nox distribuuntur, et tamquam*, εν ζυγω και πλαστιγγι, *in libra et bilance, totius spatii longitudinem diviserunt: eum, qui ordinarit, admiraberis*, καθαπερ γαρ τινες αδελφαι, *nam velut sorores quædam paternam hæreditatem partitæ*, μετα πολλης αγαπης, *cum charitate multa, nullo modo inter se calumniantes: sic et dies et nox cum omni diligentia annum æqualitate tanta distribuunt, et proprios conservant fines, nec unquam alteram altera pellit. Numquam igitur hyeme dies fuit longa, sicut neque unquam æstate longa fuit nox tot præteritis generationibus: sed in eodem intervallo et longitudine, neque modicum, nec dimidiam horam*, η ριπην οφθαλμου, *nec oculi nictum, altera quam altera plus habuit. Propterea et Psalmista ipsorum æqualitatem admiratus clamabat, dicens: Nox nocti indicat scientiam. Si hæc meditari scias, sic admiraberis eum, qui ab initio hos immobiles terminos statuit. Audiant hæc avari, et aliena concupiscentes, et diei noctisque æqualitatem imitentur. Audiant inflati et alta sapientes, atque nolentes primas partes aliis concedere. Dies nocti cedit, nec alienos fines invadit: tu autem semper honore fruens, fratribus hunc communicare non dignaris.* Et hom. 8. Duplicem, inquit, mensam Deus fecit, terram et mare simul ponens et lumina gemina Solem et Lunam, superna accendens: ac duplicis cursus tempus, diem et noctem operatus: atque illum quidem in operationem: hanc autem in requiem. Non enim minus ministerium quam dies, nobis nox affert: sed sicut in arboribus dixi, quod fructuosis infructuosæ, ουχ ηττον παρεχεται χρειαν, æmulam præbent utilitatem, facientes ne cogamur ad ædificia domesticas arbores attingere: et mansuefactis animalibus non minorem nobis utilitatem sylvestria et immitia afferunt, timore nos in urbes compellentia, reddentiaque cautiores, et nos inter nos constringentia, ita nox, etc. Vide S. Cyrill. Ieros. catech. 9. et Tertull. in opere Resurrect. Carnis. Adverte obiter, diem et noctem vocari sorores a S. Chrysost. quia ημερα, id est dies; et νυξ, id est nox, sunt fœminini generis. Adverte etiam, non omnimodam prorsus esse ubique terrarum noctis et diei æqualitatem in toto anno.

Æqualitas dierum et noctium in toto anno stupenda.

Vers. 4. 16. Cæli Deum laudabilem esse omnibus ostendunt.

Secundo, laudem illam Dei enarrant cæli et stellæ omnibus hominibus, v. 4. NON SUNT LOQUELÆ, NEQUE SERMONES, QUORUM NON AUDIANTUR VOCES EORUM. *To eorum* redundat more Hebræo. Sensus autem est, q. d. Nulla sunt idiomata aut sermonum genera, quorum voces non audiantur in ipsis cælis: qui quodammodo omnium linguis loquuntur, cum ab omnibus intelligantur, et omnes in suo idiomate Dei gloriam ex cæli machina intellectam, deprædicare faciant. Ita Iansen. et Bellarminus. Aliam sensum, sed coactiorem, affert Chald. cum vertit: Non est verbum murmurationis, et non sunt sermones tumultus, nec audiuntur voces eorum, q. d. ad nutum obediunt Deo in omnibus cæli et stellæ.

S. Chrysost. homil. 9. ad populum hunc cælorum sonum omnibus populis intelligibilem considerans, ait: Cæli enarrant gloriam Dei. Quomodo igitur quæso narrant? Vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Per ipsum aspectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum temporis permanere, tamquam vocem audiens, et ad aspectum discens, adoras eum qui tam pulchrum et admirabile corpus creavit. Tacet cælum, sed ipsius aspectus, φωνην σαλπιγγος λαμπροτεραν, *vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens.* Hic enim sensus a natura est illo certior et manifestior. Si enim per libros docuisset et literas, literarum quidem peritus scripta didicisset: nesciens vero nihil inde adiutus abiisset, si quis alius non declarasset. Et dives quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursus, vocem quidem illam per literas significatam sciens, intus posita nosset. Scytha vero, et barbarus, et Indus, et Ægyptius, et omnes lingua carentes illa, nihil edocti abiissent. Hoc autem de cælo dicere non licet. Sed Scytha, et barbarus, et Indus, et Ægyptius, et omnis homo super terram incedens, hanc vocem audiet. Non enim per aures, sed per oculos, in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio eadem est, neque differens sicut linguarum. In hunc pariter librum et idiota, et sapiens intueri poterunt, et pauper, et dives, et quocumque quis venerit, in cælum respiciens sufficientem capiet doctrinam ex aspectu. Hæc et plura Chrysost. Et vero, si cælum vocem tantum Hebraicam emitteret, Latinus illam non perciperet: si Latinam, quod illi subesset, non cognosceret Hebræus: si characteres Ægyptiaci aut Sinici in cælo sculpti essent, illos neque Gallus, neque Germanus, neque Hispanus, aliive populi nossent. Nunc autem ad unius oculi iactum Æthiops, et Scytha, Indus et Lusitanus, Deum in cælo legunt, eiusque potentiam ac sapientiam indelebili forma inscriptam. Patet hic liber vel ipsis aniculis et idiotis. Hinc nulla ad excusationem patet via priscis philosophis. Nam ut ait Paulus Roman. 1. v. 20. *Invisibilia ipsius* (Dei scilicet attributa spiritualia, ut esse sapientem, bonum, et similia) *a creatura mundi* (id est, per creaturas varias: vel per mundum ipsum, qui est Dei creatura) *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus* (δυναμις, id est, potentia, quæ præ cæteris attributis facilius apparet mundum spectanti) *et divinitas.* Vide S. August. in Soliloq. cap. 31. ubi singulos sensus et singulas creaturas interrogat de Deo, et singulæ respondent. Non sum ego Deus: sed qui creavit me, ipse est Deus meus. Et lib. 1. Confess. ait, Cæli et terra clamant, Domine, ut amemus te: atque Orpheus, *Mundi machina*, inquit, *est musica, et admirabilis consonantia, prædicans et laudans Deum: Cæli enim enarrant gloriam Dei.* Lege S. Prosperum lib. 2. de vocatione gentium cap. 1. Rabbini fingunt a Mose auditam esse hanc cæli musicam: si volumus, eam quotidie audimus et percipimus, atque ex ea in Dei amorem excitamur, non quidem aurium sed oculorum beneficio.

Tertio, Omni in loco illa vox cælorum et siderum Deum

Vers. 5. 17. *Cæli in omni loco Deum laudabilem annunciant.* laudantium auditur, v. 5. IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS (Arabs, voces. Syr. annunciatio) EORUM, ET IN FINES ORBIS TERRÆ, Arabs, terræ habitatæ; VERBA EORUM. Nota, pro sonus eorum, Hebr. nune est, קום *kavam*, id est, eorum linea, norma, regula structoria, directorium, quod ædificiis, vel materiæ admovetur. Ab Aquila vertitur κανων, id est, regula, norma, amussis, funiculus mensorius, perimetrum, structura ad lineam confecta, directorium, perpendiculum, series. Sensus autem erit, Primo, q. d. cælorum linea, id est, ædificium seu opus, exivit in orbem terrarum, omnibusque cum admiratione innotuit. Ita R. David in commentario. Est Metonymia. Secundo, q. d. linea eorum, id est, extensio cælorum, porrigitur super universam faciem terræ. Ita R. Salomon. Tertio, lineam pro scriptura sumit R. Abraham, q. d. linea, id est, scriptura cælorum legitur ubique; et intelligunt, quæ sit eius ratio, omnes intelligentes in cunctis locis terræ.

Nota secundo, Bellarminus probabiliter arbitratur Septuaginta legisse קולם *kolam*, id est, vox eorum, cum præsertim S. Hieron. reddiderit, *sonus eorum*. Et sic citaverit Apostolus ad Roman. 10. Unde infert, textum Hebraicum esse corruptum vitio scriptorum, idque post S. Hieronymi tempora: hoc ipsum censent probabile Marcus Marinus, in arca Noe verbo, קו *cav*, Nicolaus Ramus, p.2. assert. vulg. cap. 1. Iulius Rogerius, de Script. con. cap. 45. Lindanus lib. 1. de optim. gen. Interpr. cap. 4. Secundo, tamen arbitror cum Mercero in thesauro linguæ sanctæ, Malvenda lib. 3. de Antichristo cap. 28. Bredembachio, Genebr. Titelman. et aliis Septuag. legisse *kavam*, id est, lineam, normam, etc. eorum, sicut nunc legimus: sed potius ad sensum quam ad verba attendisse. Nam ipsa cælorum linea, norma, structura, ædificatio et compositio est vox eorum, qua Dei sapientiam, potentiam, et alia attributa enarrant. Chald. vertit. In omnem terram exivit extensio prospectus eorum.

18. *Homines debent esse cælorum discipuli.* Moraliter nota, omnes debere esse cælorum discipulos. S. Chrysost. vim facit in verba διηγουνται, id est, narrant, exponunt, aperte declarant, commemorant. *Non dixit Propheta simpliciter*, φθεγγονται, *loquuntur gloriam Dei, sed* διηγουνται, *enarrant: hoc est alios etiam instruunt, et* μαθητας εχουσι, *pro discipulis habent universum genus humanum: et in medio proposita schola librorum ac literarum loco, naturæ suæ pulchritudinem idiotis sapientibus, et omnibus contemplandam præbent, et tamquam in libro insidentem ipsis de Dei sapientia ac virtute doctrinam. Cum enim apud se perpenderit, quanta sit diei utilitas, quanta noctis, et quo pacto hæc illi succedit, et varietatis vicibus,* ωσπερ εν τινι χορω, *velut in choro quapiam alternatim sibi succedentes, nostrum genus conservant, quamvis omnium stupidissimum sit, excitata sua ratione summi opificis Dei sapientiam nosse poterit, quam per diem ac noctem ostendit, dum illam nobis ad operationem, hanc ad laborum relaxationem attribuit.* S. August. lib. 11. de civit. cap. 18. mundum hunc vocat carmen elegantissimum, ex quibusdam quasi antithetis compositum. Nos quoque illi creaturarum choro musico adiungamus, et omnes potentias animæ nostræ ac sensus corporis sua varietate iucundam Deo harmoniam efficientes. Ut enim ait Sixtus Philosophus in sententiis, non Sixtus Pontifex, ut male putavit Ruffinus. *Bona mens chorus est Dei: mala mens, chorus est dæmonum. Templum sanctum Deo est mens pii: et altare optimum ei cor mundum et sine peccato.*

Fines terræ. Quæres, Qui sint fines terræ, de quibus agit David? Respondent nonnulli intelligi Galliciam provinciam ultimam Hispaniæ, dictam *fines terræ*, quod Oceano adiaceat, ultra illam nulla terra continens Romanis esset cognita: illis enim America non innotuerat. Respond. secundo, *fines terræ* esse regiones, etiam toto mari separatas: omnia enim mundi regna, et extremos angulos, cæli et astra illuminant, atque Apostoli, de quibus dicam art. seq. Hinc Tertull. lib. 3. contra Marcion. cap. 22. legit. *In terminos terræ voces eorum.* Et lib. contra Iudæos c. 7. *Usque ad terminos terræ verba eorum.*

ARTICULUS II.

Apostoli et Apostolici viri cælis sunt similes, et per totum orbem Dei gloriam enarrant.

19. *Cæli sunt Apostoli, ob decem convenientias.* SECUNDUS sensus horum verborum *cæli enarrant gloriam Dei*, est de Apostolis, etiam ad literam, ut ostendi in titulo huius psalmi, et probat Salmeron t. 13. in Epistol. ad Rom. Adamus et Toletus: atque in Psal. nostr. S. August. et alii citati in titulo. Mystice ad Martyres transfert S. Ambros. Epist. 54. Secundo, S. Chrysost. hom. 47. ad fideles omnes. S. Cyprian. ad Iustos; Didymus, ad Angelos. Hi sunt iure meritissimo cæli existimandi, qui Dei gloriam enarrent, sive eorum excelsitatem, sive amplitudinem, sive splendorem, influxum aliaque contempleris.

I. *Enim sunt sublimes a terra.* Primo enim Apostoli sublimes sunt atque a terra elevati per divinorum mysteriorum contemplationem, ait, Lorin. per vitæ eminentiam, et celsitudinem, ut Ruffinus et Ugo, et Turrecremata. Cælestes enim viri non modo a lutulentis mundi voluptatibus atque quisquiliis pedem efferunt, sed ubi cervorum more montes conscenderunt, in aquilas mutati nubes transvolant et in cælis nidum sibi constituunt. Ad Philipp. 3. 20. Paulus ait: *Nostra autem conversatio* (πολιτευμα, vitæ ratio, et institutum, conversatio, agendi modus) *in cælis est.* S. Gregor. lib. 8. Mor. cap. 31. Sicut, inquit, domus exterioris conversationis est ædificium, quod inhabitat corpus; ita domus nostræ cogitationis, est res quælibet quam per dilectionem inhabitat animus. Unde Paulus, qui in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen a terra extraneus, dicebat: Nostra autem conversatio in cælis est. Ita Gregor. Ps. 112. 5. Sanctos David, et altos vocat, cum ait. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis* (Tertull. 4. in Marcion. c. 14. in excelsis) *habitat.* Alios per transitum visitat, in his pedem figit. Hoc de Sanctis explicet Augustinus. Vocatur Deus excelsus, et in excelso habitare dicitur Isaiæ 57. 15. *Hæc dicit excelsus, et sublimis habitans æternitatem* (manens in sua deitate, quæ est ipsa æternitas eius: vel in cælo empyreo incorruptibili et æterno) *et sanctum nomen eius, in excelso et in sancto* (quasi excelsus et sanctus sint synonima) *habitans.* Ps. 46. 10. ait Propheta: *Dii fortes terræ,* Chald. clypei terræ) *vehementer* (Psalt. Ambros. nimium) *elevati sunt.* S. Cyrill. lib. 11. in Ioann. cap. 29. et lib. 1. cap. 3. de ador. in spiritu, hoc de Apostolis atque eorum successoribus explicat, qui sunt fortes dii, id est, fortissimi debellantes mundum, carnem ac dæmonem.

II. *Sunt late fusi.* Secundo, latitudinem in cælis hic spectat Caietanus, qui pro *firmamentum* vertit extensionem: et Petavius, qui sic reddit, Enarrat immortalis Dei gloriam, ευρυς υπερθεν ουρανος, *latum superne cælum.* Apostoli et Apostolici viri latitudinem habent charitatis. Paulus ait Corinth. 2. Epist. 6. v. 11. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii* (q. d. in vos effundere gestio omne cor meum et scientiam atque affectum) *Cor nostrum dilatatum est* per charitatem, quæ cor calefacit, rarefacit, accendit et inflammat. Eamdem in eis charitatis dilatationem requirit vers. 13. Sic Philipp. cap. 1. v. 8. cor maxime latum et omnium capax ostendit, cum iurans dicit: *Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi*, q. d. vellem vos omnes in meo corde concludere ea charitate, qua Christus omnes nos complexus est. Eamdem etiam charitatem ab iis requirit v. 9.

20. III. *Fulgent per sapientiam.* Tertio, Apostoli fulgent radiis sapientiæ et bonæ famæ. In cælis hic lucem considerat Titelmannus, et alii. Sapientia increata dicit Eccli. 24. 6. *Ego feci in cælis* (Christus in Apostolis) *ut oriretur lumen indeficiens*, numquam deficiens a prima Solis ortu in hunc mundum. Tigurina vertit, *indefessum;* cæli non laborant neque fatigentur illuminando, ideo non minuitur eorum lux ut ignium fatuorum, qui se consumunt ardendo et lucendo prope aquas lutosas. Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi*, totius scilicet. Lampades sunt lux cubiculi et domus, sed

cæli sunt lux orbis totius. Unde S. Chrysost. homil. 10. in Epist. 1. od Timotheum ait: *Ideo ille nos elegit, ut simus quasi luminaria, et velut firmamentum evadamus, ut velut Angeli* cum *hominibus versemur in terra, ut tamquam viri cum pueris, tamquam spirituales cum animalibus agamus.* Lux non inquinatur etiam in lutum incidens: et tu fac similiter, lucens et conversans in hoc mundo. Pergit sanctus hic Pater. *Nullus certe Gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus.* Et quidem quot oppida, Urbes, et Provincias unus Paulus luce fidei illustravit: si omnes ei similes essemus, quot terrarum orbes illuminare possemus, et ad Dei laudes commovere? Ideo dicitur Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opere vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.*

21. IV. Pulcher rimi sunt per omnes virtutes.

Quarto, in cælis pulchritudinem hic et speciem considerat Sangrinus. Hæc cælorum pulchritudo ab astris maxime petitur, et ab eorum admirabili dispositione. In Apostolis et Apostolicis viris quot virtutes, tot sunt stellæ. S. Bern. serm. 27. in Cant. *Est cælum sancta anima habens Solem intellectum, Lunam fidem, astra virtutes.* S. Gregor. homil. 30. in Evangelia illud afferens, Iob. 26. 13. Spiritus eius ornavit cælos, aptissime ad rem nostram subdit: *Ornamenta cælorum sunt virtutes prædicantium. Quæ videlicet ornamenta Paulus enumerat, dicens 1. Cor. 12. 8. Alii datur per spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem spiritu. Alii gratia sanitatum in uno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult. Quot ergo sunt bona prædicantium, tot sunt ornamenta cælorum. Hinc rursus scriptum est Ps. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt. Verbum enim Domini filius est patris.* Et S. Ambros. serm. 12. in Psal. 118. Isti sunt cæli, ait, in quibus fides, gravitas, continentia, doctrina, vita cælestis est; et S. Chrysost. hom. 47. in S. Iulian. accommodatius adhuc ad Ps. nostr. ait: Quemadmodum cæli non emissa voce Dei gloriam enarrant, sed dum aspectus sui splendore spectatorem in admirationem conditoris traducunt, ita nimirum et martyr ille Dei gloriam enarrabat, cum cælum esset multo lucidius eo, quod videmus. Non enim ita cælum, ἀστρων χοροι, *astrorum chori* splendidum redduut, ut martyris corpus splendidius vulnerum sanies reddidit. Atque ut martyres vulnera, ἐν οὐρανῳ πεπηγοτων ἀστρων λαμπροτερα, *cælo infixis astris splendidiora* esse discatis, advertite. Ad illud quidem cælum ac stellas cum homines respiciunt tum dæmones. Sed ad huius etiam vulnera homines quidem respiciunt fideles, δαιμονες δε ἀντιβλεψαι ου τολμωσιν, dæmones autem non audent contra oculos attollere: sed si spectare conentur, continuo luminibus orbantur, nec possunt exilientem inde fulgorem sustinere. Ita Chrysost.

22. V. Celeres sunt in motu, per zelum animarum

Quinto, in cælis motum etiam spectat Iansenius. Apostolorum cursus fuit admirabilis. 1. Cor. 9. 26. ait de se Paulus: *Ego sic curro, non quasi in incertum.* Scopus eius erat Christus, ad quem omnes ducere conabatur. Cum cursu Evangelium deportabat, non velut onus, sed velut ales, quibus iuvaretur. 2. Thessal. 3. 1. *De cætero fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur.* Isaias mente contemplans Apostolos Christi orbem decurrentes, et ubicumque pedem figebant, Evangelii flores et fructus producentes, ait cap. 52. 7. *Quam pulchri* (Arabs Alex. decori vel clari. Paulus Roman. 10. 13. speciosi) *super montes* (eleva te a terra, ut per te transeant) *pedes annuntiantis et prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem.* Eusebius, Procopius, Leo Castrius verbum prædicantis Iesum. Hebr. ישועה *iescium*, id est, salutem, seu Salvatorem. Hebræi enim sæpe abstracta sumunt pro concretis. Tertull. lib. 5. contra Marcion cap. 13. legit, *Quam tempestivi* pedes evangelizantium pacem. Et cap. 5. *Quam maturi.* Vir Apostolicus mature se conferat ad eum locum, ad quem a Deo evocatur. Quam celeres esse convenit eos, qui ab Europa in ultimos usque Sinas penetrant per sex Leucarum millia? Cæli sint oportet, et cælis excellentiores, qui non ab ortu ad occasum, sed ab occasu eunt in ortum, et secum Lucem ac Solem semper orientem portant. Ibi adverte, pedes synecdochice poni pro toto homine. Rupertus in Matthæum hos motus viri iusti considerans et eius ornatum ait: *Cælum est anima sapientis, ut quæ habet lucida sidera, status motus, concinnas choreas, divinos circuitus, virtutum splendores fulgidissimos.*

23. VI. Incorruptibiles sunt per fugam peccati.

Sexto, cælum est incorruptibile: sive expers materiæ esse volueris, ut docet Averroes libro de substantia orbis cap. 2. Durandus in 3. dist. 12. quæst. 1. num. 14. Gabriel ibidem qu. 2. Aureolus apud Capreolum quæstione unica, art. 2. Mairones dist. 14. qu. 2. Bassolius qu. 1. art. 4. Gotofred. quodlib. 2. qu. 2. sive dixeris in cælo esse materiam, ut ostendit Avempace apud Albertum 1. cæli. trac. 1. cap. 3. Avicebron. in libro fontis vitæ. Plotinus lib. 1. Ennead. 2. Alexander 1. Nat. qu. cap. 10. Philoponus ad 6. et 13. Procli. Hervæus quodlib. 4. qu. 3. sive deinde asserueris cælum esse igneæ naturæ, sicut voluit Heraclitus, Pythag. S. Basil. homil. 3. Hexaem. S. August. 2. de Gen. ad lit. cap. 3. sive ex aere et igni, cum Empedocle: sive ut dicit Plato ex floribus elementorum: aut, ut loquitur Proclus, ex eorum deliciis; sive ex terra, cum Thalete et Anaximene: sive ex aqua, cum S. Cyrillo Hierosolymitano et aliis; sive potius censueris, materiam cæli esse diversam a sublunari, ita sentit Aristoteles lib. 12. Metaph. cap. 2. text. 10. S. Thomas 1. parte, qu. 66. art. 2. Alensis 2. parte qu. 44. memb. 2. Henricus quodlibet. 4. qu. 16. Richardus in 2. distinct. 12. qu. 8. Ferrariensis 3. contra gentes cap. 20. Apostoli et Sancti compositi sunt ex virtutibus, charitate scilicet, timore Dei, patientia, iustitia, et cæteris. Primo, erga Deum habent timorem filialem, qui semper manet etiam in cælo, Ps. 10. 10. *Timor Domini sanctus* (mundus, ut S. Hieron. vertit hic, et Epist. 120. cap. 21. castus, ut S. August. legit. 14. de Civit. cap. 9.) *permanens in sæculum sæculi.* Secundo, cum sunt provectiores Sancti, habent perfectam charitatem erga Deum, quæ numquam perit. 1. Corint. 13. 8. *Charitas numquam excidit:* per se scilicet, nisi abiiciatur. Tertio, erga se habent patientiam ad ferendos morbos et incommoda, hæc etiam manet in suo effectu, Ps. 9. 19. *Patientia pauperum non peribit in finem*, id est in æternum. Quarto denique erga proximum habent iustitiam, quæ suum cuique reddit, et numquam perit, Ps. 111. 3. *Iustitia eius manet in sæculum sæculi.* S. Hieron. vertit, perseverans semper. S. Chrysost. hom. 7. de pœnit. eum comparat cum oliva semper virente atque fructificante. S. Bern. serm. 27. in Cantic. Sponsam Christi, id est, fidelem animam, vocat iure, *imaginem æternitatis*, et virtutes in eius corde rutilantes nuncupat, *margaritas in sponsæ ornatu splendore perpetuo coruscantes.*

Iusti sunt imago æternitatis.

24. VII. Stabiles sunt per constantiam.

Septimo, Sive cælum soliditate fixeris, sive fluiditate permeabile volueris, semper idem sine mutatione perstat, neque loco suo excelso cedit, ut in ima defluat: nec ventis aut procellis a mirabili motus sui constantia, vel temporis punctulo dimovetur. Hoc S. Greg. homil. 6. in Evangel. e pietatis studioso deposcit. *Non nos*, ait, *prospera elevent, non adversa perturbent, ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mutabilitate moveamur.* Vox firmamenti in psalmo nostro eam stabilitatem aperte notat, ut vidit Ludolphus. Cæli, inquit, id est, Apostoli et Evangelistæ, in quibus tamquam in cælis habitat Deus. Dicti etiam cæli, quia excellenter illuminati et per vitæ sanctitatem eminenter elevati enarrant in sua prædicatione gloriam Dei, scilicet Domini nostri Iesu Christi, id est, gloriam divinitatis eius, in qua est æqualis patri; et ea quæ secundum humanitatem fecit: scilicet resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, peccatorum remissionem, et huiusmodi; et opera manuum eius, id est, opera humanitatis, quæ secundum hominem egit (scilicet nativitatem, passionem, mortem, et facta virtutum eius, et huiusmodi) annuntiat

firmamentum, id est, *ipsi iidem Apostoli firmati Spiritu sancto, et solidati in fide et charitate.* Ita Ludolphus. Hanc mentis firmitatem et fortitudinem in sanctis Martyribus Gervasio et Protasio, et in Apostolis laudat S. Ambros. Epist. 54. ad Marcellinam sororem. *Isti sunt cæli*, ait, *qui enarrant gloriam Dei: hæc opera manuum eius, quæ annuntiat firmamentum. Non enim eos sæcularis illecebra, sed divini operis gratia firmamentum sacratissimæ passionis evexit. Multoque ante morum virtutumque documentis annuntiavit in his martyrium, quod adversus lubricum sæculi huius stabiles permanserunt. Cælum erat Paulus, qui ait Philipp. 3. 20. Nostra conversatio in cælis est. Cæli erant Iacobus et Ioannes: denique filii tonitrui nuncupantur, Marci 3. v. 17. et ideo quasi cælum Ioannes verbum apud Deum vidit. Ipse Dominus Iesus perpetui luminis erat cælum, cum enarraret Dei gloriam, sed eam quam nemo ante conspexerat.* Charitas stabilit Apostolos in suis itineribus pro Christo susceptis. Cantic. 5. v. 15. Sponsa ait de dilecto suo, *Crura illius columnæ marmoreæ* (Theodotio, Pariæ, id est, ex Paro insula, in qua est marmor candidissimum) *fundata super bases aureas*, id est, super charitatem, quæ crura et pedes Christi, id est, Apostolos, suffulcit et roborat, atque invictos facit, ut S. Greg. Nyssenus, et Philo Carpathius exponunt. Cælum hic vocat Magnetius *cæli aurea templa*, cum itaque Apostoli sint cæli, non tantum habent caput aureum, id est, cogitationem: sed etiam pedes; id est, affectionem.

25. VIII. Continuum habent cursum per perseverantiam.

Octavo, non tantum quieto, sed etiam perenni cursu cælum volvitur, ac benigno lumine influit, tam in ea, quæ in nubibus, et aere sunt posita, quam in ea, quæ terræ aut maris sinu continentur. Apostoli cum victrice omnium difficultatum perseverantia, usque ad mortem, orbem percurrerunt. Sunt tubæ, quæ tamdiu insonuerunt, donec caciderent muri Iericho, id est, mundi obstinatio. Iosue 6. 4. et sequ. *Septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in iubilæo, et præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, et Sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.* Mundus est Iericho: murus eius, ut dixi, est obstinatio peccatorum; tubæ Sacerdotales, sunt prædicatio Apostolorum; septenarius circuitus, est perseverantia per totam vitam, quæ septem diebus decurrit, et infatigabilis decursus totius orbis: tubis, quibus utebantur in iubileo, murus evertitur, quia id fit ad indulgentiam concedendam hominibus per interitum peccati: corneæ erant, ut paupertatem et robur Apostolorum figurarent; populus conclamat, ut exultatio manifestetur populorum, hostes suos tartareos superantium, et spes in Deum exercituum. Ingrediuntur singuli per locum contra quem steterant, quia opus addendum est prædicationi. S. Augustinus hanc ruinam Iericho considerans, ait, serm. 106. de tempore. *Sicut tunc canentibus tubis muri illi ceciderunt; ita et nunc oportet ut civitas mundi, id est, superbia cum suis turribus, avaritia scilicet, invidia atque luxuria, simul cum populis, id est, omnibus concupiscentiis malis assidua Sacerdotum prædicatione destruatur, atque dispereat. Non ergo oportet, ut Sacerdotes in Ecclesia taceant, sed audiant Dominum dicentem: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum.* Lege cætera. S. Chrysost. vero in Psal. 46. Nec vero, ait, aberraveris, si tubas vocaveris ora Apostolorum: non tubas quidem æreas, ἀλλὰ χρυσοῦ τιμιωτέρας, καὶ λίθων πολυτελεστέρας, *sed auro pretiosiores, et gemmis magnificentiores.* Cur ergo non dixit, in tuba, sed in voce tubæ. Significans eorum concordiam et animi consensionem: sicut etiam dicit Paulus 1. Cor. 15. 11. Sive ergo ego sive illi, sic prædicamus: et rursum Lucas Act. 4. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una. Tuba autem canebant, non ad bellum incitantes, sed prædicantes atque annunciantes victoriam. Quemadmodum enim in castris quando cum signis in aciem prodeunt, præcedunt tubæ, quæ præsentes excitant, non aspectu solum, sed etiam audita: ita tunc factum est, ingredientibus Apostolis in unamquamque civitatem tubæ sonabant, et ad audiendum omnes effundebantur. Ita Chrysost. Tintinnabulis aureis quæ erant in veste Pontificis eos comparat S. Iustinus in Triphonem. S. Prosper et Rupertus: extremitas vestis, denotat finalem perseverantiam.

26. IX. Totum orbem lustrant per charitatem.

Nono, cælorum et Apostolorum prædicatio est universalis, et toto orbe diffusa. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Vide dicta præcedenti articulo. Sunt qui per S. Iacobum, hanc prophetiam completam esse velint, cum in Galliciam Hispaniæ Provinciam, quæ *fines terræ* dicitur, penetrarit. De eius adventu in Hispaniam Mariana eruditum tractatum scripsit, et Velascus Castellæ Comestabilis discursus duos. Sed tuba evangelica longe remotiores terras pervasit, et sono divino complevit. S. Thomas quidem in Europa, Asia, Africa, atque America concionatus est, ut patet ex eius vita, et variis literis ac libris patrum Societatis Iesu ex Brasilia, Paraquaria regione, ex Malabarica et Sinensi ad nos missis. S. August. in Psal. 121. *Apostoli*, ait, *quamvis in terra essent carne, cælum erant: quia in illis Dominus sedens per totum mundum ambulabat.* Et S. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium Pontificem cap. 1. ait. *Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt non aliquas regiones, sed ipsum debellaturi orbem. Ite in orbem universum dictum est illis Marc. 16. Ipsi vero vendentes tunicas, emere gladios, ignitum eloquium et spiritum vehementem arma potentia Deo. Quo non pervenerunt victores inclyti filii excussorum? Quo non sagittæ potentium acutæ cum carbonibus desolatoriis. Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Penetrabant et incendebant verba illa incensa igne, quem Dominus misit in terram. Occumbebant strenuissimi bellatores, sed non succumbebant: triumphabant et mortui. Nimis confortatus est principatus eorum: constituti sunt principes super omnem terram. Eis tu successisti in hæreditatem. Ita tu hæres, orbis hæreditas.* Vide illum lib. 2. cap. 6. et Epist. 131.

27. X. Deum habent orbem inhabitantem per gratiam.

Decimo denique, in cælis habitat Deus. Vide dicta Ps. 2. 4. In Apostolis, Evangelistis, aliisque eum per orbem portantibus sedem sibi statuit. Isai. 66. 1. *Cælum sedes mea.* Hoc de iustis exponit S. Ambros. serm. 12. in Ps. 118. in psalmum vero 121. v. 21. S. August. illud expendens: *Tu autem in sancto habitas, laus Israel*, ait: Qui habitat in cælo, habitat in Sancto. Quod Christus profitetur Ioan. 14. 23. Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Cant. 3. 9. *Ferculum* (Hebr. אפריון *appirion*, id est, lecticam, ut ait Luisius Legionensis, et Sanches) *fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium* (Hebr. רפידה *rephido*, id est, posterior pars in lectica vel curru, ubi dorsum acclinamus ad quiescendum) *aureum, ascensum* (Hebr. מרכב *mercab*, est gradus quo ad lecticam ascenditur, ut ait, Hortolanus; 2. vehiculi integumentum, seu cælum, ut Genebrard. et R. Abraham; 3. vehiculum ipsum seu lectica, ut Arias; 4. sella ut Pagninus, id est, sedes in quam ascendebant, et ubi sedebant sponsus et sponsa) *purpureum: media* (Hebr. תוכו *tocho*, id est, medium eius) *charitate constravit propter filias Ierusalem*, id est, propter animas fideles aut ad fidem convertendas fecit sibi Christus ferculum, hoc est Apostolum v. g. Paulum, qui sit, ut dicitur Act. 9. 13. *Vas electionis, ut portet nomen eius coram gentibus et regibus, et filiis Israel.* Tres patres Anonymi apud Theodoretum, per ferculum hoc Salomonis intelligunt Doctores, quibus quasi curru vehitur Christus ad docendos et perficiendos homines: per columnas argenteas, accipiunt eloquia Domini: per reclinatorium aureum mentis pacificæ tranquillitatem: per ascensum purpureum, cælestem patriam, in qua rex Christus, quasi Salomon pacificus omnes sanctos efficit purpuratos, hoc est reges. S. August. in Ps. nostr. de Evan-

gelistis, sic locum nostrum explicat. *Iusti Evangelistæ*, ait, *in quibus Deus tamquam in cælis habitat, exponunt gloriam Domini nostri Iesu Christi, sive gloriam qua glorificavit patrem filius super terram. Et facta virtutum Domini annunciat firmamentum, fiducia Spiritus sancti cælum factum, quod antea timore terra erat.*

28. Apostolorum lux diem sanctitatis efficit. Lux ex Apostalis, ut cælis, emicans diem effecit. Unde additur. *Dies diei eructat verbum:* noctem etiam illuminat firmamentum stellarum suarum luce, *et nox nocti indicat scientiam.* Ubi adverte, non esse hic sumendam noctem ut quid triste et tenebrosum; sed ut tempus quietis: vel certe, velut tempus tribulationis, sed cum luce gratissima consolationis, ut apparuit in Martyribus.

Sensus itaque est. *Dies*, id est, lux unius Apostoli, v. g. Petri, *diei*, id est, alteri Apostolo, v. g. Paulo, qui eum adiit, ut velut Ecclesiæ Principem at caput consuleret Galat. 1. 18. *eructat*, et cum ubertate et abundantia lucis communicat atque effundit *verbum: et nox*, idem Apostolus in fama, et siti, et frigore, ac nuditate, aliisque afflictionibus lucens et irradians, *nocti indicat scientiam*, practicam scilicet Crucis cum gaudio ferendæ et optandæ. Asterius in catena. *Dies diei eructat verbum*, id est, ait, Apostolus Apostolo divinum præconium affert. Sic Paulus Galat. 2. 1. dicit, se post annos quatuordecim, a prima sua vocatione, ut explicat Baronius, iterum ascendisse Ierosolymam cum Tito, ut conferret Evangelium suum, cum iis, qui videbantur aliquid esse, id est, cum primariis Apostolis; Petro scilicet, Iacobo et aliis. De eo Concilio agitur Act. 15. Iam post annos 14. a sua conversione ad Iesum, Paulus erat dies, et quidem clarissima, cum iam in ipso conversionis tempore circumfulsisset illum lux de cælo, Act. 9. 3. Et tamen sicut tunc missus est ad Ananiam, ut ab eo lucem maiorem et Sacramentum illuminationis, id est, baptismum acciperet: ita post tot annos per revelationem movetur, ut adeat Apostolos de rebus dubiis eos consulturus. Ioannes Baptista erat Lucerna ardens et lucens, Ioan. 5. 35. Christum lucem veram ostendit discipulis suis, Ioan. 1. 35. ut exultarent in luce eius. S. Andreas, qui erat unus ex duobus, quibus Ioannes fontem lucis Iesum ostenderat, invenit fratrem suum Simonem, qui postea vocatus est Cephas, id est, Petrus, et ad Iesum adduxit, vers. 40. S. Philippus Nathanaelem etiam eodem modo illuminavit, v. 43. sic fit cælum ex multis stellis, et dies ac nox lucidissima ex permistis multis radiis. Conversatio cum Sola Christo Apostolos effecit dies. S. Ambros. lib. 3. de virginibus sub finem. *Ait Petrus Luc. 5. v. 5. Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus, sed in verbo tuo laxabo rete. Noctem habebat Petrus, antequam Christum viderat. Nondum ei venerat dies, quia verum non viderat lucem. Synagoga nox est, dies Ecclesia est. Unde et Paulus dicit Rom. 13. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Bona lux quæ perfidiæ excussit caliginem, fidei diem fecit. Dies factus est Petrus, dies Paulus. Ideoque hodie natali eorum Spiritus sanctus increpuit, dicens: Dies diei eructat verbum: hoc est, ex intimo thesauro cordis fidem prædicant Christi, et bonus uterque dies qui nobis verum lumen evomuit. Hoc in Evangelio legimus, et fortasse in cælo hodie de nobis Christi et Petri iste sit sermo. Quotidie piscatur Petrus, quotidie ei dicit Dominus Luc. 5. 4. Duc in altum. Videor mihi audire dicentem Petrum: Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. Nox fuit, cum pauciores, ad vigilias convenerunt.* Dies præsertim facti sunt Apostoli in die Pentecostes, cum super caput ipsorum sedit Spiritus sanctus in forma linguarum ignearum, et replevit totam domum, unde egressi in vias et plateas eructarunt lucem diei, id est, multitudini ad fidem conversorum, qui etiam accipiebant Spiritum sanctum, ut eius luce circumdati, dies esse viderentur et filii, imo parentes lucis, alios deinde illuminantes. Idem S. Pater Epistol. 54. ad Marcellinam sororem, de Ss. Gervasio et Protasio dicit: *Dies diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies pleni luminis et fulgoris æterni, qui non perfunctorio sermone verbum Dei, sed intimo corde eructarunt, in confessione constantes, in martyrio perseverantes.* Possis dicere, diem esse virum iustum perfectiorem; noctem vero, Catechumenum, aut de novo conversum, aut tantis virtutibus et scientia non radiantem, qui tamen lumen suum aliis impertit bono exemplo atque operibus. Item, Christianus Christiano ut dies diei: Iudæus Iudæo, ut nox nocti scientiam eructavit legis veteris aut novæ.

Secundo, Concionator et Doctor est dies, cum sublimia mysteria Trinitatis, Incarnationis, Prædestinationis, et similia inter peritos ac perfectos explanat. Nox est, cum de pœnis inferorum, et aliis facilioribus, aut terrorem incutientibus sermonem inter rudiores et vitiis adhuc adhærentes instituit. Notatur hic, ait Hugo, cautela, quam debet habere Prædicator, ut pro modo et capacitate auditorum temperet modum suæ prædicationis. Dies erat Apostolus, cum sapientiam loquebatur inter perfectos 1. Corinth. 2. 6. Nox erat, cum dicebat ibidem 3. 2. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: Lac vobis potum dedi, non escam.* Unde Cantic. ultim. 9. dicitur: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Hoc est, quantum ad sapientes, quibus debent subtilia prædicari. *Si ostium est*, quantum ad simplices et idiotas, *compingamus illud tabulis cedrinis*, id est, exemplis Sanctorum. Talibus enim debent facilia et non subtilia prædicari. Unde Ezech. 44. præcipitur. Cum egrediuntur Sacerdotes, scilicet in atrium exterius ad populum, exuent se vestimentis lineis, in quibus ministraverant, et vestient se vestimentis aliis. Dies debet esse prædicator ad illuminandum tenebras, et ad calefaciendum frigidos. De primo 2. Cor. 4. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus vestris ad illuminationem scientiæ, et claritatis Dei.* De secundo 2. Cor. 11. 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Item nox debet esse, propter memoriam infirmitatis, et patientiam tribulationis, et propter compassionem fraternam, et corporis macerationem. Isai. 50. 3. *Induam cælos tenebris.* Per memoriam infirmitatis. 2. Corint. 11. 30. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor.* Per tribulationum patientiam. Unde 2. Cor. 4. 8. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur.* Per compassionem fraternam Rom. 9. 3. *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio filiorum est.* Per carnis macerationem. 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* 29. Concionator dies est et nox.

Symbolice. Dies diei, id est, Pater æternus Filio, eructat verbum: quia, ut ipse ait, *Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me, Patris.* Ioan. 7. 16. et v. 17. dicit nihil se loqui a semetipso. Ita Euthym. hic, et Chrysost. in Ps. 96. 30. Symbolice. Dies diei eructat verbum variis modis.

I. Secundo, *Dies*, id est, Deus, *diei*, id est, Christiano, eructat verbum et scientiam, cum eum interius instruit:
II. et *nox*, hoc est, humanitas Christi, *noctem*, id est, pœnitentes illuminat atque animat. S. Greg. in Ps. 5. pœnit. v. 3. *Sentite*, ait, *de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum: cordis enim simplicitas dies est, quam fraus non obnubilat, non offuscat dolus: quam lux veritatis illuminat, præsentiæ divinæ claritas illustrat.*

III. Tertio, *Dies diei*, id est, Angelus Virgini, eructat verbum in Incarnationis nuntiatione. S. Bern. serm. 5. ex parvis. *Dies diei eructat verbum. Dies diei, Angelus Virgini. Dies Angelus, propter beatitudinem: dies Virgo, propter integritatis virtutem.* 2. Dies diei eructat verbum: id est, Deitas Virginitati de utero paternæ maiestatis, in utero maternæ integritatis; 3. Dies diei eructat verbum: id est, Deus Pater animæ rationali per fidem illuminatæ. Sic ibi Bernardus, qui etiam serm. ult. de Nativ. B. Virginis Deum Patrem, diem: et Virginem, diem eodem modo esse declarat.

IV. Quarto, S. Ambros. epist. 54. ad Marcellinam sororem: *Dies*, inquit, *diei eructat verbum: anima animæ, vita vitæ, resurrectio resurrectioni. Et nox nocti indicat scientiam: hoc est, caro carni, quorum passio veram fidei scien-*

tiam omnibus indicavit. Bonæ noctes, noctes lucidæ, quæ habent stellas. Sicut enim stella a stella differt in claritate, ita et resurrectio mortuorum. S. Augustin. serm. 22. de Nativ. Domini, sit, Diem nativitatis Christi eructare diei Passionis, et hunc diei Resurrectionis: noctem nocti annunciare verbum eodem pacto: illic natum, hic passum: in illa Angelorum gaudium, in ista totius mundi luctum: sed tamen, omnium in resurrectione triumphum. Et quidem luce nobis a Christo data omnes illuminamur et vivificamur. S. Bern. serm. 5. ex parvis. *Nos dicimus verbum indicatum, verbum inspiratum, verbum eructatum. Primum cognitionem, secundum conversionem, tertium vivificationem. Primum obfuit, secundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obfuit: quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Secundum non profuit, quia non data est Lex, quæ possit vivificare. Tertium vivificavit, quia per crucem redemit. Priorem totum deforis, secundum foris et intus, etc. Vivificabit nos post duos dies, scilicet cognitionis et conversionis; in die tertia suscitabit nos, voce verbi incarnati per primam suam resurrectionem: et vivemus in conspectu eius vivificati per passionem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem; sequamurque, ut cognoscamus dominum, instructi per doctrinæ conversionem.* Hæc Bernardus.

ARTICULUS III.

In Sole maiestatem suam Deus maxime manifestat.

Cælis quidem astrisque singulis deportandam, orbique prædicandam gloriam suam tradidit Deus; sed præcipuum in eis doctorem et cælestem paranymphum atque evangelistam voluit esse Solem, luminis fontem et originem. Quod hic Propheta noster aperit, eum quatuor pulcherrimis illustrans elogiis.

31. Solis elogia quatuor. Primo enim, Solem ait esse tabernaculum Dei ob maiestatem, v. 6. *In Sole posuit tabernaculum suum*, Deus scilicet.

Secundo, Sponsum vocat, ob pulchritudinem. *Et ipse* (Sol) *tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

Tertio, Gigantem, ob magnitudinem et robur, vers. 7. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Longitudinem viæ illius delineat. *A summo cælo egressio eius.* Celeritas decursus. *Et occursus eius usque ad summum eius.*

Quarto denique, parentem orbis, ob fœcundationem. Ibid. *Nec est qui se abscondat a calore eius.*

I. Sol est Dei tabernaculum, et quomodo? Vers. 6 1. Pars. Ac Primo. Sol est Dei tabernaculum, seu tentorium imperatorium et regium v. 6. In Sole posuit tabernaculum suum. Sensus est primo, ait Guilielmus Scepreus. *In Sole*, hoc est, palam et aperte toti mundo tabernaculum suum manifestavit in cælis. Sic dicit Deus per Nathan Prophetam Davidi post peccatum. 2. Reg. 12. v. 12. *Ego facio verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu Solis*: id est, apertissime, in omnium oculis. Christus ait Apostolis Luc. 12. 3. *Quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur.*

Secundo, et melius, sensus est, q. d. Inter omnia cælestia corpora, nullum æque Dei maiestatem testatur et glorificat, atque Sol, sidus præclarissimum, maximeque divinum. In hoc peculiariter Dominus constituit tabernaculum suum, suamque mensionem: non enim alibi gloriam maiestatis suæ gloriosius et clarius spectandam exhibuit, quam in Sole præ aliis maxime glorioso: in quo sic conspicitur, veluti si gloriosissimus Imperator residet spectabilis et admirandus in suo proprio tabernaculo. Ex hoc, quasi e regia sua, omnia supera et infera mirabiliter regit, cum Sol sit omnium siderum dux et luminis eorum fons, cunctarum vero caducarum rerum salus et conservatio. Ita Iansenius. In eo continetur Deus, veluti vase admirabili, ex quo vitales liquores orbi universo effundat. Eccli. 43. 2. a Iesu filio Sirach vocatur, Vas admirabile. Sic enim ait: *Sol in aspectu annuncians in exitu*

A (q. d. In aspectu, id est, aspectu suo, radiis et luce annunciat et prædicat Dei gloriam, statim atque oritur, et velut sponsus exit de thalamo suo.) *Vas admirabile, opus excelsi.* Vas, hoc est, instrumentum, organum. Sic arma ab Hebræis vocantur vasa belli, id est, instrumenta bellica. Sol porro est vas admirabile. Primo, ob unitatem. Nam Sol dicitur, quod solus ex omnibus sideribus sit tantus: vel, quod solus, eum est exortus, obscuratis omnibus diis appareat, ait Tullius lib. 2. de Nat. Deor. Est veluti lucis arbiter et Monarcha; 2. est vas admirabile, ob pulchritudinem et splendorem. Hinc a Davide nostro sponsus vocetur, ut infra videbitur; 3. et ob magnitudinem: ideo appellatur gigas, de quo etiam est dicendum; 4. ob altitudinem, distat enim a terra saltem quatuor millionibus milliarium; 5. ob situm. Nam velut Rex est situs in medio planetarum. Nam infra se habet Lunam, Mercurium, Venerem: supra se vero Martem, Iovem, et Saturnum. Itaque reiiciendus est Xenocrates, qui omnes planetas et astra universa censuit in una eademque cæli superficie moveri. Item Alpetragius, qui docuit eum proxime supra Mercurium constitui: ut Venus Sole superior, et inter planetas media resideret. Neque audiendus est Anaximander, Metrodorus Chius, et Crates Thebanus, qui supremum omnium atque extimum fecere Solem: neque Ægyptii, Pythagoras, Timæus Locrensis, Eudoxus et alii multi Græcorum Philosophi, qui Solem in secunda sede collocarunt; 6. Sol est vas admirabile ob motum et velocitatem, de qua dicam infra; 7. ob gyrum, quo miro modo percurrit Zodiacum, qui, ut ait Leo Hebr. de amore, dial. 2. est quasi circulus animalium ab Astrologis sic appellatus. Melius sic describes: Zodiacus est circulus in Sphæra, qui alio nomine *obliquus* dicitur, duodecim continens signa: ex una parte Tropicum Cancri, ex altera Tropicum Capricorni comprehendens, ac medium intersecans Æquatorem: a quo vicissim et ipse secatur circa principia Arietis, et Libræ. Porro cum cæteri omnes circuli sine latitudine et profundi-

C tate esse intelligantur, veluti quædam Lineæ, huic tamen latitudo graduum sexdecim tribuitur: quam quidem latitudinem mediam dividit Linea Ecliptica, utrimque gradus octo latitudinis relinquens. A figura ζωων, id est, animalium, quæ in eo imaginantur Astrologi, dictus est Zodiacus. Neque hoc temere finxerunt: nam constellationes illæ suo situ et compositione effigiem illorum animalium, v. g. Arietis, Tauri, et aliorum repræsentant. Obliquitatem, picturam et signa Zodiaci, primus Græcis tradidit Pythagoras, ut docet Plutarchus: vel Anaximander, et Cleostratus, ut Plinius lib. 3. cap. 8. eam sibi gloriam tribuebat Oenipodes Chius, teste Plutarcho; 8. Sol est vas, hoc est, instrumentum admirabile, ob efficaciam: quia luce sua omnibus dat vigorem, motum atque vitam, de qua dicetur postea; 9. ob calorem, ut patet in Zona torrida. Non est enim qui se abscondat a calore eius. Trismegistus vocat ὄργανον, id est, *instrumentum*, per excellentiam scilicet, quia enim cœ sno ac luce omnia efficit. Cum

D homine hominem, cum Leone Leonem, cum flore florem, et sic de cæteris, producit. Sed omnia ad conditoris sui laudem, cuius est primarius minister orbi universo præpositus. Unde ab Hebr. vocatur שמש *scemes*, id est, minister, ut tradit Mercerus a Rad. Chald. et Syr. *scimmes*, hoc est, servivit, coluit, ministravit, ut habet Buxtorfius, eum nominat Cleanthes πλῆκτρον, *plectrum*, radiis enim suis Sphæras alias et omnes creaturas tangens cum illis gratissimam musicam efficit ad laudem creatoris.

Ab illa admiratione orta est veneratio et adoratio Solis apud Persas, Chaldæos, Indos, variosque populos; imo et aliquando apud Iudæos ut patet Ezech. 8. 16. Solem Menander vocat, *Deorum primum, per quem videntur cæteri.* Macrob. lib. 1. Satur. cap. 21. eum appellat, *Iovis oculum.* Orpheus, ut annotat Marsil. Ficin de Sole cap. 6. illum vocat, vivificum cæli oculum; ac dicit, sicut ex eius carminibus elicitur, quod, Sol est oculus æternus omnia videns, supereminens cæleste Lumen, cælestia temperans et mundans, harmonicum mundi cursum ducens

Sol est vas admirabile ob novem rationes.

Sol est Dei minister.

Menander vocat Deorum primum.

Macrobius Iovis oculum.

seu trahens, mundi Dominus, Iupiter immortalis, mundi oculus circumcurrens, habens sigillum, omnia mundana figurans. Mercurius Trismegistus Deorum principem esse dictitabat. Iulian. Imper. orat. 4. Θεον μεγιστον id est,
Plato boni filium
Deum maximum. Plato lib. 7. de leg. Solem et Lunam ait esse, μεγαλους θεους, hoc est, magnos Deos. Et lib. 6. του αγαθου εκγονον, id est, boni filium: atque in cratylo refert, quosdam censere Solem solum esse δικαιον, hoc est, iustum: quod solus discurrendo et calefaciendo omnia gubernet.
Persæ, Deorum maximum.
Persæ Deorum suorum maximum illum statuebant, eique singulis diebus nascenti supplices ac venerabundi accidebant Iudæi, cum a Dei veri cultu defecerunt, Solem præcipuo cultu venerati sunt, et οντα, hoc est, existentem, appellarunt: atque per illum iurabant, dicentes: νη τον βασιλεα, νη τον δεσποτην ηλιον, *per regem, per Dominum Solem*, ut ait S. Cyrill. Alexan. in Sophoniam: unde vides, quod eum vocabant *Iehova*, hoc est, ipsam essentiam, seu ipsum existentem. Pisidas in Hex. nuncupat κοινον ομμα, πανοπτριαν κορην, oculum communem, pupillam omnia videntem. Artemidorus, εποπτην και φυλακα παντων inspectorem et custodem omnium. Plinius lib. 2. cap. 6. omnia intuentem, et omnia exaudientem.

32. Varietas versionum.
Nota, pro *in Sole* Hebr. est לשמש *lascemes*, id est, Soli, ut vertunt Aquila, Symm. S. Hieron. Flamin. Mulsius, et alii Hebræis insistentes: quia Lamed est articulus dativi casus. Vertunt itaque, *Soli posuit tabernaculum in eis*, cælis scilicet, q. d. Deus sedem ac thronum Soli, velut siderum omnium imperatori, posuit in cælorum medio, ut omnibus radios suos communicet, et ab omnibus veluti princeps honoretur. Eum nuncupat Macrobius lib. 1. in somn. Scip. *cor cæli*, et ignis ætherei fontem.
Sol cor cæli.
Dicitur a Mercurio Trismegisto Asclep. cap. 8. υπαρχης hoc est, princeps substantialis. Recte tamen Septuaginta *lascemes*, reddunt, εν τω ηλιω: quia Lamed non tantum est articulus, sed etiam præpositio, quæ significat *in*, cum accusativo, ut Isaiæ 2. 4. et cum ablativo Iob. 2. 13. Unde Arabs vertit, *Posuit habitaculum suum in Sole*; et Syrus, *Super Solem fixit tabernaculum suum in eis*. Deinde sola auctoritas Septuag. interpretum sufficit: non est enim dubium, quin longe peritiores fuerint sui idiomatis, quam omnes recentiores, et quam ipse S. Hieronymus. Non est itaque necesse dicere, eos aliter legisse quam nunc, ut vult Leo a Castro. Utrumque autem verum est: nempe et Deum posuisse tabernaculum Soli in cælis: et sibi in Sole, quo veluti se vestivit, ut spectabilem se et mirabilem orbi præberet.

Secundo, Pulchritudinem Solis demirans Propheta eum
33. Vers. 6. 2 Pars Sol pulchritudine sponsum refert.
vocat Sponsum vestibus nuptialibus exornatum v. eod. 6. ET IPSE (Sol scilicet) TAMQUAM SPONSUS PROCEDENS DE THALAMO SUO. Heb. חפה *chuppa*, significat cubiculum nuptiale: in quod Sponsus et Sponsa se recipiunt et abscondunt. Rad. חפה *chapha*, abscondere, tegere, operire. Thalamus etiam proprie est cubiculum nuptiale utrique coniugi commune: unde epithalamium, est carmen nuptiale.

Sensus itaque est, q. d. Sol in aurora exoriens ex altero hemispherio, in quo latebat, videtur egredi, et ad nos venire instar Sponsi, primo die nuptiarum e cubiculo suo exeuntis, et vestibus auro gemmisque radiantibus, roseo vultu, corona nuptiali, et coma rutilante, radientis. Auroram, velut Sponsam, educit Homer. Iliad. 11. εκ λεχεων παρ αγαυου τιθωνου; id est, ex lectis a splendido Tithono, amasio suo. Idem facit Maro lib. 9. Æneidos. Porro S. Cæsarius, Gregorii Nazianzeni frater dialog. 1. recte docet a Davide nostro hic describi matutinos exortus Solis, et alacritatem ac temperamentum aspectus eius matutini, quia meridie sæpe refugimus æstum ipsius: at exortu iucundus est, ac veluti sponsus conspicitur, et ab eo tempore ad vesperam usque per radiorum suorum reflexiones dissolvit iucunditatem aeris, et cum terra ad excitandam fertilitatem quasi coit, eamque fovet, ad proferenda semina provocans. Illum S. Cyrillus Catech. 9. vocat νυμφιον ορωμενον, id est sponsum conspicuum. *Quis*, ait, *non admiretur aspiciens solis machinam? quam parvum vas illud apparet, et quam magnam continet virtutem. In oriente apparens, et usque ad occidentem lumen emittit. Cuius matutinos ortus describens psaltes, dixit: Et ipse tamquam Sponsus procedens de thalamo suo: splendoris illius proportionem, pro ipsius modo apparentis in cælo descripsit. Meridianam enim illius rapiditatem persæpe propter fervorem fugimus. Simul ut oritur, iucundus est omnibus, sicut Sponsus conspicuus.* Hæc Cyrillus.

Sponsus ille Rex est: itaque regia purpura et ornatu effulgens prodit. Iulianus Imperator orat. 4. eum in medio planetarum, ut principem, collocans: Οι πλανηται, inquit, περι αυτον, ως βασιλεα, χορευοντες, *Planetæ circa Solem, velut Regem, choreas agunt*. Et Philo lib. de mundi opificio: *Deus*, ait, *diei præfecit Solem*, ως μεγαν βασιλεα *tamquam magnum regem*. Eius pulchritudinem paucis declaret Alcuinus sive Albinus Flaccus disp. cum Pipino Caroli Magni filio: *Quid*, inquit, *est Sol? splendor orbis, cæli pulchritudo, naturæ gratia, honor diei, horarum distributor*. Et S. Ambros. lib. 4. Hexaem. cap. 1. ubi recte advertit ad fontem illius pulchritudinis nempe ad Deum, esse oculos et animum referendum. Sic enim loquitur: *Sol est oculus mundi, iucunditas diei, cæli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Sed quando hunc vides, auctorem eius considero: quando hunc miraris, lauda ipsius creatorem.*

Tertio, David Solem giganti comparat ob magnitudinem, et ob cursus velocitatem, atque ob robur seu agendi efficaciam, v. 7. EXULTAVIT UT GIGAS AD CURRENDAM Vers. 7.
VIAM: A SUMMO CÆLO EGRESSIO EIUS, ET OCCURSUS EIUS 1 Pars.
USQUE AD SUMMUM EIUS, NEC EST QUI SE ABSCONDAT A CALORE EIUS.

Primo, Sol iure pingitur velut gigas, ob prodigiosam 34.
suam magnitudinem et molem. Est enim inter omnia a- Sol est
stra mundi maximus, sicut Mercurius minimus, ut docet gigas.
Clavius in cap. 1. Sphæræ Ioannis de sacro bosco, ubi 1.
docet quanta sit magnitudo stellarum. Heraclitus est ri- Ob magnitudinem, et qualis ille sit.
diculus, qui, ut ait Plutarcho lib. 2. de placitis Philosophor. cap. 21. Solem posuit latitudine pedali: Anaxagoras dixit, multiplici ad Peloponesum proportione Solem esse. Anaximander, esse terræ æqualem, circuli autem, a quo erumpit halitu, et in quo fertur, quantitate, molem terræ vicies octies contineri. Epicurus rursum ait, posse omnia ista vera esse, aut tantum esse, quantus et qualis videtur, vel maiorem paulo aut minorem. Alexander Aphrod. in 1. Met. cap. 3. textu 7. Sol, inquit, ad terram sexdecuplum est. Mathematici docent communiter, Solem esse centies et sexagies sexies terra maiorem: itaque 160. terræ globos in se capere et complecti. Clavius censet in se continere terræ magnitudinem centies et sexagies sexies: itaque eius molem continere milliaria 2976567255690. id est, ad duos trilliones, nongentos septuaginta sex billiones, quingentos sexaginta septem milliones, ducenta quinquaginta quinque millia sexcenta nonaginta. Averroes ex distr. disputat. 5. et Simplicius in 2. de cælo cap. 83. num. 112. ait, Solem centum septuaginta vicibus esse maiorem terra. Cornelius a Lapide in cap. 43. Eccl. v. 2. testatur, audivisse se Romæ insignem Mathematicum, qui assereret, Solem octingenties maiorem esse globo terræ: idque se certo per dioptras et instrumenta Mathematica deprehendisse. Sed nos inhæreamus communi sententiæ. S. Ambros. lib. 4. Hexaem. cap. 6. toto, de illa Solis magnitudine agit: *Similis*, ait, *Sol et Indis et Britannis eodem momento videtur. Nec cum vergit in occasum, minor apparet Orientalibus, quam Occidentalibus: nec Occidentalibus, cum oritur, inferior quam Orientalibus, æstimatur. Quantum distat*, inquit *David Ps. 102. Oriens ab Occidente? Hæc enim invicem sibi distant. Sed Sol a nullo magis distat, nulli præsentior, nulli absentior est*. Hinc apparet eius magnitudo, cuius respectu totus terræ diameter non sit sensibilis. Docet autem, ita parvum videri ob maximam a terra distantiam. Et vero Ptolemæus Dict. 5. cap. 15. a quo non dissentit Albategnius cap. 50. sui operis, certis rationibus ostendit, distantiam Solis a centro terræ, quando minima, id est, quando in Augis opposito existit Sol, continere 1070. ter-

ræ semidiametros: distantiam vero Lunæ a centro terræ, continere solum 64. semidiametros terræ. Unde differentia inter minimam Solis distantiam et maximam Lunæ, continebit terræ semidiametros 1006. Tantum enim relinquitur, subtracta maxima Lunæ distantia a minima Solis. Hinc fit, ut Soli pene par magnitudine appareat Luna, quæ tamen est longe illo minor. Sol enim in se continet Lunæ magnitudinem sexies millies, et quingenties trigesies novies. Qualis et quantus est hic gigas? Molem illam giganteam ut aliquatenus adumbrarent veteres Rhodi, celebrem illum Solis colossum erexerunt; de illo Plin. lib. 34. cap. 7. *Ante omnes in admiratione fuit Solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terræ motu prostratum, sed iacens quoque miraculo est. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores sunt digiti quam pleræque statuæ. Vasti specus hiant de fractis membris. Spectantur intus magnæ molis saxa, quorum pondere stabiliverat constituens. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu Regis Demetrii, relicto moræ tædio.* Rodii hoc simulacrum erexerant Soli, ut Deo quem adorabant; quia ut auctor est Solis, numquam dies ita nubilus est, ut Sol in hac insula non conspiciatur: eamque ita fœcundat, ut Pindarus cecinerit aurum Rhodi pluisse.

Sol sexies millies est maior Luna.

II. Secundo, Sol est gigas mirabilis et infatigabilis, ob maximos et continuos cursus, quos facit, cum summa alacritate, micante vultu et lætitiam universo orbi affundente. *Exultavit ut gigas ad currendam viam*, in Syr. Chal. et Æthiopico ac Græc. Psalterio additur, *suam*. In Chald. vero ponitur. *In dimidio diei lætabitur ut gigas, qui pervenit ut currat in fortitudine viam occasus sub vespera.* Quanta sit eius velocitas, dicetur infra qu. 2.

Ob velocitatem cursus.

Sed non bene restringit Chaldæus lætitiam et exultationem Solis ad tempus meridianum, nec cursum eius ad tempus vespertinum: semper enim eadem alacritate, et velocitate currit. Deinde addit David: *A summo cælo*, id est, ab extremitate cælorum, ut ipse Chald. vertit) *egressio eius: et occursus*, (S. Hieron. cursus, S. Cypr. lib. 2. cap. 19. *decursio*. Tertull. 4. contra Marcion. cap. 11. deversio. Chal. et Pagn. revolutio. Felix circulatio. Muisius, et Vatab. recursus. Hebr. תקופה *thecupha*, hæc omnia significat) *eius usque ad summum eius*. Itaque *summum* non denotat punctum meridianum, cum Sol nostro vertici imminet, sed summe a nobis distans, quando scilicet est in extremitate nostri horizontis, et incipit apparere. Et hoc clare patet in Hebr. ubi pro *summum*, est, *ketse*, id est, extremum. Unde Pagn. vertit: *Ab extremo cælorum egressio eius, et revolutio eius super extremo eorum*. Arabs, a finibus.

Summum hic pro extremum.

Sensus porro est. Sol ab Orientis ultimis partibus in exortu suo egreditur, et ad nos venit, ut viam suam decurrat, et transiens per Occidentem redit ad idem Orientis punctum, a quo exiverat.

35. Quæres, Utrum agatur hic de annuo Solis cursu, an de diurno? Caiet. resp. agi de utroque. Quoad terminos, ait, motus Solis subdit David: *A fine cælorum egressio eius, et circuitus eius super fines eorum.* Utriusque motus Solis termini describuntur, percepti communiter ab omnibus. Tum motus raptus (quo ab Oriente movetur in Occidentem sequendo motum primi mobilis) dicendo, *a fine*, id est, ab extremitate cæli, hoc est, ab Oriente egressus eius: Tum motus super polos Zodiaci, quo facit differentiam æstatis et hyemis, accedendo ad Tropicos Cancri et Capricorni. Hic enim motus significatur dicendo: *Et circuitus eius* (Solis) *super fines earum*, cælorum: hoc est, super Tropicos, quos extremis lineis sui motus peragit. Tropici enim Cancri et Capricorni, sunt fines seu extremitates motus, Solis a Septentrione et Austro, ita ipse. Sed est hoc nimis intricatum.

An agatur hic de annuo Solis cursu, an de diurno?

I. Expositio.

II. Secundo, Arias hæc interpretatur de annuo Solis itinere per puncta duo Æquinoctii ad ortum occasumque, et totidem solstitii ad Boream et Notum cum quatuor anni tempestatibus, quæ pro partibus itineris dicti constituuntur.

Et optima.

Tertio, accommodatius S. Thom. Agell. Genebr. Bellarm. Mognot. de cursu Solis diurno id explicant. Et quidem primo S. Thomas sic explicat. Sunt duo puncta secundum Astrologos, scilicet summitas cælorum, ubi Sol est, quando est in meridie, et punctus oppositus, qui est angulus terræ, ubi est Sol in medio noctis: et hoc est quod dicit, *A summo cælo egressio eius*, secundum illos, qui incipiunt diem a medio noctis: *et occursus eius usque ad summum eius*, quantum ad angulum cæli, ubi est in meridie. Secundo, idem sanctus Pater dicit, si ad unum punctum summum referatur, sic est unus punctus, ubi Sol est in meridio. Et hoc est quod secundum Astrologos plures dies computantur a medio diei q. d. A puncto meridionali est recursus eius scilicet Solis, usque ad locum illum. Tertio, verius Agellius exponit de quotidiano et diurno cursu. *A summo*, ait, *cælo*, id est, ab oriente, Sol exit, et occurrit et pervenit ad *summum eius*, nempe in Occidentem. Occursus autem idem est, quod perventio: ait, quia in Hebræo est, *circuitus eius*, et κατάντημα quoque, id est, occursus, finis viæ est, cum ad eundem locum pervenit, unde digressus fuerat: occursum ad summum, potius perventionem *ad eumdem Orientis locum*, intellecturi sumus. Ita ipse, et Bellarm. Genebr. ac Magn. et alii. Ubi obiter adverte, hinc sequi cælum esse sphæricæ et rotundæ figuræ, quia Sol ab uno puncto Orientis exiens et totam lineam suam decurrens redit ad idem punctum. Hic autem motus non fit nisi in figura sphærica. Hanc sententiam primus Thales Milesius docuit in Ionia, Pythagoras in Italia, eam confirmavit Aristot. lib. 2. de Cælo c. 4. Plato in Timæo, eamque secuti sunt Ægyptii, Chaldæi, Babylonii. Facit etiam ad cæli pulchritudinem, ut notat Cicero l. 2. de Nat. Deor. Hoc docet Salomon Eccle. 1. vers. 5. *Oritur Sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibique renascens*, (id est, Oriens, ut est in Hebr. et apud Sept. non enim quotidie interit Sol, et quotidie renascitur, ut Epicurus voluit, testa Cleomede lib. 2.) *gyrat per meridiem, et flectitur ad Aquilonem*. De annuo Solis cursu id sumunt S. Hieron. Olympiodorus, et Theophylact. epist. 3. Paschali, quia Sol a tropico Cancri gyrat ad Austrum et Meridiem, hoc est ad tropicum Capricorni, qui australis est, quia respicit polum antarcticum sive meridionalem: quo cum pervenit, rursus flectitur reditque ad Aquilonem, id est, ad tropicum Cancri, qui respicit polum arcticum, sive borealem et aquilonarem. De diurno autem Solis cursu id sumunt S. Gregor. Thaum. S. Gregor. Nyssen. Lyran. Vales. et Titelm. Ut enim ait Valesius de sacra philosophia cap. 62. hic Solis gyrus ab Austro in Aquilonem verus est, voreque apparet iis, qui habitant sub tropico Cancri (non vero iis, qui habitant sub æquinoctiali in sphæra recta) ut habitant Itali, Hispani, Syri et Palæstini, apud quos hæc scripsit Salomon. Illi enim cum habeant sphæram obliquam, hinc oblique eis movetur Sol gyrando ad Austrum, indeque flectendo ad Aquilonem. *Obliqua enim et fracta linea per austrum pergit ad Boream, et ita ad orientem recertitur*, ait S. Hieron. Vide plura apud Coru. ibi. III.

Quæres secundo, Quanta sit velocitas Solis viam suam diurnam decurrentis?

Resp. Primo, Xenophanes censebat Solem in infinitum progredi: nobis autem videri quod rotetur, ob distantiam. Sed moveri Solem certum est ex dictis, eumque Aristoteles patrem et auctorem motuum appellat prob. sect. 26. numer. 35. et motus eius est regula et mensura motuum aliorum planetarum, ut ait Clavius in Sphæra, pag. 44. Resp. secundo, Astronomi numerant novies centies millies milliа passuum, quæ Sol ad singulas horas conficiat: et ambitum terræ, ut minus quadragies septies: sive ambitus constet novemdecim, et octogiuta millibus milliariorum, sive viginti duobus millibus, et quingentis milliariis. Plato in Cratylo, ait, quosdam dicere ἥλιον, sive ut Dores appellant, ἅλιον, ab ἀεὶ εἱλεῖν, id est, semper revolvi. Et Aristoteles l. 9. Metoph. cap. 4. text. 17. ait, non esse ti-

36. Velocitas Solis quanta sit declaratur.

mendum, ne Sol et astra stent, non enim laborant, nec inest potentia contradictionis ipsis, ut corruptibilibus motibus, quia est laboriosa continuatio motus. Velocitatem illam Solis declarat Salomon, cum ait, Eccl. 1. 5. *Oritur Sol et occidit, et ad locum suum revertitur.* Pro, *revertitur* Hebr. שׁוֹאֵף *scioeph*, id est, anhelus, ut vertit Arias q. d. anhelans pergit et currit. Pagn. vertit, transit. Sept. *ἕλκει*, id est, trahitur, ut reddit Arabs. Aspirat, ut Aquila. Recurrit, ut Theodotio.

37 Vers. 7. 2 Pars. Solis efficacia mirabilis. Quarto, denique Solis efficaciam declarat David, cum subdit vers. eodem: NEC EST QUI SE ABSCONDAT A CALORE EIUS. Pro *calore* Hebr. est חַמָּה *chama*, id est, ardor, æstus, calor, crematio, combustio, ignitio, flamma. Hinc Hebræi Solem vocant חַמָּה *chama*, q. d. calidum, calefacientem, inflammantem, et חֶרֶס *cheres*, q. d. arefacientem, exsiccantem. Arabs hic vertit, *Non est qui se abscondat a flamma eius.* Petav. vocat *φλέγοντα βέλεμνα*, id est, flammea tela. Radii enim Solis instar telorum ab eo emittuntur, ea vero tela sunt ardentia et flammantia. Causam illam caloris esse aperit Syr. *Non est quod lateat splendorem eius.* Effectum ipsius lucis et caloris attingit Magnetius, cum vertit, omnes populos genitali sospitat aura.

Est Rex et cor planetarum. Sol est cor cæli et mundi spiritus vitales per totum corpus distribuens, ut suo calore omnia vegetent. Chalcidius in Platon. Timæum: *Solem, ait, cordis rationem obtinere, et vitalia mundi totius in hoc posita esse dicunt.* Et Clavius in cap. 1. sphæræ Ioan. de sacro Bosco pag. 44. venuste et ingeniose ait: *Sol est Rex, et quasi cor omnium planetarum: quare non immerito in medio illorum constituitur, quemadmodum rex in medio regni, et cor in medio animalis collocatur, ut omnibus inde membris æqualiter possit succurrere ac providere. Ita ut quodammodo (ut plerique iocantur) Respublica ex septem planetis constituatur. Est enim Sol omnium rex. Saturnus autem, ob senectutem, eius consiliarius. Iupiter, ob magnanimitatem, iudex omnium. Mars, dux militiæ. Venus, dispensatrix omnium bonorum, instar matrisfamilias. Mercurius, eius scriba atque cancellarius. Luna denique, nuncii officio fungitur. Unde et velocissimum motum habet ab occasu in ortum, ut nimirum singulis mensibus ad quemlibet mandata Regis perferat.* Hæc Clavius.

38. Solem esse ignem plerique veterum Philosophorum putaverunt. Quæres, an Sol sit igneus, ut calore suo omnia calefaciat?

Respondeo, Primo, id censuisse plerosque veterum Philosophorum. Anaximander dicebat Solem esse circulum, cuius duodetrigesima pars terræ molem æquet: orbita præditum, qualis fere est rotis curruum, *πλήρη πυρός*, *ignis plena*, qui quadam ex parte eius effulgeat per orificium, tanquam per fistulæ foramen, eumque ignem esse Solem. Xenophanes, ex igniculis, qui appareant, collectis ex humida exhalatione et Solem cogentibus, aut nubem ignitam. Stoici, incendium mente præditum, a mari. Plato, e plurimo igne. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, massam aut lapidem igni candentem. Aristoteles, globum e quinta natura. Philolaus Pythagoreus, discum vitreum, qui resplendentiam mundani ignis recipiat, lumenque ad nos retorqueat: ut Sol videatur ignis in cælo, qui ad nos quasi speculi reflexione lucem dispergat, quam nos vocamus Solem, tanquam simulacri simulacrum. Empedocles duos Soles facit, *ἀρχέτυπον πῦρ*, *primigenium ignem* in altero globi mundi semisse, qui eum semissem impleat, semper ex adverso situs suæ repercussioni splendoris, alterum in altero hemisphærio resplendentiam huius, quod hemisphærium impleatur aere cum calida natura permisto, hanc resplendentiam a rotunditate terræ reflecti in Solem crystallinum, et cum motu ignei elementi circumtrahi; utque verbo dicam, Solem esse resplendentiam ignis, qui est circa terram. Epicurus e terra compactam molem, ac pumicis spongiæve modo pertusam, ab igne accensam. Ita Plutarchus lib. 2 de placitis Philosoph. c. 20. Dicebat quoque Theodectes, Solem volvere, *καλλιφεγγῆ λαμπάδα φλογός*, id est, pulchre fulgentem flammeam lampadem.

Et aliqui veterum Patrum. Resp. secundo, plerosque antiquos Patres censuisse etiam Solem esse ignem, aut certe ignitum. Ita Tertullianus docet lib. de Anima cap. 3. Cæsarius q. 68. Theodoretus serm. 1. de providentia, S. Chrysostomus, hom. 6. in Gen. S. Gregorius Nyssen. in historia sex dierum, aliique permulti. Et quidem S. Basilius homil. 3. Hexaem, ait, deliras esse et aniles opiniones eorum, qui Solem negant esse calidum: nec veram esse illorum sententiam, qui Solem natura ignea præditum negant. S. Cyrillus Ierosol. Cathec. 9. miratur cæli immutabilitatem et incorruptionem, cum astra sint ignea, cælum vero aqueum. *Aqua, ait, est cælum, et ignea in illo Sol et Luna, et sidera. Et quomodo ignea currunt in aquis, si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Ægypto, tempore Mosis exurentis in grandine, et consideret sapientissimum Dei opificium.* Sententiam suam de cælo aqueo fundat super illud Gen. 1. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Ibi per firmamentum intelligit mediam aeris regionem Rupertus, sed melius cælos omnes sccipe. Cælum vocatur שָׁמַיִם *sciamaim*, q. d. שָׁם *sciam*, id est *ibi*, מַיִם *maim*, id est, *aquæ*. Sed non de ipsa substantia cæli sumi debere arbitror, verum de aquis quæ super cælos sunt, de quibus dicitur Ps. 148. 4.

Probabilius tamen est quinta quædam essentia, ab elementis diversa. Respondeo tertio, probabilius videri, Solem et astra omnia habere materiam diversam a sublunari, ideoque nec ignem, nec terram, neque aliud quid simile esse, sed quintam quamdam essentiam, ab elementis, et ab iis quæ ex elementis conflantur diversam. Hoc docet Aristot. lib. 12. Metaph. cap. 2. text. 10. et alibi, cæterique iam a me citati supra. Quod ad Patrum auctoritatem spectat, cælos, astra, et Solem ex igne constare opinantium, S. Bonaventura 2. distinct. 14. qu. 2. num. 6. ait, eos qui cælum igneum putant locutos esse secundum analogiam solam, quod ignis maxime luceat.

Quæres secundo. Cum Sol non sit calidus, quomodo 39. Sol licet non sit calidus, calefacit tamen, et quomodo.
potest calefacere?

Respondeo cum Simplicio in 4. de cælo text. 19. co. 10. Sol non calefacit per participationem suæ caliditatis, ut ignis: sed magis calefacit radiis in seipsos reflexis. Calefacit quidem etiam directis radiis, sed amplius reflexis, quia illi sunt intensiores. Ideo infima aeris regio magis calet, quam media: et Sol plus calefacit æstate, quam hyeme; quia cum est supra nostrum verticem, radii per lineas perpendiculares, vel ad perpendiculum magis accedentes reflectuntur, et magis uniuntur. Albertus Magnus, in 1. meteor. tract. 1. cap. 12. Sol, inquit, de sua natura caloris est causa, licet non sit calidus per essentiam. Cur autem magis calefaciat, quam cæteræ stellæ affert quatuor causas. Prima causa, ait, quia enim omnis prima qualitas reducitur in suam primam causam in superioribus, quæ non alteratur, secundum qualitatem illam reducitur calidum, et siccum in Sole. Secunda, quia enim Sol de natura sua calidus sit et siccus, et debeat movere sphæram ignis, ideo in emissione sui luminis calor descendit igni admistus. Tertia, quia maior est, et spissioris substantiæ, quam aliud corpus simplex. Quarta, quia habet lumen magis clarum, et purum, et intensum, quam aliud aliquod corpus. Hæc quarta ratio est optima, si adiungas, longe maiorem esse molem Solis quam aliarum stellarum, ut patet ex dictis. Quod autem dicit de natura sui luminis Solem debere movere ignem, at in 2. de cælo tract. 3. cap. 3. stellas fixas, movere terram, Lunam, aquas, et reliquas sphæras planetarum, et aerem, gratis dicitur. Quantus sit ille calor a Sole productus, aperit Siracides Eccli. 43. vers. 3. *In meridiano* (tempore scilicet. Græc. in meridie) *exuri terram, et in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris* (id est opera v. g. lateres, vi ardoris illius facienda) *tripliciter* (hoc est, multipliciter: vel triplo magis quam fornax) *Sol exurens* (v. g. Ætnam, ex qua fluvii ignei erumpunt) *Radios igneos exsufflans* (id est, a se emittens: legerat *ἐκφυσῶν*, id est, exsufflans: nunc est *ἐμφυσῶν*, hoc est, insufflans: sed in idem redit) *et refulgens radiis suis obcæcat oculos.*

Quidquid sit de natura Solis: constat certe, lumine eius

Solis elogium ex S. Greg. Nazianz.

et calore per illud producto sata omnia, plantas, animalia, homines, terram, aquam, aerem, vegetari, crescere, conservari, produci, refici, recreari, fœcundari. Hinc Iulianus Imper. orat. 4. Solem nuncupat, απαντων ανθρωπων κοινον πατερα, id est, omnium hominum communem parentem: et αιτιον αισθητοις σωτηριας, sensibilibus causam salutis. S. Gregor. Nazianz. audaci, ut ipse ait, effato pronunciat, Solem esse inter sensibilia, quod Deus est inter intelligibilia.

Sol est catena aurea.

Plato in Theætito explicans illam Homeri lib. 8. Iliad. σειρην χρυσειην, id est, *catenam auream*, hoc ad Solem refert. *Nihil aliud*, inquit, *Homerus quam Solem dicit: et ostendit esse auream catenam, quia dum Sol mundum suo cursu ambit, ac lustrat, omnia salva sunt et conservantur: tum quæ apud Deos sunt, tum quæ apud homines: si vero stet et quiescat tamquam vinctus, res omnes interierint.*

Quod eo est admirabilius, quod calor ille Solis, cum sit unicus, rerum tamen omnium naturis ita sese attemperat, omnibus ut conveniat. S. Dionys. lib. de divin. nomin. Sol noster, inquit, essentias qualitatesque sensibilium, licet multas et differentes, ipse tamen unus cum sit, lumenque unicum superlustrat, renovat, nutrit, servat, perficit, distinguit, colligit, refovet, fœcundat, auget, permutat, format, producit, excitat, vivificat omnia, et unumquodque naturæ Solis est particeps, et ipse Sol causas omnium ante hæc uniformiter in ipsa comprehendit: multo magis rerum omnium exemplaria existunt in ipsa Solis omnium causa, secundum singularem superioremque in essentia unitatem, cum producat essentiam per excessum essentias eminentem. Macrobius probare conatur in Saturn. omnia veterum numina esse Solem, quod omnes illis attributæ virtutes, per calorem et lucem in Sole reperiantur.

Calor a Sole productus varia in variis producit.

Quomodo autem sic Sol enarret gloriam Dei, collige ex S. Chrysost. homil. 12. ad populum Antioch. *In vite*, inquit, *vinum fit pluvia, oleum in olea, in aliis plantis in illarum humores mutatur: et unus quidem est terræ venter, sed differentes profert fructus: et unus solaris splendoris est calor, sed differenter omnia maturat: hæc quidem tardius, hæc vero citius ad consummationem deducens* τις ου ταυτα εκπλαγειη και θαυμασειε; *Quis hæc non obstupescat et admiretur? Imo vero non hoc solum est admirabile quod varium ipsum et differentem fabricavit: sed etiam quod ipsum omnibus communem proposuit, et divitibus, et pauperibus, et peccatoribus, et iustis. Quod utique et Christus dicebat Matth. 5. quod Solem suum oriri faciat super bonos et super malos, et pluit super iustos, et super iniustos, et infinitis ipsum animalibus implens, et naturales brutis inserens mores.* Itaque inclama cum Siracide, qui post considerationem caloris et operum Solis, ait, Eccli. 43. 5. *Magnus Dominus, qui fecit illum, et in sermonibus eius festinavit*, (id est, festinato accelaravit) *iter*.

ARTICULUS IV.

Christus est Sol, Sponsus et Parens Ecclesiæ.

40. Christus est Sol, ob 13. convenientias.

Cum de Christo etiam ad literam hic locus intelligatur, ut vidimus in titulo psalmi, quod de Sole materiali diximus, longe potiore iure de Christo dicere debemus.

Ac primo, Christus est Sol, et consequenter tabernaculum Dei. *In Sole posuit tabernaculum suum*, id est, in Christo, q. d. Deus Pater sibi sedem et thronum posuit in Filio suo. Ioan. 14. 10. *Ego in Patre, et Pater in me est.* 2. In Sole, id est, in Humanitate q. d. Verbum divinum sibi fixit tabernaculum et mansionem in humana natura Christi, eique se univit, ita ut post unionem fuerit tantum una persona, per quam divina, et humana natura subsisteret. Coloss. 2. 9. *In ipso* (Christo scilicet) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (id est plena et tota divinitas) *corporaliter*; hoc est, realiter et substantialiter. Solis autem et Christi parallela sunt.

Primo, Sol inter res corporeas, est maxime expressa

A imago Divinitatis. S. Dionys. lib. de divin. nomin. c. 4. ait, Solem esse significativam, expressam et evidentem divinitatis, et divinæ bonitatis imaginem, ac nonnullis interiectis, rationem affert. *Clara*, inquit, *expressaque divinitatis imago est magnus hic Sol, totus lucens ac semper splendidus, omnibus etiam quæ eius lucem capere possunt collucet, habetque lumen per omnia diffusum sursum et deorsum, ac si quid est, quod eo non participet, id eius luminis tenuitati aut parvitati non est tribuendum, sed iis quæ quia apta non sunt ad capiendum lumen, ad illud capiendum non explicantur. Itaque illius radius immensa splendoris magnitudine penetrat, ad vitam excitat, alit, auget, absolvit, purgat, renovat, ac lumen et mensura est atque numerus horarum, dierum, totiusque nostri temporis: colligit convertitque ad se omnia, quæ videntur, quæ moriuntur, quæ illustrantur, quæ calescunt; et uno nomine ea, quæ ab eius splendore continentur: itaque* ηλιος, *id est, Sol dicitur, quod omnia* αολλη ποιει, *id est, congreget colligatque dispersa, eaque omnia eum expetunt, quæ sensu percipiuntur, aut quod cernere cupiant, aut sentire, illustrari, calescere, omninoque contineri a lumine.* Cum imaginis nomen originem in divinis importet, personaliter in divinis dici S. Thomas docet 1. p. quæst. 35. artic. 1. et nomen imaginis esse proprium filio, quia Filius procedit ut verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit: non autem est de ratione amoris, ideo Spiritus sanctus qui procedit ut amor non vocatur imago. Ita art. 2. Item S. Aug. lib. 7. de Trinit. ait, Solus Filius est imago Patris. Coloss. 1. 15. de solo Filio dicitur: *Qui est imago Dei* (Patris) *invisibilis*. Homo est factus ad imaginem et similitudinem Dei. Gen. 1. 26. Sed præcipue Deus homo, qui fuit plenus gratiæ et veritatis Ioan. 1. 14. et de cuius plenitudine omnes acceperunt, v. 16. de eius humanitate, quæ est primaria Sponsa Verbi divini, habes Cant. 6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa* (Syr. munda) *ut Sol*.

I. Sol est imago Dei.

II. Vocatus est Dei Filius.

Secundo, Solem veteres Deum et Dei filium credebant. C Plato lib. 6. de Rep. de Sole quem cernimus agens, dicit: *Solem me vocare dicito Boni filium*, ον τ' αγαθον εγεννησεν αναλογον εαυτω *quem ipsum bonum in hac secum genuit comparatione consimilem. Ut quemadmodum ipsum in loco intelligibili ad intellectum, et ea, quæ intelliguntur, se habet: sic et iste in loco visibili ad visum se habeat et ad illa, quæ videntur.* Et Platonis vestigio insistens Iulian. Imp. orat. 4. Θεον, ait, μεγιστον ανεφηνεν εξ εαυτου, παντα ομοιον εαυτω, id est, Solem maximum Deus ex seipso, *sibique quam simillimum produxit*. Quamodo Empedocles duos Soles poneret, dixi art. præced. quod hic apte quadrabit. Xenophanes complures Soles et Lunas, per alios atque alios terrarum tractus segmentaque, et zonas ponebat. Sol, quem nos intuemur, est Sol corporum. Sed Christus est Sol corporum et animorum, et Sol primigenius, cuius hic est veluti porelium. De illo dicit Propheta Psal. 35. 10. *Apud te* (Pater æterne) *est fons vitæ* (Filius tuus) *et in lumine tuo* (per lucem tuæ divinitatis) *videbimus lumen*, D id est filium tuum. Malach. 4. 2. vocatur Christus Sol iustitiæ. Ioan. 9. *Lux mundi*.

III. Est maximus.

Tertio, Sol est maximus, ut ostendi supra, Christus est maior Sole. S. Ambros. lib. 4. Hexaem. cap. 1. *Si tam gratus est Sol, consors et particeps creaturæ: quam bonus est Sol ille iustitiæ? Si tam velox iste, ut rapidis cursibus die ac nocte lustret omnia: quantus ille, qui ubique semper est, et maiestate sua complet omnia? Si admirabilis est, qui iubetur exire, quam supra admirationem, qui dicit Soli, et non exoritur, ut legimus: Ierem. 23. Si magnus est, qui per horarum vices locis aut accedit aut decedit quotidie. Qualis ille, qui etiam cum se exinaniret, ut nos eum possemus videre, erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Si præstantissimus est, qui obiectu terræ patitur quotidie defectus: quantæ maiestatis, qui ait: Adhuc semel, ego movebo terram? Illum terra abscondit: istius motum non potest sustinere, nisi voluntatis eius substantia fulciatur. Si cæco damnum est huius Solis gratiam non videre, quantum peccatori damnum, sari*

Luminis munere defraudato perpetuæ noctis tenebras sustinere? Hæc Ambrosius.

41. IV. *Est fons lucis et caloris.* Quarto, Sol est foos lucis et caloris vivifici. Maoichæi censebaot Christum iu ascensu cæli reliqnisse corpus suum in globo Solis, et ad empyreum cum soia anima consccodisse, hoc psaimi nostri loco oixi. *In Sole posuit tabernaculum suum*, id est, bumanitatem suam. Eos confutat S. Augustin. lib. 2. cootra Faustum cap. 6. aliqui etiam Manichæi censuerunt Christum csse Solem ipsum: eos quoque refutat idem S. Doctor tract. 34. in Ioan. et quidem Hebr. 7. 27. dicitur excelsior cælis factus. Et Ephes. 4. 10. Ascendit super omnes cælus. Verba S. Aug. sunt: *Qui non habent oculos uisi iu soln carne, mirantur quod dictum est n Domiao Iesu Christo: Ego sum lux mundi, et forte uou desit, qui dicat apud semetipsum: Numquid forte Dominus Christus est Sol iste, qui ortu et occasu peragit diem? Non euim defuerunt hæretici, qui istn senseruut. Manichæi Solem istum oculis carneis visibilem, expositumque et publicum uon tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad videudum, Christum Dominum esse putaverunt. Sed Catholicæ Ecclesiæ recta fides improbat tale commentum, et diabolicam doctrinam esse cognoscit. Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem. Huuc amemus, hunc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, ut ad ipsam duce ipsa aliquando veniamus.* Lucem sequitur calor. De Christo habes Apoc. 1. v. 16. *Et facies eius sicut Sol lucet in virtute sua*, id est, cum maxime vim snam et potentiam exerit, veluti meridianus Sol, v. 14. dictum erat: *Oculi eius tamquam flamma ignis.* Ibi est calor. Et cap. 10. v. 1. *Et vidi alium Angelum fortem descendentem de cælo amictum uube, et iris in capite eius, et facies eius erat ut Sol*, (ecce lumen) *et pedes eius tamquam columnæ ignis.* Ecce calorem. Primasius, Beda et Rich. a S. Victore per buno Angelnm intelligunt Christum: pedes eius sunt misericordia et iustitia, uterque est calidus: hic per flammas ultrices, ille per charitatis fornacem. Symbolice, accommodari præsens locus potest ad charitatem. Marcus Tullius enim lib. de Amicitia, *Solem*, dixit, *e medio tollere videri, qui amicitiam e vita tollerent.* In ea ponit Deus tabernaculum, et ad eum, qui diligit ipsum, venit, ac mansionem apud illum facit. Ioan. 14. 23. Pulchritudo sponsi coovenit Soli ipsi charitatis, qua reddit pulchras virtutes cæteras, et concupiscit rex decorem eius, Ps. 44. 12. diligens diligentes se, Proverb. 8. 17. Similis giganti fertur charitas impetu, præcipitique pondere, quo nomine amorem S. Augustinus in Confess. appellat, et giganteas vires communicat, quales in seipso describit Paulus Roman. 8. 35. et sequ. nec dubitat Bernard. serm. 72. io Cantic. amorem nominare *præcipitem, flagrantem impetuose.* Postremo, nno est qui se abscondat a calore charitatis: snum namque bnnc Solem oriri facit Deus super bnnos et malos Mattb. 5. 45. Subit charitas, nostra ac penetrat loca omnia, præter eum in quo damnati versantur: et sicut quod calefacit, dilatare facit inquit S. Chrysost. hom. 13. in 2. ad Corinth. ita et charitatis, cuius latum mandatum nimis Psal. 118. 96. opus est dilatare: virtus enim calida est, et fervens charitas. Ita Lorin. vide etiam Barradium nostrum tom. 2. in bist. Evang. lib. 7. cap. 22.

V. *Est unus* Quinto, unus est Sol in cælo. Unde etiam Sol vocatur quasi solus, ut dixi art. præced. uous est Christus in Ecclesia, ut totam illuminet.

VI. *Omnia astra illuminat* Sexto, Sol non tantom acrem, mare, ac terram, homines et omnia sublunaria illuminat: sed etiam omnes planetas, imo, ut multi volunt, omnes prorsus stellas io firmamento fixas. Ita Christus non tantum bominibus, sed Angelis quoque dat omnem prorsus gratiam, quam habent, neque ullam habuerunt nisi intuitu meritorum eius: unde fit, ut sit etiam eorum caput per influxom illum, ut docet S. Thom. 3. p. q. 8. a. 4. Ad eum itaque accede, si illuminari vis, sicut cæcus Bartimæus, id est filius Timæi, prope Iericho mendicans interrogatus a Christo, Quid tibi vis fieri? ait Marci 10. 51. *Rabboni*, (id est magister mi, q. d. nullum alium volo, qui me instruat) *ut videam*: statim est illuminatus, et quidem perfecte, in animo scilicet et corpore: nam *sequebatur eum in via*: sciebat sine eius luce viam esse inviam. Ad eam lucem invitat S. Bern. serm. 3. in Vigilia Nativit. Domini. *Ideo*, ait, *unigenitus Dei Sol iustitiæ, tamquam immensi et præclari luminis cereus in huius mundi carcere illuminatus est et accensus, ut omnes, qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique iungantur, ut nihil medium inter illos sit et ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos et Deum*, non est qui se abscondat a calore eius, ut dicitur in fine huius articuli.

Septimo, Sol sine ulla spe retributionis illuminat non VII. *Etiam non rogatus id facit.*
rogatus, licet ab Atlantibus maledicatur, et ab aliis negligatur. Christus nos gratia prævenit sæpe non quæsitus, nihil a nobis expectans, ac sæpe contemptus. S. Dionys. lib. de divin. Nom. cap. 4. initio, disserens de bono et bonitate Dei, ait: Age ergo iam ad nomen boni nostra veniat oratio, quod præcipue Theologi ab omnibus secretum divinitati, quæ Deum superet, tribuunt, ipsam ut opinor divinam essentiam bonitatem appellantes, quod hoc ipso, quod bonum est, ut bonum per se et essentia sua, in ea quæ sunt omnia bonitatem diffundat. *Ut enim Sol noster non cogitatione aut voluntate: sed eo ipso quod est, omnia illustrat, quæ eius lumen pro modo suo, capere possunt: sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat Soli, ut prima species tenui obscuræque imagini, per se ipsaque essentia sua iis, quæ sunt, omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit.*

Octavo, Solis pulchritudo est mirabilis. De Christo ha- VIII. *Sol est pulcherrimus.*
bes Ps. 44. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vide ibi dicta, et lege Cant. cap. 7. ubi Sponsa, id est, Ecclesia, eum describit. S. Dionys. lib. de divin. nom. cap. 4. de Deo ait: Omnis infinitas, termini omnes, ordines, præstantiæ, elementa, species, omnis essentia, vis omnis, omnis actio, habitus omnis, sensus omnis, omnis sermo, omnis mentis notitia, omnis tactus, omnis scientia, omnis coniunctio, *et uno nomine quicquid est ex pulchro et bono, et in pulchro bonoque est, atque ad pulchrum bonumque refertur: et quæ sunt ac fiunt, boni pulchrique causa et sunt et fiunt omnia, ipsumque omnia intuentur, et ab eo moventur ac continentur, etc. Quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso, atque in ipsum sunt omnia, ut divina Scripta tradunt. Est igitur id, quod pulchrum est et bonum, expetendum, amandum, diligendum omnibus.* Mox etiam dicit David, tamquam sponsus, etc.

Nono, Sol est velocissimus. De Christo ait Deus Isaiæ IX. *Velocissimus.*
8. 3. *Voca nomen eius, Accelero, spolia detrahe: Festina prædari.* De ea velocitate ait David noster, exultavit ut gigas ad currendam viam, ut infra dicetur.

Decimo, Sol in medio planetarum et mundi emicat, ut X. *In medio planetarum emicat.*
facilius omnes illuminet, atque iucundius recreet. Iesus in medio erat Apostolorum, et ibi delectabatur esse. Cum esset duodecim annorum, inventus est a Matre sedens in medio Doctorum, Luc. 2. 46. dicit Apostolis. Luc. 22. 27. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat*, sed lucem: lucis enim minister est Sol: unde ab Heb. שמש *sciamas*, id est, minister, dicitur, ut dixi art. præcedenti. Hinc duorum discipulorum euntium in Emaus oculi aperiuntur, et cor incalescit, quia cum illo ibant et recumbebant Lucæ 24. omnis actio tua et quies sit in Sole, et illuminaberis atque ardebis. Post resurrectionem totus effulgens *stetit in medio eorum*, id est, Apostolorum congregatorum in cœnaculo Luc. 24. 36. Nunc quoque est in medio fidelium et Ecclesiæ Apocal. 1. 13. *In medio septem candelabrorum aureorum*, (id est, Ecclesiarum sapientia et charitate lucentium et flammantium) *vidi similem filio hominis*, et faciem instar Solis fulgentem babere videbatur Matth. 18. 20. pollicetur. Ubi sunt duo vel tres consentientes in nomine meo, *ibi sum in medio eorum*: sum in medio eorum, sicut Spiritus sanctus est in medio Patris et Filii, quasi utriusque amor et nexus, ait Cornelius, qui Habacuc 3. 2. optime probat Christum ubique fuisse medium et mediatorem. Illum consule.

Undecimo, Sol dies, menses, annos, eorumque varias XI. *Anni tempestates varias facit.*
tempestates: nempe Ver, Æstatem, Autumnum et hyemem, constituit, prout ad nos accedit vel recedit. Chri-

stus lætitiam nobis et prosperitatem affert, cum proximus est: in luctu ac tenebris relinquit, cum se subducit. Sponsa ait, Cant. 3. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea.* Nox est, ubi Sol non est. Quære illum, et reperiens illuminaberis et delectaberis. S. Bern. serm. 85. in Cant. *Quærit anima verbum, cui consentiat, ad correctionem: quo illuminetur ad cognitionem: cui innitatur, ad virtutem: quo reformetur, ad sapientiam: cui conformetur, ad decorem: cui maritetur, ad fœcunditatem: quo fruatur, ad iucunditatem.* Vitæ nostræ dies Sol ille vivificus facit. Idem Sanctus Pater serm. 3. in Circumcisione Domini: *Nascitur homo,* ait, *quando Sol iustitiæ ortus in anima, peccatorum illuminat tenebras.*

XII. Radii eius sunt purissimi. Duodecimo, Solis radii purissimi sunt. Christus est puritatis amantissimus, Malach. 4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ.* Chald. vertit, *Sol puritatis.* Suos facit puros et in eorum puritate sibi placet. Nihil est virginitatis præsertim puritate pulchrius. Sap. 4. 1. *O quam pulchra est casta generatio* (*id est natio*) *cum claritate.* Pulchra est, modo sit in claritate, id est cum Sole suo Iesu, et cum luce virtutum, ut virgines sapientes, quæ habebant lampades ardentes, cum occurrerunt Sponso Matth. 25. Vis ardere, ante Solem te constitue. Apocal. 4. 5. *Septem lampades ardentes ante thronum* (Dei scilicet et Agni, id est Christi) *qui sunt septem spiritus Dei.* Sis ardens, et eris spiritus ac spiritualis, et cum fueris spiritus, adhuc purioribus et maioribus flammis ardebis, Ps. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos flammam ignis.* Et anima tua erit mulier amicta Sole, id est virginitatis luce. S. Aldhelmus lib. 1. de Virgin. narrat ab Angelo triplicem castitatem, scilicet virginalem, vidualem et coniugalem, sic esse distinctam, *ut sit virginitas aurum, castitas argentum, iugalitas* (id est coniugium) *æramentum. Ut sit virginitas divitiæ, castitas mediocritas, iugalitas paupertas. Ut sit virginitas pax, castitas redemptio, iugalitas captivitas. Ut sit virginitas Sol, castitas lucerna, iugalitas tenebræ. Ut sit virginitas dies, castitas aurora, iugalitas nox. Ut sit virginitas Regina, castitas domina, iugalitas ancilla. Ut sit virginitas patria, castitas portus, iugalitas pelagus.*

XIII. Patitur eclipsim, sine lucis diminutione. Decimo tertio, Sol nubibus tegitur, in eclipsi deficere nobis videtur, licet nihil luminis deperdat, oritur et occidit, rubro ac rutilo colore apparet. Christus nube se contexit, cum in incarnatione se carne nostra obvelavit, eclipsim passus est in Cruce ac passione, occidit in morte et in sepultura, ad nos iterum rediit in resurrectione, rubicundus apparet per charitatem misso Spiritu sancto in linguis igneis et rutilantibus: rubicundus in iudicio apparebit per iram et vindictam, Eccle. 1. v. 5. *Oritur Sol, et occidit,* etc. S. Chrysost. tom. 5. *Ortus est,* inquit, *nobis Sol iustitiæ Christus, de S. Maria secundum carnem genitus. Oriens quippe nomen est illi. Zachar. 3. 6. Occidit vero, quando post crucem ad inferna descendit, et ad locum suum revertitur, ipso dicente Ioan. 12. 32. Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.* Vel, oritur piis, occidit impiis: qua de re lege S. Ambros. Octon. 12. in Ps. 118.

42. Symbolice. Symbolice, Thomas Anglicus, *In Sole posuit tabernaculum suum,* id est, in humana natura assumpta, in qua posuit Deus tabernaculum suum: quia in sua conceptione eam intravit per unionem principalem, ut in ea habitaret omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Secundo, *in Sole,* id est, in B. Virgine, posuit Deus tabernaculum suum et habitationem, Psal. 131. 14. *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Et signanter B. Virgo intelligitur per Solem, quia sicut dicit Albumazar, omnibus corporibus mundi maior est Sol, sic B. Virgo inter omnes creaturas puras est maxima. Ita ille. Cant. 6. 9. dicitur *electa ut Sol,* sicut explicat Rupert. et S. Bern. Tertio, *In Sole,* id est in charitate, posuit Christus tabernaculum suum, ut explicui supra.

43. Christus est sponsus. Secundo, Christus est Sponsus. Prima eius sponsa est natura humana assumpta. Sic explicat S. August. in Ps.

A nostr. *Tamquam Sponsus procedens de thalamo,* id est, ut ait, procedens de utero virginali, ubi Deus naturæ humanæ tamquam sponsus sponsæ copulatus est. Et tract. 8. in Ioan. *Dominus invitatus ad nuptias venit* (in Cana Galilææ) *Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit?* Si enim non venit ad nuptias, non habet hic sponsam. Et quid est quod ait Apostolus 2. Cor. 11. 2. Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. I. Naturæ humanæ, per unionem hypostaticam.

Quid est quod timet, ne virginitas sponsæ Christi, per astutiam diaboli corrumpatur? Timeo, inquit, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua: sic et vestræ mentes corrumpantur a simplicitate et castitate, quæ est in Christo. Ita ipse.

II. Ecclesiæ. Secunda itaque Sponsa est Ecclesia. Pergit S. Aug. Habet hic Sponsam Christus, quam redemit sanguine suo, et cui pignus dedit Spiritum sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli: mortuus est propter delicta eius, resur- B rexit propter iustificationem eius. Quis offerat tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia. *Numquid aliquis offeret sanguinem suum?* Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Dominus autem securus moriens dedit sanguinem suum pro ea, quam resurgens haberet, quam sibi iam coniunxerat in utero Virginis. Verbum enim sponsus; et sponsa caro humana, et utrumque unus Filius Dei, et idem filius hominis, ubi factus est caput Ecclesiæ, ille uterus Virginis Mariæ thalamus eius, inde processit tamquam sponsus de thalamo suo. Ita August. Magna hæc spiritualis, sanctæ et castæ exultationis causa omnibus Ecclesiæ filiis ob tantam matris suæ dignitatem. Hinc Tertull. iubilans lib. 4. contra Marcion. cap. 11. ait: *Iam teneo meum Christum in nomine Sponsi, de quo Psal. 18. Ipse tamquam sponsus, etc. Qui etiam per Esaiam gaudens ad patrem cap. 61. Exultet,* inquit, *anima mea in Domino, induit enim me indumentum salutis,* C *et tunicam iucunditatis, velut sponso circumposuit mihi mitram, et velut sponsam ornavit me ornatu. In se enim et Ecclesiam deputat, de qua idem spiritus ad ipsum Is. 49. Et circumpones tibi omnes eos velut ornamentum sponsæ. Hanc sponsam Christus sibi etiam per Salomonem ex vocatione gentium accersiit. Siquidem legisti Cant. 4. Veni de Libano. Eleganter Libani utique montis mentione iniecta, qui thuris vocabulo est penes Græcos. De idololatria enim sibi sponsabat Ecclesiam.* S. Cypr. lib. 2. ad Quirin. id probat ex Ioelis cap. 2. Ier. 16. et aliis. Expressius S. Ioannes Bapt. Ioan. 3. 29. dixit. *Qui habet sponsam, sponsus est.* Et S. Ioannes Apostolus Apocal. 21. 9. unum de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, audivit dicentem sibi: *Veni et ostendam tibi sponsam, uxorem agni.* Quæ sit illa sponsa explicat v. 10. *Et sustulit me in spiritu* (raptum in extasim) *in montem magnum et altum* (in quo erat illa civitas) *et ostendit mihi* D *civitatem* (id est cives, hi enim sunt proprie civitas, urbs vero de ædificiis præsertim dicitur) *sanctam Ierusalem descendentem de cœlo a Deo, habentem claritatem Dei,* Gr. τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, id est gloriam Dei, hoc est splendorem et radios divinos: si enim Moses ex brevi colloquio cum Angelo habuit faciem luminosam, quanta erit lux Beatorum tota æternitate Deum videntium?) *et lumen eius simile lapidi pretioso* (τιμιωτάτῳ, id est pretiosissimo) *tamquam lapidi Iaspidis, sicut crystallum.* In hac vita sunt sponsalia, et dantur arrhæ: ibi sunt perfectæ nuptiæ et totalis cum summo et purissimo bono coniunctio. De illa Sponsa Ecclesia sunt primario et adæquate ad literam omnia, quæ dicuntur in Cantico Canticorum, id est in Cantico præstantissimo Salomonis, sensus vero, qui est de filia Pharaonis, est tantum grammaticalis.

III. Animæ sanctæ. Tertia Sponsa Christi, de qua etiam partialis est sensus in Canticis, est anima sancta. S. Bern. sermon. 1. in Cant. Rex inquit, Salomon divinitus inspiratus, Christi et Ecclesiæ laudes, et sacri amoris gratiam, et æterni

connubii cecinit Sacramenta, simulque expressit sanctæ desiderium animæ, et epithalamii carmen exultans in spiritu, iucundo composuit elogio, figurata tamen.

44. In Christi sponsalibus sunt quinque.* In illis sponsalibus est primo amor. Secundo, dona mutua. Tertio, unio. Quarto, bonorum omnium participatio. Quinto, proles.

I. Amor gratuitus. Ac primo, in amore, sed gratuito, fundatur illa dignitas. Sponsus ipse prævenit amando. Isaiæ 43. 4. *Ego dilexi te.* Cant. 4. 6. *Tota pulchra es amica mea.* S. Greg. in cap. 1. Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum. Nomen Sponsi, Christus est. Sed nomen sponsi quasi oleum effunditur, quia quicumque nomine Christiano in veritate censentur, charitate sancta effluunt, qua molliuntur: et ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continue suffunduntur.* Ipse prior dilexit nos, tamquam sponsus procedens de thalamo suo, id est e sinu Patris æterni. Chald. vertit, *Ipse mane, quasi sponsus qui egreditur velut de thalamo suo desiderabili.* Sol ortus præsertim, sponsus est, ut dixi artic. præced. de Christo ait, Zach. 6. 12. *Ecce vir oriens nomen eius.* Luc. 1. 79. ait Zachar. pater S. Ioan. Bapt. *Visitavit nos oriens ex alto*, quomodo præveniat, patet in sequentibus. *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, ne erigere quidem se possunt, ut obviam eant lumini venienti: spiritus ipsi vitales sunt extincti, nisi illo lumine calefiant. De mutuo amore Sponsæ Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Vult amor redamari, aut fugit. S. Bern. serm. 61. *Sponsam nusquam in toto opere Canticorum adhuc nominarat, nisi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. Quæ cum venerit, et perfecta fuerit, faciet spiritale coniugium, et erunt duo non in carne una, sed in uno spiritu. Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* 1. Cor. 6. 17. Et S. Greg. lib. 2. in Ezech. homil. 15. Qui sunt, ait, in sancta Ecclesia thalami, nisi eorum corda, in quibus animæ *per amorem* Sponso invisibili iunguntur, ut eius desiderio mens ardeat, nulla iam *quæ in mundo sunt, concupiscat: præsentis vitæ longitudinem, pœnam deputet, exire festinet, et amoris amplexu in cælestis Sponsi visione requiescere.*

II. Dona. Secundo, Sponsi dant sponsis annulos, gemmas et similia. S. Ambros. lib. 4. epist. 34. ad virgines sacras, Præfecto urbis Romæ ad nuptias invitanti sic loquentem facit S. Agnetem: *Discede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede a me, quia iam ab alio amatore præventa sum, qui mihi meliora te obtulit ornamenta, et annulo fidei suæ subarrhavit me, longe te melior et genere et dignitate. Ornavit inæstimabili dextrocherio dexteram meam, et collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si ei perseveravero, repromisit.*

III. Unio. Tertia, unio castissima et purissima fit animæ cum Christo Sponso, intellectu quidem cum contemplando et videndo, voluntate amando: amor enim e duobus unum facit, ait Sponsa Cant. 1. 13. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea* (cognitionem et amorem) *commorabitur.* Hebr. תָּלִין *talin*, id est, pernoctabit, ut in perfecta quiete a nullis mundanis curis interturbetur: S. Bern. serm. 58. in Cant. unionem voluntatum faciendam docet cum conformitate nostræ cum divina, ut nihil aliud velimus quam ipse. *Talis*, ait, *conformitas maritat animam verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipse exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate iucundius? quid optabilius charitate, qua fit ut humano magisterio non contenta per temet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis, sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus: complexus est. Complexus plane, ubi* A *idem velle et nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Nec verendum, ne disparitas personarum claudicare faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Sponsus et sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponsos necessitudinem, vel connexionem, præter amari et amare?*

IV. Bonorum communicatio. Quarto, gratias hic suas Christus elargitur, et gloriam in cælo.

V. Proles, id est virtutes. Quinto denique, virtutum sobolem suscipit nunquam morituram. Origen. homil. 20. in cap. 25. Num. Dum, inquit, anima adhæret sponso suo, et audit verbum eius, et ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit, et sicut dixit Isaias 26. 18. De timore tuo Domine in utero *concepi et parturivi*, et spiritum salutis tuæ feci super terram. *Inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur: inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo, et charitas, atque omnium virtutum proles veneranda* B *succedet.*

45. Peccatrix anima est adultera. Ex his sequitur, animam esse adulteram, quando vitiis adhæret. Ierem. 3. v. 1. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* Fornicatio pro idololatria et aliis vitiis sumitur Ezech. 16. v. 15. 20. 22. et sequenti, Oseæ 2. v. 2. Nahum. 3. 2. et alibi. Neque est simplex fornicatio, sed adulterium. Ezech. 16. 32. *Facta es quasi mulier adultera, quæ super virum suum inducit alienos.* Unde vers. 38. subdit: *Iudicabo te iudiciis adulterarum.* Lapidabantur apud Iudæos: Lapidibus fiant duriores et obstinatiores, qui diu in vitiis, præsertim turpibus, perseverant. Horre illud adulterium, in quo tu diabolo polluenda substerneris. *Si*, ait, *susceperis o homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ, ingressus fuerit ad animam tuam, et receperis eum, et consenseris ei loquenti, et in corde tuo delectatus fueris his, quæ tibi secundum suam mentem suggerit, meretricatus es* C *cum eo.*

46. Christus est præsertim sponsus Virginum. Virginum præcipue sponsus est Christus, qui pascitur inter lilia. Laudans Sponsam Cantic. 7. 2. ait: *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* S. Aug. tract. 9. in Ioan. *Quæ*, inquit, *virginitatem Deo vovent, quamquam ampliorem honoris et dignitatis gradum in Ecclesia teneant, sine nuptiis tamen non sunt.* Optatus Milevit. lib. 6. Spirituale nubendi hoc genus est, in nuptias Sponsi iam venerant voluntate et professione sua: et ut sæcularibus nuptiis se renunciasse monstrarent, spirituali sponso solverant crinem, iam cælestes celebraverant nuptias. S. Ambrosius sæpe eam veritatem confirmat et prædicat, lib. 1. de Virginib. cap. 5. *Spectate*, ait, *aliud virginitatis meritum, Christus virgo virginis sponsus; et si dici potest, Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus.* Et alio in capite: *Dotem negabunt parentes? sed habes divitem sponsum, cuius contenta thesauro patriæ successionis emolumenta non quæras.* Et cap. D ult. refert exemplum generosæ Virginis fugientis ad altare, ut velaretur reluctantibus licet parentibus. Memoria nostra, inquit, puella dudum nobilis in sæculo, nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias a parentibus et propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quo enim melius virgo recurreret, quam ubi *sacrarium virginitatis offertur?* Ne is quidem finis audaciæ: Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, ac summum altari subiecta verticem. Num melius, inquit, mater tu me quam Altare velabis, quod sanctificat ipsa velamina? plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. Quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? Iam dudum provisas habeo. Sponsum offertis, meliorem reperi. Quaslibet exaggerate divitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate. Habeo eum cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio,

nobilem cælo. Si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non providetis mihi, sed invidetis. Silentibus cæteris, unus abruptus. Quid si, inquit, pater tuus viveret, innuptam te manere pateretur? Tum illa, maiori religione, moderatiore pietate: et ideo fortasse defecit, ne quis impedimentum posset afferre. Quod illa responsum de patre, de se oraculum, maturo sui probavit exitio. Ita cæteri eadem quisque metuentes, favere cœperunt quæ impedire quærebant: nec dispendium debitarum attulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit. Habetis puellæ devotionis præmium, parentes cavete offensionis exemplum. Sic Ambros.

47. Christus dicitur gigas

Tertio, Christus est gigas. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Propheta eum forma gigantea nobis describit. Primo, ad regiam eius maiestatem et præstantiam denotandam. Secundo, ob velocitatem.

I. Ob regiam et supereminentem maiestatem.

Ac primo, magna in pretio sunt, parva patent contemptui. Aristides Orator Græcus orat. 3. sacr. serm. de Serapide et Æsculapio, ait, θαυμαζει το καλλος, και το μεγεθος, admirabiles ob pulchritudinem et magnitudinem. Aristoteles lib. 4. Ethic. negat, parvos pulchros esse posse, το καλλος, ait, εν μεγαλω σωματι, *Pulchritudo posita est in magno corpore: parvi autem, venusti sunt; iidemque ob sibi respondentem mensuram membrorum commendati, pulchri autem nulla pacto sunt.* Salianus agens de Adamo t. 1. Annal. die 6. creationis, num. 68. ait Statura non solum recta fuit, ut cæteri mortalium: sed celsa atque erecta, qualem elegit Dominus in Saule primo Rege populi sui, qualem decebat imperatorem orbis terrarum, ut significat S. Gregor. Nyss. giganteam membrorum molem Adamo tribuit Ioannes Lucidus, qui etiam se Scriptura niti putabat, in qua legitur in Cariatharbe Adam maximum inter Enacim, id est gigantes, sepultum esse. Verum satis constat, ibi Adam esse nomen appellativum, non proprium, quomodo vertit Andreas Masius, et Pagn. et Tigurinn. Idque totum a Septueg. prætermissum est: atque licet Adam ibi esset nomen proprium, non est necesse hoc epithetum ad granditatem membrorum potius, quam ad animi magnitudinem pertinere. De nova Adamo, nempe Christo sponso sua, ait Sponsa Cantic. 5. v. 15. *Species* (Septung. ειδος id est forma,) *eius ut Libani* (S. Hier. in cap. 14. Oseæ: Nihil, inquit, Libano in terra repromissionis excelsius est) *electus* (id est excellens) *ut cedri.* De cedro vide Ps. 36. 35. ubi de eius magnitudine, etc. fuse. Christus fuit specioso et procero corpore, nempe, ut tradit Nicephor. lib. 1. cap. ult. altitudine septem cubitorum. Excelsam staturam corporis vocat Iulius Capitolin. in Pertinace, staturam imperatoriam. Hinc Deus primum Regem Hebræorum elegit Saulem, qui ab humero et sursum eminebat supra omnem populum. 1. Reg. 8. Davidem quoque magnæ staturæ fuisse, necesse est, cum arma Saulis sibi convenire posse putaverit, eaque induerit, ut pugnaret in Goliathum, 1. Reg. 17. ea tamen abiecit, quod sic pugnare non esset solitus. Quantus Gigas sit Christus, optime declarat S. Bern. in Nat. B. Ioan. Bapt. *Gigas,* inquit, *est Filius hominis, cælum ei sedes est, terra scabellum pedum eius. Et elevata est magnificentia eius super cælos: manet tamen nobiscum usque ad sæculi consummationem. Ascendunt itaque et descendunt ad* DEUM *Angeli sancti.* Loquitur de Christi divinitate, et de præsentia humanitatis in cælo et in terra. Vide S. Thomam 1. p. q. 42. art. 4. docet, Filium Dei esse æqualem Patri secundum magnitudinem.

Statura excelsa facit pulchros et admirabiles.

II. Ob robur invictum.

Secundo, Christus dicitur gigas, ob robur. Hebr. *Gaudebit sicut* גבור *ghibbor*, id est, *potens*, ut vertit Pagnin. *gigas*, ut Arabs et Syrus: *fortis*, ut Hieron. sicut heros, qui auctoritate, virtute, robore cæteris eminet, sicut vir strenuus; *gheber* enim virum, hominem fortem et præstantem significat. Rad. *gabar*, id est roborare, fortificare, auctoritate, potentia, robore excellere, principatum obtinere. S. August. *Exultavit*, inquit, *sicut fortissimus, et cæteros homines incomparabili virtute præcedens, non ad habitandam, sed ad currendam viam. Non enim in via peccatorum stetit.* S. Hieron. Hic gigas, ait, pro fortitudine

A Christi ponitur, eo quod ipse alligavit fortem diabolum, et vasa eius diripuit. Cant. 5. v. 5. robur illud in decurrenda via, et in standa post decursum figuratur: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, sapientiæ scilicet atque charitatis; cum iis innititur marmor, id est fortitudo, mira præstat.

III. Ob velocitatem.

Tertio, Christus dicitur gigas, ob velocitatem: magnis enim passibus et celeri cursu procedit. *Exultavit ut gigas ad currendam viam:* quod aliis esset trepidatio, illi est exultatio, nempe viam decurrere. Cursus ille denotat primo, victoriam faciem de hostibus, qui currenti moras iniicere non potuerunt. Secundo, brevitatem vitæ: quia non habuit hic moras, ut ait S. Hier. Natus enim venit in passionem, resurrexit, et ascendit. Tertio, cursus indicat vehemens desiderium redeundi ad Patrem. Hinc dicit Ps. 41. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Currens ad cælum nos invitat. S. August. lib. 4. Confess. cap. 12. Non tardavit, inquit, sed cucurrit dictis, factis, morte, vita, B descensu, ascensu, clamans ut redeamus ad eum: et discessit ab oculis, ut redeamus ad cor, et inveniamus eum. Ita ipse. Dicamus ei cum Sponsa Cantic. 1. v. 3. *Trahe me* (imo rape) *post te curremus.* Stella quælibet octavi cæli seu firmamenti, orbi suo affixa, in æquinoctiali posita, singulis horis conficit 42. milliones milliarium, ut dicunt astronomi. Tu cum Davide dic Ps. 17. 1. *Dominus firmamentum meum.* Illud firmamentum est cæleste, et illi inhærent, qui cælestes sunt, itaque Christus cælum est. Posuit Deus stellas in firmamento cæli. Genes. 1. 17. ait Moses Hebræis Deut. 1. 10 *Estis hodie sicut stellæ cæli.* Via itaque mandatorum est currenda, hæc est via lactea, ibi stellæ plurimæ. Heb. firmamentum vocatur רקיע *rakia*, id est expansio. Ait David Ps. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

48. Christi velocitas in cursu declaratur. Nam a terra ascendit.

David deinde, ut melius gigantis nostri velocitatem in currendo declaret, ostendit illius terminum a quo, et terminum ad quem.

C Ac primo, terminus a quo motus ille Christi ad nos venientis incepit, est summus cælorum vertex qui a terra distat plusquam centum millionibus leucarum, si quibusdam astronomis credamus. Item, terminus a quo illius motus, est sinus Patris æterni. Ait enim Ioannis 16. 28. *Exivi a patre, et veni in mundum.* Davidis nostri verba sunt, *A summo cælo egressio eius*, quod S. August. de generatione æterna sic explicat, q. d. A patre egressio eius, non temporalis, sed æterna, qua de patre natus est. Eadem est sententia S. Hieron. Malim tamen cum S. Bern. serm. 1. de adventu, explicare de descensu e cælis per incarnationem. *Venit*, inquit, *de corde Dei patris in uterum virginis matris. Venit e summo cælo in inferiores partes terræ.* Est autem infinita distantia inter Deum et hominem, quantus igitur gigas fuit, qui a Deo venit ad homines, et ex æterno factus est temporalis, ex immenso parvulus, ex infinito finitus.

Ad cælum pervenit.

Secundo, terminus ad quem gigas noster regreditur, D est sinus patris æterni et supremus apex cælorum. *Et occursus eius usque ad summum eius:* primum sensum de patre habet S. Hieron. Occursus eius, inquit, in coæqualitate æternitatis. Quia ascendit ad cælos, sedet ad dexteram patris: ubi antea et semper fuit cum ipso. Ita Hier. Dicit ipse Christus Ioann. 16. 28. *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Quem locum S. August. explanans, ait: Sic ad mundum veniens exiit a patre, ut non desereret patrem: et sic vadit ad patrem relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim a patre, quia de patre est, et in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de Virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione. Ita August. est Angelus ille giganteus, qui Apoc. 10. 2. posuit pedem suum dextrum super mare, id est, in abysso divinitatis: et pedem sinistrum super terram, hoc est in luto nostræ mortalitatis. Secundum sensum, de reditu scilicet in cælum: pene omnes interpretes, et melius se-

quuntur. Syr. vortit. *Ab extremitatibus cœli exitus eius, cubile eius super extrema cœlorum.* Habacuc 3. v. 11. *Elevatus est Sol et Luna stetit iu ordine suo.* Quod S. Greg. homil. 29. in Evangel. de Christo sic explicat. Quis, ait, Solis nomine nisi Dominus, et quæ Lunæ nomine uisi Ecclesia designatur? Quousque enim Dominus ascendit ad cælos, sancta eius Ecclesia adversa mundi omnimodo formidavit. At postquam eius ascensione roborata est, aperte prædicavit, quod occulte credidit. Elevatus est ergo Sol, et Luna stetit in *ordine sua*: quia cum Dominus cælum petiit, sancta eius Ecclesia in auctoritate prædicationis excrevit. Hinc eiusdem Ecclesiæ voce per Salomonem dicitur Cantic. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles.* Consideravit namque tantorum operum culmina, et ait: Ecce iste venit saliens in montibus. *Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis fratres charissimi, ipsos eius saltus agnoscere? De cœlo venit in uterum, de utero venit iu præsepe, de præsepi venit iu crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit iu cœlum.* Ecce ut nos post se currere faceret, quosdam pro nobis saltus manifestata per carnem veritas dedit: quia exultavit ut gigas ad currendam viam suam. Ita Gregor.

Et ad terram per gratias redit.

Nunc etiam sæpe ad nos redit, primo per varias gratias, quas dat per Spiritum sanctum, qui est supremum donum. Secundo, in Eucharistia. Tertio, aliquando per visibilem præsentiam. S. Bernard. serm. 1. de adventu: *Unum*, inquit, *restat, via scilicet, per quam venit, et hæc quoque diligenter requirenda: ut possimus sicut dignum est ei occurrere. Verumtamen sicut ad operandam salutem iu media terræ, venit semel in carne visibilis: ita quotidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis, sicut scriptum est Thren. 4. Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: et ut noveris occultum esse spiritualem hunc adventum: In umbra eius, inquit, vivemus inter gentes. Propterea dignum est, ut si non valet infirmus iu occursum tanti medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, et aliquatenus assurgere venienti.* Si vis post ipsum alacriter et perseveranter currere, abiice onera rerum terrenarum, et peccatorum, quæ sicut onus grave gravantur super te. S. Bern. in illud. Ecce nos reliquimus omnia, ait, *non potes nisi onere posita sequi gigantem.* Iustorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit veluti cursu giganteo. Ita Bernardus.

43.

Christus est orbis parens.

Quarto, Christus est parens orbis, per gratiarum effusionem. *Nec est qui se abscondat a calore eius*: id est, ab eius extremo iudicio, ut ait S. Irenæus lib. 4. cap. 66. Vel melius a calore charitatis, ut S. August. in Psal. 45. vel denique, a divinis eius beneficiis, ut S. Laurent. Iustin. lib. de obedientia cap. 5. Si hunc calorem non suscipis et foves, cave tibi ab altero. Christus est Samson, id est, Sol exhilarans, ut ait Arias, a rad. שׂשׂ *sas*, id est, lætari: vel Sol populabundus a rad. שׁמן *sciaman*, id est, diruere, ut idem ait. Melius dices significare, *impinguans lætitia*, a rad. *sciaman*, id est, impinguare, et *sas*, lætari. Vel *sol fortis*, Sol divitiarum, a rad. שׁמשׁ *scemes*, Sol: et און *on*, id est, robur, fortitudo, potentia, divitiæ. Omnia penetrat et ditat. Vel, *oleum lætitiæ*, a שׁמן *scemen*, id est, oleum: et שׂשׂ *sas*, lætitia. Elige qualem tibi eum esse cupies. Sol orbem universum exhilarat, sed Athlantes in furorem agebat, adeo ut illi maledicerent singulis diebus mane, quod eos nimio calore ureret eorumque terras. Impii sunt hedera Ionæ, iam e verme erosi suæ conscientiæ, solo oriente arescunt, cum vident turpitudinem sui peccati, et pœnam ignis urentis sentiunt. Ion. 4. 7.

Ardorem charitatis eius omnes sentiunt.

Benignum calorem Solis divini omnes prorsus homines sentiunt per lumen inditum et ab ipsa natura, et a gratia. S. Hieron. *Nullus est, qui non habeat semina intellectus Dei. Nec est qui se abscondat a calore eius. Nullus est, qui de calore sua non habeat aliquid, quod ei non dedisset, ex multis divisionibus gratiarum. Sicut dixit Paul. 1. Corinth. 12. 4. Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, etc.* Hinc Sancti fulgent et ardent in hoc mundo. Sap. 3. 7. *Fulgebunt iusti, et tamquam scintillæ iu arundineto discurrent.* Quod recte S. Cyprianus exhort. ad Martyr. cap. 12. et Clem. Alex. lib. 4. Strom. cap. 6. explicant de futura vita et gloria cælesti. Nam, ut ait S. Bonav. in 4. dist. 49. p. 2. artic. 2. qu. 1. In fulgore significatur claritas corporis gloriosi: in iustitia, impassibilitas: in scintilla, subtilitas; in discursu, agilitas. Non male tamen accommodant huic etiam vitæ S. Athan. apolog. pro fuga, et S. Hieron. (si tamen est auctor, nam stylus differt) epist. 7. de viro perfecto, tom. 9. cuius hæc verba sunt: *Arundinetum sunt infideles, inter quos iusti iu hoc mundo non sistunt, nec pedem mentemque figunt, sed quasi peregrini anhelantes discurrunt.* Sunt etiam scintillæ in arundinibus, quia peccatores in luto crescentes, vento cedentes, instabiles, medulla carentes, illuminant luce sapientiæ, accendunt ardore charitatis, in cineres humilitatis redigunt, cum antea pleni essent vento vanitatis.

Martyres præsertim.

Calorem et ardorem admirare Martyrum, quos sic loquentes inducit S. Ephrem, in encomio de omnibus Martyribus. *Ubi sunt, suppliciorum vestrorum minæ? Nam ignis vester frigidus apparet, ac tormenta inefficacia, percussores imbecilles, et gladii vestri ligna marcida: nihil quod nostræ respondeat promptitudini atque alacritati, habetis: ad plura et maiora toleranda parati consistimus.* Et quidem S. Quirinus Martyr, pater S. Balbinæ virginis et martyris sub Alexandro I. Pontifice, ad Aurelianum Comitem conversus intrepide exclamavit: *Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod libet: omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, non secus ac famelici ad panem, parati sumus*, et S. Genesius ex mimo factus Martyr sub Diocletiano, dum in equuleo suspenderetur, ungulis laceraretur, lampadibus ureretur, dicebat: Non est Deus prætor Christum, pro quo si millies occidar, Ipsum mihi de ore, Ipsum mihi de corde, auferre non poteris.

Ignis ille nulla tribulatione extinguitur.

Cum ignis ille Christo sole accensus, sit cælestis, non extinguitur aquis tribulationum terrenarum. Cantic. 8. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Gagates lapis accenditur aqua, oleo restinguitur, ait Plinius lib. 36. cap. 19 Anthracites lapis ignitus et carbo, si iaciatur in ignem, velut inter mortuos extinguitur: at contra aquis perfusus exardescit, ut ait S. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 13. Missus Romam S. Ignatius martyr, ibi in mediis tormentis eluxit splendidius. S. Chrysost. hom. 42. de ipso. Quemadmodum, ait, Iudæi cum Paulum vinctum Romam mittendum curarunt, opinati sunt se illum ad mortem mittere, attamen Iudæis illic habitantibus miserunt præceptorem; sic plane in S. Ignatio factum est. Neque enim solis Romæ civibus, sed omnibus etiam in toto illo itineris spatio civitatibus interiectis, διδασκαλος απασι θαυμασιος admirabilis magister extitit, præsentem vitam contemnendam docens, et ea, quæ cernuntur, pro nihilo ducenda, futura autem diligenda, et oculos in cælum tollendos, nihilque quod in hac vita possit accidere, quantumvis grave, formidandum. Hæc enim et his plura reipsa factisque comprobans, iter faciebat, καθαπερ ηλιος τις εξ ανατολης ανισχων και προς την δυσιν τρεχων. *Tamquam sol quidam ab Oriente exoriens, et ad occasum currens* μαλλον δε και τουτου φαιδροτερος, *imo vero sole ipso splendidior multo. Sol enim e superioribus partibus currebat, sensibilem lucem impertiens. Ignatius autem deorsum splendebat intelligibile doctrinæ lumen animis infundens.* Et ille quidem in Occidentis partes inferiores descendens absconditur, ac noctis tenebras confestim obducit: hic autem ad occasus partes accedens, φαιδροτερον εκειθεν ανεσχε, *Splendidius in illis eluxit, et de omnibus in tota illa via est optime meritus, cumque Romam pervenisset, eam ipsam urbem docuit philosophari.* Lege hom. 71. de S. Phoca martyre, ubi etiam martyres Soli comparat, et ait eorum lucem extingui non posse etiam in ipsa morte, et post mortem.

SECTIO SECUNDA.

50. *Duo complectitur. Primo, divinæ legis elogia, vers. 8. Secundo, eam esse sedulo observandam, vers. 11.*

PARAPHRASIS.

8. *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.*

8. Cæli, Solisque et astrorum contuitus, ad perfectam Dei nutitiam homines satis superqoe luea sua dncere poterat; Ipseque adventus veri Solis Christi, et radii virtutum ex illo emicantes, eos amore cælesti inflammare: ne quid tamen ealiginis menti superesset, legis pnlcherrimum sidns adiecit, quod clarissimum labisque omnis expers a terrenis ad cælestia mentes converteret. Hæc divina lex, quæ, quid ex virtute viventibus obventurum sit, testatur, vanis pollicitationibus nnn illudit: neque vel abiectissimos deserit, sed Imperitissimis quibusque cælestem affundit sapientiam, si præsertim demissionem animi habeant.

9. *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

9. Lex Dei Iustissima, quæque homines quid iuris sit, edocet, vero solidoque gaudio mentem piorum exhilarat. Eadem lex toto in orbe, Solis instar, emicans, animos hominum illustrat, et inflammat.

10. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.*

10. Hæc divina lex veræ pietatis alumnos timore filiali In officio continet, eosque replet virtutibus, atque In cælis collocatos reverentia erga Deum æterna exornat. Hæc Dei lex est regula et norma Iustitiæ, ita Iustitiam veritatemque continens, ut hoc ex sola ipsius meditatione appareat.

11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum, multum: et dulciora super mel et favum.*

11. Auro, gemmisque, et omnibus mundi divitiis præferenda sunt Dei præcepta, deliciisque terrenis longe suaviora.

12. *Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.*

12. Neque Id nt ab aliis acceptum, auditione tantum didiei: sed propria experientia eorum præceptorum ineunditatem animo hausi. Tum in hac, tum in futura maxime vita, maxima merces iis est reposita et cumulate reddenda, qui In eorum observatione seduli extiterint.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PERFECTOS EFFICIT DIVINÆ LEGIS OBSERVATIO.

51. Ordo Sectionis. CUM Propheta sectione præcedenti ostendisset, cæli, partim planetarum, partim stellarum fixarum, et maxime Solis contemplatione, notitiam Dei naturalem haberi, et gloriam eerni. Nunc ad cælum empyreum evnlat, nt legem Dei, Solis instar, ibi emicantem, atque has in terras lucidissimos radios fundentem, speculetur. Hæc enim est, quæ, cælestis cum sit, cælestes homines facit, atque cælicorum agminnm choris admiscet, Ipsisque Serafinis pares, imo et superiores, efficere potest, si contento alarum remigio, volatum eius In Dei sinu sistentis sequamur.

A lege virtutes oriuntur. Legis itaque illius vim et efficaciam David primo proponit, deinde illi Insistendum edocet.

Sex virtutes, quas dat sectatoribus suis, velut Seraphinorum Isaiæ sex alas, in medium adducit, quarum duæ ad fidem pertineant, duæ ad spem, duæ reliquæ ad charitatem.

Primo, fidem exornat Innocentiæ studium ad vitanda peccata, v. 8. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Et prudentia, ad virtutum acquisitionem. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.*

Secundo, Spem consequitur lætitia de futura beatitudine, per virtutes obtinenda, v. 9. *Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Et desiderium ardens per viam illam lucidam mandatorum currendi. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Tertio, Charitatis alæ duæ sunt. Timor scilicet filialis a peccato retrahens, v. 10. *Timor Domini sanctus, permanens* (id est, permanet. Est Hebraismus) *in sæculum sæculi.* Et amor filialis ad Deum, propter ipsum Deum doeens. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Secundo, legis divinæ præstantia, eam sequendam dicit, cæteris rebus etiam pretiosissimis contemptis, vers. 11. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum, multum.* Suavitatem et delectationem, eam sequentibus, promittit. *Et dulciora super mel et favum.* Mercedem denique

A paratam esse asserit, in eius comitatu perseveranti, v. 12. *Etenim servus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.*

ARTICULUS I.

Lex Dei, est immaculata, et animas convertit.

LEX Dei, velut aquila provocat ad volandum pullos suos. Primam eis alam attexit Innocentiam, qua e 52. Vers. 8. 1. Pars.
luto et terra sublevati cælum petant, v. 8. LEX DOMINI IMMACULATA (S. Ambros. in Ps. 118. serm. 16. Irreprehensibilis. Tert. 4. In Marcinn. cap. 1. Invituperabilis. Septuag. ἄμωμος, id est, reprehensioni non obnoxia, inculpata, momi morsibus nnn subiecta. Hebr. תמימה *temima*, Id est, perfecta, integra cui nihil deest) CONVERTENS ANIMAS: TESTIMONIUM DOMINI FIDELE, SAPIENTIAM PRÆSTANS PARVULIS. Vide dicta Psal. 12. 7. Eloquia Domini, eloquia casta.

B Nnta primo, lex vocatur hic testimonium, Iustitia, præceptum, timor Domini, iudicium. Theodoretns id vidit in hoc loco. *Lex*, ait, vocatur, tamquam optimum Reipublicæ statum dispensans atque ordinans; 2. *Testimonium*, veluti peccantes testificans, et transgressionis vindictam ostendens; 3. *Iustitia* autem, quasi iustum docens, et prohibens Iniustum; recteque agentes, Iustos esse declarans; 4. *Præceptum* vero, eo quod, quid agendum sit, præcipit, atque Domini more Imperat; 5. *Iudicia* denique, tamqnam divina Indicia ostendens atque edocens, quibus bonis perfruatur, qui eam custodit, quibusve suppliciis, qui illam transgreditur, obnoxius sit. Ita Theodoretus, qui addere potuit, legem dici timorem Domini, quia illum inducit atque causat propositis pœnis, qoi peccatoribos reservantur. Est metonymia: nam effectus pro causa ponitur. De singulis aliqua dicentur infra, ac præsertim Ps. 118. ubi multis aliis nominibus lex appellatur, ut ibi ostendam. Sed nt ab hoc loco non recedamus. S. Petr. Damiani tom. 2. sermnn. 12. qui est de resurr. narrat virum pium, cum rogaretur a discipulis, quid vidisset in Ecclesia, ait: vidisse se quatuor, nempe versicu-

Lex dicitur testimonium, iustitia, præceptum, iudicium, et cur.

los quatuor psalmi nosiri, et sex notarisse: nempe legem, testimoninm, iustitiam, præceptum, timorem et iudicia: in his personas notat necessarias in iudicio, legem scilicet, secundum quam index iudicat: testimonium, testium: actoris ac rei partes, per nomen iustitiæ: sententiam iudicis, per præceptum: accusatoris at executoris officia, per timorem atque iudicia.

53. Lex quadruplex est: æterna scilicet, naturalis, divina et humana

Nota secundo, lex est quadruplex: lex æterna, naturalis, divina et humana. Lex æterna, est ratio seu conceptus gubernationis rerum in Deo, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 91. artic. 1. et quæst. 93. artic. 1. Omnis lex in quantum iusta est, ab illa lege æterna derivatur qu. 93. art. 3. Secundo, lex naturalis est participatio legis æternæ: et impressio divini luminis in creatura rationali: qua inclinatur ad debitum actum et finem, quæst. 92. art. 2. Tertio, lex divina, est participatio legis æternæ, in ordine ad finem supernaturalem; sicut lex naturalis ad finem naturalem, quæst. 91. art. 4. ad 1. distinguitur lex divina in veterem et novam, non sicut in species omnino diversas, sed sicut in imperfectum et perfectum in eadem specie quæst. 107. art. 1. et quæst. 91. artic. 5. Quarto, præter legem æternam, naturalem et divinam, est lex quædam ab hominibus inventa, secundum quam in particulari disponuntur, quæ in lege naturæ continentur, q. 91. art. 3.

54 Lex Dei est immaculata dupliciter

1. Formaliter, quia nihil continet nisi purum

Nota tertio, lex Dei dicitur immaculata. Primo, formaliter: quia nihil nisi purum continet. Ideo lex vetus data est in medio igne, quo nihil purius, Exodi 19. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat: eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne.* Inde decalogum sancit cap. 20. lex nova adhuc in igne promulgatur descendente Spiritu sancto in linguis igneis. Actor. 2. 3. et ignis illic non fumabat. Lex ipsa dicitur ignea, et teneri dextera Dei, Deuteron. 33. 2. Ideo vult Deus eam communicare puris. Exodi 19. 10. daturus legem Hebræis in monte Sinai, ait Mosi: *Vade ad populum, et sanctifica* (Chald. præpara) *illos hodie et cras, laventque vestimenta sua, et sint parati in diem tertium.* Præparatio illa in quatuor rebus sita erat, 1. in continentia ab uxoribus; 2. in lotione vestium et corporum: unde Philo lib. de decal. ait, eos per triduum lavacris esse purificatos; 3. in purgatione castrorum; 4. in reverenti expectatione Dei leges sancituri et promulgaturi. Angelus legem veterem promulgat, Spiritus sanctus novam promulgari curat, ut angelicæ, spirituales at divinæ appareant. David ait Ps. 118. v. 1. *Beatos esse immaculatos*, qui ambulant in lege Domini: iam sunt inter sanctos et Angelos conscripti in libro vitæ. S. Ignatius Paschasium Broetum, unum e primis sociis suis, virum innocentem ac placidum, præ morum innocentia, *Angelum* consueverat appellare, ut refert Sacchin. lib. 5. hist. Soc. Iesu. Sumus æternæ felicitatis candidati, dealbanda est stola nostra, id est, corpus nostrum in sanguine agni. Cap. 4. v. 8. ait Christus Sponsus animæ immaculatæ, quæ est sicut columba lacte lota: *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni*, q. d. ter veni, id est, cogitatione, locutione, et opere: sed semper de Libano: id est, de puritate et dealbatione. Richardus a S. Victore: *Libanus*, ait, *mons est, in quo crescunt myrrha et thus. Dicitur autem Libanus candidatio, vel dealbatio. Vocat ergo Christus sponsam de Libano, cum per mortificationem peccatorum et carnalitatis, et per devotionem orationis mundatam et candidatam, invitat ad supernam remunerationem.* Vitia itaque ab anima excludere oportet, tamquam venenum et intus inficiens et exterius deformans. Nam ut ait Salvianus lib. 5. de provid. Nobis lex est antidotum; et vitiositas, venenum: sanare nos non potest legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum. Ita ipse.

Vers. 8 2 Pars

55.

II. Effective quia immaculatos facit

Secundo, lex Dei est immaculata effective, id est, reddit immaculatos alumnos suos. Quod David noster explicatius dicit, cum subdit, lex Domini immaculata CONVERTENS ANIMAS. Arabs vertit: Per eam convertis animas. Hebr. משיבה meseiba, redire ac reverti faciens, utique, ut ait Tertullianus, ab idolis ad Deum. S. Hieron. de captivitate in libertatem, ad imitandum Deum. Peccator prono corpore terram intuetur, cum ad reversionem Christus invitat, ut ipsum intueatur: sed tardantem lex divini pædagogi instar, sacra virgula percussum ad celsiora excitat, et faciem convertere cogit, ut tenebrosam animam Sol divinus illuminet, et turpem atque maculatam lex ipsa expurget. Christus, ait Ioan. 15. 3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Lex Christi vocatur Roman. 8. 2. lex spiritus vitæ, et eius vis explicatur. *Lex enim spiritus vitæ* (id est, spiritus vivificantis, hoc est lex gratiæ at charitatis per Christum) *liberavit* (Tertull. lib. de Resurr. carnis, cap. 46. manumisit) *me a lege peccati et mortis:* id est, a dictamine, iure, dominatu, reatu concupiscentiæ: ut licet eam sentiam, non tamen consentiam, ut explicat S. Augustin. et S. Anselmus. Item S. Ambros. *Quia*, inquit, *prior lex ab opere male inhibuit: hæc autem, cum nec in corde peccari debere dicit, lex spiritus dicitur, ut totum hominem faciat spiritualem.* Et in Ps. 118. serm. 7. lex non solum agendi munus informat, verum etiam secretæ mentis *emundat* affectum. Et in Epist. 2. ad Corinth. lex animo continetur, vivificat reos mortis. Ac S. Dorotheus doctrina 4. de renuntiatione. *Data est lex a Deo misericordiæ*, προς βοηθειαν, προς επιστροφην, προς διορθωσιν, *ad auxilium, ad conversionem, ad correctionem pravitatis.* Epictetus dicebat, ipsas leges humanas esse datas, ut bene de hominum vita mereantur. Tull. lib. 1. de oratore, esse emendatrices vitiorum, et commendatrices virtutum. Docemur, inquit, auctoritate nutuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes voluptates, sua tueri: ab alienis mentes, oculos, manus abstinere. Eleganter et vere Demosthenes dicebat, legem esse *civitatis animam*: quod, sicut corpus sine anima nihil potest præstare, sic civitas sine legibus. Hoc paulo diffusius explicat Valerius Maximus l. 3. c. 9. *ut corpora nostra*, inquit, *sine mente: sic civitas sine legibus, suis partibus, ut nervis, ac sanguine, et membris, uti non potest.* Contra vero, ubi leges floruerint, ibi virtus viget, omniaque succi plena sunt ac medullæ. Dionysius Halicarn. lib. 2. Bonis, ait, legibus, et honestorum studiorum æmulatione, pia, temperans, iusta, et re bellica præstans civitas redditur. Non placet quod in psalmo nostro τo *convertens animas*, Caietanus et Agell. explicant pacans et restituens: sicut inquiunt, cibo restituitur animus languenti aut ei, qui inedia sit confectus. Malim sumere in sensu proprio. *convertens*, id est, reverti faciens, *animas*, velut oves errantes. Pindarus, legem vocat, deorum et hominum reginam: homines rectos corde regit in via mandatorum, errantes corrigit, et ab aviis convertit. Chrysippus dicebat, quod, ο νομος παντων εστι βασιλευς θειων τε και ανθρωπειων πραγματων. Lex est omnium divinorum et humanorum negotiorum regina.

Quam efficax sit lex Christi in convertendis peccatoribus, patuit in Pentecoste, cum S. Petrus una concione tria hominum millia, deinde quinque millia convertit. Apostoli postea totum orbem. Nec illa periit efficacia, nunc enim videmus, inter Canadenses ex feris verius quam ex hominibus factos Angelos.

Nota quarto. Causam cur lex sit immaculata, et convertat animas, a Davide exprimi, quia scilicet est lex Domini. *Lex Domini immaculata, convertens animas.* Dominus est, Deus est, sanctitatis fons est, nihil ulla labe fœdatum effundere potest, nihil eius imperio potest resistere. Iob. 36. 22. ait Eliu amicus Iob: *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua* (tamquam in arce munitissima, ait Pineda) *et nullus ei similis in legislatoribus.* Deus dans legem Hebræis, sic incipit Exod. 20. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus*, q. d. pro iure meo sancta ac divina tibi præcipio. Isaias cap. 34. 16. prophetiam suam vocat librum Domini, ut ait S. Thomas: sic tota lex et scriptura vocari potest. 56. Deus, ut Dominus leges sancit.

57. Omnis Dei lex est immaculata.

Quæres. De qua lege Dei hic agatur? (S. Clemens Papa VI. Constit. 19. de lege scripta hunc locum usurpat; ad æternam quoque et naturalem traduci potest. Primo, legem æternam esse immaculatam, nemo potest dubitare, cum sit realiter Deus ipse. De illa Tullius lib. 3. de

legibus. *Lex est*, inquit, *neque hominum ingeniis excogitata, nec scitum aliquod populorum, sed æternum quoddam, quod universum regeret, imperandi prohibendique sapientia.* Secundo, lex naturalis est immaculata, est enim radius quidam a sole divino in mentem humanam, velut in nubem incidens, eamque illustrans, et quoddam parelium faciens. Ps. 4. 7. *Signatum est* (Symm. επισημον ποιησον, id est, insigne fac) *super nos lumen vultus tui Domine.* Vide ibi dicta. Tertio, lex Mosaica, scripta digito Dei fuit immaculata. Rom. 7. 12. *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et iustum et bonum.* S. Thom. 1. 2. quæst. 99. artic. 4. censet, hic mandatum legis vocari sanctum, propter præcepta ceremonialia: iustum, propter iudicialia; bonum, propter moralia. De quolibet tamen præcepto in particulari hoc intellige. Quarto, præcipue lex gratiæ dicitur immaculata, ut ait Remigius: unde si ei conferas legem veterem, censebis cum Paulo Gal. 4. 9. *Nunc cum cognoveritis Deum* (solem animæ vestræ) *imo cogniti sitis a Deo, quomodo iterum convertimini ad infirma et egena elementa?* id est, ad solem, lunam, et idola, ut ea adoretis. Ita S. Ambros. et S. August. Vel 2. ad solem, lunam, ut per eorum cursum Sabbata, neomenias, atque alia festa Iudaica notetis et servetis. Ita S. Chrysost. et Oecum. vel 3. ad sacramenta et observantias dierum et mensium festorum, et ad alias ceremonias legis veteris, quæ erant veluti prima rudimenta religionis atque pietatis. Ita S. Anselmus, et Tertull. lib. 3. contra Marcion. cap. 4. Lex autem gratiæ non est egena neque infirma. Nam, ut dicitur Rom. 7. 25. *Gratia eius in me vacua non fuit.* Non est infirma. 1. Corinth. 12. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* Quinto denique, lex item canonica inter Dei leges computari quodammodo potest. Nam S. Petrus in Concilio Ierosolymitano ait, Actor. 15. 28. *Visum est Spiritui sancto et nobis*, deinde leges præscribit servandas a gentilibus ad fidem conversis. Deinde Concilia generalia a Pontifice approbata non possunt errare. Ut enim dicit S. Bern. Epist. 41. *Quod Dei est, immundum esse non potest*, quod ipse applicat charitati, quam symbolice ait esse legem Dei immaculatam, et pie probat. Christus vero dixit: Matth. 18. 20. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum:* quod maxime de Conciliis verum est.

Conclude, his omnibus legibus, et Politicis etiam, quæ sunt earum participatio, cum studio et amore esse obediendum. Demosth. orat. 1. in Aristogitonem. *Lex est, cui omnes homines decet obedire, propter multa et varia: et maxime, quod omnis lex*, ευρημα και δωρον θεων, *est inventio ac donum Deorum. Dogma autem hominum sapientum.* Hinc, ut alias probavi, plerique legislatores finxerunt se a diis leges suas accepisse: ut Minos ab Apolline: Lycurgus a Iove.

58. Nota quinto. Cum dicitur: *Lex Domini immaculata*, indirecte denotari, leges gentilium non esse sine macula. Leges enim humanæ plerumque vanæ, ridiculæ, turpes, et crudeles sunt nisi a sole divino lumen, ac puritatem vimque mutuentur. Laudent itaque Indi suos Gymnosophistas, Persæ Magos, Ægyptii Sacerdotes et Prophetas suos, Carthaginienses Phaleam, Athenienses Cecropem et Solonem, Lycurgum Lacedæmonii, Phoroneum Argivi, Thebani Philolaum, Milesii Hippodamum, Romani Numam, Rhegini Androdamum, Thurii Charondam, Pythagoram Metapontini, Galli Druydas, Scythæ Triniscanem, Getæ Zamolxim, aliique alios, a quibus leges acceperunt. Cum Diis suis dicunt sermonem se contulisse, tantis tamen erroribus eorum sancita plena sunt, ut vere exclamare liceat cum S. August. lib. 9. de Civitate Dei. *Omnium legum est inanis censura, nisi divinæ legis imaginem gerat.* Quid enim Gymnosophistarum nuditate turpius? Quid Babyloniorum conviviis perniciosius? Quid Persarum matrimoniis cum matre et sororibus fœdius? Noti sunt Ægyptiorum Dii, cruentæ Carthaginensium atque Gallorum victimæ, qui homines Diis suis immolabant. Lacedæmoniorum furta pueris licita, luctæ virginum cum adolescentibus. Plato selectæ Reipubl. ideam animo efformavit, uxores tamen voluit esse communes. Recte Archytas Tarentinus dicebat, leges regionum et locorum rationem habere. Cum nec omne solum omnium capax sit frugum: neque omnium mentes hominum, omnium virtutum. Sed cum a terrenis hominibus fiant, terram sapiunt. Atque ut videmus aquas infici colatione per venas sulphuratas: ita ratio humana eorum, quibuscum versatur, moribus fœdari assolet.

Leges Paganorum fuerunt turpes et crudeles.

Legislatores varii recensentur.

ARTICULUS II.

Lex Dei sapientiam dat humilibus.

SECUNDAM alam Seraphino suo, id est, viro pio charitate divina ardenti, subnectit lex Dei immaculata, nempe sapientiam, v. eod. 8. TESTIMONIUM DOMINI FIDELE, SAPIENTIAM PRÆSTANS PARVULIS. Quatuor hic considerari possunt: scilicet, quod lex Dei sit testimonium, quod fidelis, quod det sapientiam, quod eam det parvulis.

Vers. 8. 3. Pars.

Ac primo, lex divina *testimonium* dicitur. Primo, quia 59.
voluntatem Dei testificatur. Secundo, eius monita, consilia, imperata. Tertio, priscorum patrum gesta et dicta: legem sumendo lata pro tota Scriptura, ut Lucæ 16. 17. Quarto, mercedem iustis promissam. Quinto, intentata impiis supplicia. Sexto, vias modosque paternos, quibus amicum illud lumen errantes ad viam revocat, currentes adiuvat, fatigatos recreat, metam tangentes passis ulnis excipit, sinu fovet, manu coronat. Hæc aliaque obventura, lex Dei, ut cælestis præco, inclamat, et iureiurando interposito affirmat. Testimonium Domini, ait S. Petrus Damiani tom. 2. serm. 12. dicuntur quæcumque in Scripturis sanctis testificatur Dominus, aut promittens, aut præcipiens. Continentur itaque testimonia in promissis et præceptis: quia quæ promittit, solvit: sive iustis præmia, sive iniustis tormenta. Et antea in his primis versibus dixerat contineri personas, quæ in iure sunt necessariæ, et actus eorum. Nam et Dominus qui iudex est, et lex, secundum quam iudicatur, et officium testium sub hoc nomine *testimonium:* actoris quoque et rei merita per hoc nomen *iustitiæ* designantur. Nam et merita causarum, partium assertione panduntur. Sententia iudicis, sub hoc nomine *præceptum:* accusatoris et executoris officia, duobus ultimis nominibus, quæ sunt *timor* et *iudicia*, iudicantur. Ita ad verbum ibi.

Lex Dei vocatur testimonium, ob sex rationes

Secundo, lex Dei fidelis est, id est, fide digna, certa, verax, non fallens. Deus enim stat suis promissis, sive laureas et coronas triumphanti promittat, sive iugum, compedes, ergastulum, flammas prostratis a dæmone intentet. Hinc ipse Deus dicitur fidelis Deuter. 32. v. 4. et lex eius ac sermo, 1. ad Timot. 1. vers. 15. cap. 3. v. 1. cap. 4. v. 9. et 2. ad Timot. 2. vers. 11. et ad Titum 1. v. 9. et cap. 3. v. 8. Neque testimonium illud fidele accipias tantum de libris Prophetarum, ut censuit Lyranus, quod dicta eorum fideliter impleantur: neque tantum de minis, quæ imperfectis ac velut infantibus iustitiam præstant, ut ait S. Basilius, S. Gregor. Nazianz. et Eusebius in Catena. Sed cum Didymo, de omnibus bonis, ac de cognitione veritatis, quam docentur tum humiles, tum imperiti. Nam ut ait Christus Matt. 5. v. 18. *Amen dico vobis, donec transeat cælum et terra* (ab hoc statu corruptionis ad statum novum et gloriosum in Resurrectione) *iota unum* (iod unum, ut habet Syrus) *aut unus apex*, (id est, minima pars literæ: de punctis enim necdum inventis hoc non intelligitur: nam post hos circiter annos .. a Christi nativitate, sunt a Rabbinis inventa) *non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Amen, ut recte dicit Cornelius, id est vere, in veritate. Unde Aquila vertit πεπιστευμενως, id est, *fideliter*, vero, certo, ut docet S. Hieron. Epist. ad Sophronium. Porro *Amen*, est vox non iurantis, sed affirmantis rem a se dicendam, vel confirmantis rem iam dictam. Affirmantis est, cum orationi vel sermoni præponitur: confirmantis est, cum ei postponitur, eamque quasi obsignat, ut videre est Deuteron. 27. v. 26. et sequenti,

Lex Dei est fidelis

1. Corinth. 14. v. 16. Quocirca Septuag. vertunt γένοιτο, id est, fiat, q. d. verum fit, vere fiat quod opto, obsecro, vel approbo. Hoc loco *Amen* est affirmantis et graviter asseverantis. Porro ipse Christus vocatur *Amen* Apoc. 3. v. 14. *Hæc dicit Amen, testis fidelis*, q. d. Hæc dicit Christus, qui est *Amen* id est stabilis, verus, constans, fidelis, ipsaque stabilitas, veritas et fidelitas.

Lex Dei dat sapientiam. Tertio, lex Dei sapientiam, ut Phosphori mirabilem lucem, mundo revehit, quæ ducatum iusto præstet atque solatium, vers. eod. 8. *Sapientiam præstans parvulis.* Sapientiam hic stricte sumere possumus; prout est cognitio rerum altissimarum, et per altissimam causam; item late, prout confunditur cum prudentia, scientia, intellectu, et omni virtute intellectuali. Hæc enim omnia ex lege Dei, velut fonte et radice, emanant ac pullulant. Dicit David Ps. 118. v. 105. *Lucerna pedibus meis* (id est, affectibus) *verbum tuum.* Et v. 113. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Vide ibi dicta, et v. 98. *Super inimicos meos* (id est, præ inimicis meis) *prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.*

Lex et sapientia deducunt iustos in cælum. Cælorum viam tenenti viro iusto lex dextrum latus munit, manumque prehensans ultra salebras eum educit. Sapientia vero, sinistrum latus occupat, digitoque rectos calles ac securos præmonstrat. Aut, si placet, gradum voce, præceptis, minis, flagellis lex urget, severi ac sapientis instar pædegogi, quo illam nomine cohonestat Paulus ad Galat. 3. v. 24. *Lex pædagogus noster fuit in Christo.* Sapientia vero prævit, velut stella prævia, aut lampas ex pharo in porto apparens. Lex et sapientia sunt duæ sorores sibi mutuum auxilium præbentes. Scriptura tota, ut ait S. August. (si tamen sunt illi sermones eius, cum sint semilatini, et verba Cæsarii et Gregorii habeant, et a multis reiiciantur) serm. 38. ad fratres in eremo, *est scientia scientiarum.* Sapientia vero, seu prudentia, ut loquitur Philo libro de temulentia, est τέχνη τεχνῶν, id est, *ars artium.* Sine lege qui navem animæ fluctibus vitæ crediderit, is perinde facit ac si quis Indico ditatam auro et refertam gemmis onerariam cæco et furenti oceano committat. Si vero legi guberonaculum animæ dederis, statim ut in puppi consederit, ita eam diriget atque illustrabit, ut ad felicem portum deducat. S. Ambros. lib. 3. in Lucem, quos commentarios S. August. magni fecit, *Lex*, inquit, *utilis incredulis, infirmis necessaria, quæ lubricos et errantes præcepti salutaris observatione cohiberet, et observationum attentione concluderet*; et Tullius in Oratione pro Cluentio, etiam ipsam legem politicam, ait esse salutem et robur civitatum. *Fundamentum*, ait, *libertatis, fons æquitatis, mens, et animus, et consilium, sententia civitatis posita in legibus.*

Sine sapientia interitus certus est. Si sapientiam et prudentiam ex Dei lege et eius meditatione emanantem sustuleris, non secus feceris ac si effosso oculo homunculum in densos hostium cuneos immiseris, ubi multis confossus vulneribus pereat. S. Laurentius Iustinianus tractatu de ligno vitæ, *imprudenti*, ait, *si adsit timor, transit in desperationem: si dolor, in amaritudinem: si amor, in adulationem: si spes, in præsumptionem: si lætitia, in dissolutionem: si zelus, in furorem.* Telis itaque propriis confoditur, atque ut Saul in medio Philisthinorum in proprium gladium ruit, et in fossam a se excavatam devolvitur. Si autem redux prudentia cælesti balsamo oculos illinet, membraque diffracta et comminuta confoveat; statim et oculis lumen, et membris vigor, et vultui splendor reddetur: quod si hostis advenerit, turpiter victus cedet, neque eundem in cælum retardare poterit. Idem sanctus Pater: *Hæc virtus*, inquit, *lucerna est in viam paradisi dirigens.* Illa est, quæ ut S. Antonii et universi patres dixerunt, apud Cassianum Collat. 2. cap. 4. *Fixo gradu intrepidum hominem perducat, prædictasque virtutes conservet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi.* Neque eam vim ot incredibilem admireris. Sapientiam enim seu prudentiam S. Basilius, ait esse divinam rem. Nihil est itaque cur mortales vires, aut inferorum tumultus perhorrescat.

Lex Dei sapientiam dat tantum humilibus. Quarto, lex quidem dat sapientiam, sed humilibus. *Sapientiam dat parvulis.* Hebr. פתי *peti*, significat simplicem, puerum, Gallice *petit*, humilem. In vertice æternorum collium sedem sibi templumque posuit sapientia, sed arduus est ascensus et præceps; itaque qui temerario et superbo gradu fertur, sæpe corruit: qui vero cum humilitate supplices sapientiæ tendit manus, ab ea suscipitur, et per nulos calles levi flexu ad summa ducitur. Non separatur sapientia ab humilitate mentis. Prov. 11. v. 2. ait Salomon: *Ubi fuerit sapientia, ibi erit et contumelia* (active et passive sumpta. Hebraice et Chaldaice ignominia) *ubi autem humilitas, ibi est sapientia.* Lege S. Augustinum serm. 213. de tempore. Hinc ille Sapiens dicebat, inter sapientes sapientior est, qui humilior. Socrates apud Platonem in Apolog. cum ab oraculo sapientissimus dictus esset: perinde esse ait, ac si quis dixisset: *Ille vestrum est σοφώτατος sapientissimus: qui, sicut Socrates, cognoscit se nullo modo dignum esse sapientia.* Aristot. lib. 8. de animalibus notat, intelligentiam magis apparere in parvis, quam in magnis animalibus: ut patet in apibus, araneis, formicis, aliisque.

Non vero superbis. Sapientiam vero suam subtrahit Deus a superbo. Matthæi 11. v. 25. ait Christus: *Confiteor tibi* (id est, laudo te et gratias ago) *Pater, Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc* (mysteria gratiæ et gloriæ, quæ ego annuntio) *a sapientibus et prudentibus* (qui sibi præ cæteris sapere videntur) *et revelasti ea parvulis.* Syr. pueruiis. Gr. νηπίοις, id est, infantibus: nempe idiotis, simplicibus, humilibus: Apostolis rudibus, ac plebi. Nabuchodonosor supra hominem tumens, ad feras deiicitur: et sensum ipsum humanum amittit, dum ambit divinum. Scioli sæpe fiunt stupidi, et in opiniones absurdas feruntur easque obstinate tuentur, ut patet in hæreticis. S. Laurentius Iustinianus tractatu de ligno vitæ, *Valde*, inquit, *est difficile, ut is qui se sapientem existimat, mentem suam prudenter regat: Nam revera hominis prudentia efficitur humilitas suæ existimationis.* Neque enim res superbia plenum, locum dat deprimenti cælitus rori, sed omnem sibi effluere patitur. Hoc Solboous philosophos scriptis ad Alexandrum literis mandare ausus est, iisque eum aculeis premere: *Præsto*, ait, *est Deus dare tibi sapientiam: sed non habes ubi teneas eam, cum superbia plenus sis.* Neque Plato Cyrenensibus leges ut poneret, ullis precibus adduci potuit: Licet ita necessarias censeret civitatibus, ut his demptis homines nihil a feris distarent. Id autem recusavit, quod diceret, nimis esse difficile, leges iis sancire, qui tam felices essent; superbiebant enim ob divitias suas et felicem fortunam. Eam ob rem fortasse Deus Hebræos est passus in Ægypto affligi, ut eos humiliaret, antequam leges iis daret: ideoque id præstitit non in terra promissionis abundante rebus omnibus, sed in deserto per quod transibant, ibi non hæsuri, ut corde a terra evulso, soli legi et Deo vacarent.

ARTICULUS III.

Lex Dei est sol animarum, easque illuminando lætitia afficit.

Tertiam Seraphino nostro, id est, viro iusto, etiam addit lex Dei: lætitiam scilicet de cœpta feliciter via in cælum, et de spe promissæ ac certo acquirendæ, si perseveret, gloriæ iam appropinquantis, v. 9. IUSTITIÆ DOMINI RECTÆ, LÆTIFICANTES CORDA: PRÆCEPTUM DOMINI LUCIDUM ILLUMINANS OCULOS. Vers. 9

Lex Dei dicitur iustitia, ob tres rationes. *Iustitiæ* hic intelliguntur Dei præcepta. Et quidem S. Hier. vertit: *Præcepta Domini.* Arabs, Præceptam. Muisius, mandata. Petav. Iudicia. Septuag. δικαιώματα, id est, iustificationes. Præcepta autem divina dicuntur iustitiæ, quia in se iusta sunt et ipsamet æquitas. Reddunt enim unicuique quod suum est, pio præmia, impio sup-

plicia; 2. quia ostendunt nobis quid sit iustum, quid iniustum; 3. quia ad iustitiam sectandam lovitant, et ab iniustitia deterrent.

60. Lex Dei est recta formaliter et effective. Secundo, iustitiæ illæ, seu leges et præceptiones Dei sunt rectæ. Primo, in se formaliter, quia oihil habent in se obliqui et tortuosi atque ficti et mendacis, Ps. 32. 4. *Rectum est verbum Domini.* Daniel Deum alloquens ait cap. 3. 27. *Viæ tuæ rectæ.* Tullius lib. 2. de Nat. Deor. ait legem esse recti præceptionem, pravique depulsionem; et Philipp. 11. illam definiens: *Lex*, inquit, *nihil aliud est, nisi recta, et a numine Deorum ratio, imperans honesto, prohibensque contraria.* Secundo, iustitiæ illæ et leges Dei sunt rectæ effective, quia rectos faciunt, per varias monitiones, instructiones, minas, prohibitiooes, promissiunes, præmia, et alia. S. Thomas 1. 2. quæst. 90. artic. 1. ait legem esse *regulam* et mensuram actuum agendorum, vel omittendorum, et artic. 3. docet hoc esse de ratione legis, atque nt habeat vim coactivam. Itaque dirigit et impellit in via. Lex Dei in via perplexa et variis flexibus et aufractibus periculosa, est instar Mercurii, qui digitum intendat in viam regiam et rectam, et a diverticulis viatorem avertat, ne in prædones incidot, et aberret. Est etiam instar pædagogi tardantem iuste punientis et urgeotis, nt iam dixi.

61. Lex Dei dat lætitiam. Tertio, Iustitiæ illæ seu leges Dei lætificant animam ad cælestia anhelantem, quia videt se illis dncibus non aberraturam; 2. quia auxiliom sibi paratum videt; 3. quod citius ad metam optatam sit perventura; 4. ob lumen, de quo mox. Vere quidem ait S. Bern. Epist. 174. Patriæ est non exilii frequentia gaudiorum. Attamen, nt ipse docet Epist. 114. tanto noonnumquam copia datur, ut illis comparata omnis aliunde iucunditas mœror sit, omnis suavitas dolor, omne dulce amarom, omne decorum fœdum, omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum. Quod autem lex Dei footes illos in cor derivet, docet Isaias cap. 48. v. 18. *Utinam attendisses od mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua*, (omnis felicitas tua. Hoc enim pax significat Hebr.) *et iustitia tua* (id est præmium iustitiæ, vel ipsi actus boni) *sicut gurgites maris.* Non est contenta fonticulis, ant stillicidiis, totum mare gaudiorum effundit. Tull. lib. 1. de leg. docet ad felicitatem urbium leges esse inventas. *Ad salutem*, ait, *civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum et quietam et beatam, conditæ sunt leges.* Et S. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 2. docet quod lex maxime respicit ordinem od beatitudinem, et proprie ad felicitatem communem. Eam ob rem iure Dio. Chrysost. ait leges ntiliores esse muris civitatis, quod etiam non muratæ urbes viguerint: legibus vero destitutæ, nollæ steterint. Ut enim ait Oros. lib. 7. cap. 43. Sine legibus Respublica, non est Respublica. Salomon Proverb. 3. 17. de Sapientia agens, quam a lege dari diximus, ait: *Viæ eius, viæ pulchræ* (Septuag. viæ bonæ. Vatabl. viæ amœnæ. Pagnin. delectabiles. Chald. viæ suavitatis. Arab. De ore eius procedit iustitia, et super linguam suam *portat legem et misericordiam:* viæ eius viæ bonitatis, et cursus eius in pace,) *et omnes semitæ illius pacificæ.* Pro *viæ* Sept. habent ἄξονες, quæ vox significat vias, in quibus currus versantur, et orbitam suam designant. Item, tabulas in quibus leges cum suis pœnis ac præmiis descriptæ sunt. Salazar ibi monet, Plutarchum in Numa et Solone, quoties de Solonis tabulis meminit, eos axonas vocare, quod, ut quidam dicunt, in duabus tabulis vel asseribus leges suas exarasset: in altera quidem eas, quæ ad religionem Deorum spectabant: in altera vero, quæ ad civilem administrationem pertinebant. Has vero axes, seu axones ideo nuncupasse, ut ostenderet, his legibus, quasi duobus axibus, totam Reipublicæ salutem, pacem, et tranquillum statum inniti, atque converti.

Quarta Seraphinum nostrum ala ad cælum usque provebit, ubi radiis maioribus circumfulgere incipit. Ala illa est desiderium legem perfecte implendi, ut magis ac magis mens illuminetur, vers. eodem 9. PRÆCEPTUM DOMINI
Vers. 9. 2 Pars LUCIDUM. (Heb. ברה *bara*, id est, purum. Syr. electum, Septuag. τηλαυγής, id est, longe lucens, nt etiam legit Tertull. de pudicitia, c. 6.) ILLUMINANS OCULOS. Qui habet oculos, Dei præcepta videt atque intelligit: qui non videt, cæcus est: sunt enim per se visibilia et intelligibilia, et facilia, præsertim decalogi præcepta.

Nota. Lex Dei est sol animarum. Primo, quia eas illuminat. Prov. 6. v. 23. *Mandatum lucerna est, et lex lux.* Lege S. Hilarium in Psal. 118. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Elegans est paronomasia inter אור *or*, lux, et תורה *tora*, id est, lex. Eius radii tanti sunt, nt S. Chrysost. eam soli comparet, in cap. 2. Isaiæ. *Non sic*, ait, *oculos corporis nostri velut*, χειραγωγοῦσιν, *manuducunt radii solis, ut animæ oculos*, νόμου ἐντολαὶ καταυγάζουσι, *illustrant præcepta legis.* Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 3. κρατίστη τῶν ἀρετῶν, Omnium, inquit, præstantissima virtutum videtur esse iustitia: neque vesper, neque lucifer, tanta homines admiratione afficere. Lex nova præsertim illuminat. Est enim Christus sol intelligentiæ, cui oculos claudentes scelerati dicunt Sapientiæ 5. v. 6. *Ergo erravimus a via veritatis, et iustitiæ lumen non luxit nobis, et sol intelligentiæ* (Regii codices habent, *sol iustitiæ;* sis iustus, et eris intelligens) *non luxit nobis.* De Christo hoc explicat S. Ambros. in Ps. 21. et serm. 10. de Nativitate Christi. Lex etiam est sol intelligentiæ, id est, dans intelligentiam. Ut enim ait S. Thomas 1. 2. quæst. 91. artic. 1. Lex est dictamen rationis practicæ. 62. Lex Dei est sol mentium, ob sex convenientias. I. Quia illuminat.

Secundo, sol est omnibus manifestus: de lege habes: *Præceptum Domini lucidum*, id est, clarum, apertum, velut radiis solis conscriptum. Primo, lex naturalis clara est, ut ostendi Ps. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Secundo, lex scripta tam vetus quam nova: unde Mosis legislatoris facies refulsit in monte Sinai, et Christi in monte Thabor: Honorius Augustodunensis in cap. 7. Cantic. Ideo, inquit, utriusque legislatoris facies *ut sol* resplenduit, quia uterque viam ad charitatem æternæ lucis docuit. Aut, si placet, ideo utriusque vultus resplenduit, quia perspicua erant, quæ imperabat, addita præsertim luce cælesti. Moses quidem faciem velo tegebat, sed radii tamen emicabant: nunc vero, nt ait Remigius, præceptum Domini lucidum, sine velamento legalium observationum. Velum templi scissum est, Matth. 27. 51. nihil est quod splendorem e propitiatorio et arca, ubi erat lex, effulgentem arceat, Sap. 6. 13. *Clara* (λαμπρά, splendida) *est, et quæ numquam marcescit sapientia, et facile videtur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his, qui quærunt illam.* Præoccupat, *qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Inter legis proprietates ponit S. Isidorus, ut sit manifesta. Sic enim lib. 2. Etym. erit, inquit, lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam et conditionem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria et utilis, *manifesta* quoque, ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta. II. Omnibus patet.

Tertio, sol et lex ardorem cum luce habent. Luc. ult. v. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* ex Scripturis apertis, velut ex fornace charitatis, scintillæ evolabant: atque ex ore Christi flammæ cælestes ac divinæ. Ps. 118. 140. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Vide ibi dicta. Philo lib. de Decalogo, dicit, datam fuisse legem Mosis in medio igne, quod bonos illuminet atque inflammet, malos vero puniat. Eamdem rationem affert Honorius Augustod. in cap. 7. Cant. III. Calefacit.

Quarto, sol orbem regit et fœcundat, et sine eius luce perirent omnia. Lex orbem conservat atque moderatur, Prov. 13. 14. *Lex sapientis fons vitæ.* Ps. 118. 142. *Lex tua veritas:* sine illa omnia sunt mendacia, errores, ac tenebræ: Dio. Chrysost. orat. 75. quæ est de lege: *Lex est*, ait, βίου ἡγεμών, *dux vitæ, et civitatum præses communis. Quemadmodum enim e navigantibus, qui faces turrium prospectant, ii maxime salvi et incolumes evadunt, et ad portum perveniunt: ita qui secundum legem vivunt, tutissime vitæ viam conficiunt, optumque obtinent diversorium.* IV. Fœcundat orbem.

Aristot. lib. 3. Polit. lex, ait, est princeps, cui obedire debemus: *est dux*, quem sequi congruit: est regula, quam faciendis quibusque applicare decet. Et Tullius lib. 3. de legib. Nihil, inquit, est tam aptum ad ius conditionemque naturæ quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

V. Omnes iuvat.

Quinto, sol est causa universalis, quæ cum floribus flores, cum arboribus arbores, cum animalibus animalia producit. Lex vero, ut ait, Dio. Chrysost. orat. 75. επικηρος γηρως, διδασκαλος νεοτητος, πενιας συνεργος, φυλαξ πλυτυ, est adiutrix senectutis, magistra iuventutis, paupertatis auxiliatrix, et divitiarum custos. Cum virginibus lilia puritatis, cum Martyribus rosas charitatis: cum pauperibus violam humilitatis producit. Per omnes virtutum actus contemplatio et amor legis diffunditur, ut sanguis in venas, et anima in corpus, ad motus omnes dirigendos. Lactant. lib. 6. Institut. divin. Suscipienda, ait, lex Dei, quæ nos ad hoc iter summumque bonum dirigat: illa scilicet lex sancta, illa cælestis, quam M. Tullius in lib. de Republica 3. pene divina voce depinxit in hæc verba: Est quidem vera lex recta ratio, naturæ congruens, *diffusa in omnes*, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat. Euripid. in Supplicib. hanc utilitatem breviter complexus est: Ουκ'εςιν, ait, ωδεν κρειττον η νομοι πολει. Utilius nihil est urbi legibus.

VI. Nocet cæcutientibus.

Sexto, sol tamen cæcutienti nocet radiis suis. Ex Scripturis et lege Dei occasionem sumpserunt hæretici et impii, ut errarent et perverse viverent, quod explicans S. Chrysologus serm. 112. ait: *Non magnitudo lucis hebetat oculos, quæ solis a Deo creata est oculis: sed oculorum infirmitas, lucis totam sustinere non potest et ferre claritatem. Ita et lex, fratres, quæ per se satis iusta erat, et satis sancta, dum ab homine fragili severam exigit disciplinam, magis magisque onerarit et perdidit delinquentem*. S. Aug. contra Faustum lib. 15. Lex, inquit, semper bona est, sive obsit inanibus gratia, sive prosit plenis gratia: semper est bona *sicut sol* semper est bonus. Sicut dolentibus oculis sanitas ad videndum solem, ita gratia mentibus ad implendam legem. Ita August.

63. Aurora est lex naturalis. Sol provectior lex Mosaica, meridianus, lex Evang.

Legem itaque divinam iure diximus esse solem animorum, qui luce sua intellectum omnium hominum illuminet, et voluntatem piorum amore Dei succendat. Auroram existima esse legem naturalem: solem iam paulo provectiorem, esse legem Mosaicam: solem meridianum, esse legem Evangelicam: vespertinum, legem Canonicam; quæ ex divina humanaque est mista saltem in Conciliis Oecumenicis: aut, si mavis, sol occidens, lex Mosaica est, quæ in umbra erat, et iam desiit. Sol autem oriens, est lex Evangelica, de cuius legislatore Christo dictum est Zachar. 6. 12. *Ecce vir oriens nomen eius.*

Tropici, excessus et defectus.

Tropici duo, quos legis sol non egreditur, sunt, excessus et defectus, lex enim in medio posita est: neque excedit, imperando duriora: aut severius puniendo: neque ita mollis est, ut non acriter urgeat resistentes.

Zodiaci signa sunt varia præcepta et consilia.

Zodiacum divinum efficiunt decem præcepta legis Mosaicæ, quæ sunt præcepta etiam legis naturalis, sed ne ab hominum animis exciderent, scripta sunt digito Dei. Si non decem tantum, sed duodecim legis, ut solis, domos quærit, ut sit perfectus zodiacus, adde Christi consilia, quæ in lege gratiæ dedit, partim ipsis sæcularibus, ut de porrigenda ei maxilla, qui te percusserit, partim solis Religiosis, ut de vendendis bonis, et erogandis pauperibus.

Zonæ frigidæ peccatores varii. Temperatæ fideles in sæculo degentes. Torridæ. Prælati, et Religiosi.

Zonæ quinque sic dividi possunt. Duæ frigidæ sunt. Ex una parte schismatici, hæretici, idololatræ, qui fide prorsus carent, et legis solem ne aspiciunt quidem, profunda perenniqua, sed voluntaria nocte consepulti. Ex altera vero parte, peccato lethifero demortui, qui solem hunc intuentur: sed ob perpetuas nives, glaciem, et frigus, atque ab eo remotionem maximam, eius radiis non incalescunt. Zonæ duæ temperatæ, sunt sæculares coniugati, et sæculares clerici. Zona torrida, sunt ferventes Prælati, et Religiosi æstu contemplationis ita in Deum absorpti, ut illis corpus nullam umbram efficiat, sed conversationem in cælis habeant sole circumdati.

Axes duo sunt pœna et præmium.

Denique Axes duo, quibus hæc omnia moventur, sunt pœna et præmium, in his enim omnis lex vertitur. Vel, duo illa axiomata: Quod tibi fieri vis, alteri feceris: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: vel denique, amor Dei et proximi. De primo, habes Matth. 22. 37. *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo.* De secundo, v. 39. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Nam, ut asseverante Christo scimus v. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, et Prophetæ*, id est omnia legis et Prophetarum præcepta.

ARTICULUS IV.

Lex divina ad cælum ducit.

LEX Dei neque in sole, neque in luna, aut in aliis stellis sibi perenne tabernaculum figit, sed in empyreum cælum evolat, virtutum omnium choro succincta, ut Deo se suosque sistat. 64.

Lex Dei causat timorem Dei.

QUINTAM itaque Alam Seraphino nostro, id est viro iusto, Lex adiungit, nempe timorem filialem, qui in tota æternitate maneat, v. 10. TIMUS DOMINI SANCTUS (Hebr. טהורה *tsora*, id est purus. Syr. mundus. Arab. opertus: id est sincerus, candidus, non servilis. Sept. αγνος, id est *castus*, ut etiam legit S. Cyprianus lib. 3. cap. 20.) PERMANENS (id est permanet. Hebraismus est. Ponunt enim sæpe Hebræi suum Benoni, hoc est participium pro tempore præsenti, quo carent.) IN SÆCULUM SÆCULI: id est per universam æternitatem. Vers. 10. 1. Pars.

Timor filialis manet in cælo.

Lex Dei metonymice dicitur timor, id est causa timoris: sanctus, quod scelera omnia prohibeat: permanet vero, et quidem in cælo, tam quoad habitum, quam quoad aliquos actus suos. Ut enim docet S. Thomas 1.2. q. 67. art. 4. ad 2. et 2. 2. qu. 19. art. 11. Timor filialis est in Beatis, quoad actum reverendi Deum: non autem quoad actum timendi separationem a Deo: sed timor servilis, id est de pœnis, non est in eis. Excluditur enim talis timor per securitatem æternæ beatitudinis, quæ est de ipsius beatitudinis ratione. Timor autem filialis, sicut augetur augmentata charitate; ita perfecta charitate perficitur. S. Bonaventura in lib. 3. sent. dist. 34. artic. 2. quæst. 3. timoris tres actus notat, pœnam fugere, offensionem cavere, maiestatem summam revereri: primus est servilis; secundus initialis: tertius, filialis, qui partim respicit offensam vitandam, partim reverentiam exhibendam, et hic manet in cælo. Ut enim ait S. Bern. Dominica 10. post Pentecosten. Timor mundanus est, qui facit recedere a malo pro evitatione pœnæ. Servilis, qui facit a malo abstinere, pro evitatione pœnæ, mali retinens voluntatem. Initialis timor gehennæ, de quo dicitur per Prophetam: *Initium sapientiæ timor Domini*. Filialis vero, de quo per eumdem: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.*

65. Timor quadruplex.

Excluditur autem hoc loco mundanus timor, cum dicitur *timor Domini*: 2. excluditur servilis timor, cum additur, *sanctus*; 3. excluditur initialis timor, his verbis, *permanens in sæculum sæculi*. Restat itaque timor filialis, cuius effectus tres assignat S. Thomas in Ps. nostr. Timor sanctus, ait, tria facit. Primo, timet Deum offendere. Secundo, timet ab eo separari. Tertio, se Deo per reverentiam subiicit. In ipso Christo, qui simul erat viator, et comprehensor, fuit timor ille filialis, quod sic explicat idem sanctus Doctor 3. part. quæst. 7. art. 6. Timor, inquit, duo respicit obiecta, quorum unum est malum terribile, aliud est illud, cuius potestate malum potest inferri: sicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi potestatem. Non timeretur autem ille, qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non potest. Ea enim quæ in promptu habemus repellere, non timemus. Sic igitur dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei: non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum puni-

Timoris filialis tres effectus.

tionis pro culpa; sed secundum quod respicit divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum, a Spiritu sancto acta. Unde Hebr. 5. dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Hunc enim affectum reverentiæ ad Deum, Christus secundum quod homo, præ cæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini. Ita S. Thomas.

66 Timorem filialem habent Angeli.
Sancti etiam Angeli, licet non sint amplius, viatores, habent hunc timorem Dei filialem. Iobi 26. 11. *Columnæ cæli* (id est Angeli, ut ait S. Thomas ibi, Philippus, Nicolaus, et alii) *contremiscunt, et pavent ad nutum eius:* Dei scilicet. S. Greg. de Angelis etiam explicans lib. 7. Moral. cap. 15. ait: *Ipsæ virtutes cælestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed idem tremor ne eisdem pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis.*

Et reliqui Sancti.
De reliquis sanctis locum psalmi nostri exponit S. Augustinus lib. 14. de Civit. cap. 9. ubi duos sensus affert. Primo, permanebit timor castus in sæculum sæculi, quoad suum præmium, sicut dicitur Ps. 9. v. 19. *Patientia pauperum non peribit in finem:* cum tamen patientia in se non sit futura æterna, cum nulla ibi futura sint mala. Secundo, *Non est*, inquit, *timor exterrens a malo, quod accidere potest: sed tenens in bono, quod amitti non potest. Ubi enim boni adepti amor immutabilis est; profecto, si dici potest, mali cavendi timor securus est. Timoris quippe casti nomine, ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare: et non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus: sed tranquillitate charitatis cavere peccatum.* Itaque timor ille est filius charitatis. Bruno in Ps. nostr. Timor Domini, inquit, est mista cum pavore charitas. Vide dicta Ps. 100. 10. in illud, *Initium* (id est perfectio et consummatio. Græc. αρχη, id est principatus) *sapientiæ, timor Domini*. Et Ps. 111. *Beatus vir, qui timet Dominum.*

SEXTA denique Ala Seraphiel nostri, id est viri iusti, est amor Dei propter se, quæ totum hominem Deo unit, efficitque, ut legem eius amet non ob præmium, sed quod sit in se perfecta, et per se amabilis, prout a Deo optimo
67. Vers. 10 2 Pars. procedit. IUDICIA DOMINI VERA (Hebr. אמת *emet*, id est, ipsa veritas) IUSTIFICATA (Syr. iusta sunt. Chald. pura sunt) IN SEMETIPSA, id est in semetipsis, ut vertit S. Hieron. in cap. 18. Ezech. Hebr. יחדו *iachdav*, id est, simul, ut vertit Felix; pariter, ut Pagnin. in omni re, ut Syrus et Arabs; in idipsum, ut Lombardus; επι το αυτο, id est simul, pariter, ut Septuag.

Sensus est. Præcepta Dei sunt iusta in seipsis. Non pendet, ait Lorinus, eorum iustitia ex circumstantiis, quasi pro personis, locis, temporibus mutentur, aut alteri repugnet alterum, abroget, infirmet: quæ res legibus humanis non raro contingunt, non pendent ex alterius auctoritate superioris, habent evidentem iustitiam.

Ex his omnibus conclude, et Deo dic cum Mergunio Episcopo Cytherorum, ode 2. *Cogitationibus*, ait, *divinis, et splendore amorum tuorum cælestium alatam fac mentem meam.*

ARTICULUS V.

Lex Dei præ auro, gemmis, melle, et favo amanda est, et custodienda.

ELOGIA legis divinæ, velut sacra emblemata, præcedentibus versiculis David intonuit, ut nos ad eius amorem et admirationem incitaret. Nunc aperte dicit, eam
68 Vers 11 summo studio esse appetendam, v. 11. DESIDERABILIA SUPER AURUM ET LAPIDEM PRETIOSUM MULTUM: ET DULCIORA SUPER MEL ET FAVUM, iudicia scilicet, hoc est
To phas tria significat I. leges Dei. Nota pro *lapidem pretiosum* in Hebræo est פז *phaz*, id est, ut ait Pagninus in thesauro, aurum optimum et purificatum, quod est fortius. Mercerus docet, sic dictum esse a soliditate, quod cæteris auri generibus sit solidius. Rad. est פזז *phazaz*, sive *pazaz*, id est, fortificare, roborare, consolidari, confirmari. In ea sunt sententia Felix, Arias, Muisius, et alii, qui *obrizum* vertunt. Obrizum significat aurum, ut ait Hermolaus, purum, quasi αβρυζον, hoc est sincerum, delicatumque; quod sæpe igne candefactum et exustum est, donec nihil habeat alterius metalli admistum. Plinius lib. 33. cap. 3. *Aurique*, ait, *experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, quo ignis: atque ipsum obryzum vocant.* S. Hier. in Ierem. et Epistol. 140. putat obryzum aurum dictum, quasi ophirisum, quod ex Ophir insula præstantissimum aurum advehi soleat. Idem sentit S. Isidorus, et S. Eucherius. Iure Delrius noster in cap. 5. Cant. ait, פז *paz*, dici per aphæresim pro *ophaz:* ac præterea *ophaz*, esse idem quod *ophir*. Et quidem Ierem. 10. 9. ubi habemus, *et aurum de Ophaz*. Chald. vertit, *de Ophir*. Est autem Ophir regio sic nuncupata ab Ophir filio Iectan, Genes. 10. 29. putat S. Hieron. in quæst. Hebr. at Gaspar Varrerius lib. de Ophir, eam regionem esse auream Chersonesum, aut verius eam omnem tractum, qui Sumatra, Malaca, et Pegusiis continetur; 2. alii dicunt esse Sofalam, unde Septuag. vertunt *Sophir;* 3. alii, esse Angolam in Æthiopia; 4. esse Hispaniolam et Peruanam regionem. Lege Pinedam in Iob cap. 28. 16.

Secundo, *phaz*, seu *paz*, in Ps. 118. v. 127. Noster et II.
S. Hieron. reddunt, topazium, Plin. lib. 37. cap. 8. censet sic vocari ab insula illius nominis. *Egregia*, inquit, *topazio gloria est, suo virenti genere, et cum reperta est prælata omnibus. Id accidit in Arabiæ insula, quæ Chitis vocatur: in qua Troglodytæ prædones, cum diutius fame et tempestate pressi, herbas radicesque effoderent, eruerunt topazion. Hæc Archelai sententia est. Iuba Topazion insulam in rubro mari a continente stadiis trecentis abesse tradit, nebulosam, et ideo quæsitam sæpe a navigantibus, ex ea causa nomen accepisse. Topazin enim Troglodytarum lingua significationem habere quærendi.* Hæc Plin.

Tertio denique *phaz* sive *paz* etiam significat *lapidem* III.
pretiosum, seu gemmam aut margaritam, sive quem alium: censeo enim esse nomen generale. Ideo Sept. Linguæ suæ peritissimi vertunt hic, λιθον τιμιον, Et Ps. 20. 4. ac Prov. 9. 19. Cum illis conveniunt Noster, Syr. Arabs, Petavius, et alii. Hoc est aptius, fit enim gradatio ab auro ad gemmas.

Moraliter nota cum Ugone Cardin. Per ista quatuor: nempe aurum, lapidem pretiosum, mel, et favum, omnia mundi desiderabilia intelligi. Primo, per aurum, divitias seculares. Secundo, per lapidem pretiosum, mundanos honores. Tertio, per mel et favum, delicias carnales. Hoc docet Salomon Proverb. 3. 13. *Beatus homo, qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione argenti, et auri primi et purissimi fructus eius: pretiosior est cunctis opibus: et omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.*

Primo, Verba Dei sunt argentum, et quidem purissi- 69.
mum, Ps. 17. 31. *Eloquia Domini eloquia casta, argen-* Verba
tum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septu- Dei sunt argen-
plum. Sunt etiam verba Dei aurum pretiosum. S. Ambr. tum et
Legem Christi vocat aurum mentis. Sic enim in Ps. 118. aurum.
v. 162. *Hebræi*, ait, *spoliaverunt Ægyptios, et vasa eorum abstulerunt. Iudæorum spolia habet populus Christianus, et totum habemus, quod illi habere nesciebant. Illi aurum et argentum materiale abstulerunt: nos aurum mentis accepimus, nos acquisivimus cælestis sermonis argentum.* Hoc erat reconditum in Christi pectore, quod S. Petrus Damiani iure vocat cæleste gazophylacium. Quare non est, cur Iudæis invideamus, cum auream nobis Filii sui doctrinam effuderit, quæ tanto est pretiosior auro Ægypti, quanto excellentior est Christus Ægyptiis. Tertio itaque lex Dei non est argentum vel aurum, sed omni auro, licet in immensos acervos collecto, pretiosior. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum.* Ubi nota obiter *To multum* non referri ad *desiderabilia*, q. d. iudicia, id est leges, Dei esse desiderabilia multum: sed referri ad aurum et lapidem pretiosum, q. d. sunt magis appetenda et desideranda, quam multum auri et multum

gemmarum. Hoc apertius dicitur Psal. 118. 72. *Bonum mihi lex oris tui super millia auri et argenti.* Consule illum locum, et v. 127. *Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Vir sagacis ingenii Solon dicebat, argentum quidem privatarum commutationum numisma esse: leges vero esse numisma civitatis: eosque graviori acerbiorique pœna cruciandos censebat, qui pravas et adulteratas leges cuderent, quam qui pecunias: quod ille pestis ad plurimum incommodum maneret. Ex quo est consequens, bonas leges esse etiam pluris faciendas quam aurum ac divitias. Ratio a priori est, quia aurum terra vilis est: lex vero est cœlestis. Secundo, auri causa efficiens est sol et cœlestis influxus: legis autem, Deus. Tertio, inservit aurum ad mercaturam et alia cito peritura, sæpeque ducit ad vitia. Lex ducit ad virtutes ac cœlum. Solomon Proverb. 3. 6. *Longitudo dierum in dextera eius* (Dei scilicet) *et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Altera manu æternam cœli felicitatem ostentat: altera vero ludicras terræ opes, quas sæpe in servos suos liberali manu ubertim diffundit, sed velut neglectim et contemptim. Legem tenet Deus in dextera, ut per eam successos ad alta avehat Deuter. 33. 3. *In dextera eius ignea lex.* Rupertus autem ad utrumque locum alludens in Apoc. ait: *Quanto melior est dextera quam sinistra: tanto felicius bonum est ignea lex, quam divitiæ et gloria.* Vide dicta Ps. 118. v. 14. et 127. et 140.

70. Ex his sequitur, nobis sedulo videndum esse, ne fossitio luto et temere abblandientibus ramentis et grumis nos abripi sinamus: sed cor nostrum in Christi aurarias fodinas mergamus; ubi non cunicularia fossione exiguas terræ fulgentis glebulas post immensos et cæcos labores comportemus, sed solidas ac defæcatas thesauri cœlestis massas, sponte oblatas et cum gaudio capiendas. Pudeat nos, cum cernamus rimatores auri, ubi segullum, (id est terræ genus in summo solo, ex quo cognoscunt subesse venam auri) invenerint, a subterraneo fossura non desistere: nos vero apertis opum cumulis incubantes dormire, et vacuos inanesque abscedere, atque in summa divitiarum cœlestium inopia vivere. S. Chrysost. hoc deplorat hom. 5. in Gen. *Illic*, ait, *divitiæ sensibiles Dominis suis frequenter multorum periculorum fuerunt auctores, et ante pericula brevem voluptatem præbentes illis, statim avolarunt, vel sycophantis insidiantibus, vel latronibus parietes effringentibus, vel custodibus famulis surripientibus. Hic autem tale suspicari nihil potest. Diripi enim spiritualis iste thesaurus nequit.* Vocat ibidem, θησαυρον αρρητον, id est thesaurum inenarrabilem. Atque hom. 9. etiam in Genes. miratur, χρηματων μανιαν και λυσσαν, id est pecuniarum rabiem et furorem, cum tanta ex iis, velut ex perenni fonte, profluant damna: ita vero segnes homines esse in Dei lege amanda, in qua, κερδος αρρητον, id est, lucrum ineffabile. Hebræi כסף cheseph, vocant argentum q. d. desiderabile, vel potius desideratum, a Rad. כסף *chasaph*, id est desideravit, expetivit, concupivit. Hinc argentum pallet ac sibi timet: aurum vero licet generosius, erubescit ob tantam hominum vecordiam et insipientiam. Hebr. זהב *zahab*, id est aurum, dicitur quasi צהב *tsahab*, id est flavum, seu fulvum. Chald. etiam כסף *chasaph*, quod quando est nomen, significat argentum, pecuniam; quando est verbum idem est ac erubescere, rubore suffundi, ignominia affici. Hæc sæpe secum trahunt divitiæ, sive quia male partæ sunt, sive quia per varias fraudes et pudendas abiectiones conservantur, sive quia sæpe omittuntur. Licet enim asperitatis nihil in auro et argento esset, cito tamen effluunt: et cum maxime stringere te illa putas, anguilla fluxibilius e manibus elabuntur. Unde rotunda pecunia signatur, ut advertit S. August. in Ps. 83. *Quid*, ait, *tam incertum quam res volubiles*: nec immerito *ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat.* Lex vero et eius sapientia est æterna et immortalis Matth. 5. 18. et Sap. 6. 13. aurum vocat πολυευκτον, id est multis votis ac desideriis et precibus expetitum. Midæ et Pythæ stultum auri desiderium notum est, sed Pytham sanavit uxor oblatis solis ferculis aureis in cœna, ut dixi alias. Tu ama Dei eloquia et iudicia, cum sint desiderabilia super aurum.

Divitiæ mundanæ cito pereunt.

Secundo, Lex Dei est desiderabilior gemmis. DESIDERABILIA SUPER AURUM ET LAPIDEM PRETIOSUM MULTUM. Vers. 11. 2. Pars.

Primo, Verba Dei, Lex, et tota Scriptura sunt gemmæ. 71.
Sic illa vocat Christus Matth. 7. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* S. Hieron. id clare dicit in epistol. ad Eustochium: *Margaritum est sermo Dei.* Primo, ob pretium. S. Aug. de discipl. Christiana, *Thesaurus*, inquit, *est magnus divinarum Scripturarum, habens in se mirabilia præcepta, et multa, tamquam multas gemmas, et pretiosa monilia, et vasa ingentia, et magni metalli.* Secundo, ob splendorem, de quo egi v. 9. in illud, Præceptum Domini lucidum. Adde S. August. lib. 2. de Gen. contra Manichæos cap. 10. ubi docet Phisonem fluvium, qui egrediebatur e paradiso terrestri, sumi pro prudentia, ac postea subdit: *Hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum et carbunculum, et lapidem prasinum; id est disciplinam vivendi, quo ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum. Et verum, quod nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur: et vitam æternam, quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter vigorem, qui non arescit.* Tertio, ob munditiam, de qua v. 8. dixi. Quarto, ob varios usus gemmarum ad morbos depellendos aut levandos, aut ad alia præstanda. Sardius qui erat primus inter duodecim lapides Rationalis, significat fervidam doctrinam, et pro ea martyrium, ut ait Cornel. Sardius enim est colore sanguineo et igneo, quo feris terrorem incutit.

Verba Dei sunt gemmæ.

Secundo, Lex Dei est præferenda gemmis. Primo, ob 72.
materiam, quia gemmæ sunt aqua congelata et indurata. S. Chrysost. in prologo super Evang. Ioannis: *Margaritas*, ait, *verba Evangelica vocavit Christus*, πολλῳ τιμιωτερα τουτων, *quæ his longe pulchriora et præstantiora sunt. Nam ea materia non est ulla charior:* tractant enim de Incarnatione, Nativitate, Passione, Resurrectione Christi, 1.
et de aliis mysteriis. Et paulo post ait, quod lex Dei gemmas omnes superat, κατα πολλην υπερβολην, id est secundum maximum excessum: auctor Sapientiæ Salomonem inducit dicentem, ne comparandas quidem esse gemmas sapientiæ Sap. 7. 9. *Nec comparavi* (tantum abest ut præferam) *illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, et tamquam lutum æstimabitur argentum.* Secundo, gemmæ ex fundo maris 2.
petuntur, lex vero a sinu Dei, ubi increata quiescit sapientia, quæ, ut idem Auctor ait, cap. eod. v. 25. *Vapor est virtutis* (δυναμεως, potentiæ) *Dei, et emanatio* (Græc. απορροια, id est fluxus, flumen, rivus) *quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera:* Lege Euseb. lib. 4. de Demonstr. Evang. cap. 3. id Christo applicantem, ab eo lex nostra emanavit. Tertio, multarum gemmarum splendor 3.
facile extinguitur. De sapientia autem habes Sap. 7. 10. *Inextinguibile* (Cervantes, immortale) *est lumen illius.* Plinius lib. 37. cap. 8. docet Cyprium adamantem frangi posse: quod si sanguinem hircinum sumas, etiam alios omnes. Lex vero Dei nullis tribulationibus, nullis tyrannorum tormentis dissolvi potuit. Matth. 24. 35. *Cælum et terra transibunt* (id est mutabuntur) *verba autem mea non præteribunt.*

Verba Dei sunt præferenda gemmis, ob tres rationes.

Tertio, Lex Dei est melle suavior. ET DULCIORA SUPER MEL ET FAVUM. Pagn. *Dulcia præ favi placentis mellis conditis.* Muisius, Dulcis super mel et stillationem favorum. S. Hieron. Dulcia super mel et favum redundantem. Favi sunt cereæ cellulæ et domus apum, in quibus mel suum reponunt, sic appellantur, quod in his sobolem suam foveant. *Iudicia*, id est leges, *Dei* dulciora sunt super mel et favum, id est super omnes dulcedines, ait Ruffinus. Ut tu intelligas nihil tam dulce, tam amandum, tam appetendum, quam divina iudicia. S. Thomas enucleatius de delectationibus tam occultis quam apertis agi vult. *Mel*, inquit, *extrahitur a cera, sed favus est mel et cera. Delectationes corporales quandoque sunt manifestæ, et sic est mel: quandoque sunt absconditæ et dulciores, et sic est fa-*

Vers. 11. 3. Pars. 73.

vus. *Proverb. 9. 17. Aquæ furtivæ dulciores sunt.* Idem S. Doctor, Cassiod. et Lombardus ait favo denotari vetus testamentum, in quo erat mel in favo, id est, veritas in figura: melle autem, novum testamentum. S. Hier. vero in cap. 24. Proverb. ait, per mel, quod in promptu est ad comedendum, intelligi moralem literæ superficiem: per favum, in quo mel de cera exprimitur, allegoricam locutionem: ut subducto literæ velamine, suavitas sensus spiritualis aliquando cum labore, vel mora, percipiatur.

74. I. *Lex Dei mel suavissimum.* Primo, melli recte comparatur lex Dei, quia mel est medulla roris cælestis. Plinius lib. 11. cap. 12. *Mel*, inquit, *venit hoc ex aere, et maxime syderum exortu, præcipueque ipso sirio explendescente fit, nec omnino prius vergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaque tum priora aurora folia arborum melle roscida inveniuntur: ac si qui matutina sub dio fuere, unctas liquore vestes, capillumque concretum sentiunt. Sive ille est cæli sudor, sive quædam syderum saliva, sive purgantis se aeris succus: utinamque esset et purus ac liquidus, et suæ naturæ qualis defluit primo: nunc vero e tanta cadens altitudine, multumque, dum venit, sordescens, et obvio terræ halitu infectus, præterea e fronde ac pabulis potus, et in utriculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus et alveis maceratus, totusque mutatus, magnam tamen cælestis naturæ voluptatem affert.* Lex Dei a cælo venit, et de sede altitudinis eius. Secundo, mel præcipue floribus excipitur. Plinio ibid. cap. 13 Ibi, ait, optimum mel semper, ubi optimorum doliolis florum conditur. Legem accepit nobis dandam Iesus Nazarenus, id est floridus. Ipse est flos de radice Iesse. Et Cant. 2. 1. ait: *Ego flos campi, et lilium convallium.* Tertio, mel colligunt apes, et in favis suis recondunt. Ita verba Dei et Legem, Prophetæ atque animæ sanctæ, in libris suis ac mentibus ponunt Eccli. 11. 3. *Brevis in volatilibus est apis, et initium* (ἀρχὴ id est principatus, consummatio) *dulcoris habet fructus illius.* Quarto, nihil est melle dulcius. Ita Eccl. 23. 37. dicitur: *Nihil dulcius quam respicere in mandatis* (id est mandata) *Domini.* Si aspectus est dulcissimus, quid erit gustatus, ad quem David invitat Ps. 33. 19. *Mel*, ait S. August. in Ps. 80. *sapientia est, primatum dulcoris tenens in escis cordis.* Hinc ubi assuevit S. Greg. Nazianz. scientiam prophanam, veluti salsuginem, expuit, ut ipse ait in oratione, de suo in Quadrag. silentio. Lex Dei et scientia Scripturarum est grata, et dulcis ori et faucibus, Ps. 118. 103. Secundo, oculis Eccli. 23. 37. Tertio, auribus, Cant. 2. 14. Quarto, intellectui; ut enim S. Hieron. in psal. nostr. Quid hac voluptate iucundius, qui cibi, quæ mella dulciora, quam scire Dei prudentiam, et in abdita eius intrare, et sensum creatoris, etc. Quinto voluntati. Unde Eliphaz Themanites ait Iob 22. v. 22. *Suscipe ex ore illius legem, et pone sermones eius in corde tuo.* Deinde addit v. 26. *Tunc super omnipotentem deliciis afflues.* Quod S. Greg. lib. 16. Mor. cap. 10 explicans, ait: *Super omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius Scripturæ sacræ epulis satiari.*

75. II. *Lex Dei, est favus mellis.* Secundo, non tantum melli, sed etiam favo divinæ legis verba comparantur. Primo, quia et intellectum illuminant, et voluntatem accendunt. Utrumque iungit S. Bern. serm. 8. in Cantic. *Est*, inquit, *spiritus sapientiæ et intellectus, qui instar apis ceram portantis, et mel, habet omnino et unde accendat ad lumen scientiæ, et unde infundat saporem gratiæ.* Et apertius Hugo Cardin. in 24. Prov. In favo, inquit, est cera luminis nutrimentum, et dulcedo mellis reficiens gustum: ita in sacra doctrina est cognitio veritatis illuminans intellectum, et suavitas bonitatis reficiens et confortans affectum. S. Prosper de promiss. p. 2. cap. 21. dicit, favum mellis inventum a Samsone in ore Leonis, esse verba legis divinæ in ore Christi. Est enim Leo de Tribu Iuda, et verba vitæ æternæ habet. Secundo, sicut favus stillat mel, ita Christi sermo et lex suavitatem et sapientiam. Tertio, sicut favus magna arte ab apibus construitur, ita sermo Christi et lex summa prudentia et gratia constant. Psal. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Quarto, sicut favus fit ab ape inhabitante: ita lex a Christo eam servante, et illi sponte se subiiciente. Quinto, sicut apes intra favum sobolem suam excludunt, et ibi eam fovent: ita Christus in lege filios suos spirituales gignit, et in ea illos educat ac fovet.

76. III. *Lex Dei est melle et favo dulcior.* Tertio, Lex Dei est melle et favo dulcior. Primo, quia illa sunt deliciæ corporales, lex vero est suavitas spiritualis. S. Thom. hic: *Spirituales*, ait, *delectationes sunt delectabiliores: et est triplex ratio. Una ex parte boni delectati, quod est potius bonum: et ex causa delectationis, quod est maius bonum. Secunda, ex parte potentiæ delectantis: quia vis intellectiva est fortior sensitiva. Tertia, ex modo delectationum. Corporales enim delectationes consistunt in fieri et in motu, sicut in cibis et in aliis. Motus autem est quid imperfectum, et quoddam futurum ac præteritum importat: quia non habetur totum simul. Spirituales autem delectationes non sunt in motu: sed per accidens plus desiderantur illæ, in quantum abundant aliqui in sensu, et deficiunt in intellectu.* Secundo, mellita nauseam et fastidium facile pariunt, si continenter edantur; contra vero, ut ait S. Gregorius 20. Moral. 4. *Scriptura sacra usu fastidium tollit: et tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur.* Et S. Greg. Nyss. Animi deliciæ, inquit, non sunt graves, nec fruentium desiderio ullam unquam afferunt satietatem. Voluptas corporis facile tædium ac dolorem affert. S. Chrysost. in Matth. mel, ait, numquam oblatum legimus, mel penitus non offertur; mel sane voluptatis indicium est ac suavitatis: semper enim voluptas mortificat, semper voluptas Deo non placet. Unde Tertullian. lib. de Spectac. cap. 29. *Quæ maior*, inquit, *voluptas quam fastidium voluptatis?* Hoc fastidium terrenarum deliciarum affert legis divinæ degustatio. Si enim Agesilaus Rex dicebat, leges Spartanas afferre contemptum voluptatum, de Christi lege quid dicemus? Si te divini mellis vindemia et opulenta messis non delectat, cave ne quid fellis sit in appetitu tuo: purga appetitum, et delectationem sentis. Albertus Magnus serm. 8. de Circumcis. Domini: *Si*, inquit, *desideramus gustare suavitatem divinæ bonitatis, oportet ut nos etiam simus suaves. Unde dicit Augustinus: Si aceto plenus es, ubi mel pones, quo te vult implere Deus? Si vis habere mel, funde fel.*

Restat ut concludat, Legem Dei esse custodiendam. Si enim est tam præstans, profecto studiose servanda est. Unde subdit v. 12. ETENIM SERVUS TUUS (id est, ego. Hebræi sæpe utuntur hac enallage personæ) CUSTODIT EA: IN CUSTODIENDIS ILLIS (Psalt. Rom. et Ambr. *in custodienda illa.* Etiam dum servantur) RETRIBUTIO MULTA. S. Hier. fructus multus. Lex Dei est arbor vitæ, dat fructus duodecim in duodecim anni mensibus. *Vers. 12.*

77. Nota primo, pro τὸ *etenim*, Hebr. est גם *gam*, id est, *etiam*, ut vertit Felix, Pagnin. Syr. q. d. desiderabilis et expetibilis est lex tua super aurum et lapidem pretiosum, et eam ob rem ego servus tuus eam custodio. S. Hieron. vertit *unde*, et est idem sensus. Noster vero reddit, *etenim*, q. d. dico legem tuam esse auro et gemmis amabiliorem, idque assero propria experientia edoctus, eam enim custodivi, et custodiendo expertus sum mihi esse optabilissimam et utilissimam.

Verbi nizhar significatio quintuplex. Nota secundo, pro *custodit*, esse Hebr. נזהר *nizhar*, quod significat primo, illustrari, est enim in coniugatione passiva Niphal. Hinc Vatabl. et Pagnin. vertunt, *illustratur in eis.* Secundo, *nizhar*, idem est atque admoneri. Hinc Flaminius, et Clarius *admonetur per ea.* Tertio, *nizhar* est, cavere, Felix, *cautus fuit in eis.* Quarto Chald. *diligens fuit in eis.* Sedulus, strenuus. Quinto, *nizhar* significat etiam monere seipsum, custodire se, vel sibi aliquid. Niphal enim nonnumquam notat actionem eiusdem in seipsum, sicut Hithpael. Unde S. Hier. vertit, *docebit ea.* Noster, *custodit ea.* Syr. *caute servabit ea.*

78. *Legem Dei omnes homines debent custodire.* Moraliter nota. Omnes homines sunt νομοφύλακας, id est, legum custodes, de quibus Aristot. lege politic. 4. et 6. ac Ciceronem lib. 3. de Legibus. Debent autem leges custodire, velut sacrum depositum, primo in se; secundo in aliis; tertio, studiosius quam aurum et gemmas.

I. *In suo intellectu.* Ac primo quidem, custodienda est lex Dei in nostro intellectu, ut de illa meditetur die ac nocte. Qui hoc fecerit, beatus erit, ut dicitur Ps. 1. 2. ubi de ea re pluribus actum est. *Turpe est*, ait Epictetus, *qui apum muneribus dulcem facit potionem: Deorum munus rationem amaram reddere vitio.* Mel est apum munus: si mellitam potionem, id est melicraton, hoc est potum confectum ex aqua et melle, seu aquam mulsam amamus, quid fel vitii in mente retinemus?

II. *In memoria.* Secundo, in memoria, velut in apum alveo, retinenda est lex Dei, et virtutes ab ea præceptæ. Petrus Cellensis Abbas lib. 3. Epist. 12. hoc admonet: Discurre, inquit, Scripturarum amœnissimos campos, lege et reconde in *alveolo memoriæ*, suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ rosam, venas spiritualium charismatum.

III. *In voluntate.* Tertio, in voluntatem omnis meditatio effundenda est, Ps. 39. 9. *Deus meus volui* (supple, facere voluntatem tuam, sicut ante dictum erat) *et legem tuam in medio cordis mei*, supple, volui; vel, custodivi, abscondi, continui: q. d. nihil est mihi illa gratius et optatius, nihil apud me firmius et certius. Ut enim dicit Beda, quod medium est in re qualibet, id huiusmodi est. Esto apis sancta et sedula, ut mel sapientiæ cum sapore degustes. Absalon Abbas serm. 34. de Purificat. Virg. In hoc, ait, campo nostra *apicula* flores quærit diversarum sententiarum, a quibus succum dulcem extrahit, quia intellectum spiritualem ore memoriæ extrahens *in alveario cordis* reportat et deponit, postea favum operatur sua industria. Ita ipse.

IV. *In ore.* Quarto, Ore gestanda est lex Dei, Exodi 13. 9. ait Moses populo Dei: *Lex Domini sit semper in ore tuo*, q. d. illam ore effundas ad aliorum utilitatem, ita tamen ut os tuum, instar fontis abundantis et copiosi, sit semper illa plenum: aliis eam communica, et tibi retine, non minuitur largitione. S. Gregor. in ea verba 4. Cant. *Mel et lac sub lingua tua*, ait: Falsi prædicatores mel *in lingua* portant, quod *sub lingua* non habent: quia cælestia gaudia aliquando prædicant, quando veri sunt, cum ipsi terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens mel in lingua prætendit, quia sapientiæ dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audientes, tamquam mellis dulcedine reficit: *sub lingua* autem hæc omnia sibi ipsi reservat: quia internam dulcedinem assidue secum portat. Dum enim terrena abiicit, dum vitiorum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit. Ita Gregorius. In eos autem qui cum suavissime aliis effundant, amaritiem sibi ipsis reservant, invehitur Absalon Abbas serm. 41. in festo omnium Sanctorum. Ut quid, inquit, favum in ore tenens ceram conteris, abiiciens mellis dulcedinem. Drogo Hostiensis l. 1. Non excidat, inquit, tibi lex de ore cordis tui, volve, revolve, versa, reversa, et tunc intelliges, quid sapiat manna. Esto apis virginea.

79. V. *Collo appendenda est.* Quinto, Lex Dei est collo appendenda, ut sacrum amuletum, sicut docet S. Chrys. hom. 19. ad populum. Sponsus alloquens Sponsam suam, id est, animam sanctam, ait Cant. 1. v. 11. *Murenulas aureas* (Pagninus margaritas aureas: id est, auro inclusas. Aponius, catenulas aureas. Symmach. insignia aurea. Vatablus, ornamenta convenientia ex auro, Arab. Imagines aureas) *faciemus tibi vermiculatas argento. Pro murenulas* Hebr. est תורי *tore*, id est turtures seu turturellas, sed fluviatiles, id est, trutas, *des truites*, ut aliqui volunt. Noster vertit murenulas, et apte: Nam murena est piscis similis anguillæ, qui se in orbem flectit. Murenulæ igitur aureæ dicuntur, ut ait Cornelius, virgulæ auri flexuoso contextu, ac punctis et maculis variegatæ: sicque murenæ pisci se circumflectenti persimiles, sive manus, sive caput, sive aliud membrum cingant et ornent. Propria tamen sunt capitis et colli, ut indicat S. Hieron. epist. ad B. Asellam, et Cassiodorus: non collo sed auribus decorandis attribuunt S. Anselm. ac S. Bernard. Quidquid sit, ad rem nostram aptissime Chald. ait murenulas aureas esse decem Decalogi præcepta. Sic enim hunc locum paraphrastice exponit. Tunc dictum est Mosi: Ascende ad firmamentum, et dabo tibi duas tabulas lapideas, excisas ex sapphiro throni gloriæ meæ, et splendidas sicut aurum optimum, ordinatas per lineas, scriptas digito meo, in quibus scripta sunt decem verba, quæ expurgata sunt magis quam argentum, quod expurgatum est septem vicibus: dabo autem eam per manum tuam populo domus Israel. Ita Chal. et S. Greg. exponit de intelligentia Scripturarum. Obiter adverte *tore*, id est, murenulas seu torques, esse affine voci תורה *tora*, id est lex.

VI. *In fronte gestanda.* Sexto, Lex Dei in fronte gestanda est, velut galea: et ante oculos habenda, velut speculum Exod. 13. 9. *Et erit quasi monimentum ante oculos tuos.* Chald. vertit, inter oculos tuos. Hinc Pharisæi et alii Iudæi habebant phylacteria, id est, membranas, in quibus legem Dei inscribebant et conservabant, φυλακτήριον, enim a φυλάττω, id est, custodio sumitur, q. d. conservatorium: eas vero membranas fronti, brachio, fimbriis vestis, et domus ostiis apprimebant, ut legis Dei non obliviscerentur. *Monimentum* deducitur a monendo: nam illis chartis monebantur sui officii. Unde S. Hier. in Matth. 23. ait: Præcepta erunt in manu tua, ut compleantur: erunt ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis.

VII. *In manu.* Septimo, manu præsertim lex Dei gestanda est. Exod. 13. 9. *Erit quasi signum in manu tua.* De Sponso dicitur Cantic. 5. 14. *Manus illius tornatiles* (id est, ad omnem virtutem agiles) *aureæ plenæ hyacinthis*, id est, cælestibus et divinis consiliis, atque intentionibus. Vult easdem esse Sponsæ suæ manus: ipsa de se ait ibid. v. 5. *Manus meæ stillaverunt myrrham* (id est, mortificationem) *et digiti mei pleni myrrha probatissima*, ut mea mortificatio honorem Dei unius spectet.

VIII. *In corde.* Octavo, in corde, ut in arca testamenti, lex Dei abscondenda et custodienda est a duobus Cherubinis aureis, id est, sapientia et charitate, Proverb. 3. 1. *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ, et præcepta mea* (paterna sunt, et ex corde prodeunt) *cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum* (Sept. ætatis) *et annos vitæ, et pacem apponent tibi.* Cor est primum vivens, et ultimum moriens: Dei lege, ut antidoto, est semper muniendum, ne mors per venenum aliquod serpentis irrepat. Misericordiam deinde, id est, opera virtutis indebita: et veritatem, id est, opera debita, ait describenda in tabulis cordis. Alludit ad tabulas Decalogi, in quibus scripta est lex digito Dei: in nostro corde non potest scribi alio digito, sed permitte, ut id faciat scriba velociter scribens, id est, Spiritus sanctus, qui est dextræ Dei digitus.

80. *Legem in aliis conservare debent: I Reges.* Secundum ex propositis est, ut non tantum in nobis, sed etiam in aliis legem Dei custodiamus. Ad hoc tenentur primo Reges, qui sunt tutores et curatores legum. Sap. 6. 22. *Si ergo delectamini sedibus* (id est thronis regalibus) *et sceptris, o Reges, diligite sapientiam, ut in æternum regnetis.* Sed etiam iustitiam Proverb. 25. 5. *Firmabitur iustitia thronus regis.* Iustitia enim leges stabilit, et leges thronum regium stabiliunt. Unde hæc illis cura esse debet præcipua. Ludovicus duodecimus Franciæ Rex, iure pater populi appellatus, cum, antequam ad sceptrum et coronam veniret, quemdam iniustitiæ reum sæpe liberasset, ubi thronum regium conscendit, damnari eum passus est, adiecta hac aurea sententia: *Contendi privatus pro amico: regnum autem adepto leges tuendæ sunt.*

II *Principes.* Secundo, Principum etiam est leges tueri, atque servare. Vitolus Lithuaniæ Dux dictitabat tyrannicam esse vocem illam, qua quis diceret, Plebem legi, legem autem Principi subiectam esse oportere. Vide dicta Ps. 2. 10. *Et nunc Reges intelligite.*

III. *Magistratus.* Tertio, Magistratus legem tueantur, Ps. 2. 10. *Erudimini qui iudicatis terram.* Solon dicebat, salvam fore Rempubl. in qua cives Magistratui obediunt, Magistratus autem legibus.

IV *Omnes homines.* Quarto, omnes denique, leges in se et in aliis tueantur. Nam, ut ait Aristoteles, leges violare est omnis iniustitia: et teste Laertio lib. 5. sæpius Athenienses redar-

guit, quod, cum duarum rerum inventores essent, frumenti scilicet ac legum, frumento uterentur, non legibus. Quemadmodum apud Locrenses nemo legem ferebat, nisi laqueo in collum inserto, ut, si iniusta esset, strangularetur: Ita apud Thurios nullus poterat legem improbare et petere ut abrogaretur, nisi laqueum collo iniecisset, pari pœnæ obnoxius, si temere hoc fecisset. Plutarchus vero in Laconicis tradit, Spartæ leges mutare non licuisse, quod, ut dicebat Pausanias Plistonactis filius, legibus auctoritas in homines, non hominibus esset in leges. David dicebat: *servus tuus custodit ea*, iudicia Dei scilicet, hoc est leges, q. d. custodio ea, quia sum servus: tantum attendo, ut obediam: sum enim servus. Ugo Cardinalis notat quatuor dici de illis Dei Iudiciis, id est legibus, Primo quod sint vera. Secundo, iustificata. Tertio, desiderabilia. Quarto, dulcia. Quia sunt vera, sunt quærenda: quia iustificata, sunt timenda: quia desiderabilia, sunt diligenda: quia dulcia, sunt degustanda.

81. Leges sunt studiosius conservandæ quam aurum.
Tertium ex propositis erat, leges esse studiosius custodiendas, quam aurum et gemmas. Generatim loquitur Salomon Prov. 8. 11. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis* (Hebr. מפנינים *mippeninim*, id est, præ gemmis ac lapidibus pretiosis, ut vertit R. Salomon) *et omne desiderabile ei non potest comparari*. Syrus reddit; Præstantior est sapientia auro purissimo, melior gemmis, et nihil est illi æquale.

Sollicitudo avari, in auro servando
Primo tolerabile non videtur, ut tantæ nobis curæ sit aurea supellex, et hoc mentis aurum negligamus. S. Chrysostomus hom. 5. in Genesim: *Non vides, quanta cura et providentia opulenti res suas custodiant, cum hostium metuunt incursionem. Nam alii seris et repagulis ianuas muniunt et occludunt: alii in terram abscondunt, ita ut nemo scire possit, ubi lateat. Eadem diligentia et nos, πλοῦτον ἀρετῆς, collectam virtutum gazam custodire congruit, et non ante oculos omnium proponere, sed in tutissimo mentis promptuario reponere*. Pugnantem tibi Crœsum Regem Lydorum propone, ut thesauros suos servet a Cyro Rege Persarum: et Porum Regem Indorum, ut suos ab Alexandro magno: et tu fac similiter, eris illis fortunatior, a nemine enim nisi volente thesauri mentis eripiuntur. Oculis tuis aspice, non magnos illos Ecclesiæ Principes, Petrum, Paulum, et alios, qui vitam prius, quam legis apicem deseruerunt: non cælestes illos heroes, Antonium, Serapionem, atque innumeros, qui ne quid labis contraherent, in desertorum spelæa se abdiderunt: sed Balaam illum pseudo-prophetam, qui a Dei verbis ita se pendere asserit, ut dicat Num. 22. 18. *Si dederit mihi Balac* (Rex

A Moabitarum) *plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar*. Hoc satis diu præstitit, ut ibi declaratur, sed tandem ad malitiam rediit, et auctor fuit sollicitandi Hebræos per puellas Moabiticas et Madianiticas: unde multi peccarunt, et puniti sunt. Inde postea iussu Dei bello Madianitis illato, ipse Balaam periit, et innumera hominum multitudo.

Secundo, Lex Dei præ gemmis est quærenda et custo- 82.
dienda. Matth. 13. 46. *Inventa una pretiosa margarita abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam*. Hoc fecere S. Serena Imperatrix, S. Catharina Alex. quæ erat de semine regio, S. Agnes, aliique omnes Martyres, quibus Evangelium et fides vita ipsa pluris extiterunt. Imitare eorum ardorem, quos insanus gemmarum ardor impellit, ad ipsos ultimi orientis sinus et semotos toto Oceano ignotosque mundi tractus alacri animo excurrunt: neque fluctuum tempestatibus, neque zonæ ardentis caloribus, neque frigore variarum regionum, a spe præconcepta dimoventur aut retardantur. B Ubi piscariam oram attigerint non otiosi et vitulabundi stertunt in littore: sed in imos se demergunt fluctus, ipsumque abyssi sinum permeant, ut saxatiles conchas, aut in fundo fluitantes suffurentur. S. Chrysost. hom. 9. in Gen. Iam suo tempore illum ardorem notat. *Qui, ait, pretiosos lapides in mari quærunt, non sedent iuxta littus, maris fluctus numerantes, sed in profundum se demittunt: et ut ita dicam, quasi in ipsos sinus abyssi descendentes assequuntur, quod tanta opera exquirunt*. Idem faciendum monet in divinis Scripturis scrutandis, et spiritualibus gemmis quærendis. *Si enim Dominus viderit ψυχὴν διεγηγερμένην καὶ ποθοῦσαν, animam vigilem, et desiderium fervens, ipse quoque divitias suas largiter suppeditat, pro sua magnificentia ultra etiam quam petere audeamus*. Ita Chrysost.

(Lex Dei studiosius servanda quam gemmæ)

Tertio, Lex Dei est sollicitius custodienda, quam mel et favus, cum sit illis dulcior, sicut probatum est. Philo Carpathiorum Episcopus, illa Cantic. 5. 16. verba degustans: *Guttur illius* (Sponsi) *suavissimum*, velut recon- C ditam illam delectationem expertus, ait: *Incredibile est nescienti, quam suave sit de Deo optimo maximo ex sacris literis meditari et loqui*. Et in illud Cant. 4. v. 11. ubi de Sponsa, id est Ecclesia, vel Humanitate Christi dicitur: *Favus distillans labia tua*, ait, Favus est divina Scriptura. Ut enim favo mel et cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus: sic in Literis sacris suavissimus cibus animi, et lumen mentis insunt.

(Lex Dei studiosius servanda quam mel et favus.)

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

Quatuor præstat. Primo, ait vereri se ne in Dei legem peccaverit, v. 13. Secundo, a peccatis liberari postulat, ibid. Tertio, post liberationem mundum se fore, Deoque gratum confidit, v. 14. et 15. Quarto, hoc a solo Deo fieri posse asserit, v. 15. 83.

PARAPHRASIS.

13. *Delicto quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ob alienis parce servo tuo.*	13. Legem quidem, Domine, amplector ex animo, ob eius excellentiam et suavitatem: non sum tamen is, qui ab omni me labe immunem arbitrer. Non sum nescius in intimis animi recessibus latere multa, quæ ignorem: ab illis munda me pro tua in me benignitate: nec dæmones desunt eorumque ministri, qui me in vitia satis pronum impulsibus suis et suasionibus præcipitent: ab eorum unguibus et insidiis me libera, cum sim servus tuus.
14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.*	14. Si ab hostibus meis, tum internis, tum externis, victoriam reportavero, omnibus a peccatis mundabor: Neque ideo superbia me in eam infirmitatis meæ oblivionem inducet, mihi ut triumphi parti gloriam arrogem.
15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei; et me-*	15. Tibi servatori meo ita gratiam ore cordeque referam, ut gratos fore sermones meos omnes confidam: in eam potissimum incumbam curam, ut accurata medi-

ditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adiutor meus et Redemptor meus.

tatione legem tuam evolvam et contempler: atque ut ne latum quidem unguem ab ea recedam.

Scio unum te mihi in bonis agendis adiutorem, atque in malis fugiendis liberatorem esse, atque redemptorem, ubi semel ea incurrero: tibi uni debitam gloriam fateor, si quid laude dignum egero.

QUÆSTIO UNICA.

Quam sollicite ab occultis peccatis cavendum.

84. A cælo et suavi contemplatione legis Divinæ, quam throno Dei assistentem viderat, in terras Propheta devolat, cordisque sui latebras tenebrasque et labes intuitus, expallescit, opemque a Deo implorat, ut Cælis, Soli, Legi Dei coniunctus, Dei sui gloriam puro corde prædicare possit.

Primo itaque, peccatorum se multitudine infectum fatetur, v. 13. *Delicta quis intelligit?*

Secundo, ab illis Deo adiuvante expediri postulat, cum id ipse facere non possit viribus propriis, quod peccata pleraque sint occulta. Ibidem. *Ab occultis meis munda me.* Et ab extrinseco sæpe sensim irrepant. *Et ab alienis parce servo tuo.*

Tertio, pollicetur, si Deus id fecerit, corde, ore, opere, illi se totum consecraturum. Opere quidem v. 14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.* Ore autem, vers. 15. *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei.* Corde denique. *Et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Quarto, illud bonum profitetur Deo soli acceptum se habiturum. Ibid. *Domine adiutor meus, et redemptor meus.*

ARTICULUS I.

A peccatis propriis et alienis, occultis præsertim cavendum est.

Radio divini luminis illustratus David, et speluncam cordis sui in ea luce contemplans, varia cernit colubri tartarei vestigia, et coaxantes ranulas, atque pun-
Vers. 13. 1 Pars. 85 gentes vermiculos: quo aspectu territus exclamat v. 13. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, et ab alienis parce servo tuo. Pro *delicto* Hebr. est שְׁגִיאוֹת *sceghiot*, id est, Primo, errores, ut vertunt Vatablus, et Pagnin. errata, ut Muisius. Secundo, ignorantias, ut Aquila, qui reddit ἀγνοίας. Tertio, lapsus ut S. Ambros. in Ps. 50. et Syrus; offensiones, ut Arabs; παραπτώματα ut Sept. id est, lapsus improvisi extra viam; ἀμπλάκιον id est, peccatum, ut Petavius; delicta, ut noster. Nota secundo, *Delicta* sunt leviora peccata, sicut docet S. Hieron. epist. 139. et S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioannem. Et quidem proprie, delinquere minus est quam peccare. Unde apud Iurisconsultos, obligationes ex delictis privatis nasci dicuntur: accusationes, ex criminibus. Et Tullius lib. 2. de Inventione: Necesse est, inquit, eum qui velit peccare, aliquando primum delinquere. Deinde adverte, delictum esse proprie peccatum omissionis: quia prima significatio verbi delinquo est relinquere, non relinquenda. Est autem difficilius cognoscere peccata omissionis quam commissionis: minus enim ferit animum et sensum.

86. Difficile peccata cognoscuntur, ob tres rationes. I. Moraliter nota. Difficile est peccata cognoscere. Primo, ob debilitatem potentiæ. Est enim excæcata per lethiferum scelus, et excutiens propter errata leviora, quæ ut pulvis Ægyptius, in oculos continuo incurrunt. Aristoteles dicit, intellectum nostrum se habere ad ea quæ sunt manifestissima, sicut oculus noctuæ ad lumen Solis: quid igitur faciet in obscuris si præsertim sit læsus? Unde S. August. hic: Quando quisque delicto involutus est, quasi obtenebratis opertisque oculis non videt delictum: quia si tibi tegatur carnis oculus, nec aliud vides, nec hoc, unde tegitur, vides. Si videntur tenebræ, intelliguntur

A delicta. Itaque sicut tenebræ videri non possunt, ita nec delicta. Dicebat Christus in Cruce Lucæ 23. v. 34. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et tamen erat delictum maximum: sed erant cæci, et duces cæcorum. Peccabant enim ex malitia, quæ excæcat. Sap. 2. v. 21. *Excæcavit eos malitia eorum.*

Secundo, delicta nostra difficile cognoscimus, propter eorum multitudinem. Quis glareolas et arenas in littore maris numeret? quis caduca silvarum folia? prius tamen hæc, ipsosque maris fluctus in computum reputare possis, quam vagas et fluitantes mentis agitationes, Ps. 39. v. 13. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Quæ sint ille mala, subdit: *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem.* S. Hieron. Non potui videre. Ac sæpe accidit, ut quæ laureis digna iudicamus, pœnam mereantur, et ipsæ nostræ iustitiæ iudicentur, id est, condemnentur. S. Greg. lib. 4. mor. 7. *Sæpe ipsa iustitia nostra, ad examen iustitiæ deducta iniustitia est: et sordet in districtione iudicis, quod in æstimatione fulget operantis.* II.

Tertio, delicta nostra difficile cognoscimus ob eorum III.
B tenuitatem et subtilitatem: atomi enim ipsi a Deo videntur, et de verbulo otioso exigit rationem in die iudicii, et scrutetur Ierusalem in lucernis. Eam ob rem Iob dicebat cap. 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea.* S. Greg. lib. 5. moral. 23. *Ducta ad internam regulam nostram rectitudo, si districtum iudicium inveniat, multis fortitudinum suarum finibus in intimam rectitudinem impingit.* Sponsum ad amorem Sponsæ suæ incitavit vel unicus capillus, ait enim Cant. 4. v. 9. *Vulnerasti cor meum* (Vatablus, abstulisti mihi cor) *in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.* Crinis seu capillus est cogitatio una, ut docent Rupertus et Beda in eiusdem cap. vers. 1. ubi capilli, id est cogitationes Sponsæ comparantur gregibus caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad. Capillo quid tenuius? cogitatione quid subtilius? Capillus a capite facile oritur, et ab eo defluit, et cogitatio a corde. Magna est multitudo capillorum, et longe maior multitudo cogitationum et affectionum. Unde David conqueritur de numero iniquitatum suarum Psal. 39. 13. *Multiplicatæ sunt super capil-*
C *los capitis mei* (quod S. August. et Ruffinus de levioribus peccatis exponunt) *et* (id est ideo) *cor meum dereliquit me*, veluti desperantem de victoria tot hostium, q. d. deliquium cordis passus sum ad tam terribilem aspectum, elangui et nihil amplius sensi in me virium animi.

Non a levibus tantum, sed etiam a gravibus sibi timeant vel sanctissimi viri. Sæpe enim latet anguis in herba, et venenum lethale apparet, et citius effundit quam advertatur: aspis pungendo delectat, et necat, v. eodem 13. Ab occultis meis munda me. Arabs, *Mundo me, o Domine mi, ab occultis meis, quæ abscondita sunt*, id est, ab occultissimis. Quo enim hostis est tectior, eo est periculosior. Nam ubi apparuerit, aut in adversum stricto gladio decurrimus aut fortiorem obiectu muri retardamus. Occultus autem statim ex improviso iugulum petit, et sica pectus transadigit. Unde S. August. in quodam sermone: *Illa*, inquit, *magis sunt noxia, quæ a quibusdam non existimantur peccata. Nullum enim malum facilius decipit, quam quod non intelligitur malum esse. Pessimum genus*
D *peccati est, non intelligere peccata. Nullus magis de peccatoribus plangi dignus est, quam qui putat se non habere, quod plangat.* S. Isidorus lib. 12. etymolog. docet quemdam serpentem nomine Dipsam, tantæ esse exiguitatis, ut, cum calcatur, non videatur: eius tamen tam præsens venenum esse, ut prius extinguat quam sentiatur, nec tristitiam inducat morituro. Dæmon occultus si actionem non potest impedire, saltem intentionem aut affectionem 87. Vers. 13. 2. Pars. Occulta peccata sunt periculosiora.

inficit. S. Bern. serm. 1. ex sedecim alt. parvis. *Tria*, inquit, *sunt occulta: illicita actio, dolosa intentio, impudica affectio. Prima operatio inquinat memoriam: dolosa intentio, rationem vel mentem: impudica affectio, voluntatem. Mundatur memoria per confessionem: mens per lectionem: affectio vel voluntas per orationem.* Ab iis peccatis cavendum est, quæ occultare possumus oculis hominum: Deus enim ubique ea videt. Unde ait S. Ambros. lib. 3. offic. cap. 5. Nihil agit scripta, nisi quod honestum sit, nisi quod cum sinceritate sine fraude sit: neque quicquam facit, in quo se crimine quoquam obliget, etiamsi latere possit. Sibi enim est reus, priusquam cæteris; nec tam pudenda apud eum publicatio flagitii, quam conscientia est. Ita ille, et S. Bern. dicit peccatori: *Ibi pecca, ubi nescis esse Deum.*

88. Occulta sæpe peccata habemus.
Quod in peccatis multis cæcutiamus, et aliqua occulta sint, ad quæ non attendimus, apparet ex reprehensione Angelorum, id est Episcoporum. Apoc. 2. et 3. Sed præsertim Angeli Laodiceæ urbis celeberrimæ in Phrygia. (de qua Plinius lib. 5. cap. 29.) Dicitur enim Apoc. 3. 17. *Dicis quod dives sum* (opibus temporalibus, ut ait Baronius: vel potius, spiritualibus, ut Ambrosius) *et nullius egeo: et nescis quia tu es miser et miserabilis: et pauper* (non habens charitatem) *et cæcus* (in rebus agendis imprudens) *et nudus*, carens nuptiali veste bonorum operum. Vide S. Gregor. lib. 31. Moral. 3. in illud, *Faciem eius præcedit egestas.*

89. Nemo scit an amore an odio dignus sit
Hinc sequitur, neminem scire an amore an odio dignus sit. Sic enim ait Salomon Eccl. 9. 1. *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta.* Timebat ipse Paulus, licet nihil in se reprehendendum adverteret. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quomodo igitur Calvinus, Kemnitius, Bucerus et Lutherus docent, Christianos debere credere, non tantum in genere quod Christus satisfecerit pro peccatis nostris, sed etiam in particulari, quod sibi per ipsum remissa sunt peccata, ideoque sunt iusti et Sancti: imo prædestinati, et electi ad gloriam: ac proinde non posse ab illa iustitia et gloria excedere, nec peccare, ne fides eorum mendax sit: Docent enim fidem hanc specialem esse fidem iustificantem, quæ proinde requiratur ad cuiuscumque iustificationem. S. Leonem audiant serm. 6. de Quadrag. *Non adeo*, inquit, *de conscientiæ integritate fidendum est, ut humanam fragilitatem inter scandala tentationesque degentem nihil potuisse arbitremur, quod læderet eam, incidere, cum Propheta excellentissimus dicat: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo*; et S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 7. in illud: Quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Sic enim loquitur: *Electi dum mentis suæ oculis divina iudicia opponant: dum de occulta super se sententia trepidant: dum se ad Deum pervenire posse confidunt: sed tamen ne non perveniant, metuunt: dum præteritorum suorum recolunt, quæ deflent: dum quæ sibi adhuc futura sunt, quia nesciunt, pertimescunt: quasi quædam in eis aquarum more volumina colliguntur, quæ in mæroris rugitus, quasi in subiecta littora defluunt.* Ubi est fiducia certa et infallibilis salutis in ipso Iobo, quem Deus ut servum suum singularem atque irreprehensibilem prædicat? Itaque cum S. Augustino de perfect. iustitiæ conclude: *Quantalibet sit præditus homo iustitia, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum Rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est: Delicta quis intelligit?* Et hic concione 2. pro se et toto populo dicit: *Ab occultis meis munda me Domine.* Vide S. Bernard. serm. 32. in Cant. et Epist. 32. atque Bellarm. lib. 3. de iustificatione c. 5.

90. Timor tamen nimius ab animo est excludendus.
Cave tamen, ne te nimia trepidatio et confusio ob peccata, a filiali in Deum fiducia, et ab accessu ad ipsum impediant. S. Cyrill. Alexandr. lib. 4. in Ioan. cap. 17. timorem nimium eorum, qui ad sacram Eucharistiam accedere verebantur ob peccata sua, reprehendit his verbis: Quando, ait, quicunque ista dicis, dignus eris? Quando Christo te ipsum offeres? Nam si peccando indignus es, et peccare non desinis: *quis enim delicta intelligit*, secundum Prophetam? expers omnino eris vivificæ huius sanctificationis. Ita Cyrill. qui subdit potius accedendum esse ad Christum, cuius est peccata tollere. Quare, ait, pias quæso cogitationes suscipias, studiose sancteque vivas, et de benedictione participes: quæ, mihi crede, non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit: nec in quibus sumus peccatis, considerat: sed ægrotos curat, collisos redintegrat, et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu.

Satis terribilia sunt delicta propria et peccata occulta, sed longe est terribilius, quod etiam peccata aliorum fiunt nostra. Unde orat David vers. eod. 13. ET AB ALIENIS PARCE SERVO TUO. S. Hieron. vertit, *Libera servum tuum*, abstrahe, remove: id enim aliquando significat parce: ut lib. 3. Æneid. ait Maro: *Parce pias temerare manus.* Nota, pro *alienis*, Hebr. est זדים *zedim*, hoc est, superbis, temerariis, infidelibus, arrogantibus: unde Aquila vertit, ἀπὸ ὑπερηφάνων, id est, *a superbis*, conserva servum tuum. Est enim Toar, id est, nomen adiectivum. Alii tamen nomen substantivum faciunt: ideo Muisius vertit: a *superbis* prohibe servum tuum, ne dominentur in me. Syrus vero, *ab omni iniquitate* (superbia est fons et caput omnis peccati: est caput serpentis, unde venenum fluit) *cohibe servum tuum.* Nota secundo, et Sept. legisse, non *zedim*, sed זרים *zarim*, id est, alienos vel aliena: extraneos, externos a cohabitatione vel coniunctione sanguinis, vel societate civili aut religionis, alienigenas. Unde verterunt, ἀλλοτρίων, id est alienos, alienigenas. 91. Vers 13. 3. Pars. A peccatis alienis sibi cavendum.

Sensus est primo, *ab alienis*, hominibus scilicet, id est, ab impiorum machinationibus, consiliis et insidiis, libera me servum tuum, neque illis unquam subiicias: ita Petavius. Abstrahe me ab impiorum mala societate. Ita Bellarm. in idem abeunt qui *zedim* superbos interpretantur, ut Vatablus et alii.

Secundo, *ab alienis*, id est, ab aliorum peccatis, impedias me, ne in ea labar, aut iis inficiar. *Aliena* porro peccata sunt vel passive vel active: id est, vel ea, ad quæ illi me impellunt, vel ea ad quæ impello ipsos. Primo Richardus Pampol. sic explicat, q. d. ab alienis, id est, ab iis quæ suggerit aliena suasio, ne seducar ab eis, parce servo tuo: non capitur ab alienis, qui mundus est a suis, a meis munda, tollendo ex corde malam cogitationem, ab alienis parce repellendo suasorem. Ita ipse. Suasores autem illi vel sunt homines, ut explicat Sa; vel Dæmones, ut Origen. ac Theodoretus, qui sic ait: *Merito David dæmones vocavit alienos: ut inimicos et hostes, et nolentes nobiscum familiaritatem habere.* Vel Dæmones simul et homines, ut dicunt Dionys. Lombard. Foleng. Turrecrem. Ludulph. vel dæmon, mundus et caro, ut vult Titelmannus. Secundo, et potius, *aliena* peccata hic sunt ea, quæ alii faciunt, et quæ tamen nostra sunt vel consilio, vel consensu, vel iussione, aut aliis modis infra recensendis. Cassiodorus exponit de originali peccato, quod ab Adamo peccante in nos transfunditur. Beda autem tam de originali, quam de actuali, quod nos ipsi committimus ab aliis impulsi. Delicta dici possunt peccata carnis, quia ex infirmitate: occulta, peccata ex suggestione dæmonis, quia ex ignoratione: aliena, suggesta a mundo malitiose.

Nota, Peccatum, quod alius admittit, potest esse nostrum. Primo, suasione et consilio, ut hic explicat S. Thomas. Sic Herodias et eius filia fuit causa necis S. Ioannis Baptistæ, ad eam incitando Herodem Antipam filium Herodis Ascalonitæ. Marc. 6. 25. Sic Caiphas et Pontifices Iudæorum, ac Pharisæi Christum occiderunt. Demetrius opifex in Paulum universam pene Ephesiorum urbem incitavit. Actor. 19. Infamis est Achitophel ob concitatum Absalonem in Davidem Patrem suum. 2. Reg. 15. et Iezabel ob incitatum Achab Regem Israel contra Eliam Prophetam, et contra Naboth, quem ipsa occidi curavit per 92. Peccatum alienum potest fieri nostrum duodecim modis. 1. Per consilium.

iniquos Iudices. Sed punita est 4. Reg. 9. Eccl. 27. 30. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur*, q. d. dolo et pernicie quam alteri machinabatur, perdetur. Iob. 12. 17. *Adducit consiliarios in stultum finem.* Et cap. 21. 16. *Consilium impiorum longe sit a me.* Ut nec ego illud sequar, neque illo deludar et peream.

II. Per consensum. Secundo, peccatum ab alio commissum, fit nostrum, per consensum. Rom. 1. 32. *Qui talia agunt, digni sunt morte: et non solum qui ea faciunt, sed qui etiam consentiunt facientibus.* Hunc modum affert etiam S. Thomas in Ps. nostr. citans illud Proverb. 1. 10. *Fili mi, si te lactaverint* (Caietan. incitaverint. Syr. adulando deceperint, id est, decipere tentaverint) *peccatores, ne acquiescas eis.* Vatab. ne consentias. Deus imperat, ut lapidetur is, qui dederit de semine suo Moloch Deo Ammonitarum, id est, Mercurio, ut vult Oecumen. in cap. 7. Act. Priapo, ut Caiet. verius Saturno, ut Christophorus a Castro in Ierem. Quod si populus id non fecerit, ait Deus Levit. 20. 5. *Ponam faciem meam super hominem illum, et super cognationem eius, succidamque et ipsum et omnes qui consenserunt ei.* Offerebant porro semen suum idolo Moloch per mollitiem et idololatriam, et filios suos ei immolabant. Filios suos idolo immolant, qui ad peccata eos incitant, ut placeant potentioribus, in vanitate et superbia, et luxu eos educantes. Quod consensus peccata aliena faciat nostra, docet Clerus Romanus in Epistola ad S. Cyprian. Non est, ait, immunis a scelere, qui ut fieret, imperavit: nec est alienus a crimine, cuius consensu, licet non a se admissum crimen, tamen publice legitur. Et S. Augustin. in Ps. 129. Quando, inquit, portas iniquitatem fratris tui, monte onerant peccata ipsius. Plane *si consentias, iam tua te premunt, non alterius*: quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed suis gravatur.

III. Per irritationem. Tertio, peccatum ab alio commissum fit nostrum per irritationem, cum scientes alium ad iram, vindictam, blasphemiam, crudelitatem, et similia vitia, sive dictis id fiat, sive factis, aut quacumque alia ratione provocamus. Prov. 17. 11. *Semper iurgia* (Septuag. contradictiones. Symm. contentiones. Theodor. exacerbationem) *quærit malus: Angelus autem Domini crudelis* (ασπλαγχνος, id est sine visceribus et misericordia) *mittetur contra eum.* Ecclesiast. 28. 10. *Abstinete a lite* (a rixis, ut Syr. et Tigur. vertunt: Græce est μαχη, id est lis, iurgium, litigium, rixa, contentio, pugna) *et minues peccata.* S. Laurent. Iustinian. lib. de disciplina et mon. conv. cap. 13. contentionem vocat ignitam Diaboli sagittam ad perdendas animas. Ephes. 6. 4. Apostolus ait: *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros* (nimia severitate et asperitate) *sed educate illos in disciplina*, (εν παιδεια, id est, in instructione et doctrina, ut ait S. Hieron. et S. Chrys.) *et correptione* (in admonitione, ut vertit S. Hier. et Vatablus) *Domini.*

IV. Per mandatum. Quarto, peccatum alienum fit nostrum iussione, cum ex decreto, mandato, imperiove nostro redit ad proximum iniuria vel malum quod patratur. Isaias 10. 1. increpans Iudæos sub Achaz et Ezechia regibus viventes, ait: *Væ qui condunt leges iniquas: et scribentes iniustitiam scripserunt? ut opprimerent in iudicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent.* Pœnas deinde graves interminetur. Pharao gravia imperans in Iudæos captivos, et Herodes contra Christum, et pueros innocentes, gravissime puniti sunt cito mortui et misere. David quoque Uriam iubens obiici hostium Ammonitarum furori diu pœnam sui sceleris tulit regno eiectus a filio, et aliis domesticis affectus cladibus.

V. Per adulationem. Quinto, peccatum alienum fit nostrum, per adulationem, cum aliquem in malefactis vel improbitate laudamus: vel tamquam re bene gesta calcar addimus male currenti, ut ille in pravo instituto pergat. Maledictio adulatores manet, sicut ait Ezechiel. 13. 18. *Væ his quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis.* Quod meditans S. Gregor. lib. 18. Mor. cap. 4. dicit. Quisquis male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito iacentis ponit: ut, qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Maledictio quoque illis intentatur Is. 5. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum: ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.* S. August. in Ps. 134. Insanit, inquit, qui laudat, quod non est bonum: deinde asserit, laudatorem impii, esse illius sceleris participem. S. Basil. in Ps. 61. ait illos adulatores esse reos damnationis æternæ. Et S. Chrysost. hom. 2. de Davide et Saule. ait graviori pœna eos esse dignos, quam ipsos peccatores. *Pravitatem*, ait, *non æmulari tantum, sed in ea viventes laudare, supplicium haud mediocre nobis conciliat: et si fas est quiddam novum et admirandum dicere, gravius supplicium manet illos, quam eos qui male vivunt.* Rationem affert optimam, quod scilicet qui peccat, sæpe animi perturbatione impellitur, et peccatum suum condemnat, unde facilius ad pœnitentiam poterit redire: at διεφθαρμενες εστι γνωμης, και ανιατως νοσουσης η ψηφος. animi corrupti et insanabili morbo laborantis est suffragio suo peccatum confirmare. Hoc enim ex mera malitia oritur.

VI. Per reticentiam. Sexto, peccatum alienum fit nostrum, per reticentiam: cum docendi, monendi, corripiendique alterius munus incumbit: et tamen in eo dum prodesse possumus, sine iusta causa cessamus. Ita Lyran. et Ludolph. in Ps. nostrum, quod maxime prælatos et reges spectat, ut ipsi notant, atque Euthymius. Ezech. 3. 18. ait Deus. *Si dicente me ad impium: morte morieris: non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia et vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* S. Gregor. homil. 11. in Ezech. ait: Pensandum est, quantum sibi connexa sunt peccata subditorum atque præpositorum: quia ubi subiectus ex sua culpa moritur, ibi is, qui præest, quoniam tacuit, reus mortis tenetur. Ita ipse. S. Bern. vero serm. de Nativ. S. Ioan. Baptistæ: Ferveat, inquit, in nobis zelus iste, charissimi: ferveat amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat: Numquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Rationem affert ad rem nostram apte. *Est enim consentire, silere cum arguere possis: et scimus quia similis pœna facientes maneat et consentientes.*

VII. Per dissimulationem. Septimo, peccatum alienum fit nostrum, per dissimulationem et conniventiam; Ita S. Thomas, et Thomas Anglicus Cardinalis in psalmum nostrum, cum scilicet facultate vel auctoritate nostra emendari et vindicari aliquid potest ac debet; nos tamen impunitum, et in peius abire sinimus. 3. Reg. 20. 42. cum Achab Rex Israel dimisisset Benadad impium Syriæ regem, quem Deus ipsi tradiderat, missus est ad eum Michæas Propheta, ut putant Hebræi in Seder olam, et Glycas ac Iosephus: vel potius, ignotus nobis Propheta, diversus a Michæa, ut Serarius putat, qui ei Dei nomine diceret: *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte*, (Propter odium et bellum in Israelitas, et propter blasphemiam, qua dixerat Deum esse Deum montium non vallium) *erit anima tua pro anima eius* (occisus est enim in eum pugnans) *et populus tuus pro populo eius.* Illum enim vastavit Benadad, et multos trucidavit. Ut enim ait S. Ambros. in Ps. 118. sermon. 8. *Facilitas veniæ, incentivum tribuit delinquenti.* Et S. August. in Ps. 50. Amat Deus disciplinam. Perversa autem et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde perniciose sentiet filius patris lenitatem, ut iuste postea sentiat Dei severitatem. Et hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Et epist. 50. ad Bonifacium: Molestus, ait, est medicus furenti phrenetico, et pater indisciplinato filio: ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant et perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelis est. Ita August.

VIII. Per participationem. Octavo, peccatum alienum fit nostrum, per participationem: vel, imitando scelera: qui enim tangit picem,

inquinabitur ab ea. Eccl. 13. vers. 1. Ita S. Thomas, et Thomas Anglicus, in psalmum nostrum: vel cum in partem lucri cum furibus venimus, at iniuste ab illis parta retinemus. Sic peccaverunt affines Achan, ideo puniti sunt. Iosue 4. v. 24. Et Proverb. 29. v. 24. ait Salomon: *Qui cum fure participat, odit animam suam.* Is. 1. v. 23. dicit Deus: *Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Audi, quid inde secuturum Deus asserat, v. 24. *Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum. Heu consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis.* Num. 16. v. 26. monet Moses populum, ut recedat a tabernaculis Core, Dathan et Abiron, ne involvatur in peccatis eorum. S. August. in Ps. 129. Vidisti furem, ait, cucurristi cum eo: Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum, imo mente coniunxisti te furto. Quod ipsius solum erat, factum est et tuum, quia placuit tibi.

IX. Per defensionem

Nono, peccatum alienum fit nostrum, per defensionem, cum aut malefactoribus patrocinamur, aut doctrinam alterius quamvis perversam et impium tuemur vel spargimus. Quanta clade attrita est tribus Beniamin, quod Gabaitas inquinatissima pollutos libidine contra iustam cæterarum tribuum iram texisset? Quis sine horrore audiat uno prælio ex ea una tribu cæsa esse viginti quinque millia virorum ad bella promptissimorum et fortissimorum, et ex illa tantum superesse sexcentos viros, qui fugiebant ad Petram Remmon, cæsis aliis omnibus utriusque sexus. Iudic. 20. v. 48. *Regressi filii Israel, omnes reliquias civitatis* (Gabaa) *a viris usque ad iumenta gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Beniamin vorax flamma consumpsit.*

X. Per malum exemplum.

Decimo, peccatum alienum fit nostrum, ob malum exemplum quod damus, cuius occasione alii scandalizantur et ruunt in peccata. Eo modo Core, Dathan et Abiron in Mosem rebellantes, in suas partes multos traxerunt. Numer. 16. v. 1. et sequent. Exploratores missi in terram Chanaan, et suam timiditatem in reditu ostendentes, cor totius populi dissolverunt atque in desperationem illius terræ occupandæ adduxerunt. Num. 32. v. 9. Zambri Dux tribus Simeon peccans cum Moabiticis et Madianiticis puellis suo exemplo maximam tribus illius partem perdidit. Numer. 25. Hinc monet Apostolus, Roman. 14. v. 13. *Ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Et Christus Matth. 18. v. 7. *Væ homini, per quem scandalum venit.* Hoc præsertim timeant Prælati et Principes, quorum peccata sunt magis pestifera, et facilius in alios derivantur.

XI. Per defectum educationis.

Undecimo, peccatum alienum fit nostrum, defectu bonæ educationis. Eam ob rem Diogenes patrem percussit ob filii peccatum. Et S. Gregor. lib. 4. dialog. 18. refert puerum circiter quinque annorum blasphemare solitum et a patre sic enutritum, a dæmonibus in eius sinu esse interfectum.

XII. Per auxilium.

Duodecimo, peccatum alienum fit nostrum, cum arma peccati subministramus, illi dando officia, beneficia, ordines et alia quibus abutatur, ei concedimus, qui propter imperitiam in varios errores ac defectus incidet. In hoc peccatum incidere satis est facile: illud agnoscere, difficile: ab eo autem liberari, difficilius.

ARTICULUS II.

Quodnam est peccatorum omnium maximum.

Vers. 14. 93.

QUANTO fructu ab alienis peccatis caveatur, et a mala suasione aliorum in scelera impellentium, docet David v. 14. SI MEI NON FUERINT DOMINATI (homines alieni: S. August. legit *dominata*, peccata scilicet occulta ut aliena) TUNC IMMACULATUS ERO, ET EMUNDABOR A DELICTO MAXIMO. Id est, non cadam in peccatum gravissimum, sicque ero mundus et purus. De peccatis præteritis exponit Theodoret.

TRIPLICEM fructum ostendit ex illa peccatorum alienorum evitatione consequentem. Primo, munditiem operis. Secundo, decentiam locutionis. Tertio, mentis pulchritudinem.

Vitatio peccati alieni dat animæ munditiam.

AC PRIMO, mundities declaratur in opere. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo.* Licet enim Valentia delictum maximum dicat esse impœnitentiam finalem. Et Folengius, irrevocabilem in malitia consuetudinem et impœnitentiam, quod est maximum omnium bonorum animæ exterminium. Dionysius, consuetudinem malam seu habitum vitiosum. S. August. S. Thomas, Richardus, Ugo, Agellius, Ruffinus, Urbanus Papa IV. in Ps. 50. et alii plurimi, superbiam. De quolibet tamen peccato mortali cum Bellarmino, Lorino, Iansonio, et aliis malim explicare, quando præsertim ultra consensum ad complementum pravæ cogitationis in opus prodit, ut ait S. Hieron. in cap. 10. Syr. vertit, a magnitudine peccati mei. S. August. legit, a delicto magno. Pagninus vertit, a scelere grandi. In Græco quoque est μεγάλης, id est magno. Itaque Iansonius ait superlativum hic esse loco positivi. Omne tamen peccatum mortale recte dicitur maximum. Primo, ob malitiam pene aut prorsus infinitam. Secundo, quia pugnat in Deum infinite bonum et eo privat. Tertio, quia tollit beatitudinem æternam. Quarto, quia deiicit in pœnas æternas. Quinto, quia ex uno alia multa, velut colubri stygii, pullulant. Munditionem ab illis affert virtus. Ut enim, ait S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 16. *Omnis sancta virtus res est divina, incorporea prorsus atque mundissima: quam mentes inquinatæ non inquinant, sed ipsa inquinatas emaculat: cuius participatione formantur informia, suscitantur mortua, sanantur infirma, corriguntur prava, reconciliantur adversa. Hanc non habet nisi Deus, et cui dederit Deus. Quæ in animo habitat, sed animum corpusque sanctificat.* Dealbationem et expurgationem servis suis pollicetur Deus Isaiæ 1. v. 18. et de illa fusius agemus in Ps. 50.

94. Peccatum omne mortale est peccatum maximum, ob quinque.

95. Peccatum omnium maximum.

Quæres. Quodnam in se præcise et formaliter sumptum peccatum, sit omnium maximum? Respondeo primo, de primatu pene omnia vitia certare: et cum singula attente contemplatus fueris et excusseris, tantum veneni in iis reperies, ac tot serpentibus incincta et horrentia aspicies, ut duces erebi facile credas.

Non est avaritia.

Primo, offert se rugis asperata, macie horrida, pædore tetro lurida avaritia, quæ harpyiarum in morem unguibus in pauperes involet, captorumque sanguinem exugat. Hæc funestat urbes, familias exhaurit, omnia litibus lamentisque complet. Num huic tu inter vitia primas deferes? Refragatur tamen schola, ut S. Thomas 2. 2. quæst. 118. artic. 5. ubi probat, avaritiam non esse maximum peccatorum, quod illa sint ex obiecto maiora, quæ sunt contra Deum, deinde quæ sunt contra personam hominis, tum quæ contra res exteriores ad usum hominis deputatas, quod videtur ad avaritiam pertinere: Verum quidem est, quod avaritia prout subditur rebus abiectioribus, ut sunt exteriores, habet quodammodo deformitatem maiorem; sed magis iudicanda est gravitas peccati ex parte boni, quod corrumpitur, quam ex parte boni, cui subiicitur appetitus: Nam privatio boni se habet formaliter in peccato: conversio autem ad bonum commutabile materialiter.

Nec luxuria

Secundo, luxu deliciisque perdita, facie fuco illita, intortis calamistro capillis, nudatis mammis, veste medicatos odores inhalans se ostentat luxuria: sed ubi cincinnatulum, mollitieque fluentem iuvenem aut puellam nacta fuerit, hos rabidæ hyænæ et cruentæ lamiæ more depascitur, neque in eis succi quidquam relinquit aut medullæ. Nonne tibi hæc Megæra furiarum videtur esse maxima. Crederem, nisi se Sophorum voces opponerent, et S. Thomas 2. 2. quæst. 154. artic. 3. Nam gravitas peccati attenditur ex ratione suæ speciei: quæ consideratur secundum bonum, cui peccatum opponitur. Fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri. Et ideo est gravius peccatum secundum speciem suam, peccatis, quæ sunt contra bona exteriora, sicut est furtum et alia huiusmodi: minus autem peccatis, quæ sunt contra Deum: et

peccato quod est contra vitam hominis iam nati, sicut est homicidium.

Nec ira. Tertio, Ira flammante vultu, scintillantibus oculis, ore distorto, gladium stillantem sanguine prætentat, horrendumque immugiens mediis se miserorum miscet agminibus, obviosque obtruncat. Nonne illam cæteris vitiis anteferas, cum nationes extinctas, eversa regna, mactatos exercitus aspexeris? Id facile mihi persuaderem, nisi Theologiæ princeps obsisteret, qui 2. 2. quæst. 158. artic. 4. iram non esse peccatorum omnium maximum ostendit. Nam ira appetit malum pœnæ sub ratione alicuius boni, quod est vindicta: itaque quantum ad appetibile videtur esse minimum peccatorum: sed ob inordinationem, quæ est secundum modum irascendi, ira sæpe est grave peccatum: quæst. autem 34. art. 4. definit, odium proximi esse quidem maximum peccatorum, quæ in proximum committuntur, si deordinationem spectamus voluntatis: si vero nocumentum, quod proximo infertur, peiora esse exteriora peccata, quam interius odium.

Nec ebrietate. Quarto, ebrietas rationem vino mersans, corpusque misere incestans, agmenque vitiorum stygia sibi catena et inextricabili implexum trahens, primam scelerum, quæque viam cæteris pandat, virtutibusque occludat, esse se gloriatur. Negat tamen S. Thomas 2. 2. qu. 150. art. 3: Nam quanto maius est bonum, quod tollitur per malum, tanto malum gravius est. Ideoque peccata quæ sunt directe contra Deum, sunt graviora peccato ebrietatis, quod directe opponitur bono rationis humanæ. Gulam non esse maximum peccatorum, ibi probat qu. 148. art. 3.

96. Sed superbia. Respondeo itaque secundo, superbiam esse maximum peccatorum. Hæc multo comitatu turgida sese infert, caputque exertat, et montes aggerans montibus in cælum viam intendit, armaque convehit, quibus numini bellum inferat, illudque de throno deturbet. Subinde præferoci et insana temeritate in cœlites tela iaculatur, quæ licet in eius verticem, oculos faciemque, et corpus universum retorqueantur, et ex omni parte illam cruentent, exerta tamen infami lingua in cælum ac sidera conspuit et furibunda bacchatur. Huic sceptrum et coronam tartari, ut parenti ac reginæ vitiorum tribuit S. Thom. 2. 2. quæst. 162. artic. 6. Nam in aliis peccatis homo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscumque alterius boni. Sed superbia habet aversionem a Deo, ex hoc ipso, quod non vult Deo et eius regulæ subiici. Unde Boethius dicit, quod, cum omnia vitia fugiant a Deo, sola superbia se Deo opponit. S. Aug. in psalmum nostrum dicit, delictum maximum a Prophete accipi superbiam. *Quæritis, ait, quam magnum sit hoc delictum, quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, et caput atque causa omnium delictorum.* Eccles. 10. v. 15. ait Siracides: *Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis.* S. Prosper lib. 3. de vita contemplativa cap. 3. et 4. Nullum, inquit, peccatum fieri potest, potuit aut poterit, sine superbia. S. Bernard. tractatu de interiori domo cap. 41. Superbia, inquit, sicut origo est omnium criminum; ita est ruina omnium virtutum. Sermone 2. de S. Andrea, vocat illam causam totius perditionis. S. Chrysost. hom. 59. in Matthæum aperte dicit, nihil est superbia peius. S. Gregor. lib. 34. Mor. 18. vitiorum reginam nuncupat. Davidem de illa agere docet Beda: *Superbia*, inquit, *ideo dicitur maximum delictum: 1. quia et initium est totius peccati; 2. et quia deiecit Angelum, et ex Angelo fecit diabolum, atque interclusit ei regnum cælorum; 3. et ideo etiam maximum, quia sicut primum occurrit recedentibus, ita novissimum occurrit redeuntibus; 4. est etiam in recte factis hoc vitium cavendum.* Urbanus IV. in Ps. 50, Deprecor humiliter, inquit, et devote, ut me interius et exterius digneris aspergere hyssopo, et mundabor; ac penitus emundabor a delicto maximo, quod est superbia. Quæ inter magna non solum maius, sed primum et maximum est delictum.

Quæres secundo, cum superbus possit averti a Deo per infidelitatem, desperationem, et odium, quodnam horum est delictum maximum? Respondeo primo cum S. Thoma 2. 2. quæst. 10. artic. 3. Infidelitas est maius peccatum omnibus aliis, quæ contingunt in perversitate morum, eam nec veram Dei cognitionem habeat, et consequenter ab eo maxime separetur. Non est tamen maius peccatis, quæ opponuntur aliis virtutibus Theologicis. Respondeo secundo, Desperatio secundum se, ut ait idem sanctus Doctor quæst. 20. art. 3. minus est peccatum quam infidelitas et odium Dei: infidelitas enim provenit ex hoc quod homo ipsam Dei veritatem non credit: odium vero Dei provenit ex hoc, quod voluntas hominis ipsi divinæ voluntati contrariatur. Desperatio autem ex hoc quod homo non sperat se Dei bonitatem participare. Ex quo patet, quod infidelitas et odium Dei sunt contra Deum, secundum quod in se est: at desperatio secundum quod eius bonum participatur a nobis. Si tamen desperatio comparetur cum peccatis ex parte nostra, sic desperatio est periculosior, quia per spem revocamur a malis, et inducimur ad bona prosequenda. Et ideo sublata spe sine fræno homines labuntur in vitia, et a bonis laboribus retrahuntur. Unde super illud Proverb. 24. Si desperaveris lassus in die angustiæ, minuetur fortitudo tua, dicit Glossa. Nihil est execrabilius desperatione; quam qui habet, et in generalibus huius vitæ laboribus: et quod peius est, in fidei certamine constantiam perdit. Et S. Isidorus in lib. de Summo bono: *Perpetrare, ait, flagitium aliquod mors animæ est: sed desperare, est descendere in infernum.* 97. Infidelitas est peccatum magnum. Et desperatio.

Respondeo denique tertio, odium Dei est gravissimum omnium peccatorum, ut omnes fatentur, et docet S. Thomas 2. 2. quæst. 34. artic. 2. quia quod opponitur optimo, est pessimum, ut patet per Philosoph. 8. Ethic. Aversio autem voluntaria a Deo, per se quidem importatur in odio Dei, in aliis autem peccatis quasi participative et secundum aliud. Semper autem quod est per se, est potius eo, quod est secundum aliud. Cum igitur ratio voluntarii sit id quod rationem habet culpæ in aversione a Deo, odium Dei inter alia peccata est gravius. Sed odium Dei est longe gravius.

Operis munditiem ex evitatione peccatorum aliorum 98.
ortam sequitur verborum, id est, orationis nostræ ad Deum Vers. 15.
et locutionis ad homines decentia, quæ Deo placeat, v. 15. 1 Pars.
Et erunt ut complaceant (id est, complacebunt, placebunt) eloquia oris mei. Arabs aperte vertit; *sermo oris mei erit secundum tuam voluntatem.* Quis ad regem ac principem illota facie fimoque conspurcata accedet laudes eius celebraturus? Hinc Isaias audito cælestis chori trisagio illo pulcherrimo, vocem suam Angelorum vocibus iungendi summo desiderio inardescens, et propria tamen indignitate attonitus, exclamat, Isaiæ 6. 5. *Væ mihi, quia tacui* (quia coactus sum tacere ob peccata mea) *quia vir pollutus labiis ego sum* (ob peccata locutionis, ait Origenes hom. 5. in Isai. vel ob peccatum taciturnitatis, quia non satis arguebat vitia procerum, ut censet S. Hieron. et S. Cyrillus) *et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Facile est peccata aliena contrahere, ut pice inquinari, quam tangis, atque mores corrumpere colloquiis pravorum. Dicebat ille Sapiens: *Hæc tria non possunt non inquinari: figulus, rota plaustri in profundo cœno, versantes cum malis.* Itaque Isaias sibi conscius non est ausus, licet id maxime optaret, vocem suam iungere vocibus Seraphinorum. Nam, ut ait Siracides Eccles. 15. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris. Quoniam a Deo profecta est sapientia, sapientiæ enim Dei astabit laus* (eam enim laudant Sancti, Angeli, et Deus ipse) *et in ore fideli* (id est, fideliter Deo servientis) *abundabit, et dominator dabit eam illi.* Et 1. Ioannis 3. v. 21. habetur. Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: et *quicquid petierimus*, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus. Qui vultu nitenti, ore terso, oculis micantibus, veste gemmis auroque intertexta suavem odorem afflans sistit se principi, facilius et benignius auditur, ut patuit in Esthere ad Assuerum, et in Iuditha ad Holofernem accedentibus. Oratio vocalis mundorum cordium placet Deo.

Cordis, denique suspiria et cogitatus Deo placituros

99. iure censet David, si cor purum habuerit. Et meditatio
Vers. 15. 2 Pars. Et eorum meditatio. cordis mei in conspectu tuo semper, supple, erit ut complaceat, id est, complacebit. Hebraice ante faciem tuam. Arabs, ante te. Qui enim cor suum, tamquam vas aureum, omni sorde purgatum, et in eo meditationem sanctam Deo obtulerit, ille facile ac benignum numen obtinebit. Iob. 11. v. 14. ait Sophar Naamathites: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, et non manserit in tabernaculo tuo* (in tuo animo, vel pectore, vel in domo tua, ait Pineda) *iniustitia. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula* (nihil erit quod te rubore suffundat) *et eris stabilis, et non timebis.* Quod meditans S. Gregor. lib. 10. Moral. 17. ait: Interna facies hominis, mens est, in qua nimirum recognoscimur, ut ab auctore nostro diligamur. Quam scilicet faciem levare, est in Deo animum per studium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem mentem reatus sui conscientia accusat: quia ab spei fiducia protinus frangitur, si intenta precibus, necdum devictæ culpæ memoria mordetur. Diffidit namque accipere se posse quod appetit, quæ profecto reminiscitur nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit. Ita Gregorius, qui sapienter monet, ante precationem dolore cor esse compungendum, veniamque fletibus deposcendam, si erratorum memoria mentem vellicet.

Concludit tamdem David, ad Deum se convertens, 100.
quem sciebat esse auctorem bonorum et depulsorem malorum, vers. eodem. 15. Domine adiutor meus, (Hebr. צורי *tsuri*, id est, petra mea, rupes, arx, securitas) et redemptor (Syr. liberator) meus. Ad eminentem rupem cervus confugit, ut canum morsus devitet; in arcem se miles subducit, ne fortiori hosti prementi succumbat; ad matris sinum convolat pupulus, quem horrenda larva territat: portum petit naufragus, ut undas mox eum hausturas effugiat: quid segnes torpent homuli, suisque confisi viribus misere pereunt hostium telis et crudelitati expositi, cum in Deo paratum præsidium, et omnibus apertum habeant? Considera dictum S. August. in Ps. nostr. et ad Deum curre: *Adiutor es*, inquit, *in bonis, redemptor a malis: adiutor ut habitem cum charitate tua: redemptor, ut liberes me ab iniquitate mea.*

PSALMUS DECIMUS NONUS.

1. Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.
2. Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te.
3. Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.
4. Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.
5. Lætabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.
6. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.
7. Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.
8. Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.
9. Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus.
10. Domine salvum fac Regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

PSALMI DECIMI NONI ANALYSIS.

Oratio populi pro Rege Davide ad Bellum pergente, ut exaudiatur.

- Propter Deum. 2. qui
  - Dominus, Israelitici maxime populi. 2.
  - Dux eius, nomine suo in vexillis posito. 2.
  - Rex, throno sibi in Sione et arcu collocato. 3.
- Propter Regem ipsum. 4. qui.
  - Sacrificia sæpe obtulit. 4.
  - Holocaustum pingue nunc immolat. 4.
  - Precibus et suspiriis cæleste auxilium implorat. 5.
  - Consilio ac vigilantia, humana media non negligit. 5.
- Propter Populum Dei. 6. qui.
  - Lætatur in victoria a Deo data Regi suo. 6
  - Exaltatur in triumpho totius exercitus. 6.
  - Orat pro Rege suo ante pugnam. 7.
  - Præsagit felicem belli exitum. 7.
    - Ob unctionem sacram regis. 7.
    - Ob maiestatem Dei in cælo manentis. 7.
    - Ob potestatem eius hostes atterentis. 7.
- Propter hostes populi Dei. 8. qui
  - Pugnantes confidunt in currum et equorum multitudine. 8.
  - Attriti concident, et suis curribus et equis implicabuntur. 9.
  - Populus vero Dei
    - Exaltabitur in victoria. 9.
    - Vota pro Rege suo iterabit in triumpho. 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus David.

1. Argumentum Psalmi varium varii assignant. I. Sententia. De titulo psalmi iam dictum est Psal. 4. Quod spectat ad materiam et argumentum, Primo, conset Iansonius hoc loco Christum precari pro suo corpore, quod est Ecclesia.

Secundo, Ioannes a Pastura puiat Davidem ipsum loqui, et optare, ut Ecclesia in suis orationibus exaudiatur pro liberatione a suis tribulationibus.

Tertio, Didymus et Richardus Pampolitanus dicunt Da-
II. videm precari opem unicuique afflicto.
III. Quarto, et melius, Genebr. et Mariana opinantur esse
IV. orationem pro pio principe ad bellum proficiscente. S. Basilius, Theodoret. Nicephor. Beda speciatim de Ezechia a Sennacherib Rege Assyriorum perterrefacto, et ad templum Dei confugiente exponunt, quasi hic inducatur Isaias et populus, ac præsertim viri sancti postulantes orationem Regis audiri, atque hostes prosterui.

V. Quinto, adhuc probabilius, hic psalmus scriptus est a Davide pro seipso, non pugnaturo contra Goliath, ut vult Asterius: sed iam regnante, et in hostes populi Dei pergente ad bellum: vel etiam domi quiescente, ut populus haberet formam, qua pro se Rege ipsius oraret, ac deinde pro aliis Regibus. Unde solitam pro Regibus precationem, *Domine salvum fac Regem*, etc. hinc eruimus, ac sæpe totum psalmum decantamus.

VI. Sexto, de Christo solo exponunt S. August. Ruffin. Luduiph. Dionys. Remig. Cassiod. Et quidem de eo ut Sacerdote et Rege. S. Hieron. Lombard. Thomas Anglicus, Palanterius, Turrecremata, Ugo, qui sic ait: Supra egit David de beneficiis collatis Ecclesiæ; Sed quia maxime collata sunt per Christum Regem et Sacerdotem, ideo agit hic Propheta de Christo Rege et Sacerdote. Primo agit de eo in quantum assumpsit sacerdotis officium. Secundo, in quantum Rex fuit. Sacerdos fuit in passione, Rex in Resurrectione. Intentio est monere infirmos ad compatiendum patienti, et congaudendum resurgenti. Ita Ugo.

A Septimo, plene et adæquate, Genebr. Titelmann. Ian- 2. VII.
senius et alii censent hic agi ad literam de Davide, allegorice vero de Christo. Sic autem loquitur Iansenius. Psalmus iste, cum, ut ex titulo constat, a Davide sit conscriptus, et tamen videatur esse oratio populi Regi suo fausta precantis, cum ad bellum esset profecturus, videtur a Davide traditus populo, ut esset ei veluti forma, qua pro se, aliisque Regibus suis post ipsum, precari deberent: ita ut nobis sit apta supplicandi forma, qua uti debeamus, cum pro Principis pii ac religiosi salute atque victoria vota sunt facienda. Continet ergo imprimis hic psalmus benedictionem Regis, qua alloquendo Regem, bene ei eiusque pietati precatur populus. Deinde et congratulationem, qua post adeptam desideratam salutem, Dei potentiam et bonitatem est celebraturus. Ad postremum, orationem ad Deum, qua Regis salutem ac per eum, suam Domino commendat. Cum autem certum sit Davidem in suis contra hostes populi Dei et pugnis et victoriis Christi gessisse figuram, recte quis dixerit, in huius psalmi B decantatione Davidem, etiam in Christum respexisse: ita ut ipsius fuerit oratio qua venturo Christo victoriam contra hostes humani generis, in salutem fidelis populi precatus sit, formamque reliquerit, qua qui in veteri populo orant spirituales, eadem Christo optarent, et optando, quæ futura erant, canerent. Atque hunc esse præcipuum huius psalmi et scopum et usum, a Spiritu sancto intentum, iuxta quem et nobis convenit, ut precemur illo. Christi preces (quas vel aliquando in terris fudit, vel iam in cælis quodammodo fundit ad Patrem: apud quem iuxta Paulum interpellat pro nobis) exaudiri pro fidelibus, in quibus adhuc pugnat contra pietatis hostes: eius item sacrificium, quod vel olim in Cruce, vel adhuc in cælis offert, aut etiam in terris per manus Sacerdotum, acceptari pro eis, ut pro eis salutem et victoriam obtineat. Ita Iansenius: in eadem opinione sunt S. Thom. atque R. Abraham.

Ei optima, dicit esse orationem populi pro Davide Rege suo ad bellum pergente.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

3. Duo proponit. Primo, orationem populi pro Rege, vers. 2. ad 7. Secundo, spem futuræ exauditionis, vers. 7. usque ad finem.

SECTIO PRIMA.

Orat populus, ut Rex exaudiatur a Deo, propter quatuor. Primo, ob Dei potestatem, cui facile est victoriam concedere, v. 2. Secundo, ob Regis sacrificia, v. 4. Tertio, ob ardens Regis ipsius desiderium, v. 5. Quarto, ob futuram inde populi lætitiam, v. 6.

PARAPHRASIS.

2. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.*

2. O David Rex nobis charissime, optamus, ut preces tuas audiat Deus, qui non solum noster, sed hostium ipsorum est Dominus, eosque nullo negotio potest obterere: cum vel maxime tibi populoque tuo insultant et damna inferunt. Deus, qui Iacob ex maximis innumerisque fratris, patrui, aliorumque insidiis oripuit, protegat te: cum nomen eius in vexillis tuis circumferas, ut in eo uno sperare te ostentes.

3. *Mittat tibi auxilium de sancto: et de Sion tueatur te.*

3. Aliquem cælestium Principum, qui ei in sanctuario astant, pro copiis auxiliaribus tibi mittat, ac sibi cognitis modis te adiuvet. De Sione monte, unde prælia tua conspiciet, subsidium demittat.

4. *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat.*

4. Memorem se sacrificii, quod nunc illi ante egressum tuum offers ac sæpe obtulisti, medio in æstu certaminis ostendat: at holocaustum tuum, quod ad obtinendam victoriam immolasti, ei acceptum sit, ut solent selecta et pinguia ex opimis victimis.

5. *Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.*

5. Victoriam, quam appetis, tribuat: et omnia quod facere deliberasti, firmum reddat, et ad exitum perducat.

6. *Lætabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.*

6. Is est amor subditorum tuorum erga te, ut salus tua futura sit omnium lætitia. Tunc per Dei potentiam liberati de hostibus nostris triumphum referemus, et in ore nationum cæterarum magni censebimur.

QUÆSTIO UNICA.

Quam potenti manu Reges sibi supplices Deus adiuvat.

4 Quæ necessaria sint ante pugnam, in pugna et post pugnam

David ostendit quid necessarium sit in pugna, ante pugnam, et post pugnam.

Primo, in pugna auxilium Dei est necessarium, quod populus pro Rege suo Davide petit, et quidem perfectissimum, in quo scilicet Deus totum se impendat ad Regem tuendum. Primo, auribus preces eius accipiendo, v. 2. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*. Secundo, manu periclitantem tegendo. Ibid. *Protegat te nomen Dei Iacob*, quod in clypeis et vexillis ponebatur. Tertio, voce, auxiliares cohortes præliantl submittendo, v. 3. *Mittat tibi auxilium de sancto*. Quarto, oculis, ab eius contuitu non cessando: ut, prout res exiget, succurrat. Ibid. *Et de Sion tueatur te*. Sion mons est, unde longe patet prospectus, et in quo erat Arca, quique significat speculam. Quinto, memoria, versando Regis pias actiones, v. 4. *Memor sit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat*, quod ante bellum solebat offerri, ut opima spolia reportarentur: et post bellum, ut Deo gratiæ agerentur.

Secundo itaque exponit, ante pugnam, Davidem Regem officio suo esse functum, ut totum se a Deo pendere declararet, nihilque omitteret ad victoriam necessarium. Primo enim opere sacrificia obtulit, ut felicem belli exitum postularet, v. eod. 4. *Memor sit omnis sacrificii tui*. Et holocausta ad declarandum supremum Dei in se ac suos dominium ac potestatem vitæ et necis. *Et holocaustum tuum pingue fiat*. Secundo, voluntate omne desiderium suum atque spem in Deum effudit, v. 5. *Tribuat tibi secundum cor tuum*. Tertio, intellectu, etiam humana consilia versando, ac ope divina indignus videatur, qui media utilia ad rem bene gerendam non adhibeat. Ibid. *Et omne consilium tuum confirmet*.

Tertio denique, post pugnam se intus in animo suo victoriam Deo acceptam relaturum populus pollicetur, v. 6. *Lætabimur in salutari tuo*. Et externis lætitiæ signis hoc testificaturum. Ib. *Et in nomine Dei nostri magnificabimur*.

ARTICULUS I.

In bello Deus Reges tuetur.

Vers. 2. 1 Pars.

Reges constituit Deus populorum capita, ut eorum oculis videant, ore loquantur, intellectu sapiant, voluntate gubernentur: ideo ipsorum preces facile exaudit v. 2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis (Hebr. in die צרה tsara, angustiæ, ut vertit Pagn. pressuræ, ut legit Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 14.) protegat te nomen Dei Iacob.

5 Dies tribulationis tripl. I. Vita tota

Quæres, de qua tribulatione agitur? Respond. 1. Diem tribulationis esse totam vitam nostram, in qua nos varii hostes conterunt et tribulant, velut frumentum Dei. Dies est vita nostra, et quidem brevis, si æternitati ac Deo comparetur, Ps. 89. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna* (S. Isidorus de vocatione gentium cap. 15. legit, dies una) *quæ præteriit*. Regum præsertim vita, dies est, ob splendorem coronæ, sceptri, vestium, gemmarum, aulæ, honoris ac dignitatis: sed dies brevis, ob noctem cito succedentem: mors enim pulsat quidem pauperum tabernas, sed leviori pede ac velut dedignanti pede; sed Regum turres toto impetu agitat ac discutit, Eccl. 10. 11. *Omnis potentatus* (id est, omnis regni et imperii) *brevis vita*. Et v. 12. *Brevem languorem præcidit medicus; sic et Rex hodie est, et cras morietur*. Arabs, Hodie iam mortuus est, et cras iam mortuus est. Hoc est, vel hodie, vel cras, id est cito, morietur. Aut certe, dic plerosque Principes etiam in vivis esse mortuos, ob varios morbos, afflictiones, peccata: quod plus in tenebris appareant, quam de die, et sint principes tenebrarum. De Regibus quidem certum est, eorum coronas ac diademata non tot micare gemmis, quot pungunt aculeis: Plutarchus in Mor. ait, Reges similes esse iis, quibus, cum publice splendida sint omnia, domi uxor morosa est, quæ ridentibus, et ex voluntate fluentibus rebus fel inspergat. Hoc alta mente præditus sapiens quidam considerans et sentiens, oblatum diadema recusavit, cum diceret, nobilem quidem esse pannum, sed tam multis periculis, curis atque calamitatibus et miseriis refertum, ut qui obvium reperisset, si id cognosceret, ne humi quidem iacentem tollere dignaretur.

6. II. Tempus belli

Resp. secundo, *diem tribulationis*, recte accipi cum Eusebio, pro die belli: non quando Davidi pugnandum fuit cum Goliatho gigante, ut vult Asterius: sed cum iam regnaret et pergeret in Ammonitas, ut quidam dicunt: aut potius est incertum, ad quod bellum primo cum psalmum fecerit, usui futurum in omnibus.

7. III. Quælibet afflictio

Resp. tertio, præcise diem tribulationis accipi tempus alicuius calamitatis avenientis, sive belli sive pacis tempore. Ita S. Athanas. et bene. Unde videmus omni tempore hunc psalmum nunc usurpari orantibus pro Rege. Nos cum nostro Magnetio pro Rege nostro Christianissimo sic versum nostrum usurpemus:

O patriæ communis amor, cui lilia plenis
Nascenti calathis cæli fudere cohortes:
Sic te (si quidquam populi pia vota merentur,)
Per varios bellorum æstus, super arma vocantem
Audiat Isacidæ numen.

8 Dei est victoriam dare. Hoc patet 1. In Machab. 2. In Theodosio Imp. 3. In Clodovæo Rege Franc. 4. In Heraclio 5. In Gallicano 6. In Pelagio 7. In Alphonso 8. In Lusitanis 9. In Antonio duce.

Moraliter nota. Dei est dare victoriam: quod ut ostendat, sæpe eam dat debilioribus, sed se invocantibus. Quoties Deo vires sufficiente et hostes enervante Machabæi de Rege Antiocho, Demetrio, Nicanore, Lysia, aliisque ducibus victorias illustres retulere? Theodosium seniorem Imper. scimus in Italia contra tyrannum Eugenium pugnantem, iamque gravi attritum clade, precibus victoriam obtinuisse, et penitus hostem profligasse. Novimus Clodovæum I. Franciæ Regem Christianum, ope divina fluvium traiecisse, et Alaricum Regem Gothorum propria manu trucidasse, de eoque opima spolia reportasse. Græcia Heraclium Imp. mirata est a Chosroe Persarum Rege plurimis fractum præliis momento prope victorem Deo ductante, non solum ab Imperii finibus hostem dispulisse, sed in Persidis intima penetrasse. In Thracia S. Gallicanus dux a Constantino Magno missus in barbaros, ab Angelorum exercitu adiutus, extremum discrimen evasit, et ad pedes suos supplicem ac venerabundum vidit hostilium copiarum Regem ac principes. Quid referam Pelagium in Hispania cum exiguis militum manipulis numerosos exercitus fundentem? In Portugallia Alphonsum Regem illius regni primum visione cælesti recreatum, quinque Saracenorum Reges cum pauculis copiolis subiugantem? In India eorumdem Lusitanorum triumphi cælico ope, contra spem omnem humanam parti, admirationem omnium animis iniiciunt. In Lotharingia Dux Antonius ad tres Tabernas viso prope solem crucifixo, copiosum hæreticorum rusticorum exercitum mirabiliter devicit. Dominus noster est Deus Sabaoth, id est exercituum: tam in montibus, ut deiiciat superbos: quam in vallibus, ut exaltet humiles.

9. Reges sibi supplices facilius exaudit Deus, quam alios, ob quatuor rationes.

Nota secundo. Deus Reges sibi supplices facilius exaudit. Primo, quia maior est Dei gloria videre sibi et suis altaribus prostratos Reges, quibus cæteri se subiiciunt, et qui veluti quidam dii terræ et mundi soles adorantur ab omnibus. Itaque in eorum persona totum regnum Deo subiicitur, eique caput unum coronatum acclinat. Sic Ezechiam orantem exaudivit, Isaiæ 37. v. 15. Secundo, magis difficile est Regibus se humiliare, ac Deo subiicere, in eoque non in suis armis, viribus, auro, argento, militibus atque exercitibus spem suam ponere, eius potentiam et iustitiam vereri atque venerari: ideo hunc actum heroicum Deus statim ut plurimum compensat. Sic exaudivit Deus Davidem, cum audito Nathan Propheta peccatum ipsi exprobrante ait 2. Regum 12. 13. *Peccavi Domino*; et Achab Regem Israel, qui ab Elia increpatus ob scelera, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque et dormivit in sacco, et ambu-

lavit demisso capite, 3. Reg. 21. 27. quam pœnitentiam veram et seriam fuisse ait S. Ambros. lib. de Nabotha cap. 17. et S. Chrysost. epist. ad Theodor. Mopsuestenum, et valde probabile est. Tertio, Regum oratio spectat bonum commune: cam ob rem Deus illos facilius exaudit: amat enim sol radios beneficentiæ suæ in plures effundere. Sic exauditus est Salomon orans pro populo in dedicatione templi 2. Reg. 8. Clodovæus in Alamannos pugnans, et orans pro suo exercitu iam in fugam inclinante, et de victoria desperante. Quarto. orans Rex Deoque se subdens, omnes trahit exemplo suo, ut idem faciant. Sic exauditus est Rex Ninius licet nequissimus, nempe Sardanapalus, ob prædicationem Ionæ ad pœnitentiam se ac populum suum convertens, Ioan. 3.5.

Non aures modo, sed manum etiam Deus Regibus præ-
Vers. 2. 2 Pars. bet, vers. eod. 2. PROTEGAT TE NOMEN DEI IACOB. Hebr. exaltet te, elevet te, ita ut hostium telis et insultibus non pateas. Hoc enim sonat שׂגב sagab, id est exaltare, ottollere, sublevare, in sublime tollere, efferre altius quam ut transcendi aut capi possit. Munitionem enim, ut ait Mercerus includit, qualis est arcium editarum. Hinc משׂגב misgab, elevatio, exaltatio, locus sublimis et elevatus, atque hostibus inaccessus, arx, munitio, propugnaculum, refugium. Septuag. veluti scutum offerunt Regibus, cum vertunt, ὑπερασπίσαι σου τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ Ἰακὼβ protegat te *velut scuto* nomen Dei Iacob.

10. Regum arx fortissima est nomen Dei. Nota, arx, propugnaculum, scutum ac præsidium fortissimum Regum est *nomen Dei*, id est: Primo, Deus ipse: oomen enim ponitur pro re nominata. Est metonymia frequens in Scripturis. Arabs auxilii certitudinem ostendit, et esse vaticinationem preci adiunctam, reddit enim, *Adiuvabit te nomen Dei Iacob.* Verba quoque Hebraica sunt in futuro, sed ponuntur pro tempore præsenti optativi, quod est usitatissimum Hebræis. Hoc divino præsidio lætus David, ait Ps. 48. 8. *Dominus virtutum* (Hebr. צבאות tsebaot, exercituum. Græc. δυνάμεων, id est exercituum potentium) *nobiscum, susceptor* (Hebr. משׂגב *misgab*, id est protector, ut vertit Hieron. elevatio, ut Pagnin.) *noster Deus Iacob.* Syr. sic vertit: Dominus fortis nobiscum, et auxiliator noster Deus Iacob. De se specialim dicit David Ps. 58. 18. *Factus es susceptor* (Hebr. *misgab*, id est fortitudo, ut ait Hieron. refugium, ut Syrus; adiutor, ut Arabs; elevatio, ut Pagnin. vindex, ut Apollinaris, qui vertit ἔκδικος, sed græcum, ἀντιλήπτωρ spectat, arx sublimis, ut Vatablus) *meus, et refugium meum in die tribulationis.* Dei est Reges salvare. S. Ambrosius in Apolog. Davidis. Noli, ait, tibi de populorum subiectione blandiri, quia non salvabitur Rex per multitudinem virtutis suæ: nec gigas salvus erit in multitudine virtutis tuæ, Ps. 32. 16. ubi non pauca attuli exempla. Orosius lib. 2. hist. Omnem inquit, potestatem a Deo esse, omnemque ordinationem, et qui non legerunt, sentiunt: et qui legerunt, cognoscunt. Quod si potestates a Deo sunt, quanto magis regna, a quibus reliquæ potestates progrediuntur? Dicit sapientia increata Prov. 8. *Per me Reges regnant.*

Secundo, *nomen Dei*, proprie accipi potest. Ipsum enim Dei nomen est efficax ad iuvandum, ut ostendi Psal. 8. ubi de nomine Iesu et Iehova actum est. Iuvat autem nomen illud primo invocatum. Sic Deum cum clamore invocantes Hebræi deiiciunt Iericho, Ios. 6. 20. *Omni populo vociferante, clangentibus tubis, postquam in aurem multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Chald. vertit, lapsus est murus urbis et absorptus est subtus se. Ubi indicat fuisse a terra absorptum, probabilius tamen est fossam implevisse, ut facilior esset ingressus pari felicitate. Robertus Rex Franciæ psallens cum Sacerdotibus, urbis Avellunis, quam obsidebat, muros deiecit, suisque in eam aditum patefecit, ut ait Lipsius politic. exempl. cap. 2. et Annales Francorum. David ait Ps. 17. 30. *In Deo meo* (invocato scilicet) *transgrediar murum.* Beda lib. 1. hist. Angl. cap. 20. refert, Catholicorum exercitum iussu S. Germani Episc. Antissiod. canentem *Alleluia*, id est Laudate Deum, antequam iniret prælium, ita hostes divinitus exterruisse, ut statim fugerint. Secundo tamen, in psalmo nostro nomen Dei malim accipere scriptum in vexillis Davidis et ducum eius, ad quod.

Nota secundo, cum non liceret Iudæis imaginem ullam 11.
pingere, aliquam saltem a divinis literis petitam senten- Sententiæ aliquæ in
tiam in vexillis suis, aut clypeis describebant: sumebant vexillis
antem ut plurimum aliquam, in qua Dei nomen aliquod, aut cly-
et spes in eo denotaretur: ut primo se hoc aspectu et mo- peis Iu-
tivo animarent ad pugnam, ac timorem omnem depone- dæorum
rent, tanto duce et protectore securi. Secundo, ut sic a scribe-
gentilium vexillis distinguerentur, et se Dei populum esse bantur.
testarentur, et ab eo uno opem expectare. Tertio, ut profiterentur se non in suis viribus, sed in Deo confidere. Quarto, ut Deus excitaretur ad eos protegendos, et velandos sua tutela et umbra, ne in iis victus quodammodo censeretur, cum vexilla et arma eius nomina insignita in idololatrarum manus incidissent, et ab iis ostentarentur, atque in idolorum templis appenderentur et consecrarentur: sicut Philisthini posuerunt arma Saulis Regis occisi in templo Astaroth 1. Reg. 31. 9. Erat autem Astaroth nomen idoli, quod ad effigiem femellarum ovium effingebatur, ut ait R. David in lib. Radicum. Erat Idolum Sidoniorum 3. Reg. 11. 5. idem cum Astarte, id est cum Venere. Est enim Astaroth nomen plurale, ad emphasim, q. d. eam deam esse præfectam gregibus omnibus. *Astara* enim Hebr. est grex vel caula ovium. *Astaroth* vero greges sive caulæ ovium. Turpe autem erat Deum videri victum a tam abiectis diis, et arma servorum eius in eorum idoliis poni, præsertim Dei nomine addito, q. d. suos deos esse illo potentiores, qui velut captivatum tenerent Deum Hebræorum, cum non potuisset clade suos suaque eripere. Et vero Baronius in Martyrologio, primo die August. *Quod*, ait, *ad vocem Machabæi spectat, nomen est Hebraicum, quod nostris literis sic scribitur: Machabæi, cuius singulæ literæ singulas significant dictiones sumptas ex cantico Mosi Exod. 15. ubi hæc verba sunt,* מי כמוך באלים יהוה *mi chamocha baelim Iehova. Quis similis tui in fortibus Domine? Quæ verba per singulas primas tantum notatas literas, sic in vexillis fecit inscribi M. C. B. I. et iisdem uti pro tessera militari: unde ipse ac posteri eius Machabæi dicti sunt. Hæc de significatione huius vocis Sixtus lib. 1. Bibliothecæ sanctæ.* Hæc Baron.

Quis credat Iudæos minoris fecisse Deum verum eius- 12.
que nomen, quam pagani fecerint deos suos? Porus In- In vexil-
dorum Rex vexilla Herculis sui simulacro insigniebat. lis et cly-
Persæ, simulacro solis aut æterni ignis, quem Deum co- peis suis pagani
lebant teste Strabone. Athenienses, in vexillis suis no- ponebant
ctuam Minervæ sacram pingi curabant. Thebani Sphyn- effigiem idolorum
gem. Eumenes, Cererem et Alexandrum. Craterus et suorum.
Neoptolemus, Minervam, ut refert Plutarchus in Lysandro, Pelop. et Eumene. Ægyptii, animalia quæ colunt, sicut docet Diodorus Siculus. Cimbri, taurum, ut ait Plutarchus, in Mario. Germani, effigiem aliquam a lucis detractam, auctore Corn. Tacito lib. de moribus Germanorum. Daci, dracones. Osiris Rex Ægypti, canem: sic Anubim pingebant. Cyrus, aureum gallum affixum lanceæ, ut ait Pintus lib. 3. de Christo crucifixo. In singulis vexillis apud Romanos aut Imperatoris, aut Consulis nomen inscribebatur: Cimbrico bello pilis et hastis militum additum erat Catulli eorum Imperatoris nomen, ut testatur Plutarchus. Cn. Pompeii milites nomen eius in Hispania scutis sui appinxerunt, ut tradit Appianus. Sic in lapide, quo David gigantem Goliath percussit, scriptum fuisse nomen Iosua dicit Rabbinorum schola. In nomine Dei, nempe in nomine Iesu, quod est idem cum Iosue, confidebat, 1. Regum 17. 45. *Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, hasta, et clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Lege S. Chrysost. homil. de Davide et Goliath. Iosephus lib. 6. Antiq. Iud. cap. 10. sic loquentem inducit Davidem: Tu me invadis hastæ tuæ confisus, et thoraci et gladio; *mihi vero pro armatura Deus est.* Ita ipse. Quis hæc arma pervadat?

13. Deus appellatur Deus Iacob, propter quatuor rationes. I.

Quæres, Cur Deus totius orbis Dominus, dicitur Deus Iacob? Respond. Primo, ut David et populus eius, Fidem suam augeret de futura Verbi Incarnatione, et de gentium ad veram fidem conversione. Remigius hoc indicat in psal. nostr. *Protegat te nomen Dei Iacob*, id est, invocatio nominis Dei Iacob: hoc est, iunioris populi, scilicet luctatoris et præripientis primogenita prioris populi, id est Iudaici. Prius enim vocati sunt Iudæi, quam Gentiles. S. Augustinus eodem modo explicat, *Ad te*, inquit, *pertinet populus posterior natu, quia maior serviet minori.* Luc. 1. 32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in æternum;* per sedem seu thronum Davidis datum Christo, intellige potestatem in Iudæos: per domum Iacob, Ecclesiam ex gentibus congregatam, quæ synagogam supplantavit. Utrorumque Deus Christus est, qui ideo super pullum et asinam sedens in suo triumpho: id est, super populum gentilem, necdum legis iugo subiectum, et super synagogam. Et quia gentiles postea sunt conversi, ideo Iacob ponitur post Davidem, licet prior tempore fuerit: unde additur, *et regni eius non erit finis*, sicut fuit regni in Iudæos solos. Sed hæc sunt mystica, ut patet.

II. Secundo, et magis ad literam. Deus totius orbis dicitur specialiter *Deus Iacob*, ut Spes excitetur de futuro auxilio in die tribulationis, licet longa sit, et molesta, atque a variis hostibus: sicut Deus Iacobum Patriarcham in se credentem et sperantem protexit a fratre suo Esau, et a Patruo Laban, atque a Chananæis, Gen. 35. 3. hoc auxilium toti familiæ suæ promittit, ut eam ab idolorum amore et cultu avertat, atque trepidentem ob cædem Hemor et Sichem, et omnium Sichimitarum confirmet. *Abiicite Deos alienos* (quos in præda urbis Sichem accepistis) *qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra* (munda et festiva assumendo, in signum mundatæ conscientiæ per adorationem veri Dei) *Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis* (cum Esau cædem meam meditaretur, cum Laban me fugientem est insecutus, cum timebam Esau venientem ad me cum quadringentis viris) *et socius fuit itineris mei:* ducens me in Mesopotamiam ad Laban, et inde reducens ad patrem meum Isaac adhuc viventem. Cum autem tunc petenti Iacob dedissent omnes Deos alienos, quos habebant, et inaures, quæ erant in auribus idolorum, et quæ S. August. vocat phylacteria Deorum, ea infodit subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem. Deus vero eius fidem et spem in ipsum compensavit. Nam cum profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, et non sunt ausi persequi recedentes, Gen. 48. 15. divinum et angelicum sibi præstitum auxilium idem Iacob prædicat.

III. Tertio, Deus totius orbis, vocatur a Davide et populo eius, *Deus Iacob*, ut charitatem suam erga ipsum inflamment. Nam Deus Iacob, est Deus populi Hebræi, qui a Iuda filio eius dicitur Iudaicus: at ab ipso, sæpe a Prophetis et Iacob et Israel dicitur, a duobus nominibus sanctissimi illius Patriarchæ. Si vocaretur Deus Abraham, alii populi hanc sibi appellationem notam esse dicerent, et perinde ad se atque ad Iudæos pertinere: nempe Ismaelitæ, ab Ismael filio Abrahami et Agar oriundi: Madianitæ, qui orti sunt a Madian filio eiusdem ex Cetura uxore, quam duxit post mortem Saræ, ut eius semen etiam inter gentes multiplicaretur et esset pater multarum gentium, etiam corporaliter. Assurim, Latusim et Loomim populi orti ex Dadan filio Lecsan filii Abraham ex eadem Cetura, ac varii populi orti ex Zamzan, Madan, Iesboc et Sue filiis eiusdem Patriarchæ ex ea ipsa uxore. Si David dixisset, *Deus Isaac*, Idumæi partem sibi in ea appellatione reperirent, cum nati sint ex Esau filio Isaac. Sed cum dicitur *Deus Iacob*, hoc ad solos Iudæos pertinet, qui a duodecim Iacob filiis originem suam traxerunt. Hoc autem divini erga eos amoris signum fuit, quod specialiter notus fuerit in Iudæa Deus, et in Israel *magnum nomen eius*, q. d. in aliis populis fuisse parvum. Item, quod Deus Iacob dicatur, et cum peculium suum et peculiarem popolum esse voluerit, Isaiæ 43. 1. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob* (quia ex Sara sterili ortus est Isaac, et ex Rebecca item sterili Iacob, a quo Iudæi dicti sunt Iacobitæ et Iacob, ut hic) *et formans te Israel* (dando legem) *Noli timere, quia redemi te* (ex Ægypto et Babylone) *et vocavi te nomine tuo* (dedi tibi nomen illud, quod sequitur: nempe) *meus es tu* (o pulchrum, pretiosum et divinum nomen, ut filii Dei nominemur et simus 1. Ioan. 3. 1. sic Oseas Propheta filio suo iubetur dare nomen Iezrahel, id est semen Dei: Oseæ 1. 4.) Quid inde sequi ait Isaias? v. 2. Cum transieris per aquas tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. Fontem tantorum bonorum aperit, charitatem Dei v. 4. *Ego dilexi te.* Perpende illa duo verba, ego te, et charitate erga tam benignum Patrem accendere.

Quarto denique, Deus totius orbis vocatur Deus Iacob, ut desiderium adversa patiendi, et opera bona supplantatis vitiis exercendi excitatur. *Protegat te nomen Dei Iacob*, id est Dei supplantantis vitia, ait Ugo Card. Non est enim Deus vitiosorum, Matth. 22. 32. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob: Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Ibi S. Chrysost. piorum vitam et victorias declarat, impiorum vero lapsus et mortem: item quomodo Deus piis, diabolus adstet impiis. *Hæc* (mensa frugalis monachorum) *viam ad cælum præparat, illa ad gehennam trahit. Diabolus illius, Christus istius princeps est: Luxus et lascivia illam, philosophia et moderatio istam præparat: hic Deus adest, ibi diabolus. Ubi enim temulentia, ubi verba turpia, ubi venter satur, ibi dæmones et diabolus exultant.* Ita Chrysost. IV.

Locum, unde Deus auxilium mittit servis suis periclitantibus, ostendit David, seu populus, qui in hoc psalmo loquitur, v. 3. MITTAT TIBI AUXILIUM DE SANCTO, ET DE SION TUEATUR TE. Quæres, Quodnam sanctum ibi intelligitur? Resp. 1. cum Bellarmino, per sanctum posse sumi cælum: est enim domus totius sanctitatis, et mans cælestis, in quo Deus, qui est omne bonum, inhabitat. Hinc ait Moses Deut. 26. 15. *Respice de sanctuario tuo, et* (id est) *de excelso cælorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel.* 14. Vers. 3. Sanctum intelligi potest 1. Cælum.

Secundo, et melius, cum Theodoreto per *sanctum* arbitror intelligi sanctuarium: id est tabernaculum, quod David erexerat Deo in monte Sion prope aulam suam, et ubi arcam posuerat cum Cherubinis aureis et propitiatorio, in quo sedebat Deus reddens oracula. Ex eo arcæ loco mitti auxilium Regi suo Davidi postulat populus. Auxilium porro illud intelligo, Primo lucem sapientiæ, ut prudenter bellum ineat, castra sua recte disponat, animos ducum et militum sibi conciliet, omnibus provideat, hostium insidias devitet. Secundo vim, robur, sanitatem aliaque ad tolerandos labores bellicos necessaria. Tertio, Angelos adiutores, qui in Sancto Sanctorum Deo principi ac Regi suo astabant ad omnia parati obsequia, quorum typi erant Cherubini arcam obumbrantes alis suis: Unde Isaias in templo vidit Seraphinos Deum laudantes quatuor alis complicatis, ut recollectionem mentis denotarent; et duabus extensis, ut se paratos ad evolandum declararent, si Deus aliquem in locum eos destinare vellet. Angeli auditi sunt dicentes in templo, *Migremus hinc*, cum Romani illud mox erant vastaturi Tito civitatem Ierusalem obsidente. II. Sanctuarium.

Allegorice. Cum David nullius hominis nomen exprimat, alloquitur sine dubio illum, in quem omnia iustorum desideria, et omnium Prophetarum vaticinia respiciebant. Ac quasi Christum videret in diabolum prodeuntem, et oratione se armantem, imminente passionis tribulatione, acclamat illi, *Exaudiat te in die tribulationis*, id est passionis, in qua, ut dicit Apostolus ad Hebr. 5. *cum clamore valido et lacrymis preces supplicationesque offerens, ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, exauditus est pro sua reverentia.* Exauditus est autem, non ut mortem evaderet, sed ut mortem moriendo destrueret, et vitam resurgendo repararet: et confusio in 15. Allegor. Exauditus est Christus in die Passionis.

gloriam, mortalitas in immortalitatem verteretur, sicut ipse ait Ioan. 17. 1. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum.* De hac exauditione loquitur Propheta. Quo etiam pertinet quod sequitur: *Protegat te nomen Dei Iacob.* Per nomen intelligi potest Invocatio, sicut in eo loco. *In nomine meo dæmonia eiicient*, Marc. ult. Potest etiam intelligi potestas sive auctoritas, ut Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei.* Potest denique simpliciter per nomen Dei, Deus intelligi: sæpe enim in Scripturis ponitur nomen pro persona, cuius est nomen, ut cum dicit S. Petrus Act. 4. *Non est aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et cum S. Luc. ait in Actis, in Græca editione cap. 1. *Erat autem turba hominum simul fere centum viginti.* Addidit Propheta, nomen Iacob: quia Iacob significat populum Dei, cuius populi Christus est caput: q. d. protegat te Deus populi sui, ut protegendo te, qui es caput eius populi, consequenter totus populus salvus fiat. Protectio autem petitur a telis inimicorum, ut non noceant: tunc autem vere nocuissent, si vel Christi Resurrectionem, vel Christi fidem, et nomen vel Ecclesiæ propagationem impedire potuissent. Ita Bellarmin. qui per sanctum intelligit montem sanctum, qui dicitur Sion, sed Sion cælestis de quo Paulus Hebr. 12. 22. *Accessistis ad Sion, montem, civitatem Dei viventis, Ierusalem cælestem.*

16. Tropol. Deus exaudit servos suos in die tentationis.

Tropologice. Exaudit Deus servos in die tribulationis, id est, tentationis: et protegit eos nomen Dei Iacob, id est Iesus, qui docet nos supplantare vitia. Ubi enim dæmon hominem videt armatum hoc sancto nomine trepidat, et de victoria desperat. Vide dicta Psal. 8. sect. 1. artic. 8. ubi ostendi vim nominis Iesu, atque inter cætera dixi, esse clypeum, loricam, murum, turrim, etc. In mente ac singulis eius potentiis, velut in sacris vexillis est appingendum. S. Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 7. *Scit*, inquit, *exercitata mens, quos ad prælium consummandum sibi adhiberet, quibus armis instrueret, quibus duceret vexillis. Non aquilarum præfert imagines, nec dracones; sed in cruce Christi, et in Iesu nomine progreditur ad prælium, hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Alludit ad visionem Constantini, et ad eius labarum, id est, vexillum sacrum, quod sic describit Euseb. lib. de vita Constant. cap. 25. Sublimis, inquit, hasta auro circumvestita cornu transversum habebat effictum in forma Crucis: supra vero, in fastigio totius operis corona ex lapidibus pretiosis et auro contexta infigebatur. In ea salutaris appellationis symbolum duæ literæ Christi nomen exprimentes per primos dumtaxat characteres, litera scilicet Græcanica P, rho, in medio literæ X. chi, curiose inserta, χρ quæ totum Christi nomen perspicue significarunt. Quas quidem literas semper Imperator in galea gestare consueverat. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transverso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis videlicet et magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiose coniunctorum, lucisque suæ claritate resplendentium depicta, et multo auro intexta: quæ dici non potest, quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitarit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum longitudinis, latitudinisque Crucis mensuram penitus exæquavit. Hæc Euseb. Mos vero fluxit a Constantino, ut in vexillis, scutis, galeis, loricis aliisque armis Imperatorum et militum, aut Christi nomen, aut Crucis figura formaretur. Hoc de Gratiano Imp. tradit S. Ambros. lib. 2. de Fide. *Convertere Domine*, ait, *fidei tuæ attolle vexilla. Non hic Aquilæ militares, neque volatus avium exercitum ducunt, sed tuum Domine Iesu nomen et cultus* In Gothos tunc ducebat exercitum Gratianus, et de iis victoriam reportavit. Prudentius adversus Symmachum agens de tempore Imp. ait:

Constantinus adiutus est contra Maxentium pugnans.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

Probat id Baronius in Annal. Eccl. Anno 312. ex duobus antiquis numismatis: altero Constantini Magni, in cuius galea duabus illis literis X. P. una complexis Christi nomen habetur expressum: altero Maioriani Imper. cuius in scuto eadem forma χρ. Christus exprimeretur.

Et contra Licinium.

Quam vero tuta esset illis nominis Christi protectio, probavit Deus in bello Tracio contra Licinium, ut refert Baron. ann. 317. ex Euseb. Repentina, inquit, trepidatio exercitum occupaverat, ille, qui labarum portabat præ formidine alteri tradidit, ut belli impetum effugeret: postquam alter accepit, isteque fuit ex acie egressus et extra vexilli præsidium locatus, telo coniecto, in ventre confossus est, morteque sopitus concidit: qui vero salutare trophæum sublime et erectum portabat, omnino eius subsidio evasit incolumis, adeo ut sæpe cum tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, salvus extiterit, et vexilli hastile tela missa exceperit.

17. Tentatis fert Deus auxilium de sancto tripliciter.

Si hæc per Iesu aut Christi nomen fiunt in bellis corporeis, quid fiet in spiritualibus, ubi non in panno, velo, auro, ferrove, sed in mente sancta pingitur? Mittet sine dubio auxilium *de sancto*, id est primo, de sanctitate sua increata, quæ est fons omnis sanctitatis, et de sanctitate suæ humanitatis: exundat enim, cum sit infinita, aut 1.
maxima possibilis, aut saltem qualis decet unigenitum Dei ipsique consubstantialem. Hebr. est. *Mittat tibi auxilium de sanctitate*, ut vertit Pagninus, et hoc primo et præcise significat קדש *kodes*, et sic etiam Arabs vertit, de sanctitate sua. Quod aptius convenit. Omnis alia sanctitas rivus est, qui vix sibi sufficit et facile arescit: divina vero fons est inexhaustus et abyssus immensa. Se- 2.
cundo, Deus fert auxilium *de sancto*, id est de cælo, ut dixi supra. Tertio, *de sancto*, id est de domo sanctuarii 3.
sui, ut vertit Chaldæus: hoc est de Ecclesiis, in quibus manet in Eucharistia. Templa enim nostra sunt, ut S. Ambros. lib. 3. Hexaem. *Sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium.* Sunt templa nostra cælum, ubi Sol iustitiæ Christus lucem sapientiæ, ardorem charitatis et puritatem sanctitatis spargit. Id S. Epiphanius sermone de Resurrectione Christi sic declarat: *Hodie*, inquit, *Ecclesiæ cælum novum, cælum eo quod videtur pulchrius. Non enim habet Solem quotidie occidentem, sed Solem, quem in Cruce positum reveritus Sol iste occidit. Propter hunc iustitiæ Solem Christum, cælum Ecclesia fit, non habens Lunam modo augescentem, modo decrescentem, sed gratiam semper lucentem. Non astra quædam errantia ostentans*, ἀλλὰ ἀςέρας νεοφωτίςας ἐκ κολυμβήθρας ἀναφέρουσα, *sed astra novo lumine splendentia ex sacro lavacro efferens. Non habens nubes pluviæ plenas, sed S. Theologiæ illustres magistros.* Si Mosi ad rubum ascendenti in monte Horeb, dictum est Exod. 3. 5. locus, in quo stas, terra sancta est: si Salomoni dixit Deus 3. Regum 9. 3. Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus. Quid dicemus de monte sancto, quem Deus sibi elegit, ut ibi maneat in Eucharistia, et inde nos contempletur? De eo habes Ps. 67. 16. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis.* Mons est Maria, ubi Dominus preces et necessitates nostras aspicit. Mons est Sinai, in quo videtur et leges sancit. Mons Horeb, in quo gratiarum suaves Zephyri sentiuntur. Mons Olivarum, unde omnis benignitas et humanitas Salvatoris defluit. Mons Sion, ex quo anima mundi studia vana contemplatur. Mons Thabor, in quo mens extra se et supra rapta in Dei claritatem transformatur. Ibi enim nubes lucidior, quam in templo Salomonis, cum dedicaretur 2. Par. 5. 14. aut in Thabor. Est enim idem ipse Sol, qui ibi lucebat, et vestibus albis emicabat. Ibi est panis facierum, sed solarium. Matth. 17. 2. *Resplenduit facies eius sicut Sol.* Itaque est ibi Sion, id est, speculatio, specula, sed favorabilis, ex qua tueatur et illuminet.

ARTICULUS II.

Regibus oratio est necessaria, et quidem ex intima corde effusa.

18. Vers. 4. Quid sit sacrificium pingue fieri.

NON populus tantum pro Rege, sed præsertim Rex pro se ac toto populo preces et vota offerebat, v. 4. MEMOR SIT OMNIS SACRIFICII TUI, ET HOLOCAUSTUM TUUM PINGUE FIAT, q. d. Deus memorem se esse ostendat omnium sacrificiorum, quæ nunc offers, et antea sæpius obtulisti: se autem illorum memorem declarabit, si optatam tibi det victoriam. Tunc enim Deus dicitur oblivisci, cum negligit et non iuvat: meminisse, cum bonis cumulat et opem præbet. Est catachresis. Quod autem optat populus holocaustum *pingue* fieri, hoc est gratum et acceptum, sicut solent esse victimæ pingues et selectæ ex toto grege, sicut Abelis sacrificium placuit; est metalepsis: ex antecedenti enim intelligitur consequens: nempe ex pinguedine et excellentia victimæ divina acceptatio. Nota pro *pingue fiat*. Hebr. est, ידשנה *iedascene*, id est primo *incineret*, ut vertit Pagnin. hoc est in cineres redigat, igne scilicet e cælo immisso, sicut fecit in sacrificio Abelis, Aaronis, Abrahami; ac postea in sacrificio Salomonis, Eliæ, Nehemiæ et aliorum. Incinerare itaque ponitur pro gratum et acceptum habere. Est Metalepsis, quia ex consequenti intelligitur antecedens, ideo enim victimas Deus exurit igne cœlitus immisso, quia ei placent.

To iedascene tripliciter expositum.

1\. (Incineret, ut supra.)

2\. Secundo et melius, *iedascene*, pingue faciat, ut vertit Syr. et Muisius: pingue æstimet, ut Vatabl. Nam *descen*, non tantum cinerem, sed etiam pinguedinem significat, ut patet Ps. 42. 6. et 64. 12. Iob. 36. 15. Ierem. 31. 14. et verbum *dascen*, non solum est in cinerem vertere aut verti, sed etiam impinguare aut impinguari: unde sic usurpatur Ps. 22. 5. Frustra discedunt illi hebraizantes a nostro interprete, sed ut quid novi dicant: si dictio aliqua duplicis est significationis, eam usurpant quam noster reliquit, sed sæpe non admodum apte, et sensum implicando et obscuriorem reddendo.

3\. Tertio, *iedascene*, vertit Arabs: *Acceptabit*, rem magis quam vocem attendendo, ut explicui: quia scilicet, quæ pinguia sunt et optima, a Deo acceptantur. Hinc Danielis cap. 3. 39. orabat Azarias in medio fornacis ardentis: *In anima contrita, et spiritu humilitatis* (sic incineratur victima) *suscipiamur, sicut in holocausta arietum* (q. d. sicut suscipis holocausta) *et taurorum, et sicut in* (id est, cum) *millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum* (id est martyrium nostrum, quod est sacrificium mysticum et metaphoricum) *in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi*. Græce est, εκτελεσθω οπισθεν σου, hoc est, perficiatur post te: vel, ut Complut, expleat post te: hoc est, sicut Vatablus explicat, ut plene et usque ad finem et mortem sequamur te. Est hebraismus. Hebræi enim dicunt, ut ambulemus post te: hoc est, ut plene te sequamur, plene tibi obediamus, plene tibi serviamus. Ita Cornel. in Danielem. In igne charitatis et tribulationis te sacrifica Deo, et eris illi acceptus.

19. Sacrificabant omnes populi ante exitum ad bella.

Nota, solebant Hebræi, et pene omnes populi, sacrificare antequam ad bellum pergerent, ut victoriam Deo duce et præside ac protectore obtinerent. De Hebræis habes 1. Reg. 13. 12. ubi ait Saul Rex Samueli indignanti, quod cum non esset Sacerdos, obtulisset sacrificium. *Dixi: nunc descendent Philisthim ad me in Galgala* (iam erant in Machmas) *et faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum*. Peccavit tamen, quod Sacerdotum munus invasisset, quod cum alia occasione Rex Ozias, qui et Azarias dictus est, fecisset, lepra percussus est, 2. Paralip. 26. 19. et quidem in fronte ob temerariam audaciam.

Romanorum ritus.

Romanus Senatus post missos Feciales ad res suas ab hoste repetendas, antequam centuriatis comitiis a populo peteret, utrum bellum esset decernendum, sacrificiis et supplicationibus Deos placabat, eorumque voluntatem exquirebat, ut ait Livius lib. 31. et 36. Post decretum bellum indicebatur etiam supplicatio ad pulvinaria Deorum, et sæpe Ludi vovebantur in hono-

A rem Deorum, si victoria obtineretur, ut docet idem lib. 31. Romæ templum Iani a Consule aperiebatur, ut tradit Servius: ut scilicet eum oraret, ut ducibus et militibus prudentiam bellicam daret, atque ne hostium insidiis interciperentur: sed, sicut ipse, essent bifrontes, et ex omni parte oculati: Bellonam vero bellorum Deam et Martem colebant, ut impetu et robora exercitus valeret, atque hostile agmen perrumperet. Quam pie Reges nostri ante bella ad ædem S. Dionysii processerint, indeque Auriflammam acceperint, dicam sect. ult. Vere S. Anselmus scripsit Henrico Regi Angliæ Epist. 95. *Nulli homini magis expedit, quam Regi se subdere legi Dei*. Vere enim dicit David Ps. 143. 10. *Qui das salutem Regibus, qui redemisti* (S. Hieron. qui eruis) *David servum tuum de gladio maligno*, S. Hieron. pessimo, Chald. a gladio pravo Goliæ. Si vere dicebat Sallustius in bell. Iug. Non exercitus, non thesauri, præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio et fide parantur. Si, inquam hoc recte de amicis hominibus dicebat, quid sentiemus de amicitiæ, sapientiæ, et potentiæ B fonte Deo? Unde Cambyses apud Xenophontem in Cyrop. sapientissima monebat filium suum Cyrum, qui imperium Babyloniis eripuit, et ad Persas transtulit. *Hoc unum præcipue commenda, idque tamquam pretiosum thesaurum a patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio. Dei esto amicus, in eumdem pius, nihilque aggrediaris nisi Dei nomine invocato*. Augustus lege sanxit, ut Senatorum nemo ante consideret, quam thure ac mero apud aram Deo supplicasset. In Scriptura frequentes sunt orationes Principum et Regum, Mosis, Iosue, Gedeonis, Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Iosaphati, et aliorum, qui in suis regnique periculis ad Deum recurrentes adiuti sunt. Gregor. Nyss. lib. de Oratione. *Oratio*, ait, *corporum robur est, abundantia domus, recta legum ac iuris in civitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas*. Egent extrinseco fulcimento Reges et regna: si suis viribus relinquantur, non subsistent: sed instar statuæ aureæ, ar- C genteæ, æreæ, ferreæ Nabuchodonosoris concident, et in suum pulverem resolventur: in eis enim etiam lutum est, nec desunt lapilli, imo rupes integræ, quæ de monte superbiæ alienæ decisæ in eos irruant. Seneca lib. de animi tranquillitate, cap. 11. Quod, inquit, regnum est, cui non sit parata ruina, et proculcatio, et dominus, et carnifex? Nec magnis ista intervallis divisa, sed horæ momentum interest inter solium et aliena genua. Ita ipse. Dic igitur Deo pro Rege tuo: *Et de Sion tueatur te*. Hebr. יסעדך *iesaadcha*, id est, *fulciat te*, ut Felix et Pagnin. *suffulciat te*, ut Syr. et Vatab. veluti subiectis manibus. *Roboret te*, sicut S. Hier. non tantum exterius, sed etiam interius vi affusa. Rad. *sahad*, id est sustentare, fulcire, roborare, vim addere, confortare, consolidare, stabilire.

S. Anselmi præclarum monitum.

Et Cambysis.

Hoc bonus populus pro Rege suo, ut capite debet postulare. Nam, ut verbis S. Antiochi homil. 111. utar, οφειλει ο ποιμην ολος νους και οφθαλμος ειναι, *is, qui præest, debet totus esse mens et oculus*, ita subditus erga Regem suum D debet esse totus cor et manus, ut corde illum amet, et pro eo ad Deum suspiret: manum ad Deum et contra hostes pro illo tuendo et orando elevet. Dixit quidam Græcorum Patrum, Regem magis a subditis honorari, cum pro eo orant, quam cum illum adorant. In Concilio Moguntiaco anno 888. Arnulphi Regis primo, statutum est: *Pro Rege, et eius coniuge prout nos debitores esse cognoscimus, in Ecclesiis nostris assidue celebretur*. Oblato scilicet sanctissimo Missæ sacrificio, quod omnibus sacrificiis Legis veteris prævalet, si vel semel offeratur.

Quæres, Quotuplex erat sacrificium apud Hebræos? 20.
Respond. primo, debere dividi adæquate et immediate in duas species, nempe in sacrificium quod fiebat animalibus immolatis: secundo, in sacrificium quod fiebat ex rebus non animatis, et illud sacrificium vocabatur mincha. Resp. 2. cum S. Thoma 1. 2. qu. 102. art. 3. ad 8. Triplex fuisse sacrificiorum genus, in quibus animalia immolarentur. In uno omnia comburebantur; et dicebatur *holocaustum*, offerebatur Deo specialiter ad reverentiam

Sacrificium Hebr. adæquate divisum.

maiestatis ipsius, et amorem bonitatis eius, et conveniebat perfectionis statui in impletione consiliorum: et ideo totum comburebatur: ut sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat, ita etiam significaretur totum hominem et omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio esse subiecta, et ei esse offerenda. Ita Thomas alludens ad holocausti etymon tam Græcum, quam Hebr. Nam græce dicitur ab ὅλον, id est, totum, et καίω, id est, uro, q. d. totum combustum. Hebr. vero עוֹלָה *holo*, hoc est holocaustum deducitur a verbo עָלָה *halo*, id est, ascendit. Secundum, erat sacrificium pro peccato, quod offerebatur Deo ex necessitate remissionis peccati: et conveniebat statui pœnitentium in satisfactionem peccatorum, quod dividebatur in duas partes. Nam una pars eius comburebatur, altera vero cedebat in usum Sacerdotum, ad significandum, quod expiatio peccatorum fit a Deo per ministerium Sacerdotum: quando autem offerebatur pro peccato populi, vel specialiter pro peccato Sacerdotis, tunc totum comburebatur. Non enim debebant in usum B Sacerdotum venire ea, quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret: et quia hoc non esset satisfactio pro peccato, si enim cederet in usum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur. Tertium denique sacrificium vocabatur hostia pacifica, quæ offerebatur Deo, vel pro gratiarum actione, vel pro salute et prosperitate offerentium ex debito beneficii, vel accipiendi, vel accepti. Et convenit statui proficientium, in impletione mandatorum: et ista dividebantur in tres partes. Nam una pars incendebatur ad honorem Dei, alia pars cedebat in usum Sacerdotum, tertia pars in usum offerentium: ad significandum quod salus hominis procedit a Deo dirigentibus ministris Dei, et cooperantibus ipsis hominibus, qui salvantur.

21. Sacrificium mincha est multiplex.

Respondeo tertio, sacrificium mincha esse multiplex. Nam mincha seu sacrificium panum erat triplex: nempe panum clibano, aut sartagine, aut craticula coctorum. C His enim tribus modis coquitur panis. Deinde erat mincha seu sacrificium ex simila pura et incocto: præterea, ex oleo, vel vino, vel thure, vel spicis virentibus, aut aliis: qua de re dixi alias explicatius. Et hoc erat sacrificium minus: tum ut pauperes facilius Deum aliquo sacrificio possent venerari: tum ut non tantum animalia, sed etiam fruges terræ Deo offerentur, et consecrarentur, velut supremo rerum omnium Domino: tum denique, ut Sacerdotibus cibus non deesset. Magna enim pars illius sacrificii in eorum usum cedebat, alia in honorem Dei comburebatur.

Omnia sacrificia hoc loco David complectitur.

Nota primo, Hæc omnia sacrificia hoc loco a Davide comprehendi. Ac primo, sacrificium mincha sive minha. *Memor sit omnis sacrificii tui*. Hebr. מִנְחוֹת *minhoth*, sive *minchoth*, id est munerum, ut Felix, Arias, Vatablus, et Syr. vertunt: sacrificiorum, ut Pagn. et Arabs. Nam mincha erat verum sacrificium distinctum ab aliis oblationibus primitiarum, et aliarum rerum. Secundo, tri- D plex sacrificium animalium, nempe holocaustum, sacrificium pro peccato, et sacrificium pacificum, seu hostia pacifica, per Synecdochen sub specie excellentissima, nempe sub holocausto continetur. *Et holocaustum tuum pingue fiat*.

22. In sacrificiis Iudæi fuerunt magnificentissimi.

Nota secundo, Iudæos præ cæteris nationibus fuisse magnificentissimos in suis sacrificiis. Iosephus lib. 7. antiquitat. cap. 11. refert Davidem nostrum in coronatione filii sui Salomonis in Regem, obtulisse in holocaustum vitulos mille, arietes mille, et mille agnos. Ad pacifica quoque sacrificia multis millibus victimarum mactatis.

David, Iosias

De Iosia pio Iudææ Rege dicitur 2. Paral. 35. v. 7. Dedit Iosias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase (id est, Paschatis) agnos et hædos de gregibus, et reliqui pecoris *triginta millia*, boum quoque *tria millia*: hæc de Regia universa substantia. Sed nihil ma-

Salomon Pagani vero parci.

gnificentiæ Salomonis est comparandum, qui prius in dedicatione templi Ierosolymitani mactari præcepit hostias pacificas, quas immolavit Domino, *Boum viginti duo mil-* A *lia, et ovium centum viginti millia*. Quid simile apud Ethnicos? Si unum Xerxem excipias qui movens in Græcos

Xerxis liberalitas.

Pergami mille boves Minervæ Iliadi immolavit, teste Herodoto lib. 7. nihil admodum magnificum reperio in sacrificatione veterum illorum. Romani in suis ædibus extruendis et ornandis, in aquæ ductibus, et cloacis ipsis, in theatris aliisque exædificandis erant sumptuosissimi,

Hecatombe.

in sacrificiis suis parcissimi. Hecatombe tantum speciem aliquam maiorem exhibebat: in ea centum aris e cæspite extructis boves centum, oves totidem, ac sues iugulabantur. Si rem divinam faceret Imperator, Leones centeni,

In ludis vero prodigi.

Aquilæ pari numero, aut id generis animalia offerebantur. Sed quid sunt hæc, si cum ludorum aliarumque rerum sumptibus conferantur? Centum iubatorum Leonum pugnam primus omnium L. Sylla, qui postea Dictator fuit in prætura ostendit populo, ut ait Plinius lib. 8. cap. 16. Post eum Pompeius Magnus in Circo Leones quadringentos, in iis iubatorum trecentos viginti quinque, Cæsar Dictator quadringentos exhibuit.

Et in epulis.

Illa Romanorum parcitas in sacrificiis, et effusio in aliis sumptibus, patet in triumphantibus: qui, cum unum paucosve tauros Iovi in Capitolio immolarent, epulum deinde magnificentissimum populo dabant. Hoc autem

Cæsaris epulum sumptuosum.

ea magnificentia fiebat, ut victa Africa Cæsar, uno die *duobus et viginti in millibus tricliniorum* instructis paratisque mensis epulum regali magnificentia, ac vini falerni amphoras centum, et Chii cados centum populo dedisse feratur, in eaque cœna unica sex murænarum mil-

Tiberii. Et aliorum.

lia exhibuisse. Tiberius quoque mille mensis prandium paravit: Sacrificabant ventri scilicet, Deum alium ignorabant aut contemnebant. Mitto mensas Apicii, Caligulæ, Vitellii et aliorum, etiam sine triumpho aut festivitate publica, de quibus vide Sveton. et Senecam. Aræ omnes apud illos erant frigidæ, solus aqualiculus bulliebat et venter.

23. Tropol. Anima se offerat Deo in sacrificium.

Tropologice. Anima se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, et sicut fini suæ beatificationis. Ita S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 2. sicut dicitur Psal. 50. 18. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Tert. de Ieiun. cap. 3. animam conquassatam cibi angustiis vocat sacrificium. Et lib. contra Iudæos cap. 5. ait, cor contribulatum esse hostiam Dei. Vide dicta Ps. 4. 6. *Sacrificate sacrificium* (Hebr. *sacrificia*: omnium enim virtutum actus sunt veluti quoddam sacrificium, ut ibi dixi) *iustitiæ, et sperate in Domino*. Græce ἐπὶ κύριον, in Dominum.

Et præsertim in holocaustum.

Secundo, Holocaustum Deo exhibet, qui sibi nihil reservat, sed omnia in flamma charitatis offert. Hoc faciunt primo Martyres, secundo Religiosi. De Martyribus habes Azariam in medio fornacis orantem Danielis 3. 40. *Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi*. S. Getulius Martyr in tormentis

S. Getulius se Deo offert in hostiam.

D dicebat: *Gratias ago Deo et Iesu Christo, eique meipsum sacrificium mundum offero*: eiusque uxor Symphorosa, cum ei diceret Adrianus Imperator: Aut sacrifica diis,

Et sancta Symphorosa.

aut te cum filiis sacrificari faciam, respondit: *Unde mihi tantum boni, ut merear cum filiis offerri hostia Deo?* Nonne præclarum erat holocaustum, in quo pater, mater, et septem filii offerebantur? Vide Baronium t. 7. ann. 522. pag. 91. ubi agit de nobili Martyre cum duabus filiabus sub Dunaan passa, et Nicephor. lib. 7. cap. 6. de Martyribus loquentem, qui sub Diocletiano in die Nativ. Christi sunt combusti Nicomediæ. De Religiosis vero omnia pro Christo relinquentibus, et cum Petro dicentibus Matthæi 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*, ait S. Gregor. lib. 1. in Ezech. hom. 12. *Sunt multo bona, quæ offeruntur sacrificio, sed holocaustum non sunt: quia totam mentem in amore spiritali minime incendunt. Qui enim sic operantur ea, quæ Dei sunt, ut tamen ea, quæ sunt sæculi, non relinquant, nimirum sacrificium et non holocaustum offerunt. Qui autem cuncta, quæ mundi sunt, deserunt, et totam mentem igne divini amoris incendunt*,

hi nimirum omnipotenti Domino sacrificium et holocaustum fiunt.

24. Holocaustum animæ fit pingue dupliciter. 1. Per devotionem interiorem. Tertio, Holocaustum fit pingue, primo per interiorem devotionem. David Psal. 62. 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* (Chald. saturabis animam meam in lege) *et labiis exultationis laudabit os meum.* S. Bern. serm. 43. in Cant. fervorem devotionis vocat *animæ linguam.* Mel et lac sunt sub lingua, Deum cum filiali amore et pietate laudantis. Sermone autem primo de Nativitate ait, in nostro versiculo nihil aliud intelligi, nisi ut bona opera fervore devotionis, et dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Et S. Ambr. lib. 2. de Abel, cap. 5. Hoc inquit, acceptabile est sacrificium, quod pingue, quod nitidum, et quodam pabulo fidei ac devotionis, verbique cælestis uberiore alimonia saginatum est. S. Greg. lib. 6. in 1. Regum cap. 15. *Quid est adeps arietum, nisi pinguis et interna devotio electaris? Adipem ergo affert, qui in studio secretæ conversationis, devotæ orationis affectum habet.* Et homil. 20. in Ezech. lacrymis devotionis ait pingue esse holocaustum nostrum. *Holocaustum siccum, ait, est bonum opus, quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum vero pingue, quando hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lacrymas irrigatur. Unde rursus dicitur, Holocausta medullata offeram tibi.* De secundo, nempe de virtutum ferventi operatione, habes Eccli. 35. v. 8. *Oblatio iusti impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi.* Syr. vertit, Oblationes iustorum oratio oris eorum, et opera eorum cælum effodiunt. Magis ad rem nostram Tigur. Aram pinguefacit immolatio iusti, et odor eius Deo suavis est. Ubi adverte τo, Immolatio iusti, potest sumi transitive, id est, id quod iustus immolat: vel intransitive, id est, ipse iustus qui se et sua opera Deo sacrificat. Remig. Altiss. in Ps. 62. Adeps, inquit, est pinguedo illa, quæ interiora amplectitur: pinguedo, obesitas et erassitudo circa cutem. *Repleatur ergo anima mea adipe, id est sapientia, qua careret anima sicca est et macra: et sic pinguedine repleatur id est, operatione sanctarum virtutum.* S. Cyprianus sermone de Eleem. Præclara, inquit, et divina res salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati.

2. Per virtutum frequentem operationem.

25. Vers. 5. 1. Pars. Populus deinde declarat, in quo consistat pinguedo sacrificii Davidici, nempe in charitate et prudentia, v. 5. TRIBUAT TIBI SECUNDUM COR TUUM, ET OMNE CONSILIUM TUUM CONFIRMET. Duplex enim sensus esse potest. Primo, q. d. Deus det tibi victoriam perfectam, sicut ex toto corde et affectu illi supplex factus es. Secundo et magis ad literam, sensus est, q. d. Deus det tibi victoriam, quæ est finis desideriorum tuorum, et confirmet consilium omne ac media parata ad perveniendum ad illum finem. Nam Proverb. 10. v. 24. dicitur, *Desiderium suum iustis dabitur.* Et Psal. 36. v. 4. *Delectare* (Græce, κατατρύφησον, id est, delicare. Hebr. התענג hithannegh, id est, oblecta teipsum. Est enim in Hitpael) *in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui,* q. d. gaudebis et in medio et in fine. Si diceretur, labore in Domino, et dabit tibi quod petis, hoc facere deberes: dicit vero, delectare, et dabo tibi postulata antequam ad os veniant, quis tam suavem Dominum fugiet?

Deus vult sibi cor in victimam offerri. Variæ victimæ variis diis oblatæ, et quales. Tropolog. Deus intuetur et deposcit sibi cor victimæ, imo cor sibi vult dari in victimam. Fingant itaque veteres Iovem suum placari ariete, aliisque victimis, Neptunum et Plutonem tauro, Apollinem capra, Bacchum hirco, Æsculapium gallina, Herculem sue, Solem equo, Faunos agna vel hædo, Priapum asino, Iunonem agna, Minervam capra, Dianam cerva, Cererem porca, Cybelen gallo, Venerem columba, Isidem ansere, Proserpinam iuvence. Offerent Persæ equum Marti, Carmani asinum, Lusitani hircum, Latini picum, Sabelli taurum, Galli verrem, Phaselitæ pisces salsos, Lacedæmonii canem. Cor hominis sibi reservat rationis et vitæ compos Deus, hanc sibi vult offerri singularem et egregiam victimam, Ps. 23. v. 26. *Præbe fili cor tuum mihi;* Ps. 61. v. 9. *Effundite coram illo corda vestra.* Ex superficie enim sola homines iudicant, Deus vero intima et penitissima rimatur, et cor abstrussimum scrutatur ac renes. Unde S. Bernardus in Cant. ait: *Apud homines cor ex verbis. Apud Deum vero, verba pensantur ex corde.*

Hinc Sancti ex cordis sacrario, velut ex adyto preces suas oriri volunt, et da se id Propheta noster testatum voluit, Ps. 18. v. 145. *Clamavi in toto corde meo,* (non tantum ex corde, sed etiam in corde) *exaudi me Domine,* q. d. id quodammodo meo iure deposco, cum clamem in corde, quia voces cordis nostri ad cor Dei penetrant. Et Ps. 129. v. 1. *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Quem locum penetrans S. Chrysostom. hoc de clamore profundi cordis explicat in hunc modum: *Non dixit solum ex ore, neque solum ex lingua (nam errante etiam mente verba funduntur) sed ex corde profundissimo, cum magna studio et magna animi alacritate, ex ipsius mentis penetralibus.* Eiusmodi orationes, velut ignita tela, in fornace cordis excocta et flammata, in cælum evolant, et Dei cor ipsum permeant, emolliunt atque incendunt. Eo altius et velocius sese extollunt, quo ex profundiori et humiliori corde prodeunt. Addit idem S. Pater. Αἱ τοιαῦται εὐχαὶ πολλὴν ἔχουσι δύναμιν, ᾧ περιτρεπομέναι, οὐδὲ σαλευομέναι. *Tales preces magnam habent potentiam, ut quæ neque subvertantur, neque concutiantur: etsi eas Diabolus magno impetu invadat.* Arbores sunt paradisi, quæ in humilitate radices altas agunt et se ad terræ infima deiiciunt, ut ramos inconcussos usque ad cælum erigant, ac fructus suos Dei throno sistant.

Finem optatum Regi suo contingere petiit populus, cum ait: Tribuat tibi secundum cor tuum. Nunc postulat omnia etiam media prospere succedere, et ab hoste non interturbari, v. eod. 5. ET OMNE CONSILIUM TUUM CONFIRMET, id est primo, stabiliat, firmet, immobile et inconcussum faciat, ut non fluctues et vacilles in eo consilio, quod debes capere, sed clare videas, quod sit utile medium ad victoriam obtinendam. Secundo, consilium confirmet, id est, in executione capti consilii te hostibus tuis fortiorem faciat, ut ea media, quæ assumes, non possint interturbare et debilitare, sed ea semper in suo robore et vigore conservet. Tertio, consilium tuum confirmet, q. d. exitu felici totius victoriæ ostendat bonum fuisse illud consilium, quod cepisti: vel, impleat ac perficiat. Hebr. ימלא iemalle, id est, impleat, ut vertit S. Hier. et Felix, perficiat, ut Syrus et Arabs. Æternum præsenti numine firmet, ut Mag. Nota consilium propria est inquisitio eorum tantum, quæ sunt ad finem operabilium a nobis, non minimorum, nec determinatorum, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 14. quæ tota est de consilio et 2. 2. quæst. 33. art. 1. ad 2. Itaque consilium est actus intellectus. S. Hieron. tamen late sumit, et vertit, *omnem voluntatem tuam impleat.* Sumens scilicet consilium pro intentione mentis, quæ proprie est actus voluntatis, secundum quod in ea est vis intellectus ordinantis, 1. 2. quæst. 12. artic. 1. et 2. 2. quæst. 98. artic. 1. Sed hæc est impropria consilii acceptio. Sicut contra, quod habemus, tribuat tibi secundum *cor* tuum; Chald. vertit, *secundum rationak, rationem, seu cogitationem tuam.* Sed hære nostro Interpreti. 26. Vers. 5. 2. Pars. Consilium quid sit.

27. Consilium maxime necessarium regibus. Moraliter nota. Hoc maxime necessarium est regibus, ut consilio, tamquam prævio face, actiones regant, ne in tenebris aberrent, et gubernaculum, quo ad gemmas aureasque gazas felici cursu sine regni sui naufragio navem perducant: quo si destituantur, in cautes obvias se suosque effundunt. Unde sapienter Paulus Æmilius lib. 9. histor. Franc. ait: *Providentia Regum, fide populorum, salus dignitasque Regnorum constat.* Dei autem ope ad hoc maxime egent Reges, ut bonum consilium sibi sumant. Nam, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 5. artic. 1. ad 1. item 3. quæst. 14. artic. 6. Ad bonitatem consilii tria requiruntur: scilicet debitus finis, bonum medium, et tempus op-

portunum. Dei autem est ista dare. Danielis 2. 21. *Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda* (supernaturalia, et alta mysteria fidei) *et abscondita* (cordium cogitationes et affectiones) *et novit in tenebris constituta* (futura contingentia) *et lux cum eo est*, ut qui eum sequitur, in tenebris ambulare non possit, est fons lucis. Dicit sapientia increata, Proverb. 8. vers. 14. *Meum est consilium.* Itaque dat, cui vult.

Regum deliberationes facile mutantur. Nota secundo, ubi cælo allapsam sapientiam, velut diadematis aut annuli pretiosissimam gemmam, Reges habuerint, enitendum est ut firma et stabilis sit. Fluxibiles enim ut plurimum, ut incertæ sunt ac lubricæ cogitationes mortalium, præsertim Regum ac principum, quæ cum nullo fune alligentur, sed ad nutum liberæ ferantur, ventorum flatibus maxime obiacent. Sallustius in bell. Iugurth. *Plerumque*, ait, *Regiæ voluntates, ut vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi adversæ.* Ac de omnibus Seneca ad Lucilium. *Fluctuamus*, inquit, *inter varia consilia, nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper.* Deus unus firmus perstat, ac perstare facit: huic se Reges applicent, præsertim tempore tempestatis, ut anchoræ Delphinus, ne undante fluctu rapiantur. Hoc præceptum dat sapientissimus Synes. in oratione de Calvitio. *Retine*, ait, *quod aiunt, cor in anchorali fune, sicut Ulysses ad pellacium meretricum perversitatem inconcussus stetit.*

ARTICULUS III.

Populi amor erga Regem suum, et de eius salute lætitia.

28. POSTQUAM populus ostendit Dei ad opem ferendam benevolentiam, qui aures attentas habeat ad preces percipiendas, manus paratas ad opem ferendam, vocem ad sufficiendas bellanti novas copias, oculos ad videnda pericula, memoriam, ne excidat cura de ferendo auxilio. Postquam deinde Regis ipsius Davidis pietatem erga Deum in offerendis sacrificiis, et fundendis precibus, ac prudentiam in humanis mediis comparandis exposuit: Tandem veluti de victoria securus profitetur se in triumpho Regis exultaturum, et Deo omnem victoriæ gloriam

Vers. 6 daturum, v. 6. LÆTABIMUR IN SALUTARI TUO. ET IN NOMINE DEI NOSTRI MAGNIFICABIMUR. Nota, pro *lætabimur* Hebraice habetur נרננה *nerannena*, id est laudabimur, ut vertit S. Hieron. et Syr. Secundo, exultabimus, ut Pagninus et Petavius. Tertio, ovabimus, ut Vatablus et Arias; erat ovatio triumphus minor. Hebraice *ranan*, est clamare cum vocis contentione, vociferatione lætitiam suam internam testari, exultare cum clamore, elata voce concinere. Hoc autem fit maxime a militibus in victoria et triumpho, in quo canuntur hymni in honorem triumphantis, quod fecisse etiam Hebræos constat, cum victo Goliath acclamatum est a mulieribus cantantibus et choros ducentibus in tympanis lætitiæ et in sistris, 1. Regum 18. v. 7. *Percussit Saul mille, et David decem millia.* Sic Moses, Debora, Iudith, et alii fecere Cantica ad laudem Dei, post hostes eius prostratos. Vopiscus in Aureliano refert ex Theoclio, Aurelianum Imperatorem suamet manu Sarmatas 48. interfecisse, et diversis diebus ultra nongentos et quinquaginta; unde illi acclamatum est a pueris die festo cum salutantibus militariter: *Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus: unus homo mille, mille, mille decollavit. Decollavimus mille, mille, mille. Vivat, qui mille, mille occidit: tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.* Cum idem Aurelianus Imperator, ut tradit etiam Vopiscus, apud Moguntiacum tribunus legionis sextæ Francos per Galliam vagantes valde afflixisset, iterum de eo facta est cantilena. *Mille Francos, mille Sarmatas occidimus. Mille, mille, mille, mille, mille Persas quærimus.* De triumpho et triumphantium gaudio agam Psal. 67. ubi sermo est de ascensione Christi in cælum post subactos hostes tartareos.

Triumphi lætitia.

Acclamationes factæ triumphanti Aureliano.

Versum vero nostrum sic paraphrastice exponit Magnetius:

Cumque bonas meliora preces eventa sequentur,
Et tua victrici redimitus tempora lauro,
Hostibus edomitis, felicia regna revises,
Tum reduci et salvo lætum pæana canemus.

Nota secundo, pro *salutari*, Hebraice est ישועה *iesciua*, id est, salus. Itaque lætabimur in salutari tuo, id est, ob salutem, conservationem, incolumitatem et felicitatem tuam ac victoriam, quod e mortis periculo et acici pulvere, velut Sol novus ex Oceano vel densa nube egrediens urbem tuam salvus et incolumis ac laureatus ingrediaris: tot stellarum quot principum, ducum ac militum cinctus choro. Noster autem, *Iesciua*, vertit, *salutare*, quod Græce sit σωτήριον, unde possis etiam reddere, *in salvatore tuo*, Hebræi enim sæpe abstracta sumunt pro concretis, sic Lucas in Cantico Simeonis Christum vocat σωτήριον, id est, salutare, Salvatorem. Et Paulus Roman. 3. 25. eum nuncupat, ἱλαστήριον, id est, propitiatorium, hoc est, propitiatorem.

Nota tertio, pro *magnificabimur*, Hebraice nunc est נדגל *nidgol*, id est, vexillum erigemus, ut Felix vertit. Vexillum elevabimus, ut Arias et Pagninus. Secundo, triumphabimus, ut Muisius. Signa triumphantes erigemus, ut Vatablus. Tertio, ducemus choros, ut S. Hieronymus. Proprie דגל *deghel*, est vexillum, *dagal*, vexillum erigere: quia autem id fiebat in triumpho, et chori agebantur: ideo ad illa traducitur. Septuaginta legerunt *nigdol*, a Rad. גדל *gadal*, magnificavit, magnus fuit, ideo verterunt μεγαλυνθησόμεθα, id est, magnificabimur, ut vertit noster; extollemur, ut Syr. expressius et significantius Petavius vertit γαυρῶντες, id est, exultantes cum gloriatione. Nonnulli etiam *deghel*, id est, vexillum, dictum volunt per metathesim a *gadal*, id est, magnus fuit, q. d. magnum signum militare. De inscriptione nominis in vexillis dixi artic. 1. Fortasse Septuag. verterunt, magnificabimur. Sicut nes, vexillum vertunt *exaltatio*, Exodi 17. v. 15.

Tropolog. Posuit David *salutare* pro salute, quam servat illi Deus, quem in die tribulationis exaudit, qua fiet exultatio in salute. Et in nomine Domini magnificabimur, dum alii in mundanis rebus oblectantur. Ita Didymus in Catena Græca, ubi etiam notat *To magnificabimur* denotare progressum in bono: non enim dicit, magni sumus. Isaac pariter crescens maior factus est, in regione Philisthinorum subiecta Regi Abimelech, quæ erat figura huius vitæ, ubi homines sunt Philisthæi, id est, *cinere conspersi*, terræ inhiantes, ut ea sese obvolventes, et aggravantes contra se densum lutum, ut ait Habacuc 2. 6. Ibi *Isaac*, id est, *risus*, homo scilicet iustus, qui lætatur in salutari, id est, Christo suo et eius gratia, magnificatur in nomine, id est, auctoritate et potestate Dei sui, qui se totum in eius usum exhibet, et quem possidet. Genes. 26. 13. *Et locupletatus est homo* (Isaac) *et ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.* Magnificatur aliquis, ait Didymus, in nomine Domini, cum ea præstat, quæ ad sincerum et perfectum servum pertinent. Ita ipse. Servire enim Deo regnare est. Item, magnificatur in nomine Domini, qui illo insignitur et notatur, ut ovis charactere sui pastoris, et miles nomine sui ducis, et dux nomine imperatoris et regis, quod fert in fronte aut vestibus, ut amoris mutui signum.

Allegorice, sic Ugo Cardinalis exponit in persona Ecclesiæ, q. d. o Deus Pater lætabimur in salutari tuo, id est, in Christo, de quo Lucæ 2. v. 30. ait Simeon tenens in ulnis Christum: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Vel secundo, quasi ad Christum ipsum loqueretur. Lætabimur in salutari tuo, q. d. in te salvato, vel in salute facta per te gentibus Isaiæ 35. v. 10. *Redempti a Domino convertentur* (scilicet gentiles) *et venient in Sion* (id est, in Ecclesiam) *cum laude et lætitia sempiterna super capita eorum*, id est, super Christum, qui est caput Ecclesiæ. Ephes. 1. 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* 29.

Allegorice.

Et in nomine Domini Dei nostri, id est, Christi magnificabimur. Hoc nomen est, de quo Angelus Lucæ 1. v. 31. *Vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus.* Actoc. 4. 12. *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in qua oporteat nos salvos fieri.* Hoc est nomeu, quod est supee omne nomen. Philipp. 2. 9. In hac nomine magnificabimur, quia magnum est vocari Christianum et esse. Unde Isaiæ 62. 2. *Vocabitur tibi nomen nocum, quod os Domini nominavit*, scilicet, ad honorem et utilitatem tuam. Hinc Christiani adeo nomine Christiano gloriabantur, ut sæpe nihil alud tyrannis responderent, quam hæc verba: Sum Christianus. Vel, *magnificabimur*, id est, magnifici, seu magna facientes efficiemur in nomine isto. Vide Ps. 8. sect. 1.

30. Anagogice.

Anagogice, lætabimur in salutari tuo, id est, in salute tua, cum salvati erimus ex hoc mundo nequam, ubi sunt infiniti laquei, quibus irretimur, et hostes a quibus captivamur. Ibi in nomine Dei nostri magnificabimur, eius principes effecti, et sedentes in thranis eburneis aut sapphirinis habebimus coronas aureas in capitibus et palmas in manibus pro signo victariæ, triumphi et regni. Ibi glaria Christi, ut Solis, redundat in amnes ei circumpositos. S. Petrus Damiani serm. 1. de Nativitate beatæ Virginis considerat Christum in typo Salomonis. *Filius regis et rex*, inquit, *nec solum Filius Dei, sed etiam Deus; Saloman, id est, pacificus, est nobis in hac exilio: Ecclesiastes, id est, concionator, erit in iudicio: Idida, id est gloriosus, erit in regno. In exilio amabilis, in indicio terribilis, in regno admirabilis. In exilio pius, in iudicio iustus, in regno gloriosus. Vide autem si non ubique rex: in exilio rector morum, in iudicio discretor meritorum, in regno præmiarum distributor; simulque considero, quia nan Ecclesiastes, non Idida, sed Salamon tam gloriosum opus facere prænotatur.* Contra vero, omnia quæ in divitiis, deliciis et honoribus speramus et quærimus, vana sunt et vanitas vanitatum, id est, vanissima, inania, vacua, medulla et succo carentia: servos suos evacuantia, exinanientia, consumentia, Ps. 77. 38. *Defecerunt in vanitate* (intra vanitatem, et per vanitatem, et cum vanitate) *dies eorum.* Chald. vertit. *Consumpti sunt dies vitæ vestræ, tamquam vapor oris in hyeme.* Ps. 89. 4. *Substantia mea tamquam nihilum ante te.* Si vis esse magnus coram Domino, ut Ioannes Baptista Lucæ 1. 15. ibi est vera magnitudo, coram Altissimo, et in excelso cælorum habitaculo, ubi cum Ioanne Evangelista elevaberis in montem magnum et altum. Apoc. 21. 10.

31. Reges sunt capita populorum. Hinc Deus indidit omnibus populis amorem erga reges suos.

Moraliter nota. Amor papuli erga reges suos inditus est a natura, sicut amor membrorum erga caput suum. Reges enim sunt capita Reipublicæ et regni. Primo ob eminentiam dignitatis. Secundo, ob perfectionem. Tertio, ob influxum gubernationis. Hinc sicut pro tuitione capitis, manus, brachium, ac cætera membra se suaque exponunt gladiis, hastis, omnibus periculis; ita et subditi pro rege suo, ut videre est in omnibus mundi regionibus. Asiam, Africam, Europam breviter decurramus.

1. In Asia etiam apud Tartaros.

Primo, Asia Tartaros ostentat ultra montem Imaum. Horum Imperator, ut docet Magnus cap. 38. Georg. adeo potens est, nulli ut alteri Asiæ principi cedat: hunc Turcæ Ulucam nominant, id est, magnum Principem, et a Moscis vocatur Czar Cataicki, id est Cæsar Catayæ, cuius nomen auro inscriptum supra tabulam rubeam in præcipuarum urbium templis reponunt, vocantes eum *filium Dei, et animam Dei*, atque eius verba pro lege habentur. Hinc Imperator satellitio maximo stipatur ac custoditur. Nam habet in sui tutelam *duodecim millia Tartarorum*, quos Quisitam, id est, fideles, vocant: et prætee hos habet exercitus dispersos in vicinis provinciis, ut erant Romanæ legiones. Omnes illi Imperatores sepeliuntur in

Crudelitas in eorum funere.

monte Altay, qui secundum Haytanem Armenum est mons Belgiani, etsi remotis in partibus moriantur. Cum vero corpus ad inhumandum defertur, satellites, qui funus comitantur, quotquot in via inveniunt, occidunt, dicentes eis: *Ite, et Domino nostro regi servite in alio vita.* Unde testatur Marcus Palus, cum Mongo Cham (qui tum obierat, cum regionem illam peragraret) ad montem illum deferretur inhumandus, milites funus comitantes, circiter decem hominum millia ea occasione interfecisse.

32. II. In Africa apud Æthiopes.

Secunda, In Africa eo amore erga reges suos olim ardebant Æthiopes, ut, si regi abscissum aliquod membrum fuisset, idem paterentur domestici, et cum ipso etiam mortem, sicut tradit Alexander Sardus lib. 2. de moribus et ritibus gentium. In Ægypto autem, non modo sacerdotum collegia, sed universa natio, et singuli, *non tam de uxoribus liberisque, et bonis suis privatis, quam de regum incolumitate solliciti erant.* Ideaque post mortem regis omnes per universam provinciam luctu communi suscepto, lacerare vestes, sacras ædes claudere, sacrificia inhibere, nec festa celebrare per octoginta dies solebant: capitibus autem luto conspersis, sindone infra mamamas succincti, viri paritee et fœminæ, ad ducenos aut trecenos circuibant, bisque in die defuncti laudes lugubri carmine concinne modulantes, virtutem eius quasi ab inferis revocabant. Interim neque carnibus, neque frumentis vesci, et a vino omnique lautitie abstinere, nec uti balneis, aut unguentis, aut lectorum stragulis, ut nec ad res venereas se conferre quisquam vel voluerit, vel ausus fuerit. Sed veluti defuncta sabole charissima, sceia quisque mœrore correptus dies illos luctui impendit, ut tradit Diodor. Sicul. lib. 1.

Et Ægyptios.

Luctus in morte regum Ægypti.

Tertio, Europa non cedit aliis orbis partibus, in hoc erga Reges suos affectu. Lacedæmoniorum quidem, ut ait Herodotus lib. 6. defuncto Rege, equites per universam Laconicam, obitum eius nunciant: feminæ per urbem circumeuntes ollas pulsitant: cumque hoc fit, necesse est ex singulis domibus duos ingenuos, marem et fœminam, luctu fœdari, magnis pœnis (nisi hoc faxint) impositis. Idem ritus est in plerisque Asianis regionibus. Ac paulo post subdit idem auctor: ad funus postquam multa millia in unum coacta sunt, *promiscue cum mulieribus frontes suas intrepide pungunt:* et ululatu immenso utuntur, ultimum quemque regum dicentes semper optimum fuisse.

Germanis eumdem animum extitisse tradit Cornelius Tacitus lib. de eorum moribus. Iam vero, inquit, infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ eius assignare, præcipuum sacramentum est. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.

Amorem illum sincerum erga Reges suos præ cæteris orbis regionibus sibi Francia nostra vindicat: eorum enim ad nutum in præsentissima pericula omnes, præsertim nobiles, alacres involant: ac vicissim Rex summa facilitate cum illis agit, ut pater cum amantissimis liberis, et colloquio illos familiari dignatur, prætee morem multarum nationum. Olim inter Sotianos Gallorum populos sexcenti cum Rege eadem mensa et vestibus eiusdem coloris utebantur. Cum eo mortem se oppetituros vovebant, seu violenta seu naturali morte extingueretur: neque ullus repertus est, qui votum violaret: unde dicti sunt Siloduni, quod idiomate prisco Gallorum, voti executores sonat. Ita ex Athenæo refert Scipio du Pleix in Commentario de rebus Gallicis lib. 1. cap. 17.

Ad rem nostram aptius, amor Iudæorum erga Davidem declaratur lib. 2. Reg. 18. v. 3. cum volentem progredi in aciem, ut rebellem Absalonem ad mentem revocaret, impedivit populus his verbis. *Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit de nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio.* Et cap. 21. 17. cum pene interfectus esset David a Ieshibenob gigante, iuraveruut viri, id est, duces ac principes et domestici eius. *Iam non egredieris nobiscum ad bellum, ne extinguas lucernam Israel*, q. d. si moreris, sumus in tenebris, et in umbra mortis; tu lux nostra, vita et felicitas es, sine te de nobis actum est. Igitur et nos, si necesse sit, pro Regibus nostris millies vitam profundamus, et in iis imaginem Dei veneremur micantioribus radiis effulgentem. De oratione populi pro Rege dicam artic. ult. sect. sequentis.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

33. *Tria continet. Primo, Davidi Regi adfuturum Dei auxilium, vers. 7. Secundo, hostes eius perituros, vers. 8. Tertio, Populi orationem pro ipso Davide, vers. ult.*

PARAPHRASIS.

7. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.*	7. Quicquid a Deo postulasti, o David Rex noster, hoc felicem exitum sortiatur. Nunc enim video te gratum ac acceptum esse ipsi, cum ex lapidibus pretiosis in Ephod et in rationali positis splendor emicuerit, unde certo præsagio cognosco te potenti Dei manu salvum ex huius belli discrimine evasurum.
Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.	Neque ullus astantium timore percellatur: Regem enim sibi charissimum, non in templo solum media inter sacrificia, sed in ipso conflictu medios inter hostes, e cælo velut a sacro palatio, in quo sedem fixit, exaudiet. Summa potentia salutem concedet, hostesque licet numerosos atteret.
8. *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.*	8. Quidam enim ex ipsis, in curruum militarium multitudine, quidam in equitum numero ac robore spem suam collocant: nobis autem unicum asylum est divinæ potentiæ invocatio, quæ nec nobis hactenus, nec maioribus nostris defuit.
9. *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: nos autem surreximus, et erecti sumus.*	9. Qui in curribus confidebant, curruum suorum rotis ac vinculis impediti illigatique sunt: qui vero in equis sublimes peditatum nostrum contemnebant, ceciderunt. Nos autem de eorum curribus et equis triumphum Dei ope reportabimus.
10. *Domine salvum fac Regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*	10. Domine, qui nos ab hoc hostium incursu liberasti, salvum fac ubique Regem nostrum, et pro illo fusas diebus singulis preces exaudi.

QUÆSTIO UNICA.

Quam studiose sacro unguento consecratum Regem Davidem Deus adiuverit.

34. Ordo Sectionis. Populus proponit suam petitionem: nempe ut oratio Davidis totaliter exaudiatur, v. 7. *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Rationem triplicem affert.

Primo quidem, quia David est oleo sacro inunctus. *Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum;* ideoque dignus sit, ut audiatur. *Exaudiet illum de cælo sancto suo.* Et manu iuvetur periclitans. *In potentatibus salus dexteræ eius.*

Secundo, quia hostes eius sunt arrogantes, qui in exercitus sui robore confidunt, v. 8. *Hi in curribus et hi in equis:* cum David in Deo solo confidat. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus:* ideo profligabuntur, v. 9. *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt.* David vero cum suis servabitur, et triumphabit. *Nos autem surreximus, et erecti sumus.*

Tertio, Populi oratio incitare potest ad opem ferendam, totus autem populus pro Rege est supplex Deo, v. 10. *Domine salvum fac Regem, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*

ARTICULUS I.

Quo oleo et ritu Reges Iudææ ungebantur, et quam ob causam.

35. Vers. 7. 1. Pars. David ter unctus in Regem. Sectione præcedenti petierat populus Regem exaudiri in die tribulationis, nunc generatim petit impleri omnes petitiones eius, et hoc eventurum præsagit, v. 7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi (S. Hieron. scio) quoniam (quod) salvum fecit Dominus Christum suum; id est, Regem suo iussu unctum. Primo, a Samuele Propheta in domo patris sui Isai unctus est David, et illa unctione fuit tantum Rex designatus, ut post mortem Saulis regnaret, sicut alias ostendi. Secundo, fuit unctus in Hebron, eum mortuo Rege Saule a tribu Iuda acceptatus est in Regem. Tertio, fuit etiam unctus David, cum occiso Isboseth filio Saulis, qui per septennium cæteras tribus rexerat, electus est,

A ut præesset omnibus tribubus populi Dei. Allegor. De Christo et eius unctione vide Ps. 44.

Quæres primo. Unde cognoverat populus, fore ut salvus fieret Rex David in eo bello? Respondet primo Lorinus, significare Davidem sibi factam esse novam revelationem, vel spei ac fiduciæ novum quemdam impulsum actumque declarare. Verum ibi non loquitur David, ut patet, sed populus. Respondeo itaque secundo, probabilius videri non denotari revelationem factam Davidi, sed potius Pontifici induto Ephod. Sic enim vestitus reddebat oracula, vel viso splendore e gemmis emicante, ut ait Iosephus; vel divinitus afflatus. De ea re memini me alio loco fusius dicere. 36.

Quæres secundo. Quo oleo solita fieri Regum unctio, sacrone an profano? Respondeo cum Saliano tom. 3. Annalium veteris testamenti, anno 2962. Pontifices oleo sacro semper inunctos fuisse, Reges autem nonnumquam sacro, nonnumquam communi, quod etiam sentit Abulensis 1. Reg. 10. quæst. 1. Cum enim Saul a Samuele An sacro an profano oleo Reges ungerentur?
B inunctus est, oleum sacrum, quod in tabernaculo asservabatur, erat in Nobe, quæ satis distabat a Ramatha. Cumque hæc unctio clanculum facienda esset, non potuit inde peti oleum. Plurimi enim eius rei conscii extitissent. Idemque de privata Davidis unctione dicendum est, in qua certissimum vitæ discrimen a Saule adibat Samuel, tamquam suscitator tyrannidis, omnesque Sacerdotes, quasi eiusdem tyrannidis administri, si id oleum vel inde petiisset, vel ab istis accepisset. Denique minime par est credere, aut Hazaelem Regem Syriæ, aut Iehu, reliquosque Israelitarum Reges, æmulos atque inimicos Regum Iuda, oleum sacrum e sanctuario Domini, vel accepisse vel impetrasse; quod videtur Hebræi voluisse, cum solos Reges Iuda oleo sacro inunctos fuisse tradiderunt.

Respondeo secundo. Salomonem, Ioam, omnesque, qui a Pontificibus consecrati sunt in Reges, sacro perunctos oleo fuisse, ne in dubitationem quidem vocari potest. Tunc autem eodem eum Pontificibus oleo fuisse inauguratos, videtur pene certum. Ad hoc alludit S. Gregorius
C Nazianz. orat. 4. in Iulianum: *Unguentum, ait, ipse quoddam habeo, sed quo Sacerdotes solum ac Reges unguntur, utpote vario et exquisito, et nostra causa effuso,* μεγάλης μυρεψικῆς τέχνης συγκείμενον, *magni unguentarii artis confectum.* Ubi adverte, unguentum vocari, non oleum. Nam, ut ait Genebrardus in Ps. 88. Oleum, quo Reges et Sa-

cerdotes ungebantur, oleum erat olivarum succis et odoribus myrrhæ primæ, cinnamomi, calami odorati, casiæ aromaticæ imbutum. De illo agitur Exodi 30. 23.

Cabbala de Regum unctione. De hoc sacro oleo seu unguento et thymiamate, ait Genebrardus, multa Rabbini commemorant. Primum, fuisse Cabbalam, id est, traditionem, apud Israelitas, ut illo inungeretur David et eius posteri, non autem Reges alii. Et ita, inquit Aben Ezra, necesse est Mosem interpretari, quoniam Saduc ex oleo unctionis accepisse legitur in tabernaculo fœderis conservato, ut Salomonem inungeret. Secundo, unctionem factam esse forma χ Græcorum, sive crucis Burgundæ et decussatæ. Solus R. Salomon excipit reges. Nam eos tradit inauguratos non σταυροειδῶς, sed *in modum coronæ:* nempe quia non ungebantur, ut eorum dignitas esset sacra, qualis est Pontificum: sed politica, profana, civilis et humana, ne sibi illi titulum aut ius Sacerdotii arrogare possent, nedum rerum sacrarum curam vel administrationem. Tertio, e Thalmudicis discimus in principio tractatus Karithoth, sive de excisionibus, per modum miraculi durasse usque ad captivitatem Babylonicam, et citra diminutionem suffecisse inaugurandis Pontificibus et Regibus, per annos nongentos: quali prodigio apud nos ampulla divinitus allata ad consecrandos Reges nostros Francicos etiam hodie post mille octoginta septem amplius annos, suggerit Remis sanctum Chrisma. Quarto, Saulem quidem fuisse unctum, sed oleo per Samuelem, ex tempore, non per Mosem olim consecrato. Sic post captivitatem, Pontifices oleo duntaxat ad Mosaici compositionem et ritum renovato. Ita Genebr. qui scribebat anno Christi 1582.

37. Ungebantur Reges Iudææ a Prophetis aut a Pontificibus. Quæres tertio. Quo ritu hæc unctio Regum in Iudæa fiebat, et a quo? Respondeo primo. Nunc ab aliquo Propheta, nunc a summo Pontifice facta reperitur, ut ait Salianus anno mundi 2962. Saul enim et David a Samuele Propheta uncti sunt. Salomon autem a Sadoco summo Sacerdote. Ioas quoque Rex a Ioiada Pontifice et Iehu ab uno de filiis Prophetarum. Neque existimandum est a Laicis id munus usurpatum, etsi David dicat unctum se fuisse a tribu Iuda: id enim accipiendum est, quod eius tribus voluntate, eum Pontifex aut Propheta consecrarit. Quod si quæras, utrius fuerit id munus? Respondet Abulensis qu. 2. in cap. 10. lib. 1. Regum. Reges, qui ungendi erant, aut sine dubitatione Reges esse debuisse, ut qui legitimis e regibus succedebant, ut Salomon Davidi, Roboam Salomoni, et tunc id munus ad summum spectasse Pontificem: aut dubium fuisse Regem, quod in novam quampiam familiam regnum transferretur, aut tunc primum aliquo in loco regnum institueretur, ut Saulis in Chananitide hoc tempore, at tunc quia Dei voluntas agnoscenda erat, ad Prophetam aliquem, cui ea nota est, unctio pertinebat, eaque de causa tam David quam Saul non ab Achia, vel ab Abiathare Pontificibus, sed a Samuele Propheta primum uncti sunt: eodemque modo Hazael Rex Syriæ ab Elia Propheta, et Iehu Rex Israel ab altero Propheta iussu Elisæi.

38. Unctionis ritus. Resp. secundo. Quod ad ritum ac ceremonias attinet creationis Regis, nullas invenies Lege sancitas, aliquot a consuetudine potes desumere. Primo, Oleum in Regis caput effundebatur. 1. Reg. 10. v. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei*, id est, phialam oleo plenam, quam alii fictilem, alii vitream, alii ex alabastro, alii ex auro et argento fuisse volunt, *et effudit super caput eius*, Saulis scilicet, quem Dei iussu consecrabat. David de seipso id testatur Psal. 22. v. 5. *Impinguasti in oleo caput meum;* et de Sacerdotibus Ps. 132. v. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.* Unde apparet copiosam fieri solere unguenti effusionem, licet fortasse in Saulis secreta inauguratione parcius Samuel effuderit, ne res nota fieret. Secundo, ut docet Sanchez in 1. Regum 10. offerebantur victimæ. Tertio, in manum Regis tradebatur lex, cuius Rex esse deberet custos et vindex; quod solum video ex omnibus ceremoniis a Deo præscriptum Deut. 17. v. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describit sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a Sacerdotibus Leviticæ tribus: et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba, et ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt.* Quarto denique, accedebat gratulatio populi hac solemni formula, *Vivat Rex*: quod factum in Adoniæ filii David inunctione legitur 3. Regum 1. 25. et in unctione Salomonis, ibid. v. 39.

Serarius noster paulo aliter has ceremonias enumerat in lib. 1. Reg. 10. Primo, inquit, futurus Rex in sede collocabatur. Secundo, diademate ornabatur. Tertio, ungebatur. Quarto, ei dabatur in manus liber legis. Quinto, iurabat in eius observationem. Sexto, sacrificia fiebant omnis generis. Septimo, adebantur varia signa lætitiæ.

Quæres quarto. Cur fieret illa Regum unctio? Respond. 39. Ungebantur Reges ob sex causas.
sex esse causas illius unctionis, quibus et Regum præstantia, et virtutes illis necessariæ denotantur. Primo, ungebantur Reges, quod essent figura Messiæ, id est, supremi illius Sacerdotis et Regis a Deo mittendi et ungendi unctione unionis hypostaticæ et omnis gratiæ, ut dicitur Ps. 44. v. 8. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* (Conc. Francofordiense epist. ad Episcop. Hisp. legit, oleo exultationis. Symm. ἀγλαϊσμοῦ, id est, nitoris ac splendoris) *præ consortibus tuis.* S. Hieron. præ participibus tuis. Symmac. præ sociis vel sodalibus tuis, id est, præ hominibus omnibus, cum quibus conversari dignatus es, eorum naturam participans. Reges autem Iudææ cum essent illius ex se nasciturí figura, ungebantur, ideoque Christi vocabantur, Ps. 105. 15. *Nolite tangere Christos meos*, si tamen ibi agitur de Regibus terrenis, et non potius, ut docet S. Cyrill. Alex. et S. Hier. de viris sanctis ac Prophetis, qui sunt Reges spirituales et cælestes. David vero aperte Saulem Regem vocat Christum. Cum enim ad eius necem in spelunca Engaddi a suis incitaretur, id recusat his verbis 1. Reg. 24. 7. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Si, ut docet S. Aug. lib. 2. de Trinitate, lapis ille, quem Iacob supposuit capiti suo, et quem deinde inunxit Gen. 28. unctionem Christi, qui petra dictus est, figurabat, quidni et Reges? Deinde Christus non minus Rex quam Sacerdos extitit. Sicut igitur per unctionem Sacerdotum, eius Sacerdotium figuratum est; ita et per unctionem Regum, illius regnum.

I. Ut essent figura Christi.

II. Ob excellentiam dignitatis. Secundo, ungebantur Reges, ob excellentiam Regiæ dignitatis, sicut Sacerdotes ob eminentiam Sacerdotii. Oleum enim omnibus liquoribus supernatat. S. Cyprian. lib. de Cardinal. operib. Christi (si tamen est opus eius, aliqui enim dubitant) *Sicut*, inquit, *oleum fluitat, et humidis quibusque superfertur: ita excellentia Sacerdotalis et regiæ dignitatis, secundum formam Dei et Christi sub se omnia continens, regimen et munimen tam activæ quam contemplativæ vitæ obtinet.* Mali etiam Reges inungebantur, quod et ad ardua gerenda eligerentur, et licet illorum Regum persona profana esset, dignitas tamen erat sacra.

III. Ob gra… Tertio, ungebantur Reges, ut significaretur gratiam illis roburque infundi, ut tantum munus sustinere possent. Unde cum Samuel 1. Reg. 10. 1. Saulem in Regem totius populi unxisset, statim adiecit ad ipsum conversus: *Ecce, unxit te Dominus* (quod facit Propheta vel Sacerdos exterius, hoc facit Deus interius) *super hæreditatem suam* (id est, super populum Israel, qui est eius peculium de cunctis gentibus, Exodi 19. 5. *in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum eius*, et Dei, et populi. Qui est hostis patris, est hostis filii, ac vicissim. Quod S. Gregor. considerans in lib. 1. Reg. ait: *Uncti salvare alios possunt: quia spirituales gratias abundantius perceperunt. Nam qui a Domino ad regendos alios ordinantur, spiritualia charismatum dono, quibus eis prodesse possunt, accipiunt: et eis, quos ordine præcedunt, meritis etiam superiores sunt.* Statim post unctionem Davidis per Samuelem, additur 1. Regum 16. v. 13. *Directus est* (erat spiritus rectus: Septuaginta, *insiliit*, ex mera Dei gratia, et cum impetu. Vatablus, *agitare eum*

cœpit. Non est otiosus Dei spiritus. Chald. *mansit* per cooperationem Davidis et Dei misericordiam) *spiritus Domini* (spiritus prudentiæ, fortitudinis, et animi Regii) *o die illa in David*. Lyranus recte censet, ob eam unctionem factum esse, ut David inermis Goliathum gigantem armatum superarit. Pugilum est oleo inungi ad luctam: regum vero, ad certamen pro populo Dei.

IV. Ut memores sint lenitatis.

Quarto, unctione hac, lenitas in subditos, et misericordia in pauperes regibus commendatur. Nota, Reges oleo sine sanguine, consecrabantur: Summus vero Iudæorum Pontifex et oleo et sanguine tingebatur, et omnes Sacerdotes, Exodi 8. v. 30. Ratio huius diversitatis est, quod Regis Maiestas et officium satis ad iustitiam et severitatem inclinet, ideo docetur oleo quod est clementiæ symbolum, ad misericordiam propendere, per sanguinis unctionem commoneri debuit, non esse prorsus abiiciendam iustitiam et severitatem. Sicut oleum liquoribus, ita clementia in aulæ virtutibus eminere debet. In Davide maxime enituit, ut dicetur Ps. 131. 1. Cum triplex unguentum, contritionis scilicet, devotionis et pietatis S. Bern. serm. 12. in Cantic. assignasset, pietatis unguentum cæteris anteponit. *Utrumque*, ait, *vincit unctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit, et per universum Christi corpus diffunditur.*

V. Ut dent bonum odorem virtutum

Quinto, unctio illa reges commonet, bonum exemplum et odorem bonæ famæ ac virtutum per totam ditionem suam esse spargendum. Nam oleum seu thymiama et unguentum quo Reges inaugurabantur, erat compositum ex myrrha prima seu stacte (id est, gutta sponte fluente ex myrrhæ frutice) ex cinnamomo, calamo aromatico, casia, et oleo olivarum. Exodi 30. 23. et 30. Odor autem unguenti designat odorem virtutis. S. Gregor. In illud Cant. 4. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, sic ait: *Per unguenta ipsæ virtutes, quæ ex charitate oriuntur, intelliguntur.*

VI. Ut sciant se debere sapientia excellere.

Sexto, supra caput regis fiebat illa unctio, ut intelligeret sapientia se ac cæteris virtutibus excellere debere. 1. Reg. 10. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam* (parvum vas seu laguneulam efformatam ad figuram lentis) *olei, et effudit super caput eius*, Saulis scilicet primi Regis Israelitarum.

40. Tropol. Ungimur in athletas et Reges in Baptismo.

Tropologice. In Baptisma ungimur in athletas et Reges 2. Cor. 1. 21. *Unxit nos Deus*. Quem locum expendens S. Ambros. *Deus*, ait, *dedit regiam honorificentiam, sicut dixit Petrus Apostolus: quia sumus*, inquit, *genus regale, per unctionem spiritualem, cuius typus fuit in regibus Iudæorum*. Secunda, Sacerdotes inunguntur, ut regio et magno animo officium suum exequantur. S. Gre-

2 Sacerdotes.

gorius in 1. Regum 16. Intus, inquit, dirigitur spiritus, ut quod iniungitur, potenter agat: magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis. Onus ergo tantum, quia debili committitur, dirigitur spiritu, ut debilis roboretur: et magnum onus tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens spiritus ad ferendum iuvat. Ita Gre-

3. Doctores.

gorius. Tertio, Doctori unctio necessaria est, ob varias causas, quas recenset idem sanctus Doctor in 1. Reg. 4. *1. Ungatur*, inquit, *caput Regis, quia spirituali gratia mens est replenda Doctoris. 2. Habeat in unctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus aliis præferatur. 3. Habeat oleum, ut dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer aliis possit. 4. Habeat nihilominus oleum misericordiæ, ut sapienter disponat, qualiter peccatorum fœtores tergat, et ægras mentes saluti restituat.*

Ungimur supra caput, et cur?

Quarto, S. Ambros. præsertim spectat, quod unctio fiat supra caput, et sic ad mores deducit lib. 3. de Sacrament. cap. 1. *Accipis mysterium, hoc est unguentum*, (Baptismi Chrisma) *supra caput? Quare supra caput? quia census sapientis in capite eius, Salomon ait Eccl. 2. 4. Friget enim sapientia sine gratia: sed ubi sapientia acceperit gratiam, tunc opus eius incipit esse perfectum.*

41. In sola Iudæa Reges

Quæres quinto. An Iudæorum soli Reges ungebantur? Respondet S. August. affirmative. Verba eius sunt in Ps. 41. Hoc nomen, inquit, quod appellatur Christus, unctionis est: nec in aliquo alibi ungebantur Reges et Sacerdotes, nisi in illo regno, ubi Christus prophetabatur, et ungebatur, et unde venturum erat Christi nomen. Nusquam est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. Ita August.

esse unctos censet S August.

Verius tamen est unctos esse etiam in aliis regnis.

Respond. 2. etiam extra Iudæam unctos fuisse Reges, et ante Saulis inunctionem in more fuisse principes supremos ungere. De primo, habes 3. Reg. 19. v. 15. ubi Elias iubetur ungere Hazael Regem Syriæ, et Iehu Regem Israelitarum. *Cum perveneris illuc* (Damascum metropolim Syriæ) *unges Hazael Regem super Syriam, et Iehu filium Namsi unges Regem super Israel* (id est, super decem tribus) *Elisæum autem unges Prophetam pro te*. Licet autem Rabanus, Abulensis et Salianus censeant, non esse unctos illos ab Elia, sed ungere per catachresim sumi pro, Regem vel Prophetam creare, tamen Sanchez probabilius opinatur ab ipso Elia tres illos fuisse inunctos: etsi hoc non narretur in sacris Literis. Neque refert quod Hazael et Iehu ab aliis uncti fuerint. Nam David ipse ter unctus fuit, ut supra dixi. Hinc de Elia dicitur Eccli. 48. 8. *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*. Gr. *ις ανταποδομα*, id est, ad retributionem, id est, ad pœnam et vindictam retribuendam idololatris. Vatablus ad vicem rependendam. Syr. ad devincendum obligationibus, hoc est obligans eos ad faciendam vindictam de sceleribus contra Deum admissis Isaiæ 45. 1. Cyrus Rex Persarum vocatur Christus, id est unctus, q. d. Rex unctione creatus. Licet aliæ non desint rationes.

42. Etiam antequam Reges essent in Iudæa.

De secundo, nempe quod ante creationem Regum Iudæorum, fuerit usitata Regum unctio, probatur ex Abimelechi Regis Sichimitarum unctione, et ex apologo Ioatham filii Gedeonis, qui constituto Rege Abimelech, qui erat eiusdem Gedeonis filius, sed spurius, ait Iudic. 9. v. 7. *Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus. Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem, dixeruntque olivæ: impera nobis*. Vides fieri mentionem unctionis. Et vers. 9. additur olivæ hoc responsum: *Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur et homines*. In Hebræo est, qua dii et homines יְכַבְּדוּ iecabbedu, id est, honorant me, Reges scilicet ac Sacerdotes ungendo, et in templis me constituendo. Abulensis q. 24. censet Abimelech fuisse inunctum, idem opinatur Serarius in Iud.

43. Unctio Regum Franciæ cæteris est nobilior.

Nota primo. Inter Christianos varii populi Reges suos ungi voluerunt, ut essent Christi Domini, sicut et Germani et Græci suos Imperatores, Hispani, Angli, Poloni, Sveci, et alii suos Reges.

Nota secunda. Unctio Regum Francorum cæteras omnes præcellit. Primo antiquitate. Deinde materiæ præstantia; unguntur enim chrismate cælesti.

I. Ob antiquitatem.

De prima, nempe de antiquitate, certum videtur nullum aut Imperatorum, aut Regum, prius unctum fuisse Clodovæo primo Rege Francorum, qui Christianissimi nomen a Pontificibus accepit, ob zelum suum et ardentem ac sinceram fidem. Baptismus eius contigit 499. anno Christi. Prius vero, ut advertit Guillelmus Marlot in theatro honoris lib. 1. cap. 6. de coronatione Theodosii Iunioris Imp. Iustini, Tiberii, Mauritii, et aliorum, agunt Corippus et Theophanes sine ulla facta mentione unctionis, cuius primus meminit Cantacuzenus in inauguratione Andronici Iunioris Imperat. Orientis anno 1325. Theophanes agens de conversione et Baptismo Zati Regis provinciæ cuiusdam prope Persas, tempore Iustini, nihil dicit de eius unctione. In Hispania primus Vampa Rex Toletanus, qui vivebat anno 706 et fuit decimus Rex Hispaniæ Catholicus, inunctus legitur a Quiriaco Archiep. Tolet. successore S. Hildephonsi. Burgundiones qui tempore Clodovæi ex Germania in Gallias irruperunt sola elevatione in clypeum, quam a Gallia didicerant, utebantur, cum aliquem declarabant Regem. Sveciæ et Daniæ regna fidem tantum receperunt septimo sæculo. In Anglia mentionem unctionis nullam facit Beda, neque ullus scriptor antiquus. Consequens est igitur primos Franciæ Reges Christianos fuisse oleo unctos, ut declararetur eos eminere inter Reges, sicut oleum inter alios liquores.

S. Greg. Epist. 7. ad Childebertum Regem, aliquid amplius dicit. *Quanta*, ait, *inter cæteros homines regia dignitas antecedit, tanta cæterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit: Esse autem Regem, quia sunt et alii, non mirum est, sed esse Catholicum quod alii non merentur, hoc satis est.* In hac autem civitate Remensi solitam fieri unctionem et coronationem Regum notum est, et quidem ab Archiepiscopo eiusdem civitatis, quod ait successor S. Remigii Apostoli Franciæ, qui regem Clodovæum convertit et baptizavit: sicut in Germania Archiep. Moguntinus Imperatorem inungit atque coronat, quia successit S. Bonifacio Germaniæ Apostolo: in Anglia Archiepisc. Cantuar. quia successit S. August. illius regni Apostolo: in Hispania Archiep. Toletanus, quia successit S. Eleutherio discipulo S. Dionysii, qui in eas regiones Evangelii lucem detulit.

44. II. Ob materiam. De secundo, nempe quod unctio Regum Franciæ ceteris sit præstantior ob materiam, patet: quia unguntur chrismate cælesti, mixto cum chrismate quo Episcopi unguntur, cum Reges alii ordinarie tantum ungantur oleo catechumenorum. Hinc excellentiam Regum Franciæ præ aliis desumit Matthæus Paris Anglus. *Archiepiscopus*, ait, *Remensis Regem Francorum cælesti consecrat Chrismate; quapropter Rex Francorum, Regum omnium censetur dignissimus.* Ioannes de Larisuella agens de sacra ampulla allata ab Angelo in baptismate Clodovæi, hæc dicit: *In ea totius Franciæ dignitas, nobilitas, honor, gloria, maiestas consistit, et magnificentia.*

Ampulla sacra e cælo allata. De illius veritate omnium nationum auctores habes. Italos quidem S. Thomam, qui lib. 2. de regim. Principum eius meminit, censetque potestatem sanandi strumas ab ea sacra unctione e cælo missa per ministerium columbæ ortam esse. Godefridus Viterbiensis in quinta parte chronici: *Dum*, ait, *baptizatur Clodovæus in urbe Remensi, Angelus e cælo oleum dedit omnipotentis gratia Baptismi, quo celebrata fuit.* Mitto S. Antonin. Volater. Petrarcham, Vivald. et alios, sufficiat Baronius, qui tom. 6. anno 499. postquam lucem cælitus missam in Clodovæi Baptismo retulit, subdit: quod rursum factum sit; *Apostolorum temporibus*, ut verbis utar Hormisdæ, *dignum miraculum.* Illud plane ingens recolitur, tum ab Aimonio, tum etiam ab Hincmaro eiusdem Remensis civitatis Episcopo, nempe ampullam Chrismatis, columbæ ore cælitus advenientis allatam esse, qua tum fons ipse more solito, tum etiam Rex Clodovæus sacratus est, cuius exemplo et reliqui successores Francorum Reges consueverunt inungi. His tam ingentibus signis innotescere fecit Deus quantæ molis esset, ut Reges Francorum cum populo suo Christianæ religioni adnecterentur. Ita Baronius. Veritatem eamdem fatentur Angli, lege Matth. Paris, Petrum Blesensem Archid. Bathoniensem. Inter Alemannos vide Naucierum, qui vocat ampullam odoratissimi liquoris. Sleidanum ipsum, qui licet hæreticus hoc agnoscit miraculum, Centuriatores Magdeburgenses, qui aiunt a S. Gregor. Turon. illius fieri mentionem, unde et ex aliis argumentis probatur nunc nos non habere opera Gregorii integra, sed truncata. De Hispanis vide Iulianum Castill. in hist. Goth. et alios. Ex Gallia innumeri sunt qui id testentur. Hincmarus vir eruditissimus Archiepisc. huius urbis, qui floruit ab annis octingentis et quadraginta, et id quod scribit, ait se desumpsisse ex antiquis manuscriptis. Aimoinus, Chronicon Morinianense, Guillelmus Brito, et alii. Sufficiat noster Serarius vir pereruditus, qui duplici miraculo istum unctionis ritum a Deo approbatum ait, in l. 1. Reg. 10. Primo, inquit, cælesti donatione et conservatione ampullæ, quæ Remis asservatur, uti se diligentissime ipsam contemplatum esse scribit in Energumenico suo Faius Senator Parisiensis et Præses. Secundo, Potestate, quam uncti Galliæ Reges habent in strumis curandis, ut idem ibidem scribit, et Granatensis lib. 2. Catech. cap. 27. et ex hæreticis fatetur Gaspar Peucerus de incant. fol. 156. Consule et Polydor. Virgil. hist. Angl. lib. 8. in Eduardo Rege, et Blesensem Epist. 150. ubi scrophulas vocat: quia ei morbo scrophæ, id est, sues feminæ, sunt obnoxiæ. Plinius lib. 11. cap. 47. Celsus lib. 5. cap. 38. Ita Serarius. Ubi potestatem curandi strumas tribuere videtur unctioni sacri olei. Henricus tamen IV. unctus est apud Carnutes alio oleo, quod S. Martino allatum ab Angelo creditur, et strumas curabat. Itaque videtur donum hoc Regum omnium Franciæ esse, quocumque oleo inungantur.

Quomodo vero, sicut populus de Davide dicit, *Salvum fecit Dominus Christum suum*, ita Deus Reges Franciæ Clodovæum, Pipinum, S. Ludovicum, et alios, a summis periculis eripuerit, erit alias dicendi locus. Vide art. ult. huius sect.

45. Vers 7. 2. Pars. TO, in potentatibus quid significet? Orationem Regum a se unctorum exaudit Deus. vers. eod. 7. EXAUDIET ILLUM DE CÆLO SANCTO SUO, IN POTENTATIBUS (Hebr. בגבורות *bigburoth*, id est, in fortitudinibus, ut Pagnin. In virtute, ut Syr. cum potentia, ut Arabs) SALUS DEXTERÆ EIUS. Nota, potentatus duo significat. Primo, principatum et dominationem, quod proprie δυναστεία, sonat. Sensus itaque erit, q. d. Deus potentia sua principatus et imperia conservat, Prov. 21. 31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit.* Secundo, potentatus pro potentia, robore et fortitudine sumitur, et melius hoc loco, ita ut sensus sit, q. d. Cum summa potentia atque fortitudine salus orietur per dexteram et auxilium Dei. Salus dexteræ eius, id est dextera eius afferens salutem, in potentatibus, id est in fortitudinibus, supple est, q. d. fortiter et potenter dextera eius servos suos salvat. Arabs clare vertit, *Cum potentia est salus dexteræ eius*, q. d. non salvat molli brachio.

46. Omnes nationes Deum in præliis invocant. I. Iudæi. Moraliter nota. Hæc cognitio potentiæ divinæ naturaliter animis insita omnes nationes incitavit, ut Deum orarent in præliis, et in eo sperarent. Psal. 43. 6. ait David: *In te* (per te) *inimicos nostros ventilabimus cornu* (veluti pilam fœneam) *et in nomine tuo spernemus* (S. Hieron. conculcabimus) *insurgentes in nobis.* In bellis intestinis corporis et animi. Psalt. Rom. et Ambrosianum, S. August. et Ambros. clarius legunt, *in nos.* Iudas Machabæus obsidens civitatem Casphim, in eam irruit Dei nomine invocato, eamque cepit in stabilitate murorum et apparatu alimoniarum ita confidentem, ut maledictis lacesserent Iudam, et blasphemarent eius cives lib. 2. Machab. 12. 14.

2. Pagani. Macedones. Germani. Græci. Persæ. Neque Iudæis tantum id in more fuit, sed aliæ etiam nationes Deorum suorum aut Imperatorum nomina in pugna acclamabant. De Macedonibus hoc tradit Iustin. lib. 24. De Germanis, Tacit. lib. de Moribus Germanorum. Demetrius Rex Græcorum pro tessera militari assignavit Iovem et Victoriam. Cyrus Rex Persarum hanc tesseram suis dedit militibus: *Iuppiter belli socius et dux.*

Romani præsertim tum ante belli denunciationem. Romani ante pugnam, et in pugna Deos suos invocabant. Primo quidem ante belli denunciationem Feciales suos mittebant, qui sæpe Deos obtestati, tandem in populos iniustos hastam torquebant. Nec ingratum nec inutile erit ritum hunc ex Dionysio Halicarnasseo lib. 2. hist. discere. Fecialium, inquit, unus electus a collegio, veste augustiore, suisque insignibus verendus ad infestorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attigit, *Iovem cæterosque Deos invocans*, testatur a Romanis se venire, iusque suum petere. Deinde iuratus ire se ad iniustam civitatem, et si quid mentiretur, seque suosque cives execratus, intra fines ingreditur, et quem primum obvium nactus est, eum testatur, sive urbanus sit, sive rusticus, et repetitis eisdem precibus atque execrationibus ad urbem pergit. Quam priusquam ingrediatur, vel portæ custodem, vel primum quemquo in porta, obvium similiter testatus, ad forum procedit: ibique stans, Magistratibus adventus sui causam indicat, semper iusiurandum et imprecationes adiiciens. Tum si damnatos auctores iniuriæ deditosque acceperit, abducens eos amicus ipse ab amicis discedit. Quod si tempus ad deliberandum peterent, post decem dies revertebatur, idque aliquando tertio. Elapsis autem triginta diebus si non impetraret ius suum, *obtestatus superos atque inferos*, discedebat, hoc tantum præfatus, super ea re popu-

lum Romanum per otium deliberaturum. Deinde assumptis cæteris Fecialibus, Senatui renunciabat, omnia se rite executum, et, si velint bellum decernere, id licere illis per deos. Deinde Pater Patratus fines hostium petebat, et hastam ferratam aut sanguineam præustam in eorum agrum contorquens bellum indicebat, sæpe contestans deos, se contra iniustos agere. Feciales porro erant legati pacis et belli: sic dicti a faciendo, ut ait Festus, quod belli pacisque faciendæ penes eos ius erat. Pater Patratus iis præerat, sic dictus quod ad patrandum, hoc est peragendum iuramentum, ubi de fœderibus convenerat, mitteretur.

Tum in egressu ad bellum. Secundo, cum Romanus Consul exercitum moturus erat, toga cinctus ritu Gabino postes templi Iani aperiebat, et sacrarium Martis ingressus ancilia movebat, hastamque Dei, dicens: *Mars vigila.* Ita Alexander Sardus lib. 3. de Morib. gent. cap. 1.

Tum in ipsa pugna. Tertio, Romani in ipsa pugna sæpe Deorum suorum nomen pro tessera militari sumebant. In castris Cæsaris pro tessera dabatur aliquando Venus, aliquando Felicitas, aliquando Victoria. In castris Pompeii Magni, Hercules Invictus. In Pompeii iuvenis, Pietas. In Antonii exercitu, Lar Deus. In Syllæ, Apollo. In Bruti, etiam Apollo.

47. Christiani Deum et Sanctos invocant. Galli. Hispani Lusitani. Christiani præsertim populi Deum verum invocant in exercitu, cum sciant eum esse Deum Sabaoth. Deinde sanctos Dei servos inclamant. Galli quidem *Sainct Denys Montioie*, ut fecit Clodovæus primus eorum Rex Christianus. Hispani et Lusitani S. Iacobum, ut refert sæpius Mariana in hist. Hispaniæ. Aliæ nationes S. Georgium et alios.

Deus invocatus iuvat. *Exaudiet illum de cælo sancto suo, in potentatibus salus dexteræ eius.* Sic fidem suam ad opem præstandam obligat Deus, si petamus. Ps. 49. 15. *Invoca me in die tribulationis*, (tuæ scilicet, ut addit S. Augustin. in die pressuræ, ut legit S. Iustin. in Tryphonem) *eruam te, et honorificabis me.* S. Hier. vertit, glorificabis me. S. Zeno serm. in illum locum, legit, magnificabis me. S. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos, clarificabis me. Scilicet per ipsam liberationem, in qua apparebit mea potentia; 2. per laudes et gratiarum actiones Deus ad dandum et iuvandum suapte natura incitatur. Iamblicus recte dicit, Deum non quia invocetur, moveri ad impertienda hominibus bona: sed sponte nos ad bonum provocare, nobisque invocando conversis occurrere, ultro quippiam monstrantem vel elargientem. Hæc vere; orationem tamen a nobis exigit. Matth. 7. v. 7. *Petite et dabitur vobis.* Lege totum caput.

ARTICULUS II.

Hostes Davidis quibus curribus militaribus usi sunt.

48. Vers. 8. 1 Pars. Invocare in equis, est invocare equos. Ut magis fiduciam suam in Deo declaret populus, mentionem facit curruum et equorum, in quibus hostes confidebant, v. 8. HI IN CURRIBUS, ET HI IN EQUIS; NOS AUTEM IN NOMINE DOMINI DEI NOSTRI INVOCABIMUS. Nota primo, apud Hebræos verba invocationem et memoriam significantia construuntur cum præpositione. Itaque in nomine invocare idem est atque invocare nomen. Invocare in curribus et in equis, idem atque invocare currus et equos. Nota secundo, *Invocabimus*, seu, ut est in Hebr. *memorabimus*, per orationem scilicet et gloriationem, ponitur per metalepsim pro fiduciam habebimus, ita ut sit sensus, q. d. Hostes mei sæpe faciunt mentionem curruum et equorum suorum, illorum multitudinem, robur, impetum, arma, pompam et apparatum iactabunt, in iis omnem spem suam ponent, ego vero tantum recordabor nominis Dei mei, illud solum in ore et in corde habebo, in eo fiduciam meam collocabo. Nota tertio. *Hi et hi*, vel denotat eosdem, qui tum in curribus, tum in equis confidunt et gloriantur: vel diversos, quorum illi curribus, alii equis gaudeant, et iis se iactitent. Ubi subindicat se varios populos infestos habere, ut Idumæos, Moabitas, Ammonitas, Syros, Philisthæos, et alios: sed Deum unum his omnibus non modo parem, sed superiorem esse.

Sensus huius loci.

49. Currus militares in usu fuerunt apud Asiaticos 1. Medos 2. Syros. 3. Arabes. 4. Indos, etc. Item apud Afros et Europæos. Nota quarto, Asiaticis in usu plurime fuisse militares currus. Hoc testatur Xenophon lib. 6. Cyrop. Superioribus, ait, sæculis Medi, et Syri, et Arabes, et *omnes Asiatici* curribus sic utebantur, ut nunc Cyrenaici. Indos adde cum Alexandro Sardo lib. 3. de Morib. gent. ubi asserit, curru indico vectos aurigas duos, totidem clypeatos et sagittarios. Curribus militaribus usi sunt etiam Pharusii et Nigretes, sicut tradit Strabo lib. 17. Libyes, ut Cælius lib. 21. cap. 31. Pœni, ut Herodot. lib. 7. Zabeces, apud quos fœminæ aurigantur currui in bellum, sicut ait idem Auctor lib. 4. Galli, ut Sextus Iulius Frontin. lib. 2. Stratag. Britanni, ut alii tradunt.

Currus militares in usu fuerunt ante Davidis tempora. Nota quinto, usum curruum militarium in usu fuisse ante et post tempora Davidis. Constat enim Ægyptios usos fuisse illis curribus, cum Israelitæ ex Ægypto egressi sunt anno mundi 2543. ante Davidem 1438. Dicitur enim Exod. 14. 7. *Tulitque Pharao sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit.* Hi sunt antiquissimi currus militares, quorum Auctores meminerint. Tempore Iosue, qui Davidem antecessit annis 398. et Cyrum nongentis, quem tamen curruum falcatorum inventorem facit Xenophon, iam curribus militaribus utebantur Chananæi: Unde filii Ioseph, id est tribus Ephraim et Manasse dixerunt Iosue 17. 16. *Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi.* Tempore Debboræ et Barac Iudicum Israel, qui vivebant ante Davidem annis 238. Iabin Rex Chanaan, qui regnavit in urbe Asor, et per viginti annos oppressit Israelitas, habuit nongentos currus sub Sisara duce exercitus sui, Iudic. 4. 3. Multo admirabilius est, quod dicitur 1. Reg. 13. 5. Philisthiim ad pugnam adunatos numeravisse tempore Saulis triginta millia curruum, et sex millia peditum. Quod, ut iacet, expenendum putat Abulensis. Magis placent Lyranus et Salianus, qui censent intelligi triginta millia militum de curru pugnantium. Ego crediderim non tantum sumi milites, qui e curribus, sed eos etiam, qui pro curribus certabant, qui quam necessarii essent, patebit ex dicendis infra. Salomoni erant currus mille quadringenti 3. Reg. 10. 26. Nero Imperator numquam minus mille carrucis iter fecisse dicitur. David noster percussit Adarezer filium Rohob Regem Soba, et cepit mille quadrigas eius, et septem millia equitum, 1. Paralip. 18. 4. Syri tulerunt auxilium Regi Adarezer, sed interfecit David de Syris septem millia curruum, et quadraginta millia peditum, cap. 19. 18. ubi obiter adverto lib. 2. Reg. 10. 18. dici, occisos esse tantum septingentos currus, hic vero septem millia. Sed in lib. Reg. ipsi currus accipiendi sunt: hi enim erant septingenti: hic autem per currus intellige milites e curribus pugnantes: decem enim erant in quolibet curru. Ita Cornelius. Liber porro Paralipomenon, id est omissorum, supplet ea quæ prætermissa sunt in lib. Regum. Sed vix credo ordinario in curru potuisse pugnare decem homines.

Nota sexto, adhibitis duobus equis heroes in curru pugnasse tradit Philostratus in Iconibus. Quatuor equos iunxit Hector, ut ex Homero planum est. Quadrigis usos orientales populos discis Iudith. 1. 4. ubi mentio fit Arphaxad Regis Medorum, qui gloriabatur quasi potens in potentia sua, et in gloria quadrigarum suarum. Octo equos duxit Abradatus Susorum Rex, ut refert Alexander Sardus lib. 3. cap. 5.

Currus militares ut plurimum erant falcati. Nota septimo, plerosque currus militares fuisse falcatos. Hoc aperte dicitur de Chananæis, Iudic. 4. 3. *Iabin Rex Chanaan nongentos habebat falcatos currus, et per viginti annos vehementer oppresserat eos*, Israelitas scilicet. Et prius tempore Iosue fit mentio curruum ferreorum, id est ferreis falcibus armatorum, Iosue 17. 16. De curribus Pharaonis agens Cornelius, innuit fuisse falcatos. Gallos iis esse usos tradit Sextus Iulius Frontin. lib. 2. Stratagem. Eos quoque Britanni habuerunt, a nostro licet orbe divisi.

50. Curruum falcatorum forma.

Quæres. Quænam erat forma curruum falcatorum? Xenophon illam describit, quam a Cyro inventam esse ait, lib. 6. Cyropædiæ. *Cyrus*, inquit, *bello aptos currus instruit rotis firmis, ne facile comminuerentur: et axibus longis, quod minus evertantur omnia, quæ lata sunt. Sellam vero aurigis struxit, veluti turrim, ex lignis firmis. Atque harum sellarum altitudo pertinebat ad aurigæ cubitos, ut equi supra sellas habenis regi possent. Aurigas ipsos totos, exceptis oculis, loricis armavit. Præterea falces ferreas duorum fere cubitorum ad axes ab utraque rotarum parte apposuit, et alias infra axem, quæ terram aspicerent: tamquam hic in adversos cum curribus impetum facturis.* Sua tempestate hos currus in usu fuisse tradit idem Auctor. Eustatius in Homerum notat in curru militari fuisse aurigam et parabatem, id est eum qui e curru pugnabat. Aristophanis interpres tradit, currum inscendere solitos oplitem, id est aurigam armatum, et parabatem, atque id genus currus a Theseo primum esse excogitatos.

Aliam currus militaris formam a Cyro adinventam refert Xenophon lib. eod. 6. Cyrus, inquit, currum cum B temonibus quatuor intuitus, animadvertit fieri posse currum etiam octo temonum, ut octo boum iugis machinarum infima structura veheretur. Et aberat hic currus cum rotis a terra tribus ulnis. Huiusmodi turres, si cum ordinibus sequerentur, videbantur ei simul et Phalangi suæ magno adiumento, et hostium aciei magno damno futuri. Etiam structuris in hisce tum circuitus fecit, tum propugnacula: et in turrim quamlibet viginti viros imposuit. Postea vero quam omnia quæ ad currus pertinebant, confecta essent, periculum vecturæ fecit: et multo facilius octo illa iuga turrim cum impositis ei militibus trahebant, quam iugale vehiculum unum id onus ferret, quod ei ex impedimentis imponebatur. Ita Xenoph. ex quibus satis apparet magnam superbiæ occasionem illos currus extitisse.

51. Curruum falcatorum efficacitas.

Quantas vero strages hi currus falcati ederent, constat ex Curtio, qui ait, pugnantes in Darium Regem Persarum Macedones primo congressu ab illis fuisse dissipa- C tos. Verba eius sunt: *Darius Rex Persarum ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit. Ruebant laxatis habenis aurigæ, quo plures nondum satis proviso impetu obtererent. Alios ergo hastæ multum supra temones eminentes, alios ab utroque latere demissæ falces laceravere. Nec sensim Macedones cedebant, sed effusa fuga turbaverant ordines.* Postea tamen Alexandri Regis sui ac ducum hortatu et exemplo resumptis animis victoriam reportarunt. Infelicior fuit Nicomedes Rex Bithyniæ, qui prope victor ab exercitu Archelai ducis Mithridatici, ob currus falcatos, fugatus est multis occisis. Rem narrat Appian. lib. de bello Mithrid. Tum vero, inquit, in Bithynos immissi falcati currus magno impetu alios in duas, alios in plures partes lacerabant: quod maxime illos terruit, dum vident *dimidiatos viros spirantes adhuc, aut in multa frusta discerptos, aut artus pendentes a curribus*, ut fœditate magis spectaculi, quam pugna victi, turbarint præ metu ordines. Hæc Appian.

52. Currus Myrmecidis muscæ alis tectus.

Magna quidem est vis armatorum curruum, si huma- D nis artibus omnia metiamur: si vero cum Dei robore conferantur, non magis timendi sunt quam eburneus currus Myrmecidis, quem musca integebat alis suis, teste Plin. lib. 7. cap. 21. Hinc David, seu populus qui loquitur, in Deo confidens, et hostiles currus et equos despiciens ait,

Vers. 9. v. 9. IPSI OBLIGATI SUNT ET CECIDERUNT, NOS AUTEM SURREXIMUS ET ERECTI SUMUS. Pro *obligati sunt*, Hebr. est כרעו *careu*, id est, incurvati sunt, ut vertit S. Hier. succubuerunt, ut Syrus; incurvaverunt se, ut Pagninus; συνεποδίσθησαν, ut Sept. id est, irretiti sunt, ut Arabs; obligati, hoc est ligati, illigati, impediti sunt, ut Noster; ἐπεδήθεν, ligati sunt, ut Petavius. Obligatio autem, sive ligatio hæc duplex esse potest, primo mentis, secundo corporis. De mentis per metum ligatione et implicatione exponit Magnetius, cum reddit:

Hi velut emotæ mentis torpore ligati,
Inter equos, misero exitio, currusque ruerant.

A De corporis implicatione inter hostes, tela, fractos currus, equos morientes, et eorum funes, melius explicueris.

53. Currus falcati reddebantur inutiles humana arte tripliciter.

Humano etiam artificio currus falcati facile reddebantur inutiles, et in ipsos hostes nonnumquam, sicut elephanti, retorquebantur. Primo, coniectis tribulis in medium campum, quod Romani fecerunt in Antiochum et Mithridatem pugnantes. Vegetius lib. 3. de re militari, cap. 24. Quadrigas, ait, falcatas in bello Rex Antiochus et Mithridates habuerunt. Quæ ut primum magnum in acie intulere terrorem, ita postmodum fuere derisui. Nam difficile currus falcatus planum semper invenit agrum, et levi impedimento retinetur, unoque afflicto aut vulnerato equo decipitur. Sed maxime hac Romanorum militum arte perierunt. Ubi ad pugnam ventum est, repente toto campo Romani tribulos abiecerunt, in quos currentes quadrigæ cum incidissent, deletæ sunt. Tribulus autem est quatuor palis confixum propugnaculum, quod quoquomodo abieceris, tribus radiis stat, et erecto quarto infestum est. Ita ille.

I. Coniectis tribulis.

B Secundo, Currus falcati impediebantur, frangebantur, et evertebantur stipitibus in terra fixis. Sextus Iulius Frontinus lib. 2. Stratagematum, ait: Syllam pugnantem contra Macedones, imperasse ut densi numerosique pali firme in terram defigerentur: interque eos, appropinquantibus quadrigis ante signa, aciem Romanorum recepisse: tum demum sublato universorum clamore, velites et levem armaturam ingerere tela iussisse: quibus factis, quadrigas hostium aut implicitas palis, aut exterritas clamore telisque, in suos conversas turbasse Macedonum ordines, atque in causa fuisse, cur Archelaus, quem modo ob currus de Bithynis victoriam retulisse dixi, victus fuerit. Eadem arte C. Cæsar Gallorum quadrigas falcatas palis defixis excepit et inhibuit, ut refert eodem loco Frontinus.

II. Stipitibus in terra fixis.

Tertio. Currus falcati inutiles reddebantur, multitudine telorum coniecta in equos, qui læsi terrebantur, et in suos sæpe reflectebantur, ut accidit Antiocho in Eume- C nem pugnanti: Appianus lib. de bellis Syriacis. Ubi, inquit, Eumenes exercitum Antiochi vidit, cætera contempsit: contra *quadrigas vero, quas maxime timebat, funditores, iaculatores, cæterosque leviter armatos iussit excurrere, et in solos equos undique ingerere missilia. Equis enim consternatis currus inutilis redditur: et interdum tam hostium, quam suorum turbat ordines, metu falcium.* Quod etiam tunc contigit; nam vulneratis equis, et currus in suum equitatum vertentibus, primi cameli turbati sunt, qui proxime post currus constiterant: deinde loricati equites, qui præ armorum pondere non facile falces declinare poterant: unde varius maiorque quam pro re tumultus extitit. Hæc Appian. Illa fuit causa maxima fusi exercitus.

III. Coniectis telis.

54. Currus Ægypti perdidit Deus.

Si hæc humana industria potest in currus falcatos, quid accidet, si Deus opem tulerit, ut Israelitis olim in Ægyptios? Audi Mosem Exod. 15. 3. *Dominus quasi vir pugnator* (id est bellicosus. Chald. Dominus est victor bellorum,) *omnipotens nomen eius*. Chald. Adonai est no- D men eius. Hebr. Iehova, id est conterens, confringens, est nomen eius. Rad. est, *hova*, id est fregit, confregit, comminuit, contrivit. Et verum esse etymon putat Oleaster, cui tamen non assentior. Vide Ps. 8. 1. Sept. vertunt in Exodo: Deus conterens nomen eius. *Currus Pharaonis et exercitum eius proiecit* (cum facilitate, contemptu, et fortitudine, ac desiderio confringendi) *in mare. Abyssi* (aquarum voragines) *operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*, ob duritiem et gravitatem cordis. Ingravaverat et induraverat Pharao cor suum, et servi eius erant gravi corde, sequentes ac diligentes vanitatem; ideo perierunt, et vani facti sunt, sicut ea quæ dilexerunt.

Itaque id unum est videndum, ut Deum habeamus nobiscum, et timorem omnem excutiamus. Deuter. 20. 1. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, et videris equitatus, et currus, et maiorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus tuus*

tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Euseb. lib. 4. de Vita Constantini cap. 19. ait, maximum hunc et felicissimum ac potentissimum Imperatorem dicere solitum: Non debent milites in armis aut viribus corporum spem suam ponere, sed universitatis Deum, rerum omnium bonarum, et ipsius victoriæ auctorem agnoscere. Ideo

Ioviani Imperat. pietas.

Iovianus acclamatus Imperator a toto exercitu post mortem Iuliani, dignitatem illam recusat, quod teste Theodoreto lib. 4. cap. 1. diceret: *Non possum regere Iuliani exercitum, qui iam pestifera doctrina imbutus est. Talis enim a Deo destitutus facile ab hostibus superabitur.* Quod cum milites audivissent, uno ore conclamarunt: Ne dubites, Christianis hominibus, et in vera pietate educatis imperabis. Quibus dictis excitatus Iovianus, imperium suscepit, et exercitum incolumem servavit pace cum Persis facta.

ARTICULUS III.

An, et quatenus Iudæis licitus erat equorum usus.

55. Cum hostes suos in equis et curribus fiduciam positurus dicat populus et Rex ipse David, qui inoctim psalmum hunc concinunt: se autem in solo Dei nomine fiduciam habituros, videntur a se prorsus abdicare tam currum, quam equorum usum. Et quidem in ea mente est S. Basil. in Ps. 32. et commentator psalmorum, qui S. Hieronymi nomine circumfertur, in Ps. 75. idque fuse probare nititur Lorinus in Ps. 22. Verba S. Basilii sunt: *Exectus est et exclusus ab usu Sanctorum equus. Sed neque Israel in obeundis bellis quamvis prospere se gesserit, videtur usus aliquando equestri potentatu. Nec Sanctorum aliquis privatim equo uti pulchrum existimavit.*

Nulla lege usus equorum vetabatur Iudæis.

Nulla tamen lex reperitur, quæ equorum usum Iudæis prohibeat, sed tantum multitudinem illorum. Deuteron. 17. 16. Regi, et consequenter omnibus præcipitur. *Non multiplicabit sibi equos.* Quæ lex tantum habuit ponderis apud Iudæos, ut ad Salomonis usque tempora nullus equis usus fuisse legatur, sed mulis et asinis. Abulensis quoque quæst. 3. in cap. 11. Iosue, dicit, omnes Iudæorum pugnas pedestres fuisse. Etiam post Salomonem pii Reges et Principes vix usi sunt equitatu, ut videre est in libris Machabæorum. Reges vero impii equitatum numerosum habuerunt, ut Ioram Rex Iuda, 2. Paralip. 21. 9. De sola equorum multitudine prohibitionem fuisse docet

Sed tantum eorum multitudo.

S. Hieron. in illud Isaiæ 2. 8. *Repleta est terra eius equis, et innumerabiles* (plurimæ: est Hyperbole) *quadrigæ eius.* Verba S. Hieron. sunt: Non dignum est numero, quod contra Dei imperium possidetur: Unde et in psalmis dicitur Psal. 32. 17. *Fallax equus ad salutem.* Et in Exodo cap. 15. 1. *Equum et ascensorem deiecit in mare.* Et Ps. 19. 8. Hi in curribus, et hi in equis, etc. Potest autem intelligi, quod populus Iudæorum contra præceptum Domini *sibi equos et quadrigas multiplicaverit.* Ita Hieron. ubi clare vides eum tantum agere de multitudine.

In eam legem peccavit Salomon.

Salomon in hanc legem de non multiplicandis equis graviter peccavit, 3. Reg. 4. 26. *Habebat Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium* (id est, qui currum trahunt) *et duodecim millia equestrium,* id est qui equitem sustinent. Illi currus, saltem omnes, non videntur fuisse militares, sed ad reginas septingentas, et concubinas trecentas vehendas et earum aulam: item ad varia opera et usus. Nota 2. Parol. 9. 2. in Hebræo nunc est: Habebat Salomon quatuor millia præsepium. Sed vox præsepe ibi ponitur pro stabulo integro, in quo erant decem equi: itaque quatuor millia præsepiorum continebant quadraginta millia equorum. In libro autem Regum præsepe dicitur septum, quod singulis equis designatur ad manducandum, et ab alio separatur aut ligno transverso, aut muro exiguo, ne se invicem morsu aut calcibus petant.

56. Equorum usus vetitus

Quæres. Cur Iudæis vetitus erat multorum equorum usus? Ratio quadruplex erat. Primo, ut in uno Deo spes suas repositas haberent. Hinc Isaias cap. 31. 1. maledictionem interminatur iis, qui in equis confidunt: *Væ,* inquit, *qui descendunt in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: et super equitibus, quia prævalidi nimis: et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt.* Oseas 14. 4. asserit fore, sibi ut ab equis alendis temperent, cum ait: Assur non salvabit nos, equos non ascendemus. Quod discutiens Theodoretus ait sensum esse, eos neque in Assyriis, neque in Ægyptiis, fiduciam suam posituros. Itaque sapienter Abulensis in cap. 11. Iosue q. 4. notat, consequenter id in Iudæorum utilitatem redundasse, quod carerent equis: si enim in illis habuissent fiduciam, a Deo relicti essent, et in manus hostiles incidissent.

fuit Iudæis, ob quatuor causas.

I. Ut in solo Deo sperarent.

Secundo, Ut victoriarum suarum gloriam Deo uni tribuerent, non viribus et equis suis. Quantum Bucephalo equo suo retribuerit Alexander, quis non mirabitur, atque non iudicabit censuisse magnam salutis et gloriæ suæ partem illi deberi? Nam defuncto duxit exequias; urbemque tumulo circumdedit nomine eius, ut ait Plin. l. 8. c. 42.

II. Ut Deo soli victoriæ gloriam tribuerent.

Tertio, Equorum multitudinem vetuit Deus populo suo, quod equus natus videatur ad hominum exitium in bellis. Origenes hom. 15. in illud Iosue 11. 6. *Equos eorum subnervabis* (hoc est nervos aut suffragines et crura equis incides, ut inutiles sint) *et currus igne combures,* hoc advertit, et notat, non præcise ut alia animalia occidantur, sed tantum equi. Denique, inquit, filii Israel numquam equis usi esse referuntur, et lex nihil de equis, sed de asinis mandat: utpote de animalibus, quæ ad humanos labores iuvandos, et ad onera eorum portanda videntur existere. Equi vero magis ad hominum perditionem. Hoc enim est, quod per eos in præliis geritur. Lascivi motus animal, et superbæ cervicis accipitur. Ita Orig. Ardorem illum martium equi sic exprimit Virgil. lib. 3. Georg.

III. Quia equus in bellis est ad exitium hominum natus.

Tum si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,
Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Et Deus ipse igneum illum equi animum depingit et oculis subiicit Iob. 39. 20. et seqq. *Gloria narium eius terror,* (ob ignem et fumum, quem emittit: vel, narium flatu et sternutatione) *Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio, etc.*

Quarto, multitudinem equorum Iudæis prohibuit Deus, ne fastu nimio eorum Reges, et Principes ac nobiles intumescerent. Est enim equus, ut ait Orig. lascivi motus animal et superbæ cervicis. Et Plato cum equum conscendisset, statim in terram defluxit: ne, ἱπποτυφία λήφθῃ, id est superbia inflaretur instar equi. Ut nobis exemplo esset Christus, etiam in suo triumphali in Ierosolymum ingressu non equo, sed asino insidere voluit, Matt. 21. 5. Quantus autem ex equorum multitudine tumor in aulam Salomonis irrepserit, considera apud Iosephum lib. 8. antiq. Iudæor. ubi agens de eius nobilibus, ait; *Hic decus addebant equites, flos iuventutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, et tunicas e Sarrana purpura induti. Ad hæc, ramentis auri capillum quoque spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor a capitibus eorum reflecteretur. Hi armati et pharetris succincti Regium currum stipabant, quo sublimis invectus, et amictus veste candida, mane solebat urbem egredi.* Alphonsus Rex Aragonum adeo pompam aulicam oderat, ut sine stipatorum manu, et comitantium turba incederet: cumque id aliqui carperent, suaderentque, ut pro more aliorum Regum stipatus incederet, dicebat: Ego minime solus, ut vos putatis, sed innocentia associatus vado: neque est quod benevolentia fretus extimescam. Agesilaus quoque sine pompa incedebat, cum diceret: Maiestatem et gloriam prudentia parandam esse: ac rogatus, quomodo Princeps absque stipatoribus possit esse tutus, ait, *Si subditis ita imperet, ut filiis pater.*

IV. Ut fastum vitarent.

Tropolog. Peccatores in curribus et in equis diaboli, mundi, et carnis confidunt, non in Deo. Dæmoni et eius asseclis currus sunt, non ut Pharaoni sexcenti: non ut Iabino, nongenti: sed tanto numero, ut eos qui viderit, 57. Tropol.

cum Elisæi servo exclamet 4. Reg. 6. 14. *Heu, heu, heu Domine mi, quid faciemus?* Viderat equos currusque Benadod Regis Syriæ circumdantes civitatem Dothan, ut Elisæum caperent. Sufficiat tamen nunc S. Bernard. qui serm. 39. in Cantic. quatuor currus dæmonis assignat, quos carni et mundo accommodat: nempe, malitiam, luxuriam, avaritiam et superbiam: illos, eorum rotas, equos, et aurigas videamus.

Currus dæmonis sunt plurimi.

I. Malitia, cuius currus rotæ assignantur.

Primus itaque currus Pharaonis, id est dæmonis, est malitia. S. Bern. serm. illo 39. in Cant. quatuor illi rotas assignat. *Habet*, inquit, *malitia currum suis rotis quatuor consistentem: sævitia, impatientia, audacia, impudentia.* Ugo Cardin. in Exod. cap. 15. duas tantum malitiæ rotas assignat: nempe simulationem et dissimulationem. Sed harum differentiam non satis video. Possemus dicere duas illas rotas esse, dissimulationem quidem, qua mala nostra tegimus, fraudem vero, quo in malum alios inducimus. Pergit Bern. *Valde velox est currus iste ad effundendum sanguinem: qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore.*

Equi.

Equos malitiæ duos concedit sanctus hic Pater: potentiam scilicet terrenam et pompam sæcularem. *Trahitur*, inquit, *duobus admodum pernicibus equis, et ad omnem perniciem paratissimis: terrena scilicet potentia et sæculari pompa. Tunc enim quadriga ista malitiæ currit valde velociter: cum hinc quidem potentiæ affectus subest eius adimplendis malitiosis conatibus, inde plausus pompæ arridet perpetratis sceleribus.* Ugo unum dat equum, nempe malevolentiam. Nam internus affectus malus causa est, cur malitia proximo noceat.

Et Aurigæ.

Aurigas duos tribuit malitiæ S. Bern. tumorem scilicet ac livorem. *Præsident*, inquit, *duobus his equis aurigæ duo, tumor et livor: et tumor quidem pompam, livor vero potentiam agit. Is enim rapido fertur amore pomparum, cuius apud se cor intumuit. Nam quod in se firmiter stat timore compressum, gravitate modestum, humilitate solidum, puritate sanum: auro huius vanitatis nequaquam leviter rapitur. Item terrenæ iumentum potentiæ nonne invidia agitur, et quasi quibusdam livoris urgetur hinc inde calcaribus, suspicione utique decedendi, et metu succumbendi.* Ugo unum tantum aurigam dat, amorem nempe mali in sella fraudis insidentem, frænum habentem tergiversationem, et stimulum iræ.

58.
II. Currus dæmonis est luxuria: eius rotæ.

Secundus currus Pharaonis, id est dæmonis, est luxuria. Rotas ei quatuor assignat S. Bern. serm. citato: Luxuriæ, ait, currus quadriga nihilo minus volvitur vitiorum: ingluvie scilicet ventris, libidine coitus, mollitie vestium, otii soporisque resolutione. Ugo duas tantum dat rotas: ingluviem ventris, et mollitiem vestis.

Equi.

Equi luxuriæ duo ab eodem Bernardo notantur: prosperitas et abundantia. Trahitur, ait, equis æque duobus: prosperitate vitæ, et rerum abundantia. Equos Ugo in Psal. nostr. dicit esse ingluviem ventris, et mollitiem vestis, quas alibi rotas nuncupat, ut mox dictum est. Idem Ugo in cap. 1. Cantic. alios luxuriæ equos tribuit: sanitatem corporalem, et abundantiam temporalem. In Exodo autem; tantum unum ponit: indómitum scilicèt carnis impetum, cui caro insidet in sella voluptatis. Hic equus nullo fræno regitur, sed stimulis carnis quasi calcaribus agitatur.

Et Aurigæ.

Aurigæ luxuriæ duo sunt ex Bern. Ignavia, et securitas. His, ait, præsident duo: ignaviæ torpor, et infida securitas: quia et copia iam ignavia solvit, et secundum Scripturam prosperitas stultorum perdet illos: non sane ob aliud, nisi quoniam male securos reddat. Cum autem dixerint, pax et securitas, tunc subitaneus superveniet eis interitus. Calcaria dicit non habere, neque flagella: sed horum loco uti Conopæo dissimulationis et flagello adulationis. Ugo in Exod. carnem pro auriga statuit.

59.
III. Currus dæmonis est avaritia; eius rotæ, equi et auriga design.

Tertius currus Pharaonis, id est dæmonis, est avaritia. S. Bern. ei dat quatuor rotas. Avaritia, inquit, rotis et ipsa vehitur quatuor vitiorum: quæ sunt pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio.

Equi avaritiæ duo ex Bern. tenacitas et rapacitas. Ugo in Psal. nostr. equos illius esse dicit, amorem parentum, et ambitionem dignitatum.

Auriga avaritiæ est unicus apud Bern. Hic, ait, unus auriga ambobus præsidet, habendi amor. Sola siquidem avaritia quoniam conducere plures non patitur, uno contenta est servitore: ipse vero iniuncti operis promptus admodum atque infatigabilis executor, urgendis sane iumentis trahentibus flagris utitur acerrimis; libidine acquirendi, et metu amittendi.

60.
IV. Currus Pharaonis est superbia.

Quartus currus Pharaonis, id est dæmonis, est superbia, quam ait S. Bernard. esse de maioribus principibus eius, sed eius apparatum relinquere se exercitationi nostræ. Ugo in Exod. c. 15. Superbiæ currui concedit rotas duas: præsumptionem et temeritatem: adde adulationem, et vindictæ desiderium, et sic quadrigam efficies. De quadrigia mali Regis vide S. Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap. 2.

Equi superbiæ ab Ugone assignantur in Ps. nostr. divitiæ et nobilitas. In Exod. unum tantum ponit, nempe appetitum vanæ gloriæ.

Auriga superbiæ unus ab eodem Ugone ponitur amor scilicet mundi in sella æmulationis, frænum habens avaritiam; et stimulum, livorem.

V. Currus dæmonis sunt omnia vitia.

Currus denique dæmonis sunt omnia vitia. Ugo in Ps. nostr. assignat currum superbiæ, iræ, avaritiæ, luxuriæ, adulationis et iactantiæ. In caput vero 5. Isaiæ varios ponit currus diaboli. Primum, ait, trahunt leones, id est superbi. Secundum trahunt gryphes, id est invidi. Tertium trahunt dracones, id est iracundi. Quartum trahunt bubali, id est acediosi. Quintum trahunt hericii, id est avari. Sextum trahunt ursi, id est gulosi. Septimum trahunt asini, id est luxuriosi. Hæc ille. Dæmonum priscorum currus possis sumere. Currum Iunonis trahebant pavones, id est superbi: fœminæ sunt arrogantiores viris. Currum Plutonis equi nigri, id est avari. Currum Veneris, cygni et columbæ, id est luxuriosi: cygnorum enim pennæ sunt albæ, cutis nigra: luxuriosi nitent vestibus, vita sordescunt. Currum Nemesis trahunt gryphes, id est iracundi. Si Martem pro ira malis ponere, eius currum equi ducebant. Currum Saturni, ducunt serpentes, id est invidi. Currum Bacchi, Lynces et tygres, id est gulosi et ebriosi. Currus noctis denique vel somni, movent vespertiliones, id est pigri.

61.
Equus est amans gloriæ.

Non tantum curribus utuntur vitia, sed nonnumquam equitant. Ideo dixit Propheta, *Hi in curribus, et hi in equis*. Non vagabor per omnia peccata, de superbia et luxuria strictim dicam, earum enim symbolum frequentius est equus, qui primo est animal φιλόδοξον, id est amans gloriæ: nam gaudet poppysmo, hoc est vocis blandimento et amica manus tractatione, subrecta item cervice graditur: Secundo, equus salax est et libidinosus: et de luxurioso dicit Andreas Cretensis in Apocal. ἐπιθηλυμανεῖ, id est, instar equi in fœminas insanit. Est equus, cui non est intellectus. Vide Psal. 31. 9. Itaque de eo ait Eccl. Auctor. cap. 23. 10. *Quasi pullus equinus fugabitur.*

Equus superbia insidens describitur.

Superbiæ equum graphice pingit Prudentius in Psychomach. Et in eo equitantem superbiam nobis ostendit, his versibus:

Forte per effusas insana superbia turmas
Effræni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, et validos villis oneraverat armos.
Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu,
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret ut addita cirros
Congeries, celsumque apicem frons ardua ferret,
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum,
A cervice fluens tenui velamine limbus,
Concipit ingestas textis turgentibus auras:
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frænarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obvertit terga, negata
Libertate fugæ, pressisque tumescit habenis,
Hoc sese ostendens habitu ventosa virago, etc.

Equites, qui ipsi superbiæ, ut effræni equo, insideant, describit S. Gregor. lib. 4. in 1. Reg. 2. Velut in equis ait, sæviunt, qui et sublimes sunt dignitate, et potentia truces. Equites quoque sunt: quia dum feroces cordis sui motus contra impotentes dirigunt, ad omne quod per tyrannidem exercere appetunt, veloces sunt. Anhelant quippe impetu, spumant rabie: et quos cursu tyrannidis impetunt, elidunt.

Equus luxuriæ cavendus.

Secundo, luxuriæ equum cavendum esse docet Philo lib. de Agricult. Alludens ad illud Deut. 17. ubi vetatur, ne Rex sibi equos multiplicet. Verba eius sunt: *Legislator inter præcepta docet, ne princeps eligatur equorum altor, parum idoneum ratus ad principatum, quisquis in voluptates, et concupiscentias, et amores impotentes insaniens, tamquam infrænis et contumax equus œstro suo agitur.* Ita Philo.

Currus et equi dæmonis implicantur et cadunt.

Equi porro illi dæmonis, currus et equites, implicantur et corruunt. *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt.* Primo, implicantur cupiditatibus suis, vel funibus vitiorum, ut ait Remig. in Psal. nostr. Hoc ipsum docet S. Paulus 1. B Timoth. 6. 9. *Incidunt in laqueum diaboli, et desideria multa et inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* S. Ambros. lib. 3. de Virginit. monet nos, ut ab his laqueis caveamus. Caveant, ait, ne dispari motu se velut equi implicent, ut bonum aut improbus decoloret, aut tardos impediat, aut turbidus inquietet. Secundo, post implicationem sequitur casus. Implicati sunt *et ceciderunt.* Tum a gratia bonoque statu mentis, ut explicat Dionysius: tum a pompa et fastu, ut S. August. in Ps. 32. Itaque audiendus est Seneca ad Lucil. *Redige te ad pauca, ex quibus cadere non possis.*

ARTICULUS IV.

Quanto studio et ardore populus orare debet pro Regibus.

62. Vers. 10

TANDEM populus concludit psalmum supplici et ardenti prece pro Rege suo, ei salutem et incolumitatem atque omnia bona desiderans, v. 10. DOMINE SALVUM FAC REGEM, ET EXAUDI NOS IN DIE QUA INVOCAVERIMUS TE. Id est, in quacumque die te ad opem ferendam vocaverimus. Nota, pro, *Regem* in Hebr. est המלך *hammelech*, quod aliqui primo sumunt quasi vocativum ob articulum *ha*, qui inservit casui vocativo. Ideo S. Hieron. vertit, Domine salva, Rex exaudies nos in die qua invocaverimus te. Felix vero. Domine salvum fac, Rex respondebit nobis in die qua clamabimus; et Chald. *Verbum Domini redime nos, Rex fortis suscipe orationem nostram, quo die nos invocamus.* Secundo et melius Septuag. *hammelech* vertunt βασιλεα, id est Regem: sensus enim est concinnior et accommodatior proposito psalm. in quo pro Rege speciatim oratur. Noster itaque, Arabs, Muisius, Vatabl. et alii vertunt, *Regem*, et articulus *ha* omni casui aliquando inservit.

63. Populi omnes orare debent pro Regibus suis, ob rationes sex.

Moraliter. Nationibus omnibus a natura inditum est, ut orent pro suis Regibus. Primo, quia, si in seipsis spectentur, sunt eminentissimi. Secundo, e Dei gloria est D sua dona in illis servare. Tertio, quia eorum vita et incolumitas est conservatio totius regni in lætitia et securitate: eorum virtus et sanctitas odorem suavissimum et latissimum spirat, atque subditos vivificat. Reges enim sunt columnæ, quibus omnes provinciæ illis a Deo creditæ innituntur. Sunt muri, quibus imbecilles, viduæ, orphani, pupilli circumteguntur. Sunt gladii, quibus hostis externus, et nefarius civis concidat. Sunt soles, qui caliginem omnem discutiant. Sunt anima politici corporis, sine qua informe cadaver et vermibus scatens putrescat. Naturalis itaque instinctus movet populos omnes, ut de Regibus, velut communibus parentibus et tutoribus, solliciti sint. Quarto, Reges a Deo constituti sunt.

64. Quinto, labores magnos pro Republica tolerant.

Hoc fecerunt. I. Iudæi.

Primo, Iudæi degentes Babylone pecunias mittunt Ierosolymam ad emendas victimas, ut pro Rege sacrificia fiant. Eorum Epistola habetur Baruch. 1. ubi v. 11. di-A cunt: *Orate pro vita Nabuchodonosor Regis Babylonis* (a quo capta et vastata Ierusalem erant captiveti) *et pro vita Balthasar* (qui etiam dictus est Evilmerodach, et fuit Rex ultimus Babylonis, ut aliqui volunt: alii negant solum hos duos fuisse Reges per septuaginta annos captivitatis Iudaicæ) *ut sint dies eorum sicut dies cæli super terram*, id est. 1. cum splendore, gloria et felicitate; 2. cum tranquillitate; 3. cum constantia; 4. cum diuturnitate, et sine corruptione. Orabant autem, etiam pro impio tyranno, familiarum suarum, urbis, patriæ totius eversore, uxorum, maritorum, liberorum et parentum occisore, suiipsorum duro et crudeli detentore; Dei ipsius, cuius templum everterat et incenderat, altaria et sacra polluerat, osore et negatore. Ad hoc movebantur Prisci, ut charitatem suam exercerent, quæ, ut ait Paulus 1. Corinth. 13. 4. *patiens est, benigna est.* Sic primi Christiani orabant pro Imperatoribus paganis, Nerone, Decio, et aliis, ut S. Iustin. Martyr testatur apolog. 2. et S. Cyprianus Episcop. Carth. et martyr, cum illi obiiceretur, quod ipse tamquam Christianus in Imperatorem Valerianum coniurasset, ait: Longissime absumus nos Christiani ab ista culpa, qui Cæsari etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen *quia princeps noster est*, bene cupimus et precamur, et rogamus Deum nostrum, ut ad cogitationem verorum bonorum adducat. Ita Cypr. Secundo itaque, pro paganis Imperatoribus orabant, ut Deus eos ad sui cognitionem et veræ fidei adduceret. Tertio, ut moderatiores essent in sua gubernatione, et Dei servus non torquerent. Quarto, ut virtutibus suis saltem naturalibus subditos in officio continerent. Quinto, ne vitiis iram Dei in se, et in totum imperium accerserent: Capite enim læso membra cætera contabescunt. Sexto, ut fines imperii conservarent ab externis hostibus, et eos augerent. Philo lib. de Legatione ad Caium Caligulam volentem cogere Iudæos, ut sibi tamquam Deo sacrificarent, ait: *Quatenus licet solvis patriæ pietatis legibus, hac parte Iudæa nulli genti cedi in tota Europa et Asia, vota pro incolumitate imperii tui faciendo, dono offerendo, mittendo victimas, non solum in celebritatibus publicis, sed etiam in quotidianis.*

Secundo, Gentiles a natura sola edocti pro Regibus suis oraverunt. Ægyptiis Regibus (quibus horæ tam noctis quam diei præfinitæ erant ad certa quædam agenda) in more erat, ut sub auroram experrecti literas undecumque scriptas reciperent: tum loti et regni insignibus splendidaque trabea (id est veste regia) ornati, diis sacrificaturi irent. Adductis tum ad aram victimis, mos erat Principem Sacerdotum Regi adstantem magna voce preces enunciare, ut dii sanitatem cum cæteris bonis Regi darent, ius et æquum erga inferiores conservanti. Ita Diod. Sicul. lib. 1. Serotinis horis Indi, ad tibiam canentes, precantur Deos suos, ut iucundissimis somniis Rex utatur; et benignus exurgat iis, qui eius imperio subsunt, ut ait Alexand. Sardus lib. 2. de moribus et rit. gent. 65. II. Gentiles.

Tertio, Christianum pectus Iudaico et Pagano longe augustius et sanctius, Reges, velut in sacrario, complectitur ac fovet, omniaque vota pro eorum vita et felicitate profundit. Hoc iam nascenti Ecclesiæ inculcat Paulus 1. Timoth. 2. 1. *Obsecro* (Græc. παρακαλω adhortor) *primum omnium* (id est, ante omnia, præ omnibus, ut explicat S. Ambr. et S. Chrysost.) *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, et omnibus qui in sublimitate* (Gr. εν υπεροχη, id est, in dignitate vel eminentia) *sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate*: Græce σεμνοτητι, id est, honestate et morum gravitate. 66. III. Christiani.

Consuetudinem hanc fuisse olim in primitiva Ecclesia constat ex S. Clemente lib. 8. Constitut. Apostol. Origene lib. 8. contra Celsum, Arnobio lib. 3. contra Gentes, Euseb. lib. 4. cap. 26. ex antiquis etiam missis seu Liturgiis. In Liturgia S. Basilii habetur: *Memento Domine piissimi et fidelissimi Imperatoris.* In Liturgia S. Chrys. et aliorum preces quoque in eam rem reperies. Tertull. ad Scapulam. cap. 2. sic de ea re loquitur: *Christianus nui-* 67. Hæc consuetudo fuit in primitiva Ecclesia.

lius hostis est, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat, et revereatur, et honoret, et salvum velit cum toto Romano imperio, quousque sæculum stabit, tamdiu enim stabit. Rationem reddit: *Colimus ergo et imperatorem sic, quomodo et nobis licet et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, etc. Itaque et sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece.*

Ut pro regibus oremus, incitant nos primo Patres. Secundo, Pontifices. Tertio, Concilia, præter Scripturam iam sæpius allatam.

I. Patres hortantur nos, ut pro Regibus oremus.

Ac primo, ex Patribus S. Chrysost. homil. 6. in 1. ad Timoth. ait: *Quam absurdum est, cum Reges idcirco militent, et arma circumferant, ut nos in tranquillitate atque otio simus, nos pro periclitantibus ac nostri causa labores suscipientibus preces effundere detrectemus? Sunt enim velut obices quidam hostibus oppositi, per quos in pace servemur.* Vide hom. 79. ad populum, homil. 20. et 79. in Matth. homil. 37. in Acta; homil. 2. in 2. ad Corinth. Deinde in Ps. 112. et 149. homiliam de Adam, et Eva, aliasque.

II. Pontifices.

Secundo Pontifex Innocentius IV. decem dies indulgentiarum concessit pro Rege Francorum deprecanti, ut est in glossa pragmat. sanction. in proœmio 3 verbo. Tueretur. Clemens Pontifex liberaliori manu thesaurum Ecclesiæ aperuit, cum centum dies addidit, ut Ioan. Feraid. ait privileg. 3. Regis Franciæ. Leo autem X. munificentissimum se præstitit, cum ad prædecessorum aubrum dona, annum integrum adiecit, ut testis est Helias Archiepisc. Turon. in defens. concord.

III. Concilia.

Tertio, Concilium Rhemense 2. iussu Caroli Magni coactum anno 813. sic præcipit cap. 40. *Pro Domino Imperatore, suaque nobilissima prole, orationes et oblationes, super has quæ hactenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatæ sunt, augeantur: ut eos suis temporibus in præsenti sæculo, cum omni felicitate custodiat, et in futuro cum sanctis Angelis suis pia miseratione gaudentes efficiat.* Cabilonense Concilium 2. eodem anno celebratum cap. 66. ita præcipit. *Omnis iste conventus gratissima deliberatione decrevit, ut ab omnibus indesinenter orationes fiant pro vitæ incolumitate, pro salute animæ et corporis Domini Imperatoris, prolisque eius, pro statu regni, pro remissione peccatorum, et cælestis regni collatione: ita dumtaxat, ut semper magis ac magis per incrementa temporum talis crescat observatio.* Vide Concil. Arelat. 3. c. 2. Moguntinense 2. cap. 66. et alia.

ARTICULUS V.

Quanta pietate Deo supplices in bello fuerunt Reges Francorum.

68. Psalmum hunc, ut supra monui, Rex David non tantum composuit populo dandum et ab eo concinendum: sed cum populus eum canebat, voces quoque suas illi adiungebat, et dicebat: *Domine salvum fac Regem* (id est, me, non quod David sit dignus tua ope, sed quia est Christus tuus, a te unctus in Regem et caput populi constitutus, q. d. serva caput populi tui) *et exaudi nos in die* (veniet nox, in qua nemo poterit operari, in luce tua adiuva) *qua invocaverimus te.* Hebræi sæpe de seipsis loquuntur in tertia persona.

Reges pro seipsis debent orare.

Populus quidem, ut vidimus, pro regibus orare debet, sed par est ratio, ut pro se Reges ipsi orent, et se Regi Regum submittant. Hoc in exercitio Reges Francorum excelluerunt. Licet enim Franci ardore Martio prope omnibus populis antestent, non est tamen hic brutus impetus: sed cum calore illo venis infuso certat animis innata pietas, quæ in pectore Regum præsertim, velut in fœcundo liliorum paradiso, effloruit. Hi enim ita pugnarunt, quasi ab ense suo uno præsidium expectarent: ita Deo preces fudere pro victoria, ut eam a cælo solo, unde fluit, sperare viderentur. Itaque ante pugnam, in pugna et post pugnam pietatem suam erga Deum testatam omnibus sæculis reliquerunt.

Hoc fecerunt Reges Galliæ.

69. I. Ante pugnam.

Primo, quidem ante pugnam. Primo, precibus Deo et sanctis eius, publice oblatis. Dagobertus Rex Franciæ instituit, ut refert Ioan. du Tillet tract. de Reg. Franc. ut Reges priusquam in hostem moverent, ad S. Dionysii Franciæ Apostoli et tutoris Ecclesiam venerabundi pergerent, ut illius sanctorumque Rustici atque Eleutherii opem implorarent: sacram Lipsanorum thecam in supplicatione deferri voluit, cui Rex interesset, Principes nobilesque: qui coronam, sceptrum manumque Iustitiæ portarent, et Magister equitum ensem regium ante Regem ipsum præferret. Curia suprema Parisiensis, Universitas et præcipui cives Parisienses nudo capite sequerentur. Supplicatione finita Rex coronam capite, dextra sceptrum, læva iustitiæ manum gerens, hæc omnia sanctis Martyribus, Dionysio, Rustico et Eleutherio offerret, *veluti se regnumque suum eorum tutelæ committens.* Ita ibi. Secundo, ad bellum se pararunt Reges per humilitatem sanctam et erga Sanctos et Deum. Ludovicus Crassus Rex Franciæ Henrici IV. Imperatoris numerosum exercitum veritus, ad solitam maiorum pietatem adiecit, quod propriis humeris in locum ordinarium sacra Lipsana retulit. Philippus Valesius item Rex, non solum dum loco suo reliquiæ eorumdem Sanctorum restituerentur, sed etiam dum ex eo extraherentur, regios humeros eis supposuit in Flandros bellum gesturus, quo bello eos superavit in memorabili prælio. Sic qui humeros sanctis subiecit, pede hostes compressit. Tertio, precibus et mentis demissioni adiecerunt Reges dona. Cum Clodovæus in Alaricum Regem Gothorum duceret exercitum, pretiosa misit munera ad templum S. Martini Turonensis: tam feliciter vero bellum illud confecit, ut Alaricum ipsum regia manu trucidarit.

Quarto, Reges variis votis se ante pugnam obstrinxerunt, si Dei ope victores evaderent. Primo, vota fecerunt peregrinationum. Pipinus Rex voto peregrinationis ad S. Swiberti ædem emisso, de Westphalis et Saxonibus adhuc paganis præclaram retulit victoriam, cum illis numero longe esset inferior, ut refert Surius in appendice ad vitam S. Swiberti 1. Martii. Fiduciam, ait, habens in Deum, recordatusque miraculorum, descendens de caballo suo prostratus in terram, flexis genibus S. Swibertum devota mente invocans, et auxilium et patrocinium implorans vovit Deo et ipsi S. Swiberto, quod si is pro honore nominis Christiani, a Christo sibi et exercitui suo, suis meritis et precibus victoriam contra paganos impetraret, et Christianum populum protegeret, et sanum inde reduceret, ipsum in Ruverdo, cumque suis primatibus suppliciter visitaret. Quo emisso voto statim lux immensa super exercitum Christianorum splendens, non solum paganos exterruit, sed et fere excæcavit, pavorque ingens eos invasit: quod cernentes pagani timore valido perculsi, formidantes manum omnipotentis Dei Christianorum super eos sævire, cæliumque super eos ruere, concilio celeriter inito, miserunt duos satrapas ad Pipinum petentes, quæ sunt pacis, eique se subdentes. Hæc ibi. Secundo, Reges fecerunt vota templorum excitandorum, si vincerent in acie. Childebertus in Theudem Regem Gothorum Arrianum pugnaturus vovit erectionem Ecclesiæ S. Aviti, si obtineret victoriam, quam feliciter consecutus est, ut prædixerat S. Eusichius, cuius se precibus commendarat. Tertio, Philippus Augustus Rex cum Othone Imper. et Ferrando Comite Flandriæ pugnans vovit Abbatiam se in Dei honorem fundaturum, quod præstitit Sylvanecti post fugatos cæsosque hostes, et Abbatiam a Victoria nomen habere voluit.

70. II. In pugna.

Secundo, in pugnæ ipsius ardore divino præsidio se niti declarant Reges Francorum. Primo olim sacro flammeo Francico, quod Auriflammam quidam vocant, utebantur. Hoc a Guillelmo de Nangis appellatur vexillum S. Dionysii. E cælo delatum fuisse vult Gaguinus. Sic enim loquitur in Clodovæo: *Traditum est*, inquit, *pannum sericum rubrum instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem divinitus esse exceptum, quo in expedi-*

tionibus contra fidei Christianæ hostes pro signo Franciæ Reges uterentur. Huicque cexillo nomen Auriflammom hactenus permansisse: diuque o Dionysianis cœnobitis asservatom esse, sed obutentibus signo odversus Christicolas Regibus illud evanuisse. Sic ipse. Fieri potest, ut de cælo mysticum illud flammeum sit delapsum, et tamen diebus solemnioribus pro vexillo fuerit in Ecclesia S. Dionysii. Cum varient auctores, liberum est cuique suum hac in re iudicium. Ad solum flammei illius labari aspectum hostes Francorum sæpe fugere solitos advertit Rigordus de gestis Philippi Augusti: *Consueverunt,* inquit, *antiquitus Reges Francorum, quod quandocumque contra hostes arma movebant, vexillum desuper altare S. Dionysii pro tutela seu custodia secum portabant, et in prima acie pugnatorum ponebant: quod videntes adversarii, et cognoscentes, territi multoties terga dederunt.* Hoc patuit vel maxime primo S. Ludovici Regis in terram sanctam ingressu. Explicato enim hoc flammato vexillo, ac viso vultu terrifico Regia, qui primus ense stricto in mare desiliit, hostes territi fœdam se in fugam coniecerunt: tantaque consternatione subduxerunt, ut Pelusium, vulgo Damictam, munitissimum provinciæ totius propugnaculum prætergressi, patentes portas Francis victoribus reliquerint.

Secundo, Reges Franciæ in sanctorum reliquiis spem suam repositom habuerunt. Dagobertus quidem pietate excellenti conspicuus, S. Hilarii sacra lipsana in exercitus sui prima acie veluti murum ductilem fortissimum deferri curabat. Pipinus vero, S. Ioannis Baptistæ reliquiis agmen suum muniebat, ut vires militibus et equis, consilium ducibus, hosti terrorem inderet.

Tertio, ipso conflictus in ardore et inclinatione victoriæ ardentia orationum tela in cælum Reges emisere, quibus paternum summi numinis pectus sauciarent, suorum ut clientium miseratione tangeretur. Quo factum est sæpius, ut prope victor hostis terga daret ac spolia. Vulgatum est Clodovæi in Alemannos pugnantis auspirium, *Saint Denys mon Ioye*: aut aliis placet, *Saint Denys mont joye*, q. d. post Deum, soam lætitiam, robur, ac spem, in eo consistere. Vel, obiecto Iove, eius se verum Deum venerari. In pugna illa celebri Caroli VI. contra Flandros, cum iam ab hostibus stare victoria crederetur, miles quidam inclamavit, *Notre Dome, mon joye S. Denys*, Deiparæ sanctique Dionysii opem implorans: statimque Franci redintegratis viribus in hostem irruerunt tanto impetu, ut victores quadraginta millia Flandrorum cum duce eorum Arteviilo occiderint, quadraginta tantum tribus e suo numero desideratis. Carolum Martellum plurimas per B. Virginis et S. Martini invocationem reportasse victorias tradit Aripertus in historia Gothorum.

Nostris quoque temporibus plurimas de hæresi et aliis hostibus victorias retulit spectata pietas Ludovici XIII. cui tota pene Europa in præliis cessit. Illustre est, quod, cum Rheam insulam atque S. Martini castellum post quatriduum in potestatem Anglorum ventura audivisset, se in Deiparæ sacrum recepit, ubi Confessioni act sacræ Communionis perceptis mysteriis, tres horas totas in oratione perstitit cum plurimis aulicis. Miram rem panis ille fortium, sæculis omnibus suspiciendam, tantæ pietati rependit. Anglorum enim tunc navibus fœda tempestate disiectis, quæ concatenatæ aditum omnem ad insulam Francis obstruebant, post triduum naves Regis in eam deportatæ rebus pene perditis remedium attulerunt. Cum victis Anglis quos Rupeliani advocant, et cibis consumptis, ipsam urbem Rex victor est ingressus, Eucharistiam pedes tota urbe prosecutus est, ut significaret omnibus, ut ait noster Petrus l' Abbé, Deum suis semper victoriis prævivisse.

Tertio, post pugnam acceptorum beneficiorum memores Franciæ Reges Deo gloriam tribuerunt, ut patet in votis persolutis, de quibus supra, in frequentibus supplicationibus, sicut sæpe vidimus in novis donis, ut in Clodovæo post victoriam de Alarico, dicere me alias memini. 71. III. Post pugnam.

Concludamus itaque cum Davide Rege, *Hi in curribus, et hi in equis*: Francorum autem Reges et cæteri Christiani, *in nomine Domini Dei nostri invocabunt.* Credebant olim Hebræi viro illi, qui rite nomen Iehova pronuntiaret, nihil factu esse impossibile; Ideoque Salomonem cum id resciret, naturalium nihil rerum ignorasse, Mosemque de hostibus semper extitisse ea de causa victorem. Vana hæc sunt et Rabbinica somnia: verum tamen est, Dei nominis invocationem magnarum esse virium. Unde sapienter Carolus IX. Rex Franciæ in numismate Deiparam insculpi voluit, et columbam radiis circumfusam, hoc addito acroamate: *In Deo spes mea.* Non ita tamen ut segnis auxilium a Deo expectans operi manum admovendam non censeret. In altera enim parte numismatis videtur corona columnis duabus implexis imposita, his adiectis verbis, *Pietate et iustitia.*

PSALMUS VIGESIMUS.

1. Domine in virtute tua lætabitur Rex: et super salutare tuum exultabit vehementer.
2. Desiderium cordis eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.
3. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.
4. Vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.
5. Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.
6. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.
7. Quoniam Rex sperat in Domino: et in misericordia altissimi non commovebitur
8. Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.
9. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.
10. Fructum eorum de terra perdes: et semen eorum a filiis hominum.
11. Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.
12. Quoniam pones eos dorsum: In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.
13. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus et psallemus virtutes tuas.

PSALMI VIGESIMI ANALYSIS.

Populus Christianus Patri æterno gratias agit, propter

- Victoriam Christi Regis. 2. qua
  - Ab hostibus est liberatus. 2.
  - Victoriæ optatæ compos factus. 3.
  - Benedictionibus suavissimis cumulatus. 4.
  - Corona Regia exornatus. 4.
  - Vita æterna donatus. 5.
  - Triumpho illustrissimo honestatus. 6.
  - Felicitate cælesti cumulatus. 6.
  - Lætitia undante completus. 7.
  - In virtutibus firmiter radicatus. 8.
- Atque hostium eius punitionem. 8. qua
  - In die Iudicii.
    - Iusto tribunali rei sistuntur. 9.
    - Comprehensi dolore uruntur. 10.
    - Viso iudice turbantur. 10.
    - Sententia audita in inferos detruduntur. 11.
  - In inferno.
    - Præteritorum memoria torquentur. 10.
      - Divitiis amissis. 11.
      - Filiis occisis. 11.
      - Hostibus beatificatis. 12.
    - Præsentium flagellorum sensu cruciantur. 13.
    - Futurorum consideratione exanimantur. 13.
      - Tormentis suis visis. 13.
      - Dei iustitia 14.
      - Et iustorum lætitia. 14.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus David.

Hic psalmus correspondet præcedenti: quod enim ibi poscebatur et futurum prævidebatur, hoc evenisse dicitur, et de eo lætitia declaratur.

I. Argumentum psalmi quale sit. I. Sententia. Primo, de quolibet Rege victore explicant Agellius et Titelmannus. Secundo, de Rege Ezechia post morbum curato. 4. Reg. 20. exponunt S. Basil. Nicephor. Euthym. Beda, Theodoretus, qui sic ait: Post illustrem ac splendidam victoriam, Assyriorumque invisibilem perniciem, beatus Ezechias in morbum incidit. Et eum per Prophetam Isaiam se moriturum didicisset, ferventibus lacrymis
II. Deum placens, et morbi liberationis compos fuit, et quindecim annorum vitæ promissionem accepit. Ita Theodor. qui vult populum in hoc psalmo loqui: Euthymius vero familiares et domesticos Ezechiæ. Eam explicationem iuvare videtur v. 5. *Vitam petiit o te*, etc.

III. Tertio, de Davide Christum optante et venturum ex se prævidente exponit S. Athanasius. Hunc, inquit, psalmum amici Davidis Regis concinunt, velut eo lætante, quod e semine suo salutare mundo sit profecturum. Hoc enim erat, quod ex animo desiderabat, sibique dari maxime quærebat: quod et illi, quasi corona pretiosis lapidibus contexta, quæ caput suum exornaret, collatum est. David enim cum Domino suo, eodemque filio secundum carnem inter omnes gentes gloria ingenti decoratur: neque corona tantum fuit illi hoc salutare, sed vita, et longitudo dierum, et gloria, et magnificentia, et lætitia, gaudium et spes, et misericordia inconcussa. Ita Athan. Sed hoc est mysticum.

IV. Quarto, de Christo ipso, et solo, ad literam explicant S. August. S. Hieron. Chald. Rabbini veteres teste ipso R. Salomone, Cassiod. Thomas Angl. Sangrin. Aiguan. Turrecr. Caiet. Ianson. et alii. Et quidem de illo ut Deo et homine, Ludolphus, Lombardus, Ugo Cassiod. qui Incarnationem spectari vult, sed melius Remigius agi censet de Resurrectione, in qua vitam gloriosam, quam petiit, obtinuit. De eo ut Sacerdote et Rege exponunt Ugo et Palanterius. Sed rectius de illo ut Rege S. Augustin.
A Dionys. Bellarm. Sa, Mariana, Lombardus et pene omnes reliqui.

Quinto, magis ad literam arbitror scriptum esse de Davide Rege, ore populi sui gratias agente, ob victoriam reportatam de Syris, Ammonitis, vel aliis populis. Licet enim sint aliqua, quæ non ita conveniant Davidi, hoc tamen non impedit, quo minus pleraque etiam de eo dicantur. Sæpe enim in eodem Scripturæ contextu aliqua magis pertinent ad typum quam ad antitypum, et contra. Ut patet Luc. 21. ubi agitur de fine mundi sub typo evertendæ Ierosolymæ. Hoc frequens est in Prophetis. Itaque nimis est rigidus censor Lyranus, qui hanc expositionem ait esse confictam, et eos, qui illam sequuntur, Iudaizare: quod verum esset, si Christum excluderemus. V.

Sexto itaque, plene et adæquate S. Thomas. Hic, inquit, psalmus exponitur de Christo, qui est Rex, et de David, qui fuit eius figura: et ideo de utroque potest exponi: de Christo, secundum veritatem: de David, secundum figuram. Ita ipse, in eadem sententia est Iansenius. Longe certe perfectius de Christo omnia hic dicuntur VI. Et optima.
B quam de Davide, de hoc enim vix poteris explicare v. 5. *Vitam petiit o te et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi*, Item v. 7. Profitere cum Didymo. *Qui constitutus est Rex super montem Sion, is vere Rex est, qui ob præstitam illi a Deo potestatem, lætus omni iucunditate exultat. Cum itaque præsens hic psalmus verum ac germanum finem respiciat, quæ in eo dicta sunt, in finem inscribuntur. Quin, et canticum pro victoria iuxta Symmachum, et victori canticum iuxta Aquilam nominatur, quoniam inimicorum et oppugnatorum Dei perniciem recenset*. Cum præcedentem de David. Psalmum exposuerim, hic in Christo potissimum pedes figam.

Tropolog. Psalmus accipi potest de quolibet viro iusto supra mundanas concupiscentias constituto, et regnante cum Christo, tum in hac, tum in alia præsertim vita. Ita Didym. Lyran. Titelm. Richardus Pampolitanus.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

2. DUO FACIT. PRIMO, GRATIAS AGIT ECCLESIA OB VICTORIAM A CHRISTO OBTENTAM DE DIABOLO ET ALIIS HOSTIBUS, VERS. 1. SECUNDO, MAIOREM ADHUC HOSTIUM DEPRESSIONEM ET ATTRITIONEM PRÆDICIT, VERS. 9. USQUE AD FINEM.

SECTIO PRIMA.

Tria complectitur. Primo, Christi Regis gaudium et gratiarum actionem, v. 1. Secundo, causam gaudii ob accepta beneficia et triumphum de hostibus, v. 2. Tertio, causam, cur Deus dederit victoriam: nempe spem de auxilio a Deo concedendo, v. 7.

PARAPHRASIS.

2. *Domine in virtute tua lætabitur Rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.*	2. Domine Deus, a cuius unius nutu pendet victoria. Rex noster Christus per te nunc triumphans lætabitur tuam ob potentiam, qua de hoste spolia opima retulit: populumque suum a periculo liberum, seque sine vulnere victorem advertens subsilit, tibique gratias refert ex animo.
3. *Desiderium cordis eius tribuisti ei: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.*	3. Omnium enim votorum compotem illum attritis hostibus effecisti: et quicquid ore cupere se significavit, id omne pro tua benignitate liberaliter tribuisti.
4. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*	4. Quia etiam ultro nec postulanti plurima e suavissimo bonitatis tuæ fonte defluentia munera concessisti. Atque ut aliqua a te donata enumerem; quis non prædicet, quod Regem eum omnium hominum et Angelorum constituisti, et corona splendidissima et pretiosissima in cælo exornasti?
5. *Vitam petiit a te; et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi.*	5. Cum acerbissimis tormentis in cruce laniaretur, vitam a te gloriosam expetiit. Tu vero petitis annuens, eam et quidem æternam dedisti.
6. *Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.*	6. Per te ab hostium manibus servatus, in magna gloria populique exultatione triumphat: atque in dies singulos auctiorem illam gloriam efficies, novis subinde devictis hostibus, et cultui eius adiunctis populis.
7. *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*	7. Nam illum tam uberi benedictione cumulabis, ut aliorum ipse sit benedictio; et in nomine ac virtute eius omnes terræ populi benedicantur. Summam ei lætitiam, et in hac vita favor tuus, et in alia divinæ essentiæ tuæ visio afferet.
8. *Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.*	8. Hæc omnia beneficentiæ tuæ munera in Regem nostrum Christum defluxerunt, quod spem suam in te uno reposuerit: ideoque spretis hostium viribus nihil timebit, te uno adiutore securus.

QUÆSTIO UNICA.

QUALE CHRISTI REGNUM, BELLUM, ET VICTORIA.

3. *Ordo Sectionis.* CHRISTUM Regem hic inducit Propheta paternis benedictionibus cumulatum, et victis hostibus triumphantem, v. 2. *Domine in virtute tua lætabitur Rex, et super salutare tuum exultabit vehementer.*

Victoriæ Christi septem proprietates. Secundo, lætitiæ causam in triumpho proponit, quod victoria eius fuerit. Primo, maxima: qualem scilicet mente expetierat, v. 3. *Desiderium animæ eius tribuisti ei:* et ore postularat. *Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Secundo, suavissima, ob ubertatem prædæ, v. 4. *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Tertio, ditissima, ob auri et lapidum pretiosorum copiam. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretiosa.* Quarto, diuturna, ob æternitatem concessam, v. 5. *Vitam petiit a te: et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum et in sæculum sæculi.* Quinto, gloriosa, v. 6. *Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam et magnum decorem impones super eum.* Sexto, in alios derivata, v. 7. *Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi.* Septimo denique, lætissima. *Lætificabis eum in gaudio, cum vultu tuo.*

Tertio, causam ipsius victoriæ assignat, spem in Deum, v. 8. *Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericordia altissimi non commovebitur.*

ARTICULUS I.

Christus fuitne vere Rex.

A HOC asserit Rex noster vers. 2. DOMINE IN VIRTUTE (Hebr. עז *oz*, Græce *δύναμις*, id est, robore, viribus, potentia, ut Chald. Syr. et Arabs vertunt. In fortitudine, ut S. Hieron. et Pagnin.) TUA LÆTABITUR REX: ET SUPER SALUTARE TUUM (Hebr. בישועתך *biscinatcha*, id est, in salute tua, hoc est, per te parta) EXULTABIT VEHEMENTER. Sensus est, q. d. Non lætatur Rex noster, neque postea lætabitur de parta victoria et subactis hostibus, perinde quasi hoc suo industria, virtute, robore ac fortitudine, militumve suorum numero, armis, solertia, vigilantia, ardore et impetu eam sibi populoque suo gloriam ac lætitiam peperit: sed illam tibi acceptam referet, te eius auctorem, promotorem et consummatorem agnoscit. De Christo id aperte exponit Chald. cum vertit: *Domine in robore tuo* (hoc est, per robur tuum) *regnabit Messias, et in redemptione tua vehementissime exultaturus est.* Quod bellum gesserit Christus, et quam salutem obtinuerit, dicetur in articulis sequentibus. Vers. 2. 4.

CHRISTUM Regem a Deo Patre creatum fuisse clare docet ipse Ps. 2. v. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* B Chald. inducit ibi loquentem Patrem æternum, et sic reddit. Ego evexi Regem meum et constitui ipsum. Symm. Ego unxi Regem meum. Vide ibi dicta: fuse enim egi de Regno Christi

spirituali et temporali, atque quomodo in variis mysteriis regius ille splendor emicuerit. Ne prorsus hinc ieiunus abeas, paucula addamus.

5. Christus fuit Rex. Primo, nullus est, qui Christum Regem fuisse neget. A Niceta in oratione 42. S. Gregor. Nazianz. vocatur *naturæ Rex*, quod ubique dominetur, ac iure suo omnibus imperet. Quod emblemate agni masculi, qui offerebatur quotidie in templo, figuratum fuisse opinatur. Verba eius sunt: *Mas est fœmina perfectior et principatu dignior: sic nimirum Christus naturæ Rex est, ut mas fœminæ: ac proinde totius naturæ humanæ, quasi nubilis cuiusdam puellæ, solus sponsus est, qui animis nostris cognitionis divinæ semina inseruit.* Illustriores sunt Christi Regis figuræ, David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, et illis longi antiquior Melchisedech, aliique pii Reges et Principes, qui partim acceptum a maioribus suis populum Dei rexerunt, partim virtute bellica hostes domitos sibi subiecerunt, eisque dominati sunt, quantumvis reluctantibus: ita Christus Rex est omnium, sive sponte se illi subdant, sive coacte. S. Greg. Nazianz. hoc docet orat. 46. *Regnare Christus duplici modo dicitur*, ως παντοκρατωρ θελοντων και μη. *Uno quidem modo, ut omnipotens Imperator volentium atque nolentium: altero autem, ut subiectionem in nobis gignat, et sub imperium ac ditionem nos redigens, libenter ipsius regno colla submittentes.* Rex ille est Idida, id est, amabilis, hoc est verus Salomon, seu potius David noster, id est, amor seu amabilis, ut alias explicui: non enim regnum occupat, ut tributariis vectigalibus subditos atterat: neque ut subiectos hostes consumat, sed ut omnes iuvet atque promoveat. S. August. id declarat tract. 51. in Ioan. paulo post initium, ubi illud explicans, *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel*. Ioan. 12. 13. sic loquitur: *Quid magnum fuit Regi sæculorum, Regem fieri hominum? Non enim Rex Israel ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandas: sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, verbum per quod facta sunt omnia, quod Rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio: miserationis indicium est, non potestatis argumentum. Qui enim appellatus est in terra Rex Iudæorum, in cælis est Dominus Angelorum.* Ubi adverte, pro, *qui venit* in Græco est, ο ερχομενος, ille veniens, ille, qui venturus erat, et tanto ardore a Patriarchis et Prophetis expectabatur. Venit autem in nomine Domini, id est, auctoritate et vice Dei.

Et quidem etiam temporalis. Secundo, Christus verus Messias fuit Rex non solum spiritualis ob summum Sacerdotium: sed etiam temporalis ob politicam potestatem in corpora et res corporales.

Reiicitur Ioannes de Ianduno. Reiiciendus est itaque Ioannes de Ianduno, qui ausus est dicere, Christum nullo modo ius illud temporale in regna habuisse, sed regibus et legibus fuisse subiectum, ac tributa ex necessitate legis, non sponte solvisse: sed hanc ultimam opinionem Ioan. 22. ut hæreticam iure damnavit. Neque audiendus est Bartholomæus Medina, qui vult Christum a se abdicasse omnem hanc Regiam potestatem: sed unde hoc illi constat? Fallitur quoque Armacanus, qui ius Regni temporalis Christo dat in solos Iudæos, quod ab eorum Regibus esset oriundus, sed hoc discussi Ps. 2. Fallitur etiam Almainus, qui Christo dat quidem Regiam potestatem in omnes nationes, sed tantum ex privilegio Deitatis.

6. Christus fuit Rex Regum totius terræ etiam cum viveret. Tertio, Christus fuit etiam cum viveret, Rex regum omnium terræ. Nam supra illos omnes temporalem potestatem habuit, idque ex vi unionis hypostaticæ. Dignitas enim et potestas Regis in Rempubl. est ius et potestas imperandi, in eis quæ ad politicam gubernationem eius spectant, leges ferendi, et in omni controversia sententiam pronunciandi, ut dirimatur: Humanitas autem Christi ipsa deificatione ita digna reddebatur, ut si vellet toti universo, et omnibus regibus constitutis imperare, leges ferre, controversias eorum per sententiam dirimere, omnes tam Reges quam alii de populo, qui nossent ipsam esse Verbo unitam et ratione unionis deificatam, hoc ipso deberent ei obedire: non solum quatenus nutu divinæ voluntatis directa imperaret et leges ferret, sic enim et Prophetis ex divina voluntate missis omnes obedire debebant, et tamen illi Reges non erant, sed etiam quatenus ex propria voluntate imperaret, et leges ferret: eo quod ex unione summam illam dignitatem esset consecuta. Nam sicut ipsa unione ad tantam dignitatem evecta est Christi humanitas, ut non manserit serva etiam Dei, tum etiam summo honore digna effecta est, cui in omnibus parere, et auscultare omnes debeant: et sicut Christus secundum humanitatem, secluso etiam titulo redemptionis, non erat subditus principibus sæcularibus, ut eis tributa solveret: ita etiam contra, omnes ei subditi erant. Ita Vasquez in 3. parte, qu. 22. disput. 87. An vero hæc potestas a Christo data fuerit Pontificibus, nec mei ingenii est, nec voluntatis determinare. Vivant felices et quieti Pontifices Regesque uniti in vero Melchisedech Rege et sacerdote, cum eoque vota sua Deo offerant ad salutem populorum. Qui has duas potestates inter se committere contendunt, hoc vano et insani quæstionum tumultu, sapienter a Caussino nostro similes dicuntur Neroni, qui Isthmum Corinthiacum perfodere conatus est, ut duo maria, Ægæum scilicet atque Adriaticum et fluctus sinus Corinthiaci, inter se eum gaudio contendere cerneret.

Nota. Sex præsertim differentias inter Christum Regem, et alios Reges afferre possis. Primo, alii Reges nascuntur puri homines: Christus in instanti conceptionis suæ Rex fuit Apocal. 19. v. 16. *Habet in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.* Sicut igitur in capite habet nomen divinitatis, quod nemo novit nisi qui accipit: ita in femore, id est, in humanitate, habet inscriptam Regiam suam dignitatem ob unionem, quæ est eius corona et splendor. Itaque nec illi Sapor, nec Commodus antequam nascerentur Reges declarati, nec Porphyrogeniti purpuratis Imperatorum fasciis atque cubiculo nati, illi sunt comparandi. 7. Inter Christum Regem et alios reges fuerunt differentiæ. I.

II. Secundo, aliis regibus soli et pauci obediunt, et insanus habitus est Xerxes, quod compedes in mare coniecerit iratus, illudque flagellis cædi curaverit, quod voluntati eius non obsecundasset. Christo vero non solum homines, sed etiam animalia cæteræque creaturæ obtemperabant. Quidam apud Dionem Chrysostom. dicebat: Si Rex perfectus inveniretur, fore, ut ipsa etiam animalia sponte illi obedirent. Quis Rex fingi potest vel cogitatione, qui ad Christi perfectionem accedat? De illo dicitur Matth. 8. v. 27. *Qualis*, (quam magnus et mirabilis. Gr. ποταπος, ex quo solo, Cuias, q. d. ποδαπος ex δαπεδου, pavimentum solum) *est hic: quia venti et mare obediunt ei?* Quod ad mores deducens S. Aug. hom. 3. inter 17. quæ extant in fine tom. 10. *Magis*, ait, *imitare ventos et mare: obtempera creatori sub iussione Christi: mare audit et tu surdus es. Mare audit et ventus cessat, et tu sufflas? Quid? dico, facio, fingo: quid est aliud, nisi sufflare et sub verbo Christi nolle cessare? Non vos vincat fluctus in perturbatione cordis vestri.*

III. Tertio, Regum imperia certis et brevibus limitibus clauduntur. Christus est Rex totius orbis, Ps. 2. v. 8. *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.*

IV. Quarto, Reges terreni ostentandæ auctoritatis suæ maxime sunt cupidi: Christus vero illam texit: sed velut erumpens e nube fulgetra, sponte emicuit.

V. Quinto, omnia terræ regna morte extinguuntur: Christi vero Regnum tunc vel maxime elucet.

VI. Sexto denique, Reges terræ alios sibi vel æquales, vel etiam superiores ac potentiores habent: Christo autem se Reges omnes subiiciunt, vel ab eo, cum placet, conteruntur. Vocatur Apocal. 1. v. 5. *Princeps Regum terræ.* Pietas hæc in Regibus Franciæ plurimum effulsit, eamque illi testatam omnibus esse voluerunt, eum in suis nummis aureis crucem insculpi curarunt, cum hac inscriptione: *Christus regnat, vincit, imperat.* Illustre est, quod sit S. August. seu verius Rabanus Maurus, aut incertus auctor tractatu de Antichristo, qui extat t. 9. operum eius,

fol. 1189. edit. Basileensis: nempe Regem unum Francorum, Regum omnium fore ultimum, coronamque suam in olivarum monte, Christo Regum cæterorum orbisque terrarum supremo Regi oblaturum. Non erit iniucundum verba ipsa audire. *Quidam*, inquit, *doctores nostri dicunt, quod unus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integra tenebit, qui in novissimo tempore erit, et ipse erit maximus et omnium regum ultimus. Qui postquam regnum feliciter gubernaverit, ad ultimum Ierosolymam veniet, et in monte oliveti sceptrum et coronam suam deponet. Hic erit finis et consummatio Romanorum Christianorumque Imperii. Statimque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum.* Hæc prophetia est admodum incerta.

ARTICULUS. II.

Bellumne gessit Christus, et quomodo hostes suos devicit.

8. Licet Christus sit verus Salomon, id est, pacificus, atque ab Isaia dicatur *princeps pacis*, c. 9. v. 6. et a Paulo, *pax nostra*, Ephes. 2. v. 14. idem tamen gladium in terras attulit, et a Patre æterno in hostes omnes suos armatur et roboratur. Unde dictum est v. 2. *Domine in virtute tua lætabitur Rex*, (Christus scilicet, ut mox explicui) *et super salutare tuum exultabit vehementer*.

Vers. 3 Nunc vero quam felix fuerit illud bellum, et quam perfecta victoria, declaratur v. 3. DESIDERIUM CORDIS EIUS (id est, rem desideratam a corde, id est mente, eius. Est metonymia) TRIBUISTI EI: ET VOLUNTATE LABIORUM EIUS (hoc est, re volita et declarata per labia, est metonymia: et prosopopœia, quia labiis assignatur voluntas) NON FRAUDASTI EUM. Nota pro *voluntate* Hebraice est, ארשת *arescet*, id est, ut ait R. David et Mercerus, expositio, declaratio, apertio, pronuntiatio, enunciatio, prolatio, elocutio, eloquium. Chald. vertit, prolationem labiorum eius non prohibuisti in æternum. Septuag. vertunt θέλησιν, id est, voluntatem, ut noster et S. Hieron. reddunt, hoc est, declarationem voluntatis, seu manifestatam voluntatem. Ab *arescet* vernaculum *arrest* commode deducemus.

Si vero desiderium iusto dabitur, quanto magis Christo omnis iustitiæ et sanctitatis auctori? S. Augustin. in lib. de quæst. veteris et novi testamenti tom. 4. (si tamen hic liber est S. August. alterius enim auctoris videtur esse) dicit: *Impossibile est, ut Salvatoris colunlas non impleatur: nec potest velle, quod scit fieri non debere.* Quomodo habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis, vide apud S. Thomam 3. p. quæst. 13. art. 4. Deus dicit Is. 46. v. 10. *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet, vocans ab Oriente avem* (id est, Cyrum, qui a Perside, quæ est Babyloni orientalis, venit instar avis rapacis cum celeritate et impetu. Secundo, Habens aquilam auream in vexillis) *et de terra longinqua virum voluntatis meæ*, id est, eumdem Cyrum, qui faciet desiderium meum liberando Iudæos a captivitate. Alleg. et verius, Christus est illa avis cælestis et avis paradisi, veniens ab oriente, ut faciat omnes voluntates Dei, et nos salvet. Lucæ 1. v. 78. *Visitavit nos Oriens ex alto, illuminare* (ut illuminet) *his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, bello per ipsum feliciter confecto et hostibus domitis.

Quod desideravit salutem nostram, et ea, quæ ad salutem faciunt, clarum est. Lucæ 22. v. 15. *Desiderio desideravi* (id est, valde desideravi. Geminatio enim apud Hebræos denotat vehementiam affectus) *hoc pascha* (hunc agnum paschalem, post cuius esum instituere volo Eucharistiam, et dare vobis arrham et pignus salutis) *manducare vobiscum*. Et generatim ait consummatis omnibus, Ioan. 19. 28 *Sitio*, salutem scilicet animarum, quæ est merces tot tormentorum. Quod autem fuerit exauditus in vita, habes Ioan. 11. 42. *Ego autem sciebam, quia* (quod) *semper me audis*, id dixit Lazari suscitationem petens, quam obtinuit. Quod fuerit exauditus in passione et morte, testatur Paulus Hebr. 5. 8. *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens* (in horto Gethsemani, ut ait S. Thom. et Œcum. 2. in cruce, ut S. Ambros.) *exauditus est* (in sua voluntate efficaci moriendi pro salute nostra) *pro sua reverentia*, activa scilicet, qua Christus est Patrem reveritus: id est, reverenter et obedienter Patri se subiecit, et eius voluntatem est executus.

9. Christi tres hostes. Nota primo, Christi hostes sunt tres, caro, mundus, et dæmon, quibus veluti ducibus innumeræ furiæ in eum insurgunt, ut dicetur infra.

In eos ducit Sanctorum omnium exercitum. Nota secundo, Christus intrepidus in illos tenebriones cælestem ac purissimo suavissimoque lumine fulgentem ducit exercitum. In prima acie stant virgines vexillis albis et argenteo ornatu insignibus. Sequuntur Prophetarum, Patriarcharum cohortes cum vexillis staminis texto auro fulgentibus. Deinde Martyres ostro Sarrano purpurati, et affusæ sanctorum omnis ætatis, sexus, nationis et conditionis turbæ, quas dinumerare nemo poterit, Imperatoris nutum expectant. Media in acie Christus dux emicat, circa ipsum virgines pone, si mavis, ut eum sequantur, quocumque ierit. Ibi est Leo et Agnus. Vincit Leo de tribu Iuda, Apoc. 5. v. 1. quia agnus occiditur, Ier. 11. v. 19. *Et ego quasi agnus mansuetus* (Hebr. אלוף *alluph*, id est, innocens, ut Septuag. 2. simplex ut Syrus; 3. magnus, maior, ut alii; 4. electus, ut Chald. Ionath. 5. ductor qui aliis præest, rector, ut Mercerus; 6. princeps, dux, dominus ut Pagn. Illa vox pro duce sumitur sæpius. Genes. 36. Mich. 7. 5. Zachar. 9. 7. Ps. 54. 14. et aliis locis) *qui portatur ad victimam*.

10. Christus dux exercitus describitur. Nota tertio, qualis sit hic dux noster, describit S. Ioannes Apocalypsis 19. v. 11. ubi ait cælo aperto descendisse cum exercitu, ut pugnaret contra Antichristum et eius asseclas. *Et vidi cælum apertum, et ecce equus albus* (quia color lætus est ac festivus; 2. equi albi sunt celeriores; 3. color hic est aptior deitati, et humanitati Christi, cuius notat puritatem, gloriam, et incorruptionem. Equus porro ille est humanitatis Christi) *et qui sedebat super eum* (verbum scilicet Dei) *vocabatur fidelis et verax, et cum iustitia iudicat et pugnat. Oculi eius sicut flamma ignis* (ob iram contra impios) *et in capite eius diademata multa* (id est, fasciæ candidæ multis gyris capiti circumvolutæ, quia Rex Regum est et omnium regnorum) *habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse* (quod nemo præter ipsum legere et pronunciare poterat, ut eius incomprehensibilitas appareret) *et vestitus erat veste aspersa sanguine* (et proprio et hostili) *et vocatur nomen eius, Verbum Dei.* (Verbum enim caro factum est, et habitavit in nobis, ac passum est in assumpta humanitate) *Et exercitus qui sunt in cælo* (Angelorum et Sanctorum) *sequebantur eum in equis albis* (in signum victoriæ et triumphi, ut ait Ribera: vel, in corporibus incorruptis. Sis in cælo virtutum, et sequeris Iesum in stola et equo albo) *vestiti bysso albo et mundo. Ex ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus*, (id est, imperium potens) *ut in ipso percutiat gentes: et ipse reget eas* in *virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis* (pedibus equorum suorum hostes proterendo, et ab eis sanguinem exprimendo per severam vindictam.) *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum, Rex Regum, et Dominus dominantium.*

Ex his vides in hoc bello Christum. Primo, esse equitem, ut denotetur eius dignitas, maiestas, celeritas et facilitas. Secundo, quod ipsemet pugnat. S. Aug. lib. 83. quæst. 61. *Rex noster*, inquit, *est Iesus Christus, qui nobis et pugnandi, et vincendi præbuit exemplum.* Primus acies hostium perrumpit, et quacumque se versat, sulcos agit: et latum iter, torrentis instar, sequacibus suis pandit. Tertio, terribilis est, ob oculos flammantes. Quarto, venerabilis, ob diademata. Quinto, severus, confodiens rebelles, quorum sanguine vestes suas intingat, ut vindicta appareat. Sexto, cinctus innumeris legionibus. Sinæ Reges qui se universitatis dominos vocant, etiam pacis tempore alunt ad decies centena millia, id est, unum

millionem militum. Iosaphat Rex Iuda sub signis habuit undecies centena et sexaginta militum millia, præter eos, qui erant in urbibus muratis. Quid vero dabimus Christo, cum Antichristus referatur in Apocal. habiturus ducentos equitum milliones? Quinto, Christo datur *a* S. Ioanne gladius in ore, a Davide Ps. 7. 13. datur gladius in manu. Ps. vero 44. 4. datur gladius in vagina reconditus. Gladium vagina clausum femori accingit Christus, cum sceleratos quietos esse patitur, et de iis exeltandis aut puniendis cogitare incipit: gladium ore ostentat, cum minatur: gladium manu tenet, cum ultioni sese accingit. Arcum Christo dat Habacuc cap. 3. 9. *Suscitans suscitabis* (pro certo et vehementer suscitabis) *arcum tuum*. Ubi S. Hieron. *Semper*, inquit, *sedit in sanctis suis, semper armatus est, et sagittas acutas in linguis eorum præparans equitat, et huc illucque discurrit in orbis salutem.* Hastam quoque illi dare potes, sicut Angelo præcedenti exercitum Iudæ Machabæi, lib. 2. Machab. 11. 8. *Cumque pariter prompta anima procederent, Ierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans.* Eam hastam puta esse Evangelii prædicationem, ut censet S. Gregor. 34. Moral. 5. Armis denique omnibus Christus est munitus: nempe Lorica, galea, et aliis, Isaiæ 59. 17. *Indutus est iustitia* (misericordia, ut vult Haymo. melius iustitia propria dicta) *ut lorica* (quæ totum pectus et cor in impios armet) *et galea salutis* (id est, salutaris: nempe intentio et desiderium homines salvandi) *in capite eius indutus est vestimentis ultionis* (id est, vestis eius est ultio: totus fertur ad hostes domandos) *et opertus est quasi pallio zeli.* Hoc est, Zelus fuit eius pallium seu paludamentum imperatorium: 1. Zelus honoris Dei; 2. amoris erga homines; 3. iræ in dæmones. *Sicut ad vindictam, quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, et vicissitudinem inimicis suis.* Methodius in Hypapante, seu in festo Purificat. Deiparæ, ait Christum ab ea circumtectum esse corpore, *tamquam decenti panoplia*, id est, omnis generis armatura. Servos suos se sequentes tegit scutis virtutum. S. Hieron. in 3. Nahum. *Quatuor*, ait, *quibus pugnamus et tegimur, sunt scuta virtutum: prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo.* Patitur vero nos ab hoste impeti, ut animas nostras robustiores et vegetiores faciat. Sicut enim, ut ait Livius, *Nulla quies ab armis datur a bellicosa Rege, salubriora credente iuvenum corpora esse militiæ quam domi.* Ita Deus non vult cessare bella, sed robur dat et coronas.

11. Exercitus dæmonis horrificus describ. His armis et militibus hostes suos vincit Christus: nempe dæmonem, mundum, et carnem: atque ut, quam sit gloriosa illa victoria, contemplari possis, hostium exercitum et furorem considera.

Prima se infert cornutum agmen, lurida et nigricanti facie deforme, quod diris ululatibus personat. Toto vertice extat Lucifer in medio. Sub typo Behemoth fuse describitur cap. 40. Iobi a Deo ipso, atque inter cætera, quod ossa eius sunt velut fistulæ æris: et cartilago illius quasi Laminæ ferreæ. Et adhuc fusius sub figura Leviathan cap. 41. Corpus illius quasi scuta fusilia. Sternutatio eius splendor ignis, et oculi eius ut palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque ferventis. Tandem post alia multa concludit vers. ult. *Ipse est Rex super universos filios superbiæ*, id est, super impios, qui omnes a superbia gignuntur, aluntur, conservantur, augentur: et quantum quis crescit in superbia, tantum crescit in impietate, et contra. Quodque est periculosius, sæpe robur suum occultat, et se in draconem transformat, et in spiras sese volutans et complicans, horrificis sibilis stygiorum serpentum agmen evocat. Videas tunc in eius exercitu terribiles cornu cerastas: cristatos angues, qui terrorem ingenerent: alatos dracones, qui in caput et faciem involent: ptyadas, qui venena expuant: ex utraque parte noxias amphisbænas: obtutu solo necem inferentes basiliscos; oculis illudentes scytales, ut feriant: anserinis palmulis colubros, ut mordeant: adrepentes scynetos, ut devorent: sublimes iaculi medias in acies sese immittunt: hemorroides convolutum militem exugunt, presteres morsu necem inferunt, excetræ numero capitum in fugam meticulosos coniiciunt: hi aliique variis figuris et armis instructi serpentes veneno aerem universum conspergunt. His omnibus draco ille immanis præsidet, de quo Apocal. 12. 3. *Visum est aliud signum in cælo* (id est, in Ecclesia, in domo religiosa, in anima sancta) *et ecce draco magnus* (Plin. lib. 8. cap. 14. ait visum esse serpentem in Africa 120. pedum. Megasthenes dicit in India ab aliquibus solidos hauriri cervos et tauros) *rufus* (quia homicida est, Ioan. 8. 44.) *habens capita septem* (id est, septem peccata capitalia, ut censet S. Gregor. Cassian. Alcazar) *et cornua decem* (supra primarium caput, in modum coronæ conformata) *et in capitibus eius diademata septem*, id est, septem fascias regias, singulas in singulis capitibus. Quanta sit vis eius, denotatur, cum additur, quod traxerit tertiam partem stellarum cæli, id est Angelorum, et miserit, id est, deiecerit eas in terram. Quanta sit impudentia, ostenditur quod steterit, et constanter manserit, ante mulierem Sole circumdatam, et stellis coronatam, ut eam impugnaret ac filium eius devoraret: Quid igitur faciet nobis? Audi S. Cyrill. Alexand. lib. 1. in Isaiam. *Coercet nos*, inquit, *cogitque ad voluntatem suam sceleratam nefarium agmen dæmoniorum, eorumque antesignanus satanas affectuum imperia, ceu virga propemodum verberans*, cauda sua captis illudit, et puncturis novis cruciat.

12. Christus illum superat. Quem non terribiles visa formæ exaniment? Vanescat tamen omnis trepidatio; a puero Iesu, quem devorare serpens voluerat, vincitur. In ipsis cunis Hercules noster angues omnes elisit, ac deinde renascentes tota vita contrivit, Isaiæ 9. 1. *Primo tempore* (prædicationis Christi) *alleviata est* (a iugo diaboli) *terra* (tribus) *Zabulon, et terra* (tribus) *Nephthali, et novissimo* (in tempore ultimo prædicationis Christi) *aggravata est* (gravis facta est honore et divitiis spiritualibus ob multorum conversionem) *via maris* (id est, ut ait S. Hieron. terra Zabulon et Nephthali ubi Christus est concionatus, est ora maritima maris seu lacus Tiberiadis, cui adiacebat Capharnaum, Corozain, Bethsaida, et aliæ urbes) *trans Iordanem* (respectu Syriæ: nam respectu Ierusalem erat cis Iordanem) *Galilææ Gentium.* Alii legunt Galilæa gentium, et sensus esset facilior, quia terra Zabulon et Nephthali, est eadem cum illa Galilæa, quæ dicitur Galilæa superior, quia est propior fonti et origini Iordanis: dicitur vero, Galilæa gentium, quia erat vicina Tyriis et Sidoniis gentilibus, a quibus ex parte habitabatur. Pergit Propheta, et prosequitur sumptam a bello metaphoram, qua cap. præced. v. 3. vocaverat Christum, *Accelera spolia detrahere, festina prædari*, ait v. 3. *Lætabuntur coram te, sicut, qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Iugum enim oneris eius*, (Galilææ scilicet gentium, id est, animæ conversæ) *et virgam humeri eius* (flagellum, quo a dæmone torquebatur) *et sceptrum exactoris eius* (dæmonis exigentis tributa gravia) *superasti, sicut in die Madian.* Sicut Gedeon devicit et confregit Madianitas, et eorum exercitum centum triginta et quinque millium militum. Christus est verus Gedeon, id est, qui conterit iniquitatem, hoc enim significat Gedeon. Hoc autem fecit Christus ab ipsa nativitate. Unde Isaias veluti reddens rationem, cur dæmon instar Madianitarum fuerit victus, addit vers. 6. *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum eius.* Hebr. principem vocant נשיא *nasi*, id est, portitorem, baiulum, quia debet ferre humeris suis populum universum et onera eius, hoc fecit Christus excellenter ab ipso suæ Conceptionis ac Nativitatis initio. S. Hieron. in eum locum ait: *Tu Domine atque Salvator iugum oneris eius, hoc est diaboli: qui prius exultabat in mundo, qui cunctis gentibus imperabat, qui gravissimo servitutis iugo colla omnium deprimebat: et virgam qua percutiebat universos, et peccata sibi quasi quoddam tributum reddere compellebat, detraxisti de humeris eorum, et tibi liberatos servire fecisti absque ullo exercitu,*

et obsque effusione sanguinis in abscondito manu: sicut quondam sub Gedeone populo Israel de Madianitis victoriam præbuisti. Præsertim in Cruce et per Crucem Christus dæmones vicit, Coloss. 2. 11. *Expolians principatus et potestates* (id est, dæmones, qui ex ordine principatuum et potestatum ceciderunt. Est synecdoche, per illos enim intelligit omnes dæmones) *traduxit* (circumduxit et ostentavit) *confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Id est, triumphum agens de illis. Currus autem triumphalis est Crux Christi, ut explicat Theophylactus. Hoc diffusius exponit S. Leo sermon. 10. de Passione. *Neque*, ait, *ipse diabolus intellexit, quod sæviendo in Christum suum destrueret principatum, quod antiquæ fraudis iuro non perderet, si se a Domini sanguine contineret. Sed malitia nocendi avidum dum irruit, ruit: dum capit, captus est: et dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem. Clari illi, qui manus Domini pedesque transfoderunt, perpetuis diabolum fixere vulneribus, et sacrorum pœna membrorum, inimicorum fuit interfectio potestatum.* Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 19. Christus, inquit, cum antiquo illo serpente fortiter se exercuit, et accinctus gladio super femur suum potentissimus intendit, prospere processit, et regnavit, hostemque ante pedes suos productum contrivit.

13. Mundi exercitus describitur.
Secundo, Mundus contra Christum et eius servos, coronatas acies, flosculisque renidentes, et aromaticis odorariisque unguentis delibutas infert, quæ bacchantium ritu sistris ac cymbalis instrepant, musicoque apparatu aures demulceant, et in thyrsis fallacibus latentes stimulos infigant. Has omnes aliasque in formas se immutat tortuosus coluber, ut facilius incautis illudat. Dæmonem a S. Ioanne effigiatum vidimus cap. 12. 3. sub typo draconis, cui capita septem, decem cornua, et diademata septem. Mundi quoque effigiem in hoc expressam potes conspicere. Nam Haymo per septem capita et diademata intelligit omnem huius sæculi potentatum, qui dæmoni adhæret, et per fraudem ac dolum contra septem Ecclesias, et contra septiformem spiritum dimicat. Richardus a S. Victore septem capita septiformem sumit septem capitalium vitiorum tentationem; cornua decem, furorem impiorum Principum Decalogum impugnantium; septem diademata de subversis per septiformem tentationem universalem victoriam interpretatur. Ugo tamen Card. vult septem capita esse universitatem malorum; decem cornua divitias et potentiam sæculorem; quæ cornua dicantur, quia per illa homines extolluntur; decem autem, quia iis Decalogus impugnatur. Mallem per septem capita intelligere septem capitalia vitia; per cornua vero decem, persecutiones decem Ecclesiæ a dracone excitatas: nempe sub Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano.

Illum vincit Christus
Hæc omnia Christus superat. Daniel. 2. 32. Lapis de monte abscissus statuam aureom deiicit: et sequ. vers. Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. Lapis ille Christus est, qui regna mundi conterit, et Daniel hoc ibi clare explicat, ubi post declaratam ruinam regnorum illorum, subdit, v. 44. *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum.* Eam ob causam Christus comparatur Leoni Apocal. 5. vers. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Leo enim non solum robustus est, et impavidus, ac pervigil: sed etiam terrestrium animalium Rex, cui cætera famulantur. De ruina regnorum idololatrarum deiectorum per Christum, Lege Garss. nostrum, lib. 3. Summæ Theolog. tract. 1. sect. 11. Multa passim hac de re habet Bozius tract. de signis Ecclesiæ. Victoriam illam præsertim obtinuit Christus in morte, sicut Samson gloriam Philisthinorum moriens extinxit: et, ut ait S. Zeno, viduas eorum lugubres vestes de sua nece ferre compulit. Ideo factus est terræ motus in Passione, ut per Christum pateret esse tremefactum et concussum mundum.

Tertio, Carnis imperium atque dominatus quam late poterat ante Christi passionem, utinam non tam facile esset demonstrare! sed non inficiam his sordibus hanc paginam.

Christi splendore illucescente discussa hæc caligo est, tyrannisque Babylonicæ meretricis sublata. Eadem quippe Nativitatis nocte, Sodomitica labe infectos toto orbe omnes occisos esse, sunt qui referunt. S. Chrysost. in cap. 1. Isaiæ, ait, Christum hunc in orbem venisse, ὡς τῶν ἀγγέλων καταφυτεύσων πολιτείαν, *ut semina vitæ angelicæ hominum mentibus insereret.* Ioel 1. dicitur, ἀνὴρ παρθενικός, vir virgineus. S. Ambros. lib. 5. Epist. 35. παρθενικὸς λόγος, *Verbum virginale.* S. Hieron. lib. 1. in Iovinianum, cum eorum hominum catalogum texeret, qui vario sæculorum continuatione castimoniæ laude floruissent, eleganter et sapienter ait, se vexillum castitatis Iesu tollere. S. August. serm. 17. de tempore, vocat eum, magistrum castitatis. S. Gregor. Nyss. de Virg. cap. 2. πηγὴν τῆς ἀφθαρσίας, fontem incorruptæ et illibatæ castitatis; S. Cyrill. Ierosol. Catech. 12. *Deum castitatis et purissimum puritatis doctorem.* Et ea de causa appellat Christianos, castitatis alumnos, et discipulos temperantiæ. Ita Cresol. lib. 2. Mystag. 14. Carnis quoque castra Christus dissipavit.

Placet cognoscere, quantum a Christo nato hic amor virginitatis Christianorum mentibus sit alte defixus? in uno Benedictinorum ordine, qui velut eximius Ecclesiæ paradisus effloruit, quot castitatis lilia colligere licet? Abbatiorum quindecim millia in eo fuisse aliquando tradit Andreas d'Ypes in Chronico Benedict. Et quidem in solo Episcopatu Moguntinensi fuisse centum et viginti quatuor Abbatias illius Ordinis, præter decem destructa, asserit Trithemius. Edgarus Angliæ Rex, aut extruxit, aut reparavit monasteria eiusdem Ordinis quadraginta et amplius, ut refert Eduardus Maihevv. in Natal. sanct. Congreg. Angl. In sola urbe Viennensi in Gallia, fuere Benedictinorum sexaginta monasteria, cum tamen in nonnullis quingenti sexcentive essent monachi, ut docet Surius. In Hispania Albocassensis Abbatia aluit monachos mille. In Francia, Gemeticensis sub S. Aicordo, nongentos. In Germania, Fuldensis quadringentos scholasticos, aliosque innumeros. In Hibernia, Bencorensis tam multos aluit Religiosos, ut teste S. Bern. in vita S. Malachiæ ferant, nongentos simul uno die a piratis esse occisos. Quam præclaræ erant hæ agni cohortes, cum in illo Ordine plurimi nobiles, Principes, Reges et Imperatores militaverint. 15. Benedictinorum ordo numerosissimus fuit.

In Ordine S. Francisci plusquam ducenta octoginta millia numerantur, partim Religiosorum, partim religiosarum, sub castitatis vexillo dimicantium. Et ordo S. Francisci.

Concludamus cum Davide nostro: *Domine in virtute tua lætabitur Rex, etc.* Et cum S. Ioanne Apocal. 6. 2. *Et vidi, et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exiit vincens ut vinceret.* Equus albus est purissima Humanitas Christi. Arcus sagittæ sunt prædicatio Evangelii. Corona datur, ut victori orbis terræ.

ARTICULUS III.

Quantus victoriæ Christi fructus, et quam gloriosa illi corona data est.

POSTQUAM Propheta noster exultationem Christi explicuit, quod victor in certamine extiterit, et quod omnia pro voto consecutus fuerit: nunc incipit sigillatim percensere, quænam fuerint illa dona adeo excelsa et delectabilia ei a Patre concessa.

Ac primo, docet variis benedictionibus illum fuisse præventum a Patre æterno, v. 4. QUONIAM PRÆVENISTI EUM IN BENEDICTIONIBUS DULCEDINIS (id est, dulcissimis. Est hebraismus, et quoniam) POSUISTI IN CAPITE EIUS CORONAM DE LAPIDE PRETIOSO. Nota, *To quoniam*, cum sit particula causalis reddit rationem, primo, cur lætatus sit Christus; secundo, cur David dixerit, desiderium animæ eius ipsi tributum esse. Nota secundo, *To prævenisti*, si- 16. Vers 4. 1. Pars.

ve ut est in Hebræo, prævenies, quatuor denotat. Primo, donationem illam præcedere meritum et petitionem. Secunda, dari ex deliberatione et consilio. Tertio, dari a valde amante, et ex summa dandi propensione ac voluntate. Quarto, dari cum abundantia et ubertate. Nota tertio, *To prævenisti*, posse etiam dici de donatione facta victori et bene merito, ed quem accurrit agonotheta coronam capiti imponens antequam petatur aut expectetur, eundo obviam athletæ, eum amplexando, osculando, laudibus in cœlum evehendo, omnes hortando, ut eum veluti patriæ gloriam et liberatorem prædicent. Potest etiam *το prævenisti*, usurpari de re data post petitionem, si plus datur quam est petitum, vel modo inexpectato, cum maiori benevolentiæ, lætitiæ, charitatis affectu quam debebatur, aut sperabatur. His omnibus modis hic usurpari potest. Nam et Christus est cumulatus benedictionibus a Patre æterno, et ante et post meritum atque operationem: et omnes illæ benedictiones fuerunt benedictiones dulcedinis. Nota quarto, Benedictiones illæ dicuntur *benedictiones dulcedinis*, sive ut vertit S. Hieron. *bonitatis*. Chald. bonæ, Syr. et Araba optimæ. Prima, quia dantur a Patre dulcissimo, qui charitas est. Secundo, dantur Filio amantissimo, qui est Christus, id est, unctus. Tertio, quia in se sunt dulcissimæ, et suavissimæ, atque abundantissimæ, et ideo vocantur benedictiones. Nam benedictio ac benedicere denotant in Scripturis copiosam et uberem largitionem, præsertim in Deo, cuius dicere est facere, dicilo enim Dei omnis est efficax, Ps. 148. *Dixit, et facta sunt.* Eius igitur benedictio est benefactio seu beneficium et donum.

17. Benedictiones quinque Christo dedit Pater æternus. Quæres. Quænam sunt benedictiones, quibus prævenit Christum Deus Pater? Respond. esse præsertim quinque. Primo, unionem hypostaticam. Secundo, impeccabilitatem. Tertio, gratiæ plenitudinem. Quarto, visionem beatificam in primo conceptionis instanti. Quinto, dignitatem capitis.

I. Unionem hypostaticam. Ac primo, Unio hypostatica maxime proprie dicitur benedictio præveniens, quia nullo modo cecidit sub Christi meritum, ut docet S. Thomas 3. part. quæst. 2. art. 11. Neque enim fuit prius homo purus, ac deinde per meritum bonæ vitæ obtinuit esse Filius Dei, sicut delirarit Photinus; sed a principio conceptionis suæ ille homo vere fuit Filius Dei, utpote non habens aliam hypostasim quam Filii Dei, secundum illud Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei.* Vide Suarez tom. 1. in 3. part. disput. 40. sect. 3. An vero de potentia absoluta gratia unionis potuerit dari non mere gratis, sed per modum anticipatæ solutionis, vide eumdem section. 4. In Concilio Ephes. 1. in Concilio Chalcedonensi, in 5. et 6. Synodo docetur clare, non prius fuisse Humanitatem quam Verbo uniretur.

Quæ est religionis fibula. Fundamentum itaque gratiarum omnium, quibus præventus est Christus, est unio hypostatica duarum naturarum in persona divina. Hanc unionem sapienter Proclus Cyzicenus, sicut est in Actis Concilii Nicæni secundi, nuncupat *fibulam religionis*, quod ab illa mysteria omnia fidei pendeant, atque in ea uniantur. Hæc quoque sacra fibula est, et veluti nodus Gordius, quo gratiæ omnes Christi vinciantur. Hic sacer magnes est, ad quem virtutes omnes trahantur, ut in uno hamine catenatæ, ac strictissimo implexæ vinculo coronam illi gloriæ efficiant. In hac, velut in aromaticis arboribus phœnix, aut avis paradisi, omnia sanctitas commoratur. Ex hac unionis benedictione, sicut ex divina fonte vel Oceano potius, gratiarum omnium donorumque rivi et flumina, corpus et animam Christi irrigarunt. Albinus Diaconus commentario in Lucam advertit in generatione Christi, Matthæum ab Abrahamo ad Iesum gradatim descendere: Lucam vero, a Iesu ad Adamum Deumque ipsum ascendere, ut indicaretur, *Christum Patriarcharum omnium, ipsiusque Dei quoddam esse compendium*, illisque benedictionibus omnibus, quas Deus in Patriarchas, quasque ipsi Patriarchæ gratiarum actionibus rependerunt Deo, cumulatum esse. Typus fuit tribus Nephthali, de qua Deuter. 33. 23. *Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini*, id est, tribus Nephthali filii Iacob, copia frugum et divitiarum perfruetur, et quidem abunde. Pro abundantia perfruatur, Heb. est שׂבע *sebo, erit voluntatis*, id est, habebit quicquid voluerit. Nephthali idem est atque dilatatio, seu dilatatus. Deus iusto dilatat cor, implendo illud gratiis suis et charitate: dilatat gressus, viam latam et facilem aperiendo: dilatat hæreditatem, Chananæos et Philisthæos eiiciendo.

Secundo, Ex illa Christi unione hypostatica, velut ex fonte paradisi, ascendente a terra et pertingente usque ad personam Verbi, quam terminat, oriuntur quatuor flumina, quæ irrigant universam terram, primo ipsius paradisi, id est, Christi animam et corpus: deinde terram totius orbis, id est, corpus et animam omnium hominum.

Primum flumen radiis solaribus splendidius, et purius, est impeccabilitas. Ex eo enim quod Christus fuit filius Dei, et anima eius unita fuit personæ Verbi, sequitur eum peccare non potuisse. Quia si peccasset, Verbum ipsum peccasset, quod est prorsus impossibile. Nam verbi divini est regere voluntatem, cui est unitum. Itaque quod humana voluntas facit, ei tribuitur, sicut quod facit brachium nostrum, tribuitur nostræ voluntati, cuius est brachium regere ac movere. Christus est agnus sine macula Lev. 9. 3. Est candelabrum aureum, de quo Exod. 25. 31. *Facies et candelabrum ductile de auro mundissimo.* Lucernæ septem in eo positæ, sunt septem dona Spiritus S. Christo infusa: lucet in Sancto, id est in Ecclesia: in parte meridionali, id est, in charitate. Ut in metaphora persistamus, Christus est *fons aquæ vitæ*. Apoc. 21. 6. nihil in eo est mortiferum. II. Impeccabilitatem.

Secundum flumen ex unione hypostatica profluens, est gratiarum abundantia et plenitudo, Ioan. 1. 14. *Plenum gratiæ et veritatis.* In rationali summi Pontificis Iudæorum erat inscriptum, *Urim et Tummim*, id est, doctrina et veritas: Vel, ut ferunt verba Hebraica, illuminatio et perfectio, hoc est veritas et gratia, Eccl. 1. 5. vocetur sapientiæ fons. *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*, id est, in summa perfectione, in Sanctis, in cœlis. Tigur. vertit, verbum Dei, qui celsissimus est. III. Gratiarum abundantiam.

Tertium flumen, ex unione hypostatica in animam Christi exundans, est abundantia gloriæ. Ab ipso enim primo instanti conceptionis vidit clare essentiam Dei, et hoc illi debebatur, ut homini Deo. Vide S. Thomam 3. part. qu. 15. art. 10. Symbolice id possis explicare per fontem a Mardochæo visum, Esth. 10. 6. *Parvus fons, qui crevit in fluvium, et in lucem, Solemque conversus est.* Humanitas Christi parva est, sed fit fluvius solaris. Lucis et fluvii non parva est affinitas. Lux Hebr. dicitur אר *aor*, id est, lux et lucerna. Fluvius vero נהר *nahar*, q. d. Lucidus. Et David ad beatitudinem aspirans, ait Ps. 35. 10. *Domine apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen.* IV. Gloriæ ubertatem.

Quartum flumen ex unione hypostatica profluens, est ubertas gratiarum et donorum a Christo, velut capite, in totam Ecclesiam descendens, Isai. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Ad has invitat Christus ipse Ioan. 7. Vide S. Bern. serm. 1. de Nativ. et S. August. in Ps. 35. 10. et in Ps. 41. v. 1. ab eo fonte in nos profluunt innumeræ benedictiones dulcedinis. S. Bern. serm. 39. ex parvis tres enumerat, quæ omnes complectuntur. *Triplex*, ait, *nobis necessaria est benedictio; præveniens, adiuvans et consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adiuvat gratia conversionem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non potest dare nostræ fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec a misericordia præveniamur: aut agere bonum, donec adiuvemur a gratia: aut consummari in bonis possumus, donec gratia repleamur.* Ostendit deinde prævenientem gratiam esse nobis dulciorem, cum non meritis tribuatur. Pergit itaque idem sanctus Pater: *In his tribus non immerito dulcius sapit ea, quæ non modo immeritos, sed et male meritos prævenit: ut dum adhuc fi-* 18. V. Gratiam capitis.

lii sumus iræ, et operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, et ne petentibus quidem, imo et impetentibus: non invocantibus, sed provocantibus: non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitæ, adoptionis spiritum largiatur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea, quæ prævenit: quia quæ adiuvat, fortitudinis: quæ consummat, plenitudinis est.

19. Benedictiones variæ iustorum. Ugo Cardin. in Ps. nostr. varias iustorum benedictiones enumerat. Nos enim modis innumeris prævenit. Primo, voluntatem sectandæ virtutis ingenerendo. Unde S. August. *Prævenit, ut velimus; sequitur, ne frustra velimus.* Secundo, variis monitionibus semisomnes excitando, Isaiæ 30. 21. *Aures tuæ audient Verbum post tergum monentis.* Et Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet.* Tertio, petentibus occurrendo, eosque statim exaudiendo, Ps. 9.42. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Is. 65.24. *Antequam clament, ego exaudiam.* Quarto, dona affatim congerendo, et supra spem acervando. Tit. 3. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.*

Benedictiones illas præterea recenset, Primo in amotione culpæ, Eccl. 39. 27. *Benedictio illius quasi fluvius abundabit*, qui scilicet sordes abluat. Secundo, in collatione gratiæ, Gen. 27. 28. *Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ abundantiam.* Tertio, in conservatione gratiæ, Deuter. 33. 16. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, et super verticem Nazaræi inter fratres suos.* Quarto, in gratiæ multiplicatione, Ps. 83.7. *Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Quinto, in gloriæ largitione, Eccl. 11. 24. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, et in hora veloci processus illius fructificat.*

20. Benedictiones multæ Davidis. Si de Davide psalmum interpreteris, electionis eius in Regem ratio, 1. Reg. 13. et 16. animus illius secundum cor Dei, a Deo ipso compositus, Ps. 88. 21. Actor. 13.21. tot victoriæ ante et post regnum initum: divitiæ tantæ, adeo instructa mens cognitione divinarum rerum, Psal. 50. 8. tam egregia virtutum omnium ornamenta, pietatis præsertim et mansuetudinis, Psal. 131. 1. singularis ac perpetua post lapsum pœnitentia, Psal. 6. per totum, nihil aliud sunt, nisi benedictiones, sive munera summæ dulcedinis bonitatisque divinæ. Hæc autem possunt esse figura aut symbolum eorum, quæ iusto accidunt. Nemo est enim quem non præveniat gratia, quia Deus prior diligit. 1. Ioan. 4. 10. eligit Ioann. 15. 16. vocat. Roman. 9. 12. præoccupat. Sap. 6. 14. Quis enim prior dedit illi, et retribuetur illi? Rom. 11. 35. At eximie aliqui præveniuntur, sicut et vocantur: quemadmodum Saulus, Act. 9. 4. Matthæus 9. vers. 9. Magdalena, Luc. 7. 37. Zachæus Luc. 9. 5. Hæc ferme Lorinus, qui de Davide psalmum posse etiam explicari censet, et bene, ut dixi in Titulo.

21. Vers 4. 2. Pars. Christo benedictionibus omnibus, gratiæ et gloriæ cumulato coronam Regiam imponit Deus, vers. 4. POSUISTI IN CAPITE EIUS CORONAM (Hebr. עטרת *ateret*, diadema, ut vertit Arias: coronam, ut S. Hieron. Vatabl. Pagnin. Syr. Arab. et alii) DE LAPIDE PRETIOSO. Hebr. פז *phaz*, id est auream, ut reddit Pagnin. et Vatabl. obrizi, ut Felix: de obrizo, ut S. Hieron. id est de auro purissimo, et maxime defæcato; 2. pretiosam, ut Petavius; 3. gloriosam, ut Syrus; 4. gemmeam, ut Arabs et Magn. ἐκ λίθου τιμίου, ex gemma pretiosa, id est ex gemmis pretiosis, ut Septuag.

Corona Melchom. Quæres, de qua corona agitur? Respon. Primo, Si de Davide agi placet, intelligitur corona Regia, quæ data est ipsi, cum coronatus est Rex super tribum Iuda, ac deinde post septennium super omnes tribus populi Dei. Secundo, et probabilius, agitur de aliqua corona victis Regibus erepta, et reperta inter spolia, qua sibi accepta coronatus fuerit David, et suspicor intelligi maxime coronam Ammonitarum, qua usus est David iis devictis et capta Rabbath, id est civitate eorum Regia et magna ac populosa: *Rab* רב enim Heb. significat, magnum, multum eximium, insignem. De illa dicitur 1. Paralip. 2. *Tulit, David coronam Melchom* (hoc est, Regis: 2. et melius, Idoli eorum, qui habebat figuram *melchom* id est Regis) *et invenit in ea auri pondo talentum* (id est, ponderabat talentum, hebraicum scilicet, id est centum et viginti quinque libres) *et pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema.* Nempe ex parte eius, aliam attribuit aut templo aut palatio suo. Nam capite tantum pondus ferre non potuisset. Porro Rabbath postea vocata est Philadelphia a Ptolemeo Philadelpho secundo Ægypti Rege, qui curavit Biblia ex Hebræo in Græcum transferri per septuaginta interpretes. Cum enim illam expugnasset, de suo nomine appellari voluit.

22. Coronæ Christi septem. Resp. Secundo, Cum de Christo potissimum agatur, multiplicem illi assignari coronam posse.

1. Eius humanitas. Ac primo, de humanitate exponit Ugo Cardin. et eius gemmas ait esse æternæ gloriæ omnem decorem et iucunditatem. *Caput Christi*, ait Thomas Anglicus, *est Deus. Per coronam intelligitur humanitas huic capiti decenter, firmiter et prudenter coaptata.* Ista autem corona fuit de lapide pretioso, imo et lapis pretiosus tota, secundum illud 1. Petr. 2. *Ponam in Sion lapidem summum, probatum, electum, pretiosum.* Est autem lapis iste margarita pretiosa: quia sicut dicit S. Isidorus 16. Etymol. Margarita cælesti rore gignitur. Ex Margaritis autem quædem vocantur uniones, aptum nomen habentes, eo quod tantum unum simul reperiantur. Inter margaritas vero pretiosior est candida, matutini enim roris conceptio reddit candidas: sed vespertina gignit obscuras: sic et lapis iste de rore cæli est genitus, quia de Spiritu sancto conceptus, iuxta illud Isaiæ 45. *Rorate cæli desuper:* et bene unionis nomen retinet, quia unicus est tam patris quam matris, Ps. 24. 16. Unicus et pauper sum ego. Et Tob. 6. 15. Cum sim unicus parentibus: fuit autem ros iste, de quo conceptus est, ros matutinus, scilicet Spiritus sanctus. Dicitur Prov. 8. 17. Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Et ideo hæc margarita fuit candidissima: quia ab omni peccato, tam originali, quam actuali immunis. Non sic alii Sancti, quos omnis vespertinus aer, id est carnis concupiscentia, in sua conceptione obscuravit. S. Gregor. 19. Moral. Nullus Sanctorum, quibuscumque virtutibus plenus existat, tamen ex nigredine mundi collecto exquiri potest eius, de quo dictum est Luc. 1. Nascetur ex te sanctum, et vocabitur Filius Dei. Unde Prov. 8. 11. *Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis.* Ita Thom. Angl.

Quæ est corona carnea. Hæc est corona carnea, qua eum coronavit Deipara in die Incarnationis, et Nativitatis, ad quam spectandam invitantur animæ sanctæ, Cant. 3. 11. *Egredimini, et videte filiæ Sion* (animæ contemplativæ) *Regem Salomonem in diademate* (Syr. et Arabs, in corona) *quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis eius.* Hæc sunt verba Sponsæ, id est Ecclesiæ: dies vero desponsationis est dies Incarnationis. Primo autem ibi adverte, quod olim matres in sponsalibus et nuptiis solitæ erant coronare filios suos. Lege S. Chrysost. hom. 9. in 1. ad Timoth. Secundo, adverte quod primis temporibus solus Deus coronabatur. Plinius lib. 16. c. 4. *Antiquitus nulla corona nisi Deo dabatur: ob id Homerus cælo tantum eas et prælio universo tribuit: viritim vero, ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera. Postea Deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis.* Inde ortum dicit, ut in sacris certaminibus usurparentur, in quibus non victori dabantur, sed patria ab eo coronari dicebatur, postea in triumphis et ludis sunt adhibitæ. Pacatus in Panegyr. Theodosii Imper. *Finito*, ait, *triumpho, in gremio Iovis Capitolini, vel in templis coronas suas dicare solitos triumphatores.*

Dices, Humanitas non est decus Divinitatis, quomodo igitur illius corona dicitur? Resp. primo, S. Gregor. ideo dici coronam Dei, quia est nostra gloria illa sacra Humanitas. Verba eius sunt in Cant. *Cum ipsa Verbi Dei In-*

carnatio vere gloria nostra fuerit, quia membra eius sumus propter communionem corporis, diadema membrorum, bene capitis, Scriptura prædixit. Sed sic nos magis quam Deus, coronaremur. Respond. secundo, Humanitatem esse Verbi gloriam, quia per eam radios nobis suos visibiles fecit, qui antea latebant: In ea enim est aurum purissimum charitatis eius: et omnia lapis pretiosus sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, liberalitatis, iustitiæ, atque omnium attributorum divinorum apparet.

23. II. Eius divinitas. Secunda Christi corona, e converso, est ipsius Divinitas, quæ coronat et illustrat eius Humanitatem. Origen. in Catena. *Christi, ait, corona Deus est, Christus vero est corona rationalis naturæ: Lapides pretiosi, vel margaritæ, sunt sermones, de quibus dictum est Matth. 7. 6. Ne proiiciatis margaritas vestras ante porcos.* Sic Cantic. 5. v. 11. de Christo dicit Sponsa, *Caput eius aurum optimum.* Quinta editio habet, Caput eius est insigne auro. Vatablus vero, caput eius redimitum est auro obryzo. Per caput illud aureum seu corona aurea circumdatum et effulgens, S. Greg. Beda, Cassiod. S. Anselm. et Rupert. intelligunt, Christi Divinitatem. Paulus enim ait 1. Cor. 11. 3. *Caput Christi Deus.* Caput illud est aureum, quia, ut loquitur S. Greg. eius humanitas ex divinitatis suæ claritate principatur. Aurum autem inter metalla primum est. Et Ioan. Carmelita: Divina, inquit, hypostasis assumptæ a Sponso naturæ, ut caput corpori præsidens, motumque divinum impertiens, est aurum, quia Regiam habet maiestatem auro notatam. Est autem optimum seu obrizum, hoc est, omni mistura carens. Licet enim hypostasis Verbi naturæ humanæ intime unita sit, non tamen ullo modo permista. Ita ipse. Alias convenientias auri cum divinitate habet Philo lib. 4. quis rerum divinarum hæres. Adde hanc, quod aurum in igne non minuitur, sed fulget; ita divinitas nullo modo patiebatur in passione et cruce, atque aliis Christi doloribus, sed magis tunc emicabat. Est enim aurum *phaz*, id est obrizum, ut Hebr. est in Ps. nostr. et in Cant. et Apoc. 3. 18. dicitur aurum ignitum et probatum, ubi Haymo per aurum illud intelligit Christum passionis igne inflammatum.

24. III. Eius charitas. Tertia Christi corona, est eius charitas, omnibus virtutibus atque scientiis et donis Spiritus sancti valut gemmis, exornata. Ioan. a Pastura: Posuisti, ait, in capite eius: id est, in mente et superiori parte animæ, quæ est rationalis, coronam de lapide pretioso: id est, perfectionem et ornatum omnium virtutum. Et S. Ambr. lib. de Isaac et Anima. *Angeli*, inquit, *canunt Epithalamium, perducta Sponso usque ad Sponsi requiem nuptialem, et vocant cæteras cælestes potestates, vel animas, ut videant charitatem, quam circa filias Ierusalem habet Christus. Unde et meruit coronari a matre filius charitatis, iuxta illud Apostoli, Coloss. 1. 13. Deus nos eripuit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii charitatis suæ. Charitatis itaque filius, et ipse charitas est, non ex accidentibus habens charitatem, sed habens semper sua substantia sicut et regnum, de quo dicit Ioan. 18. 37. Ego in hoc natus sum: ideoque dicunt, Cant. 3. 11. Egredimini, id est, exite, de sollicitudinibus et cogitationibus sæculi, exite de angustiis corporalibus, exite de vanitatibus mundi, et videte, quam Rex pacificus in die sponsalium suorum habeat charitatem, quam gloriosus sit, quia corporibus resurrectionem dedit, et animas sibi iunxit. Hæc magni est corona certaminis. Hoc præclarum munus sponsalium Christi, sanguis eius et passio eius. Quid enim plus potuit dare, qui sibi etiam non pepercit?* Charitas est proprie aurum illud ignitum, quod monetur emere Angelus, id est Episcopus Laodiciæ, Apoc. 3. 18. Est margarita illa pretiosa, quam qui invenit homo, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam, Matth. 13. 46.

25. IV. Gloria beatificæ. Quarta Christi corona, est corona gloriæ beatificæ, qua Christi anima radiavit ab ipso primo instanti conceptionis: et corpus eius in Resurrectione. Dionys. Posuisti, o Domine Pater, in capite eius, id est in superiori parte animæ Christi, in qua Trinitatis imago consistit, videlicet in intellectu ipsius, coronam triumphalem, salutem, seu victoriosam felicitatem, de lapide pretioso, id est de perfecta atque firmissima charitate compactam, quoniam beatitudo intellectos, per actum charitatis perficitur, stabilitur, et immobilitatur. Ita Dionys. Eius figura fuit Simon Oniæ filius, de quo Eccl. 50. 10. *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Syrus vertit, Quasi torques ex auro variegatus optime, et ornatus lapidibus pretiosis.

Quinta Christi corona, est corona victoriæ in cruce et in Resurrectione, cum de mundo, carne et dæmone triumphavit. Vide dicta Psal. 9. sect. 1. Christus coronatus ob victoriam ponitur Apoc. 6. 2. *Et vidi: et ecce equus albus: et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Victoria enim illa Christi magis in dies dilatatur, fide ex una in aliam gentem transeunte. Dices, Coronæ victorum et triumphantium non erant aureæ nec gemmeæ. Resp. Licet apud Romanos corona in ovatione, id est, in minori triumpho, cum eques tantum erat victor, esset tantum myrtea: in triumpho, cum victor curru vectus Romam intrabat, esset tantum Laurea primis temporibus. Posterioribus tamen, addita est aurea in triumpho, quam nimium ob pondus servos sustineret. De illa corona ex auro, ait Iuvenalis satyra 10. 26. V. Corona triumphalis in passione.

Magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit uno:
Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Præter illam magnam coronam auream a servo sustentatam, triumphans pro more antiquo laurea cingebatur, ut tradit Bulengerus noster tract. de triumpho. Coronæ quoque Donaticæ, seu Provinciales, id est datæ a variis urbibus in provincia aliquo aut diversis in provinciis, erant aureæ, atque ante currum triumphantis ferebantur; cuius generis quadringentas Paolo Æmilio victori a sociis datas tradit Plutarchus.

Coronam denique lauream, ipsa nempe Lauri folia, in aurum gemmasque Constantinus Imperator commutavit, ut Baronius advertit tom. 3. Annalium, quod sciret Laureas ex gentilium superstitionis officina dimanasse. Nam Apollinem comitante Victoria, eidem Constantino adhuc pagano Laureas ministrasse Gallicanus Orator in Panegyrico quarto testatur. Neque est, cur Iulianus Apostata illi exprobret: quasi vero id Heliogabali exemplo (cui hoc vitio Lampridius vertit) fecerit: ut gemmato diademate uteretur: non vero potius Davidis, ut diximus ex 2. Reg. 12. et 1. Paral. 20. Laureas porro non mutavit Constantius in coronas floreas aut alterius arboris, quod omnia hæc sacra Diis essent, ut tradit Tertull. lib. de corona militis, cap. 7. *Nullam*, ait, *gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non olivei capiti invenias consecratum.* Nam Iovi Esculus, Apollini Laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, populus Herculi, Baccho hedera, Pani pinus, Diti cupressus, aliisque numinibus aliæ arbores erant sacræ. Constantini exemplum ita imitati sunt posteriores Imperatores, ut nonnumquam nisi sint Laureis, quod nossent mundis munda esse omnia. Cum autem victor Christianorum exercitus Laurea coronabatur, ne qua superstitio lætitiæ publicæ adhæresceret, illas Christi nomine insigniebat hac figura. Quæ est corona Laurea.



Sexta Christi corona, est corona sacerdotalis, quæ est corona ob Regiam spiritualem potestatem, de qua egi Ps. 2. 6. Bellarm. in Psal. nostr. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso:* vel, ut habetur in Hebræo, de auro perfecto, videtur, referendum ad regnum et Sacerdotium, quod etiam ab ipsa conceptione habuit, propter quæ Christi cognomen accepit: corona enim aurea, insigne est regium, et sacerdotale. Ita ipse. Corona Christi Pontificia figurabatur in tiara Aaronis, de qua Exod. 28. quam sic describit Iosephus. *Pileolo, quali et cæteri Sacerdotes, Pontifex utebatur, super quem alius extabat ex hyacintho va-* 27. VI. Corona Sacerdotalis.

rictus, *hunc aurea corona triplici ordine circumdabat*, *in qua spectantur calyculi* (id est folliculi florum) *aurei*, *quales videmus in herba*, *quæ hyosciamus* (vulgus fabam porcinam, vel iusquiamum vocat) *dicitur*. Eadem corona sacerdotalis Christi adhuc expressius figurabatur in cidari seu tiara Iesu summi Pontificis filii Iosedec, de quo ait Angelus Michael Zach. 3. 5. *Ponite cidarim mundam super caput eius*. Quænam fuerit materia illius coronæ seu tiaræ, docet cap. 6. 11. *Sumes aurum, et argentum: et facies coronas, et pones in capite Iesu filii Iosedec Sacerdotis magni*. Ubi adverte, S. Cyrill. Theodoretum et Clarium censere, duas coronas totales factas esse, unam ex argento, alteram ex auro, quæ successive fuerint impositæ capiti summi illius Pontificis: sicut Imperatores coronantur Modoetiæ prope Mediolanum corona ferrea, deinde Aquisgrani corona argentea, Romæ denique corona aurea. Sed probabilius est intelligi unam tantum tiaram seu coronam Pontificiam, in qua essent tres coronæ partiales, ut nunc sunt in tiara Papæ. Hinc Chald. vertit: *Facies coronam magnam*. Tiaris Pontificum Iudæorum semper erat attexta lamina aurea, in qua erat scriptum *Kodes Iadonai*, id est, *sanctum Domino*. Exod. 28. 36. de argento nihil reperio præceptum.

28. Coronarum usus in sacris.

Coronarum auctor fuit Ianus (si Athenæo credimus) a quo primum in sacris sunt adhibitæ, deinde ad certamina, ludos, triumphos, et convivia translatæ ab aliis sunt. Druidas nullum sacrum sine roboris fronde confecisse, refert Plinius Ægyptii hederam adhibebant, ut ait Gyraldus. De corona sacrificantium agit noster Ludovicus de la Cerda in lib. 1. Æneidos. De Sacerdotum corona Regia citat Cresol. lib. 3. Mystag. S. Hieron. epist. 128. ubi sic loquitur: *Pontifex habet cidarim, et nomen Dei portat in fronte, diademate ornatus Regio*. Quod autem vocat diadema, id Iosephus lib. 3. Antiqu. dicit coronam auream, Scripturæ sacræ μεγαλοσυνην, id est magnificantiam Dei: alias in Hebræo et Chal. *Coronam sanctitatis*. Clemens Alexand. l. 5. Strom. πιλον χρυσιον, id est, pileum aureum, seu tiaram, aitque significasse εξουσιαν βασιλικην, regalem potestatem. S. Hieronymus citatus agit de Aarone, ut patet: postea S. Ioannes Apostolus, et S. Iacobus Episcopus Ierosolymitanus bracteam seu laminam auream in capite gestabant, quod a cæteris Apostolis et Pontificibus factum plerique existimant.

29. VII. Corona est Regia.

Septima Christi corona, de qua præsertim agitur, est corona Regia, cum in primo versu, nobis ut Rex proponatur. Ita Theodor. Enthym. Glossa, Lyr. Turrecremata, Ians. S. Thomas. Ponere itaque coronam in capite Christi est facere eum Regem, quod in primo instanti conceptionis factum est; sed radii illius coronæ apparuerunt præsertim in Ascensione, cum sedens ad dexteram Patris, gloria et honore coronatus est. Vide Psal. 2. 6. et 8. 6. Tertullianus apte ad rem nostram l. de Corona militis c. 14. *Christus*, inquit, *faros post fella gustavit: nec ante Rex gloriæ a cœlestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum proscriptus in crucem*. Vide dicta Ps. 8. 6. Gloria et honore coronasti eum.

Coronari Reges omnium pene omnes populi.

Nota. in more pene omnium nationum fuit Reges suos coronare. Apud Iudæos quidem asservabatur in templo diadema, quo novi Reges cingerentur, ut censet Abulensis in 4. Reg. qu. 14. Aliud vero Regibus Israelis alio in loco fuisse positum. Aliquot alios populos Asiæ, Africæ, et Europæ decurramus.

I. In Asia.

Primo. in Asia, Syri, Phœnices, et Cilices chlamydem cum crepidis, et candicans diadema pro insigni Regio habuerunt. Sardis curru vehi et rectam ferre tiaram solis Regibus est permissum. Assyriis Regibus erat tiara diademate obvoluta, et tunica partim purpurea, partim alba, quam nisi Rex induere nemo poterat. Medis, Persis, et Armeniis Regibus cidaris quadrangulari figura, cum cærulea fascia albo distincta, vel tiara, amictusque purpureus. Interdum candys, quod Persarum Lydorumque insigne regium erat, pro diademate fuit, ut Plutarchus, Strabo, Maximus, Tyrius, et Curtius, et alii tradunt. Parthis duplex diadema amplissimum decus regium; quippe quorum Reges magni, et Regum Reges habebantur, ut ait Herodianus. Indis Regibus aurea mitra, pluribus gemmis distincta, et sindon, sicut putant Strabo et Philostratus.

Secundo, in Africa, Ægyptiis Regibus, nunc leonis, nunc tauri, aut draconis effieti imaginem, aut ignem, arboremve effictam supra caput ferre, principatus et regii dominatus insignia fuere, sicut docet Diodor. Siculus. Nonnumquam diadema aspidis figura distinctum, ut Ælianus. Numidis vero Regibus sceptrum in sinistra, et candida in fronte vitta, insigne est regale habitum. II. In Africa.

Tertio, In Europa, Macedonibus Regibus erat pro insigni chlamys causia, crepida, ac diadema. Siculis purpurea vestis, argenteus baculus, et purpura gemmis extructa cum diademate. Romanis Regibus diadema, trabea ac purpureus amictus. In Francia manus iustitiæ, sceptrum, corona, purpura liliis aspersa. Sed hæc omnia Christo offerre, proprium est Christianorum Regum: hoc præstitit Clodovæus, cui cum auream coronam Anastasius Imperator misisset, eam pius Rex Christo in suo Vicario, Romano scilicet Pontifice, dedicavit. In antiquis nummis apparet coronas regias radiis duodecim constitisse, quod coronæ Solis fulgerent duodecim lapidibus pretiosis, ad quod allusit Virgilius agens de Latini Regia corona. Octavius eiusmodi corona insignem filium suum augustum vidit. Nam, ut refert Sveton. in Augusto. *Videre visus est filium radiata corona, super laureatum currum bis senis equis candore eximio trahentibus*. III. In Europa.

Iure igitur corona Christi regia describitur auro et lapillis pretiosis atque micantibus præstans. Sic in monte Thabor visus est Christus solari fulgore irradians, Matt. 17. 2. *Resplenduit facies eius sicut Sol*. Et Apocal. 14. v. 14. *Et vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sedentem similem Filio hominis* (scilicet Christum Regem et Iudicem) *habentem in capite suo coronam auream* (quæ regiæ maiestatis sit index) *et in manu sua falcem acutam*, quæ iudicem probet. De corona Iunonis, ait Martianus lib. 1. Erat illi in circuitum ducta fulgens corona, quæ duodecim flammis ignitorum lapidum fulgurabat. Quid nos Christo faciemus? si Deum suum Mithram, id est Solem, Parsæ initiati coronam suam unicam volebant esse: cur Christum a nostro capite reiiciemus, et illi subesse, eoque ornari recusabimus? Tertull. lib. de corona militis cap. ult. *Mithræ*, inquit, *miles cum initiatur in spelæo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum agens martyrii, dehinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu capite depellere, et in humerum si forte possit transferre, dicens, Mithram esse coronam suam*. Deinde vero subnectit: *Agnoscamus ingenia diaboli idcirco quædam de divinis affectantis, ut nos de suorum fide confundat et iudicet*.

Symbolice, S. August. Rufin. Beda, Aiguan. Palanterius, Remig. Thomas Angl. Ugo, Remig. S. Greg. Nyss. et alii, coronam Christi dicunt esse Apostolos. *Posuisti*, ait Beda, *id est, pones in capite eius: id est, vel in ipso qui caput est, vel in principio prædicationis eius pones coronam, id est, multitudinem Apostolorum et aliorum perfectorum circumdantem eum: coronam dico factam de omni lapide pretioso: id est ornatam pretiosis gemmis, id est Apostolis, qui merito gemmæ, quia fulgent et virtutibus, et præconiis, et signis*. Isti, ait Lombardus, sunt duodecim lapides pretiosi, in rationali iudicii, Exod. 28. 17. qui erant insculpti nominibus duodecim filiorum Israel, quæ summus Sacerdos ingressurus tabernaculum in pectore gestabat: quia Doctor Ecclesiasticus vitam Sanctorum præcedentium debet inspicere, atque doctrinam: et qui præcipue virtutum operibus floruerint, et doctrina veritatis claruerint, sollicite scrutari, et hæc cuncta in secreto pectoris colligere, et operis executione prodere. Coronam vero dicit, quia docentem Christum circuitus Apostolorum, tamquam corona ambibat. Ita Lombard. Corona illa est lucida, Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi*. Ita- 30. Symbolice Corona Christi sunt. I. Apostoli.

que do Christi humanitote perfectius quom do illo muliere a S. Ioaone visa, id est de Ecclesio, dicitur, *Et in copite eius corona stellorum duodecim.* Simon Oniæ filius Pontifex Iudeorum comparotur cedro et palmæ: cinctis surculis et ramis suis, Eccl. 50. 13. *Circa illum corona fratrum* (sic Apostolos vocot Christus etiam post Resurrectionem, Matth. 28. 10.) *quosi ploatotio cedri* (Complut. cedrorum: id est, novi surculi ex rodice cedri enati, ot illam ex omni parto coronontes) *in monte Libano. Sic circa illum steterunt, quasi rami palmæ,* (quæ ramis suis instar corouæ circumdotur) *et omnes filii Aoron in gloria sua*, id est, cum vestibus suis gloriosis, hoc est cum ornatu virtutum suarum Apostoli Christum corooabant, et eius fulgorem omnibus manifestabant. Dicebat Iob cap. 29. 25. *Cum ederem quasi Rex circumstonte me corona* (nobilium et Priucipum) *eram tamen mærentium consolator.* De Christo Apostolis ciucto habes, Matth. 5. 1. *Videns Iesus turbas ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et operiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes, etc.* Ubi lugentes, oflictos, et miseros omnes, suavissimis verbis in spem beatitudinis erigit, atque inde descendens od turbas, ægrotos omnes sanavit.

31. II. Sacerdotes et Religiosi.

Secundo, Corona Christi sunt omnes clerici, Sacerdotes, Religiosi, ac Prælati. Thomas Anglicus, Cardinalis, per caput corporis Christi, inquit, intelligatur summus grodus Ecclesiæ, in quo ponitur stotus clericalis vel prædicatorum, qui dicuntur corono propter magnam perfectionem vitæ, quom debent habere: corono enim, propter sui figuram circularem, perfectionem designat, in cuius signum etiam corouaotur. Corona vero isto debet esse do lapide pretioso, quia sicut dicitur Eccl. 45. 9. *Coronavit in vasis virtutis.* Et fuit in primitiva Ecclesio: sed modo videtur esse, sicut dicit Albertus l. 2. de lapidibus. Quod species etiam individua lapidum mortalia, sunt extra locum suæ generationis diu servota, et non retineut nomen speciei, nisi æquivoce, licet in figura, vel colore non possit hæc nisi per longom tempus deprehendi. Sic videtur esse in præsenti de omni statu Clericorum, sivo Religiosorum, sivo sæculorium, si comparentur ad vitam, quam olim in prima suo institutione habuit. Nam locus suæ generationis fuit humilis paupertas Christi, a qua isti elongantur: et ideo ipsi non sunt pretiosi realiter, sed apparenter, ut cum dolore possint dicere illud Ier. 13. *De capite nostro cecidit corona gloriæ nostræ.* Causo assignotur Thren. 4. *Obscuratum est ourum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium plateorum.* Ito Thomas Angl.

32. III. Tota Ecclesia catholica

Tertio, Coroaa Christi est toto et universalis Ecclesio, quæ est œcumenica, id est, per totum mundi circulum diffusa, et sic efficit coronam. Ludolph. *Corona de lapide pretioso est totus circulus, id est, Ecclesia generalis, quæ constat ex viris et pretiosis lapidibus: et eum ex omni parte ambit, sicut corona caput.* Proverb. 12. 4. ait Salomon: *Mulier diligens, corona est viro suo.* Christus est Sponsus Ecclesiæ, ot cum ea unum est in spiritu uno. Alludit Salomon od coronom nuptialem, quo sponsus et sponsa in amoris et concordiæ, gratulationis, et gaudii nuptialis signum coronori solebant, ut trodit Carol. Poschasius l. 2. de coronis cap. 16. ot 17. Coronam Christi esse ipsam Ecclesiam, sic explicot Angelomus in l. 2. Reg. cap. 12. *Coronam*, inquit, *regis populi hostilis David de capite tulit, et diadema inde sibi formavit: cum Redemptor noster ex contraria potestate regnum auferens, sibimet insigne decorum paravit. Quæ outem melius corona David intelligitur, quam conventus populi Catholici? quæ caput nostrum, Regem videlicet Christum, corde credulo nobiliter ambit, et digne conversans decenter coronat. Omnis enim Sanctorum labor et certamen, atque victoria, od honorem cælestis Regis refertur: quia ipse est, cui omne genuflectitur, cælestium, et terrestrium, atque infernorum: et omnis linguo confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* De Ecclesia triumphante præsertim verum est, quod sit corona Christi, quæ circa illum fulget. Sic explicot Ionsouius. Posuisti, ait, in copite eius coronam de lapide pretioso, id est, per grotiam consummontem, illius civitatis Sanctos, lapides pretiosos fecisti, eorumque gloriam in capite Christi posuisti: quia gloriam Sanctorum, Christo ut eorum copiti et victoriæ auctori deferri fecisti. Quæ est enim, inquit Ambr. in Ps. 118. serm. 15. corona gloriæ nisi Ecclesia, quæ caput suum Christum coronat, quia gloriam victoriæ suæ Christo, ut copiti suo adscribit? Ita ipse.

33. Tropol. I. Corona viri iusti sunt virtutes.

Tropolog. Deus ponit in copito, id est, in mente viri iusti coronom de lapide pretioso, id est, ornatum virtutum. Ita Lyran. ot Ugo, qui addit: *Hæc corona habet quatuor lapides pretiosos, scilicet quatuor virtutes Cardinales. Prudentiom habet ab anteriori parte, ut caveat o futuris. Iustitiam o posteriori, ut satisfaciat de præteritis. Temperantiam o dextris, ne elevetur in prosperis. Fortitudinem o sinistris, ne succumbat in adversis. Vel coronam de lapide pretioso, id est memoriam de Christo, qui est lapis pretiosus: de quo Isaiæ 28. 16. Mittom in fundamentis Sion lapidem angularem pretiosum. Cant. 8. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum. Cor est coput, scilicet mens: signaculum, est corono. Sicut in nuptiis et festis omnes, qui sunt de familia Sponsi, coronas deferunt in signum lætitiæ.*

II. Victoria de terrenis omnibus.

Secundo, ponit Deus in capite iusti coronam de lapide pretioso, id est, stabilem et gloriosom victoriam do omnibus, quæ desiderori possunt in hoc mundo. Ita Richard. Pampolitanus. Itaque lapis pretiosus ab eo non sumitur quosi corona ipsa, sed quasi causa, occasio, obiectum et materia, ob quam subactam et protritam ac pedibus calcatam aliquis o Deo coronatur, q. d. coronas iustum, quia lapides pretiosos, id est, omnes vanos mundi splendores contempsit et calcavit.

III. Dignitas regiam.

Tertio, ponit Deus in capito, id est, mente iusti coronom de lapide pretioso, id est, dignitatem et maiestatem regiam, qua per lucem sapientiæ fulgeat, et passionibus suis dominetur, Prov. 20. v. 8. *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Tropolog. de viro iusto dicitur. S. Isidorus ait, regem dici quasi recte agentem. S. Gregor. in Psal. 5. pœnit. v. 23. *In conveniendo populos in unum et reges, ut serviant Domino; per reges, inquit, eos intelliges, qui animorum suorum motus secundum Dei voluntatem dirigunt, eisque regum more dominantur, dum in rationis eminentia quasi solio regali præsidentes repugnantia quæque servituti subiiciunt, et pacatis omnibus, æquitatis leges et innocentiæ iura in seipsis disponunt.*

34. Anagog. Corona Sanctorum in cælo est Christus.

Anagogice. In cælo præcipue erit corona nostra do lapide pretioso, id est, Christo. Isaiæ 28. v. 5. *In die illa Dominus erit corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui.* Unde cum in Ps. 131. v. 18. legamus, *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* In Hebraicus est Nazaræus meus. S. Hieron. vertit, corona mea Hebraice נזר *nezer*, id est, corona, diadema: et נזיר *nazir*, interdum sumitur non pro eo qui sit voto Nazaræus, sed dignitate a vulgo separatus, diademate aut aliis ornamentis insignis, quibus a plebeiis secernatur, ut advertit Mercerus. Coronæ illius typus fuit corono Regum antiquorum, ut docet Clemens Alexondrinus lib. 2. Pædagog. *Reges, inquit, Iudæorum, ex ouro et gemmis composito ac varia corono utentes, Christi vocati, Christum in capite symbolice gestantes, imprudentes copite Domini ornabantur. Lapis certe pretiosus vel margarita, vel smaragdus, ipsum Verbum significat. Aurum rursus est ipsum Verbum ab interitu alienum, qui corruptionis virus minime recipit.*

35. Corona est beatitudo cælestis, et cur.

Corona est cælestis beatitudo, quia est æterna, in corono outem ot circulo nullus est finis. Secundo, quia beatitudo non datur nisi certanti. Tertio, corona ponitur in capite, id est, in intellectu beati, estque de lapide pretioso, id est, do summo dono. Quarto, beatitudo est corona, quia omnes facit reges. Apocal. 4. v. 4. coronati seniores, id est, principes assident throno Dei et agni, Ps. 121. v. 4. *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini.* Alius apud S. Chrysost. vertit, ἐκεῖ ἀνέβησαν σκῆπτρα, illuc ascenderunt

sceptra: ibi enim omnes sunt reges. S. Greg. Nyssen. de vita Mosis, notat in pontificia veste fuisse olim hyacintho coniunctam purpuram, quæ est color regius, quia, *cum vitæ puritate et munditia*, ε βασιλεια συνεζευκται, *regia dignitas copulatur*. Seneca de beata vita cap. 7. *Altum quiddam est virtus, excelsum, regale*. Clemens Alex. lib. 7. Strom. ait virum in divina lege instructum, esse βασιλικον ανθρωπον, και ιερεα οσιον τῳ θεῳ. Regium hominem, et Sacerdotem sanctum Dei.

Lapilli duodecim illius coronæ sunt.

Secundo, lapides pretiosi coronæ illius, nempe beatitudinis æternæ, præter lapidem præcipuum, nempe Deum et eius visionem, sunt duodecim gaudia accidentalia ex visione Dei promanantia. Primus lapis pretiosus, seu primum gaudium est sanitas sine ægritudine. Isai. 25. v. 8. *Præcipitabit mortem in sempiternum*. S. Paulus 1. Corint. 15. v. 54. *Absorta est mors in victoria*, Christi scilicet: ubi adverte Hebr. לנצח *lanetsach*, significare et in sempiternum: et in victoria.

I. Sanitas sine ægritudine.

II. Plenitudo sine defectu.

Secundus lapis pretiosus coronæ beatorum in cælo, est plenitudo sine defectu. Isaiæ 49. v. 10. *Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol*, id est Christianos pascet Christus manna Evangelii et doctrinæ suæ, eosque teget ab æstu tentationum, sicut olim Hebræos in deserto texit per columnam nubis. *Quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit* (Heb. et Septuag. portabit: itaque, sine labore) *eos*. Anagogice id explicat S. Ioannes de saturitate gratiæ et gloriæ in cælo. Apoc. 7. 16. Alludit ad athletas et pugiles victores, atque ad hieronicas iam emeritos, ut advertit Petrus Faber lib. 2. Agonist. cap. 12. Pharnaci tumultuarie electo in Regem datus est sirpus seu arundo pro sceptro, quod fecere Iudæi Christo. Regna mundi non habent medullam.

III. Refectio sine fastidio.

Tertius lapis pretiosus coronæ beatorum in cælo, est refectio sine fastidio. Eccles. 24. v. 29. ait Sapientia: *Qui edunt me, adhuc esurient* (Tigur. esurient amplius) *et qui bibunt me, adhuc sitient*. Syrus, sitient me. Vide S. Greg. hom. 36. in Evang. S. Macarium hom. 10. tota. Alvarez de Paz de nat. perfect. lib. 3. parte 2. cap. 14. et 15. et quæ dixi Ps. 33. 19.

IV. Scientia sine ignorantia.

Quartus lapis pretiosus, est scientia sine ignorantia. 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc* (Deum et divina) *per speculum in ænigmate* (id est, per creaturas, sed cum obscuritate) *tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte* (hoc est, imperfecte) *tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum* (hoc est, intuitive Deum videbo et in sua essentia, sicut ipse per essentiam meam intuetur id, quod sum.)

V. Gaudium sine tristitia.

Quintus, est gaudium sine tristitia, Ps. 35. v. 9. *Inebriabuntur ob ubertate* (S. Hieron. de pinguedine) *domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ* (id est, suavissimo et deliciosissimo) *potabis eos*. Vide illum locum.

VI. Pax sine perturbatione.

Sextus lapis pretiosus coronæ beatorum, est pax sine perturbatione, Psal. 147. v. 3. *Qui posuit fines tuos* (S. Hier. terminum tuum) *pacem*, id est, in toto loco, in quo erit beatus, erit pax perfecta et æterna. Attendenti mandata Dei fit quasi flumen pax. Isaiæ 48. v. 18. Amasis, cum electus est in Regem, galea est coronatus. Hic est perpetuum bellum.

VII. Securitas sine timore.

Septimus, est securitas sine timore, Ps. 90. v. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis a timore nocturno*. Chald. a timore dæmonum, qui ambulant in nocte: id est, in hac vita. Unde Ephes. 16. v. 12. eos Paulus vocat Principes et Potestates tenebrarum: ab illis liberentur Sancti. Is. 32. v. 17. *Et erit opus* (id est, merces operis. Est metonymia) *iustitiæ, pax et cultus* (merces pii cultus) *iustitiæ* (id est, omnis virtutis debitæ) *silentium* (id est, requies et tranquillitas, ut Septuaginta et Chaldæus vertunt) *et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ* (id est, securis ab hoste) *et in requie opulenta*. Gemmæ huius mundi vocantur a Boetio, *pretiosa pericula*.

VIII. Desideriorum omnium adimpletio.

Octavus, est adimpletio omnium desideriorum. Ps. 102. v. 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum*. Vir pius est alter Daniel, vir desideriorum, sed sanctorum: illa omnia explentur a Deo, qui est omne bonum: et Saddai, id est, sufficiens. Sed quasi non sufficiat, addit alia bona, ut sit mensura conferta, coagitata, et supereffluens. Unde non dicit, in bono, sed *in bonis*. Alii vertunt: *Qui satiat bono os tuum*, semper plenum, et semper apertum. S. Hieron. reddit: Qui replet in bonis ornamentum tuum, q. d. qui te omnibus vestibus pretiosis et bonis ac gemmis exornat.

IX. Lætitia de Dei iustitia.

Nonus, est lætitia de iustitia Dei et pœna malorum, Ps. 57. v. 11. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*. In Psalt. Romano et apud Arnob. additur, *impiorum*, id est, de impiis, et in Græcis codicibus emendatis, ασεβων. *Manus suas* (S. Hieron. pedes suos) *lavabit in sanguine peccatoris*. Cassiod. in sanguine peccatorum. Alludit ad duces et milites, qui hostes tanta multitudine occidunt, ut manus habeant tinctas sanguine, et pedibus proterant eorum cadavera.

X. Gaudium de societate Sanctorum.

Decimus, est gaudium de congregatione et societate iustorum, quod typice expressum est in convivio, quo fratres suos lautissime Ioseph excepit, Gen. 43.

XI. Gaudium de benefactis.

Undecimus, est gaudium de consideratione bonorum quæ quisque fecit, dum viveret. Apocal. 14. v. 13. *Opera illorum sequuntur illos*.

XII. Gaudium de malis evitatis.

Duodecimus et ultimus, est gaudium de consideratione malorum, quibus Deus unumquemque beatum liberavit, Psal. 88. v. 1. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Isaiæ 63. v. 7. *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, et super multitudinem bonorum domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, et secundum multitudinem misericordiarum suarum*.

36. Coronæ Sanctorum sunt variæ.

Omnium quidem corona fulgidissima est, nonnullæ tamen sunt micantiores, sicut stella differt a stella in claritate: alius itaque fulgor emicat ex lapidibus pretiosis S. Stephani, qui coronam significat, et lapides quibus lapidatus est, mutavit in coronæ suæ gemmas immortales. Alius splendor est coronæ celebris illius Martyris in Iaponia, quæ in medios ignes coniecta carbones ardentes capiti suo, velut coronam imposuit. Alius aliorum sanctorum. In singulorum coronis opera eorum insculpentur, sicut factum fuisse in corona triumphantium dicit Tzetzes. Et sicut militibus in donativo dabat Imperator, id est, dux exercitus post victoriam in triumpho coronas nonnumquam aureas, ut ait Zonaras, nonnumquam argenteas, aut alterius rationis, pro ratione fortitudinis in variis rebus exhibitæ: ita Deus varia dat præmia beatis. Si quis miles primus mœnia hostium conscendisset, coronæ murales, id est, in modum muri efformatæ, dabantur: si oppidum aut castellum expugnasset, eius figure in ea, corona exprimebatur, et sic de aliis. Verba Zonaræ sunt: *Coronas Imperator aliis aureas, aliis dabat argenteas. Si quis enim primus mœnia hostium inscendisset, coronæ muri forma imprimebatur: si oppidum aut castellum expugnasset, eius imago insculpta: si navali prælio vicerat, navis: si equo, equi; aut rei alicuius militaris: qui civem e pugna, obsidione, aliove periculo servavit, maxima laude, tum vero quercu corona, quæ aureis et argenteis dignior fuit et honoratior, donatus est*. Plerumque coronæ illæ erant floreæ, ideoque marcescibiles, nos autem expectamus coronam incorruptam, ut monet Paulus 1. Corint. 9. v. 25. est de lapide propter soliditatem, ut ait S. Thom. sed pretioso, ob inæstimabile illius pretium.

Fortitudo heroica Martyris Iaponicæ.

Coronæ a triumphante datæ militibus.

Aureæ, argenteæ, etc.

Quæres. Quænam illius coronæ beatorum proprietates, a Davide nostro ponantur. Respondeo quatuor indicari. Primo, æternitatem. Secundo, splendorem. Tertio, delectabilitatem. Quarto, immutabilitatem.

37. Vers. 5. Coronæ Christi quatuor proprietates.

I. Immortalitas.

Ac primo, Immortalitas Christi, seu æternitas coronæ eius ponitur, v. 4. VITAM PETIIT A TE: ET TRIBUISTI EI LONGITUDINEM DIERUM IN SÆCULUM, ET IN SÆCULUM SÆCULI. Pro, in sæculum, et in sæculum sæculi, Hebraice est עולם ועד *olam vaed*, hoc est, in sæculum, et in æternum, ut vertit S. Hieron. et in infinitum, ut Symmachus. Coronæ huius vitæ et mortalium sunt, et mortales ac mar-

cescibiles: ita ut ne unu quidem ex innumeris vividum decus suum servare possit. Theagenes Thasius cursu, lucta, et pugilatu ita excelluit, ut mille et quadringentas coronas acceperit, ut refert Pausanias l. 6. Sed ubi nunc sunt illæ omnes? Defloruerunt, emarcuerunt, in sterquilinium coniectæ putruerunt. Coronæ terrestres omnia esse fluxa et caduca aperiunt: atque, ut ait Athenæus lib. 15. στεφανη κοσμος ψυχης εχων μανιαν, σημαινει τι παθος, αβεβαιη μεν, κεκαλλωπισμενη δε: *Coronarum ornamentum, quia fluxum et caducum: portendit affectum mentis instabilem quidem, decorum tamen.* Christi autem et Sanctorum corona est immarcescibilis: atque, ut ait Chrys. homil. 42. in Genes. διηνεκης, αθανατος, απασι τοις αιωσι συμπαρεκτεινομενος, *perpetua et immortalis extendens se in omnia secula.* Chald. vertit in Ps. nostr. *Vitam æternam petiit a te*, etc.

38 Secunda proprietas coronæ beatificæ est splendor seu claritas, v. 6. MAGNA EST GLORIA EIUS IN SALUTARI TUO (Syr per salutem tuam, id est, a te datam) GLORIAM ET MAGNUM DECOREM (id est, rem gloriosam et decoram valde. Est metonymia, hoc est, coronam gloriosam, vel vestem regiam) IMPONES SUPER EUM: Christum scilicet, Christi enim corona fulgidissimis gloriæ radiis micat, et cælestem aulam totam illustrat, Solis instar effulgens. Unde exultans S. Ambros. in Ps. 118. ait: *Quæ est corona quo coronatur Christus: nisi corona gloriæ. Ioseph coronam habuit castitatis, Paulus iustitiæ, Petrus fidei, singularum virtutum coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ. In hac corona omnes coronæ sunt: quia gloria non portio unius coronæ, sed præmium omnium coronarum est.* Athletæ veteres et pancratiastæ coronabantur olim in certaminibus Olympicis, ville oleastro: in Isthmicis pinu: in Nemeæis, apio: in Pythieis, lauro. Hæc autem omnia erant gloria evanida, et cum brevi odore expirans et flaccescens.

Vers. 6. II. Claritas.

39 Tertia proprietas coronæ beatificæ, est delectabilitas, v. 7. QUONIAM DABIS EUM IN BENEDICTIONEM (id est, Christum efficies benedictum, et per eum alios benedices. Est enim omnium benedictio. Unde Hebr. et Chald. est, Pones eum benedictiones. Eugubin. in benedictionibus: *in seculum sæculi.* S. Hieron. sempiternam) LÆTIFICABIS EUM IN GAUDIO CUM VULTU TUO, id est, per vultum tuum, hoc est, contemplatione et intuitiva visione vultus tui, id est, tuæ essentiæ, maiestatis et gloriæ. Facies pro toto homine sæpe ponitur. De Deo autem loquitur, ανθρωποπαθως. S. Hieron. vertit, apud vultum tuum. Chald. a conspectu tuo. Nota, dare in benedictionem, est idem atque dare seu efficere benedictionem, quia Hebræi verba contactus sive corporalis sive spiritualis componunt sæpe cum præpositione: quæ licet hoc in loco non ponatur in Hebræo, noster tamen modum ordinarium Hebræorum secutus est. Sic dicitur Isaiæ 49. v. 6. *Dedi te in lucem gentium.* Ubi est præpositio *in*, Ps. 56. v. 4. *Dedit in opprobrium* (hoc est dedit, fecit opprobrium, affecit contumelia) *conculcantes me.*

Vers. 7. III. Delectabilitas.

40 Nota, Benedictiones illæ Christi et a Christo, veluti capite, in universum Ecclesiæ corpus defluentes, ad duodecim revocari possunt, quæ figurantur in benedictionibus datis Iacob a patre eius Isaac, Genes. 27. v. 28. *Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti et vini. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* In aliquibus bibliis non tantum frumenti et vini, sed etiam olei fit mentio.

Benedictiones Christi duodecim figuratæ in benedictione Iacobi.

Prima benedictio notatur *in rore:* nempe refrigerium et protectio contra æstum tentationis. Isaiæ 26. v. 19. *Ros lucis* (id est, gloriæ et claritatis æternæ, quæ semper est in sua aurora et numquam desinet) *ros tuus.* Hieronymus Prado in Ezech. 26. v. 20. censet ab Isaia ibi poni laudem et canticum resurgentium. Dicunt Psal. 65. v. 12. *Transivimus per ignem* (Chald. per fornacem) *et aquam: et eduxisti* (S. Ambros. in Psal. 118. induxisti) *nos in* (S. August. ad) *refrigerium.* Apollinaris, αναπαυσιν, id est, quietem. Chald. latitudinem. Alii, ad terram irriguam.

Secunda benedictio beatorum in cælo denotatur. *In pinguedine terræ.* Terra enim cum sit solidissima et maxime stabilis et inconcussa, designat firmitatem et constantiam in virtute, quæ erit in terra viventium. Psal. 103. 5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam* (S. Hieron. super basim suam: ita etiam Aquila et Symm.) *non inclinabitur* (S. Hieron. non commovebitur) *in seculum sæculi.* Eccl. 1. 4. *Generatio* (Hebr. sæculum) *præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.* Symmach. αιωνιος, id est, æterna, supple est.

Tertia benedictio beatorum, est omnis defectus suppletio et unctio. *Abundantiam frumenti.* Psal. 4. 8. *A fructu frumenti vini et olei multiplicati sunt.* Vide ibi dicta, et Ps. 80. 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti*; et Ps. 147. 14. *Et adipe frumenti satiat te.*

Quarta, est oblivio omnium miseriarum. Denotatur hac particula, *Vini.* Vinum enim est lætitiæ symbolum, et tristitiam fugat. Prov. 31. 6. *Date siceram* (Sept. inebriativum) *mærentibus* (Hebr. pereunti; id est, damnato ad mortem) *et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui* (Sept. laborum. Symm. molestiarum suarum) *non recordentur amplius.* Inebriationis in cælo futuræ mentio fit Psal. 35. 9. Vide illum locum: et miseriarum oblivionem promittit Isaias cap. 65. 16. *Oblivioni traditæ sunt angustiæ priores*, id est, tribulationes huius vitæ. Ioseph in principem electus a Pharaone filium suum primogenitum vocavit Manassem, hoc est, oblivionem, dicens Gen. 41. 51. *Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.*

Quinta benedictio beatorum in cælo, est gaudium ineffabile. In aliquibus bibliis, ut dixi, additur, *et olei.* Psal. 103. 15. vino et pani apponitur oleum. *Ut exhilaret faciem in oleo*, id est, oleo, per oleum, unctione olei et aromatum. Isaiæ 51. 11. *Lætitia sempiterna super capita eorum* (id est, corona gloriæ afferens lætitiam: erunt velut immersi in lætitiam) *gaudium et lætitiam tenebunt* (velut illorum possessores ac domini) *fugiet dolor et gemitus*, sicut hostes naturæ et gratiæ, sed longe magis gloriæ.

Sexta benedictio beatorum in cælo, est dominium eorum super omnem creaturam; erunt enim Reges, ut iam dictum est. Et Iacobo ait Isaac: *Serviant tibi* (id est posteris tuis) *populi.* Matt. 25. 21. dicitur iusto: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.*

Septima, est eorum honor. *Et adorent te tribus.* Sap. 5. v. 5. *Ecce quomodo computati* (annumerati) *sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est.* Sors scilicet hæreditaria: filii enim per gratiam et gloriam sunt. Vide Ps. 8. 6.

Octava, est participatio bonorum omnium. *Esto Dominus fratrum tuorum.* Psal. 118. 63. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Bonum enim quod possidetur, est infinitum, communicat se omnibus sine ullius præiudicio: et eo modo participatur, qui nihil aliis tollat, uempe per cognitionem et amorem. Etsi mille homines solem aspiciant, nihil sibi mutuo eripiunt.

Nona, est omnium rerum dominium. *Et incurventur ante te filii matris tuæ*, Ps. 8. v. 7. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, Christi, et viri iusti.

Decima, est vindicta de inimicis. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Apocal. 6. v. 9. animæ Martyrum, qui sub altaribus erant sepulti, clamant: *Usquequo Domine, sanctus et verus, non iudicas et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra.* Hanc vindictam eventuram dicitur, Ps. 57. v. 11.

Undecima benedictio beatorum in cælo, est remuneratio amicorum et benefactorum. *Qui benedixerit tibi, sit ille benedictus.* Matth. 10. v. 42. *Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.*

Duodecima denique notatur, in osculo Isaac, qui risum significat. In quo significatur coniunctio Christi cum Ec-

clesia: quia sicut nulla est divisio inter osculantes, ita nulla erit divisio inter Christum et Ecclesiam. Hoc est osculum Sponsæ. Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hæ sunt duodecim stellæ in corona Sponsæ. Apoc. 12. Hæ sunt duodecim benedictiones filiorum Israel. Genes. pen. et Deut. penult. Hæc ex parte Ugo.

41. Vers. 8. IV. Denique Quarta denique proprietas coronæ beatificæ, est immutabilitas v. 8. QUONIAM REX SPERAT IN DOMINO, ET IN MISERICORDIA (id est, per misericordiam) ALTISSIMI NON A COMMOVEBITUR. Hebraice non nutabit. Sept. μὴ σαλευθῇ, id est, non fluctuabit, non sunt enim beati amplius in mari. Syrus: Et ex gratia Altissimi non movebitur. Et S. Hieron. Quia Rex *confidet* in Domino, et in misericordia excelsi non decipietur. Nota. Si ad gloriæ immutabilitatem aspiras, Rex esto. Rex est qui sibi imperat, is in Deo sperat, et in eo non commovetur. Vide dicta v. 1. et supra in hoc articulo, ex S. Gregor. Nyssen. Clemente Alex. et Seneca. Proprietas est immutabilitas.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

42. *Duo complectitur. Primo, inflictionem pœnæ in hostes Christi, v. 9. Secundo, Christi exaltationem et laudem, v. 13.*

PARAPHRASIS.

9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

9. Manus tua ac potentiam, Christe, non evadent hostes tui, sed deprehensi pœnas dabunt: dextera tua constrictos puniat, cum iniusto in te odio exarserint, atque arma moverint.

10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos: et devorabit eos ignis.*

10. Cum iudicii extremi tempus advenerit, teque flammante vulto iratum indicem ac vindicem aspexerint, dolore æstuabunt, non secus ac furnus igneus et flammas in seipsum reflectens, succenditur et stridet. Te contemplantes et sententiam a te irato profectam audientes turbabuntur timore horribili: et variis clamoribus, sed vanis et inutilibus personantes a terra haurientur, pabulum æterni ignis futuri.

11. *Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum.*

11. Congestas ab iis divitias disperdes et igne vindice in cinerem rediges, eorumque liberos, quibus famam suam et gloriam propagaturos se confidebant, e vivis exscindes, et barbarorum prædam iocumque efficies.

12. *Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.*

12. Quoniam omnis te exortem culpæ, ideoque nulli pœnæ obnoxium, variis modis affligere conati sunt: artesque varias excogitarunt, quibus te opprimerent: sed hæc eorum consilia in irritum ceciderunt.

13. *Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

13. Omni ex parte elisi vindicem manum tuam sentient, perinde quasi toti essent dorsum, flagellis plurimis exponentur. Efficiesque, ut non tantum præsentibus pœnis affligantur: sed mentis suæ oculos in reliquas tota æternitate futuras intendant: unde summus cruciatus oriatur ac desperatio.

14. *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, et psallemus virtutes tuas.*

14. O Domine, potentiam tuam exere, atque de hostibus tuis triumphans gloriam tuam omnibus manifesta: tunc hymnos tibi triumphales, voce animoque accinemus.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTI CRUCIATUS HOSTIUM CHRISTI.

43. Ordo Sectionis. SECTIONE præcedenti gloriam triumphatoris Christi David extulit: nunc consequens est, ut hostium illius depressionem et dolorem, atque contritionem exponat. Ducuntur enim in triumphum et mactantur.

Hostes Christi in iudicio et in inferno puniuntur. Ostendit autem quid passuri sint illi impii in die iudicii extremi præsertim, atque in inferno: licet pleraque etiam ad huius vitæ pœnas traduci possint.

Primo itaque, ponit reorum comprehensionem, per manum sinistram, v. 9. *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Et attritionem ac flagellationem per dexteram. *Dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.*

Secundo, comprehensi sistentur tribunali iusti iudicis in illo severo et tremendo examine, in quo orbis universus adstabit. Tunc conspecto irato iudice et vultum succensum in eos contorquente, horrebunt intus, v. 10. *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Et exterius perturbationem suam ostendent. *Dominus in ira sua conturbabit eos.* Atque a terra dehiscente sorbebuntur, ut æterno igne devorentur. *Et devorabit eos ignis.*

Tertio, in igne illo ultore constituti torquebuntur, tum ob ea quæ sunt præterita, tum ob præsentia, tum ob B futura.

Primo, ob præterita, cum divitias suas tanto labore partas et tanto amore possessas, periisse viderint, v. 11. *Fructum eorum de terra perdes;* 2. liberos suos aut ad paupertatem fuisse redactos, aut penitus exeisos, aut secum esse damnatos. *Et semen eorum a filiis hominum;* 3. hostes suos in æterna gloria esse constitutos, quibus malitia sua nocere non potuerint, v. 12. *Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.*

Secundo, ob præsentia mala torquebuntur, flagellis sævissimis subiecti, v. 13. *Quoniam pones eos dorsum.*

Tertio, ob futura mala, quæ mente sibi præsentia facient, cruciabuntur. Nam innumeras pœnas tota æternitate duraturas, velut infinitum exercitum hostium in se armatorum et irruentium cernent. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum.*

Concludit tandem hæc omnia in Christi gloriam et servorum eius lætitiam esse cessura. Nam primo, ipse victor C et triumphator in cælo ad dexteram Patris æterni sedens regnabit et omnibus dominabitur, v. 14. *Exaltare Domine in virtute tua.* Secundo, Sancti per ipsum liberati et victores gaudio æterno triumphabunt, Regia sui laudes lætis canticis extollendo. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas.*

ARTICULUS I.

Summus erit impiorum dolor in die iudicii.

HAC de re iam egi fuse Ps. 1. 5. et Ps. 2. 4. Hic itaque paucissima perstringam. David triumpho Christi exposito post victoriam, docet hostes eius esse ostringendos atque iugulandos in iudicio, et in carcere infernali, quod etiom apud Romanos fiebat, duces enim ac Reges captivi ducebantur catenati ante currum triumphatoris, cum vero ad Capitolium currum flectebat, olia via captivi in carcerem ducebantur, et ibi occidebantur.

Vers. 9. Manum porro utramque ad opus accingi vult, ut gravius supplicium appareat, v. 9. INVENIATUR MANUS TUA OMNIBUS INIMICIS TUIS: DEXTERA TUA INVENIAT OMNES QUI TE ODERUNT. Nota primo, invenire hic ponitur pro assequi et comprehendere. Est metalepsis, ponitur enim antecedens pro consequenti. Sic dicit Sennacherib Isaiæ 10. v. 10. *Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic et simulocra eorum de Ierusalem, et de Samoria:* id est, sicut mihi subiugavi regna variarum gentium quæ colunt idola, ita mihi subiugabo Ierusalem et Samariam, id est, regnum Iudo et regnum Israel, si quid tamen secundo superest, iam a Salmanasar everso.

44. *Impii fugam meditabuntur in die iudicii, sed frustra.* Nota secundo, τὸ *inveniatur*, denotat primo, hostes Christi iam esse in fugam datos. Secundo, quod trepidi non audebunt consistere in die iudicii, sed optabunt et conabuntur in speluncas fugere. Apocal. 6. v. 15. *Reges terræ, et principes, et tribuni,* (et qui præeront militibus apud Romanos, sicut Moreschalli apud nos) *et divites, et fortes, et omnis servus et liber, absconderunt* (abscondent, abscondere cupient, molientur) *se in speluncis, et in petris montium: et dicent montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie* (quanto magis a manu?) *sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Tertio, *inveniatur* sumptum pro comprehendatur, denotat potestatem Christi accipientis, et imbecillitatem hostium eius, quos invenire est posse capere et conterere instar pulicum et vermium, ac vilium animalculorum metu exanimatorum. Symmachus vertit, *comprehendet manus tua omnes inimicos tuos*, q. d. unica manus tua tam ampla est et tam potens, ut omnes simul uno complexu possit sistere, continere, comprimere et elidere. Caiet. reddit: *Sufficiet manus tua ad perdendos inimicos tuos*, q. d. armis non est opus, tua manus erit illis telum, hasta, sarissa, gladius. Si sola manu et nuda illos tetigeris, actum est de ipsis. Chald. *Invadet percussio manus tuæ cunctos hostes tuos.* Sennacherib gloriabundus ob facile devictos et subactos varios populos, ait Isaiæ 10. 14. *Invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum* (in sua enim fortitudine velut nido populi quiescebant, et securos se putabant: sed eos abstuli e nido suo, ex arcibus et urbibus munitis ac fortissimis, velut implumes pullos) *et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram* (omnes populos et opes terræ) *ego congregavi* (in unum imperium Assyriorum) *et sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi: et non fuit, qui moveret pennam, et aperiret os, et ganniret*, id est obganniret, obstreperet, ut faciunt vulpes in cavernulis suis, et canes in atriis domus suæ contra advenientes. Sed ille ipse Sennacherib inglorius fugit, cæsis ab Angelo una nocte 185. millibus militum.

Nota tertio, pro *inveniatur* in Hebr. est, תמצא *thimtsa*, id est *inveniet*, in tempore futuro, quod sæpe apud Hebræos ponitur pro imperativo et optativo. Maxime id fit in propheticis. Hic, ubi agitur de victoria reportata a Christo in hostes, τὸ *inveniatur*, est Primo optantis, ut fugaces post pugnam hostes, et ad montes concavos et sinuosos sese cursu transferentes intercipiat et teneat. Secundo, *inveniatur* est vox adhortantis, sicut fieri solet in exercitu, cum victores instant tergo fugientium: sibi enim mutuo addunt animos et inclamant, hunc advola, illum accipe, alium iugula, iam iam tenetur, evadet, nisi accurreris,

A et his similia. Tertio, *inveniatur*, est vox gratulantis, cum certus sit fore ut mox educantur e latebris, ut quinque Reges victi a Iosue, educti sunt e spelunca Maceda post pugnam celebrem, in qua Sol stetit. Iosue 10. 12. Sol noster Iesus Christus stetit in Cruce, et hostes eius capiuntur. Sed et ipse est Iosue et dux exercitus eos capiens. Sic de mox capiendis dicitur? *Qu'on les attrappe, qu'on les prenne.*

Nota quarto, Manus Dei significat eius potentiam, tam ad benefaciendum quam ad puniendum; hic pro subiecta materia denotat potentiam in puniendo. Unde Chald. ut dixi, vertit: *Invadet percussio manus tuæ cunctos hostes tuos, et ultio dexteræ tuæ inveniet omnes odio te habentes.*

Nota quinto, Quoties post vel ante factam mentionem manus ponitur dextera, tunc *manus* significat sinistram: nomen enim generis pro specie imperfectiore solet usurpari: cum enim dicimus animalia, non intelligimus homines, sed alia bruta animalia.

Nota sexto, sinistræ et dexteræ significationem sic distinguit Remigius: ut sinistram, 1. quæ est mollior; 2. 45. *Sinistræ et dexteræ significatio.*
B quæ fert clypeum; 3. quæ est cordi propior, velit esse symbolum misericordiæ: dexteram vero 1. quæ est fortior; 2. quæ gladium et hastam portat; 3. quæ a corde magis distat, pro iustitia sumi. Verba eius sunt: *Compatiendo illis commotis a spe et misericordia tua, opto, ut inveniatur manus tua, id est auxilium misericordiæ tuæ tam Iudæis quam gentibus, omnibus inimicis tuis: quærant misericordiam tuam, et inveniant eam. 1. Timoth. 2. 4. Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Quod si te quærere noluerint, inveniat dextera tua, id est vindicta, omnes qui te oderunt. Et hoc prophetando, non optando.* Secundo, Beda sinistram sumit pro Christi potentia, sed in eius humilitate occulta: dexteram vero, pro potentia elevata et aperte flagellis vel stricto gladio puniente in die iudicii. Sic autem loquitur: O Domine Rex, qui tantæ patientiæ futurus es, manus tua, id est humilis potentia tua, dum adhuc elata ad percutiendum, tamquam dextra, non erit, *inveniatur*, id est, in humilitate recognoscatur in præsenti ab omnibus inimicis tuis,
C id est, a contradicentibus tibi Iudæis. Illos autem omnes qui te oderunt, id est, qui in præsenti noluerunt recognoscere humilem manum tuam ad salutem, *inveniat* tandem ad damnationem dextera tua, id est potentia tua, cum iam elata ad percutiendum erit in iudicio, ut dextra. Hoc autem est divinæ sententiæ aggratulatio, non imprecatio. Ita Beda. Tertio, Lyranus accipit sinistram pro minori punitione; dexteram vero pro duriori. Sicut contra, de Sapientia iustis bene faciente dicitur Proverb. 3. ibid. *Longitudo dierum* (id est æternitas et merces æterna) *in dextera eius: et in sinistra illius divitiæ et gloria.* Itaque donatio opum et bonorum temporalium fit a sinistra Dei: donatio vero æternorum bonorum atque immortalitatis fit ab eius dextera. Punitio itaque in temporalibus erit punitio sinistræ; punitio autem in æternitate, erit punitio dexteræ. Quarto denique, per sinistram et dexteram, id est, sinistræ et dexteræ vindictam, malim eamdem punitionem denotari: ita ut sinistra teneat reum, et dextera eum flagellet atque conterat. In quo declaratur, 1. gravior punitio; 2. inevitabilior; 3. diuturnior.

D Nota septimo, Hostes Christi intelligit S. Augustin. et Lombard. Iudæos, qui eum in humilitate eius, id est, in humanitate, non cognoverunt: per eos vero qui ipsum oderunt, puniendos omnes in die iudicii. Secundo, Dion. Carthus. ex opposito dicit inimicos Christi esse hæreticos, schismaticos et impœnitentes: eos vero qui oderunt, esse perversos et incredulos Iudæos, qui eum per invidiam occiderunt. Tertio, Didymus inimicos ait esse atheos: osores vero alios peccatores. *Non quibusdam, ait, sed omnibus inimicis Dei invenitur manus eius, cum supplicia illis inferuntur. Manus hæc illa est, quæ divinæ legi repugnantes demolitur: iuxta illud Exod. 17. pugnat Dominus occulta manu contra Amalech. Inimicos hoc loco intelligere illos fortasse potes, qui sublata providentia se totos impietati dedunt. Nam his, qui Deum esse negant, invenitur ma-*

nus quæ illos agitat, et suppliciis affligit, ut Deum rebus cunctis præesse cognoscant. Osores autem Dei vocat hoc loco peccantes. Nam si quis præcepto Dei observat, in eo perficitur charitas Dei, iuxta illud Ioan. 14. 23. Si quis diligit me, sermonem meum servat, unde consequens est, ut qui neque sermonem neque præcepta observat, Deum oderit: qui vero infectus est odio, is plane periisse dicitur. Quarto denique, per inimicos et osores intelligo omnes prorsus peccatores: specialius tamen eos qui oderunt, accipio pro peccantibus ex malitia et obstinata voluntate. Poiræus noster hostes Christi ac Deiparæ præcipuos enumerat, dæmonem, magos, hæreticos, blasphematores, eique de his esse reportatam victoriam. Illum consule tractat. 2. de triplici corona Virgin. cap. 9.

46. Vers. 10. 1 Pars. Tempus vultus Dei est: 1. Tempus Incarnationis. 2 Et apertius dies iudicii.

Quantus sit futurus impiorum dolor in die iudicii, commodissime exprimit David, similitudine furni ardentis, v. 10. PONES EOS UT CLIBANUM IGNIS IN TEMPORE VULTUS TUI. Nota tempus vultus Dei Patris est. Primo, tempus Incarnationis filii eius, qui recte eum advenientem cognoscentibus cessit in lampadem, quæ in tenebris lucet, et diabolicæ caliginis densos vapores dissolvit et fugat. Ita Procopius in Gen. 47. Secundo, et melius, tempus vultus Christi, quem hic David seu populus Christianus alloquitur, est dies iudicii, in quo flammato in impios vultu et ardentibus oculis apparebit. Ita S. Thomas, Cassiod. Dionys. Rufin. Thom. Anglicus, et alii. Sic ardens visus est Deus humana specie, id est Christus, puniturus Ierusalem, id est animam peccatricem et mundum sceleratum. Ezechiæ 1. 27. *Et vidi quasi speciem electri*, (id est æris præstantissimi seu aurichalci) *velut aspectum ignis: intrinsecus eius per circuitum, a lumbis eius et desuper, et a lumbis eius usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu*, id est, videbatur Deus speciem regis habere, qui totum corpus ex electro accenso habere videbatur, quod interius sursum et deorsum, et circumquaque ignitum erat. De Christo clare Apocal. 1. 14. *Oculi eius flamma ignis;* iustis lucens, reprobos incendens, ait Gagnelus: iram et vindictam in impios denotant illi oculi flammantes, ut dicit Ribera. Quod etiam vultus iram designet, habes Ps. 33. 17. *Vultus*, (Chald. ira) *Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

47. Clibanus quid?

Nota secundo, Clibanus, ut ait S. Hieron. Thren. ult. est coquendis panibus ænei vasculi deducta rotunditas, quæ sub urentibus flammis ardet intrinsecus. Idem dicit Cassiodorus in psalmo nostro. Alii dicunt, clibanum esse instrumentum placentis potius, et id genus cibis, quam pani coquendo aptum, quod antiquitus ex testa, seu opere figulino fieri solebat: postea vero etiam ex ferro, vel ære. Plinius certe lib. 19. furnum a clibano distinguit cum ait, cortices decussos clibanis et furnis præbere usum. Differt autem clibanus a furno, quod hic maior sit atque immobilis: clibanus vero, minor, ut quocumque visum fuerit, possit transferri. Hebr. vox תנור *tannur*, et ad clibanum, et ad furnum potest traduci, et Iacobus de Valentia in psalmo nostro aperte furnum vocat. Et sic vertitur *tanur*, Exod. 8. 3. et ipsa vox *furnus*, ab Hebr. deduci videtur primæ radicalis mutatione, et aliarum metathesi, aut saltem est aliqualis inter eas dictiones similitudo.

48. Cor impii est ardens clibanus, ob quinque rationes.

Quæres. Quare cor impii afflicti comparatur clibano seu furno ardenti. Respond. prima similitudo est, quod utriusque ignis est internus: itaque quocumque clibanum transfers, ignem et flammas vehis, ut in exercitibus, cum in illis furnis portatilibus panis coquitur. Cor impii est cor dæmonis, suam semper gestat flammam. Hinc dolor eum non deserit, sed in die iudicii præsertim, de quo hic est sermo, S. Gregor. 8. moral. 40. *Quis, ait, digne penset iniquorum confusio quanta tunc erit: quando et foris æternus iudex cernitur, et intus ante oculos culpa versatur?*

I.

II. Secundo, ignis in clibano aut furno conservatur, quia paleis et lignis impletur: ita cor impiorum plenum est rebus vilibus et facile combustibilibus. Didymus in Catene. *Facillimum est Deo, tamquam clibanum succendere impios: et ignem tamquam combustioni aptam materiam conficere.*

Tertio, ignis totum furnum implet, itaque nullus locus ibi est sine flammis. Ita nullus locus est in corde impii sine flamma peccati, et combustione doloris. Isai. 50. 11. ait Iudæis scelestis: *Ecce vos omnes* (pene omnes) *accendentes ignem* (velut carbonarii, ait Forerius) *accincti flammis* (concupiscentiæ, et Chaldæorum urentium Ierusalem) *ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Pro accincti flammis, Vatablus vertit, circumdati scintillis. Forerius, colligati laqueis flammarum scilicet. III.

Quarto, Flammæ in furno in seipsas reflectuntur, ideoque se invicem magis inflammant. Cor impii et cogitationes eius in seipsas reflectuntur, et dolor dolorem auget, ex consideratione variorum peccatorum et miseriarum, quas illa reflexio ostendit Ps. 105. 18. *flamma combussit peccatores.* IV.

Quinto, flamma ex furno egredi non potest, ideo ignis est ibi ardentior, partibus maxime calidis resilientibus in alias, et mutuo concursu sese augentibus. Impiis in iudicio præsertim os occludetur, mutire et hiscere non audebunt, ideo gravior erit dolor, quem evaporare non poterunt. Zach. 5. 8. *Hæc est impietas. Et proiecit eam* (impietatem, id est impiam synagogam) *in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os eius*, mulieris scilicet, seu impietatis, ut ait Theodoretus: vel amphoræ, cui os occlusit, et consequenter mulieris in eam coniectæ et conclusæ, ut explicat S. Hieron. atque Albertus Magnus. In clibano ignis S. August. Ruffin. Beda. Cassiod. Bruno, Haimo, Remig. et alii spectant in psalmo nostro, quod sit ignis conclusus et accensus, ita ut flammæ exire non possint. V.

Tropolog. Deus impios, velut fornacem ardentem, urit dolore in die iudicii, ut dictum est, quia dum viverent hic in terris, cor suum fecerunt clibanum, iniquitatis omnis et cupiditatis flamma exæstuans. Oseæ 7. 6. *Applicaverunt quasi clibanum cor suum, cum insidiaretur eis.* (Israelitis seu decem tribubus rex Iehu, ut eos ad idololatriam impelleret) *tota nocte dormivit coquens eos* (dissimulavit mentem suam permittens per seipsos in illa nocte infidelitatis illos fermentari, et ad loquendum aptari) *mane ipse accensus quasi ignis flammæ.* Mane, id est cito, præparatis omnium animis Iehu sese ostentavit, non tantum velut pistor, sed velut flamma et furnus succensus, ut ex eis panem impietatis faceret. Pectus affectionum omnium sedes similitudinem habet cum furno, 1. ob cavitatem; 2. ob calorem; 3. ob spiritus ultro citroque commeantes; 4. ob correspondentiam et vicinitatem eius cum ore. *Cor hominis clibanus est*, ut ait Origen. homil. 5. in Levit. habet cor suas flammas, materiam earum, illas per totum corpus diffundit, seipsum succendit, suum habet orificium. Potest etiam conferri puteo bituminis in valle Sodomæ, id est impietatis huius vitæ; cum flammam concepit, vix potest extingui. Orig. in lib. Num. *Quid*, ait, *dulce, quid suave potest habere peccator? Si veneris ad actum peccandi, venisti ad puteum bituminis et amaritudinis; Bitumen autem est fomentum ignis.* Melius ad rem nostram cor impium est fornax ferrea Ægypti, a qua nemo educitur, nisi Dei ope. Deuter. 4. 20. Et fornax Babylonica, quæ incendit Chaldæos, qui eam succenderant. Dan. 3. 48. 49. Tropol. Etiam ante diem iudicii hoc verum est.

Ignis, qui in illo clibano, nempe in corde impii succenditur, est omne peccatum: et quidem ignis illo alienus est, quo qui arserit, a Deo recedat necesse est. Eo enim non ardet altare Dei. S. Isidor. Hisp. cap. 8. in Levit. *Videtur*, inquit, *ignem alienum incendere, quisquis corporis vel sæcularis alicuius cupiditatis ignem in sacrario sui cordis accendens, audet ad altare Domini appropinquare.* Abraham ignem illum excutit, cum egreditur de Ur, id est de flamma Chald. Gen. 15. Ignis Chaldæorum, incentiva vitiorum, ut ibi ait Glossa. Ignis clibani est omne peccatum.

Placet mecum crepitantes, atque e styge exilientes, has cordis scelerati flammas intueri.

I. Superbia est ignis. Primo, Superbia est ignis, qui omnia depascens maiori semper incendio ad sublimia evolat. Hinc ait Propbeta noster Ps. 73. 23. *Superbia* (S. Hier. *sanitus.* Est flamma crepitans) *eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

II. Avaritia est ignis. Secundo, Avaritiam igni omni vastanti comparat S. Cbrys. bom. 17. Epist. 1. ad Timoth.

III. Luxuria est ignis. Tertio, Luxuria ignis est. Oseæ 7. 4. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente.* De idololatris qui spiritualiter fornicantur, recte intelligit Cornelius: recte etiam proprie de Luxuriosis sumit S. Gaudentius Episc. Brixianus tract. 13. ad Neophytos. *Stupri, ait, assiduitas Luxuriam carnis* non *cohibet, sed accendit dicente Propheta: Omnes fornicantes, velut ardens clibanus corda eorum. Prædatoris quoque rapacitas non comprimit avaritiam, sed irritat. Scriptum est enim: Qui amat pecuniam, non satiabitur pecuniis.* Virgil. 4. Æneid. vocat amorem cæcum ignem, et mollem flammam. Veneris maritum finxerunt veteres esse Vulcanum, ut ostenderent amorem ardore incendi. Epictetus interrogatus ab Adriano Imper. Quid esset amor, dixit: Est otiosi pectoris molestia, in puero pudor, in virgine rubor, *in fœmina furor*, *in iuvene ardor*, in sene risus.

IV. Ira est ignis. Quarto, Iram igni similem facit S. Greg. Naz. carm. Iamb. 24. et S. Cbrysost. πυραν της οργης, id est *piram iræ* vocat hom. 2. de Davide et Saule: ubi magnum illum heroem Sauli parcentem in spelunca Engaddi, comparat tribus pueris in fornacem Babylonicam missis, a Deoque servatis, nec minus esse dicit ex iræ fornace succensa evasisse, quam ex illo Nabuchodonosoris incendio. Tantus tamque ardens est iratæ mentis clibanus. Ab eo amissa verba scintillis quibusvis ardentiora sunt. Virg. lib. 12. Æneid. ait.

Totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

V. Invidia. Quinto, invidiæ quoque suus ignis est, eoque voracior, quo interior. Nam, ut ait S. Cbrysost. hom. 7. in Epist. ad Rom. πυρος δαπανηροτερα η φλοξ βασκανια, *quo edacior est invidiæ flamma, ut in Caino patuit.*

VI. Gula. Sexto, Gulam igni comparem, an ignem gulæ, non satis scio, cum dicatur ignis edax et devorans: gula autem et lautissima patrimonia, et gulosi viscera absumat atque corrumpat. Ebrietas certe ignes suos, flammas et fumos habet. Ουδεν ουτως και επιθυμιαν αναπτει, και οργην εκκαιει ως μεθη, και παροινια. *Nihil ita et concupiscentiam inflammat, et iram accendit, sicut ebrietas.*

VII. Pigritia. Septimo denique, pigritiæ suus est clibanus et ignis, sed lentus et diuturnus. Dolor et angor est ignis pigrorum. De omnibus peccatoribus ait S. Aug. in Ps. nostr. Sunt omnes ardentes intus conscientia impietatis suæ. Hæc est fornax ferrea, de qua Ierem. 11. 4. *Eduxi eos de terra Ægypti de fornace ferrea.* S. Ambros. serm. 20. in Psal. 118. *Fornax ferrea*, inquit, *quia nullius adhuc in Ægypto opera virtutum pleno lucebant, nullius aurum illic fuit comprobatum, nullius plumbum iniquitatis exustum. Dura fornax, fornax mortis perpetuæ. At vero fornax, in qua Ananias, Azarias, Misael hymnum Deo canebant, fornax aurea illa non ferrea, per quam toto orbe sapientia fide devotionis illuxit.* Quam dura sit illa fornax peccatorum et quam ferrea, docet S. Greg. in Ps. 8. pœnit. Inter multiplices, ait, humanæ animæ tribulationes, et innumerabiles afflictionum molestias, nulla est maior afflictio, quam conscientia delictorum.

Materiam, flammam, scintillas, cinerem illorum ignium considera per proportionem ad ignem luxuriæ, de quo S. Laur. Iustinian. in ligno vitæ, sect. de sobrietate, cap. 1. *O ignis*, ait, *infernalis Luxuria, cuius materia gula: cuius flamma, superbia: cuius scintilla, prava colloquia: cuius fumus, infamia: cuius cinis, inopia: cuius finis, gehenna.*

50. Panes varii in clibano cordis impiorum. Panes varii in illo cordis furno a variis pistoribus coquuntur: panis scilicet mendacii, impietatis, voluptatis, cupiditatis, etc. Pistorem unicum S. Thomas ponit diabolum, qui malas cogitationes ministrat, sicut coquus ministrat ligna. Tres pistores seu coquos statuit Ugo Cardin. in cap. 20. Prov. nempe mundum, carnem et dæmonem. *Mundus*, inquit, *apponit panem vanitatis; caro panem voluptatis; diabolus panem impietatis.* His coquorum principibus subserviunt adulatores, avari, cupidi, cæterique omnes peccatores: qui pro arbitrio suo stygias massas in fornacem cordis sui coniiciunt.

I. Panis mendacii. Primo, Panem mendacii adulatores faciunt, eoque pascuntur, et calumniatores, detractores, et eiusmodi farinæ homines. Prov. 20. 17. *Suavis est homini panis mendacii*, (id est, panis lapidosus et arena plenus, qui suavitatem panis ostentat, et os lædit ac stomachum. Talis est detractio, calumnia, susurratio, mendacium, voluptas, divitiæ, hæresis: auctor Catenæ Gr. vertit, panis mendacis. Complut. codices habent, panis mendax) *et postea implebitur os eius calculo*, id est, lapillis, nec poterit sine dolore et vulnere comedere. Beda et Glossa symbolice et mystice dicit, fore ut os illius qui in lingua peccaverit, impleatur calculo, qui est lapis ignitus, sicut accidit diviti epuloni, qui maxime in lingua urebatur.

II. Impietatis. Secundo, Panem impietatis conficiunt avari, Proverb. 4. 17. *Comedunt panem impietatis*, (id est, impietate et rapinis partum. Heb. panem חמסים *chamasim*, hoc est, rapinarum, violentiæ. Vatabl. vertit impie quæsitum.) *et vinum iniquitatis* (Symm. Iniustitiarum. Chald. raptorum. Vatabl. vi extortum) *bibunt.*

III. Superbiæ. Tertio, Panem diaboli faciunt superbi. S. Hieron. in cap. 7. Oseæ de hæreticis ait: *Hæreticorum corda diaboli igne succensa, ut in eis panes coquantur Antichristi, nemo ambigit, etc. Fermentum doctrinæ eorum cum intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpunt insaniam.*

IV. Voluptatis. Quarto, panem voluptatis coquunt luxuriosi, cumque rabidis faucibus deglutiunt. Eccl. 23. 24. *Homini fornicario omnis panis* (id est quælibet fœmina, sive dives et pulchra, sive non. Syr. vertit, omnis caro) *dulcis, non fatigabitur transgrediens* (Legem Dei) *usque ad finem*, vitæ scilicet: Tigurina vertit, donec intereat. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.* Proverb. 9. 17.

V. Cupiditatis. Quinto, panem cupiditatis facit piger, ac luporum de more terra vescitur. Ezech. 4. 15. *Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in eo.* Sic piger est scarabæus, fimo sese sepeliens et nutriens.

VI. Variorum scelerum. Sexto denique, quotquot sunt peccata, tot sunt panes iniquitatis ac diaboli. Ugo Cardin. in Matthæum, septem diabolicos panes ait contineri verbis illis Christi Matth. 15. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Exactius posset quis de septem vitiis capitalibus panes assignare, sed hæc sunt satis.

ARTICULUS II.

Cruciatus varii damnatorum in inferno.

51. Vers. 10. Post iudicium extremum terra dehiscet, et impios absorbebit æterno igne cruciandos, vers. 10. DOMINUS IN IRA SUA CONTURBABIT EOS (Hebr. יבלעם *ieballehem*, id est, eos absorbebit, ut vertit Muisius; 2. præcipitabit, ut S. Hieron. 3. opprimet, ut Felix; 4. disperdet, ut Pagninus; 5. modum quo sunt a Deo disperdendi impii exprimunt Syr. et Arabs, cum vertunt, exuret eos; 6. et Septuaginta atque noster, conturbabit eos) ET DEVORABIT (Hebr. תאכלם *tochelem*, comedet eos; Petav. κατεφεται, consumet) EOS IGNIS. Petav. actionem illius denotat, cum reddit, ακαματον πυρ, infatigatus ignis.

Ignis qui in die iudicii devorabit impios, erit: Quæres primo, Qualis ignis devorabit sceleratos in die iudicii condemnatos? Resp. de duplici igne hoc posse intelligi. Primo, de igne conflagrationis mundi, qui erit eiusdem speciei cum igne elementari, ut docetur, in Sup-

Vel ignis deflagrationis mundi.

piem. S. Thomæ qu. 74. art. 3. purgabit omnia elementa a sordibus et infectionibus, qnes ob hominum peccata contraxerint: torquebit malos ante iudicium, eos comburendo, et in cineres redigendo; in iudicio, eos circumdando, post iudicium, illos hiante terra absorbendo, et cum iis ad inferos descendendu, ut in æternum ipsos cruciet. Nam, ut ibi dicitur art. 9. tota purgatio mundi et innovatio, ad purgationem et innovationem hominis innovebitur: et ideo oportet, ut mundi purgatio et innovatio purgationi et innovetioni humani generis congruat: humani autem generis purgatio quædam erit, qnod mali segregabuntur a bonis. Unde dicitur Luc. 3. 17. *Cuius ventilabrum in manu eius, et purgabit aream suam, et congregabit triticum* (id est electos) *in horreum suum: paleas autem* (id est, reprobos) *comburet igni inextinguibili.* Unde et ita erit de purgatione mundi, quod quicquid erit turpe et fœdum, in infernum cum reprobis mittetur, quicquid vero pulchrum et nobile, reservabitur in superioribus, ad gloriam electorum: et ita etiam erit de illo igne conflagrationis, sicut dicit Basilius super illud Psal. 28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis:* quia quod calidum ustivum, et quantum ad id quod in igne grossum reperietur, descendet ad inferos, ad pœnam damnatorum: quod vero est ibi subtile et lucidum, remanebit superius ad gloriam electorum. Secundo,

Vel ignis inferni.

Ignis qui devorabit impios post iudicium, potest intelligi de igne inferni. Nam aperta terra, ignis ille sursum erumpet, velut ad prædam suam accurrens, et damnatos ruentes, ac Dei manu atque e dæmonibus præcipitatos absorbebit et deglutiet, in æternum consumendos.

52. Ignis devorans impios erit corporalis

Quæres secundo, An ignis ille inferni, qui exiliet ad vorandos impios, sit corporalis? Respondet Philo, in lib. de congressu eruditionis causa, ignem crucientem damnatos non esse, nisi vermem conscientiæ. Catherinus in lib. de præm. bonorum, et de suppliciis malorum, asserere ausus est, ignem inferni non esse ignem sensibilem et corporeum: sed esse spiritualem pœnam, quæ per metaphoram et analogiam ignis vocatur, ut pœnæ illius acerbitas innotescat. Respondeo secundo cum Suar. tract. de Angel. lib. 8. c. 12. certa et Catholica sententia est, ignem inferni, qui paratus est Diabolo et Angelis eius, ut in illo crucientur, verum et proprium ignem corporeum esse. Et Patres ex testimonio Dei certam nobis fidem faciunt, quod ignis ille corporeus sit ac verus. Nam Scripturæ verba cum proprietate accipienda sunt, cum sine absurdo passunt. Sæpissime autem fit mentio ignis, cum de pœna inferni agitur Matth. 3. 10. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur* (securi divini iudicii et vindictæ) *et in ignem mittetur.* Et cap. 25. 4. *Tunc dicet et his, qui a sinistris sunt: Discedite a me* (hæc est pœna damni) *maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo* (Lucifero) *et Angelis eius.* Non erat paratus hominibus, cur te in eum præcipitas socios in æternum habiturus dæmones. Ps. 10. 7. *Pluet* (Deus) *super peccatores laqueos* (Chald. pluvias vindictæ spirantes ignem) *ignis et sulphur, et spiritus procellarum* (id est spiritus seu ventus procellosus. Hebraice זלעפות *zilaphot*, id est terrorum, combustionum, plagarum, tempestatum) *pars calicis*, id est punitionis, *eorum*, supple, erit. Si pars est tanta multitudo et gravitas pœnarum, quid erit totum? Vide ibi dicta, ubi ex Lessio ostendo, quale sit futurum stagnum ignis et sulphuris in inferno de quo agit S. Ioan. Apocal. 14. 10. et 19. 20. et 21. 8. De igne inferni agitur etiam Iudith 16. 20. 21. Isaiæ 66. 24. Eccl. 7. 19. et 21. 10. et alibi.

In eam sententiam pene omnes Patres conspirant. S. August. l. 12. de civit. c. 10. quærit, quomodo ignis corporalis possit cruciare spiritus? et respondet: licet supponamus dæmones esse incorporeos, *Nihilominus veris, quamvis miris, modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi.* S. Cypr. pathetice exponit qua ratione ignis ille corpora exurat. Sic enim in serm. de Ascens. Dom. sub finem. *Incorruptibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus dives, etc. In proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagines et flammas, miserabilia corpora cremabuntur.* Et S. Chrysostom. hom. 44. in Matthæum, illud expendens finale et terribile Christi iudicis decretum, Discedite a me maledicti in ignem æternum, ait: *In ignis fluvium, atque pelagus intrudentur: in pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus instar montium eriguntur: ignei dico, non huius ignis sed ignis certe multo quam hic horribilioris cuius flamma maximam conficit abyssum, ita ut undique ignis,* αγριω τινι θηριω εοικος, *immanissimæ similis feræ transcurrere videatur.* Vides quomodo sit ignis devorans. Ac deinde subtexit. *Nam si acerrimos, quos iste ignis et hæc flamma dolores infert, oratione assequi non possumus, quid de illo dicemus? præsertim cum hic uno temporis momento in ignem positus homo exspiret;* ibi autem *crematur et dolet, sed nequaquam quod crematur consumitur.* Vide S. Cyrill. Alex. orat. de exitu animæ. S. Greg. lib. 4. dialog. c. 28. et 29. S. Hieron. Epist. 59. ad Avitum, S. Ambros. in Ps. 118. serm. 12. S. Isidor. libr. 1. de summo bono cap. 28. et 29. S. Prosper. l. 3. de vita contempl. cap. 12. Suppl. S. Thomæ q. 97. art. 5.

Dices S. Greg. libr. 15. Moral. 17. illa verba explicans Iob 20. 26. *Devorabit eum ignis, qui non succenditur.* Hebr. qui non sufflatur, id est, qui non sufflatione accenditur, ait: Miro valde modo paucis verbis expressus est ignis gehennæ; ignis namque corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur: nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis, *cum sit incorporeus*, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed creatus semel durat inextinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. Bene ergo de hoc iniquo dicitur: Devorabit eum ignis, qui non succendetur: quia omnipotentis iustitia futurorum præscia, ab ipsa mundi origine gehennæ ignem creavit, qui in pœnam reproborum esse semel inciperet: sed ardorem suum etiam sine lignis numquam finiret. Ita Gregor. Respondent primo, Sixtus Senensis lib. 5. bibl. ann. 141. et Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Purgator. cap. 11. esse mendum scriptorum, qui posuerunt incorporeum pro corporeo, ut patet ex sequentibus: dicit enim statim, ignem illum corporaliter urere. Hæc solutio sustineri potest, quia codices antiqui sic habent, et sensus constat. Respondeo tamen secundo cum Pineda in Iob, a S. Gregorio dictum esse ignem illum incorporeum, non quod existimet esse materiæ omnis et corporis expertem, sicut delirant hæretici, sed quia corporeo pabulo atque materia non indiget, ut accendatur. Quo etiam sensu S. Ioann. Damascen. lib. 4. de fide c. 28. dixit æternum ignem non materia, instar huiusce nostri constare: sicut S. Paulus 1. Cor. 15. asserit, corpus in beata resurrectione futurum spirituale, id est, ut ipse S. Damasc. explicat, non crassum, sed subtile: neque cibo, ut nutrimento indigere: neque mortale, et corruptibile.

Quæres tertio, Ignis inferni cum sit corporeus, quomodo potest agere in animas separatas, et in dæmones? Respond. Primo, certum est ac de fide, quod ignis ille inferni cruciet spiritus malos, vere ac realiter: ac proinde per aliquam actionem realem, id est, per veram efficientiam realem. Dicit enim avarus Dives Luc. 16. *Crucior in hac flamma.* Et Matth. 25. 41. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis eius.* Non est autem paratus, nisi ut cruciet. Et vers. 46. *Et ibunt* (Græc. απελευσονται, id est, abibunt) *hi in supplicium* (Syr. cruciatum, S. August. legit, in ambustionem) *æternum.* S. Cyril. vocat illum ignem flammam urentem et non lucentem. S. Cypr. flammam crucientem, cremantem. S. August. serm. 181. de tempore: Huius, inquit, pœnæ et ignis illius potentiam, nulla vox exponere, nullus poterit sermo explicare. 53. Ignis inferni corporeus cruciat dæmones.

Respondeo secundo, variis modis explicatur actio ignis corporei in spiritus. Primo, S. Bonaventura, Scotus, Ægidius, Richardus, Okam, et Hervæus quod lib. 5. qu. 7. 54. Variis modis explica-

tur actio illius ignis. et in 2. dist. 7. q. 2. art. 2. docent, ignem ut instrumentum Dei imprimere in spiritum speciem intentionalem: et per illam excitare ac movere illum realiter ad apprehensionem quamdam contristantem ipsum. Et quidem S. Bonaventura in 4. distin. 44. qu. 2. art. 3. censet actionem illam intentionalem, id est productionem speciei per ignem in spiritu, esse connaturalem tam spiritui quam igni. Sed difficile est dicere quod agens corporeum naturaliter producat in spiritu. Ægidius fatetur ignem agere tantum velut speciale Dei instrumentum. Sed non satis apparet, qua ratione impressio intentionalis et intellectualis quocumque modo fiat, causet dolorem. Nam species ignis potius perficit et recreat intellectum, quam dolore afficiat. Itaque aliquid aliud dicendum videtur.

I. Expositio.

II. Expositio. Secundo, S. Thomas 1. part. qu. 64. art. 4. ad 5. Capreol. Caiet. Ferrariensis Gabriel, Durandus, Maior, Paludan. Tartaretus, et alii, docent, dæmones ab igne torqueri per solam alligationem ad eumdem ignem, in quo velut in carcere inviti tenentur, ita ut inde se liberare non possint, nec libere actiones suas, ubi et quomodo voluerint, agere possint: qui carcer sine dubio, est molestissimus superbissimo dæmoni. Si enim homini carcer ita est gravis, et animali catena vinciri, quantum dolorem ex ea alligatione percipiet tumidus ille spiritus? Dupliciter autem hæc alligatio explicatur. Primo, ut Deus illam solus efficiat suo imperio et voluntate, igne tantum obiective concurrente: id est, ita ut alligatio illa et incarceratio in igne sit obiectum tristitiæ et doloris. Secundo explicatur, ita ut ignis non tantum obiective dæmones alliget, sed etiam effective intra se contineat producendo eorum ubi, id est, modum spiritualem intrinsece afficientem, seu inhærentem Angelo, per quem modum constituatur in tali loco. Scriptura quidem pœnam dæmonum explicat aliquando per alligationem. 2. Petr. 2. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus* (aliqui apud Bedam temere legunt, rugientibus) *inferni detractos* (ex aere superiore, in quo creati sunt, ut vult S. Aug. lib. 3. de Gen. ad liter. cap. 10. e firmomento, id est, e sphæra octava, ut Suar. tract. de Angel. lib. 1. cap. 4. ex empyreo, ut Magister sent. in 2. dist. 2. et melius) *in tartarum traditi cruciandos.* Adverte obiter tartarus est locus profundissimus inferorum, deducitur a ταράττω, id est conturbo: quod omnia ibi sint perturbata et maxime perturbantia. In psalmo nostro dicitur: *Dominus conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* Sed devoratio illa et combustio, atque conturbatio non satis explicatur per alligationem ad ignem, nisi aliquid doloriferum producatur ab ipso igne, cum præsertim multi dæmones libere nunc per aerem vagantur, et non patiuntur illam incarcerationem et alligationem. Neque dixeris, dæmonam quemlibet secum deferre suum ignem, cui est alligatus. Nam id negant Ægidius in 2. dist. 6. qu. 2. artic. 2. et Argentin. in 4. dist. 44. qu. unic. art. 4. quia ad hoc essent necessaria multa miracula, 1. ut ille ignis ante oculos positus non videretur; 2. ut non sentiretur ardor eius, Deo negante concursum; 3. ut alia corpora penetraret, ut cum dæmon ingreditur cubiculum omnino clausum, vel cum multi possideut unum hominem, ut cum erat in uno legio: tunc enim ignis illius portiones deberent se penetrare. Hæc autem miracula sunt superflua, et gratis ponuntur.

III. Expositio. Tertio, alii opinantur, ignem corporalem producere calorem in anima separata, vel in dæmone, cum eos torquet. Sed est impossibile ut spiritus inextensus et indivisibilis sua natura, sit capax accidentis natura sua extensi et divisibilis, qualis est calor.

IV. Et probabilior. Quarto itaque commodius Suar. tr. de Angel. lib. 8. cap. 14. Maion. in 2. dist. 6. disp. 20. sect. 2. concl. 3. Pesantius 1. p. qu. 64. artic. 4. disp. 5. et alii, dicunt, terminum productum a gehennali igne in dæmone, seu spiritu separato esse qualitatem quamdam spiritualem, in suo ordine doloriferam, dolore utique pure spirituali: ac proinde tanto maiore, quanto spiritualia superant mate-A rialia. Opinionis huius principio fundamentum est, quia hoc modo facilius exponitur hæc pœna; et cum maxima proprietate iuxta materiæ capacitatem: quia agens est materiale, et recipiens spirituale, et quia omne quod recipitur ad modum recipientis recipitur: ideo dolor receptus in spiritu spiritualis est, et consequenter etiam obiectum eius: materiale autem agens illud realiter facere dicitur, quia est instrumentum Dei. Dices: Ignis corporeus non potest producere illam qualitatem spiritualem. Resp. id non posse viribus solius suæ naturæ, sed elevatum a Deo per potentiam obedientialem, qua omnis creatura subest creatori, ad quidvis agendum per concursum eius specialem et extraordinarium.

Dices secundo, Qualitas spiritualis maxime perficit personam, et nihil ab ea tollit illi conveniens, quia non habet contrarium. Præterea, qualitas non causat dolorem nisi quatenus disponit ad corruptionem: dissolvendo naturalem constitutionem seu temperamentum, qualitas autem spiritualis id non facit. Respond. Suarez, quamvis B in materiali alteratione qualitas dolorifera non fiat, sine privatione alicuius dispositionis contrariæ: tamen dolorem non solum esse de privatione, imo principaliter esse de ipsa positiva qualitate dolorifera inhærente corpori, et præternaturaliter illud afficiente. In spiritualibus autem, quia altioris ordinis sunt, posse immitti qualitatem spiritui disconvenientem: non quia aliquid ab illo expellat, sed quia eumdem male et turpiter afficit, et ita dari posse afflictionem de tali positiva dispositione, etiamsi per illam nihil detrahatur, nec ad corruptionem tendatur. Nec ideo minor erit afflictio, sed quo est spiritualior, erit acerbior et ordinis altioris: ut augebitur molestia, eo quod per ignem sensibilem talis deformitas in substantia spirituali et superiori fiat. Denique licet nos difficile concipiamus formalem effectum talis qualitatis, nec illam turpitudinem, prout in se est, concipere possimus: etiam non possumus hoc modo concipere qualitatem gratiæ, vel eius pulchritudinem, seu formalem effectum: et nihilo-C minus concipimus illum imperfecte, et confuse non esse impossibilem: idem ergo de qualitate deformante concipere debemus. Dicamus itaque cum S. August. Epist. 3. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigari non posse.* Et cum Hugone a S. Victore lib. 2. de sacram. pag. 16. cap. 3. Quomodo, inquiunt, animæ sine corporibus a rebus corporalibus pati possunt? Ecce dicamus: nescimus quomodo hoc fieri possit. Numquid ideo verum non est, quia nescimus, quomodo est? Ita ibi: et eodem libro, part. 9. cap. 11. in simili ait. *Nec mireris, opus Dei est hoc, opus mirum est: sed non ideo falsum, quia mirum est: et verum est, quia mirum est: nec tamen sit mirum, quia opus Dei est. Non est mirum, si mirabilis mirabilia operetur.* 55.

Quæres quarto, Quomodo eum ignis inferni devoret et exurat corpora damnatorum, illa non consumit? Resp. id fieri speciali Dei virtute, qui illa corpora relinquit passibilia ab igne, et tamen impedit eorum corruptionem, sicut videmus aurum in igne calefieri, neque tamen corrumpi. D Cum itaque ille calor non sit naturalis humano corpori, cruciatur et torquetur. Cassiod. in Ps. nostro. *Ille ignis,* inquit, *sic consumit, ut servet: sic servat, ut cruciet: dabitur vita mortalis et pœna perennis.* Ponuntur impii ut clibanus ignis, quia intus et extra torquentur, neque inde exire possunt. S. Gregor. 15. Mor. 17. Sciendum est, inquit, quod omnes reprobi, quia ex anima simul et carne peccaverunt, illic in anima pariter et carne cruciantur. Unde per Psalmistam dicitur Psal. 20. *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. Clibanus namque intrinsecus ardet, is vero qui ab igne devoratur, ab exteriori incipit parte concremari. Ut ergo sacra eloquia ardere et exterius et interius reprobos demonstrarent, eos et ab igne devorari, et sicut clibanum poni testantur; ut per ignem crucientur in corpore, et per dolorem ardeant in mente.* Ita Gregor. 56. Ignis inferni crucians corpora, non consumit illa.

Vermes in aquis calidis viventes. Ut autem credomus actionem ignis inferni in corpora incorrupta æternam futuram, S. Aug. lib. 21. de civit. cap. 1. et seq. multa concervat. Et quidem cap. 2. tradit, nonnullum genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum fervorem nemo impune contrectat: illos autem non solum sine ulla sui læsione ibi esse, sed esse extra non posse. Quod suspiciens ait: *Mirabile est dolere in ignibus, et tamen vivere: sed mirabilius vivere in ignibus, nec tamen dolere.* Cap. 4. Solamandram in ignibus viventem admirotur; montesque flammivomos, qui numquam exhauriuntur. Cap. 5. refert, Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic nuncupari, quod accensus semel non possit extingui. De eo Plinius lib. 38. Eodem cap. 5. S. August. addit, quoddam esse Veneris fanum, in quo Lucerna sub dio posito nunquam extingueretur: unde dicebatur, λύχνος ἄσβεστος, id est, Lucerna inextinguibilis. Cætera vide apud ipsum.

Salamandra in igne vivit.

Asbestos Lapis.

Linum in flamma non combustum. Plin. lib. 19. cap. 1. Linum ait esse, quod non comburatur igni. Verba eius sunt: *Inventum iam est linum quod ignibus non absumeretur. Vivum id vocant: ordentesque in focis conviciorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni, magis quam possent aquis.* Vives tradit, vidisse se mantile medio in convivio igni datum, redditumque domino mundius et splendentius.

57. Vers. 11. Varia pœnæ damnatorum. Varias damnatorum pœnas David enumerat, postquam egit de pœna ignis. Ac primo, v. 11. dicit, fructus eorum perituros. FRUCTUM EORUM DE TERRA PERDES, fructus eorum de terra, id est terrenos, disperdes; 2. fructus lumborum perdes de terra, id est, ex terra perire et eradi facies atque corrumpi. Fructus vero impiorum Chald. exponit de filiis eorum; 3. Arabs de memoria, id est, fama eorum, pro qua multum laboraverant. Ubi nunc Neronis, Maximioni, Decii, Diocletiani gloria? 4. et melius, Euthymius fructum impiorum sumit pro eorum divitiis et opibus pereuntibus.

Secundo, damnatorum liberi pro peccatis parentum ac suis puniuntur, et cito e vivis tolluntur stirpe omni excisa. ET SEMEN (Arabs, progeniem) EORUM A FILIIS HOMINUM, supple, perdes: q. d. tolles ex hominum medio. Hoc alias ostendi in regibus Israel, nempe in Ieroboam, Baasa, Achab, Iehu, et aliis, quorum familiæ ob idololatriam et scelera citissime perierunt.

Tertio, damnatorum gravis pœna erit, quod videbunt conatus suos in irritum cecidisse, sive ad suam exaltationem, sive ad depressionem et afflictionem iustorum, Vers. 12 v. 12. QUONIAM DECLINAVERUNT (S. Hieron. inclinaverunt: id est, inclinare conati sunt: aut certe etiam inclinarunt in passione et cruce) IN TE MALA: COGITAVERUNT CONSILIA (Chald. cogitationes malas; S. Hier. scelus,) QUÆ NON POTUERUNT STABILIRE. *To quoniam*, reddit rationem cur scelerati digni fuerint, quorum fructum et filios perderet Deus; quia scilicet, eum ipsi perdere cogitaverant, et eius nomen, famam, doctrinam et servos, sed frustra: unde dicunt Sap. 3. 4. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati* (reputati et connumerati) *sunt inter filios Dei*, (per gratiam et gloriam) *et inter Sanctos sors illorum est.*

58. Vers. 13. Quarto, damnatorum gravissima pœna erit flagellatio, v. 13. QUONIAM PONES EOS DORSUM. Cassiodor. perperam legit deorsum. Porro, τὸ *quoniam*, dat causam cur impii non potuerint sua consilia stabilire: quia scilicet Deus eos posuit dorsum, id est; Primo, illos in fugam vertit, ut dare dorsa compulit. Unde Arabs vertit, Reliquisti eos retrovorti super dorso sua. Et Petav. Terga vertent retro te eos persequente. Sic ait Deus Ierem. 18. 17. *Sicut ventus urens dispergam eos coram inimico.* Et Ps. 4. *Non sic impii non sic: sed tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ.* Secundo, Deus ponit hostes suos sibi dorsum, cum faciem suam ab iis avertit, et dorsum suum illis iratus obvertit. Ierem. 18. 17. *Dorsum, et non faciem ostendam eis, in die perditionis eorum.* Nimis teneri sunt Dei parentis oculi, filiorum afflictionem videre non potest quin succurrat: iratus oculos et faciem removet, ne ullus spei aut lætitiæ radius inde amicet. Tertio Deus, impios ponet dorsum, quia colla et dorsum eorum pede suo proteret, et calcandum præbebit Christo et servis suis. Ps. 109. 1. *Donec ponam inimicos tuos scabellum* (Lactant. lib. 4. 12. S. Cypr. lib. 2. cap. 26. suppedaneum) *pedum tuorum.* S. August. lib. 17. de civit. cap. 7 legit, sub pedibus tuis. Tertull. contra Hermogen. cap. 11. sub pedes, et explicat, q. d. donec opprimam et subiiciam pedibus. Sic Iosue pedibus curavit colla et dorsa quinque Regum Chananæorum proteri pedibus ducum suorum, et Sapor Rex Persarum utebatur Valeriano Imper. Roman. captivo suo, instar scabelli ad equum conscendendum: et Tamerlanus Imper. Tartarorum Boiozethe Imp. Turcarum. Quarto denique, et melius, ut ait Bellarminus, ponere dorsum est ita statuere flagitiosos, ut nihil sint nisi dorsum, pars videlicet flagellis exposita: sic nimirum totos flagellat Deus, stigmatici. Deuter. 33. 11. *Percute dorsa inimicorum eius* (tribus Levi) *et qui oderunt eum non consurgant.* Alludit fortasse David ad supplicium Ammonitarum a se devictorum et contritorum. 2. Reg. 12. 31. *Populum eius* (id est, aliquos de populo, qui auctores vel fautores fuerant iniuriæ Davidi illatæ, in persona suorum legatorum) *adducens serravit*, (Hebr. posuit in serra: id est, serro per medium secuit) *et circumegit super eos ferrata carpento*, quæ, ut ait S. Hieron. in Amos cap. 1. rotis ferreis et dentatis ad frumentum e spicis excutiendum instructa erant) *divisitque cultris, et traduxit in typo laterum*, id est, in officino lateritio, vel, ad similitudinem laterum. S. Hieron. in tradition. Hebr. *Divisit eos cultris, sicut lateres dividi solent, qui in plateis et luto conficiuntur.* Et Glosso sic explicat, q. d. transduxit cultros modo quo transducuntur per lateres adhuc teneros, ut conformentur. De flagellatione damnatorum lege S. Cyrill. Alex. in oratione de exitu animæ.

Quinto, maxima damnatorum pœna erit perpetuo cogitatio suppliciorum suorum tum præsentium, tum futurorum tota æternitate, v. eod. 13. IN RELIQUIIS TUIS PRÆPARABIS VULTUM EORUM. Nota primo, pro *reliquiis* Heb. est מיתרים *metarim*, id est primo funes, nervi et cordæ arcus, sic vocantur a distensione, ut ait Mercerus. Unde S. Hieron. vertit: Funes tuos firmabis contra faciem eorum; et R. Abraham, Aben, Ezra, in funibus tuis præparabis, arcum scilicet cum sagittis suis. Sensus itaque est, q. d. funes arcus tui intendes et aptabis firmiter et constanter contra faciem eorum, cum captos instar scopi configendos obiicies satellitibus tuis. Non errabit in eos manus tua et sagitta, quæ erit præparata, id est firmata. Nam Hebr. est כון *cun*, quod et firmare et præperare, seu firmiter præparare significat. 59.

Secundo, *metharim*, reliquias significat, id quod reliquum est, residuum, a Rad. יתר *iatar*, id est, remansit, superfuit, reliquus fuit. Unde Septuag. verterunt, ἐν τοῖς περιλοίποις σου, *in reliquiis tuis*, ut reddit Noster, et quidem clarior est sensus q. d. congestis illos aspicere reliquias tuas: id est Primo, Sanctos tuos, q. d. efficies ut dirigant vultus suos in eos, quos tibi servasti: ut non tantum suo malo, sed etiam aliena torqueantur felicitate. Ita Iansen. Hæc erit non levis pœna damnatorum, qui instar dæmonum invidia æstuantes sibi omnes similes esse exoptarent. Secundo, et melius, Titelmannus per reliquias intelligit pœnas damnatorum, quæ sunt reliquiæ peccatorum, q. d. Tu pones illos faciesque esse tibi velut dorsum, Impositurus super eos onus importabile et pondus damnationis æternæ, quod tuo iudicio portare debebunt: In pœnis damnationis æternæ, quas tu illis servas, quasi reliquias peccatorum suorum, quæ veluti fæces sunt vini deliciorum, quod in hoc mundo potarunt. In his inquam tuis reliquiis implebis vultum eorum: et his potabis eos, cum vultum suum exhibuerint tibi, et venerint ante conspectum tuum: his reliquiis, his fæcibus, tu præparabis, ac miro modo ad horrorem aptabis atque dispones facies eorum, confusionem mortis et damnationis, quæ illis ex

operibus suis relicta est, superducturus super faciem eorum. Ita Titelman. Tertio, convenientius videtur, ut reliquias sumamus pro reliquis pœnis inferorum, cum iam antea fecerit mentionem conturbationis, combustionis, et flagellationis, etc. Sensus itaque est, q. d. coges eos, nempe damnatos præparare, id est firmare vultum suum et cogitationem, in reliquiis tuis, id est in pœnis aliis et necdum recensitis considerandis, ita ut inde non possint movere intellectum atque actualem earum intuitionem vel meditationem. Vultum Ugo sumit pro voluntate et sensibus omnibus. Remigius, pro voluntate prava et impudenti impiorum. Malim sumere pro intellectu, illius enim est aspectus. Potest etiam sumi vultus proprie, quia pœnæ erunt corporeæ et sensibiles: cum tamen alii sensus passuri sint, plenius sumetur de intellectu. Ad quod percipiendum melius.

60. Quæres primo, An sint aliquæ pœnæ in inferis præter pœnam ignis? Respondetur in Supplement. S. Thomæ quæst. 97. art. 1. sicut per multa et varia damnati peccarunt: ita conveniens esse, ut multipliciter et ex multis affligantur. Nam, ut ibi dicitur, secundum S. Basilium in ultima mundi purgatione fiet separatio in elementis: ut quicquid est purum et nobile, remaneat superius ad gloriam beatorum: quicquid vero est ignobile et fæculentum, in infernum proiicietur ad pœnam damnatorum: ut sicut omnis creatura erit beatis materia gaudii, ita damnatis ex omnibus creaturis tormentum accrescat, secundum illud Sapient. 5. *Pugnabit cum illo orbis terræ contra insensatos.* Hoc etiam, divinæ iustitiæ competit, ut sicut ab uno recedentes per peccatum in rebus materialibus, quæ sunt multæ et vanæ, finem suum constituerunt, ita etiam multipliciter et ex multis affligantur.

61. Nota, Præter dictas iam pœnas damnatorum assignari

Decem et octo aliæ pœnæ damnatorum.

possunt aliæ. Primo, est fames insatiabilis. Isaiæ 65. 13. *Ecce servi mei comedent* (in mensa cælesti a Christo promissa Luc. 22. 30. ut explicat Tertull. 4. in Marcion. 18. et S. Hier. in Isaiam) *et vos esurietis*, in inferis scilicet.

I. Secundo, in inferno erit sitis inextinguibilis. Is. 65. 13.

II. *Servi mei bibent* (inebriati torrente voluptatis) *et vos sitietis.* Unde dives epulo dicit Luc. 16. 24. *Pater Abraham miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Tum summo ardore incendii, tum sitis vehementissimæ. S. Bas. in Catena: Condignum, ait, præmium redditur diviti: vice lyræ sonantis, gemitus: vice potus desiderium stillæ. Et S. Aug. serm. 110. de tempor. Desideravit guttam, inquit, a quo illa micam: et quantum dilexit opulentiam, non invenit misericordiam. Adverte tamen sitim in eo loco non posse intelligi nisi metaphoricam, cum dives epulo tunc esset in inferis cum sola anima sua. Unde Franciscus Lucas: Hoc, ait, intelligendum est, tali pœna affectam fuisse epulonis animam, qualem sensisset, si corpore mortali igni tradito, lingua sitim passa fuisset: affligitur enim anima imaginibus rerum a corpore traditis.

III. Tertio, in inferno erit æstus irremediabilis, Apoc. 16. 9. *Æstuaverunt* (id est æstuabunt: Prophetice præteritum pro futuro sumitur) *homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.* Ad literam, agitur de hominibus tempore Antichristi. Anag. de damnatis.

IV. Quarto, in inferno erit frigiditas intolerabilis. Matth. 22. 13. *Ibi erit fletus* (Supplem. S. Thom. quæst. 97. 3. negatur futurus fletus, ratione resolutionis lacrymarum: sed ponitur, ratione commotionis et turbationis capitis, et oculorum,) *et stridor dentium*, ob frigus et rabiem. Iob. 24. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum eius.* In inferis esse mutationem a calore ad frigus, atque a frigore ad calorem sancti Patres asserunt, et varii Doctores. S. Hieron. S. August. S. Thomas 4. d. 50. quæst. 2. artic. 3. Beda, Philippus presbyter, Dionys. Carth. Paludan. Durandus, Viguerius et alii. S. August. lib. de triplici habitaculo cap. 2. *Duo*, ait, *sunt principalia tormenta in inferno: frigus intolera-*

A *bile, et calor ignis inextinguibilis.* Si tamen liber ille est S. Greg. *In inferno*, ait, *est frigus insuperabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrida dæmonum visio, confusio peccatorum.* Tartarum dici volunt a ταρταρίζω, id est, tremo frigore, quia tartarus sole caret, ait Servius. Nives tamen, glaciem et frigus esse in inferno negat Abulensis in cap. 25. Matth. 4. 58. Soto in 4. dist. 50. art. 4. Iansen. Maldon. et de illa pœna valde dubitat Suar. tract. de Angel. lib. 8. cap. 12. n. 22. et seq.

Quinto, erit ignis inextinguibilis. Apoc. 14. 10. *Cruciabitur igne et sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum.* Isaiæ 30. 33. *Præparata ab heri Tophet*, id est vallis prope Ierusalem, in qua Iudæi filios suos cremabant idolo Moloch, hoc est Saturno. Dicta est vallis illa Tophet a תוף *toph*, id est tympano, quod pulsabant, ne audiretur eiulatus parvulorum, dum cremabantur. Dicebatur etiam gehenna, id est vallis filiorum Ennom, et B est figura inferorum) *a Rege præparata, profunda et dilatata. Nutrimenta eius, ignis et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* De igne iam dictum est supra. V.

Sexto, in inferno erit fœtor sulphuris, et aliorum corporum fœtentium. Psal. 10. 7. *Ignis, sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et Suar. tract. de Ang. lib. 8. cap. 12. probabilissimum esse ait, quod purgato hoc sublunari mundo per ignem conflagrationis, omnia illius excrementa et corpora putrida, ac male olentia, in locum inferni congregabuntur. Id etiam docet S. Thomas in 4. distinct. 50. Fortasse etiam ex speciali Dei ordinatione multa denuo fient, ut loci horrorem et fœtorem augeant. VI.

Septimo, in inferno est fumus. Isaiæ 34. 9. *Convertentur torrentes eius* (Idumææ, et Inferni) *in picem, et humus eius in sulphur, et erit terra eius in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fu-* C *mus eius a generatione in generationem, desolabitur in sæcula sæculorum.* VII.

Octavo, in inferno erit laceratio bestiarum. Eccl. 39. 36. *Bestiarum dentes, et scorpii, et serpentes, et romphæa* (gladius) *vindicans in exterminium impios.* Hæc pœna incerta est: si de damnatis locum sumis, metaphorice explico: dæmones enim sunt feræ, scorpii, etc. VIII.

Nono, in inferno erit dolor vehementissimus. Apocal. 16. 10. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore.* Isai. 13. 8. *Torsiones et dolores tenebunt* (eos scilicet) *quasi parturientes dolebunt.* IX.

Decimo, horror erit ex aspectu dæmonum, et aliorum damnatorum. Iob. 10. *Sempiternus horror inhabitat.* Ioel. 2. 6. *A facie eius*, Diaboli, *cruciabuntur populi.* Ipsa eius facies est cruciatus, qui posset vitam auferre, cum videbitur intuitive. X.

Undecimo, conclusio carceris erit molestissima. Isaiæ 24. 22. *Congregabuntur in congregatione unius fascis in* D *lacum, et claudentur ibi in carcere.* Haymo censet varios illos fasciculos esse faciendos secundum varia scelera. Congregabuntur, ait, congregatione unius fascis: ut qui pares sunt in culpis, damnentur pariter et in pœnis. Avari cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis. XI.

Duodecimo, in inferno erit desperatio. Sapient. 5. 15. *Spes impii tamquam lanugo* (legerat, χνοῦς, id est lanugo, hoc est mollis lana, pluma, pappus villus. Nunc legitur χοῦς, id est pulvis) *quæ a vento tollitur: et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur.* Diviti avaro omnis spes auxilii tollitur ab Abrahamo. Luc. 16. XII.

Decimo tertio, timor semper impetentis mali, et ira contra seipsos. Eccl. 40. *Timor mortis, et iracundia perseverans.* Sap. 5. 2. *Videntes turbabuntur timore horribili.* XIII.

Decimo quarto, in inferno erit invidia. Psal. 111. 10. *Peccator videbit, et irascetur, dentibus fremet et tabescet.* Vide ibi dicta. XIV.

Decimo quinto denique, erit vermis devorans. Isaiæ ult. 24. *Vermis eorum non morietur.* Eccl. 10. 13. *Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, bestias et vermes.* XV.

Hæc ex parte Ugo. Vermem hunc esse corporalem negatur in Supplem. S. Thom. quæst. 97. artic. 2. ubi etiam dicitur, quod post diem iudicii in mundo innovato non remanebit aliquod animal, vel aliquod corpus mistum, nisi corpus hominis tantum. Suarez tamen de Ang. l. 8. cap. 12. censet, quod si sit sermo de corporibus damnatorum post diem iudicii, nihil obest, quominus a propriis vermibus cruciandi sint. Nam id significat sacra Scriptura Eccl. 7. 19. et similia sunt illa Iudith. 16. 21. *Dabit ignem, et vermes in carnes eorum*. In his enim duobus locis expresse vermes solum corpori attribuuntur, et per illa explicanda sunt illa Isaiæ 66. Marc. 9. Nam in illis de hominibus specialiter sermo est, et Isaias præmittit, *Videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me:* et statim subdit, *Vermis eorum non morietur:* q. d. vermes victuros esse semper in corporibus impiorum, etiamsi resurgant. Unde Maximus in Epistola quadam dicit, quod homines ad sinistram locati ignem æternum sortientur, ac tenebras exteriores, atque vigilem vermem, et stridorem dentium. Quæ omnia respectu corporum damnatorum proprie possunt intelligi, et ideo quoad hanc partem non est necessaria metaphora, ut S. August. lib. 21. de civit. cap. 9. magis probare videtur. Quod si quis obiiciat, quia vermes non cruciant nisi minuendo carnem et sanguinem: unde fieret, ut diuturni illam consumerent. Respondebitur facile posse divina virtute fieri, ut vel cruciatus sine ablatione alicuius substantiæ fiat: vel ut continuata reactione, seu alia alteratione, perpetuo conservetur. Ita Suarez.

XVI. Decimo sexto, in inferno erunt tenebræ. Matt. 22. 13. *Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*, id est in infernum extra cœli lucidissimum locum. Est metonymia et synecdoche. Ubi adverte quod τὸ *exterior* licet sit comparativi gradus, ponitur pro positivo, quo caret: vel pro superlativo, id est pro extimo, et longissime extra domum vel locum constituto, ut placet Iansenio. Tenebras porro exteriores inferorum S. August. in Ps. 6. et epist. 120. ad Honoratum ait intelligi extremam cæcitatem damnatorum mentium. Idem censet S. Ambros. lib. 7. in Luc. ad cap. 14. et S. Hieron. in Matth. De tenebris tamen sensibilibus et corporalibus melius accipies quam de spiritualibus, cum non minus fiat tenebrarum tartarearum mentio quam ignis, quem scimus et credimus esse corporalem. Dices, ignis magnus, qualis erit inferorum, non patitur secum tenebras. Respond. id negando. Ignis enim ille non lucebit, nisi quantum satis erit, ut se invicem videant damnati, ad maiorem pœnam et dolorem: sive Deo maiorem concursum negante, sive igne non emittente flammam, sicut videmus fieri in materia densa, v. g. in carbone. Tunc enim sine flamma lucida ignis non multum illuminat: deinde aer non erit ibi purus, sed crassis et putridis vaporibus plenus, densus et caliginosus. Itaque fortesse ex ipsa rei natura non pellentur per ignem illæ tenebræ. S. Petri Damiani epistola ad Blancam cap. 12. *Ultrix*, inquit, *flamma habet ardorem*, *non habet pœnitens lucem*. Idem censent S. Greg. 9. Mor. 38. et 39. S. Basil. in Ps. 38. S. Damasc. l. 2. Parallelorum, cap. 52.

XVIII. Decimo septimo, in inferno erit fletus. Matth. 22. 13. *Ibi erit fletus*. Dubium est, an vere damnati in gehenna, resumpto in die iudicii corpore fleant, et lacrymas fundant. Affirmat Maldonatus. Melius negatur in Supplem. S. Thom. quæst. 97. art. 3. et a Cornelio in Matth. tum quia ignis gehennæ ardentissimus lacrymas omnes, si quæ essent, cohiberet et illico desiccaret: tum quia ad æternas has lacrymas per omnia sæcula duraturas, infinita flumina vix sufficerent. Deinde quem in locum defluerent lacrymæ, et quo quantumvis capacissima spatia contineri possent? Adde, quod eadem semper corpora sine nutrimento, mutatione, et excretione fæcium vel lacrymarum, in æterno igne a Deo integra conservabuntur; alioqui enim sensim totum corpus, imo infinita corpora, in lacrymas resolvi deberent. Catachresis itaque est, et per fletum ac lacrymas intelliguntur singultus, gemitus, eiulatus, omnesque complorantium gestus et lamenta, quæ fletui coniungi solent.

Decimo octavo, in inferno erit verus et realis stridor ac fremitus dentium. Matth. 22. 13. *Ibi erit fletus et stridor dentium*. Neque refert, quod fletus non accipiatur proprie, quia multa obstant: in stridore autem nihil est repugnantiæ. Qui opinantur in inferis esse frigus, ut S. Thom. et alii supra citati, dicunt stridorem dentium oriri ex acerbitate illius frigoris, ut fieri videmus in summa hyeme, tremit enim totum corpus et dentes inter se colliduntur. Secundo, oritur stridor dentium ex acerbitate et horrore pœnarum. Nam qui cruciantur in equuleo, dentibus strident, et eorum collisione strepitum edunt. Tertio, oritur ex invidia et rabie, ut in canibus apparet ringentibus, et os contorquentibus in ira. Psal. 111. 10. *Peccator videbit* (gloriam Christi et sanctorum, oculis corporeis in iudicio, oculis mentis tota æternitate) *et irascetur; dentibus fremet et tabescet*. Galatin. lib. 2. cap. 7. ex Midras-tehillim refert, textum psalmi illius esse significativum proprietatis infernalis sententiæ. Quarto, oritur stridor ex furore et rabie ortis ex denegatione omnium petitionum et desideriorum. In psalmo citato statim additur. *Desiderium impiorum peribit*. Quod Faustus Reginensis Episcop. epist. 1. tom. 5. Biblioth. patr. interpretatur de damnatis, et hoc patuit in divite, cui aquæ guttula negata est a patre Abrahamo, item missio Lazari ad fratres, ut eos moneret officii sui. Luc. 16. 25. et 29. XVII.

Quæres secundo, an Deus ita præparet, id est firmet vultum et cogitationem impiorum damnatorum in consideratione omnium pœnarum suarum, ut nullam unquam habituri sint lætitiam? Respond. Ocam in 2. quæst. 19. Gabriel. 2. distinct. 7. quæst. 1. art. 3. dub. 1. Bannez, Ripa, Cumel, nullam omnino in damnatis fore delectationem vel minimam, vel pro minimo tempore, vel de obiecto indifferente, vel de pravo prius desiderato a dæmone, sub aliqua ratione utilis, vel delectabilis boni, et postea consecuto. Ratio eorum est, quia habent actum summæ tristitiæ invariatum, et qui semper durat, ex consideratione amissæ beatitudinis, sive sensus ex actione ignis et ex aliis pœnis. Cum hac autem summa tristitia non est compossibile ullum gaudium, sicut cum lætitia perfectæ beatitudinis non reperitur tristitia. Oppositorum enim est eadem ratio. Suarez, qui aliquod gaudium accidentale, sed ut vocat S. Thom. in 4. dist. 45. q. 2. phantasticum, admittit dæmonibus, dum vagantur in hoc aere et bellum gerunt sæpe victores, negat tamen post diem iudicii ullum eis vel levissimum fore gaudium, quia tunc cessabit illud bellum, et omnis varietas actionum, et omnes occasiones obtinendi desideriorum complementum. De hac re fortasse agam fusius Ps. 37. 17. in illud: *Nequando supergaudeant mihi inimici mei*. Hæc considera, et dum tristitia tua utilis est, ea utere ad omnis peccati detestationem, ut tristitiam æternam et rabiem evites, et æternum gaudium possideas, cum exaltabitur Deus *in virtute*, ἐν δυνάμει, in potentia sua, et cantabis ac psalles cum Angelis et sanctis virtutes eius. Septuag. δυναστείας, potentatus eius. Hebr. גבורות *gheburot*, id est fortitudines; ut ait David noster vers. ult. Exaltare et tu in virtute supra res omnes terrenas, ut exalteris in gloria. Infirmitatis est cadere et ruere: roboris et fortitudinis exaltari supra se, supra hostes, supra caduca et mutabilia omnia, et indui fortitudine ex alto et in alto, atque in Altissimo, intrando in gaudium Domini, et in Dominum gaudii, cui servire regnare est, et in æternum gaudio triumphare, et ex omni parte coronari. Exaltetur in te et per te Deus, ut te in se receptum exaltet in æternum cantaturum. Dic illi cum Propheta nostro. EXALTARE DOMINE IN VIRTUTE TUA (non mea: quia ex me infirmus sum et corruo) CANTABIMUS (uniti per charitatem in lætitia æterna) ET PSALLEMUS VIRTUTES TUAS. Dicemus enim: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Vide ibi dicta. Ps. 113. 9.

Lætitia nulla erit damnatis.

Vers. ult.

PSALMUS VIGESIMUS PRIMUS.

1. DEUS Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.
2. Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.
3. Tu autem in sancto habitas: laus Israel.
4. In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos.
5. Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.
6. Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.
7. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.
8. Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.
9. Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ, in te proiectus sum ex utero.
10. De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris a me.
11. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuvet.
12. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
13. Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens et rugiens.
14. Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.
15. Factum est cor meum tamquam cera liquescens: in medio ventris mei.
16. Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.
17. Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.
18. Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.
19. Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem.
20. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.
21. Erue a framea animam meam; et de manu canis unicam meam.
22. Salva me ex ore leonis: et a cornibus unicornium humilitatem meam.
23. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.
24. Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Iacob glorificate eum.
25. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.
26. Nec avertit faciem suam a me: et cum clamarem ad eum, exaudivit me.
27. Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.
28. Edent pauperes, et saturabuntur: et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.
29. Reminiscentur, et convertentur ad Dominum: universi fines terræ.
30. Et adorabunt in conspectu eius: universæ familiæ gentium.
31. Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur gentium.
32. Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.
33. Et anima mea illi vivet: et semen meum serviet ipsi.
34. Annunciabitur Domino generatio ventura: et annunciabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMI VIGESIMI PRIMI ANALYSIS.

Christus patiens, et pro peccatis hominum satisfaciens, in summis doloribus constitutus.

- **In cruce auxilium a Patre postulat. 2.**
  - Ob patrem suum. 2.
    - A quo relictus, 2.
      - Ob scelera totius orbis. 2.
      - Vindictam deposcentia. 2.
    - Ad quem clamavit. 3.
      - Die 3.
      - Ac nocte. 3.
    - Qui securus est. 4.
      - In cælo, ab Angelis honoratus. 4.
      - In terra, ab hominibus laudatus. 4.
  - Ob maiores suos 5. qui
    - Corde speraverunt in Deo, et liberati sunt. 5.
    - Ore clamaverunt, et salvi facti sunt. 6.
  - Ob seipsum. 7.
    - In vitæ extremo
      - Corpore contusum, instar vermis calcati. 7.
      - Animo afflictum, ob
        - Principum irrisiones. 7.
        - Plebeculæ sannas. 7.
        - Omnium dicteria. 8. 9.
    - In vitæ principio
      - Ab utero Virginis miro modo in lucem eductum. 10.
      - A prima infantia in Deo sperantem. 10.
      - Tota vita eum unum honorantem. 11.
- **Crucis suæ dolores proponit. 12. in qua**
  - Ab omnibus relictus, in maxima tribulatione. 12.
  - Ab omnibus impetitus. 13.
    - Plebeiis, qui ut vituli subsultant. 13.
    - Prælatis, qui ut tauri pingues obsident. 13.
    - Aulicis et principibus, qui ut leones irrugiunt. 14.
  - In omnibus corporis partibus passus. 15.
    - Sanguine torrentis modo in terram desiliente. 15.
    - Ossibus luxatis. 15.
    - Corde præ angoris ardore diffluente. 15.
    - Nervis dissolutis. 15.
    - Lingua præ siti arente. 16.
    - Spiritibus vitalibus extinctis. 16.
    - Auribus latratu hostili vulneratis. 17.
    - Manibus et pedibus terebratis. 18.
    - Membris ita distortis, ut possent numerari. 18.
    - Oculis hostium insultantium aspectu cruciatis. 19
    - Vestibus divisis. 19.
    - Tunica sorti permissa. 19.
- **Post mortem iuvari se petit. 20.**
  - Patre præsentiam suam exhibente. 20.
    - Ne solus e vita migret ope destitutus. 20.
    - Sed ducem illum ac protectorem habeat. 20.
  - Et a dæmonibus tentante, qui
    - Prima in acie strictis ensibus micant. 21.
    - Medio in agmine velut canes irruunt. 21.
    - Imperatore lucifero instar leonis præsidente. 21.
    - Postrema in acie, velut unicornes, cornua intentant. 22.
- **Resurrectionis fructus percenset. 23.**
  - Lingua enim se laudaturum Deum, cum resurrexerit
    - Per se, Apostolis. 23.
    - Per Apostolos toti orbi, ut
      - Ore Deum laudet. 24.
      - Opere glorificet. 24.
      - Corde revereatur 25. propter opem præstitam redemptori suo 25. et 26.
  - Opere, vota sua impleturum. 26. nempe
    - Corporis sui donationem in Eucharistia. 26. in qua
      - Satietas sine fastidio. 27.
      - Laudatio Dei ob gaudium spirituale. 27.
      - Vita sine mortis timore. 27.
      - Gratitudo beneficii passionis. 28.
      - Adoratio veri Dei. 28.
      - Subiectio suavis et spontanea ob tantum donum. 29.
      - Devotio omnium fidelium. 30.
      - Solatium morti proximorum. 30.
    - Animæ suæ oblationem in perpetuum famulatum. 31.
    - Posterorum suorum consecrationem. 31.
      - Filiis Apostolis in eius obsequium mancipatis. 31.
      - Nepotibus inde nascituris ipsi oblatis. 32.
      - Ab nepotibus, et minoribus, totoque populo Christiano ei devoto 32.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem pro susceptione matutina. Psalmus David.

1. Argumentum psalmi est:

Psalmum hunc censent primo Iudæi antiqui exponendum de tribulatione contra Iudæos per Aman excitata: in qua adversarii eorum ad certam diem se præparabant ad occidendum eos et spoliandum: tractantes inter se de modo occidendi et affligendi per confixionem manuum et pedum in ligno: sic Aman crucem præparaverat Mardochæo, ut habetur Estheris 7. et vestes et spolia eorum inter se dividebant per verba. Et litera huius psalmi satis posset ad hanc sententiam applicari. Ita Lyranus, qui negat sensum hunc esse literalem. Symbolice certe aliqua non tantum Iudæis tempore Estheris et Assueri, seu Artaxerxis eius mariti afflictis, sed omnibus tribulatis applicari possunt. S. Hieron. hanc de Esthere interpretationem vocat perversam.

Non de Esthere

Non de Davide.

Secundo, alii Iudæi de Davide hunc psalmum explicant. Sed iure S. Iustinus dialogo in Thryphonem eos cæcos vocat, quomodo enim Davidi convenit: *Foderunt manus meas et pedes meos?* Verba S. Iustini sunt. Hunc ipsum psalmum non de Christo scriptum esse dicitis, quod plane cæci estis: nec intelligitis nemini, qui in vestro genere umquam dictus sit rex, confossas manus et pedes in vita sua. In synodo Toletana damnatus est Theodorus quidam, qui de Davide explicabat.

2. Sed de Christo patiente et resurgente.

Tertio itaque, psalmus hic (in quo, ut ait Folengius, omnia pathetica sunt) agit de Christi passione et resurrectione. Antiquissima Iudæorum glossa ante duo annorum millia de Christo explicuit. S. Gregor. Nazian. orat. 36. ait, hic agi de passione manifeste. Ugo Card. aperte et perfecte. Cassiod. nullibi adeo clare et proprie descriptam esse passionem, ut non tam prophetia quam historia esse videatur. Bellarm. dicit de passione et resurrectione Domini tam aperte agi, ut plane temerarium sit ad alium sensum detorquere. Et quidem aliqua ex hoc psalmo sumpta citantur veluti de Christo dicta, Matt. 27. 35. *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Idem habetur Ioan. 19. 24. S. Paul. Hebr. 2. 12. illud affert: *Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te:* et ipse Christus in cruce fixus, ait Matth. 27. 46. *Eli Eli lamma sabachtani:* (male aliqui legunt, sabatani, ut infra ostendam) *Hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* S. Hier. scribit, totum psalmum a Christo pronunciatum fuisse in cruce: sed res in incerto est.

Nota, psalmus iste primus est inter eos, in quibus aperte et perfecte de passione Christi agitur. Et Cassiodorus dicit, quod quinque psalmi tales editi sunt a Davide in figura sanguinis Christi quinquies effusi. Primo, in circumcisione. Luc. 2. Secundo, in sudore sanguinis. Luc. 22. Tertio, in flagellatione. Ioan. 19. Quarto, in fossione manuum et pedum. Quinto, in apertione lateris. De his duobus habetur in eodem capitulo Ioan. 19. Prima effusio fuit in signum; secunda in exemplum; tertia et quarta in præmium; quinta in institutionem sacramentorum. Reliqui quatuor psalmi sunt 34. 54. 68. et 108. Ita S. Thom. et Ugo. Ps. 34. incipit: Iudica Domine nocentes me. 54. Exaudi Deus orationem meam. 68. Salvum me fac Deus. 108. Deus laudem meam ne tacueris.

3. Susceptio matutina est Christi incarnatio et nativitas.

Quæres primo. Quid intelligitur in titulo, per susceptionem matutinam? Primo, Christi in carnem adventum intelligit Didymus. *Susceptio*, ait, *matutina oriente iustitiæ sole perficitur, et diei principium parit. Nam ortus veri luminis, ignorantiæ atque erroris nocti fine imposito spiritualem auroram invexit, quæ simul accepit, ad finem perfecti et divini luminis, quod a Trinitate manat, occurrit: quo quidem lumine omnia spiritualia perfecta sunt.* Finis est, cuius gratia reliqua, ipse vero nullius causa fit: quod etiam summum et extremum omnium appetibilium appellant. Nihil enim ultro illud, quod appetendum sit, superest, propterea quod illud est perfectissimum bonum. Ita Didymus, Christum esse stellam matutinam mox dicetur.

II. Eius ascensio.

Secundo, Susceptio matutina Christi, est primus eius ingressus in cælum, ubi est æternum mane numquam inclinans in vesperam. Nam, ut habetur Apocal. 21. 25. *Nox non erit illic*; et 22. 5. *Nox ultra non erit.* S. Hier. illam susceptionem explicat etiam de Ascensione Christi.

4. III. Et melius resurrectio ipsius.

Tertio, et melius, Susceptio matutina, est Christi resurrectio. Ita S. August. Rufin. Euseb. Beda, Ludolph. Sa, Cassiod. S. Athan. et alii. Primo, resurrectio vocatur *susceptio*, sive ut legit Cassiod. S. Hier. *assumptio*, quia post gravissimam in cruce pugnam et victos hostes, triumphantem de morte et inferis Christum Pater æternus suscipit et excipit, atque ad maximam gloriam assumit numquam moriturum aut passurum. Itaque eum velut ambabus ulnis venientem suscipit, amplexatur, sinu excipit, osculatur, fovet, gloria et honore coronat, Ps. 8. et bonis suis omnibus præficit.

Quare dicitur susceptio matutina. I.

Secundo, Resurrectio Christi vocatur susceptio *matutina*. Primo, quia matutino tempore facta est. Lucas quidam c. 24. 5. dicit contigisse valde diluculo. Marc. 16. 2. valde mane una sabbatorum (id est prima sabbati, hoc est septimanæ, die scilicet dominica) venerunt ad monumentum orto iam sole. Ioan. 20. 1. mane, cum adhuc tenebræ essent. Matth. 28. 1. Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, id est nocte primæ diei hebdomadæ (nam tota hebdomas sabbatum etiam dicebatur) quæ nox lucescit, id est terminatur et desinit in lucem in prima sabbati id est mane diei Dominicæ, q. d. venerunt in illa nocte sed iam desinente et lucescere incipiente, in crepusculo primo auroræ. Christum quidem resurrexisse prima hora post mediam noctem sive hora noctis septima secundum antiquam divisionem, id est tertia vigilia in principio iuxta aliam partitionem censent S. Greg. Nyss. orat. 1. et 2. de resur. S. Cyrill. Alex. lib. 12. in Ioann. cap. 44. S. Athanas. lib. de Virgin. seu de meditatione, Victor Antiochenus in cap. 6. Marci, et alii plurimi. Unde Euthym. cap. 68. in Matt. dicit: *Omnes unanimiter sancti Patres et Doctores tempus resurrectionis Christi fuisse dicunt circa primum gallicinium, quod iam Dominici diei lucem præferebat: ideo quoque post sextam noctis horam virtutis sectatores soluto ieiunio lætitiam auspicantur.* Non resurrexisse tamen usque ad auroram, sed in ipsa aurora paulo post initium lucis diei Dominici, opinantur S. Thom. 3. p. q. 53. art. 2. et S. Bonav. Richard. Durand. Paludan. S. Antonin. Suares 3. p. disp. 46. sect. 2. qui hoc fuse tractat. Eusebius lib. 10. de demonstr. Evang. cap. ult. ita exponit titulum psalmi nostri, et dicit resurrectionem Christi matutinam, quia in ipsa aurora facta est. Hanc sententiam tenent S. Hilar. S. Aug. S. Leo, Cypr. et alii. Titulus Hebr. est, *pro susceptione auroræ.*

Secunda ratio, cur resurrectio Christi vocetur susceptio matutina, est: quia sicut sol postquam fuit sub terra occultatus in nocte, mane surgit, et procedit usque ad summum cæli. Sic et Christus prius in sepulcro occultatus quantum ad corpus, et sub terra quantum ad animam, in die resurrectionis super terram oriebatur, et profecit ascendendo usque ad dexteram Dei Patris. Ita Thomas Anglicus, Aiguanus, qui et Incognitus dicebatur, et Bellarminus. II.

Tertia ratio, cur resurrectio Christi dicatur susceptio matutina, est: quia tunc susceptus est in æternam vitam, quod dilatans Thomas Anglicus, ait, incarnationem fuisse susceptionem vespertinam: resurrectionem vero, esse susceptionem matutinam. *Licet*, inquit, *in primo instanti conceptionis, Deus susceperit, vel assumpserit naturam humanam: tamen quia natura fuit mortalis et passibilis, ideo* III.

illo assumptio fuit vespertino, nocti mortis vicino: sed in resurrectione assumpsit naturam immortalem, et totam glorificatam: licet enim divinitas in passione non fuerit separata a partibus hominis Christi: scilicet anima et corpore: tamen non fuit unita toti, quia Christus non fuit homo in triduo: et ideo quando iterum factus est homo, scilicet in resurrectione, fuit quodammodo alia assumptio, vel eadem assumptio iterata, quæ in proposito dicitur matutina, quia fuit in gloria, de qua Ps. 72. Et cum gloria suscepisti me. Vide dicta Ps. 2. 7. *Ego hodie genui te*, quod etiam de resurrectione, veluti nova ad novam vitam nativitate, exponitur. Sunt enim ibi tres sensus literales, 1. de generatione æterna; 2. de incarnatione; 3. de resurrectione.

5. Cur titulus sit de resurrectione non de passione.

Quæres secundo, Cum psalmus pene totus sit de passione Christi, cur inscribitur pro susceptione matutina, id est pro resurrectione? Resp. psalmus quidem de Christi passione tractat, sed illa eius dispensatio non est passione conclusa. Nam passionis finis fuit illa ex mortuis resurrectio: hoc est illa matutina susceptio: merito Scriptura admirabili illi fini psalmum totum attribuit, tamquam argumentum totum, et ea, quæ finem hunc passionis præcesserunt, propter illam ex mortuis resurrectionem, ac matutinam illam susceptionem fuerint. Ita Euseb. lib. 10. demonstr. Evang. Secundo, etsi psalmus de passione agit, orat tamen Christus, ut sibi Pater opem ferat, et de ore leonis, et de manu canis, et de framea, et de concilio malignantium eruatur: quod tunc perfectum est, eum resurgens ex mortuis iam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur. Itaque tametsi de passione agit: tamen quia pro resurrectione orat, ut sibi auxilium Patris præsto sit, et se a tantis malis per matutinam illam susceptionem eruat; ideo sic potius a re, quam impetrare desiderat, quam a malis, quæ patiebatur, psalmus inscriptus est. Psalmus enim cum oratio quædam sit, a re, quam exorare cupit, potius inscribendus fuit. Ita Agellius, qui addit auxilium matutinum posse intelligi auxilium citum, expeditum, acceleratum. Orat enim ut cito ac mature opem ferat, neque longius auxilium differat. Nam quod primo mane fit, cito fit.

6. Hebraica vox aieleth significat:

Nota primo, pro *susceptio* Heb. est אילת *aieleth*, quod tria significat. Primo, auxilium, fortitudinem, robur, susceptionem. Secundo, stellam. Tertio, cervum vel cervam. Nota secundo, pro *aieleth*, putat Leo a Castro in Apologetico. lib. 3. legisse Septuag. אילות *eialut*, id est fortitudo, robur, *auxilium*, ut verterunt vers. 20. huius psalmi. Agellius vero censet Septuag. legisse על עלות *al aloth*, id est, *super ascensu* שחר *sciachar*, *auroræ*. Sed nihil est necesse quicquam immutare, cum ut dixi, *aieleth* significet.

I. Auxilium sive susceptionem.

Primo, auxilium, susceptionem robustam et fortem, a radice *eial*, id est fortitudo. Sic vertit Symmachus, υπερ της βοηθειας της ορθρινης, *pro auxilio matutino*. Septuag. vero, υπερ της αντιληψεως της εωθινης, *pro susceptione matutina*, αντιλαμβανειν, unde derivatur αντιληψις significat apprehendere iacentem et erigere: itaque recte vertitur a S. Hieron. Epist. 139. et quæst. 9. ad Hedibiam Ep. 150. *Pro assumptione matutina.*

7. II. Stellam.

Secundo, *aieleth* idem est ac stella, ut ait Folengius, qui per stellam matutinam intelligit Phosphorum, id est luciferum, qui summo mane apparet solem præcedens ac veluti lucem ferens hominibus. Hinc Muisius vertit, *Præceptori super stellam matutinam.* Mercerus item dicit *aieleth hasciachar*, ut est in titulo, posse accipi pro vi et robore ascensus auroræ. Christus porro resurgens est stella matutina, itaque sensus semper idem erit, q. d. psalmus pro stella matutina, id est pro Christo mane resurgente.

Christus est stella ob tres rationes.

Ipse ait Apocal. 22. 16. *Ego sum stella splendida et matutina.* Syrus vertit, stella illa illustris, illa matutina. Christus porro est stella matutina. Primo, in sua nativitate, quia sicut Phosphorus sive lucifer finem affert noctis et diei principium: ita Christus ablatis umbris legis veteris et peccati tenebris, fidei lucisque et gratiæ ac salutis initium ostendit. S. Gregor. 19. Mor. 30. *Christus*, inquit, *natus ex Virgine, veluti lucifer inter tenebras nostræ noctis apparuit, quia fugata obscuritate peccati æternum nobis mane nunciavit.* Secundo, Christus est stella illa matutina in prædicatione Evangelii, tum per se, tum per Apostolos. S. Ambros. serm. 3. *Sol*, ait, *iustitiæ Christus Dominus ignorantiæ tenebris et peccatorum cæcitate submersis, cælestis doctrinæ suæ lumen infudit: et quos non habebamus, oculos cordis inseruit, et velut radios quosdam Apostolos suos misit, qui nos de nocte teterrima delinquentes liberarent, et paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum, matutina susceptione concesserint.* Tertio, Christus resurgens est stella matutina, quia claritatis dotem corpore suo recipit, et det animabus fidelium. Resurrectio enim Christi est causa resurrectionis nostræ et in anima et in corpore. S. Greg. mox citatus: *Christus*, inquit, *vivus apparens post mortem matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur, indicavit.*

Tertio, *aieleth* significat cervum. Unde S. Hieron. hic vertit, *Pro cerva matutina*. Oseæ autem 6. reddit, *pro cervo*. Arias, Victori super cervam auroræ. Flaminius, victori pro cerva matutina. Et quidem vox hebraica *aieleth* communiter pro cerva sumitur, ut Ps. 17. 34. Cant. 2. 8. Prov. 5. 19. Ier. 14. 5. Vertunt, vero multi, *victori*, etc. quia est Hebr. למנצח *Lamnatseac*, de quo alias. Sept. legerant לנצח *la netsach*, unde verterunt, *in finem*. III. Cervum vel cervam.

Quæres, Quænam est illa cerva auroræ? Resp. primo Cavallerius, cervam auroræ esse Ecclesiam Israeliticam, sicut cervis assimilatur in Cantico Canticorum, et ipsi auroræ Cant. 6. 9. Ita ille. Sed cum hic psalmus aperte de Christo sit, cerva non potest commode sumi pro synagoga. 8. Cerva auroræ non est synagoga Iudeorum.

Secundo, Hebræi antiqui dixerunt per cervam matutinam hic intelligi Esther reginam, quæ de liberatione populi sui valde fuit pervigil et sollicita. Sed multa sunt in psalmo, quæ nec Esther, nec Mardochæo, nec Iudeis illius temporis conveniunt. Nec Esther.

Tertio, certum est, cervam matutinam intelligi hic Christi humanam naturam. Psalmus enim totus est de Christo patiente et resurgente. Primo itaque Christus patiens comparatur cervæ a Folengio. Vere, inquit, Christus cerva matutina tum fuit, quando summo mane, ut refert Matthæus, consilium inierunt sacerdotes, et seniores populi: tunc agitata fuit illa cerva a canibus: et post crudeles morsus, post volocra, post cursum illum miserandum ab uno ad alterum iudicem, excelsa tandem petiit crucem. Et super excelsa, inquit, statuit me. Secundo, et melius, Christus resurgens est cerva matutina. Ita S. Hieron. Dionys. Lombard. et alii. Sed Christi humanitas resurgens.

Quæres secundo, Cur Christus resurgens est similis cervo seu cervæ matutinæ? Respond. primo, quia cervus interficit serpentes et venena consumit: Christus vero, spiritu oris sui interficit impium, ut cervus halitu serpentes a cavernis educit et interimit. Ita S. Hieron. in Ps. nostr. et S. Basil. in Ps. 28. Secundo, cervus velocissime salit in altissimos montes: unde Cant. 2. 9. comparatur Christus hinnulo cervorum salienti in montes. Ipse enim in die resurrectionis velocissimo saltu ab inferis et a morte ad vitam immortalem et gloriosam ascendit. Ita Bellarm. Dionys. Lombard. Tertio, quia cervus dicitur arte quadam naturali a senio se defendere, et vergentem in defectum vitam rediviva novitate ab inferis revocare, ut scribit Gillebertus serm. 44. in Cantica. Christus autem in die resurrectionis arte omnipotentiæ, et infinitæ sapientiæ suæ, vere corpus suum iam mortuum rediviva novitate ab interitu revocavit. Cerva vero potius, quam cervus dicitur, quia resurrectio proprie ad carnem pertinet. Sicut enim Christus in carne passus est, ita et in carne resurrexit. Ita Bellarminus. Quarto denique, alias cervi proprietates partim patienti, partim resurgenti, partim ascendenti Christo adaptare possis. Mite animal est, agile, febris expers, remedium ea laborantium; sitis impatiens tum propter cursum, tum propter serpentes voratos, tum propter vulnus gregale, et sodalis corpus suomet supposito ge- Christus resurgens est similis cervo ob quatuor rationes. I. II. III. IV.

stans currendo retro respiciens; urgente vi canum, ultro ad hominem confugiens: omnium rerum miraculo stupens: sub auroram de cubili exeundo cacumina montium petens: lutum ac spinas saltando transiliens; si sit fœmina pariendo, semitas minus cavens humanis vestigiis tritas: dumque fœtum mittit, præ dolore immugiens. Ita S. Epiphan. ad Physiologum cap. 5. Origenes lib. 1. contra Celsum, et in Cantica, Lorin. hic, Plin. lib. 8. c. 32. Vide a me dicta Ps. 41. v. 1. ubi de ea re fuse: ostendi enim Christum posse comparari cervo in nativitate, vita, passione, resurrectione, ascensione, Eucharistia et iudicio extremo.

Nota. Chaldæus magis sensum quam verba attendit, cum titulum sic vertit: *Super potenti oblatione perpetua auroræ:* aut, ut est apud Nebrensem, *Pro virtute sacrificii continuæque immolationis.* Quod de sacrificio in cruce oblato interpretor, psalmus enim pene totus est de Passione Christi, ut est dictum. Alludit ad iuge et perpetuum sacrificium matutinum, quod Deus præceperat sibi offerri in tabernaculo Mosaico, et postea in templo Salomonis. Nam singulis diebus mane offerebatur agnus anniculus et immaculatus in holocaustum, idem fiebat vesperi. Exod. 29. 38. per agnum matutinum S. Bernard. serm. 2. et 3. de purif. intelligit Christum infantem in templo præsentatum: per agnum vero vespertinum, intelligit Christum iam virum, in fine vitæ immolatum; 2. per agnum vespertinum intelligi, patientem in cruce. Nam sub vesperam mortuus est: per matutinum, resurgentem mane: vel, mane in missa oblatum. De Eucharistia enim etiam hic agitur in fine psalmi, ut videbitur.

Ex his patet reiiciendum esse Marianam, cum ait, titulum Hebr. huius psalmi, nempe *al aieleth hasciachar*, esse initium cantilenæ, ad cuius modos iubeat David psalmum hunc decantari.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

9. Tria psalmus hic complectitur. Primo, orationem Christi, ut in passione adiuvetur, vers. 2. Secundo, passionis atrocitatem, vers. 7. Tertio denique, resurrectionem eius, et ventura inde commoda, v. 20.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, Christus conqueritur, quod a Patre æterno in tantis tormentis relinquatur, v. 2. Secundo, rationes acervat, ob quas iuvari debeat, v. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.*

2. Pater mi, Pater mi, qui Deus meus es, cur benignitatis tuæ oculos ab unigenito filio tuo avertis, et omni solatio destitutum furori impiorum, ut vilem prædam obiicis? Tam acerbæ desolationis causam agnosco, non quidem peccata mea, cum nulli me affinem culpæ scias: sed totius humani generis scelera, quæ exsolvenda suscepi: illa liberationem meam impediunt, mortique me decreto tuo ac voluntate mea addictum non patiuntur liberari.

3. *Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.*

3. Diu noctuque, partim in horto, partim in cruce positus cum morte summisque doloribus conflictans, auxiliatricem manum tuam implorabo, nec porriges. Neque tamen inde me quis insipientem iure dixerit. Si enim mortem corporis non evitavi, ut carnis imbecillitas postulabat, salutem hominum meo sanguine obtinui, quod spiritus meus, voluntasque æternis rationibus mota, præsertim ambiebat.

4. *Tu autem in sancto habitas: Laus Israel.*

4. Dum in his ego doloribus, ne mihi quidem, nedum universo hominum generi, subsidio esse possum, scio te in cæli sanctuario securum agere, eaque et præstitisse et in posterum præstiturum, ob quæ liberatus populus tuus in laudes tuas erumpat, ut prius Iudæi fecerunt.

5. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et liberasti eos.*

5. Nihil est, cur remota disquiramus, ut tua nobis innotescat potentia: patres nostri spes suas omnes in te coniecerunt: eosque licet in varia scelera prolapsos mediis ex hostium instantisque mortis periculis eripuisti.

6. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.*

6. Innumeris attriti cladibus, iamque penitus omnibus humanis destituti præsidiis, oculos a terra ad cælum, vocemque mediis ex angustiis ad te patrem suum extorres filii sustulerunt, et præter spem omnem humanam summis ex miseriis emerserunt. In te uno speraverunt, nec spe sua sunt frustrati.

7. *Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hominum, et abiectio plebis.*

7. Me tamen, vilis instar abiectique vermiculi, qui omnium pedibus sine ulla misericordia proteritur, mediam in turbam insanientium proiecisti, ut eorum furori obiectus conculcarer: perinde quasi ne natura quidem hominis dignus sim, vel nomine. Hominum sannis ac dicteriis illusus, et infimæ vilissimæque plebeculæ ludibrium, tamquam novissimus virorum, contemptui sum habitus.

8. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.*

8. Non Pharisæi modo, quique meis se conatibus velut hostes infesti opposuerunt, sed reliqui omnes, etiam a me beneficiis affecti, ipsique peregrini: et; quod stupendum est, acti in crucem Latrones, visa tormentorum meorum atrocitate, non solum non ingemuerunt, sed in risum etiam soluti sunt. Verbis blasphemis, sibilis, oris contorsione, capitisque motatione, mihi afflictissimo insultarunt.

9. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

9. Ecce tibi, inquiunt, impostorem illum, qui se in Domino Deo nostro, cuius filium se mentiebatur, sperare dicebat: eia, videamus, num illum sit tantis ex angustiis erepturus. E manibus nostris eum eximat, quoniam ab eo se diligi, summaque gloria honestandum esse professus est.

10. *Quoniam tu es, qui ex-*

10. Adiuva me Domine, qui unius me operatione Spiritus sancti in utero Virginis

traxisti me de ventre; spes mea ab uberibus matris meæ.

formatum in lucem eduxisti. Adhuc a matris pendens uberibus, a te uno tuaque providentia pendere volui, eumque animum tota vita in hoc usque tempus conservavi.

11. *In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris a me.*

11. E matris utero prodiens, tuum paternum in sinum convolavi, tua manu duci, tuis ulnis portari exoptavi. Ex quo lucem hanc aspexi, Deum te meum cæteris omnibus prætuli: tuque vicissim benigno favore et peculiari providentia mihi te Deum exhibuisti. Ne igitur tu, qui mibi semper astitisti, recedas a me, omni me privans solatio.

12. *Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est, qui adiuvet.*

12. Etenim passionis meæ tribulatio est in proximo, cui collata cætera, quæ perpessus sum mala, Ludi instar reputari possunt. Neque est hominum ullus, qui auxilio esse possit aut velit, cum vel ipsi Apostoli a me diffugerint.

QUÆSTIO UNICA.

Quibus rationibus auxilium in Passione sua a Patre æterno Christus postulat.

10. Ordo Sectionis.

CHRISTUS amantissimus hominum Selvator, confertis et furentibus cinctus hostibus, tabo et cruore oblitus, ingemit, quod solus in perdifficili passionis et crucis certamine ab ipso Patre suo relinquatur. Primo itaque, causam tantæ derelictionis inquirit, v. 2. *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* Secundo, hostium telorumque multitudinem declarat, cum ab omnibus peccatoribus impetatur: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, id est, eorum, pro quibus vadem me et sponsorem obtuli: nempe peccatorum totius mundi. Tertio, arma exerit, quibus usus est ingem scilicet orationem, v. 3. *Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: et nocte, et non ad insipientiam mihi.* Quarto denique, auxiliares copias deposcit, ad easque impetrandas rationibus quatuor utitur.

Primam desumit a Deo ipso, qui in alto cælorum palatio habitans, primo impetu hostes atterere potest, v. 4. *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* Secundam petit a simili: quod videlicet Deus paterna bonitate aliis orantibus succurrerit, a quibus secundum carnem ipse duxit originem, v. 5. *In te speraverunt* (corde) *patres nostri: speraverunt, et liberasti eos.* Et v. 6. *Ad te clamaverunt* (ore) *et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi.* Ne in una quidem petitione.

Tertiam rationem ducit a summo suo dolore et ignominia: cum et corpore ita contusus sit atque contritus, vix ut homo esse spectantibus appareat, v. 7. *Ego autem sum vermis, et non homo.* Et anima compunctus gravissimo mœrore ob tantam infamiam et principum virorum derisiones: *Opprobrium hominum.* Secundo, ob plebeculæ sannas: *Et abiectio plebis.* Tertio, ob latronum ipsorum et militum paganorum ludibria, v. 8. *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.* Quarto, quod hæ irrisiones in Deum ipsum, velut non potentem eum eripere, redeant, v. 9. *Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

Quartam denique rationem a beneficiis antea collatis eruit, et e spe sua in parentem, et tutorem, atque curatorem optimum. Nam primo, ab utero matris Virginis eductum se in lucem fatetur, unius Dei obstetricantis manu, v. 10. *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre.* Secundo, a prima infantia spem in eo suam omnem posuisse: *Spes mea ab uberibus matris meæ;* v. 11. *In te proiectus sum ex utero.* Tertio, tota vita illum honoravisse: *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Quarto, in mortis articulo ad illum solum clamavisse: *Ne discesseris a me.* Quinto, a proximitate mali, v. 12. *Quoniam tribulatio proxima est.* Sexto denique, a derelictione sua totali ab omnibus: *Quoniam non est, qui adiuvet.*

ARTICULUS I.

Quomodo, et cur a Deo Patre derelictus est Christus tempore passionis.

DOLORES suos expositurus Salvator, maximum omnium proponit: nempe desertionem et derelictionem suam

A a Patre, cuius ope densissimos et fortissimos hostes superasset vel ioco: itaque incipit, v. 2. DEUS DEUS MEUS

11. Vers. 2. 1. Pars.

(Syr. Arab. Septuag. Chald. Deus meus, Deus meus, et hoc significat Hebr. eli, eli. Nam *el* est Deus; *eli*, Deus meus. Aquila, fortis meus, fortis meus) RESPICE IN ME,

In Christo relicta est:

(hoc non est in Hebr. sed recte additum est a Septuag. quia oculi augent compassionem et misericordiam, Ps. 30. 8. Thren. 1. 20. Agellius et Arias lectum putant a Septuag. *eli*, *elai*, id est, Deus meus ad me: supple respice: sed sic non posuissent bis θεος μȣ,) QUARE ME DERELIQUISTI?

Non divinitas vel persona.

Nota, certum est, divinitatem Christi non potuisse derelinqui. Nam eadem est cum divinitate Patris et Spiritus sancti. Secundo, certum est personam Christi non potuisse derelinqui, quia non subsistit Christus subsistentia humana, sed sola verbi subsistentia sive hypostasi et persona, quæ realiter identificatur divinæ naturæ, et non est minoris perfectionis, quam ipsa persona Patris. Eam ob rem ut loquitur S. Epiphan. Hæresi 69. *Ariani a veneno insaniæ caput gravatum habebant*, et intelligentia Dei de-
B stituebantur, quod hunc psalmi locum de ipso Verbo exponerent, illudque a Patre derelictum esse dicerent: Arius ipse ob eiusmodi blasphemias nuncupabatur a Constantino Imp. *Imago et statua diaboli*, ut refert idem Epiphanius. Verbum enim relinqui non potuisse planum est, at S. Leo docet serm. 17. de Passione. *Manente*, inquit, *in sua proprietate utraque substantia*, nec *Deus reliquit sui corporis passionem*, *nec Deum fecit caro passibilem; quia divinitas, quæ erat in dolente, non erat in dolore.*

12. Sed humanitas.

Nota secundo, tres derelictionis modi excogitari possunt in Humanitate Christi. Primo, ut unio hypostatica dissoluta sit. Secundo, ut gratia vel visio beatifica sit ablata. Tertio, ut auxilium, quo a tormentis eriperetur, sit denegatum.

Non quidem dissoluta unione.

Ac primo, Unionem hypostaticam dissolutam non fuisse cum Christus pateretur, fide certum est. Nam nec in ipsa morte sublata est, ut docet S. Thom. 3. p. qu. 50. artic. 2. Deinde si ante mortem dissoluta fuisset illa unio, passio Christi non fuisset valoris infiniti; non fuisset enim
C dignificata a persona infinite digna, nempe a persona Verbi, a qua sola petitur infinitas meriti et satisfactionis eius. Hanc separationem aperte reiicit S. Leo serm. 17. de Passione. *Sic*, inquit, *Pater non abiungebatur a Filio: quemadmodum caro non dividebatur a Verbo.* Maximam unionem et eius summam indissolubilitatem denotat illa comparatio. Differentia tamen est. Nam impossibile prorsus est, ut Verbum separetur a Patre. Necessario enim Pater producit Filium sibi consubstantialem. Separatio autem Verbi a natura humana est tantum impossibilis ex hypothesi decreti Dei, quo statuit semel assumptam naturam non dimittere.

Non ablata gratia.

Secundo, gratiam sanctificantem a Christo sublatam fuisse vel cogitare nefas est. Non tollitur enim nisi per peccatum. De Christo autem ait S. Ioan. Baptista. Ioan. 1. 29. *Ecce agnus* (Græc. ὁ ἀμνος, ille agnus: a Mose scilicet atque Isaia prædictus et præfiguratus, ut ait S. Chrysostom.) *Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Primum scilicet et universale peccatum generis humani, nempe ori-
D ginale, ab Adamo in nos transfusum, ut dicit S. Thomas et Beda: in textu Arabico, *qui tollit peccata mundi*, nullum enim etiam actuale tollitur nisi per eius gratiam.

1. Ioan. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* 1. Petr. 1. 19. vocatur agnus immaculatus. Non modo peccatum non habuit, sed habere non potuit. Erat enim omni modo impeccabilis, propter unionem hypostaticam, ut alias ostendi, et docet S. Thom. 3. p. qu. 15. artic. 1. et 2. et Suares ibid. disp. 33. sec. 2.

Aut gloria. Tertio, gloriam seu visionem et fruitionem beatificam non cessasse tempore Passionis ostendit S. Thomas 3. p. q. 46. art. 8. et sic explicat: Tota, inquit, anima potest intelligi, et secundum essentiam, et secundum omnes eius potentias. Si autem intelligatur secundum essentiam, sic tota anima fruebatur in quantum est subiectum superioris partis animæ, cuius est frui divinitate: ut sicut passio ratione essentiæ attribuitur superiori parti animæ, ita e converso fruitio ratione superioris partis animæ attribuatur essentiæ. Si vero accipiamus totam animam ratione omnium potentiarum eius, sic non tota anima fruebatur, nec directe quidem: quia fruitio non potest esse actus cuiuslibet partis animæ, nec per redundantiam gloriæ a superiori parte in inferiorem, nec ab anima in corpus. Sed quia nec e converso superior pars animæ impediebatur circa id, quod est sibi proprium per inferiorem, consequens est quod superior pars animæ perfecte fruebatur Christo patiente. Dices, impossibile est, simul dolere et gaudere, cum dolor et gaudium sint contraria. Respond. quod gaudium fruitionis non contrariatur dolori passionis: quia non sunt de eodem: nihil autem prohibet, contraria eidem inesse non secundum idem. Et sic gaudium fruitionis potest pertinere ad superiorem partem rationis per proprium actum: dolor autem passionis, secundum suum subiectum. Ad essentiam vero animæ pertinet dolor passionis ex parte corporis, cuius est forma; gaudium vero fruitionis ex parte potentiæ, cui subiicitur. Dices secundo, Aristot. in 7. dicit, quod tristitia, si sit vehemens, non solum impedit delectationem contrariam, sed quamcumque et e converso. Dolor autem passionis Christi fuit maximus. Respond. quod dictum illud Philosophi habet veritatem ratione redundantiæ, quæ naturaliter fit ab una potentia animæ in aliam. Sed hoc in Christo non fuit. Ita S. Thom.

13. Sed sub- lato auxilio sensibili. Dico itaque, Christum a Deo Patre, a Spiritu sancto, et a seipso ut Deo relictum esse, id est, non fuisse sensibiliter adiutum, sed permissum hostium potestati, et subtractum gaudium, quo molliretur illa acerbitas. Hoc inclamant ipsi bostes Ps. 70. 11. *Deus dereliquit eum: persequimini, et comprehendite eum: quia non est qui eripiat.* S. August. et S. Bern. ae Vincentius Bellovacensis addunt, *eum.* Hoc figuratum est in hirco emissario, qui oneratus populi peccatis, velut eorum piaculum in sylvam ducebatur, et feris discerpendus relinquebatur. Lev. 16. 20. *Pontifex offerat hircum viventem, et posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum, in desertum, Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, etc.* Typus animosus Christi patientis et derelicti fuit Iob, de quo dæmoni obiicienti, quod ab eo vallaretur et domus eius, atque universa substantia per circuitum, ait Deus, Iob. 1. *Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt.* Usus eo potestate dæmon, boves ipsius, asinas, oves, cameios, servos partim exussit, partim rapi curavit, et filios obrui et occidi. Tunc ait Iob. v. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc.* Christus omnibus spoliatus pependit in cruce nudus. Ad hæc ipse Iob relictus est a Deo, et permissus potestati dæmonis, ut ulcere pessimo percuteretur a planta pedis usque ad verticem, cap. 2. 6. *Dixit Dominus ad Satan: Ecce in manu* (id est, potestate) *tua est. Veruntamen animam* (id est, vitam) *illius serva.* Ne Christi quidem vita reservata est. Itaque fuit Iob animosior.

14. Relicta est au- Nota, derelictionem Patris et Spiritus sancti indicatam possis dicere in illa repetitione, *Deus, Deus meus.* A seipso quoque, id est, a sua divinitate et eius auxilio sensi- tem a tota Trinitate. bili relictus est Christus, et ad seipsum verba psalmi direxit, ut notat S. Epiphan. hæresi 69. *Cum,* ait, *motus sic fieret a persona humanæ naturæ, vox ad proprium suum Deitatem dicebat: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* et S. Leo serm. 17. de Passione. *Ut eum,* inquit, *non solum Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Continuit enim se ob impiis crucifixi potestas: et ut dispositione uteretur occulta, uti noluit virtute manifesta.*

Quæres, Cur sic Christus derelictus est? Ob octo causas.

I. Resp. primo, ut prophetiæ implerentur, Isaiæ 53. 4. vir dolorum dicitur. Et fuse dicetur de hoc sequenti sect.

II. Secundo, Christus relictus est, ut dæmon deciperetur, et non conaretur mortem eius impedire, velut filii Dei et redemptoris mundi, de quo dubitabat ob miracula in vita et in passione atque ipsa cruce facta.

III. Tertio, Christus relictus est, ut vis eius et fortitudo magis eluceret, ac verus David sine armis gigantem sterneret, et nullo nixus speciali præsidio omnes tenebrarum principes vinceret. Philisthinorum exercitum fudit Ionathas, sed cum armigero suo. 1. Reg. 14. 13. eorum principes omnes et circiter tria millia plebis obtrivit Samson licet excæcatus, et morte sua illos domuit, sed ductus a puero ad columnas palatii, seu templi, Iudic. 16. 26. et seq. Draconem id est, Luciferum, e cælo cum sequacibus Angelis apostatis eiecit S. Michael, sed cum cæteris Angelis, ac speciali Dei auxilio. Apocal. 12. 7. At vero in arenam descendit Iesus solus, corpore quidem omnino nudus, ut putat Suar. 3. p. (de hac re agetur postea) anima autem spoliata auxilio sensibili, et amaritudinem ac difficultatem certaminis levante, et tamen ita vicit, ut Luciferum in inferno catenis igneis religaret, unde non exiret ante tempus Antichristi. Quam victoriam extollens Simon de Cassia cap. 37. in Matth. *Nullum,* ait, *fuit ab orbe gravius bellum, quam in quo Christus captus est; nec ullus illustrius triumphavit, quam ubi ille relictus solus suos hostes prostravit.* Et S. Ambr. lib. de Instit. Virg. cap. 7. breviter dicit, Christi passio adiutore non eguit.

IV. Quarto, Christus relictus est in tormentis, ut illius exemplo animaremur et patientiam disceremus. S. Greg. Naz. orat. 36. *Ut sciremus,* inquit, *quantum a nobis exigi et condonari debeat, expensa nimirum cum passionibus suis virium nostrorum imbecillitate.* Et S. Cypr. tract. de passione clarius. *Derelictus est Dominus, ut exemplum nobis patiendi exhiberet. Patet in cælum via, sed ardua et difficilis, præire voluit exemplo admirabili, ne via terreret, sed stupendum Dei patientis exemplum nos concitaret.* Dicebat ipse Christus Apostolis, eos in omnem tribulationem et persecutionem firmans, Matth. 10. 24. *Non est discipulus super magistrum, non servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister eius, et servo sicut Dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub* (id est, Deum muscarum) *vocaverunt, quanto magis domesticos eius?* Ubi S. Hilarius. Multum, inquit, proficit ad tolerantiæ assumptionem rerum imminentium cognitio, maxime si patientiæ voluntas præsumatur exemplo. Et S. Chrysost. hom. 11. in Epist. ad Rom. *Magna corona est communionem habere cum Domino.* Cum S. Petro Martyri Dominicano apparuissent S. Cæcilia, S. Agnes, et S. Catharina, et cum eo colloquentes in cubiculo visæ essent, ideo ad duram et longam pœnitentiam damnatus est: cumque amice coram Christo crucifixo conquerens diceret: Domine tu scis innocentiam meam, cur ergo me silente tu taces? Cur me non defendis, sed in hac infamia tamdiu derelinquis? Respondit ei Christus. *Et ego, o Petre, quid commerui, ut pro te in hac cruce confixus sim? Disce ex me patientiam exercere in quibuslibet afflictionibus tuis, quia omnes tuæ meis æquiparari nequeunt.* Qua voce S. Petrus ita roboratus et exhilaratus est, ut plura pati optaret: imo nollet ignominias suas cum regum sceptris et coronis commutare. Quare Christus eius innocentiam tandem patefecit, atque infamiam omnem in gloriam convertit. Ita Surius in eius vita, 29. Aprilis.

V. Quinto, Christus relictus est in tormentis, ut amor eius erga nos magis declareretur. S. Cyprian. tract. de pass. *Derelictus est, ut amorem suum erga nos ostenderet, ut iustitiam misericordiamque suam nobis patefaceret, ut amorem nostrum ad se raperet.*

VI. Sexto, ut maiori fiducia ad eum accurreremus, scientes eum nostris afflictionibus compassurum. S. Paulus Hebr. 4. 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit condolere infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia* (per omnes nostras infirmitates et dolores) *pro similitudine* (Græc. καθ ομοιοτητα, id est, similiter, pari modo atque nos) *absque peccato*, id est excepto peccato. S. Greg. Naz. orat. 36. ait, Christum fuisse derelictum in tormentis, ut sciremus eum passionibus suis cuncta mereri, τεχνη φιλανθρωπιας, *arte quadam humanitatis et benevolentiæ ergo genus nostrum; ita ut ex suis nostra æstimare queat.*

VII. Septimo, Christus relictus est, ut nobis datum in afflictionibus robur et lætitiam magis miraremur, atque ideo teneriori affectu Deo gratias ageremus, considerantes servum præferri Domino, et vile mancipium filio. Hoc robur etiam sic cognoscimus esse supra vires naturæ cuiuslibet etiam perfectissimæ. Mirabile in Martyribus emicuit S. Tiburtius nobilitate quidem generis spectabilis, sed claritate et splendore mentis et virtutibus illustrior, nudis plantis prunas ardentes calcans, inter medias rosas versari se putabat: adeo candentis carbonis acerbitas, se in rorem cælestem transformarat, ut habetur in eius vita die 22. Nov. apud Surium. Theodorus quidam iuvenili adhuc in ætate variis excarnificatus tormentis, eam adhibuit in tolerando constantiam, ut despondens animum Salustius Iuliano dixerit: *Nisi a Christianorum persecutione cessemus, illis gloriam, nobis ignominiam conciliabimus.* Cum deinceps ob eo Rufinus historicus quæsivisset, pœnarumne tormenta sensisset, an plagas citra dolorem omnem pertulisset: respondit ille, non se quidem sine dolore cruciatum fuisse, *adolescentem autem quemdam sibi assistentem, fascia tenuissima sudorem abstersisse, et aquam frigidam infudisse*, qua dolorum ardorem refocillarit, tormentorumque vim sustulerit. Deinde spiritui suo robur indidisse, et incredibilem in tantis laboribus iucunditatem suppeditasse, ut tradit Nicephor. Call. lib. 10. hist. Eccl. cap. 28. Adde S. Blandinam, de quo Eusebius multa l. 5. histor. cap. 1. Hæc, cum tortores fatigati quiescerent, et mirarentur eam tamdiu vivere, infracto animo persistebat, et in ipsa fidei confessione vires colligebat, atque prolatio istorum verborum, *Christiana sum, et nihil apud nos admittitur sceleris*, ην αυτης αναληψις, και αναπαυσις, και αναλγησια των συμβαινοντων, *erat dolorum, qui eam urgebant, summa levatio, fomentum cruciatus, et cuiusque molestiæ depulsio.* Vide dicta Ps. 43. ubi fuse de constantia et fortitudine Martyrum, et de miraculis ob eos a Deo factis agitur.

VIII. Octavo denique, Christus relictus est in tormentis, ut nos redimeret, et morte sua vivificaret. Hebr. 2. 9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum: ut gratia* (gratuita misericordia et benevolentia) *Dei pro omnibus gustaret mortem*, id est, moreretur. Est hebraismus. Dicebant principes sacerdotum, Scribæ, id est, doctores legis, et seniores, Matt. 27. *Si Rex Israel* (id est, Messias, qui expectatur Rex Iudæorum, qui sunt filii Israel, id est, Iacob Patriarchæ sic appellati: unde ipsi vocantur etiam Israel seu Israelitæ) *est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.* Sed iure eos reprehendens S. Bern. serm. 1. in die Paschæ, ait per crucem ac mortem factum fuisse augustiorem, et in ligno ac per lignum regnavisse. Verba eius sunt: *Quid consequentiæ videtur habere, ut descendat de cruce, si Rex Israel est, et non magis ascendat? Sic tibi Iudæe excidit, quod audisti: quia Dominus regnabit a ligno, ut Regem abneges, qui manet in ligno? Imo quia Rex Israel est, titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat, cuius imperium super humerum eius. Si Pilatus quod scripsit scripsit: Christus non perficiet quod incepit?* Elias S. Greg. Naz. scholiastes in orat. eius 2. de

A Filio, affert quatuor causas derelictionis a Deo, 1. ut afflictio, velut lapis Lydius, cor iustorum exploret, sicut in Iobo et Iosepho; 2. ut paterna castigatione acrior animus ad excelsa consurgat, neque is intumescat, sicut in Paulo stimulis carnis compuncto; 3. ut punitione iusta impios ad sanam mentem reducat, sicut in Iudæis accidit, qui puniti ad pœnitentiam flectebantur, cum prosperis rebus ad insaniam agerentur; 4. ad redemptionem nostram, sicut in Christo. Hanc causam clare attigit S. Leo serm. 16. de Passione, cum diceret: *Ipsa vox non exauditi, magni est expositio sacramenti, quod nihil humano generi conferret Redemptoris potestas, si quod petebat nostra obtineret infirmitas.* Et S. Cyprian. tract. de Passione. Derelictus est, ait, Dominus, ne nos derelinqueremur: derelictus est, ut a peccatis æternaque morte liberaremur.

Quæres secundo, Cur Christus derelictum se esse conqueritur? Resp. primo S. Leo non fuisse conquerentis, 15. Christus conqueritur se derelictum esse: Proprium querelam negant multi.
sed nos docentis, cum dicit: Deus Deus meus, quare me B dereliquisti? Verba eius sunt serm. 16. de Pass. *Vox ista doctrina est, non querela. Nam cum in Christo Dei et hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo non poterat separari, pro nobis trepidis et infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit.* Si enim martyres in mediis flammis, equuleis et atrocissimis cruciatibus non sunt conquesti, sed gratias Deo egerunt, ut de maximo sibi concesso bono, quis putet Martyrum ducem, qui oblatus est, quia ipse voluit Isaiæ 53. 7. querelas inanes fundere? Eius generositatem in S. Theodulo ac Tatiano martyribus, velut in imaginibus, expressam intuere. Cum sancti illi Christi pugiles templi idolorum statuas confregissent, ideoque craticulis ignitis et ardentibus subiecti essent, dicebant: *Amachie, si carnes nostras cupis comedere, in alteram partem versa et manduca, ne sentiasi palatui tuo non sapiamus.* Ita Nicephor. lib. 10. cap. 2. S. Chrysost. homil. 4. de sanctis martyribus Iuventino et Maximo, tom. 1. ait: Τους ανθρακας, ως πηλον κατεπατησαν, και τα πελαγη, και τα κυματα καθαπερ λειμωνας ειδον: και επι το ξιφος, ως επι διαδημα και στεφανον ετρεχον; C *Carbones, ut lutum, conculcarunt: et maria fluctusque instar pratorum aspexerunt: atque ad enses, ut ad diademata et coronas cucurrerunt.* Quid igitur est putandum de Hercule, si pygmæi id faciunt? Christo collati omnes sancti nihil sunt. Adde, Christus sciebat sibi maxima auxilia, licet non sensibilia, iugiter dari, et se non posse a Patre derelinqui. Ioan. 8. 16. *Si ego iudico* (id est, testificor de me) *iudicium* (id est, testimonium. Est metalepsis) *meum verum est:* (hoc est legitimum, et a iudice acceptandum) *quia solus non sum: sed ego et qui misit me Pater.* Et ad rem nostram accommodatius vers. 28. *Cum exaltaveritis* (in cruce) *filium hominis* (me hominem) *tunc cognoscetis, quia* (quod) *ego sum*, (a vobis expectatus Messias et Dei filius) *et a me ipso facio nihil: et qui misit me, mecum est, et non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.*

Respondent secundo S. Greg. Naz. S. Leo, Origenes, In persona nostra queri volunt alii.
D et alii, esse quidem in his verbis, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* querelam aliquam, sed a Christo non in sua sed in nostra persona emitti. Verba S. Gregor. Naz. orat. 36. sunt: Neque Christus vel a patre, vel a sua divinitate quasi passionem extimescente, ob idque sese a perpetiente corpore colligente atque contrahente, derelictus est. *Verum in seipso nostra repræsentat.* Est enim caput nostrum, quod pro toto corpore debet loqui. S. Leo id exprimit serm. 16. de Passione mox citato: *Caput nostrum, ait, Dominus Iesus Christus, omnia in se corporis sui membra transformans, quod olim in psalmo eructaverat, id in supplicio Crucis suæ redemptorum suorum voce clamabat, Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Et Aug. epist. ad Honoratum. Suscepit, inquit, vocem infirmitatis nostræ, qua simul crucifigebatur vetus homo noster. Origenes putat eum queri de paucitate salvandorum et multitudine damnandorum, in quibus perit fructus passionis eius.

16. Respondeo tertio, etiam in propria persona Christum conqueri variis de causis. Primo, ut sicut ait S. Epiphan. vere se passibilem esse ostenderet, et non in apparentia aut spectro ab eo mysterium Crucis fuisse dispensatum, sicut Basilides et Marcion mentiebantur: qui, ut tradit Tertull. lib. de præscriptione contra hæreticos cap. 46. et lib. 5. in Marcionem. S. Aug. lib. de hæres. Euseb. lib. 4. hist. cap. 8. dicebant, Christum ita perstrinxisse oculos Iudæorum, ut ex eorum oculis evanuerit, et Simon Cyrenæus (id est oriundus ex Cyrene Libyæ, ut placet Origeni; vel Syriæ, ut Maldon. vel Cypri, ut alii) qui tulit crucem eius, in illa fuerit crucifixus et mortuus. Hoc ipsum credunt hodie Mahometani.

Verius in propria ob septem rationes.

I.

II. Secundo, conqueritur Christus in suo persona, ut suam innocentiam probet. Sic in domo Caiphæ Pontificis alapa percussus a milite, dixit Ioan 18. 23. *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Ideo non porrexit alteram maxillam, ne videretur culpam agnoscere, ut ait Cornelius: cum præsertim totum corpus figendum præpararet in ligno, sicut dicit S. August. Erat id figuratum in Iobo innocente, et ad posterorum utilitatem et propriam coronam dæmonis furori permisso, et propterea conquerente, Iob. cap. 3. et seq. cap. 6. 2. ait inter cætera. *Utinam appenderentur* (Hebr. appendendo appenderentur: id est, sollicite, studiose, a iusto et exacto iudice) *peccata mea, quibus iram* (Dei, vel dolorem meum et iram) *merui: et calamitas, quam patior*, (Sept. dolores. Pagn. contritio. Vatabl. afflictio) *in statera. Quasi arena maris* (quæ est humida, gravis, et pene infinita) *gravior appareret: unde et verba mea dolore sunt plena*. R. Levi, ac R. Mitridatus vertunt, corrupta sunt, perdita sunt. R. Moses, deleta sunt. Alii, præcipitata et absorpta sunt, id est, præcipitanter dicta ac festinanter: devorata sunt, id est, non ita apte et distincte prolata, sed intermixta singultibus, gemitibus, suspiriis, fletibus. Theodotio reddit: Sermones mei sunt intercisi. R. Mardochai, verba mea dissipata sunt, vel excisa.

III. Tertio, Christus in Cruce derelictum se esse conqueritur, ut ostendat non esse illicitum in magnis doloribus gemere, flere, suspirare, conqueri, remedium a Deo et hominibus poscere, et sic mœrorem, qui cor opprimit, levare, dummodo dicatur cum ipso. Matth. 26. 39. *Pater si possibile est, transeat* (Syr. prætereat) *a me calix iste* passionis instantis, ac mortis, ita ut illum non gustem) *verumtamen non sicut ego volo*, (voluntate naturali et efficaci,) *sed sicut tu*, secundum tuum decretum æternum de redemptione hominum per meam mortem. Arabs vertit, *Verumtamen non secundum voluntatem meam, sed secundum voluntatem tuam*. Et Lucas ait: Non mea voluntas, sed tua fiat. Lege S. Bern. serm. 20. in Cant. et S. Leon. serm. 7. de Pass.

IV Quarto, Christus queritur, ut infirmitates nostras assumens, eas nobis reddat leviores. S. Gregor. Naz. orat. 36. *Ad servos se demittit atque alienam formam suscipit, totum me simul cum infirmitatibus meis ferens, ut, quod deterius est, in seipso absumat et conficiat: non secus ac* χηρον πυρ, κ ως ατμιδα γης, ηλιος, *ceram ignis et terræ vaporem Sol, atque ipse ob huiusmodi coniunctionem, bonorum illius particeps fiam.*

V. Quinto, Christus queritur se derelictum, ut novum robur impetret. S. Laur. Iustin. tract. de triumphali Christi agone, ait: Christum his verbis novum robur virtutemque patiendi a Deo impetravisse, et ne tam cito extingueretur. Robur quidem impetratum esse arbitror, unde supra humanas vires clamorem magnum emisit moriens: sed puto mortis potius accelerationem quam prolongationem a Christo petitam esse, q. d. Quare me tamdiu in turmentis relinquis, nec cito pateris perfici redemptionem humanam? Et vero, cum ea verba, *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* protulerit hora nona, id est, tertia post meridiem, paulo post mortuus est. Dicebat Christus Luc. 12. 50. *Baptismo* (sanguinis mei) *habeo baptizari* (id est, sum baptizandus. Est Græcismus) *et quomodo coarctor* (angor, crucior, constringor, anxius et sollicitus sum) *usquedum perficiatur?* Arabs vertit: Et ego coarctor ad perficiendum. S. Iren. lib. 1. 18. legit. Et valde propero ad illud. Dixit etiam Christus Matth. 26. 39. *Transeat a me calix iste*, id est, cito patiar et moriar, ut esse sensum huius loci sibi ab ipso Christo revelatum dixit S. Catharina Senensis, sicut refert Ambrosius Catharinus in eius vita Italice scripta lib. 2. Alias explicationes non excludit. Potuit Christus petere mortem celerem, secundum spiritum: et eam refugere, secundum carnem.

Sexto, Christus relictum se queritur, ut mercedem tantæ obedientiæ cito impetret. Arnold. Carnot. tract. de verbis Domini. *Quod*, inquit, *derelictum se Filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur, nec diu beneficium differri tolerat.* VI.

Septimo, Christus relictum se esse conqueritur, ut prophetiæ implerentur, et dæmon deciperetur, qui, ut ait S. Athan. tract. de Passione, cum timeret esse Deum, iam fugam adornabat, sed his vocibus infirmitatis eum Christus revocavit ad pugnam. S. Epiph. eamdem rationem affert hæres. 69. *Ut princeps inferni et mors capere hominem volens per ignorantiam, in anima sancta ignorans deitatem, magis ipse infernus caperetur, et ipsa mors destrueretur.* VII.

Ex his confuta Calvini blasphemiam, qui ait hæc Christi verba, Deus Deus meus, quare me dereliquisti? fuisse desperantis. Debuisse enim eum omnem Dei iram peccatis nostris debitam experiri, ac per consequens damnatorum pœnas sentire, inter quas una est desperatio. Sed si Christus desperavit, peccavit gravissimo peccato, ergo iræ Dei non satisfecit, sed magis illam accendit. Deinde ex his ipsis verbis, *Deus Deus meus*, patet ipsum non desperasse, cum illum vocet Deum suum. Hebr. sunt efficaciora, *eli, eli*, id est, ut vertit Aquila, *fortis meus, fortis meus*. El enim et Deum et fortem significat: quomodo desperat, qui Deum fortem invocat? sic miles in prælio constitutus ducem suum in auxilium evocat, tunc cum vel acerrime et fortissime dimicat. S. Chrys. ait, has voces *Deus meus*, a Christo esse prolatas, ut ostenderet, usque ad extremum spiritum a se honorari Patrem, et non esse illi adversarium. Denique, quid magis fiduciæ plenum, quam hæ filiales voces, Luc. 23. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Id est animam meam et extremum alitum.

Calvini blasphemia.

Quæres tertio, Quo idiomate usus est Christus in cruce, verba illa proferens: *Deus Deus meus, quare me dereliquisti?* Ratio dubitandi est, quod Matth. 27. 46. verba hæc Christi fuisse ponat, *Eli, eli, Lamma sabacthani*. Marcus vero cap. 15. 34 *Eloi, eloi, Lamma sabacthani*. 17

Christus locutus est in cruce.

Dico primo, Nihil certi in hac quæstione esse, ideo coniecturis agendum est. Et quidem primo S. Epiphan. hæresi 69. censet prima illa verba, *Eli, eli*, esse Hebraica, alia vero, nempe *Lammo sabacthani*, esse Syriaca: ut inquit, honoraret etiam alias linguas, cum pro omnibus pateretur. Sed non videtur probabile brevissimam sententiam duplici idiomate prolatam esse. Secundo, S. Chrysostom. hom. 88. in Matth. opinatur Christum usum esse tantum lingua hebraica. Sed repugnat *Sabacthani*, quod est mere Syriacum. Nam in hebræo est עזבתני *ozabtani*, dereliquisti me, a rad. *azab*, relinquere. Chald. vero et Syriacum est שבק *scebak*, id est, relinquere, dimittere: et hæc vox nunc habetur in textu Syr. et Chaldaico.

Partim Hebr. partim Syriace.

Vel omnino hebraice.

Dico igitur secundo, mihi probabilius videri, quod Christus locutus est lingua Syriaca: tunc enim erat in usu vulgari, et inceperat post reditum a captivitate Babylonica, ex permixtione linguæ Hebraicæ, Chaldaicæ et Græcæ. Et arbitror verba S. Matthæi et Marci esse Syriaca. Licet enim aliqua sint etiam hebraica, nihil vetat esse etiam Syriaca. Cum ab Attica dialecto, velut a fonte, Dorica, Æolica et Ionica deriventur, in multis vocibus conveniunt. Sic etiam a Latina lingua, velut matrice, oriuntur Gallica, Italica, Hispanica, et multa habent conformia. Ita Hebraicum idioma, cum sit velut origo Chaldæi, Syri, et Arabici, voces multas similes illis reliquit.

Verius omnino Syriace.

Quin vox *Lammo*, id est quare, sit etiam Syriaca, vix

dubitari potest, cum tam a Matthæo quam a Marco usurpetur. De voce *eli* multum etiam non dubitandum, cum in textu Syriaco S. Matthæi sit אירָאיל. Quod interpres recentior legit *il, il*, cum kirick: mallem cum sere legere *el, el:* sic addito affixo erit, *eli*, id est, Deus meus: quæ vox est etiam hebraica.

Patres porro cum hebraice locutum esse Christum voluerunt, fortasse Hebræum Syrumque idioma confuderunt, et utrumque hebraicum vocarunt: sicut nunc eos, qui idiotismo græcanico corrupto loquuntur Constantinopoli, græce loqui dicimus. In eam mentem iisse arbitror eos, qui S. Matthæum dixerunt hebraica Evangelium conscripsisse. Nam Christi tempore Syriaca lingua vigebat, at ea populus loquebatur universus in Iudæa. Pari iure et loquendi modo characterem hebraicum esse dicimus eum, quo nunc sacra biblia scribuntur, licet sit character Chaldaicus: obliteratus est enim et oblivione sepultus priscus hebræus character, a tempore quo per Nabuchodonosor capta est Ierusalem, templum excisum, populus in Babylonem captivus ductus. Nam cum prisca Hebræorum scribendi ratio plus difficultatis haberet quam Chaldæorum, faciliorem secuti sunt ipsi Hebræi, ut docet Masius in tractatu de lingua Syriaca. Alii tamen probabiliter id negant.

Quæres quarto, An Christus dixerit, *Eli, eli*, sicut Matthæus refert: an vero, *Eloi, eloi*, ut Marcus. Resp. hoc incertum esse. Primo, censet Salmeron Christum ea verba protulisse, quæ habet Marcus. Secundo tamen, probabilius quis dixerit iis esse usum, quæ Matthæus retulit. Cum audientes eas voces exclamarint, *Eliam vocat iste:* sive fuerint Romani milites idiotismi hebraici nescii, ut placet S. Hieronymo: sive potius Hebræi, qui ex malitia cavillationis ansam captabant, ut Salmeroni. Adde quod, cum Matthæus in Iudæa scriberet, statimque a morte Christi, credibile est illum magis se ad ipsa Christi verba astrinxisse, quam alium, qui remotis populis scriberet, quique Christum ipsum in Cruce loquentem non audivissent. Dices, Christus ea verba protulit, quæ David scripsit. Respond. ad illa magis accedere ea, quæ Matthæus refert: Differunt enim in sola voce *sabacthani*, quam Christus dixit, et corrupte legitur ab aliquibus *sabathani*: in hebræo autem textu psalmi est *azabthani*, ut dixi.

ARTICULUS II.

Quanta clamore in Christum irruerunt totius mundi peccata.

18 Cum amicabili querela Patri æterno se filius sisteret, ab eoque postularet, quid causæ esset, cur surda eius postulatis essent omnia, ac veluti piacularis victima faucibus ferarum obiectus earum furori relinqueretur, sibi

Vers. 2. 2 Pars ipsi veram causam proponit, v. 2. LONGE A SALUTE MEA VERBA DELICTORUM MEORUM, supple sunt, q. d. Quæro, cur a Deo et Patre dereiinquar in tot angoribus et tormentis, una causa sunt delicta mea, id est, pro quibus me vadem et sponsorem obtuli: nempe peccata omnium prorsus hominum.

Nota primo, Aliqui hæc legunt cum interrogatione. *Longe a salute mea verba delictorum meorum?* q. d. hoc esse non potest, quia sum sine peccato et minimo delicto. Alii cum Valentia annectunt superioribus verbis, ita ut dicatur: *Quare me dereliquisti longe a salute mea?* Sed licet S. August. eam admittat distinctionem, tamen et nostram quoque affert, et illa non est in Septuag. interpretibus, nec in S. Hieron. aut ullo antiquo interprete, et *verba delictorum meorum*, vix habebunt ullum sensum. Itaque standum est in vulgata lectione, quæ non est difficilis, ut patebit.

Nota secundo, pro *delictorum meorum* Heb. est שאגתי *sciaagati*, id est, rugitus mei, ut vertit S. Hieron. Pagn. Felix, Arias, Muisius; clamoris mei, ut Chald. 2. orationis meæ; cum clamore scilicet factæ, ut VI. editio. Est metonymia; 3. Septuag. vertunt, παραπτωμάτων, id est delictorum. Petavius, ἀμπλακιῶν, id est, peccatorum. Pagn. criminum. Cum *sciaaga* proprie significet rugitum Leonis, putat Genebrardus per metathesim poeticam hoc nomen positum esse pro *sciagga*, quod significat peccatum per ignorantiam factum. Secundo, Bellarm. censet Septuag. legisse non *sciaagati*, ut nunc habetur: sed שאגתי *sciagaati*, hoc est, peccatum meum: vel שגיותי *sceghiotai*, id est, delicta mea, a rad. שגה *sciaga*, id est, errare, ignorare, per ignorantiam peccare. Tertio arbitrur Septuag. legisse sicut nunc legimus, nempe *sciaagati*, id est, rugitus mei: vertisse tamen παραπτωμάτων, id est, peccatorum, quod scirent ibi symbolice per rugitum Leonum, intelligi peccata clamantia hominum, quorum tantus esset clamor, ut vocem orationis suæ superarent, et Patri amantissimo aures pietatis et misericordiæ occluderent, ad quod non satis fuissent levia peccata et per ignorantiam commissa, quæ significat *sciagga*, et *sceghioth*. Itaque nihil est mutandum, cum sensus sit nervosior et augustior servata nostra lectione hebraica. Ad quod intelligendum.

Quæres primo, An sit aliquis peccatorum clamor, et quotuplex? Resp. Triplicem esse peccatorum clamorem. Primo enim ad Deum clamant velut ad iudicem. Secundo, clamant ad peccatorem, velut reum. Tertio, ad alios homines clamant, velut ad testes et ultores. 19. Peccatorum clamor est triplex.

Ac primo, Deum, velut iudicem et vindicem, ferit peccati clamor, ut vindictam poscit, priusquam sceleratus ab ebrietate evigilaverit, et vulnus suum senserit. S. Greg. lib. 5. Mor. 7. *Omnis*, inquit, *iniquitas apud secreta Dei iudicia habet voces suas*. Quatuor tamen præsertim peccata clamantia reperio. Primo, homicidium voluntarium innocentis, qui clamor notatur maxime Genes. 4. 10. ubi Deus Caino loquens ait, *Vox sanguinis* (Heb. *sanguinum*, ad emphasim Hebræi vocant homicidium effusionem sanguinum) *clamat ad me de terra*, fertur in agro Damasceno iuxta Hebron occisus Abel, ibi enim habitasse putatur Adam. Hinc dicta Damascus, q. d. sanguinis saccus. S. Ambros. lib. 2. de Cain et Abel, cap. 9. *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat. Hoc innocentia et gratia germanitatis etiam in ipsa morte servat. Non accusat frater, ne videatur parricida: sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater, accusat.* Nulla erat gutta sanguinis, quæ ipsum non accusaret: ideo dicitur vox sanguinum in Hebræo, q. d. reatus parricidii tui ob fusum sanguinem te accusat. Secundo, peccatum clamans, est peccatum contra naturam. Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ* (id est, peccatorum ibi commissorum publice et impudenter) *multiplicatus est, et peccatum* (libidinis præposteræ) *eorum aggravatum est nimis*. Vel, peccatum, id est, peccata, quæ enumerantur Ezech. 16. 49. nempe otium, gula, superbia, inhospitalitas, crudelitas, Dei contemptus. Tertio, peccatum clamans est oppressio pauperum, viduarum et pupillorum. Exod. 3. v. 9. *Clamor ergo* (ibi non est vox causalis, sed expletiva) *filiorum Israel venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur*. Cap. vero 22. v. 22. et seqq. præcipit Deus ipse Israelitis. *Viduæ et pupillo non nocebitis; si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli.* Quarto denique, peccatum clamans est retentio mercedis operariorum. Iacobi 5. v. 4. divitum crudelitas contra pauperes sic reprehenditur. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat, et clamor eorum in aures domini Sabaoth introivit.* Ibi et in superioribus in voce *clamat*, aut *clamor* est catachresis et prosopopeia: datur enim persona sceleribus ad clamandum, perinde quasi essent homines. I. In Deum.

Nota, cum clamor ille sit a propria conscientia, et ad iudicem præsentem, nullus est excusationi aut evasioni locus. S. August. in Ps. 57. *Iudicis tribunal est in mente tua, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor.* Paulo aliter hæc ordinat S. Bern. serm. de villico

iniquitatis. *Conscientia ipsa*, inquit, *est accusatrix*, *memoria testis*, *ratio iudex*, *timor carnifex*. *Quod enim conscientia accusat*, *memoria testificatur*; *et quod ratio iudicat*, *timor excruciat*.

20. II. *In animam ipsius peccatoris.* Secundo, Clamat peccatum in anima ipsa, velut fera in sylva prædam videns et dilanians: velut miles in urbe capta, quam diripit, incendit et evertit: velut carnifex in reum irruens, quem tenet, versat, torquet, urit, strangulat, disrumpit, dissecat. Unde fit, ut sceleratus stupore defixus infelicis animæ strages videre cogatur, neque ullam quietis partem capiat. Hinc superbia, leonino fastu irregit: avaritia, ad modum lupi ululat: luxuria ut ranæ et bufones Ægypti, coaxat: ira tigridis rabie ferocit: invidia draconis sibilo inhorrescit: gula porcorum instar adgrunnit: pigritia ingrato asini ruditu aures verberat. Nonne hæc dirissima est carnificina, cum innumera se monstra cornibus, unguibus, dentibus, veneno, armisque omnibus a furore et rabie dotis, intra sceleratam animam impetant, et prædæ partem, ex infelici anima atque eius potentiis, sibi rapere singula contendant, eamque in omnem partem agitent, disiiciant, convellant, discerpant.

Hæ sunt furiæ, quæ lugi boatu infremant; hæ faces, quæ doloris flammis cor scelestum exurant. Id Tullius lib. 1. de legib. declaret, eum ait: *Furiæ agitant et insectantur impios: non ardentibus tædis sicut in fabulis: sed angore conscientiæ, fraudis cruciatu.* Abditos licet se in speluncarum angulos impius receptet, densa in caligine terribiles visu formæ, sicut Ægyptiis in nocte illa terrifica, occursant, quæ sontes territent. Latronum oculis semper iudex et lictores ac satellites obversantur: creditores videre se perpetuo putat debitor, et bona sua ab iis sibi eripi. S. Ambros. in Ps. 35. *Semper*, inquit, *nobis error noster*, *tamquam malus exactor*, *occurrit: tamquam improbus fænerator conveniens debitorem*, ut eum ducat in vincula, itaque in continuo timore et dolore atque captivitate vivit. S. Gregor. lib. 9. epist. 39. *Etsi*, inquit, *omnes vituperent*, *liber est*, *quem conscientia non accusat. Quem si omnes laudent*, *liber esse non potest*, *si hunc conscientia accusat*.

Angermanniæ gurges sono lethifer. Mirum est, quod refert Olaus Magnus Archiep. Upsalensis, Svetiæ et Gothiæ Primas lib. 2. hist. de gent. Septentr. cap. 4. In provincia scilicet Angermannia montes esse perpetuis tectos nivibus, quorum in basi gurges est, in quo tantus *et tam horrendus fit sonitus* ex fluctuum collisione, ut nisi nautæ præcipiti remigio aut valido vento cito evaserint, solo pavore fere exanimes fiant, multoque dierum curriculo ob capitis turbationem pristinæ mentis sanitatisque compotes vix evadant. Cuius causam aliquando investigare curiosius, quam securius, improba iuventus aggressa; illico oppletis aqua navigiis ex superioribus rimis ac ventorum strepitu cum admiratione vitam amisit. Hic est peccati gurges, ad quem, qui accesserit, ob immanem conscientiæ clamorem exanimis perit aut stupidus hæret. Sed plerisque hoc accidit, quod prope Nili cataractas manentibus, ut surdi fiant, deinde pro nihilo ducant.

Neronis terrores panici. Clamorem hunc scelerum optime indicant ea, quæ Neroni post matris cædem contigisse refert Xiphilinus. *Nero*, ait, *nocturno tempore tanto metu conturbabatur*, *ut de lecto repente prosiliret. Interdiu perterrefaciebant eum tubicines auditi bellicum canere cum maximo tumultu*, *ex eo loco*, *in quo Agrippinæ ossa sepulta erant*, *quamobrem alio migrabat. Cumque ibi idipsum ei accideret*, *territus alio proficiscebatur*. *Et Herodis Ascalonitæ.* De Herodis terroribus post cædem Mariamnes uxoris suæ vide Iosephum lib. 5. antiq. cap. 11. Lege etiam, quæ dixi de timore impiorum, in illud Ps. 13. v. 5. *Illic trepidaverunt timore*, *ubi non erat timor*, id est res timenda. Est metonymia, in qua ponitur actus pro obiectu.

21. III. *In proximum.* Tertio, clamat peccatum, ita ut foris audiatur a proximo. Nam instar dæmonis e tripoda reddit oracula, et stridulo clamore immurmurat. Primo docendo prava. Vide dicta Ps. 1. v. 1. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*. Secundo, occidendo per peccati imitationem. Avicenna 4. cap. ait: basiliscum non solum interficere visu, sed etiam sibilo, si illum extollat: nec solum ille moritur, qui sibilum eius audit, sed etiam omnes, qui ad illum appropinquant mortuum, moriuntur. Tertio, impudenter et publice actus sceleratos faciendo. Peccatum enim cum clamore est peccatum cum magna licentia et libertate factum, sine ullo pudoris fræno. Hoc sentit S. Gregor. in illud Psal. 31. 3. *Quoniam tacui*, *inveteraverunt ossa mea*, *dum clamarem tota die*. Sic enim hoc explicat. *Cum clamare et tacere inter se repugnent*, *quomodo potest fieri*, *ut aliquis taceat et clamet*, *qui peccato quidem præterito per confessionem non annunciat*, *et per cor impœnitens alio committere accepto peccandi libertate non cessat. Peccatum quippe cum voce*, *culpa est cum actione. Peccatum cum clamore*, *est culpa cum libertate*. Quarto, peccator fit intolerabilis in conversatione. Isaiæ 16. 7. *Ululabit Moab ad Moab* (unus vir ad alium unum, et una civitas ad aliam) *universus ululabit*. Ierem. 51. v. 54. *Vox clamoris de Babylone* (supple orietur. Babylon est anima confusione peccatorum plena) *et contritio magna de terra Chaldæorum*. Heb. Chaldæi vocantur כשדים *casdim*, id est, quasi dæmones. Anima in peccando obstinata et impudens est dæmon infrendens et reboans averni tuba et fragore. Et cap. 48. *Vox clamoris de Oronaim* (erat urbs Moab) *vastitas et contritio magna*. Oronaim significat Hebraice ardores, siccitates, incendia, ariditates, a voce חרר *charar*, ardere, siccari, incendere, arefieri. Secundo, significat iras, excandescentiam, furorem, a rad. חרה *chara*, irasci, excandescere, furore inflammari. Tertio, significat libertates, a rad. Chald. et Syr. חרר *choror*, ardere, arescere, exuri, liberum esse vel efficere, libertate donare. Cum peccatum quod antea clausum silebat, irritatur et agitatur, tunc data sibi libertate, per iram et furorem omnia terroribus complet. Hoc non absurde explicari potest per id, quod narrat Olaus Magnus lib. 11. cap. 4. Nam refert specum subterraneum esse prope Viborgum littoralem Finlandiæ urbem, eius secretæ virtutis, ut animali vivo in ipsam proiecto, *tam horribilis sonus excitetur*, *ut prope positos suffocet:* et ne audire quidem, aut loqui, vel stare possint: qua vi multo plures quam vehementissima bombarda interimit, aut debilitat in momento. Unde irruentibus hostibus sibi cera aures occludunt, et antris se occultant, et terræ præfectus animal aliquod vel haste, vel fune præcipitat in os speluncæ. Unde tantus oritur sonitus, ut hostes in circuitu positos prosternat, qui facile obtruncari possunt. Id autem magicis artibus fieri satis ostendit cap. 5. Hic specus a prudenti viro semper servatur, intra plures muros positus. Si hoc unquam verum fuit, planum est a dæmonibus sonum illum exitialem exciteri solitum fuisse, accepto, velut in oblationem et sacrificium sibi facto, illo animali quod in speluncam deiiciebatur. Specus infernalis est peccatum mortiferum, vel anima eo infecta, ibi dæmones dominantur, et facta sibi potestate ac libertate erumpunt, et omnes obvios prosternunt.

Quæres secundo, An et quomodo peccatorum clamor in Christum insurrexerit? Respondeo primo, Certum esse, Christum fuisse ab omni labe purissimum, cuius rei vel infensissimos sibi hostes in testes accepit, eorum se calumniis sponte obiiciens. Ioan. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* et tanta fuit innocentia eius, ut licet furerent, et eum Samaritanum ac dæmoniacum appellarent, peccatum tamen nullum obiecerint. Neque enim Soli affundi possunt tenebræ, neque igni frigus, neque Christo scelerum tenebræ ac gelu. Si Christum aspexeris, deitatis radios, et lucis omnis fontem atque scaturiginem advertes, cuius sit proprium nulla labecula posse aspergi, aut sibi unitam voluntatem pati coinquinari. Nam, ut ait Philo tract. de profugis, το μηδεν αμαρτανειν, ιδιον θεου; το δε μετανοειν σοφου. *Non peccare*, *Deo proprium est: sapienti autem*, *pœnitere*. De Deo non male dixeris, mortuum esse, corona spinea transfixum, clavis trabalibus fossum, discissum scuticis, sputis illitum, ob duarum naturarum in divina persona unionem: quod au- 22. *Clamor peccatorum in Christum.* *Non propriorum, cum omnibus careret.*

tem vel venialiter peccaverit, Deo siue impietate tribui A non potest. Si Cbristi bumanitatem spectas, argentea et candicans est Luna et Sol purissimus. De ea dicitur Cantic. 6. v. 9. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Et Isaias aperte dicit cap. 53. v. 9. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius*, q. d. neque opere neque verbis peccavit. Ad illum locum allusit S. Petrus 1. Epistola 2. 22. et S. Ioan. 1. Epist. 3. 4. Eum alloquens S. Ambros. in Ps. 40. v. 13. *Inter peccatores,* inquit, *versatus es, omnium peccata suscepisti, peccatum pro omnibus factus es, sed nullus usus ad te potuit transire peccati. Ita inter homines versatus es, quasi inter Angelos versareris. Fecisti terram esse, quod cælum est: ut et ibi peccatum tolleres.*

Sed totius mundi. Respondeo secundo, Peccata nostra, quibus veluti vestitus erat Cbristus, sicut Iacob vestibus hispidis Esau, contra ipsum clamant, et eum efficiunt victimam piacularem iræ Dei. Ideo dicit: *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, id est, ut supra dixi, pro quibus me vadem, sponsorem ac debitorem iustitiæ Dei obtuli. Sic sua B etiam vocat Ps. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ* (hominum iniquitates præteritæ, præsentes et futuræ circulum fecerunt, in quo inclusus sum) *et non potui, ut viderem.* (S. Hieron. vertit, non potui videre) *Multiplicatæ sunt super capillos* (plusquam capilli) *capitis mei: et cor meum* (pater meus meo mihi corde carior, et qui me tenero amore prosequitur) *dereliquit me.* Cor meum dolore plenum, me etiam reliquit in tormentis sine solatio, cordis deliquium patior. Sic Ps. 68. 6. peccata hominum vocat insipientiam suam et delicta sua. Illis enim oneravit Deus Pater, ut Abraham Isaacum lignis comburendis in monte Moria, Isaiæ 53. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: Nota, *in eo*, intra cor eius, quid mirum, si tristis erat anima eius usque ad mortem, et cor eius eum relinquebat, et a seipso quodammodo exibat? Hebr. הִפְגִּיעַ *hiphghia*, vertit Arias, fecit occurrere (Pagn. pervenire) in eum, velut militem armatum et audacem; 2. Vatablus, coniecit, velut massam plumbeam et onus Baby- C lonis importabile; 3. Forerius, irruere fecit. Veluti feram rabidam. Septuag. reddunt, Dominus tradidit eum iniquitatibus nostris. Veluti lobum dæmonibus affligendum et conterendum Ioan. 1. 29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit* (id est, portat; 2. aufert) *peccatum mundi*, tam quoad reatum culpæ, quam quoad reatum pœnæ.

23. Fuit victima piacularis. Christus fuit victima pro peccatis totius mundi 2. Cor. 5. 21. *Eum, qui non noverat* (per experientiam) *peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est, hostiam pro peccato. Quia enim victimæ piaculari omnia peccata eum offerentis ascribebantur, ideo ab Hebræis vocabatur חטאת *chattat*, id est, peccatum, ut Levit. 4. 3. et 7. 37. et Ieremiæ 17. 3. Ezech. 45. 19. et 23. Testabantur autem se imprecari omnia sua scelera victimæ, imponendo illi manus. Theodoretus quæst. 1. in Levit. *Qui*, ait, *victimam offerebat, imponebat manus super caput eius, tamquam suas operationes (per manus enim denotantur actiones) pro quibus equidem hostiam offerebat.* Galat. 3. v. 13. ait idem D Apostolus: *Christus factus est pro nobis maledictum.* Gr. κατάρα, id est, maledictio, execratio: quia scriptum est Deuter. 21. 23. maledictus omnis, qui pendet in ligno.

Figurata in hirco emissario Iudæorum. Hæc translatio peccatorum nostrorum in Cbristum figurata est, in translatione peccatorum populi Israel in hircum emissarium (id est, qui die 17. mensis, in quo fiebat festum expiationis generalis peccatorum sacerdotum et populi) emittebatur in desertum a feris discerpendus, ut supra attigi, et præcipitur Lev. 16. 21. *Tunc offerat hircum viventem, et posita utraque manu super caput eius, confiteatur* (Pontifex) *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum, quæ imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum* (Heb. per manum viri temporis, id est certo tempore præparati) *in desertum.* Ubi adverte, universa multitudo filiorum Israel per aliquot delegatos offerebat Pontifici Iudæorum duos hircos pro peccato suo: super illos autem ita sors mittebatur, ut duas v. g. chartulas Pontifex acciperet, quarum alteri Dei nomen inscriberet, alteri nomen capri emissarii: utramque deinde vel in urna sinuve absconderet, vel simul misceret: unamque inde educeret, atque illam hircorum alteri, alteri vero aliam imponeret. Hircus porro, cui chartula nomine Dei inscripta obtigerat, Deo pro populi sceleribus immolabatur: alter vero hircus, cui capri emissarii chartula obvenerat, in desertum mittebatur.

Abulensis censet a sacerdote privatarum personarum peccata fuisse declarata, præsertim quæ a tota communitate facta fuerant, magisque eminebant: moxque additis clausulis generalibus de peccatis, confessionem absolvisse. Sed ad rem nostram, Origenes censet per hircum, qui immolabatur, Christum pro humani generis noxis cæsum designari: per emissarium vero hircum, denotari Barabbam. S. Cyrillus vero putat, Cbristum quidem per primum hircum figurari: per alterum vero genus humanum, quod per Christi mortem manumissum est. Hesychius denique in hirco mactato humanitatem eiusdem Sal- B vatoris agnoscit: in emisso autem, divinitatem eius: quæ nihil passa est. Verius arbitretur quis per utrumque hircum denotari Christum pro nobis patientem, nostrisque onustum flagitiis, qui et a Iudæis sacerdotibus et doctoribus, et a Gentilibus efferatis, mactatus est atque discerptus.

Ritum hunc offerendi victimam piacularem pro peccatis populi variæ nationes imitatæ sunt. 24. Victimæ piaculares Gentilium. Primo, pro illis offerendo pecudes. Herodot. lib. 2. de Ægyptiis tradit, ab eorum sacrificulis pecudem, quæ piamentum assumebatur, explorari solitam, num quem pilum subnigrum toto corpore occultaret, aut aliquo vitio in lingua laboraret. Postquam mundum iudicavere animal, accensa pyra vi- Partim pecudes. noque supra victimam fuso illam mactant, caputque amputant. In hoc caput sacrificuli multa imprecari soliti, antequam illud vel in foro Græcis venundent, vel in flumen abiiciant. Execrantur autem caput in eiusmodi verba, ut, si quid mali aut ipsis immolantibus, aut universæ Ægy- C pto futurum sit, id in caput hoc convertatur. Secundo, pro victima illa varii populi homines ipsos immolabant idolis suis. Græci quidem sic devotos miseros vocabant καθάρματα, ut ait Budæus, in comment. ling. Græcæ pag. 278. eosque Neptuno sacrificabant, veluti totius urbis maculas execrabiles, atque in mare abiiciebant fluctibus hauriendos. Partim homines. Massilienses vero, cum peste afflata civitas periclitaretur, unum e proletariis ac pauperculis sese ultro offerentem anno integro publicis lautissimisque cibis saginabant, verbenis deinde vestibusque sacris ornatum per urbem circumducebant, et execrationibus onerabant, ut in eum omnia civitatis mala inciderent: sicque devotum diris aut mactabant, aut in mare præcipitabant. Duces aliqui et Reges nonnumquam sponte se pro exercitu et gente sua devovebant, ut Codrus Rex Atheniensium, Decii pater et filius, aliique inter Romanos. Sic autem devotis pereundum erat vel manu hostium vel suorum: licebat enim singulis eos occidere, ut docet Macrobius.

Christus ipse se pro nobis maledictum fecit, ut eius ex- D emplo disceremus, nos invicem iuvare, et mala nostra patienter tolerare. Tertull. lib. de patientia, c. 8. *Dominus ipse,* inquit *maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur* 25. Amor Zaleuci erga filium. *patienter, ut benedicti esse possimus.* Zaleucus pro filio adulterii reo alterum sibi effodi oculum passus est: alterum filio, ut et legibus sua vis esset, et amori paterno faceret satis. Cum Antiphilus quidam, sicut ait Lucianus in Toxari, in Ægypto furti suspectus in carcerem coniectus, ferratisque cippis arctatus acerbissima pateretur: Deme- Demetrii erga amicum. trius illius amicus sceleris se illius participem finxit, ut in idem ergastulum compingeretur, eademque in catena bicipiti vinciretur; sed ubi ea vis amoris innotuit, ambo liberi dimissi sunt. Ita Lucian. sed incertum est, an ea, quæ narrat in eo dialogo, sint vera an fictitia. Certius est quod memorat Cæsar lib. 3. de bello Gallico, apud Aquitanos fuisse quosdam Soldurios dictos, quorum hæc esset Soldiriorum in Gallia. conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his frue-

rentur, quorum se amicitiæ dedissent, si quid iis per vim accideret, aut eumdem easum una ferrent, aut sibi mortem consciscerent. Neque adhue repertum quemquam fuisse, qui eo interfecto, cuius se amicitiæ devovisset, mori recusarit. Idem ferme refert de Ægyptiis Piutarchus in Autonio. De Contabris, Strabo l. 3. De Æthiopibus, Diodorus Sieulus lib. 4. cap. 1. Sed bis omuibus eminentior fuit Christi erga nos charitas, qui cum nullius affinis culpæ out esset, aut esse posset: nullius rei indigus, quam illi suppeditare possemus, pro nobis tot difficultates exsorbere, tot soppiicia perpeti voluit. Primo, est amicus noster. Ioan. 15. 15. *Vos autem dixi amicos.* Itaque Demetrio, ot Soldnriis fidelior. Secundo, est pater, ideo Zaleuco fortior, omnia enim dedit, et vitam ipsam. Tortio est Rex, ideo Cudris generosior.

ARTICULUS III.

Quanto clamore et quom efficoci in hostes suos irruit Christus in cruce pugnons.

26 Articulo præcedente dixerat Christus in se cum clamore irruisse peccata et delicta sua, id est, suorum: nempo hominum, pro quibus satisfaciebat: nune se quoque in illa, et alios hostes pugnantem clamavisse asserit, vers.

Vers. 3. 3. Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, (Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 13. legit contrario sensu, et Exaudies. Euseb. 10. demonst. 8. *Et non exaudies*; cum interrogotione, id est, nonne exaudies?) et nocte (clamabo) et non ad insipientiam mihi. Supple erit: vel, reputabitur, q. d. licet die ac nocte clamem et contentissima voce orem, neque tamen exoudiar visibiliter, id est, ita ut adstantes et me audientes possint videre me exauditum esse: hoc tamen mihi non reputabitur od insipientiam, q. d. non ideo ero insipiens, nec vano et inania erit oratio. Primo, id feci, quod focere debui: nempe in afflictissimis rebus recurri filius ad Patrem, creatura ad creatorem. Secundo, exemplum dedi patientiæ, æquonimitotis, conformitatis cum Dei voluntate, et perseverantiæ in oratione et afflictione, omnibus venturis sæculis. Tertio, licet, norim mo non esse exaudiendum, ut non moriar et potiar: scio tamen ita me esse exaudiendum, ut genus humanum per meam mortem et sanguinem redimatur: et corpus non diu remoneat in sepulero, sed resurgat ad vitam immortalem cum dotibus claritatis, subtilitatis, agilitotis, et impassibilitatis, quæ est principalis intentio orationis meæ: alia intentio secundum sensualitatom, est tantum simplex affectus inefficax et velleitas: unde dixi, Motth. 26. 39. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

27. Nota, pro, *insipientiom*, in Hebr. est דומיה *dumia*, id est, primo, silentium. Secundo, succisio, excisio: sive deducas a rad. *dum*, sive a rad. *doma*: utraque enim significot silere, excidere, *succidere*. Ideo varii varie vertunt. Primo, S. Hieronym. Chald. Felix, Vatabl. Paguin. et alii: *Nec est silentium mihi*, q. d. nemo audit meam orationem, non fit silentium, ut percipiatur oratio mea; clamo die ac nocte, et tamen ita obstrepit mihi clamor peccatorum meorum, ut clamanti mihi aures quietæ et attentæ non præbeantur, sed semper sit tumultus et fragor scelerum, qui impediat, ne audiar, et responsum favorabile recipiam: id sensisse videtur Syrus cum vertit: *Nec respondes mihi.* Cum enim Rex, iudex, nobilis audit supplicem pauperem ad se accurrentem et opem implorantem, iubet omnes silere, aut omnes sponte silent, ut possit pauper audiri: quod si tumultus durare permittatur, censetur reiici. Est itaque metalepsis, quia silentium antecedens punitur pro exauditione consequente, q. d. tu me non exaudis; 2. tamen contrario sensu explicat Bellarmin. q. d. clamabo de nocte, et tune non silebis, sicut siluisti ad clamorem diurnum: sed respondebis mihi, ac per hoc exaudies me. Et quia τo, *non exaudies*, potest etiam reddi, non respondebis, utrumque enim significat verbum ענה *hanar* clarissime verti potuisset versiculus in hunc modum, *Clamabo per diem, et non respondebis mihi: clamabo per noctem, et tunc respondebis mihi.* Ita ipse.

Secundo, aliam significationem τῃ *dumia*, sequentes Sept. verterunt, και ου εις ανοιαν εμοι, id est, non ad insipientiam mihi, ut Noster vertit. Nam insipientia est velut excisio et ablatio rationis, et stupor mentis. Arabs reddit, *et non fuit a me stultitia*, q. d. non fui stultus, quod oraverim, licet nossem me non omni modo esse exoudiendum. Petavius, nequo tamen vereor, no quis me huius gratia, φρενος πλεον, mente coptum esse dicat. Tertull. 4. contra Marcion. eap. 13. legit, *non in vanitatem mihi*, id est, non frustra, non in vanum, non sine fructu.

Quæres primo, Quare Christus orans clamavit? Resp. 28.
1. Constat Christum orantem clamavisse Matt. 27. 46. *Et circa horam nonam*, (id est, tertiam post meridiem) *clamavit Iesus voce magna dicens, Eli, eli, lamma sabbacthani: id est, Deus Deus meus, quare me dereliquisti.* Et Marcion. 15. 34. dicitur exclamovisse, ubi refertur eadem oratio. Et S. Paulus Hebr. 5. 7. ait: *Qui in diebus carnis suæ* (cum in carne mortali et fragili inter homines ageret) *preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens.* S. Thomas, et Œcumenius agi volunt de oratione Christi in horto; 2. S. Ambrosius, non minus probabiliter opinatur agi de oratione in cruce, tum ea, quam expendimus; nempe, *Deus, Deus meus quare me dereliquisti*; tum ultima: nempe, *Pater in manus tuas commendo* (velut depositum sacrum, quod mihi custodias, et postea restituas. Arabs vertit, pono. Tertull. contra Praxeam. cap. 25. depono) *Spiritum meum*, id est animam cum halitu meo, Luc. 23. 46. In utraque enim oratione pendentem in Cruce Christum clamovisse tradunt Evangelistæ. De oratione in horto non ita exprimunt. Probabile tamen est eum etiam tunc cum clamore dixisse illud Matth. 26. 39. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, id est, ista passio. Hoc persuadet magnus angor ortus ex vehementi desiderio naturali mortem et cruciatus passionis evitandi.

Christus orans clamat ob septem rationes.

Respond. 2. Clamavit Christus orans. Primo, ut ostenderet se vere pati, et non per phantasmata, ut ait Euthymius, et Theophylactus, qui sic loquitur: *Ut vere se hominem esse ostenderet, et non secundum imaginationem. Homo enim naturalem habet vivendi cupiditatem, φιλοζωος ων, cum sit vitæ amans.* Nota tamen, non fuisse Christum ad illum clamorem incitatum præ doloris vehementia, ut impie ait Calvinus, sed ad nostram instructionem. Scio Valentinianum Seniorem Imp. tanta ira excanduisse, quod Sauromatæ et Quadi populi vili, deformi et contemptibili forma Rom. imperium invadere ausi essent, atque armis impetere, ut præ clamore disruptis venis sit mortuus anno Christi 375. ut ait Baronius et alii. Scio tradi a Sereno Hortensium contentiori voce clamantem in agenda causa esse extinctum: sed novi etiam motuum suorum supremum dominium habuisse Christum, et habenas illis ad libitum laxavisse. Si Lacedæmoniorum pueri ad mortem usque virgis prope aram cæsi ne ingemiscebant quidem, erit, qui putet hominem Deum desperavisse in mediis tormentis? Apagesis has blasphemias et deliria.

I. Ut se passibilem ostendat.

Secundo, Christus orans clamavit, ut omnes qui aderant, et vocem eius audiebant, intelligerent eum esse Messiam, id est regem illum excellentem et a Deo unctum, de quo totus Psalmus esset intelligendus, ut censet Maldonatus: et qui deberet mori pro redemptione humana, ut ait S. Leo serm. 17. de Passion. *non per miseriam sed per misericordiam; nec amissione auxilii, sed definitione moriendi.* Cum enim ait, *Deus meus*, quis dubitat, quin habens Deum pro se et in se, ab eo potuerit impetrare non modo duodecim legiones Angelorum (id est 72. millia, si legio continebat sex millia, ut ait Vegetius l. 2. c. 2. vel 150. millia, si legio continebat duodecim millia et quingentos) sed etiam omnes omnino, quæ sunt in paradiso et toto mundo?

II. Ut psalmus hic de ipso esse cognoscatur.

Tertio, Christus clamavit orans, ut ostenderet se esse Deum, et supra humanas vires agere, qui in tantis Cru-

III. Ut vires divinas exerat.

cis tormentis, et tam multo fuso sanguine posset adhuc forti et generosa voce clamare. Et quidem Marc. 15. 36. *Videns autem Centurio* (dux qui sub se habebat centum milites) *qui ex adverso* (e regione, vultum habens Christo obversum) *stabat* (eum considerans) *quia sic clamans* (dicendo scilicet, Pater in manus, etc.) *expirasset, ait: vere hic homo Filius Dei erat.* Morientes enim et mortem timentes vox deficit, spiritibus, qui restant, ad cor concurrentibus, et linguam relinquentibus.

IV. Ut mysteria cognoscantur. Quarto, Christus orans clamavit, ut in tota sua passione, cruce et morte declararet esse magna mysteria, quæ quilibet attente considerare deberet, ut ait Origenes.

V. Ut orationis ardor pateat. Quinto, ut orationis vehementiam indicaret, et res magnas se petere ostenderet. S. Basil. in Ps. 29. *Clamor est eius tantum, qui* μεγαλα και επουρανια, *magna et cælestia, desiderat. Si quis autem parva et terrena a Deo petierit,* μικρα και ταπεινη φωνη, *parva et humili voce usus comperietur, non ad sublime, nec ad ipsius Dei aures perveniente.* Vide Persium et Lucianum, qui vota illa occulta et inania hæreditates petentium a diis, et mortem eorum, quibus succedere debebant, declarant et irrident. Clamor quidem inconditus in oratione est vitiosus. Cicero eos oratores, qui ob dicendi imperitiam clamarent, aiebat, ad vociferationem sicut claudos ad equum fugere, ut refert Plutarch. in apophthegm. Diogenes dicere solebat, Antisthanem esse tubæ similem, qui non audiretur, cum maxime clamaret, ut ait Dio Chrysostomus orat. 8. Certum tamen est clamorem, si cum ratione et modo fiat, plurimum valere ad excitandos varios motus in animis auditorum. Est fulgur ac tonitru omnia pervadens et perrumpens.

VI. Ut ostendatur amor. Sexto, Clamavit orans Christus, ut ardentem erga Deum amorem, et magnum humanæ salutis desiderium declararet.

VII. Ut hostes terreat. Septimo denique, Clamavit, ut hostes suos terreret. In eo clamore miraculum agnoscunt Maldonatus, Corn. Conxen, et alii. Huius typus fuit clamor Gedeonis et militum eius, qui numero trecenti, in tres partes divisi, et tenentes tubas in manibus, lagenasque vacuas, et lampades in medio lagenarum, sicut a Deo iussi erant, incipientibus vigiliis mediæ noctis ceperunt tubis canere, et complodere inter se lagenas, ut fragore complosionis, et lampadum luce territi Madianitæ fugerent, sicut accidit, Deo illis trepidationem tantam iniiciente, ut a trecentis militibus exercitus centum et triginta millium militum ad internecionem deletus sit, Iudicum 7. et 8. Lege S. Gregor. 30. Moral. 17. *Gedeon*, ait, *ad prælium veniens, redemptoris nostri signat adventum, de quo scriptum est Ps. 23. 7. Tollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio. Hic redemptorem nostrum, non solum opere, sed etiam nomine prophetavit.* Gedeon clamat. *Gedeon namque interpretatur, circumiens in utero. Dominus enim noster per maiestatis potentiam omnia complectitur, et tamen per dispensationis gratiam intra uterum Virginis humanitatem sumens venit. Quis est ergo circumiens in utero, nisi omnipotens Deus suo dispensatione nos redimens, divinitate cuncta complectens, et humanitatem intra uterum sumens? In quo utero et incarnatus est, et clausus non est: quia et intra uterum fuit per infirmitatis substantiam, et extra mundum per potentiam maiestatis. Madian vero, interpretatur de iudicio. Ut enim hostes eius repellendi destruendique essent, non de vitio repellentis, sed de iudicio iuste iudicantis fuit. Et idcirco de iudicio vocantur, quia alieni a gratia redemptoris, iustæ damnationis meritum etiam in vocabulo nominis trahunt. Contra hos Gedeon cum trecentis pergit ad prælium. Solet in centenario numero plenitudo perfectionis intelligi. Quid ergo per ter ductum centenarium numerum designatur, nisi perfecta cognitio Trinitatis?* etc.

29. Galli et Germani ante pugnam clamabant. Nota, Hic mos fuit plerisque populis, ut in hostem acies moventes clamorem tollerent, ut et militibus suis pugnendi ardorem, et hosti terrorem adderent. Primo, Galli et Germani olim dissono trucique cantu, cum ululatu et tripudiis scuta quatientes, prælia inibant, ut docet Livius 1. Decad. lib. 5. et Tacitus lib. 18. et 21. ac tract. de morib. Germanorum. Ubii et Treviri virorum cantu fœminarumque ululatu terrorem faciebant, ut ait Tacit. lib. 20. Ambrones non cursu furioso, sed incessu tardo arma pulsantes, rythmis cum gressu pulsuque armorum consonantibus, suum nomen exprimentes, in hostem ducebant, ut tradit Plutarch. in Mario. Secundo, Æthiopes cum cecinerant bellicum, clamoribus dissonis tumultuabantur, suique moris tripudiis exultabant. (Æthiopes.) Tertio, Cyrus Iunior in Asia instituerat, teste Xenoph. lib. 1. expeditionis, ut si hostes tumultuosius irruerent, taciti milites impetum exciperent: si autem taciturni essent, clamore strepituque acies invaderent. (Asiatici.) Quarto, Romani Solem venerati, primo occursu ad ardorem militum excitandum contentissimo clamore irruebant, quod non prius faciebant, quam prope ventum esset, ut ait Gellius lib. 1. Noctium Atticarum. (Romani.) Clamoris illius militaris causam affert Cæsar lib. 3. bell. civilium. *Neque*, ait, *frustra antiquitus institutum est, ut signo undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus et hostes terreri, et suos incitari existimaverunt.*

Athenienses canebant; Corinthii, etc. Persæ. Si clamor inconditus, tantarum virium esse creditus est, quid ad Deum fusus non poterit? Athenienses pæana et hymnos Iovi canebant, cum hoste congressuri, ut ait Thucydides lib. 1. Corinthii et Boeotii idem præstabant, ut tradit lib. 4. item Lacedæmonii, ut Plutarch. in Lycurgo. Cyrus primus Rex Persarum hymnos Castori et Polluci a suis militibus cani iussit, ne hostium clamoribus terrerentur, sicque victor evasit, ut refert Xenophon lib. 3. Cyropæd.

Quæres secundo, Quomodo tempore passionis Christus clamavit die ac nocte? Respond. 1. De die ac nocte clamare est semper clamare, id est, cum clamore sive interno sive externo orare, sic Ps. 1. meditari in lege die ac nocte, id est semper. Non est autem dubium, quin toto tempore passionis suæ fuerit Christus in continua oratione. Respond. 2. stricte clamorem sumendo pro contentione vocis, Christum clamavisse de nocte in horto Gethsemeni supra montem Oliveti, ubi orans inter cætera dixit elata voce Matth. 27. 39. *Pater si possibile est*, etc. De die clamavit in cruce, cum dixit, *Eli, eli*, etc. Matth. 27. 46. circa horam nonam: vel, *eloi, eloi*, etc. Marci 15. 34. De illo clamore ait Ps. 87. 2. *Domine Deus salutis* (Chald. redemptionis) *in die clamavi et nocte coram te.* 30. Clamavit Christus die et nocte.

Tropol. Christus clamat de die, id est in tempore prosperitatis: at de nocte, id est in tempore adversitatis. Symbolice, in die vitæ suæ, et in nocte mortis ac passionis.

Nota primo, Dies temporalis prosperitatis in plures partes dividi potest. Primo, aurora eius sunt promissa hominum vana, quæ spem excitent terrenorum habendorum. Secundo, Meridies est ipsa felicitas in summo suo fastigio, lumine et ardore existens. Tertio, Vesper est, cum iam declinat in tristitiæ noctem rerumque mutationis in peius. 31. Diei prosperitatis aurora, meridies, vesper. De illa die ait Ierem. cap. 17. 16. *Diem hominis non desideravi, tu scis.* Ubi adverte, pro *diem hominis* esse in Hebr. diem *enos*, id est, obliviosi, q. d. non desideravi prosperitatem mundanam, quia cito facit oblivisci Dei. Vel *enos* significat miserum, ærumnosum, ægrotum, desperatum, q. d. scio felicitatem hominis esse lucem vermiculi et ligni putridi, et creaturæ ærumnosæ, ac per morbos in dolore ad mortem tendentis. Deinde prosperitas sæpe facit desperare de salute, et deliciis vacare cor degravantibus et luto tenaciter agglutinantibus. Hunc diem timebat Rex David. Ps. 55. 4. *Ab altitudine diei* (id est a claro et ardente meridie prosperitatis) *timebo:* ne nimius æstus fœnum exsiccet, et nimia Lux excæcet, et in præcipitium devolvat. Illud est dæmonium meridianum terribile, quod decem millia a dextris perimit, palam et blande, sed pestifere grassans et sæviens. Angelus de nocte adversitatis discurrens tantum timendus est Ægyptiis, apud Israelitas ne canis quidem, id est appetitus sensitivus, latrat: et Assyriis Sennacheribi militibus, dum Ierosolymitæ in pace sunt sub Rege Ezechia, qui significat robur Dei. Ut enim ait Apostolus 2. Cor. 12. 10. *Cum infirmor*

(per afflictiones temporales), *tunc potens sum*, id est fio, esse incipio et apparere.

32. Dici spiritualis partes quatuor. Nota secundo. Dies spiritualis plures habet partes. Primam seu auroram, fidem scilicet, qua Christus radios suos in animam immittere incipit, et passionem suam menti ostendere, ad eamque imitandam invitare. Secunda pars illius diei, quam cum antiquis Tertiam dicemus, spes est, cum desiderio cælestis patriæ illecti, tantorumque bonorum expectatione permoti, iam crucem cum Christo ferre peroptamus, et cum Simone Cyrenæo illum ad Calvariæ montem comitari. Tertia diei illius spiritualis pars, quam Sextam vocabant, charitas est, cum Christus Sol in medio terræ, id est animæ humilis et constantis, salutem operatur, et cor sanguine suo irrigat et amore, per venas omnes diffundendo, ita ut totus homo suum optet rependere. Quarta pars, quam Nonam seu Vesperam dicemus, est bonorum operum studium, omniumque terrenorum perfecta oblivio: cum in anima nostra quiescit Christus, velut in sepulcro novo, in quo ne mortuorum quidem umbræ quietem eius interrumpant, et cœna ac quies æterna animæ præparatur.

33. Noctis spiritualis partes quatuor. Nota tertio. Noctis spiritualis partes sunt quatuor, sicut corporalis. Primo, vesper, cum Lux cælestis abiens nos deficit. Secundo, conticinium, cum nec Solis lumine nec lampadum illustramur: sed tum a Deo, tum a proximo, tum a nobis ipsis quadammodo relinquimur, solique cum summis angoribus colluctamur. Tertio, gallicinium, cum aut peccatores Deus excitat, ut Israelitas flagellis: aut iustos ad spem venturæ brevi lucis erigit, atque a languore torpentes excutit. Quarto denique, Luciferum, seu crepusculum, cum Lux prior redit, imo sæpe fulgentior. Non raro enim ex afflictionis caligine lux maior emicat, tum ad notitiam, tum ad rerum divinarum peritiam. Ideo S. Greg. in Ps. nostrum, putat aliquando differri exauditionem precum: *Clamantem*, ait, *me nocte continuo non exaudis, quia unde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis.*

34. Quomodo fuit exauditus Christus in passione orans. Quæres tertio, Quomodo Christus dicit se non fuisse exauditum; cum S. Paul. Heb. 5. 7. dicat eum exauditum fuisse pro sua reverentia? Respond. Oratio est quodammodo interpretativa voluntatis humanæ. Tunc ergo alicuius orantis exauditur oratio, quando eius voluntas adimpletur. Voluntas autem simpliciter hominis est rationis voluntas: hoc enim absolute volumus, quod secundum deliberatam rationem volumus. Illud autem, quod volumus secundum motum sensualitatis, vel etiam secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur ut natura, non simpliciter volumus sed secundum quid, scilicet si aliud non obsistat, quod per deliberationem rationis invenitur. Unde talis voluntas magis dicenda velleitas, quam absoluta voluntas: quia scilicet homo hoc vellet, si aliud non obsisteret. Secundum autem voluntatem rationis, Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Et ideo omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis: et per consequens omnis eius oratio fuit exaudita. Nam et secundum hoc aliorum orationes implentur, quod sunt eorum voluntates Deo conformes: secundum illud Roman. 8. Qui autem scrutatur corda, scit, id est, approbat, quid desideret spiritus, id est, quid faciat sanctos desiderare: quoniam secundum Deum, id est secundum conformitatem divinæ voluntatis, postulat pro sanctis. Ita S. Thom. 3. p. quæst. 21. artic. 3. Ubi Suarez recte notat hanc quæstionem, utrum oratio Christi semper fuerit exaudita, coincidere cum quæstione de voluntate Christi, an semper fuerit impleta: docet autem cum omnibus Theologis, absolutam voluntatem eius semper impletam esse, non tamen simplicem affectum seu velleitatem. Cum ergo oratio sit explicatio voluntatis, constat illam orationem, quæ ex absoluta voluntate proficiscebatur, semper esse exauditam; non vero, quæ ex sola conditionata voluntate et secundum quid. Quod porro fuerint in voluntate Christi efficaces actus, patet Isaiæ 53. v. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit*: in qua voluntate, ut ait Paulus, sanctificati sumus: per illam enim efficaciter nostram redemptionem perfecit. Quod in eadem voluntate fuerint aliqui actus inefficaces, probatur ex Matthæi 26. 39. *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, quibus ostendit suum affectum: non fuisse autem illum affectum efficacem et absolutum ostendunt verba sequentia, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Eum autem affectum non solum in appetitu sensitivo, sed etiam in voluntate fuisse constat ex 6. Synodo artic. 4. et 11. ubi ex hoc loco probatur humana Christi voluntas. Potuit autem voluntas Christi elicere hos actus inefficaces non tantum ut natura est, sed etiam ut ratio: nec tantum ut ratio inferior, sed etiam ut ratio superior, id est, non tantum ut respicit commoda partis sentientis, sed etiam prout per rationes et regulas æternas movetur, ut docet S. Thom. in 3. distinct. 17. quæst. 1. art. 2. et Gabr. Marsil.

Ex his patet, quomodo recte Christus hic dicat, *et non exaudies.* Et S. Paulus vere etiam asserat Hebr. 5. 7. *Exauditus est pro sua reverentia.* Græc. απο της ευλαβειας, id est, a metu: æternæ videlicet damnationis, ut ait Calvinus. Sed inepte, nam sciebat Christus se a patre deseri non posse ob unionem hypostaticam. Deinde, docet Calvinus omnes prædestinatos esse certos de sua salute et prædestinatione, quomodo igitur potuit Christus desperare, cum dixit, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* ut impie asserit; 2. Photius ait ευλαβειαν, hic sumi pro φιλανθρωπιαν, id est, eximia erga homines charitate; 3. proprie ευλαβεια significat reverentiam, hoc est, timorem ex Dei maiestate incussum. Ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 2. ad 1. revereri est actus timoris: sed ut debetur Deo, est actus latriæ. Christus vero secundum quod homo præ cæteris habuit pleniorem affectum reverentiæ ad Deum: ut ait 3 parte quæst. 7. artic. 6. ideo scriptura ei attribuit plenitudinem timoris Domini. Reverentia porro illa erga Deum est quidam affectus voluntatis, qui fit per modum fugæ, quo creatura in conspectu divinæ eminentiæ ita se habeat, ut veluti non audeat ad illam accedere, et omnino caveat usurpare in aliqua excellentiam eius: seu quo formidat et fugit investigare vel comprehendere mirabilia eius, et hic actus videtur vocari a patribus timor reverentiæ, seu admirationis, ut videre est lib. 17. Moral. cap. 15. apud S. Gregorium, et apud S. Dionysium de Cæl. Hier. cap. 13. ubi exponens visionem Isaiæ cap. 6. ubi Seraphim velabant faciem suam et pedes, ait: *Sacram illam ac plenam horroris venerationem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorrescunt.* Vide Suar. 3. parte, disputat. 20. sect. 2. ubi docet actum illum reverentiæ distingui ab actu religionis, obedientiæ, pietatis et humilitatis.

Post illam conquestionem, ostendit Christus varias 35.
rationes, ob quas a Patre iuvari debeat. Primam petit ab Vers. 4 In sancto habitat Deus.
eius maiestate et potentia, v. 4. TU AUTEM IN SANCTO HABITAS, LAUS ISRAEL, q. d. dum ego mediis in doloribus et
tormentis relictus ab omnibus excrucior, tu securus habitas et quiescis *in sancto*, id est, Primo, in anima san- 1.
ctorum virorum, præsertim Israelitarum, qui tui notitiam
et amorem habent. Ita Eusebius, et favere videtur Symm.
qui vertit εν αγιοις, id est, in sanctis. Secundo, *in sancto*, 2.
id est, in meipso Christo tuo, et in meo corpore, q. d. το
παντων παραδοξοτατον, hoc omnium est maxime admirabile, quod, te in sancto hoc corpore habitante, passione peragitur. Ita Theodoretus. Tertio, *in sancto*, id est, in per- 3.
sona divina filii, quæ humanæ coniuncta est naturæ. *Ego enim in Patre, et Pater in me est*, ait Christus Ioan. 14. 10. Laus igitur populi Israel, Deus pater est, qui habitat in filio. Ita Euthymius, qui hinc recte infert, quod filius et salutem hominum optaverit, et assumpti corporis mortem non recusaverit. Una enim atque eadem est patri filioque voluntas divina. Sunt enim unum in essentia, li-
cet differant in personis. Quarto denique, et melius, *in* 4.
sancto, id est, in sanctuario, quod triplex est, Primo vel terrenum tabernaculum Mosis, quod tempore Davidis erat in Gabaon. Secundo, terrenum tabernaculum Davidis, in monte Sion extructum prope aulam suam; ubi erat arca,

propitiatorium et Cherubim. Tertio, et potius, sanctum sive sanctuarium est cælum, in quo Deus sedet et quietus ac gloriosus habitat in medio Angelorum suorum, et unde omnia prospectans omnibus providet, bonos iuvans, impios obterens, sine ulla difficultate aut labore. Sensus itaque est, q. d. quamdiu in passione et cruce lactor cum acerrimis doloribus, et ex omni parte cingor crudelissimis hostibus, tu regnas in cælo et triumphas, meam afflictionem vides, eique mille modis potes subvenire. Succurre itaque cum ego sim Rex populi tui Israel, cuius tu es laus et gloria. Tu scis me esse sanctum sanctorum. Daniel. 9. 24.

36. Deus est laus Israelis. Activa.

Nota, Deus est *laus Israel*, non formalis sed causalis, sicut dicitur fortitudo Ps. 17. 1. Nota secundo, Deus est Israelis seu populi Iudaici ab Israele, id est, a Iacobo descendentis, Laus tam activa quam passiva. Nam primo est Laus illius populi activa, hoc est populum illum glorificans, præ cæteris extollens, tot prodigiis, miraculis, beneficiis insolitis afficiens, apud eum manens, et populos alios incitans ad eius admirationem, venerationem et laudem. Arabs vertit, *Tu habitas in sanctis* (etiam pars templi et tabernaculi ac cæli sanctior, vocatur Sancta, in plurali) o *gloria Israelis*. Sic arca vocatur gloria Israelis 1. Regum. Secundo, passive dici potest Deus Laus Israelis, q. d. qui laudatur et glorificatur a populo Israel. Ps. 75. 3. *Notus in Iudæa* (Chald. in domo Iuda, q. d. in regno duarum tribuum) in *Israel* (in regno decem tribuum) *magnum nomen eius*, q. d. a duodecim tribubus, ab omnibus Iudæis cognoscitur, ut vertit Hieron. Id est colitur et adoratur Deus, quod verum fuit tempore Davidis et Salomonis. *Et factus est in pace* (verus Iudæus, id est laudator Dei: et Israel, id est, potens in, vel per Deum, est pacificus et pax. S. Hieron. vertit, in Salem, hoc est in Ierusalem) *locus eius, et habitatio* (S. Hieron. habitaculum) *eius in Sion*, hoc est in anima ipsum contemplante, in ea habitat ut in templo fixo et stabili, per alias transit, ut per mansiones deserti. Syr. in psalmo nostro vertit, *Tu sancte, et sedens in gloria tua Israelis.* Longius recessit Chald. eam reddidit. *Tu vero sanctus, qui stabilis orbem propter laudes Israelis*: tamen certum est, quod omnia quæ in mundo fiunt, dirigit Deus ad gloriam electorum suorum, ac præsertim Christi filii sui. Quære igitur Dei gloriam et ipse quæret tuam.

Et passiva.

Gloriam servorum suorum quærit Deus.

37. Vers. 5. Liberat Deus in se sperantes.

Secunda ratio propter quam exaudiri postulat, petitur a Dei bonitate, quam ostendit maioribus eius, v. 5. IN TE (Chald. in verbo tuo) SPERAVERUNT (Chald. *confisi sunt*, nihil hæsitantes: Arabs *crediderunt*: ex fide oritur spes, ut ex sole radius et calor: et ex fonte rivus) PATRES NOSTRI: SPERAVERUNT, ET LIBERASTI EOS. Idem repetit vers. 6. et ait eos sperantes non esse confusos, id est, ut Petavius explicat, a spe sua non excidisse, petita obtinuisse. Est metonymia, effectus enim ponitur pro causa: nam repulsa est causa confusionis, pudoris et ruboris. Unde Diogenes Athenis obambulans in Ceramico petebat varia dona a statuis: dicens se in hoc exerceri, ut assuesceret frustrari postulatis, ut ait Plutarch. tract. de vitiosa verecundia. Erat porro Ceramicus, locus extra ipsam civitatem: in quo qui in bello cecidissent, publico sumptu sepeliebantur, et funebri oratione ornabantur, ac multis illustrioribus viris statuæ erigebantur.

Quod autem liberaverit Iudæos a variis incommodis patet inductione. Ac primo, Noe, id est requies aut quietus, liberatus est ab aquis diluvii cum sua uxore et tribus filiis: nempe Sem, Cham et Iaphet, atque tribus eorum uxoribus Gen. 7. Secundo Abraham ereptus est de Ur, id est de flamma, Chaldæorum, id est quasi dæmonum, Gen. 12. et seq. De Ægypto et manibus Pharaonis servata et intacta Sara uxore eius cap. 12. Gen. Tertio, Lot nepotem Abrahami (erat enim filius Haran fratris eius) de manu Chodorlahomor Regis Elamitarum, id est Persarum: et Thadal Regis Gentium, id est Galilææ superioris a vicinis gentibus, nempe Arabibus, Ægyptiis, etc. habitatæ et aliorum regum, qui superaverant Sodomitas et eorum socios, cap. 14. Lot item de incendio Sodomæ, cap. 19. Quarto, Isaac, id est, risus, ereptus est a gladio patris sui Abrahami, qui iam brachium ad letum erexerat, cap. 22. 11. Quinto, Iacob, id est, supplantator, liberatus est ab insidiis Esau fratris sui, cap. 28. a malevolentia Laban soceri sui cap. 31. et seq. ab ira fratris sui Esau, cap. 32. et 33. Sexto, Ioseph, id est augmentum, liberatus de manibus dominæ suæ, cap. 39. et de carcere ad primam regni dignitatem evectus, cap. 41. Septimo, Moses, id est, extractus seu assumptus, liberatus est de aqua Nili, in quam coniiciebantur omnes mares Hebræorum, Exod. 2. 6. et de manu Pharaonis irati ob cædem Ægyptii, ibid. 15. et postea ex variis periculis, et ab Ægyptiis, et ab ipso populo, qui sæpe in eum murmuravit, et voluit eum lapidare aut obruere, sed fugiens ad Deum in tabernaculum servatus est. Octavo, Omnis populus Israel, in quo tum erant circiter duo tresve hominum milliones, servatus est ab Ægyptiorum et Pharaonis furore, Exod. 14. atque a mari rubro, ibid. Ac post ingressum in Chananitidem sæpius eumdem populum liberavit Deus a captivitate et oppressione diversorum hostium: nempe a Chusan rege Mesopotamiæ per Othonielem, qui fuit primus illius populi Iudex et Princeps; 2. ab Eglon rege Moab per Ahod, qui fuit secundus Iudex; 3. a Philisthæis per Samgar, qui fuit tertius Iudex; 4. a Iabin Rege Chanaan per Barac, qui fuit quartus Iudex; 5. a Madianitis, per Gedeonem, qui fuit quintus Iudex; 6. a Philisthæis et Ammonitis per Iephte, qui nonus Iudex; 7. a Philisthæis iterum per Samsonem, qui fuit decimus tertius Iudex. Et ad rem nostram adverte, liberatum esse populum illum post clamorem ad Deum in oratione, et non antea, ut patet Iudicum 3. 9. et v. 15. cap. 4. 3. et 6. 6. et 10. v. 10. Nono, David, id est, amabilis, liberatus est a Goliatho gigante, 1. Reg. 17. a Saule lanceam in eum sæpius contorquente, eum Philisthæis exponente, et eum exercitu diu persequente, ibid. 18. et seq. Decimo, Ionas, id est columba, liberatus de ventre piscis carchariæ seu Lamiæ, qui eum devoraverat, Ion. 2. 11. Undecimo, tres pueri, nempe Azarias, Misael et Ananias erepti sunt de fornace Babylonica ita succensa, ut effunderetur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem, Dan. 3. 47. Duodecimo, Daniel ereptus est de lacu Leonum, in quem coniectus a Dario Rege Persarum, ad id coacto a suis satrapis et principibus ac magistratibus: Daniel. 6. 22. Decimo tertio, Susanna, id est Lilium, erepta est de manu duorum senum et iudicum nefariorum, et de manibus populi eam velut adulteram lapidare cupientis, Dan. 13. Decimoquarto, Ieremias, id est, celsitudo Domini liberatus est de lacu, id est, fossa profunda et lutosa, Melchiæ filii Amelech, qui erat in vestibulo carceris, in quem demissus fuerat funibus, ita ut esset in cœno, Ierem. 38. 10. Decimoquinto, Tobias, id est bonitas Dei, vel bonus Dominus, liberatus est a pisce, non balæna, quia Tigris fluvius non est eius capax: non crocodilo, quia piscis ille a Tobia extractus in terram, cepit deficere: crocodilus autem vivit etiam in terra: non lucio, ut voluit Georg. Venetus, quia lucius non aggreditur homines: sed fortasse Callionymo, id est pulchri nominis, qui est maximus carnivorus et voracissimus, ut opinatur Francisc. Valesius sacræ Philoph. cap. 47. De illa liberatione lege Tob. cap. 6. de liberatione a dæmone Asmodæo, qui occiderat antea septem maritos Saræ uxoris eius habes cap. 8. Decimosexto, Ezechias, id est robur Dei liberatus a morte additis quindecim annis vitæ eius, Isaiæ 38. 5. et a Sennacherib, Rege Assyriorum obsidere volente Ierusalem et eam avertere cum templo, sed in fugam adactu ob cæsa 185. millia militum eius per Angelum una nocte, 4. Reg. 20. et Isaiæ 37. 36. Decimoseptimo, liberato Mathathia, et filiis eius Iuda, Ionatha, Simone Machabæis a regibus Antiocho Epiphane, id est illustri, Eupatore Demetrio, et aliis, ut patet lib. 1. et 2. Machabæorum. Moriturus Mathathias l. 1. 2. 52. et seq. varios enumerat qui a Deo servati sunt, et generatim concludit v. 61. *Et ita cogitate per generationem, et generationem* (id est per omnes generationes, decurrendo sin-

Margin notes: 1. Noemum. — 2. Abrahamum. — 3. Lot. — 4. Isaac. — 5. Iacob. — 6. Ioseph. — 7. Mosem. — 8. Israelitas. — 9. Davidem. — 10. Ionam. — 11. Pueros in fornace. — 12. Danielem. — 13. Susannam. — 14. Ieremiam. — 15. Tobiam. — 16. Ezechiam. — 17. Machabæos etc.

gulas) *quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur.*

Notat 8. Iustinus dialog. in Tryphonem, cum Christus hoc in loco dicit, *In te speraverunt patres nostri*, profitendo Iudæos esse patres suos, agnoscere se ex illis descendere, quatenus revera Deiparæ patres erant. Ipse enim formatus est purissime eius sanguine.

ARTICULUS IV.

Quanta Christi patientis humiliatio, et eam verme similitudo.

TERTIAM rationem, cur exaudiri a Patre debeat, Chri-
38. stus profert: nempe summam suam in cruce ignomi-
Vers. 7. niam, v. 7. EGO AUTEM SUM VERMIS ET NON HOMO, id est, in tali statu sum hoc tempore, ut non solum minoratus ab Angelis, sed ab hominibus minoratus videar: nimirum, *novissimus*, id est, ultimus, contemptissimus, *virorum*, ut dixit Isaias cap. 53. infra omnes homines factus, cum et Barabbæ et latronibus postpositus sim. Itaque adeo vilis factus sum, ut vermis potius videar esse quam homo. Ita Bellarminus. Christi eam verme parallela mox infra ponam. Nota, pro *non homo*, Hebr. est, *non* איש *is*, id est, non vir, ut vertit Pagninus; et sic ordinarie sumitur *is*, ut significet eum, qui auctoritate, dignitate, gloria atque existimatione antecellit, et inter honoratiores connumeratur, ut latine Vir. sic docet Mercerus: sæpe tamen generaliter sumitur pro homine. Syrus commode vertit, *et non* אנשא *anascia*, *homo*. Nam *anascia*, significat hominem mortalem, miserum, infirmum, ærumnosum, q. d. non videor numerandus inter homines etiam afflictissimos et reiectitios.

Quam magnus vero fuerit contemptus ostendit cum reiectus sit ab omnibus. Primo, a nobilibus sacerdotibus, doctoribus, ipsisque Apostolis. Nam sic Bellarm. exponit, q. d. OPPROBRIUM HOMINUM, de quo homines erubescunt, quasi de homine dedecoroso, quod impletum est, quando Petrus ipse iuravit se non nosse hominem illum; 2. et melius, *opprobrium hominum*, vertit Petavius, παιγνιον ανθρωπων, id est, Ludibrium hominum, is cui illudunt et quem irrident homines. Nam παιγνιον est ludicrum oblectamentum puerorum, a παιζω, ludo pueriliter: ut, cum ornatam statuam et parvis tintinnabulis resonantem imagunculam nutrices puerulis obiiciunt, ut eos recreent. Iudæi Christum sibi ut deridiculum quoddam, et statuam ligneam in catadromo, id est, in loco in quo currunt equites, feriendum et vulnerandum proposuerant: aut ut statuam aliquam per vicos et plateas in luto versandam. Tertull. contra Iudæos cap. 14. vertit, *ignominiam*. S. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos, *maledictum*. Chald. *portans vituperia filiorum hominum*, Psal. 68. 8. ait Christus Patri æterno, *Propter te sustinui* (S. Hieron. portavi. Cassiodor. supportavi. Multis est insupportabile illud onus) *opprobrium*. S. Hilar. et Arnob. improperium. S. August. exprobrationem. *Operuit confusio* (S. Hilar. et Roman. Psalt. reverentia. S. August. et Psalt. Gall. irreverentia) *faciem meam*. *Extraneus* (S. Hieron. alienus) *factus sum fratribus meis* (Iudæis ex quorum sum gente, et Apostolis, quos specialiter elegi et dilexi) *et peregrinus* (Arnob. et Cassiod. hospes) *filiis matris meæ*, id est synagogæ, quæ me coronavit diademate spinoso, et arundinem dedit pro sceptro.

Secundo, ab ipsa plebecula Christus est despectus. Unde additur: ET ABIECTIO PLEBIS. Id est, quem etiam plebs, vilissima populi pars ita abiecit, ut diceret: Non hunc, sed Barabbam, quem deinde dicteriis et contumeliis oneravit, velut perditissimum et abiectissimum ganeonem. Arabs vertit contemptus inter populum. Septuag. signate exprimunt, eum vertunt, εξουθενημα λαου, quam vocem Tertull. lib. 4. contra Marcion. reddit, *nullificamen populi*. Campensis sensum spectat magis quam verba, eum exponit sterquilinium et fæcem populi. Huius rei figura erat Iob sedens in suo sterquilinio et doloribus gravissimis atque opprobriis exagitatus. Thren. 3. 30. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*, quia propter Deum ea feret, ita læte ac si cibum sumeret laute et splendide, ut explicat Cornelius. Hoc imitare. Quidam vir sanctus cum interrogaretur, qua ratione, si ab alio contemnaris et convitiis appetaris, animus sit ad æquitatem componendus, ne in iram prosiliat? ait: *Si teipsum contempseris, non perturbaberis*, ut docuit Pœmen (id est Pastor) Abbas.

Tertio, Christus non a Iudæis tantum, sed a gentilibus etiam militibus aliisque deridebatur, et ab ipsis latroni-
bus, v. 8. OMNES (pene omnes, plerique) VIDENTES ME 39.
DERISERUNT ME. Cachinnis scilicet atque sannis. Hebr. Vers. 8.
ילעיגו *ialhigu*, id est, subsannabunt me, ut vertit Pagn. est enim futurum. S. Hieron. subsannant me. Nam futurum Hebr. sæpe sumitur pro omni tempore. Septuag. εξεμυκτηρισαν, id est, deriserunt me naso suspenso. Tertullian. 4. contra Marcion. cap. 42. naso irridebant. Heb. *laag*, est irridere, illudere, subsannare. Syr. reddit, deriserunt me. Chald. derident me.

Risui et nasi contorsioni addebant labiorum et capitis motum, ut non solum naso, sed omni modo illuderent. LOCUTI SUNT LABIIS (S. Hieron. *demittunt labium*: Flamin. *distenderunt labium*. Ubi non verba, sed sannas notant. Chald. *proscindunt labiis suis*. Arabs quoque ac Septuag. de verbis agere videntur Nostro prorsus consentientes. Petav. de verbis et cachinnis simul iunctis explicat. Magn. nervose, *sannis mordacibus instat, abnutat, tor-
tis dat mala verba labris*) ET MOVERUNT CAPUT. Addun- 40.
tur verba quæ illi irrisores dicebant, v. 9. SPERAVIT IN Vers. 9.
DOMINO, Hebr. devolvit se ad Dominum. Nam גל *gol*, significat volvere, devolvere. Bellarmin. putat legendum esse *gal*, in præterito, sed non est necesse: tum quia aliqua etiam præterita terminantur in *ol*, ut *iacol*, potuit: tum quia potest esse imperativi vel infinitivi, ita ut sonet *volve* aut *volvere*, seu *volvendo*. Quæ omnia bonum sensum facere possunt. Volvere porro se et sua ad Dominum, est in eius se sinum abiicere, et in eo sperare. Sic dicitur Ps. 54. 23. *Iacta* (S. Hieron. proiice) *super dominum* (fortis est, tribus digitis orbem portat. S. Hilar. et S. Ambr. in Dominum) *curam tuam* (S. Leo serm. 5. de quadrag. cogitatum tuum. Arnob. cogitationem tuam, S. Hieron. charitatem tuam) *et ipse te enutriet*. Apollinaris, te perpetuo nutriet. *Non dabit in æternum fluctuationem* (Græc. σαλος, agitationem velut in mari) *iusto*. Vide ibi dicta. SALVUM FACIAT EUM, QUONIAM VULT EUM, id est, eum amat, curat, conservat, in eo sibi complacet, sicut ipse gloriatur. Syr. Petavius, Arabs, vertunt, si eum diligit. Hebr. חפץ *chafets*, cum beth significat, bene velle alicui, sibi complacere in illo, propenso esse animo in aliquem. Bona autem Dei voluntas est efficax, itaque in eo idem est bene velle, ac bene facere et iuvare. S. Matth. 27. 39. prope eadem verba a Iudæis dicta refert: *Blasphemabant eum*, inquit, *moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas. Salva temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce*. Et v. 43. apertius: *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum*, (Arabs si diligebat eum) *dixit enim, quia filius Dei sum*. Dixerat Pater æternus post Christi Baptismum voce cælitus demissa Matth. 3. 17. *Hic est filius* (Græc. ο υιος, *ille filius*, per excellentiam scilicet) *meus dilectus* (Græc. ο αγαπητος, *ille dilectus*, id est, summe et unice dilectus) *in quo mihi complacui*, ita ut solus perfecte in omnibus mihi placeat, et per illum omnes alii. Sine eo enim et eius meritis nemo mihi placet. Eadem verba repetuntur c. 17. 5. in transfiguratione, cum in monte Thabor Solis instar irradians, ob gloriam ex anima beata se in corpus effundentem nube lucida est circumdatus, et Eliæ ac Mosis apparitione atque colloquio honoratus.

Nota primo. Hæ derisiones Christi patientis et morientis commode repræsentari possunt per ea quæ contigisse Imperatori Vitellio a militibus illuso et trucidato refert Dio Cassius l. 66. hist. Rom. *Vitellium*, ait, *vinctum in forum* (Romæ) *perducunt, ubi concionatus erat: ibi quidam*

Vitellii Imp. mira subsannatio.

ei colaphos impingunt, alii barbam vellunt, illudunt omnes, et contumeliose maledicant, et exprobrant commessationes; nam ventre obeso erat. Cum pudore suffusus sopite demisso terrom intueretur, milites sub mento eum pungebant, ut caput extolleret invitus, altumque cerneret. Id quidam Germonus videus, et misericordia motus, ait: Ego tibi qua in re potero opem feram, atque illum percussit, deinde sibi monus intulit. Neque tamen ex eo vulnere mortuus est Vitellius, sed tractus in carcerem cum suis statuis, quibus ridiculo multa et turpia exprobrabantur. Hic Vitellius summo dolore affectus, dicebat: Ego quidem aliquando Imperator vester fui. Ideo irati milites eum ad scalas Gemonias trahunt, ibique obtruncant, et caput per totam urbem gestant. Lege historiam græcam et multos Imperatores indignissime tractatos videbis, sed præsertim Andronicum, de quo alias.

41. Christus est similis vermi. Nota secundo. Christus fuit vermi similis in conceptione et nativitate, in vita, in morte, in resurrectione, Eucharistia et iudicio.

I. In conceptione et nativitate. Ac primo, In conceptione et nativitate Christus est vermi similis, quod primo per summam humilitatem assumere voluerit corruptibilem carnem nostram. Sicut enim ait Iobi 25. 6. Baldad Suhites, *Homo putredo* (est) *et filius hominis, vermis.* Ubi Pineda per putredinem significari censet statum mortalitatis, per oppositionem quamdam ad Lunam, et stellas, ac cætera superiora corpora incorruptibilia, de quibus prius egerat. Ob humilitatem suam. Nicetas vero putat per putredinem intelligi sordes et immunditiam animi in deterius semper labentis, pravique ad malum omni tempore, putrescentem quamdam naturam. Christus hanc miseram naturam assumpsit, et in corpore corruptibilitatem et passibilitatem per miraculum impeditis dotibus resultantibus ex anima beata, in anima autem peccatum nec habuit nec habere potuit, tamen in circumcisione et baptismo atque cruce peccator apparere voluit. Hinc S. Ambros. serm. in hunc psalm. putat, humilitati, quæ, ut ait, *sanctorum virtus est maxima*, primitus assignandum est, quod Christus se vermem in psalmo nostro vocet, sicut Moses animal se irrationabile profitetur, et David pulicem atque iumentum. S. Greg. 17. Moral. 8. *Sicut*, inquit, *ex homine filius, ita ex putredine nascitur vermis. Unde recte: Homo, putredo; filius vero hominis, vermis vocatur.* Et matris virginitatem. Secundo, Christus in conceptione et nativitate est similis vermi, quia sicut vermis oritur ex terra sine semine, ita Christus de Virgine sine operatione hominis. Hanc maxime rationem considerat S. Ambros. serm. in psal. nostr. *Ego*, inquit, *sum vermis et non homo. Possumus hoc quidem humilitati primitus assignare, quæ sanctorum virtus est maxima, sicut sanctus Moses ante Deum mutum se animal profitetur, Exod. 4. David pulicem se sæpe commemorat, 1. Reg. 24. et 26. Sed magis illud accipiendum puto, quoniam vermis nulla extrinsecus admixtione alieni corporis, sed de sola et pura Maria generatur. Legimus etiam in libris Mosi Exod. 16. de manna vermiculos procreatos. Digna plane et iusta comparatio. Siquidem de manna vermiculus gignitur, et Dominus Christus de Virgine procreatur.* Maria est manna. *Quin potius ipsam Mariam manna dixerim: quia est subtilis et splendida, suavis et virgo, quæ velut cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit. Quem qui edere aut manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait Ioan. 6. Nisi quis manducaverit, etc.* Est panis qui de cælo descendit. S. Hier. etiam in Ps. nostr. notat, Et terra virgo. vermem, qui in ligno nascitur, non habere patrem. Adamus primus formatus est de terra virgine, ita et secundus, de qua terra dicit Propheta noster, Ps. 84. 13. *Dominus dabit benignitatem* (Arnob. benedictionem, S. Aug. suavitatem, S. Hier. bonum: id est pater æternus Christum, qui est benedictio, suavitas et omne bonum. Chald. *Verbum Dei Iehova dabit beatitudinem*, id est seipsum beatificantem homines) *Et terra nostra dabit fructum* (S. Hieron. germen) *suum*, id est Deipara Christum. Ubi adverte, quod non dicitur, *reddet*, quia semen ab homine non acceperat, sed, *dabit*, cum ab alio nihil acceperit. S. Bern. serm. 4. de Assumpt. illum conceptum et partum admirans, ait: *Neque filius alius Virginem, nec Deum decuit partus alter.*

Secundo, Christus in vita sua fuit similis vermi. Primo 42.
ob humilitatem conversationis. Vermis enim sine strepitu II.
ac tumultu suaviter repit. Ita Christus vitam pauperem Similis est vermi
et abiectam in summo silentio, pace, mansuetudine et in vita.
demissione mentis egit. Hoc agnoscit Cassiod. in Psal. nostr. Christi viæ, inquit, silentiosæ et humiles extiterunt. Ob humilitatem. Matth. 11. 29. ipse Christus ait: *Discite a me* (ab Aristotele philosophiam, a Cicerone eloquentiam, a Virgilio poesim potestis discere, sed a me solo,) *quia* (quod) *mitis sum et humilis corde.* Vel, *quia*, ibi est causale q. d. sumite me magistrum, sum enim suavissimis moribus. S. Ambros. in Psal. 118. id contemplans: *Non dixit*, inquit, *discite a me, quia potens sum: non dixit, discite, quia gloriosus sum; sed discite quia humilis sum, quod potestis imitari.* Et S. Climacus gradu 25. in humilitate præsertim hærens de verbo abbreviato et parvulo nobis dato ait, *Humilitas est gratia animæ nominis expers, solis nominata iis, qui eius experimentum ceperunt,* αρρατος πλουτος θεος ονομασια, *inexplicabilis thesaurus a Deo nomen sortita, singulare munus Dei. Discite, inquit, non ab Angelo, non ab homine, non ex libro: sed a me, hoc est, ex mea in vobis habitatione, illustratione et operatione; quia mitis sum et humilis corde, et cogitatione et sensu, et invenietis bellorum interiorum requiem animabus vestris, et levamen cogitationum vestrarum, etc.* Et grad. 24. dicit humilitatem a mansuetudine præcedi, ut Solem ab aurora, ac subdit: *Mansuetudo est,* υπομονης θεμελιον, αγαπης θυρα, μαλλον δε μητηρ, *stabilimentum patientiæ, charitatis ianua, imo vera parens, prudentiæ argumentum: Docebit enim, inquit Dominus, mites vias suas: procuratrix veniæ, peccatorum fiducia in precibus, Spiritus sancti domicilium: super quos enim respiciam, nisi super mansuetum et quietum? Isaiæ* 66. etc. Secundo, Christus in vita fuit similis vermi, ob gratiam prædicationis. Ugo Card. in Psal. nostr. *Vermis* Et prædicationem. *trahit se ore, et Christus prædicatione. Gregorius: Tunc vio Domini ad cor dirigitur, cum sermo eius libenter auditur.* Ita ipse.

Tertio, Christus præsertim in passione sua, similis fuit 43.
vermi. Primo, ob summam et prorsus inexplicabilem hu- III.
militatem. Nam 1. sicut vermis horrori est ad aspectum: In passione.
ita Christus patiens et moriens ob flagellorum, clavorum, coronæ spineæ et lanceæ vulnera. Isaiæ 53. 2. *Non est species* (Symm. forma) *neque decor* (Vatabl. non dignitas: Ob horrorem aspectus oris scilicet ac pulchritudinis) *et vidimus eum, et non erat aspectus*, id est, non poterat aspici, horrorem faciebat aspicienti, non erat aspectabilis, nulla pars corporis eius delectare poterat aspicientem, *et desideravimus eum*, Symmach. et Vatabl. ut cuperemus eum. *Despectum* (Hebr. נבזה *nibze*, id est, spretum, aspernabilem, contemptibilem) *et novissimum* (Hebr. חדל *chadal*, id est reiectaneum, ut Forerius et Vatablus vertunt) *virorum*, (supple vidimus) *virum dolorum, et scientem* (per experientiam) *infirmitatem: et quasi absconditus vultus eius et despectus: unde nec reputavimus eum.* Hebr. est *abscondens faciem a se*, q. d. se ipse aspicere non audebat præ pudore et horrore, seipsum sibi et aliis quantum poterat, occultare cupiebat, secundum naturalem inclinationem, sed secundum partem superiorem, omnium se risui exponere voluit in Ierusalem, in festo paschalis, in hora meridiana, qui clam et de nocte fulserat in monte Thabor. Septuag. vertunt *aversa*, vel, ut habet Procop. confusa, *facies eius.* Recte censueris allusum esse ad leprosos, qui iubebantur Levit. 13. 45. os suum velare, et faciem abscondere, ne cui horrorem inlicerent. Christus autem reputatus est quasi leprosus, ut Isaias v. 4. addit, Thren. 3. 45. afflicta Christi humanitas in Sione captiva et calamitosa figuratur, et ait: *Eradicationem* (Hebr. סחי *sechi*, id est, nauseam, ut vertit Arias: abrasionem, ut Pagnin. q. d. velut rasuram pavimenti, aut domus leprosæ Lev. 14. 40. quæ eiiciebatur in locum immundum extra civitatem) *et abiectionem* (Hebr. מאס *maos*, id est reproba-

tionem, hoc est, scobem, ramenla et sordes quæ e domo aliave re everruntur, reprebantur et abiiciantur in fimetum vel sterquilium, nt ait Cornelius. Unde S. Paulus vertit *peripsema* 1. Cor. 4. 13.) *posuisti me in medio populorum*, Iudæorum scilicet atque Gentilium, cum hi ferro, illi lingua me crucifigerent in medio terræ. Et v. 13. *Misit in renibus* (id est in intimam animam) *meis filias pharetræ suæ*, (id est sagittas suos) *factus sum in derisum omni populo meo, canticum* (id est obiectum et materia cantici) *eorum tota die*. S. Bern. serm. de Passione cap. 17. in cruce ita despectum Christum vermi assimilat. *O quam humilis*, ait, *vermiculus Iesus Christus, qui approbrium factus est hominum et abiectio plebis, ab hominibus contemptus sine causa, sine vindicta conculcatus ut vermis*. Et in psalmo nostro dicitur, *omnes videntes* (id est eruditi, doctores, sacerdotes, legisperiti: vel, Iudæi, apud quos erat notus Deus: vel potius generaliter, omnes aspicientes) *me, deriserunt me*.

[Ob conculcationem.] 2. Sicut vermis sine misericordia conculcatur, ita et Christus in Passione. Hinc clamat Ps. 55. 1. *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo* (Chald. *adversarius meus, homo peccator* iterum crucifigit et calcat Christum; vel, *homo* אנוש *enos*, id est, abiectissimus et miserrimus quisque, q. d. homines omnes, quilibet homo) *tota die impugnans* (S. Hilar. *pugnans*, a pugnis dicta est pugna. S. Aug. bellans) *tribulavit me*, (ut frumentum electorum) *conculcaverunt me inimici* (Hebr. שוררים *sciorerim*, id est, insidiatores, ut vertit S. Hier.) *mei, quoniam multi bellantes adversum me*, ab omnibus derelictum, et a teipso.

[Ob taciturnitatem.] 3. Sicut vermis conculcatus non stridet, ita nec Christus contra percutientes et calcantes se clamavit, aut illis maledixit. S. Birgitta lib. 2. revelat. cap. 26. et lib. 4. cap. 99. ait, sibi revelatum esse a Christo, se a Iudæis vermem esse reputatum, qui quasi mortuus in hyeme iacet, atque ab omnibus conculcatur. 1. Petr. 2. 23. *Qui cum maledicerelur* (cum vocaretur seditiosus, subversor gentis et templi, blasphemator, sacrilegus, usurpator divinitatis, impostor, hostis Cæsaris, etc.) *non maledicebat* (S. Ambr. in Psal. 37. legit, non remaledicebat) *cum pateretur, non comminabatur* (S. Prosper ad Demetriadem, habet, percutienti se non comminabatur) *tradebat autem iudicanti* (Pilato) *se iniuste*, ut fatetur ipse Pilatus Matth. 27. 24. ubi eum iustum esse clamat. Adverte, Græca habere prorsus contrarium sensum: nempe, *tradidit autem* (se) *iudicanti iuste*, id est, Deo verbo inhabitanti in semetipso, ut ait Oecumen. vel melius, Deo Patri, ut explicat Didymus. Hinc Syr. vertit, Tradebat iudicium suum iudici iustitiæ. Sensum itaque magis quam verba secutus est Noster: quia qui se Deo iusto iudici tradebat, consequenter Pilato etiam iniusto iudicanti permittebat, atque tortoribus. Isaiæ 50. 6. *Corpus* (Septuag. et Forer. dorsum: sed significantius Noster vertit, corpus) *meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me*.

[Ob dæmonis deceptionem] Secundo, Christus in passione similis fuit vermi, quo captus est Leviathan, immanis ille cetus, id est, diabolus. De illo Deus Iobi 40. 20. *An extrahere poteris Leviathan hamo, et fune ligabis linguam eius?* Et de Behemoth, id est, elephante (qui ob molem est instar multarum bestiarum, ideo in plurali dicitur behemoth, hoc est bestiæ) prius dixerat v. 19. *in oculis eius quasi homo capiet eum, et in sudibus perforabit nares eius*, per behemoth intelligit dæmonem Nicetas: eius nasum ait Olympiodorus esse calumniandi, irridendi, contemnendi, maledicendi licentiam. Quod in cruce captus fuerit Behemoth ille a Christo verme sic exponit S. Greg. lib. 33. Mor. 7. *Quis*, ait, *nesciat quod in hamo esca ostenditur, aculeus occultatur? Esca enim provocat, ut aculeus pungat. Dominus itaque noster ad humani generis redemptionem veniens, velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumpsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste, quasi escam suam mortem carnis appeteret. Quam mortem dum ille iniuste appetit, nos, quos quasi iuste tenebat, amisit. In hamo ergo eius incarnationis captus: quia dum in illo appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis. Ibi quippe inerat humanitas, quæ ad se devoratorem duceret: ibi divinitas, quæ perforaret: ibi aperta infirmitas, quæ provocaret: ibi occulta virtus, quæ raptoris faucem transfigeret. In hamo igitur captus est: quia inde interiit, unde devoravit*. Explicat deinde, quomodo in oculis suis captus sit, quia videbat filium Dei incarnatum, dixerat enim Matth. 8. 29. Quid nobis et tibi fili Dei? sed redemptionis modum nesciebat, et quod esset eius morte conterendus. De Leviathan idem explicat Greg. cap. 9. Quemdam vermem vocari spoliatorem colubri, qui cerebrum eius penetrat eumque occidit, refert Thomas Anglicus in Ps. nostr. Coluber hic est dæmon, qui conteritur et excerebratur ligno crucis. Isaiæ 27. 1. *In die illa visitabit* (puniet, est metalepsis) *Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti super Leviathan serpentem vectem* (Theodotio, robustum. Symm. concludentem) *et super Leviathan serpentem tortuosum* (id est callidum, habentem varios flexus et fraudes) *et occidet cetum, qui in mari est*.

44. IV. [Christus similis est vermi, in resurrectione.] Quarto, Christus similis est vermi matutino onato in Ionæ cucurbita seu hedera, ut ait S. August. Epist. 49. quia diluculo resurrexit; 2. similis est vermi, ex quo nascitur phœnix, ut dicit S. Petr. Damian. lib. 2. Epist. 18. De phœnicis resurrectione et verme sic ait S. Ambr. l. 5. Hexaemer. cap. 33. *Phœnix avis*, inquit, *in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea usque ad annos quingentos, longæva ætate procedere. Quæ cum sibi finem vitæ adesse adverterit, facit sibi thecam de thure, et myrrha, et cæteris odoribus, in quam impleto vitæ suæ tempore intrat, et moritur. De cuius humore carnis vermis exurgit, paulatimque adolescit, ac processu statuti temporis induit alarum remigia, atque in superioris avis speciem formamque reparatur. Doceat igitur nos hæc avis, vel exemplo sui, resurrectionem credere, quæ et sine exemplo, et sine rationis perceptione, ipsa insignia resurrectionis instaurat*; [Vermi phœnicis.] 3. comparari potest Christus vermi, qui sericum producit, qui dum ex ore fila evomit, se illis occultat, postea alas emittit et evolat. [Vermi serica fila educenti.] In passione sua Christus innumeros humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis actus producit, quibus divinitatem suam occultat; sed in resurrectione alas assumit, eius fama per orbem spargitur, fides augetur, et ipse cælum ibi regnaturus ascendit. S. Hieron. in psal. nostr. *Cælum, ait, habitatio Angelorum, et terra habitatio vermium: fecit Deus vermem ascendere in cælum, et Angelum descendere in terram. Christus per humilitatem super omnes cælos ascendit, et diabolus per superbiam deiectus est in terram*.

45. V. [Similis est vermi in Eucharistia.] Quinto, Christus fuit similis vermi in Eucharistia, et hoc loco nostri psalmi vult indicari Ioannes de Pinna in Ecclesiasticum: et inde probat, quod post aliquot versus dicatur, *Edent pauperes, etc*. Sed hæc sunt nimis inter se dissita, ut a se invicem pendeant. Quicquid sit de nostro versiculo, S. Gaudentius Brixianus serm. ult. ait, Christum comparatum esse vermi per prophetiam, non sine ingentis ratione mysterii, et in Eucharistia reperiri. *Labores*, inquit, *passionis Christi, quem velut opem, virginem permansurum virgo mater dedit, tam Reges quam mediocres quique se sequentium, vel ordinis levitici, vel fidelium plebis in figura corporis eius ac sanguinis pro salubritate vitæ communis offerimus, et agnitam dulcedinem mysteriorum conscio ore testamur Ps. 33. 19. Gustate et videte, etc*. S. Augustin. serm. 91. de tempore, ait, Christum, velut manna, fieri vermem, indigne Eucharistiam sumentibus. Et S. Ambr. in psal. nostram. *Quod*, inquit, *filiis Israel subtiliter prophetatum est in veteri testamento. Manna enim illis contra divina præcepta tractantibus, vermes effecti sunt, Exod. 16. 20. id est, contumaciæ ultores et iudices*. Affert illud 1. Cor. 11. 19. Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, et hoc in illis mannæ vermibus esse figuratum dicit.

VI. [Et in iudicio.] Sexto denique, Christus est similis vermi in iudicio, tam in hac vita quam in alia. Primo, vermis fuit dæmo-

ni, ut ait hic Euthymius: Sicut, inquit, vermis tametsi specie exiguus sit, materiam tamen corrodendo delet ac perdit, ita et Christus licet aspectu et præsentia exilis videretur, contrarias tamen ac sibi resistentes dæmonum atque aliorum potestates disperdidit. Hoc præsignificatum est in Davide, ut putat S. Eucher. Lyran. et Hebræi: vel potius in Iesbaab, ut Septuaginta, seu Iesbaam, ut Beda, Abulensis, Serarius, et Salianus. De illo 2. Regum 23. 8. *Sedens in Cathedra* (id significat Iesbaam) *sapientissimus* (1. Paralip. 11. Iesbaam vocatur *hachomoni*, id est, sapiens) *princeps inter tres* (primos scilicet fortissimos Davidis) *ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus* (in sua opinione, et agendi ratione) *qui octingentos* (perperam Iosephus, nongentos) *interfecit impetu uno*, id est, in uno prælio, 1. Paral. 11. tantum trecenti ponuntur, sed intellige in alio prælio: sic in summa occidit 1100. Rupertus in eo repræsentatum Christum pugnantem et vincentem in cruce et iudicio ait his verbis: *In Christo,* inquit, *fuit spiritus humilitatis, quasi tenerrimus ligni vermiculus, quo duce quasi vermem, non hominem se conteri perpessus est: in hoc Verbum Dei est ad unam eamdemque personam unitum homini, quod et fortitudo eius est, in qua percussit octingentos impetu uno. Mortuus enim semel, spoliavit inferos: et nunc sedens in cathedra, omnes iudicaturus est vivos et mortuos. Quis omnium fortium Angelorum aut hominum hucusque pervenit? Fuerunt post eum tres fortissimi, videlicet Apostoli primi prædicatores Trinitatis* (S. Petrus, S. Iacobus, et S. Ioannes) *quorum fortitudinem et nominibus propriis tres illi primi ordinis fortes pulchre exprimunt.*

Iudicando dæmonem.

II. Iudæos.

Secundo, Christus in iudicio erit vermis pungens et corrodens Iudæos. Oseæ 5. 12. *Ego quasi tinea* (Syr. commotio, Septuag. conturbatio) *Ephraim,* (id est, Israelitarum) *et quasi putredo* (Hebr. רקב rakab, teredo, id est, vermiculus in ligno nascens, illud erodens sicut tinea in vestibus, libris, ventre, alvearibus) *domui Iuda*, id est, regno duarum tribuum. Vermi percutienti hederam seu cucurbitam inumbrantem tuguriolum Ionæ, Christum iudicantem Iudæos comparant S. August. et S. Hier. Cum enim dicatur Ionæ 4. 7. *Paravit Deus vermem* (teredinem, ut Arias putat: erucam, une chenille, ut Theophylactus: seu potius, vermem extraordinarium) *ascensu diluculi* (ascendente aurora, ut Pagn.) *in crastinum, et percussit hederam* (Hebr. חיקיון chikaion, id est, cucurbitam, ut legit S. Aug. et vertit Pagn. ricinum, ut Arias, id est, genus fruticis, qui, ut ait Dioscorides, folia habet similia platano, sed maiora. Noster melius vertit hederam) *et exaruit.* S. August. epist. 49. per cucurbitam illam, ut ipse legit, et eius umbram, intelligit umbram Iudaicarum cæremoniarum, quæ Christo veniente cessarunt. *Vermis,* inquit, *matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse rursus Christus occurrit, ex cuius ore Evangelio diffamato, cuncta illa, quæ temporaliter apud Israelitas velut umbraculi prius significatione viguerunt, evacuata marcescunt.*

III. Christianos malos in hac vita.

Tertio, Christus in hac vita Christianis peccatoribus est vermis ob conscientiæ morsum quo illos pungit. Vermis item occulte mordet, et ex improviso domos pulcherrimas evertit, ita Christus occulte punit et familias ditissimas repentina ruina obruit, ob occulta scelera. De conscientiæ remorsu, qui similis est vermi Ionæ, sic ait Theophylactus. *Cucurbitæ* (sic pro hedera habent Septuag.) *umbra est gloria mundi, quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu, ideoque a nobis expetitur: sed ferit eam vermis matutinus, scilicet conscientia nostra remordens, et peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim quasi sensibilis tinea ossium cordisque ob oculos nobis ponens scelera: docensque nos gravibus pœnis dignos, ferit cupiditatem gloriæ, illudque Prophetæ persuadet. Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ipsi: et paulo post. Ea quod peccavi, flagris cæsus sum.* De eversione familiarum, habes Oseæ 5. 12. Ego quasi tinea Ephraim. Eliphaz non filius Esau, sed alius eo longe posterior, amicus Iobi, nomine ipso significans *Dei conatum,* ut aliqui putant, aut *Deus me dissipavit*, ut vult Olympiodorus, ait Iob. 4. 19. *Qui habitant domos luteas* (corpora terrena, lutosa et sordida) *qui terrenum habent fundamentum* (pedes aureæ statuæ, id est hominis etiam ditissimi et nobilissimi, sunt terra) *consumentur velut a tinea.*

IV. Et in fine mundi.

Quarto, Christus præsertim in iudicio extremo erit vermis consumens et corrodens omnes reprobos. Verme nihil mollius cum tangitur: nihil durius cum tangit; unde ligna durissima perforat et evertit. Christo nihil in Passione mitius, cum percutiebatur: in iudicio nihil terribilius, cum condemnabit. Isaiæ 42. 14. per mimesim et prosopopœiam inducitur hæc dicens: *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo* (Forerius, anhelabo, id est, præ labore occidendi, ero anhelus, vix potero respirare) *et absorbebo simul. Desertos faciam montes* (id est superbos) *et colles, et omne gramen* (delicias et voluptates) *eorum exsiccabo: et ponam flumina* (voluptuosos) *in insulas*, id est, in aridam, *et stagna arefaciam.* Montes sunt, qui cum dæmone dicunt, in cælum conscendam. Flumina sunt, qui cum mundo per prata florida serpunt, ut ubique delicias reperiant. Stagna sunt, qui carni suæ servientes manent pigri et torpidi in putidis et lutosis voluptatibus. Hos omnes perdet iudex. Eccl. 5. 4. *Ne dixeris: Peccavi: et quid mihi accidit triste?* (Arabs, et non sum cruciatus) *Altissimus* (Deus in cælo habitans) *est patiens redditor*, id est, retributor suppliciorum: quis est patiens; Græc. μακρόθυμος, id est, longanimis: Arabs, est longus patientia et benevolentia. Tigurina, Dominus patiens quidem est, sed impune te non dimittet. Dicebant veteres, Dii laneos habent pedes, sed manus ferreas. Lege S. Greg. hom. 13. in Evang. et S. Paulin. epist. 18. Deus, ut ait Ugo Cardin. in Psal. nostr. est vermis patiens, ecce mollities: redditor, ecce duritia. Patientiam ostendit et iustitiam Ps. 128. Patientiam quidem v. 3. *Supra dorsum* (Chald. corpus) *meum fabricaverunt peccatores* (S. Hieron. et Chald. araverunt arantes: Arabs, flagellaverunt me peccatores) *prolongaverunt iniquitatem suam.* S. Hieron. sulcum suum. Chald. arationem suam. Iustitiam vero declarat v. 4. *Dominus iustus concidit* (S. Hilar. et S. August. concidet) *cervices peccatorum, etc.* S. Hieron. laqueos impiorum. Et vero quis impunitos esse posse putaverit eos, qui filium Dei agnum sine macula, ad lanienam et crucem tam crudeliter duxerunt, et peccatis suis iterum illum crucifigunt. Hoc considerans Paulus ait Hebr. 28. *Irritam quis faciens* (Syr. transgrediens) *legem Mosi, sine ulla miseratione duobus* (per, vel ob duos) *vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti* (id est, Christi sanguinem, in quo sancitum est novum fœdus cum Deo et hominibus) *in quo sanctificatus est, pollutum* (Gr. κοινόν, id est, communem. Quod autem erat commune Gentilibus, in cibis v. g. censebatur a Iudæis immundum et pollutum) *duxerit, et spiritui gratiæ* (hoc est, Spiritui sancto gratiam danti in baptismo et aliis sacramentis) *contumeliam fecerit*, templum eius violando, nempe animam sanctam, et ab ea eum eiiciendo, cui erat unitus, accidentali quidem, sed vero, physico et admirabili modo. De omni peccato id explicari potest cum Galeno: de apostatis a fide Christi, cum Cornelio, de iis qui indigne sumunt sacramenta, cum S. Ambrosio. Tam severum iudicem timeamus, cum simus putredo et cinis. Vide S. Bernard. serm. 1. de adventu Domini.

ARTICULUS. V.

Quam pura Christi conceptio et nativitas, et quam certo Deipara sit Virgo ante partum, in partu, et post partum.

Quartam rationem, cur exaudiri debeat, Christus affert: nempe quod ab ipso primo instanti conceptionis et nativitatis se in Deum patrem proiecerit, eiusque unius
Vers. 10. curæ se commiserit, v. 10. Quoniam tu es, qui extraxisti (Tertull. de carne Christi cap. 20. avulsisti. Arabs, eduxisti) me de ventre: spes mea ab uberibus matris
Vers. 11. meæ. Et v. 11. In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Quibus duobus versibus Christus facit veluti gradationem, qua probet se Deo esse curæ. Primo, quod in nativitate a Deo adiutus sit. Secundo, quod mirabiliter enutritus lacte virgineo. Tertio, quod nascens exceptus velut Dei manibus, per Angelos. Quarto denique, quod in primo conceptionis instanti varia dona ab ipso acceperit. De singulis pauca dicenda sunt hoc et sequenti articulo.

Quod primum attinet nota primo pro *extraxisti*, Hebr. est גֹחִי *gochi*, id est, 1. *eductor meus*, ut vertit Pagnin. et Arias. Est enim Toar, sive adiectivum, extrahens me, ut Felix, a radice גיח *ghuach*, id est, erumpere, prorumpere, sese proripere: et cum est adiectivum, educere, protrudere; 2. *gochi*, id est *propugnator meus*, ut vertit S. Hier. 3. fiducia mea, ut Syrus.

Nota secundo. In voce *extraxisti*, denotatur primo, quod sibi Christus complacebat in utero virgineo, et ab eo velut invitus exibat, velut e cælo suo ac throno. Erat ibi Salomon pacificus in throno eburneo, cincto leonibus, id est, Angelis fortibus, et a terrenis elevato per multos gradus virtutum, quorum fundamenta erant in montibus Sanctis. Erat ibi velut Sol in signo Virginis et in eius sinu: vel sicut gemma in sua concha, nihil salsedinis reci-
48. Sensus primus. piens. Sensus itaque erit, q. d. Vivebam quietus et imperturbatus in utero matris meæ vallato liliis odoriferis gratiarum omnium, tu me in spinas et acerbitates vitæ coniecisti, tu me spinis et clavis configi permisisti: itaque qui me in laborum et dolorum stadio collocasti, a loco quietis avulsum, da vires ad cursum et ad coronam. Eutrop. lib. 3. de gestis Roman. refert, Saguntinum quemdam puerum in Hispania, prope natum, matris in uterum regressum esse veluti timore humanæ vitæ in his terris, perculsum: quanto magis id facere Christus optasset, qui nihil sibi ab hominibus paratum esse sciret præter contumelias, opprobria, sputa, colaphos, flagella, spinas, crucem, clavos, lanceam, mortem. Emicuit tamen, velut gigas, amore hominum incitatus ad currendam viam; et a summo cælo, id est, virgine, Angelis omnibus excellentiore, egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius, cum e cruce depositus, positus est in sinu ipsius ab altero Ioseph et a Nicodemo. Ovis immaculata Christus erat in utero matris, velut in aureo vellere, illud sibi eripi passus est, propriam pellem daturus in passione.

49. Sensus secundus. Secundo, τὸ *extraxisti* denotat mirum aliquid et insolitum in Christi nativitate contigisse, eumque non prodiisse in lucem modo ordinario et hominum auxilio, sed Dei unius manu. De mulieribus Hebræis in Ægypto existentibus dicitur Exod. 1. 19. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres, ipsæ enim obstetricandi habent scientiam.* Hebr. quia ipsæ sunt חָיוֹת *chaiot*, id est, vivificatrices; 2. obstetrices, ut Pagnin. 3. vividæ et vegetæ, ac vivaces. Hinc Chald. reddit. Quoniam vivificant ipsæ antequam veniat ad eas obstetrix: orant coram patre suo cælesti, et exaudit eas, atque ita pariunt. Ita Chald. Si hoc verum fuit in aliquibus Hebræis mulieribus, quanto magis in Deipara? Quæres, an dolorem passa sit in partu B. Virgo, hoc enim indicare videtur, τὸ *extraxisti*. Resp. cum omnibus Patribus eam sine ullo dolore peperisse, sicut sine ulla carnali et illicita delectatione de Spiritu sancto conceperat. Isaias id prophetat cap. 66. 7. *Antequam parturiret,* (id est haberet dolores partus) *peperit: antequam veniret* (ut claustra virginitatis rumperet ac viam sibi faceret) *partus eius, peperit masculum.* Et sexu, et robore, nempe Christum: multæ post multos dolores pariunt fœminas, id est, molles et effœminatos. S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. *Virgo sanctissima sine dolore peperit, quem sine voluptate concepit.* S. Cypr. de nativ. Christi, *Genitrix est*, inquit, *et obstetrix.*

Tertio, τὸ *extraxisti*, denotat B. Virginem mansisse in partu adhuc virginem. Nam extractio declarat, viam nullam fuisse apertam, per quam exiret, sed Christum ex utero raptum statim foris apparuisse. Exivit enim per totam latitudinem uteri, ut docet Tostatus, sicut ingressus est cœnaculum Apostolorum ianuis clausis, Ioan. 20. 26. per veram penetrationem: sicut ascendit super omnes cælos, Ephes. 4. 10. neque tamen cælos divisit, ut viam sibi aperiret, sed eos penetravit. Unde S. August. serm. 15. de tempore, et S. Chrysol. serm. 142. docent virginitatem Deiparæ in Christi nativitate auctam fuisse, non imminutam. Ad quod plenius explicandum.

Dico, Deiparam fuisse virginem, 1. ante partum, concipiendo Christum sine susceptione seminis virilis, sed ex sola operatione Spiritus sancti. Secundo, in partu. Tertio, post partum. 50. Deipara fuit virgo, primo, in partu.

Ac primo, quod magis ex psalmo nostro deducunt sancti Patres, Virgo fuit in partu, et in eo integerrima et prorsus incontaminata permansit. S. August. Epist. 120. cap. 42. explicat psalmum nostrum in hunc sensum: *Quid est*, ait, *tu es qui extraxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum de Virgine procreatum refertur? an inde significare voluit partum Virginis servata integritate mirabili? ut cum Deus fecisse dicitur, quod illic mirabiliter factum est, nemini incredibile videatur.* Et Euseb. lib. 10. de demonstr. Evang. cap. 8. Christum loquentem sic inducit: Cum humanum corpus assumerem, me ex ipsius parturientis utero tu ipse Deus meus et Pater meus, ὥσπερ μαιούμενος, *tamquam obstetricis fungens officio*, pro eo quæ mihi comparata erat in carne, extraxisti.

Probatur, apertissimo testimonio Isaiæ 7. 14. *Ecce* (q. d. adeste animis ad tantum mysterium contemplandum) *Virgo* (הָעַלְמָה *haalma*, illa Virgo excellentissima) *concipiet et pariet* (adhuc Virgo) *filium: et vocabitur nomen eius Emmanuel*, id est nobiscum Deus. Galli abbreviant et dicunt, *Noel*, id est, nobis Deus, vel noster est Deus, a *nu*, id est, nos, et *el*, Deus. Quem locum de Deipara Christum conceptura et paritura sine virginitatis suæ amissione exponunt Patres omnes. S. Iren. lib. 3. cap. 9. 18. 21. 24. 26. S. Iustin. in Tryph. longe post initium. S. Athan. ad Epictetum. S. Basil. hom. 25. S. Ambros. Epist. 81. S. August. serm. 2. et 4. de Nativitate, et alii. Patres sextæ Synodi Œcumenicæ, Act. 11. sanciverunt. *Mariæ virginitas ante partum, in partu, et post partum, intemerabilis.* Et S. Bern. serm. 2. de adventu, id recte probat ex dignitate filii et matris. *Talis partus*, inquit, *congruebat virgini, ut non pareret nisi Deum: et talis nativitas decebat Deum, ut nonnisi de virgine nasceretur.* Et serm. 4. de Assumpt. Neque, ait, filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter. Proclus item Cyzicenus hom. de Christi nativit. In Concil. Ephes. cap. 7. *Si ea, quæ genuit, virgo non permansit: neque is, qui natus est, aliud quam purus homo extitit.* Et S. Leo serm. 1. de nativit. *Merito virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit salutis editio veritatis.* Secundo, non decebat a filio tam potente quidquam ornamenti eripi matri. S. Augustin. lib. 1. de fide ad Catechum. *Ipse*, ait, *Christus Virginis filius, et Virginum sponsus, attulit matri fœcunditatem, sed non abstulit virginitatem.* Tertio, Christus natus est, ut a mundo tolleret omnem corruptionem. Itaque non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet. S. Epiphanius a simili ducit argumentum hær. 78. *Abrahamo*, inquit, *impositum est epithetum amicus Dei, et non dissolvetur: Iacobo vero ut Israel vocetur, et non alterabitur: et Sanctæ Mariæ vox, Virgo,*

Probatur ex Isaia.

Et patribus.

51. Et tribus rationibus. 1. 2. 3.

et non mutabitur: nam impolluta permansit. Quarto, S. Thomas rationem sumit a verbo mentis. Sic enim 3. p. q. 28. artic. 2. Competebat matris virginitas proprietati eius, qui nascebatur, qui est verbum Dei. Nam Verbum non solum in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto Virginis utero nasceretur. Unde in sermone quodam Concilii Ephesini legitur: Quæ parit carnem puram a virginitate cessat: sed quia natum est in carne Verbum, Deus custodit virginitatem, seipsum ostendens per hoc verbum. Neque enim nostrum verbum cum pariter corrumpit mentem: neque Deus Verbum substantialem partum eligens peremit virginitatem.

52. Figuræ. Lapis de monte decisus sine manibus.

Figuris aliquot illa Deiparæ Virginitas in partu est adumbrata. Primo, lapidis de monte decisi sine manibus. Dan. 2. 45. *De monte abscissus lapis sine manibus.* Quod S. Hier. ibid. et epist. 22. ac 57. S. Iustin. in Triphon. S. Iren. lib. 3. cap. 38. de Christo exponunt. Mons enim fuit populus Iudaicus, qui inter omnes ob Dei notitiam et cultum eminebat, ut explicat S. Aug. tract. 9. in Ioan. Vel melius, mons fuit B. Virgo ob sublimitatem omnium virtutum et gratiarum, ut ait idem S. August. conc. ad catechumen. Lapis vero abscissus sine manibus est Christus, id est, sine operatione virili, ut S. Epiph. ait serm. de laud. Virginis. Et recte Theodoretus advertit, ortum supra naturam solere lapidis excisionem nominari. Petra enim ex se naturaliter aliquid producere aut generare nequit.

53. II. Rubus ardens.

Secunda figura intemeratæ conceptionis et nativitatis Christi est rubus ardens a Mose visus in monte Horeb. Exod. 3. 2. *Apparuit Mosi Dominus* (id est, Filius Dei, ait Theodoretus, se enim Deum vocat; 2. et melius Angelus Domini, ut est in Hebr. Chald. et Septuag. sed quia repræsentabat Christum redemptorem: ait enim vers. 8. descendi ut liberem eum, et in omnibus veteris testamenti apparitionibus figuratum fuisse filium, non Patrem aut Spiritum sanctum censet S. Hilar. lib. 4. de fide, et S. Iustin in Tryph.) *in flamma ignis* (veri, et non tantum apparentis) *de medio rubi,* (cui adhærebat, non inhærebat) *et videbat, quod rubus arderet,* (ardere videretur) *et non combureretur.* Ad literam, ignis ille est symbolum Dei, qui Iudæos velut rubum in Ægypto incendebat, sed non absumebat, verum illustriores et admirabiliores reddebat. Secundum allegoriam figuratur Christus e Virgine nasciturus sine amissione illius virginitatis, sicut dicit Origen. hom. 1. ex decem variis, Theodoret. S. Bern. S. Greg. Nyss. oratione de Christi nativitate, qui sic ait: *Ut frutex incendit ignem, et non crematur: itidem etiam virgo et lumen parit, et non corrumpitur.* Et Proclus Episcop. Constantin. tractat. de Deipara, dicit: *Hæc animatus naturæ rubus, quem divini partus ignis non absumpsit.* Et Ecclesia canit: Rubum quem viderat Moses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix.

54. III. Hortus conclusus.

Tertia figura intemeratæ conceptionis et nativitatis Christi in virgine, est hortus conclusus, de quo ipse Sponsus, nempe Christus ait Cantic. 4. 12. *Hortus conclusus* (Hebr. נעול *nahul*, id est, obseratus, ut vertit Arabs et Arias, obfirmatus, ut Pagnin.) *soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus;* Arabs sigillatus: sigillo totius Trinitatis, ut ait Sophronius serm. de Assumptione. Hortum illum de Deipara explicat idem Sophron. S. Ildephonsus, S. Hieron. epist. 22. et lib. 1. in Iovin. atque alii. Si enim placet divina pomaria decurrere, videbis rosis ardentes Martyrum hortos, albentes Virginum areolas liliisque illuminatas: narcissis, amaranthis, violis Damascenis, ocellis coronariis, variegatis tulipis amœnos reliquorum Sanctorum paradisos. Sed omnium in medio, et in selectissimo loco, eminet hortulus aromatum, nardi et croci, ac balsami, florumque et arborum omnium excellentium: hic est Deiparæ hortus, sed clausus. Possis conferre cum horto Salomonis, de quo agi ibi in sensu grammaticali putant Brochard. et Bredembach. ex quibus eum sic describit Adrichom. in descrip. terræ sanctæ, pag. 170. num. 189. *Hortus,* ait, *regius, qui hortus conclusus dicitur, hortus erat in suburbanis Ierusalem, muris undique septus et obfirmatus: atque sicut paradisus arborum, fruticum, herbarum, aromatum, florum, fructuumque ubertate amœnus, mulcendisque ac fovendis sensibus conveniens, et ad secessus voluptuarios idoneus. Ubi erat inclytus ille fons Rogel, et lapis Zoheleth, quorum frequens in Scriptura mentio fit. Ubi Adonias cum regnare instituisset, immolavit victimas, et una cum suis asseclis convivium fecit, 3. Reg. 1.* Itaque fons signatus, erat fons Rogel. Quemadmodum in Persidе erat fons, ex quo solus Rex, eiusque filius primogenitus bibebant; adeo ut, si quis alius de illo bibisset, capite plecteretur, ut ait Athenæus lib. 12. cap. 3.

In hunc hortum intravit Christus allapsu mirifico, non florum honorem decussurus, aut ramos fructusve arborum deiecturus: sed vivaciorem colorem et suaviorem fragrantiam floribus aspersurus, et gratiorem fructibus succum infusurus. Ab eo horto deinde exiit, ita ut clausum reliquerit et intactum. Hinc Salomon ait Proverb. 30. 18. *Tria sunt difficilia* (Hebr. abscondita, ut reddit Pagn. 2. mirabilia, ut Aquila et S. Ambros. 3. impossibilia intellectu, ut Septuag.) *mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* Hebr. בעלמה *bealma*, id est, in virgine. *Alma* enim significat puellam paternis adhuc in penetralibus conclusam, viroque occultam; rad. עלם *alam*, abscondit, occultavit. De Christo in Virgine incarnato hunc locum exponit Suares 3. p. q. 28. art. 1. disp. 5. sect. 1. Rabbini veteres, ac præsertim R. Haccados, hoc est sanctus apud Galatin. l. 7. cap. 15. Sic hæc explicat Anastasius Nicænus in quæst. S. Script. qu. 43. Quis, ait, intelliget ac mente comprehendet viam aquilæ volantis in cælo, id est, Christi ascensionem: viam serpentis super terram, nempe vestigium peccati in corpore Christi: et semitas navis per mare, nempe Ecclesiæ, utpote quæ in hac vita tamquam in mari spe in Christum per crucem gubernatur: et vias viri in iuventute: nempe eius, qui natus est ex Spiritu sancto et Virgine? Ecce enim vir oriens nomen eius. Zachar. 3. 6. Ita Anastas. Lege S. Ambros. tract. in cap. 30. Proverb. qui extat sub finem tom. 2. et inscribitur de Salomone pag. 1090. ubi 1. per viam aquilæ in cælo intelligit Christi descensum in terras virginisque uterum, et rursus eiusdem ascensionem in cælos; 2. per viam colubri in petra, immunitatem Christi a peccato et servitute diaboli; 3. per viam navis in mari, Christi tum incarnationem, tum crucem, tum Ecclesiam; 4. per viam viri in adolescentia, Christi vitam et conversationem in hoc mundo. Lyranus per viam aquilæ in cælo accipit Christi ascensionem. Per viam colubri super terram, eius resurrectionem. Per viam navis in medio mari, eiusdem conversationem in hoc mundo. Per viam viri in adolescentia, eiusdem nativitatem ex Virgine illibato pudicitiæ claustro.

Via viri in adolescentula est incognita.

55. IV. Stella Iacob.

Quarta figura, est stella Iacob toti orbi irradians nulla sui læsione divino radio, nempe Christo, emisso. Numer. 24. 17. *Orietur stella ex Iacob:* primo David, ut aliqui volunt. Secundo, et melius, Christus, qui est stella matutina, Apocal. 22. 16. eius sex radii sunt, humilitas, mansuetudo, obedientia, patientia, misericordia et charitas. Hinc Chald. Paraph. habet: *Consurget Rex de domo Iacob, et ungetur Christus de domo Israel, et occidet principes Moab, et dominabitur omnium filiorum hominum.* Tertio, stella illa saltem Symbolice est Deipara. S. Bern. homil. 2. super missus est. *Sicut,* inquit, *sine sui corruptione sidus suum emittit radium: sic absque sui læsione virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec virgini filius suam integritatem. Ipsa igitur est nobilis stella ex Iacob, cuius radius universum orbem illuminat.* Hæc stella peperit Solem, fuit Phosphorus seu Lucifer solem advehens nobis. Albinus sive Alcuinus ait in

vita S. Willebrordi Episc. Traiect. matrem eius noctu in somnis vidisse quasi novam Lunam crescentem ad plenitudinem: quam cum attentius intueretur, repente in os eius ruit. Ea autem devorata eius intima splendore perfusa sunt. Evigilans somnium recitavit cuidam religioso presbytero, qui ait: Luna, quam ex modica vidisti in magnam crevisse, filius est, quem ea nocte concepisti, qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, et quocumque perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum; coruscanteque rumoris eius candore, et morum pulchritudine, multorum in se alliciet aspectum. Post sibi natum filium vocavit Willebrordum. Ita ibi. B. Virgo non Lunam tantum, sed Solem ipsum ore vel potius aure hausit et utero continuit: unde non solum fuit mulier amicta Sole, Apoc. 12. v. 1. sed amiciens et amicabiliter complectens Solem, qui ab ea exivit velut gigas ad currendam viam suam, pro mercede hospitii sui relinquens ei maiorem splendorem virginitatis, et vehementiorem ardorem charitatis.

56. V. Porta orientalis.

Quinta figura virginitatis Deiparæ in partu est porta Orientalis, quæ soli patebat Principi. Ezech. 44. 2. *Porta, quæ respicit ad Orientem* (in sanctuario exteriori, id est, in atrio) *clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam* (in curru illo mirabili a se viso et descripto c. 1.) *eritque clausa principi* (id est in usum principis et Regis, cui diebus sabbati aperiebatur, ut in ea consistens spectaret sacrificia prope atrium Levitarum, eam portam non licebat ei, utpote laico, transire) *Princeps ipse sedebit* (id est manebit) *in ea.* Alleg. Virgo fuit clausa principi, etiam cum princeps, id est, Christus per eam transivit. S. August. serm. 2. de Nativ. *Porta*, inquit, *clausa est signaculum pudoris, immaculata carnis integritas: Non enim violata est partu, quæ magis est sanctificata conceptu.* Et serm. 14. *Quid est*, ait, *porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, Homo* non *transit per eam, nisi quia Ioseph non cognovit eam? Et quid est, quod Deus solus intrat et egreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus impregnavit eam? Et quid est, quod clausa erit in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? Dicat ergo Maria: Porta facta sum cæli, ianua facta sum Filio Dei. Illi facta sum ianua clausa, qui post suam resurrectionem ingressus est per ostia clausa, qui natus de ventre meo, me matrem dimisit intactam. Adimplevit ventrem meum divinitate et uterum meum non evacuavit castitate:* nec *in conceptione inventa sum sine pudore, nec in parturitione inventa sum cum dolore.* Quomodo Christi nativitas fuerit sine dolore matris, et sine sordibus puerperii, docet Suar. 3. p. q. 35. art. 8. disput. 13. sect. 2.

57. Deipara fuit virgo ante partum

SECUNDO, ex psalmi nostri versiculo infert S. Cyrill. Ieros. Catech. 12. Deiparam fuisse Virginem etiam ante partum. Tu, inquit, extraxisti me de ventre: significans, *χωρις ανδρος, sine viro*, de virginis utero et carne extractum et natum esse. Eorum enim, qui lege nuptiali nascuntur, alius est modus. Ita ipse. Probat deinde hanc veritatem contra paganos, contra Iudæos, et contra hæreticos.

Probatur contra paganos.

Ac primo contra paganos ait: *Qui dicitis proiectos lapides in homines mutari, quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Iovis cerebro natam filiam* (nempe Palladem) *fabulamini, quomodo ex utero virginali nasci aliquem, impossibilem esse dicitis? Qui de femore vestri Iovis prognatum falso esse dicitis Bacchum, cur nostram veritatem reiicitis?* Poterat enim contra illos etiam ex rebus naturalibus agere.

Phœnix e verme oritur sine semine.

Si enim Phœnix ex vermiculo sine ullo semine nascitur, ut ait Rufin. tract. de Symbolo. Si vultures oriuntur sine masculorum commercio, quod refert S. Ambros. lib. 5. Hexaem. 10. et S. Basil. hom. 8 Hexaem. Si apes sine concubitu procreantur, ut docet Virgil. 4. Georg. Si equæ in Capadocia vento concipiunt, ut S. Aug. lib. 21. de civit. cap. 5. perhiberi asserit: et in Lusitania, ut Plin. lib. 8. cap. 42. et Varro lib. 2. de re rustica, cap. 2. unam matrem suam hoc decore et honore illustrare Deus non poterit, ut concipiat de Spiritu sancto sine commercio sordium et luti?

Probatur contra Iudæos.

Secundo, S. Cyrill. cit. sic Iudæos urget. *Utrum est difficilius, senem et sterilem, muliebribus iam deficientibus parere, aut virginem iuvenem generare. Sterilis erat Sara, et deficientibus iam muliebribus, præter naturam peperit. Igitur cum et sterilem et virginem parere sit, παρα φυσιν, præter* naturam, *aut utrumque nega, aut utrumque concede. Idem enim Deus utrumque operatus est: neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo.* Ostendit deinde non esse difficilius virginem parere, quam virgam Mosis in animal mutari. Ubi obiter adverte Cyrill. censere, virgam fuisse mutatam in verum serpentem non tantum in apparentem, alioqui nihil probaret.

Afferri possunt huius rei variæ figuræ. Primo, Adami creati immediate a Deo ex terra, ut sic dicam, virgine, 58. Figuræ: 1.
nulla pluvia aut semine fœcundata, neque ullius manibus exculta, Gen. 2. 7. *Formavit* (Græc. ἔπλασεν plasmavit ut figulus in modum statuæ corpus conformans) *Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ* (Hebr. חיים chaim, id est vitarum: quia anima rationalis dat homini vitam triplicem: nempe plantarum, brutorum, et Angelorum) *et factus est homo in animam viventem.* Chald. Factus est homo in animam loquentem. Quod perfectissime Christo convenit. Nam statim atque in conceptione recepit spiraculum vitæ, id est animam rationalem, Spiritu sancto Virginem obumbrante, Christus fuit perfectissimus homo, unitus personæ verbi, habens visionem beatificam, gratiam sanctificantem, dona Spiritus sancti et omnes virtutes. Tunc cepit loqui Deo, eum laudare et contemplari, tum per scientiam beatificam, tum per scientiam infusam, variosque virtutum omnium actos exercere. *Anima est Deiforme spiraculum vitæ*, ut ait S. Aug. et S. Eucherius: at Christus est Deus. Quod ad formationem spectat, sic ad rem nostram loquitur S. Ambr. serm. 37. de Quadrages. *Adam*, inquit, *de terra virgine natus est, et Christus matre virgine procreatus: illius maternum solum necdum scissum fuerat: istius maternum secretum numquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur e limo, Christus Dei spiritu formatur in utero.* S. Ignatius epistol. ad Heronem, ait, eiusmodi partum decuisse Deum, utpote omnium opificem.

Terra virgo, ex qua formatus Adam.

Secunda figura ostendens immaculatam fuisse Deiparam et virginem permansisse in conceptione filii sui, est II.
virga Aaron divinitus frondens ac fructus producens. Numer. 17. 8. *Moses sequenti die regressus* (ad tabernaculum) *invenit germinasse virgam Aaron in domo* (in tribu) *Levi, et turgentibus gemmis* (bourgeons, boutons) *eruperant flores* (Hebr. floruit florem: virga scilicet) *qui foliis dilatatis in amygdalas deformati* (transformati) *sunt.* De Deipara id exponunt S. Bern. et Rupertus. Flos qui floruit, ut sic dicam, est Christus, de quo Isaiæ 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse*, (id est de familia Isai seu Iesse, qui fuit pater Davidis) *et flos de radice eius ascendet.* Quod considerans S. Ambros. lib. de benedict. patriarch. cap. 4. ait: Radix, familia Iudæorum: virga Maria: Flos Mariæ, Christus est, qui fœtorem mundanæ colluvionis abolevit, odorem vitæ æternæ infudit. Lege illum lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 5. Hinc Christus est verus Nazaræus, id est flos et floridus. De virga Aaronis dicit S. August. serm. 3. advent. *Virga Aaron ecce protulit, quod ante non habuit, non radicata plantatione, non defossa surculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, et tamen cum illic deessent universa iura naturæ, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces producere: virga non potuit contra naturæ iura Dei filium generare?*

Virga Aaron.

Flos e Deipara exurgens, erat lilium. Cantic. 7. 2. ait 59.
Sponsus: *Venter tuus sicut acervus* (Symm. cumulus) *tritici vallatus liliis.* Tigurina, circumseptus liliis. Ubi Guilielmus, Venter, inquit, virginis fuit sicut acervus tritici, quia prole distentus et tumidus, sed tamen vallatus liliis, quia perpetuæ virginitatis inanitate, sed veritatis

Christus est flos campi.

plenitudine tumidus. Ita ille. Illud vero lilium est lilium convallium, quod sponte provenit sine lebore humeno. Cantic. 2. 1. *Ego flos campi* (Hebr. חבצלת *chabatselet*, id est, rosa, ut vertit Marinus; 2. flos, ut S. Hier. 3. lilium ut Syrus, qui reddit, Ego lilium loci fertilissimi) *et lilium convallium*. Heb. שושנה *sciosciano lilium*. Chald. et Galat. l. 7. c. 5. vertuut, rosæ; 2. Guidecerius, violæ; 3. melius, Noster, S. Hier. Abeo Ezra et alii, liliom. Unde a Phœnicibus et Arabibus lilium dicitur Susana: et Athenens lib. 12. ait, Susam urbem regiam Persidis sic vocetam esse a liliorum ibi nascentium copia. Quod Christus flos campi nuncopetur, sic ad rem nostram transfert S. Bern. serm. 2. de advento. *Christus*, inquit, *Dominus flos est candidus et rubicundus, electus ex millibus: flos in quem prospicere desiderant Angeli: flos, ad cuius odorem reviviscunt mortui, et sicut ipse testatur; flos campi est, non horti: campus enim sine omni floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo: sic omnino sic Virginis alvus floruit: sic inviolate, integra et casta Mariæ viscera, tamquam pascua æterni viroris florem protulere*. Venter Virginis fuit valletus liliis, ut diximus, et fuit acervus tritici. Dionys. Carth. de laud. Virg. per acervum tritici, Mariæ fœconditatem: per lilia autem eius virginitatem accipit.

60. III. Vellus Gedeonis. Tertia figura virginitatem Deiparæ in conceptiooe filii ostendens, est vellus Gedeonis rore cælesti plenum. Iudicum 6. 37. hoc signum petit a Deo, quod salvum facturus esset Israeliticum populum opere sua. *Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam, quod per manum meom sicut locutus es, liberabis Israel.* Ubi Cornelios, Ros, ioquit, in vellere est Christus in Virgine. Ros enim significat Verbi in Virginem illapsum et incarnationem instar roris fore secretum, tranquillum, castum, suavem, et spirituelem, fœcundum sine virginitatis corruptiona, et sine partus dolore. Vellos enim est tam uterus Virginis, quam humanitas Christi utero Virginis concepta, in quam se divinitas, ut ros cælestis insinuavit. S. Chrysol. serm. 143. *Vellus*, inquit, *cum sit de corpore, nescit corporis passiones: sic virginitas cum sit in carne, vitia carnis ignorat. Cælestis ergo imber virgineum in vellus placido se fudit illapsu, et toto divinitatis unda tribulo se nostræ carnis celavit in vellere, donec per patibulum crucis expressum, terris omnibus in pluviam salutis se effunderet.* Vide S. Bern. serm. 2. super Missus est. Et dicta Ps. 71. 6. Descendet sicut plovia in vellus.

61. IV. Nubes lucida et levis. Quarta figure virginitatem Deiparæ in conceptione filii ostendens est nubes lucida et levis, de qua Isaias 19. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie eius, et cor Ægypti tabescet* (Vatabl. liquescet) *in medio eius.* Ægyptus totus orbis intelligitur, superstitionis et maledictioois elogio, ut ait Tertullian. lib. contra Iudæos cap. 9. Nubes levis est corpus Christi conceptum de Spiritu sancto, et terrena substantia deitatis solem temperante, ut det pluviam doctrinæ Ægypto, io quam fugit. Ita S. Athan. S. Cyrill. S. Aug. 2. ad rem præsentem, nubes levis est Deipara ulnis ferens Christum iu Ægyptum, et ibi statim simulacra idolorum confringens. Ita S. Hieron. et S. Ambros. Vel nubes levis est B. Virgo Christum velut solem otero gestans, et nullo semine gravidete, eumque inferens in Ægyptum, quæ tenebras significat, ut quidam putant, id est lo mundom tenebrosum, ut principes tenebrarum inde exterminet.

62. Probatur contra hæreticos. Tertio denique, contra hæreticos virginitas Mariæ in conceptione filii probatur ex Scripturis. Matt. 1. 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, qui modo miraculoso et superoaturali in instanti formavit corpus Christi ex sanguine porissimo Deiparæ, ot docet S. Thom. 3. p. quæst. 33. artic. 1. et ult. et in illud animam infudit, artic. 2. et uaivit Verbo artic. 3. gratiam sanctificantem in eius animam infudit, q. 34. art. 1. libero arbitrio donavit, art. 2. ita ut mereri potuerit in illo primo instanti, art. 3. et fuerit comprehensor, art. 4. Uode dicitur, quod in ea γεννηθεν, id est generatum, natum, simul et eodem tempore conceptum, formatum et animatum. Secundo, Luc. 1. 35. *Spiritus sanctus superveniet* (Arab. descendet) *in te, et virtus altissimi* (Spiritus sanctus potentissimus) *obumbrabit tibi* (id est velut sacra umbra te obvelabit, tibi suam potestatem uniet, qua fœcundam te et gravidam faciat ac matrem Dei) *ideoque et quod nascetur ex te sanctum* (Syr. sanctus ipse) *vocabitur* (erit. Est hebraismos) *Filius Dei*. Sic de ea formatione corporis Christi et Deiparæ virginitate ait Proclus Patriarcha Constantinop. *Maria*, inquit, *ancilla et mater, Virgo et cælum. Hæc sola pons est, per quem Deus ad hominem descendit: Hæc admiranda illius œconomiæ tela, ex qua et in que ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica confecta; cuius quidem textor extitit Spiritus sanctus: netrix, virtus ex alto obumbrans: lana, vetuste piloseque Adami pellis: trama, impolluta Virginis caro: radius textoris, immenso gestantis gratia: artifex, verbum per auditum illapsum.* S. Cyril. Ieros. Catech. 21. *Decebat*, ioquit, *purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim, qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet a muliere: ipse Iesus quomodo ex viro et muliere proditurus esset?*

Quatuor convenientias, cur ex virgine concipi debuerit Christus, affert S. Thom. 3. p. q. 38. art. 1. Primo, propter mittentis Patris dignitatem. Secundo, ob filium, qui est verbum Dei. Tertio, conveniens erat Humanitati Christi, quæ per peccatum coocipi non debebat. Sed hæc ratio non concludit, quia non omnis actus generantis, et concipientis per modum ordinarium est peccatum, imo actus virtutis, si cum ratione et modo fiet. Quarto denique, propter finem Incarnatioois: ut scilicet homines renascerentur in Filios Dei, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo: id est ex ipsa Dei virtute. Adde propter dignitatem matris, quæ propterea vocatur a S. Damasc lib. 4. de fide, cap. 25. virginitatis decus et ornementum, a S. Basil. de humana Christi generatione vera dicitur, nullam puritatem parem Mariæ virginitati inter homines. S. Ambr. epist. 82. hinc deducit, magnam fuisse gloriam virginitatis, quod electa sit, ut esset corporale Dei templum. Et S. Athanas. lib. de virginit. *O virginitas*, inquit, *opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus sancti, margarita speciosa, vulgo inconspicua, gaudium prophetarum, gloriatio Apostolorum, Angelorum vita, Sanctorum corona.* Et in Apologia ad Coostantiom Imperatorem. Puellas, ait, virginitate præditas, sponsas Christi catholica Ecclesia appellare solita est, quas ethnici coospectas, *ut templum Verbi*, admiratione prosequuntur. 63. Ratio quadruplex.

Tertio denique, Deipara fuit virgo post partum, id est, nullum actum coniugalem exercuit, postquam peperit Salvatorem. Unde io V. Synodo can. 6. dicitur, semper virgo immaculata, et in VI. Synodo art. 11. *Mariæ virginitas ante partum, in partu, et post partum intemerabilis.* Probatur deinde, quia Deipara voverat virginitatem, ut patet Luc. 1. cum Angelo maternitatem Dei offerenti ait v. 34. *Quomodo fiet istud* (non dubitet de veritate, sed de modo) *quoniam virum non cognosco*, cognoscere non possum, ob votum scilicet. Nam ut ait S. Aug. *Hæc profecto id non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset: sed quia hoc mores Israelitarum recusabant, desponsata est viro · non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam voverat.* Votum illud agnoscunt S. Greg. Nyssen. S. Bern. S. Anselm. et alii. Quis autem dicet a B. Virgine votum esse infractum? Locum Ezech. 44. 2. de porta Orientali, quæ soli patet principi, attuli supra. Hinc S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium, *Christus*, inquit, *Dominus virginitatem in se, et in matre sua dedicare voluit.* Et eodem in loco. *Filius Dei, ut ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit; ut qui ab Angelis adorabatur in cælo, haberet Angelos, id est virgines et in terris.* Ita Hier. Vide convenientias 4. apud S. Thom. 3. p. q. 28. art. 3. 64. Deipara fuit virgo post partum.

Dices Christus vocatur primogenitus Matth. 1. 25. *Et non cognoscebat eam* (copula maritali Ioseph Deiparam) Obiectio.

donec peperit filium suum primogenitum. Respond. primogenitum in Scriptura sumi, pro eo ante quem nemo natus est, licet nullus postea sit natus. Itaque primogenitus sumitur pro unigenito. Quod autem ibid. cap. 12. 46. dicitur: *Ecce mater eius et fratres stabant foris quærentes loqui ei*, per fratres intelliguntur more hebræis usitato consobrini, patrueles et cognati Christi: filii scilicet fratrum vel sororum S. Ioachimi, vel S. Annæ. Et c. 13. 55. fratres Christi vocantur Iacobus, et Ioseph, et Simon, et Iudas. Fratres, id est patrueles vel consobrini: erant enim omnes filii Mariæ, quæ primo ex Alphæo genuit Iacobum minorem prim. Episcop. Ierosol. et Ioseph cognomento iustum, qui est propositus cum S. Matthia, ut alteruter in Apostolum eligeretur: deinde Maria illa ex Cleopha suscepit Simonem seu Simeonem, qui S. Iacobo successit in Episcop. Ieros. et Martyr occubuit natus annos 120. atque S. Iudam Apostolum, qui scripsit epistolam canonicam. Cleophas autem fuit frater S. Iosephi Sponsi B. Virginis, ut ait Hegesippus.

Urgebis. Non cognoscebat eam, donec peperit: ergo eam cognovit post partum? Resp. nego consequentiam: quia τὸ *donec*, ut ait, S. Epiph. S. Hieron. S. August. denotat tantum id, quod factum non est, ut sciatur illa Christi conceptio fuisse miraculosa, et supra vires naturæ.

ARTICULUS VI.

Unde lac Virgini, et quem in locum decidit Christus nascens.

Vers. 10 2. Pars — A beneficio nativitatis transit Christus ad beneficium nutritionis, v. eod. 10. SPES MEA AB UBERIBUS MATRIS MEÆ, id est, ex quo tempore cepi nutriri lacte virgineo. Nam quod S. Thom. id intelligit de ipso conceptionis tempore, est difficilius. Dicendum, ait, quod ubera, id est lac uberum in eodem tempore præparatum fuit, quo fuit conceptus: unde ubera ad ipsam conceptionem referuntur. Ita ipse.

65. An spes in Christo fuerit, et quomodo? — Quæres primo, An et quid Christus speraverit? Resp. S. Thom. 3. p. q. 7. art. 4. non fuisse in Christo virtutem spei: quia spes ut est virtus Theologica, habet pro obiecto Deum seu fruitionem Dei, quam Christus sperare non potuit, quia semper eam habuit: spes autem est de re nondum possessa. Dicit autem secundo Christum eam habuisse spem respectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus, ut est gloria corporis vel quid simile: quam spem in solutione ad primum et secundum dicit non fuisse illam, quæ est virtus theologica. Suarez vero, ait illam spem fuisse actum secundarium spei theologicæ. S. August. epist. 120. Psalmum nostrum exponens ait, non esse hic aliam spem intelligendam, nisi ut Deus eum exaltaret a mortuis. S. Iustinus in Triphon. effectum istius spei vult apparuisse in persecutione Herodis, et fuga in Ægyptum; 3. alii in nutritione miraculosa per lac virgineum; 4. plene et adæquate, in his omnibus aliisque, quæ necdum habebat Christus, et per Patrem habiturus erat, nempe in auxilio, in omnibus actionibus et calamitatibus, in gloria et exaltatione nominis, conversione peccatorum, etc.

Sensus itaque hic duplex esse potest. Primo, ut solum tempus indicetur, quo speravit Christus: nempe ab uberibus matris suæ, id est, a prima sua infantia: quo tempore reliqui infantes aut in nullo, aut in matre vel nutrice sperant: ipse vero iam vir perfectus in Deo speravit. Secundo, Sensus est, *Spes mea ab uberibus* q. d. ob ubera, id est ob lac uberum mihi datum, in te speravi. Ita ut denotetur non solum tempus sed etiam causa sperandi.

66. Lac in Virgine fuitne novum miraculum? — Quæres secundo, Fuitne novum miraculum, quod Deipara manens virgo in partu lac habuerit? Resp. Primo S. Athan. fuisse novum miraculum. Sic enim serm. de script. Virg. et Iosephi: *Ubera*, inquit, *B. Virginis naturæ consuetæ naturam non habuerunt, longeque a naturali consuetudine ac lege fuerunt aliena: lac autem peregrino modo*

1. Opinio id affirmat. — *fluxit*. Cum S. Vincentius Ferrerius in eadem esset sententia pie contemplatus est sermon. de nativitat. Christi, B. Virg. carentem lacte, pro eo Deum orasse, ac statim fuisse eius ubera lacte plena. Præterea in Ecclesia canitur: *Ipsum Regem Angelorum sola virgo lactabat ubere de cælo pleno*. Et Agellius in Psalm. nostro dicit nonnisi divina efficientia et potestate id factum esse, Deumque Patrem vitæ suæ sponsorem ac fideiussorem extitisse, *novo inauditoque miraculo*, lac eius matris uberibus suggerentem, quæ semper integra et inviolata fuisset.

II. Negat. — Respond. secundo, posito miraculo quo virgo concepit, non fuit necessarium novum miraculum, ut lac suppeditaretur. Nam materia quæ defluebat in vulvam ad alendum fœtum ascendit in mammas ad eum alendum, et facta est alba ob mammarum calorem, raritatem atque albedinem. Lac est essentialiter sanguis, Clemens Alex. l. 1. pædag. c. 6. Cum, inquit, in partu vas abscissum fuerit, per quod sanguis ad fœtum deferebatur, obstruitur quidem meatus, sanguis autem ad ubera impellitur, et cum illic multum defluxerit, extenduntur, et sanguis in lac mutatur, non secus ac mutatur sanguis in pus ulceratione. Ita Clemens generatim. In Deipara vero nullum novum miraculum agnoscit Tertull. lib. de carne Christi c. 20. lac tamen eius potest dici miraculosum in radice, nempe in conceptione miraculosa.

67. Lacte virgineo usus est Christus ob septem rationes. — Quæres tertio. Quare Christus lacte virgineo uti voluit? Respond. primam causam esse, ut Christus amorem suum erga matrem denotaret, et quanti illam faceret. Cant. 1. v. 1. *Meliora sunt ubera tua* (id est lac ex uberibus fluens) *vino, fragrantia unguentis optimis*. Syr. in odorem suavitatum tuarum. Verba sunt Virginis ad Christum; ipse pari modo eadem ad Virginem matrem dicebat. Ut enim ait Alanus in c. 1. Cant. *Quæ delectabiliora, quæ meliora quam illa ubera quæ propinaverunt lac Christo, non ex libidinis fœditate, sed virginitatis fœcunditate? Talia optabat Christus ubera, a tali ubere lac sugere, quod non saperet carnis lubricum, sed virginitatis antidotum*. S. Catharina Senensis, Rupertus, aliique impudicas nutrices respuerunt, licet adhuc prorsus infantes essent. Christus est agnus qui pascitur inter lilia: id est, inter duas mammas et brachia Deiparæ.

I. Ob amorem matris.

II. Ad exercitium humilitatis. — Secundo, lacte virgunculæ uti voluit Christus, ut humilitatem suam ostenderet. Quid enim egebat illo nectare et Ambrosia, qui rorem segeti, imbrem terræ, collibus fontes, fluvios pratis, orbi oceanum suffundebat? Ea contemplatione defixus S. Laur. Iustin. lib. de ligno vitæ tractat. de spe cap. 5. velut extra se raptus exclamat: *Quæ ratio capere sufficit Redemptionis beneficia? Quomodo factus est homo hominis factor, ut sugeret ubera, pascens sidera, ut esuriret panis, sitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur*. Et S. Ildephonsus ser. 4. de Assumpt. Beatæ Mariæ idem admiratur. S. Augustin. serm. de Annunciatione, velut Virgini adblandiens et gratulabundus illi velut tantum ad prodigium pavitanti stupentique animos addit, his verbis: *Lacta creatorem tuum, panem cæli, pretium mundi, præbe lambenti mammillam, ut ille pro te percutienti præbeat maxillam*.

III. Ut similis aliis pueris appareret. — Tertio, Christus lacte matris uti voluit, ut nihil eorum quæ accidere solent infantibus subterfugeret, sicque nobis esset exemplo ad omnia toleranda. Ut heroes suos admirabiles redderent Ethnici, eosque supra homines tollerent, portentosas nutrices ab ipsis sunt fabulis mutuati. Iovem enim mentiuntur nutritum fuisse a capra, quæ Amalthæa dicta est, ut refert Diodorus Siculus l. 6. Æsculapium item a capra, ut Pausan. lib. 3. Cyrum a cane, ut Lucian. lib. de sacrif. Romulum a Lupa, ut Livius lib. 1. Decad. 1. Habidem Tartessiorum regem a cerva, ut Iustin. lib. 44. Telephum quoque a cerva, ut Strabo l. 13. Cybelem a pardis, aliisque feris, ut Diodor. lib. 4. c. 5. Peliam ab equa, ut Ælian. lib. 12. var. hist. cap. 43. Paridem ab ursa, ibid. Ægystum a capra, ibid. Atalantam ab ursa, ut Ælian. l. 13. Hieronem Syracusanum ab apibus, ut Iustin. lib. 23. Semiramidem a columbis, ut Diodor. Meliteum ab apibus. Ptolemæum Soterem ab aquila, ut Suidas. Fingit etiam Philostratus in heroicis, ideo Amazones esse nuncupatas, quod μαζῶν, id est mamma, non

aluntur, sed roris favis, qui mellis in modum fluvialibus calamis insidet, adiecto præterea equino lacte. Has omnes nutritiones insolitas Plin. l. 8. cap. 17. acceptas fert magnitudini fatorum. Sed apagesis fabellas anicularum dormitarientibus aptas pupulis. In hoc est etiam amabilis Iesus quod solitas naturæ leges non horruit, naturæ cum esset auctor et gratiæ, possetque ea facere, quæ admirabilitatem haberent. Sed nostri intererat, ut verus homo crederetur, non Angelus, aut quid phantasticum.

IV. Ut virgo amoris sui testificandi occasionem haberet.

Quarto, Christus lacte matris uti voluit, ut ipsa Virgo haberet quo amorem suum erga talem ac tantum filium testaretur, in cuius usum se ac sua optaret effundere, ipsumque sanguinem nulla vel tenuissima guttula reservata. Cant. 7. v. 7. *Statura* (Sept. magnitudo) *tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris*, palmæ scilicet: id est elatis, seu ramis palmarum, in quibus plures sunt dactyli, qui habent omnino figuram uberum, ut ait Gislerius; 2. botris, id est, uvis et racemis vitis, ut ait Aben Ezra et Luysius Legionensis. In hæc verba ait Hailgrinus: *Ubera Virginis botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogativa merendi monstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de uberibus suis ad filii nutrimentum, quam Martyres qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio. Omnium enim operum merces secundum radicem charitatis pensatur.* Botri uvarum sunt symbolum Martyrum sanguinem suum cum lætitia in ipso torculari fundentium. Illis plus esse meritam Virginem lac dando, non est dubium, tam ob actum excellentem charitatis, tum ob gratiam habitualem longe nobiliorem et digniorem, ac magis dignificantem actiones eius omnes. Tacitus refert nefas fuisse apud Germanos nutricibus dare alendos liberos. Ita testatur libr. de morib. Germ. Ut enim ait Clemens Alex. lib. 1. pædag. c. 3. *Aluisse et lactasse amoris incitamenta plura habet.* Unde Phavorinus apud Aulum Gellium lib. 12. c. 1. Quid indignius quam infantem statim a matre relinqui, quem in utero nutrivit? quis hoc in feris quantumvis immansuetis, observare potuit? quanta cura leænæ, tigrides, et lupæ, suos fœtus nutriant? quanta apri? Ita ipse. Leænis itaque tigridibus, lupis et apris sunt immaniores, quæ ut liberius deliciis suis vacent, a se suisque mammis fœtus suos abiiciant.

68. V. Ut totus esse virgineus cognosceretur.

Quinto, Christus lacte virgineo uti voluit, ut totus virgineus esse cognosceretur; atque ex moribus matris eius propensiones, et ex filii virtute virtus matris appareret. Nam ut recte Conimbricenses nostri libr. 1. de Gener. et corr. cap. 4. q. 25. art. 1. licet lac neque animam, neque virtutem formatricem obtineat: sæpe tamen ob qualitatum cognationem infantibus affectiones, propensionesque nutricum imprimit. Cuius rei celebre est exemplum, quod Iustin. l. 44. suæ historiæ scripsit, videlicet in ea Hispaniæ parte, quæ Gallicia vocatur, Habidem infantem feris expositum, et cervæ uberibus educatum, tanta fuisse pernicitate pedum, ut montium iuga, saltusque inter cervorum greges non inferius velocitate peragraret. Neque vero lactis interventu aliæ tantum proprietates communicantur, sed interdum etiam inclinatio ad vitia aut virtutem. Unde Phavorinus iam citatus invehitur in matres, quæ infantes fœminis barbaro et agresti ingenio præditis nutriendos tradunt: cum constet illos non eorum tantum lac, sed mores etiam una cum lacte sugere: additque non in hominibus dumtaxat, sed in pecudibus quoque animadversam lactis efficacitatem. Nam si ovium lacte hædi, aut caprarum agni aluntur: constat ferme in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem. Columella etiam lib. 1. de re rustica: Nec eos, ait, canes quorum generosam volumus indolem conservare, patiemur alienæ nutricis uberibus educari: quorum semper lac, et spiritus maternus, longe magis ingenii atque corporis incrementa auget. Lege Plutarch. de educandis liberis. Spondan. refert de quodam a lupis nutrito et oblato Imperatori in Germania, ut alias retuli, qui lupinis erat moribus, et ad sylvas fugere conabatur.

Sexto, Christus lacte matris utitur, ut illud sugens eam vicissim gratiis omnibus impleat, et sic fiat gratus et utilis fluxus et refluxus maris, id est Mariæ: quæ est mare amarum in passione, sed mare suavissimum in lactatione. Est fons paradisi, qui ascendebat de terra et cælum petebat e sole velut aquas eius potante, ut uberiori gratia novas aquas e terræ cavernis et canalibus reciperet, seque impleret, et cælestes puriores et leviores sibi totique paradiso restitutas haberet. Genes. 2. 6. *Fons ascendebat e terra, irrigans universam superficiem terræ*, primo aquarum suarum diffusione per totam terram præsertim paradisi: secundo, elevatione per vapores a sole attractos et postea recidentes. Maria non tantum superficiem, sed intima cordis irrigat et fœcundat.

VI. Ut matrem gratiis repleret.

Septimo itaque, Christus lac de matre sugens, per gratitudinem eam replet ad nostram utilitatem: Primo, ut gratiæ ex ea in nos redundent Eccles. 1.7. *Omnia flumina* (Hebr. torrentes) *intrant in mare, et mare non impletur*, tantum abest ut redundet. Tales sunt avari, qui numquam satiantur, quia numquam implentur. Unde additur v. 8. *Non saturatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* Septuag. ex auditu. Syr. ad audiendum, q. d. audita defluunt, et restat maior cupiditas ad audiendum. Et ratio est, quia terrena sunt torrentes, cito transeunt, et siccitas restat. At vero dicit Angelus Virgini, Luc. 1. 28. *Ave gratia plena, Dominus tecum.* Si erat cum ea antequam ad eam corporaliter descenderet, quanto magis cum ab ea manibus portaretur, brachiis stringeretur, apprimeretur pectori, mammis applicaretur; lacte, qui est sanguis eius, nutriretur, et sic in illum quodammodo tota sua selectissima substantia intraret, et in eam transformaretur? Lege S. Bern. ser. 3. super Missus est, ubi de præsentia Dei cum Virgine agit suavissime. De lacte autem ait Richard. a S. Victore part. 2. in Cant. c. 23. *Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent. In te ergo concrevit lac divinæ misericordiæ, et ex te nobis profluit: ipsa prius repleta es, et ex te nobis descendit hæc abundantia.* S. Bonaventura in psalmum, vocat Mariam nutricem sanctitatis, cuius lacte *omnes* qui unquam fuerunt, eruntque, iusti et sancti aluntur. Secundo, Christus Mariæ lac sumit, ut tam sancto lacte inebriatus delictorum nostrorum oblivisceretur, Cantic. 7. v. 7. *Statura tua assimilata est palmæ, et ubera tua botris*, uvarum, ut ait Alcazar. et Genebrardus. Hæc verba sunt de sponsa, de qua etiam putat S. Bern. serm. 9. in Cant. sumi posse illa Cant. 1. 1. *Meliora sunt ubera tua vino.* Et aperte Richardus a S. Laurentio l. 2. de Laud. Virg. part. 3. *Meliora*, inquit, *sunt ubera eius vino. Meliora enim, potentioris et utilioris efficaciæ sunt ubera B. Virginis quam vinum. Nam vinum inebriare potest hominem, ut præteritarum sit immemor offensarum, et sit facilis ad condonandum, et largus ad donandum. Ubera vero B. Virginis Deum quasi inebriare potuerunt. Nam postquam de matris uberibus lac bibit, ac si cum lactis dulcedine, dulcedinem potasset misericordiæ, proiecit ab oculis suis peccata nostra post tergum, et factus est largus ad dandam veniam peccatorum, largus ad dandam gratiam et operum iustitiam.* Tertio, Christus Mariæ lac sugit, ut sit erga nos mansuetus et benignus. Cant. 1. v. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quod idem Richardus a S. Laurentio contemplans libr. 4. de Laud. Virg. ait: Fasciculus myrrhæ fuit Christus in veteri lege, sed inter Mariæ ubera factus est dilectus, ac suavis, et mitis. Sicut enim sanguis in se horribilis, in uberibus efficitur lac, quod dulce est et delectabile ad videndum: sic filius, qui in lege erat terribilis, inter ubera Mariæ factus est mitis. Quarto, Christus matris lac sugit, ut audacius et efficacius filio suo ostendat ubera sua, et sic illum ad misericordiam inflectat. Quæ enim timeri potest repulsa, ubi hæc prodeunt et patent amoris et misericordiæ ac benignitatis insignia? Rich. a S. Laurent. lib. 10. comparat propitiatorio, quod sit nostra propitiatrix ad filium offensum, sua ubera repræsentando. Quinto denique, Christus sugit Mariæ lac, ut ipsa sit mater nostra spiritualis, et per Christum nos alat. Deinde per seipsam regat speciali cura, veluti filios filii sui, quem

69. VII. Ut illi daret, quo nos ipsa impleret.

ipsa aluit. Guillelmus Abbas, *Spiritualiter*, ait, *pascam parculos tuos lacte maternæ pietatis, quæ te olim pavi lacte corporali pro veritate carnis. Denique pro eo quod tibi sum mater corporalis, ero tuis mater spiritualis, maternan charitate quasi proprios parturiens filios, donec plenius formeris in eis: materno itidem cura nutriens eos, donec usque in virum perfectum grandescas in eis.*

70. Vers. 11. 1 Pars.

Secundum ex propositis hoc in articulo erat. Quem in locum deciderit Christus ex utero Virginis exiens? Occasionem dubii dat Propheta noster v. 11. ubi loquens Patri æterno ipse Christus dicit, v. 11. IN TE (Hebr. super te. Chald. super verbum tuum) PROIECTUS (iactatus) SUM EX UTERO. Sensus est primo, q. d. Cum adhuc intra cellam gestantis me in utero laterem, te tamen Deum meum videbam. Ita Euseb. libr. 10. Demonstr. Evang. c. 8. Ubi indicat, animam Christi visione beatifica fruitam esse in utero matris, quod certum est, et quidem a primo conceptionis instanti. Secundo, q. d. ego sum velut abortivus fœtus et inanimis ex matris utero proiectus, quamvis curæ Dei derelictus. Ita Folengius, sed non placet. Tertio, et melius, q. d. prodiens ex utero, in sinum tuum cecidi, qui singulari providentia curam mei geris. Ita Bellarminus. Tuas in manus evolutus sum. Ita Petavius, id est me excepisti paterno affectu et benevolentia. Unde inferri cœpit, Ergo me nunc adiuva in fine stadii cum morte et acerrimis doloribus certantem, qui me in illud immisisti, et me in eius principio adiuvisti et fovisti.

71. Cur Christus ex Virginis utero proiectus dicatur.

Nota, *proiec us*, denotet primo facilitatem partus in Virgine, peperit enim sine dolore et brevissimo tempore, sicut radius solis penetrat celerrime fenestram et in cubiculo apparet. Secundo alacritatem Christi velut novi solis, in hemisphærium nostrum rapido cursu exilientis. Tertio fiduciam et charitatem Christi in manus et sinum patris sese cum gaudio immittentis, ut ab eo in vita regeretur et foveretur.

Quem in locum cecidit Christus nascens? I. Opinio.

Sed a quo tandem receptus est Christus? Caietanus 3. p. q. 35. art. 6. pie contemplatur, effusum ex utero infantem Christum non decidisse in pavimentum, tametsi nulla ibi esset obstetrix, sed manibus et ulnis suæ matris exceptum. Et quia nec satis commode et decore fieri poterat, ut ipsemet ex se infantem susciperet, spectasse simul ad eiusdem infantis dignitatem videtur, ut Angelorum susceptus veluti manibus in Virginis manus traderetur: Gabriel itaque videtur suscepisse, aliis honorifice adstantibus. Ut enim ait S. Cypr. de nativit. *Ipsa genitrix et obstetrix, devotam dilectæ soboli exhibuit clientelam, attrectavit, amplexa est, infixit oscula, porrexit mammam, et totum negotium plenum esset gaudii.* Ita Lorinus, et probabile est. Fortasse oculos intenderunt, qui sunt in ea sententia, in illud Ps. 90. v. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Poterat facile ab ipsa Virgine suscipi: cum, sicut ait Abulensis, exiverit ex utero secundum totam uteri latitudinem, quam occupabat, exivit enim per penetrationem. Sic facile fuerit Virgini in extensos panniculos illum brachiis excipere.

II. Et verior.

Secundo tamen probabilius mihi videtur Christum nascentem in ipsam decidisse terram seu fœnum, in quo iam extensi erant panni a Virgine, ut in illis exciperetur. Aut potius in terram nudam, ut habetur ex S. Birgittæ revelationibus. Natum autem statim Virgo adoravit, pedes ut Deo, manus ut Domino, os ut filio exosculans, et postea eum pannis præparatis obvolvit.

72. Christus nascens in terram cadere voluit, ob quinque rationes.

Quæres, Cur in terram cadere voluit Christus? Primo, in omen victoriæ ut eam caperet, sibique subiugaret, sicut ominatus est Scipio Africanus, cadens statim ut a navi descendit in Africam, quam devicit eversa Carthagine. Secundo, ut causam sui itineris ac terminum declararet:
1. nempe se venisse ad terram suo attactu, conversatione et
2. sanguine consecrandam, illustrandam, et purgandam.
3. Tertio, ad exemplum humilitatis. Quarto, ut se verum
4. hominem probaret ob frigus et terræ asperitatem plorans.
5. Quinto, ut mortem Iudæorum puerorum, qui in terra statim deponebantur servaret. Hunc morem probabilem, non tamen certum, facit dictum Salomonis, quem loquentem inducit auctor Sapientiæ c. 7. 3. *Et ego natus accepi* (Græce, ἔσπασα, attraxi. S. Ambros. serm. 8. in Ps. 118. hausi) *communem* (et hominibus et bestiis) *aerem, et in similiter factam* (ὁμοιοπαθῆ, similiter passam) *decidi terram, et primam vocem similem omnibus emisi plorans*, κλαίων, id est vagiens.

73. Romani mos natum infantem in terra ponebant, ob rationes quatuor.

Nota, Certum est Romanis in usu fuisse, ut, si puer vitalis esset, statim ab obstetrice statueretur in terra, ut docet Varro libr. 1. de lingua Latina: et quidem nudus: Opemque Deam, quæ ipsa terra est, implorabant, ut matris instar nascenti adesset, sicut ait Sveton. in Augusto c. 5. Ad quem ritum alludit Plin. lib. 7. in proœmio, ubi de natura conqueritur, quæ *hominem tantum nudum, et in nuda humo natali die abiicit ad vagitus.* Et Seneca *omnes infantes terra nudos excipit.*

I. Ut matris suæ, nempe terræ, opem vagitu imploraret.

Ratio prima erat, ut velut filius, terræ ac piæ matris opem et alimenta imploraret, sicut ait Macrob. lib. 1. in Somn. Scipionis, ac S. August. lib. 4. de Civit. Dei c. 11. *Ipse* (Iupiter seu Deus) *opem ferat nascentibus, excipiens eos sinu terræ, et vocetur Ops. Ipse in vagitu os aperiat, et vocetur Deus Vagitanus. Ipse levet de terra, et vocetur Dea Levana. Ipse cunas tueatur, et vocetur dea Cunina. Non sit alius, sed ipse in deabus illis, quæ fata nascentibus canunt, et vocantur Carmentes. Præsit fortuitis, voceturque Fortuna. In Dea Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam. In dea Potina potionem ministret. In dea Edulina escam præbeat. De pavore infantium Paventia nuncupetur.*

II. Ut eam testarentur esse omnium matrem.

Secundo, mox natum infantem Romani in terra deponebant, ut matrem omnium illam esse profiterentur, et ab ea obtinerent usum loquendi. Macrob. lib. 1. Satur. c. 12. tradit Maiam deam terram esse, illique in sacris Mercurium adiungi, quia vox nascenti homini contactu terræ datur: eandemque Opem vocari, quod ipsius auxilio vita constat: et fatuam a fando, quod infantes partu editi non prius vocem edunt, quam attigerint terram: et faunam a favendo, quod omnium animantium usui favet: et bonam, quod omnibus nobis ad victum causa bonorum est: denique magnam matrem in sacris appellari.

III. Ut se ex terra natum puer postea sciret.

Tertio, mos natum infantem in terra deponebant, ut ex terra natum se esse sciret, atque in terram rediturum; sicque modestiæ meminisset, neque ita divitias terrenas ambiret, cum nudus terram tangere cœpisset, eius in gremium nudus quoque reversurus. Nam cum Lucretio l. 5. terra vocari potest omniparens, rerum commune sepulcrum.

IV. Ut ad labores venire se intelligeret.

Quarto, mos natum infantem Romani in terra deponebant, ut se ad labores in hunc orbem advenisse cognosceret, et qui præsentes aderant parentes aliique in eam cogitationem venirent. Hinc solitum erat Thracibus, cum puer in lucem ederetur lamentari, et vitæ miserias, quas erat subiturus, recensere, ut ait Pompon. Mela. l. 1. idem de Causianis habet Plutarchus: de Trausis, quos Græci Agathyrsos vocant, Herodot. l. 5. de Heniochis et Cesiis, Zenodotus in collect. proverbiorum. Aliter vitæ miseriam, inconstantiam, agitationes, naufragia repræsentabant varii populi, qui filios suos fluviis immergebant, aut illis superponebant. Galli quidem nostri recens natos infantes in flumen Rhenum, cui erant proximi, clypeo impositos abiiciebant. Quod si clypeus non mergeretur, velut puram veramque sobolem suam suscipiebant: sin minus, velut spuriam undis dabant. Iulian. Imper. in Epist. ad Maximum tangit hunc morem, Nonnus lib. 23. Dionysiacorum, Theophyl. Simocatta Epistol. de Rheno, aliique. Idem de Germanis refert Iulius lib. 6. Alii vero in aquam parvulos demittebant, ut veluti ferrum candicans in aquam mersum corpus roborarent, ut docet Galenus, qui de Scythis et Thracibus id asserit. Valerius Flaccus, de Iazygibus. Claudianus, de Thebanis. Virgilius, de Rutulis. Spartani vero pueros abluebant mero statim, ut ægritudines tollerent, ut testatur Plutarch. in Lycurgo. Ro-

Thraces Causiani, et alii lugebant in filiorum nativitate.

In flumina pueros varii populi deiiciebant.

mani oleo et butyro perungebant; alii, sale et aqua. Psyl-
Psylli pueros suos serpentibus obiiciebant mox natos.
lii autem Africæ populi pueros suos mox natos serpenti-
bus exponebant, ut spurios agnoscerent, si enim non e-
rant ex adulterio procreati, non lædebantur a serpenti-
bus: sin minus, ab illis occidebantur, ut ait Solinus cap.
40. et Lucan. lib. 9. qui speciatim ait aspidibus fuisse
obiectos: sed per aspidem synecdochice intelligit quosvis
serpentes. Tu serpentibus te ac fluctibus expositum con-
templare, et time: exultare ut sis germana Dei proles, et
super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis
leonem et draconem. Psal. 90. tamquam alter Moses in
Nilo fluitabis, non mergeris: sed eris Moses, id est ex-
tractus, ab aquis scilicet. Exod. 1. Terram nunc tange
per memoriam tuæ originis, ut cælum petas: quia qui se
humiliat, exaltabitur, Matth. 23. 12.

74.
Pater æternus specialem de Christo curam suscipiebat, et cur?
Quæres secundo, Cur specialem Christi curam Deus
suscepit? Primo, quia est filius eius unigenitus, imago
et character substantiæ eius, ipsi consubstantialis. Secun-
do, ob unionem et excellentiam atque eminentiam dono-
rum humanitatis, quæ tanta sunt, ut præ illa nihil esse
cætera videantur. Ideo dicitur Cant. 6. 8. *Una est colum-
ba mea, perfecta mea, una est matris suæ.* Tertio, curam
eius suscepit, velut redemptoris et capitis omnium, ut in
1. uno omnes servaret: velut in radice fructum, in fonte ri-
2. vum, in sole radium. Rom. 5. 17. *Si unius* (Adami) *de-*
3. *licto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam*
gratiæ, et donationis, (id est donorum. Actus ponitur pro
obiecto) *et iustitiæ accipientes in vita* (gratiæ hic, gloriæ
4. in cælo) *regnabunt per unum Iesum Christum, etc.* Quar-
to, Christi curam suscepit Deus Pater, ob excellentiam
matris, ut eam hac cura levet, et gaudio afficiat aspicien-
tem sensibili favore et protectione filium suum adiuvari,
5. ac protegi. Quinto, quod eius corpus per miraculum si-
ne operatione formaverit, ut sit veluti pater eius, late no-
men sumendo, etiam spectando corpus: una enim fuit
Spiritus sancti et totius Trinitatis operatio, sine hominis
Catonis curæ in liberorum educatione.
ullius influxu. Si Cato Censorius tantam in liberis edu-
candis adhibuit diligentiam, ut licet publicis distentus
negotiis, numquam tamen nisi se præsente passus sit il-
los ablui, vel pannis obvolvi, ut ait Plutarch. in eius vi-
Corsorum mos insolitus
ta. Si in Corsica non mulier, sed vir infantilis educatio-
nis onus ferebat, ut docet Alexander lib. 2. quid faciet
Deus Christo, quem ex omnibus unum formavit modo
admirabili? S. Aug. lib. 6. de civit. cap. 9. ait tres cu-
stodes datos esse a veteribus mulieri gravidæ, ne a Syl-
vano, id est dæmone læderentur: *Mulieri*, ait, *fœtæ tres*
75.
Tres dii custodes puerorum seu gravidarum mulierum.
Deos custodes commemorant adhiberi, ne Sylvanus Deus
per noctem ingrediatur et vexet, eorumque custodum signi-
ficandorum causa tres homines noctu circuire limina do-
mus, et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio de-
verrere scopis: ut his datis culturæ signis Deus Sylvanus
prohibeatur intrare: quia neque arbores cæduntur ac pu-
tantur sine ferro: neque far conficitur sine pilo, neque fru-
ges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres
nuncupatos Deos, Intercidonam a securis intercisione: Pi-
lumnum a pilo, Deverram a scopis: quibus custodibus con-
tra vim Dei Sylvani fœta conservaretur. Et lib. 8. dicit,
Varii dii curam suscipiunt pueri nati.
Vaticanum Deum infantium vagitibus: Cuninam vero,
eorum cunis præfuisse. Et lib. 6. cum cibo et potu pue-
rum initiarent, Educæ deæ et Potinæ sacra fecisse. Ri-
dicula hæc quidem sunt, sed ostendunt in cæca errorum
nocte, quanta cura a diis liberos suos conservatos vel-
lent. Athenienses stolis initiatorum, id est inauguratо-
rum et sacris imbutorum, infantem obvolvere utilissi-
mum esse censebant, rati diis suis maiori curæ fore,
quod sacræ vestis attactu a Deo suscipi, et in clientelam
6. ac tutelam sumi crederent. Sexto denique, Christi curam
specialem suscepit Deus, quia nullius alterius curæ est
creditus, qui ab eo numquam abesset, eumque in omni
loco tutari posset. Nam non habuit Angelum custodem,
ut omnes docent, eo enim non indiguit propter absolu-
tam peccandi impotentiam, et propter summam suæ vo-
luntatis potestatem cum perfectissima omnium rerum, et
occasionum, seu futurorum eventuum præscientia. Dein-
de erat Deus, et ut homo erat comprehensor, et caput,
ac Dominus Angelorum. Cum itaque Deus plus amet
Christum, quam omnes creaturas, eius custos specialis
fuit tota Trinitas, sic fuit sui ipsius custos. Thebani cum
Thebanis pueros exponere non licebat.
prohiberentur infantes suos exponere, eos ad magistra-
tum alendos et educandos deferebant, qui præ pauper-
tate illis subvenire non poterant, ut ait Ælian. lib. 12.
var. hist. Inde nato infanti curatorem et vitæ magistrum
adhibebant, ut secundum leges institueretur, sicut tra-
dit Strabo lib. 15. Nobis Deus dat curatores, tutores et
directores Angelos, at filio suo seipsum, ipsi solus suffi-
cit. Est שַׁדַּי *sciaddai*, id est sufficiens, in omnibus scili-
cet et ad omnia; 2. est *scioddai*, id est *mammeus*, aut po-
tius totus mamma, omnes gratiarum et donorum suavi-
tates in filium, in quo sibi complacuit, effundens.

Hinc addit Christus in psalmo nostro vers. eodem 11. 76.
Vers. 11. 2. Pars.
DE VENTRE MATRIS MEÆ DEUS MEUS ES TU. Primo, per
specialem providentiam. Secundo, et præsertim, ob emi-
nentissima dona mihi præ aliis concessa. De Enos dicitur
Gen. 4. vers. ultimo. *Enos cœpit invocare nomen Domini*,
sed iam erat grandior. Iob dicit de seipso, cap. 31. *Ab*
infantia mea crevit mecum miseratio: et de utero matris
meæ egressa est mecum. Hoc est, a teneris annis fui mi-
sericors. Ieremias item de se ait, cap. 1. v. 4. Factum
est Verbum Domini ad me, dicens: Priusquam te forma-
rem *in utero*, novi te: et antequam exires *de vulva*, san-
ctificavi te. S. Hieron. comparat ibi sanctificationem Ie-
remiæ, sanctificationi S. Ioan. Baptistæ. De S. Ioanne au-
tem habetur Luc. 1. 15. Spiritu sancto replebitur adhuc
ex utero matris suæ. Sed nec ipse, nec ullus alius viro-
rum sanctificatus est statim a primo conceptionis mo-
mento, sed tantum ex quo Elisabeth mater eius sanctis-
simæ Virginis salutationem audivit, et Christi advenien-
tis ope a peccato originali est liberatus. At vero Christus
omnia sua dona accepit in primo instanti: nempe unio-
nem, gratiam sanctificantem, scientiam beatificam et
scientiam infusam. Tertio, sensus est, q. d. *De ventre*
matris meæ Deus meus es tu: id est, te in Deum meum
accepi, te Deum meum agnovi, videns tam multa mihi a
te collata beneficia.

Christus a prima conceptione habuit.
I. Gratiam unionis.
Primo enim, gratia unionis hypostaticæ, id est ipsa u-
nio, fuit in primo instanti, quo anima Christi iuncta est
corpori, ut docet S. Thom. 3. p. quæst. 6. tota: et Suar.
disp. 16. in 3. p. Hoc item definitum est in Concilio E-
phesino. 1. can. 13. qui sumptus est ex Epist. S. Cyrilli
ad Nestorium. *Ideo*, ait, *Deus natus ex Virgine et conce-*
ptus, quia in utero Virginis, et in ipsa conceptione homi-
nis, Deus carni unitus est. Caietanus ait, potuisse Chri-
stum dicere, *Deus meus es tu*, unione personali.

II. Gratiam habitualem.
Secundo, Gratia habitualis, omnisque intensio eius,
quam perpetuo erat humanitas Christi habitura, absque
ullo illius augmento et mutatione, fuit ab instanti conce-
ptionis in illius anima. Ita Suares disp. 17. in 3. p. sect.
3. tom. 1. Dicit filio Pater æternus Ps. 109. 3. *Ex utero*
ante luciferum genui te. Nam licet exponantur hæc verba
de æterna generatione, tamen de humana exponit etiam
S. August. ibi, et Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 9.
Vatablus etiam, qui ita vertit: *Tibi est ros generationis*
tuæ, in summo decore et sanctitate, ex utero auroræ. Et
Eugubinus qui reddit: Ex utero, ex aurora tibi ros nati-
vitatis tuæ: ubi per rorem significari ait redundantiam
gratiæ, iuxta phrasim scripturæ, ut Gen. 27. 28. ait Isaac
benedicens filium suum Iacob: *Det tibi Deus de rore cæ-*
li, etc. Idem de aliis donis gratiam habitualem concomi-
tantibus dici debet.

III. Visionem seu scientiam beatificam.
Tertio, scientiam seu visionem beatificam habuit ani-
ma Christi, a primo instanti creationis suæ. Nam non
magis poterat impediri a corpore infantili quam a passi-
bili, cum supra utriusque statum sit, et a neutro statu
corporis pendeat. De illa visione Dei videtur locum no-
strum explicare Eusebius lib. 10. de demonstr. cap. ult.
Cum, ait, adhuc intra cellam gestantis in utero laterem,

te tamen Deum meum videbam, ἅτε ἀσύγχυτος καὶ ἀθόλωτος, tamquam inconfusus et imperturbatus in tanta communicatione corporei oneris permanens. Vide Suar. disp. 25. sect. 3. tom. 1.

IV. Scientiam per se infusam.

Quarto denique, scientia per se infusa data est etiam Christo in eodem primo conceptionis instanti. Si enim A Angelis in primo suæ creationis instanti infusa est scientia illis connaturalis, cur non filio Dei? Deinde, hæc scientia aliquo modo pertinet ad perfectum statum beatificum animæ Christi, non quidem ut essentialis, sed quasi accidentalis perfectio. Vide Bellarmin. lib. 4. de Christi anima.

SECTIO SECUNDA.

77. *Duo hic complectitur Christus. Primo, rabiem ac multitudinem hostium in se irruentium, v. 12. Secundo, acerbitatem passionis suæ ante crucifixionem, in crucifixione et post ipsam, v. 15.*

PARAPHRASIS.

12. *Ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est, qui adiuvet.*

12. Domine Deus et amantissime Pater; ne afflictissimum filium deseras. Instant enim acerbissimi Passionis meæ dolores, quibus collata, quæ hactenus perpessus sum mala, ludus sunt. Quodque magis me angit, ab omnibus desertus, solus sine auxilio, in hostium medio relinquor, eorum obiectus furori.

13. *Quoniam circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.*

13. Vix in arenam descendi pugnaturus, cum furiosa plebecula, servorumque ac militum insanientes catervæ, lascivientium instar vitulorum, mihi ut captæ prædæ insultarunt: eorumque principes, Scribæ et Pharisæi, divitiis superbiaque saginati, quasi tauri pingues, cornibus me impetiverunt.

14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.*

14. Rictuque hianti, et leonino impetu in me convolarunt: ac, veluti victores, præ gaudio sibi mutuo gratulati irrugierunt, innumeris me maledictis mendaciisque discerpentes.

15. *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea.*

15. Ego autem tanta hostium rabie exanimatus, ac tormentorum diritate exhaustus, corporis mei vires dilabi sentio instar aquæ, cuius ne guttula quidem consistit, neque vel odor remanet, sed quæ tota ebibitur a terra et perit. Ossium meorum compages dissolutæ sunt, suisque locis emotæ, ob flagellorum variorumque suppliciorum acerbitatem, ac præsertim in cruce extensionem.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei.

Non corpus modo his distinetur cruciatibus, sed etiam animus tantis in tribulationum ignibus dolore exæstuans, ceræ instar colliquescentis defluit, trepidatione intimas eius medullas permeante.

16. *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis, et in pulverem mortis deduxisti me.*

16. Perenni sanguinis profluvio in oratione, flagellatione, coronatione, crucisque supplicio, ita exsiccatus exhaustusque languco, ut similis sim vasi fictili, camino ardenti tamdiu exposito, donec omnis humor in vaporem resolutus abeat, quodque præ siccitate iam in varias partes dissiliat. Ne humoris quidem satis est, ut vocem possim in verba formare, quibus auxilium implorem. Itaque iam siti enectus, variisque absumptus doloribus, morte turpissima et contemptissima peream necesse est.

17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.*

17. Quomodo enim evadam hostium meorum corona circumcinctus, qui me undequaque paratis retibus implicitum latratibus ac morsibus, canum instar, appetunt? Scribæ sacrorumque Antistites, et populi magnates, qui me subdolis artibus malignisque calumniis et fraudibus plebi invisum reddiderunt, etiamnum felliis et acerbitatis pleni, aditus omnes obsident, ne elabar, mihique capto insultant usquequaque.

18. *Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt ossa mea.*

18. Ne spes ulla effugii superesset, nullique membro meo parcerent impii, manus meas, quibus ab oculis eorum cæcitatem, ab auribus surditatem, a toto corpore varios languores depuli, dirissimis clavis terebrarunt: nec non pedes meos, quibus toties eorum regionem peragravi, omnibus profuturus. Ea autem barbarie, ira et odio, e sanitate mentis dimoti sævierunt, ut ob nimiam in cruce extensionem, disiuncta et prominentia ossa numerarent. Hoc gavisi spectaculo, quod ipsis ferarum animis pudorem horroremque ingenerasset.

19. *Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

19. Sitim suam ut extinguerent, oculos suos hoc gratissimo sibi aspectu paverunt: mutuisque se cavillis incitantes, ludibrio me certatim habuerunt, velut dicteriorum in scopum intendentes. Ac veluti captæ discerptæque feræ exuvias, vestes sibi meas partiti sunt, iam mea de morte securi. Et cuius futura esset tunica mea inconsutilis, quæ sine dispendio dividi non poterat, sorti me inspectante commiserunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quam dira passus est Christus in cruce.

78. Ordo Sectionis.

Superiori Sectione relictum se a Patre breviter conquestus Christus, aliquot rationes attulerat, tum a Patre, tum a se petitas, quibus opem imploraret. Nunc eam rationem amplificat, quam a summo dolore suo sumpserat, et acerbitatem passionis suæ ob oculos ponit, at- B que ut eam fortiter ferat, Patris præsentiam et opem implorat, v. 12. *Ne discesseris a me.*

Ut itaque sigillatim omnia enumeret. Primo ait tempus instare dolorum maximorum et iam esse præsens. *Quoniam tribulatio proxima est.* Christus acerbissima passus est.

Secundo, a persona amicorum suorum mœrorem sibi exortum dicit, quod eum deseruerint. *Quoniam non est qui adiuvet.*

Tertio, a persona hostium suorum, a quibus omnibus

impetitus fuit, dolorem auctum ostendit. Nam lacessebatur, 1. ab ipsis plebeis, v. 13. *Quoniam circumdederunt me vituli multi*; 2. a prælatis et sacerdotibus, et doctoribus, ac religiosis. *Tauri pingues obsederunt me*; 3. ab aulicis, nobilibus et principibus, v. 14. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.*

In toto corpore passus est. Quarto denique, sit reliquum sibi fieri nihil, quod cruciatus sit expers. Nam primo sanguinem torrentis modo in terram desilire, v. 15. *Sicut aqua effusus sum.*

Secundo, Ossa luxari, atque de sua cotyla et acetabolo disiici. *Dispersa sunt omnia ossa mea.*

Tertio, Cor angoris ardore diffluere ac dissolvi. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.*

Quarto, Nervos tum ossium nexiles, tum articulerios, tum motores ac sensiles, doloris acerbitate dissolutos, v. 16. *Aruit tamquam testa virtus mea.*

Quinto, linguam arentem, succique omnis inanem palato meo infigi, neque vocem in verba formare posse. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis.*

Sexto, Spiritus vitales, qui vitæ custodes ac opifices arteriis secundum venas continentur, prorsus extingui. *Et in pulverem mortis deduxisti me.*

Septimo, Aures latratibus malevolorum atque calumniis vulnerari, v. 17. *Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me.*

Octavo, Manus et pedes clavis esse terebratos, v. 18. *Foderunt manus meas et pedes meos.*

Nono, Membra omnia distorta et divulsa. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Decimo, Oculos insultantium hostium aspectu, sibilis, cachinnis et sannis torqueri, v. 19. *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.*

Undecimo, Vestes in varias partes secari. *Diviserunt sibi vestimenta mea.*

Duodecimo denique, Tunicam inconsutilem sorti tortorum permitti. *Et super vestem meam miserunt sortem.*

ARTICULUS I.

Christus in cruce est laceratus a feris.

79. Vers. 12. TORMENTA sua sigillatim expositurus Salvator, generatim dicit fuisse dirissima, ut attentionem maiorem excitet, v. 12. QUONIAM TRIBULATIO (Hebr. צרה *tsara*, id est angustia, coarctatio, pressura) PROXIMA EST. Arabs *obumbravit me*, q. d. lucem mihi omnem solatii eripuit, omni me ex parte tenebris succinxit.

De qua tribulatione agitur? Quæres, De qua tribulatione Christus loquitur? Resp. I. Opinio. primo, S. Hieron. intelligi hic totam passionem, et maxime quando instabat Iudas et cum cohortibus veniebat in hortum Gethsemani, ut eum caperet. Unde dixit Christus discipulis suis Matth. 26. 46. *Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me traditurus est.* II. Secundo, Euthymius sumit de mœrore Christi, quando dixit ascendens in hortum illum, in quo oravit. Matth. 26. 38 *Tristis est anima mea usque ad mortem*: tunc enim tribulatio erat proxima. Item, cum discipuli omnes relicto eo fugerunt. III. Tertio, Euseb. lib. 10. Demonstr. cap. 8. exponit de certamine, quod in inferno initurus erat Christus cum dæmonibus, ut etiam inde captives animas iustorum extraheret, portas æreas vectesque ferreos confringendo. Sed hæc pugna non fuit tribulatio, sed certa Christi victoria et triumphus sine ulla difficultate, labore aut dolore. IV. Quarto igitur melius Lorinus, tribulationem proximam intelligit mortem Christi iam appropinquantem. Nam paulo ante audivimus voces Iudæorum iactatas in Christum iam affixum cruci. *Speravit in Domino, etc.* Deinde recitatum psalmi versum primum a Christo pendente in cruce: Denique proxime post adiungitur mentio de fossis manibus ac pedibus, et de divisis vestimentis.

V. Et optima. Quinto denique probabilius, tribulatio intelligitur ipsa crucifixio et acerbitas dolorum, quos tunc patiebatur.

A Nam τὸ *proxima* non excludit præsentiam, sed dicit iam hostes adesse, circumstare, esse prope, non otiosos, sed linguis, motione capitis, dicteriis, totoque corpore illudentes, fel et acetum subministrantes; 2. dæmones item magno numero adesse, qui dolores augeant, et velut canes rabidi clavis fixum et se movere non valentem e propinquo vellicent et mordeant, non tantum e loco remoto allatrent. Beda refert quosdam dicere, dæmonem insedisse uni ex Crucis brachiis, nec recessisse, donec Christus expirasset; 3. dolores erant proximi, id est in ipsa carne, non tantum in amissione bonorum exteriorum, quæ sunt remotiora a nobis et anima nostra. At quod est in corpore, proximum est animæ, et per sympathiam in eius potentias resilit. S. Aug. sic explicare videtur, cum ait Epist. 120. cap. 13. Quid est, tribulatio proxime est, in qua media loquebatur? Sed nimirum illud vult intelligi, quia cum caro in doloribus est et in pœnis, profecto anima tunc habet magnum agonem patientiæ, in qua ne B deficiat, laborandum et orandum est. Nihil est autem animæ sua carne propinquius. Ita August.

Nota, Crucis supplicio nihil funestius ac dirius fuit a- 80. Crucis supplicium dirissimum fuit.
pud veteres, quod et ipsum mortis genus satis ostendit, et auctoritates eruditorum affirmant. Nonnus quidem in Ioannem nuncupat crucem, ἐλεγχέα τινὰ πότμον, id est detestatissimum quoddam fatum. S. Aug. lib. 83. quæst. 25. tomo 4. ait, nihil fuisse inter omnia genera mortis execrabilius et formidolosius cruce. Drogo de passione Domini: Quid, inquit, in omnibus suppliciis tam horrendum quam Crux. S. Anselm. Illa morte, ait, peius nihil fuit inter omnia genera mortium. Iulius Paulus Iurisconsultus lib. 5. sent. tit. 12. crucem vocat summum supplicium. Apuleius l. 10. extremam pœnam. Vide S. Aug. tract. 36. in Ioan. et serm. 18. de verbis Domini.

Primo enim crucis supplicium erat maxime ignominio- I. Fuit maxime ignominiosum.
sum, atque execrabiles et a Deo maledicti censebantur, qui cruci appendebantur. Deut. 21. 23. *Maledictus a Deo* (Hebr. maledictio Dei, ut vertit Arias) *est, qui pendet in* C *ligno.* Maledictus, id est execrabilis. Hinc iubetur ibid. ut eodem die suspensus e ligno, id est e cruce deponatur et sepeliatur, 1. quia corpus hominis est imago Dei, quæ ignominia affici non debet, ablata anima peccatrice, ut ait Abulensis; 2. et potius, quia ut dicit Caietanus, volebat Deus suspensos, utpote facinorosissimos omnino deleri de terra, quam censebantur sua præsentia polluere. Nam Iudæi non puniebant cruce, nisi summa scelera: ideo Christus ad crucem damnatus est, velut reus affectati regni contra ius Cæsaris; et Paulus Galat. 3. 13. ait: *Christus factus est pro nobis maledictum.* Gr. κατάρα, id est maledictio, execratio, et rationem reddit, quia maledictus omnis, qui pendet in ligno. S. Bern. serm. 4. feriæ hebdom. pœn. crucis supplicium vocat ignominiosum mortis genus. S. Chrys. in Ps. 109. dicit esse mortem execrandam, mortem opprobrii et ignominiæ plenam, mortem omnium turpissimam. Et serm. 7. ad Philipp. esse D mortem omnium probrosissimam, plenam dedecore, et maledictam. Sap. 2. 20. *Morte turpissima* (ἀσχήμονι, indecora, fœda, deformi, contumeliosa, infami, nempe Crucis) *condemnemus eum.* Servile supplicium vocatur a Capitolino in Macrino. Cum enim crux in usu esset apud Romanos, Græcos, Ægyptios, Iudæos, Syros, Persas aliosque populos, vix ullo in loco usurpata est, nisi in servos eosque nocentissimos, si Carthaginem exceperis. Hinc Lactantius lib. 4. de vera sapientia cap. 26. *Infame*, ait, *genus supplicii, quod etiam homine libero, quamvis nocente, videtur indignum.* Arbor infelix dicitur a Livio lib. 1. *mala crux*, a Comicis. Servile supplicium etiam a Tacito. Eam ob rem servus quidam apud Plautum, ait: *Nolo minitari, scio crucem futuram mihi supplicium. Ibi maiores mei siti sunt, pater, avus, proavus, abavus.*

Secundo, crux non tantum est ignominiosa, sed etiam II. Fuit dolorifera.
dolorifera. Unde a cruce dicitur cruciatus, et cruciamentum, id est tormentum, et gravis acerbitas atque afflictio. Tullius orat. 5. in Verrem nuncupat crucem, crudelissi-

mum teterrimumque supplicium. S. Thom. 3. p. qu. 46. art. 6. mortem confixorum in cruce vocat acerbissimam: quia 1. configuntur in locis nervosis, et maxime sensibilibus, scilicet in manibus et pedibus; 2. et ipsum pondus corporis pendentis continue auget dolorem; 3. cum hoc etiam est doloris diuturnitas: quia non statim moriuntur, sicut hi, qui gladio interficiuntur. Unde Primasius dicit in Epist. ad Philipp. Nulla mors peior crucifixione, propter diuturnum cruciatum. Arnold. de verbis Domini in cruce tract. 2. *Inter omnia*, inquit, *supplicia turpissimum et atrocissimum est crux.* A

81\. Ex his sunt consectanea quatuor: 1. Odium Iudæorum. 2. Atrocitas peccati. 3. Severitas Dei. 4. Amor Christi.

Ex his patet, 1. immane odium Iudæorum in Christum; 2. atrocitas peccatorum nostrorum, quæ tanto supplicio hominis Dei expiari debuerunt; 3. severitas Dei patris erga filium nostris peccatis vestitum: quantam timere debes, nisi peccata propria exuas? 4. denique præsertim elucet Christi amor se tam probrosæ et dolorosæ morti exponentis. Hinc Paulus extollit eius obedientiam et humilitatem Philipph. 2. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens* (qua homo) *usque ad mortem, mortem autem crucis.* B Et tu vicissim ama crucifixum et ipsam crucem: ut enim ait idem Apostolus 1. Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis* (ad fidem) *Iudæis atque Græcis* (id est gentilibus) *Christum Dei virtutem* (δύναμιν, robur, potentiam, fortitudinem) *et Dei sapientiam.* Ubi videtur alludere ad paronomasiam Hebræam, q. d. Christi sive Messiæ crux Iudæis, est מכשל *miscsial*, id est scandalum: Gentilibus מסכל *miscal*, id est stultitia, ipsis autem vocatis ad fidem est שכל *sechel*, id est industria, sapientia, et virtus, sive potentia. Hinc auctor Lexici Bibliorum Complutensium, in radice שכל *sacal*, docet משכל *mascal*, tam Chaldæorum, quam Indorum Christianorum S. Thomæ (qui cum a Babyloniis Episcopum accipiant, eorum quoque lingua, puta Chaldæa, quæ Hebrææ est dialectus, in sacris utuntur) lingua significare crucem: atque a se lectum quemdam Christianum, qui crucem in manu semper gestabat, interrogatum, quo illam nomine lingua sua appellaret, respondisse *mascal*, q. d. sapientiam, industriam: indeque se collegisse Paulum 1. Cor. 1. 23. eo allusisse. Ita Cornel. Dixit S. Aug. homil. 32. de sanctis. *Tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivatur, crux est atque martyrium.* C Sed est etiam *mascal*, id est sapientia et industria: virtus et potentia: victoria et triumphus.

82\. Vers. 12. 2. Pars.

Christo dolorem crucis augebat humanorum solatiorum omnium destitutio, ut ipse confirmat, v. 12. Quoniam non est, qui adiuvet. Arabs, et non est, qui salvet me. 1. Effugerant Apostoli, ut considerat Magnelius; 2. magistratus suo officio deerat. Nam cum vinum optimum et fortissimum soleret dari a Iudæis damnato ad mortem, ut robur haberet ad generose mortem obeundam, Christo porrexerunt vinum felle mistum, ut ait Matt. 27. 34. quod Marcus vocat vinum myrrhatum, de quo vide dicta Ps. 68. 22. ubi queritur Christus de felle sibi dato; 3. tortores acetum illi obtulerunt, cum dixit *Sitio*, Ioan. 19. 28. neque est permissus ullus illi vel minima in re afferre levamentum in cruce. Hinc ait Ps. 68. 21. *Sustinui* (S. Hieron. expectavi) *qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur* (S. Gregor. 33. Moral. cap. 9. D legit, consolantem me quæsivi) *et non inveni.* Aspectus enim matris, et eius afflictio dolorem maxime augebat. Et Isaiæ 63. 5. *Circumspexi*, (gentiles ac Iudæos: plebem et magistratus: laicos et sacerdotes: rudes et eruditos) *et non erat auxiliator. Quæsivi* (Hebr. אשתומם *estomem*, id est admiratus sum, ut vertit Pagn. obstupui, ut Arias, ob tantum hostium furorem, tantam populi ingratitudinem, et amicorum pusillanimitatem) *et non fuit qui adiuvaret.*

83\. Vers. 13. 1. Pars

Deinde aggreditur Christus explicare rabiem inimicorum suorum, velut in belluas et feras transformatorum, v. 13. Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Dolendum erat, cruci orbis Regem appendi: dirius illum ab omnibus ita relinqui, ut nihil extiterit ipso desertius. Intolerandum vero, populum omnem ea rabie efferatum fuisse, ut ab omni desciscens humanitate atque ratione, dentibus, manibus, omnibus crudelitatis instrumentis, contra innoxium atque beneficum sævierit, non tantum plebeculæ imæ fæx et sentina, sed etiam apex religionis et dignitatis. Nota, pro *vituli* Hebr. est פרים *parim*, id est vituli iam grandiores et cornigeri. Unde Petav. vertit: Multi in me cornibus, circumquaque prerumpentes vituli impetum fecerunt. Syr. et Felix vertit, *tauri*, scilicet iuniores, expressius Magnelius, *iuvenci*, id est boves iuniores, dicti a iuvando, ut ait Varro, quod iam dominum in agro colendo adiuvare possint. Nam ut ipse docet lib. 2. cap. 5. de re rustica, quatuor sunt bubuli generis ætates: quarum prima est vitulorum, secunda iuvencorum, tertia boum novellorum, quarta vetulorum. Denique *parim* deducitur a פרה *paro*, id est crescere: vel a פור *pur*, id est conterere, confringere. In iis autem notare potes primo petulantiam: unde vitulari apud Ennium et Nævium significat insolenter gestire. Et Festus, vitulans, inquit, lætans gaudio, ut in prato vitulus. Secundo, adverte multitudinem, *vituli multi*. Tertio, robur, tum quia sunt *parim* id est iuvenci, ut dixi: tum quia רבים *rabbim*, et multos et fortes significat.

Quæres primo, Quinam sunt illi vituli Christum circumdantes in passione et cruce? Primo, Arias per vitulos et tauros intelligit peccata hominum, quæ animo Christi obiiciebantur, cum incredibili ipsius dolore. Secundo, Didymus et Eusebius, accipiunt de dæmonibus, qui his terrenis et corporeis detinentur, falsas opiniones ingerendo, et dolosis persuasionibus quasi cornibus impetendo. Tertio, per vitulos intelligi Iudæos, et putat eosdem denotari per vitulos, qui postea significantur per tauros: nempe Pontifices et Pharisæos, qui veluti tauri insultabant ei, quasi cornibus eum peterent. Quarto denique S. Aug. melius dividit vitulos a tauris: et per vitulos sumit multitudinem luxuriantis populi: per tauros vero, principes eius: nempe Pontifices, sacerdotes, Pharisæos, scribas, seniores. S. Leo serm. 11. de Pass. ait: *Furit in unum populus, et miseretur omnium Christus.*

84\. Vituli Christum circumdantes quinam.

Quæres secundo, Cur plebs Iudæorum comparatur vitulis? Prima et præcipua causa est, eius petulantia. Unde Magn. vocat saturos iuvencos. Tunc enim ludibundi subsultant et cornibus impetunt. Lorinus illam petulantiam Iudæorum et militum fuisse ait, cum velut fictitium Regem spinis Christum coronarunt, vestierunt purpura, pro sceptro arundinem in manus dederunt, flexerunt coram eo genua per ludibrium, pro Regia salutatione faciem eius conspuerunt, oculos tamquam commentitio Prophetæ obvelaverunt, et colaphos infregerunt. Arbitror tamen intelligi hic de motibus insanis plebeculæ, et variis gesticulationibus et cachinnis, atque insultationibus in Christum cruci affixum. De doloribus enim in cruce toleratis hic agitur, contra quos auxilium petitur. Gaudium itaque illorum denotatur fuisse brutum et insulsum. Explicari potest per ea, quæ S. Athan. in libello de passione imaginis Domini nostri Iesu Christi ait gesta esse a Iudæis Berithi urbe Syriæ. In ea urbe plebs insana Iudæorum eam Christi imaginem arripuit, in faciem eius spuit, alapis eam cecidit, crucifixit, acetum felle mixtum ori ipsius præbuit, coronam spineam capiti imposuit, arundine caput eius percussit, lancea latus eius aperuit, ex quo exivit sanguis et aqua. Hæc et alia ibi. Nonne brutorum pecudum est, imagini ut homini viventi insultare?

85\. Vitulis confertur plebs Iudaica ob rationes quatuor. I.

Secunda ratio, cur plebs Iudaica vitulis comparetur, est abiectio iugis legis divinæ: nam instar vituli indomiti libertatem unam amabat: dixerat, non serviam. Ierem. 2. 20. *A sæculo* (ab antiquis temporibus dudum) *confregisti iugum meum* (legis; Septuag. iugum tuum. Est et Dei dantis, et populi recipientis) *rupisti vincula mea* (vincula tua, ut Sept.) *et dixisti: non serviam.* S. Chrys. tom. 3. serm. 24. ait, Iudæos ad malitiam defecisse. II.

Tertia ratio, cur plebs Iudaica vitulis comparetur, est eius luxuria. Ierem. 50. 11. *Effusi estis sicut vituli super herbam, et mugiistis sicut tauri*, œstro luxuriæ incitati: ibi III.

alloquitur Babylonios. Et cap. 46. 20. de Ægyptiis dicit: *Vitula elegans atque formosa Ægyptus* (alludit ad Apim, quem adorabant Ægyptii) *stimulator ab Aquilone veniet ei*, stimulus carnis a dæmone tollente ardorem charitatis et fervorem devotionis. De Israelitis dicit Oseas c. 4. 16. *Sicut vacca lasciviens declinavit* (rebellavit) *Israel*. Sept. reddunt: *sicut vacca asilo* (id est œstro, *taon*) *percussa insanivit Israel*, id est decem tribus præsertim.

IV. Quarta ratio denique, cur plebs Iudaica vitulis comparetur, est gula. Deut. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.* Et Isaiæ 27. 10. *Ibi pascetur* (in Ierusalem desolata) *vitulus, et ibi accubabit et consumet summitates eius*, velut vitium flagella et ramusculos. Ugo Card. hoc de luxurioso et guloso ibi tropolog. explicat. Gula enim est vitulus aureus, quem coluerunt Iudæi Exod. 32. 9. Dionys. tyrannus dicebat se suique similes esse instar caponum et vitulorum, qui saginantur, ut mactentur et comedantur, ut ait Euseb. lib. 1. de præpar. Evang. cap. 5.

86. Crucifixi olim obiecti belluis. Nota, Crucifixi olim, tum mortui, tum vivi belluis obiecti sunt aliquando. Primo hoc de mortuo Cleomene testatur Plutarchus in Cleom. *Paucis*, ait, *post diebus ii, qui Cleomenis corpus cruci affixum custodiebant, viderunt magnum serpentem capiti eius circumplexum, et faciem velantem tegentemque, ne qua carnivora avis attingeret.* Secundo, hoc de vivo Mnestheo tradit Vopiscus in Aureliano. Sane, ait, Mnestheus surrectus ad stipitem, bestiis obiectus est.

Hoc paganis ipsis fiebat, sed præsertim Christianis. De primis id habes in Laureolo latrone prius mimo apud Martialem lib. 1.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

De Christianis vero, Bulengerus noster lib. de venatione Circi, docet frequentiorem pœnam nullam extitisse, quam damnationem ad bestias. Ad rem præsentem maxime facit Eusebius lib. 5. histor. cap. 1. *Blandina*, inquit, *in ligno suspensa proposita est in prædam, et lacerationem feris irruentibus, quæ et quia videbatur*, σταυροῦ σχήματι, *in formo Crucis, et ob preces ardentes contentiasque*, πολλὴν προθυμίαν τοῖς ἀγωνιζομένοις ἐνεποίει, *multam alacritatem iniiciebat certantibus.*

87. Vers. 13. 2. Pars. Prælium inceperunt plebeii vitulantes et lascivientes, donec magnates velut tauri efferati iram inflammarent, graviorique certamine irruerent, vers. eod. 13. Tauri pingues obsederunt me. Pro *tauri* in Heb. est אבירים *abbirim*, id est, 1. fortes, robusti, potentes, validi, a rad. *abar*, roboravit, fortem effecit; 2. tauri, sic dicti ob robur. Pro *pingues* Heb. est בשן *bascian*, quæ est regio ultra Iordanem, in qua habitavit Oggigas Rex eius victus o Mose Num. 32. 33. de ea erit locus dicendi Ps. 134. 11. Quia vero illa Regio erat opima, atque pascuis abundabat pinguissimis, ubi armenta saginarentur, ideo 2. *b'san* significat pinguem, et saginatum. Ob eam fertilitatem aptam pecudibus petita est illa provincia et vicinæ a tribubus Ruben et Gad, Numer. 32. 33. atque a dimidia tribu Manasse, easque ipsis assignavit Moses. Pro *obsederunt me*, in Hebr. est כתרוני *chitteruni*, id est, coronaverunt me, in modum coronæ cinxerunt, diademate circumdederunt, a rad. *chether*, id est corona, cidaris, diadema. Afflictio et hostes sunt corona Regia.

Hine primo Septuag. verterunt, tauri πίονες *pingues*, περιέσχον με *ex omni parte me tenuerunt et succinxerunt*. Aquila, tauri, λιπαροὶ, id est opimi, obesi, nitidi, pingues. Symm. tauri σιτιστοὶ, id est altiles, saginati, qui alluntur studiose, ut saginentur. Secundo, Paguin. vertit *tauri Basan instar coronæ circumdederunt me*. Felix, tauri Basan circumdederunt me. Tertio, Chald. reddit *principes Basan vallaverunt me*. Arias, *robusti Basan corona circumdederunt me*. Caiet. *coronaverunt me*.

88. Tauri Christum obsidentes quinam. I. Quæres, Qui sunt isti tauri? Primo, Daniel Mallonius de stigmatibus Christi, c. 6. censet vitulorum, taurorum, et canum nomine intelligi Christi crucifixores loris armatos, bovillis et taureis, eo modo ac tropo, quo Plautus dixit, *Vivos homines mortui incursant boves*, id est flagella ex corio boum, et iis nitentes tortores. Costerus noster meditatione 23. de Passione, ex multitudine verberum, quæ S. Gertrudis lib. 4. cap. 35. revel. quinquies mille et quadringenta fuisse sibi revelatum scribit, atque ex fustuarii lege, qua reus cædebatur a singulis militibus, colligit flagellatum fuisse Christum a sexcentis sexaginta militibus, quibus constabat cohors, et quidem percussum a singulis pro cuiusque voluntate.

Secundo, melius S. Aug. Valentia, et alii per tauros intelligunt principes Iudæorum: id est Scribas, Pharisæos, Sadducæos, Sacerdotes, Pontifices. Quidam in notationibus bibliorum Sixti citatus habet, δυνάσται Βασὰν διαδεματίσαντό με, Dynastæ, seu potentes ac principes Basan traduxerunt, vel in exemplum produxerunt me. Agellius hæc eadem Aquilæ attribuit: sed pro διαδειγματίσαντο, legit διαδεματίσαντο, id est diademate coronaverunt, quasi coronam spineam innueret, quam milites robusti ac valentes capiti Christi infixerint, Matth. 27. 29. Sed per tauros melius non accipe milites seu plebem, sed principes, qui Christum cingentes ut perderent, gloria et honore coronarunt.

II. Et mollius. Boves locutos fuisse. Frequens est apud veteres bovem locutum esse, quod tamen in portentosis numeratur; at homines mugivisse instar boum non ita frequenter contigit. De Nabuchodonosore habes quod fuerit in bovem transformatus. Dan. 4. 22. et consequenter quod inter feras et bestias vivens mugiorit instar bovis, v. 13. dicitur: *Cor eius ab humano commutetur, et cor feræ detur ei*, quod vere secundum formam exteriorem factum putant S. Epiph. in vita Danielis, et Dorotheus in Synopsi, qui dicunt mutatum fuisse in formam bovis anterius, et in formam leonis posterius; 2. non vere, sed phantastice id factum censet Michael Medina lib. 2. de fide cap. 7. sicut per præstigias Lycanthropi cum sint, homines apparent lupi; 3. illam transformationem in Nabuchodonosoris tantum imaginatione vitiata opinatur S. Thom. lib. 2. de regim. princip. si tamen hic liber est S. Thomæ. Nam id negat Bellarminus. Franciscus quoque Valesius de sacra philosoph. cap. 80. hanc Regis mutationem putat non fuisse aliud quam morbum quem medici melancholiam nuncupant, quo qui laborant insaniunt, et in aliorum subinde animalium formas mutatos se esse imaginantur. Vocatur a latinis melancholia canina et lupina; a græcis, λυκανθρωπία; ob Arabibus, cutabut; 4. licet Nabuchodonosor manserit homo, tamen aliqua ratione potest dici conversus in bovem sed ferum: id est in urum vel bisontem. Primo, quia id sibi imaginabatur. Secundo, quia complexio eius fuit efferata ac temperamentum corporis mutatum, ut docet Pererius. Tertio, quia factus est amens. Nam cor feræ datum est ei. Cor autem pro mente, appetitu seu voluntate, et pro certa parte sumitur. Quarto, habitu ferino erat, ambulans nudus, facie ad ferinam accedente, capillis et unguibus maximis, cute dura et ferina, pilis crassissimis hispida. Quinto, reptabat ut bestia. Itaque erat veluti quadrupes: boum cornua et caudam aliqui addunt. Sexto, cum feris herbas comedebat. Septimo, mugiebat instar bovis. Imaginationem enim sequitur locutio: ubi igitur est ferina imaginatio, ibi est ferina locutio: unde qui se putant versos esse in canes, latrant: qui in gallos, cantant: qui in lupos, ululant. Hæc S. Gregor. 5. Moral. 6. S. Hieron. Rupert. Pererius, Maldonatus, Cornel. in Danielem, Ludo, Molina 1. p. qu. 111. ac Delrio lib. 2. de Magia q. 18.

Nabuchodonosor an fuerit bos et quatenus.

89. Tauri collati Iudæorum principes, et cur? Quæres, cur Iudæorum primores tauris comparentur? Respond. tres præsertim ob rationes id fieri. Prima ac præcipua est eorum insana rabies in Christum. Nam, ut ait S. Thom. in psal. nostr. Taurus est animal melancholicum, et propter hoc diu retinet iram. Iratus vero acerrime furit. Quæ enim pugnæ diriores quam taurorum, de quibus ait Oppianus, Ἀγρίῃ θυμαίνοντι χόλῳ μέγα παφλάζουσι, id est, acerbe æstuante indignatione vehementer ruunt. Et Statius 4. Thebaid. Alternaque truces moriuntur in ira.

I. Ob rabiem.

Lege Virgil. 3. Georg. eas pugnas eleganter describentem. In taurum furentem iratus homo vertitur, S. Cyrill. Alex. in lenam προαλης, ait, και το βαρβαρον εις εργον, και λεων ε τοιμος αποτεταυρωμενον. *Barbari semper præcipites ad iram, et facillime ut tauri aguntur.* Irati rabiem, torvam faciem et mugitum optime sub oculos ponit Seneca lib. 1. de ira cap. 1. *Flagrant*, inquit, *et micant oculi, multus ore tota rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, etc.* Vides taurum mugientem, et insanientem. De Iudæis hic clare Chaldæus, cum vertit, *Circumdederunt me populi, similes tauris cornu petentibus, et principes Basan vallaverunt me.* Intuere S. Antonium in eremi medio cinctum undequaque tauris mugientibus, leonibus rugientibus, canibus latrantibus, etc. Tum oculos flecte in Christum undique impetitum a Iudæorum magnatibus, illum velut victimam discerpendam obvallantibus, et cornibus, unguibus, dentibus, toto impetu aggredientibus et laniantibus. Sed ut a tauris non recedamus.

Ioannes Magnus lib. 8. cap. 13. refert Egillono Sveonum Gotthorumque regi, qui ob severitatem, et iustitiæ exactam curam in procerum odium incurrerat, vis publica incedenti, aliaque omnia cogitanti, taurum furibundum obiectum esse, et ab eo cornibus appetitum occubuisse. Non unus sed innumeri tauri in Christum immittuntur a dæmone, sed illos omnes solus et inermis fugat et prosternit. A deiectione tauri dictos fuisse in Scotia Turnebulos memini me legere apud Hectorem Boethium in histor. Scotiæ. Narrat enim Robertum Brusium Scotiæ Regem in maximo periculo extitisse, cum bos candidissimus indomitus venabulo vulneratus in eum pergeret: sed unum se pro rege moriturum obiecisse, cornibus apprehensum bovem omnibus stupentibus humi prostravisse: unde honoris causa dictus est turnebul, id est, *tauri deiector*. Sunt autem illi boves, ait idem auctor, iubam instar leonum habentes, qui ita homines oderunt, ut herbas manu hominis tactas per multos dies fugiant, captique præ mæstitia moriantur. Idem pene habes apud Plinium l. 8. cap. 21. ubi ait taurorum Æthiopiæ tergori inesse duritiem silicis, atque omne vulnus respuere, feras omnes venari, ipsosque non aliter quam foveis capi, et feritate semper interire. Modum præterea refert lib. 8. cap. 45. quo fauces tauris intorta cervice Thessali elidunt, eosque necant, quod spectaculum Romæ primus dedit Cæsar Dictator. Sed quis viginti aut triginta simul furentes tauros aggressus est? Christus vero integrum taurorum exercitum hinc et inde lacessentium superavit.

Turnebuli factum laudabile.

Thessalorum vis in tauros.

90. II. Iudæorum principes dicuntur tauri, ob superbiam.

Secunda causa, cur magnates Iudæorum tauris conferantur, est eorum superbia, quæ illis oritur ob cornu: id est, ob robur, gloriam, dignitatem, potentiam, eminentiam præ cæteris. Eccl. 6. v. 2. illa taurina superbia prohibetur. *Ne te extollas in cogitatione animæ* (id est, animositatis) *velut taurus.* Syr. ne tradaris in manus animæ tuæ. *Ne forte elidatur virtus* (δυναμις, potentia) *tua per stultitiam* (elationis ipsius, ut explicat Rabanus) *et folia tua* (id est, verba tua et iactantiam) *comedat, et fructus* (operum tuorum) *perdat, et relinquaris velut lignum aridum in eremo:* non habens viriditatem dilectionis, ut ait Rabanus. Ne te extollendo alios impetas, velut taurus, ut exponit Dionys. Carthusianus. Superbia illa taurina punietur a Deo. Hinc Ezech. 39. invitat universas aves et bestias agri ad victimam grandem, id est, ingentem stragem hostium, quam facturus erat super montes Israel ante diem iudicii superans Antichristi sequaces. Sic autem dicit v. 18. *Carnes fortium comedetis, et sanguinem principum terræ bibetis: arietum, et agnorum, et hircorum, taurorumque et altilium, et pinguium omnium.* Ugo Card. ibi per tauros et altilia duo genera superborum intelligit. Tauri enim, ait, sunt qui de fortitudine sua superbiunt vel de potestate sua. Altilia autem, qui de scientia, vel de altitudine et nobilitate generis superbiunt. Nam altile est, quicquid domi vel in villis, vel in vivariis saginatur: sive sit avis, sive quadrupes, sive piscis, ab alendo, q. d. altilis. Hebr. apte ad Psal. nostrum habent, *taurorum et boum Basan.* Vide superbiam Pharisæi Luc. 18. 12. *Ieiuno bis in sabbato*, (id est, in hebdomada) *decimas do omnium quæ possideo.* Taurina erat illa superbia, cornu enim percutiebat alios, prius enim dixerat: *Non sum sicut cæteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus.*

III. Ob luxuriam.

Tertia causa, cur magnates Iudæorum tauris conferantur, est eorum luxuria. Amos 4. v. 1. dicit, Israelitis, id est, Samaritani regni incolis, ab Assyrio vastandis. *Audite hoc vaccæ pingues* (Symm. boves saginatæ. Hebr. et Septuag. vaccæ Basan) *quæ estis in monte Samariæ*, id est, in superbia tumente. Hoc de mulieribus Samaritanis libidinosis, avaris, et superbis dictum putat Theod. tam de viris quam de mulieribus hoc melius intelligit S. Hier. Rupert. et Albertus. Dicuntur autem vaccæ Basan, id est confusionis et ignominiæ, quia in rebus pudendis et ignominiosis gloriantur: et quia in ignominiam a Deo deiicientur. Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos, ut dicitur Ps. 52. 6. Alludit Amos ad vaccas aureas cultas in eo regno, a tempore Ieroboam primi Regis ipsius. Tauri etiam vocantur Ps. 67. *Increpa* (id est perdo. Est Moisis) *feras arundinis* (id est superbos vento plenos, in ventosis gaudentes, quia est) *congregatio taurorum in vaccis* (S. Hilar. concilium inter vaccas) *populorum.* Vaccæ populorum, sunt meretrices et libidinosæ, quæ ubera sua omnibus propalant, aut tangenda, aut exosculanda, aut palpanda et videnda, et iac suum, id est animi et corporis suavitatem prostituunt. Chald. vertit: *Congregatio virorum, qui confidunt in vitulis idolis gentium.* Idolum est forma nimia compta et fucata: exteriora tantum habet, cor non habet et adorationem sibi poscit, Deo eripit. Vide pugnas taurorum ob iuvencam adamatam lib. 3. Georg. Virgilii. Non male Principes Iudæorum et seniores Iudæorum comparabis tauris Annibalis, quibus caput, et caudæ ardebant fœno accenso, ira et libido illos inflammabat. Utrumque patuit, cum adulteram in scelere deprehensam ad Christum adduxerunt, ut occasionem illius perdendi arriperent: si ob solitam mansuetudinem eam liberasset, dicturi erant eum esse infractorem legis: si condemnasset, populo dicturi nimis esse rigidum. Cum vero Christus inclinans se deorsum cepisset in terra delineare certas figuras, quibus illis peccata sua ob oculos ponerentur, unus post unum exiverunt, incipientes a senioribus: vel quod, ut ait S. Ambr. ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant: vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores. Sic senes duo Susannam, id est lilium, cuius erat lilista et purissima innocentia, accusarunt, cum ipsi essent impurissimi, Dan. 13. Tauri erant, qui lascivirent, et cornu peterent innocentem.

Leonis comparationem adiungit Christus, ut hostium suorum ferinam rabiem, et insanum atque vehementem contra se impetum declaret v. 14. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens et rugiens. Vers. 14.

91. Leo hic notat. I. Dæmonem.

Primo, per leonem Eusebius intelligit dæmonem. Urget opinio, ait Lorinus, sub mortem saltem proprium cuique adversarium unum dæmonem horribili se spectandum facie præbere singulis. De S. Martino et aliis testantur historiæ. De omnibus sane dubito. Indicat autem S. Ephrem tom. 3. serm. in eos, qui in Christo obdormiunt, et S. Chrys. hom. 54. in Matth. Probant id quoque nonnulli ex Habac. 3. 5. Egreditur diabolus ante pedes eius. Et ex verbis Christi Ioan. 14. 30. Venit Princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.

II. Herodem.

Secundo, per leonem S. Iustin. dialogo in Tryph. sumit Herodem. Adde eius aulicos.

III. Iudæos.

Tertio, Euseb. in Catena de Iudæis id interpretatur, qui super Christum aperuerunt os suum sicut leo rapiens et rugiens, clamantes Matth. 27. *Tolle, tolle, crucifige eum: sanguis eius, super nos et super filios nostros.* Aquila vertit, sicut leo capiens ac fremens. Iuxta Symm. vero, sicut leo venator frendens. Huiusmodi homines cum sanguinem Christi sitirent, et filiis suis Salvatoris sangui-

nem imprecarentur, nihil a frementibus et rapientibus leonibus differebant. Ita Eusebius.

92. Iudæi comparantur leoni, ob tres rationes.

Tres causas hic reperio, cur Iudæi comparentur leonibus. Primo, aviditatem nocendi Christo eumque occidendi. *Aperuerunt super me os suum.* Secundo, eorum crudelitatem, *sicut leo rapiens.* Tertio, clamores adversus Christum captum, patientem, et crucifixum, *et rugiens.*

I. Ob aviditatem prædæ, quæ mira est in leone.

Primo enim, aviditas prædæ in leone tanta est, ut sicut ait Plin. lib. 8. 16. solida devoret, nec capiente aviditatem alvo, coniectis in fauces unguibus extrahat, ut, si fugiendum sit, in satietatem abeat: adeoque se cibis infarcit, ut ob saturitatem interim triduo cibis careat. Oritur hoc ex ardenti calore: totus enim est igneus, eiusque ossa, si quis concutiat, ex illis ignis veluti silicum attritu eiicitur. Hæc aviditas leoni causa necis est, ut Gyllius aliique tradunt. Fossæ enim in eam rem excavatæ et frondibus atque herbis obtectæ agnus imponitur in Libya, agni balatu excitatus leo in eum insilit atque in foveam cadit. Sic solent in Africæ regionibus vivi leones intercipi. In redemptorem nostrum, qui est agnus sine macula, et sicut agnus ductus est ad lanienam, dæmones eorumque asseclæ Pharisæi, et cæteri, hamatis unguium falculis involarunt. Ps. 9. 30. *Oculi eius* (dæmonis, et impii divitis) in *pauperem* (Christum) *respiciunt* (Heb. יצפנו *itsponu*, id est abscondite respiciunt ex insidiis ac latebris) *insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca suo. Insidiatur ut rapiat pauperem.* Psal. 108. 1. de Iuda, et Iudæis dicit Christus: *Deus laudem meam* (active, qua te laudem: passive, qua a te lauder) *ne tacueris: quia os peccatoris* (S. Hieron. impii) *et os dolosi super me apertum est,* velut leonis mox devoraturi. Ieremias Thren. 2. 16. de Sione, quæ est typus humanitatis Christi sicut templum eius, dicebat: *Aperuerunt super te os suum* (ut irriderent et subsannarent, ut ait S. Thom. et Paschasius; 2. et melius, ut pleno ore et gutture absorberent, ut Origen. et Rabanus) *Omnes inimici tui* (itaque non est effugio locus) *sibilaverunt* (velut serpentes) *et fremuerunt dentibus* (velut lupi et leones) *et dixerunt: Devorabimus,* (Hæc animo fixa et rata hæret sententia) *en ista est dies* (eversionis urbis, et Christi crucifixionis) *quam expectabamus, invenimus, vidimus.*

II. Ob crudelitatem.

Secundo, Iudæi similes erant leonibus, quod essent crudelissimi, *sicut leo rapiens.* Leonum ossa medullis carent: neque enim fistularum modo cava sunt, sicut auctor Ælianus lib. 2. histor. animal. cap. 2. Pharisæi vero et Scribæ, aliique, omnis fere benignitatis expertes, et toti in leoninam rabiem transformati. Horum in medio Christum intueor, velut S. Danielem, aut S. Theclam leonum corona incinctorum: aut potius velut S. Ignatium martyrem, S. Satyrum, S. Perpetuam et Euphemiam, ac cæteros, qui leonum ludus et cibus extiterunt. Nam Daniel et Thecla ab illis servati sunt et honorati. Populus quoque Iudaicus erat cædis appetentissimus. Unde S. Chrys. tom. 5. serm. 24. ait: *Populus Iudaicus est populus, αἱμάτων δίψων προφητικῶν, sanguinem sitiens Prophetarum, et in sanctis occidendis exercitatus, semper manus suas prophetico sanguine cruentavit.* S. Athanas. in parabol. Script. interpret. q. 20. comparatos ait fuisse Iudæos viperis, quod essent πατραλοίας, id est parricidæ: occisores scilicet Doctorum suorum et prophetarum, qui eos Deo genuerant. S. Ioan. Baptista vocat eos Luc. 3. 7. genimina viperarum. Christus ipse Matth. 25. 33. serpentes et genimina viperarum, id est progenies viperarum, ut habetur cap. 3. 7. q. d. vos estis viperæ et filii viperarum, id est parentum malorum filii pessimi. Et cap. 23. 34. *Ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas* (S. Hilarius, Apostoli, ait, revelatione futurorum fuerunt prophetæ: Christi agnitione, sapientes: legis intelligentia, Scribæ) *et ex illis occidetis* (S. Stephanum lapidibus, S. Iacobum maiorem gladio) *et crucifigetis* (S. Simeonem fratrem S. Iacobi et S. Ioannis Ierosol. Episcop.) *et ex iis flagellabitis* (S. Petrum et Apostolos Act. 4. 5.) *et persequemini de civitate in civitatem,* ut Paulum et S. Barnabam, Act. 13. et 14. *ut veniat super vos omnis sanguis iustus* (Syr. iustorum. Lucas, prophetarum. In scriptura sæpius propheta significat virum iustum et sanctum, si præsertim aliorum saluti invigilat) *qui effusus est super terram a sanguine iusti Abel* (quem occidit Cain non naturalis sed moralis symbolicus pater Iudæorum, nisi forte fuit avus Iudæorum, per filias, quia filii Seth, a quo Iudæi, duxerunt in uxores filias Cain) *usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum* (proprie dictum, id est sanctum) *et altare,* holocaustorum. Altare enim holocaustorum erat in medio atrii Levitarum, itaque inter illud altare et templum, id est sanctum interiacebat media pars illius atrii. Ibi autem occisus est Zacharias penultimus 12. Prophetarum. Nam fuit filius Barachiæ. Ita S. Chrysost. hom. de S. Ioan. Baptis. et Ribera præf. in Zachar. Vel. 2. Zachar. pater S. Ioannis Baptistæ; Nam fuit ultimus prophetarum veteris testamenti: occisus est a Iudæis, quod B. Virginem post Christi partum, tamquam virginem inter virgines in templo collocasset. Sed hoc est incertum; 3. itaque verius Zacharias ille fuit filius Ioiadæ Pontificis, qui et Barachias dictus est. Hic occisus est iussu Ioas impii Regis, quod ab eo argueretur ob idololatriam, et quidem occisus est in atrio domus Domini 2 Par. 24. 21.

Quodque dolendum est magis, Iudæi cum ætate crudelitatem augebant, unde videmus crudeliores fuisse in Christum seniores. Polyb. in hist. refert, leones annis graves hominem appetere, quod ad reliquarum venatus ferarum vires ætas non suppeditet: tunc Africæ urbes circumsidere, ut inopinantes incolas invadant: tanto malo succursum esse suo tempore, ait, crucibus, quibus nonnulli leones appensi terriculo cæteris extitere, eosque metuentes in deserta compulere. Hoc vidisse se asserit in Africa versantem cum Scipione Africano. Cuilibet Scribæ, Pharisæo, præsertim seniori dic, quod Daniel seni illi scelerato Susannam accusanti post eam ad scelus tentatam, sed non inductam. Dan. 13. 52. *Inveterate dierum malorum,* id est inveterate in diebus tuis et sceleribus malis, inveteratæ ætatis et perversitatis senex. *Ecce Angelus Dei accepta sententia ab eo, scindet te medium.*

III. Ob clamores.

Tertio, Iudæi similes erant leonibus, ob clamores et rugitum in Christum, tum in eius comprehensione in horto, tum in deductione per urbem, tum in condemnatione, tum in tormentis et cruce. Unde additur, *et rugiens.* Pleræque feræ inventa præda silent, sibique provident. Leo autem irrugit, Primo visa præda, ut eam terreat et stupefaciat, sicque in fuga faciat tardiorem. Secundo, cum eam cepit, 1. ex fastu velut victor et gloriabundus; 2. ex lætitia velut vorax; 3. ut alios in prædæ partem vocet, velut securus de suis viribus ad sibi consulendum hoc cibo devorato; 4. ut ostendat se non timere, ne sibi invito eripiatur, velut Rex animalium, iis fortior et generosior. Amos 3. 4. de leonis rugitu ait: *Numquid rugiet leo in saltu* (in loco inculto propter sylvas) *nisi habuerit* (in oculis, vel in unguibus) *prædam? Numquid dabit catulus leonis* (Leo iunior petulcus et famelicus) *vocem de cubili* (Tig. de lustro) *suo, nisi aliquid apprehenderit?* De Iudæis vero Ierem. 12. 8. *Facta est mihi hæreditas mea* (Iudæi, quos sumpseram mihi in hæreditatem specialem et peculium) *quasi leo in sylva* (rapiens et rugiens) *dedit contra me vocem* (tempore Ieremiæ, ait S. Thom. et Chald. tempore Christi ait S. Hier. et Raban.) *ideo odivi eam,* tradens Chaldæis, ut dicit Lyranus: tradens Romanis, ut alii. Cum enim leo rugit, solent omnes fugere, et eum deserere: sic fecit Deus Iudæis, ideo perierunt.

93. Iudæi peiores fuere leonibus.

Non leonibus similes tantum, sed tetriores etiam in Christum Iudæi extiterunt. Empedocles certe dicebat, si post excessum e vita homo in bestiarum naturam demigraret, multo præstantissimam fore commutationem, quæ fierat ex homine in leonem. Sin homines in plantas mutarentur, optimam fore conversionem ex homine in laurum, ut tradit Ælian. lib. 2. hist. animal. cap. 11. Leonibus porro diriores fuisse contra Christum Iudæos tribus rationibus ostendo.

Primo, leo clemens est in supplices. Illustre in eam

I. *Quia leo est clemens in supplices.* rem est, quod memorat Plin. lib. 8. cap. 16. *Leoni tantum ex feris clementia in supplicee, prostratis parcit; et ubi exrit, in viras priusquam in fœminas fremit, in infantes nonnisi magna fame. Credit Lybia intellectum pervenire ad eos precum. Capticam certe Getuliæ reducem audivi, multorum in sylvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se fœminam, profugam, infirmam, supplicem animalis generosissimi, cæterisque imperantis, indignam eius gloria prædam?* Quid vero Iudæi capto, flagellato, corona spinea eruentato, clavis confosso Christo fecerunt? Deinde vulneratus quidem leo memor est iniuriæ, sicut apparuit in adolescente quodam, eum Iuba Maurorum Rege iter agente, in quem ex omnibus agnitum leo insiliit, quod dudum fuisset ab eo læsus, ut refert Ælian. de animal. lib. 2. cap. 4. Eum vero, qui telum miserit, sed sine vulnere, correptum, raptatumque sternit, nec vulnerat, ut ait Plin. lib. 8. cap. 16. Iudæi vero Christum prorsus innoxium cruentant, configunt, mactant. Denique leones famelici timendi sunt, sed saturi lusionibus etiam delectantur. At Iudæi nullis Christi doloribus et cruciatibus explentur.

II. *Quia leo cicuratur.* Secundo, leonibus Iudæi fuerunt infestiores, quia indomabiliores, ut ait Thomas Angliens Cardin. in Psal. nostr. Hanno Carthaginiensis leonem primus ausus est tractare manu, atque cicuratum ostendere. Habuit Onomarchus leonem ita mansuefactum, ut illi in mensa conviveret. Habuit et Berenice, qui etiam lingua eius faciei blandiretur. In Elimæa regione templum fuit Adonidis, in quo leones ita cicures visebantur, ut advenientes amplexarentur, atque iis adularentur. Iugo illos subdidit, currruique iunxit M. Antonius. Inter Iudæos ne ipsi quidem magistratus et sacerdotes iugum legis admiserunt, aut ad mansuetudinem traduci potuerunt. Ierem. 5. 5. *Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui: et ecce magis hi simul confregerunt iugum* (legis) *ruperunt vincula*, mandatorum Dei: vel, iugum legis Mosaicæ, et vincula Christi, quibus eos attrahere sibi volebat in vinculis charitatis.

III. *Quia Leo est memor beneficii.* Tertio, efferatiores fuerunt leonibus Iudæi, quod etiam post summa beneficia non ingrati modo, sed etiam iniurii Christo fuerunt. Leo parentibus suis gratitudinem ostendit, quia eos in senectute nutrit: benefactoribus, quos iuvat, cum potest: id patuit in Elpide Samio, qui in Africam nave delatus os leonis dentibus adhærens revellit, ideoque ab eo nutritus est, quamdiu navis in littore substitit, ut memorat Ælian. lib. 2. cap. 5 item Androcles servus Romanus a leonis pede spinam cum extraxisset, ab eo agnitus est in theatro, eique blanditus non modo illi non nocuit, sed præterea pardalim in eum currentem occidit, et eam ob rem uterque libertate donatus est. Vide Gellium lib. 3. cap. 14. Christus Iudæos cæcos visu, surdos auditu, mutos locutione, variis affectos morbis sanitate donaverat; eum vero oculis, auribus, lingua, omnibus membris offendunt. Isai. 1. 2. queritur: *Audite cæli, quæ loquor, et auribus percipe terra* (homines. Basil. ipsa terra, Cyrill.) *quoniam Dominus* (Christus) *locutus est. Filios enutrivi* (Sept. genui; Theodor. educavi) *et exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit.* Non modo est comparatus iumentis insipientibus, et similis factus est illis, sed etiam feris insanientibus et rabidis peior ac tetrior.

94. *Iudæi similes Mantichoræ.* Quæres, Cuinam igitur feræ Iudæos componemus? Respond. ut a leone non discedamus, nihil nunc occurrit commodius, quam ut Mantichoræ comparemus, quam feram vocat Pausanias in Beoticis Martioram, Philostratus in Apollonii Thyanæi vita Martichoram, Ctesias vero *Qualis ea fera.* Mantichoram, quæ, ut ait, triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie et auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, *corpore leonis*, cauda scorpionis modo spicula infigit. Vocis sono, ut si misceatur fistulæ tubæque concentus, velocitatis magnæ, humani corporis A vel maxime appetens est. Iudæos huic monstro conferre est facile.

Leo dormienti Sandrocotto sudorem abstersit. Sed ut ut sit, non magis Christo leonini illi homines nocuerunt, quam leones dormienti Sandrocotto, cui sudorem lingua absterserunt, ut ait Iustinus lib. 15. sed illos per Titum eversa Ierosolyma punivit. Pompeius ludos fecit, in quibus quingenti leones quinque dierum spatio confecti sunt, teste Dione lib. 39. Cæsar vero, in quibus quadringenti, ut habet Plin. lib. 8. Sed in una eversione Ierosolymæ ad undecies centena millia leonum, id est Iudæorum, perierunt. Ut iam neque Herculem suum, neque Polydamantem, neque Lysimachum Alexandri ducem, postea Regem, leonis unius sine armis domitores Græcia iactitet, nec Iudæa Samsonem aut Davidem, nec Gallia Pepinum Regem suum solo gladio armatum, nec Italia Constantinum, postea Imperatorem: sed totus orbis unum Christum *ipsis vocatis* (ad fidem) *Iudæis atque Græcis* (id est Gentilibus, quia tempore Alexandri Græci pene totam Asiam occupaverant, et erant idololatræ: ideo Iu- B dæi idololatras et gentiles vocabant Græcos) *Dei virtutem* (δύναμιν robur,) *et Dei sapientiam.*

95. *Tropol. Omnis peccator est feræ similis. In Olympo monte, Anglia, Creta, non sunt lupi. In Africa nec apri sunt, nec ursi.* Tropolog. Omnis peccator est fera; itaque omnes urbes, oppida, pagi, agri, viæ, provinciæ, montes, valles, prata, fontes, fluvii, mare, omnia feris redundant. Nota, in Olympo Macedoniæ monte non visuntur lupi, nec in Anglia: illis quoque caret Creta, in qua non sunt etiam vulpes, ursi, aut ullum maleficum animal præter phalangium. Africa nec apros, nec ursos alit, variis variæ provinciæ feris aut serpentibus liberantur, sed homines efferati seu peccata, quæ illos efferarunt, ex Iudæa in totum orbem, quaqua protenditur, sese effuderunt, nullusque est ita obseptus claustris locus, qui illis pervius non patuerit. Nam *vitulos* iure dixeris esse luxuriosos; 2. *tauros pingues*, auro divitiisque confarcinatos avaros; 3. *leones* esse superbos tenuiorum protritores; 4. *canes* esse detractores, et ira efferatos; 5. *cornua unicornium*, esse pompam animosorum. S. Greg. Nyssen. tom. 1. orat. in hæc C verba Genes. 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ait: *Quid dicis, ego habeo feras in meipso?* και μυρια inquit, *et quidem innumeras.* Illas fusius enumerat S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistol. 135. ad Nemesium. *Non solum*, ait, *iumentis, sed etiam truculentis feris, videtur homo comparari posse. Imo etiam eas superat, qui turpium affectionum ac libidinum amator est. Quodque mirum, et ab hominum opinione alienum est, quæque fera uni tantum vitio servit: sed qui hominis speciem habet, omnibus vitiis in unum congestis et cumulatis, ultra eorum temeritatem et amentiam progreditur.* Deinde asserit se non hyperbolice loqui, sed incorrupta mente id perpendere, ac subdit: *Cum enim quispiam, ut taurus subsultat,* 96. *Variis animalibus collati peccatores a S. Isidoro.* *ut asinus calcitrat, ut salacissimus equus in fœminas hinnit, ut ursus voracitati studet, ut mulus corpus saginat, ut camelus iniuriarum memoriam retinet, ut leo irascitur, ut lupus rapit, ut scorpius ferit, ut serpens subdolus est, improbitatis venenum ut vipera conservat: opes denique, velut rectius loquar, peccata cumulat, ut scarabæus scara-* D *bæat, quonam pacto quispiam hunc belluino animo præditum inter homines recensere poterit, cum mitis ac placidæ naturæ lineamenta in eo minime perspiciat, verum Scyllæ cuiusdam et Chimæræ, atque Hydræ (iuxta externas fabulas) fœtorem cernat?* Vide Origen. lib. 1. in cap. 1. Iobi, v. 1. Breviter vitiorum species decurramus.

I. *Superbus est Rhinoceros.* Primo, Superbus Rhinoceroti similis est, quia, ut ait S. August. epist. 120. ad Honoratum. *Superbia odit omne consortium.* S. Gregor. l. 31. Mor. c. 2. in illud Iob. Numquid volet Rhinoceros servire tibi? ait, Idem esse quasi diceretur: *Numquid hi qui fatua elatione superbiunt, sine meis adiutoriis tuæ prædicationi subduntur?* Iure itaque Christus ait v. 22. Psalmi nostri. *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

II. *Avarus est ferarum o-* Secundo, Avarus est ferarum omnium compendium. S. Chrysostomus oculos illi ignitos appingit, dracones ex utroque humero pendentes, os cavernæ instar hians, dentes

mnium compendium, a S. Chrysostomo præclare describ.

ait esse enses, ex lingua fontem venenatum fluere, ventrem omni fornace ardentiorem, pedes alatos flamma vehementiores, faciem in canem et lupum deformatam, mugitum bovinum edere, obvios quosque laceratos devorare. Verba eius sunt hom. 29. in Matth. *Fingite videre tetrum hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero dracones dependeant, cuius os cavernæ instar magnitudinis sit, in quo pro dentibus acuti enses sient, ex lingua venenosus fons scaturiat, venter omni fornace sit voracior, cuncta quæ immittuntur subito consumens, pedes alati, quavis etiam flamma vehementiores, facies canis ac lupi simul faciem ostendat, nec hominis vocem emittat, sed insuave quiddam ac terribile mugiat, is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Imaginemur eum obvios factos iugulare, carnes eorum lacerare ac devorare. Sed quid facis,* και τη τη πολλω χαλεπωτεξος ο φιλαργυρος πασιν απιων ωσπερ αδης παντα καταπινων, κοινος πολεμιος περιερχομενος τη των ανθρωπων γενει. *Et hoc multo molestior est avarus in omnes incurrens, eosque instar inferni devorans, communis hostis humani generis hac illac inambulans.*

III. Luxuriosus est asinus.

Tertio, Luxuriosus bestia et fera est. Lucianus in asino, dicit se in asinum fuisse mutatum, unguento inunctum sagæ postquam cum ea peccavisset. Circe non in asinos tantum, sed etiam in leones, lupos, ursos, tigrides, amasios suos transformabat, ut ait Virgil. 7. Æneid.

IV. Iracundus, est canis.

Quarto, Iracundus est canis rabidus et mordax. S. Gregor. Nyss. hom. in ea verba, Faciamus hominem. Iracundia, inquit, κυνος παντος εστιν αγριωτερος, est omni cane immanior. Et S. Basil. de ira απο θηριω παντελως τον ανθρωπον, *ira hominem penitus in feram mutat.*

V. Invidus, est fera pessima.

Quinto, Invidia est fera pessima. Genes. 37. 33. Iacob visa cruenta tunica filii sui Iosephi, quem fratres mentiebantur a feris esse devoratum, ait: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph.* Diriorem feris invidum esse sic docet S. Basilius oratione de invidia. *Nonne*, inquit, *ipsis feris immaniores invidi? Canes nutriti cicurantur, Leones blanditiis ita mansuescunt, ut manu etiam palpentur. Invidi vero beneficiis ipsis magis efferantur.*

VI. Gulosus, est bellua fœdissima, id est porcus.

Sexto, Gulosi, ut ait Clem. Alex. l. 2. Pædag. sunt θηρια ανδρεικελα, id est, feræ hominis formam habentes. Et Sixtus Philosophus sent. 26. *Homo*, ait, *qui a ventre vincitur, belluæ similis est.* Cani scilicet usque ad vomitum comedenti eum compara.

VII. Piger est vitulus.

Septimo denique piger non inepte vitulo in herbarum thoris lascivienti, et iugum e cervice indomita excutienti assimilabitur. Hinc *vitulari* est insolenter gestire apud Varronem et Ennium: item otiari atque vituli in morem se distendere, apud alios auctores.

97. Christus in medio peccatorum positus ingemit.

Quem dolorem Christi esse putas in Eucharistia existenti, cum urbium et templorum in medio his se circumdatum furiis videt? sed qualem quantamque fuisse eius acerbitatem in passione et cruce, cum adhuc mortalis ab iis pateretur? Hoc ut tibi repræsentes, contemplare S. Antonium inferni monstris circumsessum. Hinc leonem rugientem, rictantem leopardum, tigridem raucantem, uncantem ursum; inde frendentem aprum, glocitantem onagrum, gannientem vulpem, canes hirrientes, mugientes tauros: inde milvum lipientem, cucubantem noctuam, bubulantem bubonem, anserem gracitantem, cæteraque animalia instrepentia. Tum hæc omnia ludum et iocum esse existima, si cum tragico scelerum in Christum irruentium boatu et furore contuleris. Quid enim dirius ac funestius esse potest, quam cum superbiam involantem aspexeris armatam fustibus, avaritiam spinis, luxuriam clavis, iram lancea, cruce invidiam, gulam flagellis, felle et aceto, pigritiam funibus? Et tamen quæ provincia est, quæ urbs, quæ domus, in qua his pœnis prope singulis diebus non configatur Christus amantissimus redemptor noster? Hebræi 6. v. 6. *Rursum crucifigentes* (per iterationem peccati) *sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.* Græc. παραδειγματιζοντες, id est paradigma seu exemplum statuentes, quod ab omnibus videatur et rideatur. Syr. contemnentes.

98. Christus a peccatoribus torquetur et crucifigitur.

Hoc tanto molestius est, quod fit et a plebeis et a nobilibus. Omnes enim verbis et factis in Christum insurgunt. Scripsit Seneca lib. 7. de beneficiis. *Nec iniuriam Deo sacrilegus potest facere, quem extra ictum divinitas posuit*, eam Arius Christo tollere nititur, ut facilius vulneri pateat, alii etiam Deum creditum lacessunt, velut feræ insanientes. S. Chrysost. homil. 44. ad popul. *Mala bestia*, inquit, *peccatum est, non quidem in conserva corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam.* Si divinitati non parcit peccator, quanto minus humanitatem eius reverebitur?

Primo, Plebei Christum corona spinea cruentant, clavis configunt, lancea fodiunt, vestibus spoliant, omni vulnere probroque conficiunt.

I. Capitur et ligatur.

Ac primo, irruit peccator in Christum similis Iudæ per hypocrisim in principio, deinde militibus eum vincientibus et conculcantibus tradit per impudentiam. Hebr. 10. 27. et 29. *Irritam quis faciens* (αθετησας, contemnens et violans) *legem Mosi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus* (convictus) *moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit.* Quod de apostatis a Christo et eius fide explicat Cornelius; de quolibet peccante mortaliter, Galenus. S. Bern. videtur etiam ad venialia peccata traducere. Sic enim sermon. in fer. 4. hebdom. pœnosæ: *Alioquin exquiretur a me sanguis iustus, qui effusus est super terram, nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum, quod videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quod spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod sanguinem testamenti pollutum duxerim, quod conculcaverim filium Dei.*

II. Blasphematur.

Secundo, peccator Christum probris afficit per blasphemias et malam vitam. Prov. 10. 1. *Filius sapiens* (practice, id est probus, modestus, obediens) *lætificat patrem* (Christum) *filius vero stultus*, (improbus, petulans, contumax) *mæstitia* (Syr. confusio) *est matris suæ*, id est, Ecclesiæ: sed etiam patris. Nam cap. 19. 13. *Dolor* (Pagn. contritio. Arias, contritiones: sæpe enim desipit) *patris, filius stultus.* Hinc Salvianus sui temporis Christianos reprehendit, quod ita viverent, ut eorum vita esset contumelia et confusio Christo domino suo. Sic enim lib. 4. de providentia: *Magna videlicet nobis prærogativa de nomine Christianitatis blandiri possumus: quia ita agimus et vivimus, ut hoc ipsum quod Christianus populus esse dicimur, opprobrium Christi esse videamur.* Sic in Psalmo nostro Christus dicitur fuisse opprobrium hominum et abiectio plebis. Sed audiant illi blaterones et locutuleii, quibus passio Christi et crux stultitia est et scandalum, quique res ac cæremonias Ecclesiæ vellicant. Prov. 30. 17. *Oculum, qui subsannat patrem, et qui despicit partum* (Hebr. יִקְהַת icchehat, id est, obedientiam, ut vertit, Pagnin.) *matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus* (hoc est, dæmones) *et comedant eum filii aquilæ.*

III. Flagellatur.

Tertio, peccatores flagellant Christum. Ps. 34. 15. *Adversum me lætati sunt, et convenerunt:* (S. Hieron. vertit, in infirmitate mea lætabantur, et congregabantur) *congregata sunt super me flagella.* S. Hieron. collecti sunt adversum me percutientes. Et Psal. 72. 14. Christus de diuturnitate illorum flagellorum conqueritur. *Et fui flagellatus tota* (Hebr. כל col, et totum et omne significat) *die.* Et sibi id fieri a peccatoribus clare dicit Ps. 128. 3. *Supra dorsum* (S. Hieron. cervicem; Chald. corpus: nulla pars immunis fuit a vulnere) *meum fabricaverunt* (Arabs, flagellaverunt) *peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.* S. Hieron. sulcum suum. Ipsa iniquitas est sulcus carnem Christi dividens, vulnerans, et cruentans. Prolongatur, quia a prima iuventute usque ad senectutem producitur.

IV. Corona spinea cruentatur.

Quarto, peccatores coronam spineam imponunt Christi capiti per schismata, divisiones, iracundiam, aliaque. Tertull. lib. de corona militis sub finem: *Christus Iesus quale, oro te, sertum pro utroque sexu subiit? ex spinis opinor et tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis.* Alludit ad maledictionem terræ ob peccatum Adami. Genes. 3. 13. *Spinas et tribulos germinabit tibi.*

Peccator totus spina est. Isaiæ 7. 24. *Vepres et spinæ erunt in universa terra*, id est, in anima terrena, terram amante, et terræ divitias, quæ spinæ dictæ sunt ab ipso Christo. Matth. 13. 22. lege Greg. homil. 15. in Evang. Risus ipse stultorum et delectatio spinæ sunt, quia rident de rebus sanctis et viris piis. Eccl. 7. v. 7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* S. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. per coronam spineam Christi adumbrari putat multitudinem sculptilia colentium, quæ per fidem in diadema Christi suscepta est. Spinæ namque sunt steriles, quoniam nullum pietatis fructum producebant gentes. Ita Cyrill. Omnis peccator se et suum pro idolo habet: ideo sterilis et spina est.

V. Arundine irridetur. Quinto, peccatores arundinem, in dextera Christi ponunt, cum ipsi leves sunt, et ad dignitates Ecclesiæ homines leves erigunt.

VI. Genu flexo illuditur. Sexto, genu flexo ante eum illudunt, qui orant voluntaria distracti et iniqua versantes animo.

VII. Vestibus exuitur. Septimo, vestibus eum exuunt, qui cum Ario et hæreticis, ac libertatis malæ cupidis fidei et morum dogmata lacerant. S. Athan. disput. in Arium, vocat illum θηριον ανθρωπομορφον, feram hominis formam habentem. Ille Christum veste spoliavit, eam lacerans. Unde S. Petro Alexandr. Patriarchæ apparuit seminudus Christus conquerens quod ab Ario scinderatur sua vestis, id est Ecclesia.

VIII. Cruce oneratur. Octavo, Crucem imponit Christi humeris eaque illum degravat, qui peccata peccatis accumulat.

IX. Crucifigitur. Nono, Christum crucifigit, qui peccat mortaliter, in manibus et pedibus clavos ponens per malas operationes suas, et mortem inferens per consensum et delectationem interiorem. Malach. 3. 8. *Si affiget* (Hebr. יקבע icha, id est, auferet, ut vertit Arias, rapiet, ut Pagnin. spoliabit, ut Vatabl. 2. fraudabit, ut Symm. 3. opprimet, ut Arabs et Syr. 4. supplantabit, ut Septuag. 5. corrumpet, perdet, ut R. Abraham; 6. figet, ut alii Rabbini et Noster) *homo Deum* (quis qualem) *quia vos configitis me.* Et apertius Hebr. 6. v. 6. *Rursum crucifigentes Filium Dei, et ostentui* (irrisioni, qua quis alteri illudit eum digito ostendens) *habentes.* S. Hier. locum Malachiæ de Christi passione intelligit. S. Bonavent. autem in stimulo divini amoris p. 1. cap. 2. dolens quod peccatis sui crucifixisset Christum, ait: *Nonne melius erat, bone Iesu, ut non essem, quam ut factus te occiderem?*

X. In latere vulneratur. Decimo denique, Christi latus lancea percutit peccator per detractiones. S. Bern. sermon. 24. in Cantic. *Nec vero*, ait, *detractoris linguam ipso etiam mucrone, quo Domini latus confossum est, crudeliorem dicere verearis: fodit enim hæc Christi corpus, et membrum de membro: nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Parum est hoc, ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti militaris furor imposuit. Seu etiam clavis ferreis nocentior est, quos sanctissimis manibus ac pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur et transfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, numquam illud pro isto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidisset.*

Hinc collige primo, feritatem peccatorum in Iesum sævientium. S. Chrys. hom. 61. in Genes. agens de Iosepho Christi typo, qui a fratribus invidis agitatus est, *Fera pessima comedit, bestia devorabit Ioseph. Etenim vero quasi* θηριοις πονηροις περιπεσων, *in malas bestias incidisset, omnia crudeliter passus est.* Secundo, collige bonitatem Christi pro ipsis feris illis sanguinem suum dantis. S. Leo serm. 41. de Passione. *Furit in unum populus, et miseretur omnium Christus.*

99. Nobiles et divites peccatores in Christum sæviunt. Secundo, etiam nobiles, divites, et magistratus tam Ecclesiastici quam politici in Christum sæviunt suis sceleribus. Unde Malach. 3. 9. ait: *Me vos configitis gens tota.* Etiamne in belluas summa Reip. capita deformantur? Hoc asserit Ugo Card. aitque esse vitulos, tauros, leones, canes, unicornes.

I. Vitulis similes ob voluptates. Primo, vituli sunt ob otium, ludum, voluptates, recreationes inanes, libertatis desiderium. Ier. 50. 11. *Effusi estis sicut vituli super herbam.* Pagnin. sicut vitula, quæ pascit germina. Et cap. 5. v. 5. *Ibo igitur ad optimates, et loquar eis: ipsi enim cognoverunt viam Domini, iudicium Dei sui: Et ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula.*

Secundo, tauri sunt et tauri pingues, divites, qui peccant ac nobiles, 1. propter superbiam. Iob. 15. 26. ait Eliphaz Themanites de impio: *Cucurrit adversus Deum erecto collo* (indomita superbia, ut explicat Pineda) *et pingui cervice armatus est.* Ipsa pinguedo ipsis causa est peccatorum. Psal. 72. 7. *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (Hebr. עינימו enemo, oculus eorum. Chald. mutata est ob pinguedinem similitudo vultus eorum: Divitiæ et honores mutant mores) *transierunt in affectum cordis*, toti videntur mutati in vana desideria et amorem voluptatis, toti facti sunt concupiscentia inordinata. Arias vertit, *Transierunt imaginationes* (S. Hieron. et Pagnin. cogitationes) *cordis.* Vitiosa est illa divitiarum pinguedo in prælatis Ecclesiæ, ut notat Thom. Anglicus Cardinalis: Primo, quia Ecclesia est arbor: prælatus vero, radix. Plinius lib. 51. ait, arbores, quarum radices pinguescere incipiunt, cito deficere. Secundo, Ecclesia corpus est, prælati sunt oculus ad dirigendum: pinguedo autem in oculis excæcat. Tertia, prælatus est lingua ad virtutem movens et a vitiis abducens. Lingua autem nullius animalis est pinguis, ut ait Aristoteles, quia nec sapores posset discernere, nec distincte loqui. II. Tauris, ob superbiam.

Tertia, nobiles et divites mali, sunt leones ob rapinas, superbiam et crudelitatem. Sunt *leo rapiens et rugiens.* In eos Deus excandescit Michææ 3. 1. et 2. *Audite principes Iacob, et duces domus Israel* (per Iacob duas tribus nempe Iudam et Beniamin: per Israel, decem tribus intelliguntur ordinarie, hic tamen fit contrarium, ut patet cap. 1. 5.) *qui violenter tollitis pelles eorum* (Iacob nempe et Israel) *desuper eis, et carnem eorum desuper ossibus eorum, etc.* Si quis autem illis resistat, statim irruginnt. Unde addit v. 5. Si quis non dederit in ore eorum, *sanctificant super eum prælium;* per lites et bella ac falsas accusationes, ut fecit Iezabel contra Naboth 3. Reg. 21. 9. sub pretextu sanctitatis, velut ultionem sumens de blasphemia ab eo prolata, quod fecit, ut Achab Rex Israël maritus eius haberet vineam trucidati. Ezech. 34. 4. *Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia.* III. Leonibus ob rapinas.

Quarto, nobiles et divites peccatores, canes sunt ob adulationem, mordacitatem, voluptates insatiabiles. Isaiæ 56. 11. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem*, cibo se canes ingurgitant, vomunt, et iterum vomitum resorbent: ita peccator sua peccata. S. August. in malos prælatos invehens, ait: *Qui nec regiminis rationem habuerit, nec sua delicta deterserit, nec filiorum crimen correxerit, canis impudicus dicendus est magis quam Episcopus.* Lege S. Bern. in libris de consideratione ad Eugenium. IV. Canibus, ob adulationem.

Quinto, nobiles et divites peccatores, sunt unicornes, ob superbiam, ut dicetur sect. seq. v. 22. V. Unicornibus.

Nota, Hinc magnatum furor in Christum sævientium per sua scelera, potest commode exponi per ferarum rabiem, quæ a magistris bestiariorum incitabantur, sicut hi a dæmone. S. Chrys. hom. 21. ad Rom. *Non vides*, ait, *tauros, qui flammas dorso gerunt*, πως πασιν εισιν αφορητοι, *quam sint omnibus intolerabiles?* at S. Cypr. de spectaculis: *Eruditur*, inquit, *artifex bellua, quæ clementior fortasse fuisset, si non illam magister erudiens sævire docuisset.* Illas autem feras incitabant, vel flagellis dirum sonantibus, μαστιξι δυσηχοις ut ait Sozomenus lib. 1. c. 23. vel ferro et igne: sic enim Euseb. lib. 8. histor. *Ferro*, inquit, *et igne iniustæ sunt feræ agrestes, ut ferocius in Christianos exvirent.* Vel aliis modis, pro singularum ferarum natura, v. g. tauros panno rubro irritabant, ut ait Seneca lib. 3. de ira c. 30. et Ovid. 12. Metamorph. Homines vero se in feras transformabant, ut sanctis martyribus nocerent. Hoc vix aptius explicari potest quam efferato et barbaro prorsus immanique Neronis Imp. facto, de quo Sveton. cap. 29. *Feræ pelle contectus cruoipebat e* Bestiarii feras irritabant in theatro. Neronis crudelitas insana.

cavea, virorumque ac fœminarum ad stipitem deligatorum inguina invadebat, eosque, cum affatim desævisset, configi iubebat a Doryphoro liberto. Hoc magis ob libidinem quam ob sævitiam faciebat, sed sic commode explicari potest crudelitas peccatorum in Christum crucifixum sævientium, instar ferarum.

100. *Christus peccatores in feras mutatos, iterum in homines transformat.* Quæres denique, An homines in feras suo peccato mutatos, possit Christus suo sanguine in homines iterum transformare? Resp. id posse. Quidni enim posset, cum id potuerit Circe succis suis magicis, si Poetæ credimus? Qui in arcam Noemi leo erat ingressus, qui canis, qui taurus: is leo, canis, taurus egressus est. Sed qui peccatis efferatus in sacram arcam, nempe in Christi latus et vulnera se immiserit, is homo, is Angelus, is alter Salvator est, cum ad proximum descenderit. S. Leo serm. 5. de Pass. *Ibi*, ait, *tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, et de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat.* 1. Timoth. 1. 15. ait Apostolus: *Fidelis* (S. Aug. et Ambros. legant, humanus, nonnulli enim Græci habebant, χρηστος: sed nunc est πιστος, id est, fidelis, fidus, fide dignus, certus) *sermo et omni acceptione* (Gr. αποδοχῃ acceptione, acceptatione, approbatione) *dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Ex lupo in agnum et hominem conversus fuerat. 2. Cor. 16. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* S. August. recte vocat latus Christi, *vitæ ostium.* S. Anastasius Sinaita crucem, corpus et sanguinem Iesu lib. 11. Hexaem. nuncupat, *infracta et invicta arma, in quibus Ecclesia Dei conterit et aufert caput serpentis.* S. Leo serm. 9. de Pass. Diabolus, ait, nocendi avidus, dum irruit, ruit: dum capit, captus est: dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem.

Nonne cum moriens Christus ex superbo humilem, ex avaro liberalem, ex luxurioso castum facit, ex feris homines efficit? Unde redemptio est veluti nova generatio, aut nova creatio. 2. Cor. 5. 17. *Si qua in Christo nova creatura* (q. d. si quis in Christo et per Christum est de novo creatus, et in novam creaturam transformatus) *vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova,* q. d. veteres affectus exuendi, vetus pellis abiicienda est. Coloss. 3. 9. *Expoliantes* (id est, expoliate. Est hebraismus. Ideo vertit Syr. exuite) *vos veterem hominem* (eius descriptionem habet S. Bern. serm. 30. ex parvis) *cum actibus suis* (ira, gula, superbia, et aliis vitiis) *et induentes* (Syrus induite) *novum eum, qui renovatur in agnitionem* (id est, ut cognoscatur, practice scilicet creator) *secundum imaginem eius, qui creavit illum,* ut redeat ad imaginem et similitudinem Dei, cum illum cognoverit, et cognoscendo coluerit, ut debet. Dixi Ps. 8. in quo consistat illa imago Dei in homine.

Sævitas magna variorum principum Hinc collige Dei Patris et Christi amorem erga homines; poterant enim rebelles sibi homines crucifigere, sicut crucifixerunt principes subditos suos vel hostes. Alexander Iudææ Rex octingentos rebelles cruci suffixit. Alexander Macedo duo millia Tyriorum capta eorum urbe. Quintilius Varus Iudæos pari fere numero, ut ait Iosephus lib. 2. belli cap. 3. Augustus bello Siculo confecto sex millia servorum, quorum Domini non extarent, ut refert Orosius lib. 6. cap. 18. Titus Iudæos quingentos aliquando uno die cruci appendi iussit, cum Ierosolymam obsideret, idque pluribus diebus duravit, ut iam deesset locus crucibus, et hominibus cruces, ut ait Iosephus lib. 2. belli Iudaici cap. 28. Hadrianus Imp. uno tempore decem millia Christianorum crucifixit in Armenia, ut habet Martyrol. Rom. 22. Iunii.

101. *Dei propria est misericordia.* Dei propria est misericordia, crudelitatem ad feras et peccatores ablegavit, ipse unus pro omnibus pati voluit, ut omnes servaret. Isaiæ 53. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est* (Hebr. נִגַּשׂ niggas, id est, accessit; 2. Symm. legit nuggas, et vertit, admotus est, adductus est; 3. nunc legitur nuggas, cum sin, id est, oppressus est, ut reddit Pagnin. mulctatus est, ut Vatabl.) *quia ipse voluit* (Vide Bern. serm. 3. de Purificatione.) *et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur.* Gal. 2. 20. Paulus ait: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Christus ipse Ioann. 17. 19. *Pro eis ego sanctifico* (id est sacrifico) *meipsum.*

Crudelis fuit Caligula, quod cum noxii aliquando deessent, qui feris darentur, iussit ex spectatoribus nonnullos abripi ac feris obiici, ut tradit Dio lib. 58. Imo etiam cum ad saginam ferarum muneri præparatarum carius pecudes compararentur, ex noxiis laniandos adnotavit, ut habet Sveton. in Caligul. cap. 27. *Crudelitas Caligulæ.* Pius vero Iesus bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis. Quanto ardore id dicebat, quod postea S. Ignatius Martyr. Epist. 12. *Blandiar feris, ut subito me comedant, ne parcant sicut metu quibusdam pepercerunt.*

Quod amplius est admirabile, ita mori voluit Christus, et a feris, id est, peccatoribus trucidari, ut nunc in cælo regnans cibum se bestiis illis in Eucharistia reliquerit, ut homines efficiat atque Angelos. Artemidorus lib. 1. c. 49. θηριομαχων ait, απο των ιδιων σαρκων θηρια τρεφει. *Qui cum feris pugnat, propriis carnibus feras alit.* Conclude admirans tantam benignitatem Christi pro nobis patientis, et cum Maximiliano de Vriendt concine, 102. *Christus se in Eucharistia cibum dat feris.*

Victima pro servis Dominus, pro sontibus insons,
Pro læsis medicus, pro grege pastor amans.
Scilicet ex illo, crux lux, mors vita, trophæum
Furca, decus probrum, pœna medela fuit.

ARTICULUS II.

In cruce corpus Christi integrum est cruciatum.

MIRIFICUM Christi erga nos, et totum genus humanum amorem crux probat: sed eo mirabiliorem, quod in 103. *Vers. 15. I. Pars.*
ea totum se in usus nostros liberalius expendit: Nihil enim in toto corpore expers tormentorum esse voluit. Nam 1. passus est diffractis venis sanguinem effundi; 2. ossa distrahi; 3. cor vulnerari; 4. nervos distorqueri; 5. linguam arescere ac felle potari; 6. spiritus vitæ artifices extingui; 7. aures blasphemiis lancinari; 8. manus pedesque transverberari; 9. membra omnia summo dolore a se divelli; 10. oculis hostium sannas et irrisiones obiici; 11. vestes a carnificibus dividi ac sortito occupari. Quæ omnia hic continentur, et cum Propheta nostro sunt contemplanda.

AC PRIMO, a sanguinis fluxo passionem suam inchoare in horto, et claudere in cruce Christus voluit, ut omnia illo purpurata Patri æterno gratiora essent, et nobis utiliora, v. 15. ait, SICUT AQUA EFFUSUS SUM, ET DISPERSA SUNT OMNIA OSSA MEA. FACTUM EST COR MEUM TANQUAM CERA LIQUESCENS IN MEDIO VENTRIS MEI. Singula expendamus, et primo quidem quid sit Christum effundi velut aquam. *Christus effusus est sicut aqua quomodo et quando?*

Primo, S. Bernardus id refert ad incarnationem, in qua filius Dei e sinu Patris æterni, ubi collectus erat et quietus, sese in terras effudit, instar guttarum roris aut pluviæ descendentis in vellus, et in terram Virginis ut daret fructum suum. Verba eius sunt serm. 15. in Cant. *Quid mirum, si Sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Denique ait: Sicut aqua effusus sum. Effusa est plenitudo divinitatis habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, et vitali odore repleti diceremus: Oleum effusum nomen tuum.* Et Mendoza noster in lib. 1. Reg. c. 7. Sicut aqua effusus sum. Hoc est, tam liberaliter me in naturam humanam effudi, ut me totum illi communicarem. Hæc explicatio est pia, sed non literalis, agit enim Christus de sua passione, suisque doloribus. I.

Secundo, Agellius effusionem instar aquæ explicat de timore et pavore, quam adventante morte, et ante oculos quodammodo obversante perpessus est. Itaque cepit tæ- II.

dere et pavere, ut est in Evangelio Marci cap. 14. quem pavorem ipse quoque verbis testatus est: *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem*, id est, ut pene mihi mori videar. Igitur similitudine aquæ effusæ ostendit dissolutionem illam corporis, ex timore animi, et imminentis passionis metu profectam. Sicut enim aquæ effusæ ex edito loco in præceps labuntur et consistere nequeunt: sic vires corporis illius sanctissimi, pavore mortis dissolutæ illum destituerunt, adeo ut pene stare non posset, sed procumberet in terram: et carnis infirmitate, alacritateque spiritus inter se pugnantibus, fluor ille sanguineus exprimeretur, qui guttatim ad instar fluentis aquæ decurrebat in terram. Ita ille, Arias, et Eugubinus. Sed præsertim agitur de dolore in cruce tolerato.

III. Tertio, *Sicut aqua effusus sum*, id est, ait Titelmannus, Sa, et Iansenius, q. d. præ nimio pavore, præ passionis enormitate, acerbitate pœnarum, et vexatione immensa, quibus me affecerunt, dilapsus sum quasi viribus omnibus destitutus, in modum aquæ effusæ, quæ consistentiam non habens mox diffluit et dilabitur. Hanc expositionem iuvat S. Ambrosii psalterium et Romanum, ubi habetur: *Sicut aqua effusa sunt, et dispersa sunt omnia ossa mea*. Et Arabs, qui vertit: *Velut aqua effusa sunt ossa mea, et dissoluta sunt*. Cum enim ossium compages solvuntur, et dissipantur, vires corporis pereunt.

IV. Quarto, *Sicut aqua effusus sum*, q. d. ait Bellarmin. et Lorin. non restiti ullo modo, sed instar aquæ mollissimæ præbui me versandum atque impellendum in omnem partem. Uti enim mea potestate nolui, permittens me potestati tenebrarum, Luc. 22. 53.

V. Quinto, *Sicut aqua effusus sum*, q. d. Damnatus et occisus sum a Iudæis sine ulla cura et circumspectione, velut aqua, cuius iacturæ non timetur, et quæ pro nihilo ducitur. Ita Beda, Remig. Lombardus, Ioannes a Pastura, Ludolphus.

VI. Sexto, *Sicut aqua effusus sum*, q. d. Iudæi voluerunt me extinguere, quasi aquam, quæ hauritur et dispergitur, et non revertitur. Ita S. Hieron. Ubi adverte non dici, effusus sum sicut oleum, aut sicut vinum: sed sicut aqua. Quia, ut ait S. Thomas, si effundatur oleum, aliquid remanet in vase; si effundatur vinum, saltem remanet odor in vase: sed de aqua nihil remanet, q. d. Totaliter effusus sum secundum eorum opinionem. 2. Regum 14. 14. ait Thecuitis illa Davidi: *Quasi aquæ dilabimur, quæ non revertuntur super terram*. Aqua effunditur et proiicitur, sic ego effusus sum. Sicut etiam Iudæi non solum eum delere desuper terram conati sunt; sed etiam famam eius perdere voluerunt. Ierem. 11. 19. dicunt: *Mittamus lignum* (id est crucem) *in panem eius* (id est, crucifigamus eum, loco panis demus illi crucem et ictus fustium) *eradamus eum* (sicut arborem maledictam) *de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius*.

VII. Et optime. Septimo, simpliciter et proprie, *Sicut aqua effusus sum*, Sensus est q. d. sanguis meus instar aquæ effusus est, in sanguine enim præsertim sita est vita hominis: unde eo defluente et effuso vires et vita effunduntur, atque anima evolat. Hinc Virgil. *purpuream vomit ille animam*. Ita Dionys. Carth. Genebr. Palanterius, Mariana, Sa, Bredembachius, Sangrinus, Foleuglus, et alii.

104. Effusus est ut aqua, Christi sanguis: I. In horto. Quæres, de quo sanguine id est intelligendum? Resp. Primo, S. Iustinus in Tryphonem hoc explicat de sudore sanguineo in horto, Luc. 22. 44. *Et factus est sudor eius sicut guttæ* (Græc. θρόμβοι, id est, globi, ut legit S. Irenæus: grumi, ut Syrus) *sanguinis decurrentis in terram*. Æthiopicus et Persicus textus habet, Factus est sudor eius sicut sudor sanguinis defluens in terram: et Arabs, Factus est sudor eius, velut sanguis distillans descendens in terram: Suarez tom. 2. in 3. p. q. 34. sect. 2. quærit, utrum sudor sanguineus Christi in horto orantis verus ac naturalis fuerit? Primo S. Augustin. lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 4. Ammonius Alex. in harmonia Evangeliorum, S. Hilar. et S. Hier. intelligunt de vero sudore sanguineo, et S. Athanas. lib. 6. ad Theophilum, qui est de beatitudine filii, dicit Anatema iis, qui Christum negent sudasse verum sanguinem. Secundo, sanguinem illum fuisse miraculosum putat Iansenius, sed potuit sine miraculo illum sanguinem fundere ex vi internæ afflictionis et agoniæ. Aristoteles enim lib. 3. de histor. animal. cap. 19. ait: *Si sanguis immodice humescit, morbus instat: sic enim in speciem saniei diluitur, et adeo serescit, ut iam nonnulli*, ἰδεῖν αἱματώδη ἱδρῶτα, *sudore cruento exundarint*. Et lib. 3. de partibus animalium cap. 5. *Iam nonnullis accidit, ut cruentum quoddam excrementum sudarent*, διὰ καχεξίαν, *propter vitiatum corporis habitum: scilicet cum corpus laxum fluxumque esset, sanguisque præ cruditate humesceret, imbecillitate caloris, qui exiguus venulis inclusus concoquere non posset*. Sicut igitur illa causa est naturalis, quam affert, ita ex alia causa, nempe ex agonia et interiori afflictione, quæ inflammat et extenuat sanguinem, ac poros aperit, potuit sudor ille profluere. Præsertim cum sudor nihil aliud sit nisi serum, sive pars aquosa sanguinis, fieri potuit, ut deficiente materia sudoris, sanguis fuerit ex vi interioris afflictionis expulsus.

Secundo, cum dicitur, Christi sanguinem instar aquæ 105. II. Post mortem.
esse effusum, hoc intelligit Eusebius de aqua et sanguine, quem profudit lancea vulneratus post mortem Ioan. 19. 34. *Unus militum* (non fuit cæcus, nec S. Longinus postea martyr, sed alius ignotus) *lancea latus eius aperuit* (Gr. ἔνυξε. compunxit, transpunxit) *et continuo* (statim) *exivit sanguis et aqua*. Verum sanguinem et veram aquam de latere Christi aperto post mortem profluxisse est de fide. Sic enim definivit Innocentius in cap. In quadam, de celebratione missarum. Fateor per miraculum id factum esse, sed non est ideo negandum. In pericardio quidem est humor biliosus, sed non est aqua. Itaque licet cor et pericardium lancea miles transfoderit, nullam tamen aquam naturaliter inde educere potuit. Illum porro sanguinem et aquam fudit Christus; primo, ut se verum esse hominem probaret ex elementis constantem. Secundo, ut suo sanguine sanctificandam et abluendam esse Ecclesiam denotaret. S. Ambros. lib. 5. de sacram. c. 1. *Quare aqua? quare sanguis? aqua, ut emundaret: sanguis, ut redimeret*, id est, ut symbolum redemptionis ostenderet, quia post Christi mortem omne meritum eius cessavit. Deinde aqua baptismum, sanguis Eucharistiam figurabat: unde dicuntur sacramenta Ecclesiæ, imo ipsa Ecclesia de latere Christi exivisse, symbolice scilicet ac figurative, non proprie. Tertio, Christus ex latere illa profudit, ut se id ex amore facere denotaret, atque ostenderet causam passionis suæ, nempe cor plenum cœlesti charitate, quam in omnes cuperet effundere instar aquæ, id est copiosissime. Adverte porro sanguinem et aquam exivisse e Christi latere sine permixtione. S. Cyprian. serm. de passione Christi: *De latere*, ait, *tuo fons egreditur in vitam æternam prosiliens, et de eadem consubstantialique origine divisis limitibus aqua et sanguis emanant, ad complementum perfectionemque iustitiæ*.

Tertio denique, Christus in cruce dicens, *effusus sum* III. Toto tempore passionis.
sicut aqua, plene et adæquate loquitur de toto sanguine, quem perdiderat ab inceptione passionis, in horto, in domo Pilati, in via usque ad locum crucis, et præsertim in cruce. Sic enim gravior est occasio conquerendi, quod sit derelictus, ostendendi acerbitatem passionis suæ, et amorem erga nos, et excitandi compassionem et desiderium aliquid pro ipso patiendi. Sanguis porro ille *effusus est, sicut aqua*, id est Primo abundanter et copiosissime, ut ait S. Cyrill. Alexandr. hom. 18. Sic dicitur effundi ira, Ps. 68. 25. furor, Ezech. 20. 13. indignatio, Ierem. 10. 25. Spiritus sanctus, Tit. 3. 6. Secundo, effusus est *sicut aqua*, id est, viliter et sine ulla iactura, ut loquitur Remig. Richardus Pampol. Ludolph. Turrecremata. Quod, ut quam indignum sit videas.

Nota primo, sanguis Christi proxime et immediate fuit 106. Sanguis Christi fuit Verbo unitus proxime.
unitus Verbo Dei, quia fuit infiniti valoris, et illi redemptio nostra tribuitur tamquam condigno pretio. 1. Petr. 1. 18. *Non corruptilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis* (in lege Mosis et gentilismo) *sed pretioso sanguine quasi agni imma-*

culati Christi. Christus consecrans calicem dixit Matth. 26. 28. *Hic est sanguis meus novi testamenti* (Syr. novi fœderis) *qui pro multis* (pro omnibus, qui omnes sant multi) *effundetur in remissionem peccatorum.* Conveniunt Arabica, Persica, et Ægyptieca biblia. Expressius adhuc habent Æthiopica, *hic ipse sanguis meus*, etc. Novum igitur fœdus sancitum est in ultima cœna potius quam in cruce, 1. quia Christus tunc erat liber et brevi moriturus; 2. præsentes erant omnes Apostoli, qui Ecclesiam repræsentabant, et se mutuo obligabant Christo, eiusque donationem acceptabant et promissionem vitæ æternæ; 3. non deerant victima et sanguis, quo non tantum aspergerentur, ut in veteri fœdere, sed potabantur. Pretium sanguinis Christi miratur S. Aug. in Psal. 65. in illud, Terribilis est super omnes Deos. *Quæritis*, ait, *quid emerit? Videte quid dederit, et invenietis quid emerit; sanguis Christi pretium est, tanti quid valet? quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes?* Concil. Ephes. can. 5. dicit, Verbum æque ac nos communicasse carni et sanguini. Sexta Synodus Act. 16. damnat quemdam hæreticum, qui dicebat carnem et sanguinem in cruce fuisse dimissa: ubi satis patet eos iudicasse utrumque fuisse assumptum. Vide Suar. 3. p. t. 1. disp. 15. sect. 6.

107. Etiam in passione effusus non amisit illam unionem.

Nota secundo, Sanguis a Christo effusus in passione et cruce mansit unitus Verbo Dei. Ratio est, quia *quod Christus assumpsit, numquam dimisit*, et sanguis repositus est in corpore Christi resurgentis, pertinet enim ad integritatem humanæ naturæ: nec unio sanguinis pendebat ab unione corporis, sicut unio corporis non pendebat ab unione animæ. Hoc definitum fuisse a Clemente VI. refertur in directorio Inquisitorum, 2. p. q. 10. et a Pio II. ut iste Sylvester refert in Rosa aurea, quæst. 30. et seq. ac Dominicus de Dominicis in tract. de sanguine Christi. Dices, sanguis ille effusus corruptus est, et amisit propriam formam, ergo et unionem. Resp. 1. negando fuisse corruptum, cum dicatur Ps. 15. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Resp. 2. negando consequentiam, quia quo modo sanguis mansit (ut sic loquar) mortuus, C seu quasi cadaver sanguinis, eo modo mansit unitus Verbo: sicut non obstante forma cadaveris mansit unitum Verbum cæteris corporis partibus.

Ex his collige, rem indignissimam fuisse, sanguinem Verbo Dei unitum instar vilis aquæ effundi, luto hærere, pedibus carnificum et petulantis turbæ proteri, cum esset adorandus latria ut sanguis Dei. Ubi adverte obiter, non esse improbabile aliquas guttas pretiosi illius sanguinis in terra hactenus perseverare Verbo Dei non unitas, quæ tamen, ut docet Suar. tom. 2. in 3. p. disput. 47. sect. 3. adorari possint propter præcedentem unionem et veluti contactum ad Verbum, ut propter contactum etiam ad carnem Christi. Nicephor. lib. 1. cap. 30. ait, Beatam Virginem et S. Ioan. Evangelistam sanguinem a Christi latere manantem religiose et honorifice vasculo excepisse. Sylvester quoque ait in Rosa aurea tit. 2. concion. in fer. 5. octavæ Paschæ, vidisse se in antro S. Mariæ Magdalenæ vitrum plenum terra rubei coloris, quod Magdalena iuxta crucem impleverat ex terra, quam Christus suo D sanguine rigabat, ut erat traditio: Etiamnum fertur in die parasceves, id est die Veneris hebdomadæ sanctæ, illе sanguis ebullire.

108. Tropol. Sanguis Christi effusus est, sicut aqua, quia habet proprietates aquæ: 1. Nos lavat.

Tropolog. Sanguis Christi *sicut aqua effusus est:* quia sicut aqua lavat, irrigat et lapsum facit pedibus. Ita S. Thom. Ugo, et Thom. Anglicus. De Christo dicitur Apoc. 1. 5. *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Hæc est piscina probatica, de qua Ioan. 5. 2. *Erat autem Ierosolymis* (prope eam urbem crucifixus est Iesus) *probatica* (id est ovina, pecuaria, προβατον enim est ovis seu pecus) *piscina* (Græc. κολυμβήθρα, id est, natatoria, quod in ea homines et pisces natare possent, licet de facto illi non natarent) *quæ cognominatur hebraice Bethsaida*, hoc est, domus seu locus venationis seu piscationis: in piscinis enim venantur pisces. Arabs vertit, quæ vocatur hebraice Bethsaida, cuius interpretatio est piscina ovium, id est, in qua oves abluebant, ut eas offerrent A in templo. Nihil non ablutum in Christi sanguine recipitur a Patre æterno. De martyribus, qui in cœlo stabant ante thronum amicti stolis albis, et tenentes palmas in manibus, dicitur ab uno e principibus: *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna* (tempore Antichristi) *et laverunt stolas suas*, (sua corpora et conscientias, quæ sunt vestes animæ) *et dealbaverunt eas in sanguine agni*, partim per sacramenta baptismi et pœnitentiæ, partim per gemitus et lacrymas, opera misericordiæ, mortificationis, charitatis, aliarum virtutum, atque per ipsum Martyrium.

II. Irrigat.

Secundo, Aqua et sanguis Christi irrigant. Eccl. 24. 40. et seq. ait Sapientia incarnata, id est, Iesus: *Ego sapientia effudi flumina* (quatuor vivens, quintum post mortem) *ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio* (de Patre æterno. Syr. vertit, ego sicut fluvius qui irrigat. est enim Verbum Patri consubstantiale) *ego quasi fluvii Dioryx* (id est, alveus et rivus, fossa in quam fluvius derivatur: per humanitatem veluti per canalem venit ad nos divinitas) B *et sicut aquæductus exivi de paradiso. Dixi, rigabo hortum plantationum mearum* (id est, Ecclesiam meam) *et inebriabo prati mei fructum*, flores religiosarum familiarum. Tigurina vertit, iustamque meam areolam irrigabo, q. d. selectioribus ex floribus constantem areolam studiosius et copiosius rigabo. Nam inebriamur charissimi. Cantic. 5. 1.

III. Perversis lubricam viam facit.

Tertio, Christus et crux eius ac sanguis in ea fusus, occasionaliter faciunt viam lubricam, ita ut multi in ea corruent. Luc. 2. 34. *Benedixit illis Simeon: et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam* (Gr. πτῶσιν, hoc est, casum, ut habet Arabs) *et in resurrectionem multorum in Israel.* Hoc prævidebat Isaias, cum dicebat cap. 8. 14. *Erit vobis in sanctificationem* (id est, vos sanctificabit) *in lapidem offensionis* (id est, in quem impingant,) *et in petram scandali duabus domibus Israel* (id est duobus regnis: nempe Samaritano decem tribuum, et Ierosolymitano duarum tribuum) *in laqueum et in ruinam habitantibus Ierusalem*, quia dixerunt, Matt. 27. 25. *Sanguis eius* (id est, pœna et culpa ob eius fusum sanguinem) *super nos, et super filios nostros*, ideo fluxum sanguinis sæpe patiuntur, ut aliqui dicunt: et Ierusalem eversa est, ut certum est. Locum Isaiæ citat de ipsis et Christo Paulus Rom. 9. 32. crucem quoque ait fuisse Iudæis scandalum, 1. Cor. 1. 23.

109. Symbol. Effusus est Christus sicut aqua. 1. Cum Apostoli timidi dissipati sunt.

Symbolice, effusio illa Christi est Apostolorum digressus et fuga. Ita Didym. Euthym. Nicephor. Caiet. Theodoretus, qui ait: *Ossa vocat sacros Apostolos, quoniam et corpus Ecclesiam nominat: robur autem corporis ossa sunt: ab his enim*, το μανον και διαρρεον τῆ σωματος φερεται, *quicquid in corpore mollis et fluxi est sustentatur. Dissipati autem sunt omnes tempore passionis, instar aquæ huc et illuc dispersi.* Christus itaque dicit se effusum, instar aquæ, cum eius corpus effusum est ac dissolutum, ossibus, id est, Apostolis dissipatis, et inter se ac cum capite et corpore non unitis.

II. Cum in totum orbem dispersi.

Secundo, hoc in bonam partem de missione Apostolorum per totum orbem ad illum abluendum et irrigandum sumit Glossa et Cassiodorus, qui sic loquitur: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea. Comparatio isto non minimum continet sacramentum. Dispersa sunt ossa eius, id est, firmi ac fideles Apostoli, quando dixit eis: Ecce ego mitto vos, velut agnos in medio luporum: tunc illi sicut aqua effusi sunt. Aqua enim quando funditur, et rigat et abluit: sic illi orbem terrarum divino imbre satiantes, peccatorum sordibus abluerunt.*

110. Ex his quinque colligi possunt: 1. Admirabilem fuisse liberalitatem Christi.

Ex his consequens, ut Primo admiremur liberalitatem Christi crucifixi erga nos. S. Cyprian. de duplici martyrio, notat Christum nihil sibi reliquum fecisse, cum etiam post mortem quicquid resederat in corde sanguinis Dominus emisit. Secundo misericordiam qui miseros tam pretioso fonte lavare voluerit. Idem sanctus Pater serm. de resurrect. Christi *Ex hoc*, ait, *fonte lateris non solum ablutionis primæ undas haurimus, sed et compunctionis et lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum nunci-*

tas, et totius pietatis affectus. Tertio, ut admiremur eius sapientiam. S. Bonavent. p. 1. stimuli divini amoris c. 1. *Quid*, ait, *admirabilius, quam quod mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciat, et mundet intima?*

II. Spem in Deo ponendam esse. Secundo, consequens est, ut spem nostram in Christi sanguine ponamus, nec desperemus sordidati, cum tam vivificum et ad purgandum efficacem fontem habeamus. S. Isidor. Pelusiota lib. 1. Epistol. 193. ad Lampetium. *Nobis*, ait, *Christus*, εν εαυτω την αναφαιρετον ευλογιαν πηγασεν, *in seipso numquam eripiendam benedictionem fontis in mortem protulit.* Et S. Leo serm. 8. de Passione. *Crux tua*, inquit, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Si aquæ pluviæ meliores sunt ad irrigationem, ut ait Aristoteles, quid non poterit fons ille cælestis a terra elevatus?

III. Per amorem esse currendum ad Deum. Tertio, per amorem currendum est in odorem tam suavis unguenti. S. Ambros. serm. 3. in Ps. 118. *Omni*, ait, *unguento suavior, accepta Deo hostia, per totum mundum odorem sanctificationis effudit.*

IV. Innocentiam studiose servandam. Quarto, innocentiæ, aut saltem purgatæ conscientiæ nitoris amor est augendus. S. Bonavent. part. 1. stimuli divini amoris cap. 2. ait, sanguinem Christi lavando dealbare, et incitare, ut anima dedignetur se vilitatibus vitiorum inquinari.

V. Sanguinem pro Christo fundendum. Quinto denique, quia Christus pro nobis sanguinem suum effudit instar aquæ, et nos debemus sanguinem velle pro illius amore et gloria fundere. Tertull. de fuga in persecut. *Quomodo*, inquit, *reddam, quæ sunt Dei Deo? Utique perinde imaginem et monetam ipsius inscriptam nomine eius: id est, hominem Christianum. Quid autem debeo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me filius fudit ipsius?*

111. Vers. 15 2. Pars Ossa Christi divulsa in passione, et quomodo? A SANGUINE transit Christus ad ossa, quæ dicit sibi in cruce laxata esse et dissoluta, v. eod. 15. DISPERSA (S. Hieron. separata. Arabs, dissoluta. Magn. revulsa. Sept. διεσκορπισθη, id est dissipata, sparsa, a se invicem divisa) SUNT OMNIA OSSA MEA. Id est, compages ossium meorum dissilierunt, et divulsæ sunt. Dupliciter autem hoc contingere potuit. Primo ab intrinseco: unde in Hebræo est verbum in Hitpael nempe התפרדו *hitparedu*, id est, separaverunt se. Hoc autem medici dicunt oriri, vel ob redundantem ex dolore nimium humorem, vel contra ob inopiam viscosi humoris, qui ossa inter se contineat, vel ob nimium calorem aut frigus. Secundo, ab extrinseco oriri potuit in Christo, sive quod diu summa cum violentia huc illuc raptatus est, flagellis crudelissimis cæsus, fustibus contusus, cruce oneratus: quod in cruce extensus, funibus magna vi pertractus est, ut brachium et pedes ad foramen in altero ligno transverso paratum infigerentur, ut in revelatione S. Birgittæ habetur l. 1. c. 10. Quomodo ita dispersa, divisa et dissoluta sint Christo ossa, ut numerari possint, dicetur v. 18. Hanc porro extensionem corporis ac nervorum, atque violentam ossium separationem fuisse gravissimum omnium dolorum Christi, ipsemet cuidam sancto viro revelavit, ut tradit Lanspergius, et quidem in ea distensione venas et nervos esse disruptos S. Birgittæ est revelatum, ut habetur loco mox citato.

112. Symbol. Ossa corporis Christi sunt Apostoli. Symbolice, primo Apostoli sunt ossa corporis Christi: ossium illorum dispersio, est fuga eorum, cum captus est Christus Matth. 26. 31. *Tunc dicit illis. Omnes vos scandalum patiemini in me* (Syr. *offendemini in me*, incidetis in scandalum, id est, in offensam et ruinam, atque in peccatum pusillanimitatis et timiditatis) *in ista nocte. Scriptum est enim* (Zachar. 13. 7.) *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis*, nempe Apostoli.

Et clerici ac prælati. Secundo, ossa Christi corporis, id est, Ecclesiæ, sunt clerici et prælati. Ita Ugo et Thomas Anglicus. Primo, ossa sunt candida. In clericis et prælatis debet esse triplex candor, 1. cordis per innocentiam cogitationis; 2. corporis, per castitatem; 3. operis per bonum exemplum. Threnor. 4. 7. de prælatis antiquis Ierosolymæ ait Ieremias: *Candidiores Nazaræi* (id est separati, consecrati et coronati) *eius nive, nitidiores lacte* (Origen. legit επυρωθησαν, id est igniti, igne probati et excocti sunt) *rubicundiores ebore* (Hebr. עצם *etsem, osse*, elephantis videlicet) *antiquo, sapphiro pulchriores.* Symm. vertit, sapphirus membra eorum. Chald. sapphirus erat vultus eorum, id est, toti cælestes apparebant: sed statim deplorat fuisse denigratos instar carbonum, et non adhæsisse cutem ossibus eorum. Secundo, ossa debent esse fortia et carnem ac nervos, venas, musculos, arterias, cutem et cætera in corpore sustentare: unde facta sunt in modum columnarum. Cant. 5. 15. *Crura illius* (Christi) *columnæ marmoreæ* (per fortitudinem) *quæ fundatæ sunt super bases aureas*, per charitatem. De Apostolis et Apostolicis viris id multi explicant. In ferculo Salomonis erant columnæ argenteæ, id est, in Ecclesia prælati fortissimi et purissimi. Cant. 3. 10. Tertio, ossa sunt sonora, cum nudantur carne. S. Gregor. scribens cuidam Episcopo, alludit ad illud, quod dicit Paulus Actor. 20. 26. *Mundus sum a sanguine omnium* (id est, si quis pereat, sua culpa peribit) *non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium* (Syr. omnem voluntatem) *Dei vobis*, senioribus Ecclesiæ Ephesinæ, quos advocavi Miletum, et vestris civibus. S. Gregorius inquam, ad id alludens ait: *Mundus a sanguine eorum non esset, si eis consilium Dei prænunciare noluisset: cum enim increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio Pastor occidit.* Sed ut sacerdos sit sonorus, debet esse os separatum a carne, id est, a carnalibus, et non habere medullam, id est, delicias et mollitudinem animi.

113. Vers. 15. 3 Pars. ARCEM ipsam cordis sui quassatam esse in cruce denotat Christus, vers. eod. 15. FACTUM EST COR MEUM TAMQUAM CERA LIQUESCENS (S. Hieron. liquefacta. Petavius ad cor refert, ac vertit, liquefactum) IN MEDIO VENTRIS MEI. Chald. viscerum meorum. Felix, intestinorum meorum. Hebr. aliter dispunguntur. Factum est cor meum, sicut cera: liquefecit se in medio viscerum. Et Syr. Factum est cor meum tamquam cera, et emarcuerunt intra me viscera mea. Sed idem est sensus cum Vulgata.

Venter ab Hebr. vocatur tota concavitas, quæ est a collo usque ad renes. Nota, venter hic sumitur non pro ea solum corporis parte, quæ continet cibos et cibos, sed pro tota concavitate, quæ est a collo usque ad renes et inguina. In ea cavitate est cor, iecur, pulmo, lien, stomachus, ilia, quæ omnia sunt et vocantur viscera seu intestina, quod sint in parte interiori corporis. *Per ventrem*, ait Euthym. *iuxta Græci nominis significationem, totam corporis concavitatem intelligit.* Græci enim hic ventrem vocant. Sept. κοιλιαν, dicitur a κοιλος, cavus, concavus, q. d. cavitas, concavitas. Vox item Hebr. מעים *meaim*, id est, viscera, seu intestina, quæ hic ponitur, significat omnes partes interiores: nempe cor, iecur, pulmonem, lienem, stomachum, et ut ait R. David. Vox etiam Hebr. בטן *beten*, quæ alibi ponitur, et significat ventrem, ponitur pro tota cavitate, quæ est a collo usque ad inguina. Sic Habac. 3. 16. *Audivi, et conturbatus est* (bitni) *venter meus*, id est, viscera mea omnia, sed præcipue cor, quod est in eorum medio. Et Ps. 30. 10. *Conturbatus est* (S. Hier. caligavit. Aquila εσχωμωθη, squaluit) *in ira oculus meus, anima mea et* (bitni) *venter meus.*

114. Cor Christi erat simile ceræ ob tres rationes. 1. Ob gratiarum suavitatem. Nota secundo, Cor Christi fuit instar ceræ: Primo, cera est domus mellis, cor autem Christi est plenum omni cælesti suavitate gratiarum, donorum Spiritus sancti, et virtutum, unde in os eius mel emanat. Ps. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Est etiam in corde Christi suavitas charitatis erga nos, quam in cruce ostendit erga hostes suos, primum illud melle suavius verbum proferens. Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Secundo, cera est aptissimum fomentum luminis. Cor Christi lucebat omni sapientia. Coloss. 2. 3. *In quo sunt omnes thesauri* (hæc vox abundantiam sapientiæ notat) *sapientiæ et scientiæ absconditi*, αποκρυφοι, id est occulti et arcani. Sapientia autem est lux mundi. Sap. 7. 26. *Sapientiæ candor* (απαυγασμα, splendor, fulgor) *est lucis æternæ*, et v. 29. *Est enim speciosior* (Græc. ευπρεπεστερα, id est, formosior, ornatior) *Sole, et super omnem dispositionem* θεσιν,

id est positionem, situm, ordinationem) *stellarum, luci, comparata invenitur prior*, hoc est potior, ut vertit Vatablus. Itaque Christi humanitas non tantum vestiebatur sole et stellis, sed intra se illa habebat, ut lux vera illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. Tertio, cera est apta literis scribendis: olim multa scribebant in tabulis ceratis. Et nunc habemus pugillares, id est, tabulas cereas aut ligneas sic dictas a pungendo, quod stylo in his pungendo, scribatur. In corde Christi eramus omnes descripti. Isaiæ 49. 16. *In manibus meis descripsi te.* Aquila, accurate descripsi. Septuag. depinxi. Sanguine scilicet meo et clavis in cruce. Quale erat cor, quod ob amorem nostri sic describendas manus dedit? oblatus est enim, quia ipse voluit. Philippensibus ait Paulus cap. 1. 7. *Habeo vos in corde meo*, scriptos scilicet atque contentos: id est, amo vos et sum memor vestri. Est metalepsis. Et Corinth. ait, 2. Epistol. 7. 3. *In cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum*, q. d. adeo vos amo, ut non tantum vobiscum vivere, sed etiam mori paratus sim. Hoc autem fecit excellenter Christus, dans pro nobis sanguinem Deo unitum, cuius unica gutta est valoris infiniti. Et nos idem pro ipso faciamus, ponamus illum signaculum super cor nostrum, et super brachium nostrum, Cantic. 8. 6. pro ipso mortem obire parati. Nunc in Peruano atque Mexicano regno uxores et famuli chariores, marito vel domino defuncto, in rogum vel sepulturam vivi se cum Domini cadavere iniiciunt. Hoc olim in India erat usitatum. De gallicis Soldurils, quos Cæsar lib. 3. devotos interpretatur, egi alias. Apud Thebanos erat etiam ιερος λοχος, id est, sacra cohors, de qua Plutarch. in Pelopida, quam ex amicis trecentis conflatam fuisse quidam volunt, quod, ut ibi dicitur, εξ ερωτικης φιλιας συνηρμοσμενον στιφος, αδιαλυτον εστι και αρρηκτον, indissolubilis est et infractus ex amatoria contractus consuetudine cuneus.

Nota secundo, Cor Christi in cruce erat cera liquescens. Primo, ob vim amoris, qui calore cælesti ac divino cor amantissimi patris liquefaciebat et absumebat, ita ut totum instar cerei sacri in altari crucis distillaret, offerens se Patri æterno non solum in mincha vel in chistinnem pro peccato, sed in holocaustum. Solebant veteres cor humanum thuribulo pleno ardentibus carbonibus et thus primarium exhalantibus imponere, ut deorum suorum in honorem totos se in cinerem redigi velle denotarent. Christus considerans peccatores factos esse in desolutionem, subito defecisse ac periisse instar somnii, et imaginem ipsorum ad nihilum redactam esse, desiderio illos iuvandi et amore eorum succensus, ait, Ps. 72. 21. *Inflammatum est cor meum* (affectus mei) *et renes mei* (internæ cogitationes) *commutati sunt* (S. Hieron. lumbi mei velut ignis fumigans. Chald. renes mei ardebant sicut ignis) *et ego ad nihilum redactus sum*, (exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis) *et nescivi.* Visus sum in oculis Iudæorum et militum insipiens. S. Hier. vertit: *Et ego insipiens et nescius*, supple habitus sum. Et v. 26. additur: *Defecit* (S. Hier. consummata est) *caro mea et cor meum.*

115. II. Ob timorem. Secundo, Cor Christi in cruce erat cera liquescens, præ timore. Chald. *Fuit cor meum liquefactum sicut cera, palpitans in medio viscerum meorum.* Postquam audierunt omnes Reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentalem plagam, et cuncti Reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec transirent, summo timore correpti sunt. Unde dicitur Iosue 5. 1. *Dissolutum est cor eorum* (quod dat robur et constantiam) *et non remansit in eis spiritus*, (id est, animi vis qua sapimus) *timentium introitum filiorum Israel.* Sed ut a Christo patiente non recedamus, Iob eius typus dicit cap. 23. 16. *Deus* (Hebr. אל *el*, fortis, Deus, potens) *mollicit cor meum* (variis afflictionibus, ait S. Augustin. timore, ut Pineda; animi nervos et vires elidendo, ut Nicetas) *et omnipotens* (Saddai, id est sufficiens sibi scilicet atque aliis) *conturbavit me*, perterrefecit, ut exponit Nicetas. Timor emollit et dissolvit cor, quia infrigidat spiritus vitales et animales, Deut. 20. 3. ait Deus populo ituro ad bellum: *Non pertimescat cor vestrum.* Hebr. ne emolliatur; Sept. non dissolvatur. Item iisdem Hebræis interminatur Deus, si peccent, fore ut illos timore percellat. Levit. 26. 36. *Qui de vobis remanserint, dabo pavorem* (Hebr. teneritudinem sive mollitiem; Septuag. servitutem: id est, timorem servilem) *in cordibus eorum in regionibus hostium, terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium.* Gravis pœna est magnus pavor, ut patuit in Caino tremente. Gen. 4. v. 5. Christus pro peccatis nostris satisfaciens tristis fuit usque ad mortem, Matth. 26. 38. quidni etiam illi timorem usque ad mortem, tribuere possimus, fuit enim probatus per omnia absque peccato. Theodoret. *Cor*, ait, *timore*, ως κηρος πυρι διαλυθη, *ut cera ad ignem evanuit, et robur vim pristinam non obtinuit.*

116. III. Ob dolorem. Tertio, Cor Christi in cruce erat cera liquescens, ob vehementiam doloris: λυπην, id est dolorem animi molestiam et ægritudinem, censet etymologus dictam παρα το λυειν εις δακρυα τους ωπας, id est, quod dissolvat in lacrymas oculos: possis addere, et quod cor dissolvat et exangue faciat atque debilitet. Christi humanitas in Sione afflicta figurata, sit, Thren. 1. 20. *Vide* (benigno vultu aspice) *Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus* (pectus, viscera) *subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine* (dolore in corde: cruciatu in corpore) *plena sum.* Pro *conturbatus* ibi est Hebr. חמרמר *chomarmar*, id est, constipatus est, ut vertit Arias: intumuit, ut Pagnin. in sua versione; turbatus est instar luti; vel, instar aquæ turbulentæ et lutulentæ, ut Pagninus in thesauro: dolore, gemitu, singultu, instar aquæ perturbatæ vel ebullientis turbatus est, ut Cornelius. In psalmo nostro cor instar ceræ liquescens, etiam de dolore cordis explicat S. Athanas. Cor itaque Christi fuit cera virginea in tota vita eius, sed in passione fuit cera liquescens per summos dolores et sanguinis fusionem, atque ardens per summam charitatem. Et tu altaribus te sacris impone, ut coram Christo in Eucharistia posito ardeas et consumaris: ibi quoque velut in favo est mel cæleste occultatum, quo divinæ apes nutriantur. Quod eo debes facere ardentius et liberalius, quo magis de te ac tuis afflictionibus cogitabat et dolebat Iesus in cruce: non enim solum pro se, sed etiam pro te colliquescebat dolore et amore, cor eius velut optimi parentis de filio solliciti et anxii. Didymus: *Eius cor*, inquit, *tamquam cera in medio ventre liquescit, qui quos ipse peperit, calamitatem sustinere videt. Quoniam ergo quæ prædicta sunt discipulis Iesu acciderunt* (dissipati sunt in fuga) *cor eius ardore charitatis in eos accensum, ceræ more in medio ventre suscepit, dum in illos, quos pepererat, commiseratione afficeretur: Quin et cordis dulcedo cum cera esset, liquefacta est, quando cibus effectu* (in Eucharistia) *in ventrem cessit.* Intelligit autem cogitationes cordis, curarum assiduitate cor extenuantes, ut inde in nutrimentum et integritatem nutrili distribuantur.

117. Symbol. Cor Christi sunt, 1. Apostoli. Symbolice. Cor Christi sunt primo Apostoli, 1. quia eos magis dilexit; 2. quia per eos spiritus vitales per totum Ecclesiæ corpus diffundit; 3. quia cor est primum vivens et ultimum moriens: ita Christus volens formare Ecclesiam suam ab Apostolorum vocatione et missione incepit, et usque ad finem mundi per ipsos et successores ipsorum eam conservabit; 4. cor est nobilissimum et maxime necessarium membrum corporis: ita Apostoli sunt primi in Ecclesia. 1. Cor. 12. 28. *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos* (velut cor aut caput) *secundo Prophetas* (velut oculos) *tertio doctores* (velut linguam) *deinde virtutes* (miraculorum operatores; Græc. δυναμεις, potestates, fortitudines) *exinde gratias curationum* (curatores morborum) *opitulationes* (opitulantes ægris, pauperibus, peregrinis, hospitibus) *gubernationes* (gubernatores, rectores) *genera linguarum* (peritos variorum idiomatum) *interpretationes sermonum*, interpretes ad difficilia explicanda, quæ dixerant brevius Apostoli; 5. corde

læso perit corpus, corruptis Apostolis et Apostolicis viris perit Ecclesia, et recedit fides a variis provinciis, ut patuit in pseudoapostolo Luthero.

118. II. B. Virgo. Secundo, Cor Christi fuit B. Virgo, ut ait Thomas Anglicus: fuit velut cera, 1. quia cera est locus mellis, ita Virgo fuit locus Christi, qui dicit 24. 27. *Spiritus meus super mel dulcis*; 2. cera est aptissimum fomentum luminis. De Christo Ioan. 1. 9. dicitur: *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem*. S. Methodius orat. de Hypapante, id est, sacro occursu S. Simeonis et Iesu ac Mariæ, vocat Deiparam *fidelium facem*. Chrysipp. presbyter sermon. de laudib. Virgin. ait esse *fontem lucis*. Cor autem illud sacrum factum est tamquam *cera liquescens*, 1. præ amore, Cant. 2. 5. dicebat in suavitate contemplationis. *Fulcite me floribus* (posuerunt me in deliciis) *stipate me malis*, (id est pomis; Tigurin. substernite mihi mala; odorata scilicet, ut aurea, citria, punica) *quia amore langueo*; Hebr. infirma præ charitate ego sum; Septuag. vulnerata sum charitate. Quanto magis amore languebat in ardore passionis? Ps. 119. 4. *Sagittæ potentis* (Cassiod. legit potentes) *acutæ cum carbonibus desolatoriis*. Tunc maxime sagitta amoris cor matris vulnerat, quando est cum carbone ardente at desolante in filii afflictione et cruciatu. S. Bern. serm. 29. in Cant. sub finem: *Sagitta electa*, inquit, *amor Christi, quæ Mariæ animam non modo confixit, sed etiam pertransivit, ut nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret; sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et esset gratia plena*. Utinam et ad nos illa sagitta pertranseat. Addit idem sanctus Pater: *Aut certe pertransivit eam, ut veniret usque ad nos, et de plenitudine illa omnes acciperemus, et fieret mater charitatis, cuius pater est charitas, Deus parturiens et in sole ponens tabernaculum eius, ut Scriptura impleretur, quæ dicit Isaiæ 49. 6. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*; 2. Deiparæ cor erat sicut cera liquescens præ dolore, cum videbat filium suum in cruce torqueri. De manna dicitur Exod. 16. 21. *Cum incaluisset sol, liquefiebat*. Christus patiens est Sol ardens, manna liquescens est Maria in lacrymas et dolorem diffluens. Simeon ait Deiparæ Luc. 2. 34. *Ecce positus est hic in signum cui contradicetur* (Gr. εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, in signum contradictionis, vel contentionis, ut Syr. et Arab. habent; illud autem signum fuit Crux, ut ait S. Bas. et Theophylact.) *et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, id est, clavi, lancea, et alia instrumenta Christum cruciantia, quæ eum penetrantia, virginem penetrabant: erat enim cum ipso cor unum et anima una. Græc. est διελεύσεται ῥομφαία, id est penetrabit rhomphæa: hoc est lancea, ut vertit Arabs. De aliis etiam dici potest. Secundo, gladius linguarum potest intelligi, de quo Ps. 56. 6. *Filii hominum dentes eorum* (id est, hominum dentes. Est hebraismus) *arma et sagittæ*. (S. Hieron. lanceæ et sagittæ,) *et lingua eorum gladius acutus*. Guilielm. in Cantic. ait: Quot vulnera Filius accipiebat in carne, tot pia mater accipiebat in corde. Rubebat caro filii sanguine passionis: rubebant maternæ illiæ cogitationes, ut ita dicam sanguine compassionis: bene ergo illi dicitur Cant. 7. 5. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis*. Ita ipse. Per comas enim sæpe cogitationes intelliguntur, et per caput mens ipsa. Præsertim liquefactum est cor Virginis sicut cera, cum ait illi Iesus Ioann. 19. 26. *Mulier ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua*. Erant Ioannes et Virgo cera virginea. Unde Nonnus in paraphrasi sic Christum loquentem inducit: *Mulier amans virginitatis mater, ecce virginem filium, et viceversa dixit discipulo: Virginitatis studiose, ecce virgo parens tua absque partu*. Erant ambo cera liquescens, sed præsertim Deipara, quæ ait Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est*, (Hebr. egressa est) *ut dilectus meus locutus est*.

119. III. Religiosi. Tertio, Cor Christi sunt religiosi, qui sunt intimi in corpore Christi, quod est Ecclesia. Oseæ 2. 14. *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius*. Ita Ugo. Sunt cera signata Christi imagine. Cant. 8. 6. *Pone me ut signaculum* (Hebr. חותם *chotam*, id est, sigillum et annulum signatorium) *super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Ubi Guilielmus sic explicat: *Pone me*, ait, *ut signaculum, id est, imprime mihi intus, me iugiter cogitando: imprime mihi foris, propter me strenue operando, ut piæ carnis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet*. Ezech. 28. 12. de primo Angelo habetur: *Tu signaculum similitudinis* (id est, sigillum simillimum et aptissime repræsentans exemplar. Septuag. tu corona pulchritudinis) *plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (religio est paradisus, saltem terrestris, Arabs habet, in Eden paradisi Dei fuisti. Hebr. eras in horto Eden) *omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius*, etc. Sed caveat, ne habens alas cereas Icari, inde defluat, volens accedere ad solem, id est, ad radios honoris mundani.

Quarto denique, Cor Christi sunt omnes Christiani, quos Christus habet et format in suo corde, cum pro illis patitur in cruce. Iansonius, Factum est, inquit, cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. Hoc de corporeo Christi corde non est intelligendum, sed de cordibus fidelium, qui tempore passionis Christi fide et Spiritu sancto nondum plene imbuti, cura et magisterio Christi foveantur, donec Spiritus Christi perficeretur in eis. Et ob id quod solummodo concepissent spiritum salutis, similes erant iis qui adhuc in utero portantur, donec ad perfectionem quam requirit partus, pervenerint. De qualibus dicit Christus per Isaiam cap. 46. 3. *Qui portamini ab utero meo, qui gestamini a vulva mea*. Ex quorum numero erant Galatæ, cum ad eos scriberet Apostolus Gal. 4. 19. *Quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*. Istorum cor liquefactum est ut cera in medio ventris Christi: quia cum tempore passionis Christi a fide et amore eius recederent, sed in desiderio magistri sui permanerent; tamen soliditas fidei et spei robur, si quod antea habuerant illo tempore in eis multum labefactatum est. Ita ille. 120. IV. Christiani omnes.

A CORDE ad cerebrum et nervos inde defluentes ascendit Christus, et ait eos exaruisse, v. 16. ARUIT TAMQUAM TESTA VIRTUS MEA, ET LINGUA MEA ADHÆSIT FAUCIBUS MEIS, ET IN PULVEREM MORTIS DEDUXISTI ME. Pro *virtus mea*, est Hebr. כחי *chochi*, id est, fortitudo mea, ut vertit S. Hieron. ἰσχύς μου, id est, robur meum, vis mea, fortitudo et potentia mea. Apollinar. ἀλκή; Petav. ἴς, id est vis. Metonymice autem per vires illas ac virtutem intelligo nervos, in quibus præcipuum corporis robur ad motum et actiones consistit. Nam ut ait Aristot. de generation. animal. lib. 5. cap. 7. Nervis vires omnes continentur, ideo cum ætate florent, robustiores sunt. Nervus porro, ut ait Albertus Magnus de anim. l. 4. tract. 2. cap. 18. est substantia viscosa a cerebro directa per corpus, ut per ipsum sensum et motum largiatur corpori. Et Aristot. lib. 3. histor. animal. cap. 5. ait nervos circa se habere humorem mucoris similem albidum glutinosum, quo ipsos nervos et ali et nasci certum est. Et de spiritu c. 4. ait, Nervos e muco illis adhærente ali affirmamus. Ioannes Fernelius lib. 3. cap. 9. agens de singularum partium corporis temperatura, docet, in humidum iam abire nervum sensui designatum. A corde nervos oriri vult Aristoteles, lib. 3. histor. animal. cap. 5. malim eorum originem dicere esse cerebrum, a quo defluentes septem eorum coniugationes refert et explicat Fernel. l. 1. cap. 6. Aruerunt autem nervi Christi tempore passionis ob defluentem in magna quantitate sanguinem cum aliis humoribus intra venas contentis. Calor enim naturalis non reperiens pabulum, omnem humorem et succum nervorum, arteriarum et tendinum ac musculorum exorbebat. Sicque Christus remanebat sicut *testa figuli*, ut habet Syrus, id est, quasi vas fictile atque testaceum cute, carne, nervis aliisque ipsoque cerebro exsiccatis. Cerebrum habet formam vasis fictilis, totum etiam corpus Christi confractum, est figuratum in vasis figlinis Gedeonis, qui per eorum fractionem et lumen inde emicans superavit Madia- 121. Vers. 16. 1. Pars.

nitas. Indic. 8. 19. *Incipientibus vigiliis mediæ noctis, et custodibus suscitatis, cœperunt tubis clangere, et complodere inter se lagenas.* Dixerat prius Gedeon, qui significat, 1. conterentem seu confringentem; 2. abscissionem iniquitatis, et erat Christi typus, quod me videritis facere, hoc facite: igitur idem nos faciamus, mortificantes corpora nostra et ille conterentes, sicut testam figlinam. Isaias Abbas orat. 17. *Qui*, ait, *corporis timet infirmitatem, ad id quod secundum naturam est non perveniet: qui supplex ad Deum confugit, in eo quietem invenit: nisi Gedeon hydrias confregisset, non aspexisset lampadam splendorem. Itidem homo, nisi corpus contempserit, divinitatis Lumen non intuebitur. Etenim Iahel uxor Aber Cinæi nisi tulisset clavum tabernaculi, Sisaræ superbiam non oppressisset. Si mens igitur se confirmaverit, decreveritque charitatem sequi, omnia carnis vitia superabit.*

Vers. 16. 2 Pars. Lingua Christi in passione fuit cruciata. LINGUA etiam Christi non caruit suo cruciatu, v. eod. 16. ET LINGUA MEA ADHÆSIT (Tertull. 4. in Marc. c. 42. et S. Cyprian. 2. in Iudæos cap. 13. legunt, agglutinata est) FAUCIBUS MEIS. Heb. מַלְקוֹחָי *malkochai*, id est faucibus meis, ut Noster et Pagnin. atque Arias, ac Petavius habent; 2. gutturi meo, ut Tertull. Nam fauces sunt pars superior gulæ. Gula autem est fistula interior, constans ex carne et nervo, per quam cibus et potus in ventriculum defluit. Guttur vero est pars colli anterior, item via qua spiritus a pulmone ad os transmittitur, quæ in homine aspera arteria appellatur; 3. *malkochai*, vertit Arabs, R. David, palato meo. Syrus, cælo palati mei. Palatum enim est oris cælum, quod labiis dentibusque quasi palis, munitum sit: a Græcis vocatur ὑρανος, id est cælum. R. David palatum ait esse partem supra linguam, et infra eam. Hebr. *malkochai*, deducitur a *laka*, id est, capere, q. d. captura, acceptio, sumptio: itaque et palatum, et guttur, et fauces significat, hæc enim sunt instrumentum, quibus capitur ac retinetur cibus et potus.

Faucibus adhæsit ob duas rationes. Duplex autem causa assignari potest, cur lingua Christi adhæsit eius faucibus. Primo, quia musculi linguam moventes erant arefacti, exsiccati et debilitati, ita ut linguam movere non possent. Albertus Magnus de animal. lib. 1. tract. 2. cap. 11. dicit, quod linguam moventes musculi sunt novem, quorum duo sunt latitudinales ex sagittis, quæ dicuntur aurium additamenta, venientes et cum duobus linguæ lateribus continuati: duo longitudinales, qui a supremo osse laudæ nascentes cum medio linguæ continuantur, duo qui eam ex transverso movent, nati ex duobus laudæ lateribus, et penetrant linguam inter longitudinales, et latitudinales musculos: duo sunt linguam resupinantes, qui oriuntur sub locis ultimo dictorum musculorum, et sub eis villi eorum secundum latitudinem expanduntur, et cum toto osse mandibulæ continuantur. His addunt quidam musculum solitarium: qui inter linguam, et os laudæ continuat, et unum ad aliud trahit os, scilicet ad linguam, et e converso. Ita Albertus. Facile autem fuit aliquos ex illis aut omnes arescere, et officio suo fungi non posse in tantis Christi cruciatibus et sanguinis defluxu: denique spiritus animales ad cor sustentandum se recipiebant ac linguam deserebant, ut fit moribundis, quos prius loquela deficit quam vita ob illam rationem. Neque dicas, Christum clamavisse morti proximum: Nam clamor ille non erat naturalis, sed miraculosus, ut dixi supra ℣. 3.

I. Ob musculorum ariditatem.

II. Ob ariditatem oris et linguæ. Secundo, lingua Christi adhæsit faucibus eius, aut palato, ob ariditatem et siccitatem tum totius oris, tum totius linguæ, ex qua ariditate orta est sitis maxima. Unde dixit Ioan. 19. 28. *Sitio.* Sitiebat Christus, tum quia neque comederat neque biberat quicquam a cœna pridiana: tum quia sudorem omnem exsudaverat, et sanguinem in horto, in flagellatione et crucifixione effuderat: tum quia dolores acerrimi sitim ingentem excitabant. Nam, ut ait Cyrillus: *Dolores insolitam calorem exagitant, vel quod in profunditate est humidum, consumant, et igneis ardoribus dolentis viscera urunt.* Hinc fauces siccantur, et præ siti arescunt: tunc ergo impletum fuit in Christo, quod hic habemus: *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis*, quæ Christi verba usurpans Cancellarius Lovaniensis ante 40. annos aiebat, numquam se illa ita intellexisse, sicut tunc ad vivam intelligebat, cum simili siccitate faucium, et siti se laborare sentiret, et ex illa metiretur, quanta fuisset Christi sitis et siccitas. Ita Cornelius. Sitis magis torquet quam fames, vel quia sitis est magis anxia: vel quia calor, quo vivimus, humidum magis quam siccum desiderat: vel quia sitis est libido potionis et cibi, fames unius tantum: vel quia siti magis contristamur, quam fame. Ita Aristot. problemat. sect. 28. num. 5. Quam intolerabilis sitis sit, patet ex eo, quod Lysimachus præ sitis dolore et impatientia hosti se suumque exercitum tradidit. M. Antonii exercitus ex Media rediens plurimum est imminutus, quod milites sitibundi, licet præmoniti, e salso et venenato flumine bibere maluerunt atque emori, quam sibi temperare ac sitim perpeti. Miram profecto est, quod refert Ioannes Leo in Africæ descript. lib. 1. cap. 27. nempe in deserto Azaod duo extare sepulcra marmorea, alterum mercatoris, alterum mercium vectoris: quorum ille ab hoc aquæ cyathum *decem millibus aureorum* emerit: non potuisse tamen aquam utrique sufficere, sed misero siti enectos esse.

Tropol. Tropol. Didymus dicit adhæsisse linguam Christi faucibus eius, quia non habebat auditores, ἀνακρατες, ait, ... *otiosa mansit lingua illa magistra, auditoribus dispersis.* Secundo, adhæsit lingua eius faucibus, quia hostes suos non reprehendit, sed eorum contumelias et opprobria patienter tulit nihil respondendo. Sic Ps. 37. 14. *Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus* (ἀλαλος, qui prorsus loqui non potest) *non aperiens os suum. Factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.* S. Cyprian. Epist. 27. et Ruffin. in Symbol. Increpationes, q. d. sicut perinde quasi nihil haberem, qui contortas in me calumnias refutarem, et falsas esse ostenderem, atque in furibundos retorquerem. Christum ut imiteris silendo, vide, ut arescat tamquam testa virtus tua, ut te vilem instar vasis testacei contriti reputes, et te per mortificationem exsicces: ideo fiat tua lingua, quia in deliciis ac mollitie homidus es. Anima sicca est sapientior, et minus loquax. Hoc Dei est donum, ut bene linguam moderetur, et sis taciturnus præsertim cum lacessiris. Ezechieli id donum promittit Deus. Ezech. 3. 26. *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir obiurgans: quia domus exasperans est*, q. d. quia Iudæi sunt proni ad convitiandum meis Prophetis, ideo dabo tantam patientiam, ut ab eis ligatus et convitiis affectus silens et patienter feras. Ezechiel in vinculis et contumeliis silens fuit typus Christi, cuius silentium ipse Pilatus præses mirabatur vehementer. Matth. 27. 14. et ne verbo quidem respondit Herodi Luc. 23. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum, Isaiæ 53. 7.

EXHAUSTIS tandem viribus ad necem properabat Redemptor, et tot patentibus valvis Spiritus vitæ opifices evolare sentiebat, quot patebant valnera. Unde exclamat, vers. eod. 16. ET IN PULVEREM MORTIS DEDUXISTI ME. Vers. 16. 3. Pars.
S. Hier. detraxisti me.

Sensus autem est Primo, q. d. deduxisti me in illum pulverem mortis, quo apud Iudæos solent corpora mortuorum condiri. Corpus enim Christi deductum est in sepulcrum cum aromatibus, sicut mos est sepeliri Iudæis. Ita Iacobus Iansonius: sed non bene, quia hic est conquestio Christi ob dolores et abiectionem suæ passionis et mortis, illa autem unctio aromatica fuit Christo honorifica. Nam Ioan. 19. 39. habetur: *Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum* (id est, cum primo vice ad eum venit, ut instrueretur, nox erat) *ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum.* Magnam unguenti copiam fuisse oportet, quæ libras centum ponderabat. 122. Christus in pulverem mortis deductus est, quod sepulturam ... diu exponitur. I.

Secondo, *in pulverem mortis deduxisti me*, q. d. in im- II.

pios morti destinatos, quos tamquam pulverem proiicit ventus a facie terræ, deduxisti me. Ita S. Aug. Sed hoc est symbolicum.

III. Tertio, *in pulverem mortis deduxisti me*, q. d. in incarnationem, id est, in carnem mortalem, passibilem, et quæ ex natura sua in lutum et pulverem redire debet. Ita S. Hier. et Didymus. Et quidem S. Paulus carnem nostram vocat Rom. 7. corpus mortis; ait enim v. 24. *Infelix* (ταλαίπωρος, miser, ærumnosus) *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, a corpore mortali, et ad mortem per morbos, dolores, aliaque tendente. Quod Photius intelligit de spirituali morte. S. Hieron. de corporali. Sed hic agitur de passione, non de incarnatione.

IV. Quarto, *in pulverem mortis deduxisti me*, q. d. in inferos, quos adire me iubes. Fuit enim Christus in corde terræ tribus diebus et noctibus. Ita idem S. Hieron. et Didymus. Sed hoc est mysticum.

V. Quinto, *in pulverem mortis deduxisti me*, q. d. in vexationem illam supremam moribundi, cum propter vim febris exurentis emittit ex cute, non guttas vel humorem pro sudore, sed tenue quoddam excrementum cineris, aut minutissimæ arenæ instar: quo tempore instare mortem omnes augurantur. Ingeniosa est hæc explicatio: sic enim persisteret Christus in metaphora testæ, seu ollæ igni appositæ: unde nigrum colorem ex flamma et fumo contrahit. Sed tamen videtur magis subtilis quam solida hæc expositio.

VI. Sexto simplicius et melius, *in pulverem mortis deduxisti me*, q. d. ex tanta acerbitate nihil nisi mortem et sepulcrum expecto, iam sum morti et sepulturæ proximus: Ita S. Cyrill. Bellarm. Genebr. qui ait esse hyperbolem. Nam Christus non fuit corruptus et in pulverem redactus. Vide Ps. 15. 10. Pulverem autem mortis vocat sepulturam, quia pulvere obducuntur qui sepeliuntur, ut ait Theodoretus. Iuvat hanc expositionem versio Felicis, *in pulvere mortis reponas me*. Deduxisti me in habitum eorum, quorum corpora putrescunt in sepulcro, ut explicat Ludolphus.

123. VII. *Et optimo.* Septimo denique signatius, et iustæ Christi quereIæ conformius, S. Thomas, et Thom. Anglicus Cardinalis explicant: *In pulverem mortis deduxisti me*, q. d. vilem mortem me pati fecisti. Dicunt impii Sap. 2. 20. *Morte turpissima condemnemus eum*. Syrus vertit: Morti publicæ et infami deputemus eum: nempe, morti crucis, de qua iam dixi v. 12. Adde crucem fuisse maximum dedecus, si ferarum laniatus accederet: ad eas enim captivi, vel mali ingenii servi abiiciebantur, ut ait Tertull. lib. de spectaculis, cap. 12. Hinc non pauci sibi manus inferebant, ne hoc supplicium paterentur, ut docet Seneca Epist. 70. et Tacit. lib. 15. Viginti novem Saxones sibi primo ludi gladiatorum die fauces sine laqueo fregisse, ne exponerentur ludibrio populi, dicit Symmachus lib. 2. Epist. 46. A peccatoribus, velut a feris, laceratum fuisse Christum in cruce ostendi supra art. 1. Secundo, *pulverem mortis* vocat mortem suam, quia multipliciter in passione et cruce attritus est. Isaiæ 53. 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina* (Hebr. מוסר musar, castigatio, correptio) *pacis nostræ super eum*, q. d. flagellis et plagis excruciatus est, ut pacem cum Deo haberemus, et quiete æterna potiremur. Thren. 3. 29. *Ponet in pulvere os suum* (id est, de se humiliter sentiet ac loquetur) *dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*. Nota, Hebræi morbum, pestem et gravem afflictionem metonymice vocant mortem. Sic Mosi et Aaroni dicebat Pharao Exod. 10. 17. *Rogate Dominum, ut auferat a me mortem istam*. Hoc est plagam hanc locustarum, quæ per totam Ægyptum herbas et gramina depascuntur, iisque mortem afferunt, 4. Regum 4. 40. cum filii Prophetarum, id est, viri Deo peculiariter servientes et eum laudantes, ut nunc religiosi, comedissent colocynthidas ab imprudente puero collectas et in ollam coniectas, Eliseo dixerunt: *Mors in olla vir Dei*, id est, pulmentum huius ollæ est amarissimum et pessimum, est instar veneni lethiferi. Nam Colocynthis est cucurbita agrestis, quæ vocatur a medicis fel terræ, ut dicit Vallesius sacræ Philosophiæ cap. 36. Tertio, ut ait Thomas Anglicus, Christus vocat mortem suam pulverem: quia igne passionis fuit consumptus tamquam holocaustum, quod in cinerem et in pulverem vertitur. Expedit autem isto pulvere aspergi caput nostrum. Nam dicit Vincentius lib. 1. speculi naturalis, quod cinis super sanguisugam proiectus, facit eam vomere sanguinem, quem suxerat: sic in proposito; Sanguis enim peccatum est, Ps. 50. 16. Libera me de sanguinibus. Hunc sanguinem omnes sugimus, quando in peccatis delectamur: sed tunc pulvere aspergimur, cum mortem Christi acerbissimam ad memoriam revocamus. Hoc autem facit nobis peccatum abominabile, quod prius erat delectabile. Et ideo per confessionem ipsum debemus evomere, Michææ 1. 10. *In domo pulveris, pulvere vos conspergite*. Ita Thomas Anglicus, Domus pulveris est hic mundus. Unde Cornel. in Michæam exclamat. O Lutetia ob peccata tua, et clades tibi imminentes, luto te consperge: O Lima in America, limo te conspurca. O Sinæ, cinere vos oppiete. O Africa, in area arenam tuam tibi affrica.

Ne a morte destinata Christus evaderet, ab innumera hostium suorum multitudine cingebatur, qui omni modo ipsi illudebant, v. 17. hoc velut sibi permolestum enumerat. QUONIAM CIRCUMDEDERUNT ME CANES MULTI, CONCILIUM MALIGNANTIUM OBSEDIT ME. S. Hier. vertit, Concilium pessimorum vallavit me. Tertull. 4. in Marcion. cap. 42. Synagoga maleficorum circumvallavit me. Nota, τὸ *quoniam* est hic particula causalis. Ut enim, ait Bellarmin. declarat modum, quo in pulverem mortis deductus est; 2. et melius, est nova ratio, qua postulat, ut Deus ad se respiciat seque adiuvet. Nam initio psalmi dixit, *Deus Deus meus respice in me*, et variis rationibus id iustum esse ostendit: unde sæpius supra repetitur eadem particula causalis. Nota 2. S. Hieron. apud Trevetum, et Eugubinum, et in editione Victorii legit, *venatores*. Apud alios vero habet, *canes*. Ita etiam Syr. Arabs, Septuag. et alii. S. Iustin. in Tryph. exponit, κύνες καὶ κυνηγοί, id est, canes et venatores. Est metonymia. 124. *Vers. 17. A canibus Christus cinctus est in sua passione.*

Quæres, Quinam sunt hi canes? Resp. Primo, Cassiod. Remig. Ruffin. et alii, per canes intelligendos esse Iudæos. Et primo canes erant ob latratum, iactantes apud Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, in vicis, in plateis, in monte Calvariæ, Christum esse populi subversorem, blasphemum, prohibere tributum dare Cæsari, affectare regnum, iactare ficta miracula, etc. Secundo, canes erant ob rabiem, Ps. 57. 5. *Furor* (Græc. θυμὸς, id est, ira ut legit Cassiodor.) *illis secundum similitudinem serpentis*, (Chald. sicut interius venenum) *sicut aspidis surdæ*. S. Hieron. reguli surdi. Tertio, canes erant ob morsum. Ierem. 15. 3. *Canes ad lacerandum*. Vitoldus Lithuaniæ Dux tantæ erat feritatis, ut ad mortem damnatos iuberet ursinis pellibus involvi, ut canibus obiecti ab iis discerperentur. Crocutæ Iudæos recte comparaveris. Plin. l. 8. cap. 21. *Æthiopia*, inquit, *gignit crocutas velut ex cane lupoque conceptas, omnia dentibus frangentes, protinusque devorata conficientes ventre*. Inter milites olim, qui petulantes iuniores dicebantur, canem luteum in rubra parma præferebant. Tertio canes erant ob invidiam. S. Chrysostom. tom. 5. serm. 62. *Solent Iudæi invidi καὶ μισάνθρωποι, et hominum osores, proximi bonis operibus invidere*. Quarto, canes erant ob impudentiam. Isaiæ 56. 11. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem*, voraciter edunt usque ad vomitum, quem deinde resorbent. Diogenes ob libertatem reprehendendi et impudentiam in variis actionibus dictus est Cynicus, id est, caninus, et canis. *Id est, I. A Iudæis.*

Secundo et commodius, per canes hic intelligemus milites Gentiles, qui circumdabant Christum in cruce, eique illudebant, sicut ante eum flagellaverunt et spinis coronaverunt. Prius enim Iudæos vocavit vitulos et tauros. 125. *II. A Gentilibus.*

Sic Christus nomine canum Gentiles designat. Matth. 15. 26. repellens a se Chananæam: *Non est bonum* (καλὸν, honestum et decens) *sumere panem filiorum*, (gratiam Evangelii et miraculorum) *et mittere* (βαλλεῖν, proiicere) *canibus*, id est gentilibus, qualis es tu. Clare Marcus cap. 7. 26. *Erat mulier gentilis* (ἑλληνὶς, id est, græca: quia græcis dominantibus omnes Gentiles vocabantur græci) *Syrophœnissa genere*, Syr. ex Phœnicia Syriæ, hoc est, ex ea parte Phœniciæ, quæ Syriam respicit, eique est conterminą. Eusebius in catena græca sic locum psalmi nostri exponit: *Postquam, ait, de Iudæis mentionem fecit, militum quoque meminit. Nam Iudæi militibus Iesum tradidere; unde est quod animadvertas ipsam Prophetiam rerum seriem observasse. Cæterum merito illos quidem tauros, hos vero canes appellavit. Nam Iudæi sub iugo legis erant, licet palam legem transgrederentur. Gentes vero contra legem erant impurissimi. Sic et Chananæam Dominus appellavit dicens: Non enim bonum est sumere panem de manu filiorum, et dare canibus. Attamen qui quondam canes fuere, post mortem Christi filiorum hæreditatem per fidem adiere: qui vero olim filiorum nomine gloriabantur, et tamquam filii tractabantur, canis appellationem sortiti sunt. Nam contra Dominum more canum desævierunt. De his S. Paulus exclamat Philipp. 3. 2. videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*, sic per derisum vocat circumcisionem, id est, circumcisos, hoc est, Iudæos. Hebræi enim sæpe ponunt abstracta pro concretis. Chald. in psal. nostr. vertit: *Vallaverunt me catervæ peccatorum impiorum, qui sunt similes canibus*. Cave sis peccator, præsertim impius, ne sis canis rabidus. Quod versus hic de gentilibus potius intelligatur, probatur etiam, quia statim subditur: Foderunt manus meas et pedes meos. Constat autem id factum fuisse a militibus gentilibus.

ARTICULUS III.

Christus an, quomodo, et qua lege clavis confixus in cruce.

126. Vers. 18. 1. Pars. Vulgata defenditur contra Iudæos.

Lanienam et barbariem in Cruce probat vel maxime clavorum suffixio, quibus innocentissimi agni terebratæ sunt manus et pedes, vers. 18. Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me. Nota, pro *foderunt*, nunc in hebræo textu est כארי *caari*, id est, sicut Leo. Sed est error, sive malitiose inductus a Iudæis, ut putant Hieronymus a S. Fide, Burgensis, Porchettus in victoria contra Iudæos, Lyranus, Bellarm. 2. de verbo Dei cap. 2. et alii multi: sive incuria amanuensium ob affinitatem punctorum iod et vau, ut opinantur Ioann. Isaac contra Lindanum, et Genebrardus, cuius verba sunt. Iudæi locum non corruperunt de industria, sed alteram sive lectionem sive scripturam, id est, nostram agnoscunt et interpretantur; alteram vero, id est, deteriorem, ut quæ suam ipsorum perfidiam protegat, sequuntur. Nam quod nostram agnoscant, apparet e magna Masora, quam in epitomen contraxit R. Iacob ben Haim in exemplaribus Venetianis pag. 898. col. 4. tomo ultimo Massecher Aleph. In aliquibus, inquit, libris emendatis scribitur *caaru*, et legitur *caari*. Deinde e Glossa hebræa ad illud cap. 23. Numer. *caari*, sicut leo, quam notat in exemplaribus correctis hic scribi *caaru* non *caari*: et quando scribitur *caari*, legi tamen *caaru*. Denique e vetustis psalteriis, hebraicis, imo et recentibus emendatis, ut Gerardus Veltuykus in appendice libri Sehde Tohu docet: eiusmodi unum habuisse avum suum Ioannes Isaac e Iudaismo conversus lib. 2. defensionis veritatis hebraicæ testari se fida conscientia profitetur. Quidquid sit de ea re, certum est veram lectionem esse כארו *caru*, sive *caaru*, id est, foderunt. Sic vertunt Septuag. Syr. Arabs, Chald. in ea translatione qua Indi atque Æthiopes utuntur, S. Hier. S. August. et alii. Maronitæ item legunt כרעו *carehu*, id est, foderunt. R. Iacob Tunetanus alias Chaiim asserit lib. 2. contra Iudæos cap. 2. se in emendatorum librorum quadam parte hoc reperisse, scribitur *caru*, sed legitur *caari*. Felis ait conspexisse se librum, in cuius glossa esset *caru*, idem dicit se vidisse Tyroboscus in bibliis non punctatis. Nunc aliquot quæstiones explicemus, ut melius crucis mysterium innotescat et suavius sapiat.

Quæres primo, An Christus fuerit crucifixus? De fide 127.
est fuisse crucifixum. Philip. 2. 8. *Humiliavit semetipsum* Christus
factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, 1. fuit cruci affi-
Cor. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*. xus.
Angelus dicit mulieribus post resurrectionem ad sepulcrum euntibus, Matth. 28. 5. *Nolite timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis*. Non debet timere, qui quærit crucifixum, quia ut ait S. Chrysost. Crux caput et summa bonorum est. Deut. 28. 66. *Erit vita tua quasi pendens ante te*, id est, ut ait Procop. S. Leo serm. 8. de pass. et S. August. lib. 16. contra Faustum cap. 22. Christus est vita tua, o Iudæe, qui a te conspectus est in cruce pendens. Sed hic sensus est mysticus. Iudæi elevabant victimas ante sacrificium. Victima nostra erat Christus.

Quæres secundo, cur potius voluit Christus crucifigi, 128.
quam decollari, comburi, vel alio supplicio affici? Resp. Crucem
Primo, quia crucis supplicium est maxime crudele et infa- prætulit
me, ideo illud cæteris prælegit, ut suum erga nos amorem aliis sup-
declararet, atque horrorem peccati nobis ingeneraret, pliciis,
quod tanto regis nostri dolore, et opprobrio expiatum es- ob tredecim ra-
set. Secundo, ut nullum mortis genus timeremus. Ter- tiones.
tio, quia satisfaciebat pro peccato Adami, qui peccaverat accipiendo pomum de ligno vetito. Quarto, ut aeris natura mundaretur. Quinto, ut ascensum nobis pararet in cælum. Ita S. Chrys. Sexto, ut forma crucis nobis varias virtutes adumbraret, altitudine, spem supernorum; latitudine, charitatem; longitudine, longanimitatem in adversis; profunditate, humilitatem, et fidem quæ latet et est obscura. Septimo, ut variæ figuræ nobis repræsentarentur: nempe arca lignea servans Noemum, virga Mosis dividens mare et salvans Israeliticum populum, aquam e silice educens, et Amalec superans, lignum in Mara aquis dans dulcedinem. Lege S. Thom. 3. p. q. 46. art. 4. Octavo, ut terram cælo reconciliaret inter utrumque medius. Ita S. Ambros. in cap. 23. Lucæ. Vide Cornel. in cap. 27. Matthæi. Nono, ut cor nostrum a terra ad se elevaret. Ubi est thesaurus noster, ibi est et cor nostrum. Decimo, quia in cruce omnia genera pœnarum concurrunt. Nam manus et pedes secantur ut gladio, corpus extenditur velut equuleo, laceratur ut ungulo, laniatur ut bestiis, uritur et cruciatur ut foco, et quidem lento igne. Undecimo, ut ab omnibus facilius videretur, et ex patientia, mansuetudine, aliisque virtutibus agnosceretur esse filius Dei, sicut accidit latroni, centurioni, et variis, qui redibant percutientes pectora sua. Duodecimo, ut crucem levi manus motu exprimentes contra inimici versutias muniremur. Ita S. Augustin. append. de divers. serm. 59. et Cassiod. in psal. nostr. qui sic ait: *Si aut ferro truncatus, aut ignibus fuisset absumptus, aut lapidibus oppressus, aut fluctibus demersus, aut alia qualibet morte præventus, quo signo, rogo, diabolus pelleretur? Quo vexillo frons Christianorum tuta mansisset? Qua figura corporis et animæ firmaretur infirmitas? nulla mors tantæ maiestati melius convenire potuit, nisi quæ nobis perfectæ salutis indicia dereliquit*. Decimo tertio denique, in cruce moritur Christus: quia, ut ait S. Thom. hoc competit universali salvationi totius mundi. Hinc S. Gregor. Nyssen. dicit, quod figura crucis a medio tracta in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam eius qui in ea pependit, ubique diffusam. S. Chrysost. etiam dicit, quod in cruce expansis brachiis moritur, ut altera manu veterem populum, altera eos, qui ex gentibus sunt, trahat. Cassiod. in psalmum nostrum recte ostendit cruce denotari virtutem Christi per totum mundum extendi. *Crucis*, ait, *positio*

talis est, ut pars eius superior cælum expetat, inferior terras non deserat, fixo infernorum ima contingat, et velut quibusdam brachiis extensis latitudo eius totius partes appetat mundi, iocens vero quatuor cardines orbis designat. Sic in parvo posito, cuncto videtur esse complexa. De cruce Domini dico, quæ de pœnali malo peccatorum facto est beata redemptio, postea tribuens salutis bonum, quæ pridem dabat interitum: patibulum salutare, more indicans vitam, humilitos divinam proclamons summitatem: ut Christum in cælo, Christum in terra, Christum per totum orbem, Christum quoque od inferna per figuram crucis esse cognoscas.

Clavis fuit confossus Christus.

129. Quæres 3. An clavis fuerit confossus Christus, an vero ligatus in cruce? Respood. cum Sueresio tom. 2. disp. 36. sect. 3. esse de fide quod clavis fuerit in cruce fixus. Quid onim clarius psalmo nostro: *Foderunt manus meas et pedes meos.* Tertull. 3. contra Marcion. cap. 19. legit *foderunt.* Contra Iudæos cap. 10. vertit, *exterminaverunt,* nt doloris vehementiam denotaret. S. Cypr. lib. 2. contra Iadæos cap. 20. et Lactant. lib. 4. cap. 18. habeut, *effoderunt.* Aliqui volunt excidisse ex textu hebræo, *caoru,* id est, fodernnt, et remansisse tantum *caari,* id est, sicut Leo, sed utrumque esse legendam, q. d. instar leonum foderunt manus meas et pedes meos: sic deootabitur eorum erudelitas. Sensus esset optimus, sed Septusg. non omisissent vocem iliam, sient *Leo*, si in Hebræo fuisset. Chald. vertit, *mordentes manus meas et pedes meos*, ut id referat ad canes oam circnmdantes: sed nota cum Galatino lib. 8. cap. 17. Chaldaicam psalmorum versionem non esse factam a R. Iouathan filio Uzielis, qui fuit longe ante Christum: sed a Rabb. Iosepho Cæco, qui annis fere 340. post Christum vixit. Chaldaica autem translatio, qua Indi et Ætiopes ntuntur, habet: *Foderunt monus meas et pedes meos.* Quo quid clarius? Porperam tamen ait Iansonius. Hic aperto indicatur, quod ex Evangelio aperte non colligeretur; videlicet Christum crucifixum fuisse, manibus pedibusque eius clavorum transfixione terebratis et perforatis. Ita ipse, sed male. Nam ait S. Thomas Ioan. 20. 25. *Nisi videro in manibus illius fixuram* (Syr. locum, Arab. vestigium, Græc. τυπον, id est figuram, ut in multis codicibus habetur, τυπω significat insculpo, figuro, imprimo, v. g. in ære, argento, auro, ferro) *clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, non credam.* Zachariæ 13. 6. dicitur de Christo, ut explicat S. Thomas in Psal. nostr. R. Samuel de adventu Messiæ cap. 7. Galat. lib. 8. cap. 27. Ribera in Zachariam: *Quid sunt plogæ istæ in medio manuum tuarum?* (Tigurina, intra manus tnas) *Et dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Arab. Antioch. inter amicos meos. Arab. Alex. de domo dilecti mei. Id est de Iudæa et Ierusalem, quæ erat domus et habitatio populi, qui sancito cum Deo fœdere se ad eius amorem et cultum specialem obligaverat in monte Sinai, et alias sæpe. Et Deus ipse illum populum diligebat, etiam ab eo confossus. Habacuc 3. 4. *Cornua* (crucis, ut S. Cypr. S. August. Rupert. 2. clavi) *in manibus eius. Ibi abscondita est fortitudo eius.* Septuag. vertunt: *Cornuo in manibus eius, et posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Hæc Christi dilectio multorum corda cum oculis attraxit ad ipsum exaltatum. Zachar. 12. 10. *Effundam* (cum meo sanguine) *super domum David, et super habitatores Ierusolem* (in primitivam Ecclesiam) *spiritum gratiæ* (Chald. *misericordiæ.* Crux non petit iustitiam. Arias, *compassionis*, ut patienti Regi nostro et patri compatiamur) *et precum* (Chald. *et miserationum.* Clarius, *propitiationis.* Sept. *misericordiæ.* Eam obtinet oratio per crucifixum et plagas eius: ideo in illis figa oculos.) Additur in illam rem: *Et aspicient ad me* (fontem amoris et misericordiæ, ac Deum suum) *quem confixerunt* Id de Christo crucifixo non tantum S. Hier. S. Cyrill. Hebræi veteres apud Galatin. lib. 8. cap. 17. sed etiam S. Ioannes exponit cap. 19. 33. Et vera Centurio in eum aspiciens dixit: Vere filius Dei erat iste, Matth. 27. 54. et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Lucæ 23. 48.

Chaldaica versio psalmorum facta est a Iosepho Cæco.

Probatur clavis suffixum fuisse Christum.

Clavi Christi non fuerunt rubigine exesi.

S. Helenem simul cum cruce Christi clavos etiam reperisse tradit Theodoretus lib. 1. histor. Sozomen. lib. 7. cap. 1. Socrates lib. 1. cap. 13. qui testatur eos non fuisse tam longa temporis diuturnitate consumptos rubigine, sed eodem in antro in monumento positos atque inventos adeo ut non fuerit opus eosdem ab aliis alio miraculo discernere, quod necessarium fuit in cruce, quæ ab aliis crucibus distincta est mortuo suscitato· Hinc vides ipsos etiam latrones fuisse clavis terebratos. Hoc S. Chrysost. sensisse se ostendit, cum agens de bono latrone homil. 1. de cruce et latrone, ait: *Quod mente sana vigilabat clovorum confixione constrictus, quis poterit non admirari?* et S. Gregor. lib. 18. Mor. cap. 23. *In cruce clavi manus pedesque eius ligaverunt: nihilque in eo a pœnis liberum, nisi cor et lingua remanserat.* Nunnus paraphrasi in Ioannem de utroque latrone dicit, in cruce fixum fuisse κεντροις αντιτυπουσιν, clavis figuram clavorum Christi referentibus, id est, similibus clavis atque Christus. Hinc Abulensis paradoxo 3. cap. 44. iure vocat imprudentem eorum devotionem, qui, ut Iudæorum in Christum barbariem denotent, latrones e cruce sine clavis pendentes appingunt.

130. Moris fuisse crucifixos clavis configere, docet Artemidor. lib. 2. cap. 58. εκ ξύλων, ait, και ηλων γεγονεν ο Σταυρος. *Ex lignis et clavis crux confecta est.* Ipse loquendi modus tam apud græcos quam apud latinos id notat. Nam apud latinos in usu est cruci affigere, cruci figere, cruci suffigere: et apud Tertull. lib. de patientia, cap. 3. *figere*, sine adiectione, pro crucifigere: græca vox adhuc est apertior: nam προσηλωσις ponitur pro crucifixione q. d. clavifixio.

Crucifixos clavis figere erat ordinarium.

131. Dices. Iudæis non erat usitatum crucis supplicium. Respond. primo, hoc negando. Nam 2. Regum 21. 8. *Tulit Rex David duos filios Respha filiæ Aia, quos peperit Sauli, Armoni et Miphiboseth: et quinque filios Michol filiæ Saul* (ab ea adoptatos, cum filiis careret: erant filii Merob sororis eius, quæ fuit uxor Hadrielis) *quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi: et dedit eos in manus Gabaonitorum* (Deo sic iubente, quia Saul Gabaonitas occiderat) *qui crucifixerunt eos in monte coram Domino:* hoc est, in honorem Domini et ad illum placandum. Crucifixio autem clavos importat. Item priusquam Iudæis Romani imperarent, Alexander Iudææ Rex rebelles expugnatos in Bethome cruci suffigi iussit usque ad octingentos, ut tradit Iosephus lib. 13. Antiquit. c. 22. Resp. secundo, Pilatum leges Romanorum secutum esse, ut apparet in duorum latronum crucifragio. Quod erit etiam clarius, si credamus nostro Conzen. in cap. 27. Matth. fuse probanti, non licuisse Iudæis ullo supplicio reos afficere sine voluntate Romani Præsidis post Iudææ reductionem in provinciam. Quod Romani usi sint hoc genere supplicii ostendit fuse Covarruvias lib. 4. variar. resolut. cap. 5.

Iudæi crucis supplicio etiam usi.

Cum id pateat in Gabaonitis, qui eorum iura sequebantur.

Tu vero os sacris illis fontibus apprime, et suavia unguenta inde fluentia in pectus tuum immitte. Cantic. 5. v. 5. ait Sponsa: *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Hebr. pro *probatissima est*, transeunte per manus. Sponsi vero manus non stillant, sed effundunt: non myrrham tantum, sed balsamum sanans omnes plagas: neque digiti tantum eo replentur, sed totum corpus, crux et terra proxima. Manus perforatæ indices sunt liberalitatis. Nihil enim retinent: Manus fluentes sanguine voluntario fuso, sunt symbola ardentissimæ charitatis. Dic illi, Domine si vis, potes me mundare. Si te tetigerit manibus cruentatis, vel unica sanguinis gutta te mundabit a lepra tua.

132. Quæres quarto, Quot clavis confossus Christus? Resp. primo, certum est, nec fuisse plures quatuor, nec pauciores tribus. Resp. secundo, probabilius est fuisse quatuor: difficile enim admodum fuisset unico clavo utrumque pedem transfigere, ita ut cruci hæreret, et nullum os

Clavis quatuor fixus est Christus.

frongeretur. In ea opinione est S. Cyprian. S. Gregor. et S. Birgitta lib. 1. revelation. cap. 10. aliique. Verba S. Cypr. sunt serm. de Pass. *clavis sacros pedes terebrontibus*, ergo saltem unum ponit in singulis pedibus. S. Gregor. Turon. de gloria Martyrum, lib. 1. cap. 6. *Speciosi*, ait, *omnique metallo nobiliores, Dominicæ crucis clavi, qui beata membra tenuerunt*, *ab Helena Regina post ipsius sacræ crucis inventionem reperti sunt, et de duobus quidem frænum Imperatoris munivit, quo facilius si adversæ gentes restitissent Principi, hac virtute fugarentur: de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam cap. 14. 20. Erit, inquit, quod in os equi ponitur sanctum Domini.* Tertium dicit iactum esse in mare Adriaticum, quod illo tempore erat ob tempestates frequentes periculosissimum, eoque iacto mare tranquillum factum esse. Quartum vult S. Gregorius positum fuisse in statuæ Constantini galea: idem tradit Zonaras 3. annal. parte. Baronius autem tom. 3. Annal. opinatur positum in ipsius Constantini corona qua uti solebat, quod videtur Christo honorificentius, et dignius pio Imperatore. Tres tantum clavos ponit Nonnus in paraphrasi, et S. Gregor. Naz. in Christo patiente.

133. Tabula pedibus Christi supposita.

Addit ulterius S. Gregor. Turon. Christi pedibus suppositam esse tabulam. *Super hanc vero tabulam, tamquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ.* Neque hoc est improbabile, licet Lipsius lib. 2. de cruce c. 10. dicat, hanc fabricam nimis accuratam, imo delicatam fuisse. Salmeron tom. 10. tract. 35. esse videtur in eadem cum S. Gregor. sententia: ac percenset varias imagines quæ transversum lignum pedibus Christi crucifixi suppositum habent: inter cæteras imaginem crucifixi argenteam, quæ habetur Romæ apud S. Petrum, et statuam crucifixi per Nicodemum conditam, quæ visitur Lucæ civitate Italiæ.

Ut ut se res habuerit, Lanspergius hom. 41. de passione, refert ex devotorum quorumdam opinione, triginta et sex mallei ictibus esse clavos impactos.

Tu vero hæc considerans Christo te tuaque crucifige, aut si non potes, pete te ab eo crucifigi, cum tu illum peccatis cruci affixeris. Ille te virtutum clavis figet, ut perseveres. Dic cum Davide nostro Psal. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas*, totas, ut nihil sit non confixum: sint clavi timoris in oculis, auribus, lingua et aliis, ut sis velut S. Pionius martyr in toto corpore clavis confossus. Vide illum psalmum. Triplex clavus erit triplex timor, 1. servilis; 2. initialis; 3. filialis, de quibus S. Thom. 21. quæst. 19. art. 2. Si quartum clavum vis, adde amorem, hic adhuc fortius et tenacius Christo configit. Illo tenebatur Paulus cum dicebat Galat. 2. 19. *Christo confixus sum cruci: vivo autem iam non ego: vivit vero in me Christus*, in cruce enim moriens in faciem secum crucifixi inspiravit spiraculum vitæ, et in eum emisit suum spiritum: ut sibi crucifixus et mortuus, ipsi novo vite viveret.

134. Ordo crucifixionis.

Quæres quinto, Quo ordine pedes et manus Christi confixi sunt? Resp. primo, Gretzerus lib. 1. de cruce c. 21. et Tuictus in Ioann. 19. annot. 14. a quatuor militibus una eodemque tempore, manus pedesque Christi esse confossas. Neque est improbabile, ut evitaretur contractio nervorum, quæ impediret quo minus ad paratum foramen altera manus pedesque pertingerent. Sic erit dolor maximus simul pati in tot, et tam teneris, et nervosis partibus. Resp. secundo, probabilius mihi videri manus prius, deinde pedes fixas esse, ut firmius clavi figerentur; (Prius manus fixæ, quam pedes.) uno milite brachium v. g. altero crucem, tertio brachium alterum tenente, quarto clavum profunde et valide infigente: Erant enim milites quatuor, ut dicetur in divisione vestium. Morem hunc fuisse prius figendi manus, deinde pedes, colligimus ex Luciano in Prometheo, ubi sic Vulcanus loquitur, et dicit Mercurio: *Crucifigatur extensus ambas manus ab hac parte in adversum.* Mercurius autem initium vult fieri a dextera. Nam inquit Prometheo: *Sed præbe dexteram, tu autem Vulcane astringe et confige, et malleum fortiter dimitte. Da et alteram, ut illa etiam recte astringatur.* Deinde S. August. in Psalm. nostr. dicit membra Christi fuisse ita extensa in cruce, ut dinumerata sint ossa, ut ait David, ubi indicat quod fuerint distracta, et eam ob causam ossa potuisse numerari. Petes ulterius utra manus prius fixa fuerit? R. Primo, Noster Salmeron vult sinistram manum prius fixam esse. Sic enim tom. 10. tract. 35. ait, *Arrepta manu sinistra, illam priori loco affigere tentarunt, quæ ex parte cordis erat, ut citius et magis doleret. Eva enim ex illa parte corporis formata fuit, quæ prima peccaverat. Manus igitur volam ex parte quæ crassior est, ita confixerunt, ut clavus qui pollicis crassitudinem æquabat, et tantæ erat longitudinis, ut longe ultra crucis stipitem protenderetur teste B. Birgitta, partem carnis intra foramen raperet, ut non tam affixam, quam ferruminatam crederes.* Secundo tamen a dextera ductum esse initium mihi videtur probabilius, 1. quod sit potior; 2. ut illa prima pateretur, qua Eva pomum decerpserat, et Adamus ab uxore sumpserat. Ita se vidisse observatum in Christo ait S. Birgitta lib. 1. revel. cap. 10. et lib. 7. cap. 15. atque ex Luciano in Prometheo id fieri solitum discimus.

135. An in erecta, an in iacente cruce, fixus Christus?

Quæres sexto, An Christus crucifixus in iacente, an in erecta cruce? Noto crucifixos aliquando in erecta et firmata cruce, aliquando in iacente fixos esse. De prima habet Iosephus lib. 7. belli Iud. *Bassus*, inquit, *iussit defigi crucem, tamquam statim suspensurus in ea Eleazarum.* De iacente docent acta S. Pionii Martyris, in quibus hæc leguntur. *Ultro se vestimentis spoliavit, et in cælum suspiciens, ac Deo gratias agens, super lignum seipsum extendit, militique tradidit, ut configeretur.*

I. Opinio.

Primo itaque, Christum in erecta cruce confixum esse clavis opinatur S. Bonavent. in lib. medit. vitæ Christi, cap. 78. Claudius Roiletus, Gabriel Tarraconensis, Sebastianus Tigurinus, Nonnus in paraph. S. Bernard. tract. de passione cap. 5. si tamen est auctor illius tractatus. Cantic. 7. 8. dicitur: *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius.* Symm. vertit, ramos eius. Vatabl. palmites. Sed hic locus licet de cruce sit, non multum urget, ut infra videbitur.

II. Opinio, et probabilior.

Probabilius igitur videtur in iacente cruce Christum crucifixum esse. Nam et hoc longe facilius fuit, et commodius explicatur extensio corporis Christi, ut manus pedesque facta in cruce foramina possent attingere. Hanc autem extensionem factam dicunt S. Hier. S. Aug. Euthym. et plerique psalmi nostri interpretes, qui recte monent sic facilius apponi illa verba iam explicata, *dispersa sunt omnia ossa mea*, et quæ postea consequuntur, *dinumeraverunt omnia ossa mea.* Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 36. sect. 3. refert, quosdam asserere in locis sanctis nunc demonstrari locum crucifixionis, distantem aliquot passibus a loco, in quo Crux est terræ infixa. S. Brigitta seu Birgitta aut Brigida modum crucifixionis, sibi in monte Calvariæ oranti ostensum sic refert, lib. 7. revelat c. 15. *Non coactus*, inquit, *sed statim voluntarie extendit brachium suum, et aperta dextera sua manu, posuit eam in cruce, quam illi sævi tortores immaniter crucifixerunt, perforabant eam clavo per illam partem, qua os solidius erat: tunc etiam trahentes cum fune vehementer manum eius sinistram, cruci affixerunt eam simili modo. Deinde extenso corpore ultra modum, iunctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis, et in tantum extenderunt illa gloriosa membra in cruce vehementer, quod quasi omnes venæ et nervi eius rumpebantur.*

136. Christus potuit damnari ad crucem lege Iudaica.

Quæres septimo, Qua lege ad crucem damnatus est Christus? Resp. 1. Crux erat in usu apud Iudæos, ut patet Deuter. 21. 22. *Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, et adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus a Deo est* (Hebr. maledictio Dei est) *qui pendet in ligno.* Ex his verbis, *quando peccaverit homo, quod morte plectendum est*, patet arbitrariam fuisse pœnam illam in gravibus sceleribus quibuslibet, nullum enim determinatur. Philo lib. de specialibus

legibus indicat consuetudinem fuisse sic puniendi homicidas et latrones. Et vero latrones duo cum Christo sunt crucifixi, et eum mentionem crucis non fecissent Iudæi ante comparationem Iesu cum Barabba homicida et seditioso, postea instituerunt, ut crucifigeretur, dicebant enim Luc. 23. 5. *Commovet populum, docens per universam Iudæam, incipiens a Galilæa usque huc.* Deinde vocabant malefactorem, sub qua voce magiam et incantationes intelligebant, ut testatur Pilatus epist. ad Tiberium, quam refert Hegesippus 5. de excid. Ierosol. et dicunt S. August. et Cyprianus. Maleficos autem Romani ad mortem damnabant, ut docet Plin. lib. 30. cap. 1. quem lege (sed adverte eum temere inter magos numerare Mosem) Tacit. lib. 2. Annalium, Dio lib. 57. Lege Gretser. nostrum lib. 1. de cruce cap. 11. Respond. secundo, lege

2. Lege Romana

Romana Christum fuisse addictum Cruci veluti seditiosum. Nam seditionis ac tumultus auctores Romani puniebant cruce, ut habetur Digestor. lib. 5. titulo 22. vel ad bestias proiiciebant, sicut homicidas et latrones. Hæc vox autem præcipue Pilatum perculit, et ad condemnationem impulit. Ioan. 19. 12. *Si hunc dimittis, non es* (non eris) *amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem dicit, contradicit Cæsari.* Nam Pilatus auditis his sermonibus, adduxit foras Iesum: et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Græce Lithostrotos, id est lapide stratus: hebraice autem Gabbatha, id est altus, ut solent esse Iudicum tribunalia; gradus porro illius tribunalis nunc sunt Romæ iuxta Basilicam Lateranensem, et vocantur scala sancta. Cum igitur Pilatus urgeretur a populo et præsertim a scribis, Pharisæis, atque primoribus, Christum adiudicavit cruci, veluti seditiosum, qui regnum sibi contra ius Cæsaris usurpare vellet.

137. Christus in Cruce habuit faciem versam ad Occidentem.

Quæres octavo, Quo situ fuit Christus crucifixus? Respond. cum S. Ioan. Damasceno lib. 4. de fide cap. 13. Alphonso Paleotto de Christi stigmatibus pag. 278. num. 27. Christum in cruce faciem habuisse versam ad occidentem, nempe ad Italiam, Galliam, Hispaniam. Unde Apostoli imperarunt, ut templa Christianorum respicerent Orientem, in iisque imago Christi posita respiceret Occidentem. Sic orantes in primitiva Ecclesia vertebantur ad Orientem, veluti aspecturi Christum et ad eum se convertentes, ab eoque auxilium et opem sperantes. A Ierosolyma autem in cruce pendens Iesus faciem aversam habebat, velut eius hostis, Iudæos reprobans et gentes eligens. Ierem. 18. 17. *Dorsum, et non faciem ostendam eis* (id est ab illis recedam, eos relinquam) *in die perditionis eorum.* Hoc transfert ad Christum in cruce pendentem Franc. Lucas in cap. 27. Matth. v. 35. Et contra de Gentibus dicitur Ps. 65. 7. *Oculi eius super gentes respiciunt.* S. Hilar. explicat de oculis misericordiæ, et de protectione. S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 31. de gentium vocatione exponit.

138. Christus fuit confixus in vola manus.

Quæres nono, An vola manus, an carpus fuerit crucifixus? Resp. Christus fuit cruce affixus clavis ferreis malleo adactis per volam manus, ubi viget tactus, et est acris dolor, ut habet communis fidelium sensus: itaque passim pictores Christum per volam manus crucifixum pingunt. Favet illud Zach. cap. 13. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Nonnulli tamen censent Christum crucifixum clavis non per volam manus, sed per carpum adactis. Carpus vocatur brachii extremitas, ubi est pulsus, et ubi brachium iungitur manui. Adactis, inquam, per carpum non directe, sed transversim, ita ut per carpum adigerentur in manum, et clavi extremitas in extremam manus superficiem desineret, illamque cruci affigeret. Clavi enim valde fuere longi, ut patet ex illo, quem Romæ conspicimus. Id ita esse liquet, inquit Mallonius, ex sacra sindone, cui involutum fuit corpus Christi a cruce depositum, in quo hæc sacra Christi stigmata manifeste visuntur, quod religiose servatur et colitur Taurini apud Allobroges. Favet illud psalmi, *foderunt manus meas et pedes meos.* Idem exhibent antiquæ picturæ Christi crucifixi. Ita crucifixerunt, inquiunt, Christum, tum ut firmius eum cruci affigerent, tum ut maiori eum dolore afficerent. Etenim maior fuit dolor, quo longior fuit clavorum per carpum manumque ductus, ideoque longior plaga et vulnus; et quia in carpo viget tactus, ut patet ex pulsu: et quia hoc vulnus transversum et longum, ex gravitate corporis et brachiorum carpum manumque degravantium, iugiter efficiebatur maius et productius. Ita Cornel. in Matth. ubi ait, vidisse se Romæ magno animi sensu clavum Christi integrum, in templo sanctæ Crucis in Ierusalem, longum, modice crassum, quadratum, habentem tuber ingens rotundum, sed cavum in capite, et sensim tendentem in acumen.

Quæres decimo, Cur potius dicitur *foderunt* manus, etc. quam terebrarunt, penetrarunt, transadegerunt clavo, aut quid simile? Resp. Primo, ut ostendatur, terram benedictam, corpus scilicet Christi sic excultum et effossum rigatumque, magnos fructus ac suavissimos esse allaturam, Sap. 3. 5. *Laborum gloriosus est fructus.* Hinc ille cecinit: *Fossa caro Christi cælica regna dabit.* 139. Christi manus dicuntur fossæ ob rationes quatuor.

I. Quia Christi corpus erat terra benedicta.

Secundo, foderunt Christum clavi, ut fontes gratiarum et suavitatis ex eo erumperent. Num. 21. 17. *Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant: Puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis* (Scribæ et Pharisæi, ac magistratus alii) *in datore legis, et in baculis suis.* Deo sic permittente, et eorum furore id procurante. De Ozia seu Azaria rege Ierosol. dicitur 2. Paralip. 26. 10. *Extruxit etiam turres* (castella) *in solitudine, et effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quam in eremi vastitate.* Christus fuit Azarias, id est auxilians Deus, et Ozias, id est, fortis Deus, fodit cisternas gregibus suis, cum sit pastor bonus, habeatque greges tum in campis fertilibus Iudææ, tum in gentium deserto.

II. Ut fontes inde erumpentes indicentur.

III. Ut esset refugium peccatoribus.

Tertio, foderunt petram Christum Iudæi, ut esset refugium peccatoribus, Ps. 103. 18. *Petra refugium herinaciis.* Alii, asylum leporibus, id est timidis ob sua scelera, et ferentibus spinas scelerum. De Christi vulneribus id explicat S. Bern. serm. 61. in Cant. et S. Petr. Damiani lib. 7. vide illum psalmum. Non tantum imperfectis, sed etiam perfectis est illud sacrum asylum apertum. Ad illud Sponsam invitat Cant. 2. 4. *Columba mea in foraminibus petræ* (S. Ambros. et Origen. in velamento petræ,) *in caverna maceriæ* (S. Ambros. et Orig. iuxta promurale. Syr. inhærens antemurali) *ostende mihi faciem tuam,* meo sanguine purpuratam, tunc mihi placebit in sanguine meo dealbata et rubicunda. Illa foramina interpretatur S. Bern. de Christi vulneribus, et sic loquitur serm. 61. in Cantic. *Vox columbæ Ps. 26. 6. In petra exaltavit me. Et item Ps. 39. 3. Statuit supra petram pedes meos, Matth. 7. Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quod ibi nec ventorum formidet iniurias nec inundationum.* Et paulo post subdit: *Fremit* mundus, *premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur?* Ac deinde aperte locum psalmi nostri affert et contemplatur. *Foderunt manus eius et pedes, latusque lancea foraverunt, et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; id est, gustare et videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? At clavus reserans, clavus penetrans, factus est mihi ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen: Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam eius, et appropinquavit cor illius, ut non iam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxis-*

sel, quod tu Domine suavis et mitis, et multæ misericordiæ? Maiorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis. Vide Gregor. et Rupert. in Cant. de iisdem Christi vulneribus locum illum explicantes.

Zachar. 3. 9. *Ecce lapis* (Christus qui est lapis angularis Ephes. 2.) *quem dedi coram Iesu* (ante oculos Iesu filii Iosedech); *super lapidem unum septem oculi sunt* (perfecta providentia pro electis): *ecce ego cælabo sculpturam eius.* Eius quinque plagas in cruce, et vulnera in passione tota. Hebr. ad verbum, *Ecce ego aperiam aperturam eius.* Syr. et Arab. Antiochenus, *Ecce ego aperiam portas eius.* Sept. *Ecce ego fodio foveam,* ut ibi lateant contemplativi, sicut dicit de se S. Bonav. ut mox patebit, Isaiæ 2. 10. *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo.*

IV. Ut thesaurus pateret. Quarto foderunt pedes et manus Christi, ut thesaurus absconditus, quo redimendum erat genus humanum pateret, et in homines effunderetur. Nempe, sanguis infiniti valoris. Isaiæ 45. 3. *Dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum.* Eo redempti sanguinis thesauro sumus 1. Petr. 1. 19. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni.*

140. Clavorum confixio in Christi pedibus et manibus, quatuor a nobis exigit. Hæc autem clavorum fossio quatuor a nobis exigit. Primo, timorem peccati Ps. 118. 120. *Confige timore tuo carnes meas.* Hoc fiet si bene consideraverimus fixuram clavorum Christi, et sapientiam divinam in manibus et pedibus sapientiæ quæsiverimus. Prov. 2. 4. *Si quæsieris eam* (sapientiam, id est Christum) *quasi pecuniam* (Syr. sicut thesaurum) *et sicut thesauros effoderis illam. Tunc intelliges timorem Domini* (cultum et religionem eius) *et scientiam Dei* (Chald. *a facie Dei*, eum in cruce aspiciens ad te inclinantem caput) *invenies.* Vel videns eum spinis coronatum et confossum. Nam corona spinea cinctus fuit etiam in cruce.

I. Timorem peccati.

II. Spem in Deum. Secundo, clavorum vulnera in manibus et pedibus spem nostram augent. S. August. in Manuali cap. 23. in latus lancea apertum ingrediens securum se esse clamat. Et Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 15. non digitum modo cum S. Thoma, sed manum integram, id est opera, in Christi plagas immitti debere docet.

III. Amorem Christi. Tertio, vulnera Christi nobis eius charitatem animo imprimunt. S. Chrysologus sermon. 108. sic cruentatum et clavis fossum Christum loquentem inducit: *Si divinitas ignota est, vel caro sit nota. Videte, videte in me corpus vestrum, membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem. Et si quod Dei est, timetis, quare vel quod vestrum est, non amatis? Si Dominum fugitis, quare non recurritis ad parentem?*

IV. Desiderium contemplationis. Quarto, vulnera Christi in nos desiderium contemplationis accendant. Hic est nidus turturis, de quo Psalm. 83. 4. In eo quiesce cum S. Bonav. part. 1. stim. divini amor. cap. 1. *O amantissima,* inquit, *vulnera Domini nostri Iesu Christi. Nam cum in ea quodam vice oculis subintrarem apertis, ipsi oculi sanguine sunt repleti: sicque nihil aliud videns cepi ingredi, manu palpans, donec pervenio ad intima viscera charitatis suæ, quibus post undique circumplexus reverti nequivi, ideoque ibi inhabito, et quibus vescitur cibis, rescor, ac inebrior suo potu. Ibi tanta abundo dulcedine ut tibi non valeam enarrare.* Mirificus certe fuit hic raptus, quique Seraphicum patrem illum decebat: nos saltem defluentes sacris e vulneribus guttulas lambamus, iisque capita subiiciamus, ut a delictis mundemur.

141. Christus in cruce confossus ita distentus erat in cruce, ut vix ossa ossibus hærerent: unde maximus dolor extitit per tres horas ita luxatis artubus totum corporis pondus sustinere. Gaudebant vero hostes illo aspectu, et a capite ad pedes per otium illum contemplabantur, vers.
Vers. 18 2 Pars. eod. 18. DINUMERAVERUNT OMNIA OSSA MEA (est hyperbole) IPSI VERO CONSIDERAVERUNT, ET INSPEXERUNT ME, 1. ut irriderent, et curiose disquirerent de vita ipsius, et an esset filius Dei. Ita S. Basil. Eusebius, Euthym. et alii; 2. consideraverunt, ne effugeret, et se subduceret de A cruce, aut a discipulis liberaretur, ita Orig. et Euthym.

Nota pro *dinumeraverunt*, Hebr. est nunc אספר *assopper*, dinumerabo. S. Hier. vertit, numeravi. Chald. numerabo omnes cicatrices membrorum meorum. In ea editione Chald. versionis, qua utuntur Maronitæ, habetur, *ululaverunt omnia ossa mea.* Quibus verbis denotatur extensio violenta membrorum, quando funibus extenso sunt, ut manus sinistra et pedes ad foramina destinata pertingerent. Nostra autem versio clarior est, *Dinumeraverunt omnia ossa mea,* id est, dinumerare potuerunt, non quidem omnia omnino, sed præcipua. Quis enim omnia numeret, cum multa sint interiora: deinde in ætatis infirmæ hominibus numerentur supra trecenta et septem, ut ait Lorinus: alii supra quadringenta ponunt, ut docet Galenus de format. fœtus, cap. 6. Arabs vertit, *excusserunt omnia ossa mea,* q. d. vi tormentorum de loco suo dimoverunt, et deinde illa contemplati sunt curiose. Magnetius clare exprimit, *distenti corporis ossa patent.* Multa de hoc sibi revelata fuisse tradit S. Birgitta lib. 1. revel. cap. 10. lib. 4. cap. 70. lib. 7. cap. 15. inter alia, B quod in ea distensione venæ ac nervi dirupti sunt. S. Catharina Senensis ita concipiebat pectoris seu thoracis nervum, quo brachia junguntur costis et costæ cartilagini: ut Christus dolorem tunc sentiret ei similem, quem qui fune quæstionario suspenduntur manibus post terga revinctis. Narrat item Lanspergius, cuidam viro sancto percunctanti responsum a Christo, gravissimum omnium dolorem in extensione fuisse. Rursus S. Birgittæ retulit Deipara sic manus Christi de cruce depositi diriguisse, ut non possent deponi nisi circa umbilicum: nec brachia flecti et componi potuisse supra pectus, sed supra ventrem: nec genua extendi, sed eminuisse, sicut in ipsa cruce obriguerant. Christi in cruce figuram ex revelatione Deiparæ sic describit S. Birgitta lib. 1. cap. 10. *Tunc oculi eius apparuerunt semimortui, maxillæ eius submersæ, et vultus lugubris, os eius apertum, et lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens, consumpto humore quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum et languidum, ex fluxu et egressione sanguinis. Manus et pedes eius rigidissime extenti erant, et iuxta formam* C *Crucis cruci attracti et conformati. Barba et crines ex toto respersi sanguine. Itaque cum filius meus sic laceratus et lividus staret, solum cor recens erat, quia optimæ et fortissimæ naturæ erat.* Et lib. 4. cap. 70. *Tunc color mortis in partibus, quibus præ sanguine aspici potuit, accessit, dentibus maxillæ inhæserunt. Costæ vero attenuatæ dinumerari poterant. Venter autem consumptis humoribus dorso applicatur, et iam naribus attenuatis, cum cor prope scissionem esset, totum corpus eius contremuit, et tunc barba eius super pectus eius cecidit.*

Ossa Christi potuerunt numerari, et quomodo.

Quæres, An Christus omnino nudus sit crucifixus? Respondent affirmative S. Athanas. serm. de cruce et pass. 142
S. Ambros. in Ps. 43. S. August. lib. 16. de civ. cap. 2. S. Cypr. epist. ad Cæcil. 63. S. Bern. serm. et tract. de pass. S. Ansel. dial. de pass. S. Bonav. medit. cap. 78. Gretser. 1. de cruce cap. 22. Lipsius 2. de cruce cap. 2. et alii multi. Probatur primo ex illo consensu tam multorum patrum et doctorum. Secundo, quia Christus est flagellatus nudus. Unde in sindone, qua involutus in sepulcro fuit, corporis totius ac verendis quidem exceptis D partibus, notæ flagellorum expressæ sunt. Et nudos penitus flagellari solitos colligitur ex Gellio noct. Attic. lib. 10. cap. 3. Tertio, crudelitas hostium Christi hoc persuadet, cum præsertim certum sit ab ipsis vestes omnes illi esse ablatas. Quarto, nudos crucifigi solitos docet Artemidorus lib. 2. cap. 58. σταυρωθῆναι, inquit, ἀγαθὸν τῷ πένητι: καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθείς. Τῷ δὲ πλουσίῳ βλάπτει, γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Crucifigi bonum est pauperi, quia sublimis est crucifixus: noxium vero diviti, quia nudi crucifiguntur.* Quarto, id est figuratum in nuditate Noe inebriati, ut ait S. August. 16. de civ. cap. 2. S. Cypr. Epist. 63. S. Eucher. et Rupert. in Genes. 9. Quinto, id exigebat peccatum Adami, et tot peccata hominum vestem innocentiæ omittentium, et vestitum sibi inanem in corpore quæren-

An Christus in cruce fuerit omnino nudus?

I. Sententia affirmat.

tium. S. Ambr. lib. 10. in c. 23. Lucæ. *Nudus*, inquit, *crucem ascendit, nudum ecce video. Talis ergo ascendit qui sæculum vincere parat, ut sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsivit: vicit ille, qui vestimenta deposuit: et talis ascendit, quales nos auctore Deo natura formavit.*

143. II. *Negat, et probabilius.* Respondeo secundo, cum aliis Christum esse quidem nudum crucifixum de more, sed partibus verendis velo aliquo tectis. Primo, hoc persuadet honestas publica, ferinum enim prorsus fuisset aliter Christum oculis tot puerorum, militum, mulierum, virorum exponere. Secundo, id persuadet virgineus Christi pudor, qui sicut numquam sibi vel per calumniam obiici voluit carnis vitium; ita nudum corpus impudicis oculis obiici noluit. Tertio, sic solere pingi et sculpi crucifixum videmus velo adiecto. Quarto denique, id revelatum est S. Birgittæ. Nam lib. 1. revelat. cap. 10. ait illi B. Virgo: *Stante filio meo, sicut natus erat nudo corpore, unus tunc accurrens, apportavit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua.* Unde colligis, eum prius tectum fuisse quam crucifigeretur. Neque aliter crucifigebantur olim rei quam velo tecti in partibus, quas natura tectas esse vult. Linteum etiam Christi asservatur Aquisgrani, velut id, quo pendens in cruce Christus velatus fuerit, ut ait Leo a Rosmithal. in Itinerario 1465. illud quoque ferunt asservari in Basilica Lateranensi Romæ. Fortasse uno tectus est Christus antequam crucifigeretur, ut posset decenter oculis tantæ multitudinis exponi, altero vero tectus est, dum crucifigeretur, ut erat in more positum, ut patet de Aman ad crucem damnato, Esther. 7. 8. et ex veterum dicto apud Livium lib. 1. *Arbori infelici*, (id est cruci) *suspendito, caput obnubito.* Barradius etiam tom. 4. lib. 7. negat Christum fuisse flagellatum omnino nudum.

Nuditas tamen fuit valde ignominiosa. Qualiscumque tandem illa fuerit nuditas, pudenda pudicitiæ et honestatis amantissimo Iesu extitit. Salmeron varias causas affert tom. 10. tractat. 35. *Expoliari*, ait, *se permisit, 1. ut innocentiæ vestem in Adam perditam nobis recuperaret; 2. coram omnibus nudari non horruit, ne nos nudi coram Deo inveniremur; 3. confusionem tantam sustinuit, ut conscientiæ nostræ reatum tergeret; 4. altissimam etiam paupertatem in seipso ostendit Dominus, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est; 5. docuitque nos, quanta nuditate ab hoc mundo sit nobis egrediendum.* Adde 6. ut nihil tam pudendum sit hominibus, quod pro Deo perpeti recusemus. Hinc S. Flavia virgo nobilissima et Martyr, sororque S. Placidi Martyris, cum iussu Manuchæ tyranni nuda suspenderetur, ut Christum negaret, dixit: *Ego non tantum nuditatem corporis sustinere parata sum, sed etiam gladium et ignem propter eum, qui pro me denudari, flagellari et crucifigi voluit.* Ita in Actis S. Placidi apud Surium die 5. Octobr. Hinc sanctæ Martyres Iaponicæ forti et constanti animo nuditatem pro Christi fide pertulerunt. Hinc S. Franciscus in morte nudum se in terra prostravit, dicens, *Feci quod meum est; quod vestrum est, Christus vos edoceat.* Mox socius ei assistens, Dei instinctu prævidens eius mortem et paupertatis studium, offerens ei chordam cum femoralibus: Hæc tibi, inquit, tamquam pauperi commodo, et tu ista suscipias obedientiæ sanctæ mandato; quæ cum iubilo excipiens vir sanctus elatis in cælum manibus, Christo gratias egit, quod exoneratus ab omnibus liber pergeret ad ipsum: quodque Christo crucifixo, qui nudus in cruce pependit, tam in vita, quam in morte foret conformis. Vide S. Bonavent. in eius vita. Isaias Propheta filius Amos fratris Amasiæ Regis Iuda, qui fuit pater Azariæ seu Oziæ Regis, Deo sic iubente nudus omnino et discalceatus ambulavit per vicos et plateas Ierusalem, ut captivitatem et vastitatem Ægypti et Æthiopiæ hoc portento repræsentaret, et allegorice nobis Christum in cruce nudatum figuraret.

144. *In bonis fortunæ passus est Christus.* Passum vidimus Christum in animo, cum tristitia oppressus clamavit, *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* et in aliis locis sæpe; 2. vidimus passum in corpore: *Foderunt manus meas et pedes meos.* Nunc restat, ut in bonis fortunæ passum esse videamus, v. 19. Diviserunt (Hebr. *divident*: sed præterito notatur certitudo Prophetiæ) sibi vestimenta mea, et super vestem meam (super tunicam meam inconsutilem) miserunt sortem. *Vers 19.* Hanc Prophetiam completam fuisse in Christi passione monet S. Matth. cap. 27. 35. et indicat S. Ioannes 19. 24. Solet autem Matth. inter omnes Evangelistas accuratius ostendere a Christo veteres prophetias fuisse impletas. Hæc ut melius intelligantur.

Quæres primo, Quot et quas vestes habuit Christus? 145. *Quot et quas vestes habuit Christus?* Respondet primo S. Cyrill. Ierosol. catech. 13. Christo unicam fuisse vestem, et unicam tunicam. Tunica dicitur a tuendo, corporis scilicet nuditatem, sicut toga a tegendo. Veritus est Cyrillus dicere plures Christo fuisse vestes ob consilium, quod dedit de non habendis duabus tunicis, Matth. 10. v. 10. sed sensus est non habendas esse vestes superfluas. Itaque non videtur etiam verum, quod ait Auctor operis imperfecti in Matth. cap. 2. *Magi*, ait, *invenerunt matrem Christi vix unam tunicam habentem, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis, quam habere poterat uxor carpentarii.*

Respondent alii secundo, Christo fuisse quinque tunicas. Sed quis tot sine incommodo ferre posset? Deinde amantissimus erat paupertatis. Unde hanc opinionem iure reiiciunt Euthym. et Iansenius concord. cap. 142.

Respondeo itaque tertio cum Euthymio, in cap. 27. Matth. probabile esse tres Christi vestes fuisse. Primo, tunicam inconsutilem corpori in modum subuculæ applicatam. Maldonatus ait in eumdem locum, tunicam illam maxime adhæsisse corpori Christi, ac totum texisse post interulam, id est *camisiam*, ut vulgo loquuntur, si tamen hac Christus utebatur. Secundo, togam habuit, qua tunica tegebatur. Tertio denique, pallium pro more Iudæorum. Adde cum Abulensi paradoxo 5. cap. 42. habuisse femoralia sive subligacula, non assentior tamen illi dicenti cum illis fuisse crucifixum. Habuit etiam thoracem laneum sive lineum, et calceos sive sandalia.

Nota, S. Ioannes cap. 19. de tunica dicit: *Erat autem tunica inconsutilis* (non consuta, sine sutura) *desuper* (ἐκ τῶν ἄνωθεν, id est ex summo) *contexta per totum*, id est tota erat textilis. 146. *Tunica inconsutilis qualis fuerit?* Ut enim ait S. Chrysost. in Ioannem, soliti erant in Palæstina duos pannos connectendo subtexere vestimenta, et ideo vocari tunicam desuper contextam. S. Gregor. Nyssen. in Cantic. scribit, textores olim solitos ab inferiori parte ad superiorem, vel a superiori ad inferiorem, et per latera, cum figuris vestes texere. Theophylactus in Ioan. Alii, ait, dicunt, quod in Palæstina contexantur licia, non sicut apud nos. Nam supra quidem est filum, infra autem contexitur pannus, et ita regressio fit, sed contrario modo: Infra enim sunt fila, in summo autem contexitur contextus, et talis quoque fuit tunicula Domini. Ita ipse.

Nota secundo, S. Petrus Damiani hom. 102. opinatur hanc tunicam a Deipara fuisse contextam, numquam detritam, et cum Christo crescente etiam crevisse, quod Ludolphus putat part. 2. de vita Christi cap. 63. Neque hoc est mirum, cum tribus circiter millionibus Hebræorum id acciderit in deserto per totos annos quadraginta, minus quinque diebus. Nam egressi sunt ex Ægypto duce Mose die 15. primi mensis, qui Nisan vocabatur, et ingressi sunt Cananitidem duce Iosue die decimo eiusdem mensis, ut haberent tempus se circumcidendi in Galgalis, et præparandi ad Pascha, quod fuit tertium, quod celebrarunt edendo agnum Paschalem. Sed ad rem. Nonnus in paraphr. in Ioan. vocat illam tunicam, οἴνοπα id est vinei coloris, hoc est subrubri et θέσκελον ἀμφιέποντα τύπον ξεῖνον, hoc est, habentem divinam formam peregrinam, q. d. divinitus aut divino artificio esse factam. Treviris hodie asservatur et religiose colitur. Aimoinus lib. 3. cap. 78. S. Greg. Turon. lib. 1. de gloria Mart. cap. 8. Gretser. l. 1. de cruce cap. 97. et alii, testantur semper fuisse pie et religiose asservatam atque honoratam.

Nata tertio, hane tunicam Christi nou fuisse magni pretii, sed vilem, nt solent esse vestes pauperum, cum paupertotem, eui debitum esse sciebat regnum cælorum, ampiexns esset, amaret, magnifacoret, et ab omnibus mognilieri aptaret. S. Isidor. Pelusiata lib. 1. Epist. 74. *Erat*, inquit. *tunica eius inconsutilis desuper contexta per totum: quis autem vestis illius vilitatem ignorat*, ut *qua Galilæorum pauperes utantur, opud quos etiam maxime huiusmodi vestis genus ferri solet arte quadam ut pretoralia, retractim consutum*. Ex vestibns Deiparæ id quoque colligi potest, de quibus Franciscus Ximenius lib. 2. de vita Christi, cap. 42. S. Gregor. Turanensis inquit, in libella de salutatione Angelica scripsit, se divino oracula monitum cognovisse Deiparam, ex quo templum ingresso est, sine cilicio beatam illam carnem pungente vixisse numqnam. Illius vestes nulla infectas colure, etc. Ita Ximenins.

147. Qualis sors coniecta in Christi vestes.

Quæres secundo, Quæ et quomodo coniecta est sors a militibus seu carnificibus in Christi vestes? Resp. primo Caietan. Ex vestimentis Christi omnibus factas esse quatuor partes, et in illis quatuor partibus fuisse ipsom tunicam, quæ diviso non est, sed propter illam tunicam sortes esse missas super amnes eius vestes.

Respond. secundo, eum S. August. in Ioan. et S. Cyr. Quatuor coruifices vestimento Christi omnia præter tunicam, quatuor in partes divisisse: tunicam vero reservasse, ut super eam sors mitteretur. Nom eum tunica esset opus reticulatum, fuisset inutilis post divisianem. Solam itaque tunicam sorti esse permissom ait noster Barradius tom. 4. lib. 7. cap. 12. et noster etiam Maldonatus dicit hoc esse perspicuum. Arbitror tamen bis sorte actum esso. Prima, quatuor milites sen carnifices in quatuar partes diviserunt Christi vestes, et sortem miserunt, nt viderent, quis quid eligeret. Nam non satis video, qua ratione Marcus aliter explicari possit, cum ait cap. 15. 24. *Diviserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis, quis quid tolleret*. Ut scilicet cernerent, quam quisque partem accepturus esset ex illis quatuor partibus separatis, ut fit inter hæredes, cum plures sunt: aut inter latrones, cum prædam dividunt. Deinde vero cum tunicam nallent dividere, sortem iterum miserunt, ut unus illam solus obtineret: sicut fit, eum quid in hæreditote vel præda est eximium. Dices, David et Ioannes cap. 19. 24. in sola tunica meminerunt sortis. Respond. id fecisse, quia solo sorte, sine ulla prævia divisione aut compensatione uni tunica abvenit: sive talis, sivo alio modo sors missa sit. In vestium vero partitione, sors hoc tantum tulit commodi, ut paula fortasso meliarem portem quis sumeret, cum prius ex æquo, quantum fieri potuerat, partes illæ essent divisæ.

Milites porro vestes diviserunt, partim nt æquales partes hoberent, partim ut illas venderent, ut ait Procop. Gazæus in cop. 28. Genes. *quod vis quædam medicata in illis esset*, sicut patuit in muliere attactu fimbriæ sanata. Nec deerant, qui emerent v. g. Magdalena, cum etiam pra magna thesauro terram tinctam Christi sanguine collegerit, quæ asservatur in Provincia, et dicitur in die Parasceves ebullire, ut iam dixi.

148. Tropol. Christus iustos induit virtutibus.

Tropol. nudatur Christus suis vestibus, nt nos induat virtutibus, quas parens noster Adamus amiserat, ideoque nudum se esse querebatur. S. Bern. hoc declarat serm. 1. in Annunciatione B. Mariæ, circa medium. *Quid*, ait, *Adamo deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fovebat? Sed heu, homo iste ad multam perniciem et insipientiam sibi, descendit de Ierusalem in Iericho. Siquidem incidit in latrones, a quibus et ante omnia legitur despoliatus. Annon despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec vero poterat revestiri vel oblata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima, nisi interveniente corporali morte Christi, non potuit, ita nec revestiri sine eius despoliatione. Et vide si non propter has quatuor partes vestimenti, quod amiserat primus et vetus homo, in totidem quoque diviso sunt secundi et novi hominis vestimenta*. Ut vetus homo Adamus et eius filii reciperent amissam misericordiam, veritatem, iustitiam et pacem. Figuratum id in Ionatha filio Saulis qui spoliavit se, ut Davidem adhuc pastorem, necdum enim erat Regis gener, indueret, 1. Reg. 18. 3. *Inierunt autem David et Ionathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliavit se Ionathas tunica, quo erat indutus, et dedit eam David, et reliquo vestimenta sua, usque od gladium et arcum suum, et usque od balthrum.*

149. Christi vestes, sunt virtutes animæ iustorum, eas dæmon tollere molitur.

Secundo, vestes Christi post denudationem dividuntur et a carnificibus auferuntur: id est animæ virtutes ab impiis et dæmonibus rapiuntur, ut propriis viribus recuperari non possint. Dionysius Carthusianus: *Diviserunt*, inquit, *sibi vestimenta mea, id est animæ virtutes, quibus ipso spiritualiter adornatur, quantum potuerunt, corruperunt in me, et super vestem meam, id est super charitatem, quæ est vestis nuptialis electorum ad cœnam æterni convivii, miserunt sortem, consulendo inter se, quis eorum tam cautus esset, qui charitatem in me occidere posset, ac per hoc me penitus perdere*. Ubi noto, quod in se Christus nihil potest perdere, sed in suis membris, id est singulis fidelibus.

Christi vestem hæreticus discindit.

Secundo, dividit vestem Christi hæreticus, dum scripturas et dogmata eius discindit. S. Ambros. in Ps. 21. *Diviserunt sibi vestimenta meo. Vestimenta esse puto Prophetias, vel scripturarum cælestium lectiones, quibus Christi Domini annuntiatum est sacramentum: quas prophetias unum canentes, et unum per omnia nunciantes, adversarii Salvatoris, hoc est perversi hæretici, qui quotidie in illum tamquam milites manus impias ingerunt: hoc est, pro sua dividunt sibi voluntate, et unius corporis vestimenta per varia membra distribuunt, atque spoliantes Dominum, sua falsa dogmata vestierunt*.

Et qui discordias seminant.

Tertio, vestimenta Christi dividunt et lacerant, qui discordias seminant inter fratres. Christiani enim omnes sunt veluti vestis Ecclesiæ et Christi, sicut sunt eorum corona et splendor. Isa. 49. 18. dicitur Ecclesiæ: *Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa*. Hanc divisionem faciunt in Ecclesia schismatici. Diviserunt sibi vestimenta mea, ait Beda, id est imitatores meos tam Apostolos quam reliquos de quibus dictum est. Vivo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut vestimente vestieris, ut Corinthii fecerunt, qui putantes gratiam baptismi per baptizantium merita variari, dicebant: Ego sum Cephæ, ego Pauli, ega Apollo, et similia. Deinde ait vestes Christi esse etiam sacramenta quæ ab hæreticis dividuntur. Et vero Calvinus ex septem duo tantum reliquit, nempe baptismum et Eucharistiam, cuius solam umbram admittit.

Symbolice, Dividunt vestimenta Christi, qui bona temporalia Ecclesiæ per fas et nefas distrahunt, et ad nepotes ignaros aut impios, et militibus quam clericis similiores per varias artes traducunt.

150. Symbol. Vestes Christi sunt Ecclesiæ bona temporalia. Tunica inconsutilis est unitas fidei et charitatis.

Tertio Tropol. Tunica Christi Inconsutilis, id est non consuta, est unitas fidei et charitatis, quæ desuper texta est: quia a Deo prius processit, qui prior nos sic dilexit, ut filium suum unigenitum pro nobis daret. Et hæc vestis non scinditur, quia unicuique fidei unitas datur: non scissa, sed integra datur, et sors super eam mittitur: quia nulli per meritorum elationem, sed per gratiam solam, quæ per sortem intelligitur, datur, et ideo sors recte superponitur, quia gratia præcedit. Ita Beda, secutus S. August. cuius hæc sunt verba: *Erat ibi tunica, dicit Evangelista* (Ioannes scilicet cap. 19. 23.) *desuper texta. Ergo de cælo, ergo a patre, ergo a Spiritu sancto. Quæ est ista tunica, nisi charitas, quam nemo potest dividere. Quæ est ista tunica nisi unitas? in ipsam sors mittitur, nemo illam dividit. Sacramenta sibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviserunt. Et quia dividere non potuerunt, recesserunt, illa autem manet integra. Sorte obvenit quibusdam, qui hanc habet, securus est. Nemo illam movet de Ecclesia Catholica. Et si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus olivæ a columba*. Charitas est tunica

polymita, id est multis liciis, et operibus omnium virtutum constans, earum enim est mater; est tunica Ioseph, id est animæ virtutibus auctæ: intingitur in sanguine hædi, id est Christi pro nobis immolati: sed non divisa reportatur ad patrem, nempe Deum, qui est charitas, et amantes se diligit ac fovet, et velut filios hæreditate cælesti donat. Secundo S. Ambros. lib. de Tobia cap. 20. per Christi vestimenta intelligit, 1. Iesum ipsum, quo indui debemus, ut ait Apostolus Roman. 13. 14. 2. viscera misericordiæ, Coloss. 3. 2. *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ* (οικτιρμων, id est miserationum, q. d. visceralem et cardialem misericordiam et commiserationem,) *benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, hæ quatuor virtutes sunt viscera misericordiæ; nempe cor eius, pulmo, iecur, stomachus, ut proximis spiritus vitales infundat, eis sancta aspiret, suum sanguinem pro iis afferat, et eorum imperfectiones concoquat; 3. vestem Christi ait esse crucis gloriam, quam etiam induere debemus, eaque purpurari; 4. verbum Dei. *Bonus*, inquit, *amictus atque vestitus verbum Dei*; 5. novum hominem, de quo Paulus Ephes. 4. 24. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est*. Hoc est, qui ad Dei exemplar creatus est. Tertio, S. Bern. serm. 1. de Annunc. B. Mariæ, dicit tunicam Christi in nobis, esse imaginem Dei impressam animis nostris. Verba eius sunt: An forte quæris et tunicam inconsutilem, quæ non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assuta, sed insita atque ipsi impressa naturæ, dividi sciudique non potest. Ad imaginem nempe et similitudinem Dei factus est homo: in imagine, arbitrii libertatem: virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, non exuri: ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed sorte provenit. Et quocumque perveniat anima, simul et ipse erit. Nam similitudo non sic, sed aut manet in bona; aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, iumentis insipientibus similata. Ita Bernard.

151. Symbol. Tunica Christi inconsutilis est eius sapientia.

Symbolice, tunica Christi inconsutilis, est sapientia eius non quæsita studio humano, sed data divinitus in primo instanti conceptionis. S. Ambros. in Psal. nostr. *Vestem eius, quæ non erat consuta, sapientiam eius cælestem possumus approbare, quia erat desuper contexta. Nostra enim* A *sapientia, hoc est humana consuitur. Assuitur enim, cum liberos damus ad studia grammaticis, tradimus Philosophis, erudimus eos, ut sapientia in illis quæ non erat, acquiratur. Domini autem sapientia non assuta est, non quæsita. Non enim didicit a magistro, sicut ipsi Iudæi dicunt Ioan. 7. 15. Quomodo hic literas novit, cum non didicerit? Et ipse dicat ibid. Mea autem doctrina non est mea, sed eius qui me misit: hoc est quod ait, desuper contexta: quo vestimento, vel quibus omnibus vestimentis Ecclesia Catholica semper amicta est, sicut Propheta ait, Ps. 44. 10. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato*. Ita Ambros. qui de Tobia c. 20. iustis dat vestimentum sapientiæ in hunc modum, pergens agere de tunica inconsutili. *Sapientia*, ait, *vestimentum est ex illis vestimentis quæ ex bysso et purpura sapientia sibi fecit: hoc est, indumentum fidei constat ex prædicatione cælestium, et dominicæ sanguine passionis. Bysso æthereæ figurantur, purpuræ specie mysterium sacri sanguinis declaratur, quo regnum cæleste confertur*. Prius dixerat quod diviserunt sibi Evangelistæ vestimenta Christi: B et super vestem eius, hoc est super prædicationem Evangelii, qua vestitur hodieque Dominus Iesus, miserunt sortem. Illam utique sortem, quæ cecidit super Matthiam, ut Apostolorum duodecimus numero, excluso nomine proditoris adiungeretur. Bene autem de Evangelistis dictum est, quia miserunt sortem. Sors enim veluti divino pendet examine. Et ideo quia non in potestate propria sunt loquenti, neque omnes eadem omnia, sed pleraque dixerunt diversa, quæ alius non dixerat, Spiritus sancti gratiam velut sortito illis ea tribuisse cognoscimus, quæ loquerentur singuli de operibus Domini Iesu, ut eius gesta sibi describenda pro eius nutu dividerent. Hæc ille accommodatitie, sed paulo remotius et alienius, nam divisio vestium facta est per carnifices, et in malam partem sumenda est. Nota tamen gentilibus illas vestes et tunicam obtigisse, non Iudæis, quod Gentiles Christum, id est Christi fidem essent induturi magis quam Iudæi.

Hæc cum Davide diximus de Christi doloribus in cruce et in tota passione, quæ in unum conglobare non erit inu- 152. Christus passus est ab omnibus, in omnibus, omni modo et tempore.
C tile, ut unum sub intuitum posita oculos animumque magis feriant. Ne tamen dicta repetam, non sequar ordinem Davidis, quem habes in analysi ante psalmum posita, et in singulis sectionibus: sed rei ordinem magis attendam, ut videas pene totam passionem hic, velut in altero Evangelio, narrari. Itaque sit.



SCHEMA CRUCIATUUM CHRISTI PSALMO 21. CONTENTORUM.

Christus in passione sua molestissima et acerbissima toleravit, quia

- **Ab omnibus relictus. 2.**
  - A Patre æterno, qui
    - Nec oculis eum aspiciebat. Unde ait: *Respice in me.* 2.
    - Nec auribus audiebat. *Et non exaudies.* 3.
    - Licet alios iuverit. *In te speraverunt.* 5. *et* 6.
  - A populo Iudaico. Hinc exclamat: *Non est qui adiuvet.* 12.
  - Ab Apostolis. *Dispersa sunt ossa mea*, id est Apostoli mei, ut ait Ugo. 15.
  - A seipso. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens.* 15.
- **Ab omnibus passus.**
  - A Gentilibus. *Circumdederunt me canes multi.* 17.
  - A Iudæis. *Circumdederunt me vituli multi.* 13.
  - A quatuor Ierosol. tribunalibus.
    - Annæ et Doctorum. *Tauri pingues obsederunt me.* 13.
    - Caiphæ et Sacerdotum. *Sicut leo rapiens et rugiens.* 14.
    - Pilati et Iurisconsult. *Circumded. me canes multi.* 17.
    - Herodis et Aulicorum. *Et a cornibus unicornium.* 22.
  - A divitibus mercatoribus. *Opprobrium hominum.* 7.
  - A vili plebecula. *Et abiectio plebis.* 7.
- **In omnibus bonis passus.**
  - Animi.
    - Lætitia sibi debita amissa. *Quare me dereliquisti.* 2.
    - Dolore cum enervante. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens.* 15.
  - Corporis.
    - Manibus fossis. *Foderunt manus meas.* 18.
    - Pedibus etiam fossis. *Et pedes meos.* 18.
    - Sanguine fuso. *Sicut aqua effusus sum.* 15.
    - Ossibus luxatis. *Dispersa sunt omnia ossa mea.* 15.
    - Corde languente. *Factum est cor meum*, etc. 15.
    - Nervis arefactis. *Aruit tamquam testa virtus mea.* 16.
    - Lingua siccata. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis.* 16.
    - Spiritib. vitæ exhaustis. *Et in pulverem mortis deduxisti me.* 16.
    - Auribus per contumelias vulneratis. *Concilium malignantium obsedit me.* 17.
    - Membris distortis. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* 18.
    - Oculis aspectu hostium cruciatis. *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me.* 19.
    - Vultu et toto corpore deformato. *Ego autem sum vermis et non homo.*
  - Fortunæ.
    - Divitiis. *Super vestem meam miserunt sortem.* 19. alias diviserunt.
    - Fama. *Opprobrium hominum et abiectio plebis.*
    - Gloria miraculorum. *Aruit tamquam testa virtus mea.* 16. ita S. Thom.
- **Omni modo cunctis illudentibus passus.**
  - Capite. *Moverunt caput.* 8.
  - Lingua. *Deriserunt me.* 8. *et* 9.
  - Labiis. *Locuti sunt labiis.* 8.
  - Ore. *Aperuerunt super me os suum.* 14.
  - Oculis. *Inspexerunt me.* 19.
  - Manibus. *Foderunt.* 18.
  - Pedibus. *Circumdederunt me.* 13. 17.
  - Toto corpore. *Obsederunt me.* 13. *Concil. malign. obsedit me.* 17.
  - Animo. *Consideraverunt me.* 19.
- **Et omni tempore.**
  - Ante crucifixionem. *Circumdederunt me vituli multi.* 13.
  - In crucifixione. *Sicut aqua effusus sum.* 15.
  - Post crucifixionem. *Diviserunt sibi vestimenta mea.* 19.

SECTIO TERTIA.

Duo continet. Primo petit Christus resurrectionem suam celeriter fieri, v. 20. Secundo, pollicetur se laudaturum Deum, quando hoc præstiterit, v. 23.

PARAPHRASIS.

20. *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.*

20. Hunc in me furorem inimici mei exerceant, ut flagellis discerptum, confossum clavis, in cruce nudatum, ludibrio omnium exponant. Sed tu, quem ut Patrem amo, atque ut Dominum veneror ne auxilium tuum differas: sed per celerem corporis mei resurrectionem hostibus meis os occlude, et adversus eorum calumnias me tuere, ut intelligant me licet morti destinatum, vere filium tuum esse, atque ut filium agnosci, amari et honorari.

21. Erue a framea Deus animam meam: et de manu canis unicam meam.

21. Corpus tot excarnificatum tormentis mortem subeat: at innocentem animam meam a sententia vindice et condemnationem noxiorum post mortem libera. Neque patiaris hanc animam meam mihi charissimam, utpote unicam, in potestatem inferorum venire: et licet ad limbum patrum descendat, ibi diutius maneat.

22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.

22. Video luciferum hianti ore instar leonis, animam meam velut opimam prædam, appetentem: sed cum tu, Domine, eam ab omni labe immunem noveris, satis sit iustitiæ tuæ corporis mei tam diutina cruciatio. Me summam in abiectionem redactum libera ab innumera circumstantium dæmoniorum multitudine, quæ rabia instincta exitium meum appetit. Hæc a te postulo de tua voluntate securus, et brevi me a mortuis surrecturum certo scio.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

23. Cum ad vitam me revocaveris, tunc Apostolis meis, quos ut fratres mihi ex hominum infinita multitudine elegi, et plusquam fraterno affectu prosecutus sum, divinitatis tuæ, potestatis, ac bonitatis notitiam clariorem tribuam. Earumque vocibus in laudes tuas erumpam, non iam in exiguo Iudææ angulo terræque lacinia: sed in ultimos usque terræ limites, et ab orbe nostro semotas toto mari regiones gloriam tuam proferam.

24. Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Iacob glorificate eum.

24. Hoc autem ubique gentium libero ore per me meosque prædicabo. Quicumque sancto Dei timore contixi ab idolorum cultu resiliistis, mihique adhæsistis, Deum Patrem meum bonitatis omnis fontem laudibus celebrate. Omnes vos, qui non carnalitatum progenie, sed vera sinceraque fide filii estis Iacob, eiusque virtutis et Patriarcharum omnium sectatores, tam potentis Domini benignique parentis gloriam pro virili protendite.

25. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

25. Hoc ego in universo regno meo edictum volo, ut quicumque verum se Israelitam censeri cupiet, casto filialique timore eum revereatur et colat. Quoniam me summas in angustias, extremamque paupertatem in cruce redactum, omnique humano destitutum auxilio, audire clamantem non contempsit, votiqua compotem effecit.

26. Nec avertit faciem suam a me; cum clamarem ad eum exaudivit me.

26. Et licet omnium proscissus dicteriis contemnerer, et vel amici mei faciem a me suam averterent, benigno semper vultu, eum hominum et dæmonum furore iactantem animavit: facilesque gemitibus meis aures præbuit, nosque exaudiit.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto studio post resurrectionem suam, Patris sui gloriam Christus promovit.

153. Ordo Sectionis. Post expositos superiori Sectione acerbissimos suos in cruce dolores atque cruciatus, nunc petit auxilium, ut cito resurgat a mortuis, at a dæmonibus post mortem irruituris protegatur.

Ac primo petit, ne solum se e vita migrare sinat ope cælesti destitutum, v. 20. *Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me;* 2. ut lateri se eius comitem, ducem, ac directorem adiungat. *Ad defensionem meam conspice.*

Secundo, depingit dæmones terrifica facie, et densatis agminibus involantes. Prima in acie statuit furias strictis ensibus micantes, v. 21. *Erue a frameo Deus animam meam.* Media in agmina cohortes innumeras circumsonantes, canino rictu rabieque terribiles. *Et de manu canis unicam meam.* In totius exercitus medio eminentem Luciferum proponit, qui leonina facie, iubis, at unguibus terrorem infert, at avidis patulisque faucibus prædam expectat, v. 22. *Salva me ex ore leonis.* Postremam denique aciem occupant Triarii, ipsa specie portentosa horrifici, cornibus asperati, flammasque ora, naribus, et auribus efflantes. *Et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

Tertio, asserit liberationem illam a larvis postulare se, ad Patris sui gloriam, quam per Apostolos suos amplificaturum se esse pollicetur. Primo, illis aperiendo quanta sit maiestas, potentia, sapientia, et bonitas, atque iustitia eius, v. 23. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Secundo eos mittendo per omnes orbis nationes. *In medio Ecclesiæ laudabo te.*

Quarto, amore divino succensus incipit omnes hortari ad Dei cultum et glorificationem. Primo monet ut eum ore laudent, v. 24. *Qui timetis Dominum, laudate eum.* Secundo, ut operibus glorificent. *Universum semen Iacob glorificate eum.* Tertio, ut corde ament, et timore filiali revereantur, v. 25. *Timeat eum omne semen Israel.*

Quinto motiva affert, quibus hoc omnibus populis persuadeat. Primo quod eum animo non contempserit, licet ab aliis despectum. *Quoniam non sprevit.* Secundo, quod auribus preces eius benigne susceperit. *Neque despexit deprecationem pauperis.* Tertio, oculis et tota facie radios favoris sui et lucis immiserit. *Nec avertit faciem suam a me.* Quarto, manu petitum auxilium tulerit. *Cum clamorem ad eum, exaudivit me.*

ARTICULUS I.

Cur infernus cani, et dæmones unicornibus comparatur?

Sectione præcedenti comparavit Christus Iudæos vitulis, tauris et leonibus, v. 13. et 14. Gentiles vero canibus, v. 17. ob atrocissima tormenta patienti illata, et varias contumelias. Nunc agens de iis quæ oventura erant, infernum cani, Luciferum Leoni, reliquos dæmones unicornibus assimilat, atque in eos petit auxilium, et quidem velox, v. 20. Tu autem Domine (illi sunt damnata mancipia) ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice, q. d. si solum aspexeris, vincentur ac diffugient, ut tenebræ et vespertiliones orto sole. Hebr. est. *Ad auxilium meum* חושה *chuscia*, id est, *festina*. Itaque est metalepsis. In aspectu enim intelligitur accursus et festinatio, quæ oritur ex aspectu, et illum sequitur. 154. Vers. 20.

Deinde explicatius exponit a quo defendi postulet, vers. 21. Erue a framea Deus animam meam, et de manu canis unicam meam. Quæres. Quid sit hic framea? Primo, Lorinus per frameam, id est, gladium, intelligit mortem. Secundo, Euthymius intelligit Romanos milites gladiis armatos. Tertio, Didymus, Theodoretus, Euseb. S. Basil. frameam sumi volunt pro diabolo furente. Quarto denique, rectius accipies pro punitione, qua impii post vitam puniuntur. Nam in hac sectione, ut dixi agitur de iis, quæ timenda erant Christo post mortem. Sensus itaque est q. d. erue a framea animam meam, id est impedi ne in frameam seu gladium at punitionem incidat anima mea a corpore separata, esto contentus tot cruciatibus meis in vita toleratis, vadem quidem et sponsorem me pro peccatoribus obtuli, qui puniendi erant pœna inferorum æterna; sed sanguis meus pro illis effusus est infiniti valoris et sufficienter, imo abundanter, pro illis satisfecit. Nota pro *framea*, Heb. est חרב *chereb*, id est, gladius, pugio. R. David docet extendi ad omnem excidentem, sive ferrum sit, sive lapis acutus. Ierem. 33. et E- Vers. 21. I. Pars.

zech. 26. sumitur pro securi od deiiciendum ædificia. Unde etiam metapharice accipitur pro excisiona, vostatione, desolationa, occisiono, sicut apud latinos gladius. S. Hier. hic at S. Cypr. lib. 2. contra Iudæos habent, a *gladio*. Cbald. *ab occidentibus in gladio*, id est, gladio. Hebræi enim, Syri et Cbald. instrumentum exprimunt per præpositionem *beth*, id est *in*. De framea dixi Ps. 9. v. 9. et Ps. 34. 3.

155. *Animam* sumit Bellarm. pro vita, ita ut sensua sit, q. d. libera ab instrumenta martis vitam meam. Panit enim gladium, qui mortis est instrumentum, pro quolibet instrumento mortis, quod in Scriptura frequens. 2. Rogum 12. *Non recedet gladius de domo tua*. Ita ipse. Sed agitur hic da iis quæ timebantur post mortem. Secundo itaquo sume animam in prapria significatione, quam a carpore evalautem et od limbos descendentem Patri commendat. Sic murti proximus dixit Luc. 23. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*. Et hoc patet eum max eam vocet *unicam suam*, id est primo, charissimom, summe dilectum. Sic Cantic. 6. 8. *Una est columba mea*, hoc est mihi summe chara. Charissima autem et pretiosissimo erat Christi anima et Patri æterno at ipsi Christu ac Spiritui sancto, quia erat verbo unita, at omnibus danis gratiæ et gloriæ ornata. Secunda, *unicam* appellat, id est, derelictam in summis dolaribus, et a nullo consolatianem accipientem. S. Hieron. vertit *salitariam meam*; Aqnilo, μοναχὴν, salam; Symm. μονότητα, solitudinem, id est maxime desertam. Tortia denique *unicam meam*, id est, quæ una est mibi. Nam in synodo Oecumenica VIII. cap. 10. delinitum est in homine unam solum esse animam: rationalem scilicet. An præter illam sit alia anima vegetativa, et alia sensitiva disputant Philosophi. Longe tamen probabilius est esse tantum unam animam rationalem in corpore humana, quæ operationes vegetativæ et sensitivæ exerceat, cum illas eminenter contineat.

Anima hic potest sumi pro vita

2. Et melius in propria significatione.

Ex his collige prima, animas nan mori cum corpore. Secundo, quanti tibi sit facienda anima tua cum unicam habeas. Itaque ea pordita omnia pereunt. Septuag. vertunt μονογενῆ, id est unigenitam. Cum tentaris, dic cum patre illo Luc. 9. 38. *Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi: ecce spiritus opprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum*. Si forte in peccatum incideris, fac planctum quasi super unigenitum. Ierem. 6. 26. *Luctum unigeniti fac tibi* (id est maximum) *planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos*. Imitare viduam Naim, quæ filium suum efferebat plorans, et Iesus miserebitur tui. Luc. 7. Dic sæpe cum Christo, Matth. 16. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (omnia enim perdet cum anima, et si rotinere posset, sine ea nihil iuvarent) *aut quam dabit homo commutationem* (ἀντάλλαγμα, id est, campensationem. Syr. permutatiouem) *pro animo sua?* q. d. nihil est illi æqualo, ast enim spiritualis, æterna, ad imaginem Dei facta, Dei capax, suppliciis, vel præmiis æternis distincta: ot, quod caput est, unica.

Anima non moritur si unica est, ideo æstimanda.

156. Nata, si vis ut Deus *ad defensionem tuam conspiciat*, tu ad Deum conspice, et ad defensionem tuam: sic vinces gigantes tibi oppositos. Similis esto *Caleb*, qui significat *quasi cor*, q. d. totus cor, vir cordatus et magni animi. Fuit filius *Iephone*, id est, *conspicientis*, intuentis, contemplontis: ideo fuit Cenezæus, hoc est *possessio mea iste*. Pater enim Iephone fuisse putatur Cenez, qui consequenter fuit avus Caleb. Dicitur porra Iosue 14. 6. *Locutus est ad Iosue Caleb filius Iephone Cenezæus*: Prima, accede ad Iosue, id est, ad Iesum, cum quid vis impetrare. Secundo, considera terram promissam, id est, cælum, ait Caleb, v. 7. *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem terram*. Tertio, vera renunciavit. Quarto, cæteris dissolventibus cor populi at avocantibus ab ingressu terræ illius, ipse quasi car totus esset, fortiter stetit pro Dea, vers. 8. *Ego secutus sum Dominum Deum meum*, q. d. totum me dedi Deo, ut eum sequerer, et ille se mihi ut me adiuvaret.

Pugnandum est in vita.

Caleb fuit eximia figura viri generose certantis.

A Quinto, intrepidus terram gigantum adiit et calcavit. Undo illi dixit Moses vers. 9. *Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, et filiorum tuorum in æternum*. Pes tuus, id est affectus tuus, terram canculcet, et non deerunt tibi possessiones. Sexto, Deus animam, id est, vitom eius defendit: v. 10. ait, *Cancessit ergo* (hæc est sequela virtutis) *Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem*. Quam vegetam et vividam senectutem habuerit, ipse exponit, asseritque se iam 85. annorum, perinda viribus valere tam ad bellandum quam ad gradiendum, atque cum 40. annos natus lustroret terram promissam. Septimo, petit et obtinet montem, in quo erant Enacim, id est gigantes filii Enac: non est contenta vallibus magna virtus, ad excelsa et perfectionis mantem tendit, nec eum terret dæmon gigantis in marem se ostentans, ut S. Antonio: nam eum fugat eum illo dicens: Dominus illuminatio mea et salus mea quem timebo? Dominus *protector vitæ meæ*, a quo trepidabo? Octavo, Calebo benedixit Iosue: viro forti et contemplationis filio be- B nefacit Iesus. Nana, Cariath-Arbe, id est civitatem Arbe gigantis, qui fuit pater Enac vocavit Caleb Hebron, id est societatem, coniunctionem, copulationem: ut denotaret Dominum fuisse secum, nec se solum sed Dei præsidio et contribulium cepisse illam gigantum urbem et illi adiacentes. Dicit Paulus 1. Cor. 15. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Decimo, Caleb perseveravit in bona actione et contemplatione Dei, et Deus perseveravit in eius benedictione, v. 14. *Ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo usque in præsentem diem, quia secutus est Dominum Deum Israel*, id est, viri videntis Deum, id enim significat Israel. Hebr. habetur: Quia camplevit post Dominum Deum Israel, q. d. quia plene, perfecte et constanter in omnibus, et tota vita Deum secutus est, ut servus Dominum suum, eique obedivit ad nutum. Undecima additur, terra cessavit a præliis. Supera gigantes, id est, magnas aliquas difficultates, pauci actus heroici plus tibi pacis dabunt quam multi languentes et remissi. Duodeci- C mo denique, Caleb sepultus est prope Abraham, Isaac et Iacob, tu cum Sanctis in cælo, et Sanctorum societate quiesces, si sis quasi cor et filius contemplationis sicut ipse. Religiosi præsertim ædificent Hebronem, id est, societatem, Iosue hoc est Iesu hoc volonte; sint vero ipsi *quasi cor* unum et anima una, tunc no nomen quidem remanebit Cariath Arba, id est mundi, qui est civitas Arbo, id est, *quatuor* elementorum scilicet inter se semper pugnantium, 1. ignis, hoc est iræ, furoris et vindictæ; 2. aeris, id est vanitatis, tonitruarum, grandinum, ventorum; 3. aquæ id est, voluptatum et tempestatum; 4. terræ, id est, avaritiæ et ad ima tendentiæ atque obstinationis et pigritiæ immobilis. Inde expellent *Enacim*, id est, *torquatos*, mundanos pompis et vanitatibus addictos: ac speciatim tres filios Enac, id est, mundi ornatu suo follentis. Mundus græcis κόσμος, dicitur ab ornatu. Primus filius Enac a Caleb peremtus fuit *Sesai*, id est, lætus, gaudens, byssinus. Impius dives *induebatur purpura et bysso*, ecce byssinum: *et epulabatur quotidie splendide*. D Ecce lætitiam malam. Luc. 16. 19. Secundus filius Enac fuit *Ahiman*, hoc est, *frater meus manna*, q. d. mihi charissimus: vel frator dextera, seu dexteræ: vel frater numeratus: Religiosus post reiectam a se mundi lætitiam, accepta cruce confodiat inordinatum amorem parentum. Matth. 10. 37. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*. De fratribus vide Marc. 10. 29. et 30. *Et qui non accipit* (porrigit eam Iesus) *crucem suam* (in qua se crucifixit per tria vota) *et sequitur me* (omnes passus debent esse hominis crucifixi) *non est me* (et mea societate) *dignus*. Tertius filius Enac per Caleb et socios eius deletus fuit *Tholmai*, id est, *suspendens aquas*. Aquæ multæ populi multi. Apoc. 17. 15. Eas suspendit dæmon per superbiam, sed aquæ sunt et defluunt. Vince Sesai, id est carnem vanas lætitias et ornatus quærentem. Ahiman, id est, mundum vanas amicitias quærentem, et iis nimis hærentem. Tholmai, id est diabolum, vanam cin-

tionem ostentantem, sed ut in mare amarum doloris et mortis præcipitet. Tunc securus manebis in Hebrono, hoc est societate, cum Calebitis, id est, viris cordatis, qui deinde habebunt *Cariathsepher*, id est, *civitatem literarum*, in qua scilicet erat Academia, ubi Chananæi docebant scientias suas, et de illa facient *Dabir*, id est, *oraculum*, q. d. scientias prophanas sua virtute sanctificabunt, eas referentes ad Dei gloriam et salutem animarum. Tum evadet illa *Cariath senna*, id est, *urbs acuminis*, id est, hominum ingeniosorum, et eruditorum. Hæc enim tria nomina habuit Cariathsepher, ut patet Ios. 15. vers. 15. et 49. Si vero desit *cor*, id est, charitas et amor omnium tam domesticorum quam cæterorum omnium, fiet *Cariath senna*, id est, *civitas rubi*, hoc est afflictionis et desolationis; et *civitas inimici*, hoc est diaboli. Sis itaque Caleb filius Iephone, id est, *quasi cor contemplans*, et hæc considerans sequere Dominum et montem perfectionis obtinebis, in quo est irriguum superius et irriguum inferius.

157. Vers. 21. 2. Pars. SPECIATIM *petit Christus animam suam* liberari a manu seu potestate inferni, vers. eod. 21. ET DE MANU CANIS UNICAM MEAM. Nota, Anaxagoras apud Aristot. 4. de partibus animalium c. 10. ait, manum proprie homini convenire. Plinius tamen lib. 11. cap. 4. animalibus etiam attribuit. Nota 2. cum manus sit ὄργανον ὀργάνων, id est, instrumentum instrumentorum (vide Aristotelem, lib. 4. de part. animal. 10.) sumitur metaphorice pro potestate, facultate, vi operandi. Unde Ps. 62. 11. *tradentur in manus* (in potestatem) *gladii*. Et ad rem nostram, Psal. 48. 16. *Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.* Manus etiam tribuuntur inferis Ps. 87. 49. morti Oseæ 13. 14. plagæ Iob. 23. 2. iniquitati Is. 64. 7. linguæ Prov. 18. 21.

Canis hic sunt. 1. Impii omnes. 2. Iudæi. Quæres. Quid per canem hic intelligitur? Primo, per canem intelligit generatim impios Chald. qui vertit, *Libera de manu impii, qui comparatus est cani, spiritum corporis mei.* Secundo, speciatim per canem sumit Iudæos, Dionys. Carthus. furibundos et rabidos, qui contra Christum more canum latrabant. Tertio, ut dixi, inferos intelligo in cane figuratos, 1. ob voracitatem et insatiabilitatem, Prov. 30. 16. *Tria sunt insaturabilia, infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua.* Illam inferni voracitatem poetæ expresserunt posito ad eius portas Cerbero, quem Valer. Flaccus lib. 3. Argonautic. vocat canem Eumenidum. Pausanias in Laconicis notat eum nullo indito nomine proprio dici ab Homero, *Ditis canem.* Virg. lib. 6. Æneid. ei tribuit famem rabidam et tria guttura. Propert. lib. 3. eleg. 18. tria colla. Hesiodus ait esse, πεντηκοντακέφαλον, id est, quinquaginta capitum. Ab Horatio lib. 2. ode 3. vocatur bellua centiceps. 2. inferi in cane repræsentantur ob rabiem utrinsque. Arist. l. 8. histor. animal. cap. 22. *Facit*, inquit, *in canibus rabies, furorem, et quæ momorderint*, λυττῶσι ἅπαντα, *omnia rabiunt, excepto homine.* Plinius lib. 8. cap. 40. hominem non excipit. *Rabies canum*, inquit, *Sirio ardente, homini pestifero.* Cerberi rabiem sic Horat. describit lib. 3. Odiss. 11.

3. Et præcipue infernus, ob voracitatem. Et ob rabiem.

Quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

Et Seneca in Hercule furente signantius, cum ait:

Hic sævus umbras territat stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono,
Regnum tuetur, sordidum tabo caput
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ,
Longusque torto sibilat cauda draco,
Par ira formæ.

Quid his omnibus truculentius? Sed non satis immanibus figuris hæc inferorum dæmonumque rabies exponi potest.

Addi potest ex Hesiodo in Theognide solitum Cerberum adulari inferos subeuntibus, ne scilicet timore correpti resilirent; deinde vero si quis pedem referre vellet, irruere et discerpere. Facilis descensus averni; sed revocare gradum superasque evadere ad oras, hoc opus, hic labor est.

Dices, canis est animal domesticum, neque admodum robustum, ideo non bene illi comparatur infernus. Respond. primo posse sumi allusionem ad Cerberum. Nam scripturæ etiam ad poetarum fabulas alludunt, ut patet Iudith. 16. 8. *Nec filii Titan* (id est, excelsi gigantes) *percusserunt eum.* Thren. 4. 3. ubi est in Hebr. תנינים *tanninim*, id est, dracones, sive marini, sive terrestres, Noster vertit, *lamiæ nudaverunt mammam.* Poetæ autem fingebant Lamias esse mulieres, quæ domi prorsus excutiebant, foris erant oculatæ, pueros pariter et iuvenes blanditiis allectos vorare credebantur. Iob. 42. 14. unam de suis tribus filiabus Iob vocat cornustibii. Sept. vertunt cornu Amaltheæ, quam fingunt poetæ fuisse capram, quæ lacte suo Iovem nutrivit. S. Hieron. ait, idem dicendum esse de Oriona, Arcturo et similibus. Sic enim se vulgo accommodat scriptura, non quod fabulas narret aut approbet, sed ut melius percipiatur. Resp. secundo, canes quoque multos terrori esse: tales sunt canes Britannici decumanæ notæ, Molossorum greges, Lyciscorum furor, Hybridum insultus et rabies. Scimus ex tigribus et lupis hybridas enatas canes et roboris et magnitudinis visenda specie extitisse, et ab Albaniæ Rege ad Alexandrum missum canem unum ne certare quidem cum ursis aprisve dignatum, leonem occidisse, atque elephantum prostravisse. Plin. lib. 8. cap. 40. refert, Colophoniis atque Castabalensibus canum cohortes fuisse, quæ prima in acie dimicarent, numquam detrectantes. 158.

Lamiæ. Canes multi furiosi. Albani canes mirabiles.

INSANORUM in medio princeps tartareus Lucifer eminet throno sublimis, rabieque omnibus superior. Hunc Christus in leonem deformat rictu diducto, patulisque faucibus prædæ inhiantem, et hamatis falculis insultantem: ideo exclamat v. 22. SALVA ME EX ORE LEONIS, ET A CORNIBUS UNICORNIUM HUMILITATEM MEAM. Leonem primo intelligit hic Lorin. S. Hilarius et Noster omnes principes et potentes Christum crucifigentes. Nam dives crudelis, est Leo. Sic Psal. 33. 11. ubi habemus, *Divites eguerunt, et esurierunt;* S. Hieron. *Leones indiguerunt;* et Felix, *catuli Leonum inopes facti sunt.* Hebr. est כפירים *chephirim*, id est, leunculi, ut ait R. David. Vide dicta Ps. 9. 29. ubi contuli avarum leoni. Secundo, leonem dicit Pilatum fuisse S. Thomas. Tertio, alii de Caipha, alii de Herode exponunt. Quarto, Tertullian. contra Iudæos cap. 10. dicit leonem sumi hic pro morte. Quinto denique cum S. Thoma intelligo de diabolo, de quo ait S. Petrus 1. Epist. cap. ult. 8. *Tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Agitur enim hic de iis, quæ eventura erant, aut evenire solent aliis post mortem. Leonis et dæmonis parallela vide Ps. 9. 159.

Vers. 22. 1. Pars. Leo hic pro quo sumitur?

PRINCEPS Lucifer leonino fremitu irrugiens dirum classicum insonat, et phalanges in arma cogit: assultant capripedes, et asperata fronte monocerotes paratos se ad feriendum ostentant, ab his eripi Iesus postulat. vers. eod. 22. ET A CORNIBUS UNICORNIUM HUMILITATEM MEAM, id est, me humilem, humiliatum et abiectum. Nam humilitas hic sumi potest dupliciter: primo pro virtute ipsa humilitatis, qua Christus se voluntarie deiecit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ita Didymus in Catena. Secundo, pro afflictione et miseria. Ita Genebrardus. Nota pro *humilitatem meam* Heb. est עניתני *hanitani*, quod 1. vertit. S. Hieron. *exaudi me;* 2. Vatablus, *eripe me;* 3. Pagnin. *exaudisti me;* 4. Felix, Caiet. et Arias, *respondisti mihi;* 5. Chald. *orationem meam;* 6. Septuag. ταπείνωσίν μου, id est, *humilitatem meam*, ut Noster Syr. Arabs, et alii vertunt. Ratio varietatis est, quia *hanitani*, potest esse nomen et verbum cum affixo. Rad. ענה *ana*, significat respondere, loqui, orare, canere, exaudire, affligere, humiliare: inde *anith* et *taanith*, oratio, afflictio, responsio, etc. 160.

Vers. 22. 2. Pars.

Nota secundo, pro *unicornium*, in Hebræo est, רמים *remim*, *reem* vero sive *rem*, Noster Interpres nunc vertit

unicornem, ut hic, Ps. 28. 6. Ps. 91. 11. Isaiæ 34. 7. nunc *rhinocerotem*, ut Deut. 34. 17. Num. 23. 22. Iob. 39. 9. Sept. ubique habent, μονοκερως, Cumque dictio *reem* sive *rem*, deducatur a רום *rum*, id est, elevare; Syr. et Arob. vertunt, *a cornu excelso;* Apollinaris, ἐξόλοων κεράων μονοκερωτων, *a perniciosis cornibus monocerotum*.

Noto tertio. Unicornis nuncupari potest omnis bellua, quæ unico cornu ornatur: quales sunt Æthiopici boves, qui et unicornes, et tricornes reperiuntur: item Indici, et quidem solidis ungulis, ut docet Plin. lib. 8. cap. 21. Asinus (alii equum vocant) in India visebatur cornu unico insignis, et solidipes, id est solidos habens pedes, non bifurcatos: item Oryx sed bisulcus, ut tradit Aristot. lib. 2. hist. animal. cap. 1. Et voccæ in Æthiopia, quas vidisse se ait Ludovicus Romanus in urbe Zeila.

Dico tamen, unicornem in psalmo nostro sumi pro aliqua fera particulari, nempe pro rhinocerote vel monocerote: sed probabilius pro rhinocerote, tum quia est fera notior, tum quia non constat, an sit fera aliqua, quæ dicatur Monoceros et sit diversa a rhinocerote, quia Plinius eam describens nititur tantum opinione Ctesiæ, cui non est semper credendum, neque in ea re suum iudicium interponit. Plinii verba sunt lib. 8. cap. 21. *Asperrimam feram Monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. Hanc feram vivam negant capi*. Ludovicus vero Barthoma in suo itinerario cap. 17. dicit esse animal mite, cui cornu tricubitale. Ælian. lib. 16. histor. animal. cap. 20. litem dirimit, cum asserit esse animal mansuetum cum cæteris bestiis, feram vero cum gregalibus.

161. Rhinoceros describitur. Rhinoceros autem a Plinio describitur lib. 8. cap. 20. *Rhinoceros unius in nare cornu, qualis sæpe visus. Alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem: longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus*. Et Strabo lib. 16. paulo fusius. *Rhinoceros, ut ait Artemidorus, longitudine paulum ab elephantis superatur, quod se Alexandriæ vidisse affirmat, fere etiam quantum ad altitudinem. Eius autem quem nos vidimus color, non buxo, sed elephanti similis erat, magnitudo tauri, forma apro proxima, præsertim quod ad rostrum attinet. Dempto naso, qui cornu quoddam est recurvum, omni osse durius*. Romæ visum esse in ludis Pompeii, ait Plin. mox citatus. In ludis Actiacis Augusti, Dio lib. 51. In Domitiani nummis expressus erat cum urso pugnans, quæ pugna a Martiale describitur lib. 1. Noster quoque Ioan. Petrus Maffæus lib. 4. histor. Indicæ refert missum fuisse ad Leonem X. Pontif. Maximum ab Emanuele Rege Lusitaniæ unum rhinocerotem, ut cum elephanto, quocum implacabiles gerit inimicitias, pugnaret. Sed qui ab ultimis terrarum oris in Europam incolumis venerat, ad Ligusticæ demum oræ scopulos facto naufragio, cum implicitus catenis enatare nequisset, periit. Mens erat Regi renovare veteres illas pugnas belluarum in amphitheatris ostendi solitas.

162. Rhinoceros habet duo cornua, et qualia. Dices. Quomodo hic per unicornem potest intelligi rhinoceros, cum duo cornua habeat? Resp. primo, Rhinoceroti tantum unum cornu tribuit Plinius et Solinus, qui ait illud esse repandum, id est, recurvum: in eodem est opinione Diodorus Siculus qui addit esse, τῃ στερεοτητι σιδηρῳ παρεμφερης, *firmitate ferro par*. Dio recte dicit hinc vocatum rhinocerotem, quod in nare cornu illud ferat; ῥιν enim Græce narem significat. Strabo autem ait ipsum eius nasum cornu quoddam recurvum esse, omni osse durius. Resp. secundo, rhinoceroti esse quidem duo cornua, sed unum parvum, quod illi auctores neglexerint, et pro nihilo reputaverint. Quod autem rhinoceroti sint duo cornua, asserit Martialis lib. 1. *Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum*. Seu, ut alii legunt, urum qui est taurus agrestis. Raderus Noster in commentario coniicit fuisse bubalum, qui etiam urus dicitur, sed non puto id esse verum, sed intelligi feram raram, quam sic describit Cæsar. lib. 6. de bello Gallico. *Tertium est genus eorum, qui uri appellantur: ii sunt magnitudine paulo infra elephantes, specie et colore, et figura tauri. Magna vis est eorum et magna velocitas, neque homini, neque feræ, quam conspexere, parcunt: hos studiose foveis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atque hoc genere venationis exercent: et qui plurimos ex iis interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ sint testimonio, magnam ferunt laudem. Sed assuescere ad homines, et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. Amplitudo cornium, et figura, et species multum a nostrorum boum cornibus differt. Hæc studiose conquisita a labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur*. Ita Cæsar: unde vides robur rhinocerotis, qui facili negotio talem tantamque feram in altum extulerit veluti fœneas pilas, eamque occiderit. Diversitatem cornium in rhinocerote sic explicat Pausanias lib. 9. Σφισιν inquit, επ ακρα τε ρινι εν εκαστῳ κερας, και αλλο υπερ αυτο ου μεγα, *Singulis in summo nare cornu est, et aliud super illud non magnum*. Pierius lib. 2. cap. 22. visam a se imaginem rhinocerotis sic describit: *Rhinoceros qui nuper allatus est ex India inferiori ad Lusitaniæ Regem, cuius imaginem ad Leonem X. Pont. Max. transmissam vidimus, unum quidem in nare cornu habet, alterum superne prorumpit non adeo magnum, sed prævalidum esse Lusitani omnes, qui animal viderunt, testantur*. Bodinus male illud parvum sub maiori ponit, et Marsilius in humero adhuc peius.

Quæres, Quænam est diaboli et rhinocerotis comparatio? Respond. quinque præsertim posse offerri parallela. 163. Rhinoceros est typus dæmonis, ob quinque convenientias.
Primo, Rhinoceros cornutum est animal et in cornu robustum. Nam habet cornu, ut ait Strabo lib. 6. στερεωτερον οστῳ παντος, *omni osse durius, eo pro armis utitur, quemadmodum aper dentibus*. Diodorus Siculus ait cornu illud esse firmitate ferro par. Martial. lib. 1. Epigr. 9. ex effectis nempe ex devicto et in altum elato uro robur eius probat et admiratur, cum ait. 1.

Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

Et alio in loco:

Namque gravem gemino cornu sic extulit urum,
Iactat ut impositas taurus in astra pilas.

Pilæ erant hominis fœneæ imagines, quas ad exercitationem taurus iactare docebatur a magistris bestiariorum. Fortem et robustum per rhinocerotem accipi docet S. Eucherius, et patet Num. 23. 22. Dæmonis vero robur declarat Iob. sub figura Leviathan cap. 41. 13. *In collo eius morabitur fortitudo*. Et v. 18. *Reputabit quasi paleas ferrum, et quasi lignum putridum, æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ*. Quod de dæmone sic explicat S. Greg. lib. 34. cap. 5. *Nisi*, ait, *divina gratia protegat, et prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, et patientium constantiam quasi lignum putridum reputabit*. Licet autem dæmoni plura sint cornua, unicum tamen illi assignatur ad robur illius denotandum vehementioremque impetum: vel, quod licet plura habeat, uno tantum ferit, cætera occultans: ut eo profundiorem plagam inferat, quo minus prævidetur. Qua in re optime comparari potest Eolæ, de qua Plin. lib. 8. cap. 21. *Eale*, inquit, *apud Æthiopes fera, magnitudine equi fluvialis, caudæ elephanti colore nigra vel fulvo: maxillas apri, maiora cubitalibus cornua habens mobilia, quæ alterna in pugna sistit, variatque infesta aut obliqua, utcumque ratio monstravit*.

Secundo, Rhinoceros ira excandescens terribilis est: de illo Martial. lib. 4. Epigr. 9. ait. II.

O quam terribiles exarsit pronus in iras,
Quantus erat cornu, cui pila taurus erat?

A S. Eucherio item vocatur terribilis fera. Dæmonis ira exæstuans depingitur Iob. 41. 9. *Sternutatio eius* (id est aqua, quam reflat naribus) *ut splendor ignis* (apparet lucida et fulgida; cum sit rara et a radiis solis facile penetretur) *et oculi eius ut palpebræ diluculi* (id est, auroræ primi radii) *De ore eius lampades* (id est, aqua etiam pellucida) *procedunt, sicut tædæ ignis accensæ. De nari-*

bus eius procedit fumus, (id est, eodem aqua in altum elevata) *sicut ollæ succensæ atque ferventis. Halitus eius prunas ardere facit, et flamma de ore eius egreditur*. Est catachresis. Plato in Timæo ait, Omne iræ opus per ignem fit. De dæmonis ira et sævitia in homines, hanc sternutationem, etc. Leviathan, id est balænæ, exponit Pineda.

III. Tertio, Rhinoceros tarde irascitur, sed ubi incanduerit, miro modo sævit, ut docet Martial. lib. 1.

Sollicitant pavidi dum rhinocerota magistri,
Seque diu magnæ colligit ira feræ,
Desperabantur promissi prælia Martis,
Sed tamen is rediit cognitus ante furor.

Hinc sunt qui lentitudinem irascendi, ac nullum mox adhibitum modum excandescentiæ, per huius animalis hieroglyphicum intelligant. Dæmon hac in vita blanditur, et iram dissimulat: sed heu! post diutinam moram quantis in æternitate hoc monstrum furoribus baechabitur in vesanos, qui fallacibus se illiciis intercipi passi sunt.

IV. Quarto, Rhinoceros ventrem ac subiecta ventri maxime impetit. Ælian. lib. 17. histor. animal. cap. 44. *Rhinoceros subit elephantis crura, et ventrem secat subtus et scindit*. Et Plin. lib. 8. cap. 20. *Cornu ad saxa limato preparat se pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem*. Dæmon ipsas cæli volucres, mundanisque omnibus altiores viros gulæ subiicere molitur, imo Christum ipsum. Matth. 4. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant*. Alios vero luxuria mollire contendit. Hinc S. Catharinæ Senensi revelatum, vix ullos tartareis in ollis ardere, quos prius his in terris luxuria non coxerit. Per luxuriam itaque dæmon homines ad inferos deiicit.

V. Quinto, Rhinoceros domari et cicurari numquam potest. Deus ait Iob. 39. 9. *Numquid volet rhinoceros servire tibi? aut morabitur ad præsepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo: aut confringet glebas vallium post te?* q. d. id nulla arte efficere poteris. Cum dæmone est nobis bellum implacabile, cicurari non potest. Est per antonomasiam *inimicus*, Matth. 13. 28. et id suo nomine ostendit: dicitur enim satan id est adversarius. Deinde alios inimicos iubemur diligere. Matth. 5. 44. cibare et potare, Roman. 12. 20. sed dæmon sanctis proponitur conterendus, Gen. 3. 15. conculcandus instar aspidis, basilisci, Leonis et draconis Ps. 90. 13.

ARTICULUS II.

Fratres Christi sunt omnes Christiani, illis per Apostolos gloriam patris sui aperit.

164. Vers. 23. 1. Pars. Fratres Christi Apostoli et omnes Christiani, ob tres rationes.

CHRISTUS postquam petiit liberationem suam a doloribus, hostibus et potestate inferorum ac dæmonum, vicissim gratitudinem suam erga patrem declarat, v. 23. NARRABO (Hebr. אספרה *asappera*, sigillatim percensebo, ut solent magistri discipulis) NOMEN TUUM, dignitatem, auctoritatem, potentiam, maiestatem tuam, FRATRIBUS MEIS, IN MEDIO ECCLESIÆ LAUDABO TE. Quæres, Quos hic fratres intelligit? Respondet Remigius intelligi Apostolos; 2. Arias et S. Gregor. discipulos peritiores aliorumque doctores; 3. S. August. omnes omnino Christianos.

Quæres secundo, Cur illi vocantur fratres Christi? Respond. id fieri tres ob causas, 1. ob naturam eamdem; 2. ob gratiæ donationem; 3. ob gloriæ æternæ participationem.

I. Quia Christus fuit verus homo.

Ac primo, Christus fuit verus homo nobis similis Ioan. 1. 14. *Verbum caro factum est*, caro, id est homo. Est synecdoche, Philipp. 2. 7. *In similitudinem hominum factus*, (hoc est, similis factus hominibus cæteris similitudine substantiali et specifica, sic Adam genuit ad imaginem et similitudinem suam filium suum Seth. Gen. 5. 3.) *et habitu inventus ut homo*. Naturam enim humanam assumpsit Verbum, velut habitum, et vestem, σχημα, schema, speciem externam. S. Aug. 83. quæst. q. 73. tom. 4. sic explicat. Hoc, inquit, nomine *habitus*, satis significavit Apostolus, quemadmodum dixerit: *In similitudinem hominum factus*; quia non transfiguratione in hominem, sed habitu factus est homo, cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodammodo atque conformans immortalitati æternitatique sociaret. Ita August. Itaque natura humana fuit tunica polymita Ioseph, sub qua verbum latebat, cum hac tamen differentia quod intercessit unio substantialis inter humanitatem et verbum, quod in veste et vestito non reperitur. Igitur Iacob induit vestes Esau, id est, Verbum naturam hominum peccatorum, ut eos faceret sanctos, et fratres suos. Hinc Sponsa, id est humana natura, optans eam unionem hypostaticam, quo sibi fiat Verbum unitum, ait Cant. 8. 1. *Quis mihi det te fratem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris* (εν αγρω, in agro, ut habet Scholiastes) *et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* Ludovicus noster de Ponte matrem hic ait esse humanam naturam in genere, quæ quasi communis omnium est mater, sicut prima mulier dicta est mater omnium viventium: suxit Christus ubera matris illius, cum omnes imbecillitates et ærumnas humanæ naturæ sustinuit, omniumque miseriarum eius factus est particeps. Hebr. 2. 14. *Quia pueri communicarunt carni et sanguini* (reliqui homines, quos ut filios amat, constant natura humana fragili et passibili) *et ipse similiter participavit eisdem*. In cantico Hebr. et Aquila habent: Quis te det sicut fratrem mihi? q. d. quis faciet, ut incarneris et fias frater meus, ut inveniam te foris, id est, extra cælum in terris, et deosculer te, id est, me tibi uniam: vel ut adorem te summa cum veneratione, et iam me nemo despiciat, cum tanto fratre potero gloriari. S. Athanas. in Synopsi, S. Gregor. et Beda ac Theodor. verba illa Cantici tribuunt synagogæ, hoc est patriarchis desiderantibus, et postulantibus Christi incarnationem. Ut enim S. Ambr. de Inst. Virg. c. 1. *Foris factus est, qui erat intus. Vide illum intus, quando legis quod in sinu est patris: cognosce illum foris, quando nos quærit, ut redimat. Foris tibi factus est, ut mihi intus esset, et fieret medicus noster. Ibi ergo simus, ubi Christus medicus est radicatus, et fixus in cordibus nostris*. Et Theodoretus in psalmum nostrum. Fratres in ipsum credentes nuncupat. Fratres sunt tanquam hominis: ut enim Deus, Dominus: ut vero homo, et frater nuncupatur. Unigenitus est enim et primogenitus, et illud quidem, ut Deo et Domino convenit. Si enim Deus solus genitus est, et unigenitus vocatur: si vero homo, et primogenitus appellatur, et testis est Apostolus dicens Rom. 8. Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Ita Theodoretus per adoptionem tamen ob gratiam, sicut iusti sunt filii Dei, ita sunt fratres Christi etiam ut Deus est.

165. II. Gratia sanctificans elevat nos ad fraternitatem Christi.

Secundo itaque, sunt homines fratres Christi per gratiam sanctificantem, qua ius acquirunt ad hæreditatem æternam, et fiunt divinæ quodammodo consortes naturæ, et filii Dei nominantur et sunt. Ioan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, id est, in eum: Hebræi enim sæpe sumunt nomen pro re nominata, et persona ipsa. Credere etiam nomini, in nomine et in nomen idem est apud ipsos. Hinc recte infert Clemens Alex. adhort. ad Gentes, a Christo per incarnationem mutatam fuisse terram in cælum, cum ex hominibus facti sint Angeli, imo dii: eamque ob rem Christum esse pulchrum aurigam, qui currum seu bigam fidelium, id est Iudæos et gentiles, agat in cælum, et ad beatam immortalitatem dirigat. S. Chrysost. comparat baptismum igni aurum ex terra facienti, quia pro luteis hominibus aureos facit, quos abluerit. Nam Spiritus sanctus tamquam ignis illa ipsa hora animos nostros ingreditur, et terrena absumpta similitudine, cælestem illam novam et claram, tamquam ex fornace fulgentem refert: sicque sumus filii Dei. Dixit tamen filios Dei fieri, ut ostenderet multa opus esse diligentia, ut adoptionis nobis per baptisma impressam imaginem puram servemus, atque intactam; Græca vox γενεσθαι significat et fieri et esse. Nam in dies illam filiationem

perficere debemus. Christus ipse hoc divinum nomen confirmat, etiam post resurrectionem suam nobis secum patrem communem assignando, Ioan. cap. 20. 17. loquens Magdalenæ: *Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo* (id est, ascensurus sum. Hebraica enim verba sæpe significant tantum actum inchoatum, imo desiderium et determinationem eius) *ad Patrem meum, et Patrem vestrum: Deum meum, et Deum vestrum.* Quæ verba expendens S. Augustin. tract. 121. in Ioan. ait: Natura meum, gratia vestrum. Ut enim ait S. Paulus Hebr. 2. 11. *Qui sanctificat, et qui sanctificantur* (Christus et alii homines) *ex uno* (Adamo 2. ex uno at eadem natura humana) *omnes* (supple sunt.) *Propter quam causam non confunditur* (non eum pudet) *fratres eos vocare: dicens* (in psalmo nostro) *Nunciabo nomen tuum* (o Pater) *fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Ubi S. Anselmus ex eo quod dicatur, non confundi, acute colligit non eius naturæ esse fraternitatem nostram sed misericordiæ, secundum eius divinitatem.

Fratres autem Christi, ut dixi supra, sunt primo Apostoli, causas agglobat Dion. Carth. art. 48. in Ioan. illud considerans cap. 20. 17. vade ad fratres meos, id est, inquit, ad Apostolos, qui fratres Christi fuerunt propter naturæ assumptæ specificam convenientiam, conversationis mutationem, amicitiæ singularitatem, æternæque gloriæ hæreditatem. Secundo, fratres Christi fuerunt, et sunt, qui scientia et virtute magis eminent in Ecclesia, et cæteris facem præferunt, suntque viri Apostolici. S. Gregor. in lib. 1. Reg. cap. 1. *Qui instituuntur in Ecclesia, quasi adhuc parvuli filii sunt: sed qui magnis meritis ei iam in virum perfectum occurrit, frater est Redemptoris.* Tertio, fratres Christi sunt omnes filii Dei. S. August. in 1. exposit. Psal. nostri homiles et se inviecm diligentes intelligit fratres Christi esse, quibus nunciat nomen Dei, id est Deum, et eius infinita attributa atque incomprehensibilia. Omnes, qui fecerint æterni Patris voluntatem, fratres suos Christus ipse nuncupet. Matth. 12. Cum enim quidam monuisset ipsum quod mater eius et fratres, id est cognati et affines stareot foris, et optarent ei loqui, protensa in discipulos suos manu eos matrem suam et fratres suos esse dixerat, et ne ad eos solum id nominis arctare videretur, melle suaviorem et auro pretiosiorem protulit sententiam, v. 50. *Quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror* (ut fœminæ non exclodantur) *et mater est,* spiritualis scilicet. Modum, quo id fiat, edocet S. Hier. lib. 2. in Matt. Isti, ait, sunt mater mea, qui me quotidie in credentium animis generant: isti sunt fratres mei, qui faciunt opera Patris mei. Auctor sermon. ad Pastores in synodo congr. qui tribuitur S. Bernardo. *Pater,* ait, *generando per verbum prædicationis, ut dicit Apostolus 1. Cor. 4. 15. Per Evangelium in Christo ego vos genui: Mater, pariendo per exemplum sanctæ conversationis: frater et soror, caste diligenda in amore fraternitatis.* In Canticis anima sancta vocatur soror ab ipso Christo cap. 4. 9. et 5. 1. atque alibi. Rationem dat S. Gregor. Nyssen. homil. 4. in Cant. *Sicut rosa inter spinas, sic soror nostra inter filias,* sic ipse legit, ubi Noster vertit, sic amica mea, ut videas nos per amicitiam illam fieri fratres et sorores, pergit hic sanctus Doctor. *Non amplius propinqua, sed soror. Postquam ergo facta est flos, nec a spinosis lassa fuit tentationibus, quo minus lilium esset, oblita populi, et domus patris, et matris suæ aspexit ad verum patrem, et ita vocatur soror Domini.*

166. III. Gloria cælestis dabitur ut hæreditas iustis.

Tertio homines iusti sunt fratres Christi ob eius gloriæ participationem. Rom. 8. 27. *Si filii* (Dei sumus) *et hæredes* (sumus) *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi,* ergo eius fratres, quia eiusdem patris hæreditatem cum eo accipimus. Unde S. Bern. serm. 2. de Anunciatione ait: *Si fratres et cohæredes.* Et vero eum post Christi resurrectionem mulieribus, id est, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Iacobi minoris et S. Iudæ Matri, et Mariæ Salomæ uxori Zebedæi, matri Iacobi maioris et Ioannis Apostolorum dixissent Angeli Matth. 28. 7. *Cito euntes dicite discipulis eius, quia* (quod) *surrexit: et ecce præcedet vos* (id est, præcedere decrevit atque desiderat) *in Galilæam, ibi eum videbitis.* Christus non discipulos sed fratres appellans ait iisdem v. 10. *Nolite timere: ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me videbunt.* Familiariter, crebro, diu palam et libere: in Iudæa vero rarius et brevius.

Hinc tria collige. Primo, Christi amorem summum erga homines. Secundo, maximam hominum dignitatem. Tertio, quam multa a nobis hæc exigant. 167. Hinc tria sunt colligenda.

I. Amor Christi erga nos.

Ac primo frater dicitur quasi fere alter: fratres debent esse cor unum et anima una, sicut sunt caro una. Galat. 2. 20. *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Totum se pro me uno perinde ac si solos essem in hoc mundo, ideo non dicit pro nobis sed pro me. Vide S. Chrysost. ibi. Fratrum amorem in hereiscunda, id est dividenda hæreditate Remirus primus maximum ostendit, is enim Gersiam fratrem suum sponte in regni consortem adscivit. Deinde fuit Rex Hispaniæ ab irruptione Arabum in ea regna. In eadem Hispania aliquo ante mortem tempore Luiba Rex totum fratri suo regnum reliquit, unica tantum sibi Nerbonensi provincia retenta. Dubium mihi est, an sit laudendus Pharoaces Parthorum Rex, qui fratri Mithridati regnom dedit moriens, licet liberos haberet. Mirabilior fuit Iazates Rex Adiabenorum, qui Monobazo fratri suo totum in morte regnum legavit, etsi viginti filios relinqueret. Christus vero his omnibus felicior, potentior et amore divinior ardebat, qui totum regnum nobis fratribus suis offert et dat volentibus, at sibi tamen totum reservet. Est enim totum omnium, ita ut sit totum singulorum.

Secundo, maxime est dignitas hominum, quod sint fratres Christi. S. Chrysost. hom. 46. in Matth. illud meditans Salvatoris dictum: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater,* etc. exclamat: Βαβαι της τιμης! βαβαι της αρετης! εις οσην αναγει κορυφην τον μετιοντα αυτην! *O mirabilem honorem! O virtutis incredibiles vires! quam ducitis bene viventes homines!* Et postea matrem et consobrinos a Christo repulsos esse, ac velut neglectim relictos docet, *ut significanter exprimeret, nullam etiam esse matri, quoniam peperit, futuram utilitatem, nisi ut decet, vitam peragat.* Multisque interiectis subdit, *multo propinquiores Deo sunt, qui voluntatem eius faciunt, quam qui summa carnis necessitudine coniunguntur.* Et S. August. lib. de sancta virginitate. *Beatior,* ait, *fuit Maria concipiendo mente quam ventre.* Et cap. 5. *Maria faciens voluntatem Dei, corporaliter tantummodo mater est, spiritualiter autem et soror et mater.* II. Dignitas hominum.

Tertio, Hæc Christi fraternitas a nobis exigit, 1. reverentiam; 2. compassionem; 3. desiderium illi placendi; 4. amorem. 168. III. Quatuor a nobis illa fraternitas exigit.

I. Reverentiam erga Christum.

Ac primo, Christo fratri debemus reverentiam, velut primogenito nostro. Roman. 8. 29. *Quos præscivit* (ab æterno cognovit bene usuros gratia sibi data) *et* (etiam) *prædestinavit* (ab æterno destinavit ad gloriam) *conformes fieri imaginis filii sui* (ut sint similes proposito sibi exemplari Christo) *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Primogenitorum autem ius spirituale erat, tum sacerdotium antequam datum esset Leviticæ tribui, tum benedictio paterna, quæ erat efficax et magni fiebat, ut patet in Isaac benedicente Iacob et Esau, Gen. 27. et in Iacob benedicente Ephraim et Manasse, Genes. 48. 13. et seq. Ius vero temporale erat, tum ad duplicem portionem hæreditatis paternæ, ut præcipitur Deuter. 21. 17. tum principatus in fratres, ut de Ruben dicitur Genes. 49. 3. qui tamen ob pollutam Balam concubinam patris sui Iacob omne ius primogenituræ perdidit. Dato sacerdotio Leviticæ tribui, regno tribui Iuda et ampla benedictione, duplici portione Ioseph, cuius filii Ephraim et Manasse effecerunt singuli suam tribum a Iacobo in filios adoptari. Christum itaque ut principem nostrum veneremur. S. Ambros. serm. 20. in Ps. 118. *Ipsi,* ait, *genu corporis flecta,*

ipsi genu mentis inflecto, ipsum adoro, quem ante fugiebam. Gratias tibi agimus Iesu Christe, quod creasti nos: sed creatos feris bestiis, mutis animantibus præfecisti. Maiora sunt visitationis tuæ munera. Visitatoe maiestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et infra: *Suscepta corpore frater es factus, nec Dominus esse desiisti.* Ipse est Ioseph, id est auctus vel augmentum, cui Sol et Luna atque undecim stellæ, id est, pater, mater, et fratres sese acclinant. Gen. 37. Ioseph, Deipara, Apostoli, omnesque Christi sectatores sive perfecti sive imperfecti Iesum venerantur. Philipp. 2. 10. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum.*

169. II. Compassionem in malis proximi. Secunda, Christo fratri patienti compatiendum est. Conqueritur Ps. 68. 20. *Tu scis improperium meum* (passive sumptum, id est, quo mihi improperatur; S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 3. opprobrium meum) *et confusionem meam, et reverentiam meam.* S. Hieron. et S. August. verecundiam meam. Apollinar. μεγ'ἐρυθος, magnum ruborem. *In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me, improperium expectavit cor meum* (S. Hier. opprobrio contritum est cor meum) *et miseriam* (S. Hieron. et desperatus sum) *Et sustinui* (S. Hier. expectavi) *qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.* Fuit verus Ioseph a fratribus ipsis frendentibus venditus et illusus, ipsa eius tunica, id est, carne cruentata, non in hædi sed in proprio sanguine. Amos 6. v. 6. *Bibentes vinum in phialis* (Septuag. vinum defæcatum) *et optima unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Ioseph*, id est, regni Israel, cui præsidebat tribus Ephraim filii Ioseph. S. August. lib. 4. de doctrina Christiana dicit Ioseph hic poni pro quovis fratre et proximo, quia in fratribus Ioseph est celebris, sive in malis quæ pertulit, sive in bonis, quæ rependit. Hoc autem de Christo aptissime dicetur, cuius typus erat Ioseph. Quam erga eum crudeles fuerint Iudæi et Gentiles, et quam fuerit desertus ab omnibus, vidimus toto hoc psalmo, nunc saltem ei nos condoleamus. Si in Cinnæ ducis Romani exercitu eum frater stantem et pugnantem pro Mario fratrem inscius occidisset, in rogum illi paratum se quoque cum ipsa concremandum abiecit, ut tradit Volaterran. lib. 14. Si id in castris etiam Pompeii contra Sertorium pugnantis accidit, ut ait Valer. Max. lib. 5. Quo dolore et cruciatu scelus nostrum expiabimus, qui fratrem nostrum primogenitum et erga nos munificentissimum crucifiximus? Cum Solimannus Turcarum Imper. per mutos aliquot robustos homines filium suum Mustapham strangulari iniecto nervo curavisset, eum Giangiri eius fratri ostendit: sed iuvenis ad cadaveris fraterni aspectum ita exhorruit ut licet ei thesauri fraterni et universa supellex offerrentur, scelus patri exprobraverit, et statim adacto in proprium pectus pugione, cadaveri fratris incumbens expirarit. Selimus quoque, qui ea cæde successorem se imperii cernebat, eam sibi nunciantem iussit interfici, ut funestæ cladis indicem.

170. III. Desiderium placendi Christo. Tertiò, desiderium saltem fratri nostro Christo placendi, et voluntati illius obediendi conservemus, et in dies augeamus: alioqui nobis pereundum est, Proverb. 18. 19. ubi legimus. *Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma, et iudicia quasi vectes urbium*, in Hebr. est *frater*, נִפְשָׁע *niphsaia*, id est, rebellans, deficiens, prævaricans. Unde R. Selomon sic explicat, q. d. frater a fratre deficiens, et in eum rebellans, etiam urbem munitissimam sua defectione perdit. Sed etiam ipse perditur ab offenso frotre. R. David vertit: *Frater læsus durior est civitate forti, et lites fratrum sunt quasi vectis palatii*, id est, facile non tolluntur, sunt irreconciliabiles. Vide iustam et continuatam iram et vindictam Christi in Iudæos, qui proprie erant eius fratres, etiam carnales, ac time. Esto frater eius et filius Dei per obedientiam et virtutem. S. Chrys. hom. 46. in Matth. μια, inquit, εγγενεια μονη, το θελημα τε Θεε ποιειν, *una sola et vera nobilitas, atque necessitudo cum Christo est, ut voluntatem Dei faciamus.*

Quarta, amorem singularem requirit hæc Christi fraternitas. Hoc notat in psalmo nostro Ruffinus. *Narrat nomen, ut cognoscatur: prædicat laudem, ut ametur: quatenue per fidem et dilectionem a fratribus spiritualibus intra Ecclesiam colatur Deus.* Sponsus ad amoris teneritudinem Sponsam invitans, eam vocat sororem, Cant. 5. 2. *Vox dilecti*, (et diligentis) *mei pulsantis. Aperi mihi* (claude aliis, solus intrare volo aut recede) *soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Pro *immaculata*, Hebr. est, תַּמָּה *tamma*, id est perfecta. Hanc perfectionem dat amor. S. Gregor. Nyss. in eum locum ait, τα καλα ταυτα ονοματα, οιον κλειδας τινας, *hæc pulchra nomina, velut claves quasdam*, amoris scilicet, sponsus Christus accipit, ut cor sponsi aperiat. Vel certe dic, singula epitheta esse singulas aetus amoris, et ictus ad eius ostium, ut illud amanti aperiat. 171. IV. Amorem Christi.

Anima Ionathæ conglutinata est (Hebr. נִקְשְׁרָה *nikscera*, ligata est) *animæ David et dilexit eum quasi animam suam* 1. Regum 18. 1. Vide emicitiam S. Augustini eum quodam quem non nominat lib. 4. Conf. c. 6. et S. Gregor. Nazianz. cum S. Basil. orat. 20. Nec. David ut hunc amorem intimum significet Ionathan vocat fratrem. 2. Regum 1. 26. *Doleo super te, frater mi Ionatha decore nimis, et amabilis super amorem mulierum*, id est, quo amari vel amare solent mulieres: itaque amor ibi sumi potest passiva et activa.

Innotam et omnibus inditam fratrum inter se benevolentiam nonnullæ leges augere contenderunt. Arabum lex erat, ut non filiis sed fratribus hæreditas relinqueretur, ut ait Strabo lib. 161. Apud Æthiopes quoque filii regum non vocabantur ad coronam, sed filii fratrum eorum: quod etiam Numidis tribuit Livius lib. 3. decad. 9. 172. In Arabia fratres ræni hæredes Apud Æthiopes filii fratrum Regis succedebant in regno.

Singularis hic fratrum amor eluxit in Catone Uticensi; nam, ut refert Plutarch. in Catone, eum etiam puer interrogaretur, quem maxime diligeret? *Fratrem Cæpionem, inquit, quem secundum? fratrem; quem tertium? eundem fratrem, nec ab eadem responsione destitit, donec alter interrogandi finem fecit.* Quodque est mirandum magis, annos natus viginti numquam sine Cæpione cœnavarat, non peregre profectus, non in forum progressus fuerat. Mortuo denique funus magnificentissimum maximis sumptibus apparavit, et monumentum ex Thasio marmore extruxit, neque hæc in hæreditatis partitione repetiit. Quid vero nos Christo fratri in amoris torrentes in cruce defluenti rependemus? Si enim carnales, at sæpe noxios, amamus fratres, quantus ardor erga hunc exardescet? S. Thomas opuscul. 61. cap. 13. *Amas fratrem*, ait, *qui tecum dividit, et dividendo diminuit tibi paternum affectum: qui dividit etiam et diminuit dividendo paternum censum, qui statim notus quasi tibi iniurians, diminuit lac maternum, et adhærens uberi occupavit locum tuum. Hunc fratrem ama potius per quem erga te crevit, quantum ad effectum amor paternus, per quem hæres efficeris, et ad paternum censum admitteris, quamvis patri rebellans exhæredari merueris, per quem nullum bonum tibi debitum diminuitur, sed multiplex bonum indebitum tribuitur: postremo tradit frater fratrem in mortem: sed hic pro fratribus semetipsum tradidit in mortem.* Catonis summus amor erga fratrem.

Quinto, Christi fraternitas exigit, ut eius matrem, nostram quoque matrem esse agnoscamus, et ei nos filios obsequentes præbeamus. Filium Virginis S. Ioannem o Christo datum, et ab ipsa acceptatum et adoptatum dubitare non possumus, eum habeamus Ioan. 26. 26. *Cum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suæ, Mulier ecce filius tuus.* Et vicissim Ioanni v. 27. *Ecce mater tua.* In Ioanne autem reliqui Christi fratres, velut in prototypo repræsentabantur. Cum enim Ioannes eum significet, qui est gratiosus, qui habet gratiam, quilibet gratia ornatus est alter Ioannes, et consequenter Mariæ filius. S. Antoninus 4. part. tit. 15. c. 2. *Quia Ioannes interpretatur, in quo est gratia, cuilibet etiam, qui Ioannes dicitur et existit, in quo scilicet est gratia gratum faciens, datur Virgo Maria in matrem.* S. Bernardinus Senensis omnes prorsus electos vocat Mariæ filios; 173. V. Honorem erga Deiparam.

sic enim sermon. 11. art. 2. Ab ipso, ait, Patre æterno B. Virgo recepit fontalem fœcunditatem ad generandos omnes electos. S. Damascenus orat. 2. de dormitione Virginis, ait eam Christo omnes Apostolos et eos, qui morti eius adfuerant, commendasse velut filios, in his alios comprehendentem. *Tu*, inquit, *charissimis filiis meis, quos tu fratres appellandos duxisti, peregrinationis meæ solatium esto, per manuum mearum impositionem, benedictionem eorum novis benedictionibus cumula.* Postea sublatis, ut verisimile est, manibus, iis omnibus, qui tunc collecti erant, bene precata est. Ita Damasc. Lacte misericordiæ abundat et redundat hæc pia mater. S. Bern. serm. 4. de Assumpt., longitudinem, latitudinem, sublimitatem et profundum abyssalis illius misericordiæ declarat. Illum consule, et serm. 2. In die Pentecostes, ubi docet oculos et animos omnium creaturarum in eam unam respicere. Tu imitare S. Ioannem, de quo v. 27. addit Matth. *Et* (itaque) *ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, id est, suam domum, ut explicat Nonnus; Syr. et Arab. apud se. Beda tradit aliquos legere, *in suam*, id est matrem: et quidem id fecit ex illa hora et momento; 3. *in suam*, id est curam. Sed melius est *in sua*. Et hora sæpe pro tempore ponitur. Itaque ex illa hora, hoc est ex illo tempore eam deduxit in domum suam, ibique eam aluit et veluti matrem coluit ac veneratus est: pro magno thesauro illam conservans, atque sub eius magisterio proficiens et exemplo ardens Dei et Christi amore.

174. VI. Amorem erga proximum. Sexto, Christi fraternitas a nobis exigit, ut Christianos omnes, imo homines, qui eius sunt fratres ob gratiam vel naturam diligamus: ut corda nostra in unam hanc charitatis fornacem coniecta simul uniamus. Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* Moraliter scilicet, 1. quia ut ait Pythagoras, amicus est alter ipse; 2. quia omnes eumdem habebant spiritum: dictum enim erat vers. 31. *Et repleti sunt omnes Spiritu sancto;* 3. quia omnes erant uniti Christo; quæ autem sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. S. August. serm. 25. vel ut alii numerant 27. de verbis Apostoli. *Melior est*, ait, *fraternitate sanguinis, Christi fraternitas.* Et S. Ambr. serm. 9. *Maior est fraternitas Christi quam sanguinis. Sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert: Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animæque demonstrat. Vere ergo frater est, qui non tam corpore quam unanimitate germanus est. Verus, inquam, frater est, cuius idem spiritus et voluntas in fratre est.* Causas affert, quas utinam non affirmerent quotidianæ lites, contentiones, rixæ, contumeliæ, et innumeræ iniuriæ fratrum in proprios fratres. Subdit enim idem sanctus Pater: *Nam illa interdum sibi inimica est; Christi autem fraternitas sine intermissione pacifica est: illa inter se communia cum æmulatione dividit, hæc etiam propria cum gratulatione communicat. Illa in consortio despicit sæpe germanum, hæc assumit frequenter alienum.* Inter fratres maximum amoris et arctissimæ benevolentiæ vinculum intercedere debere docet variis rationibus. Valer. Max. lib. 5. cap. 5. *Et merito*, ait, *primum amoris vinculum ducitur plurima et maxima beneficia accepisse, ita proximum iudicari debet, simul accepisse. Quam copiosæ enim suavitatis illa recordatio est, 1. in eadem domicilio antequam nascerer, habitasse; 2. in iisdem incunabulis infantiæ tempora peregi; 3. eosdem appellavi parentes; 4. eadem pro me vota extulerunt; 5. parem ex maiorum imaginibus gloriam traxi.* Hinc concludit: *Chara est uxor, dulces liberi, iucundi amici, accepti affines; sed postea genitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat.* Hoc optime probari potest exemplo nobilis illius et principis fœminæ inter Persas, quæ permissa ex morte instante eripere vel maritum, vel filios, vel fratrem, cæteris omnibus fratrem prætulit, ut fusius alias retuli. Vide dicta Psalm. 132. 1. Ecce quam bonum et quam iucundum est habitare fratres in unum. In uno Christo et eius vulneribus habitemus, ibi formati sumus, ibi nutriti, ibi quoque crescamus et moriamur.

175. VII. Suavitatem in gubernatione Prælatorum. Septimo denique, Christi fraternitas exigit ut Prælati omnes subditos suos velut suos, et præsertim velut Christi fratres, ament et suaviter regant. Quatuor in prælato necessaria ex psalmo nostro colligi. Primo, scientiam, *Narrabo*. Secundo, benevolentiam, *fratribus meis*. Tertio, prudentiam, ut amor eius sit communis, et non habeat acceptionem personarum, *in medio Ecclesiæ*. Quarto, desiderium divinæ gloriæ, *laudabo te*, non me. Ioseph benevolum ac beneficum erga fratres suos animum ostendit non solum pastorale pedum ac peram ferens, eosque quærens in Dothaim, cum necdum ipsum vendidissent: sed etiam in Ægypto primus a Rege toti regno imperans et auro circumfulgens iam parricidas et vilibus saguis sordentes agnoscit et vocat fratres, fraterno stringit amplexu, lavatque lacrymarum ex amore manantium fonte uberrimo et suavissimo. Christus non modo cum passibilem carnem circumferret, sed etiam cum totus gloria emicans inter mortuos esse desiisset, Apostolos vocabat fratres suos. Cur porro? *Propter nostram instructionem*, ait Dionys. Carthus. *ne exaltati despiciamus eos, cum quibus tempore parvitatis nostræ conversamur.* Auctor Ecclesiastici, nempe Iesus Sirach. cap. 32. 1. *Rectorem* (Gr. ἡγούμενον, ducem, doctorem, magistrum, principem) *te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.*

176. Vers. 23. 2. Pars. Christus in Iuda figuratur. Locum concionum suarum Christus aperit, nempe Ecclesiam Catholicam, vers. eodem 23. In medio Ecclesiæ laudabo te, Sept. ὑμνήσω σε. Tertull. 3. contra Marcion. cap. 22. vertit, hymnum tibi dicam. Est autem hymnus, ut ait S. August. in Psal. 72. laus Dei cum cantu. Idem sanctus Doctor legit hic, *cantabo te*, ubi denotatur alacritas in laudando. Filius enim optimus laudat patrem infinite amabilem et laudabilem. Procopius in Gen. ait figuratum Christum in Iuda, a quo etiam traxit originem. Iudam vero laudans Iacob ait Genes. 49. 8. *Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.* Iudas significat laudem et hymnum: illa dat et recipit Christus; 2. Iudas significat laudantem, confitentem, gratias agentem. Rad. ידה *iada*, laudare, confiteri, gratias agere.

Laudare Deum in medio Ecclesiæ tripliciter exponitur. Quæres, quid sit laudari Deum in medio Ecclesiæ a Christo post resurrectionem suam?

I. Resp. primo Thomas Anglicus, in medio Apostolorum et discipulorum, quod etiam fecit per seipsum Christus etiam post resurrectionem. Secundo, *in medio Ecclesiæ*, id est, in synagogis et templis. Ita Euthymius. Neque

II. enim, ait, Apostolos tantum privatim docuit: sed in Iudæorum etiam synagogis palam ac libere locutus est narrans nimirum Dei patris magnalia. Ita ipse. Sed hoc non fecit Christus post resurrectionem, de quo tempore tantum potest intelligi loquens in cruce: nam quod in limbo fecit, et nunc in cœlo facit, non videtur hunc locum implere, ut patet ex sequentibus.

III. Tertio, *in medio Ecclesiæ* Christus laudat patrem per suos Apostolos et eorum successores, eum laudans in Ecclesia conflata ex Gentilibus et Iudæis, q. d. non transibo ad unam partem alia relicta; sed ita loquar, ut omnes intelligent, ita uniam illos lapis angularis factus in eorum medio, ut fiant in me et in Patre unum, et inter se in una fide. Vel, *in medio*, id est, cum eminentia, q. d. ero princeps ac Doctor fidelium, eos docebo et incitabo, ut te laudent, id est, te colant, tibi serviant. Per laudationem enim potest intelligi omnis cultus. Est synecdoche. Vel, *in medio*, id est, cum manifestatione. S. August. Epist. 120. cap. 7. *Quia omnia quanta clarius nota sunt, tanto magis in media esse dicuntur.*

Materiam concionum suarum et personas, quibus eas dicturus est, declarat Christus. Per apostrophen enim ex amore ardenti Patris sui et ipsorum, ait, v. 24. Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Iacob glorificate eum. Vers. 24

177. Vers. 25. Vers. 25. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit neque despexit deprecationem (Hebr. ענות *enut*, id est, humilitatem ut vertit Felix, et Pagn.

2. madestiam, ut S. Hieron. 3. mansuetudinem, ut Arias; 4. deprocatiouem, ut Sept. Noster, Arabs, Chald. clamorem, ut Syrus; 5. afflictiouem, ut Vatabl. Hæc omuia in Christo fueruut admiranda) PAUPERIS, id est, mei. Sæpe Hebræi de se laquuntur veiut de tertia aliqua persona. Explicat statim clarius. NEC AVERTIT FACIEM SUAM, et eum faeie fuvarem et benevalentiam, A ME, ET CUM CLAMAREM AD EUM, EXAUDIVIT ME.

Timentes Dominum quinam hic intelligantur. I. Personas quibus per se ac suas caucianaturus est Christus, dicit fure primo Geutiles. *Qui timetis Dominum.* Secunda, Iudæos, *universum semen Iacob*, et *universum semen Israel*, nullum bominem excludit. Ito S. Basil. Euthym. Enseb. et Theodoretus, qui oit: *Quia Ecclesia et ex geutibus et ex Iudæis conflato est, et hos et illos in hymnum accendit: hos quidem ab eorum progenitore nominans, scilicet Iacob et Israel: illos vero a virtute*, ὡς ἀρχηγέτης ἀντεγένης κοσμεῖται, *ut, quæ pro nobilitate od homines ornondos sufficiat.* Olim primi Iudæi panebantur, quia notus in Iudæa Deus, aliecti vera erant Gentiles et proselyti, q. d. advenæ, adventitii, accedeutes, ad Iudaismum scilicet Post Christum vero immediate vocuti sunt Gentiles od Christum: uude ait Paolus Ephesiis Gentilibus cap. 2. 19. *Iam non estis hospites et advenæ* (ξένοι καὶ πάροικοι, id est, peregrini et accolæ aliunde venieutes atque extranei) *sed estis cives* (συμπολῖται, concives) *sanctorum* (id est Patriarcbarum, et Prophetarum, aliarumque sanctorum, q. d. non estis amplius proselyti, sed ius babetis immediatum od fidem et gratiam Christi sicut illi) *superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*, (id est, super Apostolos et Prophetas, qui sunt fundamentum secundarium) *ipso summo ongulari* (ἀκρογωνιαίου, id est, cstreme engulari, hoc est imo, sive infima. Summum itaque sumitur hic pro ima, profundo, profuude in ædificii basi pasito. Sic mare dicitur altum, id est prafundum,) *Christo Iesu, in quo omnis* (id est tata. Hebr. כל *col*, totum et omne significat: ideo hæc confunduntur oliquanda) *ædificatio* (fabrica) *constructo crescit iu templum sanctum iu Domino*, id est Domini. Nam apud Hebr. *beth*, hoc est, in, sæpe panitur pra geuitivo. *In quo* (Christo, seu templa) *et vos coædificamini* (pari iure et banore) *in hobitoculum Dei in Spiritu sancto*, id est, per Spiritum sanctum.

II. Secunda, per timentes Dominum, semen Iacob et Israel, possunt intelligi iidem fideles in Christum credentes, vitia supplantantes et Deum contemplantes. Ita Didymus, cuius verba sunt: *Nomen Iacob plures habet significationes, nam 1. iuterdum significat filium Isaaci; 2. interdum duodecim tribus ab eo propagatas; 3. est etiam, cum de decem tribubus tautum dicatur, quæ seiunctæ a domo David, Ieroboam secutæ sunt; 4. quin et pro Salvatore ipso alias accipitur, iuxta illud Psal. 42. Iacob servus meus, suscipiam eum: electus meus Israel, complacuit sibi in illo auima mea. Hæc enim Matthæus de Salvatore dicta scripsit. Patet autem modo de duodecim tribubus illud uomen Iacob non esse dictum, quoniam infideles multi ex illo emanarunt. Semen ergo Iacob de vero supplantatore, et de Iesu, qui mortem contrivit, vere dici potest. Hic autem est, qui universum semen illius effectum, pro doctrina ipsius Deum glorificare poterit. Et cum Israel etiam sit, in quo sibi complacuit anima Dei, cumque semen eius electum sit, quatenus Israel Deum timebit. Atque omnis plaus imitator Iesu, qui certamen adversus principes tenebrarum habuerit, Iacob erit, colluctatores supplantans. Quod si etiam cor purum, et mentis claritatem habeat, Deum videbit, atque hoc ipso Israel erit. Cuiuslibet ergo semeu qui eiusmodi sit, Deum timebit.* Ita Didymus. Et quidem Apostolus Galatas Gentiles ab amplectendis Iudæorum ceremoniis et variis præceptis atque aucribus avertens, et in unius Christi fide et cultu retiuere studens, ait Gal. 3. 7. *Cognoscite ergo quia* (quod) *qui ex fide sunt*, id est fideles Christo credentes. Est græcismus) *ii sunt filii Abrahæ*, nan carnales sed spirituales, et filii promissianis. Sed recte notat S. Aug. Epistal. 200. vel 197. ad Asellicum scribens, licet Christiani sint veri Israelitæ oc Iudæi secundum spiritum, tamen ab his vocabulis esse abstinendum, eo quod Christiani liberi siut o Iudaicis ritibus: et observatianem præceptarum nan tribuant, ut Iudæi solent, prapriis viribus.

Tertio, triplex genus haminum cognosceutium atque colentium hic natari potest. Primum ex communibus beneficiis, qualis Iob, de quo cap. 1. Iob. v. 1. *Vir erat in terra Hus*, (erat pravincia iu ea sorte, quæ dimidiæ tribui Manasse cis Iordanem attributa est, et sita inter Trachonitidem, Argab, et montem Herman) *nomine Iob*. (ex posteris Nochor fratris Abrahem: itoque gentilis) *Et erat vir ille simplex et rectus, ac timens* (id est, colens. Timor synecdochice pro universo cultu sumitur) *Deum*. Iob sive Ioab interpretatur S. Cypr. adversus Iudæos, charissimum Domino; 2. S. Hieron. S. Chrysost. et alii, dolentem, seu gementem et eiulautem. Qui timet Deum, sibi in luctu et pœnitentia placet. Hoc genus primum cultorum Dei cantinetur his verbis, *qui timetis Dominum*. Secundum vero genus cognoscentium et colentium Deum, est earum, qui ex peculiaribus danis, vocatione, illustratiane clariare, visiouibus, revelatiauibus, Praphetiis, promissis, ad eum attrahuntur; eiusmodi fuit Iacob Patriarcha, sive cum apud parentes versaretur ab Isaaco et Rebecca edoctus, sive in itinere versus Mesopotamiam visa illa scala mirabili, Angelis et Deo: sive apud Laban socerum a Dea, id est Angelo eius vicaria sibi apparente odmonitus, quomodo ditesceret appositis virgis amygdalinis in canalibus, ac deinde ut in patriam rediret, sive redux variis occasionibus. Ideo additur: *Universum semen Iacob glorificate eum.* Tertium genus cognoscentium et colentium Deum est eorum, qui ex periculis cum glaria, victoria et triumpho egrediuntur, sicut Iacob contigit luctanti cum Angelo, et eum nan deserenti, donec benediceretur apem impetrans, ut ab ira fratris Esau liberaretur. Unde nomen illi mutatum est, ac vocatus est Israel Gen. 32. 28. id est, *potens in Deum*, dominans Deo, prævalens Deo; 2. Deum videns. Deum aspice iu oratiane, illi prævalebis: pater enim est, nec potest intentos in se filii etiam prodigi oculos canfundere; sed irruens in collum eius, se dimittit, illum erigit et exornat. Ideo attexitur iu psalmo nostra: *Timeat eum omne semen* (id est, filii et nepates) *Israel*, Israelis, id est Iacob, qui vacatus est Israel ab Angelo; unde Iudæi dicti sunt Israelitæ. III.

Quarta tamen multo duplex tantum genus hominum hic notari, ex quibus conflatur Ecclesia: nempe Iudæos et Gentiles, qui timent Daminum. Iudæos significari per semen Iacob, sicut sæpe in Scriptura, domus, id est, familia et regnum Iacob, sumitur pra regno duarum tribuum. id est, Ierosalymitano, ubi vigebat lex Iudaica et cultus Dei: Domus vera Israel accipitur pro regna decem tribuum seu Israelitarum, qui idala colebant, et erant typus Gentilium: unde Christus canversa Samaritana veniens in Sichar, id est, Sichem civitatem Samaritanorum, duobus diebus plurimos convertit, Ioan. 4. 39. et seq. in signum conversianis copiosæ inter Gentiles futuræ: in Iudæa vero pauci convertebautur, et multi eum accidere valebant, ut tandem fecerunt. Hinc Apostali ab ea ipsum avertere nituntur, Ioann. 11. 8. quo denotatur non tantum fructum iu Iudæa esse factum ob duritiem Iudæorum, qui Iesum valebant lapidare, et eum iam lapidabant sua obstinatione et verbis contumeliosis. IV.

178. Tropol. Tropol. Ruffinus timentes Dominum de inchoantibus; semen Iacab, de proficientibus; semen Israel, de perfectis interpretatur. *Nonnulli*, ait, *qui peccatorum suorum magnitudine territi, divino iudicio pavefacti, mala quæ gesserunt, corrigunt, et plus timore pœnæ quam amore iustitiæ ad Dominum redeunt: tales hic admonentur, ut Deum voce et moribus laudare studeant, quem prave vivendo antea blasphemabant. Et sunt nonnulli ad altiora promoti, qui iam student se spiritualibus studiis exercere, bonis operibus desudare, concupiscentias carnis rigore spiritus reprimere, vitia virtutibus supplantare. Ipsi sunt semen Iacob, qui supplantator dicitur. Hi Dominum de suis profectibus glorificare iubentur, ut videlicet tanto plus proficiant, quanto non in seipsis, sed in domino gloriantur. Et sunt plerique, qui*

iam culmen perfectionis obtineat, qui ea, quæ retro sant penitus obliviscentes, mentis oculos in aspectum veri luminis intentos habent: cancte terrena transcendant, animo solie cælestibus commorantur, carnalia in se desideria extinguunt, mundo mortui Deo vivunt. Hi sant spiritualiter semen Israel, qui videns Deam, interpretatur, qui corais et animæ inquinamenta fugiunt, ut Deam videre mereantur. Hi admonentur, ipsum, quem emant, indesinenter timere: non servili timore, quo peccatores timent Deam, ne puniantar: sed timore casto, quo perfecti Deum timent, ne deserantur. Hactenus Ruffinus.

179. Materia concionum Christi triplex. Materia porro concionum Christi ponitur. Primo, ut fideles Deum laudent. Secundo, ut eum glorificent. Tertio, ut illum timeant.

I. Prime itaque, monet ut Deum laudent, id est, ament, ait S. August. *Quis*, inquit, Epist. 120. cap. 18. *veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat. Tantumdem ergo est, ac si diceret: Qui timetis Dominum, amate eum.* Et paulo post adiungit: *Præmissus timor* (cum dixit, qui timetis Dominum, id de timore servili exponit) *in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, et servat charitati locum, qua tamquam Domina veniente, ut illa insideat, abscedit.* Qui amat, libenter laudat, et copiose, ut patet in Canticis, ubi Sponsus et Sponsa se invicem sæpe laudant, ac præsertim cap. 1. 6. et seq. cap. 4. pene tota, ubi sponsam laudat sponsus, et eam fuse describit, atque cap. 7. Et vice versa sponsum describit et laudat sponsa, id est, Christum Ecclesia vel anima sancta cap. 5. 10. et seq.

II. Secunde, hortatur fideles Christus, ut glorificent Deum Patrem, et consequenter totam Trinitatem. *Universum semen Iacob glorificate eum.* Hebr. כַּבְּדוּהוּ *cabbeduhu*, id est, honorare eum; Septuag. δοξάσατε, id est, gloriam et honorem ei afferte, ut habet Chaldæus. Magnificate, ut legit S. Hieron. Epist. 135. ad Suniam et Fretelam. Hæc glorificatio proficiscitur ex vehementiori amore. Sic Deipara Deo plena Luc. 1. 46. dicit in domo Elisabethæ spiritu exultans, *Magnificat anima mea Dominum*, eodem modo vertit interpres Syr. Arab. Persicus, Æthiop. et Ægypt. Deum autem anima magnificat, id est magnum facit, non in seipso, quia *magnus est, et non habet finem: excelsus, et immensus.* Baruch. 3. 25. *Magnitudinis eius non est finis*, Ps. 144. 3. *Elevata est magnificentia* (S. Hieron. gloria, Chald. splendor) *eius super cælos.* Sed anima in seipsa Deum magnum facit, id est ostendit esse magnum et in animis aliorum hominum, cum ipsius magnitudinem, hoc est maiestatem, magnificentiam, liberalitatem, bonitatem, sapientiam, potentiam et alia attributa prædicat et extollit.

Tertio, hortatur in concionibus suis fideles Christus, ut Deum timore filiali reverea ntur et colant. *Timeat eum omne semen Israel.* Timorem filialem ibi intelligi docet S. August. Epist. 120. cap. 20. *Timor iste*, inquit, *non est servilis, quem charitas foras mittit. Illo enim timetur, ne iudicetur in tormentum supplicii, isto autem, ne amittatur gratia beneficii.* De hoc ait Apostolus Rom. 11. 20. *Noli altum sapere* (hoc est superbire) *sed time.* Hebr. ut advertit Arias, differentiam ponunt inter יָרֵא *iare*, timuit, פָּחַד *pachad*, et גּוּר *gur*. Quod *iare* sit timere ex certa et nota ratione, atque ex animi intentione: unde religio et conscientiæ metus oriatur, פָּחַד *pachad*, vero sit pavere, cum ab extrinseca vi timor ille incutitur, ut a tortore, iudice, hoste, fulmine, etc. גּוּר *gur*, denique sit, revereri et admirari, cum rerum magnarum et admirabilium veneratione tangimur, ut artium, scientiarum, divitiarum, gloriæ ac virtutum, iisque insignes Reges, principes, parentes, præceptores, seniores, aliosque suspicimus atque reveremur. Non est tamen perpetua hæc differentia, sed sæpe hæc verba inter se confunduntur: primo usus est Christus v. 24. *Qui timetis Dominum.* Tertio v. 25. *timeat eum omne semen Israel.* III.

SECTIO QUARTA ET ULTIMA.

Duo pollicetur Christus Patri æterno. Primo, instituturum se Eucharistiæ sacramentum in Ecclesia, et ad summam Christiani populi utilitatem conservaturum, vers. 26. Secundo, se suasque Dei laudem celebraturos ad finem usque sæculorum, vers. 31.

PARAPHRASIS.

26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

26. Tanti beneficii non immemor, o amantissime Pater, linguam tibi meam consecro: illa te unum inter ipsas mortis angustias adiutorem inclamavit et sensit: illa te unum in immensa totius orbis congregatione, velut vindicem suum, velut parentem, velut Deum prædicabit. Cum in arena positus certarem, vovi tibi Deo meo victoriæ trophæa appensurum: illa, illa non clanculum, sed in omnium fidelium oculis exolvam, omnes ut intelligant, me meosque eam tibi gratiam et debere et habere.

27. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

27. Illud porro præcipuum votum esto. Corpus ipsum et animam, quæ tibi nunc in cruento crucis sacrificio offero, post resurrectionem sine cruore in sacrificio missæ afferam. Hocque votum ita implebo, ut vel ipsi pauperes, qui et ab opibus et a virtutibus erant destituti, carnem meam comedant, et me uno contenti, spretis divitiis atque peccatis, hac sacra esca satientur. Te spirituali hoc musto pleni, hymnis et canticis celebrabunt cum tam salutari viatico reboratos se atque exhilaratos viderint, in via, quam ad te quærendum etiam cum labore terere voluerunt. Hoc cibo vegetati, vita gratiæ semper bis in terris vivent e lethalis culpæ morte liberi: in cælis vero, vita gloriæ numquam morituræ.

28. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ.*

28. Cum hac cælesti vescentur esca, tunc et crucis mysterium et opem mihi a te præstitam recordabuntur: neque ullus erit toto in orbe tam stupidus et tam sui oblitus, qui hoc ubi attenta mente revolverit, ad te Deum suum supremumque Dominum, cum gratiarum actione non convertatur.

Et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ Gentium.

Spretisque inanibus deorum simulacris, vanisque eorum et infamiæ crudelitatisque plenis sacrificiis, sanctam hanc tibi victimam nationes omnes offerent, tuisque altaribus venerabundæ accident.

29. *Quoniam Domini est regnum: et ipse dominabitur Gentium.*

29. Tuum enim est, non in Iudæos modo, sed in omnes etiam populos exercere dominatum, cum sis universæ terræ Dominus. Itaque tui notitia, cultus et imperium ad Gentes ipsas toto dispersas orbe pertinebit.

30. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.*

30. Nec pauperes tantum, abiectæque sortis homines, sed divitiis otiam, nobilitate ac potentia spectabiles, divinam illam ad escam advolabunt, eamque ut Dei sui carnem et sanguinem adorabunt. Mortales denique omnes, nulla generis aut nationis habita ratione, genua illa eum veneratione flecteot, qui eruot morti proximi, cum devotione Eucharistiam in viaticum suscipiendo.

31. *Et anima mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi.*

31. Secundum votum esto. Anima mea post resurrectionem corpori noita tibi Deo meo, et tuæ gloriæ, totam se corpusque suum impendet. Tertium denique hoc votum offero: scilicet, ut filii mei spiritales meis meorumque laboribus per Evangelium geniti, usque ad sæculorum consummationem tuo cultui mancipentur.

32. *Annunciabitur Domino generatio ventura, et annunciabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.*

32. Populus novus per Evangelii promulgationem nasciturus, eam in rem ab Apostolis meis erudietur, te Deum suum ut colat, et rerum omnium unicum Dominum adoret: Apostolici etiam viri, cælorum instar, splendore et influxu divino orbem illustrantes atque fœcundantes, et cælesti vita cæteris prælucentes, legem gratiæ, quæ volentes iustificat, promulgabunt populo, qui per vivificam baptismi aquam tibi Deo suo renascetur: quique ab æterno ad gratiam et gloriam prædestinatus a te Domino perficietur; et donis omnibus atque virtutibus perficietur, ut sit tibi in populum electum et acceptabilem.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO FRUCTU, ET QUAM GENERALI TOTIUS ORBIS CONSENSU IN VENERABILI EUCHARISTIÆ SACRAMENTO CHRISTUS ADORATUR ET PERCIPITUR.

181. Ordo Sectionis. SECTIONE prima et secunda Passionis suæ acerbissima tormenta Christus exposuit, seque unum medio in conflictu relinqui conquestus est. In tertia autem sectione, Resurrectionem atque eductionem e limbo postulavit. Quarta hac denique exponit, quid redditurus sit tam benevolo liberatori.

Ac primo, lingua se Deum laudaturum pollicetur, v. 26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna.* Secundo, corde, concepturum se, atque opere redditurum vota tria. *Voto mea reddam, in conspectu timentium eum.*

VOTUM porro primum ac præcipuum ait fore Eucharistiæ sacramentum, quod ad finem usque orbis in Ecclesia perdurabit, v. 27. *Edent pauperes*, etc.

Eucharistiæ effectus octo. Effectus autem Eucharistiæ multiplices exponit. Primo, Satietatem sine fastidio, v. 27. *Edent pauperes, et saturabuntur.*

Secundo, Laudationem Dei, ob gaudium spiritale inde enascens. *Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.*

Tertio, Vitam sine mortis timore. *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

Quarto, Gratitudinem beneficii Passionis v. 28. *Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.*

Quinto, Adorationem veri Dei. *Et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ Gentium.*

Sexto, subiectionem suavem et spontaneam ob tantum donum, v. 29. *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur Gentium.*

Septimo, Devotionem omnium fidelium, v. 30. *Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terræ.*

Octavo denique, Solatium morti proximorum, qui hoc viatico in dæmones armantur et animantur. *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.*

SECUNDUM votum Christus facit, quo non corpus modo in Eucharistia, sed animam etiam suam ubique Patri suo se mancipaturum asserit, v. 31. *Et anima mea illi vivet.*

TERTIUM denique votum emittit, quo consecrat illi fideles omnes, qui sunt eius filii, sanguine ipsius concepti, formati et animati. *Et semen meum serviet ipsi.*

Idque in omnem sæculorum durationem, v. 32. *Annunciabitur Domino generatio ventura.*

Atque ne quis eius rei obliviscatur, missurum subinde se pollicetur viros Apostolicos et cælestes, qui huiusce voti memoriam renovent. *Et annuntiabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.*

ARTICULUS I.

An et quæ vota concepit Christus.

A POSTQUAM timentes Dominum, id est, semen Iacob et Israel, fideles scilicet omnes, hortatus est Christus, ut Deum laudarent, nunc aperit, quid sit ipse facturus, 182.
vers. 26. APUD TE (Hebr. מאתך meittecha, id est, a te, ut vertit Chald. et Pagnin. ex te, ut Felix; 2. de te, ut Vatabl. 3. apud te, ut S. Hieron. Psalt. Rom. et Ambr.) LAUS MEA IN ECCLESIA MAGNA: VOTA MEA REDDAM IN CONSPECTU TIMENTIUM EUM. Vers. 26. 1. Pars.

Sensus est primo, q. d. A te hoc habeo, ut te laudem in magna et frequenti Ecclesia. Quod me tam misericorditer salvaveris, dedisti mihi materiam laudandi te in magno cœtu et frequentia, palam et publice. Ut te laudem publice, est in te positum, et in salute, quam mihi afferes. Ita Genebrardus. I. Sensus huius loci.

B Secundo, et melius, q. d. *laus mea*, id est, quam ego tibi dabo per fideles meos, erit *apud te*, sive coram te in Ecclesia magna, non in cœtu paucorum Hebræorum, sed in Ecclesia omnium gentium. Ita Genebr. quod de institutione laudis divinæ per solemnes preces exponit Caietanus et Placidus Parmensis. De laude, quam Deo dederunt Apostoli in die Pentecostes, explicat Arias. Nam Actor. 2. v. 11. dicitur: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Syr. vertit, mirabilia Dei facinora: nempe partim per Mosem, Patriarchas et Prophetas olim facta, partim nuper per Christum, partim tunc per Spiritum sanctum. II.

Tertio, præcise et proprie sensus est, q. d. *Apud te*, id est, coram te, et ad tuum unius honorem erit *laus mea*, quam tibi reddam in Eucharistia existens in Ecclesia magna, et in medio Ecclesiarum. Illa enim laus tibi reddetur in domo tua, id est in templo, in quo specialiter habitas et thronum tuum figis, sicut olim in tabernaculo Mosaico et in templo Salomonis eras in Sancto Sanctorum, hoc est in loco sanctissimo, sedens supra Cherubim in propitiatorio, et inde reddens oracula et populum tuum donis cumulans. Eucharistia autem est summa Dei laus, in una enim missæ sacrificio Christus se Patri offerens, plus illi honoris defert, quam sint facturi omnes Angeli et sancti per totam æternitatem, offert enim illi victimam infinitæ dignitatis, nempe hominem Deum. III. Et optimus.

Quæres, Quænam est Ecclesia illa magna? Resp. cum S. August. S. Thoma, Cassiod. Thoma Anglico, et aliis, esse Ecclesiam Catholicam. S. August. in v. 23. ait Epist. 120. *in medio Ecclesiæ laudabo te. Ecclesia ista est, quam modo dixit unicam suam: hæc est unica Catholica, quæ toto orbe copiose diffunditur, quæ usque ad ultimas gentes crescendo porrigitur.* Tertull. lib. 3. contra Marcionem illo psalmi testimonio aliisque probat Ecclesiæ universalitatem. Et S. August. in versum nostrum in sue commentario expositione 2. de hoc psalmo dicit: *In Ecclesia magna confitebor tibi. Quæ Ecclesia magna? Ad par-*

a

tem Africæ remansisse est Ecclesia magna. Totum mundum perdidisti: Effudisti sanguinem pro toto, sed invasorem passus. Ab ea Ecclesiæ noto sæpe confutat Donatistas hæreticos, qui erant in sola Africa. Universalitas illa Ecclesiæ patet in hoc psalmo. Nam prius dictum est v. 24. *Universum semen Iacob glorificate eum*, vers. 25. *Timeat eum omne semen Israel.* Postea dicit v. 28. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ Gentium*, etc.

Hanc Ecclesiæ notam Bellarm. primam ponit tom. 2. controversia prima, lib. 4. cap. 4. Hinc sancti patres impugnant hæreticos, quod in uno tantum orbis angulo delitescerent, cum proprium sit veræ Ecclesiæ toto orbe diffundi. Hoc argumento utitur S. Cyrill. Ieros. Catech. 18. S. Iustinus in Tryphonem, S. Iren. lib. 1. cap. 20. Lactantius lib. 4. cap. 30. S. Athanasius serm. 2. contra Arianos. S. Chrysost. hom. 33. in acta Apostol. S. Hier. contra Luciferianos. Hinc dicit Pacianus in Epistol. ad Sympronianum, *Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores.* Et infra: *Christianus mihi nomen est, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit.* Locus pulcherrimus est, Malach. 1. 11. *Ab ortu Solis*, etc. de illo egi alias. Et Matth. 24. 14. ait Christus: *Prædicabitur hoc Evangelium regni* (id est, de regni cælorum hæreditate fidelibus danda) *in universo mundo in testimonium omnibus gentibus* (ut testetur Deus suum in omnes nationes amorem) *et tunc veniet consummatio*, id est, excidium Ierosolymæ, ait S. Chrys. et Theophylact. Sed licet multis, tamen non omnibus nationibus tunc innotuerat Evangelium. Itaque melius S. Hier. vertit consummatio et finis orbis ac sæculorum.

184. Ecclesia Catholica est magna triplicater. 1 Dilatatione. Nota pro *Ecclesia magna*, habetur Hebr. *Ecclesia* רב *rab*, id est, *multa*; S. Hier. vertit, in concione multa, ut Arias. Sed recte noster, Vatabl. Felix, Syr. Arabs, Sept. et alii vertunt *magna*. Nam *rab*, et multum et magnum significat; a *rabab*, multiplicare et magnificare. Ecclesia autem Christi est magna, Prima, dilatatione. Hinc Chald. vertit in congregatione multorum populorum. Isai. 54. 2. primitiræ Ecclesiæ dicitur: *Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum* (alludit ad tabernaculum Mosis) *extende, ne parcas* (labori aut sumptui), *longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida* (quia durabis usque ad finem mundi). *Ad dexteram enim et ad lævam penetrabis*: (id est, ad Orientem et ad Occidentem, ut ait Cornel. seu potius ad meridiem, qui abversis ad orientem est mundi dextera, et ad Septentrionem. Est autem synecdoche, id est, in omnem partem) *et semen tuum* (filii tui) *gentes hæreditabit*, possidebit, ad fidem convertet, *et civitates desertas* (a Deo, fide, lege, gratia et salute) *inhabitabit.* Imo plures erunt Gentiles quam Iudæi. S. Hier. illud, Matth. 12. 47. *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te*, considerans, et Christi responsum. *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei?* etc. ait: *Salvator loquitur ad turbas, intrinsecus erudit nationes. Mater eius et fratres, hoc est synagoga et populus Iudæorum foris stant et intrare desiderant, et sermone eius indigni fiunt. Cumque rogaverint, et quæsierint, et nuncium remiserint, nuncium accipiunt liberi eos esse arbitrii, et intrare posse, si velint, et ipsi credere: qui tamen introire non poterunt, nisi alios rogaverint.* Pene eadem habet S.

2 Potestate. Gregor. hom. in Evangelia. Secundo, Ecclesia magna est potestate. Matth. 16. 18. *Ego dico tibi, quia* (quod) *tu es Petrus* (Cephas petram significat) *et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferi* (id est, civitas inferorum. Est synecdoche: per portas enim urbs intelligitur. Et Metonymia, quia per urbem cives accipiendi sunt) *non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves* (potestatem ordinis et iurisdictionis) *regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et*

3. Dignitate. *in cælis.* Nonne magna est potestas Ecclesiæ, quæ se in totam terram extendit, atque in ipsum cælum. Tertio, Ecclesia magna est dignitate. Apocal. 21. 24. *Ambulabunt gentes in lumine eius* (id est, ad lumen eius: scilicet cælestis Ierusalem, id est, Ecclesiæ triumphantis) *et Reges terræ afferent gloriam suam, et honorem in illam*, id est gloriosa et heroica sua facta. Deinde omnes iusti sunt Reges, et terræ dominantur, dum eam calcant.

Laudem in Eucharistia reddere Deo ita desiderabat Christus, ut voto se ad id astrinxerit: unde sequitur, VOTA MEA REDDAM IN CONSPECTU TIMENTIUM EUM. Nota pro *voto*, Septuag. verterunt εὐχάς, quæ vox est ambigua: nam significat, 1. preces; 2. vota. Sic Plutarchus in Camilla, εὐχὰς ἐποιήσατο μεγάλας θεᾶς ἄξιον, vovit se magna spectacula editurum. Et Thucidyd. εὐχὰς ποιεῖσθαι τὰς νομιζομένας, id est, vota legitima nuncupare. Petavius vertit εὐγματα, hoc est *voto*, ut ipse se explicat. In Hebr. Syr. Chald. et Arab. est נדר *neder*, id est, votum et quidem proprie sumptum, ut patet sæpius Num. 30. Votum autem est promissio Deo facta de meliori bono, quod videlicet non cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, sed de actibus virtutum, qui Deo placere noscuntur. S. Thomas 2. 2. q. 88. artic. 1. ubi etiam docet tria ad votum requiri: scilicet deliberationem, propositum et promissionem, in qua promissione perficitur ratio voti, sed quandoque superadditur pronunciatio oris, et testimonium aliorum, ad quandam confirmationem voti. Vers. 26. 2. Pars.

Quæres primo, An Christus aliqua vota fecerit? Resp. prima, S. Thomas 2. 2. qu. 28. art. 4. ad 4. negare videtur Christum vota emisisse, dum his verbis utitur: Christo secundum se non competebat vovere: tum quia Deus erat, tum etiam in quantum homo, habebat voluntatem firmatam in bono, quasi comprehensor existens, quamvis per quandam similitudinem ex persona eius dicatur in Ps. 21. secundum glossam: Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Ita S. Thomas. 185. An Christus vota fecerit, dubitatur.

Resp. secundo, S. Thom. non negare in Christi potestate fuisse vota concipere, sed in dubia esse, an de facto illa conceperit. Deinde non esse consequens ex eo quod Christus non vovisset, alios non debere vovere: cum multa sint in Christo ad supplendos voti defectus, quæ non sunt in aliis. Quod autem Christus voti emittendi capax fuerit, sic probatur. Ratione voluntatis humanæ erat capax proprii dominii propriique iuris et obligationis. Præterea poterat obligare se homini per verum promissionem, quidni et Deo? Nam unitas personæ divinæ in utraque natura divina et humana non obstabat: quia ea non obstante poterat intercedere vera ratio iustitiæ, et satisfactionis Christi hominis ad Deum, quæ non est minus ad alterum quam iustitia. Adde quod fuit capax præcepti, ergo et voti. Nam non minus videtur repugnare Deo recipere legem a superiore, quam se obligare superiori. Itaque ratio prima D. Thomæ non convincit: scilicet Christum ex eo quod sit Deus, vovere non potuisse. Sed nec secunda ratio eiusdem id concludit. Nam votum, nec solum nec præcipue est propter firmandam voluntatem, sed propter offerendum Deo obsequium, consecrandumque et ad nobiliorem ordinem elevandam ipsam voti materiam. Ac deinque ut actus ex voto factus perfectior sit quam sine voto. Et positum fuit præceptum Christo, licet haberet firmatam in bona voluntatem: idemque facturus esset, si non intervenisset præceptum, quia præceptum non semper ponitur propter inducendam seu firmandam voluntatem, sed per se propter maius obedientiæ bonum. 1. Voti emittendi capacem fuisse probatur.

Ita Suar. tom. 2. in 3. p. disput. 28. sect. 2. ubi docet probabilius esse, quod Christus de facto voverit, et nititur præcipue loco psalmi nostri: *Vota mea reddam*, aitque hunc dicendi modum habere plurimum pietatis ac probabilitatis, et Theodoretus hoc loco, εὐχὰς, ait, καὶ προσευχὰς λέγει ἄλλατας ὑποσχέσεις. Per εὐχὰς, *non intelligit deprecationes sed vota.* Et vox Hebr. ut dixi, eam vim habet. Atque ipse S. Thomas clare in Ps. nostr. dicit, Christum de facto votum emisisse: *Votum Christi, ait, fuit, ut se daret pro salute fidelium. Ipse enim illud vovit in quantum homo Psal. 39. 9. Ut facerem voluntatem tuam Deus meus volui. Quæ quidem voluntas Dei est sanctifica-* 186. 2 Probabilius est, quod aliqua vota fecit.

tia nostra. Descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Hæc vota solvit Christus dando se ad passionem. Et iterum, quando dedit corpus suum in cibum fidelium.

187. Quæritur quæ vota fecerit Christus.

I. Se voto obstrinxit ad promovendam Dei gloriam usque ad mortem.

Quæres igitur secundo, Quænam Christus voverit? Respondeo primo probabile esse Christum in primo suæ conceptionis instanti victimam se ad scelerum humanorum expiationem obtulisse, totumque se in Dei gloriam promovendam consecrasse voto etiam nuncupato, quo ad certas actiones præcipuas se obligaret. Hoc censuit Suares, cum ait loco mox citato: *Est probabile Christum in prima instanti Conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo ad redimendos homines, et in hunc finem omnes actiones ac passiones vitæ suæ voto obtulisse*, dicitque hunc explicandi modum habere plurimum pietatis. Hoc votum præcipue in cruce obtulit. Unde ait Ps. 64. 1. *Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Ierusalem.* Ibi Christus est mortuus. Erat agnus immaculatus et vitulus saginatus oblatus Deo Patri in holocaustum. Thomas Angliens Cardinalis potat in psal. nostr. agi de illis votis. *Voverat,* inquit, *Deo Patri pro salute nostra agnum immaculatum, arietem, et vitulum saginatum, quæ omnia reddidit, quando seipsum obtulit in holocaustum Deo Patri.* Sed hoc in loco agitur de iis, quæ erant ventura post resurrectionem in Ecclesia magna, hoc est Catholica seu universali, et in conspectu timentium eum: in cruce autem erat in medio hostium suorum atque in parvo Iudææ regno.

II. Vovit se corpus suum in Eucharistia relicturum.

Respondeo secundo, cum S. August. S. Hieron. Glossa, Lombardo, Dionys. Carthus. Valentia, Lyrano, Ludolpho, Iansonio, Bellarmino, et aliis, *vota* Christi hic intelligi sacrificium corporis et sanguinis eius in Eucharistia, ubi Deo Patri illud reddit, hoc est primo, ut ait Dionysius, per sacerdotes suos offerri facit; secundo, quod ipse offert, est enim victima et sacerdos. Iansonius: Ipse, ait, Christus illud sacrificium per sacerdotes offert, astante omni populo et offerente; atque vota sua, ut habet Canon Missæ, Deo reddente. De Eucharistia hic agi clare docet S. August. Epist. 120. ubi psalmum nostrum explicans: *Vota vero sua*, inquit, *sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum. Ideo cum dixisset, Vota mea reddam timentibus eum, continuo subiunxit. Edent pauperes et saturabuntur.* Et S. Hieron. in commentario:

188. Hinc quatuor colligi possunt.

I. Amor Christi erga nos

Mysterium, ait, *corporis ac sanguinis mei afferam cum his, qui in eius timore hæc celebrant.* Unde collige primo, quanto te amore Christus dilexerit, qui ad hoc sacramentum instituendum et in Ecclesia sua conservandum se obligarit: at in medio Ecclesiæ reddiderit sua hæc vota omnibus eum timentibus inspectantibus. In altaribus enim velut in arce sublimis eminet, atque charitatis et misericordiæ vexillum erigit, omnes ut certum et suave asylum in promptu habeant.

II. Sæpe ad Eucharistiam accedendum.

Collige secunda, votum illud, Eucharistiæ scilicet sacramentum, Christo sæpe esse a sacerdotibus et fidelibus offerendum. Nihil enim est illi gratius, at nihil in se dignius. Voveant itaque Iudæi decimas suas, 2. Paral. 31. Asa Rex Iuda, argentum voveat, aurum et vasa, 2. Paral. 15. Metapontini, auream æstatem, hoc est annum uberrimum Apollini, ut ait Strabo lib. 6. Sabini, diis omnibus anno obtenta victoria enata; Ægyptii, sanatorum puerorum resectum capillum, ut ait Diodor. lib. 2. Clodovæus Rex equum suum S. Martino, ut Ioan. Magnus. Galli veteres, hostium suorum immolationem, ut Cæsar lib. 6. Iephte, filiam suam unigenitam, Iudicum 11. Romani, seipsos pro alicuius salute, ut Sveton. in Caligula. Nobis votum est sanctius, divinius atque ad impetrandum potentius, nempe sancta Eucharistia in medio domus Dei sita.

189. III. Cor offerendum Christo in Eucharistia.

Collige tertio, Quanta pietate, nos Christo in altaribus constituto, offerre et vovere debeamus. Si enim regina Berenice, ut Deo vota sua exolveret, non solum abraso capillo, sed etiam nudo pede ante tribunal supplex fuit Ierosolymis, ut ait S. Iustin. Apolog. 2. et Hegesippus lib. 2. Si Romanæ matronæ quicquid auri hamatilibus in torquibus, manuariisque in armillis, aliisque ornamentis habebant, ultro contulere, ut votum Apollini Veiis captis factum solveretur, ut docet Plutarch. Si Romani tricies idem sacrificium instaurarunt, quod semper aliquid deesse visum esset, ut tradit idem auctor in Coriolano. Quales nos animis et corporibus esse convenit, ut Deo nos votaque nostra coram altari et Christo offeramus et reddamus? Datum est nobis illud Eucharistiæ votum summa cum charitate, cum eadem est reddendum. Si *vota* pro precibus sumere hic placet, imitare Theodosium maiorem Imper. qui, cum Circensibus ludis interesset, accepto de victoria in Ioannem tyrannum nuncio, omisso spectaculo, populoque universo invitato, ad Ecclesiam processit, cum hymnis et canticis Deo gratias persoluturus: ut tradit Nicephor. lib. 14. cap. 7. Poterat vere cum Psalmista nostro dicere. *Vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

Collige quarto, etiam alia vota licite Deo reddi. Ut enim ait Alvarus Pelagius lib. 2. de planctu Ecclesiæ c. 5. 190.
Votum est consilium consiliorum, et forma et perfectio eorum. Dubium est, an Christus fecerit voto obedientiæ, castitatis et paupertatis. Suar. tom. 2. in 3. p. qu. 28. sect. 2. id probabile putat de voto paupertatis et castitatis, non vero de obedientiæ voto. Nam homini subdi iure non debuit. Sed cur non potuit vovere obedientiam B. Virgini et S. Iosepho præstandam, cum dicatur cap. 2. 51. *Et erat subditus illis.* Sed quicquid sit de Christi votis, ab eo velut divino fonte vota emanarunt. Primo, paupertatis. Unde S. Petrus dicit de se et aliis Apostolis Matth. 19. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Id agnoscit S. Aug. lib. 17. de civit. cap. 4. Et indicat Ps. 103. conc. 3. cum ait: *Petrus non solum dimisit quicquid habebat, sed etiam quicquid habere cupiebat. Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit.* Secundo, votum castitatis ab Apostolis emissum esse indicatur, cum dicat Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et hoc advertit S. Hieron. lib. 1. in Iovinian. et Christus Petro respondens v. 29. dixit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.* Cum mentionem uxorum faciat, satis declarat has ab Apostolis esse relictas. Tertio denique, Obedientiæ votum in Apostolis colligitur ex illis verbis S. Petri eod. v. 27. *Et secuti sumus te.* Et maxime ex Christi verbis Luc. 9. 23. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum.* Hanc enim abnegationem, obedientiæ votum intellexit Concilium Senonense. Facessat igitur Wiclefus, omnisque hæreticus, qui vota hæc merum hominum commentum esse mentitur. Si te votorum religio specialius Deo illigavit, videsis ut grato constantique et alacri animo te tuaque illi offeras. Maneant te Ananias et Sapphira eius uxor, qui in actis Apostolorum c. 5. v. 2. et seq. cum de semel consecrata numini summa, suos in usus partem subtraxissent, morte sacrilegium et mendacium luerunt. *Ananias* idem est quod *donum domini*, quod scilicet per votum Domino obtulit: vel *paupertas Domini*, id est, Domino dicata: sed ex Anania factus est Cananias, id est, institor et mercator Domini: quia pretii partem Deo dicatam, sibi quasi mercator retinuit: ideoque rursum factus est Ananias, id est afflictio Domini, quia a Domino morte mulctatus est. *Sapphira* autem, idem est quod *numerans*, scilicet pretium: aut ut Syrus reddit, pulchra, vel sapphirina. Ita Cornelius. Eos vovisse Deo paupertatem asserunt S. Basil. serm. 1. de Instit. Monach. S. Augustin. serm. 27. de verbis Domini, ubi eos vocat sacrilegos, S. Cypr. lib. 3. cap. 30. S. Hieron. Epist. ad Demetriadem, cuius hæc sunt verba: *Ananias*, ait, *et Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, et ideo condemnati, quia post votum abstulerunt quasi sua, et non eius, cui semel ea voverant, partemque sibi iam alienæ substantiæ reservantes.* Generaliter S. August. in Ps. 99. ait. *Qui non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor propositi, et reus voti non redditi.* Vide dicta Ps. 75. 12. Vovete et reddite Domino.

IV. Alia item vota Deo posse reddi.

ARTICULUS II.

Eucharistiæ varii effectus, ac primo quam perfectam animæ et nonnumquam corpori inducat satietatem.

Postquam ostendit Christus vota se sua redditurum Deo Patri in conspectu timentium eum, in sacramento Eu-
191. charistiæ, subiungit varias huius divinæ oblationis utili-
Vers. 27. 2. Pars. tates. Incipit autem a satietate, v. 27. EDENT PAUPERES ET SATURABUNTUR, ET LAUDABUNT DOMINUM, QUI REQUIRUNT EUM, VIVENT CORDA EORUM IN SÆCULUM SÆCULI. Nota. S. August. illud Ps. 32. Misericordia Domini plena est terra, considerans concion. 2. ait, tempus huius vitæ esse tempus famis, et ad Dei misericordiam esse accurrendum, sic tempore famis accurritur ad divitem afferentem frumentum. Omnes ad se invitat Christus Matth. 11. 28. *Venite* (affectu fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum) *ad me omnes* (unus sufficio omnibus: sum Saddai, id est sufficiens et mammens) *qui laboratis* (οι κοπιωντες, qui molestiam patimini) *et onerati estis*, (ita ut oneri succumbatis) *et ego reficiam vos*, αναπαυσω refocillabo, quietem dabo: sicut fecit Angelus Eliæ lasso et sedenti subter iuniperum, dans panem fortificantem et aquam refrigerantem, 3. Regum 19. 5. Omnes in psalmo nostro admittuntur ad eam refocillationem. Primo, pauperes, v. 27. *Edent pauperes*. Secundo, divites. v. 30. *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ*. Pauperes tamen primi, tum quia Christus fuit pauper, et magis amat pauperes, tum quia pauperes minus terræ hærent, tum quia ipsorum est regnum cælorum, et consequenter ea, quæ ad illud ducunt, Matth. 5. v. 3. Hinc parabolam proponit Christus Luc. 14. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos*, id est omnes: sed qui emerat villam, seu ut est græce αγρον, agrum, cui adiuncta erat villa seu domus rusticana, sese excusat ad possessionem suam ire volens: alter qui emerat iuga quinque boum, ea vult probare, et hanc excusationem prætexit: tertius uxore accepta plane dicit se non posse venire: soli pauperes, debiles, cæci, claudi, et qui in viis ac sepibus præ summa miseria iacebant, ad regale illud epulum admittuntur, et veste nuptiali donantur.

192. Nota secundo. Multos cibos Christus electis suis appa-
Cibos varios servis suis Christus parat. rat, ut varietas delectet. Primo, dat cibum doctrinæ, veritatis et scripturarum, de quo locum hunc explicant Euth. Didym. et S. Basilius, qui de eo solo volunt intelligi. Ruffin. adiungit sacramenta. *Edent pauperes*, inquit, *et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in sæculum sæculi. Qui ieiuni erant, pabulo veritatis: qui esuriebant et sitiebant iustitiam, modo pascuntur divinis scripturis, reficiuntur cælestibus sacramentis; laudant, qui requirunt eum: nam laus est Domini, eructatio saturitatis illius. Inde vivunt corda eorum in æternum, quia cibus ille cordis et animæ est, de quo scriptum est Ioan. 6. Qui manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et Matth. 5. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Matth.* 4.

Sed præsertim Eucharistiam. Secundo, et melius, S. August. S. Hier. et alii supra citati hunc locum de Eucharistiæ cibo interpretantur, Verbum caro factum est, ut fieret cibus hominum, qui ob scelera sua facti erant iumenta. Caro enim est fœnum. Dicit ipse Christus Ioan. 6. 32. *Amen, amen dico vobis. Non Moses dedit vobis panem de cælo* (manna non ex cælo, sed ex aere instar roris matutini descendebat Angelorum virtute formatum) *sed pater meus dat vobis panem de cælo verum* (manna erat figura Eucharistiæ, illa est res et veritas: *Panis enim Dei est, qui de cælo descendit* καταβαινων, descendens, in tempore præsenti, cum scilicet fit consecratio) *et dat* (Arab. *dono dat*, id est mere gratis) *vitam mundo*. Cumque illi hunc panem optarent, ait, v. 35. *Ego sum panis vitæ*, (id est vivus, vitalis et vivificus. Est hebraismus) *Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam*, Syr. et Arab. non sitiet in æternum. S. Ambros. lib. 8. in Lucam ait Christum corpus

A assumpsisse, ne quis de fidelibus esuriret. Et S. Cyrill. in Ioannem. *Quid*, inquit, *Christus pollicetur? corruptibile certe nihil, sed benedictionem, quam communicatione corporis et sanguinis Christi assequemur: unde ad eam incorruptionem integre reducemur, ut cibo et potu corporali non indigeamus. Vivificat enim corpus Christi, et ad incorruptionem sua participatione reducit*. Hunc cibum nobis paravit Maria, crux concoxit, amor porrexit. De Deipara ait S. Petrus Dam. *O beata ubera, quæ dum tenue lac puerilibus labris infundunt, Angelorum cibum et hominum pascunt: manat liquor ex uberibus Virginis, et in carnem vertitur Salvatoris. Hic rogo, perpendite, quam debitores simus huic beatissimæ Dei genitrici, quantasque illi post Deum gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fovit, quod fasciis cinxit, quod materna cura nutrivit: illud, inquam, absque ulla dubietate, non aliud nunc de sacro altari percipimus, et eius sanguinem in sacramentum nostræ redemptionis haurimus*. Et magis etiam ad rem nostram paucis interiectis
B subnectit. *Per cibum a paradisi sumus amœnitate deiecti, per cibum quoque ad paradisi gaudia reparati. Cibum comedit Eva, per quem nos æterni ieiunii fame mulctavit. Cibum Maria edidit, qui nobis cælestis convivii aditum patefecit*. De cruce cibum illum nobis parante dicit S. Greg. hom. 14. in Evang. *Bonus pastor animam pro ovibus suis posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret; et oves, quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret*. De amore denique cibum illum porrigente et ultro ingerente, ait Concil. Tridentinum sess. 13. cap. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad patrem, sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum*. S. Cypr. aut certe antiquus auctor et gravis sermon. de cœna. Sicut, inquit, in persona Christi Humanitas apparebat, et latebat Divinitas: ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia. Ita ibi. Vide ne effluent, quæ vult Deus tuus in intimum cor tuum infundere: cæ-
C lestia sunt, divina sunt, Deus ipse sunt. Cor affer Deo dignum. S. Chrysost. hom. 83. in Matth. *O quot modo dicunt, vellem formam et speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre*, ιδη αυτον ορας, αυτον απτη, αυτον εσθιεις. *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis*. Unde iure merito concludit. *Nemo igitur nauseans accedat, nemo remissus*, απαντες πεπυρωμενοι, απαντες ζεοντες και διεγηγερμενοι, *omnes veniant incensi, omnes ardentes, omnes illo fervore cælesti excitati*. Sanguinem quoque in illo sacro epulo contineri planissime asserit, cum ait: *Sicut vetus testamentum pecudes et vitulos habebat; eodem modo novum, Dominicum possidet sanguinem*. Iudæi non habebant figuram pecudum in suis sacrificiis sed ipsas pecudes: ergo neque nos figuram Christi, sed Christum ipsum.

Nota tertio. Pauperes qui de hoc sacramento edent, 193.
sunt, Primo qui sunt inopes. Non etiam de accedentibus Pauperes
ad Eucharistiam et Christum in ea existentem id possis qui de
dicere, quod Paulus dixit de accedentibus ad fidem in Ec- Eucharistia
clesia primitiva, 1. Cor. 1. 26. *Videte vocationem vestram* edunt
D (id est modum vestræ vocationis) *fratres, quia non multi* sunt.
sapientes, secundum carnem (id est carnali, terrena et I.
mundana sapientia excellentes) *non multi potentes, non* Inopes a egeni.
multi nobiles. Loquitur præsertim de concionatoribus, et
Apostolicis viris, ipsisque Apostolis: at sicut ait S. Chry-
sost. de ipsis conversis ad Christum. Secundo, *edent pau-* II.
peres, id est peccatores, qui petita sua substantia eam Peccatores.
consumpserunt, et ad extremam inopiam redacti fame peribant ablegati ad porcos, sed ad patrem redeuntes ex notitia quod mercenarii in domo patris eorum abundent panibus, ad eum redeunt, ab eo excipiuntur osculo sancto et paterno per donationem gratiæ in pœnitentiæ sacramento, et convivio excipiuntur in Eucharistia, ubi vitulus saginatus, id est Christus illis datur comedendus. Luc. 15. 22. *Cito proferte stolam primam* (id est amictum sapientiæ, ut ait S. Ambros. 2. vestem Spiritus sancti, quæ nos certificat de hæreditate immortalitatis habenda, ut glossa interlin. 3. pristina gratia et charitas, ut S.

Hieron. et S. Augustin.) *et induite illum, et date annulum* (sinceræ fidei signaculum, sicut ait Beda) *in manum eius* (quo eius opera consignentur) *et calceamenta in pedes eius* (mortificationem in affectibus, ut calcet terrena et illis non offendatur,) *et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur.* Christus vitulus dicitur, ait S. Chrysost. ob immolati corporis hostiam; saginatus, quia pro totius mundi salute sufficit. Et glossa interlinearis, Christus, inquit, est vitulus saginatus, omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat.

III. Pauperes spiritu. Tertio, et proprie, *edent pauperes*, id est pauperes spiritu et affectu, qui cum Davide dicunt Ps. 72. 25. *Quid mihi est in cælo, et a te quid volui super terram?* (S. Hier. vertit, *totum nolui in terra.* Iesus est homo cælestis. 1. Cor. 15. 47. cum terra et amor terræ sibi displicet) *Defecit* (S. Hieron. consummata est) *caro mea* (non sum amplius caro sed spiritus) *et cor meum* (quod feci tuum, tibi illud præbens, et a te creatum novum accipiens) *Deus cordis mei* (Heb. צור *tsur*, id est, *robur* cordis *mei*, ut vertit S. Hieron.) *et pars mea* (portio et hæreditas) *Deus in æternum.* Esto pauper spiritu, et eris dives Deo tuo et eius possessione.

IV. Mites. Quarto, *edent pauperes.* Hebr. ענוים *anavim*, id est mites et mansueti, atque humiles. Hinc S. Hieron. vertit comedent mites. Vatabl. et Felix comedent humiles. Muis. edent mansueti. Septuag. Arab. Syr. Potav. Pagn. edent pauperes. Dixit Christus Matth. 5. 23. *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia* (quod) *frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Quanto magis non debes accipere hoc munus cæleste et ponere in corde felleo? Hinc scribit Corinth. S. Paul. 2. Epist. 13. 12. *Salutate invicem in osculo sancto*, id est non profano, non gentili, ad sanctitatem iuvante. Intelligit osculum, quod sibi mutuo dabant Christiani ante communionem in signum mutuæ charitatis, et omnis iniuriæ ex animo condonatæ. Tunc dicebant sibi invicem, Pax tecum.

194. In Eucharistia Christus corpus et animam nutrit. Nota quarto, Christus in Eucharistia cibus est animam et corpus nutriens et satians. Ps. 80. 17. *Cibavit eos ex adipe frumenti* (id est optimo et selectissimo, ac maxime nutriente frumento: de Eucharistia id exponit S. August.) *et de petra melle saturavit eos.* Mel de petra ait S. Aug. esse sapientiam Christi. Richard. vero Pampolitanus esse Eucharistiam. Mel illud est cæleste, Psal. 104. 40. *Pane cæli saturavit eos*, id est manna, quod e cælo quotidie decidebat ad cibum Iudæorum in deserto, et saporem habebat atque gustum velut similæ cum melle. Exod. 16. 31. Severus Minoricensis Episcopus Evodio scripsit, dum Iudæi plurimi ad fidem accederent, decidisse grandinem minutissimam melle dulciorem, præter splendidum globum Solis igneæ similem columnæ. Christus in Eucharistia est intellectui Sol, voluntati mel suavissimum, et eam cælesti satietate replens.

I. Animam. Primo enim, Christus ibi animam satiat, Ps. 105. 15. *Misit saturitatem in animas eorum*, id est ipsis, eorum animo et appetitui dando coturnices in deserto ac manna, Exod. 16. 12. *Vespere comedetis carnes* (coturnices vento flante adductas in eorum castra) *et mane saturabimini panibus*, id est manna, quod Eucharistiæ comparatur et postponitur Ioan. 6. 31. erat enim tantum figura, Christus est res et veritas, v. 56. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Est cibus et potus qui non perit, sed qui permanet in vitam æternam, ideo vere est cibus et potus. Cibi alii cito in fæces et sordes transmutantur et transeunt. S. Thom. 3. p. q. 79. artic. 1. ait, omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quam sustentat, auget, reparat et delectat, id totum facere hoc sacramentum quantum ad vitam spiritualem. Intellectus satiatur per considerationem tot miraculorum, quæ ibi sunt, de quibus alias. Voluntas, suavitate tam divini cibi et donatione virtutum. Memoria, habens in se memoriam mirabilium Dei, Psal. 110. 4. Aristoteles in problem. docet, dulcia, quæ multum habent nutrimenti et parum superflui, in modica quantitate multum replere, alia autem e contrario. In Eucharistia tria tantum sunt, natura scilicet ac persona divina Verbi, et consequenter Pater et Spiritus sanctus; 2. corpus Christi; 3. anima eius. Hæc vero sunt maxime nutritiva, itaque sub qualibet minima quantitate hostiæ satiant appetitum. Invento ab hominibus frumento, glandes suibus relictæ sunt: reperto Christo, omnes carnis et mundi deliciæ, ad porcos, cum quibus famebat prodigus, amandandæ sunt. S. Cypr. serm. de cœna Domini. *Hoc*, inquit, *uno contenti ferculo omnes mundi huius delicias aspernantur, et possidentes Christum aliquam huius mundi possidere supellectilem dedignantur.* S. Bern. in declamation. homines divitiis, voluptatibus, honoribus et ambitioni addictos, illisque cum aviditate inhiantes, ait esse phreneticos. *Vidi ego*, inquit, *aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fætidissimumque gestiebat haurire vaporem. Porro tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, et si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsum positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus et maxime. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori.* His emblematis repræsentat, 1. avaros, 2. voluptuosos; 3. iracundos; 4. ambitiosos; 5. de suis actionibus vane gloriantes. Hi omnes cibi sunt, molesti, fœtidi, corrosivi, inutiles, noxii, et numquam satiant. Eucharistia cibus est cum delectatione, honestate, pace et tranquillitate appetitum totum explens. Hinc cœna appellatur Luc. 14. 16. et cœna magna. Tertullian. 4. in Marcion. cap. 3. *Utique*, ait, *cœna parata vitæ æternæ saturitatem significat*, imo etiam et vitæ spiritualis in hac vita. Ægyptii sapienter iuvenem pingebant manu altera triticeas ferentem spicas; altera autem vini plenum poculum, colloque appensum papaver: quo indicarent eum, qui in cœna panem et vinum sumpserit, de una quiete somnoque debere cogitare. Eadem rerum terrenarum oblivio per frequentem communionem oritur. In ea dicat anima Ps. 4. v. 9. *In pace* (id est in Christo, qui est verus Salomon et pax nostra, Ephes. 2. 14. et in medio Apostolorum existens, ait Luc. 24. 36. *pax vobis:* supple est, et sit) *in idipsum* (id est ut ait S. August. in Deum, qui ait Exod. 3. 14. Ego sum qui sum) *dormiam et requiescam.*

195. II. Corpus. Secundo, Eucharistia satiat etiam et fortificat nonnumquam corpus. Non dico species sacramentales per miraculum retinere vim suam refrigerandi, reficiendi et nutriendi, qua de re vide Suar. in 3. p. q. 77. S. Thom. Sed supra ordinariam panis aut vini vim Deus nonnumquam accedentes ad hanc escam mirabiliter sustentavit. (Varii multis diebus sola Eucharistia victitarunt.) Primu, Iacobus de Vitriaco Cardinalis ait, *viginti et uno diebus*, virginem quamdam alimonia illa divine sumpta, extra sensus raptam mansisse immobilem, totamque in cælestibus defixam: alias vero deficere solitas nisi illa reficerentur. Secundo, *triginta quinque diebus*, ieiunium non solvit Maria Oigniacensis pane illo mystico tantum enutrita. Tertio, *quinque totas quadragesimas* virgo quædam, Felix nomine, ex oppido Barbarani, Romæ impasta transegit, unico Christo in sacramento suffulta, ut docet Bonsignorius Cacciaguerra in eius vita. Quarto, *quadragesimas non paucas*, S. Catharina Senensis exegit sine cibo, una victitans Eucharistia, cuius sumptione miris afficiebatur modis. Quod et Lucinæ Soncinati contigit. Sexto, *decem menses* primo, panem non attigit, deinde *triennium totum* omni cibo potuque caruit, puella quædam in territorio Tullensi post sumptam Eucharistiam, ut tradit l. 4. Aimonius et Sigibertus: hoc autem accidit Ludovico Pio imperante. Septimo, id non tantum evenit puellis teneris, et ea suavitate ad virtutem attractis, sed ipse Ludovicus Pius

Imp. filius Caroli magni in ultimo vitæ suæ morbo per totos quadraginta dies sola Eucharistia vixit, nullo alio sumpto cibo. Octavo, Petrus de Natalibus lib. 4. refert S. Liberalem sumpta diebus Dominicis singulis hostia sine cibo ac potu reliquam hebdomadam transigere solitum. Lib. 7. autem ait, Abbatem Severum diebus quoque Dominicis singulis mane Eucharistiam, sero panem comedisse, tota autem reliqua septimana ieiunum perstitisse.

Collige ex hac Eucharistiæ virtute tam ad alendam et satiandam animam, quam ad corpus sustentandum, non esse in ea solam corporis Christi figuram, sed ipsum verum eius corpus et sanguinem. Quis enim credat fictitios illos atque phantasticos Heliogabali cibos, medullæ, succi ac nutrimenti plenos esse. Concludeigitur eum S. Ioan. Damasceno lib. 4. de fide cap. 14. *Non est figura panis et vinum, corporis et sanguinis Christi: absit enim hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum.*

ARTICULUS III.

Eucharistia dat lætitiam et vitam.

Secundum cibi divini effectum ponit David lætitiam excitantem ad Deum laudandum, seu fervorem in Dei laudibus, v. eod. 27. Et laudabunt Dominum qui requirunt eum: non bona eius, sed ipsum, qui puro et sincero amore eius desiderio tenentur, eoque frui desiderant.

Vers 27. 2 Pars.

196. Nota primo, Ex cibo et satietate oritur lætitia. Tertul. de ieiunio cap. 7. *Semper*, inquit, *inedia mœroris sequela est: sicut lætitia, accessio saginæ.* De impiis carnali adipe saginatis dicitur, Deut. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit:* Bene pasti vituli subsultim in pratis ludunt. Exod. 32. 6. *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere:* cum adoraverunt vitulum aureum, nempe Apim seu Serapim, q. d. שור *scior*, id est bovis *ap, in* seu *appaim*, facies, id est faciem bovis, idolum in formam bovis conformatum. Viris vero iustis et Christianis omnibus dicit Isaias c. 55. v. 1. seu Christus potius quem inducit invitantem ad sacramentum Eucharistiæ: *Omnes sitientes venite ad aquas* (Expressius Ioann. 7. 37. Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Gregor. Naz. orat. 40. Sitit sitiri Dominus) *et qui non habetis argentum properate* (pauperes præeligit, quia sunt expeditiores) *emite, et comedite: Emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et Lac* (Sept. legerant, et חלב *cheleb*, ideo vertunt) *et adipem.* Unde S. Cyrill. S. Hieron. et Procop. vinum illud et adipem de Eucharistia intelligunt. Nam adeps apud hebræos, est id omne quod est optimum et selectissimum. Quare appenditis argentum non in panibus, *et laborem vestrum non in saturitate? audite audientes* (hoc est diligenter, et attente audite) *et comedite bonum* (nemo bonus nisi solus Deus, ostendit se tibi omne bonum et se offert) *et delectabitur in crassitudine* (Vatabl. in pinguedine, hoc est in cibo divino impinguante) *anima vestra.* Salomon ait Proverb. 24. 13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum* (apum domos et cellula) *dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina sapientiæ animæ tuæ* (Septuag. *sic senties sapientiam in animo tuo.* Sapientia increata et incarnata, nempe Christus, gustatur in Eucharistia) *quam cum inveneris habebis in novissimis spem, et spes tua non peribit.* Hebr. et Syr. non succidetur. Ad has sapientiæ aquas et mel venerat Clemens Alex. in pædagog. ubi sacramentum hoc bonorum omnium fontem vocat *sanctæ lætitiæ fluentum.* Et Drogo Episcopus Ostiensis de sacram. domin. passion. *Unus,* inquit, *idemque cibus, et api mel, et cervo fons aquæ, et panis cor hominis confirmat. Hic est panis solans, sanat ægrotum, revocat sanatum, faciem exhilarat, omne delectamentum et saporem suavitatis habet.* Fons est et fluvius gratiarum, si suavitatem et perennitatem spectes, torrens est, si alacritatem et ubertatem contempleris. S. Bernard. serm. qui incipit, Panem Angelorum: *Potesne, ait, existimare quale et quantum est Sacramentum sacramentorum, et sanctum sanctorum, dulcedo omnium dulcedinum. Hæ sunt spirituales delitiæ sanctorum. Hic bibunt in loco uberi torrentis lactis, fluminis mellis.* Ægyptus licet tota vastetur, fruges, fructus, animalia cæteraque amittat, et ipsos primogenitos suos: eamque ob rem luctu perdita infremat atque ululet, apud filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus, si sumpserint de agni sanguine et posuerint super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, Exod. 11. et 12. Adhæc alludens S. Macarius senior homil. 47. agens de eummunione: *Mactari,* inquit, *decet agnum, et immolari, eiusque sanguine fores inungi: Christus enim verus, bonus et immaculatus, mactatus est, cuius sanguine uncta sunt limina cordis, et sanguis Christi effusus est in Cruce: animæ quidem cedit in vitam, et redemptionem, dæmonibus autem Ægyptiacis in luctum et mortem. Re enim vera sanguis agni immaculati luctus est illis, gaudium autem et exultatio animæ.*

Cibus lætitiam fovet.

Sed præsertim cibus et potu Eucharisticus.

Eucharistia dicitur a Clem. lætitiæ fluentum.

197. Nota secundo, ex hac cælesti lætitia oritur laus Dei et gratiarum actio. *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Hoc optime exprimitur psal. 62. 6. *Sicut adipe et pinguedine repleatur* (S. Hier. implebitur) *anima mea* (Chald. saturabis animam meam in lege) *et labiis exultationis laudabit os meum.* S. Bern. serm. 45. in Cantic. dicit animæ linguam esse fervorem devotionis. Eam linguam habebat Sponsa cum dicebat Sponso suo Christo Cant. 1. vers. 1. *meliora sunt ubera tua vino.* Hoc de Eucharistia explicat Aponius et S. Chrysostomus, quem lege hom. 60. ad popul. et 83. in Matth. Inde incipit canticum, sciens se sine hoc osculo et lacte non posse læto corde et puro ore cantare. Qui vero illum amatorem et cibum habet, non potest non cantare et iubilare. S. Cypr. serm. de cœna Domini: *Mira sunt,* ait, *quæ sentit, magna, quæ videt, inaudita, quæ loquitur, quem agnus iste cælestis inhabitat: cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat et delectat. Panis iste Angelorum omnia carnalium saporum irritamenta, et omnium exuperat dulcedinum voluptates.* S. Ephrem. lib. de nat. Dei non scrut. Hoc sane, inquit, excedit omnem admirationem, omnem montem, omnemque sermonem.

Eucharistiæ sumptioni succedit laudem Dei.

Christus et Apostoli nobis exemplo præiverunt, qui post sumptam Eucharistiam hymnum cecinerunt. Matth. 26. 30. *Hymno dicto* (Gr. ὑμνήσαντες, cum hymnum dixissent aut cecinissent. Ut enim ait S. Aug. psal. 72. hymnus canitur. Arab. laudem dederunt) *exierunt in montem.* Eucharistia cum gratiarum actione percepta ducit ad perfectionis montem, et ad oleas id est misericordiam Dei. S. Chrysost. illum considerans hymnum, monet Primo eos qui cibos corporales sumunt, ut gratias agant. Sic enim hom. 83. *Audiant omnes qui, καθάπερ χοῖροι ἐσθίοντες λακτίζουσι τὴν τράπεζαν, quasi porci cum iam comederint, eversa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant, et in hymnum a mensa decenire.* Secundo, monet eos, qui ad sacram synaxim accedunt, ut ad eam veniant cum gratiarum actione, et ab ea recedant etiam cum eadem gratitudine, sicut fecit Christus. Addit enim: *Audiatis etiam, quicumque ultimum mysterii orationem non expectatis, quæ illius symbolum est. Gratias enim egit antequam discipulis daret, ut etiam nos a gratiarum actione incipiamus. Gratias egit, postquam dedit, et hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus.* Et in eadem homilia in admirationem divinæ bonitatis raptus exclamat: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis pastor unquam membris suis oves suas nutrivit? Multæ matres post partum aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit, sed proprio corpore nos alit, et sibi coniungit atque conglutinat.*

Accepta Eucharistia dicendum est cum Davide: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Cum ipse os meum et pectus intraverit, quomodo ab iis laus ipsius recedet? Si rectos decet collaudatio, quomodo non decebit Deo plenos? *S. Chrysost. in Psal. 51. Cum, ait, ad Achimelech profectus David sacerdotum cibum degustarit, immutato gustu suo: vel, ut alii interpretes habent, moribus suis, Deo laudes et gratiarum actiones offerebat, verbis utens: Benedicam Dominum in omni tempore.* Ita Chrysost. Citat titulum Psal. 33. qui ab illis ver-

bis, Benedicam Dominum, etc. incipit. Titulus autem sic habet: *Davidi, cum immutavit vultum* (Hebr. טעמו *taham*, id est gustum, sensum, consilium, rationem. Chald. cognitionem. Gr. πρόσωπον vultum) *suum coram Achimelech* (non sacerdote, ut dixit Chrysostomus, sed Rege, q. d. coram Achi Rege. Nam מלך *melech*, Regem significat) *et dimisit eum, et obiit.* Hunc locum clarissime de Eucharistia explicat S. Augustin. et ibi maxime urget hæreticos, qui sunt Achis, id est inquirentes, quomodo id fieri possit, ut Christus ibi sit. Verba eius sunt: *Achis interpretatur quomodo est* (Hebr. אך *ach*, id est quomodo, יש *ies*, est) *Abimelech interpretatur, patris mei regnum. Coram regno patris sui mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit. Quia ibi erat sacrificium secundum ordinem Aaron, et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Mutavit ergo vultum suum in sacerdotio: et dimisit gentem Iudæorum, et venit ad gentes.* Et aliquot interiectis subdit: *Quomodo ferebatur in manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas, et ipse se portabat quodammodo, cum diceret Matth.* 26. *Hoc est corpus meum.* Hæc et alia habet Concione 2. in illum psalmum, sed longe fusius conc. 1. Dicamus et nos cum Origene contra Celsum: *Habemus eius gratiarum actionis symbolum panem qui Eucharistia vocatur.* Eucharistiæ enim significat bonam gratiam, seu gratiarum actionem. Nicolaus Cabasilas in expositione liturgiæ multa habet de Eucharistiæ nomine, quæ huc transferri possent.

198. Nota tertio, Hæc lætitia et laus Dei in sacramento Eucharistiæ præsertim pauperibus reservatur. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Ratio est quia cum in hoc sacramento Christus sese exinaniat, vult quoque se illis communicare, qui non replentur bonis terrenis, sed iis sunt vacui, præcipue spiritu et affectu. Hinc dicitur Ps. 67. 11. *Parasti in dulcedine tua* (Gr. ἐν χρηστότητι in benignitate. S. Hieron. vertit, in bonitate. S. Aug. legit in suavitate) *tua pauperi Deus.* Dulcedo, suavitas, bonitas et benignitas maxime Christi propria est Eucharistia, aliæ enim sunt extra ipsum, sed hæc illi est intima. De eo sacramento illum locum Dion. Carth. exponit, sicut S. Aug. Ps. 68. 33. *Videant pauperes* (S. Hier. mansueti. S. Aug. *inopes*, sine ope et sine opibus) *et lætentur* (S Hier. lætabuntur) *quærite Deum* (Psalterium Rom. quærite Dominum. Velitis nolitis, servi esse debetis, sed Dominum nullum meliorem reperietis.) *et vivet anima vestra.* Hebr. cor vestrum. Sic autem ad rem præsentem ait S. Augustinus. *Magis inopes sint, ut saturari mereantur: ne, cum superbiæ saginam eructant, negetur eis panis, quo salubriter vivant. Quærite Dominum inopes, et esurite et sitite. Ipse enim est panis vivus, qui de cælo descendit, etc.* Et S. Ambros. in Psal. 118. *Venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas sacramenti, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam inducat de remissione peccati, curas sæculi huius metum mortis, sollicitudinesque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit animus: non confunditur, sed consecratur.*

Eucharistia lætificat præsertim pauperes.

199. Tertius cibi Eucharistici effectus, a Davide prænunciatus, est dare vitam. Neque enim lætitiam inanem et evanidam donat, sed succi plenam et medullæ. Unde additur vers. eod. 27. VIVENT CORDA EORUM (S. Hieron. et Syr. *cor eorum.* Qui de eo cibo participant, ut decet, sunt cor unum et anima una) IN SÆCULUM SÆCULI. Hebr. in æternum. Syr. in sæcula, omnia scilicet. *Sæculum sæculi*, id est sæculum longissimum et interminabile, sicut sanctum sanctorum, id est sanctissimum. Solent Hebræi duo substantiva sic coniungere pro adiectivo et superlativo. Quæres, Nonne alia membra vivent cibo illo divino? Respond. cor nominari præ cæteris, quia primo est fons vitæ et largitor spirituum vitalium et animalium: itaque eo vivente cætera vivunt in vita spirituali, secundo quia maxime cor amat et sibi poscit Iesus, præsertim in hoc sacramento, quod est mysterium amoris summi. Tertio, omnia alia membra in cor mutantur, et in amorem tam

Vers. 27 3. Pars. Eucharistia dat vitam.

amabilis Sponsi et nutritoris.

Nota, vitæ amor ita est omnium mentibus insitus, ut nulla vi impediri possit: ideo Iesus ut ad se in hoc sacramento positum omnes alliceret, ei adiunxit vitam, quæ læto hilarique vultu venientibus abblandiretur: ac medullas arteriasque sumentium subiens, novis eos charitatis divinæ flammis succenderet. Hoc testatum nobis ut esset, sæpius inculcat Christus Ioan. 6. ubi de Eucharistia sermonem esse docent Cornel. Maldon. Bellarmin. tom. controv. 3. lib. 1. cap. 5. et alii. Christus itaque de ea dicit Ioan. 6. 33. *Panis Dei est, qui de cælo descendit* (non in præterito sed in præsenti. Græce enim est, καταβαίνων, descendens) *et dat vitam mundo.* Hoc audientes vitæ cupidi dixerunt, Domine semper da nobis panem hunc, q. d. ait S. Augustin. da panem, qui reficiat, et non deficiat. S. Cyrill. eos comparat Samaritanæ petenti aquam, ut non amplius sitiret. Secundo, v. 35. adiicit: *Ego sum panis vitæ* (imo ipsa vita. Alludit ad lignum vitæ Gen. 2. 9.) *Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet umquam.* Syr. in æternum. S. Cyrill. ibi, ait Christum ostendere corporis sui vitam et gratiam, qua in nobis unigeniti proprietas: id est vita, et ingreditur et permanet. Tertio, v. 48. et seq. *Ego sum panis vitæ* (id est vivus, vitalis et vivificus) *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Quarto, v. 51. *Ego sum panis* (id est cibus. Hebræi passim nomine panis omnem cibum intelligunt) *vivus* (in me, et alios vivificans) *qui de cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Quinto, v. 52. *Panis quem ego dabo* (in ultima cœna) *caro mea est pro mundi vita.* Syr. S. Chrysost. S. Thom. et alii omnes Patres de Eucharist. interpretantur: Non enim tantum se Christus in cruce obtulit victimam cruentam pro mundi vita, sed etiam pro illa quotidie se offert in Eucharistia, velut victimam incruentam. Sexto, v. 54. *Amen* (id est vere) *amen dico vobis. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et* (nisi) *biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, diu scilicet. Ut enim ait Dionys. Carth. Sicut corpus sine corporeo cibo non sustentatur, nec permanet in vita naturali: ita anima sine hoc cibo vivifico, non persistit in vita gratiæ spirituali. Septimo, v. 55. *Qui manducat* (digne, ut ait Rupertus) *meam carnem, et* (id est, vel, ait Cornel.) *bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (quia habet meipsum et habet vitam gratiæ ut dicit Dionys. Carth.) *et ego resuscitabo eum in novissimo die*, in die ultimo iudicii generalis. Octavo, v. 58. *Sicut misit me vivens pater* (qui est vita per essentiam, vita substantialis divina) *et ego vivo propter patrem*, (per patrem et ex patre. Est enim, ut ait S. Cypr. lib. 4. cap. 18. sicut lumen de lumine, sic et vita de vita) *et* (id est, sic) *qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Id est per me: sed vitam etiam totam propter Christum insumat, qui de illo cibo divino nutritur et sustentatur. Nono, v. 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit* (ratione divini suppositi, quod aliter in terra extitit quam ante, nempe unitum humanitati Christi) *non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* S. Ambros. in Ps. 118. Quomodo, inquit, morietur, cui cibus vita est?

Hoc declarat Christus Ioan. 6.

Quæres, Quam vitam et quam perfectam dat Eucharistia? Resp. primo dat vitam animæ per gratiam. Secundo, dat vitam illam vegetam tollendo morbos et infirmitates, nempe peccata venialia, et aliquando mortalia. Tertio, dat vitam illam longam, præservando a peccatis futuris. Quarto, Deo uniendo. Quinto, dat vitam corpori immortalem in resurrectione. 200.

Eucharistia dat vitam quintupliciter.

Primo igitur sacramentum Eucharistiæ dat vitam gratiæ, quia continet Christum, qui omnis gratiæ fons et origo est. Ioan. 1. 4. de Verbo dicitur: *In ipso vita erat.* Vita formalis, q. d. Verbi substantia est vita, ipsum verbum est vita subsistens, essentialiter est vita; 2. vita est causalis, tum naturalis, dans rebus creatis vitam: tum supernaturalis, quia est fons gratiæ et gloriæ. *Et vita erat lux* I.

Dat animæ vitam gratiæ.

hominum, eos illuminans per fidem et gratiam. Ac vers. 17. *Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum facta est.* Quia dedit clariorem notitiam Trinitatis et mysteriorum, deinde instituit sacramenta gratiam dantia. Unde lex eius dicitur lex gratiæ. S. Aug. lib. 17. contra Faustum, cap. 6. gratiam ait pertinere ad charitatis plenitudinem, veritatem ad prophetiarum impletionem. S. Chrysost. per Christum ait factam esse gratiam, quia cum potestate remittebat peccata. David de eo dixit Psal. 35. 10. *Apud te est fons vitæ* (fons vitalis, fons ipsam vitam dans) *et in lumine tuo videbimus lumen.* Et Psal. 33. 6. *Accedite* (Aquila, ἀποβλέψατε; id est respicite, ut etiam vertit S. Hier.) *et illuminamini* (S. Hier. et confluite) *et facies vestræ non confundentur*, prope solem lucebunt et vivificabuntur. S. Ambr. illud considerans, et ad Christum in Eucharistia existentem transferens ait: *Accedite ad eum et satiamini, quia panis est. Accedite ad eum et potate, quia fons est. Accedite ad eum et illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum et liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum et absolvimini, quia remissio peccatorum est.* S. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 12. et 14. Vivificativum Dei verbum, inquit, uniens seipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam: decebat enim nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane et in vino. Secundo, Eucharistia dat gratiam, quia est signum repræsentativum et rememorativum passionis. Ideo id efficit in anima illam recipiente, quod passio fecit in mundo. Tertio, dat gratiam, quia datur per modum cibi et potus; cum igitur cibi et potus sit vitam conservare, augere et reparare, idem facit in vita spirituali hoc sacramentum. Quarto, dat gratiam et certe dari nobis symbola quadam ostenditur, quia panis ex multis granis factus, et vinum ex multis acinis denotat dari in eo sacramento charitatem, charitas autem numquam est sine gratia sanctificante. Vide S. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. et Suar. 3. p. tom. 3. disp. 64. Accede itaque ad Christum, qui est sapientia incarnata, Eccli. 15. 3. *Cibabit illum pane vitæ et intellectus* (Gr. συνέσεως, intelligentiæ) *et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Quod allegorice de sanctissimo sacramento intelligitur.

201. II. Datam vitam conservat per ablationem venialium peccatorum.

Secundo, Sacramentum Eucharistiæ dat vitam vegetam animæ. Primo, quia tollit peccata venialia, datur enim per modum cibi nutrientis. Nutrimentum autem cibi, ut ait S. Thom. citatus artic. 4. est necessarium corpori ad restaurandum id, quod quotidie deperditur per actionem caloris naturalis. Spiritualiter autem quotidie aliquid in nobis deperditur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ diminuunt fervorem charitatis. Et ideo competit huic sacramento, ut remittat peccata venialia. Hinc S. Cypr. serm. de cœna Domini loquens de verbis consecrationis et efficacia ex illis orta: *Ante verba illa*, inquit, *cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, et vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo a Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, etc. Panis iste substantialis, et calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum et holocaustum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates existens.* Ac S. Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 4. dicit esse panem, quem quotidie petimus in oratione Dominica, et vocari, ἐπιούσιον, id est supersubstantialem, quia animæ nostræ substantiam fulcit. Ac postea, ait esse medicinam ad vulnera nostra sananda. *Tu audis*, inquit, *quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, elevatio Domini significetur, et remissio peccatorum: et panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est, cæleste et venerabile sacramentum.* Secundo, Eucharistia

Reatum pœnæ.

tollit reatum pœnæ debitæ ob peccata venialia, et ob mortalia prius condonata, tum quatenus est sacramentum, tum quatenus est sacrificium: non tollit tamen totum reatum, sed secundum modum devotionis et fervoris in eo, qui accedit. Tertio, Eucharistia tollit per accidens peccatum mortale. S. Thom. 3. p. q. 79. art. 3. *Hoc sacramentum*, ait, *perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam et affectum non habet, ipsum purgat. Forte enim primo non fuit sufficienter contritus: sed devote et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet et remissionem peccati.* Hoc debet tollere omnes scrupulos et inanes timores, præsertim in sæpe communicantibus. Nam si Eucharistia tollit peccata mortalia in eo, qui bona fide accedit, quid restat timendum? Hanc sententiam tenet quoque Vega lib. 9. in Trident. cap. 31. Richard. in lib. 4. Sentent. distinct. 9. art. 2. q. 1. Durandus ibid. q. 4. Paludan. q. 1. artic. 1. Suar. disp. 63. sect. 1. tom. 3. in 3. partem, qui sect. 2. docet ad id requiri et sufficere attritionem supernaturalem, quæ tollat adhærentiam voluntatis, et eam a peccata abstrahat. Addit amplius Antonius Hiquæus commentator Scoti in lib. 4. scot. dist. 9. q. 1. Quod magis est probabile in eo casu absque attritione de peccato hominem iustificari per sacramentum. Hoc etiam docet Sotus d. 11. q. 1. art. 4. Ledesma 1. p. 4. q. 20. artic. 4. Iansenius in concordia cap. 131. Vega, Claudius Sanctes rep. 6. in Eucharistiam, et alii. Mihi tamen videtur requiri attritionem.

Et aliquando peccatorum mortalium.

Tertio, sacramentum Eucharistiæ dat longam vitam gratiæ. Præservat enim a peccatis futuris interius roborando, quia cibus est; et exterius protegendo, quia arma suppeditat, ut dicetur fusius Ps. 22. 5. *Parasti mensam in conspectu meo adversus eos, qui tribulant me.* Hinc S. Chrysost. homil. 45. in Ioan. ait, *Sicut leones flammam spirantes sic ab illa mensa recedamus.* Et S. Ambr. lib. de paradiso cap. 9. *Hic est cibus, in quo vita continetur æterna, quo quisquis fuerit defraudatus, morte morietur: quandoquidem panis vivus atque cælestis, ipse Dominus est, qui vitam dat huic mundo: unde et ipse ait. Nisi manducaveritis, etc.* Et lib. 1. de Cain et Abel. cap. 8. *Pascha* (Hebr. significat transitum) *Domini transitus est a passionibus ad exercitia virtutis. Et ideo Pascha Domini dicitur, quoniam et tunc in illo typo agni, veritas Dominicæ passionis annunciabatur, et nunc eius celebratur gratia.* De sanguine Agni paschalis, qui erat figura huius sacramenti, dicit Mosi Angelus Exod. 12. 13. *Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: et videbo sanguinem et transibo vos: neque erit vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.* Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. ait hoc sacramentum nobis datum esse, *tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur.* 202. III. Vitam item prorogat a peccatis præservando.

Quarto, sacramentum Eucharistiæ dat vitam divinam, Deo enim intime unit. Ioan. 6. 57. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet* (per inhabitationem et intimam coniunctionem) *et ego in eo.* S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioannem cap. 31. comparat commistionem atque infusionem Christi in animam iusti ceræ liquefactæ et in aliam effusæ. *Sicut*, inquit, *si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat necesse est; ita si quis carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniatur.* Et paulo post, fermento confert in massam immisso. *Sicut parum fermenti, ut ait Paulus, totam massam fermentat: sic parvula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, et sua gratia replet: et hoc modo in nobis Christus manet, et nos in Christo. Vere enim totum fermentum totam massam pertransit. Et sensus quidem loci huius hic est.* Lege illum etiam lib. 10. cap. 13. In divinam aliquo modo naturam transformat hic cibus. Nam si vere S. Basil. in illud Psal. 81. 6. Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes, dixit: *Is filius est Altissimi, qui studio exercendæ virtutis, se familiarem reddit et amicum: neque hic iam ut homo moritur, cum in se habeat viventem Deum.* Quanto magis hoc dicetur de eo, qui vere et realiter Christum intra se retinet, atque corporaliter? Hugo a S. Victore lib. 1. de anima cap. 50. *Membra*, inquit, *Christi sumus et ipse Christus sumus.* S. Dionys. Areopag. de Eccles. Hier. cap. 1. ait sacerdotem 203. IV. Dat vitam illam Deo uniendo.

in deitatis consortium transire. Et cap. 2. communionem esse *Deificam*. Et cap. 3. eos qui digne communicant, per vitæ sinceræ ac divinæ similitudinem Christo compaginari. Thomas a Iesu de orat. divina lib. 4. part. 4. ait nos esse aliquo modo cum Christo in Eucharistia, sicut ipse est in Patre, et Pater in illo. Et Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. *Spiritualem*, ait, *animæ cibum quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit. Qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

Aristoteles lib. 1. Politicorum cap. 3. notat ex victus et alimenti varietate diversas animalium vitas effici. *Victus*, ait, *alimentique diversitas, etiam diversas ac dispares animalium vitas efficit.* Quis igitur non sentiat a Deo in cibum transfuso vitam divinam effici? Unde sapienter S. Ambros. lib. de paradiso cap. 15. nobis cum Paulo usurpandum ait, Vivo ego, iam non ego: neque terram cum lupis esse manducandam, neque fœnum cum pecudibus, ad quorum pastum nobilitatis ingenitæ obliti nos abieceramus, sed cum Angelis convivendum, dicendumque esse, vivit vero in me Christus. Verba eius sunt lib. de Paradiso, cap. 15. *Et nos habeamus processum huius vitæ, sicut habuit Paulus qui dicit: Vivo ego, iam non ego. Hoc est non ego qui terram ante manducabam: non ego qui fœnum quia omnis caro fœnum, sed vivit in me Christus: vivit panis ille vivus, qui venit de cælo, vivit sapientia, vivit gratia, vivit resurrectio.*

204. V. Eucharistiam corpori dat vitam æternam. Quinto, sacramentum Eucharistiæ dat corporibus nostris gloriosam vitam et æternam. Ob hoc enim maxime corpora fidelium resurgent gloriosa, quia corpus Christi tetigerunt atque receperunt. S. Ignatius epist. 14. vocat Eucharistiam, *panem vivum* φάρμακον ἀθανασίας ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Θεῷ, *pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Iesum Christum, purgans vitia, et omnia pellens mala.* S. Cyrillus Epist. ad Calosyrium, ait eam esse, quasi quoddam vitæ semen. Optatus Milevitanus lib. 6. contra Parmenianum. Pignus salutis æternæ, tutelam fidei, et spem resurrectionis nuncupat. Nicænum concil. primum, dicit esse nostræ resurrectionis symbola, id est signa et arrham. Verba illius, ut sacrum emblema, attexamus: *Hic*, inquit, *in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem et calicem: sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum, et pretiosum ipsius corpus, et sanguinem vere nos sumentes credere esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum: ut sciamus, non ad satietatem, sed ad sanctificationem sumi.* S. Greg. Nyss. in oratione catechetica, corpus Christi in hoc sacramento comparat fermento pastæ saporem suum communicanti. *Quemadmodum*, ait, *parum fermenti totam massam sibi similem reddit: sic et corpus illud, quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert atque transmutat. Nam, sicut pestiferum cum salubri commistum, illud efficit perniciosum: sic etiam corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est, naturæ simile immortali.* Comparare possis cæleste illud ac divinum corpus scintillæ, quæ in paleam aut stupam incidens totam inflammat, et lucidam efficit atque in se transformat. S. Iren. lib. 4. cap. 34. et lib. 5. cap. 2. argumentatur contra eos qui negant perventuram carnem ad incorruptionem, cum alatur corpore et sanguine Domini: ut sicut panis post invocationem sive consecrationem, desinit communis panis esse, ita corpora nostra post perceptionem Eucharistiæ non sint corruptibilia, sed resurrectionis spem habeant. Videtur peculiari quadam ratione, iure ac titulo, immortalitatis effectus huic cibo supersubstantiali et supercælesti attribuendus: sicut ligno vitæ vis erat a Deo indita, ut vitam hominum produceret atque a morte præservaret. Sunt qui putent ob realem contactum et coniunctionem cum carne Christi, fore ut omnes qui perceperint hoc sacramentum, et in gratia mortui fuerint, in cælo habeant pulchritudinis corporeæ notam quamdam specialem, instar aureolæ, quæ assignatur virginibus, Martyribus, et doctoribus. Sed hoc est incertum.

205. Hinc quinque colligenda sunt. I. Novitate vitæ opus esse ad Euchar. accedenti. Ex his conclude primo, vitæ novitate tibi opus est, qui ad hanc sacram mensam, qua spiritus renovatur et vivificatur, accedis. Effectus maxime proprius Eucharistiæ est, ut præter gratiam sanctificantem, corda vivificet instar cibi, et impellat ad actum devotionis ferventis et delectabilis: ut, sicut dixi, vitam ac perseverantem sanitatem conservet, ut reparet vires per concupiscentiæ fomitem imminutas: ut dæmones a nobis arceat, atque eorum tentationes aut prorsus tollat aut imminuat: ut augeat vires et robur per nova gratiæ datæ incrementa. Itaque accede magno ardore atque veluti novus homo. 1. Cor. 11. 7. ait Paulus: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio* (Græc. φύραμα, id est massa farinæ subactæ et aqua maceratæ, ad panem faciendum, vulgo pasta dicitur) *sicut estis azymi.* (Gr. ἄζυμοι, q.d. non fermentati, ζύμη enim est fermentum) *etenim pascha nostrum* (id est agnus noster paschalis, hoc est Christus. Nam pascha, 1. transitum significat: Angeli scilicet transilientis domos Hebræorum et occidentis primogenitos Ægyptiorum; 2. significat victimam pro illo transitu immolatam, nempe agnum) *immolatus est Christus.* Gr. addunt ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis. Non in cruce tantum est immolatus pro toto mundo, sed quotidie in missa pro singulis immolatur. Itaque sicut per septem dies paschales non erat permissum uti pane fermentato sub pœna mortis. Exod. 12. 15. ita tu toties communicans sis azymus, purus, simplex, innocens, impollutus, et tota vita tua sit dies azymorum. Addit Apostolus v. 8. *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque, etc, sed in azymis sinceritatis et veritatis.*

206. II. Ea vita vivendum esse, qua Christus vivit in Eucharistia. Secundo collige, tibi ea vita vivendum esse qua vivit Christus in Eucharistia. Primo, ibi Christus se abscondit et suа sub exiguis speciebus panis et vini: quicquid thesaurorum habet cælestium, quicquid sapientiæ et lucis, exiguo condit clauditque orbiculo et calice. Nam corpus suum, sanguinem, animam, deitatem: imo ex consequenti totam Trinitatem velut in vili testa pyropum aut carbunculum, continet, et ab oculis corporeis subducit. Exclamat Isaias cap. 45. 14. *Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ et Sabaim* (Sabæi: id est omnes gentiles conversi. Est synecdoche) *viri sublimes* (qui quæ sursum sunt sapiunt non quæ super terram) *ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis* (velut bello victi, opera sua mortificantes, se reprimentes) *pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te est Deus* (Vatabl. vertit, *revera in te est Deus*, 1. per circuminsessionem qua Deus es, omnes enim personæ S. Trinitatis sunt sibi intime præsentes. Pater enim est in filio, et filius in Patre, et Spiritus sanctus in Patre et Filio; 2. per gratiam et gloriam, qua homo es) *et non est absque te Deus.* Vatabl. præter quem nullus est alius. Et v. 15. ad rem nostram proprie additur: *Vere tu es Deus absconditus.* Hebræo מסתתר *mistater*, id est abscondens te: voluntaria est tua absconsio. Verbum enim est in coniugatione Hithpael, quæ significat actionem eiusdem in seipsum. Alia versio habet. *Vere tu es Deus absconsionum*, 1. quia ut Deus est invisibilis et incomprehensibilis; 2. ut homo est absconditus propter assumpti corporis arcanum sacramentum, ut ait S. Hieron. 3. in Eucharistia est Deus non unius absconsionis, sed multarum absconsionum. S. Thomas id docet in opusculo de sacramento altaris cap. 8. *Non unam rem tantum*, ait, *in Eucharistia abscondit, sed plures: scilicet personam suam, opus et modum. In his discimus in nobis quoque tria virtuose abscondi: nostram personam, opera nostra bona, et bonorum operum intentionem.*

207. III. Transubstantiatione quadammodo opus esse. Tertio, Christus in Eucharistia ponitur per mutationem et transubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, servatis tantum accidentibus. Ita et tu vitam spiritualem atque cælestem, et in ipsum Christum atque eius vitam converti et transubstantiari debes, mutatus in virum alterum et in novum hominem, reservatis tantum accidentibus vitæ communis: qualia sunt studere, ambulare, comedere, dormire, afficium tuum exequi. S. Thomas opusc. citato cap. 32. *Cum*, ait, *irrationalis*

*

creatura, scilicet panis, per verbum Dei convertatur in corpus Christi, quanta erit peccatoris duritia, vel tanti frigiditas, qui multis verbis ac Spiritus sancti operationibus ad conversionem non perducitur. Eugenius item Pontifex in Epistola ad quemdam conversum ad Deum sic scribit: *Ut id quidem non tibi novum, non impossibile esse debeat, quod in Christi substantiam terreno substantia convertatur, teipsam interroga, qui præterita vilitate deposita subito novam indutus es bonitatem, in exteriori nihil additum, et totum est in interiori mutatum.* Non est cum hypocritis facies exterminanda, interiorem tantum hominem requirit Deus. Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor.

208. IV. *Totum hominem Deo dare se debere in omnibus actionibus.* Quarto, Christus in Eucharistia constitutus totus est in tota hostia, et totus in qualibet parte et puncto. Itaque quot ibi sunt puncta, toties se tibi totum donat: id est infinities. Tu ergo nihil divide; sed in omnibus et singulis actionibus ac vitæ momentis, totum te Deo trade. S. Bonaventura, *Dominus*, inquit, *indivisum et integrum corpus suum obtulit mihi, male ergo dividor, et vel minima mei parte illum defraudo.* In templi dedicatione Salomon vultu in sanctum et sanctum sanctorum obverso, ut Deum ibi in propitiatorio oculis reddentem oraret, flexit genua, et palmis in cælum levatis, ait 2. Paral. 6. 14. *Domine Deus Israel* (populi Deum videntis) *non est similis tui Deus in cælo et in terra: qui custodis pactum et misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Totum da pro toto. Nihil sibi reservat Christus, quod non ponat in illo propitiatorio et misericordiæ throno, nihil tibi etiam reserva. Vaca negotiis tuis, sed cum Deo, coram Deo, in Deo, propter Deum. S. Gregor. Naz. in oratione 19. Postquam S. Nonnæ matris suæ mirabilia erga S. Eucharistiam studium et obsequium exposuit, ostendit nihil hanc pietatem obfuisse familiæ et curis domesticis. *Rem suam domesticam*, ait, *industria sua ita auxit, quasi pietatem colere nesciret: Deo autem ac divinis rebus ita se addixit, tamquam a rerum domesticarum procuratione plurimum abesset: nec ab alterutro horum impedita est, quo minus alterum impleret, quin potius utrumque alterius ope fulciret et confirmaret.* Sic tota erat in domesticis, et tota in divinis: aut potius ipsa domestica in Deum transferebat, et Deum in familiam suam attrahebat.

209. V. *Non esse amplius peccandum.* Quinto, Christus in Eucharistia est impossibilis. Nullum enim agens externum habet ullam vim in eius corpus gloriosum. Itaque sive species panis et vini in lutum conjicias, sive in ignem, sive in aquam, corpus illud beatificatum nihil patietur, licet species sordescant, conculcentur et pereant. Hugo a S. Victore dicit, quod Christus ante passionem diversis temporibus quatuor dotes corporis glorificati assumpserit. Primo, subtilitatem in nativitate, quando exivit de clauso utero Virginis, Isaiæ 7. 14. Secundo, agilitatem, quando ambulavit siccis pedibus super mare Galilææ sive Tiberiadis, id est, lacum Genesareth. Matth. 14. 25. Tertio, claritatem in transfiguratione supra montem Thabor, Matt. 17. 2. Marc. 9. 1. Luc. 9. 29. Quarto denique, impassibilitatem in cœna, quando corpus suum discipulis tradidit manducandum. Hoc ultimum reprehendit S. Thom. 3. p. qu. 81. artic. 3. quia, ut ait Innocentius III. lib. 4. de sacro myster. altar. cap. 12. post medium, tale corpus tunc dedit discipulis, quale habuit. Habuit autem tunc corpus passibile et mortale. Ergo corpus passibile et mortale discipulis dedit. Sed arbitror Hugonem id tantum velle, quod Christus dedit illis corpus suum impassibili modo sub specie sacramenti: sicut dedit iis invisibiliter, quod erat in se visibile. Itaque nihil passum est in manducatione Apostolorum: quia, ut ait S. Thomas ibi, sicut visio requirit contactum corporis, quod videtur, ad circumstans medium visionis; ita passio requirit contactum corporis, quod patitur ad ea quæ agunt. Corpus autem Christi, secundum quod est sub sacramento, non comparatur ad ea quæ circumstant, mediantibus propriis dimensionibus quibus corpora se tangunt, sed mediantibus dimensionibus specierum panis et vini. Et ideo species illæ sunt quæ patiuntur et videntur, non autem ipsum corpus Christi. Hinc idem sanctus Doctor optime concludit in opusc. de sacram. altaris: *Christus in Eucharistia a nullo externo agente pati potest, non ab igne, non ab aqua, non a gladio, etc. Tu ergo cum non possis esse impassibilis, esto saltem cum quadam impassibilitate patiens.*

ARTICULUS. IV.

Eucharistia est memoriale passionis Christi.

210. Vers. 28. 1. Pars. *Eucharistia est memoriale Dei.* Deus, cuius natura bonitas est, delectatur beneficentia, sed a nobis gratitudinem ob dona sua reposcit. Utrumque habet Eucharistia: Nam et Dei donum est, ut vidimus: et nobis in memoriam revocat Dei beneficia. Unde ait David, v. 28. Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Quæres. Quid reminiscentur universi fines terræ, id est, homines totius mundi? Respondet primo S. Augustin. Remigius et alii, homines reminiscentur Dei ipsius, cuius erant per tot peccata obliti: excitabuntur enim ad eam memoriam per fidem, quam prædicabunt Apostoli.

Secundo, Ugo ait nos debere recordari, 1. peccatorum præteritorum, ut doleamus, Is. 38. 13. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* præsentium, ut ea supplantemus, Gen. 3. 15. *Ipsa conteret caput tuum;* futurorum, ut ea fugiamus, Eccl. 21. 2. *Quasi a facie colubri fuge peccata;* 2. beneficiorum præteritorum, ut gratias agamus, 1. Thessal. 5. 18. *In omnibus gratias agentes;* Thren. 3. 19. *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absinthii et fellis;* præsentium, ut ei serviamus, Ps. 18. 19. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei;* Eccl. ult. 23. *Danti mihi sapientiam dabo gloriam;* futurorum, ut nos ad ea præparemus, Matth. 19. 16. *Quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* 3. potestatis Domini, ut eum timeamus, Ier. 10. 7. *Quis non timebit te, o Rex gentium?* 4. sapientiæ eius, ut erubescamus peccare, Prov. 15. 3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos et malos;* 5. misericordiæ Dei, ne desperemus, Ps. 88. 2. *Misericordias Domini in æternum cantabo;* 6. mortis incertæ, ut omnia contemnamus, Eccl. 7. 40. *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis;* 7. adversitatis æternæ, ne in præsenti prosperitate elevemur, Eccl. 11. 8. *Si multis annis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita;* 8. prosperitatis æternæ, ne in præsenti adversitate deprimamur, Eccl. 11. 27. *In die malorum ne immemor sis bonorum.* Ad hæc omnia et alia potest extendi vox ista psalmi nostri indeterminata, *reminiscentur.*

211. *Sed præserum est memoriale Christi patientis.* Tertio, pressius et optime hoc referendum est ad memoriam passionis, de qua pene totus est psalmus: et quidem ad memoriam, quæ habetur per Eucharistiam, cum de ea immediate antea sit actum, *Edent pauperes. etc.* et immediate postea sit dicendum, *Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ.* Sensus itaque est, q. d. sic edentes et saturati divino cibo, et corda vivificata sentientes, excitabuntur ad recordandum Dei sui in cruce immolati, quem in hoc sacrificio incruento recipiunt, fructum passionis eius sentientes. Altaria enim sunt canales structiles, per quos Dei sanguis in animas piorum defluit. Cum Christus Eucharistiam instituit, Apostolos sacerdotes creavit, dicens Luc. 22. 19. *Hoc facite* (quod ego feci: id est, consecrate, offerte in sacrificium, sumite, aliis distribuite) *in meam commemorationem.* Et S. Paulus 1. Corinth. 11. 26. ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis* (vobis et aliis. Syr. in memoriam revocabitis) *donec veniat.* Id est, usque ad diem iudicii. Hinc S. Hippolytus tract. de consummatione sæculi, S. Chrysost. S. Thom. et alii, deducunt sacrificium et sacramentum Eucharistiæ duraturum usque in finem mundi. In liturgia Æthiopica sic habetur: *Nunc autem recordamur mortis tuæ, et resurrectionis tuæ, tibique gratias agimus, quod per sacrificium dignos nos fecisti stare in conspectu tuo.* Idem pene habe-

tor in liturgiis, id est, missis S. Petri, nempe in Romana, cuius canonem quotidie recitamus, S. Iacobi et S. S. Io. Chrys. Quomodo Eucharistia sit memoria mirabilium Dei, dixi Ps. 110. 4. in psalmo nostro hoc indicat Chald. cum vertit: *Recordabuntur miraculorum Dei.*

212. Eucharistia tamen est sacrificium. Dices. Si Eucharistia est memoriale sacrificii passionis, non est sacrificium. Respondeo negando sequelam, quia sacrificia vetera erant figura et repræsentatio sacrificii Crucis, et tamen erant vera sacrificia. Quæres, quomodo Eucharistia est memoriale passionis? Respondeo primo, quia Christus qui immolatus est in cruce, ibi immolatur. Secundo, quia ponitur vi verborum per se primo corpus et sanguis separata. Tertio, hostia et in ea Christus sumitur et quasi sepelitur. Quomodo sit sacrificium vide Ps. 109. 4.

213. Eucharistiam Christus reliquit in memoriam suæ passionis, ob sex rationes. Quæres secundo, cur hanc memoriam suæ passionis voluit Christus relinquere? Respondeo primo, ut iugiter per hoc mysterium honoretur. Hoc docet Eusebius Emissenus, aut potius S. Eucherius, vel Faustus Episcopus Rhegii homil. de Paschate: *Necessarium erat*, inquit, *ut nobis in hac die sacramentum corporis et sanguinis sui consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod offerebatur in pretium, ut quia quotidiana et indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, et perennis illa victima viveret in memoria, et semper præsens esset in gratia.*

I.

II. Secundo, Eucharistiam nobis in passionis suæ memoriam reliquit Christus, ut hac commemoratione et eiusdem sacrificii iteratione placetur Pater Æternus. Origen. hom. 13. in Leviticum: *Invenies*, ait, *commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum.* S. Alexander Papa I. in Epist. Crimina, inquit, atque peccata oblatis his Domino sacrificiis delentur. Idcirco et passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus et sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostiis delectabitur et placabitur Dominus, et peccata dimittet ingentia. Ita ipse. S. Martialis in Epist. ad Burdegalenses cap. 3. si tamen sunt ipsius, et non potius alterius. Quod, ait, Iudæi per invidiam immolaverunt putantes se nomen eius a terra abolere: nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes, hoc solo remedio nobis vitam præstandam et mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem. S. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 58. *Hæc*, inquit, *singulariter victima ab interno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur.* Hoc etiam S. Cæsareo tribuitur, homil. 17. de passione.

III. Tertio, Eucharistiam nobis reliquit Christus in memoriale passionis suæ, ut amorem eius erga nos semper mente versemus. Unde de ipso hoc sacramentum instituturo, ante lotionem pedum ait S. Ioan. cap. 13. vers. 1. *Sciens Iesus, quia* (quod) *venit hora eius, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem* (vitæ: et in finem amoris, id est summo, extremoque amore) *dilexit eos.* Paschasius Radbertus lib. de corpore Christi, cap. 9. hanc causam attingit: *Non obstante*, ait, *Passione, immolatur quotidie in memoriam eius, ut homo videat Dei passi dilectionem: et conversi ex Iudæis habeant hostiam, quo peccata post baptismum condonentur: ut renati in baptismo sint unum per naturam corporis et sanguinis cum Christo, ut Christus per divinam unum cum Patre.*

IV. Quarto, Eucharistiam nobis reliquit Christus in memoriale passionis suæ, ut hac viva tabella ob oculos semper posita ad ferendam crucem doloresque tolerandos magis ac magis animemur. S. Cyprianus sermone de cœna Domini: *Ut semper*, inquit, *passio sit in memoria, nec tereant crucifixi hæredes crucis supplicia. Inebriati enim non habentes sensum huius mundi cruci hæremus, sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam.* S. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 58. Necesse est, ait, ut cum hæc agimus (agit de mysterio Eucharistiæ) nosmetipsos Deo in cordis nostri contritione mactemus: quia qui passionis dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari, quod agimus.

Quinto, Eucharistiam nobis reliquit Christus in memoriale passionis suæ, ut ad varias virtutes exercendas magis incitemur. S. August. in Ps. 75. *Ex ipsa*, inquit, *memoria quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet, qui prima gratia sua nos innovavit.* Cum ea memoria ex hominum mentibus effluet, omnis virtus exterminabitur. Hoc Rupertus monet lib. 2. Officiorum divinorum cap. 10. Refrigescente, ait, quæ hoc modo nunc ubique calet eius memoria, refrigescet universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificii ritum quotidie reparat vocem; quotidie laxat os bibentis et vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain, et maturam indigne fusi sanguinis vindictam reposcens. Ita Rupertus. V.

Concludamus itaque cum S. Bernardo, hanc Dei erga nos in Eucharistia beneficentiam et charitatem sæpius grato animo esse versandam, ut devotius Christum ibi adoremus, eius passi doloribus condoleamus, et mortuo commoriamur. Verba eius sunt serm. 1. in cœna Domini. *Adoro devotius, et recole frequentius, in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: si frater Christi es, commorere fratri tuo.*

Nota, totus sacerdotis ad altare accedentis habitus et ornatus passionem Christi primo ipso intuitu oculis spectantium exhibet. Primo enim Amictus, qui primum capiti eius imponitur, denotat 1. Christum, qui est caput Ecclesiæ, divinitatem in humanitate abscondisse. Ita S. Bonaventura in exposit. myster. missæ: denotat 2. operum fortitudinem, quod supra humeros defluat. Ita Alexander Alensis p. 4. quæst. 26. Sed melius, 3. designat velum, quo Iudæi faciem Christi tegebant, cum incussis alapis impactisque colaphis dicebant Matth. 26. 68. *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* ita Gabriel Biel in canone missæ, lectionibus 11. Alii volunt repræsentari coronam spineam capiti Christi in modum pilei impositam, ita ut totum caput et ipsum eius verticem cingeret atque cruentaret. Sed de velo malim explicare. 214. Sacerdos sacrificans in vestitu et habitu repræsentat Christum patientem, in septem rebus. I In amictu.

Secundum sacerdotis indumentum Alba est, seu tunica linea, quæ ad pedes usque diffunditur. Illa significatur perseverantia in bona actione, quia tali sunt extrema pars corporis, ita Rabanus Maurus; 2. eo quod coloris albi est, denotat divinitatis splendorem, et sacerdotis splendidam conversationem, ut meditatur S. Germanus in theoria rerum Ecclesiasticarum; 3. gloriam resurrectionis, ut ait Stephanus Eduensis; 4. at melius discris cum Durando lib. 3. Rational. cap. 3. designare vestem albam, in qua Christus illusus est ab Herode. II. In alba.

Tertio. Zona sacerdotalem hanc Albam coercet, lumbisque appressa totam succingit, ut fluentem carnis mollitiem stringendam, intemperantesque motus compescendos esse norint ii, qui aras subeunt, sicut docet Beda in collectaneis et Florilegio, capite de septem ordinibus. Secundo, Zona hæc est discretio virtutum omnium: quod impediat, ne tunica laxe per pedes defluat. Ita Albinus seu Alcuinus Caroli Magni præceptor, vel potius familiaris, tractatu de divinis officiis. Tertio, per Zonam illam malim figurari funes, quibus sacrum Agni immaculati corpus vinctum et protractum est, cum ad lanienam duceretur. III. In Zona.

Quarto, Stola in collum sacerdotis iniecta, Primo, iugum Christi suave repræsentat, ut placet Alcuino. Secundo, malim funes Christi collo iniectos denotare. Quod au- IV. In stola.

tem a collo in utrumque latus descendit, crucis in formam complicata, designat primo et prospera et adversa in Christi obsequium prudenter fortiterque ferenda esse. Ita S. Ivo Carnotensis sermone de significatione indumentorum sacerdotalium. Secundo, obedientiam filii Dei usque ad mortem. Ita Stephanus Eduensis. Tertio, passionis pervigilem meditationem in corde, et severam mortificationem in corpore esse circumferendam. Ita S. Bonaventura in exposit. Mysterii sacræ missæ.

V. In manipulo. Quinto, Mapula sive manipulus, ut sacra armilla, in brachium sacerdotis immittitur. Primo, ad extersionem lacrymarum, quæ defluere debent celebranti, et ad manuum emundationem, ut Amalario Fortunato, Bedæ, et plerisque visum est. Secundo, brachio gestatur sinistro, velut cælestis clypeus, ad hostium invoiantium remotionem: vel, ut S. Bonaventuræ placet, ad humilitatem Christi figurandam. Tertio, symbolum arbitror esse vinculorum, quibus Christi insontis Agni manus innoxias, brachiaque impii carnifices implexuerunt.

VI. In casula. Sexto, Casula quæ totum sacerdotem tegit, charitas est, quæ cunctis virtutibus supereminet. Ita Rabanus Maurus; 2. unitas fidei. Ita Ruper. lib. 1. de divinis officiis; 3. dic tu cum S. Germano esse coccineam purpuram, quam Iesu gestandam dederunt ei post flagellationem illudentes, cumque ut regem fanaticum spinis coronantes sceptro arundineo dato.

VII. In corona et cruce. Septimo denique, sacerdos ipse corona vertici imposita insignis, crucem in casula effarmatam dorso ferens, et undequaque vinculis et crucibus circumdatus, Christi viventis ac spirantis expressa effigies videtur, atque altare velut montem Calvariæ ascendit, eamdem omnino hostiam incruento illo sacrificio oblatam rursus immolaturus. Imo Christus ipse ore sacerdotis ac manu velut instrumentis utitur, ut tanquam principalis sacerdos, et æternus secundum ordinem Melchisedech seipsum in holocaustum, in hostiam pacificam, et in hostiam pro peccato adhuc offerat. Hoc expresse definitur in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit.* S. Ambros. lib. 1. Officior. cap. 48. *Umbra in lege*, inquit, *imago in Evangelio, veritas in cælestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus: nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem; et offert se ipse sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.* Cum figuræ vel imaginis nomen audis, ne existimes figuram imaginemve dici corporis, sed passionis, quæ cruenta fuit: hic autem sanguis non funditur.

ARTICULUS V.

Ab omnibus orbis nationibus odoratus est Christus in Eucharistia.

215. A Memoria ad intellectum, voluntatem, et opus delabitur Propheta noster, ut cognoscamus totum hominem huic mysterio debere deservire. Cum enim dixisset de memoria *reminiscentur*, pergit eod. v. 28. ET CONVERTENTUR AD DOMINUM UNIVERSI FINES TERRÆ, id est, omnes homines per totum orbem et extremas etiam eius provincias dispersi. Illa conversio fit, 1. per cognitionem intellectus vertentis ad solem iustitiæ et misericordiæ; 2. per voluntatem radiis eius inflammatam; 3. per actiones redeundo ad suum principium, et ambulando coram Deo et ad Deum. Hebr. ישׁובו *iaschubu*, id est, *revertentur*. A Deo refugerant filii prodigi, sed fame pressi suspirant ad panem supersubstantialem domesticorum Dei, et ad patrem revertuntur, qui convivium hoc illis apparat cum symphonia et suavitate devotionis. Secundo, voluntatis venerationem signate exprimit, *Et adorabunt, etc.* Tertio, actionum humilitatem et corporis subiectionem, v. 30. *In conspectu eius cadent*, ut dicetur suis locis.

(Vers. 28. 2. Pars. Convertuntur ad Deum tripliciter.)

216 Nota, Oblivio Dei facit conversionem ad terrena, memoria Dei facit conversionem ad Deum. De 1. Isaiæ. 44. 18. *Nescierunt* (plastæ idolorum) *neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo, etc.* Unde fit ut ad idolum convertantur, et ante illud se prosternant, sicut additur v. 20. *Cor insipiens adorabit illud*, si saperet, sapientiam adoraret, id est Iesum, qui est Dei sapientia 1. Cor. 1. 24. Dicebant Platonici animas etiam iustorum e cælo in terras demitti, oblitas miseriarum, quas ibi passæ erant, et peccatorum quæ ibi fecerant. Sed detestabilius est, quod impii, similes Lucifero, obliviscuntur creatoris sui, et ab eo sese avertunt, ac in terras devolvuntur. De illorum Philosophorum commentis ait S. August. serm. 143. de tempore, cap. 4. *Exeunt animæ malæ, inquiunt, et quia immundæ sunt, continuo in alia corpora revolvuntur: Exeunt animæ sapientium atque iustorum: et quia bene vixerunt, volant ad cælum. Age belle, belle invenisti illis locum, volantes ad cælum perveniunt. Et quid ibi? Ibi erunt, inquiunt, et requiescent cum diis. Sedes eorum erunt stellæ. Nos solum habitaculum illis invenistis: vel ibi illas dimittite, nolite illas deiicere. Sed, inquiunt, post tempora longa, facta penitus oblivione veterum miseriarum, incipiunt velle reverti ad corpora, et delectabit eas venire: et rursus veniunt ad ista patiendo, ad ista toleranda, ad obliviscendum Deum, ad blasphemandum Deum, ad sequendas corporis voluptates, ad pugnas contra libidines. Veniunt ad istas miserias, unde et quo? Dic mihi quare? quia obliviscuntur.* Ita Aug. Quantum igitur malum est oblivio, quæ a stellis ad lutum revocat? Contra vero, reminiscentia et recordatio ad Deum reducit. Zach. 10. 9. ait Deus: *Seminabo eos* (Christianos) *in populis, et de longe* (in remotis locis; 2. in infidelitate prius positi) *recordabuntur mei: et vivent cum filiis suis, et revertentur* (facient pascha, id est transitum ab errore ad veritatem, a peccatis ad virtutem, a figuris ad rem et veritatem in Eucharistia) *et reducam eos de terra Ægypti* (non amabunt terrena, et a Pharaone discedent) *et de Assyriis congregabo eos* (alludit ad liberationem a captivitate Assyriaca et Babylonica per Cyrum, qui fuit Christus Dei, et verum Christum figuravit) *et ad terram Galaad et Libani adducam eos*, hoc est, in Iudæam, cuius limites ab Oriente et Septemtrione sunt Galaad et Libanus: Allegorice, ad Ecclesiam. *Galaad* idem est atque *acervus testimonii*, et est altare, ubi multæ hostiæ quæ sunt testimonium fœderis inter nos et Deum: vel unica hostia ex multis granis confecta in testificationem charitatis et cum Deo et cum proximo habendæ. *Libanus* idem est quod *albus, candidus*. Species sacramentales candorem habent puritatis Agni immaculati indicem et innocentiæ, quam a nobis exigit; 2. *Libanus* idem est quod *thus*: devotionem et virtutum fragrantiam in Christo ibi immolato reperies; 3. *Libanus* est *cordis filiatio*, vel *ædificatio*. Accede, sed toto corde et totus cor effectus, ibi regenerabit te Iesus, et cor novum et mundum in te creabit, atque totum ex amore et virtutibus ædificabit. Ad reditum ex Babylone invitat Deus Iudæos Ier. 51. v. 50. *Qui fugistis gladium* (Chaldæor. in vastatione Ierusalem, ait Vatablus; vel melius, Persarum et Medorum in vastatione Babylonis) *venite, nolite stare: recordamini procul Domini* (procul, id est, a loco remoto; 2. post 70. annos captivitatis) *et Ierusalem ascendat super cor vestrum*, illa non calcetur et contemnatur. Iesus ascendat super cor nostrum, cum ad nos venit in Eucharistia, ibi sit signaculum super cor, ut inde transeat ad brachium, et omnes spiritus vitales et animales ex corde defluentes illo signati omnes, partes corporis eo sigillent. Ridicula est et falsa Michaelis Mendozæ Burgensis opinio, cum sumitur corpus Christi, non solum id esse in ea parte corporis nostri, quam species sacramentales naturaliter occupare possunt, sed per totum corpus quodammodo diffundi, ac toti omnibusque partibus realiter coniungi, et sese immiscere. Vide Suar. 3. parte, tom. 3. disput. 64. et Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 31. et seqq. atque Claudium de Sainctes repet. 5. de Eucharistia. Sed licet physice hoc non fiat, moraliter fit, dat enim gratias actuales, quibus frænare possit omnes pas-

(216 Oblivio Dei con-... — 217. Memoria Dei ad Deum nos convertit. — Oblivio vertit nos ad terrena.)

siones et corporis membra componere. Vim et oblivionis et memoriæ S. August. complexus est, lib. 14. de Trinitate cap. 13. Gentes, ait, obliviscendo Deum, tamquam obliviscendo vitam suam, conversæ fuerunt in mortem: commemoratæ vero convertuntur ad Dominum, tamquam reviviscentes, reminiscendo vitam suam, cuius eos habebat oblivio. Ita Augustinus.

218. Vers. 28. 3. Pars. Pater ad Euchar. filios, mater filias adducat.

Post conversionem ad Deum sequitur eius adoratio, vers. eod. 28. ET ADORABUNT IN CONSPECTU EIUS UNIVERSÆ FAMILIÆ GENTIUM. Nota pro *familiæ*, Hebr. est משפחות *mispechot*, id est familiæ, cognationes. Et per synecdochen, tribus. Septuag. vertunt πατριαὶ, hoc est, familiæ, cœtus eorum, qui communem habent patrem familias; item tribus. S. August. S. Cyprian. S. Isidor. et S. Prosper reddunt, *patriæ*, id est, parentelæ, familiæ, cognationes, tribus. Felix vertit, *stirpes*. Aquila et Symm. συγγένειαι, id est, *cognationes*, ut reddit S. Hieron. Paterfamilias igitur ad Ecclesiam et altare procedat instar magnæ et fructibus oneratæ arboris, filiis suis ut viridantibus surculis et ramis cinctus; et materfamilias suis filiabus et ancillis, atque adorent Christum, et ante illum ramos suos, flores, et fructus incurvent: sed videant, ut tam sanctis manibus et oculis sint digni. Nota 2. τὸ *in conspectu eius*, id est statim ut illum aspexerint; 2. *coram eo*, ut S. Hieron. vertit: Itaque *in conspectu eius* sumitur tam active quam passive; sed melius active, id est, eo aspiciente, in oculis ipsius. Aspectus ille est vivificativus et purgativus. Nam ut dicitur Ps. 5. v. 5. *Mane astabo tibi* (tunc colligebatur manna) *et videbo: quoniam* (quod vel videbo cum antea cæcus essem, quia tu iniquitatem ut cæcitatem fugabis) *non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos*, qui sunt lucidiores super solem, et fugant iniustitiam, velut tenebras: de iniustis fient iusti coram te.

219. Adoratio duplex est: interior nempe et exterior.

Nota tertio, *adorabunt*, mente scilicet, atque corpore. Nam, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 81. 2. Sicut S. Damascenus dicit lib. 4. de fide, cap. 13. quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet et sensibili, duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quæ consistit in interiori mentis devotione: et corporalem, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod est exterius refertur ad id, quod est interius, sicut ad principalius: ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem: ut videlicet per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo, quia connaturale est nobis, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Ita S. Thomas. Hebr. pro *adorabunt* est ישתחוו *istachavu*, hoc est, *inclinabunt se*, ut vertit Pagn. 2. *genua flectent*, ut Felix; 3. *prosternent se*, ut Vatabl. et Syrus, toto scilicet corpore non tantum inclinatione capitis aut genuum. Alii, *incurvabunt se*; 4. Septuag. προσκυνήσουσι, id est, *venerabunde salutabunt osculantes*: manum scilicet, vel altare, aut ipsam hostiam, cum eam in ore sumunt. Hoc enim significat προσκυνεῖν, a verbo κυνῶ, osculor, suavior, quod usurpat Aristotel. agens de columbis lib. 6. de animal. κυνοῦσιν ἀλλήλας αἱ περιστεραί, *se invicem osculantur columbæ*. Esto columba, et te osculabitur Iesus, et dicet Cantic. 2. 10. *Columba mea in foraminibus petræ* (id est in vulneribus meis meditando et imitando) *in caverna maceriæ* (id est in Sanctorum communione, et Angelorum hominumque beatorum custodia, ut ait S. Bern. Beda, et S. Anselm.) *ostende mihi faciem tuam*, ut eam illustrem, recreem, contempler, osculer, atque in os tuum intrem: ut sicut mansisti in me, velut in petra et arce tua: ita in te maneam velut in throno meo et altari. Tunc audacter illi dices, Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui*. Vatabl. vertit *osculis*. Uno non est contenta. Sed præsertim unum singulare osculum petit: id est, 1. Spiritum sanctum ut ait S. Bern. serm. 8. in Cantic. deinde illuminationem, impulsum et ardorem Spiritus sanctus ut S. Ambros. serm. 90. et S. Greg. Nyssen. hom. 1. in Cant. 3. ardentem et plenam charitatem, tum Christi erga se, tum suam erga Christum, ut S. Gregor. Nyssen. et S. Bernard. serm. 2. In Psalmo nostro, S. Hieron. et Noster aliique verterunt, *adorabunt*, id est manum ad os cum veneratione referendo, quod fit quadrupliciter: primo, manu os tangendo prius, deinde idolum seu imaginem: secundo, prius illa tangendo, deinde os; tertio, solam manum osculando, cum erat remotum idolum seu imago; quarto, solum idolum seu imaginem osculando cum erant in proximo, sicut etiam nunc fit. Vide dicta Ps. 2. 12. Semper autem id fiebat cum inclinatione capitis, vel genuum flexione, vel incurvatione totius corporis. Illa adoratio Dei veri est actus latriæ, et principaliter quidem in interiori Dei reverentia consistit: secundario autem in quibusdam corporalibus signis: sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione ad Deum. Prosternimus autem nos quasi profitentes nos, nihil esse ex nobis, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 2. ad 2.

220. Adorandus Christus, præsertim in altari.

Nota quarto, *adorabunt in conspectu eius*, id est coram altari eius sicut sæpe dicitur in Scriptura *coram Domino*, id est coram arca, propitiatorio, tabernaculo, templo, in quibus præcipue residebat Deus. Sed longe specialius est in nostris altaribus; ideo coram illis prosterni et adorare debemus quod sæpe faciunt Sacerdotes in Missa, caput, genua, corpus totum sæpius curvando, et osculando altare, quod est solium Christi regale: vel certe, sicut arca, scabellum pedum eius. Adoratio, ait S. Thomas artic. 3. requirit determinatum locum, non de necessitate, sed ob triplicem rationem. Primo, quidem, propter loci consecrationem, ex qua spiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis 3. Reg. 8. Secundo, propter sacra mysteria, et alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio, propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Matth. 18. *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. In psalmo autem nostro multi sunt adorantes: primo enim dicitur; adorabunt in conspectu eius *universæ familiæ Gentium*. Secundo, v. 30. *Adoraverunt omnes pingues terræ*. Tertio, in *conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram*, de quibus dicetur postea.

221. Eucharistia est adoranda adoratione latriæ.

Ex his collige, adorandam esse Eucharistiam, et quidem adoratione latriæ. Probatur primo, quia Deo debetur adoratio latriæ, id est religiosi cultus et protestationis, quod Deus est primum principium, Creator omnium, et supremus Gubernator ac Dominus, cui omnes servire debent cum summa reverentia et tremore. Hinc nonnulli λατρείαν, deducunt ab intensiva particula λα et verbo τρέω, id est tremo, q. d. vehementer tremere. Hæc subiectio ac servitus Deo soli potest exhiberi, Matth. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. At Christus in Eucharistia existens, non est minus Deus quam in cælo: ergo non minus est ibi adorandus. Quæres, An eius Humanitas ibi sit adoranda adoratione latriæ? Resp. esse adorandam. Nam, ut ait S. Thomas 3. par. qu. 25. art. 2. Adoratio humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut sit eius sicut rei adoratæ: et sic adorare carnem Christi, nihil est aliud quam adorare Verbum Dei incarnatum: sicut adorare vestem Regis, nihil est aliud quam adorare Regem vestitum. Et secundum hoc adoratio humanitatis Christi, est adoratio latriæ. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quæ fit ratione humanitatis Christi perfectæ omni munere gratiarum, et sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latriæ, sed duliæ. Ita scilicet, quod una et eadem persona Christi adoretur adoratione latriæ, propter suam Divinitatem: et adoratione duliæ propter perfectionem humanitatis. Ita S. Thomas, qui art. 4. docet, una et eadem adoratione adorandam esse Divinitatem Christi et eius humanitatem. Tu illum consule, et alios Theologos. Probatur secundo ex Patribus adorandam esse Eucharistiam. S. August. in Ps. 98. *Nemo, ait, carnem illam manducat, nisi prius adoraverit*; et in psalmo nostro explicat de adoratione Eucharistiæ explan. prima. Vide illum epist. 118. c. 3. et epist. 120. cap. 27. S. Chrysost. hom. 61. ad populum Antioch.

Si pura, inquit, *sunt vestimenta, adora, et communica.* Vide eumdem hom. 83. in Matth. hom. 24. in 1. ad Corinth. et alibi sæpe. Varios Patres infra citabimus, ex quibus hoc intelliges. Itaque reiiciendus est Calvinus et Sacramentarii, qui negant ullo tempore esse adorandam Eucharistiam, et Lutherus qui fatetur eam quidem esse adorandam in ipso usu, sed non extra usum eius: id est in ipsa perceptione Sacramenti, non vero cum asservatur postea in altaribus et ciboriis, aut etiam ante ipsam perceptionem. Quæres secundo, An et quomodo sint adorandæ ipsæ species sacramentales? Respond. adorandas esse ratione contactus Christi: sicut eius vestes adoramus. Sanctus Damascenus l. 4. de Fide c. 12. circa medium: Pretiosum lignum ut sanctificatum tactu sancti corporis et sanguinis decenter adorandum est, clavi, indumenta, lancea, et sacra eius tabernacula, quæ sunt præsepe, spelunca, et huiusmodi.

Ne quid autem dubii cuiquam supersit, et appareat, quam vere dixerit Propheta noster, *adorabunt in conspectu eius universæ familiæ Gentium*, orbem universum decurramus, ut pateat generalis nationum omnium consensus in adoratione Christi in Eucharistia, et agnitione realis et corporalis eius præsentiæ. Hoc cognoscemus primo, considerando Concilia generalia: secundo, nationalia et provincialia: tertio, Patrum auctoritates: quarto, miraculosas variis in Regnis hostias: quinto, Regum ipsorum pietatem, Deum suum ibi esse profitentium et adorantium.

ARTICULUS VI.

Concilia Œcumenica quibus orbis universus adorationem Christi in Eucharistia esse debitam satis ostendit.

222. Eucharistia, est centrum Ecclesiæ. ECCLESIÆ centrum qui Eucharistiam dixerit, non errabit, cum a Christo ibi posito omnes gratiæ per totum orbem deriventur: et vicissim ad eum omnes amatores pietatis confluant, ut illi nitantur, illi hæreant, atque in eo veluti radices agant. Hinc in Conciliorum Œcumenicorum loco semper ponitur Eucharistia et Scriptura sacra, ut ibi Dei verbum, et Deus ipse sit lux et moderator.

Concilia Oecum. Christum in Eucharist. agnoverunt, et laudarunt. Decem Concilia breviter decurram, ut appareat quantis elogiis Sacramentum hoc exornare contenderint, et quantum ei tribuerint.

I. Concilium Nicænum I. Primo, Concilium Nicænum primum, quod in sexta Synodo Constantinop. Act. 11. dicitur, θεοφόρον πατέρων συνέδριον, id est, Deum gerentium Patrum conventus, vocat, *divinam mensam, sacram mensam. Pretiosum Christi corpus et sanguinem vere nos sumentes, credere esse nostræ resurrectionis symbola.* Id est, 1. omina et præsagia; 2. notas, signa, indicia; 3. et potius arrham et tesseram, qua visa datur vel hospitium, vel id quod promissum est. Nam σύμβολον, erat etiam signum quoddam vel tessera quam publice dabant civitates quibusdam hominibus sibi amicis, ut hospitaliter et amice acciperentur in oppidis fœderatis, ut ait Budæus ex Lysia: dabatur etiam ab amicis privatam vitam agentibus pro iis et liberis, ut ad civitates suas mutuo venientes sibi adessent, et hospitium præberent; σύμβολον, etiam sumit Pollux lib. 9. pro ea tessera, quæ a Svetonio numaria nuncupatur, qua scilicet ostensa certam summam accipiebant vel operarii, vel pauperes, ut nunc sæpe fit. Denique σύμβολον, erat tessera theatralis, quæ in congiariis, id est muneribus imperatoriis, quibus donabatur populus, iaciebatur a principe, largitionisque speciem ac numorum nobis ostendebat, quæ omnia principis liberalitate obtinebat, prolata tessera, cui fortuito obtigerat, ut refert Dion. Eucharistia autem hæc omnia habet. Quomodo enim non omnia donabit ei Christus, cui seipsum dederit? quomodo non erit ius hospitii in cælo, qui toties Christum visa illo tessera in domum pectoris et cordis sui admiserit? Celebrata est autem hæc Nicæna Synodus Constantini Magni tempore, anno a Christi Nativitate 325. per trecentos et octodecim sanctissimos et doctissimos Patres.

Secundo, Concilium tertium generale fuit Ephesinum primum, quod, ut loquitur sextum Concilium generale, ἐκ θείας ἐνεδρεύσαν βουλήσεως, ex divina voluntate consedit adversus Nestorium: ducentorum et amplius Episcoporum fuit, anno 431. sub Cœlestino Papa congregatum. II. Concil. Ephesinum I. Confirmat porro S. Cyrilli Alexand. anathematismos cum declarationibus. In declaratione autem XI. anathematismi sic habet S. Cyrillus: Τὴν ἁγίαν, καὶ ζωοποιὸν, καὶ ἀναίμακτον ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τελοῦμεν θυσίαν, id est, *sanctum et vivificum, incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus, corpus quod proponitur, similiter et pretiosum sanguinem non communis nobisque similis hominis cuiuspiam esse credentes, sed potius tanquam proprium corpus effectum et sanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes.* Et in Apologetico, ut habetur etiam in part. 3. Ephesini Concilii, idem S. Pater probat Christum habuisse veram carnem, ex eo quod eius caro in Eucharistia comedatur, et dixerit Christus: *Qui manducat meam carnem*; non vero *meam divinitatem.*

Tertio, Concilium quartum generale Chalcedone habitum approbat eamdem S. Cyrilli epistolam cum anathematismis. III. Concil. IV. generale. Anno 452. sacer hic cœtus congregatus est, sexcenti autem et triginta Patres in eo tanta sanctitate et scientia floruerunt, ut a sexta Œcumenica Synodo dicantur, πανύμνητοι καὶ διάδοχοι τῆς πίστεως, id est, omni laude dignissimi, et facem fidei præferentes: et θεία θεόθεν συνέλευσις, id est, divinus divinitus factus conventus.

Quarto, Concilium quintum generale centum sexaginta quinque Episcoporum anno 553. coactum Constantinopoli, Theodorum Mopsuestenum, Ibæ Epistolam, et Theodoreti Cyrensis in S. Cyrillum scripta condemnat, et confirmat eiusdem S. Cyrilli anathematismos atque eorum declarationem. IV. Concil. V. generale.

Quinto, Concilium sextum generale, quod est Constantinopolitanum III. numeravit Episcopos ducentos octoginta novem Anno 680. et 681. Sic autem loquitur actione 8. V. Concil. VI. generale. *Citra sanguinem cæremonias (id est incruentum sacrificium) in Ecclesiis celebramus. Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, et sanctificamur participes effecti*, τῆς ἁγίας σαρκὸς, *sanctæ carnis et pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris, et non ut communem carnem suscipiamus, absit: neque iterum ut viri sanctificati et copulati Verbo per unitatem dignitatis, sive ut divinam inhabitationem habentis* ἀλλ' ὡς ζωοποιὸν ἀληθῶς καὶ ἰδίαν αὐτῷ τῷ λόγῳ, *sed sicut vere vivificatricem et propriam eiusdem Verbi.*

Sexto, Concilium septimum generale, quod est Nicænum II. ostendit Episcopos trecentos quinquaginta cum Archimandritis, id est Abbatibus, plurimis, qui Iconoclastarum hæresim anno 787. tempore Adriani Papæ I. et Constantini atque Irenes Imp. condemnarunt. VI. Concil. VII. generale. Et tamen sanctissimum illud Concilium, licet imaginum venerationem omni modo confirmare niteretur, Epiphanium Diaconum approbavit in quemdam hæreticum agentem, qui Christi Imaginem in Eucharistia esse blaterabat. Sic autem ait ille Epiphanius actione VI. Concilii, fere sub medium. *Isti præceptores novitatis* (Iconoclastæ) *aversi a veritate propter imaginum fractionem*, καὶ εἰς ἑτέραν ἐσχάτην ἀποπληξίας μανίαν κατηνέχθησαν, *etiam in alteram extremam apoplexiæ insaniam delapsi sunt.* Cum scilicet insane negent imagines, maiori insania dixerunt, Eucharistiam esse tantum imaginem corporis et sanguinis Domini: quod ut confutet, provocat ad omnes Patres. *Nullus aliquando*, σαλπίγγων τοῦ πνεύματος ἁγίων ἀποστόλων, ἢ τῶν ἀοιδίμων πατέρων ἡμῶν, *tubarum spiritus, sanctorum videlicet Apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum, quod in commemorationem Christi Dei nostri, atque omnis dispensationis eius efficitur dixit imaginem corporis eius. Neque enim acceperunt a Domino sic dicere vel confiteri, sed audiunt Evangelice dicente eo: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc. Et, Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Affert etiam alia Scripturæ loca quibus hoc probat, dum addit: *Non dixit, Accipite et comedite imaginem corporis mei.* Et infra: *Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, vel Patres, imaginem di-*

xerunt sacrificium sine sanguine, quod per Sacerdotem offertur, sed ipsum corpus, sed ipsum sanguinem.

VII. Concil. IX. Septimo, Concilium nonum generale quod est Lateranense I. quadringentos Episcopos atque Patres alios octingentos, velut cæli siderei lumina, habuit, ut Albigensium et Almarisi hæreses, Abbatisque Ioachimi errores confutarent. Est autem celebratum Anno 1215. in eoque definita est Transubstantiatio panis et vini in corpus Christi et in sanguinem eius. Nam cap. 1. dicitur: *Una est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse Sacerdos et sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina.*

VIII. Concil Constant. Octavo, Concilium Constantiense Episcoporum 240. Anno 1414. inchoatum, et 1418. finitum omittatur, quod non sit a Pontifice approbatum. Ioannis tamen Wicleff articulos contra Eucharistiam condemnat, et illa condemnatio recepta est. Multa etiam ex Concilio Basileensi afferri possent, sed propter eamdem rationem omittatur.

IX. Concil Florent. Nono, Concilium XVI. generale, Florentinum scilicet, centum et quadraginta unius Episcoporum fuit, contra errores Græcorum inchoatum est anno 1438. In instructione autem data Armenis, de communi Latinorum et Græcorum sententia definitur Transubstantiatio: sic enim ibi habetur: *Substantia panis in corpus Christi, et vini in sanguinem convertitur.*

X. Concil. Trident. Decimo denique, Concilium Tridentinum, quod est generale XVIII. contra hæreses, et corruptos sæculi mores anno 1554. inchoatum, et finitum anno 1563. apertissimo ad psalmi nostri locum de adoratione Christi in Eucharistia agit sess. 13. cap 5. ubi hæc sanciuntur: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic SS. Sacramento in veneratione exhibeant*, etc. fuse. Deinde Canone 6. *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, atque adeo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum: vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras, anathema sit.*

Ecce tibi ex octodecim Conciliis generalibus proponimus decem, quæ augustissimi Sacramenti veritatem stabiliant, quis erit tam perfrictæ frontis et oris ferrei, qui in tot sanctissimos et eruditissimos Patres oculos tollere, vel hiscere audeat? Sed si quis est, videat an totius orbis pondus ferre possit. Asiam illi, Africam, Europam, atque Americam opponamus, quæ uno ore Deum in altari latere conclament.

ARTICULUS VII.

Quanta pietate et ordore fidem suam et veritatem erga Christum in Eucharistia existentem testata est Asia.

223. Asia Christum in Eucharist. agnovit, ut patet. PROPHETA noster, ut vidimus, orbem terræ universum Redemptori nostro in aris et arculis proposito, supplicem futurum asseruit vers. 28. *Et adorabunt in conspectu eius universæ familiæ Gentium*, id est provinciæ: non est enim necesse, ut ex omnibus et singulis familiis et domibus fiat adoratio Christi ad verificandam illam prophetiam. Est synecdoche. De Asia quam hoc verum sit, videamus, 1. ex Liturgiis seu missis; 2. ex Conciliis; 3. ex elogiis Patrum, qui amplissimæ huic orbis parti facem prætulerunt.

I. Ex Liturgiis. Primo, in Liturgia seu missa S. Iacobi, quam ab eo scriptam Proclus Episcopus Constantinopol. et Canon. 32. sextæ Synodi generalis testatur, paulo post egressum cathecumenorum, Lectores inchoant hymnum Cherubicum. *Sileat omnis humana atque mortalis caro*, και στητω μετα φοβου και τρομου, *stetque cum metu et tremore, et nihil terrestre*

A *apud seipsam cogitet. Rex enim regnantium et Dominus dominantium*, χριστος ο Θεος ημων προερχεται σφαγιασθηναι και δοθηναι εις βρωσιν τοις πιστοις, *Christus Deus noster progreditur, ut immoletur ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt Angelorum chori*, μετα πασης αρχης και εξουσιας, *cum omni imperio et potentia. Cherubim multorum oculorum, et Seraphim sex alarum*, τας οψεις καλυπτοντα, *faciesque velantia, et cum clamore canentia hymnum. Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.* Hunc vocat Cherubicum hymnum. S. Basilii Liturgiam vide tom. 2. Bibl. Patrum Græcorum. S. Iacobi.

In Liturgia Syriaco serm. scripta, qua Chaldæos totumque Orientem usque ad extremas terras uti ait Thomas Bozius lib. 13. de signis Ecclesiæ, Sacerdos dicit: *Veniat Spiritus sanctus tuus super nos, et super hæc quæ proposuimus dona, et sanctificet ipsa, etc. atque efficiat panem istum corpus gloriosum Domini Dei nostri regnantis super omnia Iesu Christi.* Et Syrorum.

B Secundo, Concilia tantum duo de multis proferam, a duabus Apostolicis Sedibus, quæ solæ in Asia sunt et Apostolicæ, et patriarchales, petita. II. Ex Conciliis.

Antiochenum Concilium primum non levibus de causis ponit Baronius anno duodecimo Gallieni Imper. hoc est Christi 266. In eo Concilio approbata est Epistola Dionysii Alexand. Episcopi contra Paulum Samosatenum dicentem, in Eucharistiæ Sacramento esse Christi sanguinem corruptibilem: in eum autem pluribus agit Dionysius, et concludit: *Spiritus sanctus effusus super omnem carnem manet plenus: et sanguis idem sanctus atque vivificus ex profundo divini lateris effusus manet plenus: et Christus idem, qui se exinanivit, et sanguinem suum incorruptibilem, et vivum, ac vivificum nobis effudit.* In Eucharistia scilicet, de cuius typo, agno Paschali, immediate antea egerat. Extat hæc Epistola a Turriano nostro latinitate donata, in tom. 1. Bibliot. Patrum Græcorum. Quæ in hac Synodo statuta erant, confirmata sunt in secundo Concilio Antiocheno adversus eumdem Paulum anno secundo I. Antiocheno.

C Aureliani Imp. Christi vero 272. ut docet Baronius. Huius Concilii celebritatem et frequentiam discimus ab Eusebio lib. 7. Historiæ, cap. 13. *In postremo*, inquit, *Concilio Episcoporum, numero pene infinitorum, etc. ab universa et Catholica Ecclesia, quæ sub cælo est, penitus exturbatus fuit.*

Concilium Ierosolymis, quæ altera est sedes Patriarchalis in Asia, celebratum anno 1136. Innocentii Papæ II. septimo, ut docet Baron. pro indubitato haberi voluit, Christum in Eucharistia contineri. Tradit illi interfuisse Maximum Armeniorum Pontificem, imo omnium Episcoporum Cappadociæ, Mediæ et Persidis, et utriusque Armeniæ principem et doctorem eximium: unde Catholicus dicitur. Bozius lib. 13. de signis Ecclesiæ tradit ex quorumdam sententia, Episcopos mille illi parere. II. Ierosolymitano.

Tertio, quis Patrum Asiaticorum catalogum contexat, qui certatim Eucharistiam miris laudibus extollere, et Christi in ea præsentiam confirmare moliti sunt? III Ex variis PP

D In prima Asiæ patriarchali sede, nempe in Antiochena, quam S. Petrus fundavit, sede ibi per septennium posita, S. Ignatius ipsis Apostolorum temporibus floruit. Nam in Epistola ad Smyrnenses, asserit, vidisse se Christum non solum ante passionem, sed etiam post resurrectionem. Is autem tantus et tam antiquus Pater in Epist. 14. quæ est ad Ephesios scripta, de Eucharistia sic loquitur: ενα αρτον κλωντες ος εστι φαρμακον αθανασιας, αντιδοτον του μη αποθανειν, αλλα ζην εν θεω, δια Ιησου χριστου, καθαρτηριον αλεξικακον. *Frangentes panem unum, quod pharmacum est immortalitatis, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Iesum Christum, et medicamentum omnia expellens mala.* I. S. Ignatio.

In altera Asiæ sede patriarchali, nempe Ierosolymitana, sedit S. Cyrillus eo tempore, quo Alexandriæ S. Athanasius, qui Concilio Nicæno I. interfuit. Is catech. 4. Mystagog. *Sic*, inquit, *Christophori erimus, id est Christum ferentes, cum eius corpus et sanguinem in membro nostra receperimus, atque ut S. Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficiemur.* II. S. Cyrillo.

Celeberrimi et sanctissimi Asiæ Patres extitere, S. Basilius Archiep. Cæsareæ, S. Greg. Nyss. Episc. S. Greg. Nazianz. S. Chrysost. S. Iustin. S. Ephrem, S. Ioan. Damascenus: illos breviter audiamus.

III. S. Basilio. Primo, S. Basilius tom. 1. lib. 2. de Baptism. qu. 2. *Dominus*, loquit, *dicens: Templo maius est hic, instruit nos*, ετι τοσουτον ασεβεστερος εστιν, *tanto sceleratiorem et impium magis esse eum, qui cum impurus sit, corpus Domini audet in sacrificium offerre, qui seipsum pro nobis oblationem*, και θυσιαν τω θεω εις οσμην ευωδιας, *et hostiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ dedit: quanto corpus unigeniti Filii Dei excellentius est arietibus et tauris. Excellentius dico, non collationis ratione*, ασυγκριτος γαρ υπεροχη. *Est enim excellentia incomparabilis.*

IV. S. Greg. Nyssen. Secundo, S. Gregor. Nyss. in orat. catech. *Fidelium*, ait, *corporibus coniungitur* Christus in Eucharistia, *ut ea coniunctione cum immortali homo etiam immortalitatis particeps fiat.*

V. S. Iustin. Tertio, S. Iustinus Martyr, Neapoli Palæstinæ natus in Apologia 2. ad Imp. Antoninum. *Non enim*, inquit, *ut communem panem, neque communem potum hoc sumimus; sed sicut per Verbum Dei incarnatus Iesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem pro salute nostra habuit: sic etiam per preces Verbi Dei ob ipsa Eucharistiam factum cibum*, εξ ης αιμα, και σαρκες κατα μεταβολην τρεφονται ημων, εκεινου του σαρκοποιηθεντος Ιησου και σαρκα, και αιμα εδιδαχθημεν ειναι. *Ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus.*

VI. S. Ephrem. Quarto, S. Ephrem, Syrus natione, lib. de Natura Dei non scrutanda cap. 5. Participa, loquit, immaculato corpori Domini tui, fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis.

VII. S. Ioan. Damasc. Quinto, S. Ioan. Damasc. lib. 4. de fide, cap. 14. clarissime et fusissime. Nam postquam verba exposuit, quibus Christus usus est in institutione huius Sacramenti, subdit: *Quamobrem si sermo Dei vivus est et efficax, ac Dominus omnia quæcumque voluit fecit. Si dixit, fiat lux, et facta est. Fiat firmamentum, et factum est. Si verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Si cælum et terra, aqua item et ignis, aer, et omnis eorum ornamentum, Domini verbo completum et absolutum est, atque hoc etiam nobilissimum animal, quod homo nuncupatur. Si ipsemet Deus Verbum, postquam ita voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris et immaculatis sanctæ ac semper Virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit. Quid tandem offerri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino et aqua sanguinem suum efficere queat?* Et paulo post idem S. Pater: *Quemadmodum*, ait, *naturaliter per cibum, panis: et vinum et aqua per potum, in comedentis ac bibentis corpus et sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a primi ipsius corpore diversum: sic propositionis panis et vinum, et aqua, per sanctus Spiritus invocationem et adventum, mirabili modo in Christi corpus et sanguinem vertuntur, nec sunt dua, sed unum et idem.*

S. Gregor. Naziaoz. et S. Chrysost. Europa sibi vindicat ob collatum honorem in urbe Imperatoria.

224. IV. Ex Rabbinis. Hoc non incommode adduci possunt Rabbini, qui de hoc mysterio egerunt. Rabbi quidem Iudas ad cap. 28. Num. *Panis facierum*, ait, *coram me semper*. Quare dicatur panis facierum, ratio est: transmutabitur ex substantia panis, cum sacrificabitur, in substantiam corporis Messiæ, qui descendit de cælis, et idem ipse erit sacrificium. Ideo dicit: Respicietis ad offerendum mihi, id est offerri me. Eritque invisibilis atque impalpabilis. Cuius rei fidem facit zelus Heliæ. Et Magistri aiunt, eam ob rem dictum esse panem facierum: quia in ipso sacrificio erunt duæ substantiæ, Divinitas et humanitas. Ita ipse. R. Hadarsan autem in commentario, super illud Ps. 36. *Qui dat panem omni carni*, sic habet: Panis quem dat omnibus, ipse est caro eius.

225. S. Thomæ mi- Sexto, S. Thomas Indiæ Apostolus singulis annis toti populo Meliaporæ visibiliter apparens, manu propria sacram hostiam porrigebat iis, qui digne accedebant, indignos vero præteribat. Illud anno 1120. Patriarcha quidam Indiæ Ioannes nomine, Romam devotionis gratia veniens, retulit Calixto Papæ XI. Cardinalibus et Prælatis unum in locum congregatis. Ribadeneira noster in vita S. Thomæ 21. Dec. ait, hoc ab aliquibus Auctoribus referri. rabilis appari- tio.

Septimo, S. Xaverius Iaponiæ Apostolus, qui primus in illam insulam totius Orientis extremam intulit Evangelium, ut plurimum genuflexus Eucharistiam populo porrigebat: effectumque est nonnumquam, ut eum Deo sese submitteret, a Deo e terra sublimis spectante populo elevaretur. Sic refert Tursell. lib. 6. vitæ, cap. 5. Proprium, inquit, Francisci erat, ubi commode id fieri posset, Eucharistiam summissis genibus ministrare populo. Et eventus docuit eam rem Deo cordi fuisse. Cosmus quidem Saraina, medicus nobilis, aliique complures viri honesti et graves, liquido affirmarunt, Xaverium in Goano templo positis genibus sacratissimum Christi corpus præbentem populo, sæpe ab se esse conspectum, cum amplius cubito sustineretur divina vi sublimis a terra. S. Xaver. genuflexus dat populo Euchar.

Octavo, in regno Mogoris quidam e Societate Iesu cum sacrum faceret anno 1620. die Natalis Domini, magnis motibus incitatus est ad Tibeti regnum quærendum, quod P. Andrada eiusdem Societatis tandem reperit, longo et periculoso itinere. In eodem regno, in terris Principis Mirza congregatio est Deiparæ dicata, cuius sodales singulis mensibus ad S. Synaxim accedunt, imo ipse Princeps, qui etiam interest corporis flagellationi, quæ in Christi patientis honorem fit singulis diebus Veneris. Ita habetur in Relatione Patrum Soc. anno 1620. Tibeti regnum quærere compellit Christus in Missa.

ARTICULUS VIII.

Quanta pietate cultum suum Christo in Eucharistia existenti exhibuit Africa.

Africæ erga SS. Sacramentum venerationem summam ex antiquis Liturgiis, Conciliis, et Patribus consideremus. 226. Africa Christum agnovit, et adoravit in Euchar. ut patet.

I. Ex Liturgia. I. S. Marci. Primo, in Liturgia seu Missa S. Marci Patriarchæ Alexandriæ, quæ sola pene usque ad nostrum sæculum Patriarchæ in Africa sedes fuit, Sacerdos post verba consecrationis, Christum velut præsentem sæpe alloquitur, et in distributione ipsa Sacramenti, cum corpus dat, ait: σωμα αγιον, *corpus sanctum*. Cum dat calicem dicit: αιμα τιμιον του κυριου, και θεου, και σωτηρος ημων *sanguis pretiosus Domini, et Dei, et Servatoris nostri*. Ac statim postea subiungit: Gratias agimus tibi, Dominator, Domine Deus noster pro perceptione, των αγιων, αχραντων, αθανατων, και επουρανιων μυστηριων, sanctorum, intemeratorum, immortalium, et cælestium mysteriorum tuorum, quæ dedisti nobis in beneficium, et sanctificationem, et salutem animarum, et corporum nostrorum. Eius deinde sanctissimi mysterii fructum postulat, ad omnium virtutum consecutionem. Notandum etiam est, quod in ipsius consecrationis tempore, postquam Sacerdos dixit, *Accipite, comedite.* Diaconus inclamat populo, εκτεινατε, id est, *attendite.* Tum Sacerdos formam super panem pronunciat: *Hoc est corpus meum*, το υπερ υμων κλωμενον και διαδιδομενον εις αφεσιν αμαρτιων, *quod pro vobis frangitur et distribuitur in remissionem peccatorum*; deinde postquam Sacerdos accepto calice dixit, Bibite ex eo omnes, Diaconus contenta voce ait, ετι εκτεινατε, *iterum attendite*, et Sacerdos subnectit. *Hic est sanguis meus novi Testamenti*, το υπερ υμων και πολλων εκχυνομενον, και διαδιδομενον εις αφεσιν αμαρτιων, *qui pro vobis et multis effunditur, et distribuitur in remissionem peccatorum*. S. Matth. cap. 26. 28. habet, effundetur in futuro; S. Marc. 14. 24. Luc. 21. 20. εκχυνομενον, id est, *quod effunditur*, id est offertur et libatur, in ipso scilicet Eucharistiæ sacrificio, sicut in sua specie et forma naturali effusum est in cruce. In ipso enim sacrificio Deus præceperat victimarum sanguinem effundi, primo per iugu-

lationem earum prope altare. Secnndo, per effusionem sanguinis per altaris circuitum, qued est ante estium tabernaculi. Levit. 1. cap. integro. Hinc ipsa effusio dicitur libatio seu libamen. In Eucharistia autem sanguis Christi effunditur in ora sumentium: ideoque sumptio et consnmptie specierum tem panis quam vini, pertinet ad rationem et perfectionem sacrificii. Quomodo Eucharistia sit sacrificium, dicetur, Ps. 109. 4.

II. Æthiopum. Nunc in Africa est altera sedes patriarchalis inter Æthiopes Abyssinos seu Abassinos. In Liturgia seu Missa Æthiopica, quam ab ipsis Apostolis accepisse se profitentur, cum adorande proponitur Eucharistia, sic habetur: *Hoc est corpus sanctum, honoratum, et vitale Domini, et Salvatoris nostri Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam vere sumentibus ipsum, Amen. Hic est sanguis Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui datus est in remissionem peccatorum, et ad vitam æternam consequendam sumentibus ipsum, Amen. Vere hoc est corpus, et hic est sanguis Emmanuel Domini nostri, Amen. Credo, credo ex hoc nunc et usque in sæculum, Amen.*

227. II. Ex Conciliis. Secundo, ex plurimis Conciliis unum seligam, quod ab Africanis Episcopis celebratum est tempore S. Cypriani. Hi ad Cornelium Papam de lapsis agentes: Quos, inquiunt, excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione sanguinis et corporis Christi muniamus.

III. Ex Patr. Tertio, in Africa inter omnes Patres eminuerunt Clemens Alex. Orig. S. Athan. Patriarcha Alex. S. Cyrill. eiusdem sedis Patriarcha, Tertullian. S. Cyprian. Primas Carth. S. August. Lux totius Christiani orbis. Hi omnes aliique permulti de Christi præsentia in Eucharistia aperta locuti sunt.

I. Clemente. Primo, Clemens Alex. lib. 1. Pædagogi. Verbum, inquit, est omnia infanti, et pater, et mater, et altor. Comedite, ait, carnem meam, et bibite meum sanguinem. Hæc apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis. Ita ipse, ubi eum agere de realitate corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, patet ex seqq. cum ait: ω τȣ παραδοξȣ μυϛηριȣ! *O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos iubet exuere corruptionem, sicut et vetus nutrimentum, etc. Alimentum infantium est Dominus, qui est spiritus et Verbum. Alimentum id est Dominus Iesus, hoc est Verbum Dei, est spiritus incarnatus, caro cælestis sanctificata.* Deinde dicit, ut accedamus, επι τον λαθικηδεα μαζον τȣ πατρος, τον λογον, *ad mamillam patris, quæ curarum oblivionem inducit, nempe Verbum.*

II. Origene. Secundo, Orig. hom. 13. in Exod. Nostis, inquit, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Ita Orig. Quid porro tanta cautione opus esset, si figura tantum esset? Atque hom. 5. in divers. Evang. loca, vocat sanctum cibum, incorruptum epulum, panem vitæ.

III. S. Athan. Tertio, S. Athanasius tract. in illa verba: Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, etc. Quæ, ait, locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Quod perinde est ac si diceret: Corpus meum quod ostenditur et datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuique tribuatur, και γινεσθαι παντι φυλακτηριον εις αναϛασιν ζωης αιωνιȣ, et fiat singulis tutamen et præservatio ad resurrectionem vitæ æternæ.

IV. S. Cyrill. Quarto, S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 13. expendens illud Ioannis cap. 6. Qui manducat meam carnem, etc. Non potest, inquit, natura nostra vitæ coniuncta non vivificari. Et quemadmodum si quis scintillam ignis in fœno aut palea occultaverit, totum inde ignitum necessario fiet: sic Verbum Dei, tamquam scintilla, in naturam nostram immissum, totam inde inflammavit, atque ad vitam, interitu penitus destructo, reduxit. Ægyptus plures Patres suppeditaret, sed aliæ regiones lustrandæ sunt.

V. Tertulliano. Quinto, Tertullianus lib. de Resurr. carnis cap. 8. varia Sacramenta percurrens ait: Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro inungitur, ut anima consecretur: caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.

VI. S. Cypr. Sexto, S. Cyprianus Primas Carthaginensis conqueritur de iis, qui ante debitam pœnitentiam ad Eucharistiam accedebant, et serm. 5. de Lapsis ait: *Vis infertur corpori eius et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.*

VII. S. Augustino. Septimo, S. Augustinus Episc. Hipponensis lib. quæstionum in Levit. q. 57. Quid, inquit, sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur? Si illis sacrificiis hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum, a cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. Sed expressissime loquitur in commentario tituli Ps. 33. ut ibi ostendetur.

VIII. Optato. Octavo, Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum. Quid est, ait, tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando et vos obtulistis, frangere, radere, removere, in quibus vota populi, et membra Christi portata sunt?

Nova veteribus assuo. Ex quo enim extremis Africæ partibus fidei splendor affulsit, sacræ quoque hostiæ vis sese exeruit.

Primo, in Æthiopiam interiorem seu Abassiam anno 228. Oviedi Patriarchæ efficax oratio in Missa. 1557. penetravit Andreas Oviedus Soc. Iesu, tum Episcopus tantum, postea autem Patriarchæ Nunnii morte, qui in India obiit, factus eiusdem imperii Patriarcha. Is tantum in Missa apud Deum poterat, ut, cum Fremonenses sibi a finitimorum Barbarorum irruptione imminenti timerent, et pro illis supplex litaret, hanc vocem audiverit, *Fremona illæsa perstabit.* Quod oraculum Pater cum vulgasset, illi suo sese oppido continuerunt: cæterisque vastatis, nihil damni passi sunt. Ardorem unius Æthiopis referam. Anno 1621. Desmachius Buco illustris prosapiæ ex schismate veram ad fidem conversus, post corporis Christi sumptionem iuravit, flammis se corpus libentissimo animo daturum pro fide; seque pro virili effecturum, eam ut omnes amplecterentur, ut constat ex Relatione Æthiopica anni 1621. Æthiopis fides firma de Euchar.

Secundo, in Æthiopia exteriori, quæ maritimam oram omnem versus meridiem complectitur, illustre est quod de patruo Regis Congi refert Maffæus lib. 1. histor. Ind. *Rei divinæ,* inquit, *quanto cum silentio vel tremore potius interesset, ex eo patuit, quod iuveniliter interea strepitum cientes honorarios ephœbos, principum filios, illico mactari imperavit. Indignum facinus ratus, augustissimum illud sacrificium, in quo pro salute hominum Deus ipse immolatur, ab hominibus negligi. Itaque dubio procul adolescentes, levis et quotidianæ apud nos (pudeat) noxæ pœnas capite ipso luissent, ni ætatem ac genus miserati, ac divinæ insuper clementiæ memores Lusitani vehementius obstitissent.* De America dicetur inferius. Fervor patrui Regis Congi. Silendum Missæ tempore.

ARTICULUS IX.

Quanta pietate Europa fidem suam ac venerationem erga Christum in Eucharistia testata est.

Si orbis extrema sacro hoc igne incalescunt, quid ipso 229. terræ in meditullio continget? Si Asia Africaque Christo supplices accidunt, denique aras cumulant, faustisque vocibus delubra complent, quis erit Europæ sensus, quis ardor? cum ex ea, velut ex corde, vitæ opifices spiritus calorque in reliquas orbis partes diffluat? Liturgias, Concilia, Patrumque oracula consulamus, res ut omnibus in aperto sit. Europa Christum in Euch. adorat.

Liturgias Latinorum non congeram, cum in oculos in- In Liturgiis Latinorum.

*

currant tum Romanæ, tum singulis Episcopatibus propriæ. Priscam tantum S. Petri Liturgiam profero, quæ eruta est ex Bibliotheca Regis Christianissimi anno 1595. extatque in 2. tomo Bibl. Patrum Græc. Ibi Sacerdos panem et vinum offerens, ait: *Domine Deus noster, qui te ipse obtulisti pro huius mundi vita, inspice in nos, et super panem istum, et calicem, et* FAC EUM IMMACULATUM CORPUS TUUM: ET PRETIOSUM SANGUINEM, *in perceptionem animorum et corporum: quia sanctificatum et glorificatum est ter venerandum, et magnifice decorum nomen tuum.* Et in Consecratione: *Accipite, comedite. Hoc est corpus meum, quod pro vobis* FRANGITUR. Ac deinde, *Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus.*

Et Græcorum.

Græcorum Liturgias varias afferre possem, sed sufficiat ea quæ a S. Chrysost. scripta est, in qua variis in locis huius mysterii magnitudo elucet.

Quanta enim reverentia pavoreque Sacerdos altare subit, cum ipso ab exordio sic implorationem incipit: *Domine Deus noster emitte manum tuam ex alto habitaculo tuo, et confirma me ad propositum ministerium tuum, ut* CITRA CONDEMNATIONEM *stans ante tuum,* φοβερον βημα, TERRIBILE TRIBUNAL, *incruentum* SACRIFICIUM *peragam.*

Post multas preces Diaconus inclamat: *Quicumque estis Catechumeni, recedite. Catechumeni recedite. Quicumque estis Catechumeni, recedite. Ne quis Catechumenorum maneat.* Si tantum figuram umbramque inesse credidissent, quid fuisset causæ, cur se ulli subducerent.

Interiectis precibus paucis, Cantores hymnum hunc concinunt: *Qui Cherubim mystice repræsentamus, et vivificæ Trinitati ter sanctum hymnum canimus,* πασαν νυν βιωτικην αποθωμεθα μεριμναν, ως τον βασιλεα των ολων υποδεξομεθα ταις αγγελικαις αορατω δορυφορουμενον ταξεσιν. OMNEM *sæcularem sollicitudinem abiiciamus: ut* UNIVERSORUM REGEM *excipiamus invisibiliter stipatum Angelicis ordinibus, Alleluia, Alleluia, Alleluia.* Et Sacerdos interim secreto dicit: *Nullus eorum, qui carnalibus cupiditatibus et voluptatibus est irretitus, dignus est ad te accedere, vel appropinquare, vel tibi ministrare, Rex gloriæ.* Το γαρ διακονειν σοι, μεγα και φοβερον. και αυταις ταις επουρανιοις δυναμεσιν. TIBI ENIM MINISTRARE MAGNUM EST, ET VEL IPSIS CÆLESTIBUS POTESTATIBUS TERRIBILE. Ac paulo post, TU ENIM ES, QUI OFFERS ET OFFERERIS, *et suscipis et impertis.*

In Consecratione denique: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum,* το υπερ υμων κλωμενον, *quod pro vobis* FRANGITUR *in remissionem peccatorum.* Et paulo post, *Bibite ex eo omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti,* το υπερ υμων και πολλων εκχυνομενον εις αφεσιν αμαρτιων, *quod pro vobis et multis* EFFUNDITUR *in remissionem peccatorum.*

Thomas Bozius lib. 13. Liturgiam Græcorum citat; quæ, ut ait, nonnullos ritus sumit a S. Chrysostomo, et laudatur a Concilio VI. Proclo, et Nicolao, Græcisque omnibus. In ea porro sic orat Sacerdos: *Ut mittas Spiritum sanctum super nos, et super hæc opposita munera, et fac Panem istum quidem* PRETIOSUM CORPUS CHRISTI TUI; *et quod est in Calice isto,* PRETIOSUM SANGUINEM CHRISTI TUI, *Amen,* PERMUTANS *sancto Spiritu tuo.*

230. Concilia quis percenseat, præsertim a Berengarii ætate? Latius non vagabor. Galliæ nostræ me finibus claudam, tum illius ut pietas elucescat, tum ut ex ea una de cæteris provinciis coniecturam faciamus. In his porro definita plurima de personis, tempore, loco, præparatione, reverentia, effectu, ipsa veritate, Missæ celebratione, efficacia sacrificii pro mortuis, etc.

Concilia varia Galliæ statuunt ea, quæ ad Euch. pertinent.

Primo, De Personis statuit Concilium Turonense III. celebratum anno 813. Caroli Magni Regis. 45. *Pueris, aut aliis quibuslibet personis adstantibus* CORPUS DOMINI *indiscrete non tribuant.* Can. 19.

De personis, Turonense.

Ipsis Pœnitentibus, qui morti sunt proximi, dari Communionem iubet Arausicanum I. anno 441. Valentiniani III. Imper. anno 17. ubi dicitur, hanc Communionem vocari *Viaticum.*

Secundo, De tempore, Cabilonense II. celebratum anno 813. Regis Caroli Magni 45. præcipit Can. 46. *In perceptione corporis et sanguinis Domini* MAGNA DISCRETIO ADHIBENDA EST. *Cavendum est enim, ne, si nimium in longum differatur,* AD PERNICIEM ANIMÆ PERTINEAT, *dicente Domino, Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* (Ioan. 6. vers. 53.) *Si vero* INDISCRETA *accipiatur, timendum est illud, quod ait Apostolus: Qui manducat, et bibit indigne,* etc.

De tempore, Cabilonense.

Theodulfus Aurelian. Episc. in Capitulari ait, Religiosos pene omni die communicare, alios vero omnes debere communicare singulis diebus Dominicis quadragesimæ. In cœna vero Domini, et in Parasceve, et in vigilia Paschæ, et in die Resurrectionis Domini, penitus AB OMNIBUS COMMUNICANDUM.

Theodulf. in capitulari.

Agathense vero Concilium celebratum anno Christi 506. Alarici Gothorum Regis 22. sic ait Can. 18. *Sæculares, qui Natale Domini, Pascha, et Pentecosten non communicaverint,* CATHOLICI NON CREDANTUR, NEC INTER CATHOLICOS HABEANTUR.

Et Concil. Agathense.

Tertio, De Loco, in quo debeat augustissimum Sacramentum asservari, Concilium Turonense XI. anno 567. Cariberti Regis 6. statuit can. 3. CORPUS DOMINI *in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.*

De loco, Turonense.

Quarto, De præparatione remota, Cabilonense II. ait: *Abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, et* PURIFICANS CORPUS ANIMAMQUE SUAM, *præparet se ad percipiendum* TANTUM SACRAMENTUM, *exemplo David, qui nisi se fassus fuisset abstinuisse ab opere coniugali ab heri et nudius tertius, panes propositionis nequaquam a Sacerdote accepisset.*

De præparatione, Cabilonens.

Quinto, De præparatione viciniori, Concilium Antisiodori celebratum anno 578. Chilperici Reg. 17. statuit Canon. 19. *Non licet presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, post acceptum cibum, vel poculum, Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, stare.* Idem de singulis ad Eucharistiam accedentibus dicendum.

Sexto, De ipsa Susceptione, Antisiodor. cit. Can. 36. *Non licet mulieri* NUDA MANU *Eucharistiam accipere.* Et Can. 42. *Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem suum habeat. Quod si qua non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet.* Hoc ex S. Augustino interserere Gallis nostris liceat, serm. 152. sic ait: *Omnes* VIRI *quando communicare desiderant, lavent manus, et omnes* MULIERES *nitida exhibeant linteamina, ubi* CORPUS CHRISTI *accipiant.*

De susceptione, Antisiod.

Septimo, De tempore sequenti Communionem Concilium Turon. XI. cit. Can. 22. reprehendit eos, qui cum ad domos suas redierint, *Post* CORPUS DOMINI *sacratus dæmoni escas accipiunt.* Idem de qualibet lethifera noxa dixeris.

De tempore post Communionem, Concil. Turon.

Octavo, Effectum Sacramenti affert Hincmarus Arch. Rhemensis in Epistola scripta iussu atque auctoritate Concil. Tullensis II. apud Tusiacum celebrati ab Episcopis quatuordecim Provinciarum anno 860. Caroli Calvi Imper. 21. MENS, inquit, ET CORPUS *Eucharistiæ perceptione* REPARARI, *et satisfactione congrua renovari mentis nostræ spiritus legitur.*

De effectu Sacramenti, Hincmarus.

Et Agathense cit. Can. 14. *Energumeni baptizati, si de purgatione sua curant, et se sollicitudini clericorum tradunt, monitisque obtemperant, omnimodis communicent,* SACRAMENTI IPSIUS VIRTUTE VEL MUNIENDI *ab incursu dæmonii, quo infestantur:* VEL PURGANDI, *quorum iam ostenditur vita purgatior.*

Et Agathense Concil.

Quod vere Christus sit in Eucharistia, patet ex Concilio Turon. cit. Ibi enim Can. 19. *Nullus potuit æstimare, quod auderet ille,* QUI CORPUS DOMINI CONSECRAT, *talia perpetrare.* Hoc est, uti uxoribus, de quibus ibi sermo.

Nono, De Missæ nomine, ipsiusque celebratione in Agathensi, Aurelian. I. et III. Antisiodor. Narbon. Epaonensi, Valensi, Rhemensi, Paris. V. et VI. Metensi, Nannetensi aliisque habetur. Sufficiant nunc duo.

De Missa, varia Concilia.

Rhemense scilicet celebratum anno 813. regni Caroli Magni 45. ubi Canon 6. MISSARUM *discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes intelligerent, qualiter* MISSARUM SOLEMNIA *deinceps* DIGNIUS *celebrare deberent.*

Rhemense.

Et Concilium Turonense I. celebratum anno 461. Se-

Turon.

veri Imper. I. optime officii sui Sacerdotes admonet Canon. I. *Cum Laico abstinentia imperetur, ut possit orationi vacans, et Deum deprecans, exaudiri: quanto magis Sacerdotibus vel Levitis, qui* OMNI MOMENTO *parati esse debent* IN OMNI MUNDITIA ET PURITATE SERVIRE, NE AUT SACRIFICIUM OFFERRE, *aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, quo mente excusabunt*, QUO PUDORE USURPABUNT, QUA CONSCIENTIA, QUO MERITO *exaudiri se credent?* Sacerdotes scilicet sacrificando, et Levitæ, id est Diaconi, baptizando.

De oratione pro mortuis, Cabilon. Decimo, De Oratione pro mortuis facienda in Missa illustris locus est, in Concilio Cabilonensi II. cit. ubi Can. 39. *Visum præterea nobis est, ut* IN OMNIBUS *Missarum solemnitatibus, pro* DEFUNCTORUM SPIRITIBUS *loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro quibuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirum*, NULLA DIES *excipi debet, qua* PRO ANIMABUS FIDELIUM *preces Domino in* MISSARUM *solemnibus funduntur.*

231. De Eucharistia ad ægrotos deferenda dicetur art. 13.

Patres idem sentiunt. AD PATRES diversarum provinciarum veniamus, sed innumeris omissis paucos seligamus.

PRIMÆ orbis totius sedi, nempe Romanæ, primus debetur locus: Leonem tantum ac Gregor. Papam afferam ex plurimis.

Romæ S. Leo. S. Leo Papa in Epist. 23. ad Clerum et populum Constantinopolitanum: *In Ecclesiæ Dei*, inquit, IN ORE OMNIUM TAM CONSONUM EST, UT NEC AB INFANTIUM LINGUIS *veritas corporis et sanguinis Christi* INTER COMMUNIS SACRAMENTA FIDEI *taceatur.*

Et S. Gregor. S. Gregorius Papa lib. 4. Dialogorum, cap. 58. *Quis*, ait, *fidelium, habere dubium possit*, IN IPSA IMMOLATIONIS HORA AD SACERDOTIS VOCEM *cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio* ANGELORUM CHOROS *adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri.*

Constantinopoli, S. Greg. Nazianz. SECUNDA sedes Patriarchalis in Europa est Constantinopolitana. Ex hac sufficient duo totius orbis lumina, Greg. Naz. et Chrysost. qui ibi sederunt.

Gregor. quidem Nazianz. orat. 2. de Paschate, et Agni paschalis comestionem fusissime describit, et ostendit, quid inde ad mores traducere debeamus in Eucharistiæ sumptione, atque concludit: *Quin potius sine pudore ac dubitatione* CORPUS EDE, SANGUINEM BIBE, ει της ζωης επιθυμητικως εχεις, *si vitæ desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidem arrogans, nec ad eos, qui de passione habentur, impingens*, ερηρεισμενος ιςασο, παγιος, βεβαιος, εν μηδενι σαλευομενος: *Innixus sta, firmus, et stabilis, atque ita comparatus, ut nulla in re quatiaris ab adversariis, nec verborum lepore atque illecebris abripiaris.*

Illustre exemplum affert idem Nazianz. orat. 11. quæ est funebris in laudem Gorgoniæ sororis suæ. Illa, ut ait, cum morbo insolito, et *prodigioso* vexaretur, nec vel remedia humana, vel aliorum preces prodessent, intempesta nocte, τω θυσιαςηριω προσπιπτει μετα της πιςεως, και τον επ' αυτω τιμωμενον ανακαλουμενη μεγαλη τη βοη, etc. *Ad altare* CUM FIDE *procumbit, eumque* QUI SUPER IPSO HONORATUR, CUM INGENTI CLAMORE *invocans, omnibusque nominibus appellans, tandem, pia et præclara quadam impudentia effertur. Cum caput suum pari cum clamore lacrymisque altari admovisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quam sanitatem obtinuisset, ac deinde* HOC SUO PHARMACO *corpus totum perfudisset, et si quid uspiam antityporum* PRETIOSI CORPORIS ET SANGUINIS *manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset*, ω του θαυματος! *O rem admirandam! statim liberatam se morbo sensit.*

Et S. Chrysost. Ex Chrysostomo plura et apertissima testimonia proferam alias, nunc satis erit homil. 24. in cap. 10. 1. ad Corinth. illa verba, Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? *Benedictionis*, inquit, *calicem vocas*, το ποτηριον το φοβερον και φρικωδεςατον εκεινο; *illum* TERRIBILEM ET MAXIME FORMIDANDUM *calicem. Certe, inquit, Non est parvum quod dictum est. Nam quando dico benedictionem*, παντα αναπτυσσω τον της ευεργεσιας του Θεου θησαυρον. EXPLICO OMNEM THESAURUM DEI BENEFICENTIÆ, *et magna illa dona in memoriam revoco.*

Et infra: Εκπληττομενοι της αρρητου δωρεας, INEFFABILE DONUM *stupentes*. Ac paulo post, *Quamobrem si* SANGUINEM *inquit, cupis, non aram brutorum idolorum cæde*, αλλα το θυσιαστηριον το εμον τω εμω φοινισσε αιματι, *Sed meum altare* MEO CRUENTA SANGUINE. τι τουτου φρικωδεςερον; τι δε φιλοςοργοτερον; *Quid est hoc horribilius, quid autem amabilius?* Postquam dixit id facere etiam eos qui amant, disparitatem assignat. *Sed qui amant quidem, in possessionibus, pecuniis et vestibus suam ostendunt liberalitatem et magnificentiam*, εν αιματι δε ουδεις ουδεποτε, IN SANGUINE *autem* NULLUS UNQUAM. *Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam, et ardentem in nos charitatem*, etc. Vide ibi plurima. Et homil. 83. in Matth. et lib. 6. de Sacerdotio, ac variis locis.

Venetiis S. Laur. Iustinianus. Tertia sedes Patriarchalis est Veneta. Unus erit instar omnium S. Laurent. Iustinianus, qui tract. de disciplina et perfect. monast. cap. 19. vocat illud Sacramentum, *Cellarium omnium aromatum in se continens pretiositatem et virtutem.* Multa alibi passim habet in eam rem.

In Cypro, S. Epiph. In Cypro S. Epiphanius Episc. Amathuntis floruit, is in Ancorato: *Qui non credit esse* IPSUM VERUM (Christum scilicet in Euchar.) *excidit a gratia et salute.*

In Dalmatia, S. Hier. Dalmatia S. Hieronymum nobis inde oriundum offert, qui in cap. 1. Epist. ad Titum, *Tantum interest*, inquit, *inter panes propositionis et Corpus Christi*, QUANTUM INTER IMAGINEM ET VERITATEM: *inter exemplaria rerorum, et ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.*

In Italia, S. Ambr. Italia offert S. Ambros. Episc. Mediolanensem lib. 4. de Sacram. cap. 4. *Meus panis est usitatus, sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio*, DE PANE FIT CARO CHRISTI. Tum fuse probat, id posse fieri a Deo omnipotente, qui ex nihilo omnia fecit, Christum ex Virgine nasci voluit, etc. Et lib. 3. de Spiritu sancto dicit in Ps. 98. per scabellum pedum eius intelligi carnem Christi. *Quam hodie quoque*, inquit, *in mysteriis* ADORAMUS, *et quam Apostoli* in *Domino Iesu* ADORARUNT.

In Hispania, S. Isidor. Hispania suppeditat S. Isidorum Hispalensem Archiepiscopum, qui lib. 1. offic. cap. 18. PANIS, inquit, *quem frangimus*, CORPUS CHRISTI EST, *qui dicit, Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*: VINUM *autem* SANGUIS *eius est. Hæc autem duo sunt visibilia: sanctificata tamen per Spiritum sanctum*, in *Sacramentum divini corporis transeunt.*

In Anglia S. Anselmus. Anglia dat S. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, qui in cap. 11. 1. ad Corinth. *Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud*, SED IDEM SUBSTANTIALITER, *quod pro nobis redimendis traditur ad mortem.*

In Germania, Ioannes de Ragusio. Germania, in qua Concilium Basileense factum, audiit Ioannem de Ragusio in eodem Concilio in orationem pulcherrimam de Communione sub utraque specie habentem, Bohemos volentes illam extorquere, refutantem. Paulo post initium. *Ego vero*, inquit, *in consideratione huius* DIVINISSIMI SACRAMENTI, *veluti manibus et pedibus, triplici, quod difficile rumpitur, ligatus funiculo, nequeo me explicare. In hoc siquidem divinissimo Eucharistiæ Sacramento* DIVINA OMNIPOTENTIA *ostenditur*, SUMMA SAPIENTIA *explicatur, et* IMMENSA DIVINÆ BONITATIS BENIGNITAS *declaratur*. Quæ tria fusissime probat.

In Gallia, tres eius Apostoli. Gallia nostra tres Apostolos suos S. Dionysium nempe Areopagitam, S. Martialem et S. Remigium ostentat, aliosque permultos: ex quibus S. Irenæum tantum atque S. Hilarium antiquitate, sanctitate, et eruditione spectabiles desumam.

Dionysius Areopag. S. Dionysius Areopagita Episcopus Parisiensis et Galliæ Apostolus, (ut recte docet Baronius tom. 1. Annal.) sic ait libro de Eccl. Hieron. cap. 3. O DIVINISSIMUM, ET SACROSANCTUM SACRAMENTUM, *obducta tibi significan-*

tium signorum operimenta digenter aperi, et perspicue nobis foe appareas; nostrosque spirituales oculos singulari, et operto tuæ lucis fulgore imple.

S. Martialis. S. Martialis Episcopus Lemovicensis, et Galliarum Apostolus in eas a S. Petro missus, Epistola ad Burdigalenses, si tamen est auctor illius Epistolæ. *Quod Iudæi*, inquit, *per invidiam immolaverunt, putantes se nomen eius a terra abolere: nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio* NOBIS VITAM PRÆSTANDAM ET MORTEM EFFUGANDAM. *Hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in sui commemorationem.*

S. Remigius. S. Remigius Archiepiscopus Rhem. qui Clodovæum Regem convertit et baptizavit, ideoque iure Francorum Apostolus dicitur, in cap. 10. prioris ad Corinthios. *Licet*, inquit, *panis videatur*, IN VERITATE CORPUS CHRISTI EST. Dubitatur etiam utrum ea commentaria scripserit.

S. Irenæus antiquissimus. S. Irænæus Episcopus et Primas Lugdunensis probat Christum esse creatorem, ex eo, quod eius Corpus sit in Eucharistia lib. 4. cap. 34. ac deinde subiicit: *Quemadmodum, qui est a terra panis, percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terreno et cælesti: sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam*, IAM NON SUNT CORRUPTIBILIA, SPEM RESURRECTIONIS HABENTIA.

Et S. Hilarius. S. Hilarius denique Episc. Pictaviensis lib. 8. de Trinit. sic loquitur: DE VERITATE CARNIS ET SANGUINIS NON EST RELICTUS AMBIGENDI LOCUS: nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra VERE CARO EST, ET VERE SANGUIS EST. Innumeros prætereo.

ARTICULUS X.

Quanta pietate non verbis tantum, sed factis ipsis Christum in Eucharistia Europa honoravit.

232. Miraculis variis præsentia Christi in Eucharistia probata.

ARTICULIS præcedentibus Liturgias, Concilia, dictaque Sanctorum Patrum retulimus, quibus Christi hoc in mysterio latentis laudes celebrarunt. Nunc alter se, et quidem latissimus aperit campus, in quo certamen amoris video Deum inter atque homines, qui factis, miraculis, et veneratione summa Christum celebrare contendunt: Pater quidem æternus prodigiis orbem complet, homines vero prodigia hæc mirantur, illisque ad amorem ardentiorem Redemptoris inflammantur. Regiones Europæ varias decurramus.

I. In Italia Romæ carne visibiliter apparente.

IN ITALIA. Sanctitate atque eruditione celeberrimus S. Gregorius Pontifex Maximus sacra in mensa solutam in risum mulierem arguit, ciboque divino privat; oratione fusa Hostiam altari impositam CARNEM FACTAM *reperit*, ut loquitur Ioannes Diaconus in eius vita lib. 2. cap. 41. Post preces ad formam pristinam Christus rediit.

Florentiæ sanguine in calice visibiliter apparente.

Florentiæ, ut refert S. Antoninus anno 1230. Vini consecrati species in calice convertuntur in sanguinem, qui vitream in ampullam coniectus in carnem mutatur, quæ adhuc visitur honoraturque: licet, ut ait Thomas Bozius, illius species sint obscuratæ.

In Piceno, ex hostia prunis imposita sanguine decurrente.

In Piceno, ut ait idem Bozius lib. 11. c. 7. anno 1273. Eucharistia prunis a perfida muliercula imposita copiosos sanguinis rivos effudit. Tum tremula pavoreque consternata in fimeto scelus occultare nititur, sed tandem in carnem Hostia conversa invenitur, atque ut testatur idem Bozius: *Visitur adhuc* CARO, *visitur* SANGUIS *vitreis ampullis inclusus Aufidi*, ubi id contigit, summaque veneratione colitur.

In diœcesi Viterbiensi sanguine fluente in manibus sacerdotis.

In diœcesi Viterbiensi, Sacerdotis hæsitantis in manibus sanguis ex Eucharistia profluus stuporem et vacillanti et spectantibus iniecit. Urbanus Pontifex huius nominis Quartus, qui tum Viterbii morabatur, Supplicatione solemni Corporale sanguine rubricatum deferri iussit, atque etiamnum asservatur, et quotannis frequenti in pompa per urbem veneratione summa circumfertur. Hinc ductum festivitatis sanctissimo Sacramento propriæ Platina vult esse exordium, atque ab Urbano IV. institutum, tradit in Urbano.

Quare sapienter Chrysostomus hom. 83. in Matthæum, munditiem a mystis verenda hæc mysteria tractantibus exigit, cum ait: φρικωδεστάτης ἀπολαύων τραπέζης, TREMENDÆ MENSÆ *particeps factus*, etc. *Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui de hoc Sacramento participaturus est? Quot* RADIOS SOLARES *non deberet excedere* MANUS ILLA, QUÆ HANC CARNEM DIVIDIT, *os, quod impletur igne spirituali:* τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ, LINGUA, QUÆ CRUENTATUR HOC SANGUINE TREMENDO.

II. In Francia Parisiis ex hostia cultro percussa.

FRANCIÆ venerationem auxit miraculum, quod Parisiis contigit anno 1290. ubi cum emptam ab anicula pauperculа hostiam in partes scindere Iudæus moliretur, neque res ex sententia procederet, cultro eam percussit, et ex ea manavit sanguis. In Ecclesiam domum illius Iudæi Christiani converterunt, ibique hostiam cum cultro asservarunt, ut tradit S. Antoninus 3. part. hist. tit. 20. cap. 6. Est postea translata in Ecclesiam parochialem S. Ioannis. Vide Spon. anno 1290.

Aureliæ, in ipsa Missa Rege Philippo vidente.

Aureliæ, anno 1181. Sacerdos in Missa sanguine stillantem videt hostiam. Advolat Rex Philippus, hostiam in carnem conversam contemplatur, guttisque sanguineis tincta corporalia, ut ait Vincentius l. 29. spec. hist. c. 24.

Chrysostomo itaque monenti homil. 51. in Matthæum auscultandum. *Quando Sacerdotem* CORPUS *præbere videris, noli Sacerdotis, sed* CHRISTI MANUM TIBI PORRIGI *arbitrari.*

233. In Burgundia Divione ex hostia gladio transfossa.

IN BURGUNDIA. Divione sacra servatur Hostia, coliturque gladio transverberata, sanguineque respersa. Extat de ea re Breve Eugenii Quarti Pontificis, in hæc verba.

Dilecto filio Roberto Anciou canonico Parisiensi, atque in Romana curia dilecti filii, nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ, procuratori Eugenius VI. Papa.

Dilecte fili salutem et Apostolicam Benedictionem. Singularis devotionis zelus, quem ad fidem Catholicam, et sacramentum Passionis Domini nostri Iesu Christi gerere te videmus, merito nos inducit, ut ea tibi concedamus, quæ devotionem tuam, et aliorum Christi Fidelium valeant augere. Tuis igitur in hac parte devotis supplicationibus annuentes, tibi HOSTIAM *quamdam sub imagine Salvatoris in throno sedentis, mirabile Sacramentum Dominici corporis multis in locis a vesana cuiusdam feritate gladii ictibus perforatam, et ex eo* SANGUINE RESPERSAM *in locis perforatis, quæ in sacrario nostro erat recondita, tuæ piæ devotioni concedimus et donamus, volentes, et mandantes tibi, ut eam in aliqua Ecclesiarum, quas possides, aut in alio loco celebri, cum eo* HONORE ET REVERENTIA *recondas, futuris temporibus* VENERANDAM, *prout tanti Sacramenti maiestas et magnitudo requirit. Datum Romæ apud S. Laurentium in Damaso sub annulo nostro secreto. Die 27. Sept. Pontificatus nostri anno tertio.* A Duce Burgundiæ Divione collocata est in sancto sacello, ubi summo cultu honoratur.

III. In Comitatu Burgundiæ Dolæ.

IN COMITATU BURGUNDIÆ hostias quoque e flammis magno ereptas miraculo venerantur.

IV. In Sicilia pietas Regis Alphonsi laudanda.

SICILIA Alphonso suo gloriatur, qui Aragoniæ et Siciliæ Rex Panormi sacræ Eucharistiæ occurrens equo desiliit, eamque ad mulieris usque domum e partus doloribus ad mortem ægrotantis prosecutus est. Compassus deinde pene mortuæ, atque summis cum angoribus confllictanti, cingulum divæ Serenæ afferri iussit, quo iacentis corpori applicato, statim fœtum enixa est salva atque incolumis, teste Ant. Panormitano de gestis Alphonsi lib. 3. cap. 29.

V. In Hispania victoria obtinetur Corporalibus hostiarum cruore tinctis.

HISPANIA vim Christi in Eucharistia potentissimam anno 1239. est experta, cum Valentiæ in regno Christiani perpauci explicatis vexillis in modum corporalibus, Hostiarum cruore mirabiliter tinctis, numerosum Maurorum exercitum fuderunt. Servantur coluntur que sacra hæc linteamina in oppido Dorchora, eo loci a mula nullo ductore prævio delata, quæ Hospitalis domus in medio flexis genibus substitit. Huius miraculi testis locuples est Ludovicus Granatensis in Introduct. symboli part. 2.

Exclama igitur cum S. Ambr. in l. de his, qui mysteriis initiantur, c. 9. *Quid quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Christus Dominus partus ex Virgine?*

234. VI. In Lusitania

IN LUSITANIA suam quoque Christus præsentiam veram ostendit. Vasconcellius noster in descriptione regni Lusi-

sanguis fluit ex hostia.

tanici fol. 549. rem enarrat in hunc modum. Alphonso Rege buius nominis tertio dominante, fœmina Christiana in urbe Scalabi, ut cum viro rediret in amicitiam, Iudææ cuiusdam impulsu Eucharistiam ori insertam, clam mundissimo involvit sudario. Cum domum se reciperet, SANGUINIS GUTTÆ *subinde defluentes, viam signabant.* Sciscitentur aliæ, quid rei esset: illa, novitate perculsa domum celeriter repetit, et in scrinio sudarium occulit. Sed cum, mediis noctis in tenebris, maritus rei ignarus, a scrinio lucem meridiana clariorem erumpere cerneret, rei veritatem pavida uxor aperit. In parœcia Divi Stepheni, ubi Eucharistiam ceperat, magna cum pompa Christus refertur, Sudarium donatum Dominicanis. Hostiam in dicta parœcia ceream in ampullam inseruerunt, *cuius fragmenta etiam nostra tempestate* SANGUINEIS MACULIS *respersa observantur. Longa annorum serie perstitit sacra Hostia cera obvoluta, cum tandem reserata cera præter omnium spem crystalline ampulla visa est* ANGELORUM INDUSTRIA ELABORATA, *quæ sacram particulam ea arte circumdat, ut, unde incipiant, quove desinant structuræ compages, nec visu nec ratione percipi possit.* Sic Vasconcellius.

In ampulla cælitus demissa continetur.

VII. *Mira in illa videntur.*

Mirabile porro quod idem refert etiamnum accidere, cum bis annis singulis visenda sacra hæc Hostia proponitur. Asserit enim multiplices rerum formas figurasque se offerre spectantibus: Alios in crucem actum, alios puerulum adhuc tenellum Iesum, et alia alios intueri: Scireque se ab aliquibus e Societate nostra res admirandas ibi visas esse. Pater Iacobus Cœlius (ut ait Vasconcellius) dicebat vidisse se primo Christum sibi aversum, cumque tristi ubertim lacrymæ fluerent, ex improviso vidisse ad se conversum, tam hilari facie, mœrorem ut omnem detersit. *Anno* 1569. Pater Franciscus a Monclara sacra in ampulla osseam Crucem in tumulo fixam vidit altam palmos decem, Deinde carnea frusta cruore quasi stillantia non sine horrore conspexit. Tum se Christus Resurgentis forma illi videndum proposuit. Tandem Christi simulacrum livore plagisque deformatum, cum illum Pilatus turbis illudendum obiecit, his verbis additis, *Ecce homo.* E tam insolito visu præsagit labores, calamitates, et exitium, quæ classem cum Duce Barreto in ea expeditione manebant. Hæc ille.

Concludamus cum S. Chrysostom. hom. 83. in Matth. In Eucharistia esse, *το κεφάλαιον των αγαθων τȣτο* CAPUT ET COMPENDIUM BONORUM OMNIUM.

235.
VIII. *In Flandria ex hostia ferro confossa defluit sanguis.*

FLANDRIÆ quoque inest, quod miretur atque veneretur. Anno enim 1369. ut refert Cæsarius l. 9. cap. 38. Iudæi Bruxellis in synagoga die Veneris sacræ Hebdomadæ emptas Hostias transverberarunt ferro, copiaque sanguinis ex illis defluxit. Unde factum est, ut Wenceslaus Brabantiæ Dux ac Ioanna Ducissa Iudæos illos omnes flammis addixerint, Supplicationem solemnem omnem in posteritatem decerni curaverint. Tres adhuc Hostiæ summa cum veneratione, ut refert, servabantur Bruxellis.

Sentiamus ergo cum Origene hom. 5. in divers. Evangel. loca. Quando SANCTUM CIBUM, *illudque* INCORRUPTUM ACCIPIS EPULUM, *quando* VITÆ PANE ET POCULO *frueris, manducas et bibis,* CORPUS ET SANGUINEM DOMINI.

IX. *In Germania quoque.*

IN GERMANIA oppido Dekendorst, ad Danubium sito, Hostiam Iudæi pugione percusserunt, cum ictus in irritum caderent, eam ardentem in fornacem coniecerunt, illæsamque incudi imposuerunt. Sed frustra Deum in suum rabidi canes insaniebant. Detecti omnes puniti sunt, hostia vero intacta cum honore servatur, multisque miraculis latentem Christum patefacit, *ut tradit Bredembachius lib.* 1. *sacr. colleq. cap.* 49.

Mirare igitur cum Ambrosio libro de his, qui mysteriis initientur cap. 9. Dei erga te bonitatem. *Iudæis*, inquit, *aqua de petra fluxit,* TIBI SANGUIS E CHRISTO: *illos ad horam satiavit aque,* TE SANGUIS DILUIT IN ÆTERNUM. *Iudæus bibit, et sitit; tu, cum biberis, sitire non poteris.*

X. *In Polonia item.*

POLONIA 1556. in fide Eucharistiæ non mediocriter confirmata est, quod Iudæus in Sachazeto oppidulo hostiam ab ancilla sua emptam transfixit, unde MULTUS CRUOR EMANAVIT. Sigismundi Regis iussu ancilla cum hero exusta est, scelerisque conscii extremo supplicii affecti. Ea res non parum valuit ad Communionem sub unica specie retinendam. *Genebrard. in Chronol.*

Libere itaque cum S. Gregorio in Cantic. profiteamur. *Sancta anima gratiæ genitrice enutritur, dum fide eruditur,* CARNE SUI SPONSI PASCITUR, SANGUINE LAVATUR. Et cum Chrysostomo hom. 24. in 1. ad Corinthios. *Christus in eo, quod est* LONGE HORRIBILIUS ET MAGNIFICENTIUS, *πολλων φρικωδέστερον και μεγαλοπρεπέστερον,* SACRAM CONSTITUIT OPERATIONEM, *ut qui et ipsum mutavit* SACRIFICIUM, *et pro cæde brutorum,* SEIPSUM IUSSIT OFFERRI.

Itaque vere carne Christi pascimur.

Finiamus cum S. Cyrillo Ierosolymitano Catech. 4. mystagog. *Quis deinceps audeat dubitare, eo eodem quoque confirmante et dicente: Hic est Sanguis meus: quis, inquam, dubitet, et dicat* NON ESSE ILLIUS SANGUINEM? Comparat deinde miraculo facto in Cana Galilææ. *Aquam*, inquit, *aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ sola voluntate, et non dignus, cui credamus, quod* VINUM IN SANGUINEM TRANSMUTARIT: *si enim ad nuptias stupendum miraculum operatus est, et non multo magis* CORPUS ET SANGUINEM *filiis sponsæ dedisse illum confitebimur? Quare* CUM OMNI CERTITUDINE CORPUS ET ANIMAM CHRISTI SUMAMUS. Audi deinde apertissimis verbis hæreticos temporis nostri confutantem, cum adiicit: *Nam sub specie Panis datur tibi* CORPUS, *et sub specie Vini datur tibi* SANGUIS, *ut* SUMPTO CORPORE ET SANGUINE, *χριστοφόροι γενώμεθα,* CHRISTUM FERENTES FIAMUS, *cum eius* CORPUS ET SANGUINEM *in membra nostra receperimus.*

Et sanguine potamur.

ARTICULUS XI.

Quam religiose fidem suam atque venerationem erga Christum in Eucharistia contentum testati sunt Europæ Reges?

NE FULGOR redivivi Salvatoris, radios terræ cæloque diffundentis, a sacra nos mensa præ metu revocaret, dixerat Propheta vers. 28 et seqq. fore, ut nuptiale hoc convivium pauperculis, atque ab humana ope destitutis pateret, in eoque ad satietatem et tripudium usque recrearentur: Nunc ne nauseam nobis ingenerent collecti mendiculorum greges, et oculos animumque divino ex epulo ad mundanos splendores sevocet, sceptra nobis, coronasque et conchyliatas vestes affundit, Regesque dominatori suo circumfusos, sibique prono in terram vultu supplices ostentat v. 30. *Manducaverunt, et adoraverunt* OMNES *pingues;* Hebr. *Comederunt et* ישתחוו *istachavu, incurvaverunt se omnes,* דשני *disne, pingues terræ.* Syr. *Comedent et* יסגדון *isghedun, prosternent se coram* מרא *morio, Domino omnes* כפני ארעא *caphne era, famelici terræ.* Qui terre pinguescunt, maiorem in famam ac sitim divitiarum aggerendarum coniiciuntur. Arabs, *Manducabunt, et adorabunt coram* DOMINO *omnes* REGES *terræ.* 236.

Vers 30. I. Pars. Reges ipsi Christum adorant in Euch.

Septuaginta, *Εφαγον και προσεκύνησαν πάντες οι πίονες της γης.* Symm. *λιπαροι.* Petavius, *ολβω βρίθοντες divitiis gravati.* Apollinaris, *αριπρεπέες χθονος ανδρες. Præstantes terræ viri.* Psalterium Romanum, et Gallicum, Omnes divites terræ. *Magnetius:*

Illius ad mensam proceres sedisse iuvabit:
Magnaque submisso cervice iussa sequi.

Pingues terræ, pro superbis accipiunt S. Augustinus et Agellius, eosque aiunt sine fructu manducare et orare. Rectius tamen Valentia et Genebrardus intelligunt divites et abundantes in sæculo. Ego Reges vel maxime includi reor, cum in versu præcedenti dixerit Vates, *Quoniam Domini est* REGNUM, *et ipse dominabitur Gentium.*

Quare brevi decursu variarum Reges provinciarum lustremus, qui Fide firma, Spe constanti, ardenti Charitate, variisque virtutibus coronam suam, et sceptrum summo Principi in Hostia velato summiserunt: atque ab eo, ut a vitæ regnorumque fonte, passo sinu undantia munere exceperunt.

Et varias exercent virtutes in illa adoratione.

NON REFERAM Constantinum Imperatorem, qui Nicæno Concilio adfuit: Non Sigismundum Imperatorem, qui

Constantiensi. Non Ioannem Imperat. Constantinopolitanum, qui Florentino: non varios orbis universi Reges, qui clamyde purpurata collectas synodos illuminarunt, atque auctoritate fulciverunt, in quibus multa ad divinissimi mysterii cultum sancita sunt.

237. I. Fidem S. Ludovici.

Primo, FIDES me S. Ludovici Franciæ Regis ad sese vocat, qui cum fundendis precibus in Ecclesia intenderet, inter manus Sacerdotis Hostia elegantis forma puelluli apparuit. Tum ad Regem plerique currere, rogare, urgere, ut ad insolitum prodigium advolet. Immotus Princeps et Rege Franciæ, et S. Ludovico dignam sententiam protulit. Eant, inquit, spectentque increduli: mihi vero perinde certa *est Dei mei in Sacramento præsentia, atque mea hocce in templo, nihil est cur loco me commoveam.* Id refert Ioan. Viguerius de Euchar. v. 6.

In extremis agenti eidem sancto Regi cum Sacerdos dixisset; Crederetne Christum in Euchar. præsentem? *Ego vero,* inquit, *firmiori id fide persuasum habeo, quam si hisce luminibus eum in cælestem evolantem prosecutus essem.*

Quid igitur fluctuat Mediastinus, ubi Rex Francorum mentem, ut in portu, inconcussam firmat: cum tot mysteria hoc incredibiliora vel hæretici ipsi amplectantur, ut Creationem de nihilo, Conceptionem ex Virgine, et similia? Alexander Alensis parte 4. q. 34. sciolos nostros vellicat et transfodit variis rationibus. Verbis Innocentii, quæ affert, tantum utar, *Certe,* inquit, *maius est* CREARE *quod non est: quam* MUTARE *quod est; ac Longe maius, quod non est,* DE NIHILO *procreare, quam quod est* IN ALIUD *transmutare.* Et art. 2. membri. 3. Ib. Alensis ipse nit Conceptionem ex Virgine esse *simpliciter maiorem et excellentiorem,* quam positionem Christi in Eucharistia. Et tamen nostri his in arcanis vident, in hostia excutiunt hæretici.

238. II. Spem Constantinus Magnus.

Secundo, SPEM Magnam sanctissimo hoc in Sacramento sibi repositam Constantinus Imperator omnes edocuit, cum explicatis vexiliis manus numquam cum hoste consereret, quin sacrificio, quod in eam rem fieri curabat, exercitus omnis interfuisset, *militesque* CHRISTUM IN HOSTIA ADORASSENT, ut tradit Eusebius in eius vita. Carolus quoque Magnus, tum pietate tum armorum gloria, Constantino suppar, ante conflictum, Christi se in Sacramento potentis virtute muniebat, *ut legitur in sum. Prædic. de bello, num. 23.*

Hungari.

Maiorem Hungari Spem in vivificum hunc cibum ostenderunt, qui, cum innumerabilis se Hunnorum exercitus longe lateque eorum in ditionem immisisset, ac victoriæ certus fractas regni vires despicatui haberet, ad Deum in ara regnantem convolarunt, ac prælucente Rege Salomone, et Geysa, Ladislaoque Ducibus *omnes sacra Eucharistiæ communione seipsos muniverunt.* Eaque fortiter esca roborati flammatique, Leonum instar, impavido pectore pauci in multos irruperunt, insignique victoria potiti urbes a flammis ac populatione, seipsos a servitute vindicarunt, *ut docet Ioannes de Thuuroch. in 2. parte Chronici Hungariæ cap. 49.*

Ludovicus XII. Rex Franciæ

Maximam Ludovicus XII. Franciæ Rex Spem hoc in præsidio collocasse se patefecit, cum, regnum hostibus oppletum cernens, ad illud se armamentarium supplex convertit, unde tela armaque sumeret; Iussit Christo, dum in Sacrificio a Sacerdote populo proponeretur, sacrum hoc Canticum occini,

O SALUTARIS HOSTIA,
Quæ cæli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
DA ROBUR, FER AUXILIUM.

Cuius implorationis tanta vis extitit, ut ab omni dissidio et coniurationibus Francia liberata sit. Iam diximus id Carolo VII. feliciter cessisse.

Sic etiam canebatur ille hymnus.

O vere digna HOSTIA!
Spes unica fidelium:
In te confidit FRANCIA:
Da Pacem, serva LILIUM.

Nefas duxerim oraculum Ludov. XIII. cognomento Iusti, re factisque ter maximi, qui nunc habenas imperii Francici moderatur, cum silentio premere, Is cum Mussiponti Collegium Societatis nostræ conviseret, facilesque oculos omnem in partem circumferret, ubi in propylæo sacelli Deiparæ voti epigraphen vidit, *Congregatio B. Virginis,* quid rei id esset, postulavit? cum responsum esset, in eo sacello receptum esse adolescentium, qui peculiari cultu Virgini sese suaque addicerent, eique statis diebus preces suas ac vota funderent, dignissimam Rege Christianissimo vocem emisit: HIS EGO DUOBUS PRÆSIDIIS NITOR, SANCTISSIMO SACRAMENTO, ET B. VIRGINE. Unde quid mirum eius armis omnia cedere.

Ludovicus XIII. Anno 1633.

Quare hæreamus S. Chrysostomo dicenti homil. 24. in 1. ad Corinthios Αυτη η τραπεζα της ψυχης ημων τα νευρα, της διανοιας ο συνδεσμος, της παρρησιας η υποθεσις, η ελπις η σωτηρια, το φως, η ζωη. *Hæc mensa est* NERVUS MENTIS NOSTRÆ, *animi vinculum,* FIDUCIÆ FUNDAMENTUM, SPES, *salus, lux, vita.*

Tertio, CHARITAS Rudolphi Comitis Hasburgici, Solis instar, in Germania emicuit; qui, cum equo sublimis peditem offendisset Sacerdotem, Eucharistiam ægro deferentem, e vestigio desiliens in pedes se abiecit, equoque impositum summa veneratione ad decumbentis usque tuguriolum comitatus est. Pietate hac motus Baro Hyburgensis, Comitis affinis, æditum, qui ardentem cereum, minutumque cymbalum prægestabat, in equum suum evexit. Parilique summissione atque ardore redeuntis Sacerdotis vestigiis ad ædiculam usque sacram, e qua Hostiam sumpserat, institerunt. Hoc didici a Ioanne Alberto Widmanstadio Austriæ Cancellario in præf. in D. Pauli Epistolas; aliorum multorum scriptis nobilitata est hæc historia. 239. III. Charitatem ostendit Rudolphus Comes Hasburgicus.

Et vero, quis orbis Domini nostros in usus his in aulæis irradiantia, suæque maiestatis fulgores condentis amore non succendatur, cum effatum Chrysostomum mox citatum expenderit. *Hic,* inquit, *terram tibi* CÆLUM *facit hoc mysterium. Aperi ergo cæli portas, et perspice; vel potius non cæli, sed cæli cælorum: et tunc videbis quod dictum est. Nam quod illic est, omnium pretiosissimum et maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in regia, id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed* CORPUS REGIS SEDENS IN SOLIO, etc.

Quarto, ZELUM erga Christum in Germania Marchio Brandeburgensis, probavit; cum enim ex hostia a Iudæo indigne tractata, sanguis effluxisset, illeque sibi timens in flumen, in ignem, in azymum, in furnum coniecisset, re cognita, Iudæi omnes sceleris conscii ardenti in pyra pœnas exolverunt, duobus dumtaxat exceptis, qui baptismi lustralibus aquis tincti, capite deinde minuti sanguine suo scelus expiarunt. Genebrardo placet omnes Marchiæ illius Iudæos flammis ob flagitia varia datos, alia tantum ob id criminis æternum in exilium pulsis. 240. IV. Zelum Marchio Brandeburgensis.

Quinto, LIBERALITATEM Casimiri Polonorum Regis quis non prædicet? Nam cum circa annum 1340. lutulentum in locum sacram hostiam furunculorum phalanx abiecisset, atque ex hoc divino lucis fonte radii promicantes rem prodidissent, Indicta Supplicatione solemni, cum Episcopo populus universus affluxit, fusisque precibus sacrum illum thesaurum reperit. Casimirus vero Rex, ut tanti prodigii memoria ad posteros promanaret, templum regia munificentia in honorem sanctissimi Sacramenti erigi curavit, novamque deinceps urbem condi, quam suo de nomine nuncupavit, *ut leges apud Cromerum lib. 12. hist. Polon.* 241. V. Liberalitatem Casimirus Rex Poloniæ.

Childebertus Franciæ Rex, eiusque fratres Clodovæi Regis filii sexaginta calices aureos, patenasque quinquaginta Ecclesiæ S. Vincentii dono dederunt, ut ait Gregorius Turon. Omitto tot templa et Altaria in eam rem erecto, cum a gravi morbo liberatus est statim a sumptione sanctissimi Sacramenti: sed de ea re dicetur alias, eam vidi Divione, in sacello, ubi sacra hostia asservatur. Hic commode poneretur corona aurea data a Ludovico XII. Rege item Franciæ. Childebertus Rex Franciæ.

Iteque lure S. Chrysost. cit. Magis Chrlato munera offerentibus similes nos esse desiderat, eum subiicit: Hoc CORPUS *iacens in præsepi reveriti sunt Magi, et viri impii et barbari* (non sentio fuisse implos) *patria, et domo relicta, et longam viam confecerunt, et cum veniesent*, μετα φοβȣ και τρομȣ πολλȣ προσεκυνεσαν, CUM MULTO METU ET TREMORE ADORARUNT. IMITEMUR ERGO VEL BARBAROS, NOS CÆLORUM CIVES. *Nam illi quidem cum in præsepi vidissent*, etc.

242. VI. Humilitas Huniadis Regis Hungariæ mira.

Sexto, HUMILITAS Ioannis Huniadis Regis Hungariæ, viri bellicis factis ac virtute iilustrissimi, omnibus est encomiis celebranda. Cum enim enimam ageret, haud quaquam passus est sacram ad se Eucharistiam deportari, indignum exclamans, ut cælorum terræque Rex, ad vermiculi servulique domum descenderet. In Ecclesiam itaque deferri se curavit, etsi vires eum deficerent: ibi summa mentis summissione noxas Sacerdoti operuit, sumptoque cælesti viatico, Sacerdotum adstantium in manibus, deportandam ab Angelis divinam ad aulam, animam exhalavit.

Et Davidis Regis Scotiæ.

Haud obsimile Davidis Regis sui factum Scotia auspicit. In extremo in morbo indignum se ratus, quem Christus conviseret, inter duos sacerdotes illum fulcientes ad Ecclesiam processit: ubi peracta re divina sermonem exorsus, plurima ordore mentis maximo de Dei bonitate, tum in hac vita bonis amplissimis suos cumulantis, tum in aliis corolios præmiaque explicatu non effabilia aggerantis, locutus est. Deinde in genua procidens, atque aliquamdiu amoris flammis in oratione exardescens, summa animi demissione Eucharistiam suscepit. Domum reductus, Primoribus convocatis nepotes suos commendavit, datoque singulis osculo, publicis ut commodis intenti semper essent, precatus est, deinde commendata Deo anima mox obticuit, felicemque animam ad cælum emisit, ut discimus ex Hectore Boetio lib. 12. hist. Scot.

Videamus itaque, ut S. Ambrosio credamus qui in ea Pauli verba: *Non diiudicans corpus Domini*, sic loquitur, DEVOTO ANIMO ET CUM TIMORE ACCEDENDUM AD COMMUNIONEM, *ut sciat mens reverentiam se debere ei, ad cuius corpus sumendum accedit. Hoc enim apud se debet iudicare*. QUIA DOMINUS EST, CUIUS IN MYSTERIO SANGUINEM POTAT. Et Ugo Cardinalis in illa verba Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, *in me manet, et ego in illo*, ad rem nostram opposite. *In me manet, tamquam* MEMBRUM *in corpore, et ego in illo, sicut* DOMINUS IN HOSPITIO, SACERDOS IN TEMPLO, SPONSUS IN THALAMO SPONSÆ.

243. VII. Fervor S. Ludovici admirabilis.

Septimo, FERVOREM S. Ludovici Regis suspexit Francia qui, cum sacrum ad epulum singulis anni festis diebus, atque diebus veneris, accederet antegressa corporis innocentis flagellatione hoc præstabat, pridie ieiunio carnem affligebat, atque ab usu matrimonii non pridie modo, sed eo die sibi temperabat, *ut noster Stephanus Rousselet scribit in libro sacro Parat. 2. cap. 3. sect. 3.*

Et melleos paradisi huius liquores sensarat Rex pius, ut Concilii Parisini VI. anno 820. Ludovici Pii XVI. celebrati monitum noverat. Extat canon in hæc verba: *De perceptione vero sacri Corporis et Sanguinis Domini nostri Iesu Christi nihilominus monemus, ut quod Christianæ religioni expedit, quoado possibile fuerit, faciatis, et* VESTRO EXEMPLO *vobis famulantes, ut hoc faciant, instruatis.*

Et Ludovici XIII. Regis nostri.

Ludovici XIII. Regis nostri Pietas tanta in Missæ auditione eminet, ut Stephanus Rousselet cit. Pareil. 11. cap. 2. sect. 7. asserit Patronum quemdem hæreticum Valentiæ in Delphinatu, ad illius ardoris contuitum, conversum esse ad veram fidem anno 1629.

Hanc pii animi propensionem erga Eucharistiam Alexander I. Papa persuadet his verbis: NIHIL IN SACRIFICIIS MAIUS ESSE POTEST, QUAM CORPUS ET SANGUIS CHRISTI, *nec ulla oblatio hac potior est, sed omnes hæc præcellit, quæ* PURA CONSCIENTIA *Domino offerenda est, et* PURA MENTE *sumenda, atque ab hominibus* VENERANDA: *et sicut potior est cæteris, ita* POTIUS EXCOLI ET VENERARI DECET.

A In Liturgia S. Chrysostomi habetur: *Ostendit Sacramento populo Pontifex dicens*, SANCTA SANCTIS. *Clerus et populus respondet:* UNUS SANCTUS, UNUS DOMINUS, *in gloria Dei Patris, Amen.* In quæ verba Nicolaus Cabasilas exposit. Liturgiæ cap. 36. *Ipsi autem* PIETATEM OSTENDENTES ET FIDEM, ET ADORANT, ET BENEDICUNT, *et Iesum, qui in eis intelligitur, ut Deum* COLUNT, *et ut sit splendido glorificatio, ex verbis Propheticis eam faciunt. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et apparuit nobis.*

PIETATEM hanc Regum variis donis compensavit Christus. 244.

Erga Reges pios ob illam adorationem se Deus liberalem præstitit.

I. Rudolphus Comes factus est Imperator.

Rudolphus quidem Comes Hasburgicus, qui Eucharistiæ se pedissequum magna mentis demissione præbuerat, ad Reclusam se conferens, oraculum accepit fore, ut Deus affectum illum pium compensaret, in eamque rem novenarium numerum observaret. Nonus annus erat in cursu, cum Christi anno 1273. factus est Imperator. Radix hæc domus Austriacæ, quæ deinde ramos ad orbis B usque extremos fines, totoque Oceano subductos populos transmisit.

II. Ludovicus Pius per quadraginta dies eo solo vixit cibo.

Ludovico Pio Imperatori unicus cibus ultimis quadraginta diebus vitæ Eucharistia extitit. Quo Deus indicaret esca hac sancta cælestem nos ad satietatem traduci. S. Cyrillus id docet lib. 3. in Ioan. cap. 37. communicatione corporis et Sanguinis Christi hoc nos obtenturos, ut CIBO ET POTU CORPORALI NON INDIGEAMUS: VIVIFICAT ENIM CORPUS CHRISTI, ET AD INCORRUPTIONEM SUI PARTICIPATIONE REDUCIT.

III. S. Ludovicus a naufragio est liberatus.

S. Ludovicus, qui transmarinarum peregrinationum individuum sibi comitem ducemque Christum adlegit, a præsentissimo mortis periculo insolita illius ope subductus est. Gaufridi textum omnem historiæ explicantis verba subiicio: *Non prætereundum*, inquit, *quod tertia nocte postquam a portu Achon cum eo recessimus, aliquantulum ante diem cum prope Cyprum essemus, navis subito in rupes impegit, sive in lingulam terræ, vel arenæ, induratam* C *quasi in lapidem. Rupes illa procul protendebatur in mare: ubi auræ impulsione navis fortiter est collisa, clamantibus cunctis, et eiulantibus.* Quid vero pium illud pectus, et ad omnes casus interritum? Subdit auctor, *Rex autem Catholicus* FIDEM ET SPEM IN DEO CONCIPIENS, *intellecto periculo, quasi corporis sui oblitus ante altare, et* CORAM SACRO CORPORE CHRISTI, *ac sanctis reliquiis devote prostratus humiliter exorabat*, etc. *De simili periculo vix dux de centum navibus evasissent. Nam navis fortitudine sua, sive potius* VIRTUTE DIVINA *rupem illam rupit, et viam per medium sibi fecit.*

IV. Eduardus victoriam obtinet.

Eduardus Anglorum Rex tertius, cum a Philippi Franciæ Regis numeroso exercitu urgeri se videret, ita ut unus in octo, si Froissardo credimus, pugnaturus esset: iussit omnes ut Sacro interessent, in quo rite prius expiatis peccatis sacram Eucharistiam sumpsit una cum filio, quod illius exemplum plerique imitati sunt. Exitus pugnæ fuit Franciæ admodum luctuosus, Ioanne Rege Bohemiæ occiso, Rege ipso Philippo pene capto, plurimis D principibus atque nobilibus occisis, omni exercitu fuso fugatoque.

V. Si Rex noster vitam impetrat.

Ludovicus XIII. Rex noster Lugduni lethali prostratus morbo, divino hoc immortalitatis pharmaco ex ipsis mortis manibus ereptus est.

245. Impios in Corpus Christi Reges punit Deus. Michaelem Imperatorem.

PUNIT quoque Deus Reges erga hoc mysterium impios. Michael III. quidem Imperator per Gryllum cinædum, quem Patriarcham vocabat, atque undecim mimos, quos Metropolitas appellabat, veranda vel Angelis mysteria perfici curabat ad risum captandum, multaque impia atque ridicula admisceri curabat, quæ refert Baronius tomo 10. Annalium anno 855. ex Ioanne Curopalate. Quia tandem exitus scelestum excepit? Basilii ad imperium adoptati mandato neci dari iussus est, cum vino sepultus esset, ut Zonaras tradit.

II. Lotharium Regem.

Vindictam Dei promptiorem horresce in Lothario Franciæ Rege, qui, cum Waldradæ pellicis insano amore furerer, eiectaque uxore legitima Teutbergo fræna libidini

laxaret, a Pontifice reprehensus Romam venit, ut causam suam ageret. Fiaitis Missarom solemnibus, ut narrat Baronius tom. 10. anno 868. invitat Pontifex eumdem Regem ad mensam Christi, et accepto in manibus Corpore et Sanguine Domini, ita eum alloquitur: *Si innoxium te recognoscis a prohibito atque interdicto tibi a Nicolao adulterii scelere, et hoc fixa mente statutum, ut numquam diebus vitæ tuæ Waldradæ pellicis tuæ dudum a te repudiatæ nefario miscearis concubitu: fiducialiter accede, et* SACRAMENTUM SALUTIS ÆTERNÆ *tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conscientia te accusat, teque lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis in mœchiæ volutabrum, nequaquam sumere præsumas,* NE FORTE AD IUDICIUM ET CONDEMNATIONEM TIBI ADVENIAT, QUOD FIDELIBUS AD REMEDIUM PRÆPARAVIT DIVINA PROVIDENTIA.

Qui mente captus, et obduratus, absque hæsitatione Communionem Corporis et Sanguinis Domini de manu Pontificis sumpsit, non expavescens illam sententiam, quæ dicit: *Horribile est incidere in manus Dei viventis. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.*

Deinde conversus idem Præsul ad sequaces fautoresque Regis, unicuique Communionem obtulit in hæc verba: *Si Domino et Regi tuo Lothario in obiecto adulterii crimine favorem non præstitisti, neque consensum tribuis et Waldradæ, et aliis ab hac sede excommunicatis non communicasti, Corpus et Sanguis Domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam æternam.*

Igitur quisquis se noxium sciens, ausu temerario Communionem sub tali contestatione porrectam sumere præsumpsit, divino iudicio percussus ab hac luce subtractus est, antequam subsequentis anni rediret principium: perpauci, qui se a communione subtraxerunt, vix mortis periculum evaserunt.

Porro Lotharius Roma egressus morbo corripitur, et Placentiam civitatem perveniens, diem clausit extremum sexto Idus Augusti.

Tanta autem strages in præfati Regis populo facta est, ut non peste periisse, sed hostili gladio corruisse, virtus et nobilitas totius regni videretur: quæ eo tempore tantæ fœcunditatis erat, ut in morem drosarum segetum pullulans, veluti quoddam examen Imperii impleverit. *Hæc Baron. ex Reginone.*

246. Itaque cum tremore Reges ipsi accedant. Concludamus cum Rege Propheta Ps. 2. v. 10. 11. 12. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino* IN TIMORE, *et exultate ei* CUM TREMORE. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta.* Quod in Vulgata legitur, *Apprehendite disciplinam;* Hieronymus reddit, *Adorate pure;* Symmachus, προσκυνησατε καθαρως. Cum vero in Hebræo habeatur, נשקו בר *nasceku bar*, *Osculamini filium.* Aquila, καταφιλησατε εκλεκτως, *Osculamini electe.* Hæc omnia simul sunt iungenda in Eucharistia, ubi suavissimum Christi osculum: sed sit a labiis puris, ab animo amoris erga ipsum pleno, a corpore cum reverentia adorante.

Rationem sume a S. Chrysost. homil. 24. in 1. Epist. ad Corinth. *Non enim Angelos*, inquit, *nec Archangelos, neque cælos, et cælos cælorum, sed ipsum ostendo* DOMINUM. *Vidisti quemadmodum*, Το παντων τιμιωτερον ορας επι της γης και ουχ ορας μονον, αλλα και απτη, και ουχ απτη μονον, αλλα και εσθιεις, και λαβων οικαδε αναχωρεις; QUOD EST OMNIUM PRÆSTANTISSIMUM ET MAXIME HONORANDUM, VIDES IN TERRA: *neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, et eo accepto domum reverteris.*

Tum subdit sanctissimus hic Pater ea, quæ medullitus hærere Christianis omnibus pervelim. *Si tibi* REGIS FILIUS *cum munda et purpura, et diademate, traditus esset ferendus, quæcumque sunt in terra, abiecisses. Nunc autem* NON HOMINIS REGIS FILIUM *accipiens, sed* IPSUM UNIGENITUM DEI FILIUM: *dic rogo,* NON EXTIMESCIS, *et eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, non omnem expellis amorem? et illo solum mundo gloriaris, sed adhuc terram amas videre et pecunias, auroque attonitus inhias.*

ARTICULUS XII.

Qua pietate fidem suam atque venerationem erga sanctissimam Eucharistiam America testata est.

Cum Religione Christiana late fusum oceanum pietas 247. America Christum in Eucharist. agnovit et adoravit.
erga sanctissimam Eucharistiam in Americam transmisit. Paucula de multis affero.

R. P. Bartholomæus Iaquinot, nunc Provincialis Companiæ nostræ, qui prius quatuor aliis quoque Franciæ provinciis præfuit, refert in libro quem de sanctissimo Sacramento conscripsit, in illa residentia Societatis nostræ, Patrem Nicoleum Durandum ab Indis Americanis tandem persuasum Eucharistiam in eorum Ecclesia posuisse. In eam rem indicta est supplicatio, Musici ex habitationibus vicinis convolarunt, vici arborum ramis instrati, arcus triumphales erecti: ea vero fuit populi alacritas et pietas, ut Europæis ipsis admirationem afferre posset. Sæpius in die ad Ecclesiam accurrunt Christum veneraturi: numquam prope Ecclesiæ portam transeunt, quin genua flectant, vel ipsi senes ac pueri: hoc ipsum etiam ex remotiori loco factitant. Fœminæ cum ex agris redeunt, ad primum Ecclesiæ conspectum, genibus humi positis orant cum liberis etiam parvulis. Ad puritatis vero conservationem eodem se divino epulo muniunt. Si quis enim ad flagitium invitet, statim subiiciunt: *Non te pudet, effrons, qui corpus Christi, puritatis aut honoris domicilium his sordibus velis inficere.* Hinc mos ortus est, non prius ad opus egredi, quam Missæ interfuerint omnes. De Canadensium nostrorum ardore in Eucharistiæ perceptione dicam alio loco.

In Peruano regno Pater Bernardus Montroy Societatis Iesu duas horas adhibebat in præparatione ad Missam: media nocte Ecclesiam petebat, ante sanctissimum Sacramentum oraturus, neque inde discedebat usque ad lucem, ut constat ex libro Alphonsi Messiæ, qui de variis eiusdem Societatis religiosis alia refert: inter cætera: Patrem Alphonsum Cortesium sacerdotem vidisse in sacra hostia Christum Solis instar effulgentem: omnia quæ pro se aliisve postulabat a Christo ibi existente, facile impetrabat. Pater Alphonsus de Barzane quinque aut sex dies aliquando transegit solo cibo Eucharistico contentus. Pater Iacobus de Samaniego sæpe gratiæ divinæ signa in se inhabitantis habuit, præcipue in Missa. Nicolaus Marchant Coadiutor temporalis cum sacrificio Missæ interesset, visus est in aere elevatus, ignis flamma ex eius ore exiliente, radiisque lucis ex ipso micantibus: a Deo quæcumque petebat, obtinebat, feræ coram eo cicures erant, domi forisque sanctus vocabatur. Ita Alphonsus Messias in libro de viris illustribus Soc. Iesu in regno Peruano.

ARTICULUS XIII.

Esne Eucharistia ad ægrotos deferenda.

Omnes Christo in Eucharistia posito supplices futuros
dixit Propheta. Nunc specialius monet morti proxi- 248.
mos illius memores fore, et cum maiori humilitate. Vers. Vers. 30.
eod. 30. IN CONSPECTU EIUS (S. Hier. ante faciem eius. 2. Pars.
Hebraice, *ante facies eius.* In omnem faciem, patris sci- Morti proximi
licet, matris, nutricis etc. se vertit Christus veniens ad Christum
moribundum) CADENT Hebr. et Arabs, incurvabuntur. in Eu-
S. Hieron. Symm. Syr. curvabunt genu OMNES QUI DE- charist.
SCENDUNT IN TERRAM. Hebr. Syrus, Arabs, in pulverem. adorent.
Chald. in domum sepulcri. Descendunt porro in terram et pulverem, Primo omnes mortales, quorum vita quotidie deficit, et tandem terminatur et desinit corpus in pulverem. Ita Lyranus, Bellarminus, Magn. et alii. Secundo, proxime descendunt in terram et pulverem, qui sunt morti proximi, et lethali infirmitate detinentur: ideo sacro se viatico ad tam formidandum iter, in quo indigent, muniant.

Quæres primo, An teneamur Præcepto divino sumere An teneamur
Eucharistiam in articulo mortis? Respond. primo, Caie- in ar-

ticulo mortis sumere Euchar. lege divina. — tanus, semel tantum in vita nos obligari vi præcepti divini, sive id fiat in articulo mortis, sive antea. Ratio eius est quod omnis obligatio oritur ex illis verbis Ioannis 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sed hoc

I. Opinio negat. — sufficienter impletur, si semel manducemus, sicut satis est semel baptizari, ut hoc præceptum impleatur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* Respond. secundo et melius, Mæratius noster tom. 3. tractatu de Eucharistia, disputat. 35. sect. 2. præcepto divino nos aliquoties in vita teneri communicare, nisi vita sit nimis brevis. Eucharistia enim directe et primario est instituta instar cibi et potus spiritualis ad spiritualem animarum nostrarum vitam nutriendam, augendam, roborandam. Itaque non est paritas in baptismo, qui est regeneratio, non est autem necesse bis generari. Suar. et Vasq. aliique sunt in eadem sententia.

II. Et melius affirmat. — Ad quæsitum vero Respond. tertio, probabile est iure divino obligari hominem ad communionem in articulo mortis per se et ratione illius periculi, sive prius communicaverit in vita, sive non: et consequenter toties ut minimum obligari ad communionem, quoties in illum articulum venerit. Ita Suares 3. p. tom. 3. disp. 69. sect. 3. qui ait sententiam illam non esse admodum receptam inter Theologos, et ideo solum illam affirmare ut probabilem et piam. Vasques vero tom. 3. in 3. p. disput. 214. cap. 2. dicit, communiorem scholarum hanc esse opinionem, tametsi ex Theologis qui hac de re scripserunt, pauci hoc expresse affirment. Mæratius simpliciter dicit, præceptum illud in articulo mortis obligare, quod colligit ex consuetudine Ecclesiæ, quæ semper diligentissime curavit, ne ægroti in periculo mortis existentes sine viatico decederent. Ex cuius consuetudinis antiquitate colligere licet, ut ait Suares, eam, ut minimum, esse traditionem Apostolicam, quia eius initium ignoratur. Ac denique ex eius immutabilitate coniectari posse, in Christi mandato esse fundatam: ac propterea hanc obligationem prælatam esse obligationi ieiune communicandi. Nam hæc Ecclesiastica est, illa divina. Addit Mæratius, eum qui paulo antequam in articulum mortis incideret, Eucharistiam sumpsit, obligari ex prædicto Dei præcepto eam iterum sumere, dum in illo est articulo. Nam non potest satisfieri præcepto per actum non præceptum. Sed non opinor esse tam præcisam necessitatem, ut verbi gratia, sacerdos qui mane sacrum fecit, teneatur vesperi iterum sumere Eucharistiam, si incidat in articulum mortis. Cessat enim finis legis, et censetur in articulo mortis communicasse, qui sic communicavit: sicut qui in paschate communicat non intendens satisfacere præcepto, tamen satisfacit: et iste articulus non tam præcise, sed moraliter est accipiendus. Censeo tamen, licet quis ad eam sumptionem non obligetur, esse licitam et suadere debere. Ita docet Philippus Servius tractatu de modo iuvandi moribundos p. 3. pagina 252. Gaspar Hurtado de Eucharist. disput. 10. Turrian. in summa, p. 2. cap. 58. Bellisonios in 3. p. t. 2. qu. 88. art. 11.

249. Lege Ecclesiæ etiam præcipitur communio in articulo mortis. — Quæres secundo, An extet præceptum Ecclesiæ, recipiendi communionem in articulo mortis? Respondeo, legem illam cubitalibus literis per totum orbem descriptam prostare.

I. Sic definit Concil. Nicænum Oecum. — Primo, Concilium Nicænum primum Oecumenicum sic definit can. 13. *De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc Lex antiquo regularisque servabitur: ita ut si quis egreditur e corpore,* τῃ τελευταιᾳ και αναγκαιοτατῃ εφοδιῳ μη αποστερεισθαι, *ultimo et necessario viatico minime privetur.* Et universim præcipit nemini in secessu a corpore denegari. Amalarius de offic. Eccles. lib. 3. cap. 35. et Micrologus de rebus Eccles. cap. 17. asserunt ex antiqua consuetudine in Missa tres hostiæ consecratæ partes fieri solitas: unam quidem solitam cum sanguine misceri, alteram sumi a sacerdote ante sanguinis sumptionem, tertiam servari pro ægrotis, quæ viaticum morientium dicebatur.

II. In Asia Concil. Ancyræ. — Secundo, si partes universi orbis singulas lustrare placet. Primo, in Asia reperies Concilium Ancyræ in Galatia, quod S. Sylvestri tempore coactum est ante Nicænum, probatumque est a Leone 4. d. 20. c. de libellis, statuisse can. 22. ut voluntarii homicidæ toto vitæ tempore pœnitentiam agant, circa exitum autem vitæ, communione digni habeantur.

Tertio, in Africa Concilium Carthaginense IV. habitum ab Episcopis 214. æra 436. et est Provinciale probatum a Leone III. cap. 77. statuit, ut pœnitentes, qui in infirmitate sunt, viaticum accipiant. III. In Africa Carthag.

Quarto in Europa plurima sunt ea de re Concilia. Ex Gallia nostra coniecturam faciamus, 1. in Rhemensi synodo cap. 2. ut habetur de consecratione dist. 2. cap. Pervenit, imperatur presbyteris, ut non per fœminam vel laicum quemlibet curent ad infirmum deferri Eucharistiam, quod ait esse horribile et detestabile: sed per semetipsum Parochus infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit. Secundo, in Concilio Turonensi, ut refert Burchardus lib. 5. cap. 9. imperatur, ut detur hostia intincta sanguine Domini. Hoc postea prohibuit Iulius Papa, sicut habetur apud Gratianum de consecrat. disp. 2. cap. Cum omne. Tertio, Concilium Aurelian. 3. can. 16. raptores religiosarum communione Ecclesiastica usque ad exitum vitæ privat, viatico tamen eis in infirmitatis periculo, reservato. Et can. 26. Si quis religiosus ad vitam secularem aut militiam redierit, viatico concesso usque ad exitum excommunicatione plectatur. Quarto, Concilium Matisconense 1. can. 12. statuit religiosas, quæ postea nupserint, usque ad exitum vitæ religione privari; subdit tamen: *Viaticum illis miserationis intuitu non negetur.* Si tanta scelera communionem in mortis articulo non impediunt pœnitenti, in cæteris quid fiet. IV. In Europa, alia multa.

Non congeram patrum auctoritates. Pro Asia sufficiat S. Chrysost. qui Asiaticus fuit, in eaque provincia mortuus est. *Si*, ait, *cum hac mensa excesserimus*, ἐν παρρησιᾳ πολλῃ, *cum magna fiducia ascendemus sacra vestibula*, ωσπερ τισιν οπλοις χρυσοις περιπεφραγμενοι, *veluti quibusdam armis aureis undique muniti.* Patres idem docent. I. In Asia.

Pro Africa loquatur Dionysius Alexand. in Epistola ad Fabium, ut est apud Euseb. lib. 6. histor. Eccl. cap. 36. in ea testatur se in mandatis dedisse Presbyteris omnibus, ut lapsi etiam, qui iam essent a vita migraturi, fierent participes sanctorum mysteriorum, dummodo peterent: et vel maxime si antea, dum integra valetudine erant, suppliciter petivissent, participes fierent, ινα ευελπιδες απαλλαττωνται, *ut bona spe confirmati, ex hac vita decederent.* II. In Africa.

Pro Europa sit Innocentius I. Papa Epist. 2. cap. 2. *Communionem*, ait, *dari abeuntibus* (e vita scilicet) *placuit, et propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis.* Agit de morti proximis. III. In Europa.

Praxim et usum Ecclesiæ in ea re partes omnes orbis affirmant. Asia quidem S. Basilium offert, qui in extremo agone, Eucharistiæ pabulo secorus ad Superos avolavit, ut ait Amphilochios in eius vita; 2. Africa docet Dionysii Alexandriniore, Serapionem quemdam in vitæ periculo constitutum, misisse puerum ad Presbyterum, sacrum ut epulum ad se deferret, et cum ipse quoque Presbyter lecto affigeretur, puero deferendum tradidisse. Ita Dionysius epist. ad Fabium; 3. Europa S. Ambros. ostentat, qui morti proximus viatico se divino muniri voluit. Paulini verba sunt in eius Actis. Honoratus Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cum in superiori domo se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit Sancto corpus Domini. Quod ubi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, ut in virtute divinæ escæ anima refectior, Angelorum nunc consortio, quorum vitam traxit in terris, et Eliæ societate lætetur. S. Hieronymus e lecto depositus genibus flexis Eucharistiam suscepit ante mortem, ut narrat Eusebius in eius vita. Ecclesiæ usum totus orbis novit. 1. Asia 2. Africa. 3. Europa.

Hanc Ecclesiæ consuetudinem Deus ubique approbavit. Primo, in Europa, decumbens ob ægritudinem B. Stanislaus Kostka ob Angelis viatico cælesti procuratus, et 250 Ecclesiæ consuetudinem

Deus ubique approbavit. 1. In Europa. corporis et mentis robur recepit. Secundo, in Africa S. Maria Ægyptiaca, cam integris viribus Eucharistiam ad se deferri curasset, ea sumpta cygnæam hanc vocem in 2. In Africa. cælum præmisit: *Nunc dimittis servam tuom Domine in pace, quia viderunt oculi mei salutore tuum.* Quo dicto sta- 3. In Asia. tim beatam animam Deo tradidit. Tertio, in Asia, S. Chrysostomo de nocte orauli sancti Petrus et Ioannes, quos vitæ duces secutus fuerat, clara in luce visendos se præbuerant, cum eoque suavissima miscentes colloquia, eique eum adversus dæmones victoriam, tum postremo migrationem ad Deum, et quæ eum exceptura esset, bonorum perceptionem cum lætitia annunciarunt, μετα τροφης ουρανιας και απορρητου τουτον σιτιζουσι, dein cælesti et ineffabili eum esca paverunt: ex quo tempore nihil postea cibi sumpsit, ut habet Nicephor. lib. 13. cap. 37. ipse S. Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio ait, eidem sancto viro ostensum, quod, qui e vita migraturi sunt, si mysteriorum eiusmodi, εν καθαρα συνειδησει, cum pura et munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, δορυφορουντες αυτους δια εκεινο το ληφθεν, απαγουσιν ενθενδε αγγελοι, *ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptam illud sacrum, hinc recta in cælum abducuntur.*

Concludamus itaque cum S. Paulo Hebr. 10. 19. *Habentes igitur fratres, fiduciam,* (spem) *in introitu sanctorum*, εις εισοδον, (id est ad introitum Sanctorum, hoc est cæli, quod est Sanctum Sanctorum) *in sanguine* (per sanguinem) *Christi, quam initiavit viam novam* (id est quem introitum innovavit Christus in cælum primus ascendens) *et viventem* (hoc est permanentem, vigentem et florentem) *per velamen* (per velum quod separabat Sanctum Sanctorum a Sancto) id est, *per carnem suam* (nam carne Christi velabatur Divinitas eius,) *et* (habentes) *Sacerdotem magnum super domum Dei*, (id est, super Ecclesiam militantem et triumphantem) *accedamus cum vero* (syncero, non fucato) *corde, in plenitudine fide* (cum plena fide) *aspersi corda a conscientia mala* (id est purgati a peccatis) *et abluti corpus aqua munda*, in Baptismo. Hanc locum de Sacramento Eucharistiæ explicat Torrianus lib. 2. et nititur Liturgia S. Iacobi, ac Theodoreto.

ARTICULUS. XIV.

Christiani sunt populus, quem fecit Dominus.

Vota tria Christi hac in ultima sectione psalmi nostri contineri diximus. Primum scilicet, quo Christus corpus suum in Eucharistia cibum dat fidelibus. Secundum, quo animam suam in obsequium æternum illi offerat. Tertium denique, quo filios sanguine suo genitos et nutritos illi in servos perpetuos addicat. De primo voto dictum est fuse: duo alia strictim tantum attingo.

Secundum itaque Christi votum est, oblatio animæ suæ
Vers. 31. 1. Pars. per totam æternitatem, v. 31. Et anima mea illi vivet. S. August. Ruffinus, et alii putant, Davidem hic loqui in persona fidelium: sed melius dixeris, Christum in toto hoc psalmo loqui. Sensus itaque est, totam animam, eius actus et potentias, Patri meo consecrabo, illius ut unius cultum et amorem quæram. Anima item synecdochico pro toto homine sumitur: et sic sensus erit q. d. me totam ipsi devoveo et consecro.

251. Hebraicus textus corruptus. Nota pro *anima mea illi vivet*, in Hebr. nunc est, animam suam non vivificavit, ut vertit Felix, Pagnin. Caietan. vel, anima eius non vivet, ut S. Hieronymus apud Trevetum, et in editione Victorii. Sed clarum est textum Hebr. esse corruptum, nam via ullius sensus commodus dari posset. Sept. itaque non legerunt נפשו *naphscio*, id est anima eius, sed נפשי *naphsci*, id est anima mea. Deinde non legerunt לא *lo*, cum aleph, id est non: sed לו *lo*, cum vau, id est illi. Nisi malis dicere etiam *lo*, cum aleph sumi pro *lo* cum vau, et significare ei, illi, sibi: ut 1. Reg. 2. 3. et 2. Reg. 8. 10. ac variis aliis locis. Sed absque ponitur circulus chetib, ut indicetur aliter esse legendum quam scribatur, quod hic non sit. Est itaque probabilis esse errorem: unde S. Hieron. in Bibliis Regiis habet, *anima eius ipsi vivit*. Theodotio. Symm. et Aquila carent negatione.

Tertium Christi votum est, oblatio et consecratio omnium fidelium, qui sunt eius filii, ab eo geniti virtuti ac Deo, v. 31. Et semen meum, (id est filii, posterilas. Vers 31. 2. Pars. Chald. *semen Abraham*. Est enim pater omnium credentium, per Christum Filium suum) serviet ipsi.

Et v. 32. Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Declarat, quod dixit, *semen meum serviet ipsi*, dicens: *Generatio ventura*, id est, populus novi Testamenti suscipiet bonum nuncium de Domino, et de iustitia eius, quæ est iustitia fidei. Illud, *annuntiabitur generatio ventura*, significat, annuntiabitur generationi venturæ: sive, nuncium accipiet generatio ventura. Est enim phrasis Græca qualis habetur etiam Matt. 11. *Pauperes evangelizantur*, id est, pauperibus evangelizatur: et 1. Timoth. 1. Secundum Evangelium quod creditum est mihi. Nam in Græco ad verbum est, *quod creditus sum*. Sed interpres mutavit phrasim Græcam, quam reliquit Matth. 11. Itaque non est sensus, *annuntiabitur Domino generatio ventura:* id est, adscribetur Domino generatio ventura, sed annunciabitur de Domino, sive Dominus generationi venturæ. Quod colligitur tum ex Hebr. ubi habetur, לדור *laddor*, id est, *generationi:* tum quia idem repetitur, vel declaratur in sequentibus verbis, de more Davidis, *annunciabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur*. Idem enim est, *generatio ventura*, et, *populus qui nascetur*. Annunciatur ergo Dominus generationi venturæ, quia *annunciabunt cæli*, id est, cælestes homines, *iustitiam Dei populo, qui nascetur*. Vocatur autem iustitia Dei, iustitia fidei, quam Deus donat gratis credentibus in Christum, quæ vere facit homines iustos. Hoc enim præcipue docuit Evangelium, omnes esse peccatores, nec posse viribus propriis iustificari, sed a solo Deo per Christi fidem veram iustitiam expectandam. In Hebræo non habetur *generationi venturæ*, sed post nomen generationi, habetur interpunctio, ac deinde verbum *venient*, quod coniungitur cum sequenti, *et annunciabunt*. Cæterum septuaginta interpretes non habuerunt illam interpunctionem post nomen, *generationi*: et verbum *venient* legerunt in singulari, *veniet*, ac proinde recte legerunt, *generationi quæ veniet*: id est, generationi venturæ. Nomen cæli, cum dicitur, *annunciabunt cæli*, non habetur in Hebræo, neque in textu Græco, sed Latinus interpres addidit explicationis gratia. Et legitur hæc vox *cæli*, apud S. Hieron. et S. Augustin. in commentario huius psalmi, sed non legitur a Theodoreto et Euthymio græcis scriptoribus: quia, ut diximus, vetus Latinus interpres eam addidit. Illud quod habetur in fine, *quem fecit Dominus*, significat, populum istum novi testamenti, peculiarem esse Dei populum, ab ipso Deo proprie regeneratum, et creatum in Christo in operibus bonis, ut dicit Apostolus ad Titum cap. 3. Similis est sententia in Psal. 117. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Ita Bellarminus. Itaque in illis verbis, *annunciabitur Domino generatio ventura*, est hypallage, id est annunciabitur Dominus generationi venturæ.

Secundo tamen arbitror esse metalepsim, q. d. *annunciabitur*, hoc est consecrabitur, offeretur, devovebitur, et devota acceptabitur, et inscribetur in libro filiorum, *Domino* (Patri æterno) *generatio ventura*, id est, Christiani a me geniti. Itaque τo annunciabitur, ponitur pro consecrabitur, et acceptabitur: id est prius pro posteriore: est igitur metalepsis.

Nota primo, sicut Christus nuncupatur Matth. 11. 3. ὁ ερχομενος, id est, *qui venturus est*, seu, ille veniens, seu *venturus*, Messias scilicet Propheta ille Magnus, Rex et Redemptor Israelis: sic populus Christianus vocatur *generatio ventura*, q. d. generatio non Iudaica quæ nunc est, sed in lege mea, ventura et me secutura, Eccl. 1. 4. dicitur: *Generatio præterit, et generatio advenit*, id est synagoga abit, et Ecclesia ex gentibus conflata accedit, ut aliqui mystice interpretantur. Ubi adverte, generationem illam

esse cælestem, quia iustitiam Dei ei annunciant cæli, id est Apostoli, et cælestes viri prædicent iustitiam, quæ Deus cuique mercedem, aut præmium, reddit pro meritis, ut Richard. Pampol. explicat; 2. iustitiam quæ est ex fide Iesu Christi, ut dixi ex Bellarmino; 3. iustitiam Dei, id est eius mandata, quæ sunt iustissima, ut alii; 4. hæc omnia simul. Nihil enim est cur huius verbi significationem restringamus.

253. Ut populus novus fiat, sex requiruntur, et illa præstat Christus fidelibus.

Nota secundo, ut novus populus fiat, debent singuli homines generari, aut saltem dispersi prius in unam urbem aut regionem colligi; 2. necesse est illis alimenta ministrari; 3. remedia ad sanationem morborum procurari; 4. in hostes armari; 5. Magistratibus subiici; 6. propagationi eorum provideri.

Hæc omnia Christus Ecclesiæ suæ per Sacramenta varie præstitit, atque summa cura illius collectioni, augmento, securitati, gubernationi et multiplicationi providit.

I. Eos regenerat.

Primo enim, per Baptismum fideles regenerat, ut sint *populus qui nascitur*. Hebr. נולד *nolad*, id est nasciturus, ut vertit Vatablus. *Genitus*, ut Felix et Pagn. Sic Ps. 101. 19. dicitur *Populus qui creabitur laudabit Dominum*. S. Paulus Galat. 6. 15. vocat novam creaturam: *In Christo Iesu*, inquit, (hoc est in Christi fide et Ecclesia, in Christianismo) *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium* (hoc est, nihil refert an sis Iudæus aut gentilis) *sed nova creatura*; sed id tantum necessarium est, ut sis nova creatura, id est, ut anima tua regeneretur per Baptismum, et Christi gratiam. Baptismus vocatur παλιγγενεσία, id est regeneratio, iterata generatio. S. Dionys. Eccl. Hierar. cap. 2. vocat Baptismum, sacrum divinæ generationis Sacramentum. S. Cyrillus Ierosol. præfat. in Catech. *Magnum est sane*, ait, *propositum hoc Baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile, currus ad cælum, deliciæ paradisi, regni cælestis conciliatio, et charisma adoptionis filiorum.* Et Christus ipse Ioan. 3. 5. dicit Nicodemo: *Amen, amen* (id est verissime atque certissime) *dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: ex aqua primo die cum terra et cælo empyreo creata, alia pene omnia creata sunt, ipsique cæli: ita in regeneratione vult ipsos homines, qui ex terra facti erant, per aquam accipere novum esse supernaturale et divinum. Vide alias rationes apud S. Thomam 3. p. qu. 66. art. 3. Adam ipse non est factus ex solo et sicco pulvere, sed aqua misto et lutum facto, alioqui non potuisset illa statua informis subsistere, sed in terram defluxisset. Unde Gen. 2. 7. ait Moses: *Formavit* (Græc. ἔπλασεν, plasmavit instar figuli) *Dominus Deus hominem de limo terræ.* Ita corpus novi Adami, hoc est Ecclesia non potest subsistere sine aqua. S. Irenæus lib. 3. c. 19. aliam affert similitudinem, *Sicut*, inquit, *de arido tritico massa una fieri non potest sine humore: ita neque nos multi unum, fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est.*

254. II. Eos alit.

Secundo, Christus per Eucharistiam populum suum alit, ut Deus olim suos Israelitas. Cibus enim hic cælestis est. S. Ioan. Damascenus lib. 4. de fide, c. 14. *Nativitas*, inquit, *nobis per aquam et Spiritum, hoc est per sanctum Baptismum, data est. Cibus autem panis iste vitæ, hoc est Dominus noster Iesus Christus, qui de cælo descendit.* Et S. Thom. opusc. 57. cibi illius efficaciam declarat. Nullum est, ait, Sacramentum isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, et mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur. Ita ipse. Hic cibus reparat damna per esum pomi nobis allata. Urbanus IV. in Institut. festi corporis Christi: *Dedit*, inquit, *Christus se in pabulum, ut quia per cibum homo corruerat, per cibum ipse relevaretur ad vitam. Cecidit homo per lignum mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum.*

255. III. Ægrotantes sanat.

Tertio, Si quis in populo Christiano ægrotet, Sacramentum habet Pœnitentiæ, in quo Christus ægrotos sanat, emplastra vulneribus adhibet, lethales morbos verbulo fugat. S. Chrysost. in procemio commentarii super Isaiam Prophetam: *Pœnitentia*, inquit, *est medela delictorum, et consumptio.* Et sermone de pœnitentia, varia eius elogia coacervat: *O pœnitentia*, inquit, *quæ peccatum miserante Deo remittis, et paradisum reseras, quæ contritum sanas hominem, et tristem exhilaras: vitam de interitu revocas, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, et reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior Sole.* Pœnitentia est piscina probatica, id est, ovina, ubi ægroti sanantur, Ioan. 5. 4.

Quarto, cum hostes non desint, armat Christus populum suum, in quo vult omnes militare, sed *militiam bonam*, 1. Timoth. 1. 18. Contra mundum et multitudinem infidelium et hæreticorum a fide retrahentium, armat per Sacramentum Confirmationis S. Dionysius Areopag. Hieron. Eccl. cap. 2. part. 3. *Divinus*, inquit, *Pontifex sacræ unctionis inchoat munus. Sacerdotes autem post ipsum peragunt unctionis officium: ita inunctum ad sacra certamina in figura evocantes.* Et Guilielmus Parisiensis, seu Arvernus libr. de Sacramentis, cap. de Sacram Confirm. Propter vestiendam, inquit, animam humanam merito est Sacramentum Baptismi, et propter eandem armandam est Sacramentum Confirmationis. 256. IV. Armis instruit, per confirmationem.

Contra dæmonem in fine vitæ ad luctam ultimam milites suos armat Christus per extremam unctionem. S. Iacobus in epistola sua canonica (id est quæ est regula fidei et morum, sicut aliæ Scripturæ ab Ecclesia receptæ) cap. 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat* (Græc. προσκαλεσάσθω id est advocet) *presbyteros* (non ut vult Calvinus seniores laicos, sed Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, ut definit Tridentinum Concilium sess. 14. can. 4.) *et orent super eum* (tum oratione sacramentali, tum communi) *ungentes eum oleo* (olivarum ab Episcopo benedicto, ut definit Concilium Florent. et Trident.) *in nomine Domini* (hoc est invocato Dei nomine: vel, in, seu cum auctoritate et potestate sibi a Deo tradita) *et oratio fidei*, (id est fidelium et Ecclesiæ: nempe forma Sacramenti Unctionis) *salvabit infirmum*, conferet illi gratiam ex opere operato, qua gratia salvabitur infirmus, id est moriens. Nonne hæc bona est armatura, quæ dat victoriam? Ecclesia feria 5. in Cœna Domini, de benedictione olei: *Emitte*, ait, *Domine Spiritum sanctum paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad elevandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* Ungi solebant athletæ ante pugnam. Et extremam unctionem.

Quinto. Christus populo suo dat Duces, et Magistratus, e quibus regatur: nempe Prælatos et Sacerdotes, quos consecrat per Sacramentum Ordinis. Hinc Paulus ait Timotheo, quem Ephesinum Episcopum consecraverat, 1. epist. 4. 14. *Noli negligere gratiam* (χάρισμα, donum: nempe officium et ordinem Episcopi) *quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam* (id est per revelationem mihi factam, ut te Episcopum facerem) *cum impositione manuum presbyterii*, id est meorum, et aliorum Presbyterorum, id est Episcoporum: vel etiam insigniorum Sacerdotum adiunctorum ipsi Apostolo, sicut nonnunquam Abbates deficientibus aliis Episcopis præsentes adsunt Episcopo alium consecranti. His obedire debet, velut Principibus spiritualibus, populus Christianus. S. Ignat. epistol. ad Smyrnenses: *Omnes*, ait, *Episcopos sequimini, ut Christus Patrem; et Presbyterorum collegium, ut Apostolos.* Ipsi Reges quoad animam subsunt Sacerdotibus ac præsertim Episcopis. S. Chrysost. in verba Isaiæ hom. 4. et 5. *Alii*, inquit, *sunt termini regni, alii sacerdotii, sed hoc illo maius est: neque enim ex gemmis et auro, æstimari debet. Ille, quæ sunt in terris, sortitus est, Sacerdotii ius e supernis descendit. Regi, quæ hic sunt, commissa sunt: mihi, cælestia. Regi, corpora commissa sunt: Sacerdoti, animæ. Maior hic est principatus, ideo Rex manus submittit manibus Sacerdotis.* Et S. Ambr. libr. de dignitate sacerdotali, c. 2. Honor, inquit, et sublimitas Episcopalis 257. V. Dat duces et Magistratus.

nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum ful- A
gori compares, et Principum diademati, longe hoc erit
inferius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem com-
pares: quippe cum videas Regum colla ac principum sub-
mitti genibus Sacerdotum, exosculatis eorum dextris, o-
rationibus eorum se credunt communiri.

258. VI. Providet eorum propagationi. Sexto, denique, per Sacramentum Matrimonii providet
Deus Ecclesiæ suæ propagationi. S. Amphilochius hom.
in purificatione Dei Genitricis: *Nuptiæ*, ait, *honoratæ sunt,
et quovis terrestri dono superiores, fœcundæ arboris simi-
litudinem præ se ferentes. Tale denique coniugium est, ut
universum genus humanum contineat.* Dixit Deus Adamo
et Evæ Gen. 1. 28. *Crescite* (Hebr. פרו *peru*, id est fru-
ctificate seu prolificate) *et multiplicabimini, et replete ter-
ram.* Quod non est præceptum datum singulis hominibus,
sed toti speciei: si tamen præceptum est, et non potius
benedictio, qua dat illis fœcunditatem, per quam conser-
varetur genus humanum. Hoc fit per matrimonium: un-
de Paulus Ephes. 5. 32. vocat magnum Sacramentum. Per
hoc datur quædam immortalitas hominibus, ut ait Iusti- B
nianus Imper. Authent. 22. de Nuptiis. Si, inquit, matri-
monium sic honestum est, ut humano generi videatur im-
mortalitatem artificiose introducere, et ex filiorum pro-
creatione renovata genera maneant, et iugiter Dei clemen-
tia, quantum est possibile, nostræ immortalitatem donat
naturæ, recte nobis studium est de nuptiis. Ita ipse.

Concludamus itaque hunc psalmum cum Mose, qui ait
populo Israel, Deuter. 26. 17. *Dominum elegisti hodie, ut
sit tibi Deus* (ut hunc tu Deum eligas spretis idolis, atque
servias, ut sequitur) *et ambules in viis eius, et custodias
ceremonias illius, et mandata atque iudicia, et obedias eius
imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus pe-
culiaris* (id est quem specialiter sui notitia et suis donis
cumulet, ac providentia gubernet atque tueatur) *sicut lo-
cutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius.* De primo
homine dicit S. Bernard. ser. 1. de Annonciatione: *Quid
homini primo deerat, quem misericordia custodiebat, doce-
bat veritas, regebat iustitia, pax fovebat.* Idem dic de per-
fecto Christiano. In eius regeneratione opus creationis 259.
possis advertere. Primo die fit Lux, id est illustratio in- In regeneratione Christiani dies sex creationis notantur.
tellectus. Baptismus dicitur φωτισμος, id est illuminatio;
2. die dividuntur aquæ superiores ab inferioribus, id est
appetitus subditur rationi; 3. die oriuntur virtutum ger-
mina per bonam operationem; 4. Sol emicat, id est cha-
ritas: Luna, id est fides argentea, candida, et sincera:
atque astra virtutum. Hesperus seu Venus manc Solem
præiens est spes: Mercurius prudentia, Mars fortitudo,
Iupiter iustitia, Saturnus temperantia; 5. die pisces fiunt,
hoc est desideria plurima fructificandi in Ecclesia. Aves
etiam, id est contemplationes cælestium; 6. die animalia
terrestria, id est constantia et humilitas solida, qua post
magna opera virtutum iustus se inutilem servum iudicat,
et vile iumentum coram Deo. Tandem fit homo rationalis
in omnibus sequens rationem ducem et conversationem
habens in cælis, ac reformans Dei imaginem per pecca-
tum deformatam. Hinc sicut in prima hominis creatione
SS. Trinitas dixerat Genes. 1. 26. *Faciamus hominem ad
imaginem et similitudinem nostram*, id est ad imaginem si-
militudinis, hoc est similem. Est enim hendiadys. Ita in
Baptismo, qui est regeneratio, aperte declaratur sanctis-
sima Trinitas velut recreans et reparans illam imaginem
suam.

PSALMUS VIGESIMUS SECUNDUS.

1. PSALMUS DAVID.

1. DOMINUS regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.
2. Super aquam refectionis educavit me: animam meam convertit.
3. Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.
4. Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis: non timebo mala, quoniam tu mecum es.
5. Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt.
6. Parasti in conspectu meo mensam: adversus eos qui tribulant me.
7. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam præclarus est?
8. Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.
9. Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

PSALMI VIGESIMI SECUNDI ANALISIS.

Gaudium viri iusti describit David, quod sit habiturus Christum Pastorem, qui eum deducat

- Per viam, seu vitam purgativam, sicut ovem. 1. quam
  - In fertili loco collocat. 1.
    - Ubi pascoa opima famem tollant. 1.
    - Aqua salubris sitim extinguat. 2.
  - A devils et periculis servat. 3.
    - De die
      - Reducendo erraatem ad caulas. 2.
      - Ducendo per semitas æquitatis. 2.
    - De nocte
      - Comitem illi se præbendo in tenebris. 3.
      - Lupos ferasque arcendo. 3.
    - Omni tempore.
      - Virga corrigendo vagantem. 4.
      - Baculo sustentando infirmam. 4.
- Per illuminativam, velut amicum et hospitem, quem
  - Belli tempore, in hostes instruit. 5.
  - In pace, deliciis afficit. 5.
- Per unitivam, velut hominem, sui terrenorumque omnium oblitum. 6. ob
  - Ebrietatem cælestium desideriorum, ac præsertim Eucharistiæ. 6.
  - Fiduciam, in misericordiæ divinæ comitatu et præsidio. 6.
  - Amorem et desiderium divinorum bonorum in cælis. 6

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

1. Elogium Psalmi. PSALMUS hic, suavitatis et securitatis est fons indeficiens animæ Deum amanti, et paternam eius providentiam meditanti. Ut enim ait Saugrinus, in eo dulcis bonitas et proflua benignitas Dei in suos fideles ostenditur.

Quæres primo, Quis hic loquatur, et quid dicat.

Respondet Caietanus, Davidem loqui, et Deum laudare, quod sibi omnia feliciter in temporalibus ac spiritualibus succederent.

2. Eum scripsit David, et quo tempore. Quæres, Quonam tempore hunc psalmum David composuit? Respond. primo, Aiguanus id accidisse, cum Saul eum persequeretur. Secundo tamen, et melius, arbitror psalmum hunc esse scriptum paulo post inunctionem Davidis in Regem, cum ad suas oves et pascua rediit, prope Bethlehem regionem fertilissimam. Ibi enim pinguissimis in pascuis gregem suum et se in grege figuratum videns, atque huc illuc circumspectans gratissima fluenta, viridantes sylvas, terram uberem, cælumque luna et stellis rutilans, has in suavissimas voces Deum pastorem suum admirans ac laudans eruperit. Quod autem non multo post unctionem suam psalmum hunc cecinerit, colligitur ex v. 5. *Impinguasti in oleo* (id est, oleo) *caput meum*. Non enim ex lenticula, id est ex parvo vasculo, sicut in Saulem, sed ex pleno cornu in eius caput unguentum illud Samuel effuderat: unde cælesti lætitia exundans, Dei erga se misericordiam, benignitatem, curam, liberalitatem et providentiam prædicat.

3. Allegor. De Christo pastore hic agitur. Allegorico, et magis intento sensu, David loquitur in persona Ecclesiæ, Christum pastorem suum agnoscentis, eique gratias agentis, ob varia dona, et præcipue ob Sacramenta. Ita S. Hieron. S. August. Ruffinus, Lombardus, Hesychius, Turrecremata, Remigius, et alii: de sy-

A nagoga hoc interpretatur Agellius: de Ecclesia gentium S. Athanasius in Catena. Sed plenissime de utraque simul iuncta, id est de Iudæis, et de Gentibus in Christo unitis, et sub eo pastore securis, explicare malim. Ut enim ait S. Ioannes cap. 10. 16. *Fiet* unum ovile, et unus pastor. Angustius itaque est, quod nonnulli exponunt de liberatione Iudæorum ex Ægypto, et quod Alcuinus, Lombardus, et Ugo de liberatione eorum a captivitate Babylonica. Altius et verius S. Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. 2. ait, psalmum hunc aptum esse cælestibus Sacramentis.

Tropolog. Psalmus hic tribui potest cuilibet fideli, ac viro iusto in Ecclesia existenti, atque propter Baptismi, Eucharistiæ, et aliorum Sacramentorum participationem exultanti. Hæc Beda, Iansen. Titelm. Ruffinus, Dionysius Carth. 4. Tropol.

Anagog. Dionysius Carthusianus psalmum hunc transfert ad Beatos et comprehensores, qui per hoc a Deo reguntur, quod immobiliter in ipso fine adepto seu beatitudine conservantur. 5. Anagog.

B Quæres secundo. Quomodo coniungitur hic psalmus præcedenti? Respond. primo, quia præcedens egit de Passione Christi, hic agit de fructu passionis, nempe de gratiis et Sacramentis datis Ecclesiæ, et cuilibet fideli ob passionem. Deinde, cum iam in fine psalmi præcedentis fructus illos explicare incipiens Propheta, dixisset, v. 27. *Edent pauperes, et saturabuntur:* pergit exponere, quisnam sit pastor, qui dat hunc cibum. *Dominus regit* (Heb. pascit) *me:* et quam pretiosus et efficax hic cibus: *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me.* 6. Nexus cum Ps. præced.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

7. TRIA PRÆSTAT PROPHETA. PRIMO, DESCRIBIT VITAM PURGATIVAM HOMINIS, SUB TYPO OVIS, VERS. 1. SECUNDO, VITAM ILLUMINATIVAM, SUB TYPO AMICI ET HOSPITIS, CUI CIBI IN QUIETE. ET UNGUENTA AD LUCTAM SUPPEDITANTUR. VERS. 5. TERTIO DENIQUE, VITAM UNITIVAM, SUB TYPO CALICIS INEBRIANTIS, VERS. 5. ET 6.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, optimum se habere pastorem Deum ipsum, qui et cibum et potum animæ præstet, v. 1. Secundo, qui regat et protegat, tam de die, quam de nocte.

PARAPHRASIS.

1. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit.*

1. Dominus in suam me tutelam recepit, ut gregis sui ovienlam, nihil est, cur mihi quicquam defuturum dubitem: cum et Dominus potestate valeat, et pastor pietate ac benigno erga me affectu excellat. In felicem me Ecclesiæ suæ campum immisit, in quo tum doctrinæ suavitate, tum gratiæ ubertate recreat et impinguat.

2. *Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.*

2. In opimis constitutum pascuis, ad baptismatis puros fœcundosque latices deduxit, quibus ablutus potusque sacrarum in Scripturarum rivulis, divinæque sapientiæ per vitam universam decursu delectarer, atque a lassitudine sitique reficerer: ut anima hoc suavi potu recreata ad Deum fontem vivum, spretis mundi deliciis, conversa anhelaret.

3. *Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum.*

3. Pascuis uberibus saginatum, undisque salutaribus potum, per securas et amœnas virtutum semitas, modo ex hac, modo ex illa flosculos herbasque decerpentem numquam a me abscedens deduxit. Quod bonitatis suæ instinctu, non meritorum meorum intuitu fecit: ut ex tanta erga immeritum licet beneficentia, eius gloria nomenque innotescant.

4. *Nam, etsi ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es.*
Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

4. Tantæ pietatis erga me notitia adeo timorem omnem ex animo meo depulit, ut etiam densissimis in tenebris, et ululantium, mortemque intentantium luporum in medio constitutus, intrepidus maneam, de tua unius præsentia securus, qui vel ex ipsis faucibus intactum servare possis.

Si vero in te oculos non intendenti, tuamque potentiam non satis consideranti, trepidatio nonnulla subrepat: cum pastoralis cura tua, sollicitudo ac potestas menti recursat, vanas et futiles mœroris umbras evanescere, tuaque me cælesti consolatione perfundi sentio.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM PERFECTUS SIT PASTOR CHRISTUS.

8. Ordo sectionis. PASTOREM hic nobis Christum Propheta noster delineat, qui fideles omnes, tamquam oves, opimis in Ecclesiæ pascuis saginatos, tandem Patris æterni ad caulas deducet. Omnia autem illi convenire, quæ præstantissimum Pastorem decent, colligis ex hoc ipso loco.

Primo enim, Dominus est, et non mercenarius, vers. 1. *Dominus regit me.* Hebr. pascit me. Secundo liberalis est, *Et nihil mihi deerit.* Tertio, dives est. *In loco pascuæ* (pascuis abundante) *ibi me collocavit.* Quarto, benignus et suavis est, v. 2. *Super aquam refectionis* (quietis, ut Arabs vertit) *educavit me.* Quinto, vigilans est, ut ovem aberrantem in viam rectam reducat, *Animam meam convertit.* Sexto, prudens est, ut per tramites securos lætosque conducat, v. 3. *Deduxit me super semitas iustitiæ, propter nomen suum.* Septimo, fortis est, ut a feris irruentibus protegat, v. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Octavo denique, severus est, ut, cum opus est, pedo seu virga pastorali moderate et opportune corrigat. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

ARTICULUS I.

Christus pastor, Dominus est, et omnia ovibus suis abundanter suppeditat.

DAVID in fertilibus urbis Bethlehem pascuis oves suas contemplans, animum suum ad Deum erigit, et spei

A plenus exclamat, v. 1. DOMINUS REGIT ME, ET NIHIL MIHI DEERIT: IN LOCO PASCUÆ IBI ME COLLOCAVIT. Vers. 1.

Nota. Pro, *regit me* Hebr. רעי *roi*, id est pastor meus, ut vertunt Felix, Caietan. Vatabl. Muisius, et Petavius. Deus veluti pastor bonus populum Hebræum regebat, ut David etiam prædicat, Ps. 79. 2. *Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph.* Plato in Politicis ait, non solum Reges, præsertim probos, sed Deum ipsum Regem et pastorem esse humani generis, atque etiam aliquando priscis temporibus, aureo ve illo sæculo, per seipsum homines pascere solitum fuisse familiariter. Philo lib. de agricult. scribit, *Pastoris officium res est tam præclara, ut non Regibus solis et sapientibus viris, et perfecte purificatis, sed et Deo rectori omnium iuste tribuatur:* ait autem, gregem illius supremi pastoris esse universum mundum: κοσμος, ait, ὁ μεγιστη και τελειοτατη τε οντος θεε ποιμνη, *maximus perfectissimusque Dei grex est mundus.* Ita Philo. — 9. Deus est humanum pastor.

Nota 2. Ad omnia tempora extendit se Dei pastoris erga oves suas providentia. Primo enim in tempore præte-

B rito vertit Chald. *Dominus pavit populum suum in deserto.* Secundo, in tempore præsenti reddunt S. Hier. S. August. et S. Ambros. lib. 5. de Sacramentis, *Dominus pascit me.* Tertio denique, in tempore futuro interpretatur S. Ambr. in Lucam, *Dominus pascet me.*

Nota 3. Interpres noster vertit, *regit me*, ut commodius nobis repræsentat multiplicem Dei providentiam erga nos. Primo enim, Deus regit nos, ut dux viatores, ne deviemus. Sap. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas.* Hinc dicit Ierem. cap. 17. v. 16. *Non sum turbatus te pastorem sequens.* Secundo, Deus nos regit, ut lux in tenebris ambulantes, ne exorbitemus. Isaiæ 60. 19. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Hinc Michæas Propheta — 10. Variis modis nos regit.

exultat cap. 7. 8. Consurgam, cum sedero in tenebris, *Dominus lux mea est.* Tertio, regit nos, sicut navarchus navem, ut portum teneat, Ps. 106. 30. *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Quarto, regit nos, ut Rex regnum, Luc. 17. 21. *Regnum Dei intra vos est.* Hinc David orat Psal. 5. 3. *Intende voci orationis meæ, Rex meus, et Deus meus.* Quinto, regit nos, ut Imperator exercitum, 1. Paralip. 11. 9. *Proficiebat David vadens et crescens, et Dominus exercituum erat cum eo.* Sexto, regit nos, ut cæcum amicus oculatus, Is. 42. 16. *Ducam cæcos in viam, quam nesciunt: et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta.* Septimo, Deus regit nos, ut præceptor pueros, Isaiæ 30. 20. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Hinc Ieremiæ puerum se esse inclamanti promittitur a Deo divina eloquentia, et datur, cap. 1. 9. *Ecce dedi verba mea in ore tuo,* eorum efficaciam ibi lege. Octavo, Deus nos regit, ut equum sessor. Habacuc Propheta Deum alloquens ait, cap. 3. 8. *Qui ascendes super equos tuos, et quadrigæ tuæ salvatio.* Et v. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis.* Nono denique, Deus regit nos, ut pastor oves: qua de re nunc agendum est.

11. Corollaria. 1. Ars pastoritia, est ars nobilis.

Ex his collige primo, artem pastoritiam esse artem nobilem, cum eam Deus exerceat. Homerus Iliad. 2. 4. et 5. Reges vocat ποιμενας λαων, id est pastores populorum. Ab Hebraica voce רעה *raa*, id est pavit, deduci potest Latina vox *rego.* Nam *ain* nonnumquam redditur per *g*, ut in Gomorrha, Segor, et aliis. Potest etiam ab Hebr. רעי *roi*, id est pastor meus, deduci gallica vox *roi*, hoc est Rex. Quod enim Hebræi per diæresim dividunt, nos per synæresim contrahimus. Ubi obiter adverte, linguam Gallicam ordinaria magis accedere ad pronunciationem Hebraicam, quam linguam Latinam, ut sæpe notavi, et hic patet. Nam licet ain aliquando per *g* efferatur, sæpius tamen omnino perit, sicut aleph. Unde Arabes vim illius literæ veluti duplicem per duas literas exprimunt, nempe per ein et gaia. Sed ad rem veniemus, primis mundi temporibus etiam nobilissimi et ditissimi in pascendis gregibus sese occupabant. David noster iam consecratus in Regem a Samuele Propheta, rediit ad pascua, et pavit oves. Moses, qui fuerat adoptatus a Thermuti filia Regis Pharaonis, ant pro filio nativo habitus, pavit oves in deserto Madian per annos quadraginta, unde illum Deus eduxit, ut esset princeps et ductor populi sui per alios annos quadraginta: sicut postea e pascuis eduxit Maximum seniorem Imperatorem Romanum, et Iustinum I. ac Tullum Hostilium Regem etiam Romanorum: Tamerlanem pastorem Scytham, ut pene totius Asiæ Regem faceret: Mahumetem Avelanaginar, ut regno Granatæ præficeret, atque alios. Iacob Patriarcha ditissimi patris filius, per annos viginti pavit oves Labani soceri sui. Eius filii, quos Iosephus poterat ad primas regni Ægypti dignitates evehere, et posteri, oves servarunt per annos ducentos et quindecim, quibus duravit commoratio eorum in illo regno.

12. II. Deus nos servat velut rem suam, cum sit Dominus.

Secundo collige, ex eo quod pastor noster, etiam *Dominus* noster est, sequi, quod maiori cura nos servat, et pro nobis pugnat: quia res eius sumus, ipsi perimus, ipsi servamur. Mercenarius autem oves aspicit, veluti rem non suam, sed alienam: ideo periculis se non obiicit, ut eas tueatur, sed fuga sibi consulit, ut monet Christus, Ioan. 10. 11. *Bonus pastor animam* (hoc est, vitam) *suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispergit oves. Mercenarius autem* μισθωτος mercede conductus *fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.* Græce est, ου μελει αυτω; id est, non est ei cura, seu, ut vertit Vatablus, oves non sunt, ei curæ. Lege S. Greg. homil. 14. in Evangelia. Alacriter itaque et secure dicamus, *Dominus regit me.*

13. III. In eo sperandum est.

Tertio collige, Deus pastor noster, etiam rerum omnium Dominus est, igitur cum fiducia opem eius ac misericordiam implorare debemus. S. Augustinus lib. de ovibus, c. 1. ait: Oves Dei sumus, nec importune poscimus cum lacrymis eius misericordiam, cuius oves sumus. Diximus enim Ps. 94. Ploremus coram Domino, qui fecit nos, quoniam ipse est Dominus Deus noster. Ita Augustinus, qui deinde subiicit differentiam inter cæteros pastores ac Deum: quod Deus oves suas creavit, alii pastores sibi datas acceperunt. Verba eius sunt: Pastores homines, vel etiam patresfamilias Domini pecorum, oves, quas habent, non ipsi fecerunt; oves quas pascunt, non ipsi creaverunt: Noster autem Dominus Deus, quia Deus et creator est, fecit sibi oves quas habeat, et quas pascat: nec alter instituit, quas pascit: nec quas ipse instituit, alter pascit. Ploremus ergo ante illum. Hæc ipse.

Allegorice, Christus est primo verus et perfectissimus pastor animarum, Ioan. 10. 11. *Ego sum pastor bonus.* 14. Allegor.
S. Petrus in 1. epist. cap. 2. v. ult. illum vocat pastorem et Episcopum animarum, id est speculatorem, superintendentem: est pastor Argus centoculus: est enim Sapientia Patris infinita. Capite autem 5. v. 4. eum appellat, Principem pastorum. S. Paulus in epistola ad Hebræos, cap. ult. 20. vocat pastorem magnum ovium. Vocatur a S. Greg. Nazianz. orat. 41. αληθινος και πρωτος ποιμην, verus et primus pastor: a S. Isidoro lib. 1. epist. 136. ποιμαντικης τεχνων, pastoralis artis Dux: a Clemente Alex. lib. 1. pædag. cap. 6. ποιμην αρνων βασιλικων, pastor agnorum regalium.

Secundo, Christus pastor, Dominus est, oves enim ad eum pertinent. Nam illas emit proprio sanguine. Hinc fit, ut oves amet. S. Ioan. Climacus tract. de officio pastoris: *Verum,* ait, *pastorem charitas demonstrat: per charitatem enim pastor crucifixus est.* Hinc etiam patet, eum omnia boni pastoris officia explere. S. Basilius in Ps. 32. *Satis sit scire, pastorem esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus: terminus hic sit divinæ cognitionis.*

Secunda proprietas Dei et Christi pastoris, est liberalitas. Eam ob rem addit Rex noster, ET NIHIL MIHI DEERIT. Vers. 1. 2. Pars.

15. Nihil deest nobis sub Deo pastore

Nota, habenti Deum pastorem impossibile est ut quidquam desit. Primo, quia pascit oves suas seipso, qui est omne bonum. Itaque vere et secure dicitur: *Dominus pascit me, et* (ideo) *nihil mihi deerit.* Non enim avarus tantum, sed barbarus, sed insanus, sed impius, et atheus est, cui Deus totus non sufficit, qui omnibus sufficit creaturis sublunaribus et cælestibus. Hinc vocatur שדי *sciaddai*, q. d. qui est sufficiens, sibi scilicet atque aliis. Vel *sciaddai*, significat mammeum, a *sciad*, mamma, quod etiam huic loco conveniet: pascit enim agnos suos lacte optimo, quo deliciæ omnes terrenæ exæquantur atque superantur. Deus enim totus est mamma plenissimum et suavissimum, ex omni parte implens omne animal benedictione.

Nota 2. Deum pastorem habenti nihil deest, nec in anima, nec in corpore.

Primo enim, Deus intellectum seipso illustrat, Ps. 26. 1. I.
Dominus illuminatio mea. Voluntatem roborat, Ps. 17. 1. In anima.
Diligam te fortitudo mea. Memoriam recreat, Ps. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Omnes denique animæ et corporis facultates replet, sanctificat, et beat. 1. Cor. 15. 28. *Ut sit Deus omnia in omnibus.*

Secundo, corpus integrum Deus ita perficit, ut nihil illi II.
desit: 1. visum implet, Exod. 33. 19. dicitur Mosi: *Ego* In corpore.
ostendam omne bonum tibi; 2. gustui satisfacit, Ps. 33. 9. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* 3. aures delectat, Eccl. 3. 31. *Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.* Græce παραβολην, id est parabolam, hoc est sapientiam sublimiorem, et reconditam; 4. Deus odoratum reficit, Cantic. 1. 3. *Curremus in odorem unguentorum tuorum;* 5. denique, Deus tactum recreat, Cantic. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui:* id est sua gratia, vel Filio suo incarnato.

Sed quia in dictis non pauca ad animam pertinent, lege quæ dixi Psal. 54. v. 23. in ea verba: *iacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet,* atque intelliges speranti in Deum corporale nihil deesse. Nunc sufficiat dicere, Deum tribuisse cibum Eliæ et S. Paulo Eremitæ per corvum, Danieli per Habacuc capillis ab Angelo delatum,

S. Ægidio et S. Goari per cervam lac suum præbentem. Hunc Dei erga servos suos liberalitatem explicare possis liberalitate Cimonis Atheniensis, de quo alias, aut Agrigentini Gilliæ. Hic Gillias propemodum ipsius liberalitatis præcordia habuit. Erat opibus excellens, sed multo etiam animo, quam divitiis locupletior: semperque in eroganda potius quam in coacervanda pecunia occupatus: *adeo ut domus eius quasi quædam munificentiæ officina crederetur.* Illinc enim publicis usibus apta monumenta extruebantur: illinc grata populi oculis spectacula edebantur: illinc epularum magnifici apparatus, laborantique animo annonæ subsidia tribuebantur: et cum hæc universis, privatim alimenti inopia laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, subsidia, detrimentorum incursu quassatis erogabantur: hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore quingentos equites Gelenses vi tempestatis in possessiones suas compulsos aluit, ac vestivit. Quid multa? *non mortalem aliquem, sed propriæ fortunæ benignum esse diceres sinum.* Ergo quod Gillias possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat: pro cuius salute et incrementis tum Agrigentina civitas, tum etiam vicinæ regiones, votis excubabant, ut ait Valerius Maximus lib. 4. cap. 8. Athenæus lib. 1. cap. 1. qui Telliam, ac Diodorus Siculus lib. 13. qui Gelliam vocat. Leonis X. Papæ tanta erat liberalitas, ut cuncti eius adventum se vel fructuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, ut loquitur Iovius in Leone, quem consule. Esdras lib. 2. c. 9. laudat Deum, quod non permiserit quidquam deesse Israelitis, in Arabiæ deserto, post exitum ab Ægypto. *Quadraginta annis* (minus quinque diebus) *pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit.* Manna e cælo depluit, aquæ de rupibus fluxerunt, coturnices in aere sese illis capiendas obiecerunt, vestimenta ipsorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. Si hæc Deus fecit rebellibus Iudæis, quid faciet fidelibus Christianis? Roman. 8. vers. 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* S. August. sermon. 8. de verbis Domini: Prorsus, inquit, nusquam sic apparet benignitas gratiæ, et liberalitas omnipotentiæ Dei, quam in homine mediatore Dei et hominum, homine Christo Iesu.

16. Allegor. Christiano nihil deest sub Christo pastore. Allegorice. Cum Christus sit pastor Ecclesiæ, nihil potest deesse Christianis. Primo enim illos pascit seipso in Eucharistia. Ioann. 6. v. 56. *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Vere, hoc est, non parabolice, non ænigmatice, ut ait S. Chrysost. qui hom. 61. ad popul. dicit, nos Christo in Eucharistia realiter et substantialiter uniri. Secundo, pascit nos Christus gratia sua. Matth. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* S. Bern. Epist. 253. Sempiterna, inquit, esuries sempiternam meretur refectionem. Tertio, pascit Christus Apostolos suos scientia et doctrina. Ioan. 15. v. 15. *Vos autem dixi amicos: quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis:* id est, partim pro captu vestro iam nota feci, partim nota facere decrevi in adventu Spiritus sancti. Hebræi enim sæpe verba realia sumunt pro mentalibus. Alios autem docet per Apostolos et prælatos Ieremiæ 3. 15. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Quarto denique, servos suos Christus pascit cælesti gloria Psal. 16. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Vide illum locum.

17. Corollaria. Ex his collige primo, lætandum esse quod Deum et Christum pastores habeamus. S. August. lib. de ovibus: *Quanta felicitas est,* inquit, *esse gregem Dei? si quis eam cogitet, fratres, etiam in istis lacrymis, et in istis tribulationibus, magnum gaudium concipit.* Ita Augustinus.

Secundo collige, summam fiduciam habendam esse, fore ut nihil nobis desit. Philo libro de agricultura: Sicut gregem, inquit, terram, aquam, aerem, ignem, et quidquid in his continetur vel stirpium, vel animalium, mortalium se divinorum, adhuc cæli naturam, solis ac lunæ circuitus, revolutiones cæterorum siderum et choreas concinnissimas, ὡς ποιμὴν καὶ βασιλεύς, *tamquam pastor ac Rex,* Deus regit. Hæc Philo, qui inde paulo post recte concludit: *Dicat igitur universus mundus, maximus perfectissimusque Dei grex: Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. Dicat unusquisque privatim idem hoc, non voce per os linguamque fluente, ad breve aeris pertingente spatium: sed illo peramplo mentis sono perveniente usque ad extremos orbis terminos:* ἀμήχανον, *impossibile enim est deesse commodum aliquod, ubi Deus præsidet, solitus plena perfectaque bona largiri rebus omnibus.* Sic ipse. Itaque iure etiam monet, psalmum nostrum esse meditandum Dei amico.

Tertio denique collige, memoriam beneficiorum a pastore Deo et Christo acceptorum esse retinendam. Troglodytæ Æthiopes parentum nomina non induunt liliis, sed tauri, arietis, ovis: et hos quidem patres, has matres appellant: quoniam ab his, non a parentibus, quotidianus præbeatur victus, ut ait Diodorus lib. 4. cap. 3. Sancti Action et Epictetus Martyres ad omnes interrogationes sibi a tyranno factas, id unum respondebant, *Christiani sumus, fiat voluntas Dei in nobis.*

Georgius Gisera Bohemus armorum gloria clarus, qui mortuo Alberto Imperatore, Ladislai pueri partes unus ferme defenderat in Hungaria, cum Rex Poloniæ, Uladislaus regnum invasisset, prædones sæpe acie fuderat, Ioannem Huniadem bis castris exuerat, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat: ubi ad conspectum Regis Ladislai, qui in aula Friderici III. Imperatoris tutoris sui agebat, intromissus est apud Novam civitatem, eius manum exosculatus, in hunc modum verba fecit: Video te tandem, teneoque, mi Rex. Si scires quæ pericula propter te subivi, quibus me laboribus implicui, quot adverso corpore vulnera excepi. En cicatrices testimonio sunt: Patri ego tuo tibique vitam devovi. Nulla vis est, nulla fortuna, quæ alienare animum a te meum possit: officia mea sola tibi mors auferet. Sed tu hæc per ætatem non intelligis. Et subridens, Quod, inquit, mihi præmium fidei ac laboris erit: et quod das militi tuo stipendium? Sextum tunc annum agebat Ladislaus. Qui postquam Gisera finem dicendi fecit, oculos huc atque illuc circumvolvens, loculos Ioannis magistri cameræ, quibus ille nummos pauperibus erogandos asservabat, tacitus arripit; æraque sex tantum, neque enim plura invenit, illinc deprompta Giseræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, ut providum, liberalem futurum indicavere. *Gisera innexos postmodum auro nummos e collo suspendit, regiæ gratitudinis monimentum,* ut referunt Æneas Sylvius cap. 58. histor. Bohem. et Bonfinius lib. 5. Decad. 3. Nihil defuit Apostolis a Christo missis Lucæ 22. v. 36. in sinum nostrum se suaque effundit, cor illi aperiamus, et dona eius ipsumque in eo servemus. Christiani olim Eucharistiam collo appensam secum deferebant, ut constat de Satyro fratre S. Ambr. per eam a naufragio servato.

18. Obiectio. Dices, multæ sunt tribulationes iustorum: quomodo igitur verum est, quod nihil illis desit? Respondeo primo, Tribulationes ipsas a Deo in cibum et animæ robur converti. Socrates apud Platonem in Minoe dicit: Si quis bonus legislator, *et hominum pastor,* vos roget circa corporis valetudinem, quid corpori adhibet, ut bonam valetudinem tueatur: responderemus utique recte ac breviter, τροφὴν καὶ πόνους *cibum et labores,* tum intendens, tum remittens, atque ita corpus componens. Hoc cum Minos probavit, pergit Socrates interrogare, quænam sint ad valetudinem animæ adhibenda? et Minos fatetur se nescire: et licet hoc turpe dicat esse Socrates, nihil tamen dat responsi. Facilis tamen est responsio, si dicamus: animæ eodem modo atque corpori necessaria esse τροφὴν καὶ πόνους, cibum et labores, seu exercitium: ut uno sustentetur, altero roboretur: uno delectationem, altero mercedem percipiat. Secundo, Christus pastor amaritudinem aufert tribulationum. S. Basilius Seleuciæ Episcopus orat. 26. Pastor, inquit, pro ovibus tamquam ovis

iugulum præbet, non mortem recusat, non iudicium extrahit, non carnifices morte occupat, calamitatem calamitate expiat, et morte morti medetur.

ARTICULUS II.

Christus pastor oves suas in opimis Ecclesiæ pascuis collocat.

19. Vers. 1. 3. Pars. TERTIA Proprietas Christi pastoris est eius opulentia. Ideo additur v. 1. IN LOCO PASCUÆ IBI ME COLLOCAVIT. Particula, *ibi*, non habetur in Hebræo, neque est necessaria: addita est ab interprete Græco, et inde translata in Latinam editionem, sed redundat. Hæc Bellarminus. Secundo, malim dicere positam esse εμφατικως, veluti per repetitionem, q. d. in loco pascuæ, in loco pascuæ me collocavit. Qui loquendi modus est exultantia.

Nota 2. pro in *loco* Hebraice est in נאות *neot*, quæ vox duo significat. Primo, villas, domos, tuguria, caulas, ubi ponuntur oves. Ita R. Abraham, qui vertit: *In habitaculis* (Paguinus in tuguriis) *germinis accubare me faciet.* Secundo, *neot*, significat ipsa pascua: unde Arabs reddit: *Super pratum fertile.* Hebr. herbæ, seu herbosum, *requiescere me faciet.*

Nota 3. *neot* non tantum quietem et habitationem, sed etiam recreationem et delectationem indicat. Hinc Symmachus vertit, εν ωραιοτητι ποας, in venustate herbæ collocavit me. Syrus vero, *Super prata fortitudinis* (id est magno vigore et ubertate herbes et flores fundentia) *habitare me faciet.* Sic Psalm. 64. 13. dicitur: *Pinguescent* (neot) *speciosa* (S. Hier. pascua. Chaldæus, laudabilia) *deserti.*

Nota 4. Territorium urbis Bethlehem fuit irriguum et fertile: præsertim ob fontem copiosum, qui pene totum irrigabat: unde præ cæteris in Iudæa abundabat pascuis, vino, frumento, et oleo. Nomen ipsum *Bethlehem*, id est, domus panis, fertilitatem denotat: et *Ephrata*, id est frugifera. Vide dicta Psal. 131. v. 6. David autem erat Bethlehemites, et oves Isai patris sui ibi manentis pascebat.

20. Allegor. Ecclesia et Bethlehem parallela. Allegor. *In loco pascuæ*, id est, in Ecclesia sacramentis, doctrina et gratiis abundante nos Deus collocat, ut nihil nobis desit. Nam Ecclesia figuratur in Bethlehem. Primo, ob nomen, utraque enim est domus panis. Secundo, quia ibi natus est David, et Christus. Tertio, quia ibi David, qui est Christi figura, pavit greges. Quarto, propter ubertatem pastionis. S. Ambrosius tria præsertim pascua notat in Ecclesia: nempe Christum, sacramenta et scripturas. Verba eius sunt ser. 14. in Psal. 118. *Quæ sunt pascua*, inquit, *nisi Christus? In cuius pascuis se locatum Propheta lætatus est, dicens: In loco pascuæ ibi me collocavit. Ipse enim nos pascit et reficit. 2. Bona pascua, divina sacramenta sunt. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est, dominici corporis sanguinem. 3. Bona etiam pascua, libri sunt scripturarum cælestium, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur ac reficimur, cum ea quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur.* Interamnæ in Umbria quater annis singulis prata secantur, etiam non rigua. Ter vero plerisque in locis Italiæ, et postea in ipso pabulo non minus emolumenti est quam a fœno, ut ait Plinius l. 18. cap. 28. In Ecclesiæ vero pascuis quotidiana messis est: eorum ubertatem declarat Deus ipse Ezechielis 34. 14. *In pascuis uberrimis pascam eas, et in montibus excelsis Israel erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur.* Mons perfectionem vitæ et sublimitatem contemplationis denotat: ubertas autem pascuæ, delectationem et fœcunditatem operum. Loth greges suos pascebat in campestribus, Abraham vero in montibus. Genesis 13. 10. Ecclesia est terra, quæ germinat *herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus suum.* Genesis. 1. Hoc S. Gregorius expendens, Per terram, inquit, quæ et loquendo pascit, et opitulando protegit: ut non solum herbam refectionis proferat, sed et cum fructu operis arborem protectionis. Ita Gregorius. Christus ibi se in cibum dat iumentis, id est hominibus, licet terrena cogitatio deprimat sensum multa cogitantem. Nam Verbum caro factum est, Ioannis 1. v. 14. dicit autem Isaias c. 40. v. 6. *Omnis caro fœnum.* Itaque Verbum factum est fœnum pro hominibus, qui similes facti erant iumentis. Quod admirans S. Bernardus serm. 1. de Epiphania, inquit, *Quid tantopere declarat eius misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei verbum propter nos factum est fœnum?* Hæc Bernardus, qui alio loco sic dicit: *Obstupenda Dei miseratio, Verbum carnem, Deus cinerem, figulus lutum, vita morticinium induitur, ut iumenta manducarent panem Angelorum, quia panem Angelorum manducavit homo.*

Nota, dicitur *in loco pascuæ*, non vero *in locis* pascuæ, quia una tantum est Ecclesia, in qua Christi sint pascua. Unde quatuor conclusiones deduci possunt. 21. Locus tantum unus est pascuæ, id est Christi Ecclesia.

Prima, hæreses, schismata, idololatriam esse deserta arenosa, et herbis venenatis plena. Ecclesiam vero similem esse loco illi pulcherrimo et pascuis opimis abundanti, ubi erat templum Iovis Hammonis in Africa, qui locus arenis in longum protensis cingebatur: quæ tanta erant copia, ut in illis orirentur tempestates velut in mari: et exercitus integri iis aliquando obruerentur, sicut accidit exercitui Cambysis. Ecclesiæ etiam symbolum potest esse Tacape civitas Africæ in mediis arenis, petentibus Syrtes Leptimque magnam, *felici super omne miraculum riguo solo:* ternis fere millibus passuum in omnem partem fons abundat, largus quidem, sed certis horarum spatiis dispensatus inter incolas. Palmæ ibi prægrandi subditur olea, huic ficus, fico punica, illi vitis, sub vite seritur frumentum, mox legumen, deinde olus, omnia eodem anno, omniaque aliena umbra aluntur. Quaterna cubita eius soli in quadratum, nec ut a porrectis metiantur digitis, sed in pugnum contractis, quaternis denariis venundantur. Super omnia est, biferam vitem bis anno vindemiare. Et nisi multiplici partu exinaniatur ubertas, pereunt luxuria singuli fructus, ut refert Plinius lib. 18. cap. 22. Mundi cupiditatibus suis ardentis symbolum est crater Ætnæ ardens, et bulliens, flammasque et cineres eructans; Ecclesiæ vero Christi symbolum est mons circumiectus floribus vernans, de quo Diodorus et Cardanus sic loquuntur, adeo floribus perpetuo vernat, ut venationi locus non detur, quandoquidem florum fragrantia præpedit canes.

Secunda conclusio. Synagoga ipsa Iudæorum si conferetur cum Ecclesia Christi, fuit desertum, in quo erant aquæ amaræ, et arenæ multæ. Hinc Deus populum Iudaicum per annos quadraginta in deserto detinuit, ubi etiam illi leges dedit. Synagoga cum lege Mosis non dabat gratiam ex opere operato: itaque sacramenta ibi erant tantum egena et infirma elementa: si forte circumcisionem excipias in infantibus. Ecclesia vero, est terra promissionis, fluens lacte et melle. Origenes hom 2. in Cantica, Christum laudat, quod, cum alii pastores vel ignavia, vel imperitia oves suas in locis aridioribus collocent, ipse eas in uberrimis pascuis ponat. Fabulati sunt veteres solem habuisse proprie boum armenta et ovium greges, quos Horæ et Nymphæ pascerent in opimis Siciliæ locis, sicut refert Homerus in Odyssea. Gaudeat ovis veri solis Christi, a quo lucem non interruptam et pascua non deficientia percipit.

Tertia conclusio. Cum sit tantum unus locus bonæ pascuæ, nempe unica Ecclesia, sedulo considerandum est, quo in loco quæras pascua, ne in sterilia aut venenata incidas. Hinc Sponsa dicebat Cantic. 1. v. 6. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Hebraice: Cur ero sicut vaga super greges sociorum tuorum? Symmachus vertit, ρεμβομενη, id est, circumagitata et rotata, sicut lapis rotatur in funda. Sodales porro, seu ri-

tales, et æmuli Christi, sunt dæmones, ut explicat S. Bernardus serm. 33. in Cantic. 2. sunt Scribæ et Pharisæi, ut vult Rupertus; 3. sunt hæretici, schismatici, Philosophi gentiles, ut ait S. Anselmus; 4. mali Christiani, ut S. Gregorius Papa. Hinc S. Greg. Nazianz. timens ne aberret, S. Basilium sic alloquitur orat. 7. Dic, quæ pascua petenda, qui fontes adeundi, quæ rursum pascua vitanda, qui latices? Hæc Nazianzenus. Pausanias asserit, ab incolis Heliconis montis in Bœotia dici, earum quæ ibi gignuntur herbarum, aut radicum, nullas omnino homini esse mortiferas: quin et serpentum virus loci eius pastionibus infirmari. Locris et Crotone numquam pestilentiam fuisse annotatum est, ut ait Plinius l. 2. cap. 96. Mundanorum pinguedinem iure compares pinguedini periculosæ ovium Catanensium, de quibus Strabo lib. 6. Catanensium, ait, colles in Sicilia alto exundant cinere ex Ætnæ incendiis, qui aliquando magno illos afficiens mœrore, posterioribus annis magnum terris attulit beneficium. Quippe tam læta reddidit illis vineta, et singulari bonitate, ut reliqua nulla, vini nobilitate, eis comparabilis existat: loca ipsa cinere permista radices educunt. Inde pecudes tanta exuberare pinguedine tradunt, ut inde suffocentur, nisi cruor quatuor aut quinque per dies ab auribus eximatur. Hæc Strabo. Opus est mortificatione, aut in mundi deliciis pereundum est.

Quarta denique conclusio. Cum sit tantum locus unus pascuæ, nempe unica Ecclesia, sub uno Christo pastore ibi degere et pasci debent Iudæi et Gentiles. Hoc figuratum est in ovibus et camelis Iobi simul pascentibus, Iobi 1. v. 3. quod considerans S. Gregorius lib. 1. Moral. 13. *Quid aliud*, inquit, *in septem millibus ovium, nisi perfectam quamdam innocentiam exprimit, quæ ad perceptionem gratiæ ex legis pascuis venit. Quid vero in tribus millibus camelorum, nisi ad plenitudinem fidei tota Gentilium vitiositas designatur.* Hæc Gregorius. Gibbus cameli, distortos Paganorum mores, scelerumque grave pondus repræsentat. Secundo, accessus omnium orbis nationum ad Christi pascua, figuratur per illa virorum quinque millia, quæ Christus iussit discumbere super fœnum, prope mare Galilææ seu Tiberiadis. Origenes hom. 2. in Cantica, hoc exponit præsertim de Gentilibus irrationabiliter viventibus. Isti, ait, sunt fortassis greges sodalium Sponsi, gentes scilicet cunctæ, quæ velut pecora sub Angelis pastoribus constitutæ sunt. Theophylactus vero l. 3. in Ioannem de omnibus explicat, ut ait ibi denotari, laute recipi, et cælestibus alimentis nutriri, pane cælesti, qui cor hominis confirmat, concesso, omnes qui ad Christum conveniunt.

Nota secundo, pro *ibi me collocavit*, Hebraice omisso *ibi*, quod a nostro interprete positum est ad emphasim, habetur ירביצני *iarbitseni*, id est, cubare, accubare, recumbere, quiescere, habitare me fecisti. Est enim verbum in Hiphil, quod significat esse alicuius actionis auctorem, suasorem, et impulsorem.

22. Corollaria Unde collige Primo, nos sine gratia Christi non posse invenire bona Ecclesiæ pascua, et ibi commorari et nutriri. Ipse enim est via, et pastor. Secundo, collige modum quo id facit; nempe cum sollicitudine; 2. cum charitate; 3. cum suavitate. Id notant variæ versiones. S. Hieron. vertit: *in pascuis herbarum acclinavit me.* Pagninus, *me accubare faciet.* Arabs, *requiescere me fecit.* Vatablus, *in pascuis herbis accubare me facit.* Ubi obiter adverte, denotari tempus præsens, præteritum, et futurum; 4. Itaque Christus oves suas pascit cum perseverantia et constantia. Syrus, *super prata fortitudinis habitare me faciet.* Felix: *in habitaculis germinis accumbere me faciet*; 5. cum liberalitate, nullo excluso. Hoc indicat noster Interpres, qui vertit, ibi me *collocavit*: id est, simul locavit, cum aliis locavit. Ipse est Ioseph, ad quem omnes tam Ægyptii, quam Chananæi, Israelitæ, et alii, confluere debent famis tempore. Genes. 41. v. 56. dicitur: *Crescebat autem fames in omni terra, aperuitque Ioseph universa horrea, et vendebat Ægyptiis: nam et illos oppresserat fames. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, et malum inopiæ temperarent.* Rex, qui omnes mittebat ad Ioseph, eum appellavit Salvatorem mundi. Adverto autem, quod frumenta quidem omnibus data sunt ad Ægyptum confluentibus, aut in ea manentibus: Deus enim nemini denegat gratiam: sed solus Iacob et filii eius ac nepotes numero circiter septuaginta habitarunt in terra Gessen, ubi erant optima et pinguissima pascua: ibique ita multiplicati sunt, ut post annos 215. inde exiverint sexcenta armatorum millia, non computatis mulieribus, nec parvulis usque ad annum 20. Ad eam terram Gessen, separatam a cæteris Ægyptiis, ducet te Ioseph, id est, Iesus adaugens, et dicet, Genes. 45. v. 10. *Habitabis in terra Gessen, erisque iuxta me, tu et filii tui, et filii filiorum tuorum, oves tuæ, et armenta tua, et universa quæ possides: ibique te pascam, ne et tu pereas, et domus tua, et omnia quæ possides.* Fide igitur animatus ad Iesum convola, alioqui peribis fame. S. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 7. Omnes, inquit, regiones venerunt in Ægyptum ad Ioseph emere. Obtinuerat enim eos fames. Omnes enim esurient, quos non paverit Christus. Emamus ergo alimenta, quibus famem possimus repellere. Non quæritur Christus argento, sed fide, quæ argento pretiosior est. Ita Ambros. Herbarum gloriam Ægypto tribuit Homerus, sed Christi Ecclesia longe est feracior.

Tertio collige, Si pastor es, quanta cura, benignitate, et charitate debeas oves Christi pascere, et eis bona, ampla, lætaque pascua providere? S. Petrum volens Christus gregi suo præficere, ait Ioan. 21. v. 15. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Id est, plus Thoma, Nathanaele, Iacobo, Ioanne, et aliis duobus discipulis, qui simul piscatum iverant. Cum bis interrogatus, bis amorem suum testatus esset, dicit ei Iesus: *Pasce agnos meos*; tertia autem vice, *pasce oves meas.* Iansenius per agnos et oves vult eosdem significari: et quidem Æthiopicus textus ter ponit oves. Melius tamen Bellarminus lib. 1. de Pontifice, cap. 16. per agnos intelligit simplices fideles ac laicos: per oves, pastores summo Pontifici subiectos. S. Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio, charitatem illam pastoralem sic proponit: *Christo licebat huiusmodi verbis Petrum affari. Si me amas Petre, ieiunia exerce, super nudam humum dormi, vigila continenter, iniuria pressis patrocinare, orphanis patrem te exhibe, viduæ item te maritorum loco habeant. Nunc vero prætermissis his omnibus quidnam ille ait? Pasce oves meas.* Hæc Chrysostomus. Hinc S. Petrus maxima charitate providit Ecclesiæ sibi commissæ, et ab aliis pastoribus provideri voluit: ait enim in 1. Epistola, cap. 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Primo, *providentes*, ἐπισκοποῦντες, id est, superspeculantes, supervigilantes, superintendentes. Secundo, *non coacte, sed spontanee:* S. Ambros. in Ps. 118. dicit, Isaiam quasi voluntarium organum, uberiore Spiritus gratia esse impletum. Tertio, *secundum Deum*, q. d. in Domino, id est, Dei et Domini amore. Quarto, *neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Græce, προθύμως, hoc est, diligenter, prompte, strenue, impigre, libenter, propenso animo. Syrus, *ex toto corde.* Quinto, *neque ut dominantes in cleris.* Græce κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, id est, dominantes in cleros: vel, contra cleros: id est, in fidelem populum, qui in varios cleros, hoc est, sortes, parœcias, Ecclesias et congregationes est distributus. Vel certe, in clericos. Sexto, *sed forma facti gregis ex animo.* S. Athanasius multa paucis complectitur, cum ait: *Vita iubeat, lingua persuadeat.* Lege S. Basilium, regula 80. cap. 15. ubi ostendit, prædicatores debere esse pastores, medicos, parentes et nutrices, Dei adiutores, plantatores palmitum Dei, ædificatores templi Dei. Illa charitas, solis instar, emicat in Epistolis et in vita S. Pauli, de quo S. Chrysol. serm. 6. Istis, ait, agnis collega pastoris Petri Paulus, pio pastu plena lactis ubera porrigebat, dicendo: *Lac vobis potum dedi.* Hæc ille. Herodotus lib. 9. refert, in Apollonia in Ionico sinu fuisse sacras solis oves, quæ interdiu pascebantur secundum flumen, quod e monte Lacmono per Apolloniatem agrum fluit in mare. Eas noctu stabulantes in antro, non procul ab urbe custodiebant delecti viri,

divitiis et genere inter populares suos splendidissimi, singulis annis singuli, quod ex oraculo quodam Apolloniatæ eas oves permagnifecerent. Cum Evenius quidam aliquando delectus ad custodiendas oves obdormisset, ingressi antrum lupi, circiter sexaginta oves iugularunt: eam ob rem ab Apolloniatis excæcatus est. Deus ipse ait Ezec. 25. v. 10. *Requiram gregem meum de manu eorum.* Lege totum caput, et maledictionem ibi in negligentes pastores time.

24\. Quarto collige, Si ovis es, quanto amore ad Christum pastorem tuum debeas advolare, eiusque pascua conquirere. Origenes hom. 2. in Cantica, illud explicans, indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas, sic ait: *Nove nunc nomine Sponsa appellavit Sponsum: sciens enim ipsum esse filium charitatis, imo ipsam esse charitatem quæ ex Deo est, quasi vocabulum ei istud posuit, Quem dilexit anima mea. Et tamen non dixit, quem dilexi, sed quem dilexit anima mea: sciens non qualicumque dilectione, sed ex tota anima, et ex totis viribus, et ex toto corde habendam esse dilectionem Sponsi.* Hæc Origenes.

25\. Anagog. Anagogice. In loco pascuæ collocantur beati: id est, in cælo æternis deliciis pleno. De illis pascuis agit Christus, et ad ea docturum se instar boni pastoris, pollicetur Ioannis 10. v. 9. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* Ingredietur et egredietur, id est, libere sua negotia et sine impedimento expediet. Est Hebraismus. Ingredietur, ait S. August. ad internam meditationem, et egredietur ad externam actionem. Idem sanctus Doctor, S. Hier. Rupertus et Theophylactus, ac S. Greg. per pascua ibi intelligunt cælestes delicias. S. Greg. audiamus hom. 14. in Evangel. *Oves eius*, inquit, *pascua invenient: quia quisquis illum corde simplici sequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem sunt istarum ovium pascua, nisi interna gaudia semper virentis paradisi. Pascua namque electorum sunt, vultus præsens Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur.* Hæc Gregorius, qui deinde fuse exponit gaudia beatorum ex Angelorum consortio, etc. S. Hieron. vero in cap. 34. Ezechielis dicit: Est infinita promissio, spesque beatitudinis, quando ipse Dominus pollicetur, dicens: Ego pascam oves meas: et nequaquam eas committam malis pastoribus, et ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus, ut requiescant in sinu Abraham, Isaac, et Iacob. Hæc S. Hieronymus. Denique Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani c. 47. tom. 7. post allata psalmi nostri verba, *Dominus regit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, subdit: Non dicunt ista, nisi qui ad dexteram pertinebunt: sed tamen eadem pascua sub uno pastore et oves et hirci pascuntur, donec, ut debita recipiant, segregentur.

ARTICULUS III.

Christus pastor aquæ refectionis, id est, aquæ baptismi, sapientiæ, et gratiæ, oves suas lavat et potat.

26\. Vers. 2. Quarta proprietas boni pastoris est suavitas morum. Hinc addit Propheta v. 2. SUPER AQUAM REFECTIONIS EDUCAVIT ME, ANIMAM MEAM CONVERTIT, DEDUXIT ME SUPER SEMITAS IUSTITIÆ PROPTER NOMEN SUUM. Nota Cibum provideri a bono pastore dixerat prius: nam in loco pascuæ oves collocari asseruerat. Nunc ait potum quoque illis dari. Nihil enim deest Christi ovibus.

Nota secundo, pro, *super aquam*, Hebr. est על מים *al maim*, quod verti potest cum S. Hieron. *super aquas*: cum Vatablo et Muisio, *ad aquas*: Varias enim aquas dat Christus gregi suo. Primo, aquam baptismi. Ita S. Thomas, S. Hieron. Eusebius, Ruffinus et Theodoretus. Secundo, aquam doctrinæ et sapientiæ. Ita S. Hieronymus, S. Thomas, et Ugo Cardin. Tertio denique, aquas et fluenta variarum gratiarum. Iam de illis dixi Psal. 2. v. 3. in illud: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum.*

Nota tertio, pro, *refectionis*, Hebraice est מנוחות *menuchot*, id est, requietam aut consolationem. Pagn. vertit, ad aquas requietum: hoc est, ad aquas requiescentes, leniter ac sensim fluentes: non profundas, sed quas pecus possit transvadare. Muisius habet, ad aquas quietas. Felix, iuxta aquas placidas. Syrus et Vatablus, ad aquas tranquillas. Petavius, iuxta perennia aquæ argenteæ fluenta. Caietanus, super aquas quietum. Septuaginta, ἀναπαύσεως, requietis, ut vertit etiam Arabs, qui solet maxime hærere Sept. interpretibus. S. Hieron. S. August. Beda, et Noster interpres habent, *Super aquam refectionis.*

Nota quarto, Refectio tria significat. Primo, regenerationem, reparationem, reformationem, iteratam effectionem, instaurationem, renovationem. Sic Columella l. 12. cap. 3. Cætera, inquit, si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. Tullius orat. 3. in Verrem. Locatur id opus, quod ex mea pecunia reficiatur. Secundo, refectio sumitur pro recreatione, et delectatione, a Cæsare lib. 7. de bello Gallico, et a Tullio ad Gallum lib. 7. Epist. pro quiete, Eccles. 20. v. 5. *In tempore refectionis* (Septuag. ἀναπαύσεως, id est, quietis, ut etiam habet Syrus) *in cubili somnus noctis immutat scientiam eius.* Hoc est perturbat hominis imaginationem etiam somni et quietis tempore, cum spiritus animales et vitales reparantur, qui erant per vigiliam et laborem diurnum exhausti. Tertio, *refectio*, idem est atque comestio, Cicero de senectute. Tantum cibi sumendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur. Et aptius Marci 14. v. 14. mittens Petrum et Ioannem ad paraadum sibi pascha, id est, agnum paschalem, quem secundum legem comederet, ait illis: Dicite Domino domus, quia magister dicit, *Ubi est refectio mea?* hoc est, locus refectionis, seu refectorium. Græce κατάλυμα, id est, diversorium. Syrus, domus habitationis. Arabs, locus in quo manducem pascha. His autem tribus modis sumi potest in psalmo nostro, *refectio.* Nempe, pro regeneratione quæ fit in aquis baptismi; 2. pro recreatione et consolatione, quæ fit per aquam gratiæ; 3. pro satietate, quam affert aqua sapientiæ. 27. Refectionis triplex significatio.

Dico itaque primo, Christus oves suas, quas in pascuis uberibus Ecclesiæ collocaturus est, per aquam baptismi regenerat et purificat. Ioann. 3. 5. ait Iesus Nicodemo principi Iudæorum, id est, viro inter eos primario, senatori, et inter magistratus spectato, ac nobili. *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Calvinus ut negare possit necessitatem baptismi, et vim quam habet ad iustificandum, negat ibi agi de baptismo: sed in hoc contrarius est omnibus patribus, et Concilio Tridentino sessione 7. can. 2. neque posset probare contra Anabaptistas, baptizandos esse infantes, rationis usu carentes, si verum in hoc diceret. Non est enim alius locus, unde id probet. 28. Oves in baptismo Christus regenerat.

Quæres, Cur aqua est instituta ad regenerationem in baptismo? Respond. sex potissimum rationes afferri posse. Primo, quia aqua est optimum regenerationis interioris symbolum. Deus enim cælos omnes præter empyreum, et cætera prope omnia ex aqua produxit. Ut patet Gen. 1. et nunc semina ex quibus omnia generantur viventia, sunt humida, et ad aquam pertinent, ut notat S. Thomas 3. p. q. 66. art. 3. aquam etiam omnium rerum principium posuerunt quidam Philosophi, ut docet Aristoteles lib. 1. Physicorum. Hoc verum est de aqua baptismi in rebus supernaturalibus. S. Chrysost. hom. 25. in Ioannem: *Quod*, inquit, *est matrix embryoni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingitur, et formatur. Nam primo dictum est, Genes. 1. v. 20. Producant aquæ reptile animæ viventis. Ex quo autem Iordanis alveum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viventium, sed animas rationales et spirituales aqua producit.* Hæc Chrysostomus, qui deinde notat, generationem naturalem tempora indigere: sed hanc fieri, ἐν μιᾷ ῥοπῇ, id est, in uno temporis puncto. S. Basilius hom. 13. mirabundus contemplatur, qua ratione possit homo generari absque matre, velut e rore cælesti margarita: *Num*, inquit, *tanti mu-* 29. Cur aqua ad baptismum instituta?

neris rem miram videre desideras? Quomodo videlicet absque matre regeneretur homo. Baptismus est captivorum et æris olieui remissio, peccati mors, παλιγγενεσια ψυχης, *animæ regeneratio, amictus splendens: sigillum quod nulla fraude adulterari potest, vehiculum ad cælum, regni cælestis conciliatio*, υιοθεσιας χαρισμα, *adoptionis gratia.*

Secundo, aqua a Deo est instituta ad regenorationem in baptismo: quia hæc generatio cum sit spiritualis, est purissimo, et animam emundat. Non enim fit illa generatio ex spuma marina, sicut accidisse fingunt poetæ in Veneris productione: neque ibi sordes et secundinæ eruentatæ partnrientinm reperiuntur, sed argenteæ et limpidissimæ cælestium gratiorum aquæ, quibus mens dealbatur: sicut per nonnullos aquas oves albæ fiunt. Plinius lib. 2 cap. 103. post medium hoc testatur. In Falisco, inquit, omnis aqna potata candidos boves facit: in Bœotia omnis Melas oves nigras; Cephisus ex eodem locu profluens, albas: rursus nigros Penius, rufasque iuxta Ilium Xanthus, unde et nomen amni. In Ponto fluvius Astuces irrigat campos, in quibus pastæ nigro lacte equæ gentem alunt. Hæc Plinius. Lege Aristotelem lib. 3. historiarum animalium cap. 12. Ælianum lib. 8. animalium cap. 20. Senecam 3. quæst. natur. cap. 25. S. Isidorum lib. 13. etymologiæ cap. 13. Simonem Maiolum dier. canicular. colloquio 11. agentes de his et aliis fluviis, similes effectus mirabiles operantibus. Aquæ dæmonis nigros faciunt, per malitiam: aquæ mundi rufos, per auri amorem: aquæ Christi et sanguis ex eius latere fluentes, dealbant animas fidelinm baptizotorum. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus 3. part. histor. tit. 20. cap. 8. parag. 9. narrat, deformem filium Caffuni regis Tartarorum, et monstruosum, baptismo pulcherrimum evasisse. Idem contigit beato Ambrosio Senensi ex Ordine Prædicatorum, cum baptizatus est. Andreas Cæsariensis illud explicans Apocal. 22. v. 1. *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni*, sic loquitur: Per fluvium, qui in mortali hac aqua ex Ecclesia procedit, regenerationis lavacrum adumbratur. *Hoc enim per Spiritum sanctum motum, omnes quotquot in eo abluuntur, omni nive et crystallo puriores nitidioresque reddit.* Origenes tract. 7. in Ioannem: Forsitan, inquit, ideo dicitur de turbis sequentibus Dominum ad baptismum Iordanis; *et sanavit eos ibi*. Vere enim omnes ab infirmitatibus suis spiritualibus sanantur in baptismo. Ita ipse. S. Gregor. Nazianz. orat. 40. quæ est de baptismo, monet, triplex nativitatis genus in Scriptura legi: primum ex corporibus, secundum ex baptismo, tertium ex resurrectione, ac deinde baptismi encomia pertexit. *Baptismus est*, inquit, λαμπροτης ψυχης, *splendor animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum, Baptismus carnis est abiectio, Spiritus affectatio, Verbi participatio, figmenti correctio*, κατακλυσμος αμαρτιας, *peccati diluvium.* Hæc Nazianzenus. Iordanis est lepram Naaman abluens et sanans. Thearus fluvius scabiem sonat, lacus Alphion vitiligines, Cydnus fluvius podagram, Tungri fons tertianas febres et calculorum vitia, variæ aquæ varios morbos, sed baptismus omnibus prodest, et omni morborum genere laborantibus.

Tertio, aqua est instituta ad regenerationem in baptismo: quia sicut aqua sua humiditate lavat, ita sua frigiditate temperat superfluitatem caloris: ita baptismus, ut ait S. Thomas 3. p. quæst. 66. art. 3. competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis. Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mutianus credit, ut ait Plinius lib. 31. cap. 1. Prope Cynæthensium Arcadum urbem fons est prægelidæ aquæ, fontem obumbrat platanus. Si quis ex rabidi canis morsu, vel vulnus, vel noxam quovis modo traxerit, aqua hausta statim sanatur. E re itaque ipsa fontem Alysson, quod per eum sedetur rabies, nominant, ut refert in Arcadicis Pausanias. Omnes in mundum intrantes mordet canis stygius, aqua baptismi vulnus sanat.

Quarto, aqua est instituta ad regenerationem in baptismo: quia aqua est sua diaphaneitate luminis susceptiva. Itaque competit in quantum est fidei sacramentum, ait S. Thomas. Hinc baptismus vocatur a sanctis patribus φωτισμος, hoc est, illuminatio: et a S. Gregor. Nazianz. orat. 40. dicitur: *Baptismus est lucis communicatio, tenebrarum oppressio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni clavis, vitæ commutatio, servitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conversio.* Hæc Gregorius, qui deinde elogio illustri omnia concludit. Θεου δωρων καλλιστον, και μεγαλοπρεπεστατον. *Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est et præstantissimum.* S. Iustinus in oratione ad Antoninum Pium Imperatorem, postquam dixit primam nativitatem nos cognoscere non posse, subdit: Delectus ac scientiæ filii fiamus, ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua.

Quinto, aqua est instituta ad regenorationem in baptismo: quia immersio in aquam indicat baptizatum Christo consepeliri: emersio vero ex aqua, denotat eum cum Christo resurgere. Hinc S. Paulus dicit Coloss. 2. v. 12. *Consepulti ei in baptismo, in quo resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.* S. Cyrillus Ierosolymitanus catech. 3. ubi agit de baptismo: *Descendens in aquam*, ait, *et quodammodo consepultus Christo, sicut ille in petra, excitaris rursus in novitate vitæ ambulans.*

Fons circa Emmauntem, postea Nicopolim dictam, ubi Christus cum Cleopha post resurrectionem ambulans, in alium se vicum properare simulavit, et ubi cum discipulis aliquando lavit pedes, eam acceperat vim, ut esset medicina omnis generis morborum, non modo hominibus, sed etiam animantibus, ut ait Sozomenus lib. 5. cap. 21. Quid faciet fons baptismi, in quo Christo consepulti mergimur.

Sexto denique, aqua instituta est ad regenerationem in baptismo; quia cum baptismus sit maxime necessarius ad salutem, debuit institui in materia communissima, et maxime obvia: talis autem est aqua. Neque voluit Deus adhiberi tantum aquam fontis Caburæ in Mesopotamia, qui fons est unus in toto orbe suaveolentia aquæ, ut ait Plinius lib. 31. cap. 2. neque tantum aquam Choaspis et Eulai fluviorum saluberrimæ aquæ: unde Reges Parthorum et Persarum ea sola utuntur, etiam cum peregre proficiscuntur: sed ad baptismum valet omnis et quælibet aqua naturalis.

Dico secundo, Christus oves suas, quas in Ecclesiæ pascuis collocat, aquis variarum gratiarum potat et reficit Ioannis 4. v. 13. Christus sedens supra fontem Iacob, id est, supra puteum effossum a Iacob prope civitatem Samariæ, quæ vocabatur Sichar seu Sichem, dicebat Samaritanæ: *Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Syr. habetur, fons aquarum salientium in vitam æternam. Non enim una tantum, sed multæ dantur gratiæ, pro ratione diversarum occasionum. Arabs, et Ægyptius, qui ordinario Arabi consonat, vertunt: *Aqua, quam ego dabo, fiet in ea aqua, quæ scaturiet in vitam æternam.* Quomodo autem sitire posset, qui intra seipsum fontem habet? Fons ille aquæ semper fluentis recte dicetur Chrysorrhois, id est, auri fluvius, de quo sic loquitur Pausanias in Corinthiacis. Trœzenii amnem habent Chrysorrhoem, quem solum suam aquarum perennitatem servasse narrant, cum in magna siccitate, desideratis per annos novem imbribus, nullæ aquarum venæ in Græcia non exaruissent. Liberalitatem Dei in dandis illis aquis, vide apud Isaiam c. 41. v. 17. 18.

30. Christus servos suos gratia reficit.

Christus pastor ad illos gratiæ fontes oves suas ducit et portat. Pro, *educavit me*, in psalmo nostro est Hebr. ינהלני *ienahaleni*, ducit me, ut vertit Caietanus: deducet me, ut Felix; deducit me, ut Muisius; 2. *ienahaleni*, enutriet seu educabit me. S. Hieron. vertit, enutrivit me. Christus enim ad fontes ducit, ut enutriat. Hoc declara-

tur Isaiæ 49. v. 10. *Non esurient neque sitient, et non percutiet eos æstus et sol, quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* Hebr. et Septuag. habent, *portabit eos*: ut scilicet aquas copiosas, vivas, semper fluentes habeant sine labore et fatigatione. S. Ambros. in Ps. 36. psalmi nostri versum expendens, ait: Bonus *David docuit me panem Angelorum, et ipse me docuit aquam refectionis. Hæc refectio spiritualis est, hæc refectio requies est mentis internæ. Bona aqua, quæ peccatum lavat, mundat interna.* Ugo Cardin. in psalmum nostrum ait: Mirum esse, quod nos sumus super hanc aquam, nec reficimur. Unde recte significamur per vaccas fœdas, exeuntes a flumine, Gen. 41. Cum eodem Ugone adverte, quod Christus nos educat, sicut pueros. Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. sic loquitur: Christus νηπίων καὶ ἀφελικῶς ποιμὴν, infantium et simplicium pastor est et ductor. Hæc Clemens, qui in eodem libro sic orat: Pasce nos infantes, sicut oves: etiam Domine imple tuis iustitiæ pasculis, etiam pædagoge. Pamisi amnis fontes, qua a Thuria in Arcadiam itur, infantium morbis medentur, ut tradit Pausanias in Messenicis. Baptismus mortuos infantes resuscitat, et gratia replet, et tandem in viros perfectos adolescere facit.

31. Christus illis dat aquam sapientiæ. Dico tertio, Christus oves suas potat aqua sapientiæ, quæ est etiam aqua refectionis. Eccles. 15. v. 3. *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Paulus de Palatio ait: Si intellectui sapientia dat cognitionem divinam, dicitur eam cibare pane vitæ: at cum voluntas liquatur divina dulcedine, aqua sapientiæ potatur. Non liquore alchimico, quem cælestem aquam, vel quintam essentiam vocant, sed liquore divino ignito, animam liquante, transformante. Ita ipse. Intellectum præsertim satiat aqua sapientiæ. S. Bernardus serm. 1. de Nativitate dicit: Christum esse fontem, ex quo quinque alii oriantur: nempe fons misericordiæ, sapientiæ, gratiæ, æmulationis et vitæ. *Habemus*, ait, *de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas remissionis. Habemus de fonte sapientiæ, ad potandam sitim nostram, aquas discretionis. Habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas devotionis.* Hæc Bernardus, qui deinde explicat alios duos fontes, nempe fontem æmulationis seu charitatis, et fontem vitæ, qui est post mortem.

Quod autem pertinet ad sapientiæ fontem, de quo nunc agimus, eius symbolum potest esse Ciliciæ rivus Nus, qui apud oppidum Cescum fluit, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit. Secundo, Sinuessanæ aquæ in Campania, quæ sterilitati fœminarum, et virorum insaniæ medentur. Tertio, aquæ Ciceronianæ, quæ morbos oculorum sanabant. De illis sic loquitur Plinius lib. 31. cap. 1. Digna, inquit, memoratu, villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam et vocabat M. Cicero Academiam ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus eiusdem nominis, in qua et monumentum sibi instauraverat, ceu vero non et in toto orbe terrarum fecisset. Huius in p. 4. exiguo post obitum ipsius tempore, Antistio Vetere possidente, *erumpunt fontes calidi per quam salubres oculis*, celebrati carmine Laureæ Tullii, qui fuit e libertis eius. Habes ipsum carmen apud Plinium; quod ait dignum ubique legi. Conclusione hac illud terminat:

Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Quarto, in hac etiam florentissima Academia Mussipontana, quam non immerito Lotharingiæ decus appellaveris, est fons medicinalis, oculis salutaris: hoc enim ipso anno 1653. mense Iunio vidi virum gravem et eruditum Ordinis S. Benedicti, qui breviarium suum vix recitare poterat cum perspicillis, libro ad oculos proxime applicato, postquam per dies circiter quindecim aquam illam potavit, sine ullo adminiculo, solis oculis suis celerrime decurrere idem breviarium, libro ab oculis multum remoto. De fontis illius virtutibus agi posset fusius, sed varia enim prodest: illius aquis saluberrime hepar refrigeratur; lien, mesenterium, epiploon, et pancreas ab obstructionibus liberantur.

Ex his collige primo. Si ovis es, aquas sapientiæ tibi quærendas esse a tuis pastoribus. Plato in Lyside loquentem sic Socratem inducit: Oportere in commune existimo omnes invicem quærere, primo quidem nobis ipsis optimum præceptorem (egemus enim) deinde adolescentibus, neque pecuniis, neque ullis aliis rebus parcentes. Si quis autem nos irriserit, quod tam grandes natu, Præceptoris ludum ingredi statuamus, Homeri illud obiiciendum est, οὐκ ἀγαθὴ δ' αἰδὼς κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι, viro egeno verecundiam nihil conducere. Quamobrem spretis omnibus detractorum verbis, communem nostri adolescentumque curam suscipiamus. Ita Plato.

Collige secundo. Si pastor es, aquas sapientiæ procurandas esse ovibus tuis, illas docendo: ad hoc enim Deus pastorem te constituit. Ieremiæ 3. v. 25. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Si vis esse pastor secundum cor Dei, pasce et doce ea, quæ cor Dei et amor tibi infundet aliis danda. Si os tuum applices cordi Dei per meditationem, de ventre, id est, de corde tuo, per os tuum, velut per venam vitæ, fluent flumina sapientiæ, a Christo, qui est sapientia Dei emanantia. 32. Corollaris.

Eo ipso quod pastor es, doctor esse debes, ut indicat Paulus Ephesior. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores.* Ubi adverte, quod Apostolos dividit a Prophetis, Prophetas ab Evangelistis, Evangelistas a Pastoribus, sed pastores et doctores coniungit, q. d. ait S. Augustin. Epist. 59. S. Hieron. et S. Anselmus, quod qui est pastor, debet esse Doctor. S. Hieron. verba sunt: Non ait alios esse pastores, et alios magistros, sed eosdem pastores et magistros: ut qui pastor est, esse debeat et magister: nec in Ecclesiis quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere quos pascit. Ita Hieron. Triplicem porro pastum requirit S. Bern. lib. de contemptu mundi: *Pascere*, ait, *debet tripliciter: exemplo conversationis, verbo prædicationis, et fructu orationis:* Et cap. 16. recte subiungit: Indignus lacte et lana convincitur, si non pascat oves, si non vigilat in custodia gregis. Titus Bostrorum Episcopus: Munus, inquit, doctorum et pastorum proprium est, utilem et salutarem doctrinam auditoribus seminare. Hinc Spiritus sanctus super Apostolos in linguarum specie sedit, ut monet S. Greg. 2. parte Pastoralis cap. 4. *Sacerdos*, inquit, *si prædicationis est nescius, quam clamosus vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit; quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Mosi præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris iudicium ex silentio offendat.*

Vita quoque docere debent pastores gregem suum, alioqui dant illi aquam turbidam. Ezech. 34. vers. 18. et seq. ait Deus pastoribus; vel potius hircis, qui sunt ductores gregis: *Cum purissimam* (Hebr. profundam, id est sublimia et alta fidei mysteria) *aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant.* Quæ verba expendens S. Gregorius lib. 1. Pastoralis, cap. 2. Aquam, inquit, limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eamdem aquam pedibus turbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt: cum subiecti quique non sectantur verba, quæ audiunt: sed sola quæ conspiciunt opera pravitatis imitantur. Qui cum dicta sitiunt, et per opera pervertuntur: quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Ita Gregorius.

ARTICULUS IV.

Christus magna charitate errantes oves ad pascua reducit.

33. Vers. 2. 2. Pars. Christus ovem errantem convertit et quomodo.

QUINTA proprietas boni pastoris est vigilans charitas, quæ errantem reducat ad viam, ad pascua, ad caulas vers. eod. 2. ANIMAM MEAM CONVERTIT: Hebr. ישובב *issciobeb*, id est, reduxit, redire fecit; 2. tranquillavit, quiescere fecit; 3. eruit, liberavit; 4. ad pœnitentiam revocavit, resipiscere fecit; 5. itaque τὸ *convertit* animam, denotat primo animam errantem a bono pastore fuisse revocatam, et redire compulsam. Secundo, ab insequente cane lupo liberatam. Tertio, a fatigatione et trepidatione ortis ex fuga, errore, et hostium insecutione, ac pœnæ metu recreatam. Quarto, ad resipiscentiam incitatam, ut de fuga et errore voluntario doleat, et cum suo pastore de ea recuperatione gaudente manere velit. Symmach. pro *convertit*, habet ἀνεκτήσατο, id est recuperavit, reacquisivit, reparavit, q. d. perditam ac veluti iam egressam animam reduxit, et in corpus remisit. Videtur enim lassis, mœstis, esurientibus, animi patientibus deliquium, exire anima: sed post quietem illa redire, ipsique reviviscere. Ita Lorin. cui favere videtur S. Hieron. qui vertit, *animam meam refecit*. Chald. Felix atque Caietan. qui habent, animam meam restituet. Sed tamen melius, ut dixi, illa animæ conversio intelligitur de revocatione in viam: virtutis scilicet. Arabs clare, *Et ad semitas iustitiæ reduxit animam meam*. Pagn. convertet. Syr. revocavit. Vatablus, revocat. Omni scilicet tempore: nempe in vitæ, vel diei, aut actionis, et orationis principio, medio et fine. Septuag. ἐπέστρεψεν, retroegit, in diversum convertit, convertere gressum coegit: suaviter tamen. Muisius vertit, *animam meam leviter ducit.*

34. Peccator a Deo se avertit.

Nota primo. Cum anima peccat, a Deo se avertit, et aberrat Isaiæ 59. 13. Aversi *sumus ne iremus post tergum Dei nostri*. Dicit Iesus, sequere me, et post concupiscentias tuas non eas, peccator vero abit per vias difficiles, lassatur in via iniquitatis, et quærit prata, quæ pertranseat sua luxuria. Sed in illis venenatis pratis errat insana avis. Idem Propheta in persona populi Iudaici, ait cap. 53. 6. *Omnes nos quasi oves erravimus* (per voluptatum labyrinthos, expositi luporum rabiei, ait Cornelius) *unusquisque in viam suam declinavit.*

35. A Deo solo converti potest.

Nota secundo, Dei solius est nostra conversio, vires nostras gratia Dei non adiutas superat: averti ab ipso possumus mala nostra voluntate, ad eum converti non possumus sine eius vocatione. Dicit itaque David, *animam meam convertit*, q. d. et uni huic gloriam tribuo. Hinc Ieremias cap. 31. 18. Deum sic loquentem inducit. *Audiri Ephraim* (decem tribus ab Assyriis in captivitatem abductas. Ita S. Hieron. Vel potius, peccatores sub diaboli iugo gementes) *transmigrantem* (Hebr. מתנודד *mitnoded*, id est vagantem et errantem) *Castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus* (Septuag. non assuetus iugo) *converte me, et convertar, quia tu Dominus meus*. Hinc S. August. et Concil. Trident. deducunt contra Pelagium, conversionem nostram incipere a Deo ac Dei gratia liberum arbitrium præveniente. Clare v. 19. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum* in signum doloris. Item percutit femur, qui voluptatem domat. S. Greg. 21. Mor. 26. In femore, ait, voluptas carnis accipitur, q. d. Postquam superna spiritualiter vidi, omne quod in me inferius carnaliter vivebat, extinxi. Ita ipse. Si tu femur tuum percutere non audes, ora Angelum, ut tangat nervum femoris tui, sicut fecit Iacob oranti, et per orationem luctanti Gen. 32. 25. et fies Israel, id est, potens in Deum: vel, potens Dei: vel, potens per Deum.

36. Convertit peccatores Deus duobus modis. I. Voce.

Nota tertio, Convertit nos Deus, Primo, voce. Cantic. 6. 12. *Revertere, revertere Sulamitis* (id est, Salomonia, hoc est Salomonis uxor. Alii legunt Sunamitis, id est orta ex Sunam oppido sito iuxta montes Hermon et Tabor) *revertere, revertere, ut intueamur te*. Ubi adverte, eandem esse quæ Sulamitis ab Hebræis, et quæ Sunamitis a Septuaginta dicitur per enallagen literæ l in n. quod Angelus Caninius in Hellenismis docet sæpe fieri. *Sunamitis* autem idem est ac *mutabilis*, *variabilis*. Sulamitis vero idem atque *spoliata*, ut vult Symmachus, vel melius, *perfecta*, *pacifica*, ut placet Aquilæ. Ex te mutabilis es, ab hoste spoliaris; a pastore perficieris, et pacem habebis.

Secundo, Convertit nos Deus manu sua, et operatione. II. Opere, et quidem multiplici.
Primo, in eam cum fieri pastor voluit. S. Chrysol. sermon. 6. *Terribilis*, inquit, *Deus mitissimi pastoris elegit officium, personam pastoris induit, ut vagos populos, palantes plebes, dispersas longe lateque gentes, velut errantes oves, in unum pastor misericors congregaret. Imo ut nationes feras, prædam mortis, carnis cibum, potum sanguinis, bestiarum furorem sitientes, ad usum lactis, ad cibum graminis, ad ovium totam duceret et redderet lenitatem.* Secundo, pastor factus reliquit nonaginta novem oves in caula, et perrexit in desertum quæsiturus ovem errantem. Luc. 15. 4. Desertum est hæc terra cælo comparata, ubi reliquit Angelos factus homo. Hebr. 2. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, id est, 1. non Angelicam, sed humanam naturam assumpsit; 2. non Angelos lapsos, sed homines insecutus est, et gratiis suis apprehendit velut iniecta manu, ut ad se revocaret. S. Chrysostom. *Aufugientem*, ait, *a se naturam humanam apprehendit*. S. Bern. serm. 84. in Cant. illud cap. 3. 1. Quæsivi quem diligit anima mea, considerans dicit: *Minime prorsus nisi prius quæsita quæreres, sicut nec diligeres, nisi dilecta prius. Non in una tantum benedictione, sed in duabus præventa es: benedictione et quæsitione. Dilectio causa quæsitionis, quæsitio fructus dilectionis est et certitudo. Dilecta es, ne ad supplicium potius quæsitam suspiceris: quæsita es, ne frustra dilectam conqueraris.* Tertio, quæsitam ovem invenit Iesus Luc. 15. 6. Quarto, inventam manu capit, ne diutius vagetur, Philipp. 3. 12. *Comprehensus sum a Christo Iesu.* Quinto, reluctantem ad se trahit, præ amoris vehementia, Ierem. 31. 3. *In charitate* (id est charitate) *perpetuo dilexi te: ideo attraxi te.* Sexto, attractam revocat ab errore, et convertit ut ad caulas et pascua redeat, misericordia motus perituræ inter lupos, nisi redeat. Zachar. 10. 6. *Convertam eos, quia miserebor eorum.* Septimo denique, adhuc resistentem, fatigatam, vulneratam, morbidam, redire non valentem erigit, ac brachiis et humeris portat. Isaiæ 40. 11. *Sicut pastor* (Cyrus apud Xenoph. lib. 8. ait, bonum principem esse similem bono pastori) *gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos* (populum simplicem) *et in sinu suo levabit, fœtas* (Apostolos, Prælatos, et Concionatores, qui fœtum utero ferunt et pariunt) *ipse portabit.* Sua gratia corroborabit et sustentabit. S. Basil. Seleuc. orat. 26. *Christus*, inquit, *lætatur præsentibus; et quod exerrat, quærit. Montes et sylvas obire non recusat, obit præcipitia: et cum de errante venit in partem errationis. Neque ob mores odio inflammatur, et si morbidam comperiat, sed mali commiseratione movetur, et subiicit suos humeros proprio labore oviculam curat laborantem, gaudet ipsa fatigatione, ovium inventionem ratus lassitudinis esse levamentum.* Ut enim S. Gregor. Nazianz. docet orat. 28. charitatis summa vis est: et tanta quidem, ut tyrannidem quandam, sed omni libertate suaviorem exerceat, πόθος, ait, γλυκὺς τύραννος, *amor est dulcis tyrannus.*

Miramur, et iure quidem, Carolomannum qui Gallici Imperii dimidiam partem legibus suis obsequentem viderat, ad Christi famulatum advolantem, in Cassinate monasterio, ea mentis demissione extitisse, ut ad curam pecoris se obiecerit, ac morbidam oviculam humeris reportarit. Sed quanta admirationis causa est, ut quod præsefert Christus in Evangelio Luc. 15. et expressum in antiquis calicibus fuisse monet Tertullianus languentem ovem divinis humeris imponat, et ad ovile deportet? 37. Carolomannus ovem morbidam fert humeris.

Suspexit Procœum antiquitas, cui variis coloribus interpuncti greges, ad ovium decem millia excreverant. De illo enim agens Constantinus Porphyrogenita lib. 1. de thematibus in Themate 22. dicto Lycandus, sic ait: Cum Constantinus Imper. potitus Romano Imperio, Asiæ mi- 38. Procœi decem ovium millia admirabilia.

noris partes obiret, Lycandum pervenit, ubi Thomas Prœceus, eius urbis pecoris ditissimus, obtulit ei *decem millia ovium coloribus inter se discrepantia, mille nigras, mille albas, mille cinericii coloris, mustellini, totidem flavas, totidem variegatas, totidem rubras, totidem auri speciem referentes, ut et rutilanti vellere totidem, cuiusmodi ferunt illud celeberrimum aureum vellus, et simpliciter decem chiliades erant diversi coloris.* Quod miratus Imperator iussit hæc locans inscribi in ambitu urbis: Τι Κωνσταντινοπολις; τι Λυκανδος; τι Θωμας προικος; τι βασιλευς? *Quid Constantinopolis? quid Lycandus? quid Thomas Prœceus? quid Imperator?* quasi hæc inter se æqualia diceret. Christo autem quot millia, quam infinitæ myriades serviunt? et quidam variis insignes virtutum ornamentis, cum hæ charitatis murice tinguntur, illæ liliorum candorem induant, ac diversissimos se in colores transmutent: et tamen impetigine, scabie ac morbis ovem perditam, et errantem quæritat, reducit, sanat. Hoc admirans S. Ambros. in cap. 15. Lucæ. *Spartum triplex*, inquit, *difficile rumpitur. Qui sunt isti? Pater, pastor et mulier? Nonne Deus Pater, Christus pastor, mulier Ecclesia? Christus te sua corpore exhit, qui tua in se peccata suscepit, quærit te Ecclesia, recipit Pater. Quasi mater inquirit, quasi pater vestit, 1. misericordia; 2. suffragatio; 3. reconciliatio.*

39. Hinc collige duo. I. Non esse ovi desperandum. Primo, Ex hac Christi pastoris charitate collige, si ovis es, Primo, non esse desperandum, si erraveris: est enim παναγιος ποιμην, id est sanctissimus pastor: ut ait Clemens Alex. lib. 1. pædag. est etiam misericors, Matth. 9. 36. Ps. 102. 8. Hinc dicit S. August. lib. Meditat. cap. 2. si tamen hic liber est S. Augustini, pius certo est. *Animantes publicani, meretrices et latrones, qui a faucibus hostis momentanee eruti, sinubus excipiuntur pastoris. Tu autem Domine, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus charitatis.*

Secundo collige, redeundum esse ad eum ex qualicumque loco voceris, iuvabit enim redeuntem. Hebræi vocantem ex Ægypto secuti sunt, Exod. 14. et 15. Abraham de Ur Chaldæorum, Genes. 12. 11. Ruth de regione Moabitica sequens Noemi socrum suam, Ruth 1. 6. Rahab de Iericha, Ios. 6. 23. Naaman de Syria, 4. Reg. 5. 15. Achior de Ammon, Iudith. 5. 17. Matthæus e telonio, id est e loco seu domo, ubi nautæ et mercatores solvebant navium merciumque vectigal; τελος enim significat vectigal. Zachæus ex arbore, Luc. 19. 5. Magdalena a vitiorum luto, Luc. 7. 50. Latro e cruce, Luc. 23. 43. Petrus a negatione, Luc. 22. 61. et 62. Paulus a furore in Christum et Christianos, Act. 9. 4.

Tertio, collige, mentem esse advertendam, ne iterum evageris. Cain dicebat Deo, Genes. 4. 14. *Ecce eiicies me hodie a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero vagus et profugus in terra.* Fuit vagus, quia a Deo eiectus: esto stabilis, quia a Deo vocaris. David dicit Ps. 72. 23. *Ut iumentum* (q. d. velut magna bestia, quasi valde rudis et imperitus; iumentum enim dicitur de bestiis grandioribus: pecus de minoribus) *factus sum apud te: et ego semper tecum*, supple, ero. Philo lib. de Agricultura: *Natura*, inquit, *unicuique cognatas addidit pecudes, ex una radice animæ duabus velut stirpibus pullulantibus, quarum altera integra indivisaque intellectus appellatur: altera ab imo in septem ramos dividitur; in quinque scilicet sensus, et duo instrumenta vocis et genituræ; quæ multitudo tota bruta comparatur pecori, et quia numeroso est iuxta naturæ legem, operam ductoris necessariam postulat.* Intellectum illis ductorem præficit, dicitque advertendum esse, ut tantum necessarium ad cibum detur. Nam in tanta copia ciborum grex nimia saturitate petulans redditur: κορω γαρ υβρις εγγονον γινεται, saturitatis enim germana proles est petulantia. Per eam petulantiam saltitant, et contempto rectore vagantur, solvuntque stipatum antea gregis ordinem. Ad eumdem modum, τα των αισθησεων θρεμματα, *pecus sensuum*, quando intellectus supine se gerit et ignaviter, avide saturatum copia rerum sensibilium cervicem iactat et subsultat, impingens in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est. Auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, etc.

40. II. Pastori esse vigilandum pro grege. Secundo, Si vero pastor es, ex hac Christi charitate et sedulitate in convertenda ove errante, collige Primo omnem operam esse adhibendam, ut ovis tibi credita non aberret. Deus conqueritur Ezech. 34. 5. *Dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor.* Et Zachar. 11. 17. pastorem qui gregem suum dereliquit, vocat idolum: *O pastor et idolum derelinquens gregem.* Arab. vertit, Væ pastori vano, otioso, mendaci. Vatabl. O pastorem nihili, deserentem oves, quæ sibi commissæ sunt, q. d. est pictus, non verus pastor: vult adorari, non laborare. I. Ut oves non aberrent. Secundo, pastori curandum est, ut ovem perditam et errantem quærat. II. Ut errantes quærantur. Stultum pastorem vocat Deus eum, qui oves dispersas non quæret apud eumdem Zachar. cit. v. 15. *Adhuc sume tibi vasa* (id est instrumenta: nempe baculum, cultrum, gladium, peram, fistulam) *pastoris stulti* (practico scilicet, q. d. stulte et imperite atque negligenter gregem regentis. Chald. vertit, gubernatoris insipientis) *Ecce ego suscitabo pastorem in terra* (Antiochum Epiphanem, ait Theodor. Herodem Ascalonitam, ait Arias: Titum et Romanos, ut vult a Castro: ad omnes Prælatos et Principes malos melius extenderis) *qui derelicta* (in mediis agris ob lassitudinem aut morbos) *non visitabit* (non requiret), *dispersum non quæret, contritum non sanabit, et id, quod stat* (quod bene valet, at a grege non recedit) *non enutriet.* Non ducet ad bona pascua, et eum domum reduxerit, ieiunum relinquet. Quanta charitas adhibenda sit in quærendis errantibus, declarat S. Ioannes Climacus tract. de officio pastoris: *Omnem*, ait, *tuam festinationem, charitatem, fervorem, sollicitudinem, studium, et apud Deum supplicationem, in valde errantibus et contritis ostende. Quoniam ubi magnæ cicatrices et infirmitates, ibi absque dubio magnæ mercedes et retributiones dantur.* Et S. Gregor. Nazianz. orat. 28. a comparatione pastorum et avium acriter stimulat Prælatos animarum, ut suo officio non desint, sed seduli sint in ovibus recuperandis, et in earum inventione gaudium suum ponant. *Si*, ait, *subulcus ob vitulum unum ab armento aberrantem, vel pastor ob pecudem ex denario numero deficientem, vel avis ob nidulum, quem ad breve tempus reliquit, adeo discruciari solent: ut et illi arreptis fistulis in speculam quamdam evecti, calamos omnes impleant, et palantia animantia quasi ratione prædita, evocent; ac si paruerint, maiorem ex illis quam ex reliquis percipiant delectationem, et hæc stridens ad nidum convolet, pullisque stridentibus advolvatur, eosque pennis foveat. Quanto tandem choriores esse par est apud bonum et commodum pastorem, λογικα θρεμματα, oves ratione præditas, et pro quarum salute non nihil periculis subiit?* επει και τουτο φιλτρω προστιθεσιν, *quoniam hoc quoque acriores amoris flammas excitat.*

41. III. Ut inventæ reducantur. Tertio, pastori enitendum est ut inventam ovem ad caulas reducat, et in dumetis aut a lupis accepta vulnera persanet. Maledicit Deus pastoribus qui hoc non fecerint, Ezech. 34. 2. et seq. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*, etc. *quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis: et quod abiectum est, non reduxistis.* Hebr. נדחת *niddachat*, hoc est propulsatum, deiectum, puta in fossam aut in avia. S. Clemens Papa lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 19. quanta debeat esse Episcopi charitas et sollicitudo, explicat: ad alios id transferre possis. Verba eius sunt: Episcopus *tamquam filios* diligat laicos, fovens eos *tamquam* ova ad acquirendum pullos, aut *tamquam pullos* sinu eos complectens, ad acquirendum gallinas, etc. quod forte est custodiens: id quod firmum est, in tuto collocans: populum pacifice pascens: quod vexatum est, firmans: hoc est eum qui tentatur, et concutitur, admonitione firmum et solidum efficiens: quod ægrotum est, curans: id est eum qui ex fide ægrotat abigendo, huic curationem adhibens docendo: quod contritum est, alligans, id est errantem, aut quassatum, aut peccatis confractum, ita ut in via claudicet, monitione hortatoria vincens, et ex delictis deonerans, et bona spe esse iubens: quod eiectum est, convertens: id est eum qui in

peccatis fuit, et ut obiurgaretur, ex Ecclesia eiectus est, ne sinas foris permanere, recollige et sic in ovile restituas, etc. neque sinas ut dicat desperanter: Impietates nostræ in nobis, et nos in ipsis liquescimus, et quomodo vivemus? Ita Clemens. Vide S. Gregor. 2. p. Pastoral. cap. 6. in fine. Vide sollicitudinem S. Pauli pro Incestuoso Corinth. 2. 6. et 7. S. Ioannis Evangelistæ pro iuvene ad latrones secedente, et cum iis vivente. Euseb. lib. 3. cap. 23. S. Abraami pro nepte sua meretricante. Ribaden. 16. Martii. S. Xaverii pro uno milite in vitiis obdurato. Tursell. in vita lib. 6. cap. 10. et pro iis, qui ancillarum suarum amore tenebantur, lib. 3. cap. 15.

42. IV. Ut infirmæ reportetur. Quarto, pastor fatigatam aut morbidam ovem, ideoque redire non valentem, ad caulas humeris reportet. Hoc figurat Episcopale supparum, id est humerale amiculum seu tegmen, quod ex lana fit, ut gregem sibi, velut ovem, gestandum humeris putet. S. Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 136. ad Herminium: *Hoc*, inquit, *amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ovis illius quam Dominus aberrantem quæsivit, et inventam humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui* τυπος ων τῳ Χριστῳ, το εργον αυτου πληροι, *Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.* Alias pallii expositiones mysticas tradit Durandus lib. 2. de ritibus Eccl. Catholicæ, cap. 9.

43. V. Ut reductæ serventur. Quinto denique, pastor in caulis ovem repositam sollicite curet, ne amplius de fuga cogitet. Consideret de anima et sua et ovis sibi creditæ agi. S. Antioch. homil. 111. *Cuius*, inquit, *fidei tutela animarum a Deo concredita est, non mediocri studio advigilare debet pro salute subditorum: quippe qui certo sciat se pro illis aditurum animæ propriæ periculum, et quidem pro se ne minimam quidem habiturum esse excusationem.* Sanguis eius de manu eius requiretur. Dicebat Rex Sodomæ Abrahamo Genes. 14. 21. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; multi dicunt, da mihi redditus bonæ præbendæ, animas et corpora tolle tibi.

ARTICULUS V.

Quam sollicite et sapienter Christus pastor oves suas ducit per viam virtutis.

Sexta proprietas boni pastoris est prudentia, ut vias bonas et fertiles gregi suo eligat, et sagaciter eum

44. Vers 3 Nomen Dei sumptum quadrupliciter. per illas ducat, v. 3. DEDUXIT ME SUPER SEMITAS IUSTITIÆ PROPTER NOMEN SUUM. Id est, 1. propter se. Nomen enim Dei sæpe pro Deo ponitur, quod propter simplicitatem ipse sit nomen suum. Ita Lorinus: vel melius, quod Hebræi sæpe ponant nomen pro re nominata. Est metonymia; 2. *propter nomen suum*, id est propter gloriam nominis. Ita S. Thomas. Sic Ps. 78. 9. *Propter gloriam nominis tui libera nos*; 3. propter nomen suum, id est propter bonitatem suam. Ita Ugo. Psal. 24. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.* S. Hieron. quoniam grande est. Psalt. Roman. et Ambrosian. copiosum est enim; 4. *propter nomen suum*, id est propter nomen Iesu, q. d. deducet me per semitas iustitiæ, quia est Iesus et Salvator meus. Hic sensus mihi maxime genuinus esse videtur: describitur enim in hoc Ps. Iesus pastor suo gregi consulens, eumque salvans.

45. Semitæ ad cælum faciles fiunt per Dei gratiam. Nota pro *semitas* Hebr. est מעגלים *maaggalim*, id est orbitas, hoc est vias plaustro tritas, in quibus sunt orbitæ, id est, impressa rotarum vestigia. Vulgo dicimus *chemin a charrette*. Vatablus vertit, ducit me in *orbitis* iustitiæ, q. d. efficit ut non exorbitem, id est non aberrem a iustitia: facit gressus rectos pedibus meis. Caiet. reddit, Ducet me *in vias* iustitiæ. S. Hier. Felix, Syr. *per semitas*. Noster *super semitas*, ut iudicet facilitatem et celeritatem atque alacritatem decurrentis, qui vix tangat terram pedibus, sed super eam feratur, et nihil pulveris

Armis tamen opus est. contrahat. Secundo, *maaggalim* sunt castra vel castrorum locus, ut ait R. David, et R. Kimhi: sive quod in castris

A circumquaque locus in rotundum disponatur, *agol* autem significat rotundum, sive quod castra plaustris in orbem dispositis muniantur. Via in cælum, est via iustitiæ, in ea semper est armatus iustus gladio verbi Dei, galea salutis, scuto fidei et lorica iustitiæ, et per eam ambulat calceatus in præparatione Evangelii, id est, præparatione, hoc est alacri mentis et affectus promptitudine, ad ambulandum viam Evangelii pacis, et succinctus lumbos in veritate, id est veritate, id est fidelitate et integritate, ac veracitate. Apostolus hæc arma enumerans Ephes. 6. 13. et sequ. ait: *Accipite armaturam* (Græc. πανοπλιαν, id est omnimodam armaturam) *Dei, ut possitis resistere in die malo*, hoc est, in die tentationis. In via enim iustitiæ non desunt hostes qui impetant, partim ex insidiis, partim aperto Marte, ut sæpe ostenditur, præsertim Ps. 118. qui totus licet longissimus est de via in cælum.

Quæres, quænam sunt semitæ iustitiæ? Primo, Chald. 46. Semitæ iustitiæ quinque modis sumuntur.
dicit, semitas iustitiæ esse semitas iustorum. Sic enim
B vertit: *Ducit me per semitas iustorum propter fortitudinem nominis sui*, id est, suam.

Secundo, Ugo Cardinalis magis explicat: Deduxit me, inquit, super, id est per, semitas iustitiæ: scilicet per I. Sunt semitæ iustorum.
consilia per quæ deducitur homo, ut rectius et citius pervenjat ad patriam. Dicuntur autem consilia semitæ, quia sunt arcta, et munda, et compendiosa. Sed semitæ II. Consilia Christi.
iusti dicantur, quia per ea fit vera iustitia. Si enim homo peccavit, et postea complet sola præcepta, non facit veram iustitiam Deo de seipso: quia si nunquam peccasset, tenebatur tamen ad præcepta. Sed qui vult veram iustitiam facere de suo peccato, oportet, ut sicut commisit illicita, etiam a licitis abstineat. Et hoc faciunt qui consilia implent. Ita Ugo. Verum consilia non sunt opus iustitiæ, sed supererogationis. Nemo enim obligatur servare consilia, nisi se ad ea servanda sponte obligarit. De consiliis etiam exponit S. Chrysostomus in Catena, si tamen est S. Chrysostomus et non potius Au-
C ctor aliquis Latinus, cum ludat in voce semitæ, id est semi iter. Verba eius sunt, *Deduxit me super semitas iustitiæ*; istæ semitæ agnoscantur diversæ viæ generis humani: licet universas semitas Domini agnoscamus, misericordiam et veritatem: tamen semita una agnoscitur, quæ est prima in semitis, id est virginitas; secunda continentia, quæ est vidualis: tertia coniugalis; sunt aliæ semitæ, quæ ad patriam conducant. Nam semitæ ideo dicuntur, quasi semiviæ, id est angustæ, et quod planæ et amplæ non sunt. Audite quæ sint istæ semitæ angustæ; pro inimicis orare, nulli malum pro malo reddere, inimicum cibare, potare, vestire, iniuriam pati, et non facere: et ut concludamus semitas iustitiæ. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: semitæ sunt iustitiæ, et hoc facit, non pro merito nostro, sed propter nomen suum. Ita ipse. Ad semitas consiliorum, et ad vias mandatorum invitat Isaias 2. 3. *Venite et ascendamus ad montem Domini* (ad Ecclesiam) *et ad domum Dei Iacob* (alludit ad Bethel, quæ erat figura Ecclesiæ: ibi enim se Deus videndum ostendit
D in scala illa mirabili, Gen. 28.) *et docebit nos vias* (quasi vehas, iter per quod vehicula ducuntur, id est præcepta) *suas, et ambulabimus in semitis eius*, id est in consiliis. Est ibi mimesis, qua inducit gentes multas, sed ad id mutuo incitantes, ut nunc fieri videmus in Ecclesia Catholica.

Tertio, Thomas Iorgius Anglicus per *semitas iustitiæ*, III. Duo præcepta charitatis.
intelligit duo præcepta charitatis: nempe dilectionem Dei, et dilectionem proximi. Dicuntur porro semitæ iustitiæ, Primo, quia in his duobus mandatis universa lex pendet et Prophetæ, Matth. 22. 40. Et ideo longa via est legis et Prophetarum: brevis vero est istorum duorum mandatorum: semitæ autem breviores sunt viis publicis, quia rectiores. Ps. 26. 11. *Dirige me in semitam rectam*. Secundo, semitæ sunt præcepta charitatis: quia, ut ait S. Isidorus 5. etymolog. semita est hominum: via autem ferarum et pecodum: constat autem quod viam mandatorum soli homines, id est ratione utentes ambulant, Prov. 15.

14. *Semitæ vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.*

IV. Omnia Dei præcepta. Quarto, *semitæ iustitiæ* sunt omnia Dei præcepta. Semita est semi iter, est arcta via. Non tantum consiliorum, sed etiam mandatorum Dei arcta est via. Christus ipse dicit Matth. 7. 13. *Intrate per angustam portam* (per Dei legem, ut explicat S. August.) *quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* S. Perpetua vidit scalam auream ex omni parte cultris et gladiis cinctam, per quam scandendum erat in cælum. Vidit etiam S. Satyrum unum e sociis martyrii sui per illam generose scandentem, et cæteros ad se sequendum exhortantem, ut refert Surius in eius vita, 7. Martii. David noster Ps. 118. 35. orat. *Deduc me in semitam* (a qua aberravi. Græc. ἐν τῇ τρίβῳ, id est in semita: etiam in illa post egenus Deo duce) *mandatorum tuorum, quia ipsam volui:* 1. eam præferendo cæteris, et in eam intrando; 2. in ea mihi complacendo. Chald. In illa complacui mihi.

V. Tam consilia, quam præcepta. Quinto denique plenissime, *semitæ iustitiæ*, sunt tam consilia quam præcepta. Hinc non dicitur super semitam, sed super semitas. Per utrasque et ad nos Deus venit, et nos ad Deum. Isaias cap. 40. 3. inducit S. Ioannem Baptistam instar vocis clamantem in deserto: *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Ubi Cornelius ait idem denotari per viam et per semitas, q. d. omnia impedimenta amovete, quæ Christum mox venturum offendere, vel dedecere possint: errores scilicet, vitia et peccata tollite. Sic erunt viæ et semitæ iustitiæ illi paratæ. Iustitia hic intelligenda est generalis, quæ est complexio omnium virtutum. Ubi adverte cum S. Bern. in Apolog. ad Guilielmum Abbatem, *semitas* hic poni numero plurali, *iustitiam* vero numero singulari, quia una se iustitia charitasque in multa fundit opera.

47. Christus solus ducit per semitas iustificantes. Nota, Solus Christus deducit per *semitas iustitiæ*, id est per semitas iustificantes: quia solus dedit legem gratiæ, quæ non solum imposuit præcepta, sed etiam dat vires et gratias ad illa explenda. In lege Mosis erant *infirma et egena elementa.* Galat. 4. 9. id est, ut ait S. Hieronymus, S. Anselmus et Tertullianus lib. 5. contra Marcion. c. 4. Sacramenta, et observantiæ dierum ac mensium festorum, atque aliarum cæremoniarum legis Mosaicæ, quæ erant prima Religionis et pietatis rudimenta, quæ gratiam non continent nec conferunt. Et apertius ibidem cap. 2. 16. *Scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi* (id est *sed*, ut Syrus vertit: et Cicero sic sumit *To nisi* pro *sed* lib. 13. epist. familiar.) *per fidem Iesu Christi: et nos in Christo* Iesu (εἰς χριστὸν ἰησοῦν, id est, in Christum Iesum) *credimus, ut iustificemur ex fide Christi*, per charitatem operante. Hinc ait Christum esse iustitiam nostram. 1. Corinth. 1. 10. *Ex ipso* (per ipsum Deum et eius gratiam) *vos estis in Christo Iesu* (ei incorporati et insiti in Baptismo) *qui factus est nobis sapientia a Deo* (sic potest deducere) *et iustitia* sic per viam rectam et planam deducit. Est autem Christus iustitia sicut sapientia nostra, non imputativa, sed causalis; id est causa sapientiæ et iustitiæ Christianæ. Cur enim potius dicerent hæretici ibi sumi iustitiam imputativam? atqui non dicunt agi de sapientia Christi imputativa, neque censent eam nobis imputari et attribui, ergo neque id possunt dicere de ipsius iustitia. Per ipsum quidem oritur omnis virtus, sed non est virtus formalis electorum. Ps. 71. 7. *Orietur* (S. Hieron, germinabit. Alii, florebit) *iustitia*, (S. Hier. *iustus*: bona opera producens, et suum cuique reddens) *et abundantia pacis*, id est rerum omnium ubertas. Antea nox erat, ideo nihil germinabat, et principes tenebrarum tela in tenebris vibrabant, quæ cæcatos facile feriebant.

48 Via triplex in cælum ducens: purgativa, illuminativa, unitiva. Nota secundo, In via cæli tres semitæ distingui possunt, per quas Christus singulos deducit pro ratione meritorum. Primo, est via seu semita eorum qui incipiunt, et adhuc purgantur. Secundo, est via seu semita eorum qui proficiunt et illuminantur. Tertio, est via seu semita perfectorum qui Deo iam uniuntur. Illas omnes in psalmo nostro expressas reperio.

I. Viam purgativam decurrit ovis ope sui pastoris. Ac primo, Viam seu vitam (vita enim nostra est via tendens ad patriam) purgativam declarat David sub similitudine viæ, quam ovis decurrit sub bono pastore. In vita enim purgativa adhuc bruti quidam affectus vigent: Christus tamen ovem suam non deserit, v. 2. *Dominus regit me, et nihil mihi deerit.* Hæc spes et experientia quotidiana donorum Dei novitium abstrahit ab illecebris mundi, carnis et dæmonis; 2. locum aperit, in quo ovis nutritur, nempe Ecclesiam Sacramentis et gratiis abundantem, *In loco pascuæ* (id est pascuali, pascuis abundante) *me collocavit*, etc. simul cum multis locavit, ut societas det delectationem et constantiam; 3. conversionem perfectam animæ ad Deum facit, qui tam suavem et liberalem esse ovibus suis sentit, v. 3. *Animam meam convertit*, odore florum suorum; 4. Christus iuvat in observatione mandatorum, *Deduxit me super semitas iustitiæ;* 5. in tentationibus, quæ vigent præsertim in via purgativa, auxilium præbet, v. 4. *Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* 6. severitatem etiam, sed paternam et moderatam adhibet, cum quis aberrat, *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

49. II. Viam illuminativam decurrit homo, in oculis Domini sui. Secundo, Viam seu vitam illuminativam depingit Christus sub typo hominis vires suas cibo reficientis, et se aspectu Domini sui recreantis ad cuius mensam admittatur, vers. 5. *Parasti in conspectu meo mensam.* Non enim lacte, sed solidiore cibo pascit iam provectiores Christus: pascendo autem eos illuminat, sic oculi Ionathæ gustato favo mellis illuminati sunt; 2. quia, in principio præsertim, non desunt etiam in illa via hostes qui impetant, ideo inter cæteros sacræ huius mensæ effectus dicitur ad hostium furorem reprimendum esse utilem eam in rem additur, *Adversus eos qui tribulant me.* Sed nihil est verendum: nam hi impugnatores non sunt in umbra mortifere, sicut prius: sed sunt in luce, ideo facile superantur, in ipsa mensa, verbo unico, cum risu et delectatione; 3. itaque monet in illa via illuminativa esse copiosam gratiarum effusionem, et consolationum spiritualium donationem, *Impinguasti in oleo* (id est oleo) *caput meum.* Quod ideo ponitur, quia in conviviis unguenta fundebantur: oleum est symbolum lætitiæ huius vitæ, in qua adhuc luctandum est: sed ab eo qui unctus est, facile hostis vincitur, qui non est unctus. Unctio autem in capite denotat magis restare aliquam pugnam in cogitatione, affectione et imaginatione, quam in parte inferiori, cum quis versatur in vita illa illuminativa et proficiente.

III. Viam unitivam decurrit amans ebrietate cælesti extra se raptus. Tertio denique, Viam seu vitam unitivam replet Christus deliciis Angelorum, et in ea versantem viatorem oblivisci facit omnium terrenorum, in Deum unum absorptum, et Deum totum in se recipientem, ut eum gustet eoque repleatur, vers. eodem 5. *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Unionis illius duratio et perseverantia declaratur tum in hac vita per puram Dei misericordiam, *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*, tum in alia, ubi per iustitiam ob bona opera iure civitatis æternæ iustus donabitur, *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

50. Triam viarum typus fuit iter Israelitarum ex Ægypto in terram promissam. Triplex illa via, et Christi per eam electos suos ducentis sapientia, charitas, benignitas, aliæque virtutes, figuratæ sunt. Primo, in via quadraginta annorum per desertum, ubi Deus populum suum purgavit abstersa omni fuligine ollarum Ægypti, Exod. 15. 13. *Dux fuisti in misericordia* (per misericordiam, cum misericordia) *tua populo quem redemisti* (quem liberasti a servitute Ægyptiaca) *et portasti eum in fortitudine tua* (non ipsius, quia erat infirmus) *ad habitaculum sanctum tuum*, id est in terram Chanaan, ubi sancti Patriarchæ habitarunt, ubi templum es ædificaturus, ubi Christus est nasciturus, victurus et moriturus. Ovis est qui purgatur, Ps. 79. 1. *Qui regis* (Hebr. qui pascis) *Israel intende, qui deducis velut ovem Ioseph.* Secundo, via seu vita illuminativa figuratur in decursu regni Og gigantis Regis Basan et Sehon

Regis Amorrhæorum, quos populus ille debellavit sibi subiecta eorum universa ditione. In vita enim illo proficiente habetur dominatus vitiorum: nec hostes ipsi pacem animæ turbant, Ierem. 17. 16. *Ego non sum turbatus* (Septuag. non laboravi. Vatab. non fui sollicitus. Chald. *non sum cunctatus*, facile equitat, quem gratia Dei portat. Pagn. *non elongavi*. Lux est Christus qui viam ostendit, *te pastorem sequens*, tu hostes sternis, ego colligo palmas et laureas, *et diem hominis* (id est lucem, splendorem hominum, delicias, voluptates, felicitatem) *non desideravi*, cum habeam lucem meliorem et suaviorem. Tertio, via seu vita unitiva figuratur in transitu Iordanis, atque in decursu terræ promissæ, in qua sedem stabilem sibi fixit Deus in arca manens, oracula fundens, præsideas, et populo suo gratiarum perennem fontem ostendens. Tunc quievit Israel sub ficulnea, olea et vite sua, id est sub Dei misericordia, benignitate et sapientia, Proverb. 4. 11. *Viam sapientiæ monstrabo tibi* (Aquila, deduxi te. Tigur. dirigam te. Vatablus, docebo te per viam iustitiæ incedare) *ducam te per semitas æquitatis*. Hebr. incedere te faciam in orbitis rectitudinis. Chald. in semita recta. S. Gregor. Nyssen. orat. 2. contra Eunomium: Viæ, inquit, sunt ad virtutem aditus, quorum principium fit sapientiæ acquisitio. Tunc non laboratur. Unde additur v. 12. *Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur* (Syr. non mutabunt. Symmach. non tribulabuntur) *gressus tui, et currens non habebis offendiculum*. Septuag. non fatigaberis. Aquila, nnn scandalizaberis. Syr. non offendes. Alii, non corrues. Fallitur ille qui dixit apud Platonem in politico, id est in libris de Republica: *Universum hoc alias Deus ipse regit, agitat et rotat, alias vero dimittit, cum mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleverunt. Mundus autem ultro et libero tunc motu contra reflectitur. Nam et vivit, et sapientiam ab eo, qui ab initio construxit illum, est sortitus*. Nec vivit mundus, nec si viveret sine Dei nutu et auxilio moveri aut stare posset. Nos Deo directore ac duce egemus, eiusque gratia excitante ut viam bonam intremus; 2. egemus Deo comite et ipsius gratia comitante, ne aberremus in progressu; 3. denique egemus Deo roborante, et eius gratia subsequente, et dono finalis perseverantiæ, ut viam feliciter terminemus, et ad patriam perveniamus. Hoc cum suavitate et charitate se præstaturum pollicetur Deus 46. 3. *Audite*, inquit, *me domus Iacob* (duæ tribus) *et omne residuum domus Israel* (et qui ex decem tribubus necdum estis captivati ab Assyriis) *qui portamini a meo utero* (Septuag. et Forer. a me ab utero: sed Hebr. et Noster, significantius a meo utero) *qui gestamini a mea vulva* (id est a mea providentia, tenerrimo amore et cura, quibus vos concipio, efformo, crescere facio, parturio, et tandem pario ad gloriam percipiendam) *Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo; ego feci, et ego feram: ego portabo, et salvabo*. Matres uterum ferunt liberos per novem menses, lactant per duos tresve ad summum, Deus vero tota vita, quia iusti sunt semper infantes, et esse debent si salvari volunt. Christus Apostolis dixit, Matth. 18. 3. *Amen dico vobis* (quid dicet aliis?) *nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli* (Syr. sicut pueruli) *non intrabitis in regnum cælorum*.

51. Ex his pastores colligant gregem Dei portandum esse. Hinc collige, si pastor es, gregem Dei tibi ducendum esse, et portandum propter nomen et gloriam Dei. Primo

I. Cum charitate. eam ardenti et tenero charitate. Hoc enim Deus vult, et Mosi imperavit, licet haberet populum duræ cervicis. Unde ait Numer. 11. vers. 11. et 12. *Cur imposuisti pondus* (onus et curam regendi) *populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, genui eam? ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum*. Abrahamo, Isaaco, et Iacobo, pollicens te eam illis, hoc est posteris illorum, daturum.

II. Cum patientia. Secundo cum patientia pastor oves ferre debet, et Princeps ac Prælatus populum. Sit illi instar currus, ita ut sub eo populus non laboret, et tamen viam decurrat. Dicebat Eliseus videns Eliam curru Angelico in cælum ferri, 4. Regum 2. 12. *Pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius*. Quod Chald. de eius oratione exposuit, cum vertit, Magister mi, magister mi, qui melior eras Israeli oratione tua curribus et equitibus. S. Gregor. de patientia Prælati symbolice explicat lib. 2. in Ezech. homil. 21. *Quid est*, ait, *quod Elias, currus Israel et auriga dicitur, nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo qui mores populi et per patientiam sustinet, et sacri eloquii verbis docet, et currus dicitur et auriga. Currus, quia tolerando portat: auriga, quia exhortando agitat. Currus, quia mala sustinet: auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet*. Deducet me super semitas, ait David q. d. in curru elevatum.

Tertio, pastor deducat cum vigilantia. Nam semita est III. Cum vigilantia.
semi iter, q. d. Iter arctum et angustum, facile est ab eo in avia et præcipitia deiici ob hostes occursantes atque insidiantes. Pastor sit Argus, ut oculis in omnem partem intentis impedimenta amoveat. S. Antiochus homil. 111. οφειλει ο ποιμην ολος νους και οφθαλμος ειναι. *Debet pastor totus esse mens et oculus, ut ne una quidem concreditarum sibi pecudum reiiciatur, et indigna quæ recipiatur a Domino per oscitantiam, aut per pastoris indulgentiam laboret ac pruriat pecus fœda scabie, ne claudicet per irreligiosum ac minus gravem incessum, aut desecta sit aure per inobedientiam, ne cæca esse comperiatur per vitiosum aspectum, aut capta a bestiis sive morticino per improbam operationem*.

Quarto denique, sapientia est opus. Primo speculati- 52. IV. Cum sapientia.
va. Ut enim ait S. Gregor. 1. parte pastoralis, cap. 1. Ab imperitis pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Secundo, sapientia practica requiritur in pastore, id est Lux omnium virtutum, quibus exemplo suo præeat. Christus ait Apostolis Matth. 5. 14. *Vos estis lux mundi*. S. Chrysost. homil. 10. in 1. ad Timoth. *Idcirco*, inquit, *ille nos elegit, ut simus quasi luminaria, et velut fermentum evadamus, ut velut Angeli cum hominibus versemur in terra, ut tamquam viri cum pueris, ut tamquam spirituales cum animalibus agamus*. Et lib. 2. de Sacerdotio, Οσῳ, ait, προς αλογα λογικων ανθρωπων διαφορα: τοσουτον ποιμενος και ποιμαινομενων ισω το μεσον, quanta inter sese differentia homines rationis usum habentes, et bruta ratione carentia dissident: tantum sane discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur esse velim: ut ne maius etiam exigam: siquidem in multo etiam maioribus rebus periculum versatur. Ita ipse. S. Gregor. 1. parte Pastoral. cap. 2. Unde fit, inquit, ut cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. S. Bern. serm. 76. in Cant. sapientiam speculativam cum practica, id est scientiam cum virtute, bono pastori iungendam esse docet: *Quomodo*, ait, *in pascua divinorum educet eloquiorum pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina utili, quam sterili vita noceat. Temere itaque et in hac parte hoc onus sumitur absque scientia pariter vitaque laudabili*.

ARTICULUS. VI.

Quanto securitate ovis vivit sub Christo pastore.

Septima proprietas Christi pastoris est robur eius ac 53. Vers. 4. 1. Pars.
potestas, ut oves suas a feris protegat. Unde ait David: Nam (Hebr. גם *gat*, id est etiam, ut vertit Pagnin. Felix, Caietanus, Vatabl. 2. sed, ut S. Hieron. Itaque *nam*, non est ibi causale, sed consecutivum, copulativum, et coniunctivum: vel adversativum) ETSI AMBULAVERO IN MEDIO UMBRÆ MORTIS: NON TIMEBO MALA, QUONIAM TU MECUM ES. Nota, pro *medio*, in Hebr. est גיא *ghe*. id est vallis, vorago, hiatus, præruptum. Zach. 14. 4. *Scindetur mons olivarum ex media parte sui ad Orientem, et ad Occidentem prærupto* grandi, *valde*. Sept. vertunt, magna voragine; Chald. valle; Pagnin. valle grandi valde: quæ scilicet fiet tempore Antiochi et Machabæorum, cum multa signa videbuntur in cælo: nempe equites per aerem discurrentes, cohortes armatæ, cur-

sus equorum, 2. Machab. 5. 2. et seq. Cohortes enim erant Angelorum, cum quibus veniebat Dominus in specie visibili, veniente autem illo mons tremuit, et discissus est in quatuor partes. Ita etiam scindetur in die iudicii. In psal. nostr. vertit S. Hieron. *in valle umbræ mortis*. Syr. per valles umbrarum mortis. Vatabl. per vallem umbræ mortalis, id est mortiferæ. Sangrinus vocat, vallem necis inviam. Septuag. reddunt, *εν μεσω*, *in medio*. Non quod legerint *go* id est medio. Nam *go* est vox Chald. significans medium. Sed sensum magis quam verba reddiderunt. Vallis enim est in medio duorum montium vel collium, et facile inumbratur ac tenebrescit ob arbores utriusque montis seu collis.

Nota itaque secundo, pro *umbra mortis* est Heb. צלמות *tsolmavet*, q. d. *tsel*, id est umbra, *mavet* mortis. Vel a *tselem*, id est imago, similitudo, effigies, adumbratio, q. d. imago et effigies mortis. R. David recte dicit a *tsel*, non a *tselem* deduci. Mercerus censet *tsalmavet* significare umbram seu imaginem, quæ morientium oculis obversatur: mortis scilicet tristissimam imaginem.

54. Umbra mortis duo significat. Quæres, Quænam a Davide intelligitur *umbra mortis?* Primo, sunt loca tenebrosa, et periculis omnibus exposita ferarum, latronum, præcipitiorum. Ita Bellarm. et Genebr. Secundo, *umbra mortis*, est ipsum mortis periculum, extremum vitæ discrimen, quale solet esse in sylvis umbrosis, præsertim in vallibus angustis, depressis ac profundis. Ita Iansen. Mariana, Sa, Palaoterius, Genebr. et alii, q. d. inter magna pericula quæ tam propinqua sunt morti, ut umbra caligini. Ita Dionysius, sed paulo subtilius. Vel, q. d. etsi contigerit me pervenire usque ad maxima pericula, ita ut quasi proximus videar morti: iamque me mors ipsa videatur operuisse, et velut obumbrasse atque expandisse se supra me, non tamen conturbabor. Ita Titelm. signanter. Hoc autem præsertim accidit in vallibus umbrosis, arctis, et profundis, ut dixi. Talis erat vallis absynthii, sic dicta ob frequentes cædes a latronibus ibi fieri solitas. Nunc ibi est Claravallis, ubi S. Bern. et innumeræ apes cælestes melle suaviores cibos animæ apparant.

55. Symbol. Umbra mortis est vita præsens. Symbolice, *umbra mortis* est vita præsens. Ita S. Aug. S. Hier. S. Thom. Lombard. Turrecremata, et alii. Primo, hoc sumi potest intransitive, q. d. Vita hæc est umbra mortis: hoc est, est umbra quæ est mors. Nam diabolus promittens primis parentibus lumen scientiæ, dicit Genes. 3. 5. *Eritis sicut Dii scientes bonum et malum*,

I. Quia vita hæc est mors. sed umbram nobis fecit, quia lumen scientiæ abstulit: Promittens vero vitam, dixit: *Nequaquam moriemini*, sed vitam abstulit, ac mortem intulit: et sic umbram mortis induxit, Ps. 43. 20. *Cooperuit nos umbra mortis*. In medio autem huius umbræ ambulat, qui nec prosperis nimis erigitur, nec adversis deprimitur. Ita Thomas Anglicus.

II. Est mortifera. Secundo tamen *umbra mortis* melius sumetur transitive, q. d. umbra mortifera. Est enim hebraismus frequentissimus in Scriptura, quo duo substantiva ponuntur pro substantivo et adiectivo in superlativo gradu, q. d. umbra maxime mortifera, periculosissima. Vere quidem S. August. lib. 1. Confess. cap. 6. *Nescio*, inquit, *unde venerim huc, in istam mortalem vitam, an mortem vitalem nescio*. Sed præterea illa mors telis armatur, et mortem affert, non corpori solum, sed etiam animæ. Nam, ut ait Lombard. caligine peccatorum, et ad mortem ducit. Et Beda: Præsens, inquit, vita, et communis, quæ per quotidianos lapsus, quos quilibet in ea patitur, est umbra: id est, figura mortis, id est mortalis lapsus, quem detrusi in gehennam patiuntur.

III. Est umbratica. Tertio, Vita hæc est umbra, quia nihil est ibi solidum, sed umbratile et apparens. Alcuin. epist. 46. *Numquid*, ait, *ex umbra panis esuriens se saturare poterit? Umbratica est sæculi felicitas, vera tantummodo in futuro spectatur*, Et S. Nilus in Parænesi: *παντα σκια*, inquit, *και καπνος, και πομφολυγες, Omnia mundana sunt umbra, fumus et bullæ*.

IV. Cito evolat. Quarto denique, Vita hæc est umbra, in qua ambulamus, et quæ simul ambulat, currit, et volat. Ps. 38. 7. *Verumtamen* (S. Hieron. *tantum*; nullam rem habet, sed umbras rerum) *in imagine* (alii, in umbra: vel, instar umbræ) *pertransit* (S. Hieron. ambulat) *homo*. Vide ibi fuse dicta. S. Ambros. in Ps. *Hic in umbra vivimus, ergo vita ista umbra est vitæ, atque imago, non veritas*. Eius transitum et celerem quidem exponit S. Chrysost. homil. 9. in epist. ad Hebr. *Quid*, ait, *sunt res humanæ? cinis et pulvis, et tamquam pulvis ante faciem venti*, *καπνος και σκια*, *fumus atque umbra, et folium quod circumfertur, et flos, et somnium, et narratio, et fabula, et ventus, et* *αηρ χαυνος, απλως διαρρεων, πτερον ουχ ιδρυμενον, ρευμα παρατρεχον*, *aer mollis temere diffluens, penna non consistens, fluentum prætercurrens, et si quod est his minus et abiectius*. Sophocl. in Aiace ait, hominem nihil esse præter *πνευμα και σκιαν*, id est flatum et umbram.

56. Umbra mortis est mors corporis. Secundo, etiam symbolice *umbra mortis* est mors corporalis. Eusebius in Catena Barbari: Umbram, ait, mortis appellare poteris communem, et naturæ omnibus debitam mortem, et animæ a corpore separationem, ad discrimen mortis animæ, iuxta quod dictum est Ezechiel. 18. 4. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*; et 1. Ioan. 5. 17. *est peccatum ad mortem*. Nam interitus animæ non est umbra mortis, sed vera est mors. Quoniam ergo didicerunt eum, qui credit in Filium Dei, non moriturum in æternum, sed a morte ad vitam transmigraturum, aptissime non mortem, sed mortis umbram impendere illis dicunt, qua pericula hominibus imminentia, et communem mortem, quæ separatio est animæ a corpore, significarunt. Ita Euseb.

Infernus. Tertio, *umbra mortis* et medium umbræ mortis sunt inferi: ita ut sensus sit, q. d. Adeo te regente ac pascente tutus sum, ut etiamsi per inferna loca contingat me ambulare, te duce ac viæ socio nihil mali timeam. Ita Agellius et Magnet. ac S. Bern. qui sic loquitur epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, circa medium: *Ipsum*, ait, *si necesse est intrare gehennam, securus, medias penetrans flammas lata decantet conscientia. Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*.

Hæretici. Quarto, *umbra mortis* sunt hæretici et schismatici. Ita S. Thomas, Cassiodor. Lombardus, qui sic ait: *Hi sunt umbra mortis, quia figuram sævitii, id est imaginem diaboli portant*: vel, potius, quia lumine fidei carent et ardore charitatis; 2. quia ignari sunt; 3. quia nihil habent solidæ veritatis; 4. quia corpus et corporea sequuntur; 5. quia non diu durant; 6. ad se accedentes exemplo suo ac tenebrosis fallaciis perdunt; 7. refrigerium ostentant, et mortem afferunt, quod alias ostendi in umbris noxiis, de quibus vide Plin. lib. 17. cap. 12.

Omnes impii. Quinto denique, *umbra mortis*, sunt omnes impii et scelerati. Primo ob tenebras et ignorationem Dei. Secundo, ob frigus, quia carent charitate, et gratia sanctificante. Ita Beda, Ludolph. Thomas Anglicus, Richardus Pampol. Periculosa est hæc umbra, si præsertim perversi sint potentes et divites, de quibus explicat Remis, q. d. licet vivam inter illos, qui in hac vita obumbrant alios divitiis, vel potentia, vel honoribus, non ad salutem, sed ad perditionem, non timebo ex eorum supereminentia, mala.

57. Tropol. Umbra mortis est tribulatio. Tropolog. *umbra mortis* est omnis tribulatio et adversitas corporalis, ita S. Thom. Aiguan. Ludolph. Didym. Thomas Anglicus, qui sic explicat. Umbra mortis intelligitur adversitas, quæ est umbra: id est, quædam tenuis similitudo mortis, id est æternæ damnationis. Medium autem huius umbræ est virtus patientiæ, quæ ponit medium in adversis: quia omnis virtus consistit in medio, et ideo in medio huius umbræ ambulat, qui adversa patienter tolerat, et talis non debet timere mala Ps. 137. 7. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*. Et ratio est, quia Deum secum habet, Psal. 90. 15. *Cum ipso sum in tribulatione*. Quod enim ipse in medio huius umbræ fecerit viam suam, patet per illud Ioan. 19. 18. *Crucifixerunt eum et alios duos hinc et inde, medium autem* IESUM.

Ita Thomas Anglic. ipsa tribulationis umbra salutaris est. Unde sic Ludolphus exponit: *Præsens*, inquit, *tribulatio potest dici umbra mortis: quia sicut umbre protegimur a calore solis, sic per præsentes tribulationes liberamur a futuris.*

Gravis præsertim.

Secundo, et maxime proprie, *umbra mortis*, sunt graves tentationes. Ita Ludolphus, nomen enim dæmonis est mors, Apocal. 6. 8. Umbra mortis sunt pericula peccatorum mortalium, ait Iansenius: et ipsa peccata, ut dicit Ugo Cardinalis.

58. Impius ante peccatum, in peccato, et post peccatum umbras venatur. 1. Ante peccatum.

Et quidem sceleratus ante peccatum, in peccato, et post peccatum umbras venatur. Primo, ante peccatum cum umbris degit peccator versando cum impiis et ab iis opem, favorem, delectationem quærendo. Iob. 40. 17. *Protegunt umbræ umbram*, id est peccatores peccatorem, ait Philippus. Umbræ dicuntur præsertim otiosi, et abliguritores. S. Chrys. epist. 6. ad Theodorum Monachum: *Umbra quædam*, inquit, *ipsisque umbris inanior, nequiorque est conversatio sæcularis, plena periculorum, plena tormentorum, extremo caidam servitio subiugata.* Secundo, in peccato ipsis sese umbris, non rebus solidis pascit peccator, ut canis Æsopicus. Iob. 3. 5. *Obscurent eum tenebræ, et umbra mortis*, id est imitatio diaboli, ut S. Greg. exponit 4. Moral. 17. Umbra mortis, inquit, imitatio antiqui hostis accipitur. Ipse enim, quia mortem intulit, mors vocatur, Ioanne attestante, qui ait Apocal. 6. 8. *Et nomen illi mors.* Per umbram igitur mortis, eius imitatio designatur: quia sicut umbra iuxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur. Unde recte Isaias cum gentiles populos ab antiqui hostis cerneret imitatione defecisse, eosque ad veri solis ortum resurgere, quæ certo futura considerat, quasi ex præteritis narrat, dicens Isaiæ 9. 2. *Sedentibus in tenebris et in umbra mortis, Lux orta est eis.* Ita Gregorius. Tertio denique, peccator post peccatum ab umbris, id est furiis, semper animo obversantibus infestatur, et in earum medio ambulat et quiescit, Ps. 43. 20. *Humiliasti nos in loco afflictionis* (alius apud S. Chrysost. vertit, *humiliasti nos in loco Sirenum*, id est, voluptatis) *cooperuit nos umbra mortis*, id est, terror mortis ob admissa scelera, sic Herodi et Neroni obversabantur umbræ Ariadnes uxoris et Agrippinæ matris. S. Basilius hom. 7. Sicut, inquit, umbra corpus, sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem referens. Ugo Cardinalis in cap. 4. Matth. alio rem ingeniose trahit. Peccata, inquit, dicuntur umbra mortis, quia sicut umbra ducit ad corpus, sic peccata ad mortem æternam. Et Paschal. lib. 3. in Matth. *Inter mortem*, ait et *umbram mortis*, hoc esse putaverunt discrimen: quod mors eorum est, qui cum operibus mortis in inferno morte sepeliuntur devicti. Umbra vero mortis eorum, qui cum peccant, necdum tamen de vita ista penitus expelluntur: sed divino expectantur iudicio, ut in melius convertantur: unde si velint, possint agere pœnitentiam: et ad veram lucem, ut deinde non sint in tenebris, Domini suffragante gratia, quantocyus pervenire.

2. In peccato.

3. Post peccatum.

59. Omnes prorsus peccatores venantur umbras. 1. Superbus.

Singulos, si placet, umbrarum venatores videamus, Canedensibus illis similes, qui etiam post mortem, ut ipsi fabulantur, ferarum umbras, (id est, animas ut putant) venantur, ut iis vivant.

Primo, superbus captat umbram montium. Iudic. 9. v. 36. dixit Zebul ad Gaal, qui rebellaverat contra Abimelech, et ab eo Sichimitas abstraxerat, ut illis imperaret: *Umbras montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis.* Sed illis umbris mortiferis periit, erat enim exercitus Abimelech, cui Gaal non potuit resistere. S. Chrysost. hom. 5. in Genesin ait: Quare ita humana laude teneris? Nescis quod sicut umbra, et si quid illa vilius, ita illorum laus in aere diffusa evanescit? Ita ipse. Quod autem hæc umbra sit mortifera, disce a Synesio de regno. Ea, inquit, ex omnibus laus, quæ perniciem cum voluptate effert, *venenatis potionibus similis mihi esse videtur, quas melle perfusas morituris propinant.*

Inter superbos, præsertim hæretici cæteris arrogantiores, umbræ sunt mortis. Bruno in psalmum nostrum: Dicit Catholicus, inquit, si ambulavero inter hæreticos, qui recte umbræ mortis dicuntur, non timebo eorum pravas suasiones, quoniam tu me Domino defendis. Secundo, hypocrita gloriam inanem per insidias captans, umbris laqueum parat, quo ipse capitur, et umbra fit. Ugo in cap. 40. Iobi: Umbra, inquit, speciem corporis habet, sed non veritatem: ita hypocrisis speciem sanctitatis tenet exterius, sed interius rem veritatis non habet. Tertio, adulatores sequuntur potentes ac divites, eorumque gestus omnes imitantur et motus, sicut umbra corpora. Agapetus Diaconus in Parænesi ad Iustinianum Imperatorem num. 22. *Respiciunt*, ait, *adulatores ad ea quæ arrident potentibus, et* τῶν σωμάτων τὰς σκιὰς μιμούμενοι, *corporum imitantes umbras, omnibus ac singulis eorum verbis applaudunt.* Umbra hæc est umbra mortis. Ut enim monet S. Petrus Damiani, sunt verba eorum venenum. Epistola 114. *Rumusculos et gloriolas, et palpantes adulatores, tamquam serpentini morsus venena devita.* Quarto denique, prælati mali sunt umbra mortis. Ezech. 3. vers. 6. *In umbraculo illius habitat cœtus gentium plurimarum.* In quæ verba Ugo Cardinalis: Prælatio maiorum, inquit, dicitur obumbratio, qui obumbrat subditos, ne intueantur solem iustitiæ, et charitatem veræ doctrinæ.

Et præsertim hæreticus.

Secundo, avari instar umbræ cito evanescunt. Hæc est umbra idoli, de qua Sapientiæ 15. v. 4. *Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio* (Græce, κακότεχνος ἐπίνοια, id est, inventio malum texens, maligna, malevola, malefica, dolosa, exitialis: nempe ars sculptoria pulchrorum idolorum) *nec umbra picturæ* (Græce σκιογράφων, id est, adumbrantium, hoc est, pictorum qui pingendo idola adumbrant. *labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores.* Avarus est idolorum servitus, id est maxime servus. Ephesiorum 5. v. 5. Itaque umbræ servit et inani repræsentationi superficiem tantum habenti sine corde et mente, sicut etiam umbræ accidit. Divitiæ sunt umbra, et umbra transiens. S. Gregorius Nazianzenus ad Iulian. *Sicut fumus dilabuntur, et somnii more homines deludunt: umbræque instar, manibus teneri nequeunt.* De ipso divite ait S. Chrysostomus homil. de divite, illa verba Evangelii referens, Homo quidam erat dives, Lucæ 16. 1. quod proprio nomine non appellatur, sed dicitur, *quidam*, quia, *quasi umbra præteriit:* velut innominatus embryo excidit, qui tanta pompa erat omnibus admirationi. 60. II. Avarus.

Tertio, Luxuriosus nullum pratum pertransiens, in quo non volutetur, et aquæ fluminis refrigerationem captat, et in luto demorans iuncorum umbra sese delectat. De Behemoth bellua habetur Iobi 40. v. 16. *Sub umbra dormit in secreto calami* (id est, arundinum) *et in locis humentibus.* Quia Behemoth, id est, elephas erectus et arboribus incumbens, iuxta papyrum et carices somnum capit: quippe amat amnes et loca palustria, tempore præsertim æstivo, cum æstuante sole peruritur, atque etiam tempore generationi destinato. Ita Pineda. Adam et Eva post peccatum senserunt se esse nudos per carnis rebellionem, ideo ad umbram et folia fugerunt, Genesis 3. v. 7. Hoc S. Ambros. libro de paradiso, c. 13. sic expendit: Posteaquam, ait, spoliatos se illa simplicitate et sinceritate viderunt, integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana et manufacta cœperunt, quibus nuda suæ mentis operirent, delectationes delectationibus, *et mundi huius umbratiles voluptates, velut folia foliis assuentes*, quibus obumbrarent genitale secretum. Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum ostendit quam perniciosa sit illa umbra: *Libido*, inquit, *obumbrat et contegit rationem.* Et S. Chrysostomus serm. de interdictione arboris: Utique, proh nefas! minatur Deus et contemnitur: persuadet diabolus, et auditur: Apud Deum est securitas et benignitas: apud diabolum blanditia, sed nociva. Ita Chrysostomus. Hæc est umbra mortis, ut patuit in Amnon occiso ab Absalone, ob stuprum illatum Thamar sorori, 2. Regum, in Ophni et Phinees filiis Heli Iudicis et Pontificis, 1. Reg. 61. III. Luxuriosus.

Quarto, Iræ quoque sua umbra est, sed umbra Heac- 62. IV. Iracundus.

bon igne Chaldæorum ardentis. Ieremiæ 48. 45. *In umbra Hesebon steterunt de laqueo* (Hebraice, מכח *miccoach*, a vi, ut vertit Arias: propter vim, ut Pagninus, id est ab irruptione et potentia Chaldæi exercitus duce Nabuchodonosore) *fugientes: quia ignis egressus est de Hesebon, et flamma de medio Seon* (id est, de Hesebon urbe regis Seon) *et devorabit partem Moab* (reliquam Moabiticam regionem) *et verticem* (arces ipsas et urbes excelsas) *filiorum tumultus*, id est, Moabitarum tumultuantium. Hesebon urbs Moab idem est ac cogitatio: hæc in iratis ardet, a Chaldæis, id est, dæmonibus inflammata: ex illa Hesebon, id est, cogitatione accensa erumpit flamma quæ vastat regionem Moab, hoc est, omnes sensus et potentias a Deo datas. Moab idem est, quod a patre, datus scilicet vel genitus. Hæc umbra flammis permista figuratur in tenebris Ægypti, quas horribiliores reddebant flammæ per aerem ex improviso discurrentes. Sapientiæ 17. v. 6. *Apparebat* (διεφαινετο, interlucebat, intermicabat) *autem illis subitaneus ignis* (αυτοματη πυρα, id est, fortuita et improvisa pyra, hoc est ingens ignium acervus) *timore plenus: et timore perculsi illius quæ non videbatur faciei* (οψεως, visionis, id est, rei visæ, sed non plene et perfecte: nempe spectrorum per ignem illum fumidum et umbrosum media tantum ex parte visorum) *æstimabant deteriora esse, quæ videbantur*. Sic iratus mira sibi spectra efformat et voluntaria pyra se inflammat, omnia in peius interpretans, et in illa nocte Ægyptiaca perturbatus et insaniens præ rabie. S. Basilius oratione de ieiunio: Efforma, inquit, tibi animo iratum, et considera quomodo *hoc affectu ebrius*, sui compos non sit, nec sui Dominus. Ignorat seipsum, non cognoscit præsentes, ωσπερ νυκτομαχιαν, *velut in pugna* nocturna in omnes insilit. etc. fuse.

63. V. Invidus. Quinto, in umbra et tenebris est invidus, qui fumidis vaporibus cerebrum suum opplet. Hæc est umbra fumi exeuntis de puteo abyssi. Apoc. 9. v. 2. *Et aperuit* (stella cadens a cælo, id est, Lucifer) *puteum abyssi* (invidi voluntatem atque appetitus sensitivos) *et ascendit fumus putei* (caligo et tristitia) *sicut fumus fornacis magnæ* (ira miscetur invidiæ) *et obscuratus est sol* (intellectus) *et aer* (imaginatio ventosa) *de fumo putei*. S. Basilius oratione de invidia: Invidis, inquit, ομμα ξηρον και αλαμπες; oculus siccus est, et caliginosus. S. Chrysostomus serm. 48. Invidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt; hanc qui nescierit, male nescit. Ita Chrysologus.

VI. Gulosus. Sexto, guloso umbræ obversantur. Hæc est umbra Ægypti et ollarum eius, Exodi 16. v. 3. *Sedebamus super ollas* (alii, iuxta ollas) *carnium*, in earum nidore et fumo nos recreantes. De illa umbra possis dicere, quod de alia ait Deus Isaiæ 30. v. 3. *Erit vobis fiducia umbræ Ægypti in ignominiam*. Ut enim dicit S. Ioannes Climacus grad. 26. Quemadmodum multitudo stercoris vermium copiam generat: ita ciborum abundantia, multitudinem peccatorum, et ineptarum ratiocinationum et insomniorum efficit. Ita Climacus. Ebrio autem obversi videntur omnia, umbras pro rebus accipit, totus in tenebras immersus animus ad actionem quamlibet cæcutit, atque in obvia impingit. S. Chrysostomus tractatu de virginitate: Ex gula, inquit, σκοτοδινιαι, και ιλιγγοι, και αχλυες, oculorum obscuritas, et vertigo, et caligo oriuntur.

VII. Piger. Septimo denique, piger in umbra sibi abblanditur. Hæc umbra hederacea Ionæ. Hedera enim seipsa non consistit, sed semper alteri innititur; sic piger alieno se labore firmat, et Ionas iacebat sub umbra desistens a prædicatione. Ionæ 4. v. 5. *Egressus est Ionas de civitate* (Ninive, quam videbat non everti a Deo post quadraginta dies, ob civium et regis pœnitentiam) *et sedit contra Orientem civitatis: et fecit sibimet* (sua unius commoda amat piger) *umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. Et præparavit Dominus Deus hederam* (Hebr. קיקיון *kikaion*, id est, cucurbitam, ut Septuag. vertunt, vel, hederam, ut S. Hieron. Symmach. Aquila et Theodotio) *et ascendit super caput Ionæ, ut esset umbra super caput eius*, in capite pigri sola est umbra,

A nihil præter umbram et quietem postulat. S. Hieronymus Heliodorum domi suæ pigrescentem et labores religiosos fugientem Epistola 1. sic excitat et pungit: Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hyems acta sub pellibus? Ecce de cælo tuba canit: et tu mihi de cubiculo ad aciem, de umbra egrederis ad solem: corpus assuetum tunicis loricæ onus non fert.

Suidas in verbo σκιαποδες, lepidum quid, si non verum, 64.
recenset. *Sciapodes*, inquit, *Lybiæ populus*, οι εν τω καυματι Sciapodes umbra se pedum contegebant.
εκ των ποδων σκιας εαυτοις ποιουσιν, *qui in æstu umbra se pedum protegunt, apud occidentalem oceanum, intra zonam torridam; hos dicunt habere plantas tota corpore maiores: quod vero non habeant domos, sed æstu consumantur quadrupedum instar ingredientes, altero pede erecto reliquum corpus obumbrare*. Effigies hæc nativa est divitum huius sæculi: Primo, quia in æstu passionum vivunt, avaritia, luxuria, ira, gula, et cæteris animi commotionibus agitati et succensi. Secundo, deliciarum umbras amant. Tertio, in Occidente sunt gratiis et luce spoliati. B Quarto, plantas toto corpore, imo et mente maiores habent, toti ad terrena effusi, in reliqua exiles et aridi. Quinto, domos non habent, in quas animus eorum colligatur, toti ad exteriora intenti, secum habitare nescii. Sexto, quadrupedum instar incedunt, prona in terram obtutu, de terra sola cogitant. Septimo, pede altero caput obtegunt, cum de divitiis gloriantur, seque aliis præferunt, atque in illis se contra cæli potestatem tueri contendunt: altero autem terram premunt: ab hac enim humo divellere se nequeunt.

Hæc peccati umbræ totum hominem obtenebrant: nempe eius intellectum, voluntatem, memoriam, sensus omnes. 65. Peccati umbræ totum hominem tenebris opplent.

Primo enim intellectus obscuratur per peccatum, a sole enim iustitiæ recedit, Ps. 143. v. 4. *Homo vanitati* (Symmachus, ατμω, id est, *vapori*: vapores densi lumen solis impediunt. S. Hieron. ait hominem esse umbram) *similis factus est. Dies eius sicut umbra prætereunt*. Hebraice, C velut umbra pertransiens. In hæc verba S. Greg. Ps. 4. pœnitent. *Diem*, inquit, *sicut umbram primus homo habuit, quando se a facie conditoris abscondit. Nam inter opaca nemorum latere voluit, ut ex hoc quoque potenter ostenderet, quas cæcitatis umbras pertulisset*. Ostendit deinde illius cæcitatem, qui Deum ubique esse non crederet, additque ad rem nostram: *Quæsivit ergo umbram corporis, qui prius incurrit umbram mentis: dies namque eius inclinata fuerat, et ideo illi lumen sapientiæ interius non fulgebat. Sol etenim dum inclinat, maiores umbras efficit, et caloris sui magnitudinem paulatim subtrahit*. Et Richardus a S. Laurentio lib. 12. de Laudib. Virgin. Si habes, ait, solem ante oculos tuos, qui sunt intellectus et affectus, ut firmiter credas et diligas, ut vere possis dicere illud 1. Mach. 7. *Domine Deus ad te sunt oculi nostri, ne pereamus*. Fides enim, et dilectio, sunt salus animæ: tunc habes umbram, id est, res umbratiles, scilicet temporaD lia a tergo: et e converso. Item, si habes umbram temporalium ante oculos, nihil aliud diligens nisi temporalia; vel plus diligens temporalia quam æterna, et spem tuam ponens in incerto divitiarum: tunc solem, id est, Christum a tergo posuisti, sicut ipse conqueritur de quibusdam. Ier. 2. 27. *Verterunt ad me tergum, et non faciem*. Ita Richardus.

I. Intellectum.

Secunda, voluntas ab intellectus umbram frigus sentit. S. Gregor. lib. 11. Moral. 26. Cur, ait, cursus vitæ hominis, umbræ potius quam soli comparetur, nisi quia amisso amore conditoris, calorem cordis perdidit, et in sola iniquitatis suæ frigore remanet? II. Voluntatem.

Tertia, memoria ab umbra non est libera. S. Gregor. 4. Moral. 17. *In umbra*, inquit, *mortis sedere est a dilectionis memoria notitia, in oblivione latescere*. III. Memoriam.

Quarto denique, sensus omnes lethalis hæc umbra pervadit. Iobi 40. v. 17. *Protegunt umbræ umbram eius*. Guarricus Abbas serm. 3. in Nativitate S. Ioannis Baptistæ: Heu, ait, tam facile, tam libenter proiicimus nos, et obdormiscimus sub gravi umbra iuniperi spinosæ et in- IV. Sensus omnes.

fructuosæ erboris, tam negligentes et secnri torpescimus, et immorimur curis et desideriis buius mundi. Propterea Leviathan, qui sub umbra dormit, cubile sibi, nisi præcaveamus, ponit in nobis, quia videlicet amicas sibi umbras huius sæculi invenit in sensibus, et affectibus nostris. Istæ siquidem umbræ teste Iob, protegunt umbram eius, quia nimirum curæ et desideria sæcularia, quæ sunt in nobis, umbram nobis abscondunt æternæ domnationis, ut eam non prævideamus, donec in ipsam impingamus. Ita Guarricus.

Umbræ lethales. Umbræ illæ, umbræ mortis sunt, licet nonnumquam viriditate sua et odore nobis illudant. Plin. lib. 17. cap. 12. de umbra iugiandium sic loquitur: Iuglandium umbra gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque iuxta satis. Necat germina ut pinus, sed ventis utraque resistit, etc. Ita ipse. Si urboris umbra corpori ita noxia est: quanto magis umbra peccati est animæ lethifera.

66. Vers 4 2. Pars. In medio tamen umbræ mortis non timet ovis, quæ Christum pastorem habet ducem, comitem et protectorem, vers. eod. 4. Non timebo mala, (licet sint innumera. Hebraice et Syr. malum, q. d. ne unum quidem: id est, qualecumque sit) quoniam tu mecum es. Petavius, σέθεν ποιμένος τυχήσας, te ductorem nactus.

Christus non amat oves timidas. Nota primo, Christus non vult habere oves timidas. Matth. 10. v. 16. dicit Apostolis suis: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum* (Lucæ 10. v. 3. sicut *agnos* inter lupos) ac deinde luporum illorum rabie explicata miram consequentiam infert vers. 26. *Ne ergo timueritis eos:* q. d. non debetis timere. Primo, quia mitto vos. Secundo, quia oves estis et innocentes. Tertio, quia lupi sunt, ideoque eorum rabiem contundam. Versu deinde 28. addit: *Nolite timere eos*, et 31. Nolite ergo timere, q. d. si velitis, non timebitis, cum vera timoris causa non subsit Deo vos tutante, et omnis malitia sit infirma, et virtus infracta et invicta. Hinc S. Hermas Pauli discipulus lib. 2. Pastoris, mandato 7. *Diabolum*, ait, *ne timeas: timens enim Dominum dominaberis illius, quia virtus in illo nulla est. In quo autem virtus non est, is ne timendus quidem est: in quo autem virtus gloriosa est, is etiam timendus est.* Vir iustus Leoni comparatur, et quidem confidenti absque terrore. Proverb. 28. v. 1. Impius vero lepore fugacior et timidior est. Recte illum conferas militibus Andronici Iunioris Imper. de quibus tradit Gregoras lib. 9. historiæ, cum panicus terror castra corripuisset, fœdam se in fugam coniecerunt, tantaque extitit consternatio, ut stantes milites quidam expirarint præ pavore.

67. Ovis præsens pastori suo Christo non timet ob quatuor rationes. Nota secundo, Si vis non timere, Iesum ad te advoca, aut ab eo pete, ubi habitet; cum cum repereris, ab eo ne discede. Dic illi, non timebo mala, *quoniam tu mecum es.* Paulus dicebat Philipp. 4. 13. *Omnia possum in eo* (intro enim, cum eo, per eum) *qui me confortat.* Gr. ἐνδυναμοῦντι, id est, qui me intus corroborat, potentem, validum et fortem efficit. Dat etiam auxilia externa. Hinc S. Augustin. lib. de ovibus, qui tom. 9. extat cap. 2. *Si de pastore homine securum est pecus; quanta debet esse nostra securitas pascente Deo? non tantum quia pascit nos, sed etiam quia fecit.* Habet omnes conditiones boni pastoris ad oves securas reddendas.

I. Quia pastor est amans. Primo enim, oves suas amat, et salvas esse vult. Ezec. 34. 22. *Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam.* De Patre æterno dicit Christus Ioan. 16. 27. *Ipse pater amat vos*, cap. autem 10. 11. asserit se esse pastorem bonum, qui animam suam ponit pro ovibus suis. Scit quanti fiant oves a patre Matth. 18. 14. *Non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.*

II. Vigilans. Secundo, Christus est pastor pervigil, ut videat lupum venientem de die et nocte. Ps. 120. 4. *Ecce* (vox exultantis et gratulantis) *non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel*, id est, populum Israeliticum, et Christianum in eo figuratum. Dicebat Iacob insomnes se noctes duxisse, ne qua ovis de gregibus Laban soceri sui deperiret, Gen. 31. 40. *Die noctuque æstu urebar et gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis.* Adeo me ardentem et sollicitum videbat, ut ne aggredi quidem me auderet. Sed longe tutiores sumus sub vigilante Christo. Auctor lib. de ovibus cap. 2. Quanta, inquit, felicitas est esse gregem Dei, si quis cogitet, fratres: etiam in istis lacrymis et in istis tribulationibus magnum gaudium concipit. Neque enim in eius grege est, quem lupi possunt flagellare, aut cuius somnium possunt captare prædones.

III. Constans. Tertio, numquam recedit a grege, sed constanter cum eo manet. Is. 43. 1. *Hæc dicit Dominus creans te* (novam creaturam efficiens per gratiam) *Iacob, et formans te Israel* (duas tribus, et tribus etiam decem) *Noli timere quia redemi te* (ex Ægypto, a Babylone, a dæmone) *et vocavi te nomine tuo: meus es tu.* Hinc subdit vers. 2. constantiam permansionis suæ cum ipsis in omni periculo et necessitate. *Cum transieris per aquas, tecum ero et flumina non operient te* (alludit ad transitum maris rubri et Iordanis) *cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te.* Alludit ad Abraham eductum de Ur, id est de igne Chald. Vide Ps. 17. 1. et 26. 1.

IV. Fortis. Quarto denique, fortis est Iesus, ut leones ipsos conterat, Ps. 57. 7. *Molas* (id est, molares dentes) *leonum confringet Dominus.* Fortior est Davide qui leones et ursos persequebatur, percutiebat, et suffocatos interficiebat, recuperata quam ceperant præda 1. Reg. 17. 34. Christus ipse de ovibus suis ait Ioann. 10. 27. *Ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum: et non rapiet quisquam eas de manu mea.* Sapiens ait Sap. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget eos tormentum mortis.* Græc. Syr. et Arab. non attinget eos cruciatus. Ioan. 18. 9. ait Christus patri suo: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

68. Ex his colligant duo, qui pastores sunt. I. Deum ad oves advocare et eas ad Deum ducere. Hinc collige, si pastor es, Primo omnibus modis eniti debes ut Deum ad oves tuas advoces, ut eas ad illum ducas. Hinc sacerdos toties in missa orat, et versus ad populum dicit: *Dominus vobiscum*, quam salutationem S. Dionysius Eccles. Hier. cap. 3. vocat divinissimam, hagiographarum tabularum mysticam, et supramundanam recitationem. Respondet populus *et cum spiritu tuo*, orans eodem modo, ut quem habet in ore, habeat etiam in corde, et sic preces eius Deo fiunt acceptæ. Guilielmus Minadensis Episcopus lib. 4. Ration. capite de salute ad populum: *Huiusmodi*, ait, *mutuæ salutationes notant, quod sacerdotis et populi unus debet esse affectus. Et est sensus. Tu pro nobis facturus es preces ad Dominum: et quia Dominus Deus illas tantum preces approbat et exaudit, quæ ex bono corde procedunt, oramus et nos similiter pro te ut ille, sine quo nullum est bonum, sit cum spiritu tuo: ut, qui tecum est in ore, sit et in corde, et maneat.* Addit aliam etiam rationem. *Potest etiam dici, quod in hac responsione populus se refert solum ad actionem immolationis, ad quam sacerdos procedit, in qua per spiritum totaliter elevatus, et ab omni terrenitate prorsus abstractus esse debet.* Gabriel Angelus salutans Deiparam ait illi Lucæ 1. v. 28. *Dominus tecum*, supple, est. Unde S. Bern. serm. 3. super Missus est, dicit: Quid mirum, si gratia plena erat, cum qua Dominus erat? etc. fuse. Deus dixit Iosue cap. 1. vers. 5. *Sicut fui cum Mose, ita ero tecum*; et ad S. Paulum Actorum 18. 10. *Ego sum tecum.* Paulus optat Thessalonicensibus 1. Epist. 5. 28. *Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum* (sit) *Amen.* Azarias Propheta filius Obed, facto in se spiritu Dei egressus est in occursum Asa Regis Iuda post profligatum ab eo Zaram Regem Æthiopum, qui cum mille militum millibus, id est, cum uno millione militum, se in Iudæam infuderat, ait 2. Paral. 15. 2. *Audite me Asa et omnis Iuda et Beniamin, Dominus vobiscum* (est et fuit) *quia fuistis cum eo.* Hæc sunt sibi invicem correlata: sis cum Deo, et ipse erit tecum, sed tecum non erit quin te exornet, recreet, fortificet. Angelus ait Gedeoni frumenta excutienti et purganti ut fugeret Madianitas Iudic. 6. v. 12. *Dominus tecum* (est et erit: vel, sit) *virorum fortissime*, q. d. ideo tecum est Deus, quia tu es fortissimus; 2. quia purgas frumenta, amat Deus animum purum; 3. quia fugis Madianitas impios et idololatras. Non habitat in conspectu Dei malignus. Vel,

q. d. Angelus: ideo quia tecum erit Deus, eris fortissimus virorum. Nam Deus tibi vires et animæ et corporis augebit: ut patuit, quando cum trecentis militibus male armatis centum triginta quinque Madianitarum millia ad internecionem delevit, cap. 7. Sed primus omnium in Scriptura Booz maritus Ruth, dixit messoribus suis eos adiens. Ruth. 2. v. 4. *Dominus vobiscum*, supple, sit. Qui responderunt ei, Benedicat tibi Dominus. Booz autem vivebat ante Gedeonem: sive tantum unum Booz ponas cum Abulensi, Serario, Salmerone, Barrad. et Maldonato: sive tres cum Lyrano, Genebrardo, Catharino, Iansenio et Saliano. Nam ultimus eorum tempore Baraci Iudicis probabiliter ponitur a Cornelio, et aliis. Ex quindecim enim iudicibus qui ante Reges populum Israel rexerunt, quartus fuit Barac, quintus Gedeon.

69. II. *Præsentiam suam a grege non subtrahere.* Collige secundo, si pastor es, sollicite tibi assistendum esse gregi tuo, nec præsentiam tuam illi esse subtrahendam. Si enim Deus cum illo esse amat, cur non tu? si Deus pro eo vigilat, dormire audebis? Si quid tua culpa pereat, id a te repetet Deus. Ezech. 34. v. 10. *Ecce ego ipse super pastores* (Chald. super gubernatores mittam furorem meum) *requiram gregem meum de manu eorum, et cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.* Iusta pœna talionis puniuntur, ut qui aliis non provident, a Deo deserantur. Herodotus lib. 9. narrat in Apollonia in Ionico sinu fuisse oves sacras Soli, quæ interdiu secundum flumen pascuntur, quod e monte Lacmone per Apolloniatem agrum fluit in mare, iuxta Oricum portum. Eas noctu stabulantes in antro, non procul ab urbe, custodiunt delecti viri, divitiis et genere inter populares suos splendidissimi, singulis annis singuli, quod ex oraculo quodam Apolloniatæ eas oves permagni faciunt: ibi Evenius quidam cum aliquando delectus ad custodiendas oves, obdormisset, ingressi antrum lupi oves circiter sexaginta iugularunt: ideo Apolloniatæ Evenium visu privaverunt. Ita Herodotus. Cæcitate percutitur a Deo, qui pro ovibus sibi creditis non vigilat. Cave sis cæcus, et dux cæcorum, ne cum iis in foveam cadas.

ARTICULUS. VII.

Christus pastor moderata et paterna severitate oves suas in officio continet.

70. *Vers. 4. 3. Pars. Christus virga regit oves. Hebraicorum temporum mutatio.* OCTAVA proprietas Christi pastoris est severitas vers. eodem 4. VIRGA TUA ET BACULUS TUUS (Chald. et lex tua:) IPSA ME CONSOLATA SUNT. Syr. Arabs, Chaldæus, Hebr. me consolabuntur. Vatablus, me consolantur. Pro tempore præsenti, præterito et futuro inserviunt. Hebraica enim verba late patent in suis temporibus, et futurum sæpe pro præterito et præsenti ponitur, ac præteritum vicissim pro futuro et præsenti quo Hebr. carent.

Quæres, cuius rei virga et baculus sint hic symbola?

71. I. *Baculus et virga pro correctione sumuntur.* Primo S. Augustinus, baculum et virgam sumit pro eadem re, nempe pro punitione et correctione: diversa tamen: longe enim levius est virga quam baculo percuti. Verba eius sunt: *Disciplina tua tamquam virga ad gregem ovium, et tamquam baculus iam ad grandiores filios, et ab animali vita ad spiritualem crescentes, ipsa me non afflixerunt magis quam consolata sunt: quia memor es mei.* Virga est pro ovibus et agnis, baculus pro maioribus animalibus.

72. II. *Virga est correctio: baculus sustentatio.* Secundo, virgam habet pastor ad correctionem, baculum ad sustentationem. Hinc Arias vertit: *Virga tua, et fulcrum tuum* (Felix et Caietanus, pedum tuum, id est, baculus pastoritius. Petavius, σίβαρον χαλκόροπον, forte pedum) *ipsa me consolabuntur.* S. Augustin. in Epistola ad Ianuarium de recipiendis lapsis. Accipiet, inquit, virgam correptionis, et baculum qui sustentare possit infirmum. S. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 304. ad Theognostum: *Virga*, inquit, *me ad animi attentionem et vigilantiam erudisti. Quoniam autem flagris affectus ad animi imbecillitatem vergebam, corroborante baculo me fulcivisti.* Ita etiam explicant Didymus, Euthymius, Ludolphus, et alii. Sic Ps. 17. 19. ubi legimus, *Factus est Dominus protector meus.* S. Hier. vertit, firmamentum meum. Arias fuit in fulcrum mihi. Pagnin. baculus mihi. Hebr. enim est ibi, sicut in psalmo nostro מִשְׁעָן *mishan*, id est, sustentaculum, fulcimentum, baculus, eo quod illi innitamur et eo fulciamur. Rad. *sahan*, fulcire, inniti, sustentare. Eam sententiam secutus sum in analysi.

III. *Virga est directio viæ, baculus sustentatio.* Tertio. S. Thomas per virgam intelligit directionem viæ, Ps. 44. 7. Virga *directionis virga regni tui.* Per baculum vero, sustentaculum. Tob. 5. 23. *Baculum senectutis nostræ tulisti et transmisisti a nobis.* Scipio cognomen fuit Corneliorum, cui P. Cornelius initium dedit, qui quod patrem cæcum vice scipionis seu baculi regeret, primus id cognominis est sortitus, et ad posteros suos transmisit.

73. IV. *Et optime, virga et baculus sunt pedum pastorale.* Quarto denique, et commodius, virgam et baculum pro eodem sumemus, nempe pro pedo pastorali: neque enim solent pastores alia virga uti. Itaque ait David: *Virga tua, et* (id est) *baculus tuus.* To enim *et*, sæpe est exegeticum seu explicativum) *ipsa me consolata sunt.* Sumere autem potes tam virgam quam baculum pro castigatione aut sustentatione. Nam baculo suo, id est pedo pastorali, pastor oves corrigit et dirigit, 1. illis ostendendo, quasi eo esset percussurus; 2. sono ferri in extremitate positi terrendo; 3. collectam terram in eas errantes conliciendo; 4. molli brachio eas tangendo illo baculo. Si virgam a baculo placet dividere, dic cum S. Bernard. virga regi oves et corrigi, baculo lupos et alias feras arceri. Sic enim ait: *Pastor portat virgam et baculum, illam ovibus, istum lupo, omnia autem propter electos.* Sed, ut dixi, virga et baculus idem sunt et ad utrumque usum sufficit unus baculus seu pedum. S. Ambros. id ostendit in cap. 1. Epist. ad Hebr. referens verba Ps. 44. Virga æquitatis, virga regni tui: sic enim ibi ait: *Virgam, regulam divinæ significat æquitatis, quæ veraciter recta dicitur, quia nulla pravitate curvatur: virga ista iustos regit, impios percutit. Hæc virga nempe, fortitudo invicta est, et æquitatis rectissima atque inflexibilis disciplina.*

74. *Virga triplex in Scriptura: nempe regum, pastorum, pontificum.* Nota, virga triplex legitur in Scriptura. Prima est regum, secunda pastorum, tertia pontificum. Prima rebelles subiugantur, secunda oves ducuntur, tertia filii reguntur. Prima enim valet ad vitiorum expulsionem, secunda ad morum compositionem, tertia ad virtutum ordinationem. Prima est Virga Ioseph, qua ei Ægyptii subiiciuntur, et cuius summitatem Iacob adoravit, Heb. 11. v. 21. Secunda est virga Mosi, qua serpentes Pharaonis absorbentur, Exod. 7. 12. et mare rubrum dividitur, Exod. 14. 16. Tertia est virga Aaron, quæ floruit, et frondnit, et fructum fecit, et qua Aaron dignus sacerdotio ostenditur, Numer. 17. 8. Prima virga egreditur ex aromatibus myrrhæ, secunda ex aromate thuris, tertia ex aromatibus universi pulveris pigmentarii. Ugo. De pastoris virga nunc sermo, ad alias tamen, quæ dicturus sum, pertinebunt.

75. *Pastori oves corrigenti necessariæ sunt quatuor virtutes.* Quæres igitur primo. Quænam sunt necessaria, ut virgæ percussio oves consoletur? Resp. quatuor virtutes pastori corrigenti esse necessarias.

I. Charitas. Primo quidem, charitatem in primis esse necessariam. Vinum non affudit bonus Samaritanus sine oleo, Lucæ 10. 37. Deus iussit simul, imo et ante virgam Aaronis, reponi prope arcam in sancto sanctorum urnam auream, in qua esset manna, suavissimus Hebræorum cibus, Heb. 9. 4. in arca erat lex tantum, 3. Reg. 8. 9. ad servandam legem virga et manna, id est, severitas et lenitas, requiruntur. S. Gregor. 2. parte Pastoralis cap. 6. *Disciplina*, inquit, *vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet, et iuste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina.* Hinc namque est, quod docente veritate per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum eius vulneribus adhibetur: ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus præ-

sit, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Ita S. Gregor. qui paulo post addit ex psalmo nostro locum, quem explicamus: *Virga*, inquit, *percutimur, baculo sustentamur. Si est ergo districtio virgæ, sit et consolatio baculi, quæ sustentet. Sit amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plusquam expediat, parcens.* S. Fulgent. lib. de Incarnatione: Una est, inquit, manus boni patris, quæ filio et cibum tribuit, et flagellum: aut ut vivat, aut ut bene vivat: aliud, ne infirmitate deficiat, aliud, ne indisciplinatus paterna præcepta contemnat: quem enim diligit Dominus, corripit, flagellat autem omnem filium, quem recipit. Vide dicta Ps. 29. 5.

76. II. Prudentia. Secundo, pastori oves suas castiganti necessaria est prudantia. Ier. 1. 11. *Virgam vigilantem ego video.* Viegas in Apocal. cap. 15. comment. 1. sect. 1. exponit *Virgam oculatam.* Ægyptii Osirim suum quasi regem omnia cernentem et prudentissime rebus omnibus providentem pingebant velut sceptrum, habens in se oculum insculptum, ut ait Macrob. lib. 1. cap. 21. Eos, qui sensibus, velut pecori, affatim præbent omnia, quæ desiderant, Philo lib. de Agricultura vocat κτηνοτροφους, id est, pecuarios; eos vero vocat ποιμενας, id est, pastores, qui delectu necessariarum rerum habito, quæ commodissime sunt, iis præbent, recisa et amputata inutili superfluaque copia, quæ non minus nocet quam inopia. κορη γαρ υβρις εγγονον γνησιον, *saturitatis enim germana proles est petulantia. Per eam petulantiam saltitant, et contempto rectore vagantur, solvuntque stipatum antea gregis ordinem. Ad eumdem modum*, τα των αισθησεων θρεμματα, *pecus sensuum, quando intellectus supine se gerit et ignaviter, avide saturatum copia rerum sensibilium*, απαυχενιζει και σκιρτα, *cervicem iactat et subsultat, impingens in omnia visui patentia, vel quæ videre nefas est. Auribus quoque voces recipiens insatiabiliter, etc.*

Quanta prudentia requiritur, ut ægrotos cures et resectione tamen necessaria non exasperes? S. Ioan. Climac. lib. de officio pastoris. Contrista ad tempus, inquit, infirmantem, ne infirmus longo tempore maneat, et langueat atque moriatur *ex silentio maledicto.*

Quæ misceat amara dulcibus. Miscenda sunt sapienter amara dulcibus et castigatio mollienda beneficiis, auxilioque subinde præstito temperanda. Innocentius III. tract. de myster. Missæ. Ideo, ait, *baculus Episcoporum est acutus in fine, rectus in medio, retortus sive recurvus in summo: quia Pontifex debet pungere pigros, regere debiles, corrigere vagos.* Tholosæ in Ecclesia S. Stephani lapis est marmoreus vetustissimus, in quo sculptæ sunt sanctorum Petri et Saturnini imagines: Saturnini autem cum baculo incurvo, illique versus subscribitur: *Curva trahit, quos recto regit, pars ultima pungit.*

Oves sunt animalia stulta. In ovibus præsertim regendis adhibenda prudentia est: quod, ut ait Plinius lib. 8. cap. 49. Quam stultissima animalium lanata. Et Libanius in Progymn. τοιουτον, ait, το γενος ευηθειας γεμον, genus hoc plenum est stultitia. Columella lib. 7. cap. 3. dicit oves esse omnis rationis ignaras. Aristot. lib. 9. histor. animal. προβατων ηθος, inquit, ευηθες και ανοητον, παντων γαρ των τετραποδων κακιστον εστι. *Ocium ingenium simplex ac stultum. Si quidem est omnium quadrupedum incertissimum.* Prorepit in deserta, nulla de causa, ac sæpe hibernis mensibus foras e septis digreditur. Cumque a nivibus occupatum fuerit, nisi pastor compulerit, discedere non vult: sed relictum cessansque perit, nisi pastores adduxerint marem: nam ita demum consequuntur. Ita Aristoteles. Itaque prudens severitas sæpe necessaria est. S. Greg. 2. parte Pastoral. cap. 6. paucis multa complexus est: *Curandum*, inquit, *ut rectorem subditis, et matrem pietas, et patrem exibeat disciplina.*

77. III. Fortitudo est necessaria. Tertio, pastori oves suas corrigenti necessaria est mentis fortitudo, qua intellectui brachium adiungat. S. Ambrosius in 1. Epistola ad Hebræos cap. 1. virgam vocat *fortitudinem invictam.* Per hanc enim ab hostibus servantur animæ virtutes et gratia, quæ sine illa perirent. Ut enim ait S. Hieron. Epist. 127. mansione 23. *Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis; unde et quodam Psalmo postquam Propheta dixerat: Dominus regit me, in loco pascuæ ibi me collocavit, iungit timorem: Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et est sensus: Dum tormenta formido, servavi gratiam quam acceperam.* Hinc in consecratione Episcopi, cum illi datur baculus, dicitur: *Accipe baculum pastoralitatis* (vel, ut Durandus in Rationali loquitur, pastoralis officii) *ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens.* In libello autem qui ordo Romanus vocatur, in traditione baculi hæc dicenda ponuntur. Accipe baculum pastoralis officii, potestatem ligandi atque solvandi, *et sis in corrigendis vitiis perseverans*, iudicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. Ita ibid. Vel, ut in eodem libro continetur, pastori consecrando dicitur, Accipe baculum sacri regiminis signum, ut imbeciles consolides, titubantes confirmes, pravos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasque potestatem erigendi dignos, et corrigendi indignos cooperante Domino nostro.

Non ovibus tantum sed ipsi pastori noxia est nimia facilitas et lenitas, eum enim facit contemptibilem. Philo lib. de agricult. χρηστοτης, ait, πραγμα ευκαταφρονητον, *benignitas res est contemptibilis, utrisque tam principibus quam subditis noxia.*

Quarto denique, pastori oves suas corrigenti constantia adhibenda, ne tædio victus aut emendationis desperatione a remediis adhibendis desistat. Ieremias in emblematis sapientiæ *virgam nuceam* primum vidit; sive, ut Noster interpres habet, *vigilantem.* Commode utrumque, curam alterum, alterum laborem insinuat. Virgam illam nuceam sacramentum sacerdotale nominat Origenes hom. 9. in Numer. et eum secutus S. Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 50. υποθεσιν ιερωσυνης, insigne atque ornamentum sacerdotii, quod propter duriorem corticem et insuavem Præsules moneat et liturgos τα επιπονα της ιερωσυνης, labores hierarchicæ vitæ multos et magnos, qui sacro muneri comitantur generose et non æquo solum, sed libenti animo tolerare. Ita Cresolius noster lib. 3. mystagogi. cap. 41. labor est annexus pastorum officio. Unde S. Gregor. Nyssen. tract. de scopo Christiani docet, debere in præfectura constitutos, μειζονα των αλλων πονειν. Maiorem quidem quam alios laborem suscipere, demissius vero subditis se gerere. S. Leo Epistol. 93. cap. 6. Qua conscientia, inquit, honorem sibi sacerdotii præstitum vendicant, qui pro animabus sibi creditis non laborant. Bestiæ irruunt, at ovium septa non claudunt. 78. IV. Constantia.

Non tantum in ovibus regendis et corrigendis constantia et fortitudine opus est, sed etiam in lupis arcendis, nisi abiecti animi notam incurrere velimus et Deo displicere. S. Gregor. 2. p. Pastoral. cap. 4. de Pastoribus in hunc modum conqueritur: *Sæpe*, ait, *rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes loqui libere recta pertimescunt, et iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: Canes muti non valentes latrare. Hinc rursum queritur, dicens: Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. Ex adverso quippe ascendere est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire: et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex iustitiæ amore resistere.* Lupi sunt fortiter et constanter arcendi.

79. Symbol. Virgæ quatuor sunt in Scriptura. Symbolice, Virgas quatuor Patrum nobis auctoritas offert, quibus amanter, prudenter, fortiter et constanter ovibus et nobis ipsis provideamus.

I. Est Deipara. Primo est virga materna et amoris tenerrimi plena. Nempe B. Virgo ut ait Chrysost. in catena Barbari. De illa Isaiæ 11. 1. *Egredietur Virga* (Symmach. germen) *de radice Iesse* (id est, Isai patris David Regis) *et flos de*

rodice eius ascendet. Deipara est virga, illius virgæ flos est Christus, radix est familia Davidis, qui idem est atque amabilis. Nihil ibi est quod non sit amabile. Chald. vertit: Egredietur Rex de filiis Iesse, et Christus de filiis filiorum eius augetur. Vide S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5. et lib. de benedict. Patriarc. cap. 4. Beata Virgo dicitur virga, quia habet has proprietates virgæ. Plana, plicans, gracilis, mensurans, recta, rotunda. Percutit, irritat, cortice tecta, canes. Ita Ugo hoc loco.

80. II. Christus. Secunda virga assumenda pastori animarum est Christus et devotio erga ipsum atque eius imitatio, sic prudenter regit; Christus enim est sapientia Patris. S. Cyrillus Alexandrinus in Zachar. locum psalmi nostri interpretatur de Christo. S. Ambr. lib. 5. de Sacram. cap. 3. virgam ait denotare Christi deitatem et imperium, baculum vero, eius passionem. Sic enim dicit: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga imperium, baculus passio est: æterna divinitas Christi, passio temporalis. Illa creavit, hæc redemit.* Christus dicitur virga virtutis, id est, virtuosa, potens, infra. Ps. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ* (id est, humanitatem tuam, ait Arnobius) *emittet Dominus* (Deus pater) *ex Sion.* Dicitur virga directionis, id est, dirigens. Ps. 44. 7.

81. III. Crux eius. Tertia virga pastori assumenda et gregi ostendenda est crux Christi, sic fortiter, et efficaciter reget. Virga dicitur quasi vi regens, summa vis et robur atque efficacia est in cruce, tum ad arcendos lupos, tum ad incitandas oves. S. Zeno sermone de Iuda ait, virgam cum baculo designare crucem: oleum, donum Spiritus sancti: calicem, sanguinem: mensam, corpus Christi. Ugo Cardin. dicit crucem habere proprietates baculi, quas his versibus comprehendit. Pastor habet baculum, peregrinus, senex, pugil, æger. Fortis ferratus ferit, arcet, sustinet uncus. Hic est baculus Iacob, cum quo transivit Iordanem. Unde ait Gen. 32. v. 10. *In* (eum) *baculo meo transivi Iordanem istum* (pergens solus in Mesopotamiam ad Laban) *et nunc cum duabus turmis* (gregum, et liberorum) *regredior.* Cum hominibus et Angelis Christus in cælum patriam suam regressus est, qui baculo crucis transiverat Iordanem, id est, fluvium iudicii, a Pilato et Iudæis ad mortem damnatus. Vel melius, crux est vir Mosis dividens aquas maris rubri. Exodi 14. vers. 16. ait Deus Mosi. *Tu autem eleva virgam tuam* (crux elevanda et in honore est habenda) *et extende manum tuam super mare, et divide illud: ut gradiantur filii Israel in medio mari* (etiam in gravissima afflictione) *per siccum.* Crux autem erigitur Pastoris manu, id est, operatione, tunc fortis est cum crucem primus tenet, et vincit hostes, sicut Moses Amalecitas orans et tenens virgam manu in monte Horeb. Exod. 17. v. 9. Non satis tenere crucem, cum egrederis Ægyptum initio vitæ purgativæ: sed in ipso deserto religionis aut vitæ arctioris eam constringe: hostes enim non desunt. Illa ubique te servabit. Theodoretus in psalm. nostr. ait virgam esse σωτήριον σταυρόν, salutarem crucem. Nam signo atque memoria huius ab hostibus dæmonibus liberamur, atque εἰς ἀληθῆ τρίβον, in veram viam deducimur. Ita Theodor. Ad rem nostram est, quod virga Mosis, patratrix miraculorum, erat illud ipsum pedum pastoritium, quo ducebat et regebat oves, cum quadraginta annis fuit pastor in regione Madianitica apud Iethro socerum suum. Crux est virga pastorum, unde præfertur Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, legatis Pontificiis, ipsique Pontifici.

82. IV. Pœnitentiæ sacramentum. Quarta virga pastori assumenda et gregi ostendenda, est pœnitentiæ sacramentum, sic constanter reget. Si enim nonnumquam grex aberret, cadat, vulneretur, illa virga revocabitur, erigetur, sanabitur, non septies tantum sed septuagies septies. Matthæi 18. v. 22. Hæc est virga Mosis devorans omnes serpentes Ægyptiorum incantatorum, Exodi 7. 12. et virga disciplinæ stultitiam fugans gregis aberrantis, Prov. 22. 15. *Stultitia colligata est* (per depravationem naturæ, et per malos habitus) *in corde pueri* (multi sunt pueri centum annorum. Syr. vertit. Stultitia avolare facit cor pueri) *et virga disciplinæ* (Vatabl. ferula castigatrix) *fugabit eam.* Vatabl. longe propellet eam ab illo. De sacramento pœnitentiæ explicat virgam et baculum psalmi nostri Burgensis: de virtute etiam pœnitentiæ idem potes dicere.

Quæres secundo. Quinam sunt effectus virgæ et baculi pastoralis? Respond. cum Davide, *ipsa me consolata sunt.* Chald. explicat, cum vertit, prout legit apud Nebiensem: Castigationes tuæ et lex tua ipsæ me consolatæ sunt. Oritur autem consolatio ex illa castigatione propter quinque. 83. Castigatio pastoris lætitiam dat ob quinque causas.

Primo, quia est signum paternæ dilectionis. Proverb. 3. 12. *Quem diligit Dominus, corripit.* Septuag. arguit. Pagnin. increpat. Syr. erudit) *et quasi pater in filio complacet sibi.* Vatab. amat unice. Illum locum sic citat Paulus agens de reali verberatione et flagellatione. Heb. 12. 5. *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Secutus est Sept. interpretes. De verbali etiam castigatione et correptione exponi potest. Glossa ad rem nostram aptissime: *Tanto minus de flagello, quo castigamur, murmurare debemus, quanto certius in eo pignus paternæ dilectionis tenemus.* I. Est signum paterni amoris.

Secundo, virga illa et correctio, peccata veluti pulverem excutit. Ex illa autem purgatione et emendatione vitæ oritur delectatio. Ierem. 1. 11. *Virgam vigilantem ego video.* Theodotio vertit, virgam amygdalinam: alii, nuceam. Quod expendens S. Hieron. notat in amygdalo reperiri amaritudinem corticis, et suavitatem fructus: in correptione similiter esse aliquam quidem amaritudinem, sed fructum suavem. Verba eius sunt: *Ista est virga vel baculus, de qua loquitur David Ps. 22. Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt, pulchreque posuit, consolata sunt. Ad hoc enim Dominus corrigit, ut emendet. Et quomodo nux sive amygdalum amarissimum habet corticem, et testa durissima cingitur, ut detractis austerioribus et duris fructus dulcissimus reperiatur. Sic omnis correptio, et labor continentiæ, amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos.* II. Peccata excutit.

Tertio, ex illa virga et flores et fructus virtutum pullulant: ideo animus consolationem habet, cum videt se ex illa correptione proficere. Genes. 43. v. 11. ait Iacob filiis suis in Ægyptum profecturis ad quærendum frumentum et sustentandum familiam suam: *Sumite de optimis terræ frugibus* (Hebr. *de cantatione terræ*, id est, de rebus præstantissimis et decantandis atque laudabilibus) *in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ* (est succus, qui vocatur Galbanum, et fluit ex ferula arbore in Iudæa et Syria) *et mellis et storacis* (storax est lacryma arboris, quæ styrax dicitur) *et stactes* (stacte est lacryma myrrhæ sponte fluens) *et terebinthi et amygdalarum.* In quæ verba Ugo Cardin. Amygdala inquit, sunt cibi infirmorum, et significant compassionem prælatorum erga infirmos, quam corrigendo debent prælati infirmis, quos increpant. Unde Num. 17. legitur virga Aaron amygdala protulisse. Steriles autem virgas habent prælati, qui sine compassione, et cum austeritate imperant, ut legitur Ezech. 34. Ita fieri non debet, sed sit virga correctionis fructifera per consolationem: sit et fructus virgineus per correptionem. Virga corripiat reum, fructus lætificet ægrum: ita Ugo. Notare etiam potes ibi dulcia misceri amaria, verbi gratia, mel myrrhæ. Quod autem virga correptionis et disciplinæ virtutum fructus afferat, modo sit prudens et moderata, docet S. August. tract. de bono disciplinæ tom. 9. *Disciplina*, inquit, *magistra est religionis, magistra vitæ pietatis, quæ nec ideo increpat ut lædat: nec ideo castigat, ut noceat.* Et S. Cyprianus libro de habitu Virginum: Disciplina, inquit, custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac iugiter in Deo vivere, ad promissa cælestia et divina præmia pervenire. III. Flores et fructus virtutum producit.

Quarto, virga correptionis impedit, ne ovis a lupo devoretur, et anima a dæmone in barathrum trahatur. Itaque mutat pœnas æternas in temporales. Hinc autem oritur magna consolatio. Unde S. Gregor. ait: *Sancti pœnas temporales lucrum putant, quia per has æternas evadere non ignorant.* Et Clemens Alexandrinus lib. 1. pædagog. 84. IV. Lupos arcet.

cap. 7. *Solutori*, ait, *pædogogo, virgam adiungit Prophetia, virgam disciplinæ, imperii et potestatis, ut quibus verbum suadens et admonens non medetur, eos ignis depascatur.* Et paulo post citat Ps. 117. Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me, ac subiungit: *A Domino enim castigari, et tamquam a pædagogo erudiri, est a morte liberari.* Atque in fine addit: *Hæc est pædagogi potestas, venerando et gravis* ἡ παρακλητικὴ ἡ σωτήριος, *consolatoria et salutaris.*

Quinto denique, virga correptionis domum reducit o- A vem, et animam in cælum compellit. Sapient. 3. v. 5. *In paucis vexati* (παιδευθέντες, id est, castigati instar liberorum) *in multis bene disponentur*, μεγάλα εὐεργετηθήσονται, multis beneficiis vel felicitatibus afficientur, ut reddit interpres Clem. Alexandr. lib. 4. Stromatum. Syr. vertit: Exiguum probavit eos, et multum hæreditabunt. Et vero quid est momentanea hæc vita æternitati comparata? V. In domum iro compellit.

Conclude cum Iobo cap. 6. 10. *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore.* Hebr. חילה *chila*, dolore velut parturientis) nan *parcat.* Mulier cum parit tristitiam.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

85. *Duo facit. Primo, Eucharistiæ effectus percenset vers. 5. Secundo, fiduciam suam de auxilio divino sibi semper adfuturo aperit, vers. 6.*

PARAPHRASIS.

Vers. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.*

5. Qui me, ovienlæ instar, optima Ecclesiæ in pascua ducere dignatus es, iam grandiorem factum lauta mensa velut amicum excipis: et tot impetentis mundi, rebellantis carnis ac dæmonis, tum internis, tum externis bellis fatigatum et exhaustum, corporis et sanguinis tui cibo vivifico reficis et restauras. Videant licet atque infremant hostes, sibique occlusos in animam meam aditus intelligant.

Impinguasti in oleo caput meum, et calix meus inebrians, quam præclarus est.

Hac in cælesti mensa, qui corpori animoque teipsum non negas, menti meæ selectissimas Spiritus sancti gratias affudisti, quibus saginatus intellectum meum maiori luce perfundi sentio, ac voluntatem divino hoc igne ardentius inflammari. Sanguine tuo ebria te unum sitit anima, rerum cæterarum ne meminit quidem, eoque potu nihil præstantius aut scit, aut capit.

6. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum.*

6. Nec potentia tantum tua in prælio securus, at liberalitate in convivio hilaris, sed ubique misericordia tua fretus, quæ lateri meo fida comes et dux adhæret, pericula omnia perrumpam omnibus vitæ diebus, quorum nullus, nisi præsto sis, prælio vacat et discrimine. Hæc misericordia tua sæpe lapsantem me fulciet, atque in asylum tuum cæleste conducet, in quo nullis definita temporum circulis quiete perfruar.

QUÆSTIO UNICA.

Quam utilis et suavis Eucharistiæ mensa.

86. Ordo Sectionis. Sectione præcedenti Propheta noster vitam purgativam hominis Christiani sub typo ovis delineavit. Nunc illuminativam, sub amici convivio excepti symbolo proponit, et unitivam sub calicis inebriantis figura.

Christus in Eucharist. dat cibos et gaudia. Ac primo, Christus accedentes ad divinam mensam excipit, velut amicos et hospites, robur illis sufficiens in adversarios, et ad labores perpetiendos, vers. 5. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Deinde roboratos delectat et recreat, *Impinguasti in oleo caput meum.*

Secundo, unitivæ vitæ depingit summam lætitiam et abstractionem a terrenis, vers. eod. 5. *Et calix meus inebrians quam præclarus est!* 2. In eius vitæ progressu constantem selectissimarum gratiarum congestionem, v. 6. *Et misericordia tua subsequetur me amnibus diebus vitæ meæ;* 3. In fine promittit felicitatem æternam. *Et ut inhabitem in doma Domini, in longitudinem dierum.*

ARTICULUS I.

In Eucharistiæ mensa cibos ipse Christus parat.

Cum calor naturalis humidum radicale semper absumat, cibo indigemus, ut quod quotidie perditur, quo-
Vers. 5. I. Pars. tidie reparetur. Ideo servis suis mensam apparat Deus, v. 5. Parasti in conspectu meo (Hebr. coram me) mensam adversus eos, qui tribulant me.

87. Mensam servis suis pa- Quæres, Quænam sit illa mensa? Primo Iansenius mensam illam seu cibos in mensa positos ait esse abundantiam rerum, quas Deus Davidi suppeditavit, q. d. Coram me quasi mensam parasti, vinumque optimum propina- B sti, dum me omnium rerum copia abundare fecisti, ut illis refici et recreari liceat, videntibus etiam hostibus meis et invidentibus, nec tamen impedire meam felicitatem valentibus. rat multiplicem. I. Abundantiam rerum corporearum, tam Davidi.

Secundo Agellius tam ad Davidem, quam ad populum universum hæc refert: parata, inquit, mensa suppeditatio rerum ad vitam necessariarum convenienter accipitur: et vere parasse mensam Deus dicitur, cum David in deserto aluit: citra humanum laborem et industriam Israel quadraginta annorum spatio nutrivit. Aut Israel paravit mensam, quia uberrimam regionem illi attribuit, idque adversus eos, qui illum tribulabant, aspicientibus nempe Philistbinis et inimicis gentibus, illius populi felicitatem, ac iniquo animo et moleste ferentibus, sedibus illis optimis se illi populo cessisse, imo vero inde expulsos esse, in quibus erant rerum omnium copiæ: sicut in benedictionibus Patriarcharum legimus Deuter. 33. terram aliam uni tribui assignatam pecoribus alendis optimam, aliam alteri datam frugibus ferendis aptissimam. C Ita Agellius. Quam cæteris.

Tertio Origen. Euthym. et Bellarm. mensam illam intelligunt de consolatione spirituali, qua tam David, quam alii servi Dei confortantur in suis tribulationibus. Origenes loquatur: *Parasti*, inquit, *mensam adversus eos, qui tribulant me: vel e regione tribulantium me. Latens hoc habet mysterium, ut quemlibet arare oporteat, ut tribulationes patiatur. Nam nulla ab adversariis potestatibus tribulatio infligitur, cui mensa quædam spiritalis non instruatur. Sicut in magnis certaminibus singulo præmia, ita secundum quamlibet tribulationem proposita sunt dona quædam: ita ut tribulationes ab iis facile perferantur, qui spiritalem et intellectualem mensam sibi paratam putant. Tantum oculos tuos in divinas mensas coniicito, ut gratias agens cum Apostolo dicas non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, Rom. 5. 3.* Ibi ait Paulus quod tribulatio patientiam ope- II. Consolationem spiritualem.

ratur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.

88\. *Tropol. Deus parat servis suis mensam, id est, refectionem virtutum.*

Tropologice, Deus parat servis suis mensom, id est, cibum et refectionem fidei, et omnium virtutum. Specialiter do contemplatione, qua mens a Deo saginatur, exponit Richordus Pampolitanus: Parasti, inquit, mensam, id est, refectionem supernæ contemplationis, qua firmor adversus eos, qui tribulant me: id est, qui impugnant charitatem meam et castitatem. Ugo Card. varias mensas bonna ot malas assignat. Bonas quidem primo legis, Exod. 25.23. *Facies et mensam de lignis Setim.* Secundo, Eucharistiæ, 1. Cor. 10. 21. *Non potestis communicare mensæ Christi, et mensæ dæmoniorum.* Tertio, Scripturæ, Proverb. 9. 2. *Sapientia ædificavit sibi domum, et proposuit mensam.* Quarto, gratiæ, Matth. 15. 27. *Nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa, etc.* Quinto, gloriæ, Luc. 22. *Et ego dispono vobis, sicut, etc.* Sexto, pœnitentiæ, 2. Reg. 9.7. *Tu comedes panem in mensa mea semper.* Septimo, prædicationis, Luc. 19. 23. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Octavo, orationis, Ezech. 39. 20. *Saturabimini super mensam meam.* Nono, hospitalitatis, Nehemiæ, 5. 17. *Qui veniebant ad me de gentibus, in mensa mea erant.* Decimo, pietatis, 4. Reg. 4. 10. *Ponamus in eo mensam et sellam.* Undecimo denique contemplationis, Iob. 36. 16. *Requies mensæ tuæ erit plena pinguedine.* Malas vero mensas ait osse primo mensam superbiæ, Isaiæ 21. 5. *Pone mensam contemplare in speculo*, do Balthasar dicitur. Secundo, avaritiæ, Eccl. 14. 10. *In tristitio erit super mensam suam.* Tertio, simoniæ, Ioan. 2. 15. *Numulariorum æs effudit.* Quarto, luxuriæ, 3. Regum 18. 19. *Qui comedunt de mensa Iezabel.* Quinto, gulæ, Isaiæ 28. *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu.* Sexto, idololatriæ, 1. Corint. 10. 21. *Mensæ dæmoniorum.* Septimo, fortunæ, Isaiæ 65. 11. *Qui ponitis mensam fortunæ.* Octavo, fallaciæ, Dan. 1. 8. *Ad mensam unam mendacium loquentur.* Nono, hæreseos, Eccl. 31. 25. *Surge e mensa, et vome.* Decimo, adulationis, Eccl. 29. *Transi hospes, orna mensam.* Undecimo, detractionis, Eccl. 40. 30. *Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cognitione victus.* Ita Ugo.

Mensæ variæ.

89\. *Cibi horrendi quorumdam. Mandi locustas edebant. Zygentes simias. Bisaltæ, equorum sanguinem bibebant. Pontici utebantur vermibus. Afri lacertis. Candei, serpentibus.*

Miramur homines priscos, ac præsertim Arcades ad cibum usos glandibus, ut refert Plinius lib. 7. cap. 2. Mandos locustis, Zygentes simiis, ut Herodotus lib. 4. Bisaltas, equorum sanguine, ut Virgilius 3. Georg. Phryges et Ponticos vermibus, ut Cælius lib. 28. cap. 2. Afros lacertis, ibidem. Budinos, ipsipediculis, ut Sabellicus lib. 6. cap. 1. Iudæos in obsidione Ierosolymæ humano stercore, et humana carne, ut Ioseph de bello Iudaico. Samaritas stercore columbarum, cum obsiderentur a Syris, tempore Ioram Regis sui, et Elisei Prophetæ, 4. Regum 6. 25. Candeos serpentibus, ut alii. Est vero, cur miremur potius, homines cibo potuque voluptatis delectari. Nam illos aut summa inopia, aut extremum vitæ periculum, ad insuetos nobis cibos adegit: hos vero bruta furensque vesania venenum scientes videntesque haurire compellit. S.Chrysost. orat. 7. de Providentia: *Mortiferis*, ait, *venenis nihilo melius hæ mensæ constitutæ sunt: imo vero, si verum dicendum est multo peius. Venenum enim sumentem confestim e medio tollit, et ad vitæ exitum sine ullo cruciatu deducit, ut neque hoc ipso quidem crucietur moriens: deliciæ vero vitam multis mortibus miserabiliorem his afferunt.* Et tract. de Virginitate varios morbos recenset ex crapula procedentes: quos ait sæpe esse, δυσιατους *incurabiles* ut podagram, paralysim, sacrum morbum, lobem et alia.

Peccata sunt cibi illis funestiores.

90\. *Anagog. Mensa cælestis animam explebit.*

Anagogice, Christus parat servis suis in cœlo mensam, id est refectionem perfectissimam animæ per contemplationem, amorem et possessionem ac fruitionem Dei. Ita Origenes, Didym. Euthymius, S. Thomas, Iansenius, et alii. Hæc est cœna magna, ad quam omnes invitantur, Luc. 14. 16. ad quam pergunt et admittuntur Electi, cap. 22. 29. ubi ipse Christus ait: *Et ego dispono* (Gr. διατιθεμαι, id est, decerno, præparo, ac velut testamento lego) *vobis, sicut* (per labores et humiliationem) *disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Est catachresis. Neque enim comedent sancti in Paradiso, sed eorum deliciæ sunt omni nectare et ambrosia suaviores. Deus enim velut in eos transfusus iis quodammodo incorporatur, et idem fit cum ipsis, sicut cibus in nos transformatur, et in nobis vivit.

Symbolice, Christus in Ecclesia sua parat servis suis mensam, id est, sacram Scripturam, per quam 1. vires amissas reparent; 2. se recreent; 3. arescant opere explendo quod gustarunt. Ita S. Hieron. Beda, S. Thomas, Iansenius, Palant. et alii. Verba S. Hieronymi sunt: *Ut iam non lacte quasi parvulus alar, sed solido cibo: id est, ut spirituali dente ruminans Scripturas sanctas, possim perversis resistere. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Mensa est Scriptura divina. Sicut enim in mensa invenitur consolatio et refectio: sic et Sancti per mensam, id est per Scripturam divinam habent consolationem, et refectionem: id est fidem, spem, et charitatem: adversus persecutores Ecclesiæ, qui sunt dæmones, Iudæi et hæretici. Contra istos omnes in Scripturis sacris invenimus consolationem.* Fercula sacræ illius mensæ enucleatius aperit Palanterius, qui sic ait: Parasti mensam in conspectu meo, id est, divinam Scripturam, in qua tot fercula sunt, quot salutares sensus continentur in ea. Qui sunt quatuor: primus, est literalis expositio: secundus, est expositio allegorica: tertius, est moralis: quartus, est anagogica. His quatuor sacræ Scripturæ sensibus, tamquam ferculis, Deus pascit esurientes. Nam primus, est quasi panis hordeaceus: secundus, quasi siligineus: tertius, triticeus: quartus est quasi similagineus. In hac autem pascua collocatur a Deo, qui ordinate studet. Nam tunc loca sacræ Scripturæ intelligit, et spiritualiter pascitur. Ita ipse. 91. *Symbol. Scriptura est mensa Dei.*

Allegorice, et sensu præcipue intento, quem etiam literalem possis dicere, parat Christus mensam suam in Eucharistia fidelibus adversus eorum tribulatores, sive internos, sive externos. Ita S. Chrysostomus, S. Thomas, Cassiodorus, Euthymius, Bruno, Haymo, Ugo, Burgensis, Dionysius, Beda, Lombard. Genebr. Aiguan. Ioann. a Pastura, Palant. Titelman. Iansenius. Hoc clarum esse iis, qui sunt initiati, nec egere declaratione dicunt S. Basilius, et Theodoretus. Conqueritur vero S. Ambrosius lib 5. de Sacrament. cap. 3. et de Elia cap. 10. de initiandis c. 8. aliquoties a multis auditum psalmum istum, neque intellectum hoc modo. In eadem sunt opinione plurimi sancti Patres variis locis. 92. *Allegor. Mensam suam parat Christus in Eucharistia.*

Nota quod Christus ipse eam mensam disponit et præparat. Hoc denotat το *parasti*, q. d. aliis id committere noluisti ob magnitudinem mysterii, sed tu ipse cibum Apostolis tuis in ultima cœna, ac deinde per illos aliis dedisti. In quo ostendit primo suam charitatem: secundo, sapientiam: tertio, liberalitatem: quarto, potentiam, de quo dicetur artic. sequ. 93. *To Parasti, denotat in Euchar. elucere quatuor Christi virtutes.*

Primo, charitas elucet, quia in hac mensa se pro cibo dat Christus, nulla re sibi reservata. Dicebat ipse Ioann. 15. 13. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* In Euchar. autem mensa non animam modo, sed corpus, sed Divinitatem suam ponit Christus pro amicis suis, et consequenter divinitatem Patris et Spiritus sancti, qui non possunt a filio separari. Ideo mensa hæc tota divina est, et divinos facit. Timotheus Presbyter Ierosolymitanus orat. de Simeone, mensam hanc Eucharisticam vocat divinam et mysticam. S. Gregor. Nazianz. orat. 4. πνευματικην και ενθεον, spiritalem et divinam. Concilium Nicænum primum, divinam, in qua Agnus Dei immoletur. S. Athanasius tract. de verbis Evangelii: Quicumque dixerit verbum, etc. Cibum e supernis cælestem, spiritualem alimoniam. Origenes hom. 6. in divers. Sanctum cibum, incorruptum epulum. Apollinaris in paraphrasi, αθανατον τραπεζαν, immortalem mensam. Cibi illius cælestis elogia plurima acervat Albertus Magnus ad cap. 6. Matthæi: *Hic panis*, inquit, *originе cælestis est: substantialiter, Deificus est: causaliter, vivificus est: sacramentaliter, unitivus: effectu, cia-* 1. *Charitatem, qua se dat in cibum.*

ticus est: et specie tenus, æternæ fruitionis designativus. Verbulo concinde, Cibus hic Christus est, quo reficeris et impinguaris. S. Chrysost. homil. 83. in Matth. *Ipsum vides,* inquit, *ipsum tangis, ipsum comedis.* Et homil. 24. in Epist. 1. ad Corinth. Sicut temere et citra discrimen accedere est periculum: ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, λιμος και θανατος, est fames et mors. Beda in Ps. 21. Verus cibus, et verus potus, quo non venter distenditur, sed mens saginatur.

94. II. Sapientiam, in tam mirabili modo suos servos nutriendi.
Secundo, in Eucharistia elucet Christi sapientia, quod sic animas nutriat, et tam mirabiliter Ecclesiæ suæ consulat. Hebr. pro *parasti* est תערך *thaaroc*, id est, *ordinabis*, ut vertit Felix; *dispones*, ut Arias; *instrues*, ut Vatablus. Rad. *orach*, significat ordinare, suo ordine singula disponere, certa ratione et proportione collocare, instruere, apparare. Vernacule dicimus arranger. Christus homines, qui sunt maxime cibi appetentes, ad se attrahit cibo, velut pisces hamo, ut e voluptatis aquis eductos in cælesti portu collocet. Fortunatus in Orationem Dominicam: *Iste panis*, inquit, *non est communis cum reliquo; quia ille corpus protegit, iste novit animas enutrire: et qui illum manducat, esurit: qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur.* S. Hildegardis Epist. ad Moguntinenses, quo cibo animæ salvandorum reficiuntur. S. Gregorius Nyssen. orat. Catechetica cap. 37. *Quomodo*, inquit, *cum quod est exitiale mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale cum fuerit, intra eum, qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam.* Rabanus Maurus lib. 5. de universo cap. 10. Vere, ait, Caro Christi est cibus, quia vere pascit, et ad vitam æternam hominem nutrit: et sanguis eius vere est potus, quia esurientem animam, et sitientem iustitiam, in æternum veraciter satiat. Temporalem quippe vitam sine isto cibo et potu possunt habere homines, æternam omnino non possunt: quia iste cibus et potus æternam societatem capitis membrorumque suorum significat. Ita Rabanus.

95. III. Liberalitatem, qua se totum dat.
Tertio, in Eucharistia elucet Christi liberalitas et magnificentia, quod se totum, nempe corpus, sanguinem, animam, et divinitatem tradat. Secundo, quod omnia bona sua ibi effundat: scilicet, 1. gratiam sanctificantem ex opere operato datam; 2. eam, quæ datur intuitu actionum ipsius operantis; 3. dona omnia Spiritus sancti; 4. virtutes omnes gratiam consequentes, et cum ea infundi solitas, idque copiosius quam in ullo alio Sacramento.

Assueri convivium magnificum.
Præterea admirabilis est hominum multitudo, cui hæc fit liberalitas: nempe totus mundus. Nemo enim excluditur, qui accedere voluerit cum veste nuptiali, quam ipse Christus offert in Sacramento Baptismi et Pœnitentiæ. Esther. 1. 3. refertur, quod Assuerus, id est, Artaxerxes Longimanus, tertio anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis Principibus et pueris suis, fortissimis Persarum, et Medorum inclytis, et Præfectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atque iactantiam potentiæ suæ multo tempore, centum videlicet et octoginta diebus, id est, sex mensibus. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: et iussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti et nemoris, quod regio cultu et manu consitum erat. Orbi universo et omni tempore ac loco convivium suum Christus offert.

96. Augusti cœna, ubi duodecim Dii, irriso.
Augustus Cæsar cœnam clandestinam paravit, teste Svetonio, magno sumptu studioque: in qua ipse quidem Apollinis habitu: cæteri autem convivæ, duodecim Deorum Dearumque ornatu discubuerunt. Irrisus ob hanc cœnam est, et appellatus Apollo, sed tortor: quo cognomine Apollo in quadam urbis parte colebatur: dictumque omne frumentum Deos comedisse: tunc enim inopiæ annonæ erat, et fames. Hic vero Christus Deus convivas deos facit et Dei filios, atque omnibus rerum cælestium abundantiam concedit.

Ælii Veri cœna sumptuosa.
Ælius verus Imper. cœnam duodecim convivis apparavit, sexagies centenis millibus sestertium, ut ait Sabellicus lib. 5. Ennead. 7. Rex quidam Persarum cum quindecim millibus virorum cœnavit, quorum singuli centum circiter et sexaginta nummos Italicos absumpsere in illa cœna, ut tradit Athenæus lib. 4. cap. 6. Sed quid sunt hæc? si cum hominibus totius orbis conferantur, et cum Dei ipsius corpore, sanguine, anima et divinitate, quæ dantur in Eucharistia? Hic est cibus infiniti pretii, qui datur fidelibus. S. Ambros. lib. 6. de Sacrament. cap. 1. *Sicut*, inquit, *verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro, sicut ipse dicit, quam accepimus; et verus eius sanguis, est potus.*

97. Iarchæ cœna magica.
Quod vero Christus sine accedentium labore vel sumptu mensam hanc paraverit, explicare potes per mensas Iarchæ Brachmanum Antistitis, qui cum Medorum Regem convivio vellet excipere, tripodes Pythici quatuor sponte sua in medium processere. Pincernæ vero sub ipsis ex ære nigro fabricati stabant, quales apud Græcos Ganymedes et Pelopes habentur. Terra autem herbis substrata erat, longe etiam mollioribus, quam nostri sint lecti. Fructus autem et panes, et olera, et esculenta tempestiva accedebant, suavius multo præparata, quam si eadem coqui condivissent. Tripodum autem duo vinum fundebant: reliquorum vero alter aquæ calidæ fontem, alter vero frigidæ ministrabat. Ita Philostratus in vita Apollonii, lib. 3. cap. 8. sed vel hæc sunt fabulosa, vel a dæmone fiebant.

98. Christi cœna Angelica, et divina.
Cum Christus in deserto dæmonem fugavit, Angeli accesserunt, et cibis allatis ministrabant ei, Matth. 4. 11. id faciebant tamquam Creatori et Domino suo, ut docet Concilium Constantin. Oecumen. V. Cibos mensæ inferunt Angeli nemine ipsos vidente, ad orationem S. Francisci de Paula, ut habetur in eius vita. Hic vero Christus ministrat, et seipsum dat, transiens ab uno ad alium, sicut de mensa cælesti dicit Lucas cap. 12. 37. *Transiens ministrabit illis.*

Mensa Solis notabilis.
Hæc est mensa Solis Iustitiæ, in qua omnes illuminentur, incalescant, recreentur atque reficiantur. Compara ipsam mensæ Solis, quæ erat apud Æthiopes Macrobios, de illa sic Herodot. lib. 3. cap. 18. *Solis mensa talis esse memoratur. Est in suburbanis* λειμων, *pratum, omnium quadrupedum assa refertum carnium, quam per noctem singuli civium Magistratus properant ponere: ad eumque, ubi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc autem ipsa a terra reddi assiduum indigenæ aiunt.* Mensa nostra non a terra, sed a cælo oritur, ut olim manna, de quo dicam Ps. 77. 24. in illud, Panem cæli dedit eis, etc.

99. Tropol. Cor Christo in Eucharist. venienti parandum est, velut cœnaculum grande.
Hinc collige, quanta cura debeat quilibet Christianus mensam, id est, altare cordis sui, præparare, Christo ad se venienti, imo et totum templum, hoc est totam animam. Luc. 22. 12. ait Petro et Ioanni: *Ostendet vobis* (in domo Ioannis, qui cognominatus est Marcus, et socius fuit Pauli et Barnabæ in prædicatione Evangelii) *cœnaculum magnum stratum* (instructum mensis, lectulis, tapetibus, omni supellectile et ornatu ad celebrandum paschalis Agni apparatum) *et ibi parate.* Non vult habitare sapientia increata in anima malevola et inornata. Varia nobis aulæa et peripetasmata suppeditat sacra Scriptura, ut per memoriam mirabilium Dei imagines efformemus, quibus venerationem tanti Sacramenti augeamus.

100. Variæ figuræ Euchar. in cordis aulæis pictæ. I. Mensa panum proposit.
Primum aulæum tibi opere textum Phrygionico offert Moses, Exod. 25. 30. nempe, mensam panum propositionis in Sancto, id est, secunda parte tabernaculi positam in parte septentrionali altaris thymiamatis. *Et pones super mensam panes propositionis* (Hebr. panes facierum. Septuag. αρτους ενωπιους, panes faciales: id est, qui proponantur sive ponantur singulis septimanis ante Deum, id est, coram arca et propitiatorio, ubi Deus velut in solio speciali se præsentem exhibebat) *in conspectu meo semper.* In aulæo itaque hoc columnato et peristyliis descripto, tabernaculum seu templum ipsum delinea, in cuius medio mensa illa, cui panes propositionis imponebantur, emicat, et est figura mensæ Eucharisticæ. S. Cyrillus A-

lexandrinus: Mensa, inquit, panes propositionis habens, incruentam hostiam significat, qua benedicimur, dum panem manducamus illum, qui de cælo est, Christus scilicet, qui etiam nostri similis factus est. R. Iudas in c. 28. Numer. Panis facierum, inquit, coram me semper. Quare dicatur panis facierum, ratio est. Transmutabitur ex substantia panis, cum sacrificabitur, in substantiam corporis Messiæ, qui descendit de cælis: Et Magistri aiunt, eam ob rem dictum esse panem facierum: quia in ipso sacrificio erunt duæ substantiæ, Divinitas, et Humanitas. R. Salomon ad Ps. 71. 16. *Erit firmamentum in terra in summis montium*, vertit, erit placenta frumenti in terra, in vertice montium: sic deinde explicat: *Magistri nostri exposuerunt, hoc esse genus placentarum, in diebus Messiæ. Unde in libro Siphræ habetur: In diebus Messiæ, frumenta producent placentulas, sicut est plenitudo volæ seu palmulæ manus, et venies atque accipies plenitudinem placentulæ rotundæ instar volæ manus, iuxta refectionem tuam.*

101. II. In paradiso terrestri arbor vitæ. Secundum peristroma surculatum et topiaria pictura oculos recreans, Paradisum nobis terrestrem repræsentat, cuius in medio arbor vitæ eminet, et fructuum ac foliorum præstantia cæteris antestat. Gen. 2. 8. *Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis* (amœnissimum. Hebr. Eden, quam vocem Septuag. retinent, significat delicias, voluptatem, amœnitatem) *a principio* (die tertio mundi) *in quo posuit hominem, quem formaverat.* Paradisus ille est Ecclesia, in qua ponitur Christianus, ut ibi delectetur in Domino, et gustet eum, videatque quam suavis est servis suis: unde additur vers. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo* (ex humilitate suæ passionis et crucis) *omne lignum* (omnes arbores virtutum, quæ ex crucis arbore velut surculi prodeunt) *pulchrum visu, et ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio paradisi*, id est, Eucharistiam in medio Ecclesiæ. Hæc est misericordia, de qua David ait Ps. 47. 10. *Suscepimus* (S. Hier. æstimavimus. Alii, consideravimus. Eucharistia est cum consideratione suscipienda) *Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* S. Augustin. In medio populi tui. Christianus enim populus est templum Dei. Psalter. Ambros. habet, *in medio plebis tuæ.* Omnes facultates mentis nostræ et sensus corporis sunt plebs et grex Dei, in eorum medio est Christus ad nos veniens, et fructibus vitalibus singulos pro cuiusque necessitate reficiens. Rupert. lib. 2. in Apoc. c. 2. ait: *Hoc lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore et sanguine suo reficit, iam nunc resuscitat animam a morte peccati, et carnem nostram in novissimo die resuscitabit.*

102. III. In altari holocaustorum agnus matutinus. Tertium peristroma, belluatum est. In medio est altare holocaustorum, in quo agnus matutinus offertur in holocaustum, hoc est Christus in Missa ante cibi sumptionem, Exod. 29. 39. In parte dextera, Agni paschalis mensa proponitur, quem comedit paterfamilias cum domesticis purificatis et mundis ab Ægypto exiturus, et tincturus postes domus suæ illius sanguine, ut evadat gladium Angeli ultoris, cap. 7. Qualis esset ille Agnus, dicitur v. 5. *Erit agnus absque macula* (Hebr. תמים *tamim*, integer: id est, non scabiosus, non claudus, etc.) *anniculus* (Hebr. filius anni: id est habens vel agens annum: talis scilicet ut annum non excedat: poterat autem immolari post octavum diem a Nativitate. Hic Agnus paschalis erat typus Eucharistiæ, ut ait Beda. *Pro Agni carne*, inquit, *vel sanguine, suæ carnis sanguinisque Sacramentum in panis vinique figura substituens, ipsum se esse monstraret, cui iuravit Dominus, et non pœnitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum, etc.* Hoc etiam die de agnis oblatis in altari holocaustorum. Agni paschalis immolatio erat quidem sacrificium, ad quod singuli patresfamilias erant a Deo destinati, sed fiebat in singulis domibus, non vero in tabernaculo vel templo a Sacerdotibus.

Et vitulus saginatus in domo paterna. Vitulus etiam saginatus datus prodigo, repræsentat nobis Christum in Eucharistia, qui se det peccatori ad se per pœnitentiam revertenti, Luc. 15. 13. *Adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur.* Ubi Titus Bostrensis Episcopus: Illum, ait, vitulum adducite, qui pro terrarum orbe immolatus, eisque, qui vera resipiscentia ducuntur, donatus est: hoc est, tremendorum mysteriorum illum participem facite. Et S. Chrysostomus: *Christus*, ait, *vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam: saginatus quia pro totius mundi salute sufficit.* In Eucharistia autem nobiscum dicitur Deus edere, ut indicetur eius lætitia, cum videt filios suos ad Sacramentum hoc accedere. Ut enim ait Beda, Patris cibus est salus nostra. Et Glossa: *Refectio Dei et Sanctorum, est salus peccatorum: et nota, quod post datam stolam, annulum et calceamenta vitulus immolatur. Nisi enim quis spem primæ immortalitatis induerit, et annulo fidei opere munierit, et fidem confitendo prædicaverit, cælestibus non potest Sacramentis interesse.*

Quartum denique templi vel cœnaculi latus tegit ornatque aulæum, in quo innumera plebis multitudo manna colligit, de quo Exod. 16. fuse. Huic symbolo rem ipsam præfert Christus Ioan. 6. 49. Quod dilatans Nicetas Choniata lib. 4. thesauri orthodoxi, cap. 36. *Divina*, inquit, *munera cibum esse novimus, qui numquam absumatur et pereat, qui manna ipso longe sit melior. Hoc enim Hebræi Ægypto exeuntes in solitudine comederunt, et mortui sunt: illa vero immortalitatem conferunt, multoque melius animam a maculis inhærentibus expurgant, quam carbo ille, qui forcipe a Cherub Isaiæ oblatus est.* Idem fere S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 16. habet. 103. IV. Manna datum in deserto.

In tapete autem acu picto, et altari seu mensæ imposito, videas ex hac parte panem et vinum a Melchisedech offerri, panem ab Angelo Eliæ dari, panem Madianitæ paventi monstrari: ex alia autem, favum mellis a lunetha anni, et eius oculos illuminari, mel in ore Leonis a Samsone reperiri, mel a Christo post resurrectionem gustari. Hæc non minus apte peristromatis intexueris. V. Variæ aliæ figuræ.

Ministrant in hoc convivio Angeli. Huius rei figuram habes Matth. 4. 11. cum post ieiunium quadraginta dierum cibos Salvatori porrigunt. *Et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.* De ea re fusius dicam Ps. 77. in illud v. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* Nunc sufficiet S. Anastasius Sinaita serm. de sancta oratione. Est, inquit, Dei Angelus, qui offert incruentum sacrificium. 104. In Euch. mensa ministrant Angeli.

Musicæ symphoniæ concentus non deest. R. Nehumias In epist. arcanorum hoc prædicat, agens de Eucharistia: *Dico*, inquit, *quod si quis mortalium posset audire et percipere cantum illum adeo suavem atque mellifluum, quem Angeli concinunt, anima eius se iungeretur a potentiis corporis, et cum illa cantus dulcedine coniuncta egrederetur.* Unde recte concludit velut admiratione suspensus, mores Sacerdotis debere esse sanctissimos. *Qualis*, inquit, *debeat esse Sacerdotis vita, hoc sacrificium pertractantis, Dominus ipse insinuat, cum de nostri temporis sacrificio, et consecrantis qualitate*, ait *Levit. 21. Et sanctificabis eum, quia carnem Dei tui ipse est, vel erit, sacrificans.* In convivio patris prodigum recipientis erat musica, Luc. 15. 15. v. 26. Hæc omnia adumbrata pulcherrime habes in Asueri convivio, Esth. 1. 3. et seq. ubi v. 6. habetur, *Lectuli* (primis temporibus assidebant mensæ, sicut et nunc facimus: postea autem Persæ, Iudæi, Græci, Romani, et fere omnes populi accubuerunt mensæ in lectis: unde triclinium dictus est locus convivii a tribus mensæ lectis) *aurei et argentei super pavimentum* (in ipso pavimento humi cœnabant et prandebant Persæ, more Orientalium) *smaragdino et Pario* (candido, ex insula Paro extracto) *lapide, dispositi erant, quod mira varietate pictura* (ex lapidum diversitate, opere vermiculato et segmentato, quod vulgo Mosaicum vocatur) *decorabat. Bibebant autem, qui invitati erant aureis poculis, et aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur.*

Musicæ symphonia non deest. Euchar. figura fuit Asueri convivium.

ARTICULUS II.

Quantæ virtutis Eucharistia ad arcendos hostes ab animo, eosque superandos.

105. Vers. 5. 2 Pars. Sensus huius loci triplex. I. VIM mensæ cælestis aperit David, cum ait eam esse paratam adversus omnes hostes suos, v. 5. PARASTI IN CONSPECTU MEO MENSAM ADVERSUS EOS QUI TRIBULANT ME. Difficultas est, quid significet *adversus*, et inde sensus pendet. Primo, Non est sensus, horum versiculorum, quod Deus paraverit Electis mensam, oleum, et vinum adversus hostes, quasi hæc sint arma, quibus contra hostes pugnandum sit: sed sensus est, Deum opponere tribulationibus magnis magnas consolationes: et sicut ingeruntur ab hostibus amaritudines, sic ingeri a Deo suavitates, quæ describuntur more humano per similitudinem convivii, in quo sit mensa referta cibis optimis, adsit etiam unguentum pretiosum, quo aspergatur caput, nec desit vinum egregium: atque ad inebriandum aptissimum. Ita Bellarm. sed non satis explicat, cur et quomodo dicatur hæc mensa poni adversus eos, qui tribulant.

II. Secundo itaque Hebr. נגד *neghed*, proprie et ordinarie significat ex adverso, e regione, coram, ante, q. d. ex opposito hostium, et ante oculos eorum posuisti mihi mensam epulis et vino atque unguentis refertam. Unde S. Hier. vertit, *Pones coram me mensam ex adverso hostium meorum*. Vatabl. Syr. et Arab. reddunt, e regione. Campensis vero expressius, instrues in conspectu meo mensam, e regione persecutorum meorum, ut videant, et doleant.

III. Et optimus. Tertio denique, et commodius, Petavius sic explicat, q. d. copiosam apposuisti mihi, ac deliciosam mensam, ut confirmatis viribus, mala mihi molientes propulsem. Studiose providere debent duces, ut ante pugnam cibum et potum sumant milites, ut alacrius et fortius atque diutius dimicent: alioqui in æstu et contentione vires deficiunt: qua in re contra prudentiam peccavit Saul, cum turbatis et fugatis a Ionatha Philisthinis, omnique exercitu eos insequente, ait 1. Reg. 14. 24. *Maledictus vir qui comederit panem* (hoc est cibum quemlibet: unde Ionathas melle gustato reus habitus est) *usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis;* melius dixisset, de inimicis Dei: Maledictionem vero intentat, q. d. puniam illum et occidam quasi maledictum.

106. Euchar. iuvat ante pugnam, in pugna, et post pugnam. Eucharistiæ autem mensa ponitur adversus eos qui nos tribulant tum ante pugnam roborando, tum in pugna recreando, tum post pugnam vires debilitatas reparando, et fructum victoriæ offerendo.

1. Ante pugnam est cibus confortans. Figuratur in pane, quem David dedit Amalecitas persequens puero Ægyptio. Est panis Angelorum et fortium. Ac primo, Eucharistia ante pugnam est cibus confortans datus servo Ægyptio, qui pene deficiebat præ inedia 1 Reg. 30. 11. Cum enim Amalecitas persequeretur David, et quadringenti eius milites, invenerunt virum Ægyptium in agro, *et dederunt ei panem ut comederet*, et biberet aquam. Sed et fragmen massæ caricarum, et duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus eius, et refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus, et tribus noctibus. Deinde Davidem et milites duxit, ut Amalecitas incautos obtererent sicut accidit. Ps. 77. 25. *Panem Angelorum* (S. Hieron. fortium) *manducavit homo*. De Eucharistia exponunt S. Cyprian. sermon. de cœna. Rupert. 3. in Exod. 10. S. Ambr. de Sacram. c. 2. Chal. vertit, cibum, qui descendit de habitaculo Angelorum, comederunt homines; ubi manna indicat. Angeli, id est Angelici viri, comedunt *Christum* in Eucharistia, a quo uneti fiunt fortes ad prælium. Illi Angeli possunt dicere cum Raphaele, Tob. 12. 19. *Ego cibo invisibili et potu* (Dei visione et fruitione) *qui ab hominibus videri non potest, utor*. Ideo Asmodæum religare potuit in deserto superioris Ægypti, nempe in parte australi Ægypti, quæ alta et montosa est, ex quo Nilus defluit, et appellatur Thebais, ait Ioannes Leo l. 8. de Africa c. 2. et quidem per totam vitam Tobiæ et Saræ, ut probabiliter censent Serarius et Sanchez. Hugo a Victore c. 7. in speculo Ecclesiæ: *Eucharistia*, inquit, *dicitur divina, quia digne sumentes divinos et divinitatis participes* A *facit. Hoc Sacramentum firmamentum est contra hostes.* Stephanus Eduensis de Sacramento altaris c. 17. *Sicut*, inquit, *panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat: ita hoc Sacramentum est fortitudo, et salus, et perfecta lætitia corporis et animarum.*

Secundo, panis Eucharisticus in pugna ipsa prodest. Panis est a milite visus evertere castra Madianitarum, Iudicum 7. 13. *Vidi somnium*, inquiebat, *et videbatur mihi quasi subcinericius* (Hebr. צליל *tselil*, id est, tinnitum edens, ait R. David e verbo *tsalal*, tinnio, 2. torta, ut Pagnin. 3. tostum seu assatum sub cinere, hoc est subcinericium, ut Sept. et Chald. a verbo *tsala*, assavit, torruit.) *Panis ex hordeo volvi, et in castra Madian descendere* (ubi erant 135. millia militum) *cumque pervenisset ad tabernaculum* (ad tabernacula omnia, sed præcipue ubi erat princeps et Rex potentissimus) *percussit illud, atque subvertit, et terræ funditus coæquavit.* Respondit is, cui loquebatur miles ille Madianita: *Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis, filii Ioas viri Israelitæ. Tradidit enim Dominus* B *in manus eius Madian et omnia castra eius.* Gedeon idem est atque conterens, confringens: vel abscissio iniquitatis. Ioas idem est ac Domini ignis: vel, oblatio Domini. Sic Gedeon filius Ioas fortitudine et charitate armatus, et pane cælesti hostes omnes conteres. Heb. מלחמה *milchama*, significat bellum, q. d. comestionem, devorationem, a לחם *lechem*, panis. Bellum enim omnia devorat in ore, id est, acie gladii. Probabile est panem illum evertentem tabernacula Madianitorum visum esse forma magni et longi gladii. Quomodo Eucharistia Reges nostros, et Reges Angliæ aliosque iuverit in bello ostendi, Ps. præced. sect. ult. 107. II. Euchar. in pugna est gladius Gedeonis, seu panis evertens castra Madian.

Tertio denique, panis Eucharisticus est panis datus Abrahamo victori, Gen. 14. 18. Cum enim superasset Chodorlahomor et socios reges, benedixit illi Melchisedech Rex Salem, id est Ierusalem, *proferens panem et vinum*, erat enim Sacerdos Dei altissimi. Vide Psal. 109. Eucharistia datur victori, 1. in præmium; 2. ad sanandas pla- C gas, si quæ in pugna sunt acceptæ. Procopius Gazæus in Exod. *Vitam*, ait, *acquirimus ex participatione Spiritus sancti, et vitam recuperamus in sancta Christi mensa, fidem in ipsum intra nos recipientes.* Magister sententiarum in 4. dist. 12. sic ait: *Institutum est hoc Sacramentum duabus de causis: in augmentum virtutis, scilicet charitatis: et in medicinam quotidianæ infirmitatis.* III. Euchar. post pugnam est panis a Melchisedecho datus Abrahamo victori.

Quæres, Quinam sint hostes, in quos potens est Eucharistia? Respondeo uno verbo, omnes prorsus. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Hebr. צררי *tsorerai*, id est, angustiatores, obsessores, coarctatores meos. Rad. *tsur*, angustiare, in arctum et angustum redigere, comprimere, coarctare, obsidere significat. Eucharistia non tantum munit in hostes, ne clandestinis insidiis fideles occupent, aut per cuniculos invadant: sed etiam ut in fortissima arce, nempe Christo collocatos, valeant sugere mel de petra, et in oculis Regis sui mensæ accumbentes lætari, et veluti per iocum trium- D phare: perinde quasi ex singulis discis, velut igniariis tubis, glandis flammatæ in os et faciem hostium involent, aut caput cerebrumque illidant, et in auras iactitent. 108. Euchar. potens est in omnes hostes nostros.

Hostium exercitum tres in acies de more dividam. Primum agmen ducat caro mollitie diffluens, et velites ac fundibularios ducens, qui molliculis in speciem telis, sed flammatis, aerem oppleant: hæc si loricæ semel adhæserint, magna creant incendia, nisi citissime excutiantur. Hic est exercitus Nabuchodonosor Regis *Ninives*, id est pulchritudinis, qui misit *Holophernem*, id est, *fortem dulcem*. Nullus enim hostis est carne fortior et periculosior, quia nullus proximior et interior: ideo magis *coarctans generationem angustia*. Vult superare Bethuliam, id est virginem seu virginitatem, licet sita sit in monte, id est in apice perfectionis: sed eum superat Iudith, id est mons Deum *laudans* et confitens, quæ in eius castra tulerat cibos lege permissos, ne contaminaretur prophanis et illicitis. Hi cibi sunt Eucharistiæ symbolum, quæ in mediis hostibus nutrit ac roborat. S. Chrys. hom. 24. in 1. ad Corinth. ærs 109. I. In carnem. Exercitus Regis Ninives in Bethuliam missus.

η τραπεζα της ψυχης ημων τα νευρα, της διανοιας ο συνδεσμος, της παρρησιας η υποθεσις. *Hæc mensa est nervus nostræ salutis, mentis vinculum, fiduciæ fundamentus, spes, salus, lux, vita.* S. Gregor. Nazianzenus orat. 4. *Habeo,* inquit, τραπεζαν πνευματικην και ενθεον, *mensam spiritualem et divinam, quam Dominus paravit mihi in conspectu meo, adversus eos qui tribulant me,* η προσαναπαυομαι και τρυφω, *in qua reficior et delicior, nec propter saturitatem petulantia efferor,* αλλα και κοιμιζω πασαν παθων επαναστασιν, *quin potius omnem turbidarum animi permotionum impetum consopio.* Concilium Nicæn. Propter hoc, inquit, neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus, quod non satietati, sed sanctimoniæ sumimus. Et de carne signantius Leo epist. 23. ad Constantinopolitanos: *Ut,* ait, *accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus*: quid est quod timeat, qui in Deum conversus est, et in quo vivit et regnat Christus?

110. Exemplum extinctæ libidinis per Eucharist. Exemplum accipe ardentis libidinis per Eucharistiam extinctæ. Leonardus Vairus 3. de fascino, cap. ult. narrat, adolescenti luxuriæ stimulis, ardenter sollicitato Neapoli, eaque de re detrectanti Eucharistiam, dedisse se consilium, ut bene paratus sumeret: simul id fecit, sublatum est illud incendium, ita ut nullæ in posterum reliquiæ superessent. Et vero si Iudæum puerulum in flammas coniectum ab impio parente ob cibum hunc sacrum susceptum, Deus servavit illæsum, ut tradit Evagrius lib. 4. cap. 36. S. Gregor. Turon. lib. 1. miraculorum, cap. 10. Si a naufragio corpus Satyri, qui frater fuit S. Ambrosii, Eucharistia collo appensa eripuit, ut ait S. Ambros. in eius oratione funebri: cur non credemus cum S. Ioanne Damasceno, quod ipse ait lib. 4. de fide c. 14. Illis, *qui Sacramentum istud, per fidem digne percipiunt, in peccatorum remissionem, et vitam æternam, et in animi et corporis præsidium cedit.* Carnis incendium restinguit, et inundationem perturbationum impedit.

Satyrus e naufragio per eam salvatur.

111. II. In mundum valet Euchar. Secundum agmen hastati tenent ac principes, quibus imperator Mundus præsidet. Hi cunei sarissis, et omni telorum genere armati, terram Iuda devastant. Sunt agmina Philisthinorum, id est, cinere conspersorum, qui congregati sunt ad præliandum contra Israel, habentes triginta millia curruum militarium, e quibus olim Syri, Arabes, et Asiæ varii populi pugnabant, et sex millia equitum et reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Munilana sunt cinis et arena sterilis, Philisthini ascendentes castra metati sunt in *Machmas*, id est prope Machmas civitatem (quæ significat pauperis remotionem) *ad Orientem Bethaven*, quæ idem est quod domus vanitatis, mendacii, nihili, idoli. Mundani opes suas adorant, et pauperes reiiciunt a se et contemnunt, sed ipsi in nihilum redeunt, et Orientales ac semper orientes radii, id est spes mira pollicentes mentiuntur, et nihil præstant, ac pro splendore meridiano dant fulgetras, et tonitrua et fulmina. Primus cuneus Philisthinorum pergebat contra viam Ephra, id est pulveris aut pulverulenti, ad terram Saul, id est vulpis, 1. Reg. 13. 17. Prudentiores, hoc est versutiores et calidiores, sunt filii tenebrarum filiis lucis. Luc. 16. 8. Secundus cuneus ingrediebatur per viam Bethoron, id est domus, hoc est sedis iræ: vel, domus libertatis. In mundo vigent libertini et furore præcipites. Tertius cuneus verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim, id est, pulchritudinum; vel damularum, caprearum. In mundo alii mollitiem, et animi levitatem sectantur. Hos omnes congregatos cuneos superat Ionathas (hoc est Dei donum, filius Saul, id est, postulati, hoc est orationis) qui mel, hoc est Eucharistiam sumit, et eo illuminatur atque roboratur ad hostes insequendos cap. 14. toto.

Tres cunei Philisthinorum victi.

112. Leo Papa septies aut novies uno die missam celebrat in afflictione. Eucharistia non solum in spiculatas sudes hastasque, Bicuspides et alia tela, lorica est ac munimen, sed in ipsas muralis tormenti glandes, vallum est atque propugnaculum firmissimum. Eam ob rem Leo III. Papa summis in angustiis ob hostes undique prementes positus, septies aut novies diebus singulis Sacrum faciebat, ut refert Walfridus Strabo de rebus Eccl. cap. 21. et Baronius anno 816. num. 54. Martyres hunc clypeum obiiciebant Leonum dentibus, tigridum unguibus, taureis tortorum, furorique tyrannorum, eoque armati neque vim ignium, neque ferri aciem, neque barbariem carnificum timebant. S. Cyprianus Epist. 54. *Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viventibus communicatio a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione corporis et sanguinis Christi muniamus, et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Ita Cyprianus.

Martyres armati Euchar.

113. III. In dæmonem potens est Euchar. Tertium denique agmen cornigeræ dæmonum phalanges claudunt, quibus lucifugus transfuga, prius Lucifer, præsidet flammarum cinctu terrificus, et rabie in Deum atque humanum genus vecors. Hic est exercitus Nabuchodonosor Regis Babylonis, id est confusionis, qui ignem coniicit in civitatem Ierusalem, et in templum eius, hoc est in corpus pacatum et in animam eius. Vel potius, sunt hæc castra Sennacherib, ad Ierusalem accedentis, sed in eam telum non iacientis, quod Ezechias ad altare accedens, et coram eo se prosternens Angelum vindicem obtinuerit, qui una nocte exercitum integrum occidit paucissimis exceptis. Ad Eucharistiam accede, et vires satanæ infringes. S. Ignatius epist. ad Ephesios: *Date operam,* ait, *ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, et gloriam Dei. Quando enim sæpius in idem loci convenitis,* καθαιρουνται αι δυναμεις τȣ σατανα, *labefactantur vires satanæ, et ignita illius ad peccatum iacula irrita resiliunt.* Elias Cretensis in oratione 4. S. Gregorii Nazianz. Diabolus eos, inquit, qui divina mysteria pio ac reverenti animo sumunt, pertimescit. Lucius Marineus Siculus lib. 5. de Rebus Hispaniæ, cap. de sacris ædibus ait, celebrem in Mauros victoriam obtentam fuisse ab Hispanis, cum corporalia tincta sanguine ex hostia miraculose exiliente explenissent, ac pro vexillo sibi sumpsissent. Lucas Wadding. in Annal. Franciscanor. refert S. Claram irruentibus Saracenis, et monasterii murum scandentibus pixidem, in qua erat sanctissima Eucharistia, opposuisse, brevique oratione sic Deum oravisse: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, etc.* tum barbaros ita fuisse exterritos, ut fugæ sibi consuluerint, et excæcati quidam e summo muro in fossas ceciderint.

Exercitus Sennacherib.

Celebris victoria de Mauris per Euchar. reportata.

S. Clara Saracenos procul a suo monasterio reiicit vi Euchar.

114. Leones fiunt, qui digne Christum sumunt. Dæmon est Leo rugiens et circumiens, et quærens quem devoret; sed Christus est Leo de tribu Iuda, qui Leones illos devorat, et ad nihilum redigit, longe magis quam serpens Mosis serpentes incantatorum Pharaonis. Omnes quoque ad sacrum panem accedentes et se pienos, Leones Christus facit, in quorum ore et mel suavitatis existit, sicut in ore Leonis Samsoni oblati, et ignis sicut in Cherubino quem Ezechiel vidit facie Leonis, cap. 10. 14. *et facies instar carbonum ignis ardentium,* cap. 1. 13. Leones illos cælestes miratur S. Chrysost. hom. ad Neophytos. *Cum te,* ait, *egredientem post dominicum convivium viderit inimicus, post cælestes epulas, tamquam ignem leonis ore flammantem fugit, et deserit omni vente velocior, nec appropinquare contendit: et cum cruentam linguam tuam de longe ille crudelis prospexerit, mihi crede, non stabit, et cum os tuum senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit.* Et hom. 45. in Ioannem sic loquitur, τȣτο το αιμα αξιως λαμβανομενον, εξελαυνει μεν δαιμονας, και πορρωθεν ημων ποιει. Καλει δε αγγελȣς προς ημας, και τον δεσποτην των αγγελων. *Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos et Angelorum Dominum ad nos allicit: dæmones enim cum in nobis Dominicum sanguinem vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt. Hic sanguis effusus universum abluit orbem terrarum, hic nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur. Hoc* πυρος λαμπροτερον, *igne clariorem, nostram mentem reddit, et* χρυσȣ φαιδροτεραν *auro splendidiorem.* Hactenus Chrysostomus.

115. Cibi terreni augent vim dæmonis. Mensæ divitum huius sæculi sæpe dæmonis vires augent. S. Chrysost. hom. quod nemo læditur nisi a seipso. Qui ait, ad dimensum diem super thoros accumbunt, cæ-

nas cum prandiis copulant, ventrem disrumpunt, sensus depravant, immodico eduliorum anere aevigiam demergunt, sentinam inexhaustam et exundantem reddunt, και καθαπερ εν ναυαγιω τω τη σωματος κατακλυζοντες αυτην, et tamquam *in corporis naufragio* navem undis obruunt, pedicas manicas, et linguæ vincula nectunt, totumque corpus suum implicant vinculo ebrietatis atque luxus, αλυσεως σιδηρας χαλεπωτερω δεσμω τω της μεθης, *graviore quam ferrea catena*, et nec sincerum ac purum capiunt somnum, nec ab horribilibus insomniis liberi sunt, μαινομενων οντες αθλιωτεροι, και αυθαιρετον τινα δαιμονα επεισαγοντες τη ψυχη, *furentibus miseriores, et voluntarium quemdam dæmonem in animum inducunt*, risui spectantium expositi, imo vero etiam lacrymis meliorum inter eos. Ita Chrysastomus.

Christi cibus eam enervat. Hunc ebrietatis et gulæ dæmonem aliosque fugat sacræ mensæ divinus cibus. S. Cyrillus ait, mensam Eucharistiæ praponi adversariam ei, quam nobis antea dæmanes proponebant. S. Laurentius Iustinianus de disciplin. et perfectione monasticæ conversationis, cap. 19. dicit, digne Christum in altari sumentes effici omnium vitiorum victores. Verba eius sunt: *Vivificantur interius, corpori Christi incorporantur, spiritualiter reficiuntur, devotione augmentantur, dulcedine nutriuntur, charitatis scilicet ad Deum, et dilectionis od proximum, et suavitatis in seipsos. Fit quoque ex ipsa sumptione in illis fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio, peccatorum remissio, contra diabolum armatio, spei elevatio, amoris excitatio, fidei commendatio, Angelica comminatio, regni cælestis largitio, intellectus illuminatio, et omnium bonorum participatio*. Ita Laur. Iustinianus.

116. Lemures e domo pulsos sacrificio Missæ, ait Aug. Exemplum efficaciæ in Eucharistia contra dæmones refert S. August. lib. 2. de Civit. cap. 8. ubi ait, Hesperii tribunitii domum afflictione animalium et servorum a Lemuribus infestatam fuisse: huic malo ut remedium quæreretur, unus *obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio, et Deo protinus miserante cessavit*.

117. Illustre exemplum efficaciæ Eucharistiæ in magos. Cassianus collation. 22. cap. 6. refert de quodam a dæmone, nocturnis illusionibus graviter infestato, et per Eucharistiæ perceptionem sanatu. S. Prosper de dimid. temp. cap. 6. ait, puellam quamdam Arabem ob salacis Veneris statuam conspectam, et seipsam, a dæmone possessam fuisse per 72. dies, ac tandem perceptione SS. Sacramenti sanatam. Illustre est quod memorat Cæsarius Cisterciensis, qui vixit ante annos quadringentos. Sic enim lib. 9. Miracul. cap. 12. Tempore illa, ait, quando manifestari cœperunt hæreses Albigenses, quidem maligni virtute diabolica suffulti, quædam signa atque portenta ostenderunt, quibus et easdem hæreses roboraverunt, et multos fidelium in fide subverterunt: super aquas ambulaverunt, et non sunt submersi. Cernens hoc Sacerdos quidem fide Catholicus, et vita religiosus, sciens vera signa cum falsa doctrina esse non posse, corpus Domini cum pixide ad flumen, ubi illi popula sues ostensuri erant virtutes, deportavit, dixitque in audientia omnium: adiuro te diabole per eum, quem in manibus porto, ne in hoc flumine, ad huius populi subversionem, per has homines tantas exerceas phantasias. Post hæc verba, illis super undas fluminis ambulantibus ut prius, Sacerdas turbatus corpus Dominicum in flumen iactavit. Mira Christi potentia. Max enim ut elementum tetigit Sacramentum, phantasia cessit veritati, et pseudo illi Sancti, quasi plumbum descendentes in profundum, sunt submersi: pixis autem cum Sacramento statim ab Angelis sublata est. Videns Sacerdas hæc omnia, de miraculo quidem exultavit, sed de iactura Sacramenti doluit: totam vero noctem in lacrymis et gemitibus transigens, mane pixidem cum Sacramento reperit super altare. Ita Cæsarius. Vide aliud exemplum notabile apud Thomam Cantiprat. lib. 1. Apum, cap. 23. de fugatis dæmonibus, qui lustar Christi in throno sedentis, et Deiparæ, ac Patriarcharum seu Apostolorum, atque Angelorum apparebant, et de hæretico converso, quod illa spectra vi Eucharistiæ fugata vidisset. Pallad. cap. 19. ait fœminam a

A dæmone in brutas formas transformari solitam, a S. Macario, per quem erat sanata, monitam fuisse, id accidisse quod Eucharistiam non sumpsisset longo tempore.

ARTICULUS III.

Christus in Eucharistia est suavissimum et efficacissimum animæ unguentum.

NON robur dat tantum servis suis Christus in mensa sua, sed etiam recreationem mentis, et omnium eius facultatum. Unde pergit David in Ecclesiæ seu fidelium persona loquens, v. eod. 5. IMPINGUASTI IN OLEO (id est Vers. 5. 3. Pars.
oleo) Arab. unxisti unguento. Vatabl. unguento delibutum reddes. Petavius, pingui nitore fecisti oleo, CAPUT MEUM, ET CALIX MEUS INEBRIANS QUAM PRÆCLARUS EST.

Nota, pro *oleo* Hebr. est שמן *semen*, quod significat 118. Semen Hebr. quatuor significat.
B 1. oleum; 2. unguentum aramaticum, præsertim liquidum; 3. pinguedinem; 4. unctionem et linituram, quæ plagæ adhibetur quod glutinosa sit et pinguis.

Quæres primo, de quo oleo seu unguento hic agitur? 119. De oleo quadruplici hic locus exponitur. 1. De unctione Davidis in Regem.
Prima, Hebræi explicant de unctione Davidis in Regem. Sic autem aleo dicetur impinguatus, 1. quia Samuel cum eum Regem designavit, et unxit in domo Isai patris eius, abundanter oleum in eius caput effudit. Dixerat enim illi Deus 1. Regum 16. 1. *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlemitem: providi enim in filiis eius mihi regem*. Ad ungendum vero Saulem idem Samuel usus erat tantum olei lenticula, id est, parvo vase ad modum lentis efformato gutturnlo scilicet, ex quo guttatim liquor effluit. Secundo, Davidis caput impinguatum est oleo, quia ter inunctus est, 1. in domo patris in medio fratrum; 2. in Hebron quando est creatus Rex Iuda statim post mortem Saulis, 2. Regum 2. 4. Denique 3. etiam in Hebron unctus est, cum reliquæ undecim tribus eum sibi in Regem elegerunt post mortem Isboseth filii Saul,
C qui per septennium regnaverat super illas undecim tribus Israel, cap. 5. 3. De ille Regum unctione, et an sacro, an prophano oleo seu unguento fieret, vide dicta, Ps. 19. 7.

Secundo, Unguentum hoc quo David est impinguatus 120. II. De consolatione in tribulatione.
et copiose inunctus, est consolatio abundans, qua eum cumulabat Deus etiam in mediis tribulationibus, et in conspectu hostium armatorum. Ita Bellarmin. Mariana, Palanter. Remigius, Ugo, Dion. Beda, S. Thomas, S. Hieron. Alludit ad aleum quo pro balneis utebantur contra æstum. Ita Mariana; 2. alludit ad morem antiquarum Orientalium, qui in festis ungebant capita oleo. Ita S. Thomas. Hinc Deus Isaiæ 61. 3. promittit coronam pro cinere, et oleum gaudii pro luctu; 3. denique alludit ad unguenta pretiosa, quæ in magnis conviviis adhiberi inter præcipuas delicias solebant. Ita Bellarminus. Unde Christus Magdalenam se ungentem tutatus est contra
D murmurantes Apostolos et hospitem suum Simonem, quem diversum fuisse a Simone Leproso putat S. August. lib. 2. de cons. Evang. cap. 79. alii censent fuisse illum ipsum, eique amice ait Luc. 7. 46. *Oleo caput meum non unxisti: hæc autem unguento unxit pedes meos*, et postea ipsum caput, ut dicam infra. Oleum porro est spiritualis lætitiæ symbolum, quia 1. illuminat; 2. reficit; 3. supernatat; 4. facit, ne homo luctans contra diabolum possit ab eo capi: sicut videtis quod inunguntur illi, qui sunt pugnaturi in duello. Ita Ugo. Id verum erat in antiquis athletis. Hoc lætitiæ oleum magnum Dei donum est, de quo Ps. 44. v. 8. *Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem* (Lactant. lib. 4. cap. 13. iniustitiam) *propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ* (Optatus Milevit. lib. 4. oleo exultationis. Symm. αγαλλιασεως nitoris aut splendoris) *præ consortibus tuis*, id est, præ aliis hominibus eiusdem naturæ participibus: agit enim ibi de Christo, qui sicut est fons iustitiæ, ita est fons omnis lætitiæ: fons est olei exultantis et cum lætitia et subsultatione in omnes exundantis, ut eos efficiat mites, humiles et hilares.

121. III. *De gratia et charitate.* Tertio, de oleo gratiæ et charitatis explicant Euthym. Ruff. Iansenius, et alii, ut dicetur infra, qu. 2.

IV. *Et optime de oleo sacramentali.* Quarto, et melius, de oleo sacramentali exponunt Theodoretus, Didymus, S. Cyrillus, et alii. Sed varii ad varia sacramenta transferunt.

In baptismo, ut vult Euthymius. Primo, Oleum baptismi vult intelligi Euthymius. Et vero antequam catechumeni hoc sacramentum recipiant, in pectore et scapulis inunguntur, ut tradit S. Dionysius Areopagita Hieron. Eccl. cap. 4. et S. August. tract. 41. in Ioannem. Post baptismum autem a sacerdote fit unctio capitis in vertice, ut et se uberi Dei gratiæ impinguatum baptizatus intelligat, et sub lege benignitatis atque misericordiæ degere. Unctionis illius meminit S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. S. Gregor. Nazianz. orat. in sanctum baptisma. Optatus Milevit. lib. 4. S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 10.

In Confirmatione, ut S. Cyrill. Secundo, S. Cyrillus catech. 4. mystagog. in qua psalmi locum refert, oleum illud impinguans explicat de oleo Confirmationis. *Impinguavit*, inquit, *caput tuum in fronte per signaculum Dei.* Ungitur enim ab Episcopo frons eius qui confirmatur: quod ideo fit, quia *frons verecundiæ sedes est, ne confirmandus Christi nomen confiteri erubescat, et præcipue crucem eius.* Ita Concil. Florentinum in decreto Eugenii. Pene eadem habet S. Augustin. in Ps. 141.

In Ordine, ut Chald. Tertio, oleum illud impinguans intelligit Chaldæus paraphrastes de oleo quo sacerdotes ungebantur. Vertit enim: *Impinguasti oleo unctionis capita sacerdotum.* Pontificem Hebræorum inungi iussit Deus, et ait Mosi, Exodi 29. v. 7. *Et oleum unctionis fundes super caput eius, atque hoc ritu consecrabitur.* De ea re agetur Ps. 132. 2. in illud, *Sicut unguentum* (Aquila addit ἀγαθὸν, bonum. Symm. κάλλιστον, præstantissimum, optimum) *in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*, id est, in oram seu extremitatem superiorem tunicæ hyacinthinæ et superhumeralis: ita ut ipsum superhumerale et rationale pectori appositum specialius consecret, in illa defluens. S. Hieronymus, *Super oram vestimentorum eius.* Oportuit esse exundans et impinguans oleum seu unguentum illud, ita ex capite defluens. Manus etiam omnium sacerdotum ungebantur, ut habes Exodi 29. 9. sed solius Pontificis manus et caput. Figurat illud oleum sacramentum ordinis.

In Euch. ut alii verius et aptius. Quarto denique, per oleum illud sacrum, intelligi Christum in Eucharistia servos suos gratia perfundentem existimo. Nam mihi non videtur probabile, Prophetam egisse de Eucharistia, his verbis, *parasti mensam in conspectu meo*, ut S. Cyrillus, et alii explicant: ac deinde ad aliud sacramentum, vel baptismi, vel confirmationis transire: *Impinguasti in oleo caput meum:* et statim post, veluti saltuatim ad Eucharistiam revolare, ut clara verba indicant: *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Itaque et mensa, et oleum, et calix de Eucharistia debent intelligi.

122. *Oleum est Christi symbolum, propter octo convenientias.* Nota, Christus est oleum, præsertim in Eucharistia.

I. *Quia omnibus liquoribus eminet.* Primo, quia oleum omnibus liquoribus supernatat: ita Christus præ cæteris consortibus suis unctus est oleo lætitiæ, id est, unione hypostatica et gratia habituali sanctificante, ut dicetur Ps. 44. v. 8. ideo antonomastice dicitur Messias, id est, unctus seu Christus a χρίω, ungo, et משח masciach, et in piel משח misceach, unxit: unde et dici potest misciach, q. d. sacrificium pingue, id est, optimum et præstantissimum, unctio sanctissima vocatur Christus regalis unctio a Clemente Alexandr. lib. 2. pædagog. *Nefas est*, ait, *vestes dolosas et unguenta*, εἰς τὴν ἀληθείας παρεισάγεσθαι πόλιν, *in urbem veritatis ingredi: oportet autem viros in primis, apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem*, γυνὴ δὲ ἀποπνείτω χριστοῦ τοῦ ἀλείμματος, τοῦ βασιλικοῦ, *spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta et diapasmata* (id est, inspergimina siccis odoribus constantia, ut loquitur Plinius lib. 13. cap. 2.) *Divina autem semper ungatur pudicitiæ unctione, sancto delectata unguento, nempe Spiritu.* Vides et Christum et Spiritum sanctum esse sacra unguenta, quæ cæteris contemptis amare debent Christiani, si veri Christiani, id est, uncti esse volunt.

123. II. *Quia suava est.* Secundo, oleum est Christus in Eucharistia ob suavitatem misericordiæ, qua miseros recipit, et eis se communicat oblitus priora scelera ipsorum. Ps. 47. 10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* S. Ambros. misericordiam intelligit gratiam Incarnationis, quæ facta est in medio templi Dei, hoc est, in corpore Christi, quod ipse vocavit templum. Cassiod. putat, medium templum esse synagogam, et Christum vocari misericordiam, sicut vocatur Iesus, id est, Salvator, et salus. S. Bern. serm. 1. de purificatione, et S. Thomas hic templum Ierosolymitanum indicari volunt, et Iesum ad illud euntem, atque a S. Simeone susceptum, cum dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Lucæ 2. 30. Arbitror accipi posse templa nostra, in quorum medio, ut Rex sublimis in suo palatio, Christus residet atque ad se accedentes benigne suscipit ac fovet.

In Ecclesia, velut in arca, Christus est ramus olivæ, a columba, hoc est, sancto Spiritu in eam delatus ad ungendas et sanctificandas animas: et ibi receptus a Noe, id est ab anima quieta, vel sacerdote. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. *Oleum est Christus Dominus, a quo misericordia defluit.* In mensa accedentem ad se peccatricem Magdalenam suscipit. Marci 14. v. 6. Cum publicanis et peccatoribus manducat. Marci 2. v. 10. sed conversis, ut cum Zachæo, cui ait Lucæ 19. v. 9. *Hodie salus domui huic facta est;* erat ibi Salvator, cuius fructus est salus, et qui est cornu salutis, cap. 1. 69. id est, cornu salutare; vel effundens salutem. Mendici etiam, claudi, ac cæci ad cœnam regiam invitantur et admittuntur, cap. 14. 21.

III. *Dilatatur.* Tertio, oleum cito et plurimum dilatatur, et Christus in Eucharistia totam animam seipso et gratia statim perfundit. Aggæi 2. 20. *Numquid iam semen in germine est, et adhuc vinea, et ficus, et malogranatum, et lignum olivæ non floruit?* Id considerans Ugo Cardinalis ait: Oliva, Deus Pater: vinea, Deus Filius: ficus, Spiritus sanctus: nec non malogranatum, id est, Ecclesia, quæ multitudinem granorum, et intertextis membranulis diversas cellulas continet, quæ sub vivo fidei cortice ei proferunt fructum sine mensura. Ita ipse. Malim ego per ficum intelligere Christum oleo sacro plenum, quod in membra sua effundat. Cum de illo in Canticis dicatur cap. 1. v. 3. *Oleum* (Hebraice *semen*, oleum vel unguentum) *effusum nomen tuum.* Arabs vertit, Nomen tuum unguentum suave effusum. Sept. Unguentum evacuatum nomen tuum. Syr. Unguentum myrrhæ nomen tuum.

124. IV. *Dilatatum in veste diu manet.* Quarto, oleum dilatatum et per vestem aliquam fusum non facile tollitur, sed diu in illa durat. Christus pollicetur se futurum cum Ecclesia sua usque ad consummationem sæculi. Matth. 28. v. 20. quod et de auxilio ubique præstando, et de præsentia in Eucharistia intelligitur. Gratia etiam obtenta in sacramento diutius potest conservari quam aliæ, quia secum trahit ius ad varias gratias actuales pro rerum et tentationum exigentia.

V. *Sanat vulnera.* Quinto, oleum sanat vulnera. Oleum, ait Ugo Cardin. tom. 1. est pabulum luminis, medicina vulnerum, refectio esurientium. Unde Philostratus lib. 2. de vitis Sophistarum, in Heraclide fingit olei fontem in Æsculapii medicinæ præsidis gymnasio fluere. Circa tempus nativitatis Christi fons olei fluxit, ait Orosius, ut et Messiam denotaret, et medicum nostrum. Quonam tempore fons ille fluxerit, dixi alias, vide Baronium tom. 1. Vim Eucharisticæ mensæ ad sanandos animi morbos aperit S. Greg. Nazianz. orat. 4. ibi enim agens de Christo et de unguento Prophetæ nostri, ait: *Mensam habeo spiritualem hanc et divinam, quam Dominus paravit mihi in conspectu meo, adversus eos, qui tribulant me: in qua reficior et delicior, nec propter saturitatem petulantia efferor: quin potius omnem turbidarum animi permotionum impetum consopio.* Ibi flores ait esse sacerdotes et hymnos pro tympanis sumendos, psalmodiam pro fœdis modulationibus et canti-

bus. plausum grati animi iudicem, et canoram manuum actionem pro theatricis plausibus, mœstitiam pro risu, prudentem rationem pro ebrietate, gravitatem pro lascivia. Hæc demum erit mensa Dei. Elias Cretensis in hunc S. Gregorii locum, quærit, quodnam sit illud unguentum, quo reges tantum et sacerdotes inunguntur? et respondet: *Mihi persuasum est, Christum unguentum esse præcellentem quemdam in modum fragrans, per spirituales infusiones mentem nostram a propensione in vitium resurgans, ac divina lætitia cumulans: Unguentum, inquam, non ex sensibilibus aromatibus, nec arte humana, sed ex deitate ac purissimis et virgineis sanguinibus magni unguentarii arte atque solertia conflatum.*

125. VI. Pabulum est luminis. Sexto, oleum est pabulum luminis, Christus sapientia sua lucet, et amore ardet in Eucharistia, quam vocare possamus Dei sapientiam in mysterio absconditam. Paulus ait 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ est abscondita.* Est hebraismus. Ponitur enim *bet*, id est, *in*, pro regimine genitivi. *Sapientiam in mysterio*, id est, sapientiam mysterii: puta arcani consilii divini, de Verbi incarnatione et redemptione hominum per Christum, quæ nulla ratione naturali cognosci potest ab homine: imo nec ab Angelo, ut patet Ephesior. 3. 4. et 5. Unde 1. Timothei 3. v. 16. hanc sapientiam mysterii vocat magnum pietatis sacramentum. Ita Theophylactus, S. Ambros. Oecumenius et alii. Secundo, *in mysterio*, id est, secreto. Hinc Syrus vertit, in arcano. Tertull. in occulto. Mystas, ait Eustathius, esse dictos, απο τȣ μυειν το στομα id est, a claudendo os: eo quod mysteria et arcana religionis suæ non vulgarent, sed celarent, et tantum ea secreto docerent paucos, qui sacerdotes vel sapientiores erant. Ita Cornel. ex quibus non pauca ad altaris mysterium applicari possunt. Non est enim panis filiorum proiiciendus canibus.

VII. Luctatores eo unguntur. Septimo, oleum efficit, ut luctator non capiatur ab adversario. Oleum Eucharisticum iuvat in hoste. Elias iam citatus in Gregorium. *Quod porro sequitur, est quidem a Davide scriptum, existimo autem mensam significare, in qua proponitur caro Dominica et sanguis Dominicus, quæ cum sancte ac digne percipimus, atque animæ vitiis mortem afferimus, adversus dæmones atque impuras perturbationes in procinctu stare, iisque superiores esse possumus. Nam diabolus eos, qui divina mysteria pio ac reverenti* animo *sumunt, pertimescit.* Vide dicta præcedentis articuli.

126. VIII. Cibus est. Octavo denique, oleum cibus est. De manna quod est expressissima Eucharistiæ figura, dicitur Num. 11. v. 7. *Erat autem Man quasi semen coriandri colore bdellii.* Heb. *Oculus eius* (id est, color qui est obiectum oculi. Est metonymia) *sicut oculus bdellii.* Septuag. similis crystallo: Bdellium vero est onyx sive lapis onychinus. *Circuibatque populus, et colligens illud frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Pagnin. vertit, et erat sapor eius sicut sapor recentis olei.

Tempore famis in regno Israelitarum ob impietatem Achab regis et Iezabel uxoris eius, ac pene totius populi, iussus est Elias secedere in regionem Sidoniorum et manere apud viduam in Sarepta, quæ urbs erat inter Tyrum et Sidonem non procul a mari et Eleuthero fluvio. Oleum viduæ non imminutum est typus Euchar. Dicta est Sarepta, id est, *conflatoria*, quod ibi essent officinæ conflatoriæ vasorum ex ære, ferro, et aliis metallis. Cum vidua Eliæ fecisset panem ex parte farinæ quæ sibi ac filio restabat, oleumque admiscuisset 3. Regum 17. v. 16. *Ex illa die hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus.* Lanfrancus et Algerus dicunt, hydriam illam farinæ non deficientis esse symbolum Eucharistici panis, qui quotidie a fidelibus comeditur et nunquam consumitur, neque usque ad finem mundi deficiet. Non invenitur hic panis et oleum in synagoga Iudæorum, cuius panes propositionis, id est, ante Deum propositi, desierunt; sed in Ecclesia gentium, quæ est Sarepta et conflatoria per ardentem charitatem, et est prope Sidonem, quæ idem est atque viaticum seu cibarium. Est enim Eucharistia cibus viatorum, et datur in viaticum. Sarepta prope mare est et fluvium eleutherum: quia Eucharistia est mare gratiæ, et dat mentis perfectam libertatem per extinctionem vitiorum.

127. Caput nostrum hic triplex potest accipi. I. Christus. Quæres secundo, Quodnam sit animæ caput? Primo, S. Thomas, Cassiodorus, Lombard. Thomas Anglicus dicunt, caput nostrum esse Christum, qui impinguatur oleo, id est, gratia abundantissima, quæ ex eo in nos defluxit. Actorum 10. v. 38. ait S. Petrus Cornelio Centurioni et aliis in eius domo: *Scitis Iesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto*, (id est, gratia uberrime Spiritus sancti) *et virtute*, δυναμει, potentia, robore, fortitudine. Eusebius lib. 4. demonstr. Evangel. cap. 15. ait gratiam recte vocari oleum et unctionem: quia instar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos et hilares. Hæc a Christo, velut capite descendit in prælatos velut barbam, et ab illis in fideles, tamquam vestem. Vide Ps. 132. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, Ioan. 1. v. 16. id est, in Christi gratia nos omnes sumus gratiam consecuti, et per eum grati facti Deo. Unde Paulus passim dicit, nos in Christo iustificatos esse et sanctificatos, ut explicant Toletus et Zacharias Chrysopolitanus. In regum et sacerdotum unctione figurata est hæc Christi unctio, ut ait Cassiod. in psalmum nostrum. *Caput fidelium*, ait, *Christus est Dominus, qui recte dicitur impinguatus in oleo: quoniam nulla siccitate peccatoris exaruit. Caput ergo suum in oleo asserit impinguatum: videlicet unde cætera membra lætarentur. Sed quid est hoc quod species ipsa benedictionis sanctæ frequenter adhibetur, unxit Prophetas, consecravit Reges? Non immerito: quia arbor ipsa pacis etiam præstabat indicium: quod eius specialiter munus noscitur esse divinum, liquor arboreus, pinguedo lætificans, magnarum gratia dignitatum: cuius folia in viriditatis suæ pulchritudine perseverant. Hæc etiam Noe per columbam nunciavit terris redditam sospitatem, ut merito tantæ benedictionis capax esse videatur: quæ fructus sui magno decore simul et utilitate perfruitur. De ipso et Psal. 44. dicit: Propterea unxit te Deus tuus oleo exultationis præ consortibus tuis.*

128. II. Initium nostræ conversionis. Secundo, caput nostrum est principium conversionis nostræ, in qua Deus maxime lenit suos oleo miræ consolationis spiritualis. Unde S. Bern. in sermone de conversione ad clericos ait; *Benignus est Deus, qui non patitur vos tentari supra id quod potestis*, 1. Corint. 10. 13. maximeque inter initia conversionis, oleo misericordiæ linit ulcera, ut nec morbi quantitas, nec difficultas curationis ultra quam expedit, innotescat: magis autem arridere videtur facilitas quædam, quæ postmodum evanescit; quando iam exercitatos habent sensus, certamen forte datur. Hæc Bernardus. Avicenna lib. 7. de animalibus dicit: Quod elephantes potant oleum, et quando in ventre est ferrum, evomunt ipsum per potum olei, in proposito. Nam ferrum habet in ventre, qui peccatum tenet in conscientia, Ps. 104. 18. *Ferrum pertransiit animam eius.* Sed oleum potat, cui Deus lenitatem misericordiæ suæ, et facilitatem resurgendi infundit et inspirat, ut sic ferrum extrahat. Luc. 10. 33. *Appropians alligavit ulcera eius, infundens oleum.* Ita Thom. Anglic. Cardin.

129. III Et optime mens nostra. Tertio, caput nostrum est mens nostra. Ita S. Thom. S. Hieron. Euthymius, Thomas Anglicus, et alii. Philo libro de somniis, postquam recensuit, quid Iacob dormienti contigerit, inde allegoriam deducens ait, ψυχη τροπον τινα της ψυχης εστι κεφαλη, *mens quodammodo est caput animæ.* Hoc dicit iustum veluti dormiturum in verbo Dei quiescere, ac deinde luctam discere, et coronam accipere.

Mens nostra dicitur caput ob quatuor utriusque convenientias. I. Quia caput est primum et præcipuum in homine. Ratio prima, cur mens vocetur caput, est, quia caput est primum et præcipuum in homine, ac maxime nobile, corporique dominans. Ita et mens. S. Gregor. 19. Moral. *Principale nostrum mens est, ideo appellatione capitis mens vocatur. Unde per psalmistam dicitur: Impinguasti in oleo caput meum.*

II. Est maxime remotum a terra. Secunda ratio, quia caput ex omnibus membris est maxime remotum a terra, et cælo approximat, illud contemplatur, et sublime est præ cæteris partibus. Philo libro, quod deterius potiori insidiari soleat: *Solam in terris*,

φυτὸν οὐράνιον, plantam cœlestem Deus fecit hominem, cæterarum in terra defixit capita, omnes enim humi caput habent: soli homini sublime dedit, ut alimenta cœlitus incorruptibilia quærat, non terrena ista corruptioni obnoxia, ideo corporis nostri partem insensatissimam longe a ratione secretam, pedes seu radices ad terram applicuit, τὰς δὲ τῆς ψυχῆς δορυφόρους αἰσθήσεις, *sensus autem mentis satellites, et mentem ipsam longissime a terra iussit habitare, et ad ætheris cœlique numquam interituros alligavit ambitus.*

130. III. In capite omnes sensus vigent. Tertia ratio, cur mens caput vocetur, est, quia in capita omnes prorsus sensus vigent. Nam capite videmus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus: unde S. Gregorius Nazianzenus orat. 20. caput vocat τὸ τῶν αἰσθήσεων ἐργαστήριον, id est, sensuum domicilium et officinam: ita de mente ait Philo lib. 3. de vita Mosis: *In nobis*, αἰσθήσεως κεφάλαιον καὶ ἡγεμονικὸν νοῦς, *mens est caput sensuum, sensus vero est basis et extremitas.* Agit ibi de tabulis tabernaculi opertis lamina aurea vel ærea: et mentem auro, sensum æri comparat. Exodi 36. v. 37. dicitur: *Fecit et tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho*, (id est, lana coloris hyacinthini sive cærulei) *purpura* (lana purpurea) *vermicula* (id est, lana cocco tincta) *byssoque retorta, opere plumarii* (id est, phrygionis seu polimitarii) *et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.* Columnæ quinque in introitu tabernaculi, animæ sunt quinque sensus, qui debent habere aurum charitatis et amoris Dei in capite, id est, in intentione: et firmitatem ac soliditatem æris in perseverantia et fortitudine actionis: vel, charitatem ad excelsa et cœlestia agenda, et patientiam constantem in tolerandis adversis in terra nascentibus, et ad resistendum eam concutientibus. Philo lib. de confusione linguarum δορυφόροι ψυχῆς, ait, *satellites mentis sunt auditus, visus, olfactus, gustus, et omnis sensuum multitudo.*

IV. Caput influit in omnia membra. Quarta ratio, cur caput menti comparetur, est influxus eius in membra omnia: ex illo enim velut ex monte cœlesti fontes spirituum animalium in cerebro vivificati defluunt, ut per nervos et arterias diffusi totum corpus vivificent et moveant. Mens vero totam hanc agitat molem, et toto se corpore miscet, eaque absente omnia motu, sensu et vita carent.

131. Ungendum est caput nostrum quintuplici unctione. Quæres tertio, quomodo sit ungendum et impinguandum hoc nostrum caput, et qua ratione id præstet Deus? Pene patet responsio ex quæst. 1. Nonnulla addo. Primo, Remigius ait, caput nostrum, id est, mentem, ungi a Deo doctrina.

I. Doctrina. Secundo, S. Greg. 19. Mor. dicit, ungi charitate. *Impinguasti in oleo caput meum: ac si operte dicat. Charitatis pinguedine replesti mentem meam*, et lib. 35. v. 9. q. d. *orantem in suis cogitationibus mentem meam charitatis unctione rigasti.*

II. Charitate. III. Lætitia. Tertio, lætitia ungitur mens a Deo. Nicephorus: Spirituali, ait, gratia mentem meam hilarem reddidisti.

IV. Gratia. Quarto, ungitur Spiritu sancto, et gratia eius sanctificante, mens nostra. Ruffin. *Recte per caput, mens intelligitur: quia sicut capite reguntur membra, ita mente cogitationes disponuntur. Caput ergo in oleo impinguatur, quoties infusione sancti Spiritus mens nostra inungitur.* Impinguatio notat, 1. suavitatem gratiæ; 2. abundantiam; 3. lætitiam inde resultantem; 4. omnes mentis facultates illa repleri. Iansenius sic explicat, q. d. *Mentem meam oleo Spiritus sancti perfudisti, imo et impinguasti unctione tua intellectum meum, docens omnem veritatem, atque infusione charitatis tuæ affectum miris modis lætificans, et ad bene agendum fortificans atque fœcundans.*

132. V. Et præsertim Euchar. Quinto, licet vera sint hæc omnia, melius tamen intelligemus de unctione, quæ fit in Eucharistia, in qua Messias seu Christus, id est, unctus, sumitur, qui in accedentes ad se fundit rivos olei. Iob dicebat cap. 29. v. 6. *Petra* (Septuaginta, montes, id est, mons Thabor, Calvariæ, Oliveti, et Sionis, ubi instituit Eucharistiam) *fundebat mihi rivos olei.* Quia in Christi montibus sunt multæ oleæ, et quidem fœcundissimæ. Sic de populo Israel ait Moses Deuter. 32. v. 12. *Dominus solus dux eius fuit, et non erat cum eo Deus alienus. Constituit eum super excelsam terram* (super Ecclesiam, quæ est terra fluens lacte et melle) *ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Petra est Christus, et saxum durissimum, ob invincibilem patientiam in cruce et in sacramento altaris, ubi fundit olei flumina totum orbem, et totam singulorum animam rigantia et lætificantia. Sponsa hoc sacro unguento impinguata exultat Cant. 1. v. 1. *Osculetur* (Syr. osculatus est. Hebr. osculabitur. Omni scilicet tempore, non potest enim amor satiari) *me osculo* (Vatabl. osculis. Id fit in iterata communione: tunc enim vere et realiter os tangit) *oris sui: quia meliora sunt ubera tua* (Vatablus, amores tui) *vino fragrantia unguentis optimis.* Quod Aponius degustans ad rem nostram sic exponit: *Ubi ore manibusque corpus eius et sanguinem contrectarit, meliora agnovit ubera Apostolicæ Evangelicæque doctrinæ lacte manantia, ubi omnis divina perfectio, etc.* Ex una mamma corpus, ex alia sanguis defluit: seu verius, ex utraque et corpus et sanguis, et anima et divinitas: hæc enim omnia sub utraque specie continentur. Hoc Christo unguentum sacrum cur non defluat, cum ex variis sanctorum corporibus post mortem oleum et miræ suavitatis unguentum fluxerit? Hoc de S. Euphemia tradit Baronius: de S. Nicolao, Surius, et noster Leonardus Perinus in vita eius, de B. Gualthero S. Francisci discipulo, Waddingus tom. 2. annal. Franciscan. de B. Brixio in Anglia Ordinis S. Dominici, Antonius Senensis in chron. Dominican.

Quæres quinto, Quinam sunt effectus illius sacræ unctionis in capite, id est, in mente nostra? Primo, reges 133. Effectus quinque sacræ unctionis in Euch.
et sacerdotes consecramur. De Aaron sacerdote dicitur Mosi Exodi 29. v. 7. *Oleum unctionis fundes super caput eius: atque hoc ritu consecrabitur.* De rege 1. Reg. 10. 1. De Christi unguento S. Gregor. Nazianz. orat. 4. *Unguentum ipse quoddam habeo, sed quo sacerdotes solum ac reges unguntur*, ἀντὶ ποικίλῳ καὶ πολυτελεῖ, *utpote vario et exquisito, ac nostri causa effuso*, μεγάλῃ μυρεψικῇ τέχνῃ συγκείμενον, *magni unguentarii arte confectum.* I. Reges facit et sacerdotes

II. Omnes animæ facultates afficit. Secundo, capite inuncto in cætera membra unguentum Eucharisticum defluit, id est, in omnes animæ facultates et potentias, atque in omnes cogitationes et affectiones. Infinitas unguenti differentias esse tradit Clemens Alex. lib. 2. pædag. et patet ex Plinio lib. 13. Dioscorid. lib. 1. cap. 53. et sequ. Marsilio Cagnato in appendice ad Ciacconii triclinium. Ad membra singula diversas unguentorum species adhibebant, sicut docet Antiphanes ἐν τοῖς Θορικίοις. *Lavat is*, inquit, *aureo quodam solio: unguento* 134.
Ægyptio pedes linit et crura: phœnicino, buccas et ubera: sisymbrino autem, utrumque brachium: amaracino supercilium et comam: serpillo, cervicem atque genua. Eucharistia vero ad omnes mentis facultates se extendit. S. Dionysius Areopagita cap. 3. Hier. Eccl. *Eucharistia omnium, quæ in singulis sacramentis peraguntur*, ἐν κεφαλαίῳ συναγωγῇ, *summam complectitur.* Huic præsertim caput subiiciendum est, ut semper oleo gratiæ abundet. Eccl. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua* (actiones externæ) *candida* (λευκά, id est, alba, nitida, splendida) *et oleum de capite tuo non deficiat.* Campensis vertit, sit caput tuum assidue delibutum unguento. Oleum pro unguento sæpe sumitur, quod, ut ait Plin. lib. 3. cap. 2. oleo unguenta serventur, et sæpe unguentario magmati, id est, massæ unguentariæ sit miscendum. Unguentis variis membra singula ungebantur.

III. Ebrietatem impedit. Tertio, unguentum in caput effusum ebrietatem impedit, aut tollit. In eam rem tradit Myronides libro de unguentis et coronis, veteres olim caput in comessationibus, unguentis pinguibus perfudisse: quod squalidius si caput sit, in altum efferatur sumptus cibus et potus. Et subiungit: *Ideo caput unxerunt, quod vini fore imbecilliorem vim crederent, si eo poculo veluti dilueretur.*

Eucharistia squalorem sordesque mentis tollit, et ardorem voluptatum atque ebrietatem impedit. S. Ambros. in orationem ad Missam: *Rex virtutum*, inquit, *castitatis et integritatis amator Deus, cœlesti rore benedictionis tuæ*

extingue in corpore meo totum fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor totius castitatis animæ et corporis. S. Chrysost. homil. 46. in Ioannem. *Si quis æstuat*, ait, *ad fontem se conferat, et recreabitur. Eucharistia mandat squallorem et sordes, æstus mitigat, non solares, sed quos ignitæ sagittæ imprimunt.*

135. IV. Iuvat sanitatem. Quarto, unguenta capiti ad sanitatem infundebantur; odor enim bonus cerebrum confortat et purgat. Alexis in Improbu. μεγιστον, inquit, αδμας εγκεφαλω χρηστας ποιειν, *maxima bonæ valetudinis pars, odores cerebro bonos obiicere.*

Eucharistia Christi bonum odorem offert. S. Gregorius Nazianz. orat. 40. *Dei*, ait, *sapientiam in mysterio: sapientiam inquam illam absconditam loquamur, igneas linguas venerantes olfacta curemur, ut ne effœminemur, et suavis odoris loco, pulvere conspergamur: sed unguentum illud nostri causa effusum odoremur, spiritali modo illud accipientes, atque ab eo ita efformati et commutati, ut ex nobis quoque suavis odor affletur.* Sensus omnes ibi reformandos S. Gregorius ait, Christumque abunde omnibus sufficere: oculis quidem ad visum, auribus ad auditum, etc. S. Ambros. tractatu de sacrament. *Medicina*, ait, *est cælestis et venerabile sacramentum.* S. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinthios monet, mortem animæ inferri per privationem huius mensæ. *Sicut*, inquit, *frigida ad Eucharistiam accessio periculosa est: ita nulla mysticæ illius cœnæ participatio, pestis est et interitus.*

V. Delectat. Quinto, unguenta capiti infundebantur ad delectationem, recreationem, et voluptatem. Plato vocat oleum, πονων αρωγον, *laborum subsidium.* Anacreon vult sibi unguento pectus oblini, quod Masurius apud Athenæum expendens, ait: *Hortatur sibi pectus ut ungat, in quo sedes est cordis:* ωσ και ταυτης παρηγορημενης τοις ευωδεσι, *tamquam odoris suavitate cor recreetur*, εν τη καρδια ψυχην καθιδρυσθαι, *in corde domicilium animi esse ait Praxagoras et Philotimus insignes medici.* Cum igitur in cerebro adhuc specialius mens operetur, unguentis recreatur. Vide Ps. 103. v. 16. *Ut exhilaret faciem in oleo.* Et Ps. 108. v. 24. *Caro mea immutata est propter oleum.* De lætitia orta ex sacramento altaris dicam articulo sequenti. Olei cum gratia collationem vide apud Ugonem loco cit. Ps. 108.

136. Lætitiam in Euch. non recipiunt duri corde. Dices, multi ad Eucharistiam accedunt, et tamen nullam spiritualem lætitiam percipiunt, neque inde molliores et flexibiliores ad virtutem redduntur. Respondeo id accidere, quia cor lapideum aut marmoreum habent. Alexander ab Alexandro lib. 5. Genialium dierum cap. 9. rem miram refert de oleo reperto in medio marmore. *Palamedes*, inquit, *amicus meus calcariæ fornacis præcipuus artifex, ingenio gnavo et industrio, auctor alioqui gravis, sæpe mihi retulit, se dum marmora discinderet, medio silicis, quæ nisi vi malleorum disrumpi haud facile poterat,* Oleum in medio marmore inventum a Palamede. *oleum quasi in vase conclusum invenisse, odoris immensi et aspectu iucundo, cui medica vis fuisse dicebatur, quo effuso manus sibi diu miro odore fragrarunt.* Quo autem pacto semper manente solida illa silicis materia, ibi oleum aromaticum seu unguentum coagulari et occludi potuerit, nescire se profitetur. Marmoreus est, qui cum sacrum Eucharistiæ unguentum ore versat ac pectore, ita obdurat, ut illud in mentis venas et arterias, intimasque fibras, non demittat.

137. Unguenta a variis populis reiecta. Dices secundo, multæ nationes unguenta reiecerunt. Lacedæmonii enim unguentarios omnes urbe sua exclusernnt. Solon apud Athenienses vetuit, ne viri unguenta venderent. Respondeo id esse verum de terrenis unguentis, Primo quia, ut ait Plinius lib. 13. cap. 3. est luxus e cunctis maxime supervacuus. Secundo, quia effœminant, et ad voluptates illicitas incitant. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 8. ait. Coronarum et unguentorum usum non esse necessarium, quia, εξωκελει εις ηδονας και ραθυμιας, *ad libidines et voluptates incitant maxime cum nox prope est.* Sophocles poeta in Cret. Venerem Deam, qua voluptas significatur, unguento perfusam fingit, et ad speculum se contemplantem. Ignem venereum excitat oleum mundi. Hoc recte explicabis per oleum, de quo Philostr. lib. 3. de vita Apollonii cap. 1. *In fluvio Hypasidis*, inquit, *bellua est albo vermi similis, ex qua liquefacto oleum fit, quo ignis excitatur,* και Ϛεγει αυτο πλην υελινον, *et vitro tantum contineri potest. Capitur autem solum regi hæc bellua, qua ille diruendorum mœnium causa utitur. Nam ubi muros eiusmodi pinguedo tetigerit, ignis accenditur,* κρειττον σβεστηριων, *qui superat omnia remedia, pro extinguendis incendiis inventa.*

Respondeo secundo, ab omnibus nationibus expeti Eucharistiæ unguentum cæleste, ut probavi psalmo præcedenti, sectione ultima fuse. Huic adaptes quod ait Socrates apud Athenæum lib. 15. *Olei quo utimur in gymnasiis,* και παρουσα ηδιων, και απουσα ποθεινοτερα, *et suavior est præsens odor, et cum abest, optabilior. Unguento namque servus atque ingenuus si madeat, odorem confestim uterque plane eumdem spirat: atqui liberali exercitatione odor conciliatur, et optimis institutis, et multo spatio temporis habet, liberalis ut sit atque iucundus.* In dies suavior fit Christus in Eucharistia. Huic dicamus cum Sponsa Cant. 1. v. 3. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Unguenta illa non faciunt molles et segnes, sed fortes et alacres cursores, ut possint comprehendere, in quo comprehensi sunt a Christo Iesu. Sophocles Palladem, cuius nomine mentem atque prudentiam et virtutem intelligimus, oleo perungi atque exerceri dicit. Tu impinguatus oleo Dei in hostes generosus athleta, sine ullo timore dimica, eorum unguibus non patebis. 138. Unguentum Euchar. ab omnibus est expetendum.

ARTICULUS IV.

Eucharistia mentem inebriat, et rebus terrenis contemptis eam Christi unit.

A cibo et unguentis David ad potum transit, v. eod. 5. Ver. 5. 4. Pars.
ET CALIX (vinum in calice datum. Est metonymia) MEUS INEBRIANS QUAM PRÆCLARUS EST, id est, præclarissimus est. præstantissimus, *quam peroptimus*, ut legit S. Cypr. Epist. 63.

Nota, pro *calix meus*, Septuag. nunc habent ποτηριον, id est, *poculum tuum*, ut S. Augustinus, Cassiodorus, et alii non pauci. Sed in Hebræo est כוסי *cosi*, hoc est, *calix meus*, ut vertit S. Hieronymus, Syrus, Chaldæus, Felix, Vatablus, Caietanus, et alii. Quin etiam S. Hieronymus in Epistola ad Suniam et Fretellam dicit: in editione Septuaginta interpretum haberi *calix meus*. Atque ex errore reperiri in quibusdam codicibus, calix tuus. Itaque lectio nostra melior est. Didymus utriusque lectionis meminit, et ait eumdem esse sensum. Nam Domini calix est, quia illum dat: et calix noster est, quia nobis datur. 139. Versio Septuag. interpretum hic est corrupta.

Nota secundo, pro *inebrians quam præclarus est*, in Hebr. est solum vox רויה *revaia*. Id est, primo *irrigans*, madefaciens, humectans. Ubi denotatur extinctio fomitis et ardoris tartarei per illum cælestem humorem nectaris et ambrosiæ; id est, potus ac cibi divini. Secundo *revaia*, id est, exuberans, sicut vertit Arias. *Superabundans*, ut Felix, redundantiam enim hæc vox importat, ait Mercerus. Ubi denotatur liberalitas calicem illum dantis Dei. Tertio, *revaia*, id est, *satians*, ut vertit Caietanus. Sic prata satiantur et recreantur aquis e fonte, rivo vel fluvio exundantibus. Pagninus reddit, *saturus*, id est, omnino plenus. Illa satietas denotat efficaciam calicis divini, et eius perfectionem, cui scilicet nihil desit. Quarto denique, *revaia*, id est, *ebrius*, ut habet Pagninus in thesauro, *inebrians*, ut Septuaginta, Noster, S. Hieronymus, S. Augustinus, Cassiodorus, Euthymius, Muisius, et alii. Septuag. habent μεθυσκον με, id est, inebrians me. Aldinus tamen codex non habet με. Syrus et Arabs vertunt, *inebriavit me tanquam merum.* Ubi suavitas et lætitia denotatur. Amorem Dei calicem illum dantis aperit Petavius, cum reddit καλιξ φιλοτησιος, hoc est, *calix amico propinatus*, amicitiæ conciliandæ aptus. Sic apud Theognidem φιλοτησιος κοτυλη, dicitur poculum, quod amicitiæ conciliandæ ergo alteri præbibi solebat. Item, ut ait Suidas, φιλοτησια, dicebatur dies, qua reges aurea vel argentea pocula prægustata porrigebant 140.

cui vellent, ut hac propinatione suam erga ipsum benevolentiam testarentur. Nam ipsa propinatio, seu invitatiuncula ad bibendum, a Græcis φιλοτησια dicitur.

141. Calix inebrians octuplex hic potest assignari. I. Contemplatio.

Quæres, Quis est hic calix inebrians? Primo, calix inebrians est contemplatio, in qua Deus mentem inebriat, et facit oblivisci omnium miseriarum et curarum: quia, sicut dicit poeta: Tunc veniunt risus, cum pauper cornua sumit. Hic calix quam præclarus est, id est, valde præclarus: quia fæces terrenarum et carnalium cogitationum et affectionum non commiscentur in illo calice. Ita Ugo. Contemplatio est cella vinaria: de qua Sponsa Canticorum 2. v. 4. *Introduxit me in cellam vinariam* (in domum vini. Hebraice) *ordinavit in me charitatem.* Quod sic ad rem præsentem exponit S. Gregor. *Quid per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate Angeli sancti vino sapientiæ inebriantur, dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spirituali satiantur.* Lege S. Bern. ser. 49. Ebrietas illa sanctæ contemplationis etiam in hac vita oritur a facie Domini. Ieremias de se dicit c. 23. v. 9. B *Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino a facie Domini* (Sept. captus a vino a facie Domini) *et a facie verborum sanctorum eius*, id est, ob eius verba, quæ sunt torrens inebrians omnes, in quos intrant. Si enim ab ore Homeri torrentes aurei defluere finguntur, quid fiet ex ore sapientiæ infinitæ? Septuaginta, *a facie gloriæ decoris eius.* Ipse aspectus hominum extra se rapit, ac Deo unit rerum omnium oblitum, eumque magis ac magis pascit et inebriat Deus verbis suis, ait enim Isaiæ 55. v. 10. *Quomodo descendit imber et nix de cælo, et illuc ultra non revertitur* (sine fructu scilicet: nam prius fructificat, quam per vapores redeat sursum) *sed inebriat terram, et germinare eam facit, etc. sic erit verbum meum* (id est, 1. Christus, 2. Evangelium, 3. promissio Messiæ) *quod egredietur de ore meo.*

Hoc est vinum, quod sapientia distribuit. Proverb. 9. v. 1. et 2. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam.* Didymus in Psalm. nostr. ait, vinum illud sapientiæ esse divinas speculationes, quas Deus singulis distribuit. Nicephorus vocat, poculum divinæ cognitionis potens adversus inimicos.

142. II. Verbum Dei.

Secundo, calix inebrians est verbum Dei; inebrians dicitur, quia per prædicationem compungitur homo in mente, quando separat hominem, id est, patrem a filio, filium a patre suo, matrem a filia, et filiam a matre sua, et nurum adversus socrum suam. Tunc nos inebriat, quando ista facit. Per calicem, mensura intelligitur: quia unicuique iuxta quod meretur, vel potest capere, sic dividit Deus. Ita S. Hieronymus.

III. Beneficiorum Dei memoria.

Tertio, calix inebrians est beneficiorum ac favoris Dei iugis memoria, mentem sua plenitudine perfecte exhilarans, atque in oblivionem mundanarum tum delectationum, tum afflictionum inducens. Ita Iansenius.

143. IV. Amor Dei.

Quarto, calix inebrians est amor Dei, quia ebrius non est in se, nec secundum se loquitur, sed secundum impetum vini: Sic qui est plenus divino amore, loquitur secundum Deum: est enim in extasim factus. Ita S. Thom. Et calix iste facit oblivionem temporalium. Ita Thomas Anglicus. Unde S. Augustinus lib. de agone Christiano, ait: *Talis ebrietas non evertit mentem, sed tantum rapit sursum, et oblivionem præstat omnium terrenorum.* Cantic. 5. v. 1. amici, id est, amati et amantes, ad hanc ebrietatem invitantur: *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi*, amici comedunt et bibunt, amicissimi inebriantur. Hebr. enim est דודים *dodim*, hoc est, amores, id est, summe amati et quasi ad ubera pasti usque ad satietatem, *dad* enim mammam significat. Aquila vertit, sodales. Syr. et Arab. *patrueles.* Sept. *fratres.*

144. Cellæ tres Sponsi: nempe aromatica, unguentaria, vinaria.

Sponsa dicit Cantic. 2. v. 4. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit* (Hebr. vexillavit) *in me charitatem.* S. Bernardus serm. 23. in Cantica, tres Sponsi cellas assignat: nempe aromaticam, unguentariam et vinariam: primam ait esse disciplinæ: secundam naturæ: tertiam A gratiæ. Additque dici vinariam, quod in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur. Et in sententiis ait, tres calices a Deo dari. *Tres*, inquit, *sunt calices, quos Dominus propinat nobis*, 1. *pœnitentiæ et doloris, qui est plenus misto;* 2. *pœnitentiæ et laboris, quem bibit Ioannes;* 3. *benevolentiæ et amoris, qui est inebrians et præclarus.* Triplex etiam vinum assignat. Primo, vinum malitiæ, quod effluit de uva fellis, quod amaritudinem peccati et mortis humano generi propinavit: quo inebriantur iniqui conformes facti ei. Secundo, aliud est vinum molestiæ, quod emanat de labrusca conditionis humanæ, quæ Domino suo acetum iniquitatis apposuit. Hoc vino quisquis inebriatur, non iniuste, sed merito peccati sui, a Deo hoc perpeti comprobatur. Tertio, aliud est vinum gratiæ, quod ex botro cypri, id est conditoris largitate decurrit: et hoc est mustum, quo Sponsi filii inebriantur: quod mittitur etiam ut in utres novos. De vino charitatis specialius Guilielmus in Cantica: *Vinum*, ait, *quod in cella Dei bibitur, est charitas et amor. Hoc vino nihil castius, sapidius, calidius: castius, quia quo magis bibitur, eo magis extinguit sitim concupiscentiæ: sapidius, quia præbet gustum, quam suavis sit Dominus, et ideo lætificatur cor hominis: calidius, quia velut ignis mentes piorum inflammat, renes urit et corda, potenter inebriat animam, et usque ad oblivionem sui inducit, plane tales ebriosi regnum Dei possidebunt.*

145. V. Omnis virtus.

Quinto, calix inebrians est omnis virtus perfecta, et consolatio ex illius amore et exercitio proveniens. S. Bernardus tract. de passione cap. 45. si tamen eius est hic tractatus, profert illud Cant. 8. v. 2. *Dabo tibi vinum conditum et mistum malorum granatorum meorum*, et de fide sic explicat: *Est vinum optimum fides perfecta, cordis sententia, et oris confessione pariter concordante. Et quod subditur, dabo tibi vinum conditum: fides bonis virtutum operibus condita et exercitata intelligitur.* Prius autem in Cantico dictum erat cap. 7. v. 9. *Guttur tuum sicut vinum optimum.* Orig. homil. 7. in Levit. generalius, omnem virtutum affectum ait esse ebrietatem sanctam. *Iracundia*, inquit, *inebriat mentem, furor vero eam plusquam ebriam facit, si quid tamen esse ebrietate amplius potest. Cupiditas et avaritia, non solum ebrium, sed et rabidum hominem reddunt, et obscœnæ concupiscentiæ inebriant animam. Sicut e contrario sanctæ concupiscentiæ inebriant eam, sed ebrietate sancta, illa de qua dicebat quidam sanctorum, et calix meus inebrians quam præclarus est.*

146. Anagog. VI. Felicitas æterna.

Anagogice, calix perfecte inebrians est suavitas æterna, oblivionem omnium malorum faciens. Psal. 35. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Iste calix præclarus, id est, præ aliis clarus. Calix vero impiorum non est clarus sed turbidus. Psal. 10. v. 7. *Sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Ita Thomas Anglicus.

147. Symbol. VII. Martyrii desiderium ardens.

Symbolice, calix inebrians est martyrium, et fervor atque consolatio in eo desiderando et exhauriendo. Christus dicebat filiis Zebedæi, id est, S. Iacobo et S. Ioanni, Matthæi 20. 22. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Sumitur metaphora a veteri ritu convivantium: Nam convivii præfectus, vinum cuique pro suo arbitrio et prudentia temperabat: et singulis suam partem, quam exhaurire deberet, præscribebat. Christus nobis præbibit et omnibus martyribus, ut alacriores redderet ad bibendum. Hic patiendi ardor patet in omnibus pene martyribus. Lege Epistol. S. Ignatii ad Romanos, Acta S. Laurentii, S. Vincentii, S. Clementis et S. Agathangeli, S. Panthaleonis, S. Theodori, S. Blandinæ, S. Catharinæ, Patris Marcelli Mastrilli e Societate nostra, Spinolæ, Sylveriæ, Campiani et aliorum, ac miram alacritatem in optando, quærendo, recipiendo martyrii calice reperies. Vide dicta Ps. 115. v. 4. in illa verba: *Calicem salutaris* (id est, Iesu, ut in Hebr. ait esse S. Hieronymus vox ישועות *iescinot*, salutes significat, q. d. calicem salutem, id est, salutarem: vel salvatoris omnem salutem dantis. Chald. calicem redemptionis) *accipiam, et nomen Domini* (Hebr. in nomine Domini) *invocabo.* Beda in Psal. nostrum ait: *Calix tuus, id est, imitatio passionis tuæ: calix dico non solum potans, sed inebrians, id est, demen-*

tans non corpus, sed animam: ut illum dementaverat, qui etiam ardorem ignis non sentiens dixit: Assatus sum. Ille inquam calix quam præclarus est: id est, quam dulcis et admirabilis est. Et S. Maximus homil. 1. de S. Cypriano: *Recte,* ait, *martyrium vindemiis comparatur; habet enim et ebrietatem suam, habet et calicem suum, de quo dicit Propheta David: Et calix tuus inebrians quam præclarus est. Et ipse Dominus in passionis suæ exitu constitutus, ait: Pater, si possibile est, transeat calix iste a me. Et iterum Propheta calicem salutaris, etc. Recte, inquam, calix martyrio comparatur: quia sicut calix cum bibitur, omnis humor noxius vini calore decoquitur, ita et martyrii poculum cum hauritur, omnes peccatoris fæces, passionis gloria temperantur. Vinum ergo quoddam salutare martyrii est, quod cordi lætitiam præstat, calorem fidei, animæ puritatem. Vinum plane est spiritale Dei, illa uva quæ pro salute omnium pependit in ligno. Sicut enim botrus redditurus vinum prius in vinea, quadam naturæ arte suspenditur: ita et Christus editurus vinum spiritale martyrii in cruce providentia divinitatis aptatur.*

148. Allegor. et liter. VIII. Sanguis Christi in Euch. Allegorice, seu potius literaliter, *calix inebrians est* calix sanguinis Christi, qui datur in sacrificio incruento Eucharistiæ. Ita S. Thomas, Lombardus, Cassiod. Ruffinus, Genebr. Valentia, S. Cyrill. Ierosolym. Catech. 4. mystagogica. Berengosius serm. 2. de natali martyr. et alii plurimi. S. Bern. sermone de corpore Christi, liquores suavissimos in hunc Eucharistiæ calicem immittit. *Hic*, inquit, *bibuntur torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis.* Vinum quoque non deest, ut ait S. Chrysologus sermone 160. ubi postquam egit de conversione aquæ in vinum facta in Cana Galilææ, subdit: *Sed aqua in sanguinis erat convertenda mysterium, ut meraca pocula de vase corporis sui Christus bibentibus propinaret, ut impleret illud Prophetæ: Et calix tuus inebrians quam præclarus est.* S. Cyprianus Epist. 63. in qua probat non aquam, sed vinum consecrandum esse ait: *Cum dicat Christus Ioan. 15. v. 1. Ego sum vitis vera, sanguis Christi non aqua est utique sed vinum.* Optatus Milevitanus lib. 6. de schismate Donatistarum, vocat calices, sanguinis Christi portitores. Et S. Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinthios nuncupat, ποτηριον φοβερον και φρικωδεστατον, *poculum terribile, et maxime formidandum,* αρρητον δωρεαν, *ineffabile donum.* Unde concludit: *Si sanguinem cupis, non aram idolorum brutorum cæde, sed meum altare meo cruenta sanguine.*

149. A Iacobo in vinea typo adumbratus. Iacob benedicens Iudam Gen. 49. v. 11. agens de Christo etiam ad literam, ut S. Ambros. S. Chrysost. et prope omnes patres exponunt, ait: *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem* (Hebraice שׂוֹרֵקָה *soreca*, genus vitis optimæ et electæ) *o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam* (id est vestimentum suum, ut vertit Pagn.) *et in sanguine uvæ* (in vino) *pallium suum. Pulchriores* (Hebr. חַכְלִילִי *chaclili*, id est, rubicundiores, ut vertit Pagninus, ardentiores, magis radiantes et fulgentes, ut alii reddunt) *sunt oculi eius vino, dentes eius lacte candidiores.* Christus ad vineam suam, id est, ad humanitatem suam, ligat pullum suum, id est, populum gentilem: et ad vitem suam, id est, eamdem humanitatem, ligat asinam suam, id est, synagogam Iudæorum. Lavat autem in vino, id est, in sanguine suo, stolam suam seu vestem, id est, species sacramentales, quibus in altari vestitur veste et pallio. S. Cyprianus id de Eucharistia explicat in Epistola 63. *Quando*, ait, *uvæ sanguis dicitur: quid aliud quam vinum calicis Dominici sanguinis ostenditur?* Ideo calcatus est Christus in crucis torculari, ut vinum semper funderet: ibi dat vinum cum lacte. Cant. 5. v. 1. *Bibi vinum cum lacte meo*, id est bibi cum Apostolis, imo eis præbibi et exemplum dedi devote bibendi meum sanguinem in Eucharistia latentem sub specie vini: cum lacte meo: Lac est deitas Verbi latens sub sanguine eiusque pinguedo et dulcedo: ac dulcissima doctrina, gratia, inspiratio et consolatio, quæ animam in spiritu nutrit, impinguat et exhilarat. Sicut enim lac ex mamilla matris profluit: sic Verbum ex vi generativa patris, quasi ex mamilla procedit, ut homines lactet, doceat et pascat. Ita Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 6. qui id confirmat ex 1. Petri 2. vers. 1. ubi pro *rationabile Lac*, Græce est λογικον γαλα, per quod Clemens intelligit *verbale Lac*: hoc est, Lac quod est ipsum Verbum Patris æterni: unde ipse sic legit. *Tamquam modo geniti infantes verbale Lac concupiscite, ut in ipso crescatis in salutem: si gustastis quod Christus est Dominus:* id est, Deus. q. d. Concupiscite bibere sanguinem Christi in Eucharistia, ut simul cum ipso Verbum ipsum eiusque Deitatem, seu lac divinum bibatis, ita fiet, ut crescatis in gratia, quæ vos ad salutem et gloriam deducet: si tamen gustastis, id est, gustu interno animæ ex ipsa dulcedine Eucharistiæ, Christique in animam illapsu cognovistis, quod Christus est Deus. Addit Clemens, Lac denotare sanguinem Christi: Lac enim non est aliud quam sanguis concoctus, candidus, et dulcis, ad alendum peridoneus. S. August. vero in Ps. 33. conc. 1. docet, Verbum esse panem Angelorum, quod scilicet in se purum et merum pascit Angelos, sed panem hunc specie externa videri mutatum in carnem, cum Verbum caro factum est: carnem vero in Lac, cum ut hominibus quasi parvulis lactescat, eosque ut lac nutriat, candidas, et quasi lacteas azymi panis species in Eucharistia induit. *Sicut*, inquit, *quia minus aptus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat,* (id est, comedendo et digerendo, vi caloris naturalis in carnem vertit) *et per humiditatem mamillæ, et lactis succum, de ipso pane pascit infantem*, puta lacte, in quod convertit panem. Ita Cornelius. Invitantur autem amici, ut comedant et bibant; et charissimi, ut inebrientur, ut dixi supra.

150. Ebrietatis divinæ ex Euchar. ortæ octo sunt effectus. 1. Sobrietas mentis, id est, abstinentia a peccatis. Quæres igitur secundo, Quinam sint effectus ebrietatis ortæ ex vino Eucharistico? Primo, calix Iesu inebrians sobriam animam facit, et a peccatis abstinentem. S. Cyprianus Epist. 63. ait, a Davide *calicem quam peroptimum* appellari, quod bibentes inebriat, ut sobrios faciat. Verba eius sunt: *Quia ebrietas Dominici calicis et sanguinis non est talis, qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in psalmo: Calix meus inebrians; addidit quam peroptimus, quod scilicet calix Dominicus, sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sopore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat: Et quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur, et tristitia omnis exponitur, ita epoto sanguine Domini, et poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, et fiat oblivio conversationis pristinæ sæcularis, et mæstum pectus ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur.* Et sermon. de cœna Domini, si tamen eius est ille sermo, sunt enim qui dubitent. *Hæc ebrietas,* inquit, *non accendit, sed extinguit peccatum. In hoc vino non est luxuria, nec movetur ad ludum post hunc potum lascivia.* S. Ambrosius libro de Noe cap. 29. Ebrietatis, inquit, species gemina est. Una quæ titubationem corpori afferat, atque eius supplantat vestigia, sensumque perturbet. Altera quæ mentem virtutis vaporet gratia, et omnem infirmitatem videatur avertere. Ebriosos recte Dionysius, quem Æneum cognominant, appellat κυλικων ερετας, poculorum remiges, quibus vinum sit instar maris, in quo eorum ratio mergatur. Lepidam narratiunculam de ea re vide apud Athenæum lib. 2. cap. 2. de quibusdam iuvenibus ebriis, qui putantes se in triremi esse et horrenda tempestate iactari, domus vasa omnia et stragula foras eiiciebant, velut in mare, ut navem exonerarent. Hinc domus illa Triremis vocata est Agrigenti, ut refert Timæus Tauromenites. Ebrietas vero alia est sobria, quæ mentem in portu et tranquilla statione ponat, ne amplius mundi fluctibus iactetur. Philo libro de temulentia, τροπον τινα, inquit, μεθυουσιν οι νηφοντες, τα αγαθα αθροα κρατισμενοι, και τας προποσεις παρα τελειας αρετης δεξαμενοι. *Est quædam ebrietas sobriorum, qui bona meraca hauriunt, et propinationes a perfecta virtute accipiunt.*

Philo idem libro de plantatione Noe, tractat fuse hanc quæstionem, an sapiens inebriari aliquando debeat, et se-

cundum aliquorum sententiam permissum ait sapienti, vino madere, non vino delirare: prudentiam enim esse tantæ efficaciæ, ut velut ex alto mari illum extrahat, in quo urinandi imperitus periret. Ex sua autem sententia permittit sapienti inebriari ob salutem patriæ, honorem parentum, liberorum, aut coniunctissimorum securitatem, aut in universum ob privatum aliquod publicumve negotium: sed errat: non sunt enim facienda mala, ut eveniant bona. Addit autem vere ipse Philo vinum largius sumptum esse θανατηφόρον φάρμακον, *venenum mortiferum, per quod homo e vita profligetur, tamquam ex patria.* Græcos artem vini parandi, μαινομένην, q. d. furentem et insanientem vocare, et occupatas vino bacchas, μαινάδας, id est, insanas. At vero ebrietas orta ex calice Christi sobria est. Titulus Ps. 33. hic est: *Davidi*, id est, Christo, *cum immutavit vultum suum*, (Hebr. טעמו taamo, id est, gustum suum) *coram Achimelech*, id est, Achis rege Geth, quando ferebatur manibus suis: quod S. August. exponit de Christo Eucharistiæ sacramentum instituente, et seipsum manibus ferente. Ubi ait: *Psalmus ostendit sanam et sobriam ebrietatem.*

151. II. Sapientiam dat. Secundo, *calix inebrians*, quem Christus sapientia increata et incarnata alumnis suis et filiis proponit, dat sapientiam et intelligentiam. Si enim dicitur Eccles. 15. v. 3. *aqua sapientiæ salutaris potabit illum*, sapientia timentem Deum, quanto magis vino intelligentiæ inebriabit amantem? Convivium illi sacrum instruit. Prov. 9. 1. et seq. *Sapientia ædificavit sibi domum* (Ecclesiam) *excidit columnas septem*, (Sacramenta septem) *immolavit victimas suas, miscuit vinum et proposuit mensam suam.* Hoc de Eucharistia exponunt S. Athanasius, S. Cyprian. S. Isidorus, S. Hieron. et alii. Et quidem S. Hier. in Isaiæ cap. 55. vers. 1. *Emite*, ait, *absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. Spreto illo argento et pecuniis, quibus aquas Domini emere non possumus, pergamus ad eum, qui calicem tenens Sacramenti, Discipulis loquebatur: Accipite et bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Quod vinum miscuit et sapientia in cratere suo, omnes stultos sæculi, mundique sapientiam non habentes, provocans ad bibendum.* Dicit deinde sapientia invitatis, et sacro hoc poculo inebriatis v. 6. *Relinquite infantiam*, (id est, infantiles nugas et cupiditates. Sept. Complut. insipientiam. Roman. stultitiam. Chald. amandate a vobis insipientes vecordiam) *et ambulate per vias prudentiæ.* Syr. vias rectas cogitate; 2. Hebr. Dirigite in via intelligentiæ; 3. Aquila, recte ite in via intelligentiæ; 4. Septuag. Corrigite scientiam et intelligentiam. Qui enim vult viam bonam inire, primo de ea cogitat, deinde in eo se dirigit, tum securus per eam pergit: denique evitat viæ diverticula et anfractus in errorem inducentes.

152. III. Mentem amore inflammat. Tertio, *calix inebrians* a Christo porrectus est philtrum cæleste atque divinum, mentem ardentissimo, sed castissimo amore inflammans, adeo, ut de solo dilecto cogitare possit. Statim ut Sponsa introducta est in cellam vinariam Sponsi, sensit in se ordinatam esse charitatem. Cant. 2. 4. Ordinata autem charitas, ea quæ sunt amore digniora, ardentius amat. Quid autem est amabilius ipso dilecto? et per dilectionem seipsum totum summa cum suavitate in os, pectus, cor, et totam animam dilectæ infundente. Si in osculo meliora sunt ubera eius vino, fragrantia unguentis optimis, quid erit totalis infusio et donatio sine ulla reservatione, ut plene amato perfruatur, eamque teneat, sugat, amplectatur, osculetur, possideat tota toti unita, et in ipsam transformata? S. Chrysost. donationem proprii sanguinis in Eucharistiæ Sacramento contemplans, ait hom. 24. in 1. ad Corinth. *Quid hoc poculo*, φιλοστοργότερον, *amabilius. Qui amant, in possessionibus quidem, pecuniis et vestibus suam ostendunt liberalitatem et magnificentiam; in sanguine autem, nullus umquam: Christus autem etiam in eo suam nostri ostendit curam*, καὶ τὴν θερμὴν περὶ ἡμᾶς ἀγάπην, *et ardentem in nos charitatem.* Cellam vinariam itaque intellige summam et intimam Sponsæ cum Christo in Eucharistia unionem, quæ fiat non tantum per communem charitatis affectum, sed per effectum etiam et realem purissimarum mentium cum Christo coniunctionem. Hæc unio mirabilis, si ex parte Christi consideretur nihil aliud est, quam illapsus sive manifestatio ipsius Christi occulte in Sacramento existentis, se tamen ostendentis purgatissimis mentibus sub ratione summæ lucis, et ineffabili quodam contactu ad earum spiritumque pertingentis: qui contactus nihil aliud est, quam dulcissimus amplexus, et deosculatio Christi, qua Sponsam dilectissimam suaviatur: Ex parte vero animæ est mutuus amplexus, quem consequitur experimentalis ipsius Christi perceptio, per quem spiritalis dulcedo in ipso Deo possidetur. Ea porro perceptio nullius hominis meritis, aut dispositioni respondet, cum sit gratia gratis, et ex mera Christi liberalitate paucissimis concessa. Ita Salianus noster lib. 11. de amore Dei, cap. 12. sequens S. Cypr. S. Bern. S. Bonav.

153. IV. Dat lætitiam. Quarto, *calix inebrians* quem dat Christus in Eucharistia est fons veræ, solidæ, sanctæ, cælestis et divinæ lætitiæ. Christus est verus Ioseph cum quo discumbentes fratres inebriantur. Genes. 43. 34. *Biberunt, et inebriati sunt* (Pagnin. *inebriaverunt se:* et Ioseph ad potum eos modeste invitabat, et ipsi præ hilaritate se faciles præbebant ad bibendum) *cum eo;* et Ioseph consequenter cum illis. Inebriati sunt, id est, exhilarati sunt, hilariores facti sunt, mero incaluerunt, sed citra crapulam et temulentiam. Virtus alacritatem amat et ebrietatem sobriam. Philo: *Sapientia*, inquit, *non est res dura et tetrica, devincta cogitationibus tristibus; sed* ἔμπαλιν ἱλαρὸν γαληνίζον, μεστὸν γηθοσύνης καὶ χαρᾶς, *perpetua tranquillitate hilaris, plena gaudio et lætitia.* Et infra: *Quod aliud negotium sapientem decet quam ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia? Unde liquet, quod temulentus erit temulentia conferente ad bonos mores, et offerente coniunctam utilitati relaxationem. Videtur enim merum ea, quæ cuique a natura indita sunt, augere atque intendere.*

In convivio Ioseph figuratur Euchar. lætificans. Hanc sanctam et lætam ebrietatem dat Eucharistiæ poculum. S. Ambros. in Psal. 118. serm. 15. ad sacrum hunc potum invitans, ait: *Venias ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam inducat de remissione peccati, curas sæculi huius, metum mortis solicitudinemque deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit animus: non confunditur, sed consecratur.* Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. vocat Eucharistiam, *sanctum lætitiæ fluentum;* et S. Cyprianus serm. de Cœna Domini: *Cum*, ait, *sopivit oblivio cuncta carnis ludibria: mira sunt, quæ sentit, magna, quæ videt, inaudita, quæ loquitur, quem Agnus iste Paschalis inhabitat: cuius animam meri huius fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat et delectat.* Hæc est musica, quæ auditur in convivio patris prodigum filium et inedia perditum reficientis. Luc. 15. 25. *Cum appropinquaret domui* (frater eius senior) *audivit symphoniam* (Arab. concentum musicum) *et choros*, tripudium saltantium. Ad rem nostram S. Hieron. epist. 146. Hoc convivium, ait, quotidie celebratur, quotidie Pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur. Ita ipse. In sacrificio autem honesta et sacra est ebrietas. Nam μεθύειν, id est, inebriari, dicitur quasi μετὰ τὸ θύειν, hoc est, post sacrificium: vel ἀπὸ τῆς μεθέσεως, id est, a remissione et relaxatione animi. Et in musica patris ad mensam admittentis prodigum.

154. Musicam illam non percipere est signum vetustatis spiritalis. Signum est senectutis spiritualis, cum quis illam musicam non percipit et illius vini suavitatem: sic dicebat Berzellai Galaadites Davidi eum ad aulam suam invitanti, 2. Reg. 19. 35. *Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus et potus? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri Domino meo Regi?* Deo est onerosus, qui non est lætus, et non delectatur eius calice. In senectute corporis et animæ, ut dicitur Eccle. 12. 3. *tenebrescunt videntes per foramina*, id est, oculi contemplationis, *et obsurdescunt omnes filiæ carminis*, hoc est, aurea docilitatis, *et dissipatur capparis*, hoc est, appetitus charitatis. Contra vero accedens cum puritate et ardore at-

que gustu lætatur. Innocentius III. lib. 1. myster. Missæ, cap. 44. Panis iste, ait, si digne manducetur, impinguat: et calix si digne bibatur, inebriat, non corpus, sed cor: non ventrem, sed mentem. Tertullianus lib. de ieiunio cap. 7. Semper, inquit, inedia, mœroris sequela est: sicut lætitia, accessio saginæ. In omnes afflictiones potens est Eucharistia, ut docet S. Chrysost. in Ps. nostr. *Ista*, ait, *mensa agnoscitur altoris Domini consecratio. Qui sunt isti, qui nos tribulant? suggestiones inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates, exculi honores. Isti tribulant, quia qui ita vivunt, tribulationes habent. Sed veniunt ad mensam potentis considerantes ea, quæ apponantur eis, accipere cum timore et tremore, et tribulationes efficiantur consolationes.*

155. Mundi gaudia sunt sordida.

Religiosam hanc ebrietatem iure vocat S. Cyprian. postea citandus: at vero pleraque mundi gaudia et lutulenta sunt et amara. Sunt vel aqua Nili turbida, vel aqua Mora in deserto, aut sulphurota in Pentapoli. Darius Rex Persarum turbidam aquam et tabo e cadaveribus fluente infectam cum bibisset in fuga, negavit umquam se bibisse iucundius, ut tradit Platina lib. de optimo cive. Idem contigisse Xerxi item Persarum Regi putridam ex Coaspe fluvio aquam bibenti memorat Ælianus lib. 12. var. hist. Artaxerxi etiam, qui negavit aqua illa fœtente vinum se umquam bausisse suavius hoc ipsum accidit, ut ait Erasmus. His emblematis lutulentas mundanorum delicias possis depingere. Acerbitatis vero voluptatum terrenarum symbolum est calix Cleopatræ. Cum enim hæc Ægypti Regina de magnificentia in cœna cum Antonio certarit, phialam poposcit, cui aceti nonnihil acris infudit, atque illuc Unionem demptum ex aure altera festina demisit, et mature dissolutum, ut natura est eius lapidis, absorbuit. Hæc una margarita centies sestertium æstimata fuit, ut ait Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 17. id est, centies centena millia nummorum sestertiorum, hoc est plusquam terna centena millia aureorum. Sed illa potio aceto mista erat et cum aceto sumebatur, hoc est, cum dolore tantæ iacturæ, et cum indignatione ob inanes sumptus. Aut certe, voluptatis poculum, est poculum aureum meretricis Babyloniæ, quod plenum est abominatione et immunditia, Apocal. 17. 4. *Mulier erat circumdata purpura, et coccino et inaurato auro* (id est, non vero et solido, sed fucato et superficiali, vel, auro duplici) *et lapide pretioso, et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, et immunditia fornicationis eius.* Alludit, ut ait ibi Cornelius, ad meretrices et veneficas, quæ in calice aureo propinant sua philtra amasiis. Philtra enim veneficarum fiunt ex cineribus bufonum, ranarum, serpentum, aliarumque rerum immundarum, et abominandarum. Poculum autem illud aureum est mundano felicitas, imperii maiestas, terror et splendor, opumque et rerum omnium abundantia.

Darius Rex bibit aquam lutulentam cum delectatione. Et alii.

Cleopatra in aceto bibit unionem.

Poculum aureum meretricis Babyloniæ, est poculum voluptatis.

156. V. Calix Euchar. morbos animæ pellit.

Quinto, *calix inebrians*, quem Christus dat servis suis in Eucharistia, morbos animæ pellit, et vitam conservat. Dicebat quidam Imperator ad sanitatem bonum esse semel in mense inebriari, sed errabat: quia ebrietas est causa innumerorum morborum. Origenes hom. 7. in Levit. *Ebrietas*, inquit, *omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebris applet, mentem velat oblivio, ita ut hominem se nesciat esse, nec sentiat.*

Eucharistiam vocat Christus Ioan. 6. 48. *Panem vitæ.* Possis et calicem vitæ dicere. Nam subdit vers. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Philostratus lib. 3. de vita Apollonii, c. 1. ait, prope fluvium Hyphasidem asinos sylvestres capi, iisque cornu in fronte esse, quo taurorum more generosissime pugnant. Conficere autem Indos ex illis cornibus poculo: *Asseruntque nullis morbis eo die affici, qui eiusmodi poculo potaverint: neque si vulnerati fuerint, dolere: et ex igne etiam incolumes egredi, neque ullis venenis lædi, quæcumque nocendi gratia in potu dantur.* Ideo Regum esse eadem pocula: et Regi tantum eiusmodi feræ venationem permitti. Sed tum demum se id crediturum ait Apollonius, si huius regionis immortalem esse Regem intellexisset, quod probabile sit illo poculo quotidie uti. *Nemo enim*, inquit, *ut puto, calamitabitur eum, qui tali poculo etiam inebrietur.* Phile Poeta græcus idem de illo fictitio poculo narrat: αφαιρει κακην μεθην, και τη παντος αντιφαρμακον μενει. Medetur ebrietati pessimæ, et adversus venena omnia est antidotum, ιεραν καταιρει νοσον, et sacrum morbum pellit. Hæc et alia Phile in poemate de animal. proprietatibus. Quæ vera sunt de ligno, id est, arbore vitæ, et eius succo, Poetæ ad fabulas traduxerunt. Verus vitæ succus est calix Eucharisticus.

Sexto etiam *calix inebrians* in Eucharistia semper novum robur et vires animæ sufficit. Vires reddit fatigato et sitienti vel ipsa aqua, in ea esse aliquod robur, denotatur Isaiæ 3. 1. ubi ait: *Ecce dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem, et a Iuda validum et fortem, omne robur panis* (id est succum, et vim alendi in pane) *et omne robur* (Hebr. משען *mishan*, fulcrum, baculum, scipionem) *aquæ.* Cervus ex cursu fatigatus, vires in aqua resumit. In vino autem longe maius est robur: quia cito vertitur in spiritus vitales et animales. Hinc varii populi ante pugnam se vino implent, ut vegetius et alacrius in hostes ferantur. De ebrietate spirituali ait S. Ambr. lib. de Noe, cap. 29. *Ebrietas illa præclara omnem infirmitatem carnis excludit, de qua scriptum est: Poculum inebrians quam præclarum est. Quid est ista ebrietas? Inebriamini, inquit, non vino in quo est* luxuria, *sed implemini Spiritu sancto:* qui est mustum, quo impleti Apostoli ita roborati sunt, ut qui prius præ timore latebant, foras prodierint, plurimos Christo lucrati sint, et iverint gaudentes in ipsis contumeliis et flagellis. Et speciatim S. Chrysost. hom. 45. in Ioan. agens de calice Eucharistico, dicit: *Hic sanguis facit, ut imago in nobis regia floreat: hic sanguis pulchritudinem atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat et nutrit, languescere non sinit.* Hoc calice erant inebriati Martyres, tormentis omnibus fortiores, et rerum omnium terrenarum, ipsorumque parentum, liberorum, uxorum, civium, et amicorum obliti. S. August. tract. 27. in Ioan. de S. Laurentio ait: *Quia bene manducaverat et bene biberat, tamquam esca illa saginatus, et illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Ut vinum corporale det robur, sumendum est citra ebrietatem, alioqui nervos dissolvit et debilitat. Unde Origenes homil. 7. in Levit. Est, inquit, ebrietas vini perniciosa in omnibus; sola est namque, quæ simul cum corpore etiam animam debilem reddit. Statim ut S. Catharina Senensis Eucharistiam perceperat, sibi satiata videbatur perinde, ac si quoslibet cibos percepisset, et roborata cernebatur: cum sacrum hunc cibum non recipiebat, erat ita debilis, ut vix victura videretur.

157. VI. Vires dat animæ.

Septimo denique, *calix inebrians*, quem Christus dat in Eucharistia, nos ipsi intime unit et agglutinat. Primo, sicut os viatoris præ siti et ardore deficientis, fonti vitæ, ut inde vires et refrigerationem hauriat, Ps. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate* (de pinguedine. S. Hieron. est catachresis) *domus tuæ* (id est, Ecclesiæ: ubertas eius est doctrina, quæ sobria mente inebriat, ait Didym. 2. affluentia rerum spiritualium et corporalium, ut Nicephor. 3. sanguis et aqua de Christi latere fluentes, ut Hesych. 4. ebrietas poculi salutaris, quod præclarum dicitur seu validum. Græc. κρατιστον, ad abluenda et delenda flagitia, ut S. Ambros.) *et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ*, in Eucharistia, quæ erit etiam in cælo, ut ait Recupitus (sed non credo) quæque in Ecclesia fundit vitam sibi unitis. Nicetas Choniata thesauri orthodoxi lib. 4. cap. 36. *Ut uno verbo dicam, divina munera* (sic vocat Eucharistiam) *nihil aliud sunt quam copula cum Christo, veraque vitæ causa.*

158. VII. Deo nos Euchar. unit quatuor modis. I. Velut os viatoris sitibundi, fonti vitæ.

Secundo, calicem inebriantem sumentes uniuntur Christo, sicut lactens pupulus maternis uberibus, ex quibus ore, labiis, lingua, manibus, vultu toto lacteolum rorem exprimit, Cant. 5. 1. *Bibi vinum cum lacte meo.* Lac est Christi Divinitas latens sub sanguine in Eucharistia posito et occultato sub vini specie. Itaque vere et pie S. Cyprianus serm. de cœna Domini: *Quam præclarus*, inquit,

159. II. Velut lactentem mammis matris.

calix iste, quam religiosa est huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, et quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum huius mundi, sed divitis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus, sanguinem sugimus, et intra ipsa Redemptoris nostri vulnera figimus linguam, quo interius exteriusque rubricati a sapientibus huius sæculi iudicamur amentes, etc.

160. III. Velut sponsam sponso. Tertio, calicis Eucharistici sumptio est coniunctio animæ velut Sponsæ cum castissimo, purissimo, et suavissimo Sponso suo, ut in cælesti hoc connubio virtutes generentur. Sponsa dicit Cant. 8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ* (Syr.) *suxerunt ubera* (tua scilicet) *agni mei,* (id est, fideles, qui sunt in meis caulis) *ut inveniam te foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat?* Anima pia ibi optat Christum suscipere in venerabili Sacramento, in quo Christus quasi fit frater noster, nos suo corpore pascens, ibique eum osculamur, dum ore corporis, et multo magis mentis eum suscipimus. Ita Apon. et Gislerius. Eucharistia enim est pignus futuræ gloriæ: per illam enim resurgemus in vitam æternam, ut docet Christus Ioann. 6. Hac de causa Christus specie parvuli apparens S. Francisco, S. Antonio de Padua, S. Edmundo Cantuar. Episcopo, et similibus Sanctis, se illis osculandum dissuaviandumque præbuit. Hoc reipsa se in seipso expertum asserit Rupertus Abbas Tuitiensis scribens in cap. 26. Matth. lib. 52. pag. 562. Narrat enim se, cum laboretur capessere Sacerdotium, seque tanto gradu indignum iudicaret: vidisse Christum crucifixum in altari se intuentem et invitantem ad amplexum: *Quare altare*, inquit, *per medium sese aperuit, meque introrsus currentem suscepit. Quod cum festinus introissem, apprehendi, quem diligit anima mea, tenui illum, amplexatus sum eum diutius, osculatus sum eum. Sensi quam gratiter hunc gestum dilectionis admitteret, cum inter osculandum suum ipse os aperiret, ut profundius oscularer. Plane hoc agebatur, hoc illa significatione parabatur, ut fieret illud, quod in Canticis dilecta exoptans dicit: Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris et deosculer, et iam me nemo despiciet.* Ex hac visione sensit Rupertus, sibi desiderium Sacerdotii immitti, ut quotidie sacrificans cum Christo in Eucharistia dissuaviaretur, eumque manducando amplecteretur et oscularetur. Ita Cornel. Magis vero adhuc ad rem nostram apte S. Ephrem. de extremo iudicio et compunctione: *Calix*, ait, *tremendi tui sanguinis, lumine ac vita plenus, nobis ecce præsto est. Est nostra anima Sponso sancta facta immortalis Sponsi. Nuptiarum autem copulæ divina sunt Sacramenta, per quæ sancta anima iungitur Sponso, dum cum timore ac tremore digne sumitur.*

161. IV. Velut membra capiti. Quarto denique, calix inebrians in Eucharistia dat nobis Christum, cui velut membra capiti uniamur. De eo ait Paulus 1. Cor. 11. 3. *Viri caput, Christus est.* Nec viri tantum, sed etiam omnium. Ephes. 1. 22. *Ipsam dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, et plenitudo eius.* Græce πλήρωμα, id est, complementum. Caput enim corpore completur et perficitur. Sese autem unit suo corpori, et in illud influit per donationem sui in Eucharistia. 1. Corinth. 10. v. 16. *Calix benedictionis* (a Christo benedictus; 2. qui a Sacerdote benedicitur; 3. qui recipientem, ut ait S. Chrysost. et S. Anselmus, benedicit et gratia cumulat. Calix autem, id est, potus calicis) *cui benedicimus* (eum consecrando) *nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Theophylactus notat in Græco esse κοινωνία, id est, communicatio, ut aliquid excellentius indicet, nempe *summam unionem*. Et Œcumenius: *Agglutinat*, inquit, *nos Christo sanguis eius propter ipsam participationem, non secus ac membra capiti.*

Nasamonum mos in fœdere sanciendo. Cum tanta charitate et tot modis Christus nobis unire se desideret, et reipsa sæpius univerit, sanguine proprio fœdus nobiscum initum sanciendo, quomodo illi fœdifragi sumus ob amicitias in pulvere et luto contractas? Herodotus lib. 4. *Apud Nasamones*, inquit, *fidei dandæ consuetudo hæc est: De manu alterius uterque sumpto invicem poculo bibit. Quod si nihil humoris habuerint, sumptum e terra cinerem lingunt.* Quantum voles linge pulverem, siccus est, aridus, te fœdabit, et cito a te avolabit. Impii sunt tamquam pulvis quem proiicit ventus a facie terræ: nec sibi invicem, nec Christo uniuntur, tu illos desere, et fonti tuo, parenti, sponso, capiti adhære, eo fruere, et succum tibi oblatum ebibe, ut in novum hominem convertaris.

ARTICULUS. V.

Eucharistiam pie suscipientes misericordia Dei tota vita subsequitur.

Suavitas mensæ Christi in cibo, potu, et oleo, id est, unguentis, non est tantum unius brevis horæ, sed si velimus, tota vita durat, et gratiæ inde fluentes. Hinc additur vers. 6. ET MISERICORDIA TUA SUBSEQUETUR ME OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ: ET (subsequatur me) UT INHABITEM IN DOMO DOMINI IN LONGITUDINEM DIERUM. Vers. 6. I. Pars.

162. Misericordia Christi triplex. Nota, misericordia illa Christi potest intelligi Primo, ipsemet Christus, qui est summe misericors, et ipsa misericordia in medio templi, ut iam dixi. Secundo, misericordia illa Christi sunt gratiæ omnes actuales, et augmenta gratiæ habitualis sanctificantis ex perceptione Eucharistiæ exorta. Tertio, latius possis sumere de omni gratia, ut multi accipiunt, sed censeo agi præsertim de ea, quæ oritur ex ipso Sacramento velut fonte: vel, quæ datur illius intuitu.

163. Gratiæ prævenientis et subsequentis acceptiones. Nota secundo, varie a variis hic sumi misericordiam seu gratiam Dei prævenientem et subsequentem. Primo, S. Hier. ait prævenire per fidem: subsequi, in custodia mandatorum. Secundo, Ruffin. prævenire nolentem, ut bene velit: volentem adiuvare, ut perficiat: operantem subsequi, ut perseveret. Tertio, Cassiod. præcedere ad misericordiam conferendam: subsequi ad iustitiam: quia si solum sequeretur, nemo donata perciperet: si tantum præcederet, nullus posset collata servare, propter graves insidias atque tentationes. Unimo, eodem fere modo, præcedere misericordiam, conferendo gratiam: subsequi, ad hanc servandam et custodiendam. Quarto, Bruno, misericordiam subsequentem ait esse, ut de bono provehamur in melius. Quinto, S. Thomas, *præveniens misericordia est accessoria, quia inspirat animum: subsequens iuvat, ut efficiatur.* Sexto, Ruffinus, *Misericordia Domini*, ait, *electos suos prævenit, et subsequitur. Nolentem prævenit, ut bene velit: volentem adiuvat, ut perficiat: operantem subsequitur, ut perseverare mereatur. Non enim qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Ugo Cardinalis, q. d. misericordia tua, quæ præcedit me conferendo gratiam, subsequetur me, ne cadam a gratia, sed in bono perseverem. Hinc sæpe orandum est cum Ecclesia, Dominica XVI. post Pentecosten, ubi sic habet: Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper et præveniat, et sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos. S. Gregorius hom. 9. in Ezech. *Nos prævenit, ut velimus: et volentes subsequitur, ne inaniter velimus.*

164. Perseverantia non cadit sub meritum condignum. Nota tertio, nulli debitum esse perseverantiæ donum, neque cadere sub ullius meritum condignum: itaque nos semper egere Dei misericordia subsequente. Ut enim ait S. Bernardus serm. 2. in Pentecoste: *Sola misericordia est, quæ iuste et prævenit et perducit.* Et S. Gregorius: Cito, inquit, bonum perditur, quod a largiente non custoditur. David ipse concinit Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia* (per misericordiam) *et miserationibus.* Misericordia est veluti habitus bonitatis et benignitatis compatientis miseriæ nostræ: miserationes sunt actus ab illa infinita misericordia profluentes, velut rivi ab Oceano. Coronare autem in misericordia et miserationibus apud Hebræos est coronare eum maxima misericordia, et omnibus eius generibus. Quot enim in omnibus vitæ nostræ sunt miseriæ, tot debent esse erga nos Dei miserationes: quis autem miserias nostras mentis et corporis enumeret?

165. Euchar. semper parata est nobis. Nota quarto, Misericordia Christi, id est, Eucharistia, nos consequitur tota vita nostra: semper enim parata est sumere volenti, et in ipso mortis articulo ut dixit Ps. 21.

sect. ult. artic. 13. Vide ibi dicta. Addo, Christus dicit Matth. 28. 20. Apostolis discipulis suis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hinc in singulis prope Ecclesiis servatur Venerabile hoc Sacramentum, ut præsto semper sit templa adeuntibus, inde prodeat ad ægrotos, inde per vicos et plateas deferatur in supplicationibus publicis, ut gratias suas ubique diffundat, et aerem tot detractionibus, mendaciis, periuriis, blasphemiis, aliisque vitiis pollutum expurget.

166. *Est fons iugis misericordiæ Dei.* Eucharistia in templis est fons inexhaustus misericordiæ. Ezechiel Propheta vidit e templo Salomonis egredientes aquas, cap. 47. 1. *Et convertit me* (Angelus) *ad portam domus*, hoc est templi, ait Cornelius. Vel, Sancti Sanctorum, ait Mald. *et ecce egrediebantur subter limen domus ad Orientem.* Ex Ecclesiis vero nostris egreditur fons nectaris, id est, potus seu gratiæ cælestis.

Figuratus in fonte sequente Hebræos in deserto. Ille fons nos subsequitur, sicut aqua fontis miraculosi Hebræos in deserto, 1. Corinth. 10. 4. *Bibebant autem de spiritali* (id est typica) *consequente eos petra. Petra autem erat, Christus*, id est typus Christi, qui est vera petra, ex qua fluit sanguis omnium cupiditatum ardorem extinguens. Sequebatur autem Hebræos illa petra in deserto usque in terram Chanaan, idque per miraculum, ut daret illis aquam. Ita Hebræi et Chald. Num. 21. et 16. Sed melius sensus est q. d. bibebant de aqua petræ, quæ petra erat rei spiritalis figura, et aqua eos sequebatur: ut scilicet versus Raphidim flueret, indeque versus montem Sina cursum dirigeret, ubi mox castra fixuri erant. Ita Salian. anno 2544. num. 329. tom. 2. ubi addit, Utrum autem et per alias mansiones decurrerit, non definio. Certe minime absurdum videtur, Dominus qui divinitus hunc fontem, in usum populi sui produxit, ei etiam illum cursum dedisse, qui populi sui, quas ante præviderat, mansionibus belle conveniret. Quod autem petra illa reipsa mota fuerit, aut suopte nutu, ut columna nubis, aut supra currus Israelitarum transvecta, Rabbinicis nugis deputetur: veritati autem, quod copiosa aqua fuerit et perennis. Utrumque significat David Ps. 77. v. 19. et 20. Abundantiam illam declarans: *Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos, velut in abysso multa.* Hæc autem perennitatem, qualis est in fluminibus. *Et eduxit aquam de petra, et deduxit tamquam flumina aquas.* Ideo Rabbini apud Genebrardum in eodem loco vocaverunt, פלא חיים *pele chaim*, id est, miraculum permanens: *et* מים נאמנים *maim nemanim*, aquas fideles et stabiles. Ita Salianus.

Sed Iudæi frigidæ aquæ fontes habebant, nos vero in lege gratiæ habemus vini fontes et olei.

167. *In Euch. est fons olei, id est misericordiæ.* Primo enim Eucharistia est fons olei; est enim fons Messiæ, id est, uncti. *Impinguasti in oleo caput meum.* Fons ille cælestis est, ex alto fluit, et in caput primo cadit, deinde ex capite in alia membra. Solon Atheniensibus facultatem dedit solius olei exportandi, aliorum vero fructuum exportationem vetuit: eosque, qui aliquid exportarent, iussit ab Archonte, id est, Prætore et iudicum præside, devoveri, aut Archontem ipsum drachmas centum ærario dependere, ut ait Plutarchus in Solone. *Oleum effusum est Christus.* Habitat in cælo misericordia Dei, Ps. 35. 6. *Domine, in cælo misericordia tua.* Inde sola nunc depluit, servata pene tota iustitia in aliud sæculum, et parvis eius stillis aliquando cadentibus. Fons enim misericordiæ semper et omnibus patet, et sua dona profundit. Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum*, id est, tu, qui es Christus, e cælo in Iudæa in totam terram effusus es. Septuag. vertunt, unguentum, evacuatum nomen tuum, q. d. nihil tibi reliquisti, te totum hominibus effudisti, nihil tibi reservasti. De eo dicit Paulus, Philipph. 2. 7. *exinanivit* (εκενωσε, evacuavit. Tertullianus vertit, exhausit) *semetipsum formam servi* (naturam humanam, qua acceptu vere fuit Dei servus) *accipiens, in similitudinem* (substantialem) *hominum factus.* Substantiam hominum sumens se evacuat, ac veluti nihil efficit: sed longe magis in cruce sanguinem fundens, et in Eucharistia se ad punctum redigens, et accedentes gratia sua complens. Ibi est cornu olei, quo ungit Reges suis passionibus dominantes, 1. Reg. 16. 13. Ibi est petra fundens rivos olei, Iob. 29. 6. affectum misericordiæ dans erga pauperes. Denique ibi est saxum durissimum cor roborans et dans fortitudinem cum suavitate morum. Et oleum fundens Israeli, id est, viro forti per Deum. Deut. 32. 13. *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, id est, de Christo, in quo fundata est tota Ecclesia, ut in lapide angulari. Inde oritur multiplicatio fidelium, ob illam ubertatem et suavitatem gratiæ Christi.

168. *Unguenta varia in variis provinciis reperiuntur.* Ubique est fons misericordiæ illius divinæ in Eucharistia. Psal. 144. 9. *Suavis Dominus universis.* Et 101. 28. *Tu autem idem ipse es.* Unguenta vero pro regionum varietate sunt varia, et alia in aliis provinciis excellunt. Apollonius Herophilus lib. de unguentis: Irinum, inquit, optimum in Elide et Cyrico: rosaceum nobilissimum ex Phaselide, Capua et Neapoli: crocinum e Solis Ciliciæ et Rhodo, nardinum præfertur a Tarso, œnanthinum e Cypro, et Adramyrto, excellit amaracinum et melinum Coum: cyprinum Ægyptium, deinde e Cypro ac Pœnice: *Euchar. ubique.* et hoc in tractu, Sidonium. Quod panathenoleum vocant, Athenis primæ bonitatis. Mendesium et Meropion in Ægypto. Ita ille. Omnibus necessarius est Christus, et omnibus est fons patens. S. Bern. serm. 1. de Nativit. Domini: *Quia*, inquit, *nemo mundus a sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, et pari voto debent ad hunc fontem Noe, Daniel, et Iob properare.* Ibi omnes mentis commotiones mitigantur. Plinius lib. 2. cap. 103. ait omne mare oleo tranquillari; et ob id urinatores ore spargere, quoniam mitiget naturam asperam, lucemque deportet. Hæc præsertim in Eucharistia omnes experiuntur. Vix enim est ullus tam afflictus et perturbatus, quem non tranquillet oleum illud divinum in cor agitatum instar maris, effusum.

Lucæ 1. 11. *Apparuit illi Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi.* Zachariæ, qui idem est ac memor Dei, apparet Gabriel, id est, fortitudo Dei, et quidem a dextris altaris, quia prospera et bona nunciaturus advenerat; 2. *quia divinæ insigne misericordiæ deferebat*, ut ait S. Ambrosius, qui ait, hoc fuisse Eucharistiæ typum. Clem. Alexandr. lib. 2. pædagog. deportatam ab Apostolis in totum orbem sacram Eucharistiam vocal επι παντων φθανον της ευωδιας εργον, suavis odoris opus ad omnes perveniens; et R. Simeon filius Iohai lib. qui dicitur revelatio secretorum, ait per illud Sacramentum misericordia Dei omnes repleri. *Tunc*, inquit, *Deus misericordia implebitur, et virtute ingenti sanctorum verborum, quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud sacrificium, quod in unoquoque altari celebrabitur, in corpus Messiæ convertetur.*

169. *Euchar. est fons vini.* Secundo, in Eucharistia Christus non est tantum fons olei, ut animam eiusque facultates et potentias foveat, sed etiam fons vini, ut eas alacritate divina compleat; unde dixit David in persona Christianorum; *Calix meus inebrians quam præclarus est*, ut dixi cap. præcedenti. Panyasis dicebat, Οινος δε θνητοισι θεων παρα δωρον αριστον αγλαος. *Vinum optimum est munus Deorum mortalibus atque luculentum.* *Fontes aliqui vinum fudisse dicuntur.* Fontes vino fluentes nonnullos recensui Psal. 35. 9. in illud: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Heliodorus tradit, Antiochum Epiphanem, quem Polybius Epimanem, id est, insanum seu furiosum nominat, Syriæ Regem, fontem vino miscuisse. Theopompus ait Midem Phrygiæ Regem, qui cunctos pene Reges pecunia antecessit, pari insania id præstitisse. Christus vini fontes aperit, sed meraci et non misti tribulationibus et frigiditatibus mundi. S. Bern. dicit, quod Christus solus merum habet, aliorum potus est plenus misto. De illo Christi fonte, qui mero est abundans in Eucharistia, vere dicere potes, quod ait Philo de mero corporeo: *Merum infusum, malas affectiones temperat: bonas, benigniores et clementiores efficit.*

170. *Sæpe sumenda est Euch.* Nota quinto, optimus modus misericordiam Dei semper habendi est, os suum fonti divino in altaribus exi-

lienti sæpe applicare. *Misericordia tua subsequetur me omnibus* (et singulis) *diebus vitæ meæ*. Hoc fit præsertim Sacerdotibus quotidie celebrantibus: tunc enim sola voce potentiores Mose eliciunt non aquam, sed vinum e petra, quæ vere et realiter descendit ex illis montibus æternis, ut perennem gratiæ fontem effundat. S. Cassius Episcopus Narniensis vix ullum vitæ suæ diem omisit, quin Missam celebrarit, ut ait S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 56. et hom. 37. in Evangelia. Lorinus noster, qui erudite scripsit in psalmos, fertur totis quinquaginta annis nullo morbo, aut occupatione, vel peregrinatione impeditus fuisse, quin quotidie celebraret unico die excepto, quo pagi unius aditus ei est denegatus ob metum pestis eo tempore grassantis, cum ibi Sacrum facere vellet. Primis Ecclesiæ temporibus quotidie communicabant Christiani, ut docet Baron. tom. 1. Annal. Omnibus nunc quotidie Sacro interesse licet, ibique saltem spiritualiter Eucharistiam sumere. Quotidie etiam pro absentibus hoc sacrificium offertur, eisque prodest: quotidie paratum est in templis augustissimum Sacramentum, ut qualibet diei noctisve hora adiri et adorari possit, et gratias ubertim dare: quotidie in promptu est, ut quoties quis in morbum inciderit, ad eum deferatur. Olim etiam in domibus privatis servabatur; in itinere ferebatur, sicut patet in Satyro, qui illud stola obvolvens, cum eo se abiecit in mare, eoque servatus naufragium evasit, teste S. Ambrosio eius fratre in oratione funebri de eo habita. Itaque in hoc etiam mysterio exclamare licet cum Davide Psal. 47. 11. *Misericordia Domini plena est terra*. Cum fons ille vivificus tam longe lateque fusis et a se invicem separatis regnis, nationibus, provinciis, urbibus, templis, sacellis, altaribus fluet et in usus hominum conservetur.

S. Cassius quotidie Missam faciebat.

Mos primitivæ Ecclesiæ.

171. Aquam Choaspis Eulæi fluviorum, Reges Persarum secum vehere erant soliti in longinqua peregrinatione, ut ait Athen. lib. 12. c. 4. quod aquæ illæ essent suavissimæ et saluberrimæ. S. Ludovicus Rex Franciæ sapientius sanctas et longinquas peregrinationes suscipiens, nunquam sine Christo in Eucharistia iter fecit, cuius ope mirabiliter naufragium evitavit prope Cyprum insulam, ut tradit noster Rousselet in lilio sacro. Pontifex in itinere sibi præferri curat eamdem Eucharistiam, ut cum sibi superiorem nullum habeat in terris, semper præ oculis Dominum suum habeat, et meminerit, quantæ curæ ei debeant esse oves commissæ, pro quibus salvandis et quotidie alendis ad tantam humilitatem se deiecerit, cum sit Rex virtutum et Rex gloriæ. Subsequi hanc Dei misericordiam, quamdiu sumus in huius vitæ peregrinatione, docet S. Bern. citatus a S. Bonavent. l. 6. de Sacramentorum virtute, c. 15. Verba eius sunt: *Corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus via, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conservat. Per hoc fit homo mansuetior ad correctionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obedientiam promptior, ad gratiarum actiones devotior*.

Choaspis et Eulæi aqua potus erat Regis Persarum.

S. Ludovicus in itinere Euchar ferri curavit.

Verbo rem concludamus cum S. Anastasio Sinaita, sermon. de sancta communione: *Accede*, ait, *cum fide, et efficaci pœnitentia, et pura conscientia ad Dei mysteria, et omnem sanctificationem assequeris*. Neque te peccata tua terreant, et ab accessu impediant: quia Eucharistia, ut ait Rupertus in Exod. est magnum Sacramentum pietatis.

ARTICULUS VI.

Christus in Eucharistia positus, servos suos misericorditer usque ad cælum deducit.

Vers. 6. 4. Pars. MAGNA Dei misericordia est, quod subsequatur Christus pios in hac vita ambulantes, et peregrinantes; sed consummata misericordia est, quod eos tandem in patriam deducit, ubi in perpetua luce et quiete vivant, v. eod. 6. ET UT INHABITEM IN DOMO DOMINI IN LONGITUDINEM DIERUM.

172. Nota primo, *τὸ ut*, in Hebræo et in Græco textu non habetur, sed tantum *et*: contra autem nonnulli veterum, ut S. Augustin. S. Hieron. Theodoretus in commentariis non legunt, *et*, sed solum, *ut*, et certe sine alterutro esset clarior lectio, nimirum sic: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini*, quomodo legunt Patres. Vel sic: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, et inhabitabo in domo Domini*, quomodo vertit ex Hebræo S. Hieronymus. In his enim lectionibus nihil subaudiendum est. Tamen lectio nostra non est adeo obscura, ut non possit satis facile intelligi. Subauditur enim illud, subsequetur, quod paulo ante processit, nimirum, *Misericordia tua subsequetur me dum vivo*, ut recte vivam, *et subsequetur post hanc vitam*, ut in æternum vivam. Quare S. Augustinus, licet in textu non legerit, *et*, tamen in commentario addit, *etiam*, ut videatur illud subintellexisse. Ita Bellarminus.

Varietas lectionum.

Nota secundo, *pro inhabitem* est nunc in Hebr. שִׁבְתִּי *sciabti*, a Rad. שׁוּב *sciub*, quod significat 1. reverti, redire, 2. quiescere, 3. habitare, ut ait Pagninus in thesauro sancta. Hinc primo Arrias vertit: *Et revertar in domum Domini*, subsequente scilicet misericordia eius, proprium est enim misericordis pastoris a deserto in domum oves errantes reducere. Secundo, Felix et Caietanus vertunt, *et quiescam in domo Domini*. Post defatigationes et anxietates voluptatum atque afflictionum mundi, carnis et dæmonis, quæ semper molestæ sunt in itinere existentibus. Tertio, Septuag. Syrus, Arabs, Petav. Noster, *ut inhabitem*. Pagn. habitabo. S. Hieronymus, inhabitabo. Ut stabilitas quietis denotetur. Bellarminus putat Septuag. legisse יְשַׁבְתִּי *iasciabti*, et ideo recte vertisse *inhabitem*. Genebrardus vult *sciabti* per aphæresim poeticam poni pro *iasciabti*, sed hæc, ut vides, non sunt necessaria, cum *sciub*, unde *sciabthi*, significet etiam habitare, quiete habitare.

Nota tertio, *domum Domini* potes ad literam intelligere de tabernaculo, quod frequentare et prope quod habitare David optabat. Hinc Chald. vertit, *Cum habitavero in domo Sanctuarii Domini in longitudinem dierum*. Sed secundo, etiam ad literam, domus Domini hic intelligitur cælum, ibi enim proprie, et constanter, et aperte gloriam suam, maiestatem, bonitatem et liberalitatem Deus ostendit in longitudinem dierum. Deinde David hunc Psalmum non cecinit in regione externa, aut a Saule afflictus, ita ut desideraret redire ad tabernaculum ibi quieturus et oraturus, sed illum cecinit adhuc pastor in cælum aspirans.

Nota quarto, *τὸ, in longitudinem dierum*, id est, in æternum, 1. quia in æternitate beata non sunt nisi dies: 173.
hic vero sunt dies et nox. Apocal. 22. 5. *Et nox ultra non erit: et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*; 2. dies huius vitæ sunt brevissimi, quod inde vel maxime patet, quia mille ipsius anni, vix sunt instar unius diei, et quidem, qui præterierit, Psalm. 89. 4. Hinc S. Maxim. centur. 2. ait, quod *sicut domus Domini*, regni cælestis gerit imaginem, in qua omnes Sancti conquiescent. Ita longitudo dierum, typum vitæ æternæ exprimit.

Longitudo dierum significat æternitatem.

Nota quinto, in hoc Psalmo habemus decem quæ necessaria sunt viatori redeunti in supernam Ierusalem, et 174.
quæ sunt sufficientia ad prosperitatem viæ. Primo est necessaria loci, per quem transitur, felicitas, v. 2. *In loco pascuæ ibi me collocavit*. Secundo, fluviorum amœnitas, v. 3. *Super aquam refectionis educavit me*. Tertio, eundi voluntas, *Animam meam convertit*. Quarto, viæ compendiositas, *Deduxit me super semitas iustitiæ*. Quinto, viæ securitas, v. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*. Sexto, in labore consolatio, *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt*. Septimo, delectabilis cibi refectio, v. 5. *Parasti in conspectu meo mensam*. Octavo, mentis exultatio, *Impinguasti in oleo caput meum*. Nono, novi vini potatio, seu malorum oblivio, *Calix meus inebrians quam præclarus est*. Decimo denique, itineris continuatio, v. 6. *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*. Post hæc sequitur adeptio termini, *Et ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum*.

Decem necessaria viatori in hoc Ps. exprimuntur.

Nota sexto, ut feliciter via cælestis decurratur, necessarium est Eucharistiæ viaticum. Primo enim hic cibus 175.

Euchar. est ne-

cessaria, velut viaticum ad cælos pergenti ob quatuordecim rationes.

cum cælestis sit, ita spiritus vitales et animales vivificat et purificat, ut viatorem leviorem reddat, at versus cælum elevet, ut sæpe accidit Sanctis percepta hostia elevatis a terra, ut S. Catharinæ Senensi, quæ ob lucem maximam dicebat: *Vidi arcana Dei.* Clemens Alexand. Eucharistiam vocat l. 2. pædag. c. 2. *panem cælestem.* S. Fulbertus Episcopus Carnot. Epist. 1. nuncupat, *cæleste ferculum e cælo venit, ad cælum ducit.* Psal. 104. 4. *dicitur panis cæli.* Vide ibi dicta. Ovum rore impletum elevatur a Sole, ut ferunt, quanto magis anima Deo plena cælum petet.

I. Spiritus vitales et animales purificat.

Secundo, Eucharistia viaticum cæleste est, quia in via cælesti ambulantes a fame et siti liberat. Theophylactus ad cap. 6. Ioan. *Caro Dei,* ait, *vere est cibus eo quod non ad parvum tempus duret, sicut corruptibilis cibus, sed æternæ vitæ sit subsidium. Similiter et potus sanguinis Domini vere est potus, quia non ad tempus sufficit siti, sed absque siti conservat semper, nec indigere permittit bibentem, sicut ad Samaritanam dicebat: Qui bibet ex aqua, quam ego dabo, non sitiet. Nam quisquis gratiam Spiritus sancti per sumptionem divinorum mysteriorum perceperit, neque famem spiritualem, neque sitim patietur, qualem increduli.*

II. A fame et siti liberat.

III. Substantiam amissam restaurat.

Tertio, Eucharistiæ viaticum viatores nutrit amissam substantiam restaurans. S. Gaudentius Episcopus Brixiensis tract. 2. *Hoc,* inquit, *illud est, viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc sæculo recedentes.*

IV. Vires auget.

Quarto, vires conservat et adauget S. Athanas. tract. de Verbis Evangel. Quicumque dixerit verbum, etc. vocat illud Sacramentum, *conservativum ad resurrectionem vitæ æternæ.*

V. Oculos illuminat.

Quinto, Eucharistiæ viaticum oculos illuminat magis quam mel Ionathæ, atque illuminatos viatores a præcipitiis et errore revocat in viam. Iulius Firmicus de errore profanæ Religionis, cap. 19. *Alius,* ait, *est cibus* (nempe Eucharistia) *qui salutem largitur et vitam: alius est cibus, qui hominem Deo summe commendat, et reddit: alius est cibus, qui languentes relevat, errantes revocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia.*

176. VI. Corpus et animam transformat.

Sexto, Eucharistiæ viaticum transformat corpus totum et animam, et illa conformat Christo. Hic enim cibus non mutatur in eum, qui sumit, sed eum in se mutat, 1. Corinth. 10. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus* (Gr. ὃ εὐλογοῦμεν, quem benedicimus) *nonne communicatio sanguinis Christi est: et panis, quem frangimus* (quem comedimus illius species frangendo) *nonne participatio corporis Domini est?* tum subdit ad rem nostram vers. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Omnes enim in se convertit hic panis, id est, cibus divinus: sic in illo omnes unum fiunt. Unde S. Cyrill. Ierosol. Cateche. 4. ait: *In sacra Communione fimus non tantum Christiferi, sed et concorporei et consanguinei Christi.* Et S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 17. *Sicut cera, miscetur ceræ, et fermentum pani, sic et nos corpori Christi.*

177. VII. Dat corpori dotes gloriæ.

Septimo itaque, Eucharistia viaticum dat corpori nostro dotes quodammodo corporis gloriosi. S. Anselmus in cap. 10. prioris ad Corinth. *Participatio,* ait, *calicis et panis Dominici facit, ut anima nostra et corpus tandem conformetur animæ et corpori Christi secundum receptionem eiusdem beatitudinis.* Et S. Chrysost. homil. 24. in eam ipsam Epistolam: Et quid, inquit, dico futura? Hic enim *terram tibi cælum facit.* Olympiodorus ad cap. 5. Ecclesiastæ: Qui, ait, manducaverit carnem filii hominis, et biberit eius sanguinem, futuræ felicitatis partem hic aliquam fruitionemque accipit. Algerus quoque lib. 1. de Eucharistia, cap. 11. Quamvis, ait, corpus Christi et sanguis spiritualis cibus et potus sit, et spiritualiter sumi iubeatur, non tamen ita per omnia accipiendum est spiritualiter, ut tantum animæ, et non corpori nostro salutem æternam operetur. Ait enim S. Ambros. in Epist. 1. ad Corinth. Calicem mysticum ad tuitionem corporis et animæ percipimus. Caro Salvatoris pro salute corporis: sanguis vero, pro anima nostra effusus est, ut totum hominem salvum faceret. Ita Algerus, quæ cum grano salis accipienda sunt. Nam et caro percipitur etiam ad salutem animæ, et sanguis pro salute corporis. Et adverte commentarium illum in Epistolas Pauli probabilius non esse Ambrosii: sicut fuse probat Bellarm. in lib. de Scriptoribus Eccles.

Octavo, licet Eucharistiæ viaticum det corpori viatoris varia dona, illa tamen præcipue dat animæ, quam luminosam, agilem, subtilem, et a morte peccati remotissimam facit. Petr. Blesensis Epist. 114. *Eucharistia singulariter animas ab interitu salvat.* S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 16. *Verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors evertitur atque destruitur.* VIII. Et animæ.

Nono, animam sanctificat hic cibus. In Missæ Canone, qui quotidie dicitur a Sacerdotibus, vocamus, *panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ.* 178. IX. Quam sanctificat.

Decimo, Eucharistiæ viaticum animam et totum hominem deificat. Theophyl. in cap. 6. Ioan. *Non nudi hominis caro est, quæ manducatur, sed Dei: et quæ deificare valet, utpote contemperata Deitati.* Nicol. Methonensis tract. de corp. et sang. Christi: Corpus, inquit, et sanguis Christi ista sunt quæ hoc ritu perficiuntur: ritus finis, participatio Christi, et vita æterna, quod idem est ac si diceres, *participantium deificatio.* Ita ille, et vere. Tunc enim potest quilibet dicere: Vivit vero in me Christus. X. Hominem totum deificat.

Undecimo, Eucharistiæ viaticum dat constantiam, donec veniatur ad cælum. Est panis Eliæ, qui eum duxit ad montem Dei Horeb. 3. Regum 19. 8. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.* Quod allegorice Paschasius Ratbertus lib. de Sang. et corp. Domini, c. 10. exponit de Eucharistia. Item Algerus lib. 2. de Sacram. altaris, Rupertus lib. 5. cap. 10. R. Samuel Maroch. lib. de adventu Messiæ, cap. 20. Sed Eucharistia est longe præstantior, 1. quia panis ille erat subcinericius, hic est divinus, imo ipse Deus; 2. ibi adiuncta erat aqua, hic sanguis; 3. datus ille ab Angelo, hic a Deo ipso; 4. datus est ille in umbra legis spinosæ quiescenti, hic laborantibus in lege gratiæ; 5. ille ad quadraginta dies, hic ad totam vitam; 6. ille ad totidem noctes, hic tenebras fugat, et diem perpetuum facit; 7. ille ducit ad montem Dei Horeb, id est, ad Sinai, cuius unus vertex dicebatur Horeb, hic in cælum ducit. A S. August. vocatur *panis regni Dei.* Rabanus in illud Matth. 2. v. 20. *Vespere autem facto decumbebat Iesus cum duodecim Discipulis,* rationem dat cur vespertino tempore instituerit Eucharistiam, *quia,* inquit, *in passione Christi, quando verus Sol ad occasum properavit, resurrectionem æternam omnibus fidelibus præparavit.* 179. XI. Roborat ad cælum.

Duodecimo, Eucharistia cælum aperit, ut Christum possideamus in cælis, et cibo Angelico fruamur. Psal. 77. 23. *Mandavit* (S. Hieron. præcepit) *nubibus desuper, et ianuas cæli aperuit* (Illiricum psalterium habet, *abiecit:* ut magna liberalitas pateat) *Et pluit illis manna ad manducandum. Panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo.* Christus ipse hæc explicavit de Eucharistia Ioan. 6. 31. eam præferendo mannæ. Dicitur autem Eucharistia panis Angelorum, quia, ut ait S. Dionysius cap. 1. de cælesti hierarchia, participatio Christi, quæ συμβόλως nobis traditur, nempe in hoc venerabili Sacramento, datur Angelis ὑπερκοσμίως, id est, super conditionem huius mundi, ac sine symbolis. Et Rupert. in Exod. sic exponit: *Clausas,* ait, *prius hominibus ianuas cæli aperuit, solutis in carne sua veteribus inimicitiis, sicque terrenis cælestia coniunxit: id est, homines Angelis sociavit, ut eodem vescerentur pane? illi in cælestibus in manifesto conspectu divinitatis, isti adhuc in terra positi, in Sacramento pietatis.* 180. XII. Cælum aperit.

Decimo tertio, Eucharistia exornat eos, qui cum pietate ad sacram mensam accedunt, ut maiori benevolentia et honore ab Angelis in cælo suscipiantur, et ibi fulgeant. S. Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corinth. *Si,* ait, *cum hac mensa illuc abiecerimus, cum magna fiducia ascen-* 181. XIII. Efficit, ut maiori honore afficiatur cælum intrans.

demus sacra vestibula, velut quibusdam οπλοις χρυσοις, armis aureis undique muniti.

XIV. *Dat ius ad resurrectionem.* Decimo quarto denique, Eucharistiæ susceptio dat ius Sanctis, ut eorum corpora resurgant ad vitam immortalem. Christus ait Ioan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem, et* (hoc est, vel) *bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* S. Greg. Nyssen. orat. catechet. cap. 37. *Corpus nostrum*, inquit, *non potest consequi immortalitatem, nisi corpori huic immortali Christi fuerit coniunctum.* Similia habet S. Cypr. serm. de Cœna Domini, et Tertullian. lib. de resurrect. carnis: imo S. Iren. lib. 4. cap. 34. ex eo quod communicemus carni et sanguini Christi immortalis, probat resurrectionem: scilicet nos resurrecturos ad vitam immortalem. Hæc omnia sic accipe, non quod per Eucharistiam conferatur corpori aliqua qualitas physica, causans resurrectionem, vel donum aliquod supernaturale, quod ratione gratiæ vel gloriæ animæ sanctæ non debeatur: sed quod resurrectio debita gratiæ, detur etiam Sanctis alio titulo, qui proprius est et specialis Eucharistiæ: scilicet propter specialem coniunctionem cum corpore Christi glorioso factum per Eucharistiam, idque institutione et promissione Christi. Ita Suares 3. p. qu. 79. artic. 8. disput. 64. sect. 2. Adde, quod Eucharistia conservet, alat et augeat gratiam, quæ semen est gloriæ. Eucharistia ergo est causa instrumentalis resurrectionis, sed moralis non physica: propter illam enim Christus nos resuscitabit. Unde non ait, Eucharistia eum resuscitabit: sed, ego resuscitabo eum. Ita Caraci. in Ioann. Hinc S. Ignatius Epist. ad Ephesios dicit: ενα αρτον κλωντες, ος εστι φαρμακον αθανασιας, αντιδοτον του μη αποθανειν, αλλα ζην εν Θεω, δια Ιησου Χριστου, *Frangentes panem unum, qui est pharmacum immortalitatis, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Iesum Christum.* De poculo immortalitatis a Sinis quæsito, sed non invento, dixi alias. Illud in altaribus nostris sumitur. Nam ut ait S. Greg. Nyssen. orat. catech. iam citata, *Unio cum vita, vitæ habet societatem.* Et S. Cyrill. Alex. tom. 4. Pentabibli. comparat unionem nostram cum Eucharistia, unioni Verbi cum carne Christi, quam sicut vivificat, ita etiam ad Sacramentum accedentes: libro autem 4. in Ioan. cap. 4. ait: *Si solo tactu eius corpora redintegrantur, quomodo non vivemus, qui carnem illam et gustamus, et manducamus?* ac S. Basilius Epist. ad Cæsaream Patriciam: Quis, ait, ambigit, quin frequens vitæ participatio, nihil aliud sit quam pluribus modis vivere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis communicamus; nempe in die Dominica, in quarta die hebdomadæ, in Parasceve, et in Sabbatho, atque in aliis diebus, si qua fuerit memoria Sancti alicuius. S. August. lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 24. *Optime*, inquit, *Punici Christiani Baptismum ipsum nihil aliud quam salutem: et Sacramentum corporis Christi nihil aliud quam Vitam vocant.* Unde infert, sine Baptismo et Eucharistia nullum pervenire ad vitam æternam; quod expresse Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Ioan. 3. v. 3. et, *Nisi manducaveritis*, etc. Ioan. 6. 54. quod intellige de adultis, quantum ad Eucharistiam attinet. Nam Concil. Trid. sess. 21. can. 4. definivit eam non esse necessariam parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint. Differentia autem est in Baptismo, quia est regeneratio, oportet autem omnes nasci. Itaque præceptum illud etiam ad parvulos extenditur, et Baptismus est necessarius non tantum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii.

Ad Euch. exhortatio S. Fulberti. Concludamus itaque cum S. Fulberto Episc. Carnotensi Epistol. 4. qui nos his verbis ad ferventem et piam huius Sacramenti divinissimi et utilissimi perceptionem incitat. *Exere palatum fidei, dilata fauces spei, viscera charitatis extende; et sume panem vitæ interioris hominis alimentum, non arte pistoria fermentatum, sed incarnatæ Deitatis vitale pulmentum: sume nihilominus vinum, non sordido cultore calcatum, sed torculari Crucis expressum. Gusta igitur cælestis ferculi suavitatem, sed ne nausees terrenæ germinis saporem.*

PSALMUS VIGESIMUS TERTIUS.

1. PRIMA SABBATHI, PSALMUS DAVID.

1. DOMINI est terra, et plenitudo eius: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.
2. Quia ipse super maria fundavit eum: et super flumina præparavit eum.
3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?
4. Innocens manibus et mundo corde: qui non accepit in vano animam suam: nec iuravit in dolo proximo suo.
5. Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.
6. Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.
7. Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.
8. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.
9. Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales: et introibit Rex gloriæ.
10. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

PSALMI VIGESIMI TERTII ANALYSIS.

David describit more poetico ascensionem Christi in cælum, quia

- Omni tempore Dominus supremus. 1.
  - Terræ. 1. quam
    - Creavit iuxta maria illis altiorem. 2.
    - Fluminibus et fontibus distinxit. 2.
  - Herbarum, frugum, arborum, animalium, etc. quibus plena est terra. 1.
  - Hominum denique, qui terram incolunt. 1.
- In pace Rex 3.
  - Throno et palatio cælesti dignus. 3.
  - Operibus innoxius. 4.
  - Cogitatione purus. 4.
  - Anima tota fervens. 4.
  - Locutione in promissis fidelis. 4.
- In bello triumphator. 5.
  - A Deo Patre accipit
    - Benedictionem in se. 5.
    - Misericordiam in membris suis. 5.
      - Ut Deum quærant. 6.
      - Et ament, ac videre optent. 6.
  - Ab Angelis vero
    - Famulatum. 7.
      - Portæ triumphalis apertione. 7.
      - Arcuum triumphalium erectione. 7.
    - Et honorem. 8.
      - Festiva illius victoriæ expositione. 8.
      - Et virtutum prædicatione. 9. et 10.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. PRIMA SABBATHI. PSALMUS DAVID.

I. Argumentum psalmi. IN hoc psalmo ait David secundum literalem sensum, Dei esse quicquid terrarum finibus continetur, sed ex omnibus terris peculiariter Sionem montem sibi in habitationem inter homines delegisse: docetque qualem eum oporteat esse, qui in hunc sit ascensurus, ut digne Deum ibi veneretur: et quod petit, ab eo impetret. Tum principes civitatis Ierusalem alloquitur, adhortans, ut apertis portis suis ingredientem Dominum cum arca prompti lætique suscipiant, Dominum utique gloriosissimum ac potentissimum. Ita Iansenius. Secundo, alii non ad portas civitatis Ierusalem hæc dicta volunt, sed ad portas templi, adeo ut hic psalmus scriptus sit a Davide, postquam præparavit omnia necessaria ad templi ædificationem. Sic aperiret hic desiderium suum, ut cito templum perficeretur, in quod Deus totius orbis Dominus in arca et propitiatorio sua reddens oracula intraret, ibi ad populi consolationem et præsidium permansurus.

2: Allegor. et liter. De Christo varii varie exponunt. Allegorice et Anagogice, seu verius ad literam, hic psalmus est de Christo. Hoc varii varie exponunt. Primo, Ioan. a Pastura monasterii Gemblacensis Prior, Ordinis S. Bened. in hoc psalmo, inquit, Propheta loquitur de dominio Christi super universum orbem, hoc est, super Ecclesiam: et de statu laudabili suorum membrorum.

I. Opinio. II. Secundo, speciatim agi censet Burgensis de ingressu Christi in Ierusalem, in die, qui appellatur a nobis, in ramis palmarum: ac propterea Ecclesiam versum illum, *Attollite portas*, etc. solemniter eo die cantare. Accedit, quod tunc ingresso Christo commota est universa civitas, dicens Matth. 21. v. 11. *Quis est hic?* Ad hoc Origenes tract. 15. in Matthæum, applicat verba psalmi nostri: *Quis est iste Rex gloriæ?* Et satis congruit, quod propter maximam populi turbam ad hoc spectaculum confluentem, dici possit: *Attollite portas principes vestras*, sive intelligas de portis civitatis ipsius, sive potius de templi portis. Hic enim ingressus fuit veluti triumphalis. Obiicit Matthias Thoringus, eos, qui obviam iverunt Christo Ierosolymam intranti, non fuisse innocentes manibus et mundo corde. Respondeo primo, Apostolos tales fuisse. Secundo, plerosque ex plebe. Tertio, murmurantes Pharisæos et Scribas fortasse tunc dixisse esse occludendas templi fores venienti cum tanta turba et tam insolito fastu, ideo aptissime subnecti, Attollite portas principes vestras.

III. Tertio, est psalmus iste compositus in consideratione A illius diei, qua Christus victor a mortuis resurrexit, devicto mortis principe, et eius regno spoliato: hortatur itaque omnes mundi principes, et præcipue Iudæos rebelles et incredulos, ut Christo victori congaudeant, et triumphantem cum gaudio suscipiant, ad similitudinem principum huius sæculi, qui triumphatores suos redeuntes cum magno gaudio suscipiunt et ampliant portas suas, ut ingredientibus et egredientibus cum pompa nihil obstet. Ita Remigius. Favet ipsi titulus, nempe *prima sabbathi*, id est, dies Dominica, in qua Christus resurrexit. Ideo de resurrectione eius etiam explicant Ruffinus, Ludolphus, Emmanuel Sa, imo et ipse S. August. Sed infra dicam quid hic intelligatur prima sabbathi.

Quarto, psalmus hic commemorat in prima sabbathi IV.
ea quæ pertinent ad primam sabbathi, id est, ad Dominicam. In qua tria facta sunt: scilicet creatio mundi, productio Lucis, et resurrectio Christi, sicut in Evangelio habetur Matth. 28. Ita S. Thomas; quem sequitur, sicut alias sæpe, Thomas Anglicus, qui ait, per lucis a tenebris B divisionem, prima sabbathi factam, signari divisionem bonorum a malis, quæ fit per hoc quod electi quasi lucida corpora sursum tendunt: mali autem quasi corpora tenebrosa deorsum resident.

Quinto, et aptius, agi de Ascensione Christi in cælum V.
opinantur S. Cyprianus sermone de Ascensione, S. Hieronymus Epist. 142. ad Damasum, Ruffinus in expositione symboli, S. Greg. Nyssen. S. Ioannes Chrysostomus, S. August. S. Leo, et alii in sermone de Ascensione, S. Athanasius, Iansenius, Bellarminus, et alii hic. Figuratum illud est in deductione arcæ in montem Sion, ut dicetur explicando singulos versus. R. Salomon fabulatur, cum inferretur arca in templum, templi portas sponte clausas fuisse, nec ante apertas, quam sacerdotes canerent Ps. 131. *Memento Domine David*, ubi autem pervenerunt ad ea verba, *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*, id est, Salomonis, portas ultro esse reseratas: huiusque rei vaticinium hoc psalmo contineri: et primum exponi, quo cultu sit colendus Deus in C templo: deinde, quomodo in illud arca sit illata. Hæc iure reiicit Burgensis, quod Scriptura tanti miraculi non meminerit, quod sine dubio non omisisset. Sed licitum est Rabbinis omnia fingere. Et optima.

Tropologice, Richardus Pampolitanus ait declarari, 3.
terram, id est, Ecclesiam toto orbe diffusam ad Christum Tropol.

pertinere, eam super meria, hoc est, super fluctus cupiditatum sitam esse: cuilibet fideli esse ascendendum in montem Domini, id est, in vitam eminentem et firmam celsitudinem contemplationis et iustitiæ Dei: atque attoliendas seu auferendas portas timoris et cupiditatis, quibus intratur ad mortem.

4. Tempus quo psalmus est scriptus. Quæres primo, Quandonam hic psalmus est conscriptus a Davide? Ianseuius et alii, probabiliter volunt psalmum hunc esse compositum, cum e domo Obededom transtulit arcam Domini in domum a se præparatam in monte Sion, quem sibi Dominum elegisse intellexit, ut in eo Salomon templum Deo erigeret. Salianus docet hoc esse factum anno undecimo regni Davidis, ætatis eius 41. mundi 2990. ante Christum 1063. exitus ab Ægypto 447. Sed magis David intendebat in Christum per arcam adumbratum; et in eius ascensionem ad verum montem Sion, id est, contemplationis, nempe in cælum. Videbitur enim a sanctis, et præsertim a Christo, Deus deorum in Sion.

Nota in Hebr. est *Davidi psalmus*. Hebræi dicunt, quod transpositio in titulis psalmorum, significat diversa tempora advenientis Spiritus sancti in Davidem. Quando enim dicitur *Davidi psalmus*, denotari infusionem spiritus secutam esse, quando autem habetur *psalmus David*, vel Davidi indicari infusionem spiritus prævenisse. Sed hæc notatio vera non videtur: unde licet in hebræo sit, Davidi psalmus: Septuaginta tamen, S. Hieronymus, Felix, Noster vertunt psalmus David, et Vatabl. carmen Davidis.

5. Coniunctio huius psalmi cum præcedenti. Quæres secundo, Quomodo coniungatur psalmus hic præcedenti? Respondet primo, S. Athanasius psalmum hunc esse præponendum præcedenti: quia factus est ad consolationem eorum, qui in servitutem Babylonicam abducebantur: ille autem dictus est ad eos, qui ab ea reducebantur. Ita ipse: Sed non arbitror hic agi de illis exulibus, sed de Christo et Christianis.

Primo itaque rationem ordinis affert S. Thomas, posita, inquit, tribulatione, psalmo scilicet 21. et auxilio divino Ps. 22. hic commendat psalmus potestatem auxiliantis. Secundo, Ugo Cardinalis ait, actum in alio psalmo de fructu passionis Dominicæ. Hic antea Davidem prosequi hunc fructum, et agere de Christi clarificatione et hominis reformatione, quod notatur in titulo: quia hæc facta sunt in prima sabbathi: id est, in die Dominica parasceves, quando surrexit Dominus. Tertio, et melius in psalmo præcedente induxerat Christum pastorem ducentem oves suas per opima pascua Ecclesiæ, et amicos suos convivio excipientem Eucharistico, ut misericordia eos ducente per totam vitam pervenirent in cælum. Nunc ostendit Christum præire gregem suum, et ei viam aperire, ut per totam æternitatem in caulis illis æternis conquiescat.

6. Prima sabbati quid sit? I. Expositio. Quæres tertio, Quid hic intelligatur per primam sabbati? Primo, Remigius vult intelligi totum tempus a resurrectione Christi usque ad finem mundi: sic secundo sabbati erit tota æternitas in cælo. Verba eius sunt: *Totum illud tempus Domini, quod fuit ante resurrectionem a lapsu Adæ, nox dici potest, propter tenebras peccatorum, quibus humanum genus involvebatur, et propter cæcitatem mentis. Totum autem tempus hoc de resurrectione Dominica usque ad finem sæculi, potest vocari prima sabbati: id est prima dies hebdomadæ, in qua Christus verus sol assumpto immortalitate, mundo lucem dedit numquam deficientem.*

II. Secundo, Iausonius per primam sabbati sumit requiem æternæ vitæ. In quo, inquit, significatione sumitur *Sabbati* nomen, Isaiæ 66. vers. 23. *Erit sabbatum ex sabbato*: id est continua erit requies in futuro. Sabbati ergo nomine prænotatur hic psalmus, eo quod in medio eius declaretur, qualem eum esse oporteat, qui ad æternam requiem pervenire velit. Et nomine primæ Sabbati, quia circa finem eius exponitur, quid gestum sit, cum Christus intraret in requiem suam: die videlicet suæ ascensionis, quæ erat prima Sabbati: quia eo die primum introitum in civitatem supernam humana natura sortita est. Ita ipse subtiliter.

III. Tertio, tamen simplicius et verius, *prima sabbati*, hic intelligitur dies Dominica. Ita S. Thomas, Ugo, Bellarminus, Genebrardus, et alii: sive q. d. prima dies post sabbatum, ut ait Lombardus: sive q. d. prima dies septimanæ, ut dicit Remigius: quia sabbatum modo sumitur pro certa die hebdomadæ seu septimanæ, nempe pro septima, quam Deus cultui suo dedicaverat, quod ea die quievisset, id est, cessasset operari, in creatione mundi: modo pro tota hebdomada. Itaque utroque modo prima sabbati est dies Dominica, quæ a gentilibus dicebatur dies Solis: secunda sabbati est dies Lunæ, et sic de cæteris. Sicut enim gentiles a planetis suos dies nuncupabant; ita Iudæi a sabbato ob eius celebritatem et venerationem.

Titulus autem huic psalmo præfigitur *primo sabbati*, ut indicetur hebdomadæ prima die solitum esse decantari: ea enim die tria creavit Deus. Primo, terram. Secundo, abyssum aquæ. Tertio, cælum empyreum: quod ut in memoriam populo revocaretur, non incommode hic psalmus prima die canebatur. Nam primo mentionem facit terræ. *Domini est terra.* Secundo, aquarum. *Ipse super maria fundavit.* Tertio, cæli empyrei. *Quis ascendet in montem Domini.*

7. Psalmi sex per septimanam distributi, in quibus fit mentio sabbati. Nota, psalmos sex solere distribui per sex hebdomadæ dies. Primo, Ps. 91. *Bonum est confiteri Domino*, inscribitur, *in die sabbati*. Secundo, præsens psalmus, *prima sabbati*. Tertio, Psal. 47. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, secunda sabbati*. Quarto, Psal. 93. *Deus ultionum Dominus, quarta sabbati*. Quinto, Psal. 80. *Exultate Deo adiutori nostro, quinta sabbati*. Sexto denique, Psal. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est, in die ante sabbatum.* Sexta scilicet die hebdomadæ: sabbatum enim est dies septima, in qua hebdomada terminatur. Innocentius Papa in quadam consultatione dicit: quod ideo dies tertius in titulis psalmorum magis subticetur, quam alii dies: ad insinuandum, quod mysterium Trinitatis est ineffabile, eamdem ob causam in præfatione quotidiana tres ordines Angelorum subticentur, videlicet Archangeli, Principatus et Cherubim, qui sunt tres ordines medii triplicis hierarchiæ: reliqui vero exprimuntur, scilicet Angeli, dominationes, potestates, cæli, id est, throni, cælorum virtutes, et Seraphim. Fit enim prædicta subtractio, secundum Innocentium, tam ad ostendendum, quod omnis Trinitas creata, comparata ad Trinitatem increatam est imperfecta: quam etiam ad insinuandum, quod est ineffabilis: et ideo tacitum est mysterium Trinitatis. Sed hæc sunt subtiliora.

8. Tota hebdomada vocabatur sabbatum, et cur? Quæres quarto, Cur tota septimana vocatur sabbatum vel sabbata? Nota priusquam respondeam, S. Basilius ac Theodoretus monent in hexaplis non reperiri τo, *prima sabbati*. Secundo, Theodoretus advertit in aliquibus exemplaribus legi, *una sabbatorum*, sed apud Hebræos numeri Cardinales sæpe sumuntur pro ordinalibus. Tertio, Maldonatus noster in cap. 28. Matthæi dicit, quosdam adnotare, cum septimus tantum significatur dies σαββατον, *sabbatum* singulari numero: cum tota hebdomas *sabbata* plurali dici soleret, ut illo loco, εις μιαν σαββατων, in unam, hoc est primam, sabbati: et apud Marcum cap. 16. v. 2. et Luc. 24. v. 1. et Ioannis 20. 1. et 19. Actor. 20. 17. et 1. Corinth. 16. 2. Id perpetuum tamen non esse recte monet. Nam Marci 16. 9. legimus, *prima σαββατου, sabbati*, cum tota hebdomas significetur, et e contrario Actorum 13. 14. τη ημερα των σαββατων *die sabbatorum*, cum septima tantum significetur dies.

Respondeo itaque, præcisam rationem, cur hebdomadæ dies a sabbato denominentur, esse dignitatem ipsius sabbati. Ita S. Hieron. Epist. 150. v. 4. totam vero hebdomadam vocari etiam sabbatum, id est, quietem: ut intelligamus non ita nos corporis labori ad victum vestitumque intentos debere esse, quin animus omni negotiorum tumultu superior in Deo quiescat per orationes et sancta desideria. Eadem ratione nunc omnes hebdomadæ dies *Feriæ* appellantur, quod nullo labore corpus animusve ita obrui debeat, quin res suaviter regat, et cum pace

atque trenquillitate moderetur: plerique vero e negotiorum æstu, velut a torrente, aursum deorsum per abrupta rapiuntur. Omnia, si Dei amori misceantur, Ludus sunt atque recreatio.

9. An Deus a primo initio mundi iusserit Sabbatum celebrari? Opinio negans.

Tertullianus libro contra Iudæos cap. 2. censet, mundi initio usque ad Mosem, nullam extitisse legem de colendo sabbato per specialem consecrationem et deputationem ad cultum divinum: sicque Adamum, Abelam, Noemum, Enoch, Melchisedech, Abraham, Loth, et alios sine peculiari sabbati observationa amicos Dei extitisse. Causam in statu innocentiæ non præscriptæ diei attingit noster Pererius lib. 1. in Genesim, quod tunc nihil futurum erat, quod hominem a Dei contemplatione cultuque revocaret: quin ad hos sponte sua propensissimus homo extitisset: nec septima dumtaxat die, sed quallbet, et quidem non semel, sese ad meditandas tractandasque res divinas dedisset. Quod tunc nullo rerum interstrepentium tumultu prohibitus, facturus erat, id etiam nunc præstemus.

Opinio affirmans.

Emmanuel Sa rectius existimat iam inde a mundi principio Sabbatum fuisse celebratum, idque ab Apostolo indicari, et Salianus vult hoc apertius indicari in Exodo, his verbis cap. 20. v. 8. *Msmenta ut diem Sabbati sanctifices.* Ut quid enim, ait, renovatur memoria nisi ad significandum rem, quæ iam in antiquo usu est, lege nova stabiliri? Nec sane est cur existimemus Adamum aliosque Patriarchas, non unum aliquem diem divino cultui destinasse, prælucente naturæ lumine, et dictante, tempus aliquod Deo assignandum. Quis autem credat eos non potius exemplo Domini, diem septimum, quam aliquem alium elegisse? *Propterea*, inquit Eugubinus in Cosmopœia, *numerus ille ac dies, quia maxime naturalis operibusque divinis convenientissimus fuit, est deinceps in omni ætate apud omnes gentes venerabilis ac sacer. Itaque Pythagorei septem Græce dici putaverunt, επτα, quasi σεπτα sacrum, venerabile. Quod latini secuti σεπτον sanctum dixerunt.* Et apud eumdem leges Hesiodum diem septimum appellavisse sacrum. Ita Salianus tom. 1. anno 1. mundi die 7. n. 3. et 4.

10. Iustis est iuge Sabbatum animæ.

Ut ut se res hæc habeat, nobis sedulo providendum est, ut mens nostra semper quieta sit, sive itaque ruptis abyssi fontibus mare in terras exiliat, sive fractis nubibus cœlum in nimbos abeat, sive terra quam late portenditur, undis obruatur, mens virorum iustorum instar Noemi in arca securi emineat, et ipsis fluctibus extollatur et cælo propior fiat. Philo libro de Abrahamo: *Virtutis amator*, inquit, *qui hebraice Noe, Latine quies, sive iustus vocatur, nominibus sapienti convenientissimis ad quod de iusta clarum est. Nihil enim iustitia est melius, quæ principatum inter virtutes tenens ornat earum chorum maxime. Nec minus quies, cum e diverso commotio, quæ est præter naturam, tumultus, turbas, seditiones et bella excitare soleat, quæ improborum sunt negotia.* Hebraice נוח *noach*, sive נוח *noa*, quietem significare perspicuum est; sicut et præposito mem heemantico, מנוח *manoac*, a rad. נוח *nuach*, quiescere, requiescere, considere: sed quomodo iustum significet, non video; nisi Philo eum, qui quietus est, consequenter iustum esse velit. Subdit enim: *Honestatis amatores quietam, immotam, pacatamque vitam præferunt.* Inde vult septimum diem vocari Sabbathum: non quod eo die populus a labore corporis quiesceret, *sed quod septenarius numerus tam in mundo quam in nobis omnium habetur pacatissimus, et a seditione, bello, contentione alienissimus. Quinque enim sensus, et locutio,* απαυστον και συνεχη πολεμον εν γη και θαλαττη συγκροτησιν, *indesinenter bella terra marique concitant.* Mens vero quæ est septima potentia, at cæterarum dux illis perdomitis, in secessum, ut inquit, se recipit, amans solitudinis, et contenta secum ipsa colloqui, nullius externi confabulatoris indiga; tum demum a curis et negotiis mortalibus liberata, βιον ευδιον και γαληνον ασπαζεται, *vitam serenam tranquillamque complectitur.* Et quietum illum ideoque iustum Noemum non aliorum more per avos, proavos, maiores gentilitium stemma dicit deducere, sed per virtutes. Nam Genes. 6. v. 9. dicitur: *Hæ sunt generationes Noe. Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Hocque Philo considerans ait, Tantum non diserte clamitat, οτι οικια, και συγγενεια, και πατρις ουδεμια εστιν ετερα σοφοις οτι μη αρεται, και αι κατ αρετας πραξεις, *nullam aliam familiam, cognationem, patriam sapientis esse, præter virtutes et earum actiones.* Vide Ps. 91.

11. Relaxatio mentis aliqua necessaria est.

Quietem aliquam homini esse necessariam et mentis relaxationem labore interrupto, usus et ratio edocet: neque enim par est hominis animus et corpus continuæ exercitationi, sed ille frangitur, fatigatur, et fatiscit: interiecta autem quiete recreatur et reficitur. Hoc figuratum fuit in fluvio sabbatico, qui non semper fluebat in Iudæa, sed per vices interruptas. Ut enim ait Plin. lib. 31. c. 2. *In Iudæa rivus sabbathis omnibus siccatur.* Aliter vero Iosephus lib. 7. belli Iudaici: *Titus*, inquit, *Syriam peragrans conspicit fluvium cognitione dignissimum. Is fluit medius inter Arcas et Raphanæas Agrippæ regni civitates. Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis, tamen interpositis sex diebus a fontibus deficiens, siccum exhibet locum videre. Deinde quasi nulla mutatione facta, septima die similis exoritur: atque hunc ordinem semper eum observare pro certo compertum est. Unde etiam sabbaticus appellatus est, a sacro Iudæorum septimo die sic denominatus.* Ita Iosephus.

Fluvius sabbaticus in Iudæa mirabilis.

Ubi vides Plinium et Iosephum sibi contraria dicere, cum hic septimo die fluvium illum dicat fluere, et sex aliis diebus arescere: ille vero asserat eum sabbatis, id est, singulis diebus septimis siccari, aliis fluere. Unde necesse est cum Baronio tom. 1. annalium, anno 31. dicere, Plinium esse deceptum: vel, variis temporibus vario modo rem accidisse, ut Dei potentia magis innotesceret: vel denique de diversis fluviis eos loqui, cum Plinius rivum appellet, Iosephus vero fluvium aquis abundantem.

Si hæc ad mores transferre placet, considera duobus his fluviis plerosque hominum esse persimiles: quidam enim diebus tantum festis quiescunt, reliquis vero perenni negotiorum fluxu et murmure perturbantur, de propria salute nihil solliciti. Alii autem iugi in otio hebdomadem totam conterunt: sacris diebus ludorum, comessationum, amicorum frequentia ita distinentur, nihil ut Deo supersit: adeo ut cum Satyrico exclamandum sit: *O curas hominum! o quantum est in rebus inane!* Alii festivis quidem diebus sacrificio incruento intersunt, et precationi intendunt: ubi autem se a templo domum retulerint, toti in risus et cachinnos soluti, atque in vinum ludosque effusi, sacratos Deo dies impuris moribus polluunt, seremque maledictis et blasphemiis incestant. Hos non male componas fonti, cuius meminit Plin. lib. 31. cap. 2. *Mucianus*, inquit, *Andri e fonte liberi Patris, tradit statim diebus septenis eius Dei vinum fluere: si auferatur a conspectu templi, sapore in aquam transeunte.* Statim ut e sole Iustitiæ in Eucharistia radiante oculos animumque subduxerunt plerique, mentis in tenebris gelascunt.

12. Sabbati dies a Deo consecrata est, ob tres rationes.

Hinc collige, diem sabbathi a Deo insertum fuisse reliquorum dierum decursui, primo ut homines Dei sui essent memores, et interclusis occupationibus corporis ad mentem facilius redirent. Secundo, ut hoc intertextu iucundius vita flueret, laborisque fructus saperet, cui veluti condimentum quies accederet. Philo libro iam citato de Abraham. Τροφιμον, ait, και απολαυστον μονον, η εν Θεω αναπαυσις, το μεγιστον αγαθον περι ποιησιν την απολεμον ειρηνην. *Utilissimus cibus est in Deo quiescere, maximum bonum conferens, pacem ab omni bello tutam et securissimam. Nam quæ inter civitates intercedit, mixta est seditionibus: at animæ pax pura est ab omni dissidio.* Et Plutarch. tract. de educandis liberis. Ut uno, ait, verbo dicam, αναπαυσις των πονων αρτυμα εστι. *Quies est laborum condimentum.* Tertio, per hanc intermissionem quietis et laboris in sabbatis, id est festis et Dominicis, atque in reliqua septimana, monemur cavere, ne labore nimio mentem obtundamus, corpusque atteramus: neve inerti otio consepulti languescamus. Nam ut ait Plutarch. in eod. tract. *Quemadmodum stirpes aquis mediocribus aluntur, abundanti-*

bus suffocantur, τον αυτον τροπον ψυχη τοις μεν συμμετροις αυξεται πονοις, τοις και υπερβαλλυσι βαπτιζεται, *eodem modo animus moderatis laboribus augetur, nimiis vero submergitur*. Omnes vitio vertunt Iudæis illis, qui ea erant superstitione, ut in die sabbati pedem loco movere, vel gladios in hostem irruentem stringere nollent, ut vitæ suæ consulerent. Vitiosum quoque est instar petalii seu pinnæ in tecto versatilis, ad quemlibet venti flatum semper rotari et circumagi: vel Samsonis modo ad rotam trusatilem continuo motu ferri rebus vilibus occupatum. Media et regia via tenenda est, ut rationem tenens ducem et moderatricem viæ post rationabilem laborem interquiescas, ut reparatis viribus vegetior et alacrior ad metam pergas.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

13. DAVID ASCENSIONEM CHRISTI IN CÆLUM PRÆDICATURUS TRIPLICI TITULO ILLI ESSE DEBITAM OSTENDIT. PRIMO, QUOD IURE CREATIONIS SIT ORBIS DOMINUS, VERS. 2. SECUNDO, QUOD SIT INNOCENS, VERS. 4. TERTIO, QUOD SIT VICTOR, VERS. 8.

PARAPHRASIS.

1. Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

1. Varios in Principes Regesque, Provinciæ et Imperia dividantur: unus tamen est supremus terræ Dominus Iesus Christus, cuius imperio voluntatique subiecta sunt omnia, quibus in superficie exornatur aut in imis penetralibus locupletatur. Vastissimum hunc terræ globum regit atque moderatur, ubique præsens, ubique potens, ubique omnes luce sua perfundens: atque vel dissitissimos loco, et moribus discrepantes homines, velut subditos, gubernans, ne vel unico ab eius potestate exempto.

2. Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.

2. Terram enim vasto maris circumcinctu valiatam, eoque altiorem, firmis radicibus stabilitam, et inconcussam esse voluit. Ac deinde, ut in hominum usum fruges, arbores, cæteraque profunderet, fontibus, rivis, fluminibusque distinxit, quibus partim per occultos terræ meatus, omnes se in eius partes infundentibus, partim varias regiones grato utilique allapsu secantibus, fœcundaretur.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius?

3. Cum Christi Domini sit universus orbis, quis in eius cœleste palatium excelso in cæli empyrei situm vertice admittetur? In eoque velut civis æternum sibi domicilium collocabit.

4. Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

4. Ipse primum Christus, velut omnium dux et princeps, eo evolabit, ibique thronum æternum figet, non solum iure supremi in omnia dominatus, sed etiam merito innocentiæ in operibus, cogitatis, verbis et promissis; eumque secuti fideles, veluti Regem strenui milites, qui nec manibus inlusti, nec corde impii quicquam admiserunt. Quique non frustra animam a Deo acceperunt, sed vires eius omnes in unius Dei cultum impenderunt; neque in suis pactis et pollicitationibus, præsertim iureiurando firmatis, fraudis vel minimum immiscuerunt.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.

5. Illis in cælo reposita est immortalitatis salutisque æternæ benedictio, quam ab optimo parente obsequentes filii accipient: et si quid labeculæ terrenus hic pulvis aspersit, id iam ante lacrymis elutum misericordiæ fontes non impediet: sed Deus apertos mira iucunditate in animam iam sui securam effundet.

6. Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

6. Hoc ipsum est tam sæpe decantatum, et a prophetis expetitum genus hominum, qui cæterarum rerum obliti Deum unum sitiant, ad eumque unum eoutento curan calcatis cæteris ferantur: quique eius in unius contemplatione amoreque conquiescant, sicut olim Patriarcha Iacob, cuius se Deum, parentem, tutorem et protectorem specialem exhibebat.

7. Attollite portas principes vestras: et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ.

7. Ecce sublimem Christum per aera cælestesque globos sese cum illustri Iustorum comitatu inferentem video: occurrite obvii cælestis aulæ principes, suis e cardinibus emotas portas excutite, tanto ut Regis gloriæ agmini latus aditus pateat. Vosque felices æternorum thesaurorum et divinæ civitatis portæ nullo temporis lapsu quatiendæ, sinum ultro pandite: cardines dissiliant, tamdiu latentes supremi Regis gazas reserate: en vobis e prælio reducem, spoliisque opimis onustum Regem gloriæ sistimus, ad Patris thronum sibi debitum evolantem.

8. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

8. Si Regis huius nomen, virtutes, dignitatem et maiestatem quæritis, in promptu est, quod respondeam. Ipse est terræ, maris, orbis universi, cælorumque Rex ac Dominus: qui cum pietate in terras descenderit, robore hostes suos, mortem, mundum, dæmones ipsos et eorum asseclas, ita fregit contrivitque in prælio, ut prostrati iaceant, eique uni gloriam et principatum, victoriam et triumphum, relinquant.

9. Attollite portas principes vestras: et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ?

9. Eia, cælestis aulæ principes, advolate: quid tantæ moræ: vectes rumpite, portas discludite, triumphali Christi currui vastum amplumque aditum aperite. Vos o cælestes ianuæ, accurrentem prævortite, æterna repagula frangite: quid expectatis, Regem omni gloria honoreque dignissimum tanto in gaudio triumphalique pompa excepturæ?

10. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

10. Etiamnum dubitatis, quis sit Rex tanta effulgens gloria? Ille ille est, non hominum modo, quos vestro indignos consortio, iure censere possetis o terra et luto effictos: sed cælestium quoque vestrorum agminum princeps, qui tanto cum splendore et maiestate emicat.

QUÆSTIO UNICA.

Quam debitus, et quam gloriosus Christi in cælum ascensus.

14. *Ordo sectionis.* Cælum ingredi triumphans Christus debuit, quia est totius Orbis Dominus. Illud itaque dominium David describit.

Christus est orbis dominus. Primo enim ait, eum esse Dominum terræ totius, v. 1. *Domini est terra.*

Secundo, non terræ tantum, sed rerum omnium in ea contentarum; *et plenitudo eius.* Hinc divitiæ illius patent.

Tertio, amplitudinem possessionis ostendit, quod nulla se regio illius sceptro subducat. *Orbis terrarum.*

Quarto, subditorum multitudinem et præstantiam aperit, *et universi qui habitant in eo*, nempe homines.

Quinto, inconcussum esse et immotum illud regnum asserit, v. 2. *Quia ipse super maria fundavit eum.*

Sexto denique, amœnitatem ob intersecantes rivos, quibus prata campique efflorescunt, ob oculos ponit, *et super flumina præparavit eum.*

15. *In cælum ascendit iure multiplici.* Secundo, Christus præter ius dominii et creationis, habet quoque ius virtutum et victoriæ, ut in cælum gloriosus ascendat, quod declarans David, Primo, assignat triumphi terminum, cælum ipsum, v. 3. *Quis ascendet in montem Domini?* Mons denotat eius celsitudinem conspicuam et mirabilem: sanctitas vero, esse venerandum et amandum. *Aut quis stabit in loco sancto eius?*

Secundo, Currum delineat, quo vectus est: eius rotas quatuor exprimit, 1. manuum, seu operum innocentiam, v. 4. *Innocens manibus;* 2. cordis munditiam, *et mundo corde;* 3. animæ fervorem in omnibus virtutibus. *Qui non accepit in vano animam suam;* 4. linguæ moderationem et sinceritatem, *nec iuravit in dolo proximo suo.*

Tertio, ostendit Patrem æternum coronas illi donantem, v. 5. *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Filiis eius de more cum ipso in curru triumphali vectis, v. 6. *Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.*

Quarto, alacritatem Angelorum, cæli civium, ad eum excipiendum, v. 7. *Attollite portas principes vestras.*

Quinto, Arcus triumphales paratos, *et elevamini portæ æternales.*

Sexto denique, triumphantem ipsum penicillo efformat, 1. trabea purpurea et gemmis radiantem proponit, *et introibit Rex gloriæ;* 2. hostes devictos et catenatos ante currum de more ducentem, v. 8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio;* 3. spolia opima et triumphatarum gentium imagines revehit, v. 9. *Attollite portas*, etc. atque signatius, v. 10. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

ARTICULUS I.

Christus est terræ, id est Ecclesiæ Dominus, et eam fundavit super aquas baptismi et pœnitentiæ, etc.

Maximum ius dominii in creaturas habet Deus, ex eo quod illas ex nihilo produxit, et productas ordinavit atque conservavit, v. 1. Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum et universi, qui habitant in eo. Quia ipse supra maria fundavit eum. *Vers. 1.*

16. *Tota Trinitas habet dominium in res omnes, et Christus.* Nota primo, *Dominus* hic intelligi potest Deus Pater; imo tota Trinitas: opera enim quæ fiunt extra ipsam sunt indivisa, et tribus personis communia. Secundo tamen hic aptius per *Dominum* intelligemus Christum, quem David contemplans in cælum ascendentem, eique applaudens exclamat: *Domini est terra*, etc. q. d. iure per aerem, nubes, cælos veluti triumphator et rex omnium ab omnibus creaturis honoratus ad patrem pergis, ab illo in regio et excelsissimo throno collocatus coronaris omnis creaturæ Imperator. Vide dicta Ps. 2. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, ubi multa habes de regno Christi, ut homo est. In hoc autem psalmo magis attenditur initio Christus, ut Deus: sic enim est creator. Ut enim ait David noster Ps. 103. 24. *Omnia in sapientia fecisti*, id est in Verbo, ut explicat S. Chrysost. et S. Athanas. disputation. seu orat. 2. et 3. et 5. contra Arianos, et in decretis Nicænæ Synodi, qui illud vocat, κοσμου, και παντων, δημιουργον *mundi et omnium opificem*, και κτιζουσαν, *et creatricem sapientiam.* Gen. 1. vers. ait Moses. *In principio creavit Deus cælum et terram.* In principio, id est in Filio, ut explicat S. Basil. hom. 1. Hexaem. et S. August. lib. 1. de Genes. ad literam cap. 1. Omnia enim creata sunt per Filium quasi per ideam et sapientiam Patris. Ioan. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, omnia ab Angelo usque ad vermiculum, ait S. August. per ipsum, veluti per causam principalem et omnipotentem. Ita S. Athanas. S. Basil. et S. Chrysost. *Et sine ipso factum est nihil*, id est, nulla res sine ipso est facta. S. Hilar. nihil, inquit, quod extra sit, derelinquitur, μη ουδεν, id est, ne unum quidem, q. d. ne minima quidem res, sive spiritualis, sive corporalis, sine ipso facta est. Orpheus in Argonauticis a sapientia et amore Dei, id est a Filio et Spiritu sancto, ait omnia esse condita: sic enim canit: και μητις πρωτος γενετωρ, και ερως πολυτερπης, *prima fuit genitrix sapientia: dulcis amorque.* Tres vero Personas Trinitatis S. Basilius videtur complexus, cum ait, homil. 1. Hexaemeri. *Deus fecit ut bonus, quod utile est: ut sapiens, quod pulcherrimum est: ut potentia præditus, quod maximum est.* Bonitas Spiritui sancto, sapientia Filio, potentia Patri tribuitur: ne ut senex, impotens Pater: ut iunior, imprudens Filius: ut invisibilis, Spiritus malus putetur: cum tres Personæ sint una et indivisa Deitas.

17. *In mundo sæpe est confusio.* Nota secundo, *terra* et *orbis terrarum* idem sunt. Itaque secundum additur explicationis gratia, atque ut declaret David se loqui præsertim de terra habitabili. Hebr. enim pro *orbis terrarum* est תבל *tebel*, id est terra habitata seu habitabilis. Hinc Arabs vertit, *regiones.* Septuag. οικουμενη, q. d. terra quæ est domus et habitaculum hominum: ab οικος, domus; *tebel* vero deducitur a *balal*, id est miscuit, confudit, quod ibi sit magna mistio omnium creaturarum. Ubi enim homines habitant, maior est copia herbarum, florum, fructuum, arborum, animalium et aliarum rerum: quia in suos usus ea etiam ex remotis regionibus congregant: sed inde sæpe fit תבל *tebel*, cum duobus segol, id est *confusio.* Secundo, *tebel*, denotat nihil prorsus esse in ulla terræ parte, etiam apud antipodes, quod sit extra dominium Christi. Hinc Chald. Syr. S. Hier. Pagn. Vatabl. *orbis*, q. d. non tantum terra, quæ est in nostro hemisphærio, sed etiam totus orbis id est circulus terræ, cum veluti dominum suum agnoscit atque reveretur. De Ecclesia Catholica dicam infra.

Nota tertio, *plenitudo eius*, id est omnia quæ in terra sunt et illam replent, ut plantæ, mineralia, animalia, sed præsertim homines: unde subdit se explicans, *et universi qui habitant in eo.* Sic Amos 6. 8. ait Deus: *Detestor ego superbiam Iacob* (Iacobitarum, Israelitarum) *et domos* (domos superbas et magnificas ex rapinis factas. Hebr. et Chald. palatia) *eius odi, et tradam* (hosti) *civitatem cum habitatoribus suis.* Hebr. tradam urbem et plenitudinem eius. Censetur aula deserta, in qua rex non habitat, et insulas vocamus desertas, in quibus nulli sunt homines: Vacuum est dolium, in quo non est vinum, licet sit aere repletum: quia factum est non ad aerem sed ad vinum in eo ponendum: ita terra pro homine facta censetur vacua sine ipso. Et tu cum pro Deo factus es, si illo non impleris, vacuus es et inanis.

18. *Opera nostra sint plena.* Nota quarto, τo *plenitudo*, denotat copiam et abundantiam hominum, animalium, et aliarum rerum usibus hominis accommodatarum. Non enim tantum necessaria, sed etiam delectabilia et quodammodo superflua Deus nobis dedit. Tu quoque esto in Deum liberalis, cave ne tibi dicatur sicut Angelo, id est Episcopo, Sardis, quæ erat urbs magna Lydiæ ad latus Tmoli montis, et olim fuerat regia Crœsi Lydorum regis ditissimi. Apocal. 3. 2. *Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Monet nos omnes Paulus Coloss. 4. 12. *Stetis perfecti et pleni* (quæ non

sunt plena et solida, non staut, sed facile a vento et interno et externo huc illuc agitantur atque rapiuntur) *in omni voluntate Dei*, id est, in omni volito a Deo. Est metonymia: ponitur enim potentia pro eius obiecto. Habitat Deus in anima plena sanctitate. Eccli. 24. 16. *In plenitudine Sanctorum detentio mea.*

Nota quinto, τὸ *plenitudo* sæpe adiungitur terræ. Sic Deuter. 33. 13. ubi benedicitur Ioseph, id est tribus duæ filiorum Ioseph, nempe tribus Ephraim et Manasse, ait Moses: *De* (id est In) *benedictione Domini terra eius*, q. d. terra, quam possidebit, erit benedicta a Domino, *de frugibus terræ*, id est in frugibus, *et de plenitudine eius*, et in plenissima rerum omnium copia.

19. Omnes creaturæ sunt sub Dei dominio. Dico itaque primo, Omnes prorsus creaturæ sunt perfectissime sub dominio Dei: ita ut de illis possit disponere pro sua voluntata, ea dando quibus vult, auferendo, ornando, augendo, minuendo, destruendo. Chald. vertit: *Domini est terra, et creaturæ eius, atque plenitudo illius.* Deus ait Iob c. 41. 2. *Omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Imo et ipsi cæli Ps. 88. 12. *Tui sunt cæli.* Angeli quoque principes cælorum. Dan. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei.* Dies et nox, Ps. 73. 16. *Tuus est dies et tua est nox.* Mare licet vastissimum et efferatissimum. Ps. 94. 5. *Ipsius est mare.* Animalia tum domestica, tum fera, Ps. 49. 10. *Meæ sunt feræ sylvarum, iumenta in montibus et boves.* Aves libero aere spatiantes, Dan. 2. 38. *Volucres cæli dedit in manu tua.* Mineralia, Aggæl. 2. 9. *Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Unde conclude, si illa habere cupis, a Deo petenda esse: si times, ne tibi a latrone, a milite, ab igne, grandine, gelu aliisque auferantur, ad dominum et tuum et illorum tibi esse recurrendum: poterit eorum voluntatem continere et potentiam motivam, ne tibi noceant. Secundo, mirare hanc plenitudinem creaturarum: at ut vertit Apollinaris κοσμον, id est ornatum: sed præsertim mirare Dominum illas ordinantem et regentem politice, velut magnæ civitatis incolas. Gillebertus serm. 4. in cantica: *Deus*, ait, *cunctam creaturam nusquam exorbitante regit iustitia, quasi ornatissimam et dispositissimam civitatem*: et œconomice velut magnam domum: unde orbis, ut dixi, vocatur οικημα. Pisidas poeta Græcus tract. de mundi opificio ait:

Ο κοσμος ουτος, ως οικος μεγας,
Mundus hic, est velut domus magna.

20. Et præsertim homo. Dico secundo, Deus est præcipue hominis dominus, et homo eius servus. *Orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*, nullus excipitur. Deus ipse ait Ezech. 18. 4. *Ecce omnes animæ* (id est homines: est synecdoche) *meæ sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est.* Corpus quidem est etiam Dei, sed anima præsertim ob creationem et infusionem. Ob utriusque dependentiam a Deo, ait S. Aug. tract. 29. in Ioan. *Quid tam tuum quam tu? et quid tam non tuum quam tu, si alicuius es quod es?* Et S. Iustinus in Apologetico: *Hunc*, inquit, *mundum non temere conditum esse dicimus, sed generis hominum causa: ipsum vero hominem, ut esset Dei auctoris.* Philo lib. de opificio mundi: *Et mundus legi*, ait, *et lex mundo convenit, et homo legi obnoxius, mox civis mundi evadit, dirigens sua facta ad arbitrium naturæ gubernantis hanc rerum universitatem.*

21. Creationis iure habet Deus, ut sit dominus creaturarum. Dico tertio, iure creationis Deus est Dominus rerum omnium, ac præsertim hominis. Ps. 88. 22. cum dixisset David cælos et terram ad Deum pertinere, subdit: *Orbem terræ et plenitudinem eius tu fundasti.* Psal. 73 16. cum asseruisset illius esse diem et noctem, addit rationem, *tu fabricatus es auroram et solem.* Ps. 94. 5. ait, ipsius esse mare, quia, *ipse fecit illud.* Act. 17. 24. dicit Paulus Athenis in Areopago, Deus qui fecit cælum et terram, et omnia quæ in ea sunt. Hinc est consequens, ut subdit: *Hic cæli et terræ cum sit Dominus.*

De hominibus speciatim ait David nos edocens, Psal. 99. 13. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos.* S. Laurent. Iustinianus illud ius considerans ob creationem sic loquitur libro de obedientia cap. 5. *Clamat innata ratio, ut quisque se illi sponte subiiciat, a quo habet ut sit. Humana siquidem natura cum a Deo sit condita, et per eumdem actualiter in esse subsistat, ex necessario quodam iustitiæ et æquitatis debito, mandatis sui obligatur obedire auctoris.* Et paulo post: *Hæc est sanctæ obedientiæ radix immortalis, hoc est religiosæ servitutis delectabile germen.* S. Thom. lib. 3. contra Gentiles c. 119. ait esse pietatis servire Deo quia est parens omnium. Verba eius sunt: *Homo quodam naturali instinctu se obligatum sentit, ut Deo suo modo reverentiam impendat, a quo est sui esse, et omnis boni principium. Hinc est enim quod religio nomen accepit pietatis. Nam pietas est, per quam honorem debitum parentibus impendimus. Unde convenienter, quod Deo parenti omnium honor exhibetur, pietatis esse videtur.* Ita S. Thom. unde definit, Deum non esse dominum per accidens, sicut est homo, sed per naturam. Lactantius inde concludit ex iustitia teneri nos Deum colere, et omnia obsequia nostra esse illi debita. Sic enim ait lib. 4. institution. cap. 16. *Apparet nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi ut abiectis vanitatibus, et errore miserabili, Deum agnoscat et Deo serviat: nisi ut huic temporali renunciet vitæ, et se rudimentis iustitiæ ad cultum religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur: hoc vinculo pietatis obstricti Deo, et religati sumus: unde ipsa religio nomen accepit.* Lib. 1. affert quædam oracula Sibyllarum, de mundi creatione: unde ipse concludit, quoniam Deus solus est mundi ædificator, eum solum coli oportere. Et libro de ira Dei, cap. 14. *Sicut*, inquit, *mundum propter hominem machinatus est: ita ipsum propter se, tamquam divini templi Antistitem*, spectatorem operum rerumque cælestium. Solus est enim qui sentiens capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemque perspicere: idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ita ipse: in eam rem homo recto corpore et statura factus est, ut ad contemplationem parentis sui factus esse videatur: ideo linguam habet, ut eum laudet.

Hinc etiam concludit S. Bernardus serviendum Deo esse ex animo, et ex intimis medullis, cum omnia prorsus nostra ab eo habeamus. Sic autem ait: *Ecce in ianuis est, qui fecit cælum et terram, et creator tuus est, tu creatura: tu servus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes, illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum: ne forte indignationis oculo te respiciat, et despiciat, et conterat in æternum.*

Hunc amorem et venerationem creatori debemus, eo maxime motivo, quod nos creavit, cum nostri non indigeret. Ut enim ait Tertullianus contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia Deus erat solus, et ipse sibi et mundus, et locus, et omnia.* Sola bonitas et charitas sui diffusiva ad hoc impulit, ut aliquas creaturas e nihilo educeret: est enim sibi ipse sufficiens, nec eget bonis nostris vel laudibus: Theodor. q. 3. in Genes. Non indiget, ait, Dominus Deus laudatoribus: quippe qui natura nullius indigeat, sed sola bonitate ductus, Angelis, Archangelis, et universæ creaturæ largitus est, ut esset. Ita ipse. Plato quoque hoc vidit in Timæo: cum enim dixisset mundum esse pulcherrimum, et ab optimo auctore factum, causam inquirit, cur illum creaverit: *Dicamus*, inquit, *quam ob causam ille rerum auctor generationem et hoc universum constituit*, αγαθος ην· αγαθω ουδεις περι ουδενος ουδεποτε εγγιγνεται φθονος. *Bonus erat: bonus autem nulla umquam aliqua in re invidia tangitur: Ergo cum invidia ab eo alienissima esset, omnia sibi, quantum fieri poterant, simillima fieri voluit.* Amori itaque amorem rependa: et in auctorem velut in benignissimum fontem, quæ accepisti, refunde.

Mirabilem se Deus exhibuit in creatione terræ, 1. quod illam stabilem et immotam effecit; 2 quod eam stabilitatem illi dedit super aquas fluidas. v. 2. Quia (hæc particula non est in textu Græco, neque in Psalterio Roman. neque in Ambrosiano, neque in S. August. habetur tamen 22. Vers. 2. Creatio terræ mirabilis est.

in Hebræo, Chald. Syr. Arab. S. Hieron. Felice, Pagnin. Vatabl. et aliis: nec est inutilis, ut patet ex supradictis) SUPER MARIA FUNDAVIT EUM, ET SUPER FLUMINA PRÆPARAVIT EUM. Hebr. יכוננה iconenecha, id est firmavit eum, ut vertit Pagn. stabilivit, ut S. Hieron. Felix. Muis. Sic sæpe noster Interpres sumit præparare pro stabilire et firmare: ut, præparare montes in potentia, Ps. 64. 7. montem in vertice montium, Isai. 2. v. 2. veritatem, Ps. 88. 3. egressum, Oseæ 6. 3. cælos, Prov. 8. 27. sedem, Ps. 92. 2. cogitationes, 1. Reg. 2. 3.

23. An terra sit immobilis. 1. Opinio variorum Philosophor. eam facit mobilem.
Quæres primo, An terra sit immobilis? Nonnulli Philosophi eam moveri voluerunt, ut refert Arist. lib. 2. de cælo. Plutarch. lib. 3. de placitis Philosoph. c. 13. et 15. Albertus lib. 2. tract. 3. Ioan. Picus Mirandulan. in ex. va. doctr. gent. l. 1. cap. 12. Nicæas quidem Syracusanus censuit terram volvi summa velocitate. Thales credidit, eam aquis sustentatam more navigii velut, eorumque mobilitate fluctuare, tunc enim dicitur tremere. Philolaus verti in gyrum circa ignem in obliquo circulo instar solis et lunæ. Ponticus Heraclides et Ecphantus Pythagoræus, agi velut rotam ab Oriente in Occidentem circa ipsius centrum. Democritus, a prima origine oberrasse propter exiguitatem levitatemque: verum temporis decursu addensatam effectamque graviorem constitisse.

24. II. Opinio vera, quietam et immobilem esse dicit. Probatur variis argumentis.
Sed terram in medio mundi quiescere certum est. Nam nisi terra quiesceret, aut moveretur motu recto, vel circulari: quorum utrumque a veritate constat abesse. Si enim recto motu ageretur, evenirent omnia incommoda, quæ docent Philosophi eventura, si alius esset terræ situs præterquam in medio. Deinde sequeretur, terram ascendere (siquidem quicquid a centro discedit, ascendit) cum tamen grave omne suopte ingenio deorsum feratur. Quod si quis dicat, terram non proprio, sed alieno et adventitio impulsu centrum relinquere: id facile ex eo confutabitur, quod nullum est corpus tanta pollens gravitate: nec ulla in natura saltem corporea vis, quæ terræ molem e propria sede possit extrudere.

Deinde, quod terra non moveatur circulari motu, patet in primis: quia, si v. g. a Septentrione ad Meridiem circulum faceret, sequeretur contra id quod experimur, urbes singulis horis mutare distantiam ad polos: item eos, qui modo Arcticum intuentur, postea Antarcticum videre: et eumdem terræ tractum nunc sub polo obrigere pruinis, nunc sub æquinoctiali ardoribus torreri. Quod vero terra nec ab ortu ad occasum, nec ab occasu ad ortum commeet, probatur: quia tunc singulis noctibus diverso tempore nobis eædem stellæ occiderent et nascerentur: nec posset ab Astronomis certo tradi, qua hora in Italia vel Lusitania solis aut lunæ eclypsis exhibenda sit: quandoquidem planetarum siderumque aspectus pro hemisphæriorum diversitate variantur. Si vero terra volveretur, perenniter eius incolæ hemisphæria commutarent.

Præterea, quod universim nullus in suo loco motus terræ insit, ostenditur: namque is motus aut esset ei naturalis, aut violentus, aut præter naturam. Non naturalis, quia uni corpori simplici unus dumtaxat naturalis motus competit: terræ autem naturale est descendere. Non violentus, quia nullum violentum perpetuum. Non præter naturam, quia conveniret ei ratione alterius corporis: quod fieri nequit, cum tale corpus in natura non detur: Nullo igitur pacto terræ globus movetur. Ita nostri Conimbricenses lib. 2. de cælo q. 5. ex Arist. et aliis Philosophis atque Mathematicis.

Illa quoque terræ immobilitas probatur ex Scriptura, Ps. 74. v. 4. *Ego firmavi* (S. Hieron. appendi. Alii, fixi, disposui, summa arte stabilivi) *columnas eius*. Ps. 92. 1. *Firmavit* (S. August. confirmavit. S. Hieron. appendit) *orbem terræ qui non commovebitur*. Eccli. 1. 4. *Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat*. Hebr. עמד omod, hoc est stat, permanet, perseverat, firma et stabilis, atque immobilis est instar ammud, id est columnæ, quæ stat sub dumo, eamque fulcit et sustentat. Sic enim terra velut columna, ac velut centrum sustinet omnes elementorum et cælorum orbes, totumque universum, 1. Paralip. 16. 30. *Ipse enim fundavit orbem immobilem*.

Quæres secundo, Quænam est causa huius immobili- 25. Immobilitatis terræ sex causæ assignantur.
tatis terræ? Primo, Democrit. apud Plutarch. lib. 3. de placitis Philosophicis, cap. 13. ait: Initio mobilem fuisse terram ob parvitatem et levitatem: successu autem temporis densatam atque degravatam subsedisse. Secundo, ut ait Arist. lib. 2. de cælo c. 13. quidam sentiunt *infinitam* 1.
terræ partem esse, in infinitum radicatam esse dicentes, 2.
ut Xenophanes Colophonius dixit, ne molestias habeant, causam quæritantes. Ita ibi. Sed nunc est manifestum terram esse sphæricam, nec in infinitum protendi, nulli
enim essent Antipodes, et cæli motus impediretur. Tertio, 3.
Anaximenes, et Anaxag. et Democr. latitudinem, causam manendi ipsam terram dicunt esse. Sed, ut dixi, apparet terram esse non latam, sed rotundam, neque ob quamlibet latitudinem tantum pondus ab aquis sustentari posse.
Quarto, Empedocl. censet cæli conversione sua cele- 4.
riore, quam est terræ motio, lationem ipsius prohibere, ut fit in aqua, quæ in cyathis est. Hæc enim cum cyathus orbe fertur, etsi cyathos sæpe adeo vertitur, ut supra fundum, infra labra fiant, non fertur tamen deorsum, apta deorsum ferri propter eamdem causam. Sed supponit terram cum cælo moveri, quod supra est improba-
tum. Quinto, sunt qui terram manere ob similitudinem 5.
dicunt, ut ex veteribus Anaximander. Id enim, inquiunt, quod est in medio collocatum, et æque ad extrema se habet, non ad supera magis, quam ad infera, aut versus latera ferri oportere, et simul ad contraria moveri non posse, quare necessario illud manere dicunt. Sed terræ affingit inclinationem alio migrandi, quod verum non est. Nam interitum suum moliretur, cum in loco suo melius
conservetur. Sexto itaque, dicendum est huius immobili- 6.
tatis terræ nullam aliam posse causam assignari præter Et optima.
nativam eius gravitatem. Hæc enim cum maxima sit, efficit, ut terra locum maxime e cælo remotum: hoc est, medium mundi appetat, et suopte impetu, ac suis conglobata nutibus eo feratur, ibique fixa conquiescat: nec aliorsum, nisi per vim educi possit: siquidem oporteret illam quocumque e centro vergeret, contra naturam ascendere. Hoc terræ pondus et inclinatio declaratur Ps. 103. 5. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam* (S. Hieron. Aquila, et Symm. super basim suam. Hebr. super bases suas. S. Aug. S. Prosper. S. Ambr. 1. Hexaem. cap. 6. super firmitatem eius) *non inclinabitur* (S. Hieron. non commovebitur) *in sæculum sæculi*.

26. Immobilitas terræ probat summam esse Dei potentiam.
In hac terræ immobilitate et suspensione in medio aeris elucet Dei summa potentia. Unde hoc admirans Isaias exclamat cap. 40. 12. *Quis mensus est pugillo* (pugno suo) *aquas, et cælos palmo ponderavit?* (est catachresis, Deus enim caret manibus) *quis appendit tribus digitis molem terræ*, (Hebr. pulverem terræ, q. d. Deus universam terræ molem pari facilitate continet, atque exiguum terræ pulvisculum) *et libravit in pondere* (id est in statera ponderante, est metonymia) *montes, et colles in statera?* q. d. Solus Deus id potest, qui ubique est, et infinita potentia est præditus. Iob. 26. 7. hoc ipsum miratur, cum ait: *Qui extendit Aquilonem* (id est elementum aeris, ait Nicetas; 2. terram Aquilonarem seu Septentrionalem, ut Eugub. et Philippus; 3. Aquilonarem cæli partem, id est totum cælum; est synecdoche. Ita Albertus Magn. et S. Thom.) *super vacuum* (id est super aerem ait S. Thom. et Caiet. vel, super spatia imaginaria, illis enim veluti incumbit cælum in sua superficie convexa) *et appendit terram super nihilum*, id est nullo fundamento nitentem, sed sua tantum gravitate stabilitam. Septuag. vertunt, *suspendit*. Deus solus eam sustentat. Arist. 12. Metaphys. cap. 7. ait, esse quoddam principium movens immobile atque actu omnique ratione necessarium, et ex tali actu cælum ipsum naturamque pendere. Et lib. 2. de cælo cap. 13. ait esse amentiæ non mirari sustentationem illam terræ in medio aere. Ταχα, inquit, αλογωτερως διανοιας, το μη θαυμαζειν. *Forsan mentis est vacantis ratione, non admirari, cum parva quædam pars terræ, si elevata dimittatur;*

fertur, quiescereque non solet, maiorque semper celerius fertur. Universa autem terra, si quispiam ipsam sublimem elevatamque dimittat, ferri non potest: nunc vero tantum pondus quiescit. Si enim horti pensiles Semiramidis, apud Diodorum Siculum lib. 2. et Syri cuiusdam Regis apud eumdem lib. 1. tantæ admirationi fuerunt: si Thebæ Ægyptiæ adeo mirandæ fuerunt, quod tota urbs esset pensilis, ita ut exercitus armatos subter educere solerent Reges, nullo oppidanorum sentiente, sicut aliqui dicunt apud Plin. lib. 36. cap. 14. quanto magis totam terram pensilem mirari debemus, herbis, floribus, arboribus, animalibus, hominibus, totis oppidis et urbibus vestitam et ornatam? Unde Trismegistus in hymnodia id celebraturus indicit rebus omnibus silentium: μελλω γαρ, inquit, υμνειν τον κτισαντα τα παντα, τον πηξαντα την γην, και ουρανον κρεμασαντα. *Laudaturus enim sum qui creavit omnia, qui terram formavit et fixit, qui cælum suspendit*, etc. Hinc Deus ipse Iobum alloquens de turbine, id est de nube procellosa et caliginosa, fulgura, fumum, et tonitrua emittente, qualis postea fuit nubes super Sinai, quando lex data est, ait: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ.* (id est terram, quæ est velut fundamentum totius mundi; 2. terræ ipsius bases) *Indica mihi, si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti: vel quis tetendit super eam lineam.* Aquila, canonem. Symmac. clare, funiculum mensuræ: ut scilicet videret eius longitudinem, latitudinem, et profunditatem, atque ut omnia ad æquilibrium ita disponerentur, nihil ut fluctuaret aut caderet.

27. *Terra fundata est super aquas, quod quatuor modis explicatur.* Quæres tertio. Cur dicitur terra fundata super aquas? Primo, Plato dicebat quemdam esse fontem Tartarum in media terræ, cui terra sit superfusa. Thales qui apud Tull. lib. 1. de natura deorum censet, aquam esse rerum initium, vult teste Arist. 2. de cælo cap. 2. *Terram super aquam iacere perinde atque lignum, aut quid; iam tale natat*, et hanc aliorum sententiam esse vetustissimam ait ipse Arist. sed eam refutat: quia quid aquam ipsam sustentaret? Neque enim aqua sublimis manere est apta: id enim et in eius partibus verum esset. S. Chrysost. et

I. *Expositio.* eum secuti multi Græci, dicunt terram aquæ toti subiacere, tamquam fundamento suapte natura fluxo et instabili, at Dei virtute constanti et firmo. Procop. in cap. 1. Gen. ex Ps. nostri loco infert, terram hac solum parte, quæ versus nos est, aquis esse discoopertam: ex alia parte omnino aquis immersam, ita ut nulli Antipodes existant. Sed nemo est qui nesciat a Columbo detectam fuisse Americam anno 1492. misso a Ferdinando Hispaniæ rege post confectum bellum Granatense contra Mauros, quod totis decem annis duraverat. America autem est opposita Europæ, Asiæ, et Africæ, quæ dimidiam partem globi conficiunt, ipsa vero et mare alteram partem. Mahometis fabulas de terra sustentata a bove qui lapidi albo insidet, etc. Vide Petrum d'Auity tom. 3. pag. 1268. ubi agit de Turcarum religione.

II. Secundo terra fundata est *super maria, et super flumina*: quia terra est sicca et frigida: unde nec ex motu, nec ex fluxu pars una continuatur, indiget itaque humore continente et continuante, et sic fundatur vel confirmatur super aquas, et quia in qualibet parte terræ quasi fit generatio aquarum. Ita S. Thom. quod ubicumque fodiatur, inveniatur aqua. Ita Ugo. Qua in re summa elucet Dei providentia: sic enim nihil est sterile et inutile. De pyramidibus Regum Ægypti recte ait Plin. lib. 36. cap. 12. *Pyramides in Ægypto, Regum pecuniæ otiosa et stulta ostentatio*: rationem dat, quod nihil aliud essent quam *mons saxeus sterilisque*. Tradit unam pyramidem a trecentis sexaginta sex hominum millibus, viginti annis absolutam fuisse. Quanti ad hoc sumptus erant necessarii. Deus vero peritus artifex sine sumptu, sine operariis, uno temporis puncto terram creavit, quam deinde mirabilibus canalibus aquarum intersecuit et irrigavit: ut rore cælesti iuvante, herbis, floribus ac frondibus vestiretur. Sub illis pyramidibus Ægypti sepeliebantur Reges super terram, et ex terræ bonis omnes vivunt homines.

III. Tertio, terra fundata est *super maria, et super flumina*, id est iuxta maria illi circumfusa, et iuxta flumina eam intersecantia, irrigantia et fœcundantia. Ita Ruffin. Iansonius, Iansen. Mariana, Emmanuel Sa, Thom. Anglicus et alii. Hebr. על *al*, idem etiam est quod *iuxta*. Sic Ps. 136. 1. *Super* (id est iuxta) *flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus.*

Quarta, et planissima, terra fundata est *super maria*, IV. *Et optima.* quia divina virtute factum est, ut terra non sit tota aquis operta, nec mare erumpens ipsam operiat: sed pars eius est superior mari, quantum ad partes maris vicinas terræ, quatenus animalia commorori possint in ea: Idcirco additur, *et super flumina præparavit eam*: id est, fecit orbem terræ, quantum ad aliqua loca, eminentiorem ripis fluviorum, præparans eum habitationi viventium. Ita Dionys. Carth. Genebr. Caiet. Agell. Bellarm. Thomas Angl. et alii. Sic dicimus quod Barcinona, et Genua, et Caieta, et Neapolis sunt civitates sitæ supra mare: eo quod terra et montes, in quibus fundantur, sunt altiores mari: et eadem ratione dicimus, quod Roma est sita supra Tiberim, et Florentia supra Arnum, et Valentia supra Turium fluvium. Ita Valentia. Et hæc sententia sicut simplicior, ita et verior est.

Dices, Si terra est supra mare, et altior mari, non faciet unum globum cum illa, nec habebit idem centrum gravitatis: atqui hoc falsum esse patet. Respondeo terram cum aqua non efficere globum ad Geometricam rotunditatem perfectum et absolutum, cuius scilicet centrum paribus a circumferentia radiis attingitur, sed tantum efficere globum physice rotundum, qui non impedit, quominus sint aliquæ eminentiæ et cavitates: sicut ipsa terra est physice rotunda, licet montes variis in locis extuberent.

Quæres quarto, an absolute loquendo, terra sit altior mari? 28. *An terra sit altior mari.* Respondet primo S. Thom. 1. p. q. 69. a 1. *Mare est altius terra, ut experimento compertum est in mari rubro, sicut dicit S. Basilius hom. 4. hexaem. ante medium.* 1 *Opinio negat.* Ita S. Thom. Canus, Catharin. Burgensis, et alii nonnulli idem censent. Resp. Secundo, cum S. Hieron. in Ps. 32. 2. *Et verior affirmat.* S. Aug. in Ps. 135. Contarena lib. 2. de elementis, Hanucala ad cap. 1. Gen. Ægid. lib. 2. Hexaem. cap. 27. et aliis, terram mari esse altiorem, 1. quia, ut clarum est, insulæ eminent in mari, et littora sunt altiora aquis tam maris, quam fluminum; 2. si mare esset altius terra, eam inundaret, aut retentum a vi extrinseca esset semper in statu violento.

In hac porro fundatione terræ super aquas, mirabilem se Deus exhibet, in quacumque sis sententia ex prædictis. Iansen. hoc loco: Totum, inquit, terræ globum Deus creavit, ac immobiliter stabilivit: idque (*quod maxime mirum est*) super maria et flumina, quæ secundum magnam sui partem, terræ quasi pro fundamento subiecta sunt, non sine magna admiratione ac indicio sustentationis et gubernationis Dei, qui terram ut creavit, ita et sustentat: ut cum tanta moles aquis niti videatur, non tamen pro suæ naturæ ratione mergatur; ita Iansenius. Hoc explicare possis per structuram templi Dianæ Ephesiæ, *Templum Dianæ Ephesinæ in palustri loco.* quod ducentis viginti annis factum est a tota Asia. De illo sic Plin. lib. 36. cap. 14. *In solo palustri fecere, ne terræ motus sentiret, aut hiatus timeret. Rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substravere carbonibus, dein velleribus lanæ.* Universi templi longitudo erat 425. pedum, latitudo 220. columnæ 127. a singulis Regibus factæ, 60. pedum altitudine. Sed quid hæc sunt, si cum terræ mole conferantur, cuius profunditas seu diameter continet plusquam 6070. milliaria, ut communiter Mathematici docent.

Mirata est antiquitas Lucullum, qui quocumque in loco eum voluptas cepisset, nunc in mari depulsis undis, immensa palatia ædificabat: nunc montibus ædificando occupatis, aquas superinducebat, ut in his cum natura contendere videretur: nullaque eum impensæ magnitudo deterreret, quo minus perageret, quæ omnino fieri non posse viderentur. Itaque non sine causa togatus Xerxes dictus est, ut ait Plutarch. in Lucullo. Deus vero absque ullis impen-

sis tam mirabiles moles condidit, et in aquis, et extra oquas.

29. Tropol. Anima viri iusti est terra fundata super aquas ob novem rationes. Tropol. Anima viri iusti est terra fundata super aquos et super flumina: Primo, quia infima est, et se dimittit infra omnes per humilitatem, sicut terra inter elementa, ex natura sua. Luc. 22. 26. *Qui maior est vestrum, fiat minor.* Secundo, firma est, constans, stabilis, et immobilis per fortitudinem. Eccli. 15. 3. *Firmabitur in illa* (sapientia in viro iusto) *et non flectetur*, q. d. non erit in illo per modum transeuntis, sed in illo firmiter atque stabiliter
1. monebit. Græco magis ad rem nostrom habent: *Firmabi-*
2. *tur super eam* (vir iustus super sapientiam) *et non incli-*
3. *nabitur, et super eam innitetur, et non confundetur.* Tertio, fructifera est per bona opera. Eccl. 20. 30. *Qui operatur terram suam, inaltabit* (altam faciet) *acervum frugum: et qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur.* Proverb. 24. 27. *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam.* Catenæ Græcæ auctor sic vertit et explicat ex Septuag. Interpretibus: Para ad exitum opera tua, et excole agrum, et sequere me, et instaurabis domum tuam. S. Epiphan. censet denotari ibi
4. mortem et resurrectionem. Quarto, Anima viri iusti unum agnoscit dominum, et illi se totum tradit, per charitatem perfectam. *Domini est terra*, Deuter. 6. 4. ait Moses. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Statim subditur velut inde consequens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, q. d. cum sit unus, eum dilige, hoc tibi facile erit et iucundum, ne divides amorem tuum, cætera tibi debent servire, non tu illis. Et quidem Hebr. Chald.
5 et Septuag. habent: *et* (id est idcirco) *diliges.* Quinto, Anima iusti velut terra fœcunda, bonos et multos fructus fundit Domino suo per gratitudinem. Ps. 102. 1. *Benedic anima mea Domino* (ad Domini gloriam. Chald. omnini *Domini*: nomini Iesu, per quod datur gratia. Psalt. Roman. Dominum) *et omnia quæ intra me sunt* (non illi servio tantum in superficie, sed ex intimo cordo. S. Hieron. et omnia viscera mea) *nomini sancto eius*, et nos sanctificanti: non est enim salus in alio nomine. Vicissim Deus omnia danti dat gratiæ plenitudinem, v. 5. *Qui replet in bonis* (Id est bonis; est Hebraismus) *desiderium tuum.* S. Hieron. ornamentum tuum. Esto vir desideriorum, et gratia Dei ornaberis. Vel, cum Aben Ezra, tuum ornamentum, intellige animam tuam, cætera te deturpant.
6. Sexto, Anima iusti est orbis per sui contemplationem, revocando in memoriam, quod ex terra corpus initium duxerit, et in terram rediturum sit. Vel, anima ipsa est orbis per contemplationem suæ æternitatis, quæ fine caret.
7. *Orbis terrarum.* Septimo, Anima iusti omnes motus suos Deo consecrat, et in principio actionis, et in fine: quia Deus est causa efficiens et finalis eorum: ab homine habent quod sint liberi, a gratia Dei quod sint supernaturales, et ad Deum ducant. Apocal. 1. 8. *Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus*, omne Christus, ut ait S. Athanas. tract. in illud Matth. 11. 27. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*; 2. Deus prout communis tribus Personis, ut vult Cornel. *Omnia quæ in isto sunt,*
8. *Dei sunt. Et universi, qui habitant in eo.* Octavo, Anima iusti est fundata super maria. quia contemnit amaritudines sæculi, et est illis superior per fidem, et spem æter-
9. norum bonorum. Nono denique, præporatus et firmatus super flumina, quia delicias fluxas et transeuntes mundi contemnit per mortificationem et sapientiam, cum S. Ioan. 1. epist. 2. 17. dicens: *transit mundus et concupiscentia eius*: id est quod est in eo concupiscibile; est metonymia: ponitur enim actus pro obiecto. Et cum S. Paulo 1. Corinth. 7. 31. *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur* (Græc. ὡς καταχρώμενοι, non abutantur. Syr. præter æquum usum non utuntur: difficile est uti, et non aboti) *Præterit* (Græc. παράγει, decipit et transversum agit) *figura* (Græc. σχῆμα, habitus, species, ac status fugax) *huius mundi.*

30 Symbol. Terra fundata Symbol. Terra fundata super maria et flumina, est Deipara. Ps. 84. 1. *Benedixisti Domine terram tuam.* Vide ibi dicta: Primo, illa terra est solius Domini per virginitatem, Ezech. 44. 2. *Porta hæc* (orientalis) *clausa erit: non aperietur, et vir non transibit per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa principi,* id est ad usum principis. Secundo, omnis eius plenitudo est Domini, quia nullos umquam actos malos exercuit, nec ullum in ea momentum fuit vacuum, quia cooperata est gratiæ secundum totam eius plenitudinem, et vel de nocte operabatur per scientiam infusam et independentem a phantasmate. Tertio, est rotunda, id est perfecta, ait Ugo. *Orbis terrarum.* Quarto, Est maxime capax: quia quem cœli capere non poterant, suo gremio tenuit. Eccl. 24. 12. *Qui creavit me* (fecit, ut vertit Syrus: creare sumitur ab Hebr. ample) *requievit in tabernaculo meo*, in templo corporis mei. Circularis figura est omnium capacissima. Quinto, super maria, id est super tribulationes fundata est. Luc. 2. 35. ait illi Simeon: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Arabs, lancea; Gr. ῥομφαία gladius, seu lancea: non tantum gladius verbi Dei, ut explicat S. Eucher. Lugdon. hom. in Domin. post octavam Nativitatis: sed etiam tormentorum Christo illatorum et propriorum afflictionum. Sexto, illa terra est super flumina, id est super Apostolos, quorum cursum dirigit; vel, super gratias, quæ per ipsam velut per canalem transeunt. Septimo, illa terra gratiis irrigata est fœcundissima, Ps. 84. 13. *Dominus dabit benignitatem* (S. Aug. suavitatem. S. Hieron. bonum. Chald. Verbum Dei Iehovæ dabit beatitudinem) *et terra nostra dabit fructum* (S. Hier. germen. Alii proventum) *suum.* Octavo, est super flumina, quia non fluit, sed stabilis est. Deipara super aquas est.

Allegor. Terra super maria et super flumina fundata, est Ecclesia. Possem probare Ecclesiam esse terram omni fructu abundantem, cuius sol sit Christus; 2. luna, Deipara; 3. stellæ, omnes Sancti; 4. cæli, Concionatores; 5. ignis, Zelo Dei ardentes; 6. aer, qui animæ vel corpori per eleemosynas et consolationes subsidio sunt; 7. pluviæ, gratiæ; 8. venti, tonitrua et grandines, minæ et punitiones, aut tribulationes etiam iustorum. 31. Allegor. Terra fundata super aquas est Ecclesia. Illa terra describitur.

Sed his omnibus omissis psalmi nostri angustiis me includam, ostendamque Ecclesiæ, velut terræ promissionis suum esse principem; 2. divitias; 3. amplitudinem; 4. incolas; 5. aitum optimum; 6. stabilitatem æternam. 32. Sex in ea considerantur ex psalmo nostra.

Ac primo, Princeps illius terræ est Iosue, id est Iesus, qui eam acquisivit suo sanguine transiens aquas tribulationis, et Iordanem fluvium Iudicii a Pilato condemnatus. Omnes quoque Iudices et Reges Iudææ fuerunt typus Christi, ut ipsa Ecclesiæ, de qua nunc dicitur: *Domini est terra*: est eius, velut hæreditas. Ps. 2. 8. Christo dicit Pater æternus: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vide ibi dicta. Secundo, est eius velut vinea, Is. 5. 7. *Vinea Domini exercituum domus Israel est: et vir Iuda germen eius delectabile.* Septuag. germen eius dilectum. Arias, plantatio deliciarum eius. Chald. plantatio lætitiæ eius. Pagn. lætitiorum eius. Dat omnes et omnibus. Tertio, Ecclesia Christi Domini est velut domus eius, Ps. 92. 5. *Domum tuam Domine decet sanctitudo*: domum orationis ait esse suam domum, talis autem est Ecclesia. Quarto, est eius, velut ager Ier. 32. 8. sibi ait dictum esse ob Hanameel filio patrui sui: *Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas.* In Hebr. pro *posside*, est *eme*: nos emit pretio magno Christus, qui est Ieremias, id est celsitudo Domini: ager, id est Ecclesia, est in Anathoth, id est in *canticis* eam laudans, et in terra Beniamin, id est filii dexteræ. Agri illius fructus sunt ad Christum mittendi. Cum Iacob mitteret filios suos ad Ioseph, ut fami suæ et familiæ succurreret, dicebat Gen. 43. 11. *Sumite de optimis terræ fructibus* (Hebr. de cantatione terræ) *in vasis vestris.* Quinto, Ecclesia Christi Domini est velut Sponsa, Cant. 4. 8. velut filia, Ps. 44. 11. velut soror, Cantic. 4. 9. Unico verbo, omnia Christus comprehendit. Ps. 49. 11. et 12. *Pulchritudo agri mecum est. Meus est orbis terræ et plenitudo eius.* 1. Princeps Christus.

Secundo, Ecclesiæ divitiæ sunt virtutes omnes, quibus omni tempore fuit plenissima: *Et plenitudo eius.* Ibi est aurum charitatis, Gen. 2. 11. *Nomen uni Phison: ipse est* 33. II. Divitiæ, virtutes.

qui circuit omnem terram Hevilath, ubi *nascitur aurum: et aurum terræ illius optimum est.* Phison est fluvius unus paradisi, et idem est quod multitudo: vel, extensio. Super illum fluvium est fundata Ecclesia multitudinem gratiarum recipiens, quibus dilatatur. Hevilath significat, 1. dolentem; 2. parturientem; 3. loquentem; 4. annunciantem. Ecclesia affligitur, sed prædicatione fructificat, et ipsi dolores Martyrum ac vulnera sunt ore semper loquentia, et Deum annunciantia. In ea terra Ecclesiæ est etiam argentum innocentiæ, æs zeli resonantis, ferrum constantiæ in adversis, gemmæ prudentiæ, et aliarum virtutum.

34. III. *Eius amplitudo est totus orbis.* Tertio, Ecclesia est terra amplissima: *Orbis terrarum.* Est enim Catholica, id est universalis. Sap. 18. 24. *In veste enim poderis* (ποδήρης, id est, talaris) *quam habebat* (Pontifex Iudæorum Aaron) *totus erat orbis terrarum*, agit ibi de tunica hyacinthina, per quam synecdochice intelligit omnes eos, quibus non sola terra, sed orbis integer figurabatur, ut dixi alias. Nunc ad rem, S. Aug. lib. 4. de Symbolo, cap. 10. id maxime de Ecclesia prædicat, quod sit Catholica. Sic autem loquitur: *Audite hæretici, quod scriptum sit: Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et prædicari in nomine eius pœnitentiam, et remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes totus mundus est, Ecclesia totum possidet, quod a Christo accepit in dote. Quæcumque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona.* Et epistola fundament. cap. 4. Tenet me, ait, in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam convenitur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Vincent. Lirinensis advers. prophan. hæres. novit. *In Ecclesia*, inquit *Catholica, ad quam non una natio, non unus angulus, sed multitudo maris consortitur, id tenemus, quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est.* Veritas non amat angulos, in orbe est.

35. IV. *Incolæ sunt omnes fideles.* Quarto, Incolæ terræ Ecclesiæ sunt omnes Fideles per omnes nationes, et per omnia sæcula diffusi, ut patet ex loco Vincentii mox allato. Omnes isti sunt Domini: unde etiam Christiani vocantur. *Et universi qui habitant in eo.*

V. *Situs est optimus super maria: id est,* Quinto, Situs terræ Ecclesiæ est optimus: *Ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum.*

I. *Super tribulationes.* Maria enim sunt primo tribulationes, quibus irrigata Ecclesia fit fœcundior. Dionys. Carth. Super maria, inquit, id est super tribulationes et amaritudines fluctusque sæculi fundavit, id est corroboravit Deus Ecclesiam. Non quod prædicta sint eius fundamenta, sed quia Christus stabilivit Ecclesiam adversus prædicta, ne obruatur, vel penitus ab eis superetur: fecitque Ecclesiam firmiorem ac sublimiorem prædictis, super quæ fundata asseritur. Ita Dionys. Paulo aliter Ruffinus: *Possumus*, ait, *intelligere per mare, mundum: per flumina, cupidos homines, qui labuntur in sæculum. Etiam istos superat Ecclesia, quæ devictis per Domini gratiam cupiditatibus sæcularibus ad recipiendam immortalitatem charitate parata est. Super maria fundata est Ecclesia, quia iuxta amaras huius sæculi fluctuationes sita est. Sive super maria, non sub mari fundatur: quia nullis impiorum tormentis superatur. Vel, quia non ei vitio, sed ipsa vitiis dominatur.*

II. *Super Christi sanguinem.* Secundo, et melius, fundata est Ecclesia super mare, id est super Christi sanguinem, qui est mare rubrum, Actor. 20. 28. Paulus Mileti existens ait maioribus natu Ecclesiæ Ephesinæ ad se vocatis: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos* (id est primarios Presbyteros, qui cum S. Timotheo invigilabant Ecclesiæ, et eam regebant) *regere* (ποιμαίνειν, id est pascere) *Ecclesiam Dei* (Græc. Ecclesiam Domini et Dei. Syr. Ecclesiam Messiæ) *quam acquisivit sanguine suo*, in eo est plantata et radicata Ecclesia, in eo crescit et fructificat. S. Chrysost. id declarat serm. de Pentecoste: *Sanguinem*, inquit, *filii effudit propter Ecclesiam. Hic sanguis irrigat Ecclesiam, et ideo plantaria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta eius: non subiacet necessitati temporis; nec est conditioni obnoxia, ut per æstatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur. Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus sancti gratia gubernat: et ideo non senescit, nec contrahitur, et multis impugnantibus non opprimitur.* De eadem re ad c. 2. Isaiæ, atque in Psal. 117. idem S. Chrysost. et S. Damascenus oratione de transfiguratione. Tertullian. de Præscript. in hæret. cap. 32. S. Cyprian. de unitate Ecclesiæ. Lactantius lib. 4. cap. 30. S. August. de unitate Eccl. cap. 15. et seqq.

Tertio, Ecclesia fundata est super mare baptismi. S. Ioan. Damascen. hist. S. Barlaam et S. Iosaphat. cap. 8. *Sanctæ huius*, ait, *et intaminatæ fidei Christianorum velut radix, et certum fundamentum divini baptismi gratia est.* S. Paulus 1. Corint. 10. 1. et 2. ait de Iudæis ex Ægypto egredientibus: *Omnes mare* (rubrum) *transierunt, et omnes in Mose* (per Mosem, duce Mose) *baptizati sunt* (spiritualiter et typice) *et in nube* (sub ducatu et protectione columnæ nubis eos obumbrantis) *et in mare.* Mare typus fuit baptismi: nubes, Spiritus sancti: Moses, Christi, ut explicat Theodoretus. *Illa*, inquit, *erant nostrorum typus: mare enim imitabatur piscinam seu lavacrum: nubes autem gratiam Spiritus: Mose vero, Sacerdotem: virga autem, crucem: Israel vere significabat eos, qui baptizabantur: persequentes vero Ægyptii, implebant figuram dæmonum, ipse autem Pharao erat imago diaboli.* S. Cæsar. Arelat. hom. 5. de paschate: Ingreditur, ait, anima vitales undas, velut rubras Christi sanguine consecratas: ingreditur mortiferis plena debitis, paulo post felicibus ditanda naufragiis. In uno eodemque undæ salutaris elemento, tamquam Ægyptius peccator perit: tamquam Hebræus, iustitia tota permansit: reus diluitur, reatus aboletur. Criminosus tingitur, et solum crimen extinguitur. Et S. Athan. quæst. 134. Baptismi ait, signum erat, quod per rubrum mare transivit Israeliticus populus. Nam sicut illi transmissi effugerunt inimicorum insidias, et in deserto nutriebantur manna: sic etiam baptizati liberantur e spirituali Pharaone, et ab Ægyptiis dæmonibus, sustentanturque super cœlesti pane Spiritus sancti. Idem pene tradit S. Basil. de Spiritu sancto cap. 14. III. *Super mare baptismi.*

Super flumina, quoque fundata est Ecclesia, id est. Primo, Christus super flumina præparavit eam, id est super potentes vel cupidos huius sæculi, ut ait Salomon Eccl. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat.* Ita et potentes huius sæculi quamquam multa acquirant, nunquam tamen satiantur. Super hæc flumina est præparata Ecclesia, ut illos prædicet et convertat, ita Remigius; ut eos superet, ita S. August. et Ludolph. ut ei persecutores nocere non valeant, ita Cassiodorus; ut eis præsit posita in sublimi, ita Ruffin. Ecclesia est insula seu mons fertilis in medio mari aut fluvio fundatus super fluctus, quibus eminet atque dominatur, et quibus circumfusus est fortior, nec ab iis quidquam patitur. 36. *Fundata est etiam Ecclesia super flumina, id est,* I. *Super potentes sæculi.*

Secundo, Ecclesia præparatur, id est fundatur, super flumina, hoc est super baptismum. Hic comparatur Iordani fluvio terræ promissæ a S. Hilario in Psal. 65. per hunc populus duce Iosue, id est Iesu, intrat in eam terram, et *Naaman*, id est *pulcher*, et decorus evadit, a lepra mundatus, qui fluvium illum ingreditur ad vocem *Elisæi*, qui idem est ac *Dei salus*, vel, *Deus salvans*, id est, Iesus. Idem accidit Constantino Imper. cum enim a S. Sylvestro Pontifice baptizatus est, a lepra purgatus est, ut docet Baron. tom. 3. anno Christi 324. num. 36. ubi confutat abiecta in contrarium. Baptismus est fluvius vitæ, id est dans vitam. Est enim Sacramentum regenerationis. Huic adaptare possis quod dicitur Apoc. 22. 1. *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et agni*, Dei Patris et Christi. Ibi Andr. Cæsariens. ait: *Per fluvium, qui in mortali hac vita ex Ecclesia procedit, regenerationis lavacrum adumbratur. Hoc enim per Spiritum sanctum motum, omnes, quotquot in eo abluuntur, omni nive et crystallo pu-* II. *Super Baptismum.*

riores nitidioresque reddit. Omnes animi corporisque sordes tollit hic fluvius. Ezech. 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam* (Arias, aquas mundas : id est, varias gratias in baptismo) *et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Vide S. Cyprianum lib. 2. epist. 2. ad Donatum.

37. III. Super Sacramentum pœnitentiæ. Tertio, Ecclesia præparatur a Christo super flumina, id est super Sacramentum et virtutem pœnitentiæ. Ps. 147. 18. vel 7. *Emittet verbum suum* (Pater æternus Filium) *et liquefaciet ea.* (S. Hieron. solvet ea. Corda scilicet gelida peccatorum. Chald. mittet vigorem calliditatis suæ) *flabit spiritus eius* (Spiritus sanctus. Vetus Psalt. et S. August. habent, spirabit spiritus eius. Chald. sedere faciet spiritum suum, ut fecit super Apostolos) *et fluent aquæ.* Iob. 37. 10. Flante Deo concrescit gelu, et rursum latissima fuaduatur aquæ. Ps. 125. 4. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro. Eccli. 3. 17. Sicut glacies in sereno, sic resolventur peccata tua. Ps. 118. 136. *Exitus* (S. Hieron. rivos) *aquarum deduxerunt oculi mei* (S. Ambr. in decursus aquarum descenderunt oculi mei, q. d. toti in fletus abierunt) *quia non custodierunt legem tuam.* In quæ verba Alcuinus: Veram, inquit, semper agit pœnitentiam hic spiritus, et non cessat fluentis lacrymarum antiqua delicta diluere; ut intelligas, nisi veram pœnitentiam egeris, tibi facile non dimitti quæ gesseris. Vera est enim pœnitentia iugiter fletibus commissa diluere, et ablata non iterare. Ita Alcuinus.

38. IV. Super omnes gratias. Quarto denique, Ecclesia præparatur, id est firmatur, super flumina, id est super omnes gratias et consolationes spirituales. Per maria itaque intelliguntur tribulationes: per flumina consolationes. Mare enim salsum est et amarum, et terras insulares quasi exterius circumdat: sed flumen dulce per medium ingreditur et penetrat. Sic Ecclesia Dei, et anima viri iusti, undique licet adversitatibus prematur, quasi assidue consolatur, secundum illud 2. Corinth. 1. 4. *Consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Ratio huius est, secundum Philosophum 2. de plantis cap. 10. quia *amarum missum in ignem dulcescit.* Constat autem quod in cordibus electorum magnus fervat ignis divini amoris, ideo nulla est amaritudo tanta tribulationis, quæ in eorum cordibus non dulcescat, Rom. 5. 3. *Gloriamur in tribulationibus.* Dicitur autem Ecclesia, aut anima sancta fundata esse super maria, quia omnibus adversis superior est, sicut quædam insula: quod apparet in effectu. Dicit enim Averroes tract. de morte et vita: Quod habitantes in insulis sunt longioris vitæ. Sic Ecclesia ut longæva esset, ad modum insulæ fundata est, propter quod de veris filiis Ecclesiæ dicit Ps. 21. 27. *Vivent corda eorum in sæculum sæculi;* et Isaiæ 24. 15. *Glorificate Deum in insulis maris.* Ipsa etiam super flumina præparatur, quia per consolationes spirituales, quas sentit in præsenti, præparatur ad magis desideratum gaudium, quod promittitur in futuro. Psal. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et est sciendum ut ait S. Isidor. 13. etymol. quod fluminum sunt duo genera: unum torrens, et aliud vivum; torrens est aqua cum impetu, et dicitur torrens, quia hyeme crescit, sed æstatis siccitate torrescit, id est arescit. Sic est duplex consolationis genus: unum temporale, et non durat, nisi hyemali tempore: id est, in præsenti. Unde veniente futura æstate et siccitate, quando ignis omnia vastabit, non invenietur una gutta, sicut ille dives epulo expertus est, Luc. 6. Hic est torrens Carith, de quo 3. Regum 17. 3. *Post dies autem siccatus est torrens.* Sed flumen vivum est consolatio spiritualis, quæ nunquam deficiet, sed præsertim erit in æstate. Apoc. 22. 1. *Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum.* de quo Psal. 64. 10. *Flumen Dei repletum est aquis;* ita Thom. Anglicus, qui addit per maria posse etiam intelligi duas Marias, quia Maria idem est atque mare amarum. Deipara fuit amara in passione filii sui. Tunc dicebat cum Noemi, Ruth. 1. 20. *Ne vocetis me Noemi,* id est pulchram; *sed vocate me mara,* id est amaram: *quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* Huic applica proprietates et effectus maris, de quibus S. Ambros. hom. 7. Hexaem. Maria Magdalena fuit mare amarum, 1. ob amaritudinem recordationis præteritæ vitæ, Luc. 7. 38. et seqq. Dicebat Ezechias rex Iuda Isaiæ 38. 13. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;* 2. fuit mare, ob amaritudinem pœnitentiæ. Per flumina vero intelliguntur Apostoli et Doctores, de quibus Ps. 92. *Elevaverunt flumina vocem suam.*

Stabilitas denique Ecclesiæ declaratur his verbis: *Ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit.* 39. VI.
Dan. 2. 44. Ecclesia velut regnum invictum proponitur, Denique Ecclesia est stabilis.
quod alia omnia regna debellabit, et a nullo vincetur: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Principes eius declarantur, eam usque ad consummationem sæculorum recturi, Ps. 44. 17. non commovenda dicitur, quia Deus est in medio eius, Ps. 45. 6. S. Athan. orat. quod unus est Christus: *Ecclesia,* inquit, *invicta res est.* S. Chrysost. homil. cum de expulsione eius ageretur: *Christi Ecclesia,* ait, *nihil fortius. Si quis eam impugnare proponit, vires atterat necesse est. Tale est enim, velut si cælo bellum meditetur inferre.* Alexander Alexandriæ Patriarcha in epistola ad Alexandrum Patriarcham Constantinopolitanum: *Ecclesiam,* ait, *unam, solam, Catholicam et Apostolicam agnoscimus, quæ sicut numquam expugnari potest, etiamsi totus mundus eam oppugnare instituat; sic omnem impiam hæreticorum incursionem evincit ac profligat: quando quidem eius Dominus nos efficit satis animosos, dum clamat Io. 15. v. 33. Confidite, ego vici mundum.* Eadem Ecclesiæ stabilitas promittitur 2. Reg. 7. 13. Ps. 47. 9. Ps. 88. 29. Isa. 9. 7. Michææ 4. 1. Matth. 16. 18. Ephes. 4. 11.

Ad rem maxime est S. Greg. Ecclesiam terræ in hunc modum comparans in Ps. 5. pœnitential. *Terra,* inquit, *dicta est Ecclesia, tum quia in messe fidelium populorum spiritali fœcunditate exuberat: tum quia in soliditate fidei perpetua firmitate immobiliter perseverat. Unde per Salomonem dicitur,* Eccli. 1. 4. *Terra in æternum stat. Terra quippe hoc sæculo a Catholica fide nequaquam deficiet, et in futuro cum Deo æterna stabilitate permanebit.* Et paulo post addit: Ecclesia in petræ soliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec persecutionum fluminibus movetur, nec corporalium pœnarum incommodis titubat, nec mortis ipsius timore vacillat.

ARTICULUS II.

Christus Ecclesiæ rex victis hostibus in cælum ascendit curru triumphali vectus.

Iure creationis tamquam orbis Dominus poterat Christus in cælum velut in palatium suum ascendere, sed præterea in illud sibi aditum per virtutem patefacere voluit, vers. 3. Quis ascendet in montem Domini; aut 40. Vers. 3.
(S. Hieron. in editione Victorii habet *et,* et S. Cyprian. 2. contra Iudæos cap. 18. Pagnin. et Caietanus: at quidem in Hebr. est vau, id est, *et:* sed tamen Hebræi usurpant vau pene pro omnibus particulis: unde Hieron. apud Trouctum. et in Bibl. regiis, Felix, Vatabl. habent, *aut*) quis stabit in loco sancto eius? Arabs, *in monte sanctitatis eius.* Nota, τὸ *quis* denotat paucos esse, qui ascendant, aliquos tamen id facere. S. Ambros. de pœnitentia lib. 1. cap. 8. t. 4. *Quis,* inquit, *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? id est, non quicumque de vulgo, nec plebeiæ vilitatis aliquis, sed vitæ egregiæ, singularisque meriti. Et ut scias: quia cum dicitur, quis, non intelligitur nullus, sed aliquis significatur, cum dixisset: Quis ascendet in montem Domini? subiecit: Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Et alibi: Quis sapiens, et intelliget hæc? Numquid dicit, quia nullus intelliget? et in Evangelio: Quis fidelis dispensator est et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Et ut comprehendas, quia de eo dixit, qui utique est, non de eo qui non est, subiunxit: Beatus ille servus, quem*

Pauci in cælum ascendunt.

cum venerit Dominus, invenerit sic facientem. Tu percurre domos, civitates, regna, et dic: Quis ascendet in montem Domini? an pater, mater, liberi, servi, ancillæ? an mercatores, advocati, milites, nobiles, iudices, etc. Rara avis in terris, quæ sursum volet: omnis caro corrupit viam suam, pleriqua descendunt in Iericho, et ibi corruunt.

Nota secundo. Si vere cum admiratione ob paucitatem dicitur: Quis ascendet? Longe magis dicetur: Quis ascendet, et stabit? Ut enim ait Ruffinus: *Ascendere multorum est* (saltem inchoative), *stare autem paucorum tantum et perfectorum. Ascendit Iudas, sed minime stetit. Ascenderunt multi alii, sed conversi abierunt retrorsum. Quis ergo sic stabit, ut non cadat, et in tempore tentationis non recedat?*

41. Mons domus Domini sextuplex assignatur. Quæres. Quis sit iste mons Domini, ad quam tam pauci ascendunt, et in quo pauciores stant? Primo, S. Cyprian. lib. de montibus Sina et Sion, si tamen est auctor huius libri, cum eius stylum non redoleat, montem illum Domini ait esse crucem. Hic est mons myrrhæ. Sed solus Sponsus dicit, Cantic. 4. 6. *Vadam ad montem myrrhæ.* Hebr. *vadam mihi*, q. d. Ibo solus voluptatis et animi causa, ait Cornel. desiderio desiderabat, et coarctabatur, donec perficeret cursum suum saliens in montibus. Syr. vertit, *vade*, q. d. o sponsa ad montem myrrhæ et crucis tibi mecum est veniendum. Arabs, *vadam cum eo.* Et vero Sponsa ut coronetur, avocatur e monte pardorum et leonum, id est de monte Calvariæ, ubi Pharisæi et Scribæ, aliique, velut leones, pardi, unicornes, tauri, canes Christum lacessunt, ut vidimus Ps. 21. *Veni coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, Cantic. 4. 8. Crux est mons. 1. ob sublimitatem; 2. ob firmitatem; 3. ob ascensus difficultatem.

I. Crux.

II. Christus. Secundo, mons Domini, ad quem ascendendum est, ipse Christus est. Ita Procop. in Exod. Remig. et Aigunnus, qui de eo explicant illud Isai. 2. 3. *Venite, ascendamus ad montem Domini.* Idem censent S. Hier. S. Basil. et Rupert. ibi. Nam est mons in vertice montium, id est Apostolorum et Prophetarum, quos sua doctrina et gratia superat et excellit. Christus quidem est fundamentum Ecclesiæ, sed illud fundamentum est in summo, quia fabrica nostra spiritualis et cælestis est.

III. Ecclesia. Tertio, mons Domini, ad quem ascendendum est, Ecclesia Christi est, cuius fundamenta in montibus sanctis, id est in virtutibus. Beda: *Ascendet in montem Domini: id est in sublimitatem Ecclesiæ, quam Dominus præparavit, quæ et propter virtutum excellentiam, et propter constantiam mons dicitur.* Ugo: Ecclesia, inquit, dicitur mons Domini, et locus sanctus eius: quia in ea est vitæ altitudo, et ipse sanctificavit eam sanguine suo, sicut dicit Apostolus Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum, ut illam sanctificaret.* De hoc monte et loco sancto dicit Christus in Ps. 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Vide ibi dicta. Hi tres sensus sunt symbolici et mystici, ut patet.

IV. Vita ob virtutes eminens. Quarto, mons Domini, ad quem ascendendum est, et in quo standum est altissima iustitia, ut ait S. August. S. Hieron. Glossa, Lombard. vita eminens, et firma celsitudo contemplationis et iustitiæ Dei, ita Richard Pampolitanus. Quis de naturalibus perveniet ad apicem gratiæ? quis de sæculo nequam intrabit sanctam religionem? quis de servitute peccati ascendet ad obedientiam matris Ecclesiæ? quis de imperfectione ascendet ad perfectionem? ita Dionysius. Sed hæc sunt tropologica.

V. Mons Sion. Quinto, ad literam propius Hebræi, Agellius, Iansenius, et alii, sensum esse volunt, q. d. quis digne ascendet ad montem Sionem? quis digne stabit in loco sancto eius, ut ipsum laudet, precetur, atque illi sacrificet, cum ibi sit eius templum, in quo solo valuit sibi victimas immolari? Sed hic sensus est depressior, ut dicatur: Quis ascendet? quia omnes eo confluebant. Deinde, cur diceretur: Attollite portas, etc.

VI. Et optime, cælum. Sexto, itaque sublimius et verius, mons Domini, ad quem ascendendum est, et in quo standum per totam æ- A ternitatem, est cælum, quod est cælestis Ierusalem, ubi videbitur Deus deorum. Ita S. Hier. Folang. Sa, Bellarm. Ianson, Titelm. et alii. Symbolicum est quod S. Thom. dicit. Verba eius sunt: *Mons signat hic altitudinem divinæ iustitiæ sive maiestatis.* Ps. 35. 7. *Iustitia tua sicut montes Dei. Mons ergo est altitudo divinæ maiestatis, vel sublimitas Christi, qui mons dicitur Isaiæ* 2. 2. *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium: et elevabitur*, etc. Quis ergo ascendit tantum, quod deveniat ad Christum et Deum? Sancti viri qui disponunt ascensiones in corde suo, ascendent, ut dicit psalmus. Item quis poterit stare ibi. ipse est, qui est locus sanctus, locus gloriæ. Ierem. 17. 12. *Locus sanctificationis nostræ expectatio Israel.* Exod. 3. 5. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, q. d. Quis stabilietur ibi? Sed dicit Ps. 121. 2. quod sic: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Ita S. Thomas. Puto tamen a Davide idem intelligi per montem Domini, et montem sanctum eius, id est B cælum.

Montem illum Domini, et locum sanctum S. Bernard. in serm. in psalmi nostri locum, pag. 413. describit, 1. a fertilitate; 2. ab altitudine; 3. a iucunditate; 4. a stabilitate; 5. a divitiis. 42. Cælum montis habet proprietates quinque.

Ac primo, Mons ille fertilis est. *Felix*, ait S. Bernard. *qui huius montis ascensiones in corde suo disposuit, concupiscens et deficiens in atria Domini. Siquidem mons iste mons uber, bonorum omnium cumulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei est.* I. Est fertilis.

Secundo, mons ille altissimus est. Pergit idem sanctus Pater. *Non solum mons est, sed et mons montium, et multæ in eo mansiones, multi montes. Denique fundamenta eius in montibus sanctis. Et ne hoc quidem sanctus Isaias tacuit cap.* 2. *Erit, inquit, mons domus Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles.* II. Altissimus.

Tertio, mons illa iucundissimus est. Addit ibid. *Quidni montium mons, fundatus exultatione universæ terræ: ubi tam multiplex omnium delectabilium copia, ubi copiarum* C *omnium plenitudo? Erit enim mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis. An non mons pacis, pax super pacem, pax, quæ exuperat omnem sensum? Plane mons magnus, pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo, et pacis non erit finis.* III. Iucundissimus.

Quarta, mons ille stabilissimus est, neque umquam ullis motibus concutietur. *Erit gaudium sed quale Dominus ait, gaudium plenum, securum gaudium, quod nemo tollet a vobis. Numquid non etiam mons tibi videtur æternum gloriæ pondus supra modum in sublimitate.* IV. Stabilissimus.

Quinta denique, mons ille ditissimus est. Omnibus enim divinæ potentiæ, sapientiæ, et bonitatis thesauris refertus est. *Ex his omnibus, et si qua possunt similiter desiderabilia cogitari, una est beatitudinis mensura bona, conferta, coagitata, superfluens, ac si plurimos montes, alium* D *quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis et smaragdis, atque omnium gemmarum gloria, alium quoque ex vermiculo, purpura, et bysso, cæterisque eiusmodi opibus pariter coacervans in unum redigas montem.* Ita Bern. Fabulam de primo cælo argenteo; 2. aureo; 3. ex gemmis variis; 4. smaragdino; 5. adamantino; 6. ex carbunculo; 7. ex luce Dei, ut ait Mahomethes, vide apud Auity tom. 3. V. Ditissimus.

Sponsum suum Christum in hunc cælestem montem propria agilitate ascendentem admirans Sponsa Ecclesia, et oculis in eum intentis exultans dicit, Cantic. 8. v. 14. quo totum canticum clauditur: *Fuge* (id est festina, hoc sæpe significat Heb. ברח *berach*) *dilecte mi, te assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Symmach. super montes suavitatum: id est super montes Bethel. Ut enim ait Adrichomius in descript. terræ sanctæ, pag. 16. num. 13. Bethel sive Bethar montes sunt fœcundi, nemorosi, et arboribus consiti, gramine et herbis aromaticis pleni, et ideo cervi, capreæ, et hinnuli illorum cacumina frequentant, de quibus in Canticis. Per illos 43. In hunc montem Christus ascendit. Similis capreæ et hinnulo cervorum.

*

sutem designatur cælum, quod est Betbel, id est domus Dei. Unde Chold. paraphrastico sic exponit: In illo tempore dicent senes cœtus Israel: Fuge tibi, dilecte mi dominator sæculi, de terra hac immunda, et habitet maiestas tua in cælis excelsis: et in tempore tribulationis, quo nos oroverimus coram te, eris similis capreæ, quæ in tempore quo dormit, unus oculus eius est clousus, et alter oculus est apertus: out sicut hinnulus cervorum, qui in tempore quo fugit, respicit post se: sic tu contemplaberis nos, et respicies tribulationem nostram de cælis excelsis, usque ad tempus, quo beneplocitum erit tibi de nobis, et redimes nos, et introduces nos in montem Ierusalem, et ibi odolebunt Sacerdotes coram te incensum aromatum. Ito Chold. Montes aromatum oit esse Angelos Angelorum: *Christus*, inquit, *hinnulus propter varietatem virtutum dicitur, qui cum corne od cælos ascendit, cum ipso versatus est in terris. Montes aromatum Angeli intelliguntur, super quos exaltatus est homo assumptus.*

In Elia figuratus. Elias in cælum ab Angelis in formom currus ignei conformatis hanc Christi oscensionem figuravit. 4. Reg. 2. 11. *Ascendit Elias per turbinem in cælum.* Chold. ad summitatem cælorum. Septuog. Assumptus est Elias in commotione usque ad cælum; v. 1. vertunt, *quasi in cælum*, Quonam sit raptus Elias, incertum est, ut docet S. Aug. de gratia Christi cap. 2. et 3. In secretam aliquam terræ regionem deductum esse sit Gregor. hom. 29. in Evang. 2. in paradisum terrestrem fuisse translatum S. Thom. 1. p. quæst. 102. a. 2. opinatur; 3. in ipsum cælum non aereum tontum, sed etiam æthereum esse raptum, ibique quasi cælitem ogere censet S. Hieron. in cap. 9. Amos. S. Ambros. lib. de paradiso cap. 3. Alcin. lib. 4. et Seror. Quocumque in loco sit, vivit in perpetua Dei contemplotione vitam quietam et tranquillom, ut sit S. August. Vide nostrum Corn. in Gen. 22. fuse ea de re agentem. Christi ascensio in hoc Eliæ raptu est figurota. S. Greg. hom. 29. in Evang. Lege ubi eam præfert illi roptui.

44. Ascensionis festum ns tollitur a Patribus. 1. Bern. 2. Chrys. 3. Cyrill. 4. Sophr. 5. Epiph. Hinc adeo SS. PP. Ascensionem Christi extollunt. S. Bern. serm. 2. de Ascens. vocot illom, onimarum sanctorum et cælestium virtutum triumpholem pompam: consummationem et adimpletionem reliquorum solemnitatum, et felicem clausulam totius itinerarii Dei. S. Chrysost. hom. 5. in epist. ad Hebr. cap. 2. vocat Mysterium magnum, et admirabile, et plenum stupore. Et serm. de Ascens. φαιδρὰν καὶ ἐξαστράπτουσαν ἡμέραν, illustrem et refulgentom diem. ἑορτὴν σεμνὴν καὶ μεγάλην καὶ ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνουσαν νοῦν, festivitatem venerandam et magnam, sensumque et intellectum omnem excedentem. S. Cyrill. in Exegesi ad Acacium appellat, novum in cælo spectaculum. Sophronius Ieros. ep. ad Honorium, nimium admirabilem et corporalem Ascensionem. S. Epiphan. serm. de Ascens. δεσποτικῶν ἑορτῶν πλήρωμα, festum omnium dominicorum complementum. Et paulo post ξένην θέαν, novum planeque peregrinum spectaculum. Statim initio sermonis diserat: *Corporis ornamentum est caput corpori impositum: at κόσμος ἑορτῶν, festorum decus est festum hodiernum.* Vide tu, ut cum Christo in cælum Ascensionem facias. Omnes volunt ascendere. S. Bern. sermon. 4. de Ascens. *Cupidi*, ait, *sumus ascensionis, exaltotionem concupiscimus omnes: nobiles enim creaturæ sumus, et magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio.* Sed multi cum Lucifero volunt ascendere in montem Aquilonis, qui frigidus est: aut in montem inflantis scientiæ cum Adamo: de illis agit ibi sanctus hic Pater. Tu cum Christo ascende ad Sion montem sanctum, ut perpetuo eum contempleris. Ad montes a Deo sunt invitati sancti viri, ut eo familiarius, tranquillius, suavius et diutius fruerentur. Abraham quidem in montem Morin, ubi substituto ariete pro Isaaco accipit benedictionem et promissionem posteritatis, quæ splendore et multitudine exæquet et superet stellas cæli et arenam quæ est in littore maris, ac fortitudine omnes suos hostes dominatura sit, Gen. 22. et seq. Iacob Dei iussu exiens e domo Laban soceri sui cum rediret ad patrem Isaac, id est risum, in terram promissionis, statim ut transmisso amne Euphrate venit in montem Galaad, ibi eum tutatus est Deus, ne ei Laban noceret, Genes. 31. 21. et seqq. Mosen evocavit Deus in Montem Sinai, ubi bis per totos 40. dies ieiunus permansit, Exod. 19. 20. Eliam vocat in montem Horeb, ubi apparet ei, eumque replet suo spiritu, 3. Reg. 19. 11. Tibi altior, fœcundior, suavior, stabilior, luminosior otque felicior mons proponitur: ibi est thesaurus tuus Christus: eo evolet cor tuum, ut postea trahot corpus tuum.

Nota, dicitur, *Quis ascendet?* non vero, quis portabitur, quis rapictur, assumetur, aut quid simile, ut intelligas Christum propria virtute oscendisse: Sic illi dicit David Ps. 20. 14. *Exaltare Domine in virtute tua.* Septuag. ἐν δυνάμει. Hebr. in fortitudine tua, ut vertit S. Hier. et Pagn. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas.* Syr. et Arab. potentiom tuam: et in via ascendendo; et in termino, in cælis regnando. S. Epiphan. serm. de Ascens. admirans exclomat: *Ubi nunc sunt, qui Circensibus ludis equorumque cursibus capiuntur? quos aurigarum celeritas delectat? Agedum,* ἴδετε παράδοξον ἱππόδρομον, *videte stupendum agitatorem, nempe naturæ opificem,* ἐν ἀνθρωπίνῳ ὑποχήματι ἐλαύνοντα, *humana natura quasi vehiculo utentem, qui non currum incomposite in terra regat: sed qui novo more modoque cursum per cælos tentet, cælestemque metam quamprimum occupare festinet, ac prætercurrentem Belial potenter excutiat et evertat.* 45. Christum propria vi in cælum ascendisse notat τὸ quis ascendet.

Modus ascensionis describitur Act. 1. 9. *Videntibus illis* (Apostolis et aliis discipulis congregatis, quos 120. fuisse dicitur v. 15.) *elevatus est* (sensim et pedetentim, ut appareret propria virtute eum oscendere) *et nubes suscepit eum*, id est splendor, quem Christi corpus ex se sparsit, cum cælo appropinquarot. Ita Medina 3. p. qu. 58. artic. 4. et Caiet. in Acta, seu verius nubes vera et luminosa. Ita Suar. 3. p. quæst. 52. sect. 2. Eam putat Abulens. fuisse instar sedis et throni, ut tamquam rex gloriosus ascenderet. Mallem in formam currus conformare: sed in his cuique licet pro voluntate meditari. S. August. serm. 180. de tempore vocat portatorias nubes. Nam nubes ad aliquantum spatium videtur ascendentem consecuta, non vero in cælum usque. Cum enim eum nubes subduxit oculis Apostolorum, illico, ut ait Corn. instar fulguris per dotem agilitatis libravit se in cælum empyreum, non quasi transeundo ob extremo in extremum sine medio, ut ait Abulens. parodox. 5. cap. 13. sed successive singulos cælos mira celeritate transeundo, ut tamquam supremus omnium Dominus possessionem rerum omnium acciperet, et quodammodo sua præsentia sanctificaret, iuxta illud Ephes. 4. 10. *ut impleret omnia.* Ita Sua. disput. 51. sect. 2. Ubi adverte vim dotis agilitatis Christi: per eam enim subito in ictu oculi, instar fulguris, se libravit ex aere in verticem et culmen cæli empyrei, quod spatium ingens est et fere immensum. Alphorabius nobilis inter Arabes astrologus asserit tanto intervallo firmamentum, sive octavam sphæram, in qua sunt stellæ fixæ, a terra distare, ut vix quisquam octo annorum millibus eo pervenire posset. Cæteri Astronomi docent, terram distare a concavo firmamenti octoginta millionibus milliarium; spissitudinem vero firmamenti esse eamdem, scilicet octoginta millionum: quanta ergo debet esse distantia, spissitudo et amplitudo cæli noni, decimi, et si qui alii iis sunt superiores, ac maxime cæli empyrei? Iidem docent, stellam quamlibet in æquinoctiali positam singulis horis conficere 42. milliones milliarium; lapidem molarem, si e firmamento caderet, casurum per nonginta annos, antequam terram attingeret. Per quatuor millia annorum vix aliquem perventurum ad convexum firmamenti, etiamsi quotidie recta ascendens conficeret centum milliaria. Hoc tam vastum spatium Christus pene momento transmisit, tu eum sequere, et dic illi: Trahe nos post te, et curremus in odorem unguentorum tuorum. 46. Ascensionis modus describitur.

Primo, Poetico more Synes. adaptat alas Christo in cælum tanta pernicitate evolanti. Sic n. canit hymno 9. Σὺ δὲ ταρσὸν ἐλάσας κυανέας ὑπερέσχες, *Tu vero alas agi-* 47. Alas Christo dat Synesius.

tone cærulei cæli seandisti supra dorsum, atque in sphæris intellectualibus et purissimis, ubi bonorum omnium fons, constitisti.

Currum S. Epiphan. al. Angelis elevatum ait S. Athanasius.

Secundo, Currum Christo ascendenti dat S. Epiphan. loc. cit. antea.

Tertio, Ab Angelis fuisse elevatum dicit S. Athanas. orat. 4. contra Arianos. *Vehebatur*, inquit, *ab Angelis, more hominum ascendens, efferensque in cælum, quam gestabat carnem.* Fortunatus lib. 2. vitæ S. Martini sic canit: Angelicis vectus manibus celer æthera calcans. Domitianus humeris hominum portatus triumphavit, ut ait Plin. in Panegyric. Bellisar. etiam curulii sella argentea humeris captivorum est invectus, ut habet Procop. lib. 2. de bell. Vandal. Sed quid hæc, si cum Angelis Christum ferentibus et stipantibus conferantur? Itaque parvi æstimetur Cæsaris currus, qui ab Elephantis trahebatur, teste Svet. cap. 37. in eius vita. M. Antonii, qui a leonibus, teste Plut. in Ant. Aureliani, qui a quatuor cervis, teste Vopisco, eos Rangiferos fuisse putat Olaus in tr. de Gentib. Septentrion. lib. 1. cap. 28.

Sed propria virtute ascendit.

Quarto, Non aliis, non curru, non Angelis, sed propria virtute Christus in cælum est elevatus. Hoc clare declarat S. Bern. trac. de gradib. humilitatis et superbiæ, ubi raptui Eliæ et Henoch atque Pauli sic præfert: *Raptus est Paulus, raptus est Elias, translatus est Henoch. Redemptor noster legitur elevatus; hoc est, ex seipso levatus, non aliunde adiutus. Denique non currus vehiculo, non Angeli adminiculo, sed proprio virtute subnixum suscepit eum nubes ab oculis eorum.* Idem pene habet Radulph. homil. de Ascens. S. Cyrill. Ierosol. catech. 14. ascensionem Christi præfert raptui Habacuc Prophetæ: *Si*, ait, *Habacuc translatus est coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum et Angelorum Dominus, de monte olivarum per nubem ascendens, propria virtute ascendere in cælum potentior erat.* S. Chrysost. sermon. de Ascens. differentiam ponit inter Eliæ et Christi ascensionem: quod Elias sit raptus velut in cælum, Christus vero in cælum; 2. Elias in curru igneo, Christus in nube; 3 Elias super Elisæum demisit ovinam pellam, Christus in discipulos dona gratiarum, non unum Prophetam facientia, ἀλλὰ μυρίους, Ἐλισσαίους, sed infinitos Elisæos.

48. Quæres, cum propria virtute Christus ascenderit, an id fecerit virtute suæ divinitatis, an virtute animæ, an corporis? 1. S. Greg. id tribuit divinitatis potentiæ. Sic n. hom. 29. in Evang. *Redemptor noster non curru, non Angelis sublevatus legitur: quia is, qui fecerat omnia, nimirum super omnia sua virtute ferebatur: illo etenim revertebatur, ubi erat: et inde redibat, ubi remanebat, quia cum per humanitatem ascenderet in cælum, per divinitatem suam, et terram pariter continebat et cælum.* Idem dicit Ludulph. Saxo p. 2. vit. Christ. cap. 72. at Laur. Iust. lib. de triumphali Christi agone cap. 28. *Præcesserat Henoch*, inquit, *solus tantum in ista generatione iustus repertus, qui Angelorum fretus adminiculo, de hoc sæculo in deliciarum translatus extiterat locum. Eliam quoque in curru igneo ab aspectibus hominum legimus sublatum. Sed et Habacuc Prophetam novimus in momento de Iudæa in Babylonem esse deductum. Horum neminem per seipsum, sed per Angelorum ministerium id egisse cognovimus. Solus Mediator noster ex virtute Verbi, alieno non indigens suffragio*, in *beatorum mansiones gloriosus introivit.*

Ascendit Christus vi divinitatis suæ.

49. Secundo, S. Thomas etiam tribuit vim elevandi corpus, potestati animæ glorificatæ. Sic enim ait 3. p. q. 75. a. 3. Alii assignant rationem prædictæ virtutis ex parte animæ glorificatæ, ex cuius redundantia glorificabitur corpus, ut S. Aug. dicit *ad* Dioscorum epist. 56. ante medium t. 2. Erit enim tanta obedientia corporis gloriosi ad animam beatam, ut sicut S. Aug. dicit lib. 22. de civ. Dei cap. ult. ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Decet autem corpus gloriosum, et immortale esse in loco cælesti. Et ideo ex virtute animæ volentis, corpus Christi ascendit in cælum. Sicut autem corpus efficitur gloriosum participatione animæ, ita ait S. Aug. tract. 23. in Ioan. tom. 9. participatione Dei fit anima beata. Unde prima origo Ascensionis est virtus divina. Sic igitur Christus ascendit in cælum propria virtute, primo quidem virtute divina: secundo, virtute animæ glorificatæ, moventis corpus prout vult. Ita S. Thom.

Et vi animæ gloriosæ.

Tertio, ascendit etiam Christus virtute corporis glorificati, per dotem agilitatis. Nam ut dicitur in Supplemento summæ eiusdem Doctoris, quæst. 84. artic. 1. Corpus gloriosum erit omnino subiectum animæ glorificatæ, non solum ut nihil in eo sit, quod resistat voluntati spiritus (quia hoc fuit etiam in corpore Adæ) *sed etiam ut sit in eo aliqua perfectio effluens ab anima glorificata in corpus, per quam habile redditur ad prædictam subiectionem: quæ quidem perfectio, dos glorificati corporis dicitur.* Anima autem coniungitur corpori non solum ut forma, sed etiam ut motor: et utroque modo oportet, quod corpus gloriosum animæ glorificatæ sit summe subiectum. Unde sicut per dotem subtilitatis subiicitur ei totaliter, in quantum est forma corporis dans esse specificum: ita per dotem agilitatis subiicitur ei, in quantum est motor: ut scilicet sit expeditum et habile ad obediendum spiritui in omnibus motibus et actionibus animæ.

Causas cur Christus cælum sit meritus, et quibus illud mereri possimus, aperit David, cum ad illud quæsitum, Quis ascendat in montem Domini, respondet v. 4. INNOCENS MANIBUS ET MUNDO CORDE, QUI NON ACCEPIT IN VANO ANIMAM SUAM, NEC IURAVIT IN DOLO PROXIMO SUO. Vers. 4.
Ubi quatuor virtutes, velut quatuor rotas spiritualis currus Christi notare possis, ut iam dixi, 1. innocentiam manuum; 2. cordis munditiam; 3. animæ fervorem; 4. linguæ sinceritatem. Spiritus Dei est in illis rotis.

Ac primo, Innocentia manuum, id est operum, præcat necesse est, cum de itinere in cælum cogitatur, elevat animam a terræ pulvere. Dicit itaque David eum ascensurum, qui sit *Innocens manibus*, dexteram innocentem habere non est satis, etiam sinistra mundanda est. In prosperis et in adversis manus in cælum erigendæ sunt, ut illis nos trahat Deus, et montem sanctum ascendentes iuvet. Hebr. כַּפַּיִם *cappaim*, proprie significat volas manuum, at per synecdochen totas manus. Hinc Arias vertit, *mundus volis*. Avaritia auro et argento degravat et inficit manus, easque Deo invisas facit. A vola deducitur vox gallica *voleur*, q. d. raptor, qui vola seu manu arripit bona aliena. Hebr. כַּף *caph*, derivatur a כָּפַף *caphaph*, id est curvare, incurvare. Avari hamatis et uncinatis sunt manibus et unguibus, sunt enim terrestres dæmones: omnia trahunt unguibus, et omnia retinent vola et pugno, pro quisquiliis decertantes et obvios conterentes. 50.

Innocentia est necessaria cælum ascendenti.

Nota, Hugo Cardin. in cap. 37. Isaiæ, triplicem in hac vita Domini currum, in quo virtutes triumphum agant, describit. Nempe currum patientiæ, pudicitiæ, et charitatis. Primi currus sunt rotæ quatuor, 1. benigna temporalium administratio; 2. operosa infirmantium compassio; 3. tentatorum blanda consolatio; 4. iniuriarum læta toleratio. Secundi currus rotæ sunt, 1. abstinentia cibi corporalis; 2. munditia mentis; 3. asperitas vestis; 4. assiduitas laboris. Tertii currus rotæ, sunt, zelus Dei, amor proximi, maceratio carnis, devotio vel liquefactio cordis. 51.

Currus triplex virtutum nempe patientiæ, pudicitiæ, et charitatis.

Primus currus duobus equis trahitur, qui sunt misericordia in hilaritate, et solicitudo de reddenda ratione. Unde Rom. 12. 8. *Qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Secundi currus equi sunt infirmitas corporalis et inopia temporalis. Tertii curros equi sunt, beneficia Domini iam exhibita, et adhuc exhibenda.

Primi currus auriga est fortitudo. Secundi, mentis assidua consideratio. Tertii, mansuetudo. In curru patientiæ sedebat Iob. cap. 2. v. 8. In curru pudicitiæ, Eunuchus, Actor. 8. 23. In curru vero charitatis, Elias, 4. Regum 2. 11.

Nota secundo, Christo soli ex vi unionis debetur currus innocentiæ, et datus est Deiparæ ex pura gratia, sed nullus aliorum hominum illum conscendit: quia, ut ait Baldad Suhites Iob. 25. 4. *Numquid iustificari potest ho-* 52.

Christus solus ex vi unionis fuit impeccabilis.

ma comparatus Deo? aut apparere mundus, natus de muliere? et Iob ipse ait cap. 14. 4. hominem de immundo conceptum semine: quia scilicet nascitur cum peccato originali. Itaque nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram. Nascimur omnes filii iræ, Ephes. 2. 3. id est iræ obnoxii, digni ira et punitione.

Solus Christus ita est innocens, ut nocens esse non potuerit. Impossibile n. fuit illum peccare ob unionem hypostaticam cum Verbo, ut alias ostendi, et docent Theologi 3. p. qu. 15. a. 1. De eo dicitur Hebr. 7. 26. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus.* Unum ex altero sequitur: nempe ex innocentia et sanctitate sublimitas supra cælos. Pro *impollutus*, Græc. est ἀμίαντος, id est incorruptus, immaculatus, illæsus, inviolabilis: inde enim lapis dicitur Amiantus (ad quem videtur S. Paul. alludere) quod igne non lædatur: quodque ex eo utpote flexili telas texant, quæ igni iniecta ardent quidem, sed ex eo splendida exeunt, ut docet Dioscorides lib. 5. cap. 113. et Plin. lib. 36. cap. 19. Talis est puritas, ac præsertim castitas, quæ nec igne concupiscentiæ, nec igne corporali corrumpi potest; sed tam mente quam corpore illæsa et incorrupta inter quosvis ignes perdurat. Ita Carnel. Christus in throno sublimis visus est ab Ezechiele Propheta supra currum illum admirabilem Cherubinorum ascendens in Ierusalem et in montem Sion, ubi erat locus templi: et potest adaptari eius ascensioni in cælum. Omnia autem in eo curru rotis eius, arula, cherubinis ac præsertim in throno et in figura hominis, id est ipsius Christi, in throno positi, innocentiam eius et puritatem atque munditiem declarant. Ezech. 1. 16. *Et super firmamentum* (id est super cælum sphæricum expansum in summitate currus, eratque coloris aerei, diaphanum et splendescens instar crystalli, quo puritas notatur, *quod erat imminens capiti eorum* (Cherubinorum) *quasi aspectus sapphiri* (color sapphiri est cæruleus, aureis stellulis conspersus, ita ut cæli ipsius speciem referat. Plin. notat esse centro crystallino) *similitudo throni: et super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper* (aspectus, id est color vel apparentia, species, forma, figura) *Et vidi quasi speciem electri* (hoc est, æris optimi) *velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: a lumbis eius et desuper, et a lumbis eius usque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.* Nihil est igne purius, omnia expurgat, et a nullo sordidatur. Talis est Christus, qui ibi apparet infra supraque ignitus: ut et in cogitationibus, et in affectionibus, et in operibus videatur purissimus, et nulla labe contaminatus. Enim autem ab Ezechiele tunc visum, in ea regia curru vecti et in throno positi effigie, patet v. 24. ubi dicitur esse auditum *quasi sonum sublimis Dei:* et adhuc apertius Septuag. verterunt, φωνὴν τοῦ λόγου. Id est *vocem Verbi.* Ille sublimis Deus et igneus nos cælesti suo igne expurgat melius quam labia Isaiæ Seraphinus. S. Dionys. Areopag. hierarch. Eccl. cap. 4. *Sanctificat*, inquit, *pro nobis semetipsum, totius sanctitatis apex, omnique nos sanctificatione replet.* S. August. sermon. 5. de Ascensione: Quis illuc potest ascendere, et aereos dæmones transire: nisi ille solus, qui peccatum non potuit habere. S. Antiochus in Exomologesi: Verbum tuum, ait, nulla prorsus aspergine peccati decoloratum. Et S. Bern. serm. in Psal. nostr. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, et mundo corde. Beatus ille, si quis tamen ille est. Sed quis gloriabitur innocentes manus, aut castum se habere cor? Nemo mundus a sorde, nec infans* cuius est unius diei vita *super terram. Unus tamen est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber unus est, et non æstimabitur alius absque eo. Ipse est, de quo legistis Ioan. 3. 13. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo. Erat enim innocens manibus, qui peccatum non fecit, sed multa bona operatus, Iudæis libere aiebat, Ioan. 8. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Secunda rota currus Christi ascendentis in cælum est munditia cordis, unde additur v. 4. MUNDO CORDE. Arias 53. Vers. 4. 2. Pars. Cor purum requiritur, ut quis in cælum ascendat.
et Tertull. 2. in Marcion. cap. 19. *purus corde.* Vatabl. qui habet cor repurgatum. Syr. qui electus est in corde suo. Hebr. בר *bar*, significat 1. mundum, purum, purificatum, expurgatum; 2. tersum, politum, clarificatum; 3. electum. Vis esse inter electos, sis purus et mundus: tunc eligeris, ut ad Deum ascendas, eum velut Solem aspicias, et ex aspectu splendidior et purior fias. Matth. 5. 8. ait Christus: *Beati mundo corde* (S. August. serm. Domini in monte, mundicordes) *quoniam ipsi Deum videbunt*, per contemplationem in hac vita; 2. facie ad faciem in alia, ubi Deus non videbitur oculis corporis, sed mentis mundæ. Ut enim ait Chromatius in Matth. *Munditia cordis, et conscientiæ puritas, nullam nubem ad intuendum Deum patiuntur.* Sed si Moses videt Deum in caligine nubis, Exod. 19. 9. si in monte Thabor nubes ipsos Apostolos circumdat, Luc. 9. 34. si in ipsa Ascensione Christi nubes eum suscepit ab oculis eorum, quis ita mundus erit, ut serena luce sine nubibus Deum contempletur, cum in ipso Sancto sanctorum nubem opponat, ne a Pontifice videatur sedens super Cherubim, et Pontifex moriatur. Hinc dicit Salomon Prov. 20. 9. *Quis potest dicere, mundum est cor meum* (Septuag. castum se habere cor) *purus sum a peccato?* Vide dicta Psal. 50. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* Eliphaz Themanites ait Iobo cap. 15. 14. *Ecce inter sanctos eius* (inter Patriarchas, Adamum, Mosem, etc. ita Polychronius; 2. inter Angelos, ut alii) *nemo immutabilis: et cæli* (id est Angeli, ut Chald. et S. August. 2. ipsi cæli corporei, ut Pineda) *non sunt mundi* (hoc est lucidi, nam in Luna et ipso Sole sunt maculæ) *in conspectu eius. Quanto magis abominabilis, et inutilis homo; qui bibit quasi aquam iniquitatem?* 1. cum magna siti; 2. cum voluptate; 3. cum facilitate; 4. sine sapore; 5. cum consuetudine.

Solus Iesus in cælum ascendens labis omnis exortem 54. Christus solus illud perfecte habet.
Patri se æterno sistit, et suos rivo sanguinis e cordis fonte exilientis ablutos offert. In eam rem e cælis defluxit. Daniel. 9. 24. *Septuaginta hebdomades* (annorum, id est anni 490. post quos Messiam venturum præviderat) *abbreviatæ sunt* (id est breves et paucæ decretæ sunt. Septuag. concisæ, hoc est præcisæ et definitæ sunt, id Daniele postulante) *super populum tuum, et super urbem sanctam tuam* (Ierusalem) *ut consummetur* (Hebr. ut finiatur) *prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur iustitia sempiterna* (id est Christus, qui est nostra iustitia causalis; 2. Evangelium, quod docet omnem virtutem; 3. nostra iustificatio) *et impleatur visio et Prophetia* (id est visiones et prophetiæ omnium Prophetarum, et præsertim Danielis) *et ungatur Sanctus Sanctorum*, id est Iesus sanctissimus, qui est Messias, id est Christus unione hypostatica, et omni gratia inunctus et consecratus. S. Dionys. Areopagita lib. de divinis nominibus tribuit divinitati sanctitatem, καθ' ὑπερέχουσαν ὑπερβολὴν, per supereminentem excellentiam, atque esse, παντὸς ἄγους ἐλευθέραν, *ab omni labe liberam.* Ad eius palatium cæleste nemo ascendit impurus: mare a se reiicit omnia impura, sed in cælum nihil intrat coinquinatum, ab eo eiectus est Lucifer et Angeli eius statim atque denigrati fuerunt peccato. Unde dicta Ps. 5. 6. *Neque habitabit* (Heb. non peregrinabitur, q. d. ne ad breve quidem tempus) *iuxta te malignus.* Si terra cælesti animæ illigetur; eam degravat, ut lapis miserum illum in emblematis Alciati. S. Thom. 2. 2. q. 81. art. 8. Munditia, inquit, necessaria est ad hoc quod mens Deo applicetur; quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus coniungitur: sicut quælibet res ex immistione peioris sordescit, ut argentum ex immistione plumbi. Ita ipse. Si pure Deum colueris, et feceris sabbatum delicatum, id est, pacem mentis habueris, at non feceris vias tuas, id est actus terrenos, tunc inibis viam cæli. Isaiæ 58. 14. *Tunc delectaberis super Domino* (te amplexante, sinu gestante, et in cælum portante instar matris, nutricis et gerulæ: super Domino, id est super me: a quo nemo te eripiat) *et sustollam te* (Hebr. equitare te faciam: vel veham: ut Eliam

et Enoch) *super altitudines terræ*, id est super omnem felicitatem, honorem et gloriam terræ. Septuag. allevabit super bona terræ; 2. in et super cælum quod est terra viventium. Lege S. Gregor. 31. Moral. 19. et S. Cyprian. lib. 2. epist. 2. ad Donatum *et cibabo te hæreditate Iacob patris tui*. Vide S. Bern. serm. 21. In Cant.

55. Scala virtutum in cælum ducens.

Scalam itaque puritatis, velut scalam Iacab, in qua sunt Deus et Angeli, erige in cælum, ut hæreditatem Iacob obtineas. Eam sic describit Cassian. et Sulpitius in vitis Patrum lib. 4. cap. 31. *Principium nostræ salutis timor Domini est*, 2. *de timore Domini nascitur compunctio salutaris*; 3. *de compunctione cordis procedit contemptus omnium facultatum ac nuditas*; 4. *de nuditate humilitas procedit*; 5. *de humilitate generatur mortificatio voluntatum*; 6. *de mortificatione voluntatum extirpantur omnia vitia*; 7. *expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt*; 8. *pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur*; 9. *puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur*. Hi sunt novem gradus scalæ Angelicæ, per quam velut per novem ordines ascendens fias Seraphim per ardorem et charitatem.

Si currum mavis ascendere quam scalam, id enim est facilius, conscende currum similem currui Ezechielis, qui Ierusalem petat, sed cælestem: et rotas habeat a terra elevatas, ut terram non tangentes ne vel minimum quidem pulvisculum colligant, et habeant quatuor facies: id est Aquilæ, Leonis, hominis, et vituli, per prudentiam, fortitudinem, iustitiam, et temperantiam. Et sint plenæ oculis, qui mundissimi esse debent, nec recipiunt vel tenuissimas sordes, Ezech. 1. 15. et seq.

56. Vers. 4. 3. Pars.

Tertia rota currus Christi in cælum ascendentis et omnium illum sequentium, est animæ fervor, v. eod. 4. QUI NON ACCEPIT IN VANO ANIMAM SUAM. Nota, Hebr. in Masoreth. Arias, Caiet. et aliqui alii pro נַפְשׁוֹ *naphscio*, id est animam suam, legunt נַפְשִׁי *naphsei*, hoc est, *animam meam*. Ita ut sit sensus, q. d. a Christo, ut ait Caiet. illa ascendet in montem Domini, qui non accepit frustra animam meam, positam pro mundo in cruce: quicumque enim non credunt Messiam posuisse animam suam, id est vitam suam pro mundo, quantumcumque sint alias puri et mundi, numquam ascendent in montem Domini: hi enim frustra, in vanum, accipiunt animam Messiæ positam pro mundo. Hoc est enim, quod Christus prædicabat de morte sua, Matth. 20. 28. ita Caiet. Sed Septuag. S. Hieron. Vatabl. Pagn. Felix, et alii, retinent τὸ *animam suam*, at sensus est longe melior, ut patebit.

57. In vano animam accipere sex modis explicatur.

I. Primo itaque sensus est, *Qui non accepit in vano animam suam*, q. d. qui non assumpsit nomen Dei in vanum, qui non falso iuravit per Deum. Ita Hebræi aliqui, et Agellius. Solebant enim, ut ait Mariana, iurare per animam Dei, q. d. per Deum viventem. Vel, *Qui non accepit in vano animam suam*, q. d. qui non iurat vana et temere per animam suam. Ita Agathius Guidacerus, Iansen. Agellius dicens id esse frequentissimum in ore hominum, qui dicunt, Ita Deus servat animam meam, ita vivam. Sic dicebat Paulus, 2. Corint. 1. 23. *Testem Deum invoco in animam meam*, quod iuramentum est execratorium, q. d. si mentior, Deus vindex puniat, et damnet animam meam: quod nunc multi sed temere dicunt. Sed, ut recte ait Bellarm. animam propriam, vel animam Dei in vanum accipere pro falso iurare, nusquam legitur. Syr. tamen vertit: *Nec iurat in anima sua cum mendacio*. Chald. Qui non iuravit in vanum, ad damnationem animæ suæ.

II. Secundo, *Qui non accepit in vano animam suam*, id est qui vanitatem, id est vanam gloriam et inanem fastum atque tumorem inflantem, sed non replentem nec solidantem, non sequitur. S. Hier. vertit. *Qui non exaltavit frustra animam suam*. Vatabl. Qui animum suum ad vanitatem non extulit.

III. Tertio, *Qui non accepit in vano animam suam*, q. d. in mendacio: ita ut vanum opponatur veritati. Unde Araba reddit, *Qui non cogitat in seipso mendacium*.

IV. Quarto, *Qui non accepit in vano animam suam*, id est qui reputat animam suam esse mortalem, et ideo sibi esse frustra datam, cum tot laborum nullam sit mercedem

A habitura. Beda, non accepit: inquit, id est, reputavit animam suam esse in vano, id est, intra transitoria, quæ vana sunt. Iuxta illud, *Vanitas vanitatum*, et reliqua. Sicut multi stulti faciunt, qui desperant de vita animæ post mortem et de resurrectione sua, et ideo animas suas negligunt: sed potius intelligit animam suam vere æternam, et ideo quantum valet, laborat, ut ei sedem paret æternam. Ita Beda. Sic Deus in impios indignatur Malach. 3. 14. quod dicerent: *Vanus est qui servit Deo*, id est, ut vertit Tigurina, frustra servitur Deo; et Chald. nihil lucratur, qui colit coram Domino.

Quinto, *Qui non accepit in vano animam suam*, q. d. qui non posuit animam suam in rebus vanis, terrenis, V.
caducis et transitoriis, qui animam suam ab illis abstraxit, ut in res solidas, cælestes, stabiles atque æternas transferret. Ita S. August. Cassiod. Remig. Dydim. S. Gregor. S. Bern. Turrecrem. Sa, Lombard. Aiguan. Liranus, et alii. Primo enim frustra animam habemus spiritualem, si corpus et corporalia curamus, spiritualia et cælestia negligimus; ad corporea enim sufficit anima porB ci, canis, leonis, simiæ, aut eiusmodi. Unde S. Greg. 7. Mor. 17. *In vano*, inquit, *animam suam accipit, qui eius vitam negligens, ei curam carnis anteponit*. Anima operari debet in corpore, sed ut sua curet, non quæ sunt corporis, sic erit grata harmonia et partium consonantia. S. Ambros. de bono mortis cap. 7. tom. 1. *Anima*, inquit, *in hoc corpore tamquam in fidibus musicis, quæ sobria est cum summis, ut ita dicam, digitis velut nervorum sonos, ita pulsat carnis passiones, ut consonum reddat morum atque virtutum consentientemque concentum, ut in omnibus cogitationibus suis, in omnibus operibus id custodiat, ut omnia consilia et facta sibi concinant. Anima est ergo quæ utitur, corpus quod usui est; ac per hoc aliud quod in imperio, aliud quod in ministerio. Aliud quod sumus, aliud quod nostrum est. Si quis animæ pulchritudinem diligit, nos diligit: si quis corporis decorem diligit, non ipsum hominem, sed carnis diligit pulchritudinem, quæ tamen cito marcescit et defluit. Unde illi intende, de quo dicit Propheta: Qui non accepit in vanum animam suam. In vanum accipit animam* C *suam, qui sæcularia struit, ædificat corporalia: quotidie ad edendum et bibendum surgimus, et nullus expletur, ut non post momentum esuriat et sitiat. Quotidie lucrum quærimus, et nulli cupiditati modus ponitur. Non satiabitur, inquit, oculus visu, nec auris auditu: qui diligit argentum, non satiatur argento. Nullus finis laboris et nullus est fructus abundantiæ.* Secundo, cum hominis anima sit rationalis, frustra illam accepit, qui rationis ductum non sequitur, sed instar pecudis vivit. Didymus. In vano, ait, animam accipit, quicumque cum ratione et discernendi munere valeat, inter bonum et malum discrimen ponere, neque ratione, neque discretione in declinandis malis et in sequendis bonis utitur. Quemadmodum legem frustra illum accepisse dicimus, qui ab ipsa edoctus iussa facere, contraria vicissim et interdicta Legis decretis complectitur. Qui cum animam ad omnem virtutem et scientiam, aptam acceperit, ea non sequitur, ad quæ percipienda natus est: quin potius fraude, et anxietate mortalis vitæ, voluptatibus et perturbationibus distrahitur. Qui vero secus affectus est, animam in vano non accepit. *Sed plane* D *vanitas vanitatum multorum vita est*. Ita Didymus. Unde S. Bern. serm. in hunc Psalm. monet: *Ne in vano acceperimus animas nostras, exerceamus nos in operibus bonis et consilio rationis utamur. Quomodo enim non frustra humanam accipit homo animam, qui tamquam unum ex irrationabilibus animantibus incumbens corporeis voluptatibus, solum sequitur carnis appetitum?* Tertio, cum hominis anima sit immortalis atque æterna, in vano animam suam accepit, qui non cogitat de æternis et semper mansuris bonis, caduca, pereuntia et transeuntia sectatur et amat. S. Gregor. 7. Mor. 17. *In vano animam suam accipit, qui sola præsentiæ cogitans quæ sequuntur in perpetuo, non attendit*. Contra vero, ut ait S. August. hic: Non accepit in vano animam suam, qui non in rebus non permanentibus deputavit animam suam: sed eam immortalem sen-

tiens, æternitatem stabilem atque incommutabilem desideravit.

VI. *Et optime.*

Sexto, *Qui non accepit in vano animam suam*: id est, qui non frustra vitam a Deo accepit, sed operibus sanctis sese exercuit, quibus finem suum, nempe æternam beatitudinem consequi posset: qui otium fugiit atque desidiam, cui non fuit anima deses, sed fervens et ad agendum alacriter expedita. Ita S. Hier. Titelman. Bellarm. Ludolph. et Ruffinus, qui sic exprimit: *In vano animam suam accipit, quisquis infructuose vivit. In vano animas suas acceperant, quibus paterfamilias dicebat Matth. 20. 6. Quid hic statis tota die otiosi? Qui ne otio vacarent vanitatis, continuo audierunt. Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis. Quisquis ad bene operandum se præparat, hic est qui non accepit in vano animam suam.* Hic itaque, ut ait Hugo, peccatum omissionis excluditur: quia, sicut dicit Eliphaz Themanites Iobi 5. 7. *Homo nascitur ad laborem, et* (id est sicut) *avis ad volatum.* Chald. vertit *Filius hominis ad laborandum natus est, et filii eius in aquam scintillæ, quæ saltant ex prunis, et elevant se, ac si volarent.* Labore et sic scintilla evolans in cælum cum ardore, luce et velocitate. De iustis dicitur Sap. 3. 7. *Fulgebunt Iusti* (per innocentiam manuum et munditiam cordis; Græc. ἐκλάμψουσι, q. d. desuper fulgebunt, id est, lumine de cælo accepto) *et tamquam scintillæ in arundineto* (ἐν καλάμῃ, in stipula) *discurrent*, huc et illuc quaquaversum current, per animæ fervorem. Itaque S. Paulus hortabatur Corinthios ad cooperandum gratiæ sibi datæ 2. epist. 6. 1. *Adiuvantes autem* (συνεργοῦντες cooperantes) *exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* S. Anselm. ait eum recipere gratiam Dei in vacuum, qui cum ea non laborat, sed eam patitur esse otiosam. Unde ipse Paulus, qui plus omnibus Apostolis laboraverat, dicebat iisdem 1. epist. 15. 10. *Gratia eius in me vacua* (κενή, id est inanis et otiosa) *non fuit.* S. Ambr. legit, Gratia eius in me pauper non fuit. Qui non laborat, gratiam minuit: qui laborat, eam adauget) *sed abundantius illis omnibus* (sigillatim sumptis) *laboravi.*

58. *Christus non accepit in vanum animam suam.*

Christus præsertim non accepit animam suam in vano, id est, in vanum. Hebraice enim est לַשָּׁוְא *lassiav*, id est, frustra, temere, inutiliter, in vanum, sine causa. Primo enim multa bona operatus est tota vita sua. Secundo, in morte animam suam pro toto mundo redimendo posuit. Unde S. Bern. serm. in hunc locum p. 414. ait: *Non in vano accepit animam suam, qui solus potestatem habuit ponendi animam suam, et iterum resumendi. Non in vano accepit nascens, non in vano posuit moriens, non in vano recepit resurgens.* Vacuum non amat Christus, sed plenitudinem. Nam ut ait Paulus Coloss. 2. 9. *In ipso habitat* (permanenter est) *omnis plenitudo divinitatis,* (tota et plena divinitas) *corporaliter*, id est, non umbratice, sed vere et realiter, in morte implevit omnia. Unde dicit Apostolis morti proximus Luc. 22. 37: *Quod scriptum est, oportet impleri in me.* Et in cruce ait Ioan. 19. 30. *consummatum est.* Hoc est, quicquid mihi agendum vel patiendum præcepit Pater, id totum plene et perfecte consummavi et implevi. In resurrectione etiam implevit omnia. Hinc dicit duobus discipulis euntibus in Emmaus, nempe Cleophæ et socio eius Luc. 24. 44. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, et Prophetis, et psalmis de me.* In Ascensione denique, de qua nunc est sermo, implevit omnia, et in eam rem cælum gloriosus intravit. Ephes. 4. 10. *Qui descendit ipse est, et qui ascendit super omnes cælos* (æthereos, et usque ad locum supremum empyrei, ubi sunt sancti) *ut impleret omnia*, quæ de ipso erant prophetata, ait Chrysost. 2. omnia loca fide sua et cultu, atque cælum electis, ut dicit S. Anselm. 3. ut omnes gratiis suis impleret. Ita S. Thom. 4. ut omnia impleret sua gloria et maiestate. Ita S. Bern. serm. 1. de Ascens. quem lege.

59. *Vers. 4. 4. Rota. Omnibus homini-bus sumus proximi quadrupliciter.*

Quarta rota currus Christi in cælum ascendentis, et omnium ab eo deductorum, est fidelitas in promissis atque sinceritas, vers. eod. 4. Nec iuravit in dolo proximo suo. Sumus omnibus hominibus proximi, 1. ob communionem naturæ; 2. ob participationem eiusdem capitis, nempe Christi; 3. ob participationem gratiæ ab eo in membra desinentis; 4. ob spem eiusdem gloriæ. Perperam Caietanus vertit *non intravit ad dolum*, ut ait Lorinus, sed invenio in Caietano meo, *non iuravit ad dolum*, et quidem Hebraice. Chald. Syr. Arab. Hier. et alii omnes habent iurat, vel iuravit. τὸ *in dolo*, id est cum dolo, ut Arabs et Syr. vertunt: vel ad dolum, ut Caiet. in fraudem, ut Vatabl. dolose, ut S. Hieron.

In rotis currus Ezech. erant oculi.

Nota, Ezechiel Propheta vidit in omnibus rotis currus Dei ascendentis Ierosolymam, quæ est cæli typus, oculos affixos ex omni parte. Sic enim legitur cap. 1. 18. *Statura quoque erat rotis* (Arias, cantiii earum. Pagn. dorsa erant eis: id est, circuli extimi, ambitus et peripheriæ) *et altitudo* (altæ sint oportet quæ in cælum evehunt) *et horribilis aspectus* (id est, enormis magnitudo, ait Richard. Victorinus) *et totum corpus* (rotam scilicet: dorsa, ut vertit Pagnin. et Arias) *plenum oculis*, hoc est, ocellis lucidissimis et pulcherrimis instar stellularum, *in circuitu ipsarum quatuor.* Severus in Catena, censet rotas ornatas ocellis figurare cælos ornatos stellis fulgidissimis, velut ocellis et floribus pulcherrimis. Stellæ enim sunt oculi fulgentes cælorum. Unde Plin. lib. 2. cap. 5. ait: *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea esse* (nunc non pauci dubitant) *ignium summum, inde tot stellarum collucentium illos oculos.* Plurimi veterum et sanctorum posuerunt stellas esse igneas. Ovid. Solem vocat etiam mundi oculum, 4. Metam. Sed David noster in prima cælestis et ad cælum ducentis currus rota vidit descriptas manus. *Innocens manibus.* In secundo cor. *Et mundo corde.* In tertia animam ipsam. *Qui non accepit in vano animam suam.* In quarto denique, linguam. *Nec iuravit in dolo proximo suo.* In manibus, intelligit opera esse necessaria ad cælos eunti. In corde, requirit cogitationes et affectiones bonas. In lingua, preces et verba pia et sincera. In anima denique, hæc omnia in spiritualibus et æternis rebus occupanda, non in terrenis ac luteis.

In rotis currus Davidici erant manus, cor, anima, et lingua.

60. *Dolosi et periuri a cælo excluduntur.*

Nota secundo, præsertim e cælo excluduntur dolosi et periuri, et in illud admittuntur sinceri et fideles in præstandis iuramentis. Ps. 14. cum interrogasset Deum David: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* id est in cælo, ut explicant Iansenius, Vatabl. Emmanuel Sa, Bellarminus, Mariana et alii, responsum a Deo accipit v. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua*, velut in officina omnis malitiæ, sed præsertim hypocrisis et fallaciæ. Et vers. 4. adhuc pressius ad rem nostram. *Qui iurat proximo, et non decipit.* Vide ibi dicta. In illo psalmo ponit scalam decem graduum, quibus omnes possint ad cælum scandere, ut ostendi statim initio quæstionis ibi propositæ. Mendaces non intrare in aulam cælestem docet S. Ioan. Apocal. 21. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* (Arab. *Non intrabit in eam mendax.* Mendacium est fons omnis labis) *aut abominationem faciens et mendacium, nisi* (sed tantum illi) *qui scripti sunt in libro vitæ Agni*, qui est innocens, simplex, sincerus, impollutus. Si quis mendax aut periurus se intrudere voluerit, eiicitur cum canibus; ibid. cap. 22. 15. *Foris* (extra cælum pelluntur) *canes* (Iudæi, hæretici, infideles, fidelium hostes, ait Aretas) *et venefici* (id est malefici et magi) *et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium*, perniciosum scilicet: hoc est omnis periurus, veterator, calumniator, falsus testis, etc. ut ait Cornelius.

61. *Periuros in hac vita punit Deus. Cleomenis pœna.*

Nota tertio, etiam in hac vita punit Deus periuros. Ælian. lib. 12. variæ historiæ, refert Cleomenem Spartanum iurasse Archonidi, si voti compos fieret, se omnia cum eius capite transacturum. Rerum potitus, caput Archonidi præcidi iussit, et vasi pleno mellis imponi: quoties autem aliquid facere instituisset, oculos in urnam coniiciebat, dicens se datam fidem non fallere: se enim cum Archonidis capite consilium capere. Sed lege Herodotum lib. 6. videbis eum insanum periisse, et gladio seipsum misere discerpsisse. *A suris enim incipiens ecce detruncavit. In longum discindens carnes, e tibiis ad femora pro-*

essit, e femoribus ad coxarum vertebras atque ilia, quousque pervenit ad uterum, in quo rescindendo expiravit. Iuraverat ille in dolo proximo suo, aliud foris promens, aliud intus abscondens: et moritur intestina sua aperiens manu propria.

Et Elfredi.
Elfredus, qui contra Elstanum Angliæ Regem conspiraverat, Romæ ad altare S. Petri præsente Ioanne Pontifice iurans, ut a se suspicionem illam averteret, repente corruit, et post triduum mortuus est, ut tradit Vincentius Bellovacensis lib. 24. cap. 63. Promptior fuit pœna
Atque Goduini.
Goduini in eadem Anglia: is cum Alfredum Eduardi regis fratrem necasset, et in convivio cum ipso rege, cuius erat socer, cœnans dixisset: *Si unquam Rex, quidquam in necem fratris tui aut in te machinatus sum, precor ut Dei nutu, istud panis frustum me illico strangulet.* Id ubi sumpsit præclusis faucibus suffocatus est, teste Polydoro Virgilio lib. 8. hist. Angl.

62.
Palicorum lacus, in quo periuri cruciabantur.
Non omittam, quod strictim attigi Psal. 14. et refert Thomas Fazellius lib. 3. prioris Decadis de rebus Sicul. ex Diodoro Siculo lib. 11. et Macrob. lib. 5. Saturnaliorum cap. 19. nempe apud Siculos Palicorum lacum seu craterem esse, religiosum, qui assiduam scaturiginem turbulentarum seu sulphurearum aquarum ad tres cubitos in altum eiectat, et non aliter quam subiectis ignibus fervens ebullit olla. Prope templum vero Palicis diis dicatum fuisse. Eo cum quis iuraturus accedebat: *Si fideliter iurabat, discedebat illæsus: si peierabat, mox in lacum crateresque vel lapsus expirabat, vel luminibus saltem captus condemnabatur in litem.* Auctor vero libri de mirandis auditionibus, qui tribuitur Aristoteli tom. 1. scribit, tabellis id fieri solitum, quas iuraturus ante conscriptas et obsignatas in fontem emittebat: quæ si veræ erant, super aquas fluitabant, si dolus suberat, statim mergebantur, periurusque repentinis correptus ignibus in cineres palam vertebatur. De amne Bithyniæ sic ait Plinius lib. 31.
Et amnis Olachas.
cap. 2. *Amnis Olachas in Bithynia Briazum alluit: hoc est et templo et Deo nomen, cuius gurgite periuri notantur pati velut flammam urentem.*

63.
Periuri sunt execrandi. Lysander periurus.
Hinc collige, execrandos et fugiendos esse eos omnes, qui iuramento, re sanctissima, ad fallendum utantur. Quis Lysandrum Lacedæmonium non detestetur, qui, ut ait Plutarch. in Apophtegmatis Laconicis, *homo versutus et pleraque fraudibus miscens, iusque in sola ponens utilitate, veritatem nihilo meliorem esse mendacio asserens, sed*
Iuramentum est malis emplastrum æris alieni.
utriusque dignitatem et pretium usu definiri. Dicebat, παιδας αστραγαλοις δει εξαπαταν τους ανδρας ορκοις. *Pueros quidem talis, homines vero iuramentis esse decipiendos.* Sic Laberius apud Festum vocat iuramentum emplastrum æris alieni. Plato id veritus vetat lib. 12. de legibus, ne facile iudices exigant iuramentum a litigantibus: alioqui pene
Flamini Diali non licebat iurare.
omnes essent periuri: et apud Romanos Flamini Diali non licebat iurare. Causas dat Plutarch. in quæstionibus Romanis. *An quia* βασανος τις ελευθερων ο ορκος εστι, δει δε, αβασανιστον ειναι και σωμα και ψυχην ιερεως, *tormentum libero-*
Iuramentum est tormentum liberorum.
rum est iusiurandum. Sacerdotis autem et animum et corpus oportet torturæ esse expers. Aut quia omne iusiurandum in execrationem periurii desinit.

ARTICULUS III.

Christi triumphantis corona, comitatus, acclamationes, ornatus, etc.

64.
Christus in cælum ascendit quia victor.
Christus in cælum triumphans ascendit, 1. quia Dominus est orbis; 2. quia virtutibus omnibus cumulatus, ut vidimus duobus articulis præcedentibus. Nunc 3. restat, ut videamus id etiam fieri, quia de hostibus triumphavit sua fortitudine in prælio.

Ac primo, coronam iustitiæ illi a Patre donandam et
Vers. 5.
communicandam eius imitatoribus David declarat v. 5. Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Arab. Sept. Vatabl. a Deo servatore suo. Tertull. 2. contra Marcion. cap. 19. a Deo salutificatore suo. S. Hieron. Caiet. Felix, a Deo salutis suæ: id est, eum salvante.

Nota primo, benedictio apud Hebræos denotat copiam et abundantiam bonorum omnium. Et quidem ברכה *beraca*, id est, *benedictio*, convenit in omnibus literis cum ברכה *berecа*, id est, piscina, fons. Sanctorum nomen est benedicti. Matth. 25. 34. *Venite benedicti;* audi copiam bonorum, *possidete paratum vobis regnum.*

Nota secundo, pro *misericordiam* in Hebr. et Chald. 65.
est צדקה *tsedaka*, id est, *iustitiam.* Eadem enim corona gloriæ est corona iustitiæ, et simul corona misericordiæ. Datur a iustitia, quia datur ob meritum condignum. 2. Timoth. 4. 8. *In reliquo* (Græc. λοιπον, id est de cætero) *reposita est mihi corona iustitiæ* (id est, iusta, quam iuste merui, et quæ a iusto iudice redditur, ait S. Anselm.) *quam reddet mihi Dominus in illa die* (celebri et publica, nempe in die iudicii) *iustus Iudex.* Lege Suar. in opusc. relect. 2. de libertate divina, et relectione de iustitia. S. August. serm. 16. de verbis Apostoli: *Debitorem,* inquit, *se fecit non tantum sibi, sed et Christo et nobis, ut illi dicere possimus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti.* Nam est debitor, 1. ex fidelitate seu veracitate, quæ est pars potestativa iustitiæ; 2. ex iustitia proprie dicta, quia actus ex gratia factus est dignus vita æterna et illi proportionatus. Datur tamen etiam illa corona ex misericordia, quia 1. non potest intercedere iustitia stricte sumpta inter Deum et creaturam, sicut nec inter servum et dominum, nec inter patrem et filium: unde S. August. lib. 2. Confess. cap. 4. dicit: *Reddit debita nulli debens.* Et sermon. 3. de verbis Domini: *O magna,* inquit, *bonitas Dei, cui pro conditione reddere debeamus obsequia, utpote servi Domino, mancipia redemptori: amicitiarum nobis præmia repromittit, ut a nobis obsequia debitæ servitutis obtineat;* 2. illa corona supponit liberalem et misericordem promissionem, ad quam Deus non obligabatur; 3. involvit totam seriem gratiarum datarum: prima autem gratia non cadit sub meritum. Hinc ait S. Paulus Ephes. 2. 8. *Gratia salvati* (id est, iustificati) *estis per fidem;* et de æterna mercede S. Ioannes Apoc. 21. 6. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ* (id est vitali) *gratis,* 1. ob primam gratiam; 2. ob doni excellentiam, cui collata opera si secundum se spectarentur, nihil sunt. In Christo etiam præsupponitur gratia unionis, quæ data est more gratis, et non potest cadere sub meritum condignum.
Corona gloriæ, est corona iustitiæ et misericordiæ.

Nota tertio, corona duplex dabatur triumphanti: una 66.
aurea, quæ supra caput eius elevata sustentabatur a servo: hanc voco benedictionem: altera laurea quam capite gestabat triumphator lauro se victorem esse declarans: hanc voco coronam iustitiæ seu misericordiæ modo supra explicato. Nam etiam illi diis acceptam ferebant suam victoriam: ideoque Romam intrantes recta vehebantur ad Capitolium, ut gratias agerent, et coronam lauream in gremio Iovis Capitolini deponerent, velut testantes publice eam se illi debere et ei reddere oportere.
Corona duplex triumphantium.

Non solus Christus eo curru et corona gaudere vult, et filios suos eadem gloria donat. v. 6. Hæc est generatio (in facto esse, id est, hoc genus) quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob, hoc est, quem coluit et a quo adiutus est Iacobus pater omnium Iudæorum in terra promissionis, quæ erat cæli figura, commorantium. Vers. 6.

Nota, apud Romanos solebant filii triumphantium eodem cum patre curru vehi. Paulus Æmilius triumphans duos filios impuberes in curru duxit. Germanicus autem Cæsar, quinque. Longe potiori iure Christiani iusti cum Christo triumphabunt, cum illi sint insiti, ut rami arbori, Rom. 11. 19. ut membra capiti, 1. Cor. 6. 15. Ephes. 1. 2. et 5. 23. 67.
Filii triumphantis in eius curru ponebantur.

In ferculo, id est, in lectica Salomonis, cum ipso erat etiam Sponsa. Nam medium eius erat charitate seu amore constratum. Cantic. 3. 10. Hebr. incensum charitate: et quidem propter filias Ierusalem. S. Bernard. serm. in psalmo nostro considerat, prius in singulari numero petiisse, *Quis ascendet* in montem Domini, et responsum
Cum Christo, vero Salomone, ascendit anima sancta.

fuisse etiam in singulari, *innocens manibus*, etc. deinde transiri ad numerum pluralem. *Hæc est generatio quærentium.* Verba eius audiamus: *Loquebatur de uno, et dicebat: hic accipiet: sed continuo hunc transfudit in hanc generationem et ait: Hæc est generatio quærentium: ut in uno non personæ singularitatem intelligas, sed spiritus unitatem. Nimirum hic Sponsus et hæc Sponsa est* (Christus et Ecclesia, id est, congregatio Fidelium) *et scimus quis dixerit, iam non sunt duo, sed una caro, Genes. 2. 24. et Ephes. 5. 31. Ita ergo hic ascendet, hic accipiet benedictionem, sed ascendet etiam cum eo vel magis in eo, qui ab eo accipiet benedictionem. Audi hoc a Propheta, Ps. 83. 7. Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion.*

Michæas Propheta vidit ascensionem Christi aperturam fidelibus viam in cælum, ait enim cap. 2. 13. *Ascendet pandens* (Hebr. פורץ *porets*, id est, fractor, ut vertit Pagnin. perruptor, ut Tigurina. Via in cælum erat clausa) *iter ante eos* (alludit ad reditum e Babylone duce Zorobabele, qui significat alienum a confusione: vel dispersionem confusionis: vel, circulum mistionis) *divident* (Heb. פרצו *paretsu*, id est, perrumpent, diffringent) *et transibunt portam, et ingredientur per eam* (in Ierusalem cælestem) *et transibit rex eorum coram eis* (aspectus illo animat et recreat, sæpe regem triumphantem contemplare) *et Dominus in capite eorum*, imo ipsorum caput: quo transit caput, eo penetrat corpus; ubi est Dominus, illic et minister eius erit. Ea est causa cur ascendat in cælum, ut ad illud nos evehat. S. Chrysolog. serm. 57. *Ascendit non ut se referret in cælum, qui semper mansit in cælo: sed ut te perferret, quem taliter vinctum absolvit, et subtraxit inferno*; et in cælo glorificaret. Alexander Alensis: Ascensio Christi, inquit, *causa fuit gloriæ*, quæ est in societate confruentium. Victor Uticensis lib. 2. de persecutione Vandalica: *Sua*, inquit, *passione nos redemit, sua morte vivificavit, sua ascensione glorificavit.* De passione ait S. Aug. in Ps. 95. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes? Caius Papa epist. ad Felicem Episcopum: Effusio, inquit, iusti sanguinis Christi tam fuit dives ad pretium, ut si universitas captivorum in redemptorem suum crederet, *nullum diaboli vincula retinerent.* Ascensio tamen necessaria fuit, ut fructus passionis haberetur.

68. Ascensio Christi est causa nostræ salutis dupliciter.

Quæres, an vere ascensio Christi fuerit causa salutis nostræ? Respondet S. Thomas 3. p. qu. 57. art. 6. quod Ascensio Christi est causa salutis nostræ dupliciter. Uno modo ex parte nostra, alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, in quantum per Christi Ascensionem mens nostra movetur in ipsum: quia per eius ascensionem, 1. datur locus fidei; 2. spei; 3. charitati. Quanto etiam per hoc reverentia nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum cælestem, sicut et Apostolus dicit 2. ad Corinth. 5. 16. *Etsi cognovimus secundum carnem Christum*, id est mortalem, per quod putavimus eum tantum hominem, ut glossa exponit, *sed nunc iam non novimus.* S. Leo serm. 2. de Ascens. ait eum ascendisse, *ut fides non deficeret, spes non fluctuaret, charitas non tepesceret.* De fide Petrus Blesensis epist. 83. *ut eum in Patris æqualitate credamus.* Charitatem augeri docet S. Chrysost. hom. 5. in cap. 2. ad Hebr. *Revera magnum et admirabile, et plenum stupore, quod quæ est ex nobis caro sedeat apud Superos et adoretur ab Angelis, et Archangelis, et Seraphim, et Cherubim. Hoc sæpe mente versans stupeo et mente excedo, et magna de genere humano visione apprehendo. Video enim magna et præclara præmia, et naturam nostram Deo esse magno studio.* Ex parte autem Christi quantum ad ea quæ fecit, ascendens propter nostram salutem, primo quidem viam nobis præparavit ascendendi in cælum secundum, quod ipse dicit Ioann. 14. *Vado parare vobis locum*; et Mich. 2. 13. *Ascendit pandens iter ante eos.* Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra quo caput præcessit. Unde dicitur Ioann. 14. 13. *Ut ubi ego sum, et vos sitis.* Et in huius signum, animas sanctorum, quas de Inferno eduxerat, in cælum traduxit, secundum illud Psal. 67. *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*: quia scilicet eos, qui fuerant a diabolo captivati, secum duxit in cælum, quasi in locum peregrinum humanæ naturæ, bona captione captivos, utpote per victoriam acquisitos. Secundo, quia sicut Pontifex in veteri Testamento intrabat sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo: ita et Christus intravit cælum ad interpellandum pro nobis, ut dicitur Hebr. 7. Ipsa enim repræsentatio sui ex natura humana, quam in cælum intulit, est quædam interpellatio pro nobis: ut ex quo Deus humanam naturam sic exaltavit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus filius Dei humanam naturam assumpsit. Tertio, ut in cælorum sede quasi Deus et Dominus constitutus, exinde divina dona hominibus mitteret, secundum illud Ephes. 4. 9. *Ascendit super omnes cælos, ut adimpleret omnia*, scilicet donis suis, secundum glossam. Hæc ferme S. Thomas.

Nota secundo, ut Christi in cælum conscendentis currum ascendas, debes illi esse similis, et eum amare. Primo itaque oportet, ut sicut ipse fuit, ita sis *innocens manibus*, id est, operibus, cum eo enim vitia non ascendunt, ut mox dicam ex S. August. Manus itaque lavandæ sunt excussis terrenis omnibus. S. Bern. serm. in in hunc Ps. *Fratres, si via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tanto magis festinemus: si laboriosa, clamemus ei, Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus. Felix qui sic cucurrerit, ut comprehendat, imo ut ipse comprehendatur.* Quis illotis manibus Christum tangere audeat? ideo per baptismum omnes mundamur, ut ab eo admittamur. Optatus Milevitanus vocat baptismum, innocentiæ portum. Sic enim lib. 5. contra Parmenianum. *Quis nesciat singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.* Ad rem nostram aptissime baptismus vocatur currus in cælum, a S. Cyrillo Ierosolymitano, præfatione in catecheses: *Magnum est*, ait, *propositum baptismo, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile, currus ad cælum, deliciæ paradisi, regni cælestis conciliatio, et charisma adoptionis filiorum.* Si quid labis in terreno pulvere contrahatur, novo baptismo, nempe aquis contritionis abstergendum est. In lege veteri instar Ionathæ ascendebant reptantes manibus et pedibus 1. Reg. 14. 13. in lege gratiæ in curru itur ad cælum.

69. Ascendere in cælum volens cum Christo, debet quinque dotes habere. I. Innocentiam operum.

Secundo, qui cum Christo cupit in cælum ascendere debet esset *mundo corde.* Nam ut cælum ambiat, debet esse ἄγιος, id est, sanctus, q. d. sine terra, ab α privativo, et γῆ, id est, terra. Ut enim ait S. Bern. sermon. 4. de Ascens. *Quid mihi et solemnitatibus istis, si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris?* Et S. Ambros. in Ps. 118. sermon. 14. *Quid te reflectis in terram? Si in Enoch raptus in cælum es? in Elia levatus in curru? in Paulo raptus in paradisum conversatus in cælis? in Davide exauditus, ut pennas columbæ assumeres et volares, in Christo exaltatus, volucris factus in spiritu?* Cor elevandum est, ut corpus erigatur. S. Augustinus id monet serm. 2. de Ascensione: *Ascendamus cum Christo interim corde, cum dies promissus eius advenerit, sequamur et corpore. Scire tamen debemus, fratres, quia cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro.* Si cor, id est, cogitationes et affectiones, sursum evolet, manus id est opera sequentur. Thom. Anglicus Cardinalis refert ex S. Isidoro lib. 19. etymol. quod quartus digitus a pollice mediante vena quadam habet continuationem cum corde: et ideo ad hoc denotandum, signanter iste digitus annulis insignitur, et dicitur annularis. Unde dicit Serapion in libris Ægyptiacis: Visus est ille digitus tali honore decorandus, qui quasi connexus cum principatu cordis videtur. Sic in proposito, nam qui est innocens manibus et mundo corde, habet digitum connexum cordi, mediante vena charitate, Hæc ille, qua

70. II. Munditiam cordis.

de re viderint physici et medici: mihi certum est cordi manum, et manui cor respondere debere, si de cæli ascensu cogitamus. Cor affectibus suis ambulabit, manus apprehensis scalæ gradibus gressum firmabit, ut ex alto cor non decidat in terrena.

71. III. Fervorem animæ. Tertio, qui cum Christo in cælum cupit conscendere, animæ fervorem habeat, necesse est: hostes enim qui adversentur non desunt; sed vir generosus memor se ideo animam accepisse, in solido illam ponet et a vanis abstrahit. *Qui non accepit in vano animam suam.* Vide articulum præcedentem ubi hæc explicantur. Addo S. Greg. 1. Moral. 17. Animam suam, ait, iusti in vano non accipiunt: quia intentione continua ad eius utilitatem referunt quicquid corporaliter operantur: quatenus et transeunte opere, operis causa non transeat, quæ vitæ præmia post vitam parat.

IV. Fidelitatem in verbis, præcipue iuratis. Quarto, qui cum Christo in cælum cupit ascendere, sit fidelis in promissis et iuramentis suis. *Nec iuravit in dolo proximo suo.* In risum et odium omnium incurrit Dionys. senior Siciliæ tyrannus, qui cum civium decem millia aut amplius partim dolo, partim vi aperta interfecisset, atque in tragœdia scripsisset, η γαρ τυραννις αδικιας μητηρ, *tyrannis est iniustitiæ mater,* tamen, ut ait Plutarchus orat. 2. de fortuna, vel virtute Alexandri, *filiabus suis, virtutis, pudicitiæ, iustitiæ nomina imposuit.* De perfido et periuro Lysandro, aliisque dixi articulo præcedenti, et Psal. 14. ubi punitiones eorum ostendi.

72. V. Amorem Christi. Quinto, qui cum Christo cupit in cælum ascendere, debet ipsum amare et ardenter aspectum eius desiderare. *Hæc est generatio* (Petavius, γενεα, progenies) *quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.* Syr. vertit: Hæc est generatio quærens, et expectans speciem vultus tui Deus Iacob. Ipse est speciosus forma præ filiis hominum, si humanitatem spectes: si divinitatem spectes, ipse est splendor gloriæ et figura, id est, character substantiæ Patris. David dicit Ps. 79. 4. *Ostende faciem tuam* (Chald. splendescere fac splendorem aspectus faciei tuæ, vel iucunditatis tuæ, super nos) *et salvi erimus.* Ps. 66. 2. *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam tuam,* ducentem in cælum: sine hac luce aberrabimus. Ps. 131. 10. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.* Faciem illam Dei David ardenter optabat, cum dicebat Ps. 26. 8. *Tibi dixit cor meum* (locutus sum ex intimo corde) *exquisivit te facies mea* (oculos semper in te, amorem, et decus, ac lumen meum intendo) *faciem tuam Domine requiram* (ut in tenebris oberrans quærit et optat Solem) *Ne avertas faciem tuam a me.* S. Hier. Non abscondas: ob nubes peccatorum meorum. Etiam cum quærit Iesum Sponsa delectatur: Primo, ob spem reperiendi. Richard. Pampolitanus in encomio nominis Iesu: *Respirat animus Iesum quærens, cuius amore capitur, quem solum concupiscit, sine quo salutem obtinere non potestis.* Secundo, delectatur ob lumen a Iesu se identidem ostendente, sed postea subducente. Petrus Aliacus in Cantic. Simeonis: *Dicitur Iesus salutare, dicitur lumen, dicitur gloria. Ipse quippe salus est peccatorum, ipse lumen iustorum, ipse gloria Beatorum. Hæc vero tria Christi bona, remedia sunt contra tria humani generis mala. Iesus enim salus est contra nostram malitiam. Iesus lumen est contra nostram ignorantiam. Iesus gloria est contra nostram miseriam.* Tertio, delectatur ob viam sibi patefactam per ipsum ascendentem in aulam suam. S. Ansel. in c. 6. ad Heb. illa verba expendens: Incedentem usque ad interiora velaminis, sic ait: *Introivit pro nobis, pro salute nostra, ut interpellaret pro nobis: sicut Pontifex Sancta Sanctorum ingrediebatur, ut rogaret pro populo: et introivit præcursor pro nobis, ut nos post eum illuc curramus. Cursor, quia nulla eum culpa præpedivit: præcursor, et tempore, et dignitate pro nobis introducendis.* Quarto, delectatur cum Iesu ascendens ob gratiam interiorem et robur sibi datum. *Hic accipiet benedictionem a Domino.* Iesus in cælum ascendens elevatis manibus benedixit Apostolos et discipulos, Luc. 24. 50. quod contemplans S. Cyprianus serm. de Ascens. Elevatis, ait, manibus *hæreditariam eis benedictionem* reliquit. Et S. Chrysostomus in eodem festo: Quod, inquit, do campis accidit spicarum plenis, ubi quis ex paucis spicis collectis parvum manipulum conficiens, cumque Deo offerens, paucitate illa toti arvo benedicit: ita Christus fecit, qui per unam illam carnem atque primitias, totum genus nostrum benedicendum curavit. Quinto, cum Iesu ascendens lætatur, ob hostes attritos, et post se relictos, et infra se frustra stridentes. Ioan. Gerson serm. de Ascensione: *Gaudium ingens*, ait, *hodie chirographum nostræ damnationis deletum est.* S. Leo serm. 1. de Ascens. *Quia*, inquit, *Christi ascensio nostra provectio est, et quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur et corporis: dignis exultemus gaudiis, et pia gratiarum actione lætemur.* Si enim vere dixit S. Athanasius de natur. Humanitat. suscepta, contra Apollinarem: Christi passio nostra est impassibilitas: illius mors, nostra immortalitas: illius fletus, nostra lætitia: illius sepultura, nostra resurrectio: illius baptisma, nostra sanctificatio est: illius vibices, nostra est sanitas: illius disciplina, pax nostra. Si, inquam, id vere dixit, quid de eius ascensione dicemus et gloria? Sexto, cum Iesu ascendens lætatur super eius gloriam tantam, ut etiam corpus eius sit super Angelos exaltatum. S. Bern. et Iacobus Vitriacus notant lætitiæ causam esse, quod caro nostra sit super cælos exaltata: et Ioann. Bromiardus in Summa prædicator, cap. 25. ait, die Ascensionis Christum ad Patrem rediisse, terram suo principio copulando et uniendo: et sic per egressum eius a Patre, et regressum eius ad eumdem, est circulus universi completus et perfectus.

CHRISTO triumphanti applaudunt homines, et Angeli, 73.
alternis choris laudes eius celebrantes, v. 7. ATTOLLITE Vers. 7. 1. Pars.
PORTAS PRINCIPES VESTRAS, ET ELEVAMINI PORTÆ ÆTERNALES. Hebr. æternæ, ut vertit Mulsius et Arabs. sempiternæ, ut S. Hieron. sæculi, ut Arias. ET INTROIBIT REX GLORIÆ. Nota, pro *principes*, Hebr. est ראשיכם *rascim*, quod duo significat, 1. capita; 2. principes. Unde varii varie vertunt. Primo, S. Hieronym. epistol. 142. legit: *Tollite portas principes vestras.* Arabs, *elevate*, o *Reges, portas vestras.* Septuag. et aliqui alii Nostro Interpreti consentiunt. Secundo, S. Hieron. hic et Syrus vertunt, *Levate portæ capita vestra.* Et eodem sensu vertunt pene omnes Hebraizantes. Felix, verbum solum mutat, habet enim, *attollite.* Pagnin. elevate. Vatabl. tollite. Hunc secundum sensum ad verbum videntur exigere Hebraica. Licet enim vox Hebraica *rascim*, significare possit non solum *capita*, ut vertit S. Hieron. sed etiam *principes*, ut verterunt Sept. tamen pronomen additum, quod Hebræi affixum dicunt, secundum communem phrasim Hebraicam solet coniungi cum nomine immediate præcedente: et ideo illud ראשיכם *rascechem*, deberet verti *capita vestra,* ut vertit S. Hier. vel, *principes vestros*. quod hoc loco non est ad propositum. Tamen quia Septuag. satis aperte per *rascim*, intellexerunt *principes*, cum verterint, οι αρχοντες, et pronomen coniunxerunt cum nomine *portas*, dicendum est vel in textu ipsorum pronomen affixum fuisse nomini שערים *scearim*, quod significat portas, non autem nomini, *rascim*, principes, vel posse pronomen affixum uni nomini referri ad aliud nomen, quamvis rarissime, et præter regulam. Ita Bellarmin. Reiiciendi sunt qui dicunt *principes* esse accusativi pluralis, q. d. attollite portas præcipuas et primarias. Nam οι αρχοντες, id est principes, clare sunt nominativi. Neque etiam ad verbum reddidit Hebraica R. Samuel Marochianus, qui vertit lib. de adventu Messiæ: O *Magnates, aperite portas principatus vestri,* sensum tamen expressit.

Nota secundo, pro *attollite* est Hebr. שאו *seu*, et Græcum αρατε, quæ duo significat, 1. porto, foro, attollo, elevo; 2. aufero, tollo. Itaque etiam hic variant Interpretes. Primo, S. Hieron. vertit, *Levate.* Cajet. elevate. Noster et Felix, *attollite.* Secundo, Tertull. in Scorpiaco cap. 10. et S. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos, cap. 29. legunt *auferte* portas principes vestras. Vatabl. *tollite:*

sed videtur sumero pro attollite. In sensu non est differentia, ut videbitur.

Nota tertio. In fine versus præcedentis ponitur סלה *sela*, de quo egi Ps. 3. Hoc loco monere potest: ut, quia quanta sit felicitas Dei videre faciem, consequi fando lingua non possumus, neque mente concipere, id quoad licet meditemur, eoque cuncta referamus, ne tanto bono excidamus. Ita Lorinus.

74. Angeli applaudunt Christo in cælum ascendenti.

Quæres, Quis hic loquitur? Primo, S. Chrys. serm. 4. de Ascens. omne hoc imperium, quod fit Angelis, tribuit Spiritui sancto, et responsum etiam illis datum. Secundo, Iulius Firmicus de errore profanæ religionis cap. 25. vult loqui Christum de se ipso in tertia persona, quod Hebræis est satis usitatum. Tertio tamen melius, Angelorum est colloquium, sive bonorum cum malis: sive potius bonorum cum bonis, ad denotandum summam latitudinem de adventu Christi triumphatoris.

75. Agitur hic de portis variis, ut aliqui exponunt.

I. Expositio est de portis templi Salomonis.

Quæres secundo, de quibus portis hic agatur? Primo, Hebræi de portis templi Salomonis explicant. Volunt enim hæc verba dicta esse, cum tempore Salomonis, extructo templo, Arca in Sancta sanctorum inferretur: at portas æternales appellari, quia firmas iam sedes acceperat, cum antea sæpe loca mutasset: primo per desertum, inde in Gelgela, de Galgalis in Silo, inde in terram Philisthæorum, inde in Bethsames, ex eo loco in Cariathiarim, de Cariathiarim in domum Obededom, ex ea domo in civitatem David. Attollere autem portas capita sua iubent, qui illam inferebant, ut nonnulli transtulerunt, hoc est vertices suos: vel, ut capaciores fierent, et latior ingressus Arcæ importandæ fieret: vel, ut indicetur maiorem eas ex illatione Arcæ gloriam accipere, q. d. Elevamini, gloriamini, verticem vestrum usque ad sidera tollite, cum per vos transitura sit Arca Dei: iuxta illud Ps. 3. 4. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum*; et Ps. 109. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*. Per fictionem autem personæ hæc dicta sunt, et ad rei magnitudinem amplificandam sensus rebus inanimatis est datus, et per dialogismum actio quædam efficacior atque vivacior orationi conciliata: fecit enim portas respondentes, atque interrogantes. Ita Agellius, qui in eadem est opinione, et Isidorus Clarius. His faveret, si verum esset, quod clausæ portæ templi in ingressu Arcæ ultro sunt apertæ. S. Iustin. in Tryphonem, vocet insipientes eos, qui non de Christo hæc dicta esse censeant, sed de Salomone Arcam in templum inferente. Ibi enim non Salomonem, sed Christum dici Regem gloriæ. Chald. tamen vertit: *Levate portæ domus sanctuarii capita vestra*.

II. De claustris inferni.

Secundo igitur melius, Sensus est, q. d. *attollite*, id est aperite, *o principes* tenebrarum *portas vestras*, id est claustra inferni: seu potestatem et ius, quod huc usque habuistis in animas electorum propter originalis peccati reatum, ob quem impediebantur ab ingressu regni cælorum: *et elevamini portæ æternales*, id est, aperiamini prædictæ portæ, quæ ab origine mundi clausæ fuistis universis, et sine fine clausæ manebitis reprobis, quantum ad liberationem. Ita Dionysius Carth. explicat enim de ingressu Christi ad inferos, et vult Angelos bonos ita loqui dæmonibus. Ita etiam explicant Valentia, Treuetus, S. Hier. S. Athan. orat. 4. contra Arianos, S. Chrysost. hom. quod Christus sit Deus, S. Chrysol. serm. 65. Lege præsertim S. Epiphan. describentem fuse hunc triumphalem Christi victoris ingressum in limbos, serm. de Christi sepultura.

III. De portis cæli.

Tertio, de Ascensione Christi in cælum egi verius opinantur Origenes, Didym. Theodoretus, Euth. Euseb. Genebrar. Iansen. Sa, Mariana, et alii plurimi hic. S. Hier. epist. 142. S. Ambros. de institut. Virg. S. Aug. serm. 178. de tempore, S. Chrys. orat. 4. de Ascens. et hom. 2. in Acta, S. Greg. Naz. orat. 2. de Paschate, et innumeri Patres.

Sensus itaque est, q. d. Angeli sancti Christum præeuntes in triumpho. *Attollite* portas o principes, o portarum cælestium custodes, ut triumphator Dominus noster in civitatem suam introeat.

76. Portæ cæli quomodo attolli dicantur.

Nota quarto, *attolli* dicuntur illæ portæ, id est Primo, ampliorem et latiorem solito aditum facere, ob magnitudinem, et excellentiam, et gloriam triumphantis, et multitudinem exercitus. Secundo, attolli dicuntur portæ cælestes, quia, ut ait Bellarminus, et alii, portæ cæli non sunt quasi in tecto vel lacueari, ut sursum versus aperiendæ sint. Unde cum in terram venit, dicti sunt cæli inclinare. In his autem est catachresis: nullæ enim sunt in cælo portæ. An vero sint in peculiari civitate cælesti, quam describit S. Ioan. Apoc. 21. dubitari potest.

77. Portæ cæli cur dicantur æternales.

Nota quinto, Portæ cæli vocantur *portæ æternales*, id est, æternæ. Primo, quia non sunt corporeæ, nec materiæ ulli aut corruptioni obnoxiæ sunt. Ita Didymus. Secundo, quia ante Christum semper fuerant clausæ. Ita Genebr. Tertio, quia ad felicem æternitatem introitum dabant. Ita Iansen. Iansonius, et alii. Felix vertit, *Elevamini portæ æternitatis*.

78. Christi in cælum ascendentis et Romanorum triumphantium septem convenientiæ.

Nota sexto, Romæ triumphantes urbem intrabant per portam triumphalem. Omnis cæli porta triumphalis est, sed præcipue illa, per quam Christus ingreditur, cui pene omnia adaptare possis quæ observabantur in triumpho Romano. Primo enim Romanus Imperator currum triumphalem conscendens ita precabatur: Dii, nutu et imperio quorum nata et aucta est res Romana, eamdem placati propitiatique servate. Christus antequam pompam triumphalem inciperet, et ad cælum seipsum sublimem eveheret, elevatis manibus Patrem orans benedixit assistentibus Apostolis et aliis, Act. 1. Secundo, per portam triumphalem vehebatur, ita Christus. Tertio, præcedebant tubicines, canentes modos triumphales: aut etiam, quod in Æmylii triumpho factum est, classicum. De Christo ait David Psal. 46. 6. *Ascendit Deus in iubilo, et Dominus in voce tubæ*. Quarto, post tubicines, ducebantur boves mactandi in sacrificiis vittis sertisque redimiti, et aliquando auratis cornibus. Illis succedebat speciosa ostentatio spoliorum et manubiarum, quæ singulari arte composita, partim plaustris vehebantur, partim gestabantur ab adolescentibus ornatis. Ferebantur et tituli victorum gentium cum imaginibus devictarum urbium: ac fuerunt spoliis interdum mista animalia, antea non visa, aut mirabiles plantæ ex locis captis asportatæ. Succedebant inde qui ex hostibus capti erant, Duces vincti catenis. Christus dæmones constrinxit, et de mora triumphantium cum in montem Capitolinum ascenderent, in carcerem deiecit, ac spolia ab illis capta secum tulit. Quinto, Ante currum Imperatoris triumphantis portabantur coronæ aureæ ab urbibus datæ. Quot sunt in orbe nationes, tot coronæ Christo debentur ob redemptionem. Sexto, Imperator ipse curru sublimi magnifice exornato vehebatur, fulgens veste triumphali, coronaque laurea redimitus, ramumque lauri manu gestans. Vestis triumphalis erat purpura, auro intexto picta, de qua Plinius lib. 9. cap. 36. et lib. 8. cap. 48. De Christo Rege gloriæ dicam infra. Septimo, Currum sequebatur equitum et peditum exercitus suo quisque ordine. Ex his, si qui peculiares coronas, aut alia dona, ob egregium facinus ab Imperatore acceperant, ea præ se ferebant. Populus quoque universus cum exercitu voces lætitiæ indices ad laudem victoris emittebat, eique gratulabatur et applaudebat. Præsertim cum laudabant ab eo liberati e captivitate hostili, qui currum eius comitabantur. Christo ascendenti applaudunt exultantes homines et Angeli. Rupertus lib. 4. in Apocal. in hanc rem affert Psal. 96. verba: *Ascendit Deus in iubilo*, Apostolorum scilicet, *et Dominus in voce tubæ*, id est, cum testificatione pronunciationis Angelicæ. Quinque autem choros lætantium in triumpho Christi reperio.

79. Christo cælum ascendenti quinque chori applaudebant.

Primo, Sanctos a limbo liberatos, et cum eo cælum petentes: his enim præ cæteris erat lætitiæ causa multiplex, 1. ob liberationem suam a loco subterraneo; 2. ob resurrectionem corporum suorum: nam ut dicitur Matt. 27. 52. Christo resurgente, *Monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt*. Li-

I.
Sancti e limbo ascendentes.

cet Euthym. et Barrad. velint iterum esse mortuo, tamen probabilius S. Hieron. S. Thom. S. Anselmus, et alii id negant: alioqui conducibilius illis fuisset non resurrexisse; 3. lætabantur sancti ob gloriam sui Regis et liberatoris; 4. quod etiam corpora terrena viderent supra cælos elevari ibi in æternum glorificanda; 5. unusquisque de gloria alterius exultabat, et communem omnium parentem celebrabat. Romani Camillum de Gallis triumphantem vocavere, Romulum ac parentem patriæ, conditoremque alterum urbis. Iucundum illis fuit in triumpho T. Quintii Flaminii videre mille ducentos Romanos cives pecunia Achæorum redemptos currum eius sequi, ut moris est servorum cum manumissi sunt: nempe rasis capitibus, et pileatos. Sed Christus captivos per quatuor annorum millia ex toto orbe factos, uno die liberatos secum duxit, unde iure S. Iudas Thaddæus Apostolus apud Eusebium lib. 1. hist. ait eum ad Patrem ascendisse cum ingenti multitudine. Hoc prædixerat Habac. cap. 1. 9. *Congregabit quasi arenam, captivitatem*, id est, captivos. Hebræi sæpe abstracta sumunt pro concretis. Sic Ps. 67. 19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem. S. Paulus ad Ephes. 4. 8. sic reddit: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem*, id est, captivos qui dudum et arctissime erant captivati. Totum illum psalmum longissimum de Ascensione explicui. Vide ibi dicta.

II.
Angeli qui e terra cum eo ascendebant

Secundo, in triumpho Christi ascendentis exultabant Angeli, qui simul cum eo ascendebant, et velut currus eius erant et exercitus maximus. Ps. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex* (id est stipatus multis Angelorum millibus, e decem millibus multiplicatis veluti compositus. Gr. μυριοπλάσιος, id est, decies millecuplex. Heb. רבותים *ribbothaim*, hoc est, binæ myriades, id est, viginti millia, q. d. innumera multitudo. Myrias enim idem est decem millia) *millia lætantium, Dominus in eis*, id est inter eos, cum eis. Chald. Maiestas Domini quiescit super illos. Alludit ad Cherubines arcæ, super quos velut in curru triumphali et throno sedebat Deus reddens oracula in Sancta sanctorum, hoc est, sanctissimo tabernaculi loco. S. Cyprian. serm. de Ascens. *Non indiguit vectoribus Angelis, qui offendicula tollentes e medio, ferrent eum in manibus: sed præcedentes et subsequentes applaudebant victori, et concinentes in iubilatione modulabantur canticum novum, et implebat cælos consonantiæ illius harmonia.*

III.
Angeli qui aeri et singulis cælis præsidebant.

Tertio, in triumpho Christi in cælum ascendentis exultabant, et choris musicis eum celebrabant Angeli, qui in aere et singulis cælis præsident. Ipse aer, sol, luna, stellæ cæli sua gaudia testabantur. Synesius hymno 9. *Expavit*, ait, *purissimarum* χορος αμβροτος αστερων, *cœtus immortalis stellarum, æther autem ridens*, σοφος αρμονιας πατηρ, *sapiens harmoniæ pater, ex septem fidium Lyra* ηρμοσατο μουσικην επινικιον εις μελος, *temperavit musicam triumphale in carmen*. Stellarum deinde ac lunæ gaudium exponit. De Angelis vero S. Cyrillus Alex. in exegesi: *Erat novum*, inquit, *hoc in cælis spectaculum. Obstupuit sanctorum Angelorum multitudo*. 2. Obstupescens victorem et Dominum suum venerata est. S. Laur. Iustin. Patriarcha Venetus tr. de triumphali Christi agone: *Erat*, inquit, *prodigium hoc veneratione dignissimum: ab ipso usque tunc mundi exordio minime fuerat auditum, ut mortalium quispiam absque vehiculo, et sine adiutorio cælorum corporaliter secreta penetrasset*. 3. Veneratio illa erat plena gaudio maximo, et cum augmento gloriæ eorum accidentalis. S. Epiphan. serm. de Ascens. *Angelorum naturis* χαραν αλεκτον, *immensum gaudium afferens, novum mundo, planeque peregrinum spectaculum ostendit, videlicet carnem nostram supra regium solium evectam.*

IV.
Angeli, qui in cælis remanserant.

Quarto, in triumpho Christi in cælum ascendentis gaudent Angeli, qui in cælis remanserant, qui 1. obviam exeunt venienti; 2. musicis choris laudes eius decantant supra et prope; 3. portas aperiunt; 4. thronum illi præparant; 5. comitantur eum usque ad sedem gloriæ; 6. coronatam adorant; 7. velut Regi ac Domino suo famulatum in cælis exhibent; 8. se ad omne obsequium ubique præstandum offerunt; 9. dono pro hominibus postulant et obtinent, ac de obtentis exultant et gratias agunt. Receptionem eius in cælum sic exprimit S. August. lib. 5. de Ascens. *Plaudunt agmina, tubæ sonant, lætis se miscentia blanda modulamina choris funduntur. Ecce confestim splendidus ille Senatus cælestis ex regnis solvitur.* Lege cætera, pompam enim illam cælestem eleganter describit. Cantus Angelorum et laudes Christi victoris similes erant iis, quas Davidi victo Goliatho exhibebant mulieres egressæ de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in tympanis lætitiæ et in sistris, id est, crepitaculis æneis, ludentes et dicentes, 1. Reg. 18. 7. *Percussit Saul mille, et David decem millia.* Acclamationes factas Aureliano Imperatori, qui propria manu occiderat variis diebus Sarmatas ultra nongentos et quinquaginta, vide apud Vopiscum in Aureliano. Vide etiam acclamationes factas Iudithæ caput Holophernis referenti et dicenti, Iudith. 13. v. 13. *Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.* Illam populus, Ozias Pontifex et Princeps populi, et Achior summis laudibus extollunt. Thronorum ardorem ad thronum Humanitati Christi parandum, Cherubim et Seraphim ad venerationem exhibendum describit S. Cyprian. serm. citato de Ascens.

80.
Qui lætabantur ob quinque rationes.

Lætabantur autem Angeli, Primo, ob gloriam Regis sui. Dicunt enim: *Aperite portas, principes, vestras, et elevamini portæ æternales.* Rationem statim attexunt, *et introibit Rex gloriæ*. S. Ioan. Damasc. hymno de Ascensu Domini nostri Iesu Christi: Angeli, ait, stupore corripiebantur, atque concordi voce triumphalem hymnum modulabantur, quoniam glorificatus est, etc. Secundo, lætantur Angeli, ob gloriam propriam. Si enim ascendens in altum, dedit dona hominibus, Ephes. 4. quid præstitit Angelis? Non est dubium ex eo adventu auctam fuisse eorum gloriam atque lætitiam accidentalem. Tertio, lætantur Angeli ob gloriam et salvationem hominum, pro quibus tamdiu excubuerant, et quos partem civium cæli videbant. S. Chrysost. serm. de Ascensione: *Quamvis*, ait, *Angelos natura humana largito sibi honore superaret, tamen de bonis nostris gaudebant. Nam et quando cruciabamur, dolebant. Et licet Cherubim custodirent paradisum, vicem tamen nostram dolebant. Sicut minister conservum ex mandato Domini apprehensum et carceribus traditum, custodit quidem, compassione tamen conservi ductus, super illo quod accidit, dolet et angitur.* Et paulo post addit: Si unum peccatorem convertentem se videntes Angeli gaudent, quomodo non maximo gaudio sunt affecti hodie per primitias, ορωντες φυσιν απασαν ανενηνεγμενην εις ουρανον, *universam naturam aspicientes in cælum illatam?* Quarto, lætabantur Angeli, quod viderent sedes cæli antea per lapsum Luciferi et sociorum vacuas repleri. Quinto denique, lætabantur Angeli, quod dæmones attritos cernerent atque lugentes: homines vero adhuc in terra degentes ea spe excitatos peccata fugituros. S. Epiphan. serm. de Ascens. *Hodie*, ait, *diabolus corpus nostrum in cælos sublatum cernens, calamitatem suam deplorat. Hodie peccatum propter Iesum assumptum, velut fumus disparet.*

81.
V.
Apostoli et Deipara in terris manentes.

Quinto, in triumpho Christi in cælum ascendentis gaudent Apostoli: ut enim ait S. Leo serm. 1. de Ascens. *Hodie non solum cives paradisi firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus.*

Sexto denique, præ omnibus lætabatur Deipara videns fructum ventris sui exaltari, cælum repleri, gloriam Dei amplificari, et dæmonum imperium pessumdari.

82.
Ut ascensionis Christi simus participes, duo sunt necessaria;

Nos quoque si velimus, erimus tantorum gaudiorum participes, ad quod duo requiruntur. Primo, ut ad Christum nunc in cælis commorantem ascendamus. Secundo, ut venienti ad nos portas cordis nostri aperiamus, eumque cæli effecti in nobis recipiamus.

1.
Ut a terra nos elevemus per contemplationem.

Primo igitur, ut ait Ugo Card. in Ps. nostr. v. 3. Debemus ascendere montem contemplationis propter multa: Primo, ad vitandum tumultus cogitationum, Matth. 5. 1. *Videns Iesus turbas ascendit in montem.* 3. Reg. 19. 11. *Non in commotione Dominus.* Secundo, ad vitandum mundi ambitionem. Ioan. 6. 3. *Cum cognovisset, quia venturi essent,*

ut raperent eum, et facerent regem, fugit in montem. Tertio, ad videndum patriam nostram, Num. 27. 12. *Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel.* Abarim interpretatur montes transeuntium, Matth. ult. 16. *Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem quem constituit illis Dominus, et videntes eum adoraverunt.* Quarto, quia addiscimus ibi legem Dei, sicut Moses Exod. 24. 12. Isaiæ 2. 3. *Venite ascendamus in montem Domini, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem.* Quinto, quia ibi descendit ros gratiæ. Psal. 132. 3. *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Sexto, quia ibi omnes errores occiduntur, sicut Elias interfecit omnes Prophetas Baal in monte Carmeli, 3. Reg. 18. Lege serm. 4. de Ascens. ubi monet ut per varios montes euntem Christum sequamur, sic eventurum, ut pertingamus ad montem gloriæ.

83. II. *Ut Christo ad nos venienti cor cæleste aperiamus.*

Secunda, Christo ad nos venienti portæ cordis aperiendæ sunt: *Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales, et introibit rex gloriæ, et gratiæ.* Has portas tropologice varii varie explicant. Primo, Thomas Anglic. ait portas æternales esse intellectum et voluntatem, quæ potentiæ numquam corrumpentur, nec esse desinent. Secundo, S. Hieron. portas æternales ait esse tres illarum potentiarum virtutes: nempe fidem, charitatem, et castitatem: quia per has tres Christus Ecclesiam ingreditur: loco castitatis potes spem collocare. Tertio, Thomas Anglicus portas æternales constituit actus illarum potentiarum, qui si reperiantur in appetitu inferiori, sunt passiones, nempe amorem, et timorem. *Portæ æternales in iustis sunt variæ virtutes.* Constat enim, ait, quod amor æternus est: et de timore dicit Ps. 18. 10. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* Loquens vero de istis portis præcipit eas elevari, ut scilicet sursum attendant in Deum. Dicuntur enim deorsum demissæ, quando quis mundum plus diligit quam Deum, et tunc obsistit Christo venienti. Quarto, Ruffin. portas tam æternales, quam alias, ait esse quinque sensus corporis: *Quinque, ait, portas habet homo, quinque videlicet corporis sensus: visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum. Hæ autem portæ, nisi singulis custodibus custodiantur, per eas diabolus frequenter ingreditur et regreditur. Oportet ergo ut hæ portæ claudantur diabolo, et aperiantur Deo. Unde et recte hic principes appellantur; quia his corporalibus sensibus spiritualiter principantur. Qui student castigare corpus suum, et in servitutem redigere, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore: hi iubentur attollere portas suas, scilicet sensus corporales: et portas æternas elevare, quæ sunt fides, spes, et charitas, cæteræque virtutes: quæ merito æternales portæ nominantur, quia per eas ingressus æternæ patriæ aperitur. Per eas etiam portas Deus ad humana corda ingreditur. Unde dicitur: Et introibit Rex gloriæ. Ipse est enim Rex cæli et terræ, largitor gloriæ, destructor superbiæ: ut qui gloriatur, in Domino glorietur.* Quinto, Hugo Cardin. portas æternales ait esse virtutes et opera, quæ nobis aperiunt ingressum æterni regni et cælestis Ierusalem: significatæ sunt per sex portas Ierusalem, quæ elevatæ sunt et ædificatæ, Nehemiæ cap. 3,

84. *Sex erant portæ Ierusalem, illis virtutes variæ figurantur.*

Prima porta, fuit *porta gregis*: hæc est conversio pœnitentis, per quam grex Domini dispersus reducitur ad ovile Domini. Ps. 99. 4. *Introite portas eius in confessione*, 1. Petr. 2. 25. *Eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Unde signanter dicitur, quod Eliasib et fratres eius Sacerdotes ædificaverunt illam portam. *1. Porta gregis denotat conversionem peccatoris.* Eliasib enim interpretatur, Deus meus facturam convertens. Hic est Christus, qui convertit peccatores, quorum naturam, non vitium ipse fecit. Fratres eius, sunt Sacerdotes, Confessores, Prædicatores, qui coædificant portam, hortando et prædicando, et recipiendo ad pœnitentiam, et per confessionem lavant hostias Domini offerendas. Unde eadem porta dicta est probatica piscina, alio nomine. *2. Porta piscium, est amaritudo mortificationis.* Secunda porta, est porta piscium, hæc est amaritudo mortificationis carnis, in qua viget anima sicut piscis in aqua maris, et tollit suggestiones diaboli, et morsus rabidi canis, id est pravas delectationes. Unde bene dicitur, quod hanc portam ædificaverunt filii Asnae, qui interpretatur serpentem tollens. In ea autem exigitur vigor spiritus: unde eadem porta dicta est porta David, id est, manus fortis. *3. Porta vetus est contemptus mundi.* Tertia porta, est porta vetus, quæ etiam dicta est iudiciaria, per quam significatur contemptus mundi, et egressus e mundo, qui duplicem habet vetustatem, quæ cognoscitur e cognoscente mundum. Nahum 3. 7. *Omnis qui viderit te, resiliet a te.* Et hoc est quod ædificaverunt eam Ioiade filius Phasea, et Mosollam filius Besodia. Ioiada enim interpretatur Domini cognitio: Phasea, transiens: Mosollam, plasmatio eorum: Besodia, in conspectu Dei: quia qui habet cognitionem Dei et mundi, de mundo transit ad Patrem, et conformat se Deo, ut tandem ad eius aspectum perveniat. *4. Porta vallis est misericordia.* Quarta porta, est porta vallis, hanc ædificavit Amin, et habitatores Zanoe. Per vallem intelligitur defectus terrenarum. Amin interpretatur misericordia. Zanoe, iste requievit: per hæc intelligitur misericordia, quæ viscera indigentium requiescere facit. Unde ad Philemonem vers. 7. Viscera sanctorum requieverunt per te, frater. Et hæc porta dicitur Gion, id est vallis pietatis: vel, porta Iosaphat, id est Domini iudicium, quia de solis operibus pietatis fiet disceptatio in iudicio. Matt. 25. 34. Et per hoc datur requies, ut ibi dicitur: *Venite benedicti*, etc. *5. Porta sterquilinii, est humilitas.* Quinta porta, est porta sterquilinii, quam ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharem. Melchias interpretatur rex Dominus. Rechab, concedens vel ascensio. Bethacharem, domus vineæ, sive eruditionis tristitiæ. Hæc est humilitas in obedientia et patientia. Humilitas enim regi et Domino concedens vel obtemperans per obedientiam et patientiam, et ex tristibus eruditionem et lætitiam spiritualem accipiens, ascendere facit, dum humiliter se submittit, quia humilem spiritu suscipiet gloria, Prov. 29. 23. *6. Porta fontis, est compunctio orationis.* Sexta porta, est porta fontis, quam ædificavit Sellum filius Coluzai princeps pagi Maspha. Sellum, pacatus vel pacificatio. Coluzai, vox videntis vel fortitudinis. Maspha, aquarum impetus vel contemplatio, vel locus iudicii, per quæ significatur compunctio devotæ orationis cum suis circumstantiis sive ornamentis. Debet enim oratio procedere de fonte duplicis compunctionis, scilicet contritionis et charitatis, ex pacata conscientia ad pacandum Deum sibi et Ecclesiæ, videns per discretionem, fortis per perseverantem desiderii intentionem, impetuosa lacrymarum torrentibus, contemplatione illustrata, timore reverentiæ verecunda. Ita Hugo, qui plura addit de utraque illa compunctione.

85. *Triumphus Christi æternus est, triumphus Romæ erat brevissimus.*

Maxima autem est differentia inter triumphum Christi in cælum ascendentis, et triumphatoris Romani, quod triumphi Christi gloria sit æterna, huius autem brevissima. Christo introeunte dicitur: *Elevamini portæ æternales*, sed non durabat uno die integro potestas triumphantis. Nam, ut ait Valer. Max. lib. 2. *Moris erat ab Imperatore triumphum ducturo Consules invitari ad cœnam: deinde rogari, ut venire supersedeant, ne quis eo die, quo ille triumpharit, maioris in eodem convivio sit imperii.* Ex quo vides eodem die triumphatorem et accepisse et deposuisse imperium, ut in eo scilicet nunquam quiesceret. Omnes enim huius vitæ honores, pleni sunt curarum et molestiæ. Quodque est magis dolendum, sæpe post inanes gloriæ triumphos in gravissimas ærumnas delabimur, quas vel ipsa gloria adducit ob invidiam, aut enata inde gignit superbia, nos in gravia scelera præcipites dando. Utrumque egregie a Romanis expressum est in triumpho. Nam, ut advertit Plin. lib. 28. cap. 4. *Fascinus, Imperatorum quoque, non solum infantium custos, qui Deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur, et currus triumphantium sub his pendens defendit Medicus invidiæ, iubetque easdem respicere.* Rosinus lib. 11. antiq. Roman. cap. 29. ait ea re moneri triumphatores humanæ infirmitatis et miseriæ. Tertullian. in Apolog. *Hominem, ait, se esse etiam triumphans Imperator in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei a tergo. Respice post te: hominem memento te.* Zonaras quoque auctor est, in ipso curru ministrum publicum advectum esse, qui, pone ca-

ronam auream gemmis distinctam sustinens, admoneret eum ut respiceret: id est, ut reliquum vitæ spatium provideret, nec eo honore elatus superbiret. Appensum quoque fuisse currui tintinnabulum et flagellum: quibus notatum fuerit, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut et flagellis cæderetur, et capite damnaretur. Nam, ait, qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur, tintinnabula gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piacula se obstringeret. Qui vero cum Christo ascendit in montem Domini, is portas æternales intrans in æterna felicitate et securitate degit. Ps. 124. 1. *Non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.* Vide ibi dicta. De impiis autem dicitur Ps. 96. 5. *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Ubi nunc sunt arcus triumphales cæmentitii a Romulo extructi: lapidei a Camillo: marmorei a Cæsare in foro, a Gordiano Imperat. in colle Viminali, a Gratiano et Theodosio, licet piis, non longe a via triumphali? hæc omnia et similia hominum opera, aut in pulverem rediguntur, aut temporis lapsu magna ex parte collabuntur.

86. Vers. 7. 2. Pars. Christus est rex gloriæ ob tres rationes. Ornatus triumphantis Christi breviter ponitur, sed significanter, vers. eod. 7. ET INTROIBIT REX GLORIÆ. S. Cypr. lib. 2. contra Iudæos cap. 19. legit *rex claritatis.* S. Isidor. 10. ethym. ait gloriam dici quasi clariam a claritate. Nam frequens est mutatio literæ c in g, et contra. Christus porro dicitur *rex gloriæ:* Primo, quia de vana mundi gloria triumphum retulit, et mundo superbo dominatur et legibus suis eum frænat. Sed hoc est mysticum. Secundo, *rex gloriæ*, id est fons, origo, dominus, princeps, rex gloriam in omnes pro voluntate sua transfundens. Syr. vertit, *Ingrediatur rex honorum.* Et Caietanus, rex honoris, q. d. honores et loca honorifica in cælo et in terris daturus, prout volet. Sic dicitur a S. Stephano Act. 7. 2. *Deus gloriæ;* a S. Paulo 1. Cor. 2. 8. *Dominus gloriæ.* Tertio, et præcipue, hoc loco dicitur Christus in cælum ascendens, *rex gloriæ*, id est rex gloriosus, ut vertit Vatabl. Petavius, κυδιόων, hoc est gloriosus, ob gloriam exultans, et sese efferens.

87. Christus in cælum ascendens est rex gloriæ, propter duo. Nota, Christus in cælum ascendens est rex gloriæ seu gloriosus, id est habens gloriam: Primo, per dilatationem et venerationem sui nominis in cælo et in terra. Et hoc maxime significat gloria, quam definit S. Ambros. teste S. August. in lib. 83. qu. 31. circa finem. 4. *claram notitiam cum laude.* Quintilianus, Consentiens, ait. laus bonorum gloria appellatur. Seneca tamen lib. 3. epist. differentiam ponit inter gloriam et claritatem, quod gloria multorum iudiciis constat: claritas, bonorum. Sed hæc sæpe confunduntur. Secundo, Christus ascendens est rex gloriosus, id est spectabilis, exornatus, illustris, insignis splendore, maiestate, claritate, dignitate, præstantia, excellentia. Nam Hebr. כבוד *cabod*, non tantum gloriam et honorem significat, sed splendorem, etc.

88. Triumphantium Rom. et Christi ornatus triplex. I. Vestis. Nota secundo, triumphans ipse erat spectabilis in curru suo, 1. ob vestem; 2. ob coronam; 3. ob ramum, quem manu tenebat, quæ omnia longe excellentius in Christo fuerunt. Nam primo triumphans Romæ habebat triumphalem vestem purpuream, auro intexto pictam, atque Tarquinius Priscus rex tunica aurea triumphavit, ut ait Verrius apud Plin. lib. 33. cap. 3. Nero clamyde stellis aureis distincta, loco togæ pictæ, ut docet Sveton. c. 25. Scipio toga triumphali purpurea, ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων *stellis aureis intertexta*, ut ait Appianus. Triumphalem hanc gloriæ togam Christus habuit in Ascensione. S. Bern. serm. 3. de Ascen. *Hodie*, ait, *cælorum Dominus cælorum alta cælesti potentia penetravit, et infirma carnis, tamquam nubila quædam, excutiens, induit stolam gloriæ*, id est vestem gloriosam, 1. fuit illa vestis purpurea, Isaiæ 63. 1. Simili modo exclamant Angeli eum ascendentem, et post hostes attritos triumphantem videntes: *Quis est iste qui venit de Edom*, (de Idumæa, id est de Iudæa sanguinaria. Edom idem est ac rufus aut sanguineus) *tinctis vestibus de Bosra?* (erat metropolis Idumææ: significat munitionem vel vindemiam) *iste formosus* (Heb. הדר *adar*, decorus) *in stola sua, gradiens in* (cum) *multitudine virtutis suæ*, id est exercitus sui: vel, potentiæ suæ: Heb. enim est כח *coach*, id est potentia, robur, q. d. procedens magnifico habitu, forma, gestu. S. Hieronymus ibi exclamat: Unde carnem tuam niveam et virgineam, o Christe, o Agne immaculate, cruentasti? unde sanguine rubricasti? magis enim tibi clementia convenit, quam crudelitas: magis candor, quam cruor. Et S. August. citans Psal. nostr. serm. 178. de tempore: Ascendebat, inquit, *cruoris rubore* perfusus a trophæis victricibus laureatus. Viderunt Cælites cuncti *speciosum vulneribus Christum*, spolia castris tyrannicis reportata: et admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes. Quis est, inquiunt, iste rex gloriæ? et aiunt, Dominus virtutum ipse est *rex gloriæ.* Pergit deinde S. Doctor eum sic describere: *Hic est ille candidus et roseus, compunctus a multitudine. Hic est ille, qui non habuit speciem, neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in spolio: vilis in corpusculo, armatus in prælio: fœdus in morte, pulcher in resurrectione: candidus ex Virgine, rubicundus in cruce: fuscus in opprobrio, clarus in cælo.* Secundo, vestis illa Christi triumphantis erat fulgida et splendens, non sicut aurum, vel stellæ, sed sicut sol. Nam Christus in sole posuit tabernaculum suum, Ps. 18. 6. Etenim si illa mulier erat *amicta sole*, Apocal. 12. 1. quid evaniet illi qui solem suum fecit oriri super bonos et malos? Matth. 5. 45. cuius *resplenduit facies sicut sol*, in transfiguratione, cap. 17. 2. Ubi adverte, Abulensem opinari Paradoxo 5. c. 34. Christum sola splendore gloriæ vestitum apparuisse discipulis post resurrectionem, et consequenter nudum coram eis in cælos ascendisse. Sed hoc verum non videtur: nam apparuit Magdalenæ velut hortulanus, et discipulis euntibus in Emmaus sicut peregrinus. Itaque vestitus ascendit, donec nubes suscepit eum ab oculis eorum: tunc enim vestes dimisit. Nam corpus gloriosum sua dote claritatis vestitur instar Dei, qui ut ait David Ps. 103. 2. *Amictus* (Vetus Psalter. circumamictus. S. Ambr. de Elia cap. 1. v. 1. circumdatus) *lumine sicut vestimento.* Itaque Christi corpus non veste, sed gloria cingitur: unde recte dicitur rex gloriæ.

Secundo, ut supra dixi, triumphans Romæ coronabatur duplici corona: una aurea, quam sustentabat servus: altera, laurea, quam capite gestabat. De Christo dicitur: Ps. 8. 6. *Gloria et honore coronasti eum.* S. Chrysost. refert alios legisse, gloria et auctoritate coronabis eum. En duplicem coronam, qua pro se et aliis exornatur. Vide ibi dicta. Magnatius vero τὸ rex gloriæ, sic reddit: *Æthereo quem gloria luce coronat.* Lauri facit mentionem S. Laur. Iustinian. tract. de triumphali Christi agone: Ipse, inquit, gloriosæ humanitatis amictus pallio, atque captivorum ingenti multitudine circumseptus, *laureatus incedit.* Et S. August. paulo ante citatus, dicit ascendere a trophæis victricibus laureatum. Corona aurea cingebatur Christus ascendens in Sancta sanctorum per sanguinem suum æterna redemptione inventa. De Aarone dicitur Eccli. 45. 14. *Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis* (quia in illo lamina aurea, quæ instar dimidiæ coronæ, seu semicirculi frontem Pontificis ornabat, erat inscriptum קודש לאדני *Kodes Ladonai*, id est sanctum Domino) *et gloria honoris* (id est gloriosa et honorifica) *et opus virtutis* eleganti et augusto opere, et potestatem atque auctoritatem summam declarante. 89. II. Coronæ duæ una aurea, altera laurea.

Tertio, Triumphans Romæ gestabat ramum laureum in manu, in signum victoriæ. Columba volans in arcam, portat ramum olivæ virentibus foliis, Gen. 8. 11. Esdras populo e captivitate reduci Ierosolymam ait, 2. Esdr. 8. 14. *Egredimini in montem et afferte frondes olivæ, et frondes ligni pulcherrimi* (cypressi, ut vertunt Septuag. pini, ut Pagnin. cedri ut alii, et melius) *frondes myrti, et ramos palmarum, et frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula.* Sed Christus lauro ornatur et gloria. Eccli. 24. 12. ait Sapientia incarnata, id est Christus: *Ego quasi terebinthus expandi ramos meos, et rami mei honoris* (Gr. δόξης, id est gloriæ) *et gratiæ.* Syr. vertit: ego sicut Rhododaphne te- 90. III. Ramus lauri.

tendi radices meas, et rami mei rami laudis et honoris. Rhododaphne frutex est, ita dictus a flore roseo et folio laureo: ῥόδον enim est rosa, δάφνη laurus. Plin. lib. 16. cap. 20. vocat, sempiternum fronde. In manu Christi et iustorum non marcescit illud victoriæ symbolum.

91. Triumphus ut decerneretur, tria requirebantur.

Tres porro conditiones requirebantur apud Romanos (qui a Romulo usque ad Vespasianum et Titum triumphaverunt trecenties et vicies) ut alicui triumphus decerneretur, quæ Christo hic a Davide assignantur.

I. Ut qui triumphum petebat esset in dignitate magna constitutus.

Primo, nemo Romæ triumphabat, nisi qui Dictator, Consul, aut Prætor exercitum duxisset. Unde Cn. Lentulo re bene gesta in Hispania negatus est triumphus ovatione concessa, ut tradit Livius lib. 41. item P. Scipione ob recuperatas Hispanias, et M. Metello ob captas Syracusas non fuit decretus, quod sine magistratu missi erant, ut ait Valer. Max. Quibus viris? inquit, *Quorum nomina instar æterni triumphi*. P. Scipio tamen de victo Hannibale et Pœnis: Cn. Manlius de Gallogræcis: Paulus Æmilius de Ingaunis Liguribus; Pompeius Magn. de Sertorio, Proconsules triumphum egerunt. Reges vero et Imperatores longe potiori iure victores pro sua voluntate triumphabant. Christus triumphavit victor, quia erat *rex gloriæ*, cui scilicet omnis gloria debebatur. Deus est, ac Dominus supremus. Deut. 33. 26. *Non est Deus alius ut Deus rectissimi* (id est Israelis, populi scilicet Christiani, rectam fidem et religionem amplectentis) *ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes* (Angeli et Apostoli) *habitaculum eius sursum* (throno posito super omnes cælos) *et subter brachia sempiterna*, quibus amicos suos stringat in terris degentes, et eos foveat, tueatur ac recreet. Amos 9. 6. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam* (1. sphæras suas, ut vertit Pagnin. 2. maiestatem gloriæ suæ) *et fasciculum suum super terram fundavit*, id est stabilivit Ecclesiam suam, et fidelium multitudinem suæ fidei et charitatis vinculo colligatam. Unde Chald. vertit: Qui posuit in robusto altissimo maiestatem seu divinitatem gloriæ suæ, et Ecclesiam suam super terram confirmavit: et dixit ut congregentur multitudines, velut aquæ maris, et effudit super nos faciem terræ, Dominus nomen eius. Sequitur enim: *Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius*. R. Haccados apud Galatinum lib. 7. cap. 15. hunc locum explicat de Christi ascensione: Vir, inquit, aquilæ in cælis, est Rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cælum, sicut dictum est Amos 9. 6. *Qui ædificat in cælo ascensionem suam*. S. August. serm. 5. de Ascens. cum psalmo nostro maxime consonat, eam vocat, *ascensionis Dominicæ inclytum et regale mysterium*.

Christus erat rex gloriæ.

92. Vers. 8. II. Ut qui triumphum petebat, hostes vicisset.

Secundo, nemo Romæ triumphabat nisi hostes vicisset. De Christo inquirunt Angeli cælestium portarum custodes. v. 8. QUIS EST ISTE REX GLORIÆ? et respondent Angeli eius triumphum comitantes: DOMINUS FORTIS ET POTENS: DOMINUS POTENS IN PRÆLIO. Chald. Dominus noster fortis, faciens bellum. Arabs melius, *victor in bellis*. Vatabl. virtute bellica insignis. Nota, Angeli interrogant, quis sit iste rex gloriæ? non quod hoc ignorent, ut male aliqui censuerunt: sed ut suam admirationem ac studium celebrandi Christum declarent, sicut ait S. Cyr. Alexandr. in cap. 2. Isaiæ, et S. August. serm. 178. de tempore, qui est 5. de Ascensione. Hæc etiam redolent acclamationes militares, et varios musicæ choros in triumphis. Nota 2. Probabile est Davidem hæc curavisse decantari a variis choris cantorum: id tamen non est necessarium.

Hoc Christus fecerat.

93. Ad triumphum victoria sufficiens, tria habere debebat.

Nota tertio, Tria requirebantur ut quis Romæ triumpharet ob aliquam victoriam. Primo, ut multi hostes cæderentur. Secundo, ut pauci cives. Tertio, ut fines imperii extenderentur. Quæ omnia in Christi victoria contigerunt.

I. Ut multi hostes cæsi essent.

Quod ad primam conditionem attinet, primis temporibus levissima de causa triumphus Romæ concedebatur. Nam teste Livio Decad. 1. lib. 2. P. Valerius Consul triumphavit, quod in Veientes et Tarquineos pugnans uno plus hostium in acie cecidisset, nec hostes die sequenti apparerent. Postea vero quinque hostium millia cædi oportuit. Lucius etiam Marius et M. Cato tribuni plebis legem tulerunt, qua pœnam Imperatoribus minabantur, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum civium falsum numerum, literis Senatui ausi essent referre. Iusseruntque eos, cum primum urbem intrassent, apud Quæstores Urbanos iurare de utroque numero vere ab his Senatui esse scriptum, ut refert Valer. Max. lib. 2. cap. 3. Christus plurimos hostes, numerosissimos, fortissimos et efferatissimos vicit. Primo, dæmones. S. Aug. serm. 1. de Ascens. *Vicit leo de tribu Iuda, Apocal. 5. Ipse leo dictus est. Ipse agnus occisus est. Leo, propter fortitudinem: Agnus, propter innocentiam. Leo, quia invictus: Agnus, quia mansuetus*. De hostis robore dicit Iob. cap. 9. 19. *Si fortitudo quæritur, robustissimus est*; et cap. 41. 24. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei*. De illius exercitu numeroso cap. 25. 3. *Numquid est numerus militum eius?* Secundo, vicit mortem Christus 1. Cor. 15. 54. *Absorpta est mors in victoria*. S. Hilar. 4. de Trinit. Adversantes nobis, ait, inimicas virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria sui corporis perimens. Tertio, Christus vicit infernum e limbis et purgatorio animas extrahens. Act. c. 24. *Solutis doloribus inferni*. Cosmas Ierosol. hymno 2. Profundi, ait, aperuit fundum, ut per aridam proprios trahat, et in ipso obruit adversarios: fortis in bellis Dominus, quia glorificatus est. Quarto, carnem etiam et mundum, et peccata, ad quæ trahunt. Cosmas Ierosol. hymno 4. *Christus*, inquit, *solvit multiplices catenas delictorum*. Basilius Imper. in exhortat. ad filium: Per Christi, ait, conversationem inter homines ab hostili iugo peccati mundus liberatus est. Theodorus Abucara disp. 15. cap. 5. quinque hostes recenset, a quibus nos liberavit: nempe mortem, diabolum, legis maledictionem, peccatum, infernum.

Hoc fecerat Christus, victis dæmone, morte, inferno, mundo, et carne.

94. II. In ea victoria debebant pauci cives cecidisse.

Secunda conditio victoriæ, ut Imper. Romanus triumpharet, erat, ut cives pauci in prælio desiderati essent. Unde cum Valerius Gallos cruenta victoria superasset, ei negatus est triumphus, ut ait Orosius lib. 4. cap. 9. et Appio Claudio de Salassis Gallis victori, ut Bulengerius refert lib. de triumpho, cap. 8. et M. Attilio Regulo in Samnites pugnanti, sicut Livius habet 2. Decad. lib. 10. Christus victoriam obtinet suo unius sanguine, aliis omnibus ab hoste servatis, Ephes. 1. 7. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem* (passivam, id est per quem sumus redempti) *per sanguinem eius remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ eius, quæ superabundavit in nobis*. Nam non tantum pro hominibus huius mundi, sed etiam pro omnibus possibilibus fuit sufficiens Christi passio. Ioannes Eccius homil. 51. de pœnitentia: Una, inquit, gutta sanguinis Christi suffecit pro redemptione *decem millium mundorum*. S. Bernardin. Senensis serm. 40. t. 4. Eius, ait, vel sola distillans sanguinis gutta callido hosti *mundorum plusquam millia centum* eriperet. Unde Iacobus de Vitriaco Cardinalis, de anno Iubilæi agens cap. 11. dicit: Christum culpa longe capacius pretium fuisse. Vide S. Thom. 3. p. qu. 48. a. 2. Salvare posset vel infinitos mundos, si essent, sicut veterum Philosophorum aliqui posuerunt. Nam unica sanguinis Deo uniti gutta est infiniti valoris. Primo, diabolus cruce victus est, sicut Pharao virga Mosis. Chirographum mortis et condemnationis nostræ illi ereptum affixit cruci, ut ait Paul. Coloss. 2. qui subdit v. 15. *Expolians principatus et potestates* (id est principes et potentes: hoc est, dæmones, qui ex illis Angelorum ordinibus ceciderunt, et alias omnes. Est synecdoche) *traduxit* (circumduxit) *confidenter palam triumphans illos in semetipso*, id est per seipsum solum, non egens alterius ope. Ioannes Cantacuzenus in apolog. 2. Cruce Christi, ait, abolita est omnis diaboli tyrannis. Secundo, morte sua mortem Christus superavit. 2. Timoth. cap. 1. 10. *Destruxit* (καταργήσαντος, id est evacuavit, invalidam reddidit, enervavit) *mortem, illuminavit* (hoc est lucere, apparere, et vigere facit) *autem vitam et incorru-*

Christus suo unius sanguine nos liberavit.

ptioasm. S. Cyprian. contra Demetrianum: *Sabigendo*, inquit, *mortem trophæo crucis.* S. Leo serm. 2. de Ascens. Post passionem, ait, ruptis mortis vinculis, quæ vim suam in eum, qui peccati erat nescius, incedendo perdiderat, infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam. Tertio, varia prælia in cruce gesta describit noster Barradius Concordantiæ Evangel. t. 4. lib. 2. cap. 14. Quarto, nos etiam tutatur Christus in eosdem hostes. In Midras, id est in expositione Syr. השירים *hascirim*, id est Cantici canticorum, dicitur de Messia: *Salus mille clypeorum instar illis erit.* Servis scilicet suis et amicis. Olymp. in cap. 9. Eccle. Christi, ait, virtus arma belli, hoc est diabolum tartareasque phalanges evertit. S. Chrysol. serm. 111. Gaudete, ait, fratres, quia peccatum, quod uos gravi pondere deprimebat ad tartarum, a Christo sublatum est, et in tartara iam demersum. Ita ipsa crux vocatur palma in Canticis, quia dat victoriam: ait ibi Christus cap. 7.8. *Ascendam in palmam* (Syr. et Arab. per palmam) *et apprehendam fructus eius* (Arab. altitudines. Septuaginta, cacumina. Aquila, elatas: id est fructus dactylorum) Beda in eum locum: *Apte*, inquit, *palmæ nomine victoriosissima potest crucis arbor designari: quod autem ait Sponsus: Ascendam in palmam, et apprehendam fructus eius, illi ævo congruit, quando Salomon hæc scribebat, cum se Dominus crebris Prophetarum vocibus promitteret ad redemptionem generis humani in carne venturum: Cum se ascensurum dicit, posteriores sunt gloriæ, quæ Crucis sequebantur ascensum: hoc est, claritas Resurrectionis et Ascensionis eius ad cælos, adventus Spiritus sancti, et salus mundi credentis. Recte autem subiicitur: Et erunt ubera tua sicut botri vineæ: quia nimirum primi Ecclesiæ Doctores, id est Apostoli, sicut botri vineæ fuerunt: id est spiritualium charismatum gratia referti.*

95. III. In ea victoria requirebatur amplificatio imperii. Christus sua victoria orbem Patri æterno subiecit.

Tertia conditio victoriæ, ut Imperator Romanus triumpharet, erat imperii per illam amplificatio. Nam pro recuperatis iis, quæ erant amissa, triumphus non decernebatur, ut ait Plutarchus in Pompeio. Hinc Q. Fulvio, qui capta Capua: et L. Opimio, qui Fregellanis ad deditionem compulsis triumphum petierunt, negatus est, ut ait Valerius Max. lib. 2. cap. 3. Christi victoria dilatatum esse imperium patet. Nam cum antea vix in una Iudæa sexaginta circiter leucas longa notus esset Deus, nunc Antipodas ipsos fides pervasit. Vide dicta Ps. 9. sect. 1. sed præsertim sect. 2. ubi de dilatatione imperii per crucem et Apostolos agitur.

96. III. Acquirebatur ad triumphum, ut triumphans esset civis Romanus.

Tertio, Ad triumphum non sufficiebat dignitas, non victoria, de quibus dixi: sed præterea, ut qui triumphabat, esset civis Romanus: ipsis Latinis negabatur. Unde Plinius lib. 5. cap. 5. ait mirum fuisse, quod victis Garamantibus concessus fuerit triumphus Cornelio Balbo: *Uno omnium*, inquit, *externo carru, et Quiritium iure donato: quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo maiore patruo data est.* Christus cæli civis est ac Dominus. De illo Ps. 18. 7. *A summo cælo* (S. Hieronym. a summitate cæli) *egressio eius, et occursus* (S. Hieron. cursus. S. Cyprian. lib. 2. cap. 19. decursio) *eius usque ad summum eius.* Tantum ascendit, quantum descenderat. Qui enim se humiliat exaltabitur. S. Chrysologus serm. 60. *Dicis*, inquit, *ascendisse in cælos, ut cæli Dominum credas: ut unde venerat, rediisse fatearis: quia superato diabolo, calcata morte, liberato mundo, super cælos triumphat Christus, qui victus putabatur in terris.* Vide S. Bern. serm. 2. de Ascensione, ubi probat Christi dominium ubique apparuisse. Vide etiam a me dicta Ps. 67. de triumpho Ascensionis.

97. IV. A terra cor elevantes cum Christo triumphabimus.

Nos quoque in cælum ascendamus a terra cor elevantes. Psal. 46. 10. *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Hoc recte de Apostolis explicat S. Chrysostom. de iustis omnibus S. Cyrill. et Theodor. Aquila pro *fortes*, vertit θυρεοι, id est clypei, scuta; Theodot. et Symm. υπερασπισμοι, id est propugnacula. Sancti enim sunt terræ clypei et propugnacula, eam precibus et virtutibus sustinent, dum Deo sese uniunt et ab ea separant. S. Athan. et alii quidam græca sic distinguunt: της γης σφοδρα επηρθησαν, *a terra valde elevati sunt.* Quo magis ab illa elevaberis, eo propior cælo, Angelis, et Christo eris, et gloriosius cum eo per eam ascensionem triumphabis. Vocatur in psalm. nostro vers. ult. *Dominus virtutum.* S. Hier. vertit, exercituum, Angelicorum scilicet. Sis virtutibus præditus, ut sis servus eius, et erit Deus atque Dominus tuus. Cum ipso patere, ut cum eo glorificeris: si compateris, et conregnabis. Dicitur quinquies hoc loco *Rex gloriæ*, ob quinque plagas in cruce acceptas, tu de triumpho ne cogita nisi post pugnam, 2. Timoth. 2. 5. *Qui certat in agone* (sive Olympic. sive Isthmico, etc.) *non coronabitur, nisi legitime* (νομιμως, id est iuxta legem: stadii videlicet atque agonis seu certaminis) *certaverit.*

PSALMUS VIGESIMUS QUARTUS.

1. Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.
2. Neque irrideant me inimici mei; etenim universi qui sustinent te, non confundentur.
3. Confundantur omnes iniqua agentes: supervacue.
4. Vias tuas Domine demonstra mihi: et semitas tuas edoce me.
5. Dirige me in veritate tua, et doce me: quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.
6. Reminiscere miserationum tuarum Domine: et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt.
7. Delicta iuventutis meæ: et ignorantias meas ne memineris.
8. Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.
9. Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
10. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.
11. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas: requirentibus testamentum eius, et testimonia eius.
12. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.
13. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.
14. Anima eius in bonis demorabitur: et semen eius hæreditabit terram.
15. Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.
16. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
17. Respice in me et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.
18. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.
19. Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.
20. Respice inimicos meos: quoniam multiplicati sunt: et odio iniquo oderunt me.
21. Custodi animam meam et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.
22. Innocentes et recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.
23. Libera Deus, Israel: ex omnibus tribulationibus suis.

PSALMI VIGESIMI QUARTI ANALYSIS.

- **Christum, quem psalmo præcedenti in cælum ascendentem viderat, sequi exoptans David.**
  - **Viam postulat 1. ad quam**
    - **Ipse contendit**
      - Animam ad Deum elevens. 1.
      - Spem in eo defigens. 1. ut
        - Non erubescat. 1.
        - Non irrideatur. 2.
        - Non confundatur, sicut impii. 2. 3.
    - **Deus iuvat**
      - Viam mandatorum demonstrans. 4.
        - Velut veritas. 5.
        - Doctor. 5.
        - Salvator. 5.
        - Amator sperantium in se. 5.
        - Et misericors. 6.
      - Peccata dimittens misericorditer.
        - In iuventute commissa. 7.
        - Et per ignorantiam. 7.
  - **Ducem sperat Legem Dei 8. quæ**
    - **Sequitur ut Pædagogus**
      - Suaviter admonens. 8.
      - Sapienter regens. 8.
      - Severe delinquentes corrigens. 8.
      - Mansuetos dirigens. 9.
      - Mites docens. 9.
    - **Comitatur ut Doctor**
      - Iustos omnes misericorditer iuvans. 10.
      - Peccatores cadentes fulciens et erigens. 11.
    - **Præit ut Dux.**
      - Viam bonam demonstrans. 12.
      - Viæ felicem terminum promittens. 13.
      - In via ambulantes roborans. 14.
      - Deum tandem illis ostendens. 14.
  - **Impedimenta in via deplorat. 15.**
    - **Laqueum quo tenetur, et a quo**
      - Solus Deus potest eripere sæpius invocatus. 15.
      - Et quidem per summam misericordiam. 16.
        - Ab omnibus desertum. 16.
        - Pauperem. 16.
        - Tristem. 17.
        - Oppressum. 17.
        - Humiliatum. 18.
        - Laborantem. 18.
    - **Et hostes.**
      - Multos et infestissimos. 19.
      - Vitæ ipsi insidiantes. 20.
      - Viris probis oppositos. 21.
      - Populum universum tribulantes. 22.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem, Psalmus David.

1. Psalmus hic laudatur. PSALMUS hic, ut recte ait Titelm. est intellectu facilis et utilissimus. Est enim forma commodissima ad elevandum spiritum in Deum. Bellarminus ait esse orationem devotissimam. Nota, in Hebræo titulus tantum est *Davidi*: sed cum subintelligatur, psalmus, bene additur a Septueg. Interpretibus: an vero τὸ *in finem* receperint in Hebræo, an vero addiderint explicationis gratia, incertum est. Vide Ps. 4. titulum.

2. Eius argumentum. Ad literam, oratio est Davidis auxilium postulantis, cum multos hostium insultus perferret. Ita Theodoretus et Bredembachius: speciatim in Saulis persecutione factum putat Aiguanus: in persecutione Absalonis Caietanus, et probabilius. Nam primo, tunc fuit irrisus a Semei et aliis: ideo orat vers. 2. *Neque irrideant me inimici mei.* Secundo, nesciebat tunc, quo se reciperet: hinc dicit v. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Tertio, tunc peccaverat gravissime, v. 7. *Delicta iuventutis meæ et ignorantias meas ne memineris;* et expressius vers. 11. fatetur peccatum suum esse multum, id est gravissimum. Quarto, tribulationes cordis sui ait, multiplicari, v. 17. Nam dolebat se a filio expelli, concubinas decem pollui, etc. Quinto, humilitatis facit mentionem vers. 18. Pedes enim exiverat Ierosolyma, et capite operto ascenderat montem oliveti natus annos 60. anno regni 30. Sexto, hostes suos ait multiplicari, v. 19. Nam toto corde Israel sequebatur A Absalonem. Septimo, sit innocentes et rectos sibi adhæsisse, ut patet 2. Reg. 15. quin etiam arcam ad eum educere volebant Sadoc et Abiathar Pontifices, v. 21. cum vero fugeret Saulem, convenerunt, q. d. cum omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo lib. 1. cap. 22. 2. Octavo, orat ut populus liberetur ex omnibus tribulationibus. In bello enim civili cum hi Davidi, illi Absalom, faverent, erant in provinciis, civitatibus, oppidis, domibus magnæ turbæ, tumultus et calamitates.

Allegor. Christus, sed in persona Ecclesiæ loquitur. 3. Allegor.
Nam magis ad populum Christianum conversum ad Deum pertinent quæ dicuntur. Ita S. Augustinus: partim in persona sua, partim in persona Ecclesiæ loquitur. ita Hieron. Christo et servis eius convenire ait Hesychius: servis Christi non Christo convenire vult Iansonius. Esse orationem populi in captivitate Babylonica graviter afflicti censent Beda et Lombardus. Sed melius Aiguanus docet, esse orationem Ecclesiæ in hoc sæculo variis afflictionibus B mentis et corporis agitatæ. Idem opinantur Ludolph. et Ioan. a Pastura.

Tropol. Psalm. hic est oratio fidelis animæ de morte in- 4. Tropol.
fidelitatis ad fidem conversæ. Ita Ruffinus: aut pœnitentis per flagella contritæ. Ita Dionysius.

Arbitror etiam ad literam, esse hic orationem Davidis in

persona cuiuslibet pœnitentis, et in via dirigi se postulantis, et a peccatorum laqueis expediri, ut ad cælum præeuntem Christum libero volatu sequi possit. Sic Psalmus hic præcedenti cohæret. Nam in eo David contemplatus erat in cælum ascendentem Christum, innocentem manibus et mundo corde: eamdem viam tenere cupiens opem postulat, et se reum profitens misericordiam implorat.

5. Alphabetici psalmi quinam? Nota. Alphabetici dicuntur Psalmi, quorum singuli versus ab una litera Hebraici alphabeti incipiunt: ita ut primus versus ab Aleph, secundus a Beth, tertius a Ghimel inchoetur, et sic de cæteris. Hic autem Psalmus primus est illius rationis. Tot enim habet versus, quot sunt literæ Alphabeticæ, nempe viginti duos: primusque ab Aleph ducit initium, secundus a Beth, et ita de reliquis. Lorinus quidem vult Beth, Vau et Coph deesse. Simeon Muisius dubitat an Beth et Vau desint. Bellarmin. vero censet solum Coph desiderari. Fortasse non male dixerimus, nullam prorsus literam desiderari. Primo, non Beth: sed secundum versum incipere a בך בטחתי *becha batachti*, in te speravi. Secundo, non deest Vau, sed quintus versus incipit ולמדני *ve'lammedeni*, et doce me. Tertio, Coph etiam reperitur in ultimo versu, קויתיך *kivîticha*, id est, expectavi te. Nam hic versus ultimus ponitur post Tav, quæ est ultima litera alphabeti apud Hebræos. Dices, Sensus horum versiculorum non incipit a tribus dictionibus allatis: sed, vel immediate post. Respondeo in Lyricis versibus, quales sunt Davidici, hoc necessarium non esse, sicut compertum est iis qui Horatium ac præsertim Pindarum manibus triverunt. Apud hos enim auctores sæpe sensus ne in stropha quidem, antistropha et epodo finitur, sed plerumque verbum aliquod in sequentem reiicitur. Quinimo cum videam apud auctores illos frequentissimam tmesim, qua dictiones ita in duas partes dividuntur, ut una ad unum versum, altera ad alterum pertineat, subdubito num in v.17. τὸ מצוקותי *metsukotai*, duas in partes dividendum sit: ita ut מצו *metsu*, ad v.17. קותי *kotai*, ad 18. pertineat, eiusque sit initium: sic *coph* suo loco versum inchoaret post *tsade*. Sed cum aliqua occurrant, quæ obiici possent, liberum esto cuique hac de re iudicium. Adverte porro probabile esse ex hac tmesis licentia, et ex varietate multiplici versuum Davidicorum ab Amanuensibus sine distinctione scriptorum, factum esse, ut nunc non innotescat ratio versuum illorum. Si quis enim plerasque Pindari odas continua scriptione proponeret, vix nosse possemus, quinam et quales antea versus fuissent: sed solutam omnibus numeris orationem putaremus. Addo quod ait Cornelius in Threnos Ieremiæ, Hebræos carmina sua scribere non certis numeris temporum ac pedum, sed certo fere numero syllabarum. Arbitror tamen habuisse etiam rationem brevium et longarum syllabarum, et quamdam inter eas fuisse proportionem; sed qualis ea fuerit, ignoratur. Vidi quidem Libellum, qui aliquos Psalmos in ordinem versuum redigeret: sed perinde faciebat, atque si filum acciperet, et pari longitudine versus inter se mensuraret.

Quæres Cur hic Psalmus, et 33. 35. 110. 111. 118. 6.
144. a literis alphabeti versus suos incipiant? Respondeo Alphabetarii psalmi fiunt ob tres rationes
primo id fieri ad iuvandam memoriam. Secundo, ad ornatum et elegantiam: ita Ennius et Sibyllæ, et S. Greg.
Nazianz. habent aliquot carmina. Tale est illud Sibyllinum
ab Eusebio lib. 4. de vita Constantini relatum, cuius pri- 1.
mæ literæ reddunt hanc sententiam, Ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱὸς 2.
σωτήρ, *Iesus Christus Dei filius salvator*: Cuius sententiæ
initiales literæ rursus efficiunt hanc vocem, ἰχθὺς, id est
piscis: quo nomine proinde Christus subinde a sanctis Pa-
tribus vocatur. Tertio denique, alphabetarii fiunt hi psal- 3.
mi, ut videamus nos esse pueros et ad prima pietatis elementa sæpe revocandos, ut dicamus cum Davide Ps. 76. 11. *Dixi*: id est statui, *nunc cœpi*. Rupert. lib. 1. in Ier. cap. 12. *Ad istud*, ait, *alphabetum quadruplici ordine distinctum, tamquam pueri abecedarii disponamur, sub istis vocibus contineri non dubitantes scientiam, quæ abscondita est sapientibus et prudentibus, ut nec prima noverint elementa*. Pari ratione secutus Hebræos Origenes docet, tot esse libros veteris testamenti, quot sunt literæ Hebræorum: scilicet viginti duos, et rationem reddit. Quia sicut literæ sunt elementa ad omnem sapientiam, ita libri illi initia sunt ad omnem Dei cognitionem. In threnis Ieremiæ est quadruplex alphabetum, de quo vide Rupertum mox citatum.

7. In aliquibus psalmis alphabetariis aliquæ desunt literæ, et cur? Quæres secundo, Cur in quibusdam Psalmis alphabeticis nulla deest litera, in aliquibus nonnullæ desunt? Primo, id fit ad varietatem; nam varietas delectat. Secundo, rationem moralem affert Cassiodorus: *Duo*, ait, *genera istorum sunt Psalmorum. Unum quod integrum alphabetum continere monstratur, ut est* 110. 111. *et* 118. *qui iustos, ut puto, indicant laudes Domini ipso largiente perfecta meritorum devotione cantare, ut fuit Nathanael: de quo Dominus in Evangelio: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Et Ieremias Propheta, de quo idem Dominus ait: De ventre matris tuæ vocavi te, et in vulva sanctificavi te. Iob quoque similiter Domini voce laudatus est: Ait enim: Numquid considerasti servum meum Iob, quod non sit ei similis in terra: vir iustus, et simplex, et rectus, timens Deum ac recedens a malo? Et cæteri qui tantum ipsi Deo soli sunt noti. Aliud genus est, quod subtractis quibusdam literis ostendit tales in Ecclesia psallere: quibus non adeo omnium bonorum arridet integritas, ut est præsens Psalm.* 33. 36. *et* 144.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA FACIT. PRIMO, A VIA PECCATORUM ABSTRACTUM SE IN VIA DEI IUVARI, DIRIGI, DOCERIQUE POSTULAT, V. 1. 8.
SECUNDO, VIAM ILLAM A DEO OSTENDENDAM CONFIDIT, ET PECCATORIBUS ET IUSTIS, V. 8. TERTIO DENIQUE, FATETUR SE PASSIONUM MALORUMQUE HABITUUM LAQUEO TENERI, NE PER VIAM ILLAM AD CÆLUM EVOLET: ATQUE AUXILIUM PETIT, UT POSSIT EXPEDIRI, V. 15.

SECTIO PRIMA.

Tria postulat. Primo, protectionem contra hostes, v. 1. Secundo, directionem in via Dei, v. 5. Tertio, remissionem peccatorum, quæ in via Dei ambulantem gravant, v. 7.

PARAPHRASIS.

1. *Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.*

1. Cum te Domine his e terris ad cælum evolantem aspicio, sentio exilientem subsultantemque animam ex his terreni carceris vinculis avieulæ instar erumpere cupientem, ut te regiam aquilam licet dispari volatu consequatur. Non sum nescius, quanta sit huius cælestis viæ longitudo, quanta divini palatii dignitas, quamque accisæ sint

alæ meæ viresque: non in meo meorumque robore spem colloco, in te uno spes meas deligo: noli me expectatione mea frustratum rubore suffundere, cum in terram relapsus irritos conatus sensero.

2. Neque irrideant me inimici mei: etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

2. Cachinnis hostium sannisque ob tam gravem turpemque lapsum obiicerer, ut qui temere tam arduam viam tentavissem, et iuste a te audaciæ meæ vindice in lutum laqueosque deiectus iacerem. Neque enim id tibi moris fuit, ut qui cum patientia bonitatis tuæ opem præstolantur, expectatione sua deiecti cum rubore affligantur.

3. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.

3. Illam ignominiam subeant, qui præturgido inflati fastu, une duce arrogantia, omnium capiti volunt imminere, nullo suo aliorumve commodo.

4. Vias tuas Domine demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.

4. Mihi vero ad te unum anhelanti præceptorum tuorum viam aperi, quam et tu in cælum penetrans tenuisti, atque ab omnibus teneri exoptas, perfectos quoque et compendiosos consiliorum tuorum calles indica: ita enim tui tuæque gloriæ amore inardesco, nihil ut sit ita difficile, quod non tui causa aggrediar.

5. Dirige me in veritate tua, et doce me; quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die.

5. Si me vel tenebrarum mearum caligo a recto tramite deduxerit, aut virium imbecillitas ad maiora nitentem medio in cursu defecerit, adesdum, et manu ad altiora subrige, ne mendacis mundi illecebris delinitus a mundatorum promissorumque veritate decidam: voce intona, ut languentem excites, et iacentem edoceas. Tu enim es et Deus et salvator meus, et opem tuam dudum expecto.

6. Reminiscere miserationum tuarum Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

6. Redeat in memoriam hæc tam propensa benignitas, qua salvatorem te humani generis exhibuisti. Patierisne tot partum laboribus spolium, tibi ab hostibus nomini tuo infensissimis subtrahi? Redeat quoque in memoriam tam abundans tua in homines beneficentia, ut eorum gratia tot distinctum stellis cælum, vestitam floribus terram, exundans piscibus mare, tot animalia, volucres, arbores, metalla, et alia creaveris, ut ad eorum contemplationem amore tui inardescerent. Tot tantaque mihi etiam collata dona patieris in irritum cadere?

7. Delicta iuventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

7. Ultricem manum tuam armant scelera mea in te toties admissa, iamque in meritum caput decussum fulmen volunt. Verum et lubricæ ætatis fragiles lapsus adverte, et pleraque vix cogitanti obrepsisse considera, debitas ut pœnas amoliaris.

Non sum is, qui me vel uno oculorum tuorum coniectu dignum arbitrer. Misericordia tua, quam mihi patronam elegi, miseriæ meæ magnitudinem animo tuo obiiciat: idque non meritis meis fretus, sed de tua unius bonitate confisus postulo.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO STUDIO CUM CHRISTO EST IN CÆLUM EVOLANDUM.

9. Ordo Sermonis. CUM David in psalmo præcedente oculis in cælum intentis, Christi ascendentis triumphum cum gaudio suspexisset, eamdem viam tenere cupit, et scelerum excusso pondere præeuntem sequi Salvatorem.

Ascendere in cælum cupiens David varia postulat. Ac primo, Audaci volatu sese a terra subrigit, vers. 1. *Ad te Domine levavi animam meam.* Sic elevatus, supra se Deum videt, infra vero et circa se dæmones et impios frendentes advertit. Itaque primo opem a Deo petit, ne recidens in terram confundatur. *Deus meus in te confido, non erubescam.* Secundo, a dæmonum et perversorum cachinnantium ludibrio eripi postulat, cadenti enim insultarent, v. 2. *Neque irrideant me inimici mei.* Rationem affert, qua ius id petendi ostendit, quod in Deo speraverit, et in eo sperantes iuventur et foveantur. *Etenim universi qui sustinent te, non confundentur.* Tertio, hostes suos, spe sua deludi, et puniri flagitat, v. 3. *Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.*

Secundo, medio in aere pendulus, iuvari petit ut ulterius tendat, et non aberret in via præceptorum Dei sibi ostense, v. 4. *Vias tuas Domine demonstra mihi*: et in semita consiliorum, *et semitas tuas edoce me.*

Rationes varias affert, quibus id persuadeat. Primo, quod Deus sit veritas, quæ nec fallere nec falli potest, v. 5. *Dirige me in veritate tua.* Secunda, quod sit doctor, cuius est ignaros instruere. *Et doce me.* Tertio, quod Salvator, qui multo fuso sanguine perditum in viam reduxit, et cælum tamdiu clausum aperuit. *Quia tu es Deus Salvator meus.* Quarto, quod amator sperantium in se, et patienti animo opem expectantium. *Et te sustinui tota die.* Quinto, quod misericors, v. 6. *Reminiscere miserationum tuarum Domine: et misericordiarum tuarum, quæ a sæcula sunt.*

Tertio denique, pondus quo se degravari sentit, a Deo eripi postulat. Hoc autem pondere voluntatem suam deprimi asserit, v. 7. *Delicta iuventutis meæ*; 2. Intellectum suum, *et ignorantias meas.* Memoriam Dei his malis mederi petit. Primo, errata illa e memoria expungendo, *Ne memineris.* Secundo, suæ misericordiæ et bonitatis recordando. *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.*

ARTICULUS I.

Cur et quomodo animo ad Deum elevando est.

CORPUS quod corrumpitur aggravat animam, sed virtus eam in cælum erigit, v. 1. AD TE DOMINE ANIMAM MEAM LEVAVI, (Hebr. Levabo) DEUS MEUS IN TE CONFIDO, NON ERUBESCAM. Nota, in hoc versiculo, qui est unus apud Septuaginta, quia continent integram sententiam, sunt duo secundum Hebræos: incipit enim secundus ab illis verbis, *In te confido*, quia ibi ponitur secunda litera alphabeti. Ita Bellarminus. Hunc versiculum sibi sumpsit in symbolum Urbanus III. teste Alphonso Ciacono in eius vita. Vers. 1. 1. Pars.

Quæres, quibus motivis incitari possumus ad animam elevandam? Octo præsertim reperio: Primo, ut Christum in cælos ascendentem sequatur. Ipse enim præivit *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.* Deuter. 32. 11. Sunt sancti, varius quam Saul et Ionathas. *Aquilis velociores, leonibus fortiores*, 2. Regum 1. 23. De illis ait Is. 40. 31. *Qui sperant in Domino mutabunt* (Hebr. יחליפו *iachaliphu*, id est, innovabunt, instaurabunt) *fortitudinem, assument* (Hebr. יעלו *iaalu*, hoc est, ascendere facient) *pennas sicut aquilæ.* Vatabl. vertit sustollent alas. Septuag. pennas producent velut aquilæ; se renovantes scilicet. Chald. super alas aquilarum current: id est, erunt aquilis celeriores: vel portabuntur ab aquilis, id est, ab Angelis. Sic ait Deus Exod. 19. 4. *Vidistis quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.* Christus ascendens sumit ad se viros cælestes et Angelicos. In curru Ezechielis visus est throno insidens cap. 1. quocumque pergebat currus, volabant etiam quatuor Cherubini eum stipantes, quibus singulis erant pennæ quatuor. S. Ambros. lib. 3. de Virginib. has 4. pennas assignat. *In omni, ait, sapiente viro prudentes Græciæ memorarunt esse,* λογιστικον, θυμικον, επιθυμητικον, διορατικον, *Latini vero prudentiam, fortitudinem,*

10. Elevanda est anima in cælum, ob rationes octo.
I. Ut Christum ascendentem videat.

temperantiam, atque iustitiam. Prudentio enim rationis humanæ est. Fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum. Temperantia sacrotæ vinculo charitatis mysteriorumque contemplatione cælestium corporis negligit voluptates. Iustitia in alto quodam suggestu locata videt exploratque omnia, quæ aliis potius nato quam sibi non tam suas utilitates quam publica emolumenta rimatur. Prudentiam itaque comparari homini ait: fortitudinem, leoni: temperantiam, vitulo: iustitiam, aquilæ. Ac deinde paulo post subdit: *Habet igitur alas anima suas, quibus se possit libera levare de terris.* Origen. vero l. 1. in Ezechielem, vim rationis in homine: irascibilem appetitum, in leone: concupiscibilem, in vitulo: conscientiam quam spiritum nominat, in aquila designari arbitratur.

11. II. Ut patriam suam contempletur. Secundo, in cælum anima levanda est, quia cælum animæ patria est, ut ibi spiritualis, immaterialis et immortalis cum Angelis sui similibus versetur, ac Deum laudet. Ps. 137. 1. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Ibi manducabit panem Angelorum Ps. 77. 15. et cum Mose in Sinai ascendente Exod. 24. 18. et cum Elia in montem Horeb (qui est unus ex verticibus montis Sinai) veniente, eorum conspectu et colloquio perfrueretur. Adverte tamen errasse Platonicos, et Empedoclem, aliosque Philosophos paganos, qui censebant animas in cælo habitasse, indeque ob peccata in terras velut in exilium eiectas esse. Hic sensus erat Plutarchi lib. de exilio, in fine. Sic enim ait: *Si verissime loqui velis, exulat et vagatur, divinis eiecta decretis et legibus. Deinde tamquam in insula, quæ multis agitatur fluctibus, ut Plato ait,* οστρεω τροπον ενδεδεμενη τω σωματι, *ostrei in morem illigata corpori: quia non meminit, nec reminiscitur, ex quanto honore et quanta beatitudine demigraverit: non Sardibus Athenas, non Corintho in Lemnum aut Scyrum: sed de cælo et Luna in terram et terrestrem vitam delata, ut ibi exiguum subinde locum alio mutet loco, ægre fert insolentem sui mutationem, ac tamquam degener planta emarcescit.* Crediderim eorum Philosophorum errorem a lapsu Angelorum ducere initium. Fides autem docet singulas animas a Deo creari statim atque corpus est perfecte ad illius receptionem organizatum.

12. III. Ne putrescat in terra. Tertio, in cælum anima elevanda est, ne putrescat in terra. Ps. 68. 15. orat David noster: *Eripe me de luto, ut non infigar;* Psalter. Gallicanum, et S. August. *ut non inhæream.* Chald. eripe me de captivitate, quæ similis est luto, et non submergar. Psal. 15. 10. dicitur: *Non dabis sanctum tuum videre* (id est sentire) *corruptionem.* Ieremias in lacum lutosum, in quo non erat aqua ab impiis Iudæis deiectus, pene ibi computruit et periit. Thren. 3. 53. *Lapsa est in lacum* (Hebr. strinxerunt in fovea) *vita mea, et posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi, perii.* S. Gregor. lib. 24. Moral. cap. 21. In lacum, inquit, vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur: lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato demoratur: ut etsi velit exurgere, iam utcumque non possit, quia desuper moles malæ consuetudinis premit. Ita Gregor. Ab eo lacu extrahi petiit Ieremias, et a Sedecia id obtinuit, Ier. 37. 20. et in eum iterum deiectus, iterum per Abdemelech Æthiopem educitur cap. 28. 11. et seqq. Tu quoque e lacu et luto peccati eripi postula. S. Augustin. affert exemplum frumenti, quod a terra elevandum est ne computrescat. Sic autem loquitur in Ps. 85. *Non putrescit cor, si levetur ad Deum: frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares ad superiora: frumento tuo quæris mutare locum, et cor permittis in terra putrescere: frumentum levares ad superiora, cor leva ad Deum.* Tunc eris frumentum electum in horreo Domini tui, ubi Christus est frumentum electorum Zach. 9. 17. tunc etiam eris verus Ieremias, id est, celsitudo sive sublimitas Domini.

13. IV. Ut terræ vilitatem intelligat. Quarto, anima in cælum elevanda est, ut melius terrenarum rerum vilitatem et abiectionem videat, suarumque perturbationum infelicem statum. Ierem. 3. 2. *Leva oculos tuos in directum* (Hebr. in שְׁפָיִם scephaim, edita loca, ut vertit Arias; in excelso loca, ut Pagnin.) *et vide ubi non prostrata sis.* Hebr. שֻׁגַּלְתְּ sciuggalt, id est, prostituta sis, ut habet Pagninus; constuprata fueris, ut Arias. Post ascensionem Christi stabant Apostoli in cælum aspicientes, Act. 1. 10. Nobis idem est faciendum. S. Leo serm. 2. de Ascensione: *Liberos, ait, cordis oculos, ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus.* Et postea adiungit: *Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant: ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent: et ita a fidelibus temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur non amplectenda nequiter, sed transeundo sunt fortiter.* Cum oculis et corde pedes etiam elevandi sunt, ut olim faciebant Christiani in fine orationum, ut alias retuli ex Clemente Alex. Morti proximus S. Martinus Turon. Episc. cælum aspectans dicebat: Sinite me cælum potius quam terram aspicere, ut suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.

14. V. Ut Deum docentem audiat. Quinto, anima in cælum elevanda est, ut posita extra tumultum ac strepitum terrenum, Dei docentis vocem melius percipiat. Nehemiæ, seu 2. Esdræ 8. 3. *Aures omnis populi* (e captivitate Babylonica reducis et in monte Sione stantem) *erant erectæ ad librum*, id est, ad Pentateuchum, ac præsertim ad Deuteronomium, quod legebat illi, et legi a Scribis, id est, Doctoribus curabat Esdras anno 20. Artaxerxis Longimani, id est, Assueri, cum iam tertio rediens Ierosolymam esset 147. annorum. Caietanus enim perperam ibi alium ponit Esdram a magno illo Esdra, qui fuit filius Saraiæ, Summi Pontificis occisi in excidio Ierusalem, et fuit Propheta. Christus est noster Esdras, id est, adiutor: ad eum et eius legem oculi sunt erigendi in cælum, ut sint sicut oculi ancillæ in manibus et potestate dominæ suæ, ut ad nutum illi obediant. Explicantur Apostolis beatitudines in monte, non in valle, Matth. 5. 1. *Videns Iesus turbas, ascendit in montem* (S. Hieron. putat fuisse Thabor, aut alium excelsum montem in Galilæa. Saligniacus t. 9. cap. 8. vocat montem Christi) *et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* Hæc in medio populi tumultu percipere non potuissent, sicut nec Moses. Turbæ sunt homines in imo positi, qui et turbantur et turbant, neque Deum audire volunt, ut Iudæi Exod. 20. 19. neque audire alios patiuntur, instar Nili cataractarum, ad quarum strepitum obsurdescunt populi illis vicini. Non potuit sanari surdus, nisi a turba extractus. Marc. 7. 33. *Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius; et expuens tetigit linguam eius: et suspiciens in cælum, ingemuit.* E cælo, ait Beda, verba mutis, auditus surdis, medela cunctis infirmis. Ita ipse. Addo in medio turbæ esse optabiliorem surditatem: ne, ut habes apud Tullium, et grunnientes porcos, ingratumque serræ stridorem, aliaque his funestiora audias.

15. VI. Ut securius et iucundius pugnet. Sexto, anima in cælum elevanda est, ut securius et iucundius atque felicius pugnet, extra teli iactum posita, et ex alto tela maiori impetu deliciens. Ps. 26. 6. *In petra exaltavit me* (Vatabl. in rupem extollet me) *et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Petra nostra est Christus 1. Corint. 10. 4. in eo stans nihil timet. Ioh. 17. 3. *Libera me, et pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra me.* Ibi est apostrophe Iobi ad Deum, non vero ad Eliphaz Themanitem, ut male putat Caietanus. Alleg. id de Christo in persona Iob loquente et ascensionem in cælum postulante S. Greg. exponit in hunc modum: *Ipse non peccavit in cogitatione, vel opere: ipse in amaritudine moratus est per passionem, ipse liberatus est per resurrectionem, ipse iuxta patrem positus est per ascensionem, quia profectus in cælum sedet ad dexteram Dei. Et quia post ascensionis eius gloriam Iudæa in discipulorum eius persecutione commota est, recte nunc dicitur: Et cuiusvis manus pugnet contra me. Tunc quippe in membris illius furor persequentium sævit, cum contra fidelium vitam flammo crudelitatis exarsit. Sed quo irent iniqui, aut quid age-*

rent, dum is quem persequebantur in terra, iam sedebat in cælo. Ita Gregor. 13. Moral. 10.

16. VII. Ut evadat laqueos diaboli.

Septimo, in cælum anima elevanda est, ut evadat laqueos diaboli, et ab illis secura sit. In terra enim laqueos suos ponit. Ps. 139. 6. *Absconderunt superbi* (dæmones, qui Altissimo similes fieri voluerunt, Isaiæ 14. 13.) *laqueum* (vetus psalterium, muscipulam) *mihi. Et funes extenderunt in laqueum* (S. August. muscipulas. S. Hier. funibus extenderunt rete. Arnob. funes tetenderunt in muscipula) *iuxta iter scandalum* (S. Hier. offendiculum) *posuerunt mihi*. Baldad Suhites Sauchæorum tyrannus, id est, princeps seu regulus, Iobi 18. 8. de impio ait: *Immisit in rete pedes suos: et in maculis* (in spatiis et foraminibus retis. Pagnin. super rete. Arias, super retinaculum) *eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis.* (Septuag. sitientes: id est, prædam optantes avide. Vatabl. grassatores.) *Abscondita est in terra pedica eius.* Heb. חבליו *chebalav*, funis eius: magnus scilicet, fortis et crassus *un chable*: terram amat et terrena sectatur, ideo in terra capitur. S. Gregor. 14. Mor. 7. *In terra pedica absconditur, cum culpa sub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippe insidians humanæ menti in terreno lucro quid appetat, et occultat peccati laqueum, ut eius animam stringat: quatenus videat quid est quod concupiscere valeat, et tamen nequaquam videat, in quo culpæ laqueo pedem ponat. Decipula vero a decipiendo vocata est. Et tunc ab antiquo hoste super semitam decipula ponitur, quando in actione huius mundi quam mens appetit, peccati laqueos paratur: quæ videlicet non facile deciperet, si videri potuisset. Sic quippe decipula ponitur, ut dum esca ostenditur, nequaquam ipsa a transeunte videatur. Quasi esca quippe in laqueo est, lucrum cum culpa, et huius mundi prosperitas cum iniquitate.* S. Aug. qui Ps. 139. 6. legit, restes extenderunt muscipulas mihi, peccata ait esse restes impiorum, quia *criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur.*

17. VIII. Ut in Deo quiescat.

Octavo denique, in cælum anima elevanda est, ut in Deo suo eiusque sinu pacate et suaviter quiescat. Psal. 62. 8. *In velamento alarum tuarum exultabo.* S. Hieron. in umbra alarum tuarum laudabo. Alii, exultans cantabo. Alii, ovabo) *Adhæsit* (Gr. ἐκολλήθη, agglutinata est, ut legit S. August.) *anima mea post te* (Chald. post vias tuas) *me suscepit dextera tua*, ut facilius et citius ad cæli montem tuis insistens vestigiis pervenirem. Hinc concludit v. 10. *Ipsi vero in vanum quæsierunt* (S. Hieron. interficere quærunt: per peccatum scilicet) *animam meam* (q. d. in alis, sinu et dextera Dei tutus sum) *introibunt in inferiora terræ*, per terrena desideria. Cassiodor. ibi: Malæ cogitationes, ait, in ima terræ vergunt: quia de ipsis exeunt, et in eamdem iterum cœnositatem volvuntur. S. August. in illum psalm. Iustorum securitatem deplorat: *Ecce*, inquit, *securi sumus inter tentationes, quia cooperimur in velamento alarum ipsius. Æstus est sæculi, sed magna umbra est sub alis Dei.* Quis in Deo positus, et Deum tenens, quietus et iucundus non sit? S. Cyprian. serm. de Ascens. *Homo cuius Deus est, quid amplius quærit: si sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Hic felicium animarum volatus in Deum, ut ait Cresolius noster Anthologiæ sacræ cap. 1. sect. 6. non erit per aerem vagus, aut certis limitibus definitus, ut in elementis huius mundi, aut stelliferis in globis teneantur. Non in æthere dormitio nostra cum pueris Platonis: aut in aere cum Ario Philologo: aut circa lunam cum Endymionibus Stoicorum: aut in terrestri paradiso, ubi Patriarchas et Prophetas, appendices dominicæ resurrectionis, quidam posuerunt, ut meminit Tertullianus. Non resistent in lacteo circulo, ubi heroas ab hominibus disiunctos antiqui posuere, ut Hebræus ait Philo: sed in Dei ipsius aulam sinumque cum Vate nostro clamantes: *Ad te Domine levavi animam meam*, ait Christus Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis*, (onus sublevabit ut ascendamus) *et ego reficiam vos.* Contra vero, afflictio est in terrenis. Ioan. 16. 33. *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis.* Dic itaque vanis et terra se oppleatibus, eaque mentem degravantibus. Ps 4 3. *Filii hominum usquequo gravi corde, etc.* Vide ibi dicta.

18. Sex alis instar Seraphini, anima se in cælum erigit.

Quæres secundo. Quibus virtutibus anima in cælum et Christum elevatur? Resp. sex alas Seraphinorum Isaiæ offert nobis sacer Petrum Senatus, in hoc versiculo, *Ad te Domine levavi animam meam.* Primam alam offert fides, eamque plenam oculis, quos in cælum et Deum ipsum elevemus. David itaque ait: Levavi animam meam per fidem. Ita S. Athanas. Titelm. Pelanter. Dionysius, qui sic loquitur: Ad te Deum totius salutis meæ, summumque bonum cordis mei Domine levavi animam meam per fidem certissimam te contemplando. De contemplatione exponit S. Thomas, Iansen. Richard. Pamp. et Cassiodorus cuius hæc verba sunt: *Ad Deum Ecclesia levat animam suam: ad contemplationem scilicet cælestium rerum, qua semper Dominum pius animus intuetur: quia facile humana despicit, qui divina conspexerit.* De viro iusto ait Ieremias Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius* (securus ab hominibus recedens, ut uni Deo contemplando vacet) *et tacebit: quia levavit super se*, oculos et animam. Rupertus et Rabanus legunt, *levavit se super se*, a terrenis scilicet ad cælestia, quæ cognitionem eius naturalem superant. Ut enim ait S. Gregor. hom. 26. in Evang. Sciendum nobis est, quod divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis. Nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Et S. Paulus Hebr. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum* (Gr. ὑπόστασις, id est, basis et fundamentum rerum quæ sperantur) *argumentum* (Gr. ἔλεγχος, elenchus, demonstratio, probatio, convictio) *non apparentium.* Vide S. Chrysost. exclamat: Papæ! qualis est fides, quæ talem facit rerum evidentiam, qualis est dum res ipsæ palam proponuntur? S. Ludovicus etiam firmiorem et certiorem fidei lucem esse cognovit luce oculorum, cum ad puerum videndum, qui in hostia apparebat, accurrere noluit. Hic lux cælum ostendit, et ad illud invitat et ducit. Idem S. Chrysost. serm. de fide, spe et charit. *Fides*, inquit, *est origo iustitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum. Nullus unquam sine hac Dominum promeruit, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.*

I. Ala est fides.

19. II. Ala est spes.

Secunda ala nostri Seraphini est spes, quæ menti vires corporique suppeditat, ut quam velocissime optatam metam attingat. Et quidem versiculum nostrum, *Ad te levavi animam meam*, de spe exponunt Ruffin. Titelman. Agel. Muisius, R. Kimhi et alii. Verba Ruffini sunt: Cum te desereret anima mea, carnalibus desideriis conculcabar in terra. Homo enim recedens a Deo, statim vitiorum traditur potestati. Et ex eo quod in me confidebam, perductus sum usque ad hanc, quam patior, ærumnam. Et qui deserto Deo, sicut Deus esse volui, a paradisi gaudiis eiectus de mea superbia male irrisus erubui. Et quia mihi male erat sine te, conversus animam meam levavi ad te. Iam te Deum meum confiteor, in te fiduciam meam constituo. Non erubescam ulterius, corruptus a peccato. Ita ille. Spes illa ad cælum erigit. Sap. 3. 4. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est*, id est, Martyres et in vita et in morte, ac multo magis post mortem parta iam victoria, sperant plenam immortalitatem. Ita Cornel. qui affert exempla S. Quirini, Sylverii, Genesii, Eusebii, Pontiani, et aliorum, qui spe excitati sunt ad fortiter tolerande tormenta. Vide a me dicta Ps. 43. qui totus est de martyribus. S. Paulus dicit Rom. 5. 2. *Gloriamur in spe* (Gr. ἐπ᾽ ἐλπίδι, propter spem) *gloriæ filiorum Dei.* Unde S. Bern. tract. in Ps. 90. Prælibemus, inquit, primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Et S. Chrysost. serm. de fide, spe et charit. *Spes*, inquit, *est futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, sanctorum destinata sublimitas, bonorum expectatio futurorum. Spes est, inquam, cognitio fidei, credulitatis propinquitas, destinatum præmiorum tempus, futurorum expectatio meritorum.*

20. III. Ala est charitas.

Tertia ala, in cælum animam elevans, est charitas Christum ascendentem sequens. Est enim Christus amor amo-

rum, ut ait S. Bern. serm. de cœna Domini, si tamen illius sermonis est auctor. De charitate locum hunc, *Ad te levavi animam meam*, explicant S. Hier. Ugo Titel. Paiant. S. Thom. Turrecr. Glossa. Ludolp. Levavi animam meam ad te amplexandum ait Glossa: ad te amplexandum et contemplandum ait S. Thom. Intellectus et voluntas sunt duo brachia amantis: ad te contemplandum et promerendum, gustandum et amplexandum, ait Ludolphus. *Machina cordis vis amoris*, sicut dicit S. Gregor. Sicut enim machina elevat lapidem, ita amor elevat cor, ad Deum contemplandum et desiderandum. De qua elevatione dicitur Iob. 7. 15. Elegit suspendium anima mea. S. Prosp. l. 3. charitatem vocat, *affectionum omnium potentissimam, in omnibus semper invictam, actionum bonarum summam, salutem morum, finem cælestium præceptorum, mortem criminum, vitam virtutum*. Amor hic divinus pennis cælestibus in alta evehit igne omni vivacior et subtilior. Anima eo succensa et elevata est Elias, id est, fortis domini, aut per dominum in curru suo igneo. Vel potius est Angelus in flamma sacrificii a Manue patre Samsonis oblati. Iudic. 13. 20. *Cum ascenderet flamma altaris* (id est petræ, quæ loco fuit altaris, et quæ tacta virga Angeli emisit ignem ad comburenda, ea quæ a Manue erant ibi oblata) *in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit*. Charitas Dei erga nos ignem e cælo in terram demittit, ut in sacrificio Abelis, Aaronis, Salomonis, Eliæ, et aliorum. Charitas nostra erga Deum ignem e terra in cælum emittat, et ad illud cor ignitum transportet. Amor sceleratorum est ignis tartareus, flammas suas ad ima reflectens. S. August. in Ps. 140. *Amor impiorum tartareus est, viscum habet quo deiiciat in profundum: non pennas, quibus levet in cælum*.

21. IV. Ala oratio

Quarta ala, ad cælum et Christum animam elevans, est oratio, ait Genebrard. et Chald. qui sic vertit: *Coram te Domine levabo animam meam in oratione*. R. David Kimhi: Levabo, inquit, animam meam in modum orationis. Et R. Moses, velut oblationem. Animam levare, ut dicunt S. Basilius et Theodoretus, potest denotare cum oratione votum sive oblationem animæ, eiusque tamquam depositi orationem. Angelus apparens in Cæsarea Cornelio Centurioni cohortis, quæ dicitur Italica, id est, qui centum militibus præerat ex cohorte. Cohors enim habebat plures centurias et centuriones: erat enim conflata ex 1260. militibus, ut aliqui volunt: nos vocamus *regiment*, ait porro Angelus Actor. 10. 4. *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ, ascenderunt* (velut flamma holocausti) *in memoriam* (εις μνημοσυνον, id est, in memoriale, q. d. ut Dei memoriæ semper obversentur) *in conspectu Dei*. Orationis alas et volatum sciebat S. Ephrem. Unde ait serm. de Virginitate: *Oratio perfecte Deum desiderantium magna cum lætitia, fiduciaque multa, ipsum etiam cælum iugiter penetrat. In ipsa Angeli et Archangeli exultant, et coram throno sancti et excelsi universorum Domini, illam statuunt*. Sed oratio ipsa sit elevata. Ut enim dicit Genebrard. forma sive perfectio orationis est in mentis elevatione. Vide dicta Psalm. 54. 7. ubi de alis columbæ agitur. Et dicta Ps. 85. 4.

22. V. Ala desiderium æternorum bonorum.

Quinta ala, in cælum et Christum elevans, est desiderium æternorum bonorum. Ita S. August. et Beda. Audi Augustinum: *Levavi*, inquit, *animam meam desiderio spirituali, quæ desideriis carnalibus conculcabatur in terra*. Ieremias monet Thren. 3. 40. *Scrutemur vias nostras, et quæramus, et revertamur ad Dominum. Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos*; id est, affectus cum operibus, ut explicat S. Gregor. 18. Mor. 3. Ut sanctis desideriis cælum petamus, monet nos S. Ambr. l. 3. de Virginibus: *Ascendamus spiritu, quia caro ascendere ad civitatem sanctam Ierusalem non potest. Ascendamus ad cælum, ut ad nos postea de cælo illa descendat*. Hoc efficit virtus, quæ cum ignita sit charitate, varias scintillas desideriorum continuo in cælum præmittit. S. Chrysos. homil. 11. ad Philipp. *Virtus*, inquit, *ubique lucet et inexpugnabilis est, nihil eam impedire potest: non divitiæ, non paupertas, non principatus, non subiectio, non rerum prudentia et administratio, non morbi, non ignominia: sed his omnibus in terra relictis ad cælum ipsa pertingit*. Seneca ad Lucillum: Magna, inquit, et generosa res est animus humanus. Nullos sibi poni nisi cum Deo communes terminos patitur, humilem non accipit patriam. Et alio loco: Una, inquit, res est virtus, quæ immortalitate nos donare possit, et pares diis facere.

23. VI. Denique ala, contemptus terrenorum bonorum.

Sexta denique ala, iuvans ad ascensum in cælum, est contemptus rerum terrenarum. Isaias agens de Æthiopibus inaniter gloriantibus et duce Taraca rege in Iudæam irrupturis iis dat alas terreas, cap. 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum* (id est, crepitaculo alato, et inania resonanti) *quæ est trans flumina Æthiopiæ* (hoc est, trans Nili rivos ex Æthiopia defluentes) *qui* (rex Taraca; est enallage personæ) *mittit in mare Legatos, et in vasis papyri* (in navibus ex papyro factis) *super aquas*. Hæ alæ erant fluxæ, et ventis atque fluctibus obnoxiæ, atque tandem in profundum mergendæ. Tu te ab aquis et terris in alta subrige, sic hostem te persequentem irridebis. De struthione ave dicit Deus Iobi 19. 18. *Cum tempus advenerit* (Tigurina, postquam adultus est; 2. cum venerit tempus venationis) *in altum alas erigit* (ad currendum, non ad volandum) *deridet equum et ascensorem eius*. Ut enim ait Oppianus, cum alite volante contendere potest. Ælianus: utrinque, ait, in alas ingruens ventus, tamquam vela illas extendit et sinuat. Unde Xenophon lib. 1. de Cyri expeditione in Arabiam: Struthiocamelum, inquit, nemo omnino capere potuit: tam longe enim modo pedum pernicitate, modo alarum quasi velificatione promovebatur, ut statim equites desperata præda insequi desinerent. Ala aquilæ est symbolum desiderii et volatus in æterna et cælestia, alte enim fertur. Ala vero struthionis est symbolum abstractionis a terra in imperfectis, et viam spiritualem inchoantibus: Non enim a terra elevatur, sed illa etiam non tenetur: currit celeriter in via Dei, sed nondum volat qui in via est purgativa: pedetentim tamen ad maiora promovetur. S. Greg. in Ps. ult. pœnitent. *Beatus*, ait, *quem iniquitas non onerat, non revocat delectatio, non inclinat voluptas, quem non gravat cupiditas, non deprimit opulentia, non trahit ambitio, sicut scriptum est Ps. 83. 6. Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit*. Cassiodor. ibi dicit, tot scandi gradus, quot quis auxilio Domini vitia vincit: et tot quemque gradibus evehi, quot vitiis fuerit absolutus. Petav. recte vertit, ωςς βαθμηδον ανηνοθεν, *hic gradatim ascendit*. Prudentia opus est et moderatione, præsertim initio vitæ spiritualis, ne altiora nobis quærentes, instar Icari defluamus. Instar Menippi a monte in montem paulatim est volandum, et vires experiendæ, sic ad cælum evademus. Hanc fabulam refert Lucian. in suis dialogis.

Vers. 1. 2 Pars.

Fructum elevationis animæ in Deum subiicit David vers. eod. 1. Deus meus in te confido, non erubescam, id est, non suffundar rubore spe mea frustratus, sed a te auxilium petitum obtinebo, et in cælum evehar. Nota, το *non erubescam*, est optativi modi, ut patet ex sequenti verbo, *irrideant*. 2. Græcus textus habet, non erubescam in æternum: sed το *in æternum*, non est in Hebr. Chald. Syr. Arab. nec habetur a S. Hier. S. Aug. et Theodoreto in commentariis, sed a solo Euthymio ex veteribus, Itaque ut ait Bellarm. recte non est receptum in editione Latina.

24. Peccatum est causa confusionis.

Nota tertio, Peccatum est confusione plenum, imo ipsa confusio. Oseæ 9. 10. *Ipsi intraverunt ad Beelphegor* (id est ad Priapum Deum Moabitarum, fornicantes et idolum illud colentes) *et abalienati sunt in confusionem*, id est, ad illud idolum pudendum se converterunt recedentes a me, et per obscœnas libidines illud coluerunt. Philo optime tract. de confusion linguarum: Οικειοτατον κακιας ονομα συγχυσις. *Non est aliud nomen, quod vitio magis conveniat, quam confusio. Id quod est evidens in quovis insipiente, qui verbis, consiliis, factis improbatis confusisque utitur*. Propheta Isaias peccata Babylonis et punitionem inde consequentem vocat c. 13. 1. *onus Babylonis*. Quod S. Bern. meditans serm. de undecim oneribus, ait: *Quid est onus, nisi*

pondus quoddam deprimens animam, et ad terram inclinans, faciens eum ad inferiora respicere, et negligere superiora. Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione, et hoc onus Babylonis. S. Hieron. etiam lib. 6. in Isaiam, ibi mundum intelligit, qui non solum linguam, sed opera singulorum mentesque confundit. Regem mundi assignat diabolum, qui sit verus Nabuchodonosor contra Dominum superbiens, qui dicit in corde suo, Isa. 14. 13. *In cœlum conscendam* (in aere Angelos creatos fuisse putat S. Ioan. Damascen. lib. 2. de fide, cap. 4. in firmamento S. Hier. sed in cœlo empyreo verius Beda et Magister Sentent. lib. 2. dist. 2. S. Thom. 1. p. qu. 61. art. 4.) *super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti* (id est, fœderis, q. d. adorabor velut Deus in monte Sion, ubi erat arca fœderis) *in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Sicut in parabolis sæpe fit, alique ibi magis dæmoni, aliqua magis conveniunt regi Babylonis: nempe Nabuchodonosori, ut censent S. Cyrill. S. Basil. S. Thom. aut Baltbasari, ut Cornelius. Sed delectus est ex eo ipso loco, in quo fuerat positus, ut dicitur ibid. vers. 12. sicut Simon magus fractis cruribus ex aere decidit. Nam peccatum, ut ait David Ps. 37. 5. est *onus grave*: ut S. Chrysost. hom. 1. de pœnitentia est *pondus δυςβάστακτον, portatu difficile.* S. August. in Ps. 39. appellat *molem.* Isaias cap. 58. 6. *fasciculos deprimentes:* quod S. Arsenio ostensum est in homine fatiscente sub onere, et se tamen magis onerante. Ieremias Thren. 1. 14. ait esse *iugum.* Zachar. 5. 7. *talentum plumbi.* Demergitur itaque peccator, sicut plumbum in aquis vehementibus. Facile est sedentem prope flumina Babylonis, in illa deiici aut labi. Hugo Cardin. illud Ps. 136. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus,* ait per Babylonem designari mundum, *in quo omnia confusa sunt.* Quatuor eius esse flumina, 1. amorem divitiarum; 2. amorem deliciarum; 3. ambitionem dignitatum; 4. amorem vanarum scientiarum. Vide ibi dicta.

25. Nota quarto, triplex confusio oritur peccatori, 1. a seipso; 2. ab hostibus; 3. a Deo ipso. Unde triplex *væ* illi dicitur, Apoc. 8. 13. *Væ, væ, væ habitantibus in terra,* in terrenis per affectum inordinatum. Hæc tria ex Davide nostro potes intelligere.

Confusio triplex a peccatis oritur.

I. Ac primo, optat a sua conscientia non confundi, vers. eod. 1. *Non erubescam.* Antequam Adamus et Eva peccarent, non crubescebent ob suam nuditatem, luce enim quadam fulgebant, et vestiebantur, ut ait S. Chrysost. sed post peccatum statim sunt confusi, et foliis sese occultaverunt, atque in nemus abdiderunt. Gen. 3. 8. *Abscondit se Adam et uxor eius a facie Domini* (timet servus in flagitio deprehensus) *Dei, in medio ligni* (id est lignorum seu arborum) *paradisi.* Cain sceleratus trepidat et desperat. Gen. 4. 13. *Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Peccata sunt monstra horrifica in tenebris Ægyptiis, id est, in tenebroso corde sese ostendentia. Oseæ 2. 5. Deus iubens argui Israelitas, id est, decem tribus, de idololatria, ait: *Quia fornicata est mater eorum* (synagoga) *confusa est.* Confusione non verecundiæ, sed ignominiæ, ut dicunt Rupertus et Albertus. Ut enim ibi ait S. Cyrillus Alexandrinus. Sicut iusto sua virtus *ἐστιν ἐν αὐχήματι, decori est et ornamento:* ita cuivis scelerato scelere sua, *ἐν αἰσχύνῃ καὶ ἀτιμίαις, dedecori sunt ac pudori.* Apostata quidem a religiosa familia se subducens damnatus est, apparuit viro pio flammis undequaque succinctus, tristem illam moniam occinens ex Ps. 68. 8. *Operuit confusio faciem meam.* Ut enim scelus faciem fuligine et nigredine inficit, sicut faciem Æthiopis, ita eam confusione replet: ideo impii in die iudicii optabunt occultari collibus et montibus, Luc. 23. 30. De ipso peccato originali tanta confusio oritur, ut diei conceptionis suæ Iob maledicens dicat, cap. 3. 5. *Obscurent eum tenebræ et umbræ mortis* (imago est species mortis, ait Pineda 2. umbra tristissima et mortifera) *occupet eum caligo* (Chaldæus et Septuaginta, nubes) *et involvatur amaritudine* (velut undis agitatis salsi maris in tempestate) *noctem illam tenebrosus turbo possideat,* etc. Hoc de diabolo symbolice exponit Odo lib. 4. Moral. Quia, inquit, antiquus hostis a luce intimi ordinis cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involvitur, quia ex merito spontaneæ caliginis æterno gehennæ tormento cruciatur. Ita Odo.

Con scientia propria confundit peccatores.

26. Secundo, Peccator confunditur a suis hostibus, hoc timens David orat v. 2. NEQUE IRRIDEANT (Hebr. יַעַלְצוּ ialtsu, id est, lætabuntur, ut S. Hieron. vertit, hoc est, victores cum lætitia et cachinno ridebunt; est metalepsis) ME INIMICI MEI: ETENIM UNIVERSI QUI SUSTINENT TE (S. Hieron. qui sperant in te. Psalter. Romanum et Ambros. qui te expectant: cum spe et patientia scilicet) NON CONFUNDENTUR. Nota, *inimici* intelligendi sunt tam visibiles, quam invisibiles, ut ait Lombardus: id est, tum homines mali, tum etiam dæmones, quorum exultatio et irrisio intolerabilem confusionem pararet, si eam serio cogitaremus, ait Bellarminus. De dæmone ait S. Chrysologus serm. 11. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hostis, *secundi hominis semper inimicus,* ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas. S. Ignatius epis. ad Philipp. vocat ποικίλον καὶ στρατηγόν, κλέπτην, versutum malitiæ ducem, fallendis hominum mentibus egregie peritum. S. August. vero in psalmo nostro: Neque, ait, irrideant me, qui serpentinis atque occultis suggestionibus insidiantes, et suggerentes euge, euge, ad hæc deiecerunt.

Vers. 2. Ab hostibus confunduntur.

27. Nota 2. Dæmones maxime optant deiicere et debellare viros sanctos, iisque ut victis insultare, et de illis triumphare. S. Basilius in cap. 3. Isaiæ: *Communis,* ait, *inimicus, si adversus eos auctoritate prævaluit,* οὐχ ὡς οἰκείοις χρῆται, ἀλλὰ παρασύρεται ὡς ἀλλοτρίοις: *Non quasi propriis mancipiis utitur: sed abutitur ut alienis: triumphi enim in morem circumducit, et ostentat eum, quem irretivit peccato.* Sicut Salmanasar rex Assyrius Israelitas captivos, evertit enim regnum Samariæ: et Nabuchodonosor rex Chaldæorum Iudæos, quos duxit in Babylonem eversa Ierosolyma et templo. Dæmon pium aliquem, v. g. Davidem in peccatum aliquod luxuriæ, vindictæ, aut simile inducens, commode comparabitur Hanoni filio Naas regi Ammonitarum illudenti Legatis Davidis, 2. Reg. 10. 4. *Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, et præscidit vestes eorum medias usque ad nates, et dimisit eos.* Ubi adverte, Hebræos laicos non usos fuisse femoralibus, sicut nec alios multos Orientales, itaque nates eorum nudatæ sunt: Hinc additur v. 5. *Erant viri confusi turpiter valde.* Tertia ignominia additur 1. Paralip. 19. 4. decalvasse enim eos dicitur. Hoc autem dæmoni in hunc modum applicat Eucherius, aut verius, Beda: Sicut, inquit, Hanon, ita et diabolus princeps huius mundi religiosos et prædicantes per subrepentia vitia deturpare consuevit. Qui dum eorum latentia mala, in aperta et flagitiosa perpetrataque luxuria detegit, quasi eorum indumenta usque ad nates abscissa, nudos a dignitate castitatis derelinquit: et in oculis hominum turpia facta, quæ ipse persuaserat, revelat. Et dum pristinam eorum fortitudinem eripit, velut barbam radit. Quos tamen verus David, Dominus scilicet et Salvator noster, elementi respectu, per pœnitentiam, ab indulgentia non excludit: quos et in Iericho, hoc est sub anathemate pœnitentiæ, et opprobrio meliorum residere iubet: donec sacramenta spiritalia et furtitudinem mentis, quam peccando perdiderant, satisfaciendo recipiant, et sic demum in conspectu eius stare valeant. Ita ille. Non tantum dæmon, sed etiam mundus est similis Hanon, qui idem est atque *gratiosus,* et est filius Naas, id est *serpentis,* nempe, diaboli: atque est rex Ammonitarum, id est *popularium,* favores scilicet populi quærentium. Illi autem gloriolæ venatores sæpe confounduntur. Natus est Baiazethis Imper. Turcarum dolor, quo victo Tamerlanes rex Tartarorum utebatur, velut scabello ad currum aut equum conscendendum. Baiazethes cognominari se voluit Gilderunum, hoc est, fulmen, sed ille splendor et impetus cito evanuit. Nam captus est, et in cavea ferrea inclusus anno 1400. regni eius 12. et duos annos

Sanctis viris prostratis capit insultare dæmon, figuratur. 1. In Salmanasare. 2. In Nabuchodonosore. 3. In Hanone.

Baiazetes Gilderunus vocatus id est, fulmen, confunditur.

miseram illam captivitatem passus est. De Valer. Imp. a Sapore rege Persarum capto, de regibus variis ad currum Sesostris regis Ægypti alligatis dixi alias. Romani captivos ante currum triumphalem oculis et sibilis populi ligatos exponebant. Quod Cleopatra Ægypti regina, aliique ita exhorruerunt, ut mortem sibi intulerint, ne dedecus illud subirent. Adverte autem Davidis Legatis Hanonem insultasse, quia dæmon maxime sibi placet cum illustres sanctos in peccatum aliquod probrosum inducit, ut sæpe testatus est suis cachinnis. Habac. 1. 16. agens de Nabuchodonosor, qui est typus diaboli, ait: *Immolabit sagenæ suæ*, id est, Belo Deo Chaldæorum, per quem populos capiebat. Ita S. Hieron. 2. Deæ Derceto matri Semiramidis, quam Plin. et Athen. vocant Atergatim; ita Guevara. 3. suæ industriæ et armis; ita Chald. qui vertit, sacrificat armis suis, id est, sibi gloriam victoriarum omnium attribuit) *et sacrificabit reti suo: quia in ipsis* (per ipsa) *incrassata est pars eius* (opes auctæ sunt) et *cibus eius electus*. De Behemoth, id est, elephante, ait Deus Iob. 40. 18. *Ecce absorbebit fluvium, et non mirabitur*, hoc est, non magni faciet. Per fluvium enim homines inconstantes S. Thom. intelligit, et infideles S. Gregor. sicut per Iordanem baptizatos et fideles; unde additur, *et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius*, quia, inquit, illos rapere appetit, quos pro amore supernæ patriæ a præsentis vitæ gloria semetipsos deiicere agnoscit. Lege totum caput lib. 33. Moral. 6.

28. Vers. 3. III. Peccator a Deo confunditur.

Tertio, Peccator confunditur a Deo, v. 3. CONFUNDANTUR OMNES INIQUA AGENTES (Gr. ἀνομοῦντες, q. d. exleges ἀποστατοῦντες, apostatæ, q. d. a Deo et fide, ac virtute deficientes) SUPERVACUE. Quæres, quinam iniqua agant supervacue? Primo, qui operantur inique ad acquirendam ea, quæ transeunt. Ita S. August. qui legit: *Confundantur inique facientes vana*. Secundo, qui contra innocentes et immeritos exercent iniquitatem. Ita Origen. et Chaldæus, qui reddit, *erubescent prædatores et vani*.

Iniqua agentes supervacue sunt vani peccatores.

Tertio, qui vane colunt idola, iuxta illud Ps. 96. 7. Confundantur omnes qui adorant sculptilia: et qui gloriantur in simulacris suis. Ita Didymus. Iuvat Apollinaris, cum vertit: ματαίων πρακτῆρες, *vanorum factores*. Quarto, qui decidunt a bono proposito, et inanem nanciscuntur fructum, perinde ac si frustra defecissent a Deo. Ita Eusebius. Ita S. Hieron. vertit, *Confundantur, qui iniqua agunt frustra*. Quinto, qui operantur ea, quæ a Deo probantur aliena et infructuosa. Ita Cassiodorus. Sexto, qui non veluti quodam infortunio, vel ob naturæ infirmitatem, sed præ summa malitia peccant, sine causa et inaniter pugnando cum eo, qui nullam alteri iniuriam inferat. Ita Basil. et Euthym. Felix habet: *Erubescent prævaricantes sine causa*. Pugn. gratis. Septimo, qui iniqua agunt inefficaciter, ita Remigius, id est, qui non possunt habere intentum in persequendo. Ita S. Thomas. Nec in præsenti habent aliquod emolumentum, quod valeat. Unde Psalterium Romanum habet; *Confundantur iniqua facientes vane*. Arias, inaniter. Octavo denique, qui male operando, nihil de fructu sui laboris secum post mortem deferunt, sed vacui bonorum operum meritis, coram iudice confunduntur. Ita Ruffinus, qui sic loquitur: *Supervacue reprobi agunt, quia nihil secum de fructu sui laboris deferunt. Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat. Sed quia cuncta hæc hic quisque moriens deserit, labores in vacuum perdidit, qui secum ante iudicem nihil tulit. Tunc reprobus quisque confunditur, cum iudex exterius cernitur, et omnis ante oculos culpa reducitur: cum accusator interius toleratur, et mens super gehennæ incendia suo gravius igne cruciatur. Hoc etiam in confusionem reproborum vertitur, quod electorum gloriam conspiciunt, ut ad maiora reatus sui supplicia repulsi videant, quod perdiderunt: horum extrema confusio, æterna damnatio est.* Hunc sensum iuvare possunt Arab. et Syr. quæ habent: *Confundentur iniqui in vanitate sua*: vel, ob vanitatem suam. Quantum mutatus ab illo fastu apparebit iudicandus Alexander, Antiochus, Attila, Tamerlanes, aliique? quantus erit pudor, cum ex summis deliciis ad summas miserias, ex infinitis opibus ad extremam inopiam, ex maximis honoribus ad ultimam ignominiam, ex ædibus auratis in flammeas, ex satellitio gemmis fulgente in angues dæmonum devenerint? Tunc illis occinetur illud Ps. 52. 6. *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* S. Ambros. in illud Ps. 48. 18. Cum morietur, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius, sic ait: *Gloria sæculi non descendit cum peccatore: sed gloria virtutis ascendit cum innocente.*

Hoc figuratum est in Babylonis eversione et confusione. De illa ex splendore maximo in ignominiam deiecta, et capta, expilataque a Dario Medorum et Cyro Persarum regibus vaticinatur Ier. cap. 50. 2. *Annunciate in gentibus* (multas enim vicerat Babylon) *et auditum facite: levate signum* (id est, vexillum, in signum victoriæ et lætitiæ) *prædicate et nolite celare: dicite, Capta est Babylon, confusus est Bel*, (id est Nemrod pater Nini, a quo in deos est relatus) *victus est Merodach*, (id est, Balthasar, ait Lyranus: nam dictus est Evilmerodach, sive Merodach nomine communi regibus Chaldæorum, sicut Arsaces vocabantur reges Parthorum, et Seleucidæ, reges Asiæ. Merodach porro fuit filius Baladan, qui primus imperium Babylonicum restituit, et ideo velut Deus adoratus est) *confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idola eorum.* Rabanus vult Merodach esse idolum. Significat autem amaram procacitatem: vel amaram contritionem: vel contritam seu contusam. Bel nomen est idoli, et vetustum significat: item, defluentem. Terrena enim fæcem habent et amaritudinem in fundo, eorum vero suavitas, odor, et pulchritudo ac species defluit et evanescit. S. Greg. Nyss. orat. 3. de oratione Dominica, peccatum vocat αἶσχος, id est, *probrum*. 29.

Babylon eversa et confusa est typus peccatoris.

Confusio et contritio impiorum a Deo ipso facta potest explicari per confractionem et deiectionem idoli Dagon coram arca in ipsis Philisthinorum terris et templis, post obtentam de ipso Dei populo victoriam, 1. Reg. 5. 4. *Mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, et duæ palmæ manuum* (id est duæ manus extensæ) *eius abscissæ erant super limen. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo.* Quod pudendum sine dubio erat, ut in proprio suo templo ita ridendus omnibus proponeretur. Sed non habitabit in conspectu Dei malignus. Vide dicta Ps. 5. 4. Dagon a Deo deiectus et truncatus denotat: Primo, avaros esse ab eo in pulverem redigendos. Nam דגן *dagan*, a quo *Dagon* dicitur, frumentum significat, et Lilius Gyraldus de diis gentium Syntagm. 2. p. 109. ait Dagon fuisse Iovem Aratrium, quem colebant Phœnices, tanquam frumenti et aratri inventorem. Secundo, Dagon est figura voluptuariorum; ut enim ait S. Hier. Dagon idem est hebraice, quod piscis tristitiæ. Deducitur a דג *dag* sive *dagu*, id est piscis: et און *on*, tristitia, dolor, divitiæ, robur, labor, fatigatio, contritio, luctus, rapina, semen, iniquitas, mendacium, nihilum, idolum, vanitas, molestia. Dagon itaque potest significare piscem divitem, piscem contritum, piscem rapinæ, id est, raptum vel rapientem, piscem mendacii, nihili, etc. tales sunt voluptatum amatores, præsertim divites. Lyran. et Abulensis censent Dagon fuisse caput piscis, de libidine semper cogitat luxuriosus. Caietanus tamen et alii verius dicunt ab umbilico sursum fuisse eum forma humana, ab umbilico autem deorsum forma piscis, sicut pinguntur Tritones, Nereides, et Sirenes: casta sæpe facies est et initium conversationis, sed finis desinit in piscem, et in aquas se voluptatis immergit. Monstrum est Luxuria, blanditur ut perdat: initio sapere videtur, sed tandem stupidior est omni bruto. Tertio, Dagon potest etiam superbos repræsentare. Nam eum putant fuisse Dercetem matrem Semiramidis Iosephus et alii. Dercete autem sive Derceto idem est atque *generationem conterens*. Venerem esse censet Antonius Nebrissensis in quinqueg. cap. 6. et Serarius. Superborum pœna est lascivia. Utrosque confundit Iesus Ioann. 8. 6. Scribas et Pharisæos arrogantes, qui velut

Et idolum Dagon contritum.

iusti adulteram ab eo condemnandam adduxerant, obiectu propriorum eriminum in pulvere depictorum fugere compulit non ferentes confusionem suam. De his omnibus die eum Isaia cap. 24. 19. *Confractione confringetur* (id est omnino et graviter frangetur) *terra* (hoc est homo amans terrena) *contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis*, quod a victore sub vesperam figitur, ut in eo pernoctet, et sequenti mane tollitur. Impio non est nisi nox et caligo in hac vita, et brevi ducens ad noctem æternam.

ARTICULUS II.

Egemus Deo duce, præsertim in iuventute, cum hæc ætas sit maxime vitiis obnoxia.

ANIMA in cæli desiderium erecta, et a terræ amore abstracta, viam cælestem sibi ostendi a Deo ipso David
Vers. 4. postulet, ne aberret, v. 4. VIAS TUAS DOMINE DEMONSTRA MIHI. Psalt. Romanum et Ambros. notas fac mihi. Arab. dirige me ad vias tuas, Domine mi. ET SEMITAS TUAS EDOCE ME. Iulius Papa III. hunc versum sibi sumpsit pro symbolo, ut ait Alphonsus Ciacconus in eius vita. David quoque dicebat Ps. 42. 8. *Notam fac mihi viam* (in vetere Psalterio additur, *Domine*, q. d. tibi servio, tu me mittis, dic servo tuo viam) *in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam*. Addit Chald. in oratione.

30. Viæ Dei et eius semitæ quomodo differant. Nota, *viæ* sunt præcepta faciliora, et ad quæ omnes tenentur: *semitæ* sunt præcepta arctiora et difficiliora, sive consilia, quæ aliquibus ad perfectionem maiorem proponuntur. Ita Beda, S. Thom. Ruffin. et alii. Verba Ruffini sunt: Per vias, ait, latiora et minora præcepta iustitiæ possunt intelligi. Per semitas vero altiora et perfecta mandata. Ad latiorem iustitiæ pertinet viam, cum ex rebus possessis præcipimur decimas dare, pauperes recreare, nudos vestire, eleemosynis peccata redimere, et cæteris operibus misericordiæ deservire. Ad semitas autem pertinere videtur, cum omnibus quæ habemus, renuntiare iubemur, cuncta quæ mundi sunt, despicere, nosmetipsos abnegare, Deum ex toto corde diligere. Istas spirituales vias et semitas electis suis Dominus et in Scripturis suis exterius demonstrat, et interius in corde per gratiæ aspirationem docere non cessat: quatenus eruditi et errorem vitare sciant, et dirigi in veritate. Ita ille. Vide Ps. 118. toto, ubi passim de illis Dei viis ac semitis agitur.

RATIONES profert, cur debeat a Deo edoceri, 1. quia Deus est ipsa veritas; 2. quia salvator; 3. quia adiutor in se sperantium; 4. quia misericors etiam erga indignos eius luce et gloria.

31. Vers. 5. 1 Pars. Dei in cælum ducentis quatuor proprietates. I. Ductor est necessarius. Ac Primo, Deus ductor est necessarius, quia lux est, v. 5. DIRIGE ME (S. Hieron. et S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 7. *deduc me*. Hebr. הדריכני *adricheni*, in viam deduc me, incedere fac me: commode reddes, *adresses moi*: vel, *dresses moi*) IN VERITATE TUA, id est veritate tua. Est Hebraismus, modo enim agendi et instrumento adhibent propositionem Beth. Unde Arias vertit, fac iter facere me per veritatem tuam. S. Cyprian. aliter, deduc me ad veritatem tuam. Arnob. Dirige me in virtute tua. Sed est error, pro in veritate tua. Hunc versiculum pro symbolo sibi sumpsit Gregor. Papa VIII.

32. Veritas Dei quatuor significat. Nota, Veritas Dei quatuor potest significare: Primo,
1. eius veracitatem et fidelitatem, ita ut David postulet vias cælestes sibi ostendi, quia Deus id se facturum promisit.
2. Secundo, veritas Dei est eius essentia. Nam ut ait S. Thomas I. p. q. 16. a. 5. Veritas invenitur in intellectu, secundum quod apprehendit rem ut est, et in re, secundum quod habet esse conformabile intellectui. Hoc autem maxime invenitur in Deo. Nam esse suum non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere: et suum intelligere est mensura et causa omnis alterius esse, et omnis alterius intellectus: et ipse est suum esse et intelligere. Unde sequitur, quod non solum in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa summa et prima veritas. Ita S. Thom. Dirigit igitur Deus in veritate seu veritate, id est, in seipso et seipso, qui est lux infinita. Tertio, veritas dicitur personaliter, et illa est Filius Dei: est enim 3.
Verbum et conceptus notionalis Patris ac sapientia. Hic Dei Filium intelligit Didymus lib. de Spiritu sancto. Et huic adaptari potest definitio veritatis data a S. August. lib. de vera religione cap. 36. tom. 1. Veritas est summa similitudo principii, quæ sine ulla dissimilitudine est. De se dicebat veritas incarnata, Ioan. 14. 6. Thomæ dicenti se viam ignorare et locum, ad quem iret. *Ego sum via, veritas, et vita*. S. Bern. id contemplans serm. 7. in cœna Domini, si tamen est huius auctor: *Ego*, inquit, *sum via, per quam est eundum: et veritas, ad quam veniendum: et vita, in qua permanendum. Ego sum via sine errore, veritas sine falsitate, vita sine morte. Ego sum via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Ego sum via habilis, veritas irrevocabilis, vita interminabilis. Ego sum via lata et spatiosa, veritas potens et copiosa, vita delectabilis et gloriosa*. Quarto, veritas Dei est etiam declaratio mysterio- 4.
rum et voluntatis eius, et modorum bene vivendi facta per Prophetas et alios. Nam cæci sumus, et duce egemus. Plato in septimo de Republica, diem, qui hic est, appellat ημεραν νυκτερινην, *diem nocturnum*, quod Clemens Alexandr. lib. 5. Strom. ab eo dictum putat ob dæmones nobis caliginem offundentes; sunt enim rectores tenebrarum, ut Paulus dicit Ephes. 6. 12. Veritas vero est columna Israelitarum in deserto, de qua Exod. 13. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis*; quod S. Zeno Episcopus Veronensis serm. 2. in Exodum, ait esse factum, ut populus ille et nos in eo populo cæcitatem humanam videremus, quæ nec se regere potest, nec ab alio homine sine Deo duci potest. Si enim Dei lucem tollas, idem dices de omnibus, quod Iesus de Pharisæis Matth. 15. 14. *Cæci sunt, et duces cæcorum* (populorum et turbarum, quos errores suos docent) *cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*. S. August. pie et vere dicebat lib. 4. Confession. cap. 1. *Quid ego mihi sine te, nisi dux in præceps?* Si nobis duces cæci sumus, quid erimus aliis? Lugubre simul ac memorabile est, quod Basilius Porphyrogenitus Imper. Bulgaris debellatis, ad cæteros terrendos quindecim captivorum millia excæcavit, in singulis centuriis *relicto uno monoculo*, qui dux itineris esset sociis domum revertentibus, nova crudelitatis exemplo, ut refert Genebrard. in Chron. Adhuc aliquid videt, qui tantum cocles est, sed nos sine Deo cæci sumus: ipse enim est prima lux, ut ait Arnold. Carnotensis, tract. de opere sex dierum: *Est*, inquit, *illa prima lux repellens tenebras et constituens dies, abigens ignorantiam, et purificans intellectum sapientiæ. Per hanc enim omnium rerum conditio disposita est, et ipsarum constitutionum cognitio dies appellatur*. Hinc dicitur Psal. 42. 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt*. S. Hieron. deducent me, et introducent.

Secundo, Deus ductor est maxime sollicitus, quia sum- 33. Vers. 5.
mo pretio, nempe sanguine suo, nos eripuit ab hostium 2. Pars.
manibus, v. eod. 5. QUIA TU ES DEUS SALVATOR MEUS. II.
S. Hier. Deus salutis meæ. Possis vertere, Deus salus mea: Deus est
vel Iesus meus. Hebr. enim est ישעי isci, id est, salus Ductor
mea, Iesus meus. Spem nostram hic tria erigunt, 1. quia sollicitus
Deus est; 2. quia noster est; 3. quia salvator est. Quæ et providus.
S. August. amplificat in illud Ps. 142. 2. 10. *Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus*. Sic enim ait: *Ad alium curram refici, si ab alio factus sum. Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Patrem quæram, propter hæreditatem? Dominus pars hæreditatis meæ. Dominum quæram, propter redemptionem? Tu es Deus meus. Patronum quæram, propter liberationem? Tu es Deus meus. Postremo, creatus recreari cupio? Tu es Deus meus, qui creasti me per Verbum tuum, et recreasti me per Verbum*. Euseb. de vita Constantini lib. 4. cap. 73. ait, in quibusdam numismatis Constantinum fuisse sculptum, εν αρματι τεθριππω, in quadriga, instar aurigæ insidentem, demissa illi cælitus manu excerptum. Nobis se ostendit Iesus, ut luce sua

viam cælestem demonstret. Est enim *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1. 8. sed multo magis ex eo abeuntem. Manum porrigit, ut ad viam asperam et præruptam transeundam iuvet, Ps. 62. 9. *Me suscepit dextera tua.*

34. III. Deus est ductor rationabilis. Tertio, Deus ductor est rationabilis, qui habita ratione virtutum cuiusque in via iuvat. Sed præsertim adest patientibus, et in cœpto labore et cursu perseverantibus, vers. eod. 5. ET TE SUSTINUI (S. Hieron. et S. Fulgent. lib. 1. ad Thrasimundum cap. 4. te expectavi) TOTA DIE. Pagnin. et Arias, omni die. Arab. omnibus diebus. Syr. singulis diebus. S. Hieron. Felix, Vatabl. Noster, tota die. Nullus enim dies esse debet, in quo non constanter ambules, et Dei opem expectes: et in quolibet die nullum momentum ab opere et actibus virtutis vacuum esse debet. Si enim perdas patientiam, aberrabis a via. Eccli. 2. 16. *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam* (id est longanimitatem, longamque tolerantiam, et liberationis expectationem. Gr. ὑπομονὴν, patientiam, ut vertit Tigurina) *et qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas.* Agit de Iudæis, qui vexati a Ptolemeo Lagi primo rege Ægypti post Alexand. Magn. a virtute et fide vera desciverant. Qui amittit potentiam et perseverantiam, non venit ad viæ terminum. S. Gregor. lib. 5. in 1. Reg. cap. 1. Sustinentiam perdunt, qui bona, quæ inchoant, non consummant. Et lib. 7. Mor. 11. Sustinentiam perdunt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem invisibilium derelinquunt. Et in pastorali: Ipsa, inquit, quæ mater est omnium custosque virtutum, per impatientiæ vitium virtus charitatis amittitur. Et in illud Iob: Frater fui draconum, ait, nullius perfectus est, qui inter mala proximorum patiens non est.

35. Vers. 6. IV. Deus ductor est suavissimus. Quarto, Deus ductor est suavissimus, oleum enim affundit plagis, ut bonus Samaritanus, id est, custos, v. 6. REMINISCERE MISERATIONUM TUARUM (Hebr. רחמים *rachamim*, significat visceralem misericordiam, qualis est patris et matris erga filium: viscera enim eorum commoventur in afflictione et periculo liberorum, ut patuit in muliere, quæ filium dividi noluit, 3. Reg. 3. 26. Arabs vertit, pietatis tuæ) DOMINE, ET MISERICORDIARUM TUARUM, QUÆ A SÆCULO SUNT, id est ab æterno, q. d. Recordere Domine, te ab æterno misericordem fuisse: nec solum misericordem, sed etiam misereri solitum; et viscera paterna exhibere erga filios tuos. Proinde hoc tibi esse proprium et naturale. Primo, quod Deus habeat *rachamim*, id est, misericordiam, habes Ps. 102. 13. *Quomodo miseretur pater filiorum* (Hebr. *super filios:* statim atque oculos in eorum miseriam coniicit) *misertus est Dominus timentibus se*, quanto magis amantibus, et eius opem perseveranter implorantibus. Secundo, Misericordia illa Dei est æterna, et in æternum duratura. Psal. eod. 102. 17. *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum* (S. Cæsar. Arelat. hom. 19. a sæculo et usque in sæculum sæculi) *super timentes eum.* Tertio, misericordiæ illa fons semper fluit. Ps. eod. 102. 8. *Miserator et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors.* Vide ibi dicta. Quarto denique, Dei misericordia elucet in tota via. Ps. 24. 12. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum* (S. Hieron. pactum) *eius, et testimonio eius.* Vide dicta Ps. 102. 7.

Viæ impedimenta, sunt peccata: nam sive reatum culpæ, sive reatum pœnæ species, pondus sunt intolerabile, et Deum ducem a nobis removent ob fœtorem et deformitatem: ideo David illa a se removeri petit, et a Deo
Vers. 7. oblivione deleri, vers. 7. DELICTA IUVENTUTIS MEÆ, ET IGNORANTIAS MEAS NE MEMINERIS. S. Hieron. in cap. 5. Isaiæ addit, Domine, q. d. ego servus sum, timeo iram Domini, quamdiu eius oculis et memoriæ obversabuntur peccata mea.

36. Ætates hominis varie partitæ. Nota, Varii varie ætates hominis distribuunt. Primo, Galenus in libro qui inscribitur ὅροι ἰατρικοί, primam ætatem dicit esse *iuvenum:* secundam ἀκμαζόντων, vigentium: tertiam, mediorum: ultimam, senum. Secundo, Censorinus in tractatu de die natali, ait Hippocratem divisisse hominis ætatem in septem gradus. Primam terminari anno septimo; 2. anno decimo-quinto; 3. duodevicesimo; 4. trigesimo-quinto; 5. duodequadragesimo; 6. sexagesimo-primo; 7. usque ad finem vitæ. Tertio, S. Hieron. in c. 6. Amos, hos septem gradus vocat infantiam, pueritiam, iuventutem, virilem ætatem, ingravescentem ac maturam ætatem, senectutem, ac decrepitam ætatem. Quarto, S. Gregor. lib. 11. Moral. 25. iuventutem magis extendit: ait enim quinque esse ætates hominis; 1. infantiam; 2. pueritiam. 3. adolescentiam; 4. iuventutem; 5. senectutem. Quinto, Varro docet, usque ad decimumquintum ætatis annum vocari pueros, quasi puros, hoc est impuberes: usque ad trigesimum vocari adolescentes, ab adolescendo, quod ad hanc ætatem crescant: usque ad quadragesimum iuvenes, quod tunc maxime in bellis iuvare Remp. possint: usque ad sexagesimum, seniores: a sexagesimo usque ad mortem, senes. Sexto denique, Tubero apud Gellium lib. 10. cap. 28. iuventutem extendit ab anno decimo septimo usque ad quadragesimum sextum.

Quæres, Quænam delicta iuventutis, et quas ignorantias hic intelligit David? Primo, S. Thomas ait delicta iuventutis esse peccatum originale, quia homo nascitur filius iræ: quamdiu homo est iuvenis, est in domo patris; sic quamdiu homo est peccator, est in domo diaboli, quæ domus est ruinosa. Iob. 1. 19. *Venit ventus a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus, et oppressit omnes filios.* Remigius item ait: Delicta iuventutis sunt peccata originalia, quæ in ipso primordio contraxi a parentibus. Et ignorantias, id est, actualia, quæ ignoranter commisi, postquam iuvenis factus sum: id est, innovatus a vetustate primi parentis. Ita ipse. Sed tantum est unum peccatum originale in singulis, quare igitur illud vocaret David delicta? Secundo itaque S. Hieron. per delicta iuventutis intelligit peccata commissa ante baptismum: ignorantias vero, commissa post baptismum. Tertio, potius contrarium dicendum esset cum Beda: *Delicta*, inquit, *iuventutis meæ*, id est, quæ ego scienter commisi post innovationem in unda baptismatis, per quam a vetustate peccati in habitum virtutis, quasi in iuventute refloruí. Ita Beda. Sed hæc, ut patet, sunt mystica. Quarto igitur simplicius et melius S. Thomas, Didymus, Ruffin. Lombardus, Titelm. Ugo, Iansen. Folengius, Iansonius, et alii: Delicta iuventutis sumunt pro delictis adolescentiæ: tunc enim concupiscentiæ ardor, ac iuvenilis imprudentia atque inconsideratio hominem præcipitem agunt in varia vitia, ac præsertim in carnalia. Salomon ait Proverb. 30. 19. *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio maris, et viam viri in adolescentia.* Septuag. ἐν νεότητι, in iuventute. Syr. et S. Ambr. in iuventa. Adolescentia et iuventus sæpe confunduntur. S. August. serm. 246. de tempore vocat, florem ætatis, periculum mentis. Euripides in Andro dicit esse simpliciter malam: sed errat. Ut enim ait Demosthen. orat. 1. Olynthiaca, *optima est adolescentia, si quis bene ea uti sciat.* Sed multi eius ardore abutuntur: unde peccata eius sunt, Primo, multa; sunt instar examinis crabronum et vesparum assidue pungentium et obstrepentium. S. Basil. in cap. 3. Isaiæ: μυρίων κακῶν ἑσμὸς συνέζευκται τῇ νεότητι, *examina innumerabilium vitiorum se agglomerant et adiungunt iuventuti.* Secundo, Peccata iuventutis sunt gravia. Plutarch. tract. de liberis educandis. Iam ex ephebis egredientium peccata sæpe ὑπέρογκα γίνεται καὶ σχέτλια, ingentia fiunt et atrocia: nempe ingluvies ventris, furta, pecuniæ paternæ, olea, commessationes, potationes, virginum amores, adulteria. Ἀταμίευτος γὰρ τῶν ἡδονῶν ἀκμὴ, καὶ σκιρτητικὸν, καὶ χαλινοῦ δεόμενον: est enim vigor ætatis illius incontinens voluptatum, lascivitque, et fræno opus habet; ita Plutarch. Tertio, Peccata iuventutis sunt effrænata atque efferata, et contineri nulla ope et industria humana possunt. S. August. serm. 246. de tempore, ea fluctibus comparat tempestate agitatis: *Iuvenilis ætas*, inquit, *pluribus atque maioribus tentationum tempe-*

Margin notes, right column: 37. Delicta iuventutis quænam? 1. — 2. — 3. — 4.

stetibus quatitur. Hæc fluctuum crebriore impetu sæculi inundantis operitur. Præsumit viribus, formæ dignitate iactetur, pompa rerum temporalium præfulgere aut exoptat, aut gaudet. Ita August. qui id suo damno sensit, ut patet in eius Confession. libris. Quarto, Peccata iuventutis difficile eradicantur, quia naturæ corruptæ sunt insita. Gen. 8. 21. *Sensus et cogitatio humani cordis* (Hebr. figmentum cordis hominis: id est, figulina et officina cordis humani) *in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Tunc enim maxime homo sentit legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Sanguis bullit in venis, cor et iecor exæstuant, ratio necdum maturuit nec iudicium, socii impellunt, vacatio a curis et officiis libertatem omnia cogitandi et tentandi suppeditat. Varia vitia currui iuventutis infra illigabo, quibus præceps agitur.

38. *Delicta et ignorantiæ pro iisdem peccatis sumptis.* Nota τὸ *delicta et ignorantias*, diversi diversimode exponunt. Primo, pro iisdem peccatis utrumque sumit Bellarminus: nempe pro peccatis levibus iuvenum, quæ committuntur ex infirmitate et ignorantia. Addit Hebr. פשע *pescia*, tam scelera gravia quam levia peccata significare: unde Septueg. verterunt [illegible], id est ignorantias. Secundo, Remig. Ugo, Agell. et alii, delicta et ignorantias pro diversis peccatis sumunt: *Aut utrius pro diversis.* Primo, Remigius: *Delicta*, inquit, iuventutis, id est, gravia peccata: quia iuvenes temerarii sunt, et temeritate gravius fit commissum. Et *ignorantias*, id est, leviora peccata: quia quod ignoranter committimus, minus peccamus. Secundo, Ugo, *delicta* censet esse peccata omissionis: *ignorantias*, peccata commissionis: ei assentitur Aiguau. quia ait delictum dici quasi derelictum. Contra vero Dionysius opinatur, *delicta* esse peccata commissionis: *ignorantias* vero, peccata omissionis. Tertio denique, Agellius ait *delicta* iuventutis esse peccata commissa ex infirmitate, et ratione non satis confirmata: *ignorantias* vero esse gravia scelera. Nam in Hebr. pro *ignorantias*, habetur פשעים *pesciaim*, id est scelerum meorum, ut vertit S. Hieron. et Vatabl. prævaricationum, ut Pagn. transgressionum, ut Felix: rebellionum, ut Calei. Hi omnes sensus sunt apti et probabiles.

V. *Et optime.* Quinto denique et optime S. Augustin. S. Thom. Beda, Remig. et alii, iuventutem non sumunt ibi pro ætate, sed pro audacia, temeritate, et præcipitatione, quæ esse solet in iuventute seu adolescentia. Est Metonymia. Delicta itaque iuventutis sunt delicta confidentis audaciæ. Ita S. August. et Gloss. confidentis et præcipitis audaciæ. Ita Lombard. quæ inconsulto calore, ac confidenti et præcipiti audacia fiunt. Ita Ludulph. delicta temeritatis: quæ scilicet scienter et temerarie fiunt. Ita Beda. Quæ omnia in idem redeunt. Peccata ex superbia commissa. Ita S. Thom. Iuvenes enim, ait, naturaliter sunt superbi et præsumptuosi. Apollinaris vertit, [illegible], superbiam periculosæ iuventutis; et Syrus atque Arabs, stultitiam. Sic enim Syr. unico verbo et delicta et ignorantias complectitur: *Stultitias adolescentiæ meæ ne memineris mihi* (id est in meum damnum et punitionem. Arabs vero dividit: *Ne recorderis peccatum iuventutis meæ, et* (id est) *stultitiæ meæ.* S. Hier. in cap. 5. Isaiæ: *Peccata iuventutis meæ, et* (id est) *ignorantiæ meæ ne memineris Domine.* Cassiod. vocat præcipitationis audaciam.

Quæres secundo, Quænam tandem sunt illa delicta iuventutis, id est, confidentis audaciæ, et superbiæ, ac temeritatis, quæ sibi ignosci petit David?

39. *Quænam delicta iuventutis intelligit David?* I. Respondet primo Eusebius, Davidem hic non loqui in sua persona, quia non reperimus ipsum peccasse in iuventute sua: sed loqui in persona eorum, qui peccaverint in ea ætate. Divinæ, ait, cognitionis ignaris ægrotantibus, et in ætatis flore iuvenilibus delictis, *tamquam medicina a medico tradita est*, ut ea docti, quæ per ignorantiam peccavere, faterentur, ea Deo revelantes, et tanquam vetera animæ suæ vulnera, eidem denudarent, orantes, ut medelam et curationem illius misericordia consequantur. Ita Ipse.

II. Secundo, S. Athanasius vult Davidem loqui in persona populi Israel, et ait, delicta iuventutis esse ea, quæ populus in Ægypto fecit: nempe idololatriam, quæ contigit prope montem Sinai anno primo ab egressu ex Ægypto, et collectionis duodecim tribuum in unum populum.

III. *Et verius.* Tertio et melius, tum in sua, tum in aliorum pœnitentium persona David loquitur. Et per delicta iuventutis et ignorantias intelligit adulterium cum Bethsabee commissum, et cædem Uriæ, quæ evenere anno regni eius 19. ætatis 49. Fuerunt et delicta et ignorantiæ iuventutis, id est, qualia solent iuvenes admittere ob luxuriam, tum in eam ruendo effrænate et præcipitanter, tum cives suos et inspectores, atque eos, qui impedimentum passioni obiicere possunt, de medio tollendo. Scripsit autem hunc Psalmum David post rebellionem Absalonis filii, quæ contigit anno regni eius 30. ætatis 60. Tum autem memor minarum sibi a Nathan Propheta intentarum ob illa scelera, 2. Reg. 12. 11. orat, ut Deus delicta illa et ignorantias non meminerit, id est, non puniat, punire desistat, iam satis punita in morte filii ex adulterio nati, in pollutione Thamar filiæ suæ, in cæde Amnon primogeniti sui, in eiectione sua e regno, in contaminatione decem concubinarum suarum in oculis totius Ierosolymæ a proprio filio.

40. *Tota vita est timendus lapsus in peccata.* Ex his collige Primo, Tota vita timendum esse, ne in peccata labaris, cum David lapsus sit uatus annos 49. habens plurimas uxores: cum Salomonis senis depravatum sit cor, qui in iuventute sapientia illustratum obtinuerat. 3. Regum 3. 12. Secundo, neminem debere esse securum ob vitam præteritam, cum multa per ignorantiam et inadvertentiam obrepant. S. August. de peccatorum meritis et remiss. contra Pelagian. lib. 1. tom. 7. An nullum est, ait, ignorantiæ malum, et ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox: Delicta iuventutis, et ignorantiæ meæ ne memineris? *Compatiendum peccatoribus.* Tertio, esse compatiendum peccatoribus, quia multa sæpe faciunt per ignorantiam, quæ tamen atrocissima et deliberatissima videntur. Paulus sic est persecutus Ecclesiam. 1. Timoth. 1. 13. *Prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus* (Græc. ὑβριστὴς, id est, violentus, ut vertit Vatablus: iniuriosus, ut S. Augustinus homil. 25. inter 50.) *sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Sic Christus Luc. 23. 34. excusat suos carnifices et hostes: *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* An et quatenus ignorantia causet involuntarium, et excuset a peccato, vide apud S. Thom. 12. quæst. 6. artic. 8. *Præsertim iuvenibus.* Quarto, præsertim compatiendum esse iuvenibus, quos ardor ætatis in devia abripit. Stephanus Tornacensis epist. 11. *Ignorare se dicit Salomon penitus viam viri in adolescentia. Facilis est, et nunc huc, nunc illuc se vertens in bivio Pythagorico seducitur et errat. Venialis tamen est error iuvenum, quippe per correptionem ad correctionem redeunt: et cum prius ambulaverunt vias non bonas, dirigunt gressus suos in semitis iustitiæ, peragentes viriliter per pœnitentiam, quod pueriliter amiserunt per culpam.* Ita Stephanus. *A prima ætate Deo est serviendum.* Quinto, sollicite providendum, ut a iuventute totos nos Deo dirigendos tradamus, eique a prima vitæ aurora serviamus. S. Hier. in cap. 3. Isaiæ tom. 4. *Quod*, ait, *primum tempus humanæ sapientiæ, quando egredimur pueritiam, et ad rationalem venimus ætatem, mane in Scripturis intelligatur, multa testimonia docere nos poterant, de quibus exempli causa ponenda sunt pauca, Ierem. 7. 13. Mane mittebam Prophetas. Ps. 5. 4. Mane exaudies orationem meam, et Ps. 62. 2. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Ps. 100. 8. In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ. Consurgimus de mane, quando vitia derelinquimus in pueritia, et dicere possumus: peccata iuventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris Domine. Ortoque nobis Sole iustitiæ fugantur tenebræ: et statim interficimus omnes cogitationes, quæ ad peccata nos provocant. Et de civitate mentis illos disperdimus peccatores, de quibus Salvator loquitur, Matth. 15. 19. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, et reliqua.*

41. *Iuventutis et a-* Collige sexto, ac præcipue, quam sit periculosum iter iuventutis seu adolescentiæ. Prius dixerat David: *Vias*

Adolescentiæ tempus est periculosissimum. Quinque in illis consideranda.

tuas Domine demonstra mihi. Et postea: *Dirige me in veritate tua.* Nunc sibi conscius fragilitatis humanæ, et itineris lubrici in adolescentia ait: *Delicta iuventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.* Ut periculum videamus et caveamus, 1. videndum est ipsum iter; 2. iuvenis id in curru præcipiti decurrens; 3. equi; 4. rotæ.

I. Iter præceps est et lubricum.

Primo igitur, iter iuventutis sive adolescentiæ præceps est, lubricum, plenum periculosis flexibus et anfractibus. Tullius in oratione pro Cælio: *Multas*, inquit, *vias adolescentiæ lubricas natura ostendit, quibus illa insistere aut ingredi sine casu aliquo aut prolapsione vix posset.* Apuleius lib. 11. Milesiorum: Lubrico, inquit, virentis ætatulæ ad serviles delapsus voluptates. Et melior auctor S. Hieron. epist. 43. ad Chromatium: *Scitis ipsi lubricum adolescentiæ iter, in quo et ego lapsus sum, et vos non sine timore transistis.* Et alibi sic ait: Adolescens, qui viam veritatis deserit, difficile est cogitatu, quo se per omnes horas, et in quot cogitamenta vecors vaga mente declinet. S. Ambros. de Viduis: *Vicina est lapsibus adolescentia, quia variarum æstus cupiditatum fervore calentis inflammatur cupiditatis.*

42
II. Iuvenis ipse seu adolescens cum impetu ruens.

Secundo in iuventutis curru præcipites aguntur Absalom et Prodigus, habentes aurigam stultitiam. Syr. in Ps. nostr. vertit: *Stultitias adolescentiæ meæ ne memineris.* S. Gregor. Neocæsariensis in Ecclesiasten aperte loquitur: *Iuventutis*, inquit, *assecla est stultitia.* Et quidem Salomon ab ea agi ad domum meretricis edocet his verbis. Proverb. 7. 22. *Statim eam* (meretricem) *sequitur quasi bos* (Septuag. κεπφωθεὶς, id est infatuatus, ut Rom. Complut. habent, circumventus, ut S. Ambros. proprie, vecors instar cepphi. Cepphus autem est genus avis, quæ Larus vocatur, levis et inconstans, quæque spumam marinam comedit, ait Suidas: est fulica vel larus, avis stolida et clamosa, spuma victitans, et ad libidinem admodum propensa, ut dicit Polychronius: Ideo est symbolum fatuitatis) *ductus ad victimam, et quasi agnus lasciviens* (oves et capræ anniculæ coeunt, ut docet Aristot. lib. 5. hist. anim. cap. 14.) *et ignorans, quod ad vincula stultus trahatur.* Sept. Chald. Syr. aliter legerunt: vertunt enim, *et sicut canis ad vincula.* Canis autem luxuria et impudentia est nota. Hinc Diogenes dictus est Cynicus, id est, caninus, ob impudentiam. Pagn. autem vertit: *et sicut compes ad castigationem stulti.* R. Salomon, et sicut venenum ad castigationem stulti.

III. Equi currus.

Tertio, equi currum iuventutis trahentes sunt duo. Primus est præsumptio, quæ in obvia quæque irrumpit spe inani prosperi successus elata. S. Basilius in ea Mosis verba: Attende tibi ipse, sic ait: *Hæc animi ægritudo solet adolescentibus irrepere, ut per mentis levitatem se iam tenere putent, quæ vel spe sola præsumpserunt.* Apollinaris psalmi nostri versiculum sic reddit: *Ne arrogantiam lubricæ adolescentiæ meæ recorderis.* S. Ambros. superbiam veluti propriam iuventuti attribuit. Rara sane, inquit, in iuvenibus est humilitas. Secundus iuventutis currum trahens equus est impudentia, quæ adolescentes seu iuvenes prorsus in præcipitium rapit. S. August. sic psalmum nostrum explicat: *Delicta confidentis audaciæ meæ ne ad vindictam reserves.* Seneca in Troade iuvenum præcipitationem, temeritatem et ardorem exprimit: *Iuvenile*, ait, *vitium est regere non posse impetum.* Theophyl. Item ait: *Iuventus est ætas incerta sine scopo, multis mutationibus obnoxia.*

43.
IV. Rotæ quatuor currus.

Quarto, Rotæ currum iuventutis trahentes sunt levitas, temeritas, amor deliciarum, et luxuria.

I

Prima itaque rota, est levitas. Nam ut ait Lactantius lib. 7. Institutionum: *In adolescentibus mobilia sunt ingenia.* Hæc rota semper celerrime volvitur, et uno in loco consistere non potest. Hinc Homerus dicit: *Semper iuniorum virorum animi leves sunt.* Et S. Basilius in cap. 3. Isaiæ: Κοῦφον ἡ νεότης καὶ εὐκίνητον πρὸς τὰ φαῦλα. *Est adolescentia levissima, et ad flagitia quamprime mobilis, et indomitæ effrænesque concupiscentiæ, belluinæ et immanes iræ, linguæ incontinentia, contumelia, arrogantia, fastus ex animi elatione, reliquæ item affectiones iuventuti vernaculæ et coalumnæ, invidiæ ob alterius exuperantem eminentiam, suspiciones adversus familiares.*

Secunda rota, est temeritas, quæ omnia pervadit, conculcat, et proterit. Plutarchus lib. de virtute morali: *Adolescentum*, ait, *cupiditates ob copiam et calorem sanguinis celeres, feroces*, διάπυροι καὶ οἰστρώδεις, *ardentes et rabidæ sunt.* Cæco impetu in obvios rapiuntur, non audit currus habenas. Hæc rota falcibus et gladiis armatur, ut olim currus bellici Orientalium, et eorum ferrata carpenta. Audiendus est idem Plutarchus, et revocanda ad rationis gyrum est adolescentia, ut tota vita usque ad senectutem sit quieta. Sic enim ait lib. de educandis liberis: *Quemadmodum tranquillo cælo adornanda sunt quæ adversus tempestates faciunt, ita in adolescentia moderationem et temperantiam*, ἐφόδιον εἰς τὸ γῆρας ἀποτίθεσθαι, *viaticum senectuti præparare oportere.* II.

Tertia rota currus adolescentiæ est amor deliciarum. III.
Cæteræ omnes ætates sibi facilius temperant, adolescentia toto pectore cupedias haurit, et contento cursu ad eas fertur. S. Ambros. lib. 1. de Interpellatione David. c. 7. *Habet*, inquit, *pueritia innocentiam, senectus prudentiam, ipsa vicina adolescentiæ iuventus, bonæ existimationis intuitum et verecundiam delinquendi. Adolescentia sola est invalida viribus, infirma consiliis, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis.* Ubi adverte iuventutem ibi sumi pro virili ætate, sed cum adolescentia sæpe confunditur apud S. August. S. Gregor. et alios. Imo ipse Tullius in Vatinium ait: *Voluptate et deliciis facile intercipitur.*

Quarta denique et perniciosissima rota, est luxuria, IV.
quæ currum iuventutis seu *adolescentiæ* ad saxa allidit, aut fœtenti et tenaci in luto versat ac reversat. Varroni adolescentiari idem est quod luxuriari. Sicut enim Salvianus dicebat, facilius esse invenire Afrum non Afrum, quam Afrum non impudicum: Ita perdifficile est reperire iuvenem, qui a labe turpitudinis sit prorsus immunis. S. Hieron. certe effatum animis timorem iniicit: *Impossibile est*, ait, *iuvenem vitiis carnis non tentari.* S. Chrys. hom. de Anna et Samuele moderatius dicit: *Adolescentes a lascivia revocare difficile bellum est.* S. August. serm. 43. de verb. Domini: *Acrior pugna iuvenum est. Caro enim concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Vino novo despumanti hæc ætas non male ab aliquibus comparatur. Tertull. lib. de pudicitia, periculum hoc carnis vacillationem vocat, sumpta a navibus fluctuantibus, et naufragio proximis metaphora. Semper enim in agitatione vivit adolescens. Unde S. Cyprian. de bono pudicitiæ: *Cito*, inquit, *natura corporis periclitatur in corpore, dum rapit illam secum caro, quæ semper in lapsu est.* In rupium dentatis muricibus, et lubricis devexisque flexibus ludibundus saltitat adolescens, atque oborta vertigine in subiectam voraginem ac lutum delabitur, ibique tamdiu volutatur, donec intereat, nisi divina manu, sicut Loth e Sodomis, veluti per vim eripiatur.

Collige septimo, omnibus hominibus, sed præsertim iuvenibus, esse vitandam ignorantiam, et veniam de ignorantiis a Deo petendam esse: *Delicta iuventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.* Nam ignorantia est peccati mater; 2. filia; 3. est etiam ipsa peccatum nonnunquam. Primo, est peccati causa et mater. Omnis enim peccans, ignorans. Iuvat Psalt. Romanum, ubi habetur: *Delicta iuventutis et ignorantiæ ne memineris.* Et S. Aug. hic: *Delicta iuventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris.* Ignorantia traxit populum Israel ad scelera. Iudic. 2. 10. *Omnis illa generatio* (omne genus hominum quod vixerat cum Iosue) *congregata est ad patres suos* (id est, mortua est) *et surrexerunt alii, qui non noverant Dominum, et opera quæ fecerat cum Israel.* Quid ex illa ignorantia ortum est? peccatum gravissimum idololatriæ: statim enim additur v. 11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, et servierunt Baalim, hoc est idolis gentilium. Omnes enim dii masculi intelliguntur per Baalim, sicut omnes deæ per Astarten sive Astaroth. Hanc ignorantiam atramento Sepiæ commode contule-

44. Ignorantia est evitanda iuvenibus.

Sepiæ atramentum.

ris. De atramento enim illo ait Plin. lib. 3. cap. 40. *Sepiæ atramento tanta vis est, ut in lucerna addito, Æthiopas videri ablato priore lumine Anaxilaus tradat.* Ignorantia est in causa, cur monstra et spectra Æthiopibus diriora et tetriora appareant. Nox est Ægyptiaca diu durans, et tenebras densissimas habens. Exod. 10. 22. *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.* Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat. Sap. 17. 2. *Vinculis tenebrarum, et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ* (Gr. exules a perpetua providentia. Vatabl. ab æterna providentia profugi) *iacuerunt.* Et vers. 4. magis ad rem præsentem apte dicitur *personæ* (φασματα, hoc est spectra, larvæ) *tristes* (ac truces) *illis apparentes pavorem illis præstabant.* Ipsa mandata Dei licet pulcherrima et facillima, velut horrida et impossibilia proponit dæmon: Deus vero terrores horrificos pœnarum intentat; nox enim est. S. August. in Ps. 90. *Cum*, ait, *quisque ignorans peccat, tanquam in nocte peccat: cum autem sciens peccat, tanquam in die peccat.* In nocte facilis est lapsus. Aquila vertit: Delicta iuventutis meæ, et παραπτωματα *prolapsiones*, ne memineris. Secundo, ignorantia est peccati filia. Peccatum enim excæcat, ut in Sodomitis patuit, Gen. 19. 11. in Samsone, Iud. 16. 21. in Syris Elisæum capere volentibus, 4. Reg. 6. 18.

Scythæ servos excæcabant.

Scythæ servos omnes oculis privabant lactis gratia, ut ait Herodot. lib. 4. idem facit dæmon, 1. per divitias: unde veteres Plutum sive Plutonem deum divitiarum pingebant excæcatum; 2. per voluptates. Notabile est quod S. Ambros. lib. 5. in Luc. cap. 4. refert de quodam Theotimo.

Theotimi libido furiosa.

Cum ille gravi oculorum morbo laboraret, eique usus uxoris a medico esset prohibitus, ne cæcus fieret, sibi non potuit temperare, sed *in ipso æstu ferventis cupiditatis et consuetudinis apparatu: Vale*, *inquit*, *amicum lumen.* Longa cæcitate brevem ille emit voluptatem, peccator vero æternas tenebras ingreditur;

Excæcati variis modis.

3. honor excæcat. S. Ambros. lib. de fuga sæculi, cap. 5. *Fumo iniquitatis oculus animæ cæcatur*, ipse Solis splendor aut vasis alicuius excæcat. Blondus lib. 10. Dec. 1. ait Felicem Archiep. Ravennatem iussu Iustiniani Apsimari Imper. Constant. coactum diu aspicere candens vas æneum fuisse excæcatum, ac deinde in pontum relegatum. Galenus lib. de usu part. cap. 3. tradit Dionysium

45.
Peccata mentem excæcant.

tyrannum ex obscurissimo carcere in locum gypso illitum eos deduci curavisse, quos excæcare vellet: ut ex illo repentino splendore lumen amitterent. Honorum splendor, et famulitii atque domorum, mensarum, et aliorum apparatus caliginem animo affundit. Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ cap. 1. *Circumfudit me ex longo frugalitatis situ venientem, multo splendore luxuria, et undique circumsonuit. Paulum titubat acies, facilius adversus illam animam quam oculos attollo.* Luxuriam ponit pro luxu, qui sæpe a vanitate et inani iactantia oritur, ut patet toto illo cap. 4. Omnia peccata cæcitatem inducunt Ps. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ* (velut Leones et Tigrides e sylva densa exilientes) *et non potui ut viderem.* S. Hieron. vertit, non potui videre. Matth. 8. 11. *Filii autem regni* (Israelitæ, qui destinati erant ad regnum cælorum) *eiicientur in tenebras exteriores*, quæ sunt in gehenna extra locum cælestis convivii, in quo est lux æterna. Eiiciuntur etiam in tenebras interiores. Iob. 24. 13. ait amico suo Eliphaz Themanitæ: *Ipsi fuerunt rebelles lumini* (Deo qui lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, 1. Ioann. 1. 5. et eius gratiæ) *nescierunt vias eius* (id est non probarunt, vel contempserunt, ait Pineda) *nec reversi sunt per semitas eius.* Septuag. vertunt: Viam iustitiæ non cognoverunt, nec semitas eius ambulaverunt. Cognoscens autem opera ipsorum tradidit eos in tenebras. V. 15. additur: Oculus adulteri observat caliginem. Io. 13. 4. de Iuda proditore habetur: cum accepisset buccellam, exivit continuo, *erat enim nox.* Odo Abbas Cluniacens. lib. 4. Mor. in Iob: *Sicut*, inquit, *caligo nebulosa congerie obscurat diem, ita confusio perturbatis cogitationibus subnubilat mentem.* Tertio denique, sæpe ipsa ignorantia est peccatum, nempe ex negligentia sciendi, vel ex effectu sequente, ut docet S. Thomas 12. q. 76. 2. et q. 84. art. 4. ad 3. Hinc S. Hier. pro *ignorantias* vertit scelera, ait enim: *Peccatorum adolescentiæ meæ: et scelerum meorum ne memineris.* Aquila vertit, αθεσμιας, id est, scelera legibus contraria. Itaque ignorantia confunditur cum scelere voluntario. Habacuc 3. 1. habetur: *Oratio Habacuc Prophetæ pro ignorationibus*, ut S. Hieron. Aquila, Symmachus, Quinta editio, et Noster habent. Theodotio autem reddit, υπερ των εκουσιασμων, *pro voluntariis:* vel, pro iis qui sponte delinquunt. Peccatum est antiquum et tenebrosum chaos, et abyssus tenebrosa, de qua Genes. 1. 2. *Terra autem erat inanis et vacua* (Hebr. erat solitudo, et vacuum: quia nullæ plantæ, animalia aut homines in ea erant) *et tenebræ erant super faciem abyssi*, (quæ a terra pertingebat usque ad cælum empyreum.) Eccl. 2. 14. *Sapientis oculi in capite* (Campensis in fronte) *eius: stultus in tenebris ambulat.* Camp. stultus velut cæcus palpitat. Habet impius oculos in calcaneis plenos pulvere ac luto. S. Gregorius Nyssenus in eo loco Ecclesiastæ: *Quando*, ait, *prospiciendi vis in anima occupatur in rebus sensibilibus, in eius calcaneos oculorum transit natura, per quos aspicit, ea quæ sunt inferiora, rerum sublimium contemplationis expers.* Brigittanus maxime ad propositum nostrum vertit, Oculos illi tenebrosa opera sua effoderunt.

Populi oculos ad zonam appendentes.

Lucianus fingit quosdam populos oculos suos identidem ad zonam suam appendere: asinus marinus in ventre oculum habet. Plerique in terrenis et turpibus lynces, in cælestibus sunt talpæ. Sapiens vero instar Uranoscopi oculos in cælum semper intentos habet, atque ut leo dormit oculis apertis.

Iusti sunt acutissimi visus.

Vel potius, velut animalia Apocalypsis undequaque oculos habet, ut ab hoste non circumveniatur et excæcetur. S. Epiph. serm. de Ascens. *Arrepit*, inquit, *diabolus per fornicationem carnem contaminare cupiens:* αλλ'ως φυλαξ αγρυπνος εχον τον ψυχης οφθαλμον, *at tu tanquam fidus custos animæ oculum vigilem semper exporrectum habens, latronem illum mentis tuæ lumina violare non sinas: ut plena tandem victoria potitus ad illum audacter dicere queas, divinam possessionem diabolo non prodidi.* Vide dicta v. 15. Ps. nostr.

SECTIO SECUNDA.

Duo exequitur. Primo, asserit a Deo legem dari peccatoribus, pœnitentibus et perfectis, ut ab ea iuventur, v. 8. Secundo, commoda percenset orta ex legis divinæ observatione in via mandatorum ambulantibus, vers. 11.

PARAPHRASIS.

8. *Dulcis et rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

8. Sentio me cælesti fiducia animari, tibi ut adhæream Deus meus. Summa enim est misericordiæ tuæ suavitas et iustitiæ rectitudo. Non patieris, peccato licet excæcatos a via aberrare, sed legem illis tuam sanctissimam iustissimamque concedes, a qua velut pervigili pædagogo, in viam, cum erraverint, reducantur.

9. Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

9. A vitiorum feritate atque barbarie ad mansuetudinem ac lenitatem traductos fideles tuos manuduces, voceque excitabis, ac iudiciorum tuorum terrore ad celerem in salutis via cursum impelles. Selectissimas maximeque ab hostibus tutas facilesque vias mitibus ac benignis aperies, eosque quid aut periculi aut commodi subeit, edocebis.

10. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas: requirentibus testamentum eius et testimonia eius.*

10. In omnibus operibus tuis misericordem te et veracem Deus exhibes illis, qui legem tuam fœdere et testamento sancitam, et qua voluntatem tuam testificaris, studiose servaverint.

11. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.*

11. Ut misericordia tua et veritas elucescat, et per eas nominis tui gloria, peccanti mihi indulgebis: tanta enim sunt et tam magna scelera mea; ut maxime omnes bonitatem tuam admiraturi sint, cum iis peperceris.

12. *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.*

12. Omnibus qui te filiali timore, cultu et veneratione Dominum suum agnoverint et adoraverint, legem tuam velut fidelissimum ducem ac protectorem concedes: a qua et ducantur et iuventur in via cælesti quam elegerunt.

13. *Anima eius in bonis demorabitur, et semen eius hæreditabit terram.*

13. Bonis omnibus circumfluent, in iisque et hanc et futuram vitam cum gaudio transigent: in hac, animi quietem; in alia, perennem beatitudinem obtinentes. Neque ipsi modo, sed etiam eorum filii, sive secundum carnem, sive secundum spiritum geniti, bis in terris pari mentis tranquillitate potientur, atque ad æternam hæreditatem non dispari felicitate pertingent.

14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum: et testamentum ipsius ut manifestetur illis.*

14. Nihil est cur quidquam timeant, qui te Deum suum timent, amant, et colunt. Neque enim patieris illos etiam in lubrico et salebroso calle concidere, sed benigna potentique manu a lapsu impedies. Ipsaque Lex, quam eis viæ sociam dedisti, tanto est auxilio et sustentaculo, ut ad optatam tandem visionem eos perducat. Quod a te optime parente suo obsequentes filii, secluso omni metu expectare debent, cum iureiurando te astrinxeris gloriam te tuam illis manifestaturum.

QUÆSTIO UNICA

Quam fida dux et secura est lex Dei in via cælesti.

47. Ordo sectionis. SECTIONE superiori David animam a terra in cælum elevans, viam sibi ostendi postulavit, ut per eam ad Deum evolaret. Nunc in ea altius progressus, et Deum propius contemplans, omnes invitat, ut ad eum accedant ipsius delinití bonitate. Ostendit enim, 1. viæ terminum Deum; 2. legem ab eo datam in ducem viæ; 3. viam ipsam; 4. utilitates perceptas ab ambulantibus in illa. (In cælum tendenti varia declarantur.)

Ac primo, In termino viæ ut patrem et remuneratorem ostendit Deum, qui omnes ad se alliciat, v. 8. *Dulcis et rectus Dominus.*

Secundo, legem e cælo devolantem depingit, quæ, 1. peccatores instar pædagogi corrigat. Ibid. *Propter hoc legem dabit delinquentibus in via;* 2. pœnitentes ducis more regat, ne aberrent, v. 9. *Diriget mansuetos in iudicio;* 3. perfectos Doctoris instar instruat. *Docebit mites vias suas.*

Tertio, Viam ipsam describit stratam, ut sic loquar, divina misericordia et veritate, v. 10. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum eius et testimonia eius.*

Quarto denique, utilitates ac fructus, quos percipiunt, qui in via cælesti ambulant, enumerat, 1. peccatoribus datam veniam, v. 11. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim;* 2. pœnitentibus continuam legis considerationem, v. 12. *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.* Virtutum in anima augmentum, v. 13. *Anima eius in bonis demorabitur.* Multorum Deo per ipsos genitorum comitatum et salutem. Ibid. *Et semen eius hæreditabit terram;* 3. perfectis robur inconcussum, v. 14. *Firmamentum est Dominus timentibus eum.* Et Dei visionem ac fruitionem. *Et testamentum ipsius, ut manifestetur illis.*

ARTICULUS. I.

Legem suam dat Deus alumnis mansuetis suis, ut eos ad cælum ducat.

48. Vers. 8. 1. Pars. TIMEBAT David delicta iuventutis suæ et ignorantias, ideo misericordiam Dei et bonitatem implorabat, ut vidimus supra. Nunc luce oborta clementiæ Dei erga se et alios, exultat, et sibi eventura bona declarat, vers. 8.

A DULCIS ET RECTUS DOMINUS, PROPTER HOC LEGEM DABIT DELINQUENTIBUS IN VIA.

Primo, Deus dicitur *dulcis et rectus*, id est misericors et iustus, ita S. August. Remig. Ruffin. Bellarm. Ugo et alii. Hebr. pro *dulcis* habetur טוב *tob*, id est, 1. *bonus*, ut S. Hieron. Yatabl. Felix, Pagn. vertunt; 2. benignus, Apollinaris reddit, ευνοος, id est benignus. Petav. πραος, mitis; 3. beneficus, ut etiam explicat Genebrardus. Dulcis porro et iustus est Dominus, Primo corrigendo delinquentes. Sic enim exercet misericordiam erga hominem, et iustitiam erga peccatum. Ita Bellarminus. Secundo, dulcis est, quia blanditur: iustus est, quia vindictam intentat. S. Aug. in Ps. 144. Amabilis est, et terribilis. *Non enim blanditur, et non minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio: si non minaretur, nulla esset correctio.* Tertio, dulcis est ob varia bona, quæ hac etiam in vita largitur: rectus est, quia flagellis errantes ad rectitudinem reflectit. Ugo Cardin. in Ps. nostr. *Dulcis est, gratis dando, rectus est, rationem dati requirendo. Dulcis est, quia perire* (Deus est dulcis et rectus, id est misericors et iustus.)

B *non patitur: rectus, quia punire non obliviscitur. Dulcis, quia mater: iustus, quia pater. Dulcis, quia sponsus: iustus, quia Dominus. Dulcis est affectui, rectus intellectui. Dulcis, quia vita; rectus, quia via.* S. Bern. de gradibus humilitatis: Dulcis, inquit, quia perire non patitur: rectus, quia punire non obliviscitur. Quarto, dulcis est in Eucharistia, iustus in pœnitentiæ sacramento. Ita Thomas Anglicus. Hanc dulcedinem viri iusti percipiunt per fidem et amorem, Christum instar floris melle pleni exugentes. Dicit Cant. 2. 1. *Ego flos campi*, q. d. omnibus pateo, et ab omnibus sugi exopto. Albert. ait, flores esse quasi vasa concava, in quibus recipitur ros mellifluus distillans in profundum floris, et ideo apes colligentes mel in profundum floris capita sua figere. Eccli. 21. 27. sapientia incarnata clamat, *Spiritus meus super mel dulcis*, si vis illud mel gustare, esto spiritualis, et spiritu fundum floris pervade, noli hærere in superficie, ubi est tantum species panis communis, intus est mel et ros cælestis. Quinto, dulcis fuit Iesus in primo adventu, iustus

C erit in secundo; tunc enim veniet iudex, sicut antea venit redemptor. Apis est, cui et mel est, et aculeus. S. Bernard. serm. 2. de adventu: Apis, inquit, *habet mellis dulcedinem, habet etiam aculei punctionem. Apis vero est, quæ pascitur inter lilia, quæ florigeram inhabitat regionem Angelorum. Unde ad civitatem Nazareth, quod interpretatur flos, advolavit, et ad suaveolentem perpetuæ virginitatis florem odrenit, illi insedit, illi adhæsit. Huius apis mel et*

aculeum non ignorat, qui misericordiam et iudicium cum Propheta decantat, Psal. 100. 1. Dicit deinde in hac vita visum fuisse sine aculeo, cum arguit discipulos, qui in Samaritanos fulmen decntare volebant, quod portas suas Christo ad eos venienti clauderent: sed postea resumpturum, cum ad iudicium veniet. Ruffin. notat, quod plerumque nos cum rectitudinem exequimur, mansuetudinem relinquimus: et cum mansuetudinem servare cupimus, a rectitudine iustitiæ declinamus. Dominus vero ac redemptor noster sic utrumque in se temperat, ut nec dulcedo rectitudinem, nec rectitudo dulcedinem in aliquo minuat. Sic dulcis est Dominus, ut peccata dimittat: sic rectus est, ut post vocationis et veniæ gratiam ultimo iudicio digna merita exquirat. Ita Ruffin. Hinc collige, timorem amori esse miscendum, ut suaviter et fortiter Deo servias. Ludulphus id concludit: *Amo*, inquit, *quod dulcis est: timo, quod rectus est, ut amore et timore Dei excitatus legem eius custodias.* Hic sensus bonus est. De zelo iustitiæ miscendo benignitati, vide S. Gregor. 2. part. pastoral. cap. 6.

Vel potius dulcis et rectus: id est benignus et sapiens.

Secundo, tamen convenientius dicitur hoc loco Deus *dulcis et rectus*, id est suavis et benignus in miserendo: et sapiens in dirigendo. Vel, dulcis ob paternam bonitatem, rectus ob virtutis amorem et conservationem. Dulcis, ait Agellius, hoc est, benignus, clemens, bonus. *Rectus* autem fere idem significat, placidus, facilis, mitis. Ita ipse. Petavius vertit, πρᾶος καὶ ἀγαθόφρων, mitis et clemens. Ratio autem, cur rectus non sumatur pro iusto, est, quia in toto hoc psalmo petit misericordiam, et proxime antea petierat; 2. quia statim subdit opera misericordiæ, nempe donationem legis etiam ipsis peccatoribus, directionem mansuetorum, doctrinam mitium. De eo ait S. Bern. serm. de cœna, cuius est initium, Panis Angelorum, etc. *Ipse est Iesus*, inquit, *qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in operatione, dulcior apparebit in divinitatis visione.* Imo est ipsa dulcedo.

Probat David, Deum esse dulcem et rectum, quia dat legem suam hominibus, etiam peccantibus, ut eos iuvet,

Vers. 8. 2 Pars.

diriget et doceat, v. 8. PROPTER HOC (S. Hieron. propterea) LEGEM DABIT DELINQUENTIBUS IN VIA. Nota, τὸ *in via*, referri potest ad *legem dabit*, q. d. in via dabit legem iis, qui delinquunt; 2. referri potest ad *delinquentibus*, q. d. dabit legem iis, qui a via aberrant, et in ea peccant.

49.
Deus dat legem naturalem.

Nota secundo, Dat legem Deus, Primo, naturalem ipsis animæ nostræ potentiis ab ortu inditam, ut nunquam vel unico momento sine lege esse possimus. S. Ambr. epist. 71. *Lex naturalis non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur, et humanis ingeniis hauritur.* Vide dicta Ps. 4. 7. *Signatum est super nos lumen tuum Domine.*

Et scriptam.

Sacerdotes Chaldæi et Assyrii liberos suos ipsi docebant, ut ait Herodotus lib. 2. sed nemo nascenti scientiam infudit. Secundo, cum homines ea, quæ foris sunt, appetentes, a lege sibi indita recessissent, Deus legem scriptam dedit, quæ oculis obiecta eos ad mentem revocaret, et a vagatione per exteriora retineret. S. August. in Ps. 57. *Data est etiam conscripta lex: non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, et ad teipsum intro revoca-*

Columnæ Pisistrati.

ris. Columnas in singulis Athenarum triviis erexit Hipparchus Pisistrati filius, et præcipua legis præcepta in illis inscribi curavit, atque sapientiæ instituta, ut ipsi rustici et advenæ ea legerent et addiscerent, ut ait Plato in Hipparcho, Deus proprio digito in tabulis lapideis leges scripsit, ut populo rudi ostenderentur.

50.
Legem dat Deus peccatoribus ob tria.
1. Ut eis viam ostendat.
2. Ut errantes in viam reducat.

Nota tertio, Deus dat legem suam peccatoribus: Primo, ut viam ostendat ipsis. Symm. vertit, demonstrabit peccatoribus viam. Ut enim Lorinus monet, phrasis Hebræa docere in via, dirigere in iudicio, et in veritate idem potest esse, quod viam et iudicium et veritatem docere. Secundo, lex datur peccatoribus, ut errantes ipsos ad viam reducat. Syr. dirigit peccatores in viam. Hebr. pro *delinquentibus* est חטאים *chattoim*, id est errantibus, aberrantibus, a via vel scopo deflectentibus. Hoc enim significat חטא *chata*, ut docet Mercer. Tertio, lex datur peccatoribus ut in via illos illuminet. Aquila vertit, φωτιεῖ ἁμαρτωλούς, id est, illuminabit peccatores. S. Hieron. propterea docebit peccatores in via. Laertius lib. 5. miratur Theophrastum, qui ad duo millia discipulorum habuit; Deus vero, et quidem gratis dat legem pro pædagogo, etiam ipsis hostibus suis, nempe peccatoribus, ut eos regat. Gal. 3. 19. *Lex propter transgressiones posita est* (Gr. διαταγεῖσα, id est disposita suo ordine, velut miles suo loco et ordine in acie, ita Corn.) *ordinata per Angelos, in manu mediatoris*, Christi, ut ait S. Hieron. et S. August. 2. et melius, in manu Mosis, ut docent S. Gregor. Naz. orat. 6. et 8. Cyrill. Alex. 12. thesauri cap. 10. agitur enim de lege veteri, quam accepit Moses in monte Sinai, Exod. 32. 15. De illa subdit Paulus v. 24. *Lex pædagogus noster fuit* (nos velut pueros agens et ducens, ait S. Hieron.) *in Christo.* (Gr. εἰς Χριστόν, id est, ad Christum) *ut ex fide iustificemur*, sed per charitatem operante. Quarto, lex datur peccatoribus in via, ut eos corrigat, sed cum misericordia et suavitate. Remigius, *Legem dabit*, inquit, id est, flagella et correctiones, *delinquentibus in via*, id est, in mandatis Domini, quæ sunt via ad vitam: vel, in via, id est in Christo, qui est via ad vitam, dabit legem delinquentibus: quia Christus lex est: id est, liber et forma bonis imitandi, quæ fecit et docuit: malis vitandi, quæ ipse vitavit et prohibuit. Aliter. Quia rectus est, dabit legem, id est, flagella delinquentibus in via: id est, in hac vita, ut in eo quod temporaliter punit, temporaliter delinquentes, ostendat quod æternaliter puniet, æternaliter delinquentes. Temporaliter peccat, cui si longæva vita daretur, cessaret. Æternaliter vero peccat, cui aufertur facultas, non voluntas, ita Remigius. Itaque lex est medicina, aliquando amara, sed semper salubris: Medicus est nonnunquam sectionem imperans, sed ut vitam conservet. Philo lib. de Ioseph. ἐοίκασιν, ait, ἰατροῖς οἱ ἐν δήμῳ νόμοι, *Medicis similes sunt in civitate leges, et magistratus, qui secundum leges iudicant, senatores iudicesque, providentes communi saluti et securitati.* Hoc præsertim verum est de legibus Dei, de quo dicitur Iob. 36. 22. Nullus similis ei in legislatoribus. Hoc in psalmo præsertim dari lex peccatori memoratur, ut eum dirigat et doceat.

3. Ut in via eos illuminet.

4. Ut eos corrigat.

51.
Alludit David ad legem datam Hebræis.

Nota quarto, cum dicat David dari legem delinquentibus in via, et dirigi mansuetos ac docere mites, eum alludere ad legem datam in monte Sinai, quæ data est populo sæpius murmuranti in deserto, imo et vitulum adoranti, cum lex daretur Mosi oranti: unde tabulas fregit et postea in montem ascendens post 40. dierum iteratum ieiunium illam denuo accepit. Erat autem ipse mansuetissimus ac mitissimus virorum: ideo dignus fuit, qui ab ipso Deo, id est, Angelo eius legato, dirigeretur et doceretur. Ubi adverte, quod Hebræi fingunt Deum legem obtulisse primo Idumæis, deinde Ismaelitis, postea Iudæis, sed male. Nam evidens est ex Scriptura, leges datas Iudæis anno primo exitus ab Ægypto, et quidem ante omnes leges omnium populorum scriptas et datas fuisse patet, licet ex Strabone lib. 6. noscamur, Locros primos conscriptis usos esse legibus. Salianus enim tom. 2. Annal. veter. testam. anno mundi 2470. fuse probat, Mosem omnibus Græciæ sapientibus, imo et plerisque eorum diis, antiquiorem extitisse. Clemens Alex. lib. 1. Stromat. tradit, Pythagoram, Platonem, Eudoxum, aliosque Græcos, multa didicisse ab Ægyptiis: Ægyptios autem ab Abrahamo, ut vult Nicol. Damascen. apud Eusebium, aut a Iacob Patriarcha et Iosepho, ut est probabilius. Nam Abraham brevissimo tempore in eo regno fuit, statim dimissus a Pharaone, Genes. 12. 20. Iacob ibi mansit per annos septemdecim. Nam ingressus est Ægyptum anno ætatis suæ 130. mortuus est anno 147. Ioseph ibi vixit per annos 94. Nam venditus est anno ætatis suæ 16. servivit annos 13. post exaltationem suam in principatum Ægypti vixit annos 80. mortuus est ætatis suæ anno 110. ante exitum Mosis et Hebræorum ex Ægypto 144. De Mosis porro libris ait S. Iustin. Martyr. in oration. ad Gen-

Iis data est lex scripta prius quam cæteris populis.

Moses antiquior fuit omnibus Græciæ sapientibus.

tiles. *Solatum, ait, et prima Prophetæ Mosis extitit historia, quam afflatu divino ille Hebraicis composuit literis. Græcorum enim nondum extabant, prout ipsi etiam literarum magistri asserunt, Cadmum eas primum e Phœnicia allatas Græciæ tradidisse docentes. Quin et Plato ipse philosophorum princeps posterius inventas esse testatur.*

52. Vers. 9. Si legem dat Deus delinquentibus in via, quid faciet amicis suis et virtutem colentibus? vers. 9. addit David: DIRIGET MANSUETOS IN IUDICIO, DOCEBIT MITES VIAS SUAS, id est, misericordiam et veritatem, ait S. Hier. 2. mansuetudinem et humilitatem: per eas enim vias ambulavit, cum dicat Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Favet Aquilæ et Symm. versio ὁδὸν ἑαυτοῦ, viam sui ipsius; 3. et melius, sua consilia, opera, et agendi modos.

Via regia sanctorum est terenda. Nota: pro *diriget* Hebr. est ידרך *iadrech*, deducet, ut vertit S. Hieron. ambulare faciet, ut Pagnin. proprie per calcatam viam ducet. *Derech* enim est calcata via, a rad. darach, calcare, iter agere. Non est periculum in via regia, et sanctorum vestigiis trita. Noster, Vatabl. Felix et alii, signatius vertunt *diriget*, q. d. directa via et brevissima ducit ad metam propositam. Nam, ut ait Aiguan. Dirigere opera alicuius, est ipsa ad debitum finem perducere. Finis autem debitus omnium operum nostrorum est ipse Deus, in quem omnia ut in finem tendunt, vel tendere debent. Et sic dirigere opera nostra, est ipsa ad æternum præmium acceptare, quod alibi petebat Ps. 89. 17. *Opus manuum tuarum dirige.* Ita ipse. Malim dicere, mansuetos a Deo dirigi, quia efficit, ut nihil obliqui faciant; 2. quia deducit eos per viam rectam, id est facillimam, tutissimam et brevissimam.

53. I. Mansueti et mites inter se differunt. Nota secundo: *Mansuetos et mites* a se invicem diversos esse vult Ruffin. hoc modo: Mansueti, ait, dicuntur, qui in se sunt quieti: qui non irascuntur, non contendunt, non rixantur. Mites sunt, qui aliorum contumelias, iras et iniurias patienter sustinent. S. Thomas melius: *Mansuetudo*, inquit, *est virtus mitigans iras, quia ira valde impedit cognitionem, et maxime in moribus invenitur. Hæc autem virtus maxime debet oppeti: unde dicit S. Dionys. ad Demophylum, quod Moses propter nimiam mansuetudinem fuit dignus apparitione divina. Mansuetus dicitur, qui de feritate ducitur ad pietatem, vel humilitatem, sed mites dicuntur, qui tales semper fuerunt. Isti miserentur a Deo, quia disciplina Domini acquiritur ab homine secundum quod est homo, non secundum quod est bestia. Iob. 35. 11. Docet nos super iumenta terræ. Proprium hominis scilicet ratio pervertitur per passionem irascibilis, et concupiscibilis: mansuetudo temperat passionem irascibilis, et temperantia passionem concupiscibilis. Et ideo qui sunt mites, merentur accipere Domini doctrinam. Isaiæ 28. Quem docebit scientiam, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* S. Hier. secundo loco vertit, docebit *modestos* viam suam.

II. Et verius, hoc loco pro iisdem sumuntur. Secundo verius est, mansuetos et mites pro iisdem accipi. Nam hebraice in utroque loco est eadem vox ענוים *anavim*, id est mansueti, mites, humiles, modesti. Græce item utrobique est πρᾳεῖς, hoc est lenes, benigni, mansueti, mites. Hoc autem explicat 1. de humilibus Thom. Anglicus, Bellarm. Titelm. 2. de patientibus Ludulphus, Ioan. a Pastura, Palant. 3. de omnibus viam Dei ineuntibus, et iugum legis Dei non detrectantibus, Didymus et alii. Sic erit synecdoche. Nam sicut superbia sæpe sumitur pro omni vitio, quod sit fons et radix omnis nequitiæ, ita humilitas et mansuetudo pro omni virtute. Psal. 146. 6. mansueti opponuntur peccatoribus: *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.*

54. Iudicium Dei hic potest accipi quadrupliciter. Nota tertio: τὸ *in iudicio* potest dupliciter sumi, 1. pro iudicio ipsius Dei; 2. pro iudicio hominis.

I. Pro iudicio prudentiæ. Si sumas pro iudicio Dei. Primo, Iansenius sic explicat, q. d. Diriget Deus mansuetos in iudicio prudentiæ suæ. Hoc explicare possis mira Catonis Censorii (qui et Cato maior dicitur) sollicitudine pro filio suo, ad eum docendum et instruendum ac formandum. Cum enim uxor

A peperisset, nullo tam urgenti (nisi publico) negotio impediebatur, quin ei infantem abluenti atque fasciis involventi assisteret. Ubi capax esse cœpit, *instituit eum ipse in literis*, licet servum literatorem haberet, Chilonem nomine, qui multos pueros erudiebat. Nolebat enim filium, ut dictitabat, a servo male audire, vel aure vellicari, si tardius disceret, nec vero esse tantulæ disciplinæ causa obstrictum servo; αὐτὸς μὲν ἦν γραμματιστής, αὐτὸς δὲ νομοδιδάκτης, αὐτὸς δὲ γυμναστής: *verum erat ipse ludimagister, ipse legum doctor, ipse exercitationis præfectus.* Neque iaculari modo, et armis depugnare, atque equitare docuit filium: sed pugilatum etiam, æstum et algorem tolerare, vortices et fluctus fluminis nando superare. Historias sua manu se grandibus literis dicit conscripsisse, ut filius disciplinam maiorum et veterum instituta domi petere valeret. Ita Plutarch. in Catone. Deus vero diu noctuque, per se suosque, intus et exterius monet, instruit, dirigit, efformat et iuvat. Catonis mira sollicitudo pro filio.

B Secundo, Deus mansuetos dirigit in iudicio, id est iudicio suo: hoc est sua lege, ait Remig. et Agellius. Ubi adverte, legem dici iudicium, quia iura nobis a Deo præscripta continet; 2. legis esse proprium nos regere et illuminare. Vide dicta Psal. 118. 105. Rex est noster lex Dei. Philo lib. 2. de vita Mosis: Ὁ μὲν βασιλεὺς, νόμος ἔμψυχος: ὁ δὲ νόμος βασιλεὺς δίκαιος; *Rex animata lex est, lex vero est rex iustissimus.* Pindarus apud Platonem in Gorgia: Ὁ νόμος, ait, ἁπάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων; *lex omnium est regina mortalium atque immortalium: eaque ius agit violenter præpotenti manu.* Est nobis data lex velut legatus et vicarius Christi, qui ab Isaia cap. 33. 22. dicitur, *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Dirigit mansuetos in iudicio, id est secundum ius ait Petavius: vel secundum iudicium, id est recta via, ait Emmanuel Sa. 55. II. Pro lege. Lex est regina mortalium.

Tertio, Deus dirigit mansuetos in iudicio, hoc est per iudicium præsens, et per afflictiones ac punitiones huius vitæ, effiiciendo, ut eas generose perferant, inde proiiciant et ad cælum quærendum incitentur. Ita Beda. In C hoc, ait, iudicio, id est in hac paterna correctione non perturbabit illos, quibus legem dabit, sed diriget eos in viam iustitiæ factos mansuetos: scilicet ut non repugnent flagellis eius quasi feroces et indomiti: sed cum stimulantur, modestiores fiant, et in viam redeant: sicut bene domita animalia, cum stimulantur, redeunt in viam, et modestius moventur. Item Ugo Card. *Iudicium*, ait, *vocat præsentem tribulationem, in qua mansueti diriguntur, sicut equus virga, ne declinent a recta via. De quo iudicio 1. Petr. 4. Tempus est, ut incipiat iudicium a domo Domini. Bene ergo dicit: Diriget mansuetos in iudicio: quia illi, qui non sunt mansueti, repercutiunt Deum per murmurationem, et ingratitudinem, et quandoque per blasphemiam, et sic non diriguntur sed potius offendunt, et cadunt. De talibus dicitur Ierem. 5. 3. percussisti eos, et non doluerunt, attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas super petram, et noluerunt reverti. Sed boni inde instruuntur et meliorantur, secundum quod* D *dicitur Ier. 6. secundum aliam translationem: Per omne flagellum erudieris Ierusalem.* III. Pro punitione.

Quarto denique, Deus diriget mansuetos in iudicio futuro, cum eos a reprobis discernet. Ita Palanterius, eos enim ad se vocatos in cælum diriget ac deducet; 2. dirigit etiam nunc eos in iudicio futuro, cum illud iis obiicit ac repræsentat, ac per hoc iudicium quasi præsens in corde iusti statuit, quod timens, talentum Domini non abscondit, sed lucratur in illo quantum potest, ne audiat illam sententiam iudicis. Matth. 25. 28. *Tollite talentum ab eo, et inutilem servum eiicite in tenebras exteriores.* Ita Ugo. IV Pro iudicio externo.

Potest quoque *iudicium* hic sumi, non pro iudicio Dei, sed pro iudicio ipsius mansueti, qui in illo dirigitur. 56. Deus dirigit mansuetos in iudicio ipsorum mansuetorum, et quidem.

Ac primo, Deus dirigit mansuetos in iudicio, id est cum iudicio, sive per iudicium rationis, discretionis, prudentiæ, sapientiæ, quam dat ipsis. Primo, ut rerum naturam discernant, et omnes Dei administrationes; ita Theo-

I. Ut per lumen rationis se regant. doreius. Secundo, ut seipsos vere discutiant, iudicent, et emendent; ita Dionysius. Eas cogitationes comparat polymitæ Iosephi tunicæ Marcus Eremita de paradiso et lege spirituali n. 200. Bibl. gr. tom. 1. *Iacob filio suo Ioseph variegatam paravit tunicam, et Dominus mansueto veritatis largitur notitiam, quemadmodum scriptum est: Docebit mites vias suas;* Vult ipse filius Dei esse magister noster, Matth. 9. 11. et 17. 23. et 23. 8. expressius ipse *dicit verus est magister vester.* Alios ipse sibi subdelegat, quibus semper præsit, Matth. 28. 19. Persæ, ut ait Strabo l. 15. διδασκάλοις λόγων σωφρονεστάτοις χρῶνται, *disciplinarum magistris continentissimis utuntur, qui et fabulas ad utilitatem accommodatas intexunt, cum cantu et sine cantu, Deorum et clarorum virorum facta celebrantes. Congregant eos in unum locum, æris sonitu ante lucem excitatos ad arma aut venationem. Præficiunt quinquagenis aliquem ex Regis filiis, aut satrapæ alicuius* τρέχοντι κελεύουσι ἕπεσθαι, *quem ducem currentem sequi iubent, loco triginta aut quadraginta stadiorum determinato.* Ita Strabo.

57 II. Ut bene vivant. Secundo, Deus dirigit mansuetos in iudicio, id est in iudicium, ut recte vivant, ait Marianu. Discretionem facit inter corpus et animam, ut se invicem corrigant in via mandatorum Dei, ait S. Hieron. ut iudicium et æquitatem discant et perficiant, ut dicit Genebr. ambulare eos facit Deus per rectitudinem iustitiæ suæ, ait Titelm. Ad hoc maxime iuvat mansuetudo, mansuetus enim, ut placet Ugoni, dicitur quasi manu assuetus, qui ex feritate peccatorum, ad lenitatem humanam redit. Et S. Thomas dicit: *Mansuefit bestia, quando deposita ferocitate subditur hominibus; homo vero, cum peccatis depositis Deo subiicitur.* S. Antiochus hom. 55. de mansuetudine ostendit Deo acceptissimos esse mansuetos et ab eo dirigi: *Mansuetudo,* ait, *obsequenti famulatu gratiam emeretur divinam; Moses etenim famulus Domini promeruit dici, quod cæteros omnes eximia mansuetudine antegrederetur, atque hinc Dei visione, supra cunctos prophetas dignus habitus est; ait enim Num. 12. v. 8. At non talis sicut famulus meus Moses, ore ad os loquor ei.* Vide cætera, et dicta Ps. 131. 1. Moses quoque ideo legem a Deo accepit, quia erat mansuetissimus, ut per legem solus tam numerosum populum regeret, ac deinde substitutis sibi aliis ei præesset, atque eum in virtute contineret. Ut enim ait Clemens Alexand. lib. 1. Strom. legum ferendarum ars virtutem hominum comparare dicenda est, humanum bonum pro viribus excitans, ἐπιστατοῦσα καὶ κηδεμονίας τῆς ἀνθρώπων ἀγέλης: ut quæ gregis hominum curam gerat et providentiam.

Mansuetudo iuvat ad cæteras virtutes.

Christus Apostolis suis ait Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* q. d. nisi hoc primum didiceritis, et vestris moribus expresseritis, cætera omnia e memoria excident, aut ita turbabuntur, ut magis noceant quam prosint. Mansuetus bene retinet semel percepta, et bene percipit ea, quæ docetur, cum sit, ut ait Stobæus serm. 4. *ingenio quieto et stabili.* Ideo non turbantur eius appetitus, nec nubem offundunt phantasiæ, quæ eius species et imagines perturbet. S. August. l. 2. de doctrina Christiana: *Mitescere,* ait, *est non contradicere divinæ scripturæ,* sic nullo murmure in anima existente, melius, facilius, suavius, distinctius auditur Deus et eius doctrina percipitur. Cum deinde mansuetus non sit durus et obstinatus, sibi inscripta profundius et citius admittit. Plato in Theæteto: *Cum,* inquit, *alicuius in animo cerea effigies illa profunda et multa, lenisque, et probe subacta est, quæ per sensus influunt in hoc insculpta, quod Homerus,* τὸ τῆς ψυχῆς κέαρ, *animæ cor vocavit, ceræ hanc similitudinem subintelligens, utpote pura signacula, et funditus insidentia diuturna fiunt. At primo quidem homines sic instituti,* πρῶτον μὲν εὐμαθεῖς, ἔπειτα μνήμονες: *dociles sunt et acuti, deinde etiam memores, postremo sensuum simulacra non commutant, unde vera nimirum opinantur.* Illa cera flexilis est mens mansuetorum. Ut enim dicit Aristot. lib. 4. Eth. ad Nicomachum cap. 11. *Ea videtur esse mansueti et lenis hominis natura,* ἀτάραχος εἶναι, καὶ μὴ ἄγεσθαι ὑπὸ τοῦ πάθους, *ut ab omni animi perturbatione sit liber, nec se a passione rapi permittat.* Fontis est instar pellucidi et tranquilli, in quo recepti radii solis omnia usque ad imum fundum aperiunt: aut speculum sine macula, quod sibi datas species statim accipit, semper retinet, ac fideliter reddit. Plato Academiam suam extra tumultum urbium posuit, ut animus esset tranquillior, et minus turbaretur in docendo et discendo. In portu quieto suos alumnos collocat mansuetudo. S. Chrysost. hom. 24. in Gen. *Mansuetudo,* ait, *animam nostram constituit,* ἐν διηνεκεῖ γαλήνῃ, *in perpetua tranquillitate,* καθάπερ ἐν λιμένι, *velut in portu, et omnis recreationis ac quietis occasio est.* Et paulo post: *Nihil animam ita in tranquillitate et quiete esse facit, sicut mansuetudo et modestia,* τοῦτο παντὸς διαδήματος τιμιώτερον, *hæc omni diademate se possidenti est utilior. Hæc omni claritudine et gloria conducibilior. Quid enim beatius, quam intestino liberari bello?* Eadem pene tradit S. Basil. in Ps. 33.

Adde quod, cum Christus præceptor sit humilis et mitis, facilius et citius in scholam suam recipit mansuetos, humiles ac mites, eos in ea libentius et diutius retinet, atque sollicitius docet, Ps. 146. 6. *Suscipiens* (Felix, sublevans. Vatabl. evehens. Arias, erigens, ad ulteriores scilicet scientias mysteriorum, et gratias) *mansuetos Dominus.* Vult pueros ad se venire, ut eos doceat eisque benedicat. Matth. 18. 14. *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium* (Syr. eorum, qui sunt sicuti isti) *est regnum cælorum;* ubi S. Ambros. lib. 8. in cap. 18. Lucæ, ait, omnium puerilis simplicitatis bonitatem designari. Et Clem. Alex. lib. 1. pædag. cap. 5. *Mitis,* inquit, *ac mansuetus est infans, et ea ratione magis tener et mollis, qui est simplex, doli et fraudis expers, et remotus a simulatione, rectoque et erecto animo. Hoc autem simplicitatis et veritatis est fundamentum.* Et paulo post, ob eam animi indolem legem Christi suscipi tradit. Sumus, inquit, nos teneri ac molles, qui persuasioni non reluctamur, et a bonitate non difficulter colimur, hinc vacui, et malitia ac perversitate minime permisti sumus. Ita ipse. Eodem in lib. docet magistros quoque debere esse benignos et mansuetos. S. Hieron. in illud Pauli Epist. ad Titum cap. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem, non protervum, non iracundum, ait: *Revera nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus, ille e diverso torvo vultu, trementibus labris, rugata fronte, effrænatis conviciis, facie inter pallorem ruboremque variata, clamore perstrepat: et errantes non tam ad bonum retrahat, quam ad malum sua sævitia præcipitet.*

58. A Christo citius docentur mansueti.

ARTICULUS II.

Omnes viæ Dei sunt misericordia et veritas.

Cum dixisset David fore, ut Deus dirigeret mansuetos, 59. Vers. 10.
et doceret mites vias suas, statim ostendit, quæ sint illæ viæ, et quam amabiles atque optabiles v. 10. UNIVERSÆ VIÆ DOMINI MISERICORDIA ET VERITAS REQUIRENTIBUS TESTAMENTUM (S. Hieron. his qui custodiunt pactum) EIUS ET TESTIMONIA (S. Hier. testificationes) EIUS, id est iis, qui diligenter investigant totam scripturam, et investigant illam, ut in ea contente custodiunt. Quod enim amamus et servare cupimus, hoc sollicite perquirimus et scrutamur. Est metalepsis. Nam per id quod præcedit, intelligitur subsequens: nempe per inquisitionem custodia et observantia testamenti et testimoniorum: id est, ut ait Ugo et alii, testamenti novi et legis veteris ac prophetarum. Nam, sicut dicit Paulus Hebr. 9. 16. *Ubi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Christus vero pro nobis mortuus est, suo sanguine obsignans pactum, seu fœdus nobiscum initum, nimirum ut illi serviamus et simus populus eius: ipse vero nos tueatur et sit Deus noster, nobisque det gratiam et vitam æternam. Act. autem 10. 43. ait S. Petrus instruens Cornelium Centurionem: *Huic* (Christo) *omnes Prophetæ testimonium perhibent.* Lex vero Dei dicitur testimonium

seu testificatio, ut vertit Hier. quia per eam Deus nobis testificetur suam voluntatem.

60. *Viæ Dei dupliciter sumi possunt.* Nota primo: *Viæ Dei* dupliciter sumi possunt, 1. pro viis Dei ad nos; 2. pro viis creaturæ ad Deum. Nam, ut ait Thom. Anglicus, viæ Domini sunt processus divinæ bonitatis in creaturas: vel reductio bonitatis creatæ in Deum. Hoc autem loco arbitror per vias Dei intelligi omnia præcepta eius. Ita Agellius: vel potius, omnia eius opera et omnes agendi modus. Ita Bellarm.

Misericordia et veritas sæpe iunguntur. Nota secundo: sæpe in Scriptura simul iunguntur *misericordia et veritas*. Et eam coniunctionem vocat S. Bern. felicem copulam. Sic enim loquitur serm. 11. in Ps. 90. *Puto et vias Domini vultis audire. Multum præsumere videor, si me illas promissero ostensurum: legitur autem de ipso Ps. 24. Quoniam docebit nos vias suas. Cui enim alteri crederetur. Docuit itaque vias suas, cum aperuit labia Prophetæ, ut diceret: Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Ito ad singulos, ito ad omnes communiter venit. In misericordia scilicet, et veritate. Ubi enim multa iam fuerit de miseratione præsumptio, sed oblitio veritatis; non continuo ibi Deus. Sed neque ubi terror multus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria misericordiæ consolatio. Nam neque veritatem tenet, qui misericordiam, ubi vere est, non agnoscit, nec vero esse sine veritate misericordia potest. Itaque ubi misericordia et veritas obviaverunt sibi, sese etiam iustitia et pax osculantur: nec is abesse potest, cuius in pace factus est locus. Quanta audivimus et cognovimus (siquidem patres nostri annunciaverunt nobis) super hoc copula tam felici misericordiæ et veritatis. Misericordia tua et veritas tua susceperunt me, ait Propheta Ps. 39.12. Et alio loco, Ps. 25.3. Misericordia tua, inquit, ante oculos meos est, et complacui in veritate tua. Sed et Dominus ipse de eo. Ps. 88.22. Veritas mea et misericordia mea cum ipso.* Lege cætera.

61. *Veritas accipitur pro veracitate et iustitia.* Nota tertio: veritas sumitur, 1. pro veracitate; 2. pro iustitia. Nam, ut ait S. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. Veritas consistit in adæquatione intellectus et rei. Intellectus autem Dei, qui est causa rei, comparatur ad ipsam sicut regula et mensura. E converso autem est de intellectu, qui accipit scientiam a rebus. Quando igitur res sunt mensura et regula intellectus, veritas consistit in hoc, quod intellectus adæquatur rei, ut in nobis accidit. Ex eo enim, quod res est, vel non est, opinio nostra et oratio vera, vel falsa est. Sed quando intellectus est regula vel mensura rerum, veritas consistit in hoc, quod res adæquantur intellectui. Sicut dicitur artifex facere verum opus, quando concordat arti. Sicut autem se habent artificiata ad artem, ita se habent opera iusta ad legem, cui concordant. Iustitia igitur Dei, quæ constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientiæ suæ, quæ est Lex eius, convenienter veritas nominatur. Et sic etiam dicitur in nobis veritas iustitiæ.

62. *Viæ Domini quomodo sint misericordia et veritas.* His positis, *viæ Domini misericordia et veritas* dicuntur: Primo, quia in hac vita est misericors, in alia iustus. Ita S. August. S. Hieron. Glossa Ruffin. Remigius, qui sic explicat: *Omnes viæ istæ, per quas ad nos venit, sunt misericordia et veritas. Misericordia, per quam sine præcedentibus meritis veniam donat: Veritas, quia post misericordiam vocationis et veniæ digne ultimo iudicio merita cuiusque examinat. Primus eius adventus fuit in misericordia, secundus erit in veritate, id est in incorruptione, in quo solum merita requiret: et has vias docebit mites, ut cognoscant misericordiam Dei, non merita sua, et per hoc non superbiant, sed humilientur, iuxta illud 1. Corinth. 4. 7. Quid enim habes, quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et post prorogatam misericordiam attendant iudicium futurum, quo reddet unicuique iuxta opera sua: et ideo studeant facere bono.*

Tam in hac quam in alia vita. Secundo, et convenientius, viæ Domini sunt simul misericordia et veritas, tam in hac quam in alia vita, et tales apparent iis, qui requirunt testamentum et testimonia eius. Hinc misericordia, inde Veritas eos in cælum ducit, ab hoste securos.

I. Primo igitur, in hac vita misericordiam et veritatem,

A hoc est Iustitiam, simul iunxit Christus, cum morte sua nos redemit, dando sanguinem suum pro pretio ad satisfaciendum iustitiæ divinæ, et quidem ad æqualitatem, imo ad abundantiam. Hoc opus fuit summæ misericordiæ, quia pro peccatoribus passus est: et summæ iustitiæ, quia proporzionatum debito pretium obtulit. Ita Paulus Burgensis 1. p. Scrutin. dist. 5. cap. 9. et alii. Itaque Christi Domini patientis viæ sunt misericordia et veritas.

Secundo, per vias intelligendo præcepta Dei, sic locum hunc exponit Iansenius: Universa, inquit, mandata Domini, in quibus nos vult ambulare et conversari, pro misericordia et iustitia habentur ab his, qui pactum Domini ac mandata, quibus suam testatus est hominibus voluntatem, observare diligenter quærunt. Advertunt enim magnam Dei esse misericordiam, quod ea hominibus tam salutaria Deus præscripserit, intelligunt nihil illum in eis a nobis requirere, nisi quod saluti nobis sit, B quodque rectissimum sit et æquum. At vero his, qui a mandatis ac pacto Dei plane sunt aversi, contra videntur illius præcepta dura esse atque iniusta. Ita ipse: subdit deinde idem auctor sumendo vias pro operibus. Omnis etiam Dei actio et institutum, ab his, qui Dei sunt studiosi, illiusque pacta servare contendunt, agnoscitur plenum esse misericordia maxima atque iustitia: quamvis contra iudicent impii caligine vitiorum obcæcati, qui supplicio affecti Deum iniquum vocant ac crudelem, cum tamen dignas pro sceleribus pœnas pendant. Hic sensus non est plenus: neque enim tantum viæ Dei a piis honæ existimantur, sed etiam sentiuntur. II.

Tertio itaque Ugo Cardin. sic exponit, q. d. Deus in præsenti venit ad nos per viam misericordiæ beneficia conferendo; per viam veritatis errata corrigendo. S. Hieron. in Psal. 60. Misericordia est, quia indulget nostra peccata: veritas, ut amplius non peccemus. III.

Quarto, S. Thomas ait vias Domini esse misericordiam C et veritatem, quia res misericorditer produxit, sed productis dat secundum exigentiam suæ naturæ. Verba eius sunt: In prima rerum institutione non invenitur ratio iustitiæ, sed misericordiæ, quia nibilo nihil debetur: sed quando iam res fuerunt institutæ, tribuit eis omnia rebus competentia secundum proportionem, et in hoc manifesta est divina iustitia. Ita ipse, in effectibus gratiæ idem fieri tradit. *Quia primo iustificatio peccatoris est misericordiæ, et post iustificatio dat præmia iustitiæ, quia dat secundum suam proportionem.* Vide illum 1. p. q. 21. artic. 4. IV.

Quinto, etiam in alia vita viæ Domini sunt misericordia et veritas, tam erga sanctos quam erga damnatos. Misericordiæ enim miscetur iustitia. Sanctis quidem dat præmium ex iustitia tamquam iustus iudex, sed tamen salvat eos gratis, quia in tota serie prædestinationis involvitur prima gratia, quæ non cadit sub meritum, et prima iustificatio, quæ non cadit sub meritum condi- D gnum: deinde Deus præmiat ultra condignum. Damnati quoque ex iustitia puniuntur, sed tamen miscetur misericordia, quia puniuntur citra condignum. Dionys. *Universæ*, inquit, *viæ Domini, id est omnia opera Dei, sunt misericordia et veritas, id est in omnibus effectibus Dei apparent atque relucent misericordia Dei et iustitia eius. In aliquibus tamen misericordia Dei evidenter apparet, ut in electis: et in quibusdam manifestius apparet iustitia, sicut in reprobis. Tamen quoniam reprobi citra condignum a Deo in hac vita relinquuntur, et in inferno torquentur, idcirco in eis iustitia Dei apparet. Electi vero ultra condignum præmiantur, sicque in eis misericordia locum habet.* V.

Sexto denique, et melius, veritas hic non sumitur pro iustitia, sed pro fidelitate, ita ut sensus sit: Viæ Domini, id est actiones, cogitationes, consilia, quibus agit et disponit res omnes, sunt misericordiæ et veritatis plena. Se Deus gerit erga pios misericorditer et fideliter. Misericordia gratis beneficium promittit, veritas promissum exhibet. Ita Genebr. Bellarm. Agell. et alii. VI

Dices: S. Iacobus cap. 2. 13. ait, *Iudicium sine mise-*

ricordia (supple, erit) *illi. qui non fecit misericordiam.* Si iudicium, id est condemnationem subit sine misericordia immisericors, in operibus Dei non semper reperitur misericordia et veritas, id est iustitia. Resp. fore ut iudicium fiat crudeli sine misericordia eum salvante, et subtrahente æternæ damnationi, non tamen sine misericordia pœnas illas mitigante.

63. Ex his colliguntur quatuor. I. Deum et legislatorem et iudicem esse amandum. Ex his collige primo, Deum et legislatorem et iudicem esse amandum. Clemens Alex. lib. 1. Strom. Clarum est, inquit, barbaros eximie semper honorasse suos legislatores et præceptores, illos appellando Deos: ita fecisse testatur Brachmanes universos, Odrysas, Getas, Ægyptios, Chald. Arab. qui dicti sunt Felices, et populos, qui habitant Palæstinam, et non minimam Persici generis partem, et alia præter hæc genera innumerabilia. Qua igitur amore Deum colere debemus, qui legem dedit delinquentibus in via, ut ab errore desistentes effugiant sententiam iudicis et ad felicem metam perveniant? Iudex est Christus, sed qui coronam manu teneat, optetque magis absolvere, quam condemnare, et qui compenset supra meritum, ut docet S. Fulgent. lib 1. de duplici prædestinatione Dei ad Monimum cap. 10. *Gratia ipsa ideo non iniuste dicitur, quia non solum donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia divinæ retributionis exuberat, ut incomparabiliter atque ineffabiliter omne meritum, quamvis bonæ et ex Deo datæ, humanæ voluntatis atque operationis excedat.*

II. In Deo misericorde et verace sperandum esse. Secundo collige, cum Dei viæ sint misericordia et veritas, in eo esse sperandum. S. August. modum ostendit in Ps. 146. *Ideo*, ait, *times Deum, quia peccator es: et a quo accepturus es auxilium adversus Deum? Quo iturus? quid facturus? Ubi vis ab illo fugere? ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? fuge ad placatum.* Nam etiam, quod in Psal. nostr. et passim alibi, misericordia præponitur veritati aut iustitiæ. Non enim viæ Domini veritas et misericordia; sed viæ Domini misericordia et veritas, quia Deus magis propendet ad miserendum quam ad puniendum. Egregie S. Anselm. in proslog. cap. 11. *Considerando iustitiam*, ait, *ut meritis præmia suppliciaque retribuit, prior est misericordia. Etenim movetur Deus ex seipso et per primarium voluntatis actum ad miserendum: ut reddat mercedem aut pœnam, sumit occasionem ex nobis, estque secundariæ, et consequentis actus voluntatis.* Hinc S. Basil. in Ps. 32. ait misericordiam ipsi Dei iudicio præsidere. Sic enim loquitur. Velut assistrice constituta sibi misericordia, και προβληθειση βασιλικου κριτικου θρονου; et regia iudicii prævia et præstituta throno, sic quemlibet Deus in iudicium adducit. Et S. August. concion. 1. in eundem Ps. 32. Ergo, inquit, in illo iudicio erit et misericordia.

III. Timore opus esse. Tertio tamen collige, timorem non esse abiiciendum: cum enim tibi sis conscius multorum criminum, timenda est tibi veritas, quæ omnia revelabit, et punienda iudici obiiciet, ac iustitia, quæ gladio stricto aderit nulli parcens. S. Greg. in Ps. 4. pœnit. *Misericordia est, inquit, quia nullis præcedentibus meritis pœnitentibus veniam tribuit: veritas, quia post gratiam vocationis et veniæ peccata impœnitentium punit.* Et Bern. de grad. humil. *Absit*, inquit, *a Dei perfectione, ut quia dulcis est, iustus non sit, quasi simul dulcis et iustus esse non possit, cum melior sit iusta dulcedo quam remissa, imo virtus non sit dulcedo sine iustitia.* Unde sapienter concludo cum Aug. in Ps. 61. Nec sic de misericordia eius præsumatis, ut potestatem contemnatis: nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis.

64. IV. Imitanda est Dei misericordia et veritas. Quarto collige, imitandam esse Dei misericordiam, et veritatem, cum hunc versic. quem contemplamur, *viæ Domini misericordia et veritas.* Thom. Anglic. et aliqui alii etiam explicent de viis, quibus ad Deum progredimur. S. Leo optime serm. 7. de quadr. *Quamvis*, ait, *angusta et ardua sit via, quæ ducit ad vitam, non tamen difficulter incedit, quem veritas confirmat et pietas: nec caret delectatione gradiendi, cuius iter efficit virtutum petra solidum, non vitiorum arena occiduum. Verum ut plenius noveri*-A *mus, per cuiusmodi vias nobis sit ad Dei promissa tendendum, audiamus David Prophetam quid doceat. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas. Forma igitur conversationis fidelium ab exemplo venit operum divinorum. Et merito Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem et similitudinem suam fecit. Cuius utique gloriæ dignitate non aliter potiemur, quam si in nobis et misericordia inveniatur et veritas. Per quæ enim ad salvandos Salvator advenit, per hæc ad salvantem debent properare salvati: ut et nos misericordia Dei, misericordes; et veritas, faciat esse veraces.* Lege cætera, atque Hugonem, qui in Ps. nostr. fuse docet, Prælatis iungendam esse misericordiæ iustitiam, et contra.

Probat deinde David id quod dixerat, nempe quod viæ Domini sint misericordia et veritas, seu veracitas. Primo, misericordiam ostendit, quia pepercit peccatis eius multis et magnis. Secundo, veritatem in promissis aperit, quia timentes se bonis cumulat.

65. Vers. 11. Ac primo, vers. 11. de misericordia Dei ait, PROPTER B NOMEN TUUM (id est propter te: tu enim es ipsa bonitas. Secunda, propter famam et gloriam tuam. Tertia, propter nomen Iesu, quod idem est atque Salvator) PROPITIABERIS PECCATO MEO (id est peccatis meis, sed præsertim adulterio cum Bethsabee, et homicidio inde exorto) MULTUM EST ENIM, id est, gravissimum. Est enim enallage quantitatis discretæ pro continua. Hinc S. Hier. vertit: *quoniam grandis est.* Hebr. רב *rab*, et multum et magnum significat; 2. τὸ *multum* potest sumi in propria significatione, prima, quia in multis offendimus omnes. Secundo, quia diu perseveravit David in suo adulterio: scilicet donec puer ex illa susceptus nasceretur, et Nathan Propheta eum argueret: tunc enim dixit *Peccavi Domino* 2. Regum 12. 13. Non quod tamdiu abusus sit Bethsabee: nam illam in legitimam uxorem duxerat Uria mortuo, sed quod pœnitentiam toto illo tempore non egerit: itaque peccatum illud fuit multum, saltem duratione: deinde multas cogitationes et affectiones depravatas hoc peccatum C secum trahit.

Vers. 12. Secundo, veracitatem Deus ostendit, quod iustos se timentes bonis cumulet. Primo, dando legem, quæ eius intellectum instruat v. 12. QUIS EST HOMO, QUI TIMET (S. Hieron. *quis est iste vir timens?* virili opus est pectore ad timendum, id est colendum Deum: fœmineum pectus timet vana) DOMINUM? LEGEM STATUIT (firmam et stabilem) EI IN VIA, QUAM ELEGIT. Alludit ad legem datam populo Israel in Sinai, cum esset in via, et pergeret ex Ægypto in terram promissam; 2. alludit ad columnam nubis et ignis, quæ eumdem populum deducebat per desertum. Iuvat versio Aquilæ φωτιεῖ αὐτὸν ἐν ὁδῷ, illuminabit eum in via. Hieron. Quem docebit in via, quam elegit. Felix, Docebit illum viam, quam eliget. Vide dicta Ps. 118. 10. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.*

66. Vita nostra est via. Nota: vita nostra est via. S. Basil. in oratione, qua demonstrat, rebus ad hanc vitam pertinentibus non esse D adhærendum: *Quemadmodum*, ait, *qui directam quamdam viam decurrunt, dum ulterius semper gressus secum ipsis certantes in cursum alternant, et vestigium prius terræ impressum posterius efficiunt, veloci pedis alterius transpositione, facile ad metam perveniunt. Sic qui a creatore in vitum præsentem inducti sunt, statim ab initio,* τοῖς χρόνου τμήμασιν, *in minutas temporis particulas se promoventes, relictis semper prioribus tandem ad finem vitæ perveniunt.* Secundo, in vita nostra multæ sunt ac diversæ semitæ, id est officia et agendi modi. Themistius orat. 12. *Sicut*, inquit, *omnes cursores mittuntur ab eodem agonotheta, non tamen omnes eumdem cursum conficiunt, hi ex hac, illi ex illa parte currunt, et ubique qui vincitur, sine præmio est. Ita existima unum tantum esse verum agonothetam, ad quem non una via itur.* De periculis et anfractibus illius viæ, vide dict. Psal. 1. v. 1. De lege per eam nos feliciter ducente habes Ps. 118. v. 1. ac pene toto illo Ps. longissimo.

67. Vers. 13. 1. Pars Secundo, verax Deus dat in voluntate iusti delectationem, Unde dicit David v. 13. ANIMA EIUS IN BONIS DE-

Multi divites sunt egeni.

MORABITUR. Nota primo, multorum domus et corpus bonis abundant, anima autem vacua est: unde fit, ut sint miserrimi, cum se beatissimos putant. Itaque S. Basil. imo ipse Christus, eum iure stultum vocat, qui dicebat Luc. 12. 19. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Verba S. Basilii sunt homil. in hæc verba. Si porcinam, ait, habuisses animam, quid aliud ipsi enunciare potuisses? Itane pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, eam ut escites carnalibus epulis, et quæcumque alvi secessus recipit, animæ destines. Siquidem illa virtutem habet, si plene est bonis operibus, si Dei gratiam sibi conciliavit, ac familiariter ascivit, tunc sane multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia. Ita Basil. Vere dicebat Hippodamus Thurius lib. de felicitate: *Felicitas sine virtute non consistit.* Et Pindarus: [illegible], fugaces divitiæ non faciunt beatum. Et Sophocles: [illegible], *in Iovis hortis tantum nasci beatas opes.*

To in bonis varie sumitur.

Nota secundo, pro *in bonis* Hebr. est בטוב *betob*, id est ut S. Hieron. Folls, Pagn. vertunt *in bono*, id est in Deo, quia nemo bonus nisi solus Deus; 2. in bonitate et virtute; 3. et melius, in suavitate et delectatione; 4. in felicitate, ut vertit Syrus; 5. in bonis, ut vertit Noster, Sept. et Vatabl. id est in abundantia bonorum omnium: nempe externorum et internorum, corporalium et spiritualium, naturalium et supernaturalium. Tobias senior dicebat filio suo Tobiæ iuniori cap. 4. 23. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.* David autem Ps. 64. 5. *Replebimur in bonis* (id est bonis; est hebraismus) *domus tuæ*, id est Ecclesiæ, vel paradisi. Sic Ps. 102. 3. *Qui replet in bonis* (bonis) *desiderium tuum*, dat eatenus petas, et dat abundanter, ita ut exornet. S. Hier. vertit. Qui replet in bonis ornamentum tuum. Vel, certe ornamentum dic esse animam, hæc enim est decus hominis.

68. Nota tertio, pro *demorabitur*, Hebr. est תלין *talin*, id est pernoctabit: unde Caietan. vertit: *Anima eius in bono pernoctabit*, suavis est lectus in Deo et eius bonis dormire illis velut immersam. Felix reddit, *Anima eius in bono dormiet.* Ubi indicatur, 1. suavitas, et quies; 2. securitas; 3. independentia a bonis creatis, cum etiam in nocte et adversitate in mediis Dei bonis quiescat. Secundo, *talin*, id est morabitur, ut habet Vatabl. et Pagn. commorabitur, ut S. Hier. quibus denotatur, 1. diuturnitas illius boni; 2. stabilitas: unde Petav. explicat de æterno beatitudine. Ibi nox non est, sed dies, lux et delectatio plena, sincera et perfectissima. Arabs reddit: *Delectari faciet animam eius in bonis.* Hic vero et amaritudo est et inconstantia, unde Boethius ingeniose felicitatem huius mundi vocat miseram beatitudinem. Sic enim ait lib. 2. de Consol. Prosa 10. *Quam multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est. Quam mortalium rerum misera beatitudo, quæ nec perpetuo durat, nec anxios tota delectat.* Potiores itaque sunt spirituales deliciæ non tantum ob puritatem et sanctitatem, sed etiam ob delectationem et diuturnitatem. Hoc declarat Hugo a S. Victore in Ps. Nostr. *Quicquid*, inquit, *carnaliter dulce est, eius quidem delectationis experientiam fruentibus præstat: sed diu cum eis morari non potest, quia dum gustu appetitum provocat, transitu desiderium fraudat. Spirituales autem deliciæ, quæ nec gustatæ transeunt, nec reficientes decrescunt, nec saturantes tædium gignunt, diu cum fruentibus permanere possunt*, imo æternæ sunt. Etiam de nocte permanent, id est post mortem, ut Muisius et Pagn. indicari volunt Hebr.

69. voce *talin*, hoc est, pernoctabit.

To semen varie hic sumitur. Vers 13. 2. Para. Semen hæreditat terram.

Non iusto tantum, sed etiam eius filiis ac posteris eam delectationem solidam et perpetuam Deus tribuit, si eum imitentur; et nonnumquam etiam filios impios felicitate temporali donat ob virtutem parentis. Unde additur vers. eod. 13. ET SEMEN EIUS HÆREDITABIT (hæreditate accipiet, ut vertit Pagn.) TERRAM. Semen hic sumitur pro corpore a S. Thoma; 2. pro bono opere, a S. Hieron. 3. pro doctrina et scriptis, ab Eusebio; 4. pro filiis, a Theodoreto, et bene. Terra vero hic est corpus; ita S. August. 2. Ecclesia; ita Agellius; 3. terra hæc, quam videmus; ita Bellarm. 4. cælum quod est terra viventium.

Sensus itaque est Primo, ait S. Thomas q. d. corpus I.
nostrum glorificatum, hæreditabit terram propter bona opera. Ita ipse: Corpus mortificatum recte semini putrefacto in terra et fructum ferenti comparabitur. Io. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* De Christo patiente id explicat S. Bernardus serm. 13. in Cant.

Secundus sensus est S. Hieron. Ruffin. Remig. Agell. II.
Hugonis, Cassiodor. S. Thomæ, q. d. Semen, id est opus bonum, hæreditabit, id est possidebit et possidere faciet cælum, de quo Ps. 26. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*, Ruffinum loquentem audiamus: *Anima eius*, inquit, *in bonis demorabitur, et semen eius hæreditabit terram. Delectatur enim lege Dei secundum interiorem hominem Ephes. 5. cælestibus desideriis inardescit, spiritualibus studiis inhæret, in bonis operibus se exercet. Cuius quidem semen opera bona sunt: unde Apostolus nos admonet dicens Galat. 6. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Et iterum 2. Corinth. 9. 6. Qui parce seminat, parce et metet. Recte autem dixit, semen eius terram hæreditare: quia bonum opus, quod quasi seminat, cum agit: faciet eum cælestem hæreditatem, et terram viventium possidere.* In eo erat etiam sensu S. Augustinus, qui sic explicat, q. d. hæreditatem solidam instaurati corporis possidebit, id est corporis glorificati, ait Glossa interlinearis. Aliter Beda pie et ingeniose: *Semen eius, id est opera eius, hæreditabunt terram: id est, excolent carnem suam ita diligenter, sicut aliquis excolit hæreditatem, extirpando scilicet ex ea spinas et tribulos, quos prius generavit si: id est vitia, ut in futuro ipsam glorificatam hæreditatem recipiat.*

Tertius sensus est Eusebii. Semen, inquit, quodnam III
aliud est, quam doctrina, sermones et scripta, vel viri, qui secundum Deum ab ipso geniti sunt et eruditi. Per quos etiam, postquam illis requies in summis bonis tradita fuerit, innumerabiles viri hæreditatem prope Deum consequentur, cum et bonis seminibus orti, fructus divinos habuerunt.

Quartus sensus est Agellii. Vere, inquit, semen iusto- IV.
rum et Patriarcharum filii, Christiani homines habendi sunt, illorum fidem et opera imitantes, hi possideant terram, Ecclesiam nempe, de qua dicit Isaias cap. 6. 13. *Semen sanctum erit, quod steterit in ea.* Ita ipse. Adde quod possidebunt etiam [illegible], terram pretiosam, ut Apollinar. vertit in Ps. nostr. id est cælum. Hic sensus est convenientior quam præcedentes.

Quintus denique, et maxime litteralis sensus est, Bel- V. Et optimus.
larm. Hugonis, Agellii, Iansen. et aliorum, q. d. semen, id est filii eius, hæreditabunt terram hanc quam calcamus, atque in ea felices erunt. Vide dicta Psal. 36. 25. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Dignus est Iansenius, quem audiamus: Posteritas eius, inquit, cuius mortalium natura percupidissima est, paternam imitata pietatem, hæreditario, et optimo iure possidebit hanc terram, non quomodo possident eam impii, impiorumque filii, qui verius ab ipsa terra, cui toti addicti sunt, possidentur. At vero legitimi iustorum filii geniti ab eis, sive secundum carnem, sive per virtutum exempla, terræ huius digni et felices sunt domini, non addicti terrenis, habitis contenti, eisque alta pace mentis fruentes, atque in paupertate, si accidat, omnia se possidere arbitrantes: ac spiritu divites, in omnibus Dei bonitatem et favorem cum summa mentis voluptate contemplantes. Et ut omnino non videantur hanc terram possidere, certe cum suis, quos imitati sunt parentibus, beatam illam cælestemque terram perpetuo iure possidebunt in summa tranquillitate ac securitate; ita Iansenius. Dicit S. Paulus Rom. 11. 16. *Si delibatio* (id est primitiæ pastæ ciborum et panum) *sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami.* S. Chrysost. et Theophylactus primi-

tias illas Iudæorum dicunt esse Patriarchas et Prophetas. 2. Theodor. ait esse Christum; 3. S. Ambros. et S. Anselmus Apostolos et primos Christianos. Si loquamur de parentibus carnalibus, clarum est sæpe bonitatem suam vel vitia in filios transfundere. S. Chrysolog. serm. 111. *Parentis*, ait, *vitium*, *filiorum exitium. Numquid non in semine tota arbor? vitium ergo seminis, vitium est totius arboris.* Contra vero sanitas seminis et radicis, est sanitas totius arboris. Eccli. 44. 11. *Cum semine* (id est sum progenie, ut ait Vatablus) *eorum permanent bona* (Syr. perseverans est felicitas eorum) *hæreditas sancta* (sunt) *nepotes eorum*, id est, nepotes eorum et hæredes sunt sancti, eorum sanctitatem velut hæreditatem paternam et avitam retinent, prout patuit in Abrahami posteris: nempe in Isaac, Iacob, Ioseph, aliisque. Sibi mutuo tradunt sancti lampadem vitæ et fidei ac virtutum. Plato lib. 6. de legibus hac comparatione explicat: *Eos*, ait, *qui generant et pueros educant*, καταπερ λαμπαδα βιον παραδιδοντες αλλοις εξ αλλων, *vitam sibi quasi lampadem tradentes*. Vide dicta Ps. 111. 2.

70 Tertio, post illustrationem intellectus, et voluntatis oblectationem, potentiam quoque motivam et operativam sanctorum fortificat et corroborat. Hinc David subdit

Vers 14. v. 14. FIRMAMENTUM EST DOMINUS TIMENTIBUS EUM: ET TESTAMENTUM IPSIUS (supple est) UT MANIFESTETUR ILLIS. quod Dominus est firmamentum timentibus se. Ita Bellarminus 2. et melius, q. d. testamentum, id est pactum et fœdus est Dei cum iustis, ut manifestatur illis ipse Deus, si eum timuerint, id est coluerint et reveriti fuerint. Ubi adverte, quod Genebrardus restringit *testamentum* ad fœdus testamentarium: quia, inquit, fœdus Dei erat testamenti formula ob mortem pecudum in veteri populo, Christi in novo, intercedentem: sed melius alii latius sumunt de qualibet Dei promissione, qua se obligavit ad dandam suiipsius visionem iis, qui bene vixerint. Psal. 90. 16. dicitur: *Longitudine dierum replebo* (Hebraice satiabo) *eum*, *et ostendam illi salutare meum*, id est meam salutem, q. d. eum salvabo; 2. ostendam illi me salvatorem. Quem in Psal. serm. 17. ait S. Bern. *Nec diuturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de sanctitate.* Apertius adhuc loquitur ipse Christus. Ioann. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Ubi S. Augustinus ait: Ad hoc diligam, ut manifestem: nec enim tunc non diligebat, nunc ad hoc nos dilexit, ut credamus, tunc ad hoc, ut videamus. Nunc diligimus credendo, quod videbimus, tunc diligemus videndo, quod credidimus; ita August.

71. Convenientia Nota pro *firmamentum* Hebr. est סוד *sod*, id est secretum, consilium, sic dictum quod secretum esse debeat. Primo, Bellar. putat olim fuisse יסוד *iesod*, id est fulcrum, fundamentum, firmamentum, et ita legisse Septuag. qui vertunt κραταιωμα, id est firmamentum, robur, fortitudo, validitas. Sed iod excidisse. versionis et textus Hebr.

Secundo, et melius, Genebr. et alii censent, *iod* poni per aphæresim poeticam pro *iesod*: ita ut *sod* sic sumptum significet firmamentum, cum alioqui significet arcanum, secretum, consilium.

Tertio, adhuc probabilius, Septuag. sensum, non verbum expresserunt, quia enim consilium est firmamentum vitæ hominis, et eo maxime innituntur omnes actiones, ideo verterunt, *firmamentum est Dominus timentibus eum.* Ut enim dicit Salomon Prov. 15. 22. *Dissipantur* (Chald. franguntur) *cogitationes*, *ubi non est consilium* (Chald. ubi non est secretum) *ubi vero sunt plures consiliarii*, *confirmantur*: tunc enim a multorum consiliis robur et firmitatem accipiunt. Quid vero accidet, ubi Deus erit consiliarius, et sua secreta revelabit? S. Hieron. Felix, Pagnin. Vatablus, Caietan. Chald. vertunt in Ps. nostr. *Secretum Domini timentibus eum.* Symm. ομιλια. Theodotio, et V. editio, *mysterium.* Aquila, απορρητον, id est arcanum, secretum, ineffabile. Deus enim ducit animam in solitudinem, et loquitur ad cor eius, sed verba, quæ non licet homini loqui. Melius vero Noster, Arabs, Mag. et alii reddunt, *firmamentum*, *fortitudo*, *robur.* Petav. ερυμνοτατον ελωρ, *munitissimum propugnaculum*, in eo servos suos timentes se armat et vallat. Pausanias in Corinthiacis refert Argivos in honorem Iovis proposuisse certamen: ανδρασιν ωπλισμενοις, *viris armatis*, quos eodem loco vocat οπλιτοδρομας, *armatos cursores.* Hic in via Dei sumus, undique ab hoste cingimur, armis opus est atque munimento. Deus hoc seipso præstat iis, qui timore filiali ad eum refugiunt, et eum colunt. Prov. 14. 26. *In timore Domini fiducia fortitudinis*, (id est fiducia fortis et valida. Est hebraismus. Syr. reddit: Timor Domini est spes valida et fortis) *et filiis eius erit spes.* Heb. מחסה *machse*, hoc est, protectio, tegmen, receptaculum, latibulum, tutela. Septuag. firmamentum. R. Salomon, confugium. R. Levi, spes instar clypei tuetur et protegit sperantem. S. Gregor. timoris Dei robur aperit, lib. 5. Mor. cap. 12. *In via*, ait, *a timore incipitur*, *ut ad fortitudinem veniatur. Iam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et sicut in via sæculi timor debilitatem, ita et in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone attestante. In timore Domini fiducia fortitudinis dicitur: quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se auctori eorumdem veracius per formidinem subdit, quæ in timore Domini constituta non invenit extra quod metuat: quia dum recta metu conditori omnium coniungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.*

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

Duo præstat David, Primo, laqueo se captum dicit, et Dei misericordiam implorat, miseriam suam illi aperiens, vers. 15. Secundo, hostium circumstantium multitudinem, et odium ostendit, in eosque opem postulat, vers. 17.

PARAPHRASIS.

15. *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

15. In summa angustia constitutus, captusque ab hostibus, oculos, quos adhuc liberos sentio, in cælum opem tuam imploraturus intendo. Tu enim et benignitate tanta es, ut velis: et potentia, ut valeas laqueos, quibus teneor, disrumpere, ut pede libero ad te festinus accurram.

16. *Respice in me, et miserere mei: quia unicus et pauper sum ego.*

16. Tu vicissim calamitatem meam intuere, atque ad meum auxilium advola. Nisi enim subsidio fueris, in his laqueis et pedicis, quibus implicitus iaceo, putrescam necesse est, cum solus sim in hostium medio ab omni ope humana destitutus: nec vires suppetant ob summam virtutum inopiam, quibus me ab eorum manibus eripiam.

17. *Tribulationes cordis*

17. Intimos animi recessus acerrimus dolor pervasit, quod nulla spes liberationis

mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

afflulgeat, sed his in compedibus misere hæream. Ab his angustiis, quæ mihi vim inferunt, addictissimum tibi servulum, atque in filiorum libertatem asseri cupientem, libera.

18. *Vide humilitatem meam et laborem meum: et dimitte universa delicta mea.*

18. Humi afflictum, catenisque omni ex parte oppressum aspice: vide quanto labore attritus, dum inextricabiles nodos dissolvere connitor, ferrum inter ensesque hostium iaceam. Ea quidem, iisque graviora sceleribus me meis esse commeritum profiteor, sed paterna clementia supplicium filio condona.

19. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, et odio iniquo oderunt me.*

19. Nec opem differas, instant iam atque involant hostes nomini tuo infesti, qui immani me rabie impetant, ea maxima de causa, quod captus licet ad te suspirem, eorumque vincula diffringere contendam: in dies et momenta singula, eorum augescit multitudo, ne ex unguibus præda divellatur. Implacabili in me odio infremunt, nulla licet iniuria provocentur.

20. *Custodi animam meam, et erue me: non erubescam, quoniam speravi in te.*

20. Animam meam, quam e tanta feritate tutam salvamque præstare non possum, paternum in sinum tuum conicio, eam ut tibi devotam sacro hoc asylo securam patiaris, atque ab hostium potestate abstrahas. Spes omnes meas in te reponentem, ne patiaris expectatione sua frustratum rubore suffundi, et hostium scommatis exponi.

21. *Innocentes et recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.*

21. Ad Absalonem quidem plurimi defluxerunt, sed qui probatis sunt moribus, mihi sese adiunxerunt, et partes meas tuentur: quod tantis in ærumnis animo me non concidisse, neque a terrenis auxilium expectare cernant: sed in te unum spem omnem meam coniecisse. Itaque ne patiaris eos diutius ob Regis sui calamitatem confundi.

22. *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

22. Hæc Absalonis defectio, et bellum intestinum, universum populum tuum Israel in varias factiones, atque maximas calamitates pertraxit. Victoria mihi de hostibus concessa optatam tranquillitatem et prosperitatem restitue.

QUÆSTIO UNICA

QUANTA CONTENTIONE LAQUEOS HUIUS VITÆ EXCUTERE DEBEMUS.

72. Ordo Sectionis

In prima sectione David viam Dei sibi demonstrari petiit. In secunda, velut voti compos, exultat, et Deum laudet. Nunc vero velut avis in altum evolens ut cælum patet, laqueo se adhuc in terra detineri moleste fert, et ab eo se liberari cupit.

In cælum evolare cupiens opem Dei implorat.

Primo igitur, oculos in cælum erigit ad Deum liberatorem, v. 15. *Oculi mei semper ad Dominum.* Spemque de sua liberatione concipit. *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Secundo, oculorum elevatione non contentus, os aperit, et opem implorat, v. 16. *Respice in me, et miserere mei.* Rationes varias adducit, quibus Deus ad hanc misericordiam moveatur. Primo, quod a fortunæ bonis sit destitutus: *Quia unicus et pauper sum ego.* Secundo, quod in anima afflictus, v. 17. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, etc.* Tertio, quod in corporis bonis gravia passus, v. 18. *Vide humilitatem meam, et laborem meum.* Ex his omnibus concludit petitionem suam, nimirum ut e peccatorum laqueis liberetur. *Et dimitte universa delicta mea.*

Tertio, hostes in se addensatis globis velut in prædam involantes digito ostendit, v. 19. *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt*: eorumque rabiem aperit. *Et odio iniquo oderunt me.* Postulat autem ab illis salvari: Primo, animam suam, v. 20. *Custodi animam meam.* Secundo, corpus, *et erue me.* Tertio, famam, *non erubescam.* Causam profert, cur sit liberandus. *Quoniam speravi in te.*

Quarto denique, amicorum suorum virtutem declarat, v. 21. *Innocentes et recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.* Eorumque liberationem a tot incommodis, quæ secum patiebantur, postulat, v. 22. *Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis.*

ARTICULUS I.

Oculi ad Deum sunt elevandi, ut a laqueis expediamur.

73 Ductili nodo constricta fera oculos in omnes conversat partes, ut effugium reperiat: sed ubi elusam se et fatigatam ob inanes motus et conatus advertit, obstipo capite eos in terra defigit: Dei autem famulus ubi constrictum se viderit, oculis in cælum intentis ad parentem et sospitatorem suum Deum semper suspirat, v. 15.

Vers. 15. I Pars.

OCULI MEI (et dexter, et sinister: id est, in prosperis et

A in adversis: ubique enim est laqueus) SEMPER (Areb. in omni momento. Vel unum perdere magna iactura est, eo enim potes lucrari æterna bona) AD DOMINUM (noli te abiicere ad videnda mancipia, cum possis regem intueri) QUONIAM IPSE EVELLET DE LAQUEO PEDES MEOS. Dices, qui semper oculis in cælum erectis ambulat, facile instar Thaletis astra spectantis in foveam cadit. Respond. melius a Deo, quam a se dirigi eos, qui ipsum semper aspiciunt. Deinde via nostra cælestis est. Itaque qui Deum aspicit, viam suam aspicit, non debemus in terra pedem, id est, affectum figere. Hinc Cassiodorus dicit: *Si ad Dominum iugiter oculos elevemus, ille respectus ab omni nos offensione reddit alienos.*

Prima itaque ratio, cur David oculos ad cælum erigat, est, ut Deum hoc tristi et supplici aspectu excitet ad opem ferendam. *Quoniam ipse* (nullus alius id potest) *evellet de laqueo* (S. Hier. Caiet. Vatab. Felix, *de reti*, fortis est et magnus laqueus, et a quo difficulter explicari possit) *pedes meos.* Nota, pro *evellet*, S. Hieron. Felix, Caietan. 74. Oculi in cælum sunt erigendi ob quatuor rationes.

B Pagnin. Arias habent, educet, quo denotatur, 1. sapientia educentis ac benignitas; 2. suavitas eius qui educitur, qui ducem se itineris habere Deum videat et sentiat. Vatabl. vertit, *explicat*, quo perfecta liberatio declaratur, et laqueum non esse amplius ita paratum, ut pedem arctare possit. Noster tamen significantius vertit *evellet*. Petav. *ἐρύσει*, extrahet. Septuag. *ἐκσπάσει*, extrahet, evellet. Denotant enim 1. laqueum seu rete firmiter strinxisse pedes captivati; 2. resistentiam venatorum, ne præda sua frustrentur; 3. potentiam Dei liberatoris; 4. dolorem aliquem liberati. Non enim evellitur pes e ferreo laqueo cum impetu sine aliquo dolore. Hunc sentiebat S. Aug. cum Deus illum evellebat a laqueis deliciarum, quibus arctabatur, et se ipse arctabat. Hoc symbolum sibi sumpserunt Adrianus IV. et Innocentius IV. Pontifices, ut ait Ciacconus. David testatur sæpius, oculos se in cælum erexisse ad auxilium postulandum. Ps. 118. 123. *Oculi mei* (contemplatio et actio, ait S. Bonav. 2. cogitatio et affectio) *defecerunt in salutare tuum* (Chald. *speraverunt in redemptione tua*) at quidem usque ad defatigationem. I. Ut Deum excitemus ad opem ferendam.

C Vide ibi dicta, et Psal. 122. 2. ubi se comparat ancillæ oculos in manus dominæ conicienti. Theodor. serm. 3. de providentia docet, caput hominis esse arcem; mentem, arcis illius præfectum: oculos vero, binos excubitores aut vigiles: eorum munus esse aspicere in montes, unde veniat auxilium: aut docere, qua ex parte hostes irruant. Hipparchus apud Nemesium Episcopum Emisenum lib. de natura hominis, cap. 7. in quo agit speciatim de visu, ait: oculos esse instar manuum, quæ res ad visum, et ad intellectum consequenter referent. Ver-

ba eius sunt: *Radii qui ab oculis porriguntur, suisque terminis, velut manuum contrectationibus, exteriora corpora attingunt, eorum perceptionem ad visum referunt.* Oculi ad Deum coniecti sunt instar manuum, ipsum ad nos attrahentes, eumque moventes ad iuvandum et compatiendum. Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum* (Hebr. לבבתיני *libbabtini*, hoc est, ut Vatabl. vertit, *obstulisti mihi cor*, velut manu) *soror mea sponsa, in uno* (per unum, ut reddit Symmachus) *oculorum tuorum*: quanto magis duobus? Arab. vertit, propter pulchritudinem oculorum tuorum. Chald. illum locum Canticorum sic paraphrastice exprimit: *Infixus est in tabula cordis mei amor tuus, soror mea cœtus Israel, quæ comparato es sponsæ, quæ est honesta: Infixa est in tabula cordis mei dilectio minimi filiorum tuorum, qui est iustus, sicut unus de principibus concilii, et sicut unus ex regibus domus Iuda, super cuius collum positum est diadema regni.*

75. II. *Ut ostendamus fidem, spem, et charitatem nostram.* Secunda ratio, cur David oculos ad cælum erigat illaqueatus, est, ut ostendat fidem suam, spem, et amorem erga Deum. *Quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*, q. d. 1. Credo, quod id facere potest; 2. spero, quod id facturus est; 3. amo ipsum, et ideo ad nullum alium aspicere volo, ut liberer. Vulgare est proverbium: Ubi oculus, ibi amor: ubi manus, ibi dolor.

III. *Ad solatium doloris.* Tertia ratio est: David captus cælum et Deum aspicit, ad solatium doloris sui, Eccles. 11. 7. *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.* Quanto magis Deum, qui est sol solis ipsius, quique cum radiis vestit ac lumine. Hinc Varro lib. 5. de lingua latina, *diem* qui velut lucem, a Deo dictum putat: Festus vero, quod *divini sit operis*: vel a Iove, quem *Diu* veteres nuncupant. Hinc etiam sol a Cicerone lib. 2. de natura deorum, vocatur princeps siderum; ab Heraclitu, ut ait Macrob. lib. 1. in somn. Scip. cap. 20. *fons lucis*, *et cor cæli*; a Chalcidio in Timæum Platonis, a Plinio lib. 2. cap. 6. *Mundi anima, siderum cætique rector, naturæ regimen et numen.* Numen, id est nutus et potestas, ait Festus, *a nuo*, nuis, quod veteres pro *volo* usurpabant. Hinc denique nonnulli, teste Plutarcho lib. de occulte vivendo, putarunt animam esse lumen quoddam, eo quod ipsa impense lumine gaudeat, et ignorantiam tenebrasque aversetur. Quocirca Anaxagoras, teste Laertio, dixit, hominem natum esse ad hoc, ut videret solem eiusque lucem: et Græci hominem vocarunt φῶτα, id est, *lucem*, quod solus luce solis verbique divini in mente collustratus, eadem et alios collustret. Ita S. Greg. Nazianz. Cæli aspectus tristitiam pellit. Lactant. lib. 3. de falsa religion. cap. 12. *Tanti est*, ait, *ut Anaxagoræ visum est, contemplatio cæli ac lucis ipsius, ut quaecumque miserias libeat sustinere.* Ita Corn. Quam vero mœroris nubem non excutiet aspectus Dei ipsius, cuius lux non superficiem tantum, sed intimas cordis medullas illuminat, reficit, recreat, accendit, et vivificat? Chald. Paraphr. locum illum Ecclesiastæ ad rem nostram apte convertit his verbis: *Dulcis est lux*, inquit, *et bono ad illuminandum oculos caligantes, ut videant gloriam faciei maiestatis Domini: quia futurum est, ut illuminentur facies iustorum ex splendore maiestatis eius, et ut sit pulchritudo eorum, ut Solis.* S. Thom. 1. p. qu. 76 art. 7. referens varias sententias Philosophorum de modo, quo animo unitur corpori, ait: Alii dixerunt, quod unitur corpori *mediante luce*, quam dicunt esse corpus, et de natura quintæ essentiæ: ita quod anima vegetabilis unitur corpori *mediante luce cæli siderei*: anima vero sensibilis, *mediante luce cæli crystallini*: *anima vero* intellectualis, *mediante luce cæli empyrei.* Sed recte ait S. Doctor, hoc esse fictitium et derisibile. Tum quia lux non est corpus: tum quia quinta essentia non venit materialiter in compositionem corporis misti: cum sit inalterabilis, sed virtualiter tantum: tum etiam, quia anima immediate corpori unitur, ut forma materiæ; Dei vero lux se in animam infundens, eam informat et illustrat.

76. IV. *Ut terram non videamus.* Quarta denique ratio est. David ad Deum oculos erigit, ut terram et terrena nec videat, nec amet, nec in iis confidat. Ps. 140. 8. *Ad te Domine, Domine* (Chald. Domina Deus meus) *oculi mei* (Chald. addit, aspiciunt) *in te* (et in nullo alio) *speravi* (Chald. particulam causalem ponit: quia in verbum tuum speravi) *non auferas* (S. Hieron. ne evacues) *animam meam.* Id est, ne fraudes eam spe sua, ait Trevatus et Caietan. 2. ne patiaris bonis solidis et spiritualibus destitui, et vanis atque terrenis inhiare. Anima plena hæc despicit. S. Hilar. in Ps. illum: *Intenti*, ait, *prophetæ ad Dominum oculi, non deflectuntur in aliquas superfluarum rerum admirationes, non ad contumeliam pudicitiæ honestas humanorum species contuentur, non capiuntur aut pretiosarum vestium opere, aut blando argenti nitore, aut illecebroso fulgore auri, aut inani honore gemmarum, etc. Sed in omnia magnifica Dei opera, ad admirationem eius, qui ea est operatus, intendunt.* Lumen cæleste Deus impressit animæ nostræ, ut cælestium contemplationi vacaret, non ut caliginosis terræ tenebris sese oblectaret, et obscuraret. Hinc dicebat Iob. cap. 29. 24. *Lux vultus mei non cadebat in terram*, id est, non occupabatur in contemplandis terrenis. S. Chrysol. serm. 139. de corporeo oculo dicit: *Oculus est animæ fenestra, speculum sit mentis, sit lumen corporis, membrorum dux, non introitus vitiorum.* De oculo autem animi quid dicetur qui est speculum et imago Dei? In oculo corporis est imago viri: unde pupilla dicitur ab Hebr. אישון *ision*, id est, homulus, homunculus: sed in animæ oculo signatum est Dei lumen et ipse Deus. Stultum itaque est a Deo ad vana et futilia converti. Prov. 17. 24. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Vatabl. reddit, fines terræ pervagantur, ut scilicet undique sibi delicias venentur et captent. Chald. magis ad rem nostram: Oculi stultorum in profundis terræ. Tui sint in excelso cæli, sed ad hoc requiruntur oculi aquilarum. S. Ambros. lib. de Isaac: *Solem nisi sanus et vehemens oculus non aspicit.* Ne candelæ quidem out lampadis lucem sustinet oculus ægrotans. De Heli Pontifice ob senium caligante dicitur, 1. Reg. 3. 2. *Oculi eius caligaverunt, nec poterat videre lucernam Dei, antequam extingueretur.* Ita legit Angelomus et Abulensis, q. d. Heli cæcutiens videre non poterat in aurora, cum adhuc lucernæ arderent, sed videre poterat clara die, cum lucernæ essent extinctæ: vel, non poterat sustinere lucem lampadis ardentis in Sancto, erant enim ibi septem lucernæ de nocte ardentes, et consequenter lux magna. Sed Biblia Romana, Hebr. Sept. Chald. et alia sic legunt et interpungunt: Oculi eius caligaverant, nec poterat videre. Lucerna Dei antequam extingueretur, dormiebat Samuel, q. d. de nocte Samuel dormiebat, quia tota nocte lucernæ in candelabro aureo positæ ardebant, in aurora extinguebantur, vel omnes, vel saltem quatuor de septem, tres alias arsisse semper aliqui arbitrantur.

Deus oculos nobis in capite posuit, non in pedibus, ut eos ad contemplanda cælestia, non terrena quærenda et scrutanda, donatos nosceremus. Hinc Salomon ait Ecclesiastæ 2. 14. *Sapientis oculi in capite eius*, id est superna et æterna contemplatur, ait Olympiodorus. *Situs oculorum noscendus est.* Lege S. Basil. hom. 9. Hexaem. sub finem, et S. Ambr. lib. 6. Hex. cap. 9. Audi vero S. Greg. Nyssen. orat. 2. in hæc verba, faciamus hominem: *Caput*, ait, *illi sublime est, ut genus cæleste suspiciat, oculi eius non tendant in terram. Quocirca ne vim inferas naturæ tuæ, terrena ne spectes, sed cælestia, ubi Christus est.* Et hom. 5. in Ecclesiasten miratur hoc dictum esse, quod sapiens in capite oculos habeat, cum omnia animalia ibi suos habeant oculos. Deinde ait, per caput intelligi id, quod principatum tenet ac primum locum: per pedem vero accipi basim animæ, per quam attingit corpus: *Quando ergo*, ait, *perspiciendi et contemplandi vis in anima occupatur in rebus sensibilibus, in eius calcaneos oculorum transit natura, per quos aspicit, quæ sunt inferiora, sublimium speculationum contemplationis expers manens penitus. Sin autem rerum subiectorum cogitationem vanitatis, sustulerit oculos ad suum caput, quod est Christus, sicut interpretatur Paulus, beata censendo fuerit propter acrem oculorum aciem: ut quæ illic habeat oculos, ubi mali non est obscuritas.*

ARTICULUS II.

A laqueis nos eripere solus Deus potest.

77. Vers. 15. 2. Pars. Oculos in cælum David emittebat, ut liberaretur, quia sciebat de cælo esse auxilium. *Quoniam ipse* (nullus alius) *evellet de laqueo pedes meos*, uterque tenetur, id est intellectus et voluntas: cognitione enim et affectione ambulamus.

Multi sunt in hac vita laquei. Nota, multi sunt laquei in hac vita. Eccli. 9. 20. *In medio laqueorum ingredieris.* Tigurina: Scito per medios laqueos transire te. Syr. Scito, quod inter laqueos incedis, et super retia ambulas. S. Antonius vidit mundum totum laqueis plenum. Itaque quamcumque te in partem vertas, ubique laqueos reperies. S. August. in Ps. 141. *Ignoras,* inquit, *quia in medio laqueorum ingrederis. Quid est in medio laqueorum: in via Christi. Et hinc laquei, et hinc laquei. Laquei a dextris, laquei a sinistris. Laquei a dextris, prosperitas sæculi; laqueis a sinistris, adversitas sæculi. Laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris,* B *terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli discedere, nec promissio te capiat, nec terror elidat.* S. Paulin. epist. 2. ad Severum adhuc generalius loquitur: *Tota,* inquit, *huius mundi figura quæ præterit, et per oculos corda prolectat, diabolicis prætenta retibus in qualibet sui specie loquens menti et gladius est.* Et Orig. homil. 2. in Cant. Intellige, ait, quia in medio laqueorum ambulas, et subtus machinas transeas imminentes. Omnia retibus plena sunt. Diabolus laqueis cuncta complevit.

Illis multi capiuntur. Quodque dolendum est magis, multi illis laqueis capiuntur, Ecclæ. 9. 12. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur* (Septuag. illaqueantur) *hamo: sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo* (id est in tempore misero et calamitoso. Tropol. in tentatione) *cum eis extemplo supervenerit.* Salvian. lib. 6. de providentia: *Sicut,* inquit, *exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hostium turmas sciunt, nunc foveis intercidere, aut sudibus præfigere, aut tribulis infestare dicuntur,* C *scilicet ut etiamsi non in omnia ea quispiam incidat, nullus tamen penitus evadat: ita etiam dæmones tam multas in vita ista humano generi illecebrarum insidias prætenderunt, ut et si plurimas earum aliquis effugiat, tamen quicumque capiatur.*

78. I. Caro suos habet laqueos. Quis non timeat, cum illorum laqueorum multitudinem, varietatem, artificium, texturam, flexiles nodos, contortos et tenaces funes, cæteraque contempiatur? Primo, suos laqueos habet caro, delicias, blanditias, iocos, ludos, potationes, crapulam, adulationes, risus, colloquia vana, vestes pretiosas, otium, somnum, pulchritudinem, fucos, aliaque. Quam periculosi et exitiales sint illi laquei, habes Ecclæ. 7. 27. *Inveni amariorem morte mulierem,* (Olympiod. hoc intelligit de adultera; 2. alii de meretrice; 3. de qualibet illecebrosa. S. Hieron. Nam, inquit, impietatis, stultitiæ, erroris, vecordiæ, tenet principatum, atque omnium malorum caput est mulier) *quæ laqueus venatorum est* (Comicus in Asin. esca, ait, est meretrix, lectus illex est, amatores aves) D *et sagena cor eius* (Complut vertunt: Retia et scandala habet in corde suo.) *Vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.*

II. Mundus. Secundo, mundus habet laqueos suos; honores scilicet, opes, fraudes, versutias, mendacia, et alia quibus incautos irretiat et in terram incurvet, Ps. 56. 7. *Laqueum* (S. Hieron. rete. S. Augustin. muscipulam) *paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam,* eam reflectendo ad terram, et impediendo, ne se erigeret in cælum. Hoc maxime fit per avaritiam. 1. Timoth. 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum Diaboli, et* (id est) *desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt* (Gr. βυθίζουσι, id est demergunt in profundum) *in interitum et perditionem.* Hoc nimis docet quotidiana experientia, et tamen pauci sunt qui inde sapiant: nec mirum, quia desideria illa stulta sunt, et stultos faciunt. Pro *inutilia* Gr. est ἀνοήτους, id est, stulta et amentia. Vide Theophylactum eo loco.

A III. Dæmon. Tertio, dæmon est ille *Nemrod*, qui idem est ac *rebellis*, fuit enim tyrannus et Dei contemptor. De eo habes Genes. 10. 6. *Porro Chus* (ab eo orti sunt Æthiopes) *genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, et erat robustus venator,* ferarum, ait Aben Ezra; 2. hominum, quos vi et insidiis in servitutem redigebat, ait S. Aug. lib. 16. de civit. cap. 4. et Abulensis. *Coram Domino* Gr. ἐναντίον κυρίου, quod etiam significat *contra Dominum*, ut vertit S. August. Hinc opinatur S. Isidor. lib. 6. Etym. Nemrod homines a Deo abductos ad idololatriam, nempe ad cultum ignis, coegisse. Hoc autem est Diaboli proprium, qui est rebellis et potens in terra, id est, in anima terrena, quæ in laqueos eius se præceps coniecit. De impio ait Baldad Suhites. Iob. 18. 8. *Immisit in rete pedes suos, et in maculis* (id est, in foraminibus seu plagis) *eius* (retis) *ambulat: tenebitur planta illius laqueo, et exardescet contra eum sitis* (Hebr. צמים *tsammim*, id est, sitibundi, ut vertit Arias; 2. prædones, ut Pagn. grassatores, ut Va- B tabl.) *abscondita est in terra* (in affectu terrenorum) *pedica eius, et decipula illius super semitam,* id est in semita, ut habent Septuag. 2. iuxta semitam. Dæmon se et suos laqueos occultat in semita, id est, in actionibus vitæ huius. Est serpens, de quo Genes. 49. 17. *Fiat Dan* (id est, Antichristus nasciturus ex tribu Dan) *coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas* (id est calcaneum habens ungulas) *equi, ut cadat ascensor eius retro.* Hæc ad literam tam de Samsone Philisthæos suis artibus per vulpes vastante, et collisione columnarum aliisque modis occidente, quam de Antichristo sanctos per vafritiem et venena sua affligente dicuntur. Ad dæmonem symbolice transfer. Plin. lib. 8. cap. 23. de Ceraste ait: *Cerastis corpore eminent cornicula sæpe quadrigemina: quorum motu, reliquo corpore occultato, solicitant ad se aves.* Sic ad se evolantes intercipiunt: ita et dæmon. Sed confide, nisi te ipse deiicias, ab eo capi non potes, in cælum evola, inde deiectus est, ibi non reperitur.

C Quæres, quo laqueo tenebatur tunc David, cum Psalmum hunc canebat? 79. Laqueus Davidis erat reatus pœnæ ob adulterium. Resp. 1. Bellarm. per laqueum intelligi omne periculum tentationum; 2. Agell. et melius, intelligi sit insidias hostium tam visibilium quam invisibilium; 3. arbitror præsertim loqui eum de reatu pœnæ subeundæ ob adulterium cum Bethsabee commissum et ob cædem Uriæ: eo enim laqueo adhuc tenebatur, et eo stringi se videbat atque sentiebat in rebellione Absalonis, a quo eiectus erat a civitate regia ac throno, atque in arctum compulsus, unde vix sese expedire posset, nisi Deus speciali auxilio adesset. Hunc autem psalmum a Davide scriptum tempore persecutionis per Absalonem excitatæ ostendi in proœmio. Vide et tu ne mala consuetudine ligatus, diaboli laqueis tenearis, et diu postea puniaris. S. Aug. in psalm. 139. ait: *Pravitas sibi connexa ducitur in longum, et non cogitat præcidere. quod male texuit: sed addere, producere, in longum protendere: ut habeat in fine, unde illi ligentur manus et pedes, et proiiciatur in tenebras exteriores.*

D Quæres secundo, Quibus modis movendus Deus, ut a laqueis tum peccatorum tum pœnarum te eripiat? 80. Laquei vitantur modis novem. ex hoc psalmo potes addiscere. Primo oculos ad Deum erige, ut fecit David qui ait: *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* S. Paulus dicit Coloss. 3. 1. I. Oculorum erectione. *Quæ sursum sunt* (id est, æterna bona) *quærite, ubi Christus est* (amor et thesaurus noster) *in dextra Dei sedens* (id est, in summo et fulgidissimo cæli throno præ omnibus Angelis effulgens, hoc est, maxima gloria donatus) *quæ sursum sunt, sapite* (cum sapore gustate) *non quæ super terram,* ibi viscus est amarus, tenax et inficiens. S. Ambr. de bono mortis cap. 6. Inferiora, inquit, obliviscens, terrena despiciens, ad cælestia et æterna contende. Attolle animam tuam, ne eam illiciat esca laqueorum. Voluptates sæculi, escæ quædam sunt: et quod peius est, escæ malorum, escæ tentationum. Lege cætera.

Secundus modus, os aperi per orationem, v. 16. ait

81. Vers. 16. 1. Pars. David: RESPICE IN ME, ET MISERERE MEI, q. d. si respexeris, misereberis. Oculi enim paterni statim filiorum miseria commoventur, nec legimus ullum a Christo aspectum, quin eius misertus sit. Matth. 9. 36. *Videns turbas misertus est eis* (Gr. ἐσπλαγχνίσθη, hoc est, ex intimis II. Oratione. visceribus commiseratus est) *quia erant vexati* (Gr. ἐσκυλμένοι, id est fatigati, ut vertit Syr. et in ea significatione usurpat etiam Herodian. 2. variis molestiis vexati et attriti; 3. Raban. explicat, vexati per varios errores dæmonum) *et iacentes* (Græc. ἐρριμμένοι, id est, dispersi, ut Syr. reddit, errantes, ut Arabs, disiecti, dissipati, ut alii) *sicut oves non habentes pastorem.* Secundo, videns Iesus turbas fatigatas, quæ se in desertum iuxta Bethsaidam erant secutæ, quinque panes et duos pisces ita multiplicavit, ut quinque cinerit millia virorum præter mulieres et parvulos. Matth. 14. 14. et sequ. Tertio, Vidit Iesus Matthæum sedentem in telonio, vocatum ad se fecit Apostolum, cap. 9. v. 9. Quarto, vidit Zachæum super arborem in urbe Iericho, et in eius demum introiens, ait: *Hodie salus domui huic facta est*, Luc. 19. 9. Quinto, vidit Petrum, qui eum negaverat, et hoc aspectu compunctus egressus foras, flevit amare, Matth. 26. 75. Ora itaque cum Davide Ps. 83. 10. *Protector* (S. Hier. *clypeus.* Oculus Polyphemi dicebatur esse instar clypei Argolici. Sol est oculus mundi, et formam habet clypei rotundi) *noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui*, hoc est, in me, qui a te sum unctus in regem populi tui; 2. est Christi ipsius oratio; 3. Christianus unctus in baptismo et confirmatione, et sacerdos adhuc in ordinatione, id dicat. Oratio ad omnes mentis laqueos et morbos tollendos sufficit. S. August. in Ps. 139. *Si te*, ait, *impedierit in via Dei, ut illud, quod rectum intendebas, titubet, aut labatur a via, aut cadat in via, aut recedat de via, aut remaneat in via, aut retro revertatur unde venerat. Quicquid tale fecerit, supplantaverit te, decepit te. Contra huiusmodi insidias ora, ne perdas cœleste patrimonium.* S. Ambros. de vid. *Ubi est oratio, adest Verbum, fugatur cupiditas, libido discedit.* Et S. Hieron. in Marc. Ieiunio, ait, passiones corporis, oratione pestes sanandæ sunt mentis.

Vers. 16. 2 Pars. Tertius modus, quo a laqueis expediri possis, cognitio est imbecillitatis tuæ, vers. 16. QUIA UNICUS ET PAUPER SUM EGO, id est, omni ope humana destitutus, solitarius, derelictus et ab amicis et a facultatibus ac divitiis. Unicus enim est, qui ab amicis et propinquis deseritur. 82. III. Cognitione imbecillitatis suæ. Pauper est, qui divitiis caret. Ita Theodoret. Remig. Genebr. et alii. Dices, cum David fugit Absalonem, habuit multos fugæ suæ comites, igitur non erat unicus. Resp. Rex censetur solus incedere, cum paucis comitatus incedit, et 2. Reg. 15. 13. venit nuntius ad David ex Hebrone, ubi Absalom fuerat Rex inauguratus, dicens: *Toto corde universus Israel sequitur Absalom.* Igitur fugiens David erat unicus, id est, pene unicus, hoc est, a paucis comitatus, et aliquos sequi se volentes remisit, ut Chusai, Sadoc, Abiathar, et alios. Sic dicitur David nudus saltasse coram arca, id est, spoliatus suis regiis vestibus. 1. Reg. 6.

83. Tropol. Unicus et pauper. Tropolog. Primo, Aben Ezra opem a Davide vult peti, quod sit *unicus:* id est, unicam animam et unicum corpus habeat. Secundo, et melius, unicus sum, et pauper, q. d. in uno Deo, non in aliis, aut in meipso spem habeo, cognosce me viribus propriis aut creaturarum nihil posse. Ita S. Thom. Bellarmin. Agell. Iansen. et alii. S. Thomas ait duo requiri, ut quis a Deo iuvetur: Primo, ut totaliter cor suum tendat ad Deum. Psal. 24. 4. *Unam* (supple, rem, est Hebraismus) *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Lucæ 10. 42. *Porro unum est necessarium.* Secundo, quod sit contemptor rerum mundanarum, alias non est unicus, nec placeret Deo tantum. *Quia pauper sum.* Id est, contemno omnia propter te. Verba Ruffini sunt: *Ego attendo in te, tu respice in me: attendo desiderando, respice miserando. Meum est enim amare te, tuum est salvare me. Quia sum unicus tuus, unicæ Ecclesiæ tuæ servans unitatem* (*quam nulla schismata vel hæreses tenent*) *in una fide, spe et charitate perseverans sum; et pauper tuus, non quærens aurum, vel argentum: non possessiones aut divitias supra te. Non præsumens de meipso, non inflatus spiritu, sed humilis corde: nihil aliud quærens, nisi te. Quamobrem respice unicum, miserere pauperi.* Religiosi præsertim in solitudine sibi sua placeant, et sint sicut passeres solitarii in tecto. Aquila vertit: *Quia* μοναχός, solitarius, solus, monachus, *unicus et pauper sum ego*, μοναχός, q. d. μόνος ἄχων, solus lugens.

Allegor. de Christo sic explicat S. Hieron. Christus unicus sine peccato, ut ait Propheta Isaias c. 53. 9. *Qui peccatum non fecit.* 84. Allegor. Pauper pro nobis, ut Paulus dicit 2. Cor. 8. 9. *Qui cum dives esset, pauper factus est:* ut illius inopia nos divites essemus. Ita Hieron. cuius typus fuit Elias in torrente Carith latitans solus per tres annos tempore famis in regno Israel. Lege S. August. serm. de tempore 101. ubi varia parallela Eliæ et Christi affert. S. Bern. lib. 4. de consideratione ad Eugenium diversa illius solitariorum seu Eremitarum parentis affert Elogia: *Fuit*, ait, *Elias forma iustitiæ, sanctitatis speculum, pietatis exemplar, assertor veritatis, fidei defensor, doctor Israelis, magister insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatus, iudex viduarum, oculus cæcorum, lingua mutorum, ultor scelerum, malorum metus, bonorum gloria, virga potentium, malleus tyrannorum, regum pater, sol terræ, orbis lumen, Propheta Altissimi, præcursor Christi, Christus Domini, Deus Achab, Baalitarum terror, idololatrorum fulmen.* Qui se a mundo separat, et eum calcat, est mundi Dominus. Sed unicus est, phœnix est, qui talis est.

Ad cognitionem sui pertinet videre non tantum desertionem ab amicis, et inopiam rerum temporalium, sed præcipue miseriam mentis et corporis. Hinc additur v. 17. Vers. 17. TRIBULATIONES CORDIS MEI MULTIPLICATÆ SUNT (Hebr. dilatatæ sunt, ut vertit Felix et Pagnin. latissimæ factæ sunt, ut Vatabl. Est itaque enallage quantitatis discretæ pro continua) DE NECESSITATIBUS (Hebr. de angustiis, ut S. Hier. Felix reddunt, de coarctationibus, ut Arias) MEIS ERUE ME.

Quæres, quæ sunt istæ necessitates, a quibus eripi David postulat? 85. Necessitates a quibus eripi David postulat, sunt: Respond. primo, S. Thom. Beda, imo et S. Aug. necessitates illas idem esse volunt cum tribulationibus cordis. Sive in quantum sunt inevitabiles, sic enim sunt necessariæ, ut explicat S. Aug. S. Thom. et Ugo: sive in quantum utiles, ut S. Thom. Unde Angelus Raphael dixit Tobiæ cap. 12. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.* 1. Tribulationes cordis. 2. Timoth. 3. 17. *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur.* Seneca lib. de providentia cap. 1. Deus, inquit, virum bonum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat. Et cap. 2. Sicut tanta mediterraneorum vis fontium non mutat saporem maris, neque remittit quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior: nec hoc dico, non sentit illa, sed vincit. Et alioquin quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia adversa exercitationes putat. Athletæ gaudent cum fortissimis confligere, cædi, vexarique. Marcet sine adversario virtus. Lege cætera, et cap. 3. Utilitatem tribulationis et moralem necessitatem sic exponit Idiota in contemplatione de vera pœnit. cap. 12. *Nequaquam*, ait, *contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, et via recta ad vitam, quæ ita magnum est quoddam bonum, et datum optimum: quia elationem deprimit, lasciviam refrænat, intemperantiam edomat, et denique omnes illicitos motus mentis et corporis suffocat et elidit, cervicem submittit, deponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, linguam frænat, iram sedat, incessum format et dirigit in viam pacis, erudit ad scientiam, exercet ad timorem, ut coronet ad gloriam. Tribulatio namque contra carnis concupiscentiam dat continentiam, contra oculorum concupiscentiam, constantiam: et contra ambitionem sæculi, humilitatem.*

II. Vitia. Secundo, Beda ait tribulationes et necessitates cordis esse vitia: quæ ideo dicuntur necessitates, quia necesse est ut quisque deficiens a veritate, cadat in falsitatem, et a luce in tenebras, et a gaudio virtutum in tribulationem vitiorum. Ita Beda. Nunc enim in statu corruptæ naturæ non possumus evitare omnia peccata venialia sine specialissima gratia, quæ nulli data fuisse scitur puræ creaturæ, nisi Deiparæ. S. Prosper itaque lib. 3. de vita contempl. cap. 2. necessitates illas exponit de necessitate quadam peccandi, quam non habebat primus homo. *Cui nihil aliud fuit non peccare, quam nolle peccare. Ipsum autem velle nostrum languida possibilitate deficit, et impedit nos vitiata natura; cogit etiam plerumque peccati iam facta necessitas.* Et S. Augustin. lib. de perfect. iustit. cap. 4. Per arbitrii, ait, libertatem factum, ut esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fides clamat: De necessitatibus educ me, sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere: vel quod intellexerimus, volumus nec valemus implere. Ita August. Gratia et misericordia Dei necessariæ nobis sunt: unde David dixit supra: *Respice in me, et miserere mei*: et Paulus Roman. 11. 32. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.*

III. Habitus mali. Tertio, *necessitates* præsertim sunt mali et inveterati habitus, dum enim peccato non resistitur fit necessitas, ut ait S. Aug. lib. 8. Confess. cap. 5. et hunc locum tractans concion. 2. ait: Quis has necessitates numeret? quis digne exaggeret? quis congrue vitandas fugiendasque commendet? Percenset deinde illas necessitates duras: nempe, nescire cor alterius, male sentire plerumque de amico fideli, non videre quale cor tuum erit, cras mori etiamsi nolis, pugnare *contra vetustissimas cupiditates et annosas malas consuetudines*, in quibus captivos nos tenet lex membrorum repugnans legi mentis, Rom. 7. 23.

IV. Variæ tentationes. Quarto denique, *necessitates* adhuc melius sumentur variæ tentationes, quas evitare non possumus. Sic exponit Hugo a S. Victore in psal. cap. 33. *Quando*, ait, *in hac corruptibili carne vivunt sancti, molestias et tentationes, quæ ex carne corruptibili oriuntur, omnino declinare non possunt. In quibus tantum cum labore periculum est, ut eas quotidie sentire necesse sit: et tamen consentire eis nemo unquam sine detrimento possit.*

86. II. Tribulationes cordis et necessitates pro rebus diversis sumuntur. Resp. secundo, tribulationes cordis et necessitates melius distingui et pro diversis sumi. Ita S. Hier. et Ruffin. atque alii. Primo, S. Hier. tribulationes cordis ait esse passionis dolores. Necessitates vero esse, ut pro hominibus moriatur, Christus scilicet, de quo explicat. In regibus præcipue qualis erat David bello civili agitatus, maiores timores adsunt et pericula mortis. Saturninus apud Flavium Vopiscum cum a sua purpura esset indutus, ait: *Nescitis amici, quid mali sit imperare. Nam et gladii, et tela cervicibus nostris impendent, imminent hastæ, undique spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro studio. Adde quod omnis ætas imperio reprehenditur: senex est quispiam, inhabilis videtur: si iuvenis, inest furor. Nam quod imperatorem me cupitis, in mortis necessitatem me trahitis, sed habeo solatium hoc mortis, solus perire non potero.* Davidis vitam rebellis quærebat Absalom, ut patet 2. Reg. cap. 17.

Secundo, Ugo et Ruffin. per tribulationes cordis intelligunt interiores commotiones mentis: per necessitates vero, exteriores afflictiones. Audiamus Ruffinum: Tribulationes cordis, inquit, intelliguntur interiores animi passiones, ut sunt vitia et desideria prava, delectationes mentis et concupiscentiæ, et alia huiusmodi, quibus tribulatur cor. Necessitates ad corpus pertinent, quibus affligitur exterior homo: ut est in fame et siti, in frigore et calore, in infirmitate et corruptione carnis, et aliis similibus: quæ ideo dicuntur necessitates, quia sunt quasi naturales, et velimus nolimus, contingunt nobis.

Quartus modus optimus, ut moveamus Deum ad nos eruendum ex laqueis, est humiliatio et humilitas. Hinc addit David vers. 18. VIDE HUMILITATEM MEAM ET LABOREM MEUM: ET DIMITTE (Hebr. שא *sa*, id est, porta, ut ait Hieron. aufer, ut Vatabl. 2. parce, ut Pagn. ignosce, ut Caiet. dimitte, ut Noster et Felix) UNIVERSA DELICTA MEA. 87. Vers. 18. 1. Pars. IV. Humilitas e laqueis expedit. Nota, pro *humilitatem*, Hebr. est עני *oni*, id est, 1. afflictionem, ut vertit Vatabl. Felix et Pagnin. οἰζυος αυτων ποτμη, ærumnæ sortem infelicis, ut Petavius. 2. humilitatem, ut S. Hieron. noster. Caiet. et Sept. Quod de humilitatis virtute exponunt S. Thomas, Euseb. Didym. Orig. Hugo a S. Victore, et alii. Syr. et Arabs vertunt: *Respice subiectionem meam.* Humilium aspectu delectatur Deus, qui ait Isaiæ 66. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum?* id est, ad eum, qui est humilis spiritu, ut vertit Vatablus. Hoc meditans S. Bern. hom. 1. super Missus est: *Super quem*, ait, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum? super humilem dixit, non super virginem. Si ergo Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset*, nec *imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Respexit*, ait *ipsa, humilitatem ancillæ suæ, potius quam virginitatem: etsi placuit ex virginitate, tamen concepit ex humilitate. Unde constat, quod etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.* Neque enim esset vera et perfecta virginitas aut ulla virtus, nisi in humilitate radicaretur. S. Greg. lib. 27. Mor. cap. 27. *Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat: a qua nimirum si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in infimis humorem charitatis perdit.* Ita Gregorius. Humilitate laqueos, quibus plenus est mundus, evitari, dictum est a S. Antonio, ut alias retuli.

88. Vers. 18. 2. Pars. V. Diligentia e laqueis eripit. Quintus modus, ut moveamus Deum ad nos eruendum a laqueis, est diligentia. VIDE HUMILITATEM MEAM ET LABOREM MEUM. Dii laboribus omnia vendunt. In sudore vultus nostri debemus vesci pane nostro, Gen. cap. 3. 19. Labor itaque affert primo lucrum. S. Ignat. epist. 11. ad Polycarp. οπη πλειων κοπη, πολυ κερδος, *ubi plus laboris est, plus ibi lucri esse solet.* Secundo, affert etiam delectationem in ipsa terra per gratiæ perceptionem. S. Leo epist. 6. *Dulcius*, ait, *munera gratiæ divinæ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus acquiruntur.* Tertio, labor in cælum ducit ad gloriam. S. Bern. ait humilitatem et laborem esse duo latera scalæ cælestis, quæ volentibus sequi Dominum proponuntur ascendenda. Sic enim loquitur in declamation. pag. 1008. *Totum, quod a via vitæ et disciplinæ deterret filios huius sæculi, totum quod exercet interim servos Dei in his duobus est, quæ sub uno versu Propheta commendat. Vide, inquiens, humilitatem meam et laborem meum. Hæc ergo sint latera scalæ, vilitas et asperitas: quibus deinceps internæ virtutis et gratiæ gradus firmiter inserantur. Est enim videre homines mundanam gloriam contemnentes, favorem calcantes populi, sed non adeo fortes in tolerantia molestiæ corporalis, non adeo reiicientes mollia, non adeo carnis illecebras superantes. Quid istos dixerim nisi latus alterum non tenere. Porro uni tantum lateri innitentis periculosus nimis ascensus, et proximus est ruinæ.*

89. Vers. 19. VI. Timor hostium e laqueis nos eripit. Sextus modus evadendi e laqueis, est timor hostium nos in laqueis illis vallantium et perdere volentium, v. 19. RESPICE INIMICOS MEOS QUONIAM MULTIPLICATI SUNT, ET ODIO INIQUO ODERUNT ME. In suis inimicis tria David considerat; 1. multitudinem; 2. odium; 3. iniquitatem. Idem nobis faciendum est. Nam primo, mundus totus plenus est hostibus. S. Ambros. in Genes. *Quid est*, ait, *mundus, nisi quidam agon plenus certaminum.* Alludit ad certamina Olympica, Isthmica, Nemæa et Pythica, quæ fiebant in certis et determinatis locis Græciæ; at noster agon est in toto orbe. Ubi adverte, quod agon et ipsum certamen, et locum certaminis significat. S. Prosp. lib. 2. de vocatione gentium cap. 28. *In præsentis*, ait, *agonis incerto, tota vita tentatio est.* Alludit ad illud Iobi cap. 7. 1. *Militia est vita hominis super terram.* Septuag. vertunt: Numquid non tentatio est vita hominis super terram? S. Leo tentationum illarum multitudinem declarat apte ad Psalmum nostrum. Verba eius sunt serm. 5. de quadra-

gesima, qui est de multitudine periculorum huius vitæ. *Plene omnia periculis, plena sunt laqueis: Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ sunt abloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde exerit odium, hinc decipit mendax officium.* Secundo, odium hostium nostrorum est adhuc eorum multitudine periculosius. S. August. in Ps. 96. Est, inquit, insita malevolentia quædam et pernicies nocendi istis malis spiritibus, gaudent de malo hominum et de fallacia nostra: si nos fefellerint, pascuntur. Tertio, iniquitas eorum et barbaries extrema est: *Odio iniquo oderunt me.* Hebr. Odio, חמס *chemas*, id est, iniquitatis, ut vertit Arias et Felix; 2. rapinæ, ut Chald. 3. violentiæ, ut Vatabl. Sunt instar Salmanasar replentis Israelites, et eos in servitutem conicientis patria expulsos et bonis omnibus spoliatos, 4. Regum 18. 11. *Salmanasar*, idem est atque pax oblata. Dæmon in perpetuo bello est. Est rex *Assur*, id est *insidians*: collocat eos in Hale, id est, in *dolore maxillæ*, hoc est, in vitiis gulæ: et in *Habor*, id est, *in livore* seu incantatione, hoc est, vitiis invidiæ et superbiæ, qui sunt fluvii *Gozan*, id est, *corpus nutrientium*, deliciis scilicet atque voluptati indulgentium: in civitatibus *Medorum*, id est, *abundentium*, divitum huius sæculi. Ibi enim dæmones dominantur, et eos captivant qui prius erant Israelitæ, hoc est, *potentes in Deum*, ut ab eo quod velint, impetrent.

90. Vers. 20. VII. Spes in Deum e laqueis eripit. Septimus modus evadendi e laqueis, est spes in Deum, v. 20. CUSTODI ANIMAM MEAM, ET ERUE ME: NON ERUBESCAM, (Psalter. Ambros. non confundar) QUONIAM SPERAVI IN TE. Psalter. Roman. quoniam invocavi te. In oratione spes maxime se ostendit, et omnia a Deo evincit. Sic Sancti potentes extiterunt sperando in Deum, non in se. S. Bern. serm. 9. in psal. *Qui habitat*, illud vers. 9. considerans, Tu es Domine spes mea, ait: *Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei et æstus, ieiunare bis in sabbato dicat, postremo non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in aliis alii, forte hic in scientia literarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimenta feci, et ut stercora arbitrer, quoniam tu es Domine spes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum: ego vero ne ipsa quidem abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abieci omnia. Quærite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et omnia adiicientur vobis.* Tunc vero potissimum spes in Deum erigenda est, cum tribulationes et inimici multiplicantur. S. Bern. pergit: *Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversum spiritum concupiscat: in te ego sperabo. Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est.* S. Ambros. in Hexaem. clare: De divina, inquit, miseratione tunc sperandum amplius est, cum præsidia humana defecerint. S. Gregor. lib. 6. Mor. Spes, ait, in æternitatem animum erigit: et idcirco nulla mala exterius, quæ tolerat sentit.

91. Vers. 21. 1. Pars VIII. Et societas virorum proborum. Octavus modus evadendi e laqueis, est societas virorum proborum, vers. 21. additur: INNOCENTES ET RECTI ADHÆSERUNT MIHI: QUIA SUSTINUI TE. Virtus virtutem sibi nectit, ut magnete tactus annulus alium annulum. Innocentes adhæsisse David fugienti Absalonem patet 2. Reg. 15. cum etiam arca ad eum allata esset, quam tamen humilitatis et reverentiæ causa referri in tabernaculum voluit a sacerdotibus: contra vero impius Achitophel et alii scelerati adhæserunt Absaloni, ut patet ex pollutione decem concubinarum patris illi persuasa, c. 16. 22. Quod autem amicus bonus e laqueo eripiat amicum, patet, 1. quia pro ipso tamquam pro se orat. Amicus enim est alter ego; 2. quia verbis et exemplis sibi similem facit. Ut enim ait S. Hieron. *Amicitia parem aut facit, aut accipit.* S. Ambros. lib. 3. officior. cap. 16. *Pietatis custos amicitia est, et æqualitatis magistra.* Et paulo post: *Quid est amicus nisi consors amoris, ad quem animum tuum adiungas atque applices: et ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus.* Cum innocentibus itaque et rectis innocentiam et rectitudinem habebis. Hebr. *integritas*, ut vertit Vatabl. et Arias; simplicitas, ut S. Hieron. et Felix; perfectio, ut Caiet. et Pagnin. innocentia, ut Muisius; *et rectitudo*, et æquitas, ut S. Hier. et Vatabl. habent; *adhæserunt mihi*, custodient me, ut reddit Vatab. servabant me, ut S. Hieron. Abstracta ponuntur pro concretis more solito Hebr. unde Noster et Septuag. recte vertunt, *innocentes et recti*. Arab. innocentes et fortes. Quod est rectum, est firmius et melius pondera sustinet, quam quod est obliquum. Syr. integri et recti. Petavius, quibus inculpata in pectore mens, et proba. Vide dicta Ps. 1. v. 4.

Nonus denique modus evadendi e laqueis, est constantia et longanimitas in adversis. QUIA SUSTINUI TE. S. Hieron. Felix, Caiet. expectavi te. Vatabl. expecto te. Petav. te auxiliatorem expectans, εν πεποιθησει εχων constantem animum habebam: 1. itaque est expectandus Deus liberator; 2. ut ait Remigius, *sustinui te*, id est mandata tua custodivi. S. Ambros. in Ps. 118. *Illud est*, inquit, *magnificum, si subiectus contumeliis, iudicium Dei laudes, si vexatus ægritudine, iudicio Dei deputes: si te inopia premit; non revocet, quo minus laudes iustitiam Dei*; 3. sustinui te, id est, te remuneratorem cum patientia expectavi, ut ait idem Remigius. 92. Vers. 21. 2. Pars. IX. Et constantia in adversis.

Ex his omnibus concludit orationem suam David pro toto populo suo, vers. ult. LIBERA (Hebr. redime q. d. sunt venumdati sub peccato) DEUS ISRAEL (Israelem, id est, totum populum Iudaicum) EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS SUIS. Sed præsertim ex hoc bello e rebellibus duce Absalone excitato, et omnes regni partes pervadente. Vers. 22.

Nota primo, reges debent orare pro populo suo, velut pater pro filiis. Sic oravit etiam publice in templo Salomon, cum illud dedicaretur 3. Reg. 8. 12. Orationem vero, quæ ibi habetur, fudit quasi Rex Israelis, ideoque diadema gerebat in capite, ait Cornelius. Hinc Cantic. 3. 11. cum per ferculum Salomonis intellexisset eius templum. Chald. Paraphrastes, pro eo quod Noster, Sept. et Hebr. habent: *Egredimini et videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, etc.* sic vertit: *Quando venit Salomon rex, ut faceret dedicationem domus sanctuarii, præco egressus est in fortitudine, et sic ait: Egredimini et videte habitatores provinciarum terræ Israel: et populus Sion diadema et coronam, qua coronaverunt domus Israel regem Salomonem in die dedicationis sanctuarii: et lætatus est in lætitia solemnitatis tabernaculorum, quam fecit Rex Salomon in tempore illo 14. diebus.* Et cap. 4. vers. 1. addit: *Et in illo die obtulit rex Salomon mille holocausta, et suscepta est cum beneplacito oblatio eius coram Domino: irruit vox de cælis, et ait: Quam pulcher es cœtus Israel, et quam pulchri sunt principes congregationis et sapientes habitantes in concilio: quia ipsi semper illuminant populum domus Israel.* Apud Romanos in bellum ituri Consules sacrificabant maioribus hostiis, ait Livius lib. 3. et 36. Reges vero eorum et Imperatores erant etiam Summi Pontifices, et consequenter sacrificia pro voluntate sua offerebant. Constantinus et Theodosius Imperatores publice orationes suas Deo obtulerunt pro populo suo. 93. Reges orare debent pro populo.

Nota secundo, hunc Psal. 24. esse sæpe recitandum. Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo Capitulari ad diœcesis suæ Sacerdotes cap. 30. ait: *Omni die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quanto amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta Psal. 31. v. 5. Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitias meas non abscondi. Dixi confitebor adversum me iniustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Facta etenim confessione, cum gemitu et lacrymis Domino in oratione recitandus est Ps. 50. sive 24. sive 31.*

PSALMUS VIGESIMUS QUINTUS.

1. IUDICA me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.
2. Proba me Domine et tenta me: ure renes meos et cor meum.
3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua.
4. Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.
5. Odivi Ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.
6. Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum Domine.
7. Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.
8. Domine dilexi decorem domus tuæ: et locum habitationis gloriæ tuæ.
9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.
10. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.
11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.
12. Pes meus stetit in directo: in Ecclesiis benedicam te Domine.

PSALMI VIGESIMI QUINTI ANALYSIS.

David calumniis Saulis et aulicorum in exilio appetitus ad Dei supremi Regum iudicis tribunal provocans.

- Examen postulat de præteritis. 1. fretus.
  - Advocatis bonis
    - Innocentia sua. 1.
    - Et spe in Deum. 1.
  - Modo examinandi, quo
    - Deus probat. 2.
    - Tentat. 2.
    - Urit. 2.
      - Renes. 2.
      - Et cor. 2.
  - Iudicis Dei dotibus
    - Misericordia. 3.
    - Et veritate. 3.
  - Causæ suæ bonitate, cum
    - Fugerit cœtus idololatrarum. 4. 5.
    - Et aliorum malignorum. 5.
- Pietatem pollicetur futuram. 6.
  - Manus consecrans, lotas ante tabernaculi ingressum. 6.
  - Pedes, ad altare cum veneratione circumeundum. 6.
  - Aures, ad Dei laudes audiendas. 7.
  - Os, ad ipsum laudandum. 7.
  - Oculos, ad splendorem tabernaculi intuendum. 8.
  - Membra omnia, ad quiescendum in domo Dei. 8.
- Absolutionem petit præsentem. 9.
  - Ne pereat cum impiis. 9.
    - Qui sanguinem fundunt innocentium. 9.
    - Et muneribus corrupti scelera perpetrant. 10.
  - Cum sit innocens. 11. habens
    - Intentionem sinceram in actionibus. 11.
    - Affectionem in virtutis prosecutione. 12.
    - Gratitudinem ob accepta beneficia. 12.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. IN FINEM, PSALMUS DAVID.

1. Tempus quo scriptus est psalmus, triplex assignatur.

I. QUÆRES. Quo tempore scriptus sit hic psalmus? Primo, Adrianus Lavetius, et Caietanus dicunt psalmum hunc conscriptum esse in principio, quo David factus fuit Rex super totum Israel, et disposuit transferre arcam Domini in montem Sion, 1. Paralip. 13. 6. Hoc autem contigit anno mundi 2986. exitus ab Ægypto 443. ante Christum 1067. regni Davidis in Hebron. 7. ætatis eius 37. Sed cur tunc David iudicari postularet, cur diceret se odio habuisse Ecclesiam malignantium et cum impiis non sedisse.

II. Secundo, Aignanus ait, Psalmum hunc fundari supra historiam, quæ habetur 2. Reg. 2. quod post mortem Saulis David, qui erat fugitivus, et iam inunctus præcepto Dei per Samuelem in regem, consuluit Dominum, an deberet ascendere ad unam de civitatibus Iuda, et ei respondit Deus, ut ascenderet in Hebron civitatem, ad posses- A sionem regni sui habendam. Ascendit ergo David cum uxoribus et sociis suis. Tunc venerunt ad eum viri de tribu Iuda, et ibi unxerunt David in regem, ut regnaret super domum Iuda. Hæc ferme habet etiam Lyran. Hoc autem contigit anno 30. ætatis David, et consequenter ante Christum anno 1073.

Tertio, et convenientius, Theodoret. Euthym. Iansen. Bell. et alii, hunc Psalmum factum esse volunt, cum Saulem adhuc viventem fugeret, atque optaret ab eo liberari et in patriam redire. Itaque Psalmus hic est provocatio a Saulis Regis et aulicorum calumniis. Provocat autem ad iudicium Dei, quod Saul Rex in terris superiorem nullum haberet, a quo iudicaretur. Calumniis porro patebat David, quod exul apud Philisthæos videri poterat a populo Dei ad idololatras transfugisse eo animo, ut illis eorumque idolis adhæreret, cultumque divinum pro nihilo du- III. Et optime.

ceret. Petit igitur a tam molesta calamitate liberari et revocari in patriam, ubi Deum in eius tabernaculo honoret: gratiarum actionem vovet, si hoc obtineat.

2. Tropol. Tropolog. Hic Psalmus convenit, tum omni Ecclesiæ iam perfecte in Christo stabilitæ, ait S. Aug. S. Hier. et alii: tum cuilibet viro iusto et perfecto, qui iniusto impiorum persecutiones patiens Deum orat, ut pro se secundum suam innocentiam contra illos iudicet, se enim innocentiæ fuisse studiosum, et societatem impiorum evitasse, optareque Dei cultui ex animo vacare. Ita Beda, Turrecremata, Iansen. Titelm. Ludolph. Richardus Pamp. In hoc Psalmo, ait Folengius, ardens de seipsa, anima Deo offert sacrificium.

Anagog. Psalmus hic est vox viri perfecti et ad cælestem Dei domum suspirantis, eiusque decore et gloria capti, ut quemadmodum in hac vita moraliter ab impiis separatur; ita in futura localiter separetur. Ita Ruffin. et Romig. 3. Anagog.

Allegor. Videtur Psalmus iste posse exponi de Christo, etiam aptius quam do aliquo alio. Christus enim ut homo ait ad Deum Patrem: Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, etc. Ita Dionysius: hoc negare videtur S. Augustinus, sed negationis causam non video, et magis patebit in Psalmi decursu. 4. Allegor.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Quatuor præstat David: Primo, iudicio se divino sistit, ut examen subeat, v. 1. Secundo, societatem idola colentium at quorumlibet impiorum fugisse se inclamat, v. 4. Tertio, summo se uomus Dei divinarumque laudum teneri desiderio, v. 6. Quarto, absolvi se in hoc iudicio postulat, cum poenæ reis tantum destinantur, vers. 9.

SECTIO PRIMA.

5. *Duo continet. Primo, innocentem Davidem esse a calumniis, quibus a Saule Rege impetebatur, ac divinum iudicium implorare, v. 1. Secundo, ab idololatrarum conciliis et sacrificiis abhorruisse, et impios omnes odio habuisse. v. 4.*

PARAPHRASIS.

1. *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor.*

1. Tot malevolorum appetitus calumniis, et iniquo iudicio condemnatos, velut reus læsæ maiestatis, ob iniustum regnandi desiderium, ac desertum cum Philisthæis verum Dei cultum, ad te Rex Regum et Domine dominantium provoco, tuo me tribunali sisto securus, cum certo sciam me nec vanorum honorum splendore excæcatum a recta officii via aberrasse, nec a semitis pietatis deflexisse. Infremant licet hostes, nunquam eorum dicteriis et iniuriis consternatus a cœpta innocentiæ virtutisque via deflectam, te ducem ac patronum nactus, in quo spes meas ab hominibus desertas reponam.

2. *Proba me Domine, et tenta me. Ure renes meos, et cor meum.*

2. Ac ne forte mihi adblandiar, nolim in ea re ex meo sensu quidquam ponderari: tu ipse, cuius oculis nuda sunt intima mentis secreta, ad amussim rem totam exige, abditissimos animi recessus pervade: si quid latet, excute, et periculum fac mei, actionesque meas ad iustitiæ libellam expende. Ne externa species fucum facere videatur, auri vel argenti modo in ignem coniecti occultissimas cogitationes et affectus mentis explora: ut si quid spurium adulterinumve sit, scoriæ instar abiiciatur.

3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: et complacui in veritate tua.*

3. Ad te provocandi fiduciam mihi dat misericordia tua, qua in miseriis positos adiuvare soles: ea animo meo semper obversatur, et ad paternum sinum tuum invitat. Tot calumniarum et mendaciorum, quibus ab hostibus meis circumvenior, pertæsus, recreor veritatis tuæ et iustitiæ, quæ nulla falsitate corrumpitur, contemplatione: ea me impellit, ut ad te supremum et æquissimum iudicem accurram.

4. *Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus, non introibo.*

4. Coram tuo tribunali sanctissimo securus assevero, nunquam me Philisthinorum cœtui adhæsisse, ut vanissimis idolis immolarem; nec sceleratorum contuberuium amavisse, ut eos a Rege et dominis suis atque urbibus abstractos mihi sociarem.

5. *Odivi Ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedebo.*

5. Tam Philisthinorum quam cæterorum impiorum scelera cœtusque ipsos et conciliabula, ex animo execror; et corpore ipso, quantum possum, eorum consortia et familiaritatem ovito, atque ovitabo, ne pestis hæc in me grassetur: meque in exitium trahat, neve cum aliorum scandalo et ruina, eorum actiones mea præsentia firmare atque adprobare videar.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta securitate viat iusti divino se iudicio sistent.

6. Ordo Sectionis. Cum David Regis se Saulis sententia voceque neci destinatum cerneret, nec ullum in terris tribunal haberet, in quo contra regem lite contenderet, ad Deum regum ipsorum iudicem provocat, v. 1. *Iudica me Domine.*

Secundo, duos sibi patronos assumit, qui causam suam agant, 1. innocentiam, cum iis se non censeret contaminatum, quæ illi obiiciebantur. *Quoniam ego in innocentia mea ingressus sum;* 2. spem in Deum, ut si quid labeculæ reperiatur, illud extergat, et veniam impetret. *Et in Domino sperans non infirmabor.*

Tertio, his fretus advocatis et Dei æquitate, examen accuratissimum petit, ut solet aurum examinari, quod primum lydio lapide probatur, v. 2. *Proba me Domine:* deinde manu tentatur, hoc est sæpe tenetur ac versatur, ut color, sonus, aliaque in notitiam veritatis deducant. *Et tenta me.* Tum si quid dubii restat, in fornacem proiicitur. *Ure renes meos, et cor meum,* id est, vel ipsas cogitationes et affectus excute.

Quarto, iudicis dotes exponit, quibus confisus examen non vereatur, 1. cuim, iudex est misericors, v. 3. *Quoniam*

misericordia tua ante oculos meos est; 2. iudex iustus est ac veritatis tenax. *Et complacui in veritate tuo.*

Quinto denique causam suam exponit, seque illius criminis, cuius accusabatur, reum non esse profitetur; v. 4. *Non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.*

ARTICULUS. I.

Examen Dei est exactissimum et iniustis terribile.

7. Vers. I. Cancellos sibi reges et iudices circumscribunt, ne ad tribunal facilis omnibus aditus pateat: Dei autem thronus est omnibus pervius, et maxime afflictis. IUDICA ME (Sept. κρῖνόν με, indica mihi, id est, in meum favorem iudica. Arab. adiudica mihi) DOMINE, QUONIAM EGO IN (eum) INNOCENTIA MEA (Hebr. בתמי *betummi*, id est in perfectione mea, ut reddit Pagnin. et Arias et Caiet. 2. in integritate, ut Syr. 3. in simplicitate, ut S. Hieron. 4. φρεσὶν ἀμέμπτοις, menta irreprehensa, ut Petavius; 5. Arabs vertit, in humilitate: quia humilitas est fons innocentiæ, perfectionis, integritatis, simplicitatis et omnium virtutum) INGRESSUS SUM: ET IN DOMINO SPERANS NON INFIRMABOR. Hebr. non אמעד *emhad*, id est, non mutabo, ut Muisius: non vacillabo, ut Arias: non movebor, ut Syrus; 2. non labar, ut Chald. 3. non timebo, ut Arabs; 4. non deficiam, ut Pagnin. non infirmabor, ut Septuag. et Flaminius, et Aquila; 5. non circumvertar, ut Symmachus.

Iustus est maxime securus

8. Innocenti iniuria facta punitur a Deo. Nota, timere debent Principes et Magistratus, ne innocentes iniuria afficiant: sæpe enim lacrymæ eorum atque imprecationes a Deo exaudiuntur. Hoc aperte patuit in quibusdam appellantibus suos oppressores ad Dei iudicis et vindicis tribunal.

I. In Hispania. Primo, in Hispania Ferdinandus Rex ira præcipiti abreptus, quosdam in suspicionem facta cædis adductos de rupe deiici extemplo imperavit: illi clamare cœperunt innocentes se esse, et Regem ad Dei iudicium post triginta dies vocare. Rex in morbum incidit, atque ipso trigesimo die mortuus est: unde dictus est Ferdinandus in ius vocatus, ut ait Mariana lib. 15. hist. Hispan. cap. 11. Commode huc afferri potest, quod idem auctor refert lib. 8. cap. 1. Cum Regum Navarræ stirps defecisset, in interregno proceres magistratum constituerunt, qui nunc Aragoniæ iustitia dicitur, qui Regum potestatem contineret. Hic magistratus a regibus est abrogatus, sed Dei iustitiam tollere aut impedire non possunt.

II. In Francia. Secundo, in Francia circa annum 1314. Iacobus de Molay Ordinis Templariorum Magister ad ignem damnatus est cum plurimis eius militibus primariis iussu Clementis V. Papæ et Philippi Pulchri. Ille innocentem se esse contestans ad Dei Tribunal Pontificem Regemque citavit, ad dicendam causam intra annum vertentem, ut tradit Mariana loco citato. Quid porro secutum sit docet Scipio du Pleix in Philippo, qui mortuus est die 29. Novembris, Clemens vero, 20. Aprilis, cum de Molay occisus esset 11. Martii eiusdem anni. Quid in eo fuerit iuris aut iniuriæ, alii discutiant: vide in utramque partem rationes apud eundem du Pleix.

III. In Britannia. Tertio, in Britannia Franciæ Provincia, cum Franciscus Dux fratrem iniuste necari iussisset in carcere, ab eo citatus est intra annum, intra quod tempus hydropisi mortuus est, ut refert Æneas Sylvius cap. 43. Europæ.

IV. In Hibernia. Quarto, in Hibernia Patricius Ochelius Maionensis Episcopus pro fide cruciatus ad Dei iudicium intra quindecim dies citavit Guillelmum Drurium Proregem, qui decimo quarto post die fœtido et dirissimo morbo periit. Vide Spondan. anno 1579. num. 13.

Vers. 2. Innocentem se David sentiens, et Sauli nihil iniuriæ intulisse, examinari cupit a Deo, ad cuius tribunal accesserat. Sic enim ait v. 2. PROBA ME DOMINE, ET TENTA ME, URE RENES MEOS ET COR MEUM.

9. Probat Deus iustos duobus modis. Sensus est primo, *Proba me*, id est tentationibus indica me probatum: non tibi, quia omnia nosti; sed mihi et hominibus, ne quid delicti remaneat. Ita Lombard.

I. II. Secundo, *proba me et tenta*, hoc est per tentationes fac me probatum. Tentatio enim non tantum indicat aliquem esse probum et probatum, sed etiam talem efficit. Hinc dicit Glossa: *Tentat diabolus, ut seducat: tentat homo, ut discat; tentat Deus, ut erudiat.* S. Ambr lib. de Abraham cap. 8. *Tentat Deus, ut coronet; diabolus, ut subruat.* S. August. de bono perseverantiæ cap. 6. *Tentat utili Deus, non noxia tentatione: quippe intentator malorum est.* S. Gregor. 8. Mor. 10. tentationes a iusto nonnunquam expeti docet ad humiliationem, atque ad illud applicat illud Iob cap. Si dormiero, dicam quando consurgam, et rursum expectabo vesperam: sic ait: *Electus quisque cum peccati somno premitur, ad iustitiæ vigilias exurgere conatur: sed sæpe cum surrexerit, ipse se extolli virtutum magnitudine sentit. Unde et tentari se præsentis vitæ adversitatibus post virtutes desiderat, ne peius ex virtutum confidentia cadat.*

Varias rationes, ob quas Deus tentationes immittit aut permittit, affert Hugo Card. in Ps. nostr. 1. ut exerceat. Deuter. 13. 3. *Tentat vos Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non*; 2. ut posteris det exemplum. Tob. 2. 12. *Hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ illius*; 3. ut terreat. Exod. 15. 25. *Tentavit eum Dominus, dicens: Si oudieris vocem Domini, etc.* 4. ut doceat Ioan. 6. 5. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Eccli. 34. 9. *Qui non est tentatus, etc.* 5. ut probet. Genes. 22. 1. *Tentavit Deus Abraham.* Sic tentatus est Iob; 6. ut purget. Sap. 3. 5. *Deus tentavit illos, et invenit eos dignos se*; 7. ut declaret superbiam cordis. 2. Paralip. 32. 31. *Dereliquit eum Dominus, ut tentaretur.* Ostendit deinde ab homine tentari, 1. Deum. Iudith. 8. 11. et Actor. 15. 10. Apostolos. Apocal. 2. 2. Actor. 9. 26. Sanctos. Apocal. 3. 10. Virtutes rerum. Ecclæ. 7. 24. et Eccli. 39. 5. Magistrum. 3. Reg. 10. 1. Dæmon vero tentat homines, de gula. Matt. 4. 3. de luxuria. 1. Cor. 7. 5. de avaritia. Act. 5. 3. de impatientia. Gal. 6. 1. de credelitate. 1. Thessal. 3. 5. de omni creatura. Sap. 14. 11. de concupiscentia. Iac. 1. 14. de pigritia. Matth. 26. 41.

10. Tribulationes Deus immittit varii de causis.

III. Tertio, *proba me, et tenta me*, per flagella et afflictiones exteriores, ita Beda et Ruffinus, qui ait: *Sancti viri etsi perfecte vivant, adhuc tamen paterna flagella desiderant: ut tanto perfectiores ad patriam tendant, quanto, pie feriens disciplina eos quotidie etiam de minimis purgat. Et ideo sustinent disciplinam, ut consequantur misericordiam.* Huc referri possunt non pauca ex dictis in præcedenti sententia. Hæ tentationes longe magis appeti possunt quam interiores, de quibus semper dicendum est: Et ne nos inducas in tentationem, velut in præcipitium aut abyssum. Unde ait Christus Apostolis Matth. 26. 41. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*, velut in laqueum, ex quo vos non possitis explicare. S. Hieron. in Matth. *ne tentatio vos superet, et vincat, et peccata irretitos intra casses suos teneat.*

IV. Quarto denique, et melius, S. Athan. Agell. Bellarm. Titelm. et alii, *proba me, et tenta me, ure renes meos, et cor meum*, id est, examina me et causam meam diligenter, considera omnes actiones meas, affectiones et cogitationes, si qua in re aut intentione Saulem læsi, aut illi iniurius fui. Hinc Vatabl. vertit, *Explora me Domine, et tento me, excoque renes meos et cor meum.* Felix, Muisius, Arias, *examina renes meos et cor meum.* Petav. πύρωσον παντοίαις βασάνοις, examina omnimodis probationibus. Arabs, investiga.

11. Alludit David ad auri et argenti examinationem. Nota, alludit ad auri et argenti examinationem. Nam 1. oculis probantur; 2. tentantur Lydio lapide, id est coticula, cuius attritu aurum proditur, cuiusmodi sit. Theophrastus de natura lapidum agens dicit alio nomine appellari Heraclium lapidem. De illo Plin. lib. 33. c. 8. sic loquitur: *Auri argentique mentionem comitatur lapis, quem Coticulam appellant, quondam non solitus inveniri, nisi in flumine Tmolo, ut auctor est Theophrastus: nunc vero passim, quem alii Heraclium, alii Lydium vocant. Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis binasque latitudinis*

non excedentes. Quod a Sole fuit in his, melius quam quod a terra. His coticulis periti, cum e vena ut lima rapuerint experimentum, protinus dicunt, quantum auri sit in ea, quantum argenti vel æris, scrupulari differentia, mirabili ratione non fallente. Addit deinde, Argenti duæ differentiæ. Batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permeocat, probatur. Proxima bonitas rufo, nulla nigro. Sed experimento quoque fraus intervenit: servatis in virorum urina batillis, inficitur ita ramentum obiter dum uritur, candoremque mentitur. Est aliud experimentum politi, et in halitu hominis, si sudet protinus, nubemque discutiat. Ita Plinius. Tertio, aurum et argentum in fornacem ardentem coniiciuntur, ibique uruntur, purificentur et splendescunt. Hebr. צרפה *tsorpha*, Pagnin. vertit, funde; 2. Arias et Felix, examina; 3. Vatabl. excoque; 4. Caiet. purifica. Verbum *tsaraph*, significat, 1 fundere ad purificandum, conflare, expurgare e scoriis, excoquere, examinare, et proprie dicitur de metallis; 2. per metaphoram transfertur ad probationem, explorationem et examinationem operum humanorum.

12. Tropol. Uri renes et cor quid sit? Tropol. David postulat uri, id est expurgari renes suos et cor, id est suas cogitationes, ut explicat Theodoretus, qui idem intelligit per utrumque; 2. et melius, diversa per renes et cor significari volunt alii, 1. Iansen. et Bellarmin. per renes accipiunt cogitationes: per cor, affectus animi; 2. et convenientius, Ruffin. Beda, Remig. renibus delectationes carnales; corde, cogitationes figurari opinantur. Sic autem loquitur Beda: *Adhibe medicinale purgatorium quasi ignem delectationibus, et cogitationibus meis, ne quid mali me delectet, ne quid mali cogitem: sed si quid mali in eis comburatur, et destruatur illo igne, quem mittens in terras vis ut ardeat; id est, in fervorem dilectionis Dei et proximi.*

13. Renes et cor, id est cogitationes et affectiones urit ignis. Quæres, quis ignis urat renes et cor? Respond. 1. ignis tribulationis; 2. ignis amoris Dei; 3. ignis Spiritus sancti.

1. Tribulationis. De primo, nempe de igne tribulationis sic exponit Remig. *Ure renes meos, et cor meum*, id est, in tentationum æstu fac, ut delectationes et cogitationes meæ non absumantur. Et merito rogo ut uras, ut seces: vel merito rogo, ut tentes, ut in certamen duces: quia scio *in hoc esse misericordiam tuam*, qua velut pater flagellas omnem filium, quem recipis. Scio mihi hoc esse ad consummationem non ad consumptionem. Ita Rem. 2. Amoris Dei. De secundo, nempe de igne amoris divini cor et renes urente et expurgante sic ait idem Pater: *Si quid est in delectationibus carnis meæ, vel cogitationibus cordis mei quod sit absumendum, adhibe ignem amoris tui, qui illud totum absumat, et quasi aurum in fornace probatum me reddat. Amor tuus omnia terrena a delectationibus meis expellat, et omnia vana a cogitationibus.* De illo igne charitatis dicit Christus Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* Arab. Ægypt. Æthiop. et Persicus textus habent: Quid volo nisi accensionem eius? De eodem igne Cantic. 8. 6. Sponsus, id est Christus ait Sponsæ, id est Ecclesiæ, vel animæ devotæ: *Fortis* (Symmach. Inexpugnabilis) *est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (Septuag. ζῆλος; id est zelus) *lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Illis exurit renes et cor Sanctorum. S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. ad locum psalmi nostri alludens, ait: *Bona charitas habens alas ignis ardentes, quæ volitat per pectora et corda Sanctorum: et exurit, quicquid materiale atque terrenum est: quicquid vero sincerum est, probat: et quod contigerit, suo igne meliorat. Hunc ignem misit in terras Iesus, et refulsit fides, accensa devotio, illuminata est charitas, iustitia resplenduit. Hoc igne inflammavit corda Apostolorum suorum sicut testatur Cleophas dicens: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas?* De tertio, nempe de igne Spiritus sancti renes et cor exurente et purgante psalmum nostrum exponit Thom. Anglicus. Ut enim dicit Richardus a S. Victore: Quod facit ignis materialis circa ferrum, hoc facit Spiritus sanctus circa cor fœtidum, frigidum et durum. Per ipsum enim frigiditas, fœtidas et duritia deperit: ita exardescit totus animus, exardescit pariter et liquescit amore Dei. Ita ille. Hic ignis expurgat. Matth. 3. 11. ait S. Ioannes Baptista de Christo: *Ipse vos baptizabit in Spiritu* (id est Spiritu) *sancto et igni*, hoc est Spiritu sancto ignito et igniente. Est Hendiadys. Ibi per ignem Euth. et Æthiopicus Interpres Spiritum sanctum intelligunt. Ignis ille nihil sordium relinquit. Deuter. 4. 24. dicit Moses populo Israel: *Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Hebr. ignis comedens ipse. S. Greg. hom. 5. in Ezech. *Deus*, inquit, *ignis consumens est: quia mentem, quam repleverit, a peccatorum rubigine puram reddit*. Hermiani et Seleuciani hæretici baptizabant suos non aqua, sed igne, ut ait S. Aug. hæres. 59. Sed ignis ille eos urebat et cruciabat: noster vero urit, et recreat atque purificat.

14. Allegor. Allegor. Dionys. Carth. de Christo sic exponit: *Proba me Domine*, id est permitte me pati adversa et dura pro mundi salute, ut omnes agnoscant me probatum et tibi acceptum. Itaque *proba me*, id est, per pœnas experire obedientiam meam: non ut tu aliquid de novo agnoscas, sed ut aliis probationem atque approbationem meam ostendas: *et tenta me*, id est tentari me sine a Satana, et a Pharisæis atque Scribis: quatenus mea tentatio fiat aliis causa vincendi tentationes: et mea resistentia atque victoria, fiat aliis forma resistendi tentationibus, superandique eas. *Ure*, igne passionis, *renes meos, et cor meum*, id est naturam sensitivam et appetitum ipsius. Ita Dionysius.

Politice. Politice, Iudices diligenter examinent causas et personas, de quibus debent ferre iudicium. Philo lib. de iudice, comparat eos sapienti nummulario, qui puri metalli legitimæque notæ numisma ab improbo et adulterato studiose discernit, ne unum pro altero accipiat. Verba eius sunt: *Qui ad iudicandum accedit καθάπερ ἀργυραμοιβὸς ἀγαθὸς, sicut nummularius bonus, debet naturas negotiorum discernere, ne turbatis signis confundantur proba cum improbis.*

15. Triplex probationis genus. Nota, a Christo nato probationis genus triplex fuisse constat: nempe, 1. per aquam frigidam; 2. per aquam calidam; 3. per ignem. Hoc ex Aimoino patet lib. 3. cap. 34. ubi exponit, qua ratione Ludovicus Ludovici filius a Carolo Calvo patruo Imper. iniuste vexatus, ac sæpius pacem petens, decem homines cum aqua calida, et decem cum ferro calido, et decem cum aqua frigida, ad iudicium misit coram eis, qui cum Carolo erant: petentibus omnibus, ut Deus in illo iudicio declararet, si per ius et æquum ille habere deberet portionem de regno, quam pater suus dimisit ex ea parte, quam cum Carolo fratre suo per consensionem illius, et per sacramentum accepit, qui omnes illæsi reperti sunt. Ita ipse.

I. Per aquam frigidam. Primo igitur, cum per aquam frigidam innocentia alicuius erat probanda, in eam immergebatur. Si quis autem mergi non poterat, reus iudicabatur, ut nunc fit in sagis et veneficis apud rusticos multis in locis, licet non iuste. Adiuratio illius aquæ habetur ad calcem Codicis legum antiquarum, in hunc modum: *Virtutem*, inquit, *tuæ benedictionis his aquis infundere, et novum ac mirabile signum in eis ostendere digneris, ut innocentes a crimine furti, vel homicidii, vel adulterii, aut alterius noxæ, cuius examinationem agimus, more aquæ in se recipiant, et in profundum pertrahant. Conscios autem huius criminis a se repellant, atque reiiciant: nec patiantur recipere corpus, quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit, et in hanc constituit. Sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis.* De probatione per aquas maledictionis apud Iudæos, vide Numer. 5. 14.

II. Per aquam calidam. Secundo, cum per aquam calidam fiebat probatio, manum brachiumve in eam immittebant illi, qui hac ratione examinabantur. Si sine læsione remanebant, innoxii iudicabantur. Lex habetur in Spec. Sax. lib. 1. art. 39. *Ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium usque ad cubitum mittant.* Huius aquæ adiuratio legitur ad calcem Codicis legum antiquarum. *Exorcizo*, inquit,

te creaturo aquæ, ut si hic homo manum suam in te miserus est innocens, unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum. Et si, quod absit, culpabilis est, et præsumptuose in te manum mittere ausus fuerit, eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur: ut omnis homo timeat et contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit et regnat, etc.

16. III. Per ignem. Tertio, ad hunc psalmi nostri locum magis apta est per ignem probatio, quæ multis in regionibus sæpe est usurpata.

Probatio per ignem usurpata est: In Dania. Primo, In Dania S. Poppo Episcopus Christum prædicans a Rege Haraldo iussus est ferrum candens nuda manu ferre: quod cum illæsos præstitisset, eo miraculo Dani ad veram fidem sunt conversi, ut refert Saxo Grammaticus lib. 10. hist. Danicæ.

In Anglia. Secundo, In Anglia, Eduardus Rex Emmam matrem adulterii suspectam, per ignem probare innocentiam suam coegit: illa interrita ignitos vomeres secura planta calcavit, et sine noxa super eos ambulavit: accusator autem profugus præ mœrore contabuit, ut auctor est Polydorus Virgilius lib. 8. hist. Anglorum.

In Germania. Tertio, In Germania, S. Kunegundis apud S. Henricum Imperatorem eius nominis secundum, maritum suum, delata de suspecta consuetudine militis, *expetens ipsa, securitatem sibi pariente innocentia, probari per ignem, ignitos vomeres, non secus ac flores, illæsis manibus contrectavit*, ut ex Leone Ostiensi refert Baronius tom. 2. Anno 1024.

In Francia. Quarto, In Francia, Richarda Caroli Crassi Imperat. coniux ferro item candenti arrepto et sine læsione portato, adulterii suspicionem depulit, ut memorat Aventinus lib. 4. Annalium Boiorum, qui octavo sæculo hoc in usu fuisse apud Francos testatur.

In Hispania. Quinto, In Hispania, Montanus Episcopus Toletanus, ut a se coniugalis conversationis infamiam propulsaret, tamdiu *assumptos veste candentes narratur tenuisse carbones*, donec Domino consecrans oblationem, totius per semetipsum compleret missæ celebrationem, ut recitat S. Hildephonsus præfat. tract. de viris illustr.

In Italia. Sexto, In Italia, cum Otho tertius Imper. Romam pergeret, coactus est apud Mutinam, uxorem suam Mariam nomine, Regis Aragonum filiam, ad mortem hac de causa damnare. Comitem illa quemdam ad illegitimos amplexus invitarat; repulsam passa, ita calumniis effecit, ut Comes innocens ad mortem ab Imper. damnaretur. Hoc audiens uxor Comitis, Othonem convenit pro tribunali sedentem, clamansde nece iustissimi viri vindictam proiectoque capite viri in medium, ipsum Imp. reum sanguinis innocentissimi apud ipsum iura reddentem accusat. *Stringit ut flores ignitum metallum*, damnatur Imperatrix, etc. Vide Baronium tom. 10. Annalium anno 998. num. 13. hæc referentem ex Godefrido in Chron. p. 17. in Othone tertio, et Crantzio lib. 4. c. 26. suæ Saxoniæ.

In Græcia. Septimo, In Græcia, tempore Martiani Imp. contendentibus de fide Episcopis duobus, Catholicus flammantem rogum illæsus ingressus est, id facere recusante Ariano, ut ait Theodoretus Lector. lib. 2.

In Ægypto. Octavo, In Ægypto, S. Franciscus Assisias Sultano paratum se obtulit ad ignem ingrediendum, si conversionem polliceretur Deo fidem suam per miraculum confirmante et absque læsione se conservante; sed eum ad conversionem necdum paratum esse et oblatam conditionem non acceptare cerneret, hoc non præstitit, et reiectis eius muneribus in Europam rediit. Vide eadem Wadding. in Annal. Minor.

17. Multis Sanctis ignis non nocuit. Multa sunt exempla Sanctorum, quibus ignis non nocuit, 1. illum calcando, ut S. Tiburtio; 2. eum ingrediendo, ut S. Policarpo; 3. veste gestando, ut S. Briccio Episcopo Turonensi; 4. corpore intacto in mediis flammis. S. Poppo Episcopus in Dania vestem cera prius illitam induit, et coram omnibus incendit, ipse illæsus in medio incendio perstitit, ut refert Crantzius lib. 3. cap. 43. suæ Metropolis.

Adiurationem porro seu exorcizationem ferri illius candentia recitat Aventinus lib. 4. Annal. Boiorum: *Deus iuste*, inquit, *qui auctor es pacis et iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam benedicere et sanctificare digneris: ita ut si innocens (de prænominata causa, unde purgatio quærenda est) hoc ignitum in manus acceperit, illæsus appareat: et si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua, in eum cum virtute declarandum, quatenus iustitiæ non dominetur iniquitas, subdatur falsitas æquitati, per Dominum nostrum, etc.* Sed hæ omnes probationes per aquam calidam et frigidam et per ignem sunt illicitæ, quia maximo periculo exponitur innocens: neque enim Deus tenetur semper facere miracula: et reus per incantationes aut alias artes posset apparere innocens. Dic tu Deo, *Ure renes meos et cor meum*, et illi te innocentem proba. 18. Exorcizationis ignis forma.

Nota denique, cum David petit renes suos, in quibus est seminis origo, et cor, unde omnis vitalitas procedit, igne probari et exuri ac purificari, petere perfectissimam et intimam purificationem. Nihil enim est igne efficacius, purius, subtilius, et magis penetrans. S. Cæsarius frater S. Gregor. Naz. in dialogo 1. quæst. 50. παντων μαλιστα, inquit, ενεργεστερα τη πυρος φυσις, *omnium maxime efficax est ignis*. Cautes ipsas plerumque liquefacit, quod de Ætneo igne asserit Thomas Fazellus lib. 2. prioris Decadis de rebus Siculis cap. 4. ubi sane mira recitat etiam sua ætate contigisse. Quid igitur faciet in corde nostro Spiritus sanctus, de quo iam dixi supra? S. Hieron. in psal. nostr. ait, *Spiritum sanctum adhibe delectationibus et cogitationibus meis* (sic renes et cor explicat) *qui utrasque adurens me dignum efficiat*. Quid faciet ignis charitatis exiliens ab ipso Spirito sancto? De eo ait S. August. de moribus Ecclesiæ contra Manichæos: *Nihil*, inquit, *tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur*. Et S. Bern. serm. 57. in Cantica: *Ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit: ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim vere carbo desolatorius: sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut animæ vicem exhibeat unctionis*. Etiam ipse afflictionis ignis prodest, sicut supra ostendi, si præsertim afflictio libere assumatur per pœnitentiam. Tam enim intima cordis peccata excoquit et absumit. 1. Corinth. 3. 15. *Salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Quod de pœnitentiæ labore exponit S. Bern. serm. de ligno, fœno, et stipula: *Ignis*, inquit, *tria habet, fumum, lucem, ardorem. Fumus, excitat lacrymas, lux vicina illuminat, ardor adurit. Itaque et qui eiusmodi est, fumum, hoc est amaritudinem, in mente habere debet: quia tepidus est, quia remissus est, quia levis, quia ordinem quantum in se est subruit et perturbat. Sed et lucem in ore, ut qualis est in mente, talem se in confessione et dicat et plangat: ut et linguam acuat conscientia, et conscientiam arguat lingua. Necesse est quoque ut ardorem sentiat in corpore, id est pœnitentiæ tribulationem, etsi non omnimodam, aliquam tamen*. Afflictio etiam a Deo immissa, si, ut decet, acceptetur, mentem purgat. S. Gregor. homil. 40. *Mola*, inquit, *Lazari purgavit ignis inopiæ, et bona divitis remuneravit felicitas transeuntis vitæ*. Sed ignis inferni punit scelera eius, hic ignis in memoria habitus etiam nos purgat. S. Bern. lib. de modo bene vivendi ad sororem cap. 23. *Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ. Recordatio æterni iudicii extinguat ardorem corporis tui, maior ardor minorem ardorem vincat.* 19. David petit perfecte purgari.

Motivum, quo impulsus est ad sistendum se Dei tribunali, aperit David, quod scilicet sciat in eo misericordiam et veritatem præsidere, vers. 3. QUONIAM MISERICORDIA TUA (Syr. misericordiæ tuæ: id est miserationes, quæ ex fonte divino semper fluunt. Vatabl. bonitas tua. Magnet. blanda potestas: in alia editione vertit, clementia) ANTE OCULOS MEOS EST, ET COMPLACUI (Felix, ambulavi. Vatabl. ambulo. S. Hieron. ambulabo) IN VERITATE TUA, id est, in Christo tuo, ait Cassiodor. 2. in veritate, quam tu præcepisti, in tuis præceptis veris, nihil habentibus falsi et mendacii, ita Remig. et Genebr. 3. in constantia et certitudine tuorum promissorum mihi placui, in ea 20. Vers. 3.

ambulabo et incedam : ita Genebr. et Lorin. Itaque veritatem sumunt pro veracitate; 4. in veritate, id est in iustitia, q. d. mihi complaceo, quod iustus sis et iuste iudicaturus nulla habita ratione personarum, delector, cum considero ex æquitate sententiam pro me contra Saulem pronunciaturum, licet sit Rex, et ego exul et profugus; 5. et melius, *in veritate tuo*, id est, in sapientia tua et perspicacia, qua polles ad cognoscendam veritatem, q. d. placet mihi admodum hæc cogitatio. Deus cognoscit omnia, quæ gessi et dixi, scit me nihil fuisse molitum contra Saulem, itaque pro me sententiam feret. Nam in iudicio sequitur veritatem, secundum illem iudicat.

21. Misericordia Dei ante oculos habenda. Nota, misericordiam Dei David habebat *ante oculos*, id est eam considerabat et meditabatur, eam sibi veluti speculum lucidissimum repræsentabat, in quo paterna Dei bonites elucerel, in quo etiam miseriam suam aspiceret, quæ paterna viscera commoveret. Sic duo Cherubini aurei a Mose super arcam positi respiciebant propitiatorium, Exod. 25. 20. quod erat ex solido auro, et ubi Deus sedens propitiabatur populo suo. Secundo, habere *ante oculos*, sive in oculis, denotat 1. præsentiam obiecti; 2. delectationem aspicientis; 3. constantiam aspectus; 4. æstimationem magnam rei visæ, præ cæteris. Sic Psal. 71. 14. ubi habemus, *honorabile nomen eorum coram illo.* S. Hieron. vertit in Hebræo, *pretiosus erit* sanguis eorum coram oculis eius. Sic aliam vertit Aquila: at sensus est, non patietur Salomon sive Messias temere sanguinem servorum suorum fundi, iisque vitam eripi.

22. Iudices debent amare misericordiam. Moraliter nota primo, iudices debent amare misericordiam et magis ad illam ferri quam ad severitatem, piumque affectum erga reos habere ac suavitatem morum præ se ferre, non truculentum et barbarum animum. Ut enim ait S. Isidor. *Qui iratus iudicat, in furorem iudicium mutat.* Hinc, ut ait Philo lib. de iudice, Moses leges suas misericordia temperavit. Ipse enim erat virorum mitissimus, πασαν, inquit, νομοθεσιαν πεπληρωκως των εις ελεον και φιλανθρωπιαν διαταγματων, *complens leges omnes humanitate et misericordia.* Approbat deinde prisci auctoris sententiam, asserentis, beneficentia homines instar deorum fieri, παραπλησιον ουδεν ανθρωποι Θεω δρωσιν, η χαριζομενοι, *nunquam quidquam ita simile Deo faciunt homines, quam cum sunt benefici.* Movere ad misericordiem debet iudices propria miseria, ob quam egent Dei continua misericordia. Hoc illis motivum det S. August. epist. ad Macedonium : Quales, inquit, iudices esse debent, terruit censura divina, ut cogitarent sibi propter peccata sua Dei misericordiam esse necessariam; ita ipse Sed illam non consequuntur nisi misericordes. Nam, ut ait S. Iacobus cap. 2. 13. *Iudicium sine misericordia* (supple, erit; vel fiet) *illi qui non fecit misericordiam.* In iudicio adulteræ sibi a Scribis, id est legis doctoribus et Pharisæis oblatæ ut condemnaretur, hoc ostendit Ioan. 8. 6. cum scribens in terra eos terruit propriorum peccatorum consideratione.

23. Veritas divina omnes delectat. Secundo nota. Veritas divina generatim sumpta omnes delectat, et in ea sibi complacent, qui illam noverunt. Primo, quia verum est obiectum intellectus, sicut bonum est obiectum voluntatis : sicut igitur voluntas omnium sibi complacet in bono possesso, eoque fruitur et ibi conquiescit; ita etiam intellectus omnium in vero. Secundo, quia veritas divina est pulcherrima. S. August. epist. 9. ad S. Hieron. *Incomparabiliter*, inquit, *pulchrior veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius nostri Martyres adversus hanc Sodomam, quam pro illa mille Heroes adversus Troiam dimicaverunt.* Idem S. Doctor lib. 2. de libero arbitrio cap. 12. et 14. advertit, veritatem incommutabilem non posse dici meam, vel tuam, vel cuiusquam hominis, *sed communem* : nullas in ea angustias, nullos in ea defectus esse, omnes amatores, nullo modo sibi invidos recipere, *omnibus communem esse*, singulis castam : illius pulchritudinem nec multitudine audientium constipatam secludere venientes, nec peragi tempore, nec migrare locis, nec nocte intercipi, nec umbra intercludi, nec sensibus corporis subiacere. S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 2. ad 3. ait, veritatem primam, quæ est fidei obiectum, esse finem omnium desideriorum et actionum nostrarum, ut patet ex S. August. tom. 3. lib. 1. cap. 8.

Dices, Veritas odium parit, ergo omnes non complacent sibi in veritate. Resp. cum S. Aug. lib. 10. Confess. cap. 23. *Homines amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem.*

Tertio nota. Iudices amatores et investigatores esse veritatis oportet, ut monet Philo lib. de iudice, Τι γαρ καλον, ως αληθεια, *quid in vita est æque pretiosum, ac veritas? quam vates sapiens inscripsit*, εν ιερωτατω χωριω, *loco sacratissimo, ea parte vestis Pontificiæ, ubi est principalis vis animæ, ut sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret. Veritati autem adiunxit cognatam virtutem, declarationem ut vocat* (Urim et Tummim) ut essent ceu imagines orationis, *quæ vel anima concipitur, vel profertur etiam. Nam huic declaratione opus est, per quam aperiatur aliis quidquid latet in animo: sicut veritate illi alteri ad perfectionem vitæ actionumque, per quas itur ad felicitatem.* Monet deinde, causas partium esse examinandas ante iudicium, semoto in totum respectu personarum: sive sint cives, amici, domestici : sive contra inimici, alieni, exteri : nequid vel benevolentia, vel odium cognitionem impediat. Et subdit: *Alioqui necesse est iudicem impingere*, οια τυφλον διχα βακτηριας προερχομενον, *velut si cæcus incedat absque baculo, ducente et sustentante nemine. Ideo decet bonum iudicem personas, quæ iudicantur, non advertere, sed solam naturam negotiorum sinceram et nudam considerare, ut non iuxta opinionem, sed iuxta veritatem iudicet : sic cogitans*, οτι η κρισις Θεου εστιν, *Dei rem esse iudicium : iudicem vero ministrum et procuratorem. Procuratori autem non permittitur largiri de eo quod Dei est, a quo ut optimo accipit*, παρακαταθηκην παντων κατα τον ανθρωπινον βιον αριστην, *hoc depositum omnium rerum humanæ vitæ necessariarum optimum.* Caussin. noster hist. parabol. lib. 11. cap. 55. refert ex Æliano lib. 14. variæ histor. cap. 34. iudices apud Ægyptios eosdem fuisse qui sacerdotes : inter quos princeps erat iustitiæ omnium natu maximus, idem iustissimus et æquitatis tenacissimus putabatur, qui imaginem ex sapphiro gemma confectam gestabat, quæ vocabatur veritas, και εκαλειτο το αγαλμα αληθεια. Socrates etiam dicebat, idem esse veritatem et virtutem. Plato, veritatem aiebat, non ipsum quidem summum bonum, sed ei adhærere sicut Soli lucem : esse, inquit, αγαθοειδη, non ipsum αγαθον. De republic. lib. 6. ουδεν οικειοτερον σοφια της αληθειας ειναι, *nihil affinius et familiarius sapientiæ esse, quam veritatem.* Quantopere vero sapientia sit iudici necessaria, ostendit oratio Salomonis eam postulantis, 3. Reg. 3. 9. et quantum illi auctoritatis et venerationis in toto regno, ob cognitam veritatem de filio, pro quo duæ meretrices contendebant, per sapientiam enim suam in eius notitiam devenit cap. eodem, v. 24. Iudicem, ait S. Basil. hom. 12. similem esse dicit sagittario telum ad metam dirigenti, quique nec ultra, nec citra, nec utrobique errando a via proposita excidat. Sed eam in una tantum via sit veritas, in aliis vero omnibus oberret mendacium, difficile est veritatem reperire, et ab ea nunquam aberrare. Solus id Deus facit, qui eam etiam misericordiæ iungit. Ps. 83. 12. *Misericordiam et veritatem diligit Deus.* Unde sequitur, *gratiam et gloriam dabit Dominus.* Itaque iucundo misericordiæ et veritatis conspectu delectatus David dicit in psalmo nostr. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.* Illam aspiciamus, erit nobis Primo, dux in via. Ps. 42. 3. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt* (S. Hier. ipsa deducent me et introducent) *in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Chald. in scholas domus maiestatis tuæ. Secundo, veritas illa illuminat in via: *Emitte lucem tuam, et* (id est) *veritatem tuam.* Veritas enim divina est lux illuminans omnem hominem, et super ipsum signata. Tertio, est scutum ab hostibus protegens. Ps. 9. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius.* S. Hieron. vertit. Scutum et protectio veritas eius. Quarto, si iungatur mi-

24. Iudices indagent veritatem.

25. Imago ex sapphiro in pectore iudicis in Ægypto.

sericordiæ, exaltat. Ps. 88. 25. *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso* (supple, erit, ut addit S. Hieron.) *et* (hoc est, ideo) *in nomine meo exaltabitur cornu* (Chald. gloria) *eius*.

ARTICULUS II.

Fugienda sunt consortia impiorum, sed præsertim hæreticorum.

ARTICULO præcedenti dixit David se Dei misericordia et
26. veritate, suaque innocentia incitatum petere examinationem causæ suæ. Nunc causam ipsam exponit, et asserit se cum impiis non communicasse in fuga sua, li-
Vers 4. cet a Iudæa extorrem ob Saulis persecutionem, vers. 4. NON SEDI CUM CONCILIO VANITATIS, ET CUM INIQUA GERENTIBUS NON INTROIBO.

Vers. 5. Et v. 5. ODIVI ECCLESIAM MALIGNANTIUM (S. Aug. t. 7. lib. 9. contra epist. Parmeniani, odio habui curiam nequissimorum. S. Ambr. epist. 25. edit. Rom. congregationem malignantium. S. Hilar. in Ps. 57. congregationem malignorum) ET CUM IMPIIS NON SEDEBO, id est non morabor, non illis consentiam: etsi corpore cum illis aliquando esse cogar, corde tamen et assensu cum iis non ero. Est metalepsis. Cum iis enim sedemus, quibus consentimus: et facile consentimus cum illis, quibus assidemus. Itaque antecedens intelligitur per id quod est consequens, vel contra. Ubi etiam adverte, quod sessio denotat, 1. deiectionem; 2. moram; 3. ignaviam; 4. difficultatem; 5. amicitiam et familiaritatem.

27. Concilium vanitatis triplex. I. Multitudo vitiorum.

Quæres. Quodnam est concilium vanitatis, etc. in quo non sedit David? Primo, Richardus a S. Victore ait, consessum esse et multitudinem vitiorum, quæ mens devota debet vitare: *Tria sunt*, ait, *quæ odivit, quartum detestatur anima mea: vanitas, iniquitas, malignitas, tria hæc valde odibilia. Impietatem vero, quæ in Deum est, omnino execratur anima mea. Inutilis vanitas, mala iniquitas, peior malignitas, pessima impietas. Vanitas contemptibilis, iniquitas odibilis, malignitas abominabilis, impietas detestabilis. Curam corporis nimiam habere, carnem in desideriis carnis fovere, cibo vel somno nimis indulgere, ornatum in vestitu quærere, totum hoc vanitas est, quia totum hoc vanum est.* Secundo ostendit quæ sint iniqua. *Sua avare retinere, aliena avide quærere, quæ auctor omnium omnibus voluit esse communia in privatam potestatem redigere; quæ nobis ab aliis fieri volumus, illis nolle impendere, minime quidem æquum est, quia totum hoc contra æquitatem est, quia totum hoc iniquitas est.* Tertio declarat, quænam sit Ecclesia seu congregatio malignitatis. *Odium in corde retinere, ultionem de inimicis quærere, de inimici ruina gaudere, in alienis bonis ex invidia tabescere, totum hoc malitiosum est, totum hoc malignum est, et idcirco mihi placere non potest, quia totum malignitate plenum est.* Quarto denique aperit, quænam sit Ecclesia seu congregatio impietatis. *Murmurare, blasphemare, iusta iudicia Dei reprehendere, cor contra Deum in superbiam erigere, in Dei donis propriam gloriam affectare, totum hoc impium est, totum hoc pium cor recipere non potest: quia totum hoc impietas est. Contemnenda itaque vanitas, odienda iniquitas, damnanda malignitas, execranda impietas.*

Causas deinde profert horum vitiorum: *Vanitatem*, ait, *persuadet nimius amor sui, iniquitatem subinfert inordinatus amor mundi, malignitatem generat odium proximi, impietatem autem nutrit contemptus Dei. Curis siquidem carnis incumbere, vanum: in mundi gloria cæteros velle præire, iniquum: inimicitias in proximos exercere, malignum: contra creatorem suum superbe insolescere, impium. Gula et luxuria vanitatem suggerunt: quia vanum est quod quærunt, vanum est quod diligunt: quia hæc in naturæ usus superfluos apparatus requirit: illa in luxus, et risus, et iocos ineptum animum dissolvit. Secundo avaritia iniquitatem accendit, dum quæ ab auctore uno omnibus communia sunt, in singularem proprietatem redigit. Dum enim quod ab aliis fieri optat, aliis ipsa improbe negat, contra æquitatem peccat. Tertio, iracundia et invidia molitiam generant, malignitatem inflammant. Quia dum hæc furit in læsione propria, illa uritur in felicitate aliena. Utraque malitiose agit in eo quod proximi sui est, hæc in malo hilarescit, illa in bono tabescit. Quarto, ex tristitia sive superbia impietas succenditur, quia utraque improbo ausu divinæ bonitati derogare conviacitur. Nam acedia sæpe contra Dei flagella murmurat; superbia vero quidquid de Dei dono accipit, ad propriam gloriam usurpat.* Hæ sunt septem gentes Chananæorum, cum quibus Deus vetuit commercia et connubia populo suo. Hic sensus est tropologicus.

Secundo, et melius ad literam S. Hier. Beda, Hugo, 28.
Dionysius, Iansenius, et alii, non solum hæc intelligunt II.
de fugienda societate, et amore vitiorum, sed etiam vi- Cœtus improborum
tiosorum, qui facile scabiem et lepram suam, atque aerem pestilentem, et venenum afflant amicis suis atque contubernalibus, ut ostendi Ps. 1. v. 1. *Concilium* igitur *vanitatis*, est concilium vanum seu vanorum, id est vanitatem amantium, id est terrene, ut ait S. Hier. Sic Ps. 11. 3. *Vana* (Chald. mendacium) *locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* Noli illis approximare, et non eris iis proximus, neque ad te vox eorum pertinget. Davidem imitare, qui de se ait Ps. 100. 4. *Non adhæsit mihi* (non sum terra viscosa, sed cælum factum ex quinta essentia) *cor pravum*, id est homo habens cor pravum et recurvatum, velut uncus tartareus, aut hamus carnem prætentans. Septuag. καρδία σκαμβὴ, id est, cor obliquum, incurvum, distortum, tortuosum, claudicans. Vide ibi dicta, et v. 8. In Ps. nostro Vatabl. vertit: *Non sedeo cum hominibus vanis, et ad fucatos non ingredior.* S. Hieron. et Felix reddunt: *Non sedi cum viris vanitatis* (Chald. et Arias. cum viris mendacii. Caiet. falsitatis. Pagnin. mendacibus) *et cum superbis* (S. August. tom. 7. contra Epistolam Parmeniani cap. 4. et 5. cum facinorosis. Felix cum versutis. Caietan. cum latentibus. Pagnin. et Muis. cum occultantibus se. Syr. cum stultis. Alii, cum pueriliter agentibus) *non ingrediar*. Hebr. נעלמים *naalamim*, si deducas ab *alam*, id est, latere, occultare significat, 1. occultos, absconditos; 2. sese occultantes, peccantes in occulto, et sic Ps. nostr. exponit R. David, et R. Abraham, et Chald. qui vertit, *cum occultantibus se ut male agant, non introibo*; 3. quosvis peccatores, quia proprium est sceleris fugere lucem, et amare tenebras, ipse superbus est hypocrita, et suam superbiam et vanitatem occultare nititur. Si vero desumas *naalamim*, ab *elem*, id est puer, significat, 1. pueriliter agentes; 2. illusores et subsannatores; 3. stultos. Unde Arabs vertit: *Non sum conversatus cum iniquis, neque annexus sum fatuis.* R. Emmanuel explicat, cum iis, in quibus nulla est secundum veritatem sapientia, sed verbis suis præ se ferunt sapientiam.

Tertio, et convenientissime Theodor. Bellarm. Maria- 29.
na, et alii, exponunt de conventibus gentilium et idolo- III.
latrarum in templis suis et locis dedicatis cultui idolo- Cœtus gentilium et idololatrarum
rum, a quibus David semper abhorruit, quamdiu ad vitam servandam a Saulis insidiis, coactus est versari apud alienigenas. Hæc enim, quæ hic dicuntur: *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua agentibus non introibo. Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo*, opponuntur iis, quæ postea in sequentibus adiungit: *Domine, dilexi decorem domus tuæ*, etc.

Nota primo, Vocat David cœtum idololatrarum conci- Cœtus idololatrarum est concilium vanitatis
lium vanitatis, quia nihil inanius idolis, quæ sunt falsæ imagines. Quod significat Apostolus, cum ait: *Scimus, quia idolum nihil est in mundo.* 1. Cor. 8. 4. et passim in Scripturis idola vocantur vana, vel vanitates, ut Deut. 32. 21. *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis.* 1. Reg. 12. 21. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* Vide etiam 1. Regum 12. 21. Ierem. 10. 15. et alibi. Idem idololatræ recte dicuntur iniqua agentes: quia summa iniquitas est cultum soli Deo debitum rebus creatis exhibere. Ita Bellarm.

30. Variæ Davidis fugæ ad idololatras.

Nota secundo, David a Saule fugiens anno ætatis suæ 23. regni Saulis 12. fugit, 1. ad Achis Regem Geth, ubi a Philisthæis magnum vitæ periculum incurrit, et stultitia simulata evasit; 2. anno sequenti fugit ad Moebitarum regem, inde eodem anno monitus e Gad Propheta in Iudæam rediit; 3. denique, anno regni Saulis 18. ætatis suæ 29. iterum fugit ad Achis regem Philisthinorum in Geth, a quo obtinuit Siceleg, ubi mansit usque ad mortem Saulis, a quo impetebatur. Ita Salianus, et alii.

31. Hæretici sunt fugiendi.

Moraliter nota, Fugiendi sunt hæretici, quia idololatrarum loco successerunt, et ex vanitate, iniquitate, malignitate, et impietate conflati sunt.

I. Quia idololatrarum loco successerunt.

Primo, nempe quod hæretici locum idololatrarum occuperint, docet Tertullian. lib. adversus Praxeam: *Sicut*, inquit, *nationes manibus, ita et hæretici verbis idola fabricantur: id est, alium Deum, et alium Christum.* Et lib. de præscriptionibus adversus hæreticos: *Neque*, ait, *ab idololatria distant hæreses, cum et auctoris, et operis eiusdem sint, cuius et idololatria. Deum aut fingunt alium adversus creatorem, aut si unicum creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quam in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodo genus est idololatriæ.* Hoc de Calvinistis auctorem peccati Deum dicentibus aptissime dixeris. S. Cypr. lib. de unitate Ecclesiæ idem asserit: Christi, ait, adventu detectus ac prostratus inimicus videns idola derelicta, et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem, ut sub ipso Christiani nominis titulo fallat incautos, hæreses invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem; ita Cyprianus. Ipsa hæresis idolum est, ut clare S. August. fatetur de se adhuc hæretico loquens lib. 4. Confess. cap. 7. *Vanum phantasma*, inquit, *et error meus erat Deus meus.* A Clemente Alex. lib. 3. Strom. Marcion. hæresiarca dicitur, θεομαχος γιγας, gigas in Deum pugnans: et S. Greg. Naz. orat. 40. pares idololatris Arianos fecit.

II. De istis hic loquitur David.

Secundo, locum psalmi nostri primario de ipsis hæreticis intelligit S. Cyrill. Ierosolym. Catech. 12. *Proprie*, ait, *et vere aliquis dixerit, Ecclesiam esse malignantium conventiculo hæreticorum. Marcionitarum dico, et Manichæorum, et reliquorum. Ideo nunc confirmans fides tradidit, ut dicas: et in unam sanctam Catholicam Ecclesiam, ut illorum*, μιαρα συνταγματα φευγης, *fœda conventicula fugias: perseveres autem in Catholica Ecclesia, in qua et renatus es.*

32. III. Domus hæresis hic optime describitur, veluti specus inferorum.

Tertio, Propheta noster nobis depingit, qualis sit domus hæresis, in quam impii confluunt. In primo vestibulo ponit mendacium, cum ait: *Non sedi cum concilio vanitatis.* Hebr. cum viris שוא *sciav*, id est mendacii, ut vertit Chald. et Arias: cum viris mendacibus, ut Pagn. Ex mendaciis consarcinatæ et consutæ sunt hæreses. Tertull. lib. de carne Christi cap. 5. Marcionem vehementi aculeo lancinans vocat, *interfectorem veritatis.* S. Leo sermon. 5. de ieiunio, agens de hæresi, ait: *In qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo*, et sermon. 4. de Epiphania vocat hæresim, ferale commentum, de sacrilegis et fabulosis mendaciis textum. Ac paulo post, ait esse, furiosa mendacia. Et serm. 8. de Nativit. *prodigio falsitatum.* Ac denique serm. 2. de Pentecoste Manichæum hæreticum nominat, *prodigiosum turpium mendaciorum signiferum.*

In vestibulo stat mendacium.

Itaque pro foribus palatii seu cavernæ et gurgustii hæresis stat larvatum mendacium, in perditionis locum omnes fucata pietatis specie invitans, deiecto in terram vultu modestiam præ se fert, veste flosculis suaveolentibus aspersa sensus prolectat, crotalum pulsans suavissima voce Marotios modos et psalmos modulatur, manibusque pomum aureum prætendit. His incautos allicit et in laqueos paratos inducit. Sed ubi larvam vestemque huic mendacio detraxeris, fœdissimum apparet monstrum, vultu dæmonis, leonis rictu, triplici dentium ordine, oculis noctuæ, auribus asininis, duobus cornibus, caperata fronte, adunco naso, manibus harpyæ, pedibus hircum referens. Si intima scrutatus fueris, cor tigridis apparebit, et animus lupi: venarum loco serpentes venenum per totum corpus diffundunt, medulla ferrum est. Ex omni corporis parte purulenta sanies vermesque ebulliunt: nec fœtori ferendo par ullus esse potest.

Templum Dagon duabus columnis innitebatur, quas Samson concussit, et Philisthæos idololatras interfecit, Iudicum 16. 29. Dæmon inde factus cautior quatuor columnis domum seu speluncam hæresis stabilivit, ne tam facile everti posset. Eas recenset hic Propheta, 1. vanitatem; 2. iniquitatem; 3. malignitatem; 4. denique, impietatem.

Prima itaque hæreticæ speluncæ columna est vanitas, seu arrogantia et superbia. *Non sedi cum concilio vanitatis.* Petav. vertit, ἐ κενεα φρονεουσιν ὁμοθρονος σύνεδρος, *non inania sapientibus assessor sedebam.* Tota hæreticorum familia est conflata ex superbia. Primo enim superbia est mater hæresis. S. Hier. id asserit in cap. 5. Oseæ: *Hæretici*, ait, *matrem habent iniquitatis suæ superbiam, dum semper se scire altiora iactitant, et in Ecclesia contumeliam debacchantur.* Secundo, hæresis filias sibi et matri suæ similes producit, filios vero nullos: nihil enim habet virile. Filias illi quatuor assignat S. Cypr. lib. 4. Epist. 3. *Exaltatio*, ait, *et inflatio, et arrogans superbia, ac iactatio, non de Christi magisterio est, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur:* id est de hæresi. Mulieres ipsæ inter hæreticos fastu præturgidæ sunt, et scientiam scripturarum vendicant. Tertull. lib. de præscriptionibus contra hæreticos cap. 41. *Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti: ipsæ mulieres hæreticæ quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere*, id est baptizare. 33. I. Columna est vanitas.

Ex variis hæreticorum splendidis nominibus superbiam eorum intueri possis. Primo, Nicolaitæ hæretici se a sapientia et cognitione rerum divinarum vocaverunt Gnosticos, id est sapientes et scientes, vocaverunt. Sed verius ab aliis dicti Borboriani et sunt Borboritæ, q. d. lutei, lutulenti, in cœno fœdati, ob cœnosas scilicet eorum turpitudines. Secundo, Adamitæ, cives paradisi se nuncupabant; eorum auctor Prodicus, et ipsi, teste Clem. Alex. lib. 3. Strom. affirmabant se esse liberos, neque ulla teneri lege, nec etiam esse orandum. Tertio, Montanus dicebat Paracletum se esse: eius sectatores, spirituales se vocabant. Alios vero omnes psychicos, id est, animales: et Choicos, id est terrenos: et hylicos, id est materiales. Quarto, Tatiani asseclæ dici voluerunt Encratitæ, hoc est continentes. Quinto, Novatiani pulchro nomine καθαρους Catharos, hoc est mundos appellari se voluisse affirmat Eusebius lib. 6. c. 23. eosdemque decoros candidis vestibus incedere solitos tradit Socrates lib. 6. c. 20. Sexto, Curbicus hæresiarcha *Manem* seipsum vocavit, id est, iuxta linguam Babylonicum, *vas*, ait S. Epiphan. hær. 66. æmulatus Apostolum, qui vas electionis a Christo est appellatus. S. Aug. de hæres. cap. 46. ait, eius discipulos vitantes nomen insaniæ, gemina N. litera, Mannichæum, quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano, appellasse. Septimo, Massaliani spirituales se, reliquos vero homines carnales dicere solitos ait Theodor. hæret. fab. l. 6. Octavo, Marcosii τέλειους, id est perfectos se appellitabant, cum nullum esse gloriarentur, qui cum illis, μεγεθει της γνωσεως, scientiæ copia ut magnitudine, conferri posset. Nono, Basilides dicebat, ἡμεις ἐσμεν οἱ ἀνθρωποι, οἱ δε ἀλλοι παντες, ὑες και κυνες, *nos homines sumus: cæteri omnes nihil aliud quam sues et canes.* Decimo, Carpocratianos refert S. Epiph. Epist. 103. dicere solitos se Petro, Andrea, Paulo cæterisque Apostolis, ὑπερφερεστερους, præstantiores esse, δια την ὑπερβολην της γνωσεως, *abundantia quadam scientiæ.* Imo vero, προκριτεους αυτῳ τῳ Ἰησου, *ipsi hominum Servatori Christo anteponendos.* Sic Gnostici iactitabant minorem inter suos esse Ioanne Baptista excellentiorem: atque, ut S. Iren. memorat lib. 3. cap. 1. gloriantur emendatores se esse Apostolorum. Undecimo,

34. Hæretici sibi nomina superba elegerunt. 1. Gnostici. 2. Adamitæ se cives cæli vocabant. 3. Montanus paracletum. 4. Tatiani continentes. 5. Novatiani, catharos, id est puros. 6. Curbicus, Manetem. 7. Massaliani, spirituales. 8. Marcosii, perfectos. 9. Basilides, solum se ac suos esse homines aiebat. 10. Carpocratiani se Apostolis præferebant.

11. Lauter, Lutherus, id est purus dici voluit.

Lutherus cognomen suum mutavit; cum enim vocaretur Lotter, sive Lauther, voluit dici *Luther*, id est, *purus*. Dicebat se non curare, si mille Cypriani, mille Augustini obiicientur. Neminem tantum se odisse, quantum Hieronymum, quod semper de ieiunio et continentia loquatur. Ioannem Chrysostomum non pluris se facere quam scurram palatinum, qui fucos tantum verborum habeat.

12. Anabaptista quidam se regem iustitiæ vocitabat.

Duodecimo, sartor Leidensis ex secta Anabaptistarum regem se constitui curavit in Monasteriensi urbe, indito titulo, *rex iustitiæ huius mundi*, quasi per totum orbem regnaturus, ut ait Spondanus anno 1534. n. 16. Magis adhuc est ridiculum, quod idem refert anno 1526. num. 18. de fœmina eiusdem sectæ, quæ Abacellæ sumpto in manus codice novi Testamenti, sacrarum Literarum sensum populum docere cœpit: atque ex verbis Luc. 1. 37. *Non est impossibile apud Deum omne verbum*, Christum se verumque mundi Messiam, id possibile rata, constituit: coniunctis sibi ex fratrum grege viris duodecim, quibus ad propagandum Evangelium velut Apostolis uteretur: qui foras egressi, agricolis Messiæ suæ doctrinam prædicabant.

35. II. Columna est libertas peccandi.

B Secunda columna speluncæ hæreticorum est iniquitas sive libertas peccandi, v. 4. *Et cum iniqua gerentibus non introibo*. Apollin. cum αλιτας id est, sceleratis, flagitiosis. Primo, hæresis est peccati filia: neque enim Deus permittit hominem eo usque excæcari, ut hæresim incurrat, quin vitiis se omnibus polluerit. Evagrius apud S. Ioan. Damasc. lib. 1. Parallel. cap. 12. *Ita*, inquit, *natura comparatum est, ut mens pura veritatem cernat, ac Deus se ei spectandum præbere soleat. Itaque omnes illi, qui a veritate aberrarunt, ob id aberrarunt, quia improbe ac scelerate vixerunt. Neque enim fieri potest, ut quisquam hæreticus fiat, nisi prius vel in verbis, vel in actionibus rationes vitæ suæ male compararit.* Secundo, hæresis est vitiorum mater, et quidem fœcundissima. S. Ignat. Epist. 5. ad Trallianos vocat, οφεως κακας παραφυαδας, και ολον αυτου τον ορυγμαδον της κακιας, serpentis malam propaginem et totam ipsius malitiæ colluviem. Et Epist. 9. ad Philadelphienses de Nicolaitis agens: Οι τοιουτοι παντες, inquit, Στηλαι εισι και ταφοι νεκρων, omnes eiuscemodi, columnæ sepulcrales, et mortuorum sunt monumenta. S. Paulus acri- C ter increpat Elymam Magum Actor. 13. 10. *O plene*, ait, *omni dolo* (interno) *et omni fallacia* (externa. Tigurina habet, omni versutia. Syr. Omnibus flagitiis) *fili diaboli, inimice omnis veritatis, non desinis subvertere vias Domini rectas*; opponebat se Evangelio et veritati, sicut nunc faciunt hæretici. Ionas Aurelianensis Episcopus lib. 3. de cultu imaginum, multa congerit hæreticorum crimina: eos enim appellat lymphaticos, leves, inanes, falsarios, stolidos. Vincent. Lirin. ait, ex hæresi fieri *impiorum ac turpium amorum lupanar*. Turpes esse hæreticos variis locis docet Baronius in Annalibus, ac præsertim tom. 2. ubi de Gnosticis, Basilidianis, Carpocratianis, et eiusmodi stercorariis scarabæis agit. Crudelitatem hæreticorum aperit S. Gregor. Nazianz. orat. 25. ubi tractat de Arianis. Extat libellus de Calvinistarum rabie in Belgio et Francia.

36. III. Columna est malignitas.

Tertia columna speluncæ hæreticorum est malignitas, v. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium*, S. Telesphorus Epistola 2. *pessimorum*. Magn. in 3. editione vertit, pestiferæ socialia iura catervæ in quatuor agmina fraudum conscia, D et infandis concilianda dolis. S. Greg. Nyss. orat. de deitate Filii, vocat hæreticos, δογματιστας της απατης, Doctores fraudis. S. Gregor. Naz. orat. 34. δολεραν ψυχην και απιστον, infidum et dolosum animum. S. Cyprian. de moribus Ecclesiæ ait, illos esse de perfidia procreatos. S. Hilarius in Psal. 138. *Doctrina doloso est hæreticorum, sub nomine Dei blasphemo, sub prætextu religionis impia, sub veritatis specie fallax*. Variis eos elogiis ex Patrum antiquorum sententia appellare possis, quibus eorum fraudes et versipelle ingenium declares.

37. Hæretici sunt:

Primo, vulpes sunt Samsonis, quæ segetes comburunt, Iudic. 15. 4. et 5. S. Ambros. in Ps. 118. serm. 11. *Per hanc*, ait, *figuram vulpium significans, quod improbi ac* A *fraudulenti homines, et maxime hæretici, liberam linguam habeant ad latrandum, sed exitus impeditos: aut religiosa principia, finem vero fraudis suæ incendio deputatum. Ideoque et trecentas vulpes dimisit: eo quod perfidi crucis quidem se prædicatione commendare desiderant, sed Mysterium eius tenere non possunt, qui hac prædicatione composita et falsa atque simulata, urere magis conantur fructus alienos: cum utique vera crux Domini non exurat aliena merita, sed fœcundet.* S. August. sermon. 107. de tempore, ait, per caudas vulpium denotari posteriora hæreticorum, qui prima habent blanda, magna deceptoria opera, quasi capita: posteriora vero ligata, id est damnata, et ignem in fine trahentia, ut eorum fructus et acta consumant, qui suis seductionibus acquiescunt.

I. Vulpes Samsonis.

Secundo, hæretici sunt Chamæleontes alium ex alio colorem mutantes. S. Athan. Epist. de Nicæna Synodo: Εισι ποικιλοι, και παλιμβολοι τας γνωμας, ως οι χαμαιλεοντες εν τοις χρωμασι, *tam vario sunt et versipelli animo, quam in mutandis coloribus Chamæleontes.*

II. Chamæleontes.

B Tertio, hæretici sunt sepiæ atramento suo caliginem aquis offundentes. S. Athanas. orat. 4. in Arianos, facit eos similes sepiis. Bona fundunt, ait, ως το μελαν αι σηπιαι, ut sepiæ atramentum: sicque, ακεραιους σκοτιζουσι, simplicioribus tenebras offundunt.

III. Sepiæ.

Quarto, hæretici sunt Protei, qui in omnes se figuras transforment, ut commodius illudant. S. Hier. lib. 2. in Iovinian. *Miror*, inquit, *quomodo serpens lubricus, et Proteus noster in variorum se mutet portenta verborum.*

IV. Protei.

Quinto, hæretici sunt aucupes, qui illiciis et escis in rete simpliciores pertrahant. Lucas Tudensis lib. 3. adversus Albigenses cap. 2. *Dum*, ait, *hæc vera hæretici proferunt, decipere quærunt more aucupis, qui inter laqueos spargit escas, latenter cibus ingerunt, dum quomdam palam offerunt dulcedinem veritatis.*

V. Aucupes.

Sexto, hæretici sunt bellatores, qui non aperto marte congrediantur, sed ex insidiis tela evibrent. S. Hier. illud Oseæ 7. eventilans v. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus*, ait hæreticos esse arcus dolosos. Septuag. verterunt, facti sunt quasi arcus intentus. Semper parati sunt ad C feriendum, sed clanculum. In Hebr. est, fuerunt tamquam arcus doli.

VI. Bellatores insidiantes.

Septimo denique, hæretici sunt interfectores animarum, qui lethales potiones melle illinunt, ut vel ad necem alacres miseri proruant. Paulinus Aquileiensis lib. contra Felicem: *Hæretici*, ait, *veneni poculum mellis sapore temperant.*

VII. Interfectores animarum.

38. IV. Columna est impietas.

Quarta denique, columna speluncæ hæreticorum est impietas, a qua abhorrens Propheta noster ait vers. eod 5. *Et cum impiis non sedebo*, impii dicuntur, qui in Deum peccant, aut illi debitum cultum negando, aut illum contemnendo, aut prorsus abnegando. Eiusmodi sunt idololotræ, hæretici, schismatici, athei, aliique his similes. S. Ignat. Epist. 5. ad Trallianos, vocat hæreses αθεους, q. d. sine Deo, Deum negantes, impias. Constantinus Imperator apud Sozomenum lib. 4. cap. 13. vocat hæresim, εργαστηριον δυσσεβεστατον, id est officinam maxime impiam. Ea tamen captus est infelix. S. Gregor. Nazianz. orat. 36. hæreticos nuncupat, της γραμματος ιεροσυλους, sacræ Scri- D pturæ impios fures; et orat. 42. unum alloquens, ait, δαιμονων απιστοτερος συ, και Ιουδαιων αγνωμονεστερος, incredulitate dæmones, Iudæos impietate superas. S. Athanasius in Epistola de sententia Dionysii, Arianos vocat, æmulos Caiphæ, et sociorum eius, a quibus etiam Christi abnegationem didicerunt. Et oratione contra eosdem Arianos ait illos divinas Scripturas obtendere, tanquam καλυμμα ασεβειας, velamentum impietatis.

Conclusio ex dictis est facilis: nempe hæreticos esse fugiendos. Hoc inclamat S. Ignatius Epist. 5. *Fugite*, ait, *impias hæreses*, διαβολου εισιν εφευρεσεις αρχεκακου οφεως, *sunt inventa diaboli, et excogitatæ artes serpentis illius, qui omnis mali primus auctor est, qui per mulierem decepit primum generis nostri parentem Adam.* Et Epist. 10. ad Smyrnenses: *Præmunio vos*, απο θηριων ανθρωπομορφων, *contra feras*

humanam formam præ se ferentes, quas non modo aversari oportet, sed etiam fugere, solumque pro iis orare, si quando pœnitentia ducantur. S. Athan. orat. 1. contra Arianos testatur, in Concilio Nicæno Patres omnes, qui undequaque convenerant, aures suas ad Arii verba obturavisse. A Ut scilicet declararent, verba hæreticorum ita esse pestifera, ut periculum sit vel ad aures illa admittere. S. Gregor. Nazianz. *Hæreticorum communionem*, ait, ὡς ἰὸν ὄφεως φεύγομεν, *velut serpentis virus fugimus, non illam quidem corpus lædentem, sed intimos animæ sinus inficientem.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo continet. Primo, David totum se Dei cultui mancipat, vers. 6. Secundo, Eripi se postulat a nece, quam Saul intentabat, vers. 9.

PARAPHRASIS.

6. Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum Domine.

6. Cum populo tuo Israel ab idolorum templis fugiam, atque ad tabernaculum tuum convolabo: ibi cum viris tuo devotis cultui manus de more abluam, et innocentiæ studebo. Nec solus templum tuum ingrediar; Levitarum, cantorumque choros mecum deducam, qui altare tuum circumdent, laudes tuas intonent, et victimarum copiam maximam a me quæsitam offerant.

7. Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

7. Hos ego choros assumam, ut tot inimicorum importunis vocibus fatigatus suavi laudum tuarum melodia recreer ac subsultem. Et concinentibus vocem meam adjungam, ut omnia opera tua, quæ summam animi admirationem ingenerant, et quibus mirabiliter me protexisti, singulis innotescant.

8. Domine dilexi decorem domus tuæ: et locum habitationis gloriæ tuæ.

8. Non inanibus idolorum templis delector, hæret animo meo splendor et majestas tabernaculi tui, in quo velut in domo inhabitas. Hunc locum, in quo sedens tua reddis oracula, veneror, et amo: ibi manere, ibi vota mea victimasque offerre desidero, atque hoc gaudio privatus in exilio inter idololatras langueseo.

9. Ne perdas cum impiis Deus animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

9. Tam propenso in honorem tuum affectu sacris tuis addictum, ne una cum impiis ruina obruas. Si maculæ, quas terrenus pulvis etiam sanctissimis aspergit, nitricem manuum provocant, fortunæ et corporis bona pereant: animam vero meam illæsam atque incolumem conserva. Meritum supplicium exolvant, utraque priventur, qui cædibus et rapinis in obvios quosque grassantur: sed cum innoxias et puras manus meas a scelere servaverim: capiti meo impendentem Saulis gladium cohibe, ne me velut sceleratum interimat, iisque adjungat.

10. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

10. Quorum manus cruentum adhuc contra jus fasque cæsorum stillant sanguinem, et novum semper fundere exoptant: quique oblatam sibi pecuniam avide arripiunt, ut innocentes mactent, aut carnifici jugulandos tradant.

11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

11. Ego vero ita mores meos et actiones ad justitiæ normam exegi, nemini ut essem noxius, et Saulem in potestatem meam redactum, liberum abire permiserim. Addictum caput meum pretio et devotum redime: libera me a sicariis, qui venditum Sauli sanguinem meum sitiunt, et tantæ miseriæ et impendentis exitii te flectat atrocitas.

12. Pes meus stetit in directo: in Ecclesiis benedicam te Domine.

12. In lubrico licet atque salebroso vitæ tramite per saltus ac devia huc illuc oberrans a virtutis via non deflexi, et apud alienigenas vivens, tibi Deus meus semper adhæsi: et nunc summopere cupio ta in tabernaculo tuo coram omnibus Israelitis laudare, quod constanter et ardenter faciam statim atque me ex his angustiis eripueris.

QUÆSTIO UNICA

QUANTA PURITATE, ARDORE ET PIETATE IN TEMPLIS EST ADORANDUS.

40. Ordo sectionis. SECTIONE superiori David causæ suæ examen a Deo postulaverat, et causam ipsam, suamque innocentiam exposuerat, nunc favorabilem pro se ferri sententiam petit, seque a periculo liberari.

Ac primo, gratitudinem suam declarat, si causa sit superior. Totum enim se Deo liberatori offert in totam vitam, 1. manus, v. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas;* 2. pedes: *Et circumdabo altare tuum Domine;* 3. aures, v. 7. *Ut audiam vocem laudis;* 4. os: *Et enarrem universa mirabilia tua;* 5. denique, cor, v. 8. *Domine dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.*

Secundo petitionem suam aperit: nempe liberationem ab insidiis et crudelitate Saulis, v. 9. *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.*

Tertio, rationem affert duplicem, cur liberari debeat; 1. ob hostium suorum perversitatem, tum ob crudelitatem, v. 10. *In quorum manibus iniquitates sunt:* tum ob B corruptelam: *Dextera eorum repleta est muneribus;* 2. ob suam virtutem: quippe, qui mente, opere, ac verbis eum se gesserit, quem debebat, 1. mente innocentiam servando, v. 11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum.* Ideoque dignum se esse dicit, qui liberetur: *Redime me, et miserere mei;* 2. opere virtutis semitas sectando, v. 12. *Pes meus stetit in directo;* 3. ore Deum laudando: *In Ecclesiis benedicam te, Domine.*

ARTICULUS I.

Manus et cor homo abluat oportet, et quo præsertim tempore.

SOLUS homo, ait Nemesius lib. de natura hominis cap. 27. quoniam ratione utitur, et in eum artes caduat, a Deo manibus donatus est. Aristot. vocat eas ὄργανον ὀργάνων, instrumentum instrumentorum. Ideo innoxiæ et 41. Vers. 6. Manus soli homini datæ sunt.
puræ servandæ sunt. Hinc David se Deo offerens, ait v. 6. C LAVABO (Syr. Arab. et Mulsius, lavi) INTER INNOCENTES MANUS MEAS, ET CIRCUMDABO ALTARE TUUM DOMINE. Nota, pro *inter innocentes*, Hebr. est in innocentia, ut vertit S. Hier. Pagn. et Vatabl. id est, cum innocentia, ut ha-

bet Arabs: in munditia, ut Caiet. et Felix: pare, ut Syrus.

42. *Lavare inter innocentes manus quid sit?* Sensus autem est. Primo, conversabor cum viris probis, illis utar familiariter, illis adhærebo cum quibus non coinquiner, sed emunder ac melior fiam: ita Remig. Richardus Pamp. Iansenius, Titelmannus, qui ait posse hoc intelligi de lotione manuum corporali ante accubitum ad

I. *Expositio.* mensam, q. d. ero familiaris, et ad mensam sedebo cum innocentibus: vel, posse accipi lotionem, id est emundationem e peccato et macula, quia cum bono bonus eris, et cum innocente innocens eris. Nota. Iudæi erant admodum superstitiosi ad lavandas manus. Primo, ante epulas. Munsterus in Deuter. cap. 8. *Ex centum*, ait, *benedictionum libro tradunt, manus primum abluendas esse ac tergendas: alioquin panis, qui comeditur, immundus iudicatur: et mox fundenda est aqua tribus vicibus super manus. In prima fusione sunt digiti sursum levandi, in posterioribus lavandi; sunt manus simul lavandæ non una post alteram. Denique opus est, ut in ablutione manuum, sinistra tamquam famula subserviat dexteræ.* Secundo, inter epulandum Iudæi quoque in lotione erant superstitiosi.

Iudæi superstitiosi in lotione manuum ante epulas.

Et inter epulandum.

Marc. 7. 3. et 4. *Pharisæi et omnes Iudæi nisi crebro* (Syr. diligenter. Græc. πυγμη, certatim lavabant etiam brachia usque ad cubitum, ait Theophylactus; 2. crebro, id est, sæpius in ipsa mensa ad singula fercula) *laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum* (sed superstitiosam et inutilem) *et a foro* (venientes) *nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum* (urceus est vas, quo aqua in urnam vel ahenum infunditur, ait Paulus Iurecconsultus; pro quolibet vase sumitur. Syr. vertit, œnophororum, id est, vasorum, quibus vina afferuntur vel affunduntur) *et æramentorum* (vasorum æreorum, quibus cibi aut coquebantur, aut in mensam inferebantur) *et lectorum.* Græc. κλινων, id est lectorum, in quibus ad mensam accumbebant, quos Latini thoros appellabant. Mos sæpe lavandi se tempore convivii patet in convivio facto in Cana Galilææ, ubi Christus vertit aquam in vinum. Dicitur enim Ioan. 2. 6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ* (vasa aquaria; υδωρ enim est aqua) *expositæ secundum purificationem Iudæorum* (Pharisæorum scilicet, qui dicti sunt βαπτισται, id est ablutores, ut refert S. Iustin. Mart. dialogo in Triphonem, id nominis sortiti ob frequentes lotiones, quas adhibebant, ne quid immundi in mensa tetigissent. Qui enim aliquid tetigerat immundum, censebatur immundus et irregularis, donec lotione lege præscripta usus esset) *capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Ubi obiter adverte, quod metreta idem est quod mensura, απο τυ μετρεσαι, id est a metiendo, determinari tamen ad certum genus vasis, quod continet 72. sextarios Atticos, id est libras mensurales cent. et octo, hoc est Parisinos quartarios duodecim, et paulo amplius: id est ait Corn. pocula belgica (vulgo *potten*) duodecim. Ex his capacitatem singularum hydriarum collige, et frequentiam lotionum. Sed erant ridiculæ et vanæ, ut iis se puriores cæteris Pharisæi probarent. Deus lotionem cordis petit magis quam corporis.

Morem quoque illum frequentis lotionis usurpasse Heliogabalum Imp. colligis ex Ælio Lampridio, in eius vita, cum picturatas et inanes illius cœnas describit: *Parasitis*, inquit, *in secunda mensa sæpe ceream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem nonnunquam vel marmoream vel lapideam exhibuit: ita ut omnia illis de diversa materia, quæ ipse cœnabat, cum tantum biberent per singula fercula, et manus quasi comedissent, lavarent.* A balneis ad cœnam accedere solitos veteres fuse probat Abramus noster in eruditis suis commentariis in orat. contra Vatinium sect. 31. num. 3.

II. *Expositio* Secundo, David dicit se loturum manus inter innocentes, id est, innocentiam suam declaraturum in actionibus præteritis. Ita Theodoretus et Euthymius. Ubi nota, cum antiqui Iudæi contestari volebant se alicuius sceleris esse innoxios, coram multitudine manus lavabant: ut scilicet ea illa manuum munditia, animæ puritatem significarent. Sic fecit Pilatus Matth. 27. 24. *Accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius*, q. d. invitus et a vobis coactus ad mortem condemno hunc iustum virum, itaque non in me sed in vos culpa recidit, vosque polluit. Sed recte S. Augustin. serm. 118. de tempore ait: Laverit licet manus Pilatus, tamen sua facta non diluit, etc. Deus ipse inserat, ut, post repertum cadaver hominis recenter occisi, et cuius auctor nesciretur, seniores illius civitatis convenirent, et manus suas lavantes innocentiam suam contestarentur. Verba legis habentur, Deut. 21. 6. *Et venient maiores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est, et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, et ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel*, q. d. ne imputes cædem illius innocentis nobis, qui sumus populus tuus, neque ideo nos punias. Ad hunc morem allusisse potuit David, q. d. innocenter vixi apud Philisthæos, ibique manus meas innocentes servavi, nullius a populo Dei sanguinem fundendo, imo Sauli ipsi parcendo, cum esset in mea potestate ipsum occidere. Colligi potest, eam Davidis mentem esse, quod innocentiam suam opponat impietati homicidarum, qui viri sunt sanguinum, et plenas iniquitate habent manus, atque ob data munera parati sunt ad cædes faciendas.

Tertio, *Lavabo inter innocentes manus meas*, id est munda faciam opera mea bene et laudabiliter vivam, opera mea pura exhibebo. Ita Glossa et Palanterius, cum scilicet in patriam rediero. III.

Quarto, *Lavabo inter innocentes manus meas*, id est, cum in variis præliis, licitis tamen, me exercuerim, et IV.
varios hostes populi Dei occiderim, me purificabo, et lavabo manus meas, antequam intrem in Dei tabernaculum, ubi vota mea persolvam, et circumdabo altare Dei. Ubi nota, ablutionem manuum præsertim, in usu fuisse, 1. post bella; 2. ante preces; 3. ante ingressum tabernaculi seu templi; 4. ante oblationem sacrificiorum.

Ac primo, quod post prælia et cædes antiqui lotionibus uti solerent, docet Tertull. lib. de baptismo cap. 5. Penes veteres ait, quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Scholiastes Sophoclis in Aiace: Mos, inquit, erat antiquis, cum mortem hominis aut alias cædes patrabant, aqua lavare manus, in purgationem maculæ. Alexander lib. 4. cap. 17. Si quis, inquit, nece aliqua pollutus fuisset, bis septem vicibus inundationibusque vestes abluebat aqua, his piamentis ab immunditia immaculari arbitratus. Etiam in bello iusto cædibus se contaminari censebant, et egere ablutione l. 2. Æneid.

41; I *Ablutione usi veteres post prælia.*

Me bello e tanto digressum ac cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Secundo, ante preces lavare manus solebant. Clemens Alex. in admonitione ad Gentes hoc tradit de Gentilibus: Λελυμενυς, ait, φασι δειν επι τας ιεροποιιας και τας ευχας ιεναι καθαρυς και λαμπρυς, *Aiunt oportere lotos et mundos, atque splendidos accedere ad sacra et preces.* Et de manuum purgatione Plutarchus aperte in Mario, νιψαμενος, ait, τας χειρας και προς ουρανον ανατεινας ευξατο τοις θεοις, cum Marius *lavisset manus*, et in cœlum sustulisset, vota fecit. Hesiod. 2. de oper. Nunquam, ait in aurora libato Iovi nigrum vinum χερσιν ανιπτοισιν, *manibus illotis*, neque aliis diis. Secundo hoc Iudæis etiam fuisse usitatum, disce ex Aristea in histor. de Septuag. interpretibus, ubi ait, interrogatus cur post lotas manus vota facerent, respondisse, οτι μαρτυριον απι του μηδεν ειργασθαι κακον, πασα δ ενεργεια δια των χειρων γινεται, *hoc fieri in argumentum et testimonium nullius sceleris perpetrati, quoniam per manus omnes conatus soleant expediri.* Malim dicere id factum esse primo ad reverentiam divinæ maiestatis. Secundo, ad excitationem mentis, ut amet puritatem, et eam sciat Deo placere. Tertio, ut mens excitetur illo aquæ symbolo ad contritionem, qua mentem abluat. Plin. lib. 8. 16. tradit, leænam post adulterium cum pardo lavare se, ne de-

41. II *Ante preces.*

prehendatur a leone. Quanto magis id facere decet eos, qui ad Deum accedunt, ut fiat oratio in odorem suavitatis. Hinc S. Paul. 1. Timoth. 2. 8. ait: *Volo viros orare in omni loco* (ubivis locorum privata oratione. Ita S. Ambr. et S. Anselm. 2. de oratione publica exponit S. Chrys.) *levantes puras* (οσιας, id est, sanctas. Tert. in Apoc. c. 30. innocuas) *manus sine ira* (sine iniuriarum memoria, ait S. Chrysost.) *et disceptatione*, id est absque hæsitatione et diffidentia, ut explicat Œcumenius, et S. Chrysost. 2. sine mentis evagatione, ut S. Ambr. lib. 5. de sacram. cap. 5. denique sine cogitationibus tumultuantibus de vindicta sumenda, ut Cornelius.

45. III. Ante ingressum templi. Tertio, ante ingressum tabernaculi tum se ipsi, tum hostias Iudæi purificabant, quas lotiones Apostolus Hebr. 9. 10. vocat, *Varia baptismata, et iustitias carnis*. Et quoniam illa lotio externa, signum esse debebat internæ puritatis, ideo David ait: *Lavabo inter innocentes manus meas*, id est, lavabo manus in signum veræ puritatis internæ, sicut innocentes faciunt: non autem lavabo cum hypocritis, qui manus puras, et cor sordidum gerunt. Ita Bellarm.

Hoc ipsi Gentiles usurparunt, teste Arnob. lib. 7. adversus gentes: *Quarum*, ait, *templa cum adire disponitis, ab omni labe puros, lotos, castissimosque præbetis*. Turcæ antequam suos Moschæna ingrediantur, studiose se lavant, ut testatur Bartholomæus Georgius in proœmio histor. Turc. et Davity tom. 3. In urbe Tyro fuit olim templum sumptuosissimum, cuius Sancta Sanctorum nemini liceret ingredi, αναγνοις και ανιπτοις ποσι, *impuris et illotis pedibus*: fontes autem ibi emicabant, in quibus lavarentur, qui sacros ambitus introirent, ait Euseb. lib. 10. hist. cap. 4.

46. IV. Ante sacrificia oblationem. Quarto denique, ante sacrificia et oblationes, præsertim sacerdotibus erat imperata lotio. Exod. 30. 18. Deus Mosi præcipit: *Facies et labrum* (Septuag. λουτηρ, q. d. lavatorium, απο τη λουειν, hoc est, a lavando. Hebr. concho) *cum basi sua ad lavandum, ponesque illud inter tabernaculum testimonii*, (id est, inter sanctum, in quo erat arca continens testimonium, id est, legem, quo voluntatem suam Deus testabatur) *et altare* (holocaustorum.) *Et missa aqua, lavabunt in ea Aaron et filii eius manus suas ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare* (incensi seu thymiamatis, quod erat intra sanctum ipsum, cum altare holocaustorum esset in atrio Levitarum seu sacerdotum sub dio) *ut offerant in eo thymiama Domino, ne forte moriantur*. Tam gravis interminatione pœnæ indicatur, quantum hæc ablutio Deo cordi esset, sciremusque ad participationem, non animi modo, sed etiam corporis munditiem requiri. Mirabile est, quantum vas fecerit Salomon ad continendam aquam pro ablutione pedum et manuum sacerdotum. De illo habes 3. Reg. 7. 23. *Fecit quoque Salomon mare fusile* (id est, concham ingentem ex ære fusam) *decem cubitorum a Labio usque ad Labium* (id est ab uno extremo diametri usque ad aliud extremum) *rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo eius, et resticula* (id est linea, funiculus mensorius) *triginta cubitorum cingebat illud per circuitum*, q. d. circumferentia eius erat 30. cubitorum, et poterat cingi funiculo et reste 30. cubitorum. *Duo millia batos continebat*. Batus, Ephi, et Metreta sunt mensuræ inter se æquales, et cum amphora Romana, quæ continebat 48. sextarios et uncias 960. quæ faciunt libras 80. quapropter mare illud Salomonis continens bis mille batos continebat duo millia amphorarum Romanarum, hoc est sextariorum nonaginta sex millia, librarum aquæ vero centum et sexaginta millia. Quod autem illud mare solum fuerit ad ablutionem sacerdotum, et decem alii magni luteres seu conchæ ad ablutionem victimarum dicitur 2. Paral. 4. 6.

47. In lege gratiæ præcipitur ablutio in altari, ut sacerdos meminerit puritatis. In lege gratiæ, ubi longe maior requiritur puritas ob excellentiam sacrificii, præcepta est etiam ablutio in ipso altari, ubi sacerdos usurpat verba psalmi nostri, *Lavabo inter innocentes manus meas, etc.* usque ad finem psalmi. Hæc ablutio nobis puritatem indicat animorum. S. Cyrill. Ierosol. catech. 5. mystag. *Ablutio manuum, ait, nobis sacerdotibus innuit, ut puri conscientia, mente et cogitatione, quæ sunt manus animarum nostrarum, cum timore et mansuetudine, et clementia omni accedamus ad sanctam mensam*. Clem. Pap. lib. 8. Constit. Apostol. cap. 11. Est, inquit, signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt. S. German. Archiep. Constant. in theoria rerum Ecclesiast. iure ait, animam et manum, quæ contrectatura est immaculatissimum Corpus Christi Dei nostri debere esse, καθαρωτεραν ηλιακων ακτινων, puriorem solaribus radiis. Sed cur in altari extremi tantum digiti abluuntur? Resp. S. Dionys. Areopag. cap. 3. de hier. Eccl. *Lavatio*, inquit, *sacrosancta erat, in legis hierarchia: nunc autem et a Pontifice, et a Sacerdotibus adhibita manuum expiatio eam significat. Illi enim qui ad sanctissimum sacrificium veniunt, esse debent expiati, etiam ab extremis animi visionibus, atque illius similitudinis, quoad eius fieri potest, accedere*. Hinc extremi tantum digiti lavantur a sacerdote in altari. Postea vero subdit Dionysius: *Illa autem Pontificis sacerdotumque lavatio, quæ summis sive extremis digitis adhibetur, coram sanctissimis signis obsecratur, quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes: et summarum partium expiatione*. Supponit ablutionem aliarum graviorum macularum antea factam.

Ethnici exterioris tantum ablutionis erant cupidi. Lactantius lib. 5. cap. 20. Se pie, ait, sacrificasse opinantur, si cutem laverint, tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Alexander lib. 6. cap. 12. Ægyptiis, inquit, diu servatus inolevit mos, ut sacerdoti nec fabam serere aut comedere, nec aspicere liceret: quibus erat constitutum lege apud Memphim lata, ut Isidis sacerdotes semper deraso sint capite, atque tertia quoque die corpus eradant, *et frigida abluant ter die, noctu bis*: piscium autem tactu abstineant, nedum esu. Herod. lib. 2. pene eadem de illis tradit, λουνται, inquit, τρις της ημερης εκαστης υδατι ψυχρω, και δις εκαστης νυκτος, lavantur quotidie frigida, interdiu ter, noctu bis. Ait quoque ferre vestimenta linea, αει νεοπλυτα, *semper recens abluta*. Tertio autem quoque die radi, ne quis pediculus deos colentibus, aut alia sordes creentur. Ex hoc more se abluendi ante sacra solito apud Gentiles ortum est proverbium, quod Æneas Sophista habet in quadam epistola: *Plerique*, ανιπτοις ποσι, *illotis pedibus irrumpunt ad sacra*, cum sint scilicet corruptæ vitæ et ignari, quæ duæ maculæ sunt maximæ. S. Greg. Naz. ad psalmum nostrum aptius, addit manus, in apologia de fuga sua in Pontum: Ανιπτοις χερσιν, ait, ο δη λεγεται και αμυητοις ποσι τοις αγιωτατοις αυτης επεισφρησαντες, *illotis, ut dici solet, manibus, ac prophanis pedibus semel rebus sacratissimis ingerunt*. 48. Ablutionem tantum exteriorem ethnici curabant.

Christiani vero exteriorem ablutionem assumunt, ut ad interiorem incitentur, et cor emundent. S. August. S. Thom. Cassiod. Lombard. S. Hieron de ablutione operum per pœnitentiam interiorem, psalmum nostrum interpretantur. S. Aug. serm. 248. de tempore, postquam dixit, oportere manus, ut pedes, et omnia corporis membra sollicite custodire, ne fiant arma iniquitatis peccato, sed magis potentia arma Deo, ad destruendum spiritualem inimicum, subiicit: *Cor quoque debet miles Christi ante omnia sollicita custodia servare: ne forte illud iactantia extollat, ira inflammet, invidia perforet, avaritia infestet, libido exurat, tristitia gravet, torpor et ignavia oneret*. Ier. 4. v. 14. dicitur Ierusalem; Lava a malitia cor tuum Ierusalem, ut salva fias: usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Ad rem nostram aptissime S. Chrys. hom. 27. in Ioannem: *Ingressuri templum manus lavamus, non corda. Numquid enim manus loquuntur? Anima profert verba, in animam Deus inspicit. Nihil apus est munditia corporis anima coinquinata*. Et paulo post subiungit, *illotis manibus precari nihil refert*, το δε ανιπτω διανοια, τουτο εστι το παντων εσχατον κακων, *illota autem conscientia, hoc maximum est malorum*. A corde puro puræ fient manus. 49. Christiani magis curant interiorem.

Nota itaque lavacrum unum nobis offert Richardus a S. Victore, nempe contritionem de peccatis: *Lavabo*, in- 50. Lavacrum unum nobis offert Richardus.

quit, *inter innocentes manus meas. Gemina manus, geminum est opus: opus iustitiæ, opus misericordiæ. Exercebo ergo me in hoc gemino opere, ut habeam, quas possim manus ad te per bonam intentionem levare. Et si forte his manibus inter agendum aliqua (ut assolet) macula inhæserit: et eas vel cœnum superbiæ, vel pulvis cœnodoxiæ fœdaverit: lavabo utique inter innocentes manus meas, et satagam in quantum potero mundare eas. Quoties enim pro sordibus operum in conspectu tuo defleo, manuum mearum maculas lacrymarum unda lavare contendo. Quidquid enim per culpam fœdatur, cito per compunctionis lavacrum diluitur. Qui vult ergo mundas manus habere, studeat eas assiduis fletibus mundare. Sed quia hoc inter bonos melius agitur, quorum exemplis instruimur, quorum doctrina erudimur; quorum orationibus adiuvamur; lavabo et ego non inter quoslibet, sed lavabo inter innocentes manus meas. Scio quia illi innocentes existant: et illi veram innocentiam servant, qui nec propriam animam lædunt per consensum pravæ voluntatis: nec alienæ nocent, per exemplum perversæ operationis. Tales ergo socios habere studeo, quia opera munda habere desidero.* S. Gregor. Nyssenus ait, fluvium gratiæ ubique fluere, quod fontem divitem habeat Christum, in eius plagis te ablue, dolens quod eum per peccata crucifixeris.

51. Lavacra quatuor offert Hugo.

Secundo, quatuor Lavacra assignat Hugo Cardin. 1. lavacrum Baptismi. Zach. 13. 1. *Erit fons patens domui David, et habitantibus in Ierusalem, in ablutione peccatoris et menstruatæ*; 2. lavacrum pœnitentiæ. Psal. 50. 4. *Amplius lava me ab iniquitate mea*; 3. lavacrum eleemosynæ. Luc. 11. 41. *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*; 4. denique, lavacrum martyrii. Apoc. 7. 14. *Laverunt stolas suas in sanguine agni.*

Sex vero S. Bern.

Tertio, sex lavacra dat nobis S. Bern. serm. 1. in Dominicam 1. post Octavam Epiphaniæ, ubi sex hydrias purificatorias positas in Cana Galilææ ait esse sex virtutes animam purificantes. *Prima hydria*, inquit, *et prima purgatio in compunctione est, de qua legimus Ezech. 18. 21. et 22. Quoniam in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor; 2. vero, confessio est. Omnia siquidem in confessione lavantur; 3. eleemosynarum largitio. Hinc enim habes in Evangelio Luc. 11. 41. Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis; 4. remissio iniuriarum, secundum quod orantes dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; 5. est afflictio corporis: unde et oramus, ut mundi per abstinentiam Deo canamus gloriam; 6. est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipuli, quod utinam audire mereamur et nos: Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Nimirum quia non erant sicut hi quibus dicitur: Sermo meus non capit in vobis: sed in auditu verbi obaudierant ei.*

Decem possunt assignari.

Quarto, decem lavacra assignare possis pro numero luterum sive concharum, quas Salomon in templo Dei e se constructo posuit, et aqua replevit ad ablutionem victimarum. Ea ratione habes, quibus abluas peccata in quodlibet mandatum divinum admissa.

ARTICULUS II.

Sacris choreis altare circuibant Veteres, nos vero cum virtutibus illud circuire debemus.

Vers. 6. 2 Pars. POST ablutionem manuum ait David se accessurum ad altare, ut Dei laudes ibi audiat et decantet, v. 6. ET CIRCUMDABO ALTARE TUUM DOMINE. Subdit rationem,
Vers. 7. v. 7. UT AUDIAM VOCEM LAUDIS, ET ENARREM UNIVERSA
52. MIRABILIA TUA.

Circumdabat David altare, et quomodo.

Quæres, quomodo circumdaturum se altare pollicetur
David? Respond. primo Hebræi aliqui dicunt id facturum
fuisse ramis virentibus, qui quotidie circa altare poni consueverent. Secundo, *circumdabo altare*, victimarum mul-
1. titudine, ita Lorin. Emmanuel Sa. Sangrin. Tertio, cir-
2. cumdabo choris cantorum; ita Bellarm. et Agell. idque
3. præstitit David, ut habetur Eccli. 47. 11. *Stare fecit* (David) *cantores contra altare* (Vatabl. ante Aram) *et in sono eorum dulces fecit modos*. Gr. μελη, id est modulationes
et melodias. Quarto, *circumdabo* altare choris canentium 4.
et victimarum multitudine; ita Iansen. qui utraque simul
iungit. Levitas alios ac ministros addit Euthym. Quinto, 5.
frequentia comitum; ita Caiet. erat enim iam gener regis
Saulis ducta Michol filia eius in uxorem, et erat futurus
rex. Sexto, *circumdabo altare*, non tantum per alios, sed 6.
per meipsum; ita Syr. qui vertit: Circumdedi ego ipse altare tuum Domine. Sed quomodo? Primo, Sa sic explicat, circumdabo, id est venerando amplectar animo. Corpore enim accedere ad altare laicis non licebat. Ubi nota, duplex fuisse altare, unum intra ipsum tabernaculum,

Per seipsum David circumdabat altare tribus modis.

in prima parte, quæ dicebatur Sanctum, et ibi offereba- 1.
tur thymiama, ideo vocabatur altare thymiamatis seu in- 2.
censi: vel altare aureum, quia erat tectum laminis aureis: alterum erat altare holocaustorum extra tabernaculum, ubi victimæ cremabantur in atrio Sacerdotum seu Levitarum; de eo hic agitur. Ad neutrum patebat aditus laicis. Secundo, *circumdabo altare*, q. d. ait Titelman. ibi
ero assiduus, et tamquam circumdans illi adhærebo. Ter- 3.
tio, et melius, *circumdabo*, id est, circuibo, ut vertit S. Hieron. Pagn. Arias. Telesphorus Ep. 2. *altare tuum Domine*, sacris choreis lætitiam reditus mei et potentiam tuam atque misericordiam ostendendo et prædicando. Folengius refert, se vidisse sæpe maxime statis diebus, ad Sapim amnem mulieres præsertim genibus humi provolutas, ter et quater cereis in manibus accensis circum altare ingenti spectantium devotione perrepere. Aiebant enim eum morem in illa regione a patribus summa religione servatum, quo cordis pietatem in Deum posteris testarentur. David non poterat altare holocaustorum ex omni parte circuire, quia erat in medio atrii Levitarum, in quod non licebat laicis ingredi, sed poterat tantum a parte Orientali, meridionali et septemtrionali hoc facere. Nam tabernaculum erat in parte Occidentali.

Et optimo. Sacras choreas circa altare faciebat.

Nota: varii populi solebant sacras choreas in honorem 53.
deorum suorum instituere circa aras, et templa, atque in aliis locis. Hinc גלולים *ghillulim*, ab Hebræis idola sunt vocata, quod in eorum adoratione circuiretur. Nam *galal*, significat revolvi, circuire Regiones aliquot, ac populos decurrere.

Choream circa aras et templa varii populi instituebant.

Primo, Plutarchus in Numa hanc eius legem Romanis
datam refert: *Circumagas te, cum Deum adoras*, Plin. lib. 1.
28. cap. 2. *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus*. Apud eos Martis sacerdotes vocabantur Salii, et erant omnes patricii. Hi autem, ut ait Dionys. Halicarn. lib. 2. erant saltatores quidam ac laudatores deorum belli præsidum. Qui illis præerat, eosque moderabatur, vocabatur Præsul, ut ait Lucilius, q. d. præsultor, qui saltantibus præsidet, qui ante alios salit. Erant numero duodecim Marti Gradivo sacri, quos Numa Pompilius instituit, et per urbem canentes carmine cum tripudiis solemnique saltu ire iussit, ut tradit Livius. Eos a saliendo seu saltando nomen habere plerique volunt, quod hoc facere in comitio in sacris quotannis et solerent et deberent, ut docet Rosinus lib. 3. Antiquit. Roman. cap. 20.

Romani apud eos duodecim Salii cum suo præsule.

Secundo, plerisque Italis sacri illi circuitus erant in II.
usu. Pythagoras enim qui in magna Græcia floruit, do- Itali.
cet oportere προσκυνειν περιφερομενον, *Adorare circumactu corporis*. Magna porro Græcia vocata est extrema Italiæ ora, a Locris Italiæ fronte initium sumens, in tres recedens maris Ausonii sinus, patens in longitudinem 82. milibus passuum, ut ex scientia Varronis ait Plin. l. 3. cap. 10. Illam Græci subactam maximis et potentissimis urbibus frequentarunt, inter quas recensentur Croton, Arpi, Thurium, Tarentum, aliæque complures. Tota illa regio referta fuit Pythagoræis.

Tertio, in Sicilia, apud Syracusios Chitonæas peculia- III.
ris Dianæ saltatio erat, et tibiarum cantus, ut ait Athe- Siculi.
næus lib. 14. pag. 629. ubi agit de variis saltationibus.

Quarto, in Græcorum monumentis adnotatum est, ut IV.
ait Cælius lib. 1. cap. 10. morem sacrificandi servatum Græci.

Strophe, antistrophe et epodus. dia, *ut circumcurrerent aras, cursum auspicati ab læva dextrorsum, Zodiaci quadam imagine.* Hoc factitatum fuisse satis probant strophe, antistrophe et epodus in Pindari odis et aliorum. Strophe erat, cum chorus se ad dexteram seu ad ortum convertebant: cum vero sinistrorsum, antistrophe: cum autem consistebant in medio, quasi in conspectu deorum, canticum quod cæteris accinitur, absolvebant, et dicebatur epodus: quod, ut ait Bulengerus lib. 2. de theatro cap. 12. *Aras circumobeuntes deorum præconia versibus canebant.* Quem morem a Theseo quidam institutum volunt, cum a Creta redux ac vota solvens labyrinthi ambages imitaretur. Alii vero ut cursum Lunæ, ac Solis ab ortu in occasum significarent, ut idem docet lib. 1. cap. 52. In Delo insula nullum obiri sacrificium sine saltatione tradit Cœlius lib. 5. c. 3. Hoc a Luciano didicit in libro de saltatione.

V. Cretenses. Quinto, in Creta insula Strabo tradit lib. 10. fuisse Curetes, Corybantes, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchines furore quodam divino correptos et bacchantes, qui armata saltatione cum tumultu et strepitu, tintinnabulis, tympanis, armis, tibia, et clamore in sacrificiis perterrerent homines sub administrorum specie.

VI. Ægypti. Sexto, in Ægypto usitatas choreas coram Api eius Deo, probat idoiolatria populi Hebræi in deserto. Id enim eum fecisse secundum ritus Ægyptiorum, a quibus mox discesserant, et quorum Deum adorabant, quis dubitet? Dicitur autem Exod. 32. 6. *Sedit populus manducare* (ex hostiis pacificis vitulo immolatis) *et bibere, et surrexerunt ludere,* saltando, canendo, choros agendo, ait Corn. Vocem Hebr. צחק *tsachak,* R. Salomon ait esse idem atque idolum colere. Noster vertit, ludere. Barrad. lib. 4. itinerarii sic utrumque conciliat: *Cum,* inquit, *choreas ducebant, ad vitulum, qui in altari erat, accedebant, ipsumque adorabant.*

VII. Galli. Septimo, in Gallia etiam sacros choros in sacrificiis fuisse, dicetur infra.

VIII. Indi. Octavo, in India saltationes sacras in usu fuisse docet Lucian. lib. de saltatione. *Indi, ait, ad Orientem conversi saltatione Solem consalutant, cum silentio seipsos conformantes Dei choream imitari atque effingere conantur: et hæc Indarum est precatio, et chori, et sacrificium.* Saltatu cantuque deorum suorum præconia persequi solitum Iarcham cæterosque sapientes ait Philostratus lib. 3. de vita Apollonii, cap. 5. ubi refert, accedentes ad fontem in aquam sese proiicientes lavisse, *lotosque ad templum accessisse coronatos, et hymnum cantantes instar choreæ in gyrum compositos.* Vides quam belle hæc Prophetæ nostri facto respondeant: qui pollicetur primo loturum se manus, deinde altare circumdaturum. Fingit deinde Philostratus terram sese in tumulum attollentem, *marini fluctus instar, duos ferme passus in aerem eos* (id est Iarcham et comites) *extulisse.* Dicamus verius eum qui lotus ad altare accedat, ipsis se Angelorum choris miscere, terrenis omnibus altiorem.

IX. Phryges. Nono, in Phrygia, Asiæ minoris provincia, nunquam Cybeles matris deorum sacra sine tinnitu cymbalorum et sine saltatione fiebant, ut docet Strabo lib. 10. *Fiebant,* ait, cum ἐνοπλίῳ κινήσει, *armata saltatione, cum tumultu et strepitu, tintinnabulis, tympanis, armis, tibia, et clamore in sacrificiis, terrendo homines sub administrorum specie.* Dicit deinde sacra hæc illis esse communia cum Samothracibus, Lemniis, aliisque compluribus.

X. Phœnices. Decimo, in Phœnicia, Iudææ conterminа, quo ritu dii adorarentur, habes apud Alexandrum lib. 4. cap. 17. ubi de Heliogabalo sic loquitur: *Fertur Antoninus Cæsar* (Heliogabalus scilicet) *cum Deo Heliogabalo sacrum faceret, mulieres Phœnissas, quæ in orbem cursitarent, cymbalaque, et organa musica circum aras pulsarent, adhibuisse.*

XI. Syri. Undecimo, in Syria, Iudææ etiam proxima ad Orientem, ipsi Christiani choros in templis agere soliti, ut ex P. Mar. cap. 24. fol. 206. refert noster Serarius in lib. 2. Reg. cap. 6. Qui, ait, hodie ad nos veniunt e Syria, testantur Christianos qui degunt in illis regionibus, die Resurrectionis Domini, nec non aliis celebribus festis, venire in templum cum lyris et citharis, et psalmos inter se cantare, ac una saltare: sobrie tamen et modeste saltare illos aiunt, seorsim viros, et seorsim mulieres.

Duodecimo denique, saltationes in Iudæa usitatas fuisse coram arca docet factum Davidis, cum ex domo Obe- 54. XII. Iudæi.
dedom inferretur in civitatem David. 2. Reg. 6. 14. *David saltabat totis viribus ante Dominum.* Quod approbans S. Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 6. *Saltavit,* inquit, *David ante arcam Domini. Totum enim decet, quicquid defertur religioni, ut nullum obsequium, quod proficiat ad cultum et observantiam Christi, erubescamus. Non ergo illa deliciarum comes atque luxuriæ saltatio prædicatur: sed qua unusquisque corpus attollat impigrum, nec humi pigra iacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis.* Miratur demissionem mentis in Davide saltante Augelomus: *Ego,* ait, *Davidem plus saltantem stupeo, quam pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem semetipsum.* Psalmo sequenti clarius adhuc quam in præsenti ait, circum aram in tabernaculo sese commovisse inter adorandum, vers. 6. *Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Hanc fuisse Hebræorum consuetudinem, ut altare circuirent, cum hostias immolari per sacerdotes curabant, tradit R. David, R. Abraham, Portus, Agellius, aliique. In Ps. 117. ait Agellius, id facere solitos prætentis manu ramis virentibus, quod ibi Psaltes iudicat v. 26. *Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.* Quin etiam totum tabernaculum fœderis circuire solebant. Cantic. 3. v. 3. ubi legitur: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem.* Paraphr. Chald. vertit. Invenerunt me Moses, et Aaron, et Levitæ observantes custodiam verbi tabernaculi fœderis, qui circuibant illud per gyrum.

Ex eo ritu sacrarum chorearum in Dei cultum et adorationem diebus festis agi solitarum, dictæ videntur ipsæ solemnitates חגים *chaghim,* q. d. saltationes, tripudia, dies lætitiæ, exultationes. Nam *chagag* significat saltare, subsilire, tripudiare: deduci potest *chagghim* a חוג *chug,* id est circuire, circumdare.

In Iudæa etiam idololatras circuivisse aras tempore precum et sacrificii, ait Abulensis in illud 3. Reg. 18. 26. *transiliebant altare quod fecerant,* Sacerdotes scilicet Baal, in monte Carmelo, ut ignem e cælo elicerent ad probandam potestatem sui idoli. Ibi enim Abulens. quæst. 27. *Saltabant,* inquit, *Sacerdotes super altare, et circuibant illud perambulantes in gyro: quia ista erat cæremonia in sacrificiis quorumdam idolorum.* Secundo, hinc colligere licet eodem ritu usos esse Sidonios in suis sacrificiis. Nam XIII. Sidonii.
Iezabel uxor Achab erat filia Ethbaal regis Sidoniorum, et ad cultum sui Baal virum induxerat, ut patet 3. Reg. 16. 31. Hunc porro Baal Sidoniorum et Tyriorum fuisse Herculem opinantur Abulens. In lib. 4. Reg. cap. 3. q. 3. Hic enim apud eos magno in honore fuit. Unde, ut ait Iosephus lib. 8. cap. 2. Hiram rex Tyri tempore Salomonis eidem statuam erexit, et tempore Alexandri Magni adhuc ibi colebatur. Ubi adverte Baal, Baalim, Bal, Bel, Baal, Baalim, Bel, Belus fuit Nemrod.
Belum, esse Iovem Belum, sive Nemrod, patrem Nini primi regis Assyriorum, et mariti Semiramidis, qui Niniven condidit, et de suo nomine nuncupavit, generali tamen nomine omnia idola dici Baal sive Baalim, q. d. dominus, vel domini. Id enim illæ voces sonant. Tertio, de sacris Bacchi iubente Antiocho Epiphane rege Asiæ factis in templo Ierosolymitano habetur 2. Mach. cap. 6. 7. *Cum Liberi* (id est Bacchi, qui liber dicebatur, q. d. Deus libertatis, quod vinum mentem a curis liberet) *sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.* Quarto, in Iovis veneratione hoc etiam fieri solitum docet S. Ambr. Quinto, in sacris Dianæ, Athenæus l. 14. Sexto in templo Palladis Agrauiæ et Diomedis, ut ait Euseb. lib. 4. de præparatione Evangelica cap. 7. Septimo denique, in cultu Veneris, ut Propertius lib. 3. *Et Veneris magnæ volvitur ante pedes.*

Quæres, unde sacrum illum circuitum inciperent? Primo, Romani a læva ad dextram se convertebant, ut do- 55. Choreas illas sacras alii
cet Plutarchus. Celtæ item si credimus Athenæo. Hebræi

a læva, alii e dextra incipiebant.

quoquo Deum verum venerabantur a læva ad dexteram se convertentes. Secundo, alii a dextra ad lævam pergebant, ut Galli, de quibus Plin. lib. 28. cap. 2. In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus: *quod in lævam fecisse, Galli religiosius credunt.* Ubi vides etiam Gallos usos fuisse circuitione inter adorandum.

56. Circuibant aras in deorum adoratione, ob tres causas.

Quæres secundo, Cur in deorum adoratione circuibant? Tres causas dat Plutarch. in Numa. Prima est, quia περιστροφη προσκυνουντων λεγεται απομιμησις ειναι της τη κοσμου περιφορας, *conversio adorantium simulacrum orbis mundi dicitur.* Secunda causa est, quia, qui adorat deos, quando Orientem spectantibus templis aversus est ab ortu, eo se
1. debet flectere et mox convertere ad Deum, orbem confi-
2. ciens et committens ex ambobus consummationem pre-
3. cum. Tertia causa moralis est, quia hæc figuræ mutatio ostendit *nihil esse stabile in rebus humanis:* sed quo verterit et volverit vitam nostram Deus, contentos esse nos, et boni debere consulere. Petrus Blesensis varias agitationes et circuitiones vitæ nostræ, notat a pulvere incipere, et in pulverem redire, ideoque pro nihilo fluxa hæc omnia esse ducenda. Sic autem inquit serm. 36. in dedicatione Ecclesiæ: *Cinis est*, ait, *memoria circuitus humani: vita enim nostra quasi linea est circumducta rediens ad idem punctum: a pulvere enim incipiens, et per defectus naturales quasi circulariter progrediens ad pulverem revertitur.* Aurum Ophir erat optimum, Ophir dicitur, a פרה *pere*, fructificavit. Alludit ad אפר *epher*, cinis: et ad פאר *peer*, decus. Omne decus et aurum mundi est cinis.

57. Symbol. Altare Christiani est quadruplex quod circuire debet.

Symbolice, altare Christiani hominis quadruplex est.
I. Misericordia Dei.
Primum, ut ait S. Thomas, est misericordia Dei. Sanctorum enim templum in cælesti civitate Ierusalem est Deus. Apocal. 21. 22. *Templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus.* Alcazar Christum ut hominem comparat Sancto, id est primæ parti tabernaculi seu templi. Deum vero, Sancto sanctorum, hoc est templi loco sanctissimo. Alia autem templa non sunt ibi necessaria, quia ibi videtur Deus facie ad faciem, et in Deo velut in domo et templo habitant sancti, eique sunt intime præsentes et uniti. Altare ibi est Dei misericordia. Ps. 47. 10. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Hoc altare circumeundum est per contemplationem, quæ Dei perfectiones, et dona atque bonitatem volvat et recolat, pro iisque gratias agat. Non enim Deum venerari debemus *capite velato*, sicut adulatores Caium Cæsarem apud Svetonium in Vitellio: non *cæcis oculis*, sicut Pagani Iovem et Herculem apud S. Ambros. in quodam sermone: sed mente vigili, qua sola videt sapiens, μονος βλεπει ο σοφος, ut ait Philo. Iusti sunt velut stellæ circa solem, eum contemplantes ut oculi cælestes, per eum lucentes, et circa illum choreas agentes per continuam actionem: atque ut loquitur S. Gregor. Nazianz. in patris funere, *parva lumina circa lumen illud magnum tripudiantes.* Ut oculos erigamus et aperiamus, monet Isaias cap. 6. 4. *Leva in circuitu oculos tuos, et vide.* Ut circuitus agamus, incitat S. Dionysius Areopagita libro de divinis nominibus, cap. 4. ubi triplicem animæ modum

58. Animæ triplex motus, nempe circularis, obliquus, et rectus.

assignat, 1. circularem; 2. obliquum; 3. rectum. *Animæ motus*, inquit, *qui in orbem circumquaque fertur, est eius ad se ab iis, quæ extra sunt, introitus, mentisque eius facultatum unius modi inflexio, quæ quasi in circulo quodam fixum, et ab omni errore liberum modum ei tribuit: eumque a multis quæ externa sunt, convertit, et colligit primum ad se, deinde quasi unius modi effectum coniunctis uno modo facultatibus coniungit, atque ita demum ad pulchrum ac bonum deducit, quod magis quam omnia quæ sunt, et unum est, et idem, et principio caret ac fine. Inflexo autem motu cietur animus, quamdiu convenienter sibi divinis illustratur cognitionibus: non spirituali quidem simplicique modo, sed cogitando et prætereundo, quasi permistis fluxisque actionibus. Recta autem linea, cum non ad se ingreditur, et unico mentis motu cietur: sed ea, quæ circa eum sunt, prodit, et ab eis, quæ extrinsecus incidunt, quasi e signis quibusdam multis et variis, ad ea quæ simplicia coniuncta que sunt, cognoscenda deducitur.* Hæc Dionysius. Hoc est, motus circularis est animæ, cum revocat animam a rebus, et 1. congregat in se, deinde unitur spiritualibus, et postea ascendit in contemplationem unius Dei; 2. obliquus motus est, quando quis procedit ex consideratione creaturarum, sed hanc ordinat in consideratione Dei; 3. rectus motus est, quando ab uno ad aliud quis movetur considerando processum rerum.

Angeli circa summum illud bonum, nempe Deum, contemplatione suspensi, modo hanc, modo illam perfectionem attentius versantes semper Deo gratias agunt; et, ut loquitur S. Dionysius *circa pulchrum et bonum identitatis auctorem et causam*, ακαταληκτως περιχορευουσι, *indeficientem choream agunt.* Homines quoque in cælo circa suum solem Deum has circuitiones suavissimas obibunt, Gillebertus serm. 4. in Cant. illud cap. 3. 2. expendens: *Surgam, et circuibo civitatem:* postquam hanc orbis civitatem esse decurrendam docuit, ut per creaturas Deum reperiamus, ait in Deo ipso viso in paradiso fore etiam inexplicabiles circuitus. Verba eius sunt: *O qualis ibi circuitus erit, pergere ab ipso in ipsum, et ire et redire: desiderio ire, delectatione redire: dum semper eius, quod experientia desiderat, præsentia satiat, ut mens possidentis et contuentis, et illi sit per appetentiam intenta, et illo sit sufficienter contenta. Sic enim pennata illa et oculata animalia in medio et in circuitu sedis Dei leguntur Apoc. 4. 6. In medio, quia voti sui perducuntur ad intima. In circuitu, quia redivivo semper voto feruntur in eadem ipsa. In medio, quia eorum iam completum est votum. In circuitu, quia non sufficiunt comprehendere totum. In medio sunt admissa per gratiam, et in circuitu sunt exclusa per differentem naturam. In medio sunt, quia unita per contemplationem: et in circuitu, quia disiuncta per comparationem. Quæ est enim sedes ista, nisi ea de qua loquitur Apostolus 1. Timoth. 6. 16. Lux inaccessibilis, quam inhabitat Deus? Denique quantumlibet oculata sint beata illa animalia: et illuminat illa, ut quantum possunt, capiant: et excedit, ne ad totum sufficiant. O quam ampla ibi speculataria! quam latæ plateæ in illa luminis infinitate patent, quam coarctati, et counití, et propensi in illa simplicitate, charitate, æternitate vici? viæ illæ, viæ pulchræ, et semitæ pacificæ. Non est in illis vel errare vel laborare semitis. Undique occurrit ibi Sponsus.* 59.

Circa Deum Angeli choreas agunt, et sancti in cælo.

Secundum altare symbolice est Christus; ita S. Thom. 60.
Hebr. ult. 10. locum citat. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem* (Græc. εξουσιαν licentiam et facultatem) *qui tabernaculo deserviunt.* Id est Iudæorum Levitæ et Sacerdotes. Ad literam ibi agitur de Eucharistia, ut S. Chrysost. S. Anselm. Sedulius et alii exponunt. Ubi nota esse metonymiam: altare enim sumitur pro cibo, qui in altari comeditur, nempe pro Christi corpore. Christum autem circuit, qui eius divinitatem et humanitatem, eiusque attributa et mysteria considerat. II.

Christus est altare nostrum.

Tertium altare est fides; ita S. Hieron. Bruno, Remig. S. Thom. Hugo, et alii. Et quidem S. Hieron. Unusquisque sanctus, ait, altare Domini in se habet, quod est fides. Hugo item Cardinalis: *Est altare, interius, exterius, superius, inferius; 1. altare interius est mens sive cor hominis, in quo offerri debet sacrificium Deo spiritus contribulatus; 2. exterius est materiale, in quo offertur sacrificium laudis, scilicet vituli labiorum: de quibus Osee 14. Reddemus vitulos labiorum nostrorum. Et in Ps. 50. Tunc imponent super altare tuum vitulos; 4. inferius est fides, in quo debent offerri hostiæ bonorum operum. Unde dicit Glossa super illud Matt. 5. Si offers munus tuum ad altare, etc. Est in interiori templo altare: id est fides, cui quodlibet munus nisi sit innixum, non est Deo placiturum.* Deinde exponit, quomodo debeamus illa altaria circumdare. *Interius altare debet circumdari per discussionem et circumspectionem. Exterius, per devotionem. Superius, per contemplationem. Inferius per defensionem omnium articulorum fidei.* Bruno Herbipolensis Episcopus: Altare, inquit, significat fidem, quam circumdare est bonis operibus ornare. Remigius Altissiodor. Episcopus: *Fidem tuam*, ait, III.

Fides.

Hostia corporis Christi. Superius est vita æterna, in quo offertur

quam dedisti mihi, in qua locus est veri sacrificii, ornabo bonis operibus, ut altare ornatur palliis, et aliis ornamentis. Fides enim sine operibus est imperfecta et ad salutem insufficiens.

IV. Charitas. Quartum altare est charitas. Dionys. Carth. Circumdabo, inquit, altare tuum Domine, id est charitatem, qua diligo te et proximum, undique adornabo operibus sanctis, agendo et patiendo, quidquid charitas exigit. Bene autem charitas appellatur Dei altare, quia necesse est omnia in charitate offerri et facere. Unde in Levit. 6. 13. habetur: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari:* per hunc etenim ignem charitas designatur, quæ semper in ara cordis ardere exigitur; ita Dionys.

61. Tropol. Altare Dei est cor nostrum. Tropolog. Altare Dei est cor nostrum, id est mens nostra; ita Lombard. Ludolph. Turrecr. Augiic. S. Thom. Richard. Pamp. et alii. Orig. in caten. græca in cap. 2. Threnor. ψυχης, ait, θυσιαστηριον, το εν ημιν λογικον, δι ᾳ περιαιρειται τα παθη νεκρωμενα, *animæ altare est pars in nobis rationis compos, in quo passiones mortificatæ sacrificantur.* Primo, in illo aspicienda est materie. Variam assignare possis ex Scriptura: Primo, cor nostrum debet esse altare terreum per humilitatem. Exod. 20. 24. *Altare de terra* (coacta et in lateres formate) *facietis mihi, et offeretis super holocausta et pacifica vestra.* Qui vere est humilis, nihil sibi reservat, sed totam dat gloriam Deo, et in pace stabili vivit. Bruno: Altare de terra, inquit, est humilis homo, qui est de terra creatus. Secundo, debet cor nostrum esse altare ligneum per castitatem. Exod. 27. 1. *Facies et altare de lignis Setim* (id est sumptis ex loco sic dicto, unde nomen retinebant) *quod habebit quinque cubitos in longitudine, et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine.* Ligna Setim sunt incorruptibilia, ideo sunt symbolum castitatis, quæ est incorruptio faciens esse proximum Deo. Quinque sensus interiores et exteriores servandi sunt, ut sit perfecta quadratura et stabilitas, et spes nostra non viribus nostris, sed in sancta Trinitate est erigenda, si alti esse volumus et in ea virtute crescere: quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Tertio, cor nostrum sit altare æneum per sonorum fidei confessionem. 2. Paralip. 4. 1. *Fecit Salomon altare æneum viginti cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis, et decem cubitorum altitudinis.* Quarto, cor nostrum sit altare lapideum, per constantiam. Iosue 8. 30. *Ædificavit Iosue altare Domino Deo Israel in monte Hebal de lapidibus impolitis.* Vana gloria politis adhæret. Quinto, cor nostrum sit altare aureum, per charitatem. Numer. 4. 11. *Altare aureum* (id est altare thymiamatis, factum ex lignis Setim, sed tectum laminis aureis) *involvent hyacinthino vestimento, et extendent desuper operimentum ianthinarum pellium.* Charitatem fovet contemplatio cælestium, cuius symbolum est color hyacinthinus: et mortificatio, denotata per pelles ianthinas, id est violacei coloris. Plura de his altaribus vide Ps. 4. 5. in illud, *Sacrificate sacrificium iustitiæ.*

62. Circumdatur altare cordis quinque modis. Circumdandum et circumeundum est illud altare cordis nostri: Primo, per contemplationem videndo perfectionem eius, ut inde Deum laudes. Sic enim Dionysius in Ps. 26. ait: *Circuivi, id est omnia visibilia circumspexi, quatenus invisibilia Dei ex eis cognoscerem.* Quanto magis id faciendum est homini in seipso, cum ipse sit mi-

I. Per contemplationem. crocosmus, imo macrocosmus, toto enim orbe excellentior est; et positus est, ut omnia illi velut Regi suo subserviant. S. Greg. dicebat: *Mirum est, quod homo non semper laudat Deum, quia quodlibet ad laudandum eum incitat.*

II. Per considerationem et examen. Secundo, *circumdabo altare tuum Domine*, per discussionem et circumspectionem ait Hugo, ut scilicet illud emundem et nitidum faciam. Idem Hugo in Ps. 26. *Circuire debet vir iustus propriam conscientiam, ut mundet.* Arnold. Carnoth. tract. de opere sex dierum: *Circuit pœnitens, et per intimas animæ suæ recessus sparsa congerit, et fasces alligat odmissorum.* Eccl. 7. 26. dicit Salomon pœnitens: *Lustravi* (Hebr. circuivi. Aquila circumambulavi) *universa animo meo, ut scirem et considerarem.* Sept. vertunt: Circuivi ego, et cor meum, ut cognoscerem.

A Tertio, *circumdabo altare tuum Domine*, ut ex omni parte illud exornem virtutibus; ita Lombard. Ludolph. S. Thom. et alii. Petrus Abbas Cellensis in exposit. morali de tabernaculo illud considerans Exod. 25. 11. Deaurabis arcam auro mundissimo intus et foris, facies que supra coronam auream per circuitum, sic ait: *per circuitum: ut nulla pars animæ studiorum bonorum interruptionem admittat, nulla vitæ pars excursum extra Deum faciat.* Flosculis virtutum altare cordis ornabat David noster, de quo S. Basil. Seleuciæ Episcopus orat. 14. *Cogitatione*, ait, *transi mihi ad Prophetam Davidem, et vide tota virtutum prata in anima coasita.* Virtutes illæ ita exornent, ut etiam stabiliant: quod alio simili declarat Remig. in Ps. 26. *Circuivi*, ait, *id est circumspexi me undique ad similitudinem strenue militantium omnem solicitudinem subinferens, ministro in fide mea virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate fraternitatis dilectionem, in dilectione fraternitatis, charitatem.* Sibi mutuo nexu copulatæ sunt III. Per ornatum virtutum.

B virtutes, ut ex illis corona vel murus fiat. S. Ambr. lib. 8. in Luc. *Ex fide*, ait, *charitas, ex charitate spes, et rursus in spe sancto quodam circuitu refunduntur.* His cor cingamus, et erimus invulnerabiles. Si enim cor non vulneretur, nihil nobis nocere potest. Constantinus Porphyrogenita de adm. imp. cap. 45. Spadatem, ait, hanc a Deo gratiam accepisse narrant, ut vulnerari in bello nullum ipsius membrorum posset *excepto corde*, quod etiam in prœliis armatura quadam muniebat. Ita ipse. Idem faciamus in bello spirituali.

Quarto, *circumdabo altare tuum Domine*, id est circuibo cor meum, ne fures illud spolient. S. Zeno Episcop. Veron. serm. de præcept. Attende tibi ipsi: *Attende tibi*, ait, *id est, undique teipsum circumspice, pervigiles gere ad custodiam tui oculos animæ. In medio laqueorum ingredieris. Occultæ tibi ab inimico tenduntur insidiæ, doli, machinæ, pedicæ abiguæ defossæ. Circumspice igitur omnia, et cauta intentione considera, ut effugias sicut damula ex laqueis, et sicut avis ex retibus.* Si te fur interceperit, spoliabit. Oseæ 7. 1. *Fur ingressus est spolians.* Ioel. 1. 7. *Nudans spoliavit eam.* Oseas loquitur de Iehu Rege idololatra, qui regnum Israel vastavit sua malitia: Ioel vero agit de Chaldæorum exercitu, qui Ierosolymam cepit, vastavit, incendit, ipsumque templum et altaria. IV. Armorum in hostes comparatione.

C

Quinto denique, *circumdabo altare tuum*, id est cor ornatum virtutibus circuibo per fervorem et alacritatem variis virtutibus cum perseverantia vacando, et in Deo exultando. Philo lib. de victimis, ad mores trahens effusionem sanguinis victimarum per circuitum altaris: *Sanguis*, inquit, *circum altare funditur: quia circulus figura est perfectissima, ut huius libationis expers sit ulla pars animæ. Nam animam quodammodo libare videmur sanguine. Figurate igitur docemur, ut integra mente, εν κυκλω χορευοντα in orbem choreas agitantes per omnes consiliorum, dictorum, factorumque species Deum colamus.* Et lib. de plantatione Noe: Locum, ait, convenientissimum assignavit paradiso nominatum Eden, quod interpretabatur deliciæ, qui significat animam recta cernentem, *choreas agentem cum virtutibus.* Et libro, quis rerum divinarum hæres, expendens id quod Deus ait Abrahamo, Genes. 15. 5. *Suspice cælum, et numera stellas, si potes: et dixit ei, Sic erit semen tuum*, ait: Vult cœli effigiem, ant, quod plus est, ουρανον επειγειον, cælum terrestre dici sapientis animam, ut quæ in æthere habitet, lucida sidera, τεταγμενας κινησεις, χορειας εμμελεις, θειας περιοδους, *status motus, concinnas choreas, divinos circuitus*, virtutum splendores fulgidissimos; et stellis simillimos, ita Philo. Alacritatem illam declarat S. Ambros. saltatione Davidis coram arca. Et dicit lib. 2. de pœnit. cap. 6. *Tu cum ad baptismum venis manus elevare, pedes quibus ad æterna conscendas, velociores habere admoneris. Hæc saltatio fidei socia, gratiæ comes.* Hic autem circuitus circum altare sit perfectus, nec finem reperiat: hoc est sit cum perseverantia. Innoc. c. 6. de eleemos. *Bona inchoare*, inquit, *et malo fine concludere, est monstruosa confingere: Ille enim actio chimæra* 63. V. Per perseverantiam.

D

est, quæ initium habet a ratione, finem vero a sensualitate.

64. Vers. 7. Non pedes solum Deo consecrandi sunt circumeundo eius altare, sed etiam aures et lingua, audiendo et cantando laudes ipsius. Ideo additur v. 7. UT AUDIAM VOCEM LAUDIS (Syr. et Arab. laudis tuæ. Pagn. et Caiet. confessionis) ET ENARREM UNIVERSA MIRABILIA TUA. Nota, pro *audiam* Hebr. est לשמע *lasmia*, ut faciam audire, sicut Felix, Pagnin. Arias; ut edam, sicut Vatabl. Hinc Telesphorus Papa epist. 2. legit: Ut claro voce prædicem laudem. Videntur Sept. legisse, et melius, *lisma*, quod fieri potest retentis omnibus literis cum sola punctorum mutatione: unde verterunt, ακουσαι, id est *ut audiam*, sicut etiam vertit S. Hieron. et concinnior est sensus: Ut audiam laudem tuam ab aliis cantatam, et vicissim ego enarrem aliis tua mirabilia.

David erat studiosus sacrorum cantuum.

Nota secundo, David sacrorum cantuum erat amantissimus, quod declarat studium, quod habuit cantores ordinandi in tabernaculo. Comestor et Lyranus censent a Samuele institutos cœtus prophetarum, de quibus 1. Reg. 10. 5. et hoc magnam habere probabilitatem opinatur Salian. tom. 3. ann. 2962. num. 101. Non erant illi prophetæ, quales vulgo celebramus, qui divino illustrati lumine aut occulta revelabant, aut futura prædicebant, ut Moses, Samuel, Elias, Isaias; sed viri sapientes, et in lege Domini, divinisque mysteriis exercitati, qui divinas laudes celebrabant, ut David in plerisque psalmis, et tres pueri in fornace: nec celebrabant tantum recitando, sed canebant etiam, et ad musicos vocis sonos adhibebant instrumenta musica, unde et postea cantores dicti sunt: quorum cum ingens esset copia, eos David in 24. classes distribuit, ut habetur in primo Paralipomenon, cap. 25. Eorumque principes erant Asaph, et Heman, et Idithun. Hi ergo cum in templo, aliove religioso loco, præsertim sacrificii tempore, canerent, dicebantur prophetare. Nam eodem in loco filii prædictorum dicuntur prophetare in citharis, et psalteriis, et cymbalis: et mox distributi ad cantandum in templo Domini in cymbalis, et psalteriis, et citharis. Huc pertinet illud Davidis Psal. 42. 4. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus. Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me.* Quibus instrumentis nihil opus fuit futura prædicentibus. Ita Salianus, quod intellige, non quod ante Samuelem et Davidem non adhiberetur musica in tabernaculo, sed quod non tanto ordine et personarum multitudine. De Davide iam dudum regnante dicitur, 1. Par. 23. 30. *Erunt Levitæ, ut stent mane ad confitendum et canendum Domino similiterque ad vesperam tam in oblatione holocaustorum Domini* (tempore scilicet matutini et vespertini sacrificii, ubi agnus offerebatur in holocaustum) *quam in sabbatis et calendis* (cum sacrificia ampliora singulis septimanis et primo die mensis offerebantur) *et solemnitatibus reliquis* (puta Paschatis, Pentecostes, Tabernaculorum, etc.) *iuxta numerum, et ceremonias uniuscuiusque rei, iugiter coram Domino.* His sacris cantoribus psalmos suos cantandos dabat David, quod Robertus Franciæ rex est imitatus, qui sacros hymnos conscripsit: et Carolus non pietate minus quam virtute bellica Magnus disciplinam legendi et psallendi in Ecclesia diligentissime emendavit: tametsi nec publice legeret, nec nisi submisse atque in communi cantaret, ut refert Eginhardus in eius vita.

65. David enarrabat Dei mirabilia in tabernaculo, et quo modo?

Quæres, Quomodo David enarrabat mirabilia Dei in tabernaculo? Resp. primo cum populo cantando sacros hymnos et psalmos. Secundo, vocem suam iungendo sacris cantoribus. Ad quod nota, quod Abulensis putat locum cantorum fuisse intra atrium sacerdotum, colligitque ex eo, quod 2. Par. 5. 12. dicitur: *Tam Levitæ quam Cantores, vestiti byssinis* (tunicis lineis vel superpelliceis) *cymbalis et psalteriis, et citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, et cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis*, cum scilicet Salomon intulit arcam in Sanctum sanctorum templi a se extructi. Melius tamen Arias lib. de fabrica Templi, censet, suggestum fuisse constitutum inter atrium populi et sacerdotum, in quo cantores sacri divinos hymnos canerent, idque videtur ad populi commoditatem aptius, et nunc id sæpe fieri videmus in Odæis, quæ in templis nostris discriminant chorum sacerdotum a loco, in quo populus orat. Cum igitur David rex esset illi odæo proximus, ex Musach sabbati, id est ex tentorio et conopæo, in quo sedebat in sabbatis et festis in atrio laicorum, sed primo loco et prope atrium sacerdotum, vocem suam et instrumentorum musicorum harmoniam cantoribus coniungere poterat. Itaque reditum suum optat e Philisthæa in Iudæam, ut enarret mirabilia Dei, se populumque suum protegentis. Cum esset gener regis, iam accedebat propius ad eum cantorum sacrorum locum.

Musach sabbati.

66 Laudare Deum tenentur omnes.

Moraliter nota. Nos obligari Deum laudare ob tam frequentem liberationem ab hostibus nostris spiritualibus. S. Chrysost. in Psal. 46. considerans a Mose cantatum fuisse canticum ob liberationem a Pharaone et Ægyptiis insequentibus, ait nobis eam obligationem magis incumbere. Verba eius sunt: *Sed nostrum est multo maius, non Ægyptiis demersis, sed dæmonibus: non Pharaone superato, sed diabolo: non armis captis sensibilibus, sed sublata vitio: non in mari rubro, sed in lavacro regenerationis: non egredientibus in terram promissionis, sed in cœlum tendentibus: non manna comedentibus, sed dominico Corpore vescentibus: non aquam e petra bibentibus, sed sanguinem e latere.*

Sed præcerum reges.

Secundo nota, reges magis obligari Dei mirabilia cantare ob maiora sibi collata beneficia. Socrates laudat Theodosium iuniorem Imper. lib. 7. cap. 22. quod sacris canticis concinendis sedulo vacaret, ως αλλοιωτερα ασκητηριω κατεστατο η βασιλεια, *eius regia non dissimilis fuit monasterio. Nam prima diluculo ipse cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit.* Victo Ioanne tyranno, nuntioque ad eum perlato, cum ludis Circensibus interesset, ludos reliquit, atque populum universum ad Ecclesiam incitavit. Qua voce omnes excitati, ut ait idem auctor cap. sequenti, *omnes per medium Circum*, συμφωνως αμα αυτω ευχαριστηριους ψαλλοντες, *una voce gratiarum actionem agentes pariter cum imperatore iverunt, rectaque ad Ecclesiam Dei contenderunt: ibique totum diem commorati sunt*, και ολη πολις, μια εκκλησια εγινετο, *et civitas universa fuit instar unius Ecclesiæ.*

67. Laudes Dei superant dæmonem.

Tertio, vis divinarum laudum ad vincendos hostes spiritales, exprimitur a S. Chrysost. in Ps. 46. *Solent*, ait, *exercitus quando hostium inclinat acies, non uti extrema victoria, sed*, ομοφωνω βοη και αλαλαγμω, *concordi voce et clamore fractos iam et abiectos eorum animos conquassare, quod est*, νικης λαμπρας και τροπαιω μεγιστου τεκμηριον, *claræ victoriæ et trophæi maximi argumentum, quando bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum et armorum sufficit.* Sed longe magis in bello contra dæmones, qui Dei nomen inclamatum, velut fulmen vibratum, sustinere non possunt.

ARTICULUS III.

Templa sunt Dei domus, et studiose ædificanda atque ornanda sunt.

70. POSTQUAM David dixit se, si in patriam redire posset, a qua exulabat inter Philisthæos vel Moabitas commorans, manus abluturum inter innocentes, altare circuiturum pedibus, aures præbiturum sacris cantibus, os aperturum ad Deum laudandum: horum omnium fontem aperit, nempe cor Dei amans et omnium, quæ Dei honorem et cultum spectabant. Itaque ait v. 8. DOMINE DILEXI DECOREM (Hebr. מעון *meon*, id est 1. habitaculum, ut vertit S. Hier. Felix, Caiet. et Telesphorus epist. 2. Sym. et Aquila ανακτορον, id est palatium, regiam, basilicam. Apollin. θεσπεσια μελαθρα, divina palatia; 2. *meon*, seu *maon*, id est splendorem, ut Arabs; ευπρεπειαν, id est, decentiam, ornatum, bonam formam ut Sept. decorem, ut Noster, et Flaminius) DOMUS TUÆ, ET LOCUM HABITATIONIS GLORIÆ TUÆ. Nota, R. Ioseph Kimhi in Psal. 89. ait, *maon*, deduci ab עין, *ain*, id est oculus. Itaque commode significat decorem et decorum habitaculum seu

Vers 8.

psiatium, q. d. decore suo ac splendore oculos recreans.

Gloria, pro arca aliquando.

Nota secundo, *Gloria* aliquando in Scriptura sumitur pro arca, ut 1. Reg. 4. 21. capta a Philisthæis victoribus arca, tempore Heli iudicis et Pontificis, uxor Phinees moriens vocavit filium suum Icabod, id est ubi gioria? q. d. ubi arca, et ait: *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*. Ps. 77. 61. de reiecta Silo a Deo, et eadem arcæ captivitate loquens David ait: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem* (Hebraice gloriam) *eorum, in manus inimici*. Ezech. 2. 1. *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini*, id est arcæ, ut expiicat Lorin. sed per gloriam Domini non arcam, sed currum Cherubinorum quatuor admirabilium rotarum plenarum oculis, firmamenti crystallini, throni, et in eo sedentis regis intelligit Ezechiel.

71. Triplex arcæ locus.

Nota tertio, triplex apud Iudæos fuit locus gloriæ Dei, id est arcæ, primo tabernaculum Mosaicum, quod collocatum est in Galgalis a Iosue duce populi Dei, deinde translatum est ab eodem Iosue in urbem Silo, sive ob situs pulchritudinem, ut putat Iosephus: sive ob Dei mandatum, ut Salianus: sive quod hæc urbs esset in Tribu Ephraim, ex qua erat Iosue, ut placet Abulensi. Aberat Silo a Ierosolymis spatio trium horarum, ut docet Masius. Ibi arca mansit per annos 350. usque ad mortem Heli Iudicis, et iacturam arcæ ipsius. Translata est deinde in Nobe cum tabernaculo, et inde Gabaonem eversa Nobe, ubi mansit usque ad tempora Davidis in Ierusalem regnantis. Secundo itaque, locus gloriæ Dei, id est arcæ fuit tabernaculum a Davide constructum in Sione, prope suum palatium. Tertio, locus gloriæ Dei, id est arcæ, fuit templum Salomonis.

72. Habitaculum itaque Dei triplex hic potest sumi.

I. Genebr. de templo Salomonis vult agi

Quæres, de quo Dei habitaculo hic agitur? Primo, Genebr. et Titelm. de templo exponunt, in quo Deus tanquam in domo sua habitabat, et illud vocat domum Dei decoram et augustam. Quid ad eum decorem David contulerit, habes 1. Paral. 22. 14. ubi filium Salomonem ad templi ædificationem exhortans, ait: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum: æris vero et ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna et lapides præparavi ad universa impendia*. Auri talenta centum millia, sunt mille et ducenti milliones aureorum Francicorum: mille millia talenta argenti eamdem summam efficiunt: nam olim una libra auri valebat decem libras argenti. In universum itaque David præparaverat ad templum extruendum bis mille et quadringentas milliones aureorum, præter æs, ligna, et lapides. His multa Salomon addidit de suo per septem annos in templi illius extructionem occupans plusquam ducenta hominum millia. Quantus igitur templi decor fuerit quis satis exprimere valeat? Lege ea de re Iosephum, Vilalpandum, Pinedam, Salianum, et alios.

II. Alii, de tabernaculo a Davide extructo in Sione.

Secundo, decoram Dei domum et habitaculum gloriæ eius intelligunt alii tabernaculum a Davide extructum, q. d. Tantum abest, ut ego sederim cum concilio impiorum, et templa idolorum adiverim, quin etiam ita diligo decorem domus Dei et locum habitationis gloriæ eius, ut cogitem de extruendo illi tabernaculo pulchriore et pretiosiore, si semel pacatus regnum quod mihi destinasti, possedero. Hoc postea fecit statim atque universo populo imperavit. Nam per septem annos a Saulis morte David regnavit in Hebron, eique Tribus Iuda obtemperavit, Isboseth vero filius Saul eodem tempore rex fuit aliarum undecim Tribuum. Sicque divisum regnum permansit usque ad Isbosethi cædem, qua audita omnis populus imperio Davidis se subiecit. Liberatus igitur David cura bellorum, et auctior factus ex arce Sionis Iebusæos deturbavit, et totius regni metropolim Ierosolymam constituit, quod esset veluti centrum et umbilicus terræ Chanaan. Occupata illa arce munitissima murum statim ædificari curavit, cuius circuitus, ut ait Villalpandus noster, fuit triginta quinque stadiorum: et arcem, quæ novem stadia cum dimidio complecteretur, in cuius medio regium excitavit palatium. Hæc autem intra tres annos perfecta sunt. David enim regni sui anno decimo arcam ex Cariathiarim curavit transferri, sed ob mortem repentinam Ozæ non in regiam suam sed in domum Obededon eam duci voluit, ubi per tres menses mansit, post quos animatus eius felicitate anno regni sui undecimo illam in tabernaculum ipsi præparatum deduxit magna pompa. Separatum porro fuisse hoc Arcæ tabernaculum ab ipsius Davidis Regis habitatione docet ipsa ratio, et pietas, ipsaque scriptura, quæ sæpe locum, ubi erat Arca, vocat domum Domini: in quam ne ipse quidem David ingredi ausus est post mortem infantuli e Bethsabee suscepti, nisi prius ipse se purificasset. Abulensis censet hunc Arcæ locum fuisse magnum quoddam palatium, in cuius medio aula quædam erat prægrandis, quæ in extremitate una habebat tabernaculum non absimile Mosaico, in medio vero Arcam constitutam. Ex omni autem parte fuisse cubicula et exedras cantorum et levitorum, aliorumque ministrorum. Quin etiam non est necesse recurrere ad illud tabernaculum excitatum in civitate David, id est in Sione, cum statim ut David in urbe Hebron regnare cœpit, ibi tabernaculum Deo extruxerit, ut arbitratur Abulens. in 2. Reg. 5. q. 3. cum non posset libere Tribus Iuda illi subiecta ire in tabernaculum Mosis, quod tunc erat in urbe Gabaone, neque ad arcam quæ erat in Cariathiarim. Utrumque enim oppidum erat in Tribu Beniamin, quæ obediebat Isbosetho regi filio Saulis. Quis autem credat Davidem totos septem annos divino cultu et sacrificiis carere potuisse? cum præsertim, ut recte notat Salianus, Abiatharam Pontificem haberet cum Ephod, id est cum veste Pontificia: et postea dicatur 1. Paral. 11. 3. *Venerunt omnes maiores natu Israel ad regem in Hebron, et iniit David cum eis fœdus coram Domino*, post cædem regis sui Isboseth. Hoc etiam clarius patet ex Absalonis facto, cum abiit in Hebron simulans se cupere vota sua Deo reddere, ob reditum suum in patriam, et reconciliationem cum Davide ipso rege et patre suo, 2. Reg 15. 7.

III. Et melius Euth. de tabernaculo Mosaico explicat.

Tertio, simplicius et melius Euthym. Bellarm. et alii explicant de tabernaculo Mosaico, ita ut sensus sit: *Domine dilexi*, et ideo videre rursus desidero *decorem domus tuæ*, id est ordinem illum admirabilem Mosaici tabernaculi, *et locum habitationis gloriæ tuæ*, tum per descensum nubis lucidæ et effulgentis, in signum præsentiæ tuæ: tum ob arcam in qua reddis oracula.

73. Tabernaculi Mosaici decor in quibus consisteret.

Nota, decor tabernaculi Mosaici consistebat primo in multitudine sacerdotum, Levitarum et aliorum ministrorum, atque in mirabili ordine et decore quem servabant in sacrificiis, precibus, aliisque ritibus. Secundo, decor ille erat etiam in frequentia et pietate populi ex omni parte affluentis. Tertio, in ornatu tabernaculi ipsius arcæ, altarium, vasorum et aliorum. Nam totum tabernaculum intus et foris laminis aureis fuisse convestitum censet Abulensis, Beda et alii. Salianus vero arbitratur in interna tantum facie auro esse tectum. Arca erat facta ex lignis Setim intus et foris operta laminis aureis, propitiatorium id est arcæ operculum erat ex solido auro, duo Cherubim per illud stantes et sedem Deo alis suis exhibentes, erant etiam toti aurei. Altare aureum in Sancto positum erat factum ex lignis Setim, et vestitum laminis aureis, similiter mensa panum propositionis, candelabrum vero habens septem lucernas erat ex auro. Lege a cap. 26. Exodi usque ad cap. 32. ac præsertim mirare vestes pontificias descriptas cap. 28. Lege etiam Villalp. tom. 2. in Ezech. Barradium tom. 2. harmoniæ Evang. lib. 3. cap. 14. Iosephum lib. 3. cap. 4. et seq. Abulensem, Riberam, et alios.

74. Moraliter templa studiose ornanda sunt, ob tres rationes.

I. Quia sunt domus Dei

Moraliter nota, templa studiose excitanda et ornanda sunt. Primo, quia sunt domus Dei. S. Cypr. lib. de opere et eleemosyna, templa vocat *Dominica*: et Baronius tom. 3. Annal. Eccl. an. 326. scribit, a Constantino Magno templum extructum fuisse Antiochiæ, quod ob sui mirificam in omnibus excellentiam diceretur Dominicum aureum. Eusebius in oratione de laudib. Constantini eiusdem ait, Ecclesias dictas esse *Dominica*, quod Domino Deo dicarentur. *Servator*, inquit, τρόπαια νικητήρια, *trophæo victoriæ ubique terrarum erigenda curavit, mundum*

Templa dicta sunt Dominica.

universum sacrosanctis templis, augustisque Ecclesiarum ædificiis adornandum in singulis urbibus, pagis, regionibusque omnibus, atque adeo in desertis barbarorum locis, ædes sacras et templa omnium uni Deo atque universarum rerum Domino dedicanda consecrandaque curavit. S. Germanus ob eam Dei habitationem in Ecclesiis eas cælum vocat.

Templum est cælum terrenum.

Sic enim sanctus ille Patriarcha Constantinopol. loquitur in theorio, id est contempl. rerum Ecclesiast. Εκκλησια. ait, εστιν επιγειος ουρανος, *Ecclesia est cælum terrenum, in quo super cælestis Deus inhabitat et inambulat.* Ac paulo post subiungit: *Ecclesia est* οικος θειος, *domus divina, ubi mysticum vitæ sacrificium celebratur, et interiora sacrarii, et sancta spelunca, ubi sepulcrum,* και τραπεζα ψυχοτροφος και ζωοποιος, *et mensa nutrix animarum et vivifica,* και οι εν αυτοις μαργαριται τα θεια δογματα, *quæque in ea margaritæ, divina dogmata sunt doctrinæ Domini ad suos discipulos.* Ioseph. lib. 3. cap. 4. ait, Deum dixisse Mosi, velle se ut tabernaculum fieret, quo descenderet quoties placeret, quod etiam migrantes secum circumferre possent, ut non esset necesse amplius in Sina ascendere, sed, επιφοιτων συσκηνω, intervisitans crebro, cohabitaret, et præsto esset eorum votis ac deprecationibus. Se in temple Salomonis habitaturum Deus declaravit nube lucida demissa, cum dedicaretur 3. Reg. 8. 10. In ea celebritate mactavit Salomon bostias pacificas, easque immolavit Domino, boum viginti duo millia, et ovium centum viginti millia. Tu teipsum macta et immola Deo in templis nostris habitanti et sua dona largienti, hoc illi sufficiet.

75. II. Templa ornanda sunt, ne Dei cultus vilescat.

Secundo templa ornanda sunt, ne Dei cultus contemnatur. Salian. tom. 2. Annal. veteris testam. anno mundi 2544. num. 428. agens de Mosis tabernaculo, ait, Externus cultus præclarum aliquem, et tamen religiosum requirit apparatum, qualem cernimus hic divinitus imperatum, in quo omnia pene auro vel argento constant aut vestiuntur, in quo ligna cedrina nobilissima, et corruptioni minime obnoxia: in quo gemmæ lapidesque pretiosi, in quo byssus et purpura, coccus et byacinthus, aromata in unguentum, et thymiamata boni odoris, et nihil omnino vile vel abiectum. Sapienter utique et divine: Religiosa enim ac divino cultui consecrata, magni fieri atque honorari debent: ergo a vulgari et communi usu secreta sint oportet, ne veniant in contemptum, et prophana fiant, quæ sanctissima sunt et augustissima. Idque huic populo maxime necessarium erat, qui et rudis admodum erat, et totus externis rebus addictus: utpote in Ægypto vilissimis fere servilibusque ministeriis perpetuo implicitus ac mancipatus. Ita Salian.

76. III. Ad excitandam pietatem.

Tertio denique, pietatem et devotionem excitat templorum ornatus: Ut enim ait S. Dionys. cap. 1. hier. Eccl. eximiæ pulchritudines, quæ videntur, pulchritudinis illius, quæ videri non potest, sunt simulacra. Ubi S. Maximus dicit, per illas apparentes pulchritudines, intelligi a Dionysio, ιερων οικων διακοσμησεις, *sacrarum ædium ornatus.* Hi enim ad Deum trahunt. Unde Eusebius lib. 10. histor. Eccl. cap. 4. refert Tyrii templi aspectu gentiles ipsos allectos fuisse ad ingressum. *Ei autem, qui portas iam ingressus fuerit, non fieri potestatem impuris et illotis pedibus statim in sancta sanctorum ascendendi.* Et paulo post adiungit: *Fontes ex adversa fronte templi profluentes, aqua redundantes posuit, quibus omnes, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant.* Hoc faciendum esse docuit Propheta noster, cum dixit: *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine. Domine dilexi decorem domus tuæ.* Cum decore domus, etiam decor mentis est iungendus et corporis. Philo lib. de victimas offerentibus: Necesse est, ait, adituros templum sacrorum gratia, et corpore nitidos esse, et multo magis animas. De augmento autem pietatis propter templi ornatum, habes Constantinopoli exemplum; Chronicon enim Alex. agens de illius urbis primario templo ait, in ianuis geminas fores fuisse aureas, vario opere factas, ipsasque exteriores portas auro mire variatas. S. Chrysost. autem de iis sic dicit: *Quot homines templi huius vestibula osculantur? hi quidem pronis capitibus abiecti: alii vero manu contingentes, tum eamdem admoventes ori.* Adoratio hæc quædam erat, ut alias explicui. Ipsos Ecclesiæ ministros excitat templorum ornatus. Syr. hic vertit: *Dilexi ministerium domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.*

Hinc tantus ardor magnis regibus et principibus ac prælatis extitit erigendarum et ornandarum Dei Ecclesiarum ac templorum. Hoc in Francia nostra intuemur oculis nostris, et in hac ipsa urbe Rhemensi. Quid enim augustius, concinnius et omnibus numeris et partibus magis absolutum esse potest quam summum B. M. V. templum, in quo reges inaugurantur, et Archiepiscopus sedet? 77. Studiose magno cum ornatu templa ubique extructa sunt.

In Anglia, decem fuisse templorum millia et mille monasteria, refert Thom. Bozius lib. 11. de signis Eccl. eaque pene omnia uno anno ab Henrico VIII. rege a fide vera in hæresim deficiente, aut eversa, aut in usus prophanos conversa: ut vel ex hoc uno furorem et impietatem hæreticorum colligas, et pietatem Catholicorum. I. In Anglia.

In Polonia, ut ait Cromerus in hist. Polon. fertur Petrus Duninus, qui vixit anno 1124. septuaginta septem templa diversis in locis in Polonia de secto lapide extruxisse, ac dotasse: quorum pleraque adhuc extant, itemque duo monasteria. Quis non miretur privatum hominem id potuisse et voluisse. II. In Polonia.

In Hispania, Iacobus Aragonum rex duo millia templorum extruxit, ut ex aliorum libris refert Mariana lib. 14. hist. Hispan. cap. 2 ipse vero interpretatur fuisse vel reparata, vel a Maurorum superstitione expiata. III. In Hispania.

In Italia, Roma tam multa templa sinu suo clausit, ut fidem superent. Andream Fulvium lib. de antiquitatibus urbis Romæ audiamus: *Fuerunt, ait, in urbe in illa primitiva Ecclesia Christi, templa supra tria millia, ex quibus quadraginta diva Mariæ Virgini dicata, quorum extant hodie aliqua venerandæ vetustatis.* Quem numerum adhuc Romæ extare, atque intra duo prope Romam milliarii tradit Bozius lib. 10. cap. 12. Quod eo magis mirandum est veræ fidei signum, quod Publius Victor doceat, Romæ olim idolis sacras fuisse ædiculas tantum centum quinquaginta quinque, templa et ædes tantum septuaginta sex, plus minus. Specta nunc opera tot inutilia ethnicorum in eadem urbe Roma: nempe amphitheatra amplissima duo, theatra duo, ludos quinque, naumachias quinque, nymphæa undecim, thermas operis immensi duodecim, lupanaria quadraginta quinque, arcus marmoreos triginta sex, circos duos, septizonium Severi, molem Adriani, Augusti Mausoleum, balnea privata innumera. Hæc cum videris, apparebit quantam habeat fides nostra excellentiam, quæ ab iis nugis abstractum animum ad Dei cultum traducit. In cloacis extruendis Romani erant admirabiles, ut videre potes apud Lipsium de magnit. Rom. in templis autem ædificandis avari. IV. In Italia.

In Græcia, Constantinopoli templum S. Sophiæ, sapientiæ scilicet increatæ extructum a Iustiniano Imper. describit Procopius lib. I. ædif. Iustinian. at Evagrius, sufficiet mihi descriptio mensæ ex Cedrene: *Sacram,* inquit, *mensam fecit, opus imitatione nulla æquandum: constabat autem auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus, quas terra fert, mare, et totus mundus: ex omni materia pretiosiora plura, viliora pauciora collegerat: liquatisque his quæ fluunt, sicca illic immiserat, atque in formam mensæ absolverat. Itaque varium illud opus contuentibus stuporem iniiciebat. In orbem hanc habuit inscriptionem.* V. In Græcia.

Tua de tuis tibi offerimus servi tui, Christe, Iustinianus et Theodora. Ea tu propitius accipe fili Dei verbum, qui nostri causa carnem assumpsisti, et cruci affixus fuisti. Ac nos in tua recta fide conserva, et quam nobis commisisti Remp. eam ad tuam gloriam auge et tuere, intercedente sancta Deipara Virgine Maria.

In America denique, incredibilem esse ædium sacrarum numerum ait Th. Bozius lib. 11. cap. 3. Romæ, inquit, mihi narrarunt duo sacerdotes, quorum alter erat Mexico oriundus, alter Hispali, templorum in Indiis Oc- VI. In America.

cidentalibus sub annum 1576. numerari millia circiter septuaginta. Ita ilie. Sed vix crediderim nuntiis a longinquo tam mira referentibus. Signum est tamen ingentem ibi esse ecclesiarum numerum, atque ædicularum.

78. Allegor. Ecclesia est Dei templum virtutibus ornatum.

Allegorice. Templum Dei est Ecclesie in terris: eius decor, est sauctitas ot omnis virtus, ita Ruffin. Ludolph. Cassiodorus, qui sic ait: *Decorem domus dicit, non pulchritudinem parietum, aut ministeriorum pretiosissimos opparatus: sed ipsorum octuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet Ecclesia: id est in psalmorum iubilatione, in precum sanctitate, in Christiani populi humillima devotione.* Secundo, decor Ecclesiæ sunt ipsi sancti. Ita S. August. hic, Beda, Remig. Ugo, Lombardus. Si igitur Ecclesiam matrem uostram decorare velimus, sancti simus. S. August. serm. babito iu regione tert. in basilica S. Petri Carthagin. tom. 10. *Decorem*, ait, *domus Dei, et locum tabernoculi claritotis eius diligimus, si et nos ipsi sumus. Quis ergo decor est domus Dei, et locus tabernoculi claritotis eius nisi templum eius, de quo Apostolus oit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sicut ergo in fabricis manufactis cum eleganter et mognifice construuntur, corporalis noster mulcetur ospectus: ita cum lapides vivi, id est corda fidelium charitatis vinculo continentur, decor est domus Dei, et locus tabernaculi claritatis eius.* Tertio, præcipue decor Ecclesiæ sunt sacerdotes pii. Ita S. Hier. In Ecclesia S. Laurentii Florentiæ sacellum est, cuius ornatus æstimatur octo millionibus aureorum, ait Petrus Davity tom. 3. pag. 624. Deus in cordibus et pectore sacerdotum fulgere vult magis quam rationale in pectore Pontificis Iudæorum. Ad hoc attendant sacerdotes, decus Dei et gloria ab eorum moribus, et Ecclesiæ fides ac fama dependet. Quarto denique, decor Ecclesiæ est ipse Christus, qui est splendor gloriæ et figura substantiæ Patris. Hebr. 1. 3. Eo ornatur Ecclesia, ut sponsa viro suo Apoc. 21. 2.

79. Anagog. Templum Dei, est cælum.

Anag. Templum seu domus Dei est cælum empyreum. Ita Thom. Anglicus Card. De illo dicit Baruc. cap. 3. 24. *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius!* Decor ipsius et habitatio describitur Apocal. 21. et 22. Vide etiam dicta Ps. 8. et seq.

80. Tropol. Templum Dei est anima iusti.

Tropolog. Templum seu domus Dei est anima lusti. Ita Thom. Anglicus, Dionysius, Ludolphus, Ugo. Et vero S. Paulus 1. Cor. 3. 16. id asserit: *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* per fidem scilicet, gratiam, charitatem et dona sua, ut dicit S. Anselm. et alii. David cor suum velut domum nitidem servabat per diligens examen eam lustrando. Ps. 100. 2. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Pulchrum cubiculum est innocentia cordis, in eo Christus sibi vult parari pascha. Marc. 14. 15. et Luc. 22. 12. ibi salutem facit Iesus, id est Salvator, sicut in domo Zachæi, id est pueri. Decor domus illius, ait Ugo, in duobus consistit: scilicet in remotione immunditiarum, videlicet peccatorum: et in ornatu virtutum, et bonorum operum. Zachar. 11. 7. *Assumpsi mihi duas virgas, unam vocavi decorem, et alteram funiculum*; 1. fit per pœnitentiam; 2. per iustitiam. De his duobus dicitur Matth. 12. 43. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, etc.* Revertens invenit domum scopis mundatam et ornatam: scopis scilicet contritionis, et confessionis, et satisfactionis: mundatam et ornatam ornatu virtutum et operum. Isaiæ 1. 17. *Lavamini, mundi estote, quiescite agere perverse, discite benefacere.* Et in Ps. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Bis dicit, paratum, sicut templum primo paratur cum pala at scopis, removendo sordes, et secundo admovendo cortines, et spargendo flores. Hæc pertinent ad decorem domus. Unde dicit: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Iob. 40. 5. *Circumda tibi decorem, et speciosis induere vestibus.* Sed ne hunc decorem propriæ gloriæ adscribat, adiungit: *Et locum habitationis gloriæ tuæ*: id est ipsum cor meum ad hoc diligo, ut inhabitet in eo gloria tua, non mea. Isaiæ 35. 2. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli.* Ps. 113. 1. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et S. Bernardus: Fidelis revera servus es, si de gloria Domini tui, et si non exeunte a te, tamen transeunte per te nihil tuis manibus adhærere contingat. Avicenna l. 8. de anim. dicit, quod apes primo incipiunt fundare domum regis sui. Apes sunt Christiani, ait Thom. Anglic. rex apum est Christus. Eccli. 11. 3. *Brevis* (Gr. μικρα, id est parva) *in volatilibus apis, et initium* (αρχα, id est principatus) *dulcoris habet fructus illius.* Illi igitur para domum. Zachæo dixit, Luc. 19. 5. *Hodie in domo tua oportet me manere.* S. Bern. serm. de dedicatione: Iam scio ubi præparanda sit domus, quoniam non capit eam nisi imago sua: anima autem est capax illius, ad cuius imaginem est creata.

Symbol. domus Dei est claustrum religionis. Iob. 39. 5. *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula eius quis solvit? cui dedi in solitudine domum, et tabernacula eius in terra salsuginis*, id est sapientiæ et mortificationis, *Contemnit multitudinem civitatis, etc.* Decor illius domus est charitas, quæ est in communitate studiose servanda. Psal. 54. 15. *In domo Dei ambulavimus cum consensu.* Vide dicta Ps. 132. 1. *Ecce quam bonum, et quam iucundum* (S. Hieron. decorum) *habitare fratres in unum.* Chald. vertit, habitare in Sion, et in Ierusalem, sicut duo fratres in unum. Religio est Sion per contemplationem, et Ierusalem per pacem et charitatem. 81. Symbol. Domus Dei, est religiosum claustrum.

Ex eo quod pietatem et innocentiam sectari velit, levando manus inter innocentes, circumeundo altare, diligendo decorem tabernaculi, eumque procurando, petit David, ne occidatur et male pereat. NE PERDAS CUM IMPIIS (id est cum dæmonibus, ait Thom. Angl. 2. cum infidelibus Philistæis apud quos versor, ait Euthym. et melius,) ET CUM VIRIS SANGUINUM VITAM MEAM. *Viri sanguinum*, sunt Primo omnes peccatores, quorum manus plenæ sunt sanguine, ut loquitur Isaias cap. 1. 15. Sic David orat liberari de sanguinibus Ps. 50. 16. id est de peccatis: et filii Dei Ioann. 1. 13. dicuntur non nasci ex sanguinibus. Secundo, *viri sanguinum* sunt speciatim peccatores, qui contra proximum peccant; ita S. Thom. Ut enim dicitur Eccli. 34. 25. *Panis egentium, vita pauperum est: qui fraudat illum, homo sanguinis est.* Sed hæc sunt mystica. Tertio itaque, *viri sanguinum*, sunt viri sanguinarii, homicidæ cædibus faciendis assueti, qui toti ex cruore et crudelitate sunt conflati. Est hebraismus, quo duo substantiva ponuntur pro substantivo et adiectivo in superlativo gradu. Itaque *Viri sanguinum*, id est viri maxime sanguinarii. 82. Vers. 9.

Nota, qui vitam alterius perdit, suam perdit aut miseram efficit. Hoc Cainus tremulus inclamat, Genes. 4. 11. Hoc Achab rex Israel et impia Iezabel uxor eius senserunt 4. Reg. 9. et 10. Achab enim occisus est a Syris 3. Reg. 22. 34. filii ipsius septuaginta cum Ioram rege Israel filio etiam ipsius, et cum Ochozia genero rege Iuda, atque cum quadraginta duobus fratribus Ochoziæ, 4. Regum 10. Saulis interfector Amalecites iussu Davidis occisus est, 2. Regum 1. 15. et Baena ac Rechab occisores Isbosethi ibid. cap. 4. 12. Ioab, qui Abnerem et Amesam occiderat, iussu Salomonis ab altaris cornu abstractus est et occisus, licet esset cognatus eius (erat enim filius Saruiæ sororis David) 3. Reg. 2. 34. Hoc iusserat Deus in homicidam agens Deuter. 19. 13. *Non misereberis eius, et auferes sanguinem innoxium de Israel, ut bene sit tibi.* Vide dicta Ps. 54. 24. Ægyptii Iudæis contermini severas leges in homicidam tulerunt. Eas sic refert Diodor. l. 1. bibliothecæ pag. 70. *Qui*, ait, *sponte liberum hominem, aut etiam servum necasset, ei leges capitis supplicium irrogabant: utpote quæ non fortunæ conditione, sed factorum consiliis o sceleribus inhiberi cunctos vellent, et hac erga servos cura homines condocefacerent, ingenuos multo minus iniuriis officiendos. Parentibus liberorum interfectio non erat capitalis, sed tres dies atque noctes in complexu occisi perdurare custodia assidente publica cogebantur. Non enim iustum putabant vita privare eos, qui vitam natis dedissent: sed castigatione potius, cui dolor et pœnitentia inesset, homines ab eiusmodi ausis avertendos esse. At in filios parri-*

Homicidæ male pereunt. Exempla afferuntur.

In homicidas leges severæ Ægyptiorum.

cidas, τιμωριαν εξηλλαγμενην, *exquisitissimum pœnæ genus statuerunt. Damnatos enim ob hæc, simul ac frustulatim corporis membra calamis præacutis, ad digiti magnitudinem desecuissent, vivos super spinis cremari necessum erat.* Quod mireris magis, pag. 69. tradit, in eadem Ægypto si quis in via hominem interfici, aut quemlibet vim sustinere videns, cum posset, non vindicasset, capitali supplicio obnoxius erat.

Dignitas hominis auget scelus homicidæ. Deus severe punit homicidas, quia imaginem suam homo circumfert, et est totius mundi rex. Arnob. lib. 2. contra Gentes: *Hic est ille pretiosus et rationibus homo augustissimis præditus, mundus minor qui dicitur, et totus in speciem similitudinis fabricatus.* Synes. epist. 57. τιμιον ζωον ο ανθρωπος, pretiosum animal homo. S. Aug. serm. 2. de beato Iob explicatius ait: *Homo chara et amica possessio Dei, homo cuius causa firmatum est cælum, et extensum est mare, fundata est terra, propter quem sol oritur et occumbit, Luna crescit et deficit, astra micantia surgunt.*

83. Vers. 10. Explicat deinde David, quinam sint impii et sicarii, cum quibus petit non perdi, v. 10. IN QUORUM MANIBUS INIQUITATES SUNT (S. Hieron. et Telesphorus epist. 2. scelus) DEXTERA EORUM REPLETA EST MUNERIBUS. Unde facile quis concluserit munera et acceptionem munerum esse iniquitates. Nam utrisque plenæ sunt manus impiorum. Arbitror hic præcipue agi de muneribus, quæ accipiuntur ad occidendum innocentem, qualis erat David, cuius vitæ multi insidiabantur, aliquod a Saule sperantes.

84. Pecuniæ aviditas ob cædem patratam. Aviditatem corradendæ pecuniæ etiam per hominum necem, ostendit quod narrat Svetonius in Vitellio, nempe in scriniis Othonis Imp. repertos a Vitellio Imp. libellos centum et viginti Prætorianorum, postulantium pretium pro cæde Galbæ, cum unus tantum illum occidisset. Facilitatem etiam dandæ pecuniæ ad hostes suos occidendos vides in Sylla, qui, ut ait Plutarchus in Catone, quibusdam in singula capita dedit duodecies millenos denarios. Asses deni in denario fuerunt, ut ait Budæus lib. 2. de asse: aliquando sexdecim, ut Rualdus in Plutarchum. Luscius centurio, qui Syllæ adhæsit, ob tres proscriptorum cædes dives factus, amplius sexcenties possedit, ut ait Asconius Pedianus, id est amplius sexcenties centena millia nummorum sestertiorum. Quanta sit ea summa, collige, quod decies sestertium idem est ac viginti quinque millia aureorum coronatorum, quorum singuli sint triginta quinque assium.

85. Punitio homicidarum pecuniam appetentium. Deus vero has sanguisugas execratur, et fulmine e cælis deiecto conficit. Iob. 15. 34. ait Eliphaz Themanites: *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.* Atque ut ab allatis exemplis non recedamus. Catonia suasa damnati sunt qui tot millenos denarios e Sylla ad patrandas cædes acceperant. Luscius ille sceleratus periit, Galbæque percussores illi fictitii iubente Vitellio necati sunt. Etenim si Lycii condemnabant fures ad servitutem, ut tradit Nicolaus lib. de morib. gentium: si Locri privabant illos oculis, ut docet Heraclides in Politicis: si Draco Atheniensium legislator morte fures quoslibet afficiebat, ut auctor est Gellius noct. Attic. lib. 11. cap. 18. quid his furiis est faciendum, quæ humanum sanguinem vili nummo posthabent?

86. Triplex est munus. Nota, Triplex munus est, 1. munus a manu; 2. munus a lingua; 3. munus ab officio; ita Remigius. Vel, ut ait Hugo, Triplex est munus, 1. munus a manu; 2. munus a lingua; 3. munus a corde. Munus e manu, est temporale emolumentum: munus a lingua, est laus: munus a corde, favor; ita Hugo. Ab his omnibus sibi cavendum

A est. S. Greg. 9. Moral. 17. *Recte de iusto per Prophetam dicitur Isa. 33. 15. Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Quia enim non solum fraus in acceptione pecuniæ est, munus proculdubio unum non est. Tres vero sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur: Munus namque a corde, est captata gratia a cogitatione. Munus ab ore, est gloria per favorem. Munus ex manu, est præmium per dationem.*

87. Vers. 11. Psalmum denique concludit David cum petitione liberationis ob innocentiam, cum Saulem non læserit; et cum promissione gratiarum actionis, si liberetur, v. 11. EGO AUTEM IN (cum) INNOCENTIA MEA INGRESSUS SUM (S. Hieron. et Telesphorus epist. 2. In simplicitate mea gradiar) REDIME ME, (id est, libera me. Est synecdoche, ponitur enim species pro genere. Vel q. d. sum venditus pretio oblato sicariis ut me occidant, redime me ab eorum manibus, quæ plenæ sunt iniquitate et muneribus. Ubi nota, quod Saul videtur proscripsisse Davidem exulem, et certo pretio caput eius addixisse) ET MISERERE MEI.

B 88. Vers. 12. Gratum se fore pollicetur, vers. ult. PES MEUS STETIT IN DIRECTO. (Hebr. במישור *bemiscior*, id est in rectitudine, ut vertit Pagnin. et Felix, ac Septuag. in recto, ut S. Hier. et Vatabl.) IN ECCLESIIS (Syr. In Ecclesia. Arab. In Ecclesia tua. Caiet. et Vatabl. in cœtibus. Hoc est in synagogis, quæ erant in singulis urbibus et oppidis, ac pagis, ad orandum Deum, et populum docendum) BENEDICAM TE DOMINE. Sensus est, hactenus ambulavi cum rectitudine et innocentia, non nocens Sauli, et tibi serviens: posthac vero adhuc accuratius te laudabo in sacris præsertim cœtibus, maiori a te cumulatus beneficio in hac liberatione ab exilio, et manibus Saulis atque sicariorum ab eo ad me occidendum immissorum.

Tropol. Pes hominis triplex est. Tropolog. nota cum Hugone, pedem esse triplicem: scilicet rationis, affectionis, operationis, 1. pes rationis stetit in directo veritatis, non lapsus ad errorem; 2. pes affectionis stetit in directo charitatis, non lapsus ad vanitatem; 3. pes operationis stetit in directo iustitiæ, non lapsus ad iniquitatem. De primo pede dicitur Psal. 123.
C *Non det in commotionem pedem tuum*, scilicet rationem, ne turbetur per errorem. De secundo Iosue 1. 3. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* De directione eius, Oseæ 12. 3. *In fortitudine sua directus est cum Angelo*, scilicet in oratione. De tertio pede Iob. 31. *Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus.* De eius directione, Ps. 89. *Opera manuum nostrarum dirige*; ita Hugo.

89. Pedis unius tantum mentionem facit David. Nota secundo, Pedis unius tantum mentionem hic facit David innocens, quod gressum in Dei unius amore figeret: alterum vero a terra suspensum haberet, amore creaturarum spreto, cui prius inniti consueverat. Hoc S. Greg. subtiliter explicat: *Omnis*, inquit, *qui uno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet: quia cui et desiderium terræ iam arefactum fuit, in solo pede amoris Dei se tota virtute sustinet, cum ipso stat: quia pedem amoris sæculi, quem ponere in terram consueverat, iam a terra suspensum portat.* Hi sunt claudi, qui cælorum regnum ingrediuntur, ut Matth. 18. 8. declaratur.
D *Si*, ait, Christus, *manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et proiice abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Et Luc. 14. 21. *Exi cito in plateas et vicos civitatis: et pauperes, ac debiles, et cæcos, et claudos introduc huc.*

PSALMUS VIGESIMUS SEXTUS.

1. Dominus illuminatio mea, et salus mea: quem timebo?
2. Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo?
3. Dum appropinquant super me nocentes: ut edant carnes meas.
4. Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.
5. Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum.
6. Si exurgat adversum me prælium: in hoc ego sperabo.
7. Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
8. Ut videam voluptatem Domini: et visitem templum eius.
9. Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum: protexit me in abscondito tabernaculi sui.
10. In petra exaltavit me: et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.
11. Circuivi et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo et psalmum dicam Domino.
12. Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me.

PSALMI VIGESIMI SEXTI ANALYSIS.

David extra patriam suam ingemens, et viri cuiuslibet iusti personam sustinens, ait se non timere, quod habeat

- Deum ducem in prælio. 1. qui
  - Ipsum invet. 1.
    - Intellectum illuminando. 1.
    - Voluntatem fovendo. 1.
    - Omnes potentias sensusque protegendo. 1.
  - Hostes conterat. 2. qui.
    - Crudelitate iam iam devoraturi instabant. 2.
    - Rabie effera iacentem proterebant. 2.
    - Multitudine terribili undique obsidebant. 3.
    - Perpetuis insultibus eum impetebant. 3.
- Asylum in periculo, tabernaculum eius. 4. in quo
  - Habitet
    - Cum perseverantia, omnibus diebus vitæ. 4.
    - Cum delectatione, deliciis divinis colliquescens. 4.
  - Protegatur
    - Loci sanctitate
      - In ipso Dei tabernaculo absconditus. 5.
      - Et loco quidem sanctissimo. 5.
    - Et munitione
      - Ubi supra hostes elevetur. 6.
      - Et extra telorum iactum constitutus floreat. 6.
  - Deo serviat
    - Altare sacris choreis obeundo. 6.
    - Victimas immolando. 6.
    - Canticis sacris personando. 6.
    - Psalmos in eius honorem conscribendo. 6.
- Remuneratorem ipsum post victoriam. 7.
  - In alia vita vultum ostendendo, quod petit,
    - Clamore vocis, aures Dei pulsando. 7.
    - Affectu cordis, cor Dei ad misericordiam movendo. 7.
    - Coniectu oculorum in ipsum, faciem eius ad se convertendo. 8.
    - Humilitate mentis, servum se eius profitendo. 9.
  - In hac vita manum præbendo in hostes novos, ut
    - Ab eorum manibus eripiat. 9.
    - Pugnantem non relinquat. 9.
    - Cadentem non despiciat. 9.
    - Relictum ab omnibus assumat. 10.
  - Et voce per mandatorum viam dirigendo. 11. in qua
    - Legem dat 11.
      - Quæ viam ostendat. 11.
      - Et in ea dirigat. 11.
    - Hostes arcet. 12.
      - Tribulantes crudeliter. 12.
      - Insurgentes fallaciter. 12.
      - Mentientes inique. 12.
    - Mentem firmat. 13.
      - Fide perfecta, in cælo reposita credendo. 13.
      - Spe longanimi, Deum se ostensurum expectando. 13.
      - Charitate ferventi et virili, virtutes exercendo. 13.
      - Patientia solida, cor in adversis roborando. 13.
      - Perseverantia constanti, opem Dei præstolando. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. PSALMUS DAVID, PRIUSQUAM LINIRETUR.

NOTA, in Hebræo non habetur τὸ priusquam liniretur, sed tantum לדוד *ledavid*, id est Davidi, vel potius Davidis, supple psalmus. Alia addiderunt Sept. ut tempus indicarent, quo psalmus est conscriptus.

1. David ter inunctus in Regem. Nota secundo, David ter inunctus est in Regem. Primo, a Samuele in domo patris sui Isai inter fratres suos manentes in Bethlehem, cum David natus esset tantum annos viginti, et Saul annum octavum in regno ageret. Eam unctionem imperavit Deus Samueli, 1. Reg. 16. 1. *Imple cornu tuum oleo, et veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis eius mihi regem.* In impletione cornu notat Rupertus abundantiam gratiæ in Davidem conferendæ: in soliditate eius advertit Abulensis firmitatem et durationem Davidis, cum Saul unctus fuisset oleo e lenticula effuso, quæ est vas parvum et fragile. Facta est hæc unctio Davidis, anno mundi 2969. ante Christum 1089. exitus ab Ægypto et datæ legis 426. Secundo, David in Regem est inunctus in Hebron, 2. Regum 2. 4. quod eam urbem regni sui sedem elegisset mortuo Saule et Ionatha ipso in prælio contra Philisthæos. Tunc enim tribus Iuda, ex qua erat, eum sibi regem creavit, reliquæ undecim tribus elegerunt sibi Isboseth filium Saulis incitante præsertim Abnere eius cognato. Tunc inungi iterato Davidem oportuit ab Abiathar Pontifice, cuius id erat officium; aut a Gad Propheta, vel aliquo alio, cum Samuel esset mortuus, qui eum privatim unxerat, non ad constituendum eum Regem, sed tantum ad designandum successorem Saulis. Cum igitur Isboseth publice in aliarum tribuum Regem ungeretur, debuit idem fieri a tribu Iuda pro Davide. Tertio, post septennium cæso Isbosetho a Baana et Rechab ab omnibus tribubus Rex electus est, et iterum inunctus non in Ierusalem, ut putavit Remigius, sed in Hebron, 2. Reg. 5. 3. cum iam natus esset annos 37. et toto septennio in Hebron regnasset.

2. Dubitatur ante quam unctionem scripserit hunc Psalm. Quæres, Ante quam harum unctionum cecinit hunc psalmum? Primo, Iansenius putat esse psalmum hunc scriptum ante primam unctionem a Samuele factam. Sed hoc non videtur verum, quia tunc nullos hostes habuit.

I. Opinio. II. Secundo, Caietanus vult scriptum esse hunc psalmum ante tertiam et ultimam unctionem, et fuse id probare nititur. 1. quia tunc inimici eius ceciderant, et tamen superarat adhuc bellum cum eisdem; 2. quia vivente Saule non ceciderant hostes Davidis; 3. quia tunc æstuabat David desiderio honorandi arcam Domini in monte Sion; quod non poterat, quia Ierusalem, in quo est mons Sion, non erat sub potestate eius; 4. ut ait Lorinus, Aiguan. Lyr. et alii, qui idem sentiunt, quia unctio simpliciter posita eam designare videtur, propter quam David rex absolutus, atque populi totius, et omnium tribuum renunciatus ac receptus est.

III. Et optima. Tertio tamen probabilius est psalmum hunc a Davide scriptum esse et cantatum ante secundam unctionem, cum a Saule exagitaretur, et iam spem maiorem liberationis videret. Ita S. Thom. Beda, Euth. Theodoretus, qui ait hoc esse δῆλον, id est, manifestum, Ruffin. Cassiodor. Lametius, Luysius Legionensis, Iansen. et alii. Sic eiusdem argumenti est hic psalmus cum præcedente, post quem immediate videtur compositus. Tempori autem persecutionis Saulis totus psalmus convenit. Primo enim, cum in tenebris latere atque in cavernis et sylvis sæpe cogeretur, dicit Deum esse suam illuminationem. Secundo, cum in continuo vitæ periculo esset, ait Deum esse suam salutem. Tertio, cum inter idololatras, et non satis fidos socios, immissosque percussores, atque inter Saulis exercitus versaretur, dicit: *Quem timebo? Si consistant*, etc. Quarto, rabiem declarat hostium suorum: *ut edant carnes meas*, hoc autem non erat tempore Isbosethi. Quinto, A tunc maxime desiderabat videre tabernaculum Dei, cum erat exul: ideo dicit, *Unam petii*, etc. cum vero in Hebron extruxisset tabernaculum, ubi sacrificaret, ut dixi ex Abulensi Ps. 25. non erat, cur tanto Mosaici tabernaculi desiderio teneretur. Sexto, fugiens Saulem refugium et opem invenerat in Dei tabernaculo, panes propositionis, et gladium Goliathi accipiens ab Achimelech Pontifice, unde dicit: *Abscondit me in tabernaculo suo.* Hoc examinabo postea. Septimo, tempore illius persecutionis mortui sunt in Moabitide parentes eius. Hinc ait: *Pater meus, et mater mea dereliquerunt me.* Octavo, testatur in se insurrexisse testes iniquos, quod factum est cum Saul ei adversabatur, non tempore regis Isbosethi, qui gerebat bellum iustum contra David, cum ei non constaret de electione Davidis, ut præesset, quamdiu aliquis de filiis Saulis viveret: nec legimus quæsivisse ullos, qui fraudulenter ipsi nocerent.

3. Allegor. Christus unctus est a Deo Patre in prophet. regem, et sacerd. Allegor. De Christo est hic psalmus, qui a Deo Patre unctus est in Prophetam, in Regem, et in Sacerdotem, B 1. per gratiam unionis hypostaticæ; 2. per gratiam sanctificantem excellentissimam et copiosissimam; 3. per gloriam. Ante hanc ultimam unctionem dixit hunc psalmum, cum adhuc in hostium medio versaretur. Secundo, fideles quilibet psalmum hunc sibi proprium possunt sumere. Unde ait S. Augustin. *Tyro Christi loquitur* (hic scilicet) *cum accedit ad finem.* Ter enim instar Davidis, id est dilecti, et manu fortis in Ecclesia inungitur. Primo in baptismo, in signum futuri regni, quasi accipientes pignus spiritus, Ephesior. 1. 13. *Credentes signati estis* (Gr. ἐσφραγίσθητε, id est sigillati estis, sigillo obsignati estis, sicut oves et milites Christi) *Spiritu promissionis* (id est promisso, per Prophetas videlicet) *sancto, qui est pignus* (ἀῤῥαβὼν, id est, arrha) *hæreditatis, in redemptionem acquisitionis* (id est populi Christiani acquisiti per Christi sanguinem) *in laudem gloriæ ipsius.* Secundo, ungimur in confirmationis sacramento, quando datur unguentum gratiæ, et robur novum in hostes, et tunc iustus iam regnat quasi super unam tribum, licet multos habeat impugnatores: C quia illud Sacramentum datur ad robur. Tertio, quasi iam migraturus ad cæleste regnum inungitur in extrema unctione, scilicet in exitu animæ a corpore. Ita Ugo, Dionysius, et alii.

4. Anagog. In cælo ungentur sancti exultationis oleo. Anagogice. David repræsentat quemlibet Christianum: nam Christianus a Christo dicitur, et Christus a chrismate, id est, unctione. Ungitur enim Christianus dupliciter: Primo quidem unctione sacramentali, quasi in Prophetam, id est videntem, quia in fidelem. Fides autem est oculus supernaturalis, et de illa prophetiæ revelantur. Secundo, ungitur in regem oleo exultationis: et duplicatur hæc unctio ad regem pertinens propter duplex regnum, quod fideles accipient in futuro, scilicet secundum animam et corpus. Tamen prima unctio nostra, est signum istius regni futuri contra hostem. S. Chrysost. homil. 1. in opere imperf (si tamen eius est) *Athleta ad certamen ungitur, ut luctetur: sic spiritualiter oleo Chrismatis ungitur Christianus, ut contra diabolum, quasi spiritualiter athleta luctetur*; Ita Thomas Anglicus, Lombard. Remig. D Aiguanus.

5. Tropol. Ter Christiani inunguntur. Tropolog. Ugo Cardin. Notandum, inquit, quod sicut David ter inunctus fuit, scilicet. Primo in domo patris sui, 1. Regum 16. 1. Secundo, in Hebron, 2. Reg. 2. 4. Tertio, iterum in Hebron, 2. Reg. 5. 3. Ita vir iustus, Primo inungitur a Domino, quando ei adhuc existenti 1.
in domo patris sui, id est diaboli sine peccato mortali, datur gratia gratis data. De isto patre et domo in Ps. 44. dicitur: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Ezech. 16. 3. *Pater tuus Amorrhæus*, id est, amaricans. Secundo, inungitur in Hebron, quod interpre- 2.

tatur conlogium, qosndo datur ei gratin gratum faciens. Tunc enim fit couiogium inter Deum et animam. Oseæ 2. 20. *Sponsabo te mihi in fide; et scies, quia ego Dominus.* Et sicut David post hanc inunctionem multns tribulationes et rebelliones pessus est elinm a fiiio suo: sic vir iustus post hanc et a mundo, et a dæmonibus et a carne. Eccli. 2. 1. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem.*
3. Tertio, inungitur in Hebron, quod interpretatur aliter, visiu sempiterna, quando in regno cælorum trnditur ei stola animæ, et qnando tradatur ei stola corporis. Tunc inungetur oleo illo, de quo dicit Christus Isaiæ 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me.* Et post: *Ut darem oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ita Ugo, qui etiam aliter sic explicat, 1. inungitur in Betblehem in domo patris; 2. in Hebron super Iudam; 3. super omnes tribus. Sic iustus, 1. inungitur in corde, quando datur ei gratia, ut confiteatur de peccatis; 2. super Iudam, quando confitetur peccata; 3. super omnes tribus, quando omnia membra subiicit ad satisfaciendum pro omnibus peccatis, secundum Apost. Rom. 6. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Vide dicta Ps. 44. 8. Non video tamen, cur Hebron significet visionem sempiternam.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Duo continet, Primo, hostium se terrore non commoveri David asserit, ob Dei protectionem, vers. 1. Secundo, eamdem protectionem semper continuari postulat, vers. 7. usque ad finem.

SECTIO PRIMA.

6. *Tria complectitur, Primo, se nullo timore percelli, vers. 1. Secundo, cælestis se palatii et visionis Dei expectatione recreari, vers. 4. Tertio, gratiarum actionem ob fugatas inanes trepidationes pollicetur, vers. 6.*

PARAPHRASIS.

1. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo.*

Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?

1. Nihil est, cur auxilia terrena conquiram, cum rerum omnium Domini luce circumfusus, potentique dextera ab hostium unguibus vindicatus ambulem: vanescat omnis metus: tanto Duce et Salvatore secura vivam.

Frendeant licet, vesanoque furore rabidi insultent hostes, impervium omni trepidationi pectus geram, cum ipse Dominus vitam meam potentia sua, velut impenetrabili scuto, protegat, ne ab hostibus eripiatur.

2. *Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.*

2. Eo ipso tempore, quo multi scelerati contra me a Saule et aulicis immissi, ut me iugulent, meoque sanguine satientur: illi ipsi persecutores mei debilitati sunt, et a Deo percussi corruerunt.

3. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

3. Itaque his ego cælestibus anbalxus præsidiis, tantum menti meæ affandi roboris sentio, ut neque me exercituum undequaque vallantium terreat multitudo: neque strictis ensibus involantes acies pertimescam, sed spem meam in Deum erigens in eo securus persistam.

4. *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

4. Hoc unum mihi in votis est, idque unum a Deo postulo, ut citissime videam tabernaculum Dei mei, ibique tota vita preces meas offeram.

Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum eius.

Ut ex tam uberi suavique fonte in animam defluentibus deliciis recreer, sentiamque servilem vanamque esse omnem huius terræ voluptatem, si cum Dei optimi parentis et regis suavitate conferatur, et perceptione donorum eius animatus pergam visitare tabernaculum, ibique orare et victimas offerre.

5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

5. Etenim cum a Saule fugerem, ad suum me tabernaculum admisit, et per Achimelech summum Pontificem suum panibus refecit, atque gladio armavit, cum magna me calamitas et instantis mortis periculum urgeret.

6. *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

6. In ipsis rupibus et montibus errantem, velut in arcibus, tutatus est: et nunc etiam in terris infidelium me exaltat, varias de hostibus populi Dei donans victorias.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, et Psalmum dicam Domino.

Eam ob rem statim a meo reditu in patriam altare tuum circuire, et victimas pacificas cum canticis offerre statui in gratiarum actionem: tunc ego ipse voce et instrumentis musicis Psalmos a me conscriptos ad tuam laudem cuncinam.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta securitate vivendum est Deo duce et protectore.

7. Ordo Sectionis. In Davide Saulem et hostes fugiente, et in ope Dei confidente, quemlibet iustum mediis in tentationibus ad cælos aspirantem, atque auxilio divino securum, intueri possumus. Deus enim est 1. lumen intellectus eius, v. 1. *Dominus illuminatio mea;* 2. voluntatem a laqueis liberat, *et salus mea: quem timebo?* 3. potentias omnes et animam, ne peccato moriantur, servat. *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Securus est qui Deo duce iter cæli suscipit.

Secundo, hostes quidem multi sunt, et terribiles: sed

eos coercet Deus et conterit. Hostes sunt, 1. impudentes, v. 2. *Dum appropiant*; 2. potentes, *super me*; 3. malefici, *nocentes*; 4. crudeles, *ut edant carnes meas*; 5. superbi, pede proculcantes. *Qui tribulant me inimici mei.* Sed Deus vires eorum infringit. *Ipsi infirmati sunt, et ceciderunt*; 6. hostes audaces sunt, v. 3. *Si consistant*; 7. invidi et infesti, *adversum me*; 8. multi et armati, *castra.* Sed Deus timorem ab anima tollit. *Non timebit cor meum*; 9. inquieti et feroces sunt. *Si exurgat adversum me prælium.* Sed Deus spem victoriæ donat. *In hoc ego sperabo.*

Tertio, ad cælos aspirandum est, ut eius aspectu incommoda huius terræ patienter toleremus, et delicias contemnamus, 1. enim, ibi est stabilis habitatio, quæ sola sufficit, v. 4. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*; 2. ibi est suavissima delectatio. *Ut videam voluptatem Domini, et visitem templum eius*; 3. ibi est protectio secura ab omnibus telis. Nam 1. abscondit Deus servos suos, v. 5. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo*; 2. absconditos protegit. *In die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui*; 3. eos extollit, et extra telorum iactus ponit, vers. 6. *In petra exaltavit me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

Quarto denique, viam ad cælum munit frequentatio templorum, quæ sunt velut suburbana civitatis cælestis. Itaque viri iusti, 1. circa altaria sæpe versantur. *Circuivi*; 2. ibi victimas offerunt, *et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*; 3. cantica sacra concinunt, *cantabo*; 4. in animo suo novas Dei laudes dicunt, *et psalmum dicam Domino.*

ARTICULUS I.

Non est timendum, Deo nos illuminante, salvante et protegente.

Vers. 1. 1. Pars. In tenebris et in umbra mortis versabatur David inter alienigenas ab aulæ et patriæ luce deiectus, ideo trepidantem animum Dei iuvantis et illuminantis consideratione firmat, v. 1. DOMINUS ILLUMINATIO MEA (id est lux mea, ut S. Hier. Caiet. et alii vertunt. Est metonymia. Ponitur enim effectus pro causa) ET SALUS MEA QUEM TIMEBO? Hebr. *quem* אירא *iro*, timebo? Ubi nota elegantem paronomasiam, id est annominationem cum אורי *ori*, id est lux mea, q. d. lux Dei omnem timorem excutit et inanes metus.

8. Deus est illuminatio nostra tripliciter. Primo enim, Deus est illuminatio Davidis, ob favorem et auxilium illi exhibitum, q.d. Dominus est qui hactenus semper depulsis adversitatum tenebris me illuminavit, suique favoris et auxilii luce me recreavit. Ita Iansen. Secundo, illuminatio Deus dicitur, quia omnem ab oculis nostris tristitiæ nebulam dissolvit; ita Euthymius hic, et S. Chrysost. hom. 1. in 2. ad Corinth. Tertio illuminatio Deus dicitur, quia vitæ veluti lucernam fovet et accendit, qua ratione dicitur apud Deum *fons vitæ* esse, ut *in lumine eius videatur lumen*. Ps. 35. 10. hoc est, ab illo vitæ auctore et conservatore hauriatur vita et retineatur. Ioan. 1. 4. *Vita erat lux hominum.* Ita Lorinus. Vide dicta Ps. 17. 29. Primus et secundus sensus magis placent, quia Deus dicitur statim protector vitæ et salus, igitur aliquid aliud per illuminationem intelligitur.

9. Allegor. Allegor. Christus dicit: *Dominus*, id est, Deus seu tota Trinitas, est *illuminatio mea*, id est, causa totius sapientiæ meæ creatæ, quia ab instanti creationis animæ meæ, eam lumine gloriæ, nec non beatifica visione illuminavit; ita Dionys. Carth. et Palanterius. Ubi nota, in Christo, qua Deus est, esse sapientiam increatam, quæ idem est quod divina essentia ac verbi persona. Filius enim est sapientia Patris, ut docet S. Thom. 1. p. q. 39. art. 7. ad 2. quia est sapientia de patre genita. Uterque enim per se est sapientia, et simul ambo una sapientia. Unde pater non est sapiens sapientia quam genuit, sed sapientia quæ est sua essentia. Per illam autem sapientiam ea omnia cognoscit, quæ Pater et quæ Spiritus sanctus. Secundo, Christus qua homo est, habet scientiam beatam; 2. scientiam inditam vel infusam; 3. scientiam acquisitam vel experimentalem. Vide S. Thom. 3. p. quæst. 9. 10. et 11.

Secundo allegor. dicit fidelis ipsi Christo, *Dominus*, id est Christus, est *illuminatio mea* in incarnatione, ipse enim est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. 8.

Tropologice, *Dominus illuminatio mea*, id est lux mea quæ intellectum meum illuminat, ut tollat tenebras meas et ignorantiam. Ita Didymus et S. August. in enchir. ad Laurent. tom. 3. Sic Ps. 118. 105. dicitur, *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis.* Vide ibi dicta. 10. Tropol. Illuminat Deus homines.

I. Ut tenebras intellectus tollat.

Secundo, illuminat nos Deus, ut luce divina fulgentes hostis tenebrosus fugiat. Dæmones vocantur a S. Paulo Ephes. 6. 12. *rectores tenebrorum harum.* Ubi pro *rectores* habetur in Græco, κοσμοκράτορες, id est, munditenentes, ut vertit Tertull. vel, mundipotentes, ut est in Regia. Si tenebras non excutis, dæmones totum mundum occupabunt. Michael Psellus in dialogo, qui est de operatione dæmonum contra Manetem et Euchitas, sex dæmonum genera ab aliquibus posita recenset, 1. διάπυρον, seu igneum; 2. aereum; 3. terrestre; 4. aqueum; 5. subterraneum; 6. *lucifugum.* Omnes quidem dicit odio in homines flagrare, sed aqueum maxime, et subterraneum, atque *lucifugum* extreme malefica esse et perniciosa. *Hæc enim non phantasmatis et illusionibus animas lædere, sed velut efferatissimas feras insilientia, hominum internecionem accelerare.* Sed ad lucis ortum diffugiunt, sicut Madianitæ ad conspectum lampadum et titionum ardentium Gedeonis et militum eius Iudic. 7. v. 16. et seq. II. Ut sint hosti tenebroso terribiles.

III. Ut sint alacriores in via. Tertio, Deus iustum illuminat, ut alacriorem et securiorem ad pugnam in dæmones faciat: et eius exemplo, si præsertim Prælatus est, alii allecti, arma capiant et victoriam obtineant. Cum L. Martius dux Romanus, in Hispaniam missus ut morte duorum Scipionum consternatis militibus præesset, ex eius capite flamma emicare visa est; ea luce ita recreatus est exercitus, ut irruentes *octo et triginta hostium millibus cæsis, magnoque numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus referta, caperint.*

IV. Ut Lethargum excutiat. Quarto, Deus peccatorem illuminat, ut lethargum excutiat. Ita Thomas Anglicus. Lethargus enim, ut ait Galenus, est passio mentis, cum febre acuta. Et vetat capita taliter affectorum ullo modo fomentari, sed in lumine collocari. Petavius in Psal. nostro ait, φέγγος ἐμοὶ θεός ἐστι φερέσβιον, *lumen mihi vitale est Deus.* Sine luce omnes herbæ, flores, arbores intereunt, et languent animalia, in lumine vivificantur, virescunt, suavem odorem fundunt, exultant.

11. Illuminat Deus iustos sex modis. Quæres, Quomodo Deus iustum illuminat? Respond. illuminat eum donis naturæ et gratiæ, illustrans rationem eius, ne erret, ne fallatur, ne peccet; ita Dion. Ludolph. Ioan. a Pastura, et alii. Primo, enim, ut exponit S. Prosper. lib. 3. de vita contempl. cap. 30. per donum scientiæ seu sapientiæ ac prudentiæ detrahitur cæcitas, et per gratiam sanatur languor. Prudentia enim est generalis regula et perfectio virtutum moralium dans eis formam et modum, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 166. artic. 2. ad 1. Sapientia vero est maxima inter omnes virtutes intellectuales, iudicans et ordinans, ibid. q. 57. a. 2. ad. 2. et quæst. 66. a. 5. item q. 68. art. 7. Quædam est participatio divinæ sapientiæ. *In sapientia eius luxit anima mea, et ignorantias meas illuminavit.* Differentiam virtutum intellectualium. Vide q. 57. I. Donis naturæ et gratiæ.

II. Per fidem. Secundo, illuminat Deus per fidem; ita S. Hier. Beda, Remig. qui sic ait: *Ego mihi tenebræ, ego mihi cæcitas: sed Dominus illuminavit me per fidem, ut possim eum contemplari hic in spe, tandem in re. Hic dedit notitiam, ibi contemplationem sui.* Isaias ad illud lumen invitat c. 60. 1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum*, Christus scilicet.

III. Dona Spiritus sancti. Tertio, illuminat Deus per dona Spiritus sancti, et præsertim per intellectum, qui est quædam acuta prospectio

divinorum, ut ait S. Thom. 2. 2. quæst. 49. art. 2. ad 2. De illo dicit David Ps. 110. 10. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Vide ibi dicta; et Ps. 118. 34. *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam.*

IV. Unctione charitatis. Quarto, illuminet Deus per unctionem dilectionis et charitatis; ita Hugo Eccli. 2. 10. habetur: *Qui timetis* (id est colitis) *Dominum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra.* Lumine, non tam cognitionis, quam consolationis et gaudii, ait Cornel. hoc est, recreabuntur, exultabunt, et velut nova luce lætitiæ et iubili collustrabuntur, iuxta illud Isaiæ 58. 10. *Cum effuderis esurienti animam tuam* (Septuag. si dederis esurienti panem ex anima tua, id est ex sincero mentis affectu) *et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua* (id est libertas, lætitia, prosperitas) *et tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* Ipsa cognitio etiam per charitatem perficitur. Ut enim ait S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 3. charitas dicitur forma fidei, in quantum per charitatem actus fidei perficitur et formatur. Meritorie etiam causat lucem animæ, id promittitur Ioan. 14. 21.

V. Collyrio tribulationis. Quinto, illuminat Deus per collyrium tribulationis: felicitas enim excæcat, dum in terra nimis oculos retinet, et in fumo vanitatis, et luto voluptatum; tribulatio autem oculos in cælum attollit, aperit atque expurgat. Est fel piscis, quo sanantur oculi Tobiæ senioris. Tob. 11. 13. *Tunc sumens Tobias* (iunior) *de felle piscis, linivit oculos patris sui. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam* (omnis tribulatio in hac vita brevissima non potest esse longa) *et cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana ovi, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Fuerat cæcus per annos quatuor scilicet ab anno ætatis suæ 56. usque ad annum 60. post quem adhuc vixit per annos 42. Græca habent fuisse cæcum per 8. annos, sed Latina Vulgata est Scriptura Canonica, non Græca.

VI. Sacramentis. Sexto denique, illuminat Deus per Sacramenta, quæ sunt septem planetæ, inter quos Sol est Christus in Eucharistia. Præcipue tamen baptismus dicitur φωτισμος, id est, illuminatio, qua voce usi sunt Septuag. in psalmo nostro. S. Dion. Eccl. hier. cap. 3. p. 1. causam reddit, quia primi luminis consortium tradit baptismus, omniumque divinarum illustrationum principium est, ac per baptismum ad alia inspicienda sacramenta, quæ lumen quoque conferunt, lucis gratiam accepimus. Hoc etiam dicit S. Paulus, Coloss. 1. 12. *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem* (id est in participationem) *sortis sanctorum* (hæreditatis dotæ sanctis) *in lumine*, id est per lumen: hoc est, per baptismum, ait Lorin. vel melius, in lumine Evangelii, hoc est per cognitionem Dei et mysteriorum eius. De baptismo apertius dicitur Hebr. 6. 4. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* (id est baptizati, ut Syrus reddit) *gustaverunt etiam donum cæleste* (id est, gratiam, virtutes, dona Spiritus sancti cum gaudio et animæ consolatione receperunt) *rursus renovari ad pœnitentiam*, baptismalem scilicet, id est non possunt iterum baptizari; ita S. Chrys. et Sedulius. Vel impossibile sumitur pro valde difficili, q. d. difficile ad veram pœnitentiam et vitæ emendationem redeunt. Ita S. Anselmus, Vasquez, et Ribera. Baptismi effectus sex recenset Aiguan. in Ps. nostr.

Nota, non dicitur, Dominus lux mea, vel lumen meum, sed potius *illuminatio mea*, ut denotetur non sufficere nobis lumen habituale semel datum, sed continuo Dei influxu, gratia et illustratione ita nos egere, ut sine illis nihil prorsus nisi tenebrosum, et ad tenebras exteriores amandandum facere possimus. Sicut itaque radius eget continuo influxu Solis, ut producatur et conservetur, ita anima eget gratia excitante, cooperante et subsequente, ut actiones bonæ incipiant, durent, et ad cælum nos ducant.

12. Vers. 1. 2. Pars. Spem fidei adiungit Deus, cum nobis offert auxilium in hostes nostros, ut ab iis nos salvet. Unde addit David, ET SALUS MEA non formalis, sed causalis, id est causa salutis meæ. *Salvator meus*, ut habent Sept. Arab. Petov. et S. Hieron. in cap. 51. Isaiæ. S. August. salutaris meus. Hebr. ישעי *isci*, quæ vox non recedit a Iesu, cuius nomen hic indicari vult Eusebius. Salus itaque idem est ac fortitudo, robur, salvator. 2. Reg. 22. 2. ait etiam David: *Dominus petra mea, et robur meum, et Salvator meus.*

Salus sæpe cum lumine iungitur. Nota primo, sæpe cum lumine salus coniungitur. Sic Ps. 30. 17. *Illustra* (S. Hier. *ostende*, sed cum lumine, ut Hebr. sonant) *faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in tua misericordia*, id est, per tuam misericordiam: vel, intra tuam misericordiam, velut sacrum asylum, altare, aut arcem. Secundo, Ps. 79. 8. *Deus virtutum* (id est potentissime; 2. Angelicorum ordinum; 3. amans virtutes) *converte nos* (a creaturis ad te) *et ostende faciem tuam* (illustrantem nos instar Solis) *et salvi erimus*, ab hoste tenebroso. Tertio, Ps. 66. 2. *Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum*, id est salutem a te datam et Salvatorem, quem S. Simeon ulnis tenens vocat salutare et lumen gentium et Israelis: Luc. 2. 32. in Cygnæo suo Cantico.

13. Iesus nos salvat octo modis. Nota secundo, variis modis Deus seu Iesus nos salvat.
I. Primo, velut Medicus infirmitates et morbos nostros sanans; ita S. August. Glossa, Turrecr. qui vocat fortitudinem salutis, Lombardus, et alii. S. Greg. 14. Mor. 15. alias 19. *Ex pœna culpæ est*, ait, *videre bonum, quod agere debeat, et tamen implere non posse. Et rursum, ex graviori pœna culpa est, quod agere debeat nec videre. Unde et contra hæc utraque Psalmistæ voce dicitur: Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Contra ignorantiæ enim tenebras illuminatio; contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando et ostendit, quid debeat ad agendum appeti: et vires præbet, ut quod ostenderit, possit impleri.*

II. Secundo, Iesus est salus nostra, quia liberat nos ab hoste; ita Euthym. Iansen. et alii. Sic Apocal. 12. proiecto dracone magno, serpente antiquo, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem, dicitur v. 10. *Audivi vocem magnam in cælo* (Angelorum et Sanctorum) *dicentem: Nunc facta est salus*, (redemptio) *et virtus* (Gr. δυναμις, vis et potentia) *et regnum Dei nostri, et potestas Christi eius*, de Antichristo et satellitibus eius ac dæmone obtenta victoria.

III. Tertio, Iesus est salus nostra, quia redimit a pœna, et eius reatu, atque a servitute peccatum consequente. Habac. 3. 13. *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo*, id est, cum Mose extrahens populum a servitute Ægypti; 2. cum Cyro liberans e Babylone. Christus dicitur Cyrus Isa. 45. 1. ita Albertus et Lyr. 3. et verius, cum Christo Iesu, liberans a servitute diaboli. Zach. 9. 11. Christum alloquens ait: *Tu quoque in sanguine testamenti* (id est, quo testamentum et fœdus novum in cruce sancivisti) *emisisti vinctos tuos de lacu*, (id est e limbis. Tropol. ex miseria naturæ humanæ in peccato iacentis, ait S. August. ex idololatria, ut vult Theodor. ex legis veteris iugo, ut Isidor. Clarius) *in quo non est aqua*, id est consolatio, lætitia, suavitas.

IV. Quarto, Iesus salvat nos a culpa præterita; ita Didymus. Hoc docet S. Paulus Ephes. 2. 4. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam* (Græc. δια την πολλην, propter multam, ut legit S. Hieron. et S. Ambr.) *charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis* (id est, per peccata) *convivificavit nos in Christo* (id est cum Christo: vel, instar Christi) *cuius gratia estis salvati.*

V. Quinto, Iesus est *salus* nostra, quia præservat nos a culpa futura in mediis tentationibus; ita Ioan. a Posturs. Nobis timorem iudicii extremi obiicit. Mich. 6. 9. *Vox Domini ad civitatem* (Samariam, ait Remig. 2. Ierusalem, ait S. Hieron.) *clamat*, quid clamet, subdit: *Salus erit timentibus nomen tuum.* Chald. vertit, Doctores timent nomen Domini. Vere enim dicitur Eccli. 1. 20. plenitudo sapientiæ est timere Deum. Isaias cap. 26. 17. *Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua*, (id est a te, 2. a contemplatione tui, ob vultum tuum iratum) *Domine. Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis;* ita habent Septuag.

VI. Sexto, Iesus est *salus* nostra, quia solubriter nos reficit cibo iustitiæ, et est dator et conservator totius perfectionis et gratiæ; ita Dionys. Palanterius, et alii. Eccli. 30. 15. *Salus animæ in sanctitate iustitiæ melior est omni auro et argento.* Græca habent, Sanitas et bona habitudo (Tigurina, incolumitas) præstat omni auro.

VII. Septimo, Iesus *salus* nostra est, in hac vita per spem; ita Beda, et S. Paul. Rom. 8. 24. *Spe salvi facti sumus.* Unde patet, nos non salvari per solam fidem, licet dicat idem Apostolus Ephes. 2. 8. *Gratia* (id est gratis, gratuito) *salvati estis per fidem.* Vel intellige fidem, quæ per charitatem operatur, ut dicitur Gal. 5. 6. Bellarm. in Ps. nostro, ait, quod Dominus *amoris divini unguento* sanat infirmitatem nostram, et sic est salus nostra. Per tres itaque Charites seu gratias; nempe per fidem, spem et charitatem nos salvat Iesus.

VIII. Octavo, Iesus *salus* nostra est, et beatitudo perennis in cælo; ita Ludolphus. Hæc est salus plena, perfecta et consummata. Dicit sapientia increata, vel incarnata, id est Iesus, Prov. 8. 35. *Qui me invenerit, inveniet vitam* (Hebr. vitas, id est vitam naturæ; 2. gratiæ; 3. gloriæ) *et hauriet salutem a Domino*, puteus altus est, infinitus, æternus, et inexhaustus. Omnes ex eo possunt haurire, et semper.

Vers. 1. 3. Pars. Charitatem denique addit Iesus fidei et spei, v. eod. 1. DOMINUS PROTECTOR (Hebr. מָעוֹז maoz, id est fortitudo; ita S. Hieron. Pagnin. Arias; robur, ita Syr. et Vatabl. 2. adiutor; ita Arab. ὑπερασπιστὴς id est, tegens velut clipeo; ita Septuag. qui modum auxilii et curam amoremque declarant) VITÆ MEÆ (Hebr. vitarum mearum, ut etiam Caiet. et Arias vertunt: id est vitæ vegetativæ, sensitivæ et rationalis. Vel, naturalis et supernaturalis) A QUO TREPIDABO? Non solum, ut ait Hugo, Deus dat vitam, sed et datam protegit et custodit. S. Gregor. Cito bonum perditur, quod a largiente non custoditur. Est porro Dominus illuminatio per fidem. 1. Thessal. 5. 5. *Omnes vos filii lucis estis.* Glossa, fides est lux animæ, quæ facit diem, et habitum virtutum. Secundo, Deus solus est per spem. Psal. 26. 1. *Et in Domino sperans non infirmabor.* Tertio, Deus est protector per charitatem. Charitas enim protegit et impugnat. Unde in se virtutem, et officium armorum omnium habet charitas. Omnia enim arma sunt, aut ad muniendum, aut ad impetendum vel impugnandum, et charitas munit per patientiam, impugnat per benignitatem et mansuetudinem. 2. Corinth. 13. 4. *Charitas patiens est, benigna est.* Patientia item munit, quod homo patiens vinci non potest. Unde Proverb. 16. 32. *Melior est patiens viro forti.* Isto clypeo muniti martyres vicerunt regna et Reges: sicut coactus est Dacianus propter patientiam beati Vincentii clamare, Vincimur. Benignitas autem ita fortiter impetit, et impugnat, quod inimicos homines convertit ad amorem, et diabolum vulnerat. De primo, Prov. 25. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius.* Prov. 15. 1. *Responsio mollis frangit iram.* Eccli. 6. 5. *Dulce verbum multiplicat amicos, et mitigat inimicos.* De secundo scilicet, quod vulnerat diabolum, dicit S. Gregor. toties contra diabolum iacula mittimus, quoties provocati per iniurias humiliter respondemus. Et sic patet, quod Dominus illuminat per fidem, salvat sive sanat per spem, protegit per charitatem. De quibus tribus Prov. 2. 7. *Dominus dat sapientiam, et ex ore eius prudentia et scientia, custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter.* Dat sapientiam, etc. ibi notatur illuminatio per fidem. Custodiet rectorum salutem, ibi notatur salvatio per spem. Illi enim recti dicuntur, qui ad cælum eriguntur per spem. Proteget gradientes simpliciter per charitatem. Ille simpliciter graditur, qui nec interius amittit benignitatem, nec exterius impatientiam ostendit. Item, Dominus est illuminatio vis rationalis; salus, concupiscibilis; protector, irascibilis. Eccli. 34. 20. *Illuminans oculos, dans sanitatem et vitam.* Ecce illa tria, scilicet illuminatio, salus, protector vitæ meæ. Ita Hugo.

Deus est illuminatio per fidem: salus per spem: protector per charitatem

15. Vers. 1. 4. Pars. Effectus illuminationis, salutis, et protectionis divinæ est iustorum securitas, vers. eod. 1. A QUO TREPIDABO? q. d. a nullo; id est, ut ait Ioannes Baptista Folengius. Quem timebo? quem expavescam? quas acies? quos gladios? quæ vulnera aut cruciatus verebor? cum Dominus sit mihi in *nocte lumen*, in *periculis salus*, in morte *vita*? Quando enim recordor, quantum mihi iam roboris attulit, sperare rursus audeo fore, quod etiam post hac idem mihi erit: lux scilicet, salus ac vita.

Timoris et trepidationis differentia. Nota, timor est in animo, trepidatio in corpore. Neutrum in se futurum dicit David, 1. a se prius excluserat dicens, *quem timebo?* 2. vero nunc, addens, *a quo trepidabo?*

16. Deus non amat timidos. Moraliter nota, Deus timidos non amat, eosque a suo exercitu reiicit. Iussit enim ut Hebræi duces ante prælium proclamari per totum exercitum iuberent: *Quis est homo formidolosus, et corde pavido? vadat, et revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Hinc Gedeon pugnaturus contra numerosissimum Madianitarum exercitum, hoc inclamari iussit, statimque ob eo recesserunt viginti duo millia remanserunt, ex quibus trecentos tantum secum retinuit, qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas, cum illis autem trecentis superavit, fugavit, et concidit centum et triginta quinque millia hostium, et reges eorum Oreb, Zeb, Zebee et Salmana: evertit Socoth et Phanuel, atque in iis locis positos debellavit et occidit. Plus enim pauci fortes et generosi milites possunt, quam multi ignavi et timidi. Cum a Scipione Africano quidam peteret, qua re confisus exercitum e Sicilia in Africam contra Carthaginenses transportaret, trecentos ei viros ostendit, dixitque: *Nullus horum est, qui non sit me iubente, conscenso hac turri, præcipitem se in mare deiecturus,* ut refert Plutarch. in Apophtegm. Rom.

17. Timidos oderunt omnes nationes. Hoc odium in timidos Deus omnibus orbis nationibus communicavit. Nam ut ait Cassiod. in Ps. 13. Sicut cautela est opportune timere, ita ignavia est inepte *trepidare.* Seneca Epist. 61. ait esse, *imbecillæ mentis.* Virgil. 4. Æn. *degeneres animos, timor arguit.* Ingeniose Euripides ait: Timidi homines non faciunt in pugna numerum, ἀλλ'ἄπεισι, καν παρῶσι, sed absunt, licet præsentes sint. Demetrius inducit timiditatem loquentem: Scutum ægre fero, abiicio: molestus mihi thorax, resolve: Hinc quanta sequantur mala nemo non videt. Eam ob rem ad coercendos timidos, varia supplicia adhibuerunt variæ nationes.

Pœnas in timidos statuunt. I. Germani. Primo, in Germania præ trepidatione scutum reliquisse præcipuum flagitium: nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas. Ignavos et imbecilles cœno ac palude, iniecta insuper crate, mergebant. Ita Tacitus lib. de morib. Germanor.

II. Thurii. Secundo, in Italia, Thurii a Charonda legislatore id acceperunt, ut ordinum signorumque in bellis desertores, aut arma pro patriæ tutela detrectantes, muliebri vestitu amicti triduum in foro desiderent, ut ait Diodor. lib. 12. quam ignominiam iure censent morte esse graviorem, Reipub. tamen utilem: cum illi patriæ servarentur, virtute labem detersuri.

III. Romani. Tertio, in eadem Italia, Romæ timidi fugacesque capitali supplicio afficiebantur, totæque nonnunquam legiones decimabantur, ut tradit Dionys. Halicarn. lib. 9. de Appio Claudio. Multis desertoribus Avidius Cassius manus amputavit, aliis crura incidit ac poplites, cum diceret: *Maius exemplum viventis miserabiliter criminosi, quam occisi semel*, ut ait Vulcatius in eius vita. Qui fœde signa amisissent, aut ea reliquissent indemnatos et indicta causa occidendi potestatem lex dabat, ut monet Dionys. Halicarn. lib. 11. Augustus cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit, ut ait Sueton. in Augusto. Segnes quosdam milites et pavoris fugæque insimulatos T. Sempronius Gracchus coegit, non aliter quam stantes, quoad stipendia facerent, cibum potumque capere, ut auctor est Livius lib. 3. Decad. 3. Paulus Æmilius eos, qui turpiter fugissent, elephantis laniandos obiecit, ut

habes apud Valerium Maximum lib. 2. cap. 2. Miror certe, quod ibi refert, Senatum Romanum tanta mentis excelsitate fuisse; ut, cum ab Hannibale potestas fieret sex iuvenum Romanorum millia redimendi, id noluerit: sciens tantam armatorum multitudinem, *si honeste mori voluissent*, turpiter capi non potuisse.

IV. Athenienses. Quarta, in Græcia, Athenienses statuerunt, ut desertoribus partim dexteræ pollex resciuderetur, ne hastæ ferendæ sed remorum agitandorum capaces essent: partim facies punctis notaretur, quæ referrent noctuam, quæ erat sacra Minervæ Athenarum præsidi, ut ignominia extaret, teste Ælian. lib. 2. variæ historiæ.

V. Lacedæmonii. Quinto, in eadem Græcia, Lacedæmonii Archilochum Poetam ex urbe eiecerunt, quod ausus esset scribere: satius esse clypeum abiicere, quam in acie interire, ut tradit Plutarchus in Apophtegm. Laconicis.

VI. Græci omnes. Sexto, in tota denique Græcia notabantur gravi mulcta, qui scutum abiecissent, ut patet ex Pelopidæ ducis Thebani vita. Fuisse illos infamia notatos ait Isocrates in oratione de pace.

VII. Ægyptii. Septimo, in Ægypto, illis, qui ordine præ pavore relinquebant, lex, *ου θανατον, αλλα την εσχατην ατιμιαν εταττε*, *non mortis, sed extremæ infamiæ pœnam decernit*, ut ait Diodor. lib. 1.

VIII. Numidæ. Octavo, in Numidia, Iuba rex desertores, qui loco amisso sese in castra receperant, cruci suffigi iussit, ut docet Hirtius in bello Africano.

IX. Carthaginenses. Nono, in Carthaginensium Republica, Mago dux Timoleontis Corinthii victoriis territus ex Sicilia in Africam cum classe fugiens ad crucem damnatus est etiam mortuus: manus enim sibi intulerat, iram civium veritus, ut tradit Plutarchus in Timoleonte.

X. Hispani. Decimo, in Hispania, Consalvus dux milites, qui in regno Neapolitano metu consternati urbem Gallis dediderant, ab exercitu trucidari præcepit, ut recitat Iovius in Consalvo.

XI. Galli. Undecimo denique, in Gallia, tantum semper et audaciæ fuit ac vigoris, ut id unum se veteres Galli formidare dicerent, ne cælum rueret, teste Curtio. Si quando tamen essent, qui præ timiditate fugerent, aut ignavum quid facerent, capitis supplicio luebant: mitior fuit rex Ludovicus XIII. cognomento iustus: cum enim in Germaniam exercitum moveret, iussit fugacibus literam L. imprimi, ut dignoscerentur, sicque iterum fugientes suspenderentur.

Xaverii pectus generosum. Timor est timendus. Itaque id unum cum S. Xaverio Indiæ Apostolo timendum est, ne timeamus. Hoc etiam docet Arrianus Philosophus lib. 2. Enchiridii cap. 1. *Ο θανατος*, inquit, *η πονος φοβερον, αλλα το φοβεισθαι πονον, η θανατον*; *mors et afflictio timenda non sunt, sed timere mortem et ærumnam est pertimescendum*. Et postea. Nullus aut timidus, aut mœrore affectus, aut alio perturbatus modo pro libero est habendus. Qui ergo liberatus est mœstitia, metu, perturbatione, *ητος τη αυτη οδω και τη δουλειας απαλλακται*, is eadem via ex servitute in libertatem vindicatus est. Ita Arrianus.

Servile est timere. S. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 4. ait: *Nihil tam speciale servitutis, quam semper timere.* Hinc Chrysost. Christianum ad fugam timoris hortatur homil. 5. ad pop. Ant. *Στρατιωτης ει*, *miles es*, inquit, *et semper in castris existis: miles vero mortem timens*, *ουδεν ουδεποτε εργασεται γενναιον*, *miles vero mortem timens, nihil unquam generosi præstabit*. Philemon dicebat, *miles est victima, ut cum tempus fuerit, pro patria immoletur*. Matres Lacedæmoniarum

Lacedæmoniarum fortitudo. solebant iis dicere ad bellum euntibus, ut, aut victores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur, ut tradit Valer. Max. lib. 2. cap. 8. matres Martyrum hoc generosius præstiterunt: inter cæteras mater Machabæorum, S. Felicitas, S. Symphorosa, et similes, ut alias ostendi. Demetrius fingit pugnanti militi hinc fortitudinem, inde timiditatem adstare: et hanc ad fugam, illam ad fortiter dimicandum etiam cum vitæ periculo exhortari. *Nunc, ait, fortitudo permanere iubebit, et ordinem suum servare? Sed ingruunt tela; sustinendum est. At vulnerabor; tolerabo. Sed moriar; morere potius, quam relinquas*

aciem. Considera tu Davidem nostrum cum timore, velut horrifica larva et monstra, luctantem in hoc psalmo. Dicebat primo timor. Vides auratis in armis fulgurantem Saulem Regem, et iam iam fulmen in vile desertumque caput tuum, excussurum? Respondebat David: *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* Secundo, dicebat timor, iam strident tela, et aerem sua multitudine obumbrant, evadere non potes, quin configaris. Respondebat David: *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Tertio, subiiciebat larva terrifica, iam stricto mucrone hostes invalant et iugulum petunt: Respondebat generosus pugil: *ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Quarto, dicebat timor, nova agmina et efferata te ex omni parte cingunt, et instar feræ mox captura sunt: respondebat David: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Quinto denique, instabat timor, continua insultu nullam quietem noctu diuque concedent tibi hostes: respondebat vir Deo plenus: *Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* 19. David cum timore luctatur.

Nota secundo, Dei solius est animum contra timores firmare: unde David dicit, *Dominus illuminatio mea, etc.* et inde concludit, *quem timebo?* et postea, *Dominus protector vitæ meæ*, et postea addit, *a quo trepidabo?* Vere S. Gregorius Nyssenus orat. 1. ait: *Θαρσος εμποιειν δειλαινομενοις Θεου μονου*, *fiduciam dare timidis, Dei solius est*. Tigranes Cyro dicebat apud Xenophontem lib. 3. Cirop. *παντων δεινων ο φοβος μαλιστα καταπληττει ψυχας*; *metus inter res omnes terribiles maximo impetu animos percellit*. In bella præsertim terror strages ingentes efficit, totosque sæpe videas exercitus a perdicibus, a leporibus, ab arundinibus, aliisque rebus exterritos. Ut enim ait Aristoteles lib. 3. ethicor. c. 11. *πολλα κενα του πολεμου*, *belli terrores multi inanes*. Tullius in oratione pro Cælio tradit, exercitus maximos sæpe fusos fugatosque esse terrore ipso, sine cuiusquam non modo morte, sed etiam vulnere. Hinc fortasse Scipio Africanus ante bellum audaciæ et pavori sacra faciebat, ut ait Appianus de bello Punico. Adde, quod sæpe timor punitio est Dei: impios enim Deus punit terrore, ut habes Exodi 23. 27. Deuter. 2. 24. Iudic. 4. 5. Ps. 9. 20. Ierem. 49. 37. et alia. Quæ punitio gravissima est. Nam, ut loquitur S. Augustinus in Ps. 48. *Timor, animæ tortor est*; et S. Gregor. Naz. orat. 2. in Iulianum: *Quod, ait, quisque pati extimescit, iam passus est, etiamsi non patiatur: graviusque a se fortasse, quam ab iis qui supplicium inferunt, torquetur*; at Seneca epist. 98. *Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miserias miser.* Cum Deus timorem immittit, nihil restat vigoris, ut accidit Chananæis audito transitu maris rubri explicati in gratiam Iudæorum, strage Sehon et Og Regum Amorrhæorum, ut Rahab dicit exploratoribus in urbe Iericho. Iudic. 2. v. 11. *Hæc audientes pertimuimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum. Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, et in terra deorsum.* A Deo petendum est, ut hos timores tollat, sive ab ipsa indole meticulosa oriantur, sive a scelerata conscientia, sive a multitudine et crudelitate hostium, sive a Deo ipso. 20. Dei solius est contra timorem armare.

Nota tertio, Deo nixi nihil timere debemus. Ruffinus in Ps. nostrum: *Tria sunt, quæ dicit: illuminatio, salus, protectio. Ista tria reddunt intrepidum hominem contra adversa omnia. Si enim eum illuminat Deus, ut recta videat: si sanat, ut recta quæ viderit, opere compleat. Deinde si protegat, ne tentatus cadat: quid restat, quod formidare debeat? Venit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Redemit animam meam, illuminavit, protegit, ne amittat, a quo trepidabo? Video hostes, video tyrannos incurrentes: sed neminem timeo dominica fretus admonitione, qua dicitur, Matth. 10. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Hic animus apparuit in priscis illis heroibus, et fidei propugnatoribus. Lucifer Calaritanus Episc. in libro, quod moriendum est pro Dei filio: *Securi, ait, ad æternam nos perfruendam vitam percenturos scientes, omnia gratantes perpetimur.* Et aliquibus interiectis subdit: Dilacerari 21. Deo freti nihil debemus timere.

toto corpore, utiqua nos patimur probautes nihil magis congruere sapientium gravitati atqua constantiæ, quam nullis terroribus de sententia at proposito depelli: sed esse utilissimum pro Deo cruciari: et emori non posse Deo mancipatos: perpetua vinci tormenta, sed te magis prosterni atqua deduci ad nihilum. Accipe in Ps. 26. positum. *Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo?* etc. Hæc aliaque plurima Lucifer ait Constantio. Lege etiam S. Ilarii librum eidem Constantio scriptum, et intrepidum Christi athletam cernes.

22. Intrepidum reddunt virtutes. Nota quarto, tres virtutes in psalmo nostro indicatæ: nempe fides, spes, et charitas, hominem intrepidum reddunt.

I. Fides ob tres rationes. 1. Primo quidem, fides suo lumine Deum nobis præsentem et præmia æterna ostendit ac proponit, propter quæ omnia temporanea pro nihilo censenda sint. Seneca epistola 102. *Quid*, ait, *tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. Deos omnium rerum esse testes ait. Illis nos approbari, illis in futurum parari iubet, et æternitatem proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quidni non timeat, qui mori sperat?* Atque epist. 13. Plura sunt, ait, quæ nos terrent, quam quæ premunt, et sæpius opinione, quam re laboramus. Et Epictetus cap. 10. Enchiridii: *Homines*, ait, *perturbantur, non rebus, sed iis, quas de rebus habent opinionibus.* Visus non satis perspicax, aut in luce maligna sylvas et palustria loca decurrens, volitantes huc illinc larvas sibi efformat, quas obortus Sol aut clarior visio dissipat. In aquis videtur baculus fractus, qui est integer: obliquus, qui rectus: idem accidit in rebus his fluxis et caducis, quæ contra æstimantur stabiles, cum fluant; continuæ et constantes, cum fragiles sint et semper frangantur: rectæ, cum sint incurvæ. Sed Dei lux oculos aperit ac veritatem ostendit.

II. Secundo itaque fidei lux iuvat ad timores pellendos, quia terrena qualia sint, aperit et contemnenda docet: nec timendum, ne aut absentia non acquiramus, aut obtenta amittamus. S. Isaacius monachus ait, eum qui inanium terriculamentorum fluctuatione agi se patiatur, duobus morbis laborare, ολιγοπιστια και φιλοσωματια, *modica fide et corporis sui amore.* S. Basil. Seleuciæ oration. 22. dicit, timorem ob terrena esse infidelitatis argumentum. S. Ioann. Climac. gradu 21. esse, εκτροπην πιστεως, defectum fidei.

III. Tertio denique, fidei lux ostendit ea, quæ videntur maxime terrifica, facile superari posse. Mortem appellavit Philosophus, terribilium omnium terribilissimum. Et vero statim capilli subriguntur, cor palpitat, tremunt genua, manus labuntur, vires et verba deficiunt, cum oculis apparet monstrum illud effossis oculis, truncato naso, dentibus prominentibus, arefactis genis, per totum corpus expers carnis, nervorum, venarum, arteriarum, tendinum, sine corde, pulmone, iecore, nulli parcens, et falce inevitabili obvios quosque reges, principes, divites, pauperes, viros, fœminas, pueros, senes, urbanos, rusticos demetens, et immiti pede proterens. Sed si ad naturæ lumen fides accesserit, tunc mors censetur esse larva deridenda. S. Chrysost. hom. 5. ad pop. eam vocat, ευκαταφρονητον προσωπειον, larvam contemptu dignam. Socrates mortem, ærumnas, et cætera quæ videntur horrenda, nuncupare solitus erat προσωπεια, id est, larvas. Nam, ut ait Arrian. lib. 2. cap. 1. Quemadmodum larvæ terrent pueros, ita mors homines. *Quid est puer? ignorantia. Quid puer? inscitia;* θανατος τι εστι, μορμολυκειον; *Quid est mors? larva.* Larvam detrahe horribilem, fides te docet mortem esse transitum ad æternitatem.

23. II. Spes. Secundo, spes salutis per Dei auxilium obtinendæ tollit inanes metus. Hinc David addit: *Et salus mea* (supple est) *quem timebo?* q. d. nullum. Aristot. lib. 2. Rethor. ait illos bene sperare, qui deos secum esse, et partes suas adiuvare credunt. Hoc apud Homerum apparet, ubi dii pugnantes inducuntur, et præsentia sua aspectuque et armis cadentem aciem restaurant, victisque coronas iam e manibus evulsas restituunt. Plato in Thæteto asserit, homines in mediis belli periculis deos habere αρχοντας και σωτηρας, præsides et servatores. Sumpserat id e Scripturis, in quibus Angeli pro populo Dei ac prophetis pugnantes et agentes inducuntur, quod etiam in Christianis agminibus sæpe contigit, ut alias ostendi Psal. 33. 8. et 90. 11.

Timor inanis fumo similis est, ut ait S. Greg. ep. 36. qui tenebras et noctem menti inferat: quique, ut loquitur Cassiodor. in Ps. 14. diffidentiam tribuat. Dicit timor animæ Ps. 10. 1. *Transmigra in montem sicut passer:* sed spes in Deum dat stabilitatem. Vide ibi dicta et Ps. 124. 1. *Qui confidunt in Domino* (sunt) *sicut mons Sion: non commovebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.* S. Hieron. aliter distinguens vertit: Qui confidunt in Domino quasi mons Sion immobilis, in æternum habitabilis. S. Chrysost. ait ibi, Sione monte figurari spem in Deum immutabilem, firmam et constantem. In montibus sæpe salvatus est David ab insidiis et militibus Saulis. Spes in Deum est mons, 1. altus; 2. firmus; 3. ferax vitium, id est, lætitiæ; olearum, id est, misericordiæ divinæ et gratiæ; 4. intus habens aurum charitatis, et argentum fidei; 5. securus. S. Chrysostomus securitatem et munitionem spei explicat in Ps. 10. *Magnæ, ait, sunt vires spei in Dominum*, φρουριον αχειρωτον, τειχος αμαχον, συμμαχια ακαταγωνιστος, *præsidium quod non potest superari, mœnia insuperabilia, auxilium in bello invictum, portus iucundissimus,* πυργος ακαταμαχος, *turris invincibilis, arma, quæ domari non possunt, vires invictæ, etc.* Quis in his omnibus erit timori locus?

Tertio, charitas foras mittit timorem, 1. Ioann. 4. 18. 24. III. Charitas.
Hinc David addit, *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Deus protegit eos, quos amat. Vide dicta Ps. 90. v. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius.* S. Hieron. vertit, *Scutum et protectio veritas eius.* Et Ps. 5. 13. *Scuto bonæ voluntatis* (S. Hieron. placabilitatis) *tuæ coronasti eum.* Bonum et latum scutum est charitas. Prov. 10. 12. ait Salomon: *Universa delicta operit charitas;* Syrus, amicitia. S. Petrus in Epist. 1. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, multitudinem, id est, universitatem, q. d. operit omnia peccata, licet sint multa: sive illa sint propria, quia illa abolet: sive aliena, quia illa excusat, sanat, et si potest, penitus tollit. S. Bern. serm. 23. in Cant. id explicat de charitate Dei, quæ prædestinatorum suorum ante mortem peccata operit, hoc est, tollit. Dic illi cum Davide Psal. 36. *Quoniam Dominus suscepit me,* (ut pater filium, ut sponsus sponsam) *non timebo millia* (μυριαδας, myriades, id est, pluries decem millia) *populi circumdantis me.* Hebr. qui posuerunt in circuitu super me. Et Psal. 117. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Hebr. אדם *adam*, id est terrenus, ex luto factus. Ps. 55. 5. *In Deo* (Cassiod. in Domino) *speravi: non timebo quid faciat mihi caro*, Psalt. Roman. at Cassiod. homo, q. d. homo habet brachium carneum et fragilem, non est timendus, si adsit Deus. S. Chrysost. homil. 33. in Epist. ad Hebr. *Derideat,* inquit, *humana, dummodo habeat adiutorem Deum;* et S. Cyprian. *Quis ei de sæculo metus est, cui in sæculo Deus tutor est?* Non est enim par ratio, ut civis vivat quietus ob lateritii muri ambitum: miles hostem rideat, cum in arce munita est: rex agmina obiecta non timeat, cum in medio exercitu est: nobis autem Deo circumdatis et munitis animus concidat, et cor contrahatur, cum paulo asperior flatus folia concusserit. Hoc deplorat S. August. in Ps. nostr. *Protegitur,* ait, *Imperator scutatis, et non timet: protegitur a mortalibus mortalis, et securus est. Protegitur mortalis ab immortali, et timebit, et trepidabit?* S. Chrysost. idipsum fusius amplificat, in illud Psal. 10. 1. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?* Sic autem loquitur. Eum, qui habet exercitum, murisque et armis munitus est, non iubes fugere in desertum: eum vero, qui habet secum, οικουμενης δεσποτην, *orbis terræ Dominum* exterminas, et mittis in exilium, et

iubes transmigrare propter bellum, quod peccatores inferunt. Ita ille.

25. IV. Virtus omnis. Quare securitatem illam eb omni metu solet Deus adiungere virtuti, velut sacræ et tutissimæ anchoræ. S. Ioan. Climecus grad. 24. *Verus*, inquit, *Dei famulus solum et unicum suum Dominum formidabit: hanc, qui nondam metuit*, την εαυτȣ σκιαν πολλακις πεφοβηται, *umbram suam territus sæpe refugit*; sive, ut ipse Ariatot. loquitur lib. 7. politic. cap. 1. metuet, παραπετομενας μυιας, circumvolitantes muscas. Ptolemæo Philadelpho regi Ægypti interroganti, quomodo possemus nos ab omni metu immunes servare, respondit unus e Septuaginta interpretibus: Cum immunes nos ab omni peccato esse conscientia testatur, Deusque ad virtutem omnia nostra consilie dirigit. S. Chrysost. aureis gemmeisque verbis rem hauc illumiuat homil. 5. ad popul. Εν αρετῃ ζωντα ȣδεν περιβλεψαι δυνησεται, *in virtute viventem nihil lædere poterit, aut interna privare voluptate*; χρηςαις συντεθραμμενον ελπισιν ȣδεν εις αθυμιαν εμβαλειν δυνησεται, *bonæ connutritum spei nihil in tristitiam deiicere poterit*. Subdit deinde veris, quibus oppugnari possit iusti constantia, eaque omnia pro telis fœneis aut stuppeis computat. *Auferet pecunias?* αλλ' εχει πλȣτον εν τοις ȣρανοις, *sed habet in cælo divitias. Patriæ eiiciet?* αλλ' εις την ανω πολιν πεμψει, *sed inter cælestis civitatis cives censebitur. Vincula iniiciet? sed habet conscientiam solutam, et exteriorem non sentit catenam. At interficiet corpus? sed iterum resurget: et sicut cum umbra pugnans et aerem verberans percutere poterit neminem: ita cum iusto pugnans cum umbra tantum pugnat, et vires suas dissolvit, nullam illi plagam valens infligere*. De charitate expressius loquitur Paulus Rom. 8. 38. Vide dicta Ps. 47. 1. *Diligam te Domine fortitudo mea*, etc. et Psal. 43. ubi de martyrum charitate et invicto robore. Unum addo, de quo sic ait Spondan. in Annal. Eccles. tom. 3. ann. 1580. num. 15. In Africa Petrus quidam Eleius Matriti in Hispania natus, cum Meroci Mahometanus apparens aliquamdiu vixisset, Hametes ab incolis dictus: vitam illam pertæsus, clam fugiens, sed a fuga retractus, et ad regem ductus, atque de Apostasia ab ipsorum religione accusatus: cum ille nunquam se eam amplexum fuisse, nec circumcisum contestaretur, sed semper Christianum permansisse: nihilominus ad supplicium damnatus, et quod Christianos fidei desertores ad pœnitentiam, Mahometanos ad conversionem ardentissime hortaretur, lingua radicitus præcisa ne amplius loqui posset, portæ urbis clavis affixus est vivens, quando sic elevatus et confixus, grandi miraculo tam expedite loqui cœpit, in laudes Dei et adstantium exhortationem intensissimus, ac si linguam haberet: asserens, se tormentis crudelissimis, quibus afficiebatur, nullum doloris sensum percipere, quin potius ingentem voluptatem et consolationem, sicque demum animam Deo reddidit: cuius corpus Christiani clam subduxerunt, et venerationi, uti insignis Christi martyris, deinceps habuerunt.

ARTICULUS II.

Quæ causæ timoris in huius vitæ militia.

26. Tria nos hic terrent. Vers. 2. TRIA præsertim in hostibus suis David proponit, 1. crudelitatem; 2. multitudinem; 3. importunitatem, seu continuum insultum. Quæ hostibus etiam nostris adaptabimus.

1. Crudelitas hostium. Primo, crudelitatem hostium suorum sic David proponit, v. 2. DUM APPROPIANT (S. Hieron. dum appropinquerent. Vatab. dum aciem instruerent. Felix, dum præliabuntur. Hebr. enim קרב *karab*, cum præpositione על *al*, est, verbum castrense, ut ait Mercerus, et significat, pugnare, manus conserere) SUPER ME (S. Hieron. mihi, Psal. Ambr. ad me. Vatabl. Felix, et Pagnin. adversum me. To carnes tribus modis exponitur. Τὸ *super* denotat, 1. Saulis dignitatem; 2. potestatem; 3. impetum; 4. difficultatem resistendi: ita etiam vertunt Caietan. et Arias.) NOCENTES, (id est, nocere cupientes, ait Ugo; 2. qui nocuerunt bonis meis et parentum atque amicorum occupatis, Michol uxore data alteri; 3. qui iam nocent dicteriis et conviciis et cogunt in fame, timore, fatigatione, periculo huc illuc vagantem discurrere) UT EDANT CARNES MEAS. QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI, IPSI INFIRMATI SUNT ET CECIDERUNT. Sive fraude agerent, sive violentia. Pro *nocentes* S. Hier. vertit maligni. Caiet. et Felix, malignantes. Pro *qui tribulant me*, S. Hieron. habet, hostes mei. Caiet. angustiatores mei. De Iboseth id intelligit Caietan. melius alii de Saule, Doeg, et aliis eius aulicis et assecLis.

Quæres quid per *carnes* intelligatur cum dicitur, *ut edant carnes meas*. Respond. primo S. August. *Quæ sunt carnes meæ. Carnales affectus mei, Sæviant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid quo persecutor pervenire non possit, ubi habitat Deus meus: finitis carnibus spiritus ero, et spiritalis*. Hæc pia, et ingeniosa, sed mystica et symbolica explicatio est, quam etiam dant S. Thom. Bede, Thom. Anglicus, Lombard. Remigius.

II. Secundo, *ut edant carnes meas*, id est bona mea temporalia. Ita Ludolphus, et Thom. Anglic. Sic Eccl. 4. 5. dicitur, *Stultus complicat manus suas, et comedit carnes suas*, id de avaro explicat Hugo a S. Victore; 2. de ambitioso, Lyr. 3. de guloso, alii; 4. de invido, S. Greg. Neocæsar. 5. melius de pigro, S. Hieron. et Campens. qui vertit: Stulti iunctis manibus desident otiosi, et quidquid habent, consumunt. Chald. etiam reddit, Stultus vadit et complicat manus suas in æstate, et non vult laborare, et in hyeme comedet quicquid est ipsi, et ipsum operimentum, quod est super pellem carnis suæ. Hugo a S. Victor. complicat, inquit, manus suas quasi pactum faciens cum otiositate. Mich. 3. v. 3. caro, pellis, et ossa sumuntur pro substantia et facultatibus. *Principes Iacob, et Duces domus Israel comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt: et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollæ*. id est in medio Ierosolymæ, in qua pauperes velut in olla et lebete a potentioribus concidebantur et coquebantur. Ita S. Hieron. Haimo et Remig. Divites timeant, et eorum punitiones ibi positas horreant. Græci βιον, tam vitam, quam victum dicunt. Eccl. 34. 25. *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est*. Id est maxime sanguinarius, q. d. totus ex sanguine compositus. De sanguine fluente ex pecunia Regis Neapolitani, ab eo iniuste extorta, dixi alias. Vide Ps. 13. 4.

Tertio, ut edant carnes meas, id est, corpus meum, ac membra mea. Ita Agell. Iansen. Dion. Turrecr. Euthym. Cassiodorus, et alii. III.

Quæres secundo, Quomodo carnes Davidis edere cupiebant, qui ipsum tribulabant? Nota tribulatores illi sumi possunt, 1. adulatores; 2. amici carnales; 3. detractores; 4. hostes aperti. 27. Tribulatores Davidis erant quatuor, qui eius carnes edebant.

Primo itaque, adulatores comedunt carnes, id est sibi incorporant peccata eorum, quibus adulantur. Oseæ 4. 8. *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem sublevabunt animas eorum*. Ps. 9. 24. *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ*. Ita Ugo. Vel potius, adulator devorat carnes, id est, exugit substantiam eorum, quibus blanditur. I. Adulatores

Secundo, detractores edunt carnes, id est famam proximi, quæ vita ipsa est charior. Ita S. Hier. ut, inquit, rabido dente dilacerent: et S. Aug. maledico, ait, dente non me consumant. Etiam calumnia detrahentium conturbat sapientem. Iob de ipso conqueritur c. 19. 22. *Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?* Nicetas id de detractione exponit: Probrosi, ait, sermones ad depascendos artus satis per seipsi valent; et S. Greg. lib. 14. Mor. 14. Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur. Ita Greg. Adeo malignum est id hominum genus, ut neque civibus, vicinis, sociis: amicis parcat, neque ipsis parentibus, et affinibus. Similes sunt priscis illis Hiberniæ populis, qui Strabone teste lib. 1. τȣς πατερας τελευτησαντας κατεσθιειν II. Detractores.

εν καλω ετιθεντο, parentes defunctos esitare pro honesto ducebant. Tetrior est detractor, quia devorat adhuc viventes. Psal. 51. 4. in Doegum Idumæum invehitur David, quod apud Saulem socerum suum ipse servus maligne detraxerit. *Dilexisti omnia verba præcipitationis* (Hebr. בלע *bala*, id est devorationis. Chald. voracitatis. Sept. καταποντισμῶ, demersionis. S. Aug. subversionis. S. Hier. ad devorandum) *lingua dolosa*. In ipsis conviviis fama proximi, velut esca suavissima, disciditur et devoratur, ut postea in sterquilinium eliciatur et fœteat. Hæc convivia esse vitanda monet Salomon. Proverb. 23. 20. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus* (id est conviviis nocturnis post cœnam) *eorum, qui carnes ad vescendum conferunt*. Aquila, Theodotio et Symm. vertunt: Ne sis cum bis, qui carnes edunt inter se. S. Gregor. 4. Mor. 2. id detractoribus sic applicat: *Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim proximorum vitia dicere. De quorum illic pœna mox subditur, quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, et vestietur pannis dormitatio. Potibus enim vacant, qui de opprobrio vitæ alienæ sese inebriant; Symbolum vero dare est, sicut unusquisque solet, pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Sed tamen vacantes potibus, et dantes symbola consumentur, quia scriptum est, omnis detractor eradicabitur. Vestietur pannis dormitatio: quia despectum et inopem ab omnibus bonis operibus mors sua inveniet, quem hic ad alienæ vitæ exquirendo crimina detractionis suæ languor occupavit.*

III. Amici carnales. Tertio, amici carnales, et socii mensæ comedunt carnes, id est, devorant substantiam hominis. Et propter hoc sequuntur hominem, sicut illi, quibus dicit Dominus Ioan. 6. 26. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus*. Senec. Mel muscæ sequuntur, cadavera lupi, prædam sequitur turba ista non hominem. Iob. 30. 17. *Qui me comedunt, non dormiunt*. Ita Ugo.

IV. Hostes aperti. Quarto denique, et melius, *ut edant carnes meas*, q. d. tam invidiose et valide me invadentes, ac si carnem meam devorare deberent; ita Dionys. quasi devorare cupientes; ita Agell. ut ardenter et ferociter conficiant et consumant; ita Geneb. aviditate furoris, ipsas quoque humanas carnes cupiunt crudeliter devorare; ita Cassiodor.

28. Edere carnes alicuius est proverbialis locutio a tribus petita. Nota, *ut edant carnes meas*, est parœmialis formula, quæ primo deduci potest a gladio, qui os habere dicitur et devorare, q. d. ut me crudeliter occidant. Hunc sensum indicat Origenes. Deus dicit Iudæis, et Ierosolymitis ipsis, Isaiæ 1. 20. *Si me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos*. Et toties dicitur populos percutere et percuti in ore, id est ore gladii. Hebræi vocant bellum et prælium מלחמה *milchamo*, q. d. devorationem, a *lechem*, id est cibus, esca, panis: quia omnia consumit et incidit.

I. A gladio.

II. A feris. Secundo, et commodius, modus ille loquendi desumitur a feris, quæ occidunt, ut devorent. *Ut edant carnes meas*, q. d. ferarum more persequebantur et devorare conabantur; ita Theodor. ut tanquam *rabidi canes* me devorarent ac perderent, ait Ians. ut corpus meum rabido dente lacerent, ait Turrecr. quasi *canes aut leones famelici* carnibus meis saturari desiderant; ita Bellarm.

III. Ab anthropophagis. Tertio, allusum etiam arbitror ad Anthropophagos, id est homines, qui humanis carnibus vescuntur, quod enim in illis barbaries, feritas et consuetudo facit, id nonnunquam furor, odium et rabies efficiunt in populis excultissimis. Exempla utrumque probant.

Ægyptiorum barbaries. In Ægypto ante prælium contra Cambysem, Ægyptii filios Phanis, qui externum exercitum adduxerat, in castra perduxerunt, et in conspectu patris atque medio duorum exercituum positos occiderunt, επιοντες τῳ αιματος, *sanguine epoto*: sed ob tantam crudelitatem victi sunt, ut narrat Herodotus in Thalia.

In ipsa Iudæa specimen aliquod non disparis crudelitatis dederunt Ægyptii. Nam postquam Ptolemæus Lathurus triginta Iudæorum millia: aut, ut vult Timagenes, quinquaginta millia occidisset, in vicos se recepit refertos pueris et mulieribus, mandavitque militi, ut promiscue iugulatos et in frusta concisos, in lebetes ferventes conicerent, ut qui effugerant e prælio, hostem crederent σαρκοφαγεις ειναι της πολεμιας, humanis vesci carnibus, et eo maior terror incuteretur reliquis, ut refert Iosephus lib. 13. Antiq. Iud. cap. 21. Hanc etiam crudelitatem attingunt Strabo et Nicolaus de moribus.

29. Gentilium prope Libanum. Heliopoli ad Libanum Iudææ montem Suidas tradit, a Gentilibus tempore Iuliani Imp. Cyrillum Diaconum occisum fuisse, quod Constantino Imp. regnante et fidem promovente plurima idolorum simulacra fregisset: occisi vero iecur ab illis devoratum esse dicit.

Saracenorum in Siciliis. Saraceni, qui in Arabia duxerunt originem, cum in Siciliam se infudissent, atque Selinuntem urbem cepissent, quo metum cæteris incuterent, æneis vasibus igni suppositis oppidanos captos coxerunt, ut tradit Thomas Fazellus lib. 6. posterioris Decadis cap. 1. in hist. Sicil. easque carnes comederint, non subiicit: id unum addit, ex feritate sic reliquas exterritas civitates, ut certatim se nec obsessæ traderent.

Iudæorum in variis provinciis. In variis orbis provinciis Iudæi Christianos infantes acubus, cultellis, clavis transfixos trucidarunt, eorumque sanguinem fructibus, pomis, piris, nucibus in minutissimas partes concisis miscuerunt, ac postea devorarunt. Cor etiam ereptum ac combustum, et in cineres redactum, vino temperatum sibi propinarunt. Vide Fortalitium fidei l. 3. consider. 7. Spond. aliud exemplum refert anno 1491. num. 10. tom. 2. et varia tom 1.

Scytharum. Scythæ centesimum quemque ex captivis solebant immolare, ut ait Sabellic. lib. 1. Ennead. 1. præterea primi viri, quem in bello ceperint, sanguinem potabant, ut refert Herod. l. 4. ad quod allusit Tomyris, cum Cyri caput in utrem sanguinis plenum coniecit, ut illo se satiaret.

Hungarorum. Hungari tempore Arnulphi Imp. Europam vastantes adustas ex incendio humanas carnes vorasse, et humanum sanguinem bibisse dicit Bonfin. lib. 10. hist. Hung. Decad. 1. Luitprandus certe ait, eos avidissime diem prælii solitos esse expectare, atque interfectorum sanguinem ebibere, ut maiori essent hostibus terrori.

Herodis. Herodes in ipsa Iudæa non multum ab hac feritate abfuit, cum Ioannis Bapt. caput in convivio sibi afferri passus est: quod in M. Antonio Triumviro reprehendit Xiphilinus: in Alexio Imp. qui ferculum primum Branæ rebellis caput inferri iussit, ut eo spectaculo oculos primum pasceret, ut ait Nicetas lib. 1. Alboinus Longobardorum Rex ex calvaria Cunimundi Regis Gepidarum a se devicti poculum fecit, teste Sigeberto in Chronicis. Crumus Bulgarorum Rex idem præstitit ex calvaria Nicephori Imp. atque, ex eo poculo Bulgariæ Principes iussit bibere, ut memorat Cedrenus. Hoc usitatum fuisse Scordiscis Tracom omnium immanissimis, ait Bonfin. lib. 1. Decad. 1. Etiam nunc carnes hostium devorari a Brasilia dicit Acosta, a Canadensibus et Iroquiis, variisque illius tractus populis, Paulus le Ieune, et alii. Ex quibus intellige quam efferatæ sint hominis passiones, eum eis non resistitur, et quanti sit facienda fides, quæ eb illa barbarie homines ad umanitatem treduett, ut in iis patet, qui ex illis populis sunt conversi.

Antonii. Alexii. Alboini. Crumi. Scordiscorum. Brasilorum. Canadensium.

30. An tempore Davidis fuerint anthropophagi in Iudæa, dubitatur. Tempore Davidis an fuerit illa barbaries non satis constat, erant certe in Iudæa gigantes, ut patet 1. Regum 37. 4. et 2. Regnm 21. 19. in Sicilia eos anthropophagos induxit Homerus, et alii. Homerus autem natus est anno regni Salomonis 20. Gigantes Chananitidis, quæ postea Iudæa dicta est, vocant *monstra*, exploratores missi a Mose, quod et ad eorum magnitudinem et ad crudelitatem possis referre.

31. Tropol. Dæmones edunt carnes nostras duplicibus. Tropolog. Nocentes qui nos tribulent, sunt dæmones; ita S. Hieron. et alii. Primo, edunt carnes nostras, id est delectantur carnalibus desideriis nostris, et tribulant nos tentando et persequendo, ut ait Richard. Pampolit. Secundo, edunt dæmones carnem nostram, id est nostram substantiam et medullam exugunt, isque suavissimus est illis cibus, feræ enim sunt. 1. Petr. 5. 8. *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. S. Aug. nocentes eos esse sic declarat in Ps. 96.

Est insita malevolentia quædam et pernicies nocendi istis malis spiritibus: gaudent de malo hominum: et de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur. S. Basil. orat. quod Deus non sit auctor malorum, illos appellet, δοχειον πασης κακιας, omnis mali promptuarium. S. Gaudentius Episcop. Brixian. serm. 18. qui est de villico iniquitatis, rabiem eorum in homines sic exponit: Festinat diabolus novis artibus variisque tentationum generibus supplantare homines, a quorum dominatu in fine sæculi submovendum se penitus esse cognovit. Post adventum Christi, *duplicata contra hominum genus furore succenditur*, sciens quia modicum tempus habet. Ita Gaudentius.

32. Sed si velis, dices cum Davide, *ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Rugire dæmones possunt, impias fauces et horrificas exertare, caperatam cornibus frontem et fuligine terribilem ostentare, imbricatas ungulum falcules explicare: sed mordere, sed delicere, sed discerpere, nisi velimus, non possunt. Eos aptissime comparabis Heliogabali leonibus, qui terrere poterant, morsu sævire non valebant. Audiamus Lampridium in Heliogab. *Ebrios*, inquit, *amicos plerumque claudebat, et subito nocte leones et leopardos, et ursos exarmatos immittebat: ita ut expergefacti in cubiculo eodem, leones, ursos, pardos, cum luce, vel quod est gravius nocte invenirent: ex quo plerique exanimati sunt.* Terriculamentis ut plurimum inanibus feræ averneles illudere moliuntur, sed si in Antonios, Hilariones, Macarios et virtutis æqualis heroes inciderint, vili catello timidiores caudam contrahunt, atque celeri fuge sese in tenebricosa spelæa abdunt. S. Chrysost. in Ps. 10. dicit vere, si Deus opem tulerit, fore dæmonem, αραχνης ευτελεστερον, *aranea viliorem.* Sed si Deus non adsit, furore illius omnia pessumdentur. S. Basilius Seleuciæ Episc. orat. 24. *Omnia*, inquit, *funditus pereant actum est, nec quidquam reliquum sit dæmonum violentia non concussum, nisi inexpugnabili manu Dei muniatur.*

Heliogabali crudele et ridiculum inventum.

Dæmon non est timendus.

33. Allegor. Alleg. de Christo hunc locum explicat Luysius Legionensis, ad eum enim Iudas appropiabat velut amicus, sed ut noceret et carnes eius a se venditas emeret. Quis, inquit, amici persona tectus, immitior cædisque avidior fuit, quam proditor Iudas; qoisve accessus atque congressus, aut in speciem magis blendus, aut reipsa magis hostilis, etc.

34. Symbol. Symbolice, Ugo Cardin. hæc dicentem Ecclesiam de malis prælatis induxit. Dum appropiant super me, mihi præponuntur, nocentes, cum deberent prodesse. Thren. 1. 5. *Facti sunt hostes in capite eius.* Edunt carnes, id est bona pecoris sui, et curam eius non habent, ut graviter conqueritur Deus, Ezech. 34. 2.

Vers. 3. 1 Pars. Secundo, David ait non tantum se non timere dæmonum crudelitatem, sed etiam parvipendere multitudinem, v. 3. SI CONSISTANT ADVERSUM ME CASTRA (S. Cyprian. al directa fuerint in me castra. Chald. si castrametabitur adversus me exercitus impiorum) NON TIMEBIT COR MEUM. Hoc accidit Davidi cum Saul in eum movit, et eum concludere conatus est in deserto Maon, 1 Reg. 23. 26. cum humanis viribus evadere se non posse David crederet, sed Deus immissis Philisthæis illi præsto fuit.

35. Tropolog. multi seu potius innumeri dæmones bella in nos gerunt. Petav. hic reddit, στρατος αιχμητων αναριθμος, exercitus bellatorum innumerabilis, 1. sunt super nos, cum de superbis tentant et elevare nos moliuntur. Hebr. pro *adversum me est*, אלי *elai*, id est, super me; 2. sunt ante nos, cum mundi speciem et ornatum oculis obiiciunt. Apollinar. vertit, ει μοι, απας στρατος αντιος ελθοι, *si mihi universus exercitus adversus veniat*; 3. circa nos sunt, cum carnem totam titillant et inflammant: *Si consistant adversus me*, παρεμβολη, *castra*, q. d. circumpositio, circumiectio.

Multi dæmones nos oppugnant.

Dæmones in aere volitare et pugnare docet S. Paulus Ephes. 6. 12. *Non est*, ait, *nobis colluctatio* (Græc. παλη, id est, lucta) *adversus carnem et sanguinem: sed adversus Principes et potestates* (id est contra dæmones, qui ceciderunt ex illis duobus ordinibus: et per eos intelligit omnes alios synecdochice) *adversus mundi rectores* (κοσμοκρατορας; id est mundi dominos, ut vertit Vatabl.) *tenebrarum harum* (id est tenebrosi huius aeris) *contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, id est in aere, in aeris locis, ut ait S. Hieron. ubi spirituales nequitiæ, id est spiritus illi nequissimi versentur. Multitudinem illorum his verbis aperit idem S. Doctor: *Hæc omnium*, inquit, *Doctorum opinio est, quod aer iste, qui cælum et terram medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus*, id est dæmonibus, qui in aere cum Deus permittit, tempestates, ventos, tonitrua, fulmina, et alia concitant, et homines ad vitia fortiter impellunt. Haimo, ait, aerem illis tam plenum esse, quam radium Solis minutissimis atomis. Abbas Serenus apud Cassian. collat. 8. quæ tota est de dæmonis potestate et impugnatione, cap. 12. Tanta, inquit, spirituum densitate constipatus est aer iste, qui inter cælum terramque diffunditur, in quo non quieti nec otiosi pervolitent: ut satis utiliter humanis aspectibus eos Providentia divina absconderit. Concursus siquidem terrore, et horrore vultuum intolerabili formidine homines consternarentur, atque deficerent, ut fiebat in monstris in Ægypto apparentibus, cum erant densæ tenebræ. S. Diadochus ait etiam cum sanctissimis viris duos dæmones luctari: *Postquam*, ait, *universas fere passiones homo Dei vicerit, duo remanent dæmones luctantes cum eo: quorum unus quidem turbas facit animæ, dum ita eam ab amore Dei ad importunum zelum traducit, ut nullum alium atque se Deo placere velit: alter autem corpori, dum illud ad desiderium rei venereæ incendii cuiusdam operatione movet.* Si etiam iustis duo dæmones sunt molesti, quid fiet peccatoribus?

In aere plurimi discurrunt.

Non est tamen timenda importunarum volucrum multitudo, quas Abraham abigit in suo sacrificio, Gen. 15. 11. 36.
et David, id est amabilis Domino, unde addit hic: *Non timebit cor meum*: Iob dicebat Deo cap. 17. 3. *Pone me iuxta te, et cuiusvis manus pugnet contra* me. S. Ambr. serm. de Basilicis non trad. hæret. *Didicimus Christi servuli, non timere.* Hoc S. Antonius invictæ mentis heros præstitit in copiosum exercitum dæmonum, a quibus contusus et exanimis relictus, ubi ad se rediit in quodam pago, ad quem delatus fuerat, in eumdem prælii locum referri voluit, collectisque viribus inclamavit: *Ecce ego hic sum Antonius*, ου φευγω τας παρ υμων πληγας, *non fugio inflictas a vobis plagas nec certamina, etiamsi maiora faciatis: nullus me separabit a charitate Christi*, Rom. 8. 35. et versum psalmi nostri ingeminans dicebat: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum, q. d. corpus quidem vulneribus concisum dehiscit et deficit, sanguis profluit, ossa luxata languent, nervi contusi torpent: sed cor infractum et intrepidum stat in Deo suo fixum et immobile, velut truncus firmus et inconcussus foliis huc illuc agitatis atque disiectis. Christus tum illi apparens sanitatem et vires reddidit. Lege quæ Deus præcipit Israelitis, ut hostes non timeant, Deut. 20. et seq.

Non sunt timendi.

Tertio, David dicit se non timere continuum insultum hostium, vers. eod. 3. SI EXURGAT ADVERSUM ME PRÆLIUM, IN HOC (Deo scilicet: 2. et melius, in hoc prælio. Vatabl. in hac re. S. August. in hac petitione. Theodoretus, in hac spe. Euthymius in hoc meo corde) SPERABO. Pro *prælium*, Hebr. est מלחמה *milchama*, quod S. Hieron. Felix et Caiet. vertit, bellum. Sed Noster, Sept. Vatabl. significantius vertunt, *prælium*, ut significent esse bellum ασπονδον, in quo diu noctuque certatur: quin etiam *milchama*, incisionem et cædem significat, etiam in hac sperant iusti et Martyres. Arabs reddit: *Si insurrexerit adversum me pugna, hæc est fiducia mea*, q. d. non modo prælium non vereor, sed in eo est spes mea. Nam non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Bellum est, ob diuturnitatem: prælium est, ob continuam agitationem. In eo bello nulla quies, ne hyemalis quidem et nocturna: nullus locus securus, ne terrestris quidem paradisus, in quo Adam prostratus est, nullus comitatus certus et tutus, ne Christi quidem in terris degentis, a quo avulsus est Iudas. Hoc deplorat Ierem. Threnor. 4. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super*

37. Vers. 3. 2. Pars.

mentes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Mons, prælatio est; divitiæ, virtus; desertum, religio et vacuus a terrenis rebus animus; ubique circumstant pericula : et quidem tom maximo invadentia et perdentia, cum minus crederetur. Tertullian. lib. de pœnit. cap. 7. *Tunc maxime sævit diabolus, cum hominem plene sentit liberatum : tunc plurimum accenditur, dum extinguitur.* Tunc maxime timenda est vulpes, cum se mortuam fingit: et Parthus, cum fugam simulat. Vires diaboli vide sub typo Behemoth et Leviathan, Iob 40. Eius acies igneæ sunt. Canidius centurio Romanus ut Mysios in prælio terreret, super galeam foculum gerens, cursu flammam, velut arderet, latius agitatam effundebat, Mysii eo viso territi fugerunt, ut ait Bonfin. lib. 4. Decad. 1. histor. Hung. Sed si Deus nos armet, nihil est timendum. Arma assignat Paulus Ephes. 6.

ARTICULUS III.

Templo sunt Dei domus, fontes delectationum spiritualium, et asyla animarum.

38\. Hebræi carent neutro genere. DAVID in regione Moabitarum aut Philisthinorum constitutus in patriam suam redire cupiebat, non ut in aula versaretur, non ut Sauli socero suo gratus et charus esset, non ut ab eo Michol et uxorem suam recuperaret, non ut divitiis et deliciis abundaret, sed ut in fide et cultu Dei quietius, constantius atque ardentius persisteret, v. 4. id aperit, cum ait: UNAM (Hebr. אחת *achat* fœmininum est, sed sumitur pro neutro. Hebræi enim cum neutro genere careant, ordinarie illud exprimunt per genus fœmininum, rarius per masculinum. Hinc Pagnin. Muis. S. Hieron. in Isaiam vertunt, *unum*; Petav. *solum*. Vatabl. et Syr. interpres, *unum quiddam*. Sept. Caiet. Arias, Felix, S. Hieron. hic, S. August. et alii, *unam*, id est rem vel petitionem, ait S. Thomas) PETII A DOMINO, HANC REQUIRAM (nempe) UT INHABITEM IN DOMO DOMINI OMNIBUS DIEBUS VITÆ MEÆ: UT VIDEAM VOLUPTATEM DOMINI, ET VISITEM TEMPLUM EIUS. (Vers. 4.)

39\. Vulgata lectio defenditur. Nota primo, pro *voluptatem* Bede, Ruffin. Cassiodor. Remig. Glossa, et plerique Latini Patres legunt *voluntatem*: sed recte Sixtus V. et Clemens VII. restituerunt *voluptatem*: Septuag. habent τερπνότητα, id est, *delectationem*, ut S. August. et S. Ambr. lib. 1. de Iacob cap. 7. vertunt. Hebr. est נועם *nohem*, id est, *pulchritudinem*, ut S. Hier. et Pagn. reddunt; 2. *amœnitatem*, ut Vatabl. et Arias; 3. *iucunditatem*, ut Felix; 4. *suavitatem*, ut Syr. et Arabs et Chald. 5. Petav. *splendorem delectabilem*. Vim vocis expressit.

40\. Templa studiose sunt adeunda. Nota secundo, pro *visitem templum eius*. S. Hier. vertit, attendam templum eius, id est ea, quæ fiunt in templo, nempe preces, cæremonias, oblationes, sacrificia, sacra cantica, et alia. Chald, et Pagn. quæram in templo eius. Vatabl. lustrem templum eius. Tria itaque desiderabat David: Primo, adire domum Domini, et ibi manere corpore, *ut inhabitem, etc.* Et de hoc dicit, requiram, id est iterum atque iterum quæram. Hebr. אבקש *abakes*, id est, studiose inquiram. Precibus scilicet, 1. sæpe fusis Petav. τρὶς μάλα λισσόμενος, καὶ τετράκις, *ter valde precarer et quater*, id est sæpissime; 2. ardenter fusis. Magn. *hoc unum votis flagrantibus opto*. Secundo, petit David in templo videre, id est sentire (visus enim pro omni sensu, præsertim interiori, sumitur) animo meo gratiis divinis liquefacto voluptatem Domini, id est quam servis suis ferventibus dat Deus. Tertio, petit menti suæ ingenerari desiderium et potestatem per otium contemplandi in templo omnie, quæ primam illam pietatem et devotionem nutrire possent.

41\. David agit de tabernac. Mosaico. Quæres, de quo templo, et de qua domo Dei hic agitur? Respond. S. August. Ruffin. Ludolphus, et alii, de cælo, eumque sensum literalem esse indicat Bellarmin. Secundo tamen melius, Euthymius et alii de tabernaculo Mosaico explicant. Chald. favet, qui vertit: *Ut habitem in domo Sanctuarii Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Tertio denique accommodatius Caietanus exponit de tabernaculo, quod David ædificavit in monte Sion prope palatium suum, ut sicut Mosi duci populi imperaverat Deus Num. 3. 38. ut habitaret iuxta ostium domus Domini; ita et ipse Rex factus idem faceret: Probabile est, quod hoc ipsum fecerit regnans in Hebron, et quod iam id facere decreverat, cum a Saule agitaretur, et hunc psalmum caneret. Deinde crescentibus opibus per varias victorias et navigationes in Ophir decrevisse templum ædificare, sed impeditum a Deo, quod sanguinem nimium fudisset, materiam et expensas filio suo præparasse.

Nota, in aulis Principes, in curia senatores, mercatores in officina, in sylvis venatores, variis in locis varii, pro rerum et officiorum varietate demorantur; Dei vero palatium, curia, officina, omnia, est templum in quo fundit oracula, et preces audit, et munera elargitur, et sedem sibi defigit. Ps. 21. 4. *Tu autem in sancto* (id est in sanctuario, in templo) *habitas, laus* (causalis, non formalis) *Israel*, id est Israelitici populi. Psal. 23. 3. *Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?* Euthym. ibi montem ait esse templum, erat enim extructum in monte Moria; sanctum vero, esse altare. Vide dicta Ps. 23. 8. Itaque hic tabernaculum vocat domum Domini. Salvianus templa nostra appellat domos dominices. Sic enim ait lib. 6. de Providentia Dei: *Ad domos dominicas currimus, corpora humi sternimus, mistis cum fletu gaudiis supplicamus.* Græci ναὸν templum nuncupant, παρὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τὸν θεόν, quod in eo Deus inhabitet; ναίω enim est habito, incolo; 2. ναὸς deduci potest a νάω id est fluo, emano, scaturio, templa enim sunt fontes et scaturigines gratiarum et delectationum, ut mox dicam; 3. ναὸς dicitur quasi νεὼς id est navis, ob formam et figuram: deinde quia nos ad cæli portam ducit; 4. ναὸς dici potest ab Hebr. voce *noham*, id est pulchritudo, etc. David eam vocem hic usurpavit, ut supra explicui. Primum etymon huic loco est aptissimum. Hinc vere S. Paulinus epist. 12. ad Severum, ait: *Terrestrium ædificatio fabricarum, beata cælestium est præparatio mansionum.* 42. Templum est Dei domus.

Hoc palatium Dei habet suos Principes, nempe Angelos. S. Basilius ipsi templo præsidem et custodem unum Angelum assignat epist. 191. Sophronius sive Ioan. Moschus in prato spirit. cap. 10. singulis altaribus, ubi refertur viro cuidam pio id esse ab Angelo revelatum. *Ex quo*, inquit, *sanctificata sunt ista, o Deo mihi credita sunt.* Hinc iure Salvianus lib. 6. suorum temporum socordiam deplorat, quod pro nihilo ducent templorum augusta et divina palatia: *Ecclesias*, inquit, *vel potius templa, atque altaria Dei, minoris reverentiæ quidam habent, quam cuiuslibet minimi ac municipalis iudicis domum.* Et S. Chrys. homil. 36. in 1. ad Corinth. *Neque tonstrina*, inquit, *neque unguentaria officina, neque ulla alia apificum, qui sunt in foro, taberna, est Ecclesia*: ἀλλὰ τόπος ἀγγέλων, τόπος ἀρχαγγέλων, βασίλεια θεοῦ αὐτὸς ὁ οὐρανός: *sed locus Angelorum, locus Archangelorum, aula Dei, ipsum cælum.* Tempore, inquit, Apostolorum domus erant Ecclesiæ, nunc autem Ecclesia est domus, vel potius quevis domo deterior. Nam in domo bene constitutum quidem videmus ordinem. Domina enim domus sedet in sede, cum omni honestate, modestia, et decore, atque ancillæ teaunt eum silentio, etc. Hic autem multus est tumultus, magna confusio, καὶ καπηλείου οὐδὲν διενήνοχε τὰ παρ' ἡμῖν. Et a caupone nihil nostra differunt: tantus est risus, tanta perturbatio, sicut in balneis, sicut in foro clamantibus omnibus et tumultuantibus. Ita Chrysostomus sua tempora incusans. Vide Ps. 137. 6. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* 43. In ea Dei aula principes sunt Angeli.

Nota secundo, Principes, qualis erat David gener Regis Saulis, et Rex inunctus, ut ipsi succederet, debent magno ardore templa petere, et in iis pie se gerere. Utrumque præstitit Theodosius senior Imper. qui post Thessalonicensium cædem a S. Ambrosio sacræ ædis ingressu per octo menses prohibitus ingemebat, causamque rogaoti Ruffino, ut ait Theodoret. lib. 7. c. 17. re- 44. Templa cum pietate adeunt principes.

spondit: *Ego vero gemo et lugeo, meum considerans calamitatem, quod servis et mendicis ad divinum templum facilis aditus pateat,* και τον αυτον αντιβολησαι δεσποτην, *Liberque illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi vero inaccessum illud sit.* Cum Ruffinus, qui magister officiorum tunc erat, et Imperatori percarus, S. Ambrosium adivisset, et ab eo ingressum ipsi impetraturus repulsam passus esset, venit tamen Imperator, et summa mentis demissione eum obtinuit, et humi prostratus in Davidicam vocem erupit Ps. 118. 25. *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Ut ibi retuli. S. Gregor. dicit: Vis amoris multiplicat studium inquisitionis. Ionas in ventre ceti cupiebat templum videre, et dicebat, Ion. 2. 5. Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Generatim sententiam Taciti lib. 2. Annal. animo suo magnates insculpant, *Pietas facit Principes instar Deorum esse.* Et Theodosii Imp. mox nominati, qui moriens dixit, teste Theod. ibid. cap. 25. *Pietate et pax conservatur, et bellum dissolvitur, et hostes in fugam vertuntur, et* ανιστανται τροπαια, και νικη βραβευεται, *trophæa eriguntur, et constat victoria.*

45. Vers. 4. 2. Pars. Templa sunt fontes gratiæ.

Secundo, templa sunt fontes divinarum gratiarum et delectationum. Hinc David addit v. eod. 4. UT VIDEAM VOLUPTATEM DOMINI, ET VISITEM TEMPLUM EIUS. Hebr. לבקר *lebaker*, ut mane visitem: id est prompte, studiose, et cum ardore. Mane colligebatur manna. Sept. τῳ επισκεπτεσθαι, ut contempler. Alii legunt τ. επισκεπασθαι, ut tegar et abscondar. S. Aug. legit: *Protegar a templo eius.* S. Fulbertus Episcopus Carnotensis, epist. 126. Protegar a templo sancto eius. Arabs, corroborer in templo illius. Ubi adverte, templum poni pro tabernaculo. Templum enim dici potest quilibet locus inauguratus et consecratus.

Ecclesia est paradisus terrestris, in quo vitæ arbor emicat Christus, virtutum flores suavem odorem adspirant, amœna cælestium volucrum musica insonat, fluenta gratiarum omnes in areolas dispergontur. Crux, ait Lorinus, in templo instar arborum omnis generis: pro floribus, varii Sanctorum, qui rite ibi coluntur, ordines: pro avium concentu, cantica et instrumenta musica: pro aeris salubritate, pia precantium suspiria: pro convivio, Eucharistia omne delectamentum in se habens, cæteraque Sacramenta: pro familiari dialogismo, de rebus divinis habentur tum lectio, tum recitatio: pro cætera supellectile, reliquus ornatus vasorum, vestium, peristromatum, tabellarum, imaginum, etc. Ita ipse. S. Chrysost. hom. 1. de verbis Isaiæ, *Vide Dominum*, etc. Ecclesiarum nostrarum choros cum Angelorum choris comparat, ac deinde subdit: *In Ecclesia gaudentium conservatur gaudium: in Ecclesia animo deiectorum est recreatio: in Ecclesia laborantium requies*, κατατεθυμμενων αναψυχη, κοπιωντων αναπαυσις.

46. Belli tempore templa sunt adeunda

Tertio, non tantum pacis et quietis tempore ad delectationem animarum constructa sunt templa: sed etiam cum hostis ingruit, et bellorum sævit tempestas, ibi Deus præsidio est. Primo, in fuga subita abscondendo, ut ne invenire quidem hostis possit: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.* Secundo, in pugna protegendo, cum hostis repertum aggreditur: *In die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Tertio, post pugnam victorem cum gloria recipiendo, et triumphanti applaudendo: *In petra exaltavit me.* Quarto denique in Regem ungendo et coronando: vel iam unctum ibi stabiliendo; *et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.*

47. Vers. 5. Tabernaculum David Rex factus fecit in Hebrone et in Sione.

Primo itaque dicit David: QUONIAM ABSCONDIT ME IN TABERNACULO SUO, IN DIE MALORUM PROTEXIT ME IN ABSCONDITO TABERNACULI SUI. *Tabernaculum* intelligit Euthym. protectionem Dei, q. d. in medio periculorum meorum abscondit me protectione sua. Quam ideo tabernaculum appellavit, quia fugientem ad Deum in periculis beatum David divina protectio, tabernaculi instar cuiusdam, hospitio quodammodo suscepit, ac susceptum servavit. Ita Euthym. Aperte sic exponit Syr. qui vertit, Abscondet me sub protectione sua in die malo: et Arabs, contexit me in velamine suo in diebus tribulationis. S. Hier. favet, abscondit me in umbra sua in die pessima. Sic enim nunc Hebr. distinguuntur. Itaque hæc locutio est metaphorica. Secundo, exponunt alii de tabernaculo Mosaico, in quo David latuit in Nobe fugiens Saulem, et accipiens ab Achimelech Pontifice panes propositionis, et gladium Goliath. Tertio, tamen melius, accipe de tabernaculo ab ipso Davide postea excitato in Hebron, vel potius in Sion, sicut iam futurum præviderat. Videbat enim ibi refugium suum futurum in omni angustia, sicut Mosaicum tabernaculum sæpius fuit Mosi in deserto. Dices, verba ponuntur in præterito, nempe *abscondit* et *protexit.* Resp. primo, in Hebr. esse in futuro. Secundo, poni in tempore præterito ad denotandam certitudinem suæ spei et prædictionis, ut sæpe alias facit. In Tabernaculo posito in Nobe vix mansit David, fugiebat enim quam citissime poterat. Sed sæpe Deum consulturus tabernaculum adiit in Siono in rebus difficilibus et periculosis.

48. Ius asyli fuit in tabernac. Mosaico et Davidico. Hoc probatur: I.

Quæres, An ius asyli fuerit in tabernaculo Mosaico et Davidico? Abulensis negat fuisse, in 3. Regum sed verius est fuisse, et ad hoc alludit hic David. Nam Moses seditiosos fugiens in illud se recepit, Num. 16. 43. atque Adonias in tabernaculum Davidicum fugit, timens iram Davidis patris et Salomonis fratris, quod ob cædes patratas Abneris et Amasæ principum indignus esset venia, occisus est iussu Salomonis, cuius erat cognatus.

II. Probatur deinde, quia si Deus sex civitates refugii constituit, in quibus esset ius asyli, adeo ut homicidæ ibi securi viverent, qui sine sua culpa aliquem fortuito occiderant, longe potiori iure id concessum voluit suo tabernaculo et templo. Unde Christus Matth. 23. 35. reprehendit Iudæos, quod occidissent patres eorum, nempe Rex Ioas, Zachariam filium Ioiadæ Pontificis qui Barachias, id est benedictus etiam dicebatur, inter templum id est sanctum, et altare, holocaustorum scilicet.

III. Præterea, si Deus adeo graviter punivit eos, qui templum aut prophanavarant, aut spoliarant, ut Regem Manassem in exilium Babylonicum eiecerit, et filium eius Amon vita et regno privaverit, Nabuchodonosorem Asiæ Monarcham ad feras ablegarit, Heliodorum Seleuci Assyriæ præfectum virgis pene ad necem excipi curaverit, Antiochum Epiphanem Syriæ regem dira morte affecerit, Crassum furori Parthorum mactandum obiecerit, et illudendum, Pompeium e summa felicitate deiecerit, et in Ægypto occidi et insepultum iacere permiserit, quis potet eum nolle, ut homines qui ad sua tecta confugerint, sint securi et extra potestatem hostium aut iudicum, cum id ius dent statuæ et domus principum?

49. IV. Templa idolorum habuere ius asyli.

Adde templa idolorum fuisse asyla non tantum suis sectatoribus, sed etiam diversi cultus hominibus, ut patuit in Onia summo Pontifice Iudæorum fugiente ad asylum templi Apollinis Antiochiæ 2. Machab. 4. 33. *In loco tuto se continens secus Daphnem.* Locus erat quinque millibus passuum distans Antiochia: unde a Dione lib. 51. nuncupatur suburbium; ita dictus a copia laurorum, q. d. Lauretum; δαφνη enim est laurus: quare in eo erat fanum celebre Apollinis, ideoque erat asylum omnibus tutum et inviolabile. Ita Cornel. vide Baron. anno 162. tom. 4. Annal. ubi agit de S. Babylæ reliquiis inde translatis a Iuliano Apostata, quod dæmones ad earum præsentiam obmutescerent. Strabo lib. 14. ait Ephesiæ Dianæ templo Asylum concessum fuisse ab Alexandro usque ad stadii unius, id est centum et viginti quinque passuum spatium: passus autem 125. efficiunt sexcentos viginti quinque pedes. Mithridates assignavit pro asylo spatium quod sagitta ab angulo tecti emissa contingerat, quod stadio fuit paulo longius: Antonius illud spatium duplicavit, partemque urbis addidit asylo. Deus vero, velut profana tecta, sine asyli iure tabernaculum suum, sive templum, esse voluisset?

Antiochiæ. Ephes.

Scythæ sacri erant asylum omnibus.

Apud Scythas, qui ad Argippæos fugiebat, is a nemine lædebatur: illi enim sacri habebantur, ut tradit Herodot. in Melpomene. A Martiano Capella Aryphæi nominantur. A Plinio lib. 6. cap. 13. Arimphæi. *Sedes*, inquit, *illis*

uemora, alimenta baccæ, ritus clementes: itaque sacros haberi narrant, iuvialatosque etiam feris accolarum populis: nec ipsos modo, sed illos etiam qui ad illos refugerint. Idem de Thyssagetis, id est sacris Getis, refert Bonfin. lib. 1. Decad. 1. pag. 2. in hist. Hung. Ad Deum vero qui accesserit, asyli ius non habebit? cum etiam servi ad imperatorum Regumque statuam fugientes inde avelli non possent, quod de sepulcro Thesei dicit Plutarch. in eius vita: et de sepulcro Mariæ Theophili Imp. filiæ, Cedrenus: et quotidie in ædibus Cardinalium accidit, quæ pro asylo sunt.

50. Templa sunt asyla animarum.

Quicquid sit de asylo tabernaculi et templi ad tuendam corporis vitam, utilissimæ sunt et potiori iure Ecclesiæ nostræ, ad tuendas animas. Cum Salomon suum templum dedicaret, iamque arcam in sanctum sanctorum inferri curasset, hoc sibi templum Deus acceptum esse, et omnibus ad illud accedentibus tutum fore perfugium declaravit. Tunc enim, ut refertur 3. Reg. 8. 10. Nebula implevit domum Domini, ut indicaret eo in asylo tectos et securos futuros eos, qui spem in Deo suam collocarent.

Templum Salom. cur turris diceretur?

Theodor. in cap. 4. Michææ dicit, ab Isaia templum appellatum esse turrim, quod illo Deus populum suum tueri vellet. Area atrii Sacerdotum, ut vult Arias Montanus, continebat 100. cubitos, et 50. longitudinis ab ortu versus occasum, totidemque latitudinis ea parte, qua ortum respiciebat. Etenim latius fuit spatium, et latitudo atriorum omnium ab ortu, quam ab occasu, latioraque latera orientalia quam occidentalia, ut universa fabrica speciem referat leonis, qui pectore latior est quam tergo. Quam ob causam Rabbini aiunt fuisse toti operi inditum nomen *Ariel*, quod sonat *leonem fortis*, sive *leonem Dei*: quia eo loco Deus se leonem, id est potentissimum demonstrabat: ut populus intelligeret maxima cum fiducia templum orationis causa esse frequentandum: unde nimirum Deus adversus ipsius hostes et persecutores, sive homines essent, sive dæmones, tanquam leo quidam terribilis, pro eis in campum pugnaturus prodiret. Ita Viegas in c. 11. Apoc. Ubi recte annotat sumi Ariel cap. 43. Ezech. 15. pro superiori parte altaris, eo quod carnes, qui ibi cremandæ imponebantur, instar leonis comederet ac devoraret. Super altaria nostra est Iesus leo Iuda, qui te protegat, et rugitu suo hostes terreat, atque charitate sua et zelo vitiosas affectiones tuas absumat, si cor illi totum obtuleris in holocaustum. Is. 8. 13. dicitur: *Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem.* Hebr. in sanctuarium. Pagn. in palatium: ut scilicet ibi cum gaudio, cum honore, cum ornatu, cum securitate, sicut in Regis aula et palatio quiescatis et fulgeatis virtutibus, sicut cæli principes et filii Dei. S. Chrys. hom. 21. vocat templum, λιμενα πνευματικον, *portum spiritalem animæ*: et S. Epiph. orationem ibi fusam ait esse murum, quo clausi somnum securum hoste frustra infrendente capiamus. Sic enim loquitur orat. de Resurr. Christi: Μεγα οπλον ευχη εκκλησιας, μεγα τειχος προς θεος ευχη συμφωνιας; *Magna sunt, fratres, arma, preces Ecclesiæ, magnus est murus, consentientium inter se plurimorum oratio.* Deus vero, et Christus Dominus, super illum portum et civitatem seu arcem stant velut leones hosti terribiles, Isaiæ 31. 4. *Quomodo si rugiat leo, et catulus leonis super prædam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum, ut prælietur super montem Sion, et super collem eius.*

Vers. 6. 1. Pars.

Secundo, David non tantum in tabernaculo Dei fuit conservatus, sed etiam exaltatus et corona regia coronatus in Hebron, et ea effulgens in tabernaculo Sionis. Unde addit, v. 6. IN PETRA (Hebr. צור *tsur*, rupe: unde, *sur*, id est securus. Apoll. vertit, excelsa in petra. Magn. in 3. editione vocat rupis arcem: in quarta, rupem excelsam) EXALTAVIT ME: ET NUNC EXALTAVIT CAPUT MEUM SUPER INIMICOS MEOS.

51. Templa in locis excelsis olim ponebantur ob quatuor rationes.

Nota, solebant veteres templa sua et fana in excelsis locis et montibus ponere, 1. ut ex omni loco viderentur, et admonerent omnes Deum esse adorandum; 2. ut ad illa se orantes converterent; 3. ut essent tutiora ab hoste, et contra eius insultus munitiora; 4. ut cælo viciniora nos docerent eo esse cor erigendum. Sic in Silo, et Gabaone urbibus in monte positis collocatum est tabernaculum Moisis a Iosue et Saule: tabernaculum a Davide in Sione prope aulam regiam extructum: templum a Salomone in monte Moria, qui erat pars montis Sion: altaria Dei et idolorum a variis regib. Iuda, et a populo statuta in montibus, unde dicta sunt במות *bamot*, id est, excelsa. Apud Ægyptios id in more fuisse tradit Stobæus: cumque loca excelsa non erant, arte in altum templa erigebant cum maximis sumptibus, ut de Serapidis delubro memorat Ruffin. lib. 2. cap. 2. *Serapidis*, inquit, *apud Alexandriam templum locus est non natura sed manu et constructione per centum et eo amplius gradus in sublime suspensus, quadratis et ingentibus spatiis omni ex parte distentus.* Mirum est, quod ex Alvaresio, qui diu fuit in Æthiopia cum Legato Regis Emanuelis, Th. Bozius ait lib. 11. de signis Ecclesiæ cap. 3 decem templa e solido unicoque lapide singula constantia in Æthiopia esse, quæ Alvaresius se vidisse testatur: ibi orans potest dicere, *in petra exaltasti me.* Optarem illa vidisse, certius id assererem.

Serapidis templum arte elevatum.

In Æthiopia templa mirabilia.

52. Allegor. Ecclesia est Dei domus.

Alleg. Ecclesia est Dei domus, tabernaculum et templum. S. Ambros. lib. 3. Hexaem. cap. 1. *Templum*, ait, *Sacrarium Trinitatis, sanctitatis domicilium, Ecclesiam sanctam, in qua refulgent aulæa cælestia, de quibus dictum Isaiæ* 54. 2. *Dilata locum tabernaculorum tuorum et aulæorum tuorum: fige, ne parcas: longiores fac funiculos tuos, et palos tuos confirma: adhuc in dexteram et sinistram extende, et semen tuum gentes hæreditate possidebit, et civitates desertas inhabitabis. Habet ergo aulæa, quibus attollit vitam bonam, peccata tegit, culpam obumbrat. Hæc est Ecclesia quæ super maria fundata est, et super flumina præparata. Ps. 23. Supra vos enim confirmata est et præparata, qui sicut flumina puro in eam undique fonte decurritis.* Ecclesia etiam est petra, id est mons Sion, ut alias ostendi. Vide S. Hier. in cap. 2. Isaiæ.

53. Anag. Cælum est domus Dei.

Anagogice. Cælum est domus Dei, tabernaculum, et templum. Ita S. Aug. Ruffin. Ludolph. Bellarm. et alii. Hæc una mansio quærenda et petenda nobis est: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, etc.* S. Greg. l. 21. Mor. cap. 28. hunc locum citans, ait: *Huic Paulus unitati*, intentione adhæserat, dicens Philipp. 3. *Unum autem quæ retro sunt oblitus, ad ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo. Nam si quid eorum corde humanitus diffluit, mox hoc discussio severa restringit: et cum quasi pueriliter cogitatio labitur, iuvenili mox coercitione refrænatur. Unde fit, ut sparsam mentem continuo colligant, et in una quantum prævalent cogitatione componant.* Vide S. Aug. epist. 121. ad Probam, de orando Deo, cap. 8. et serm. 19. de verbis Apostoli, tom. 10. ac tract. 3. Ioan. ubi ostendit, quanto studio illud unum quod est necessarium præ cæteris quærere debeamus. Cælum quoque est petra Remmon, id est malogranati: vel altitudinis: ubi salvantur qui sunt de tribu Beniamin, id est filii dexteræ.

54 Symbol. Christus est tabernaculum.

Symbolice, Christus est tabernaculum seu tentorium, in quo tegamur et lateamus. *Tabernaculum*, ait Ugo Card. *est Christi humanitas, quæ tabernaculum dicitur propter belli militiam. Ierem.* 20. 11. *Dominus mecum est, tanquam bellator fortis; 2. propter peregrinationem. Ier.* 14. 8. *Quare futurus es in terra quasi colonus, et quasi viator? 3. propter umbram contra Solis ardorem. Cant.* 2. 3. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi; 4. propter absconsionem a facie persecutionis. Isaiæ* 4. 5. *Super omnem gloriam protectio, et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitate, et absconsione a turbine, et pluvia; 5. propter officium pastorale. Ioan.* 10. 11. *Ego sum pastor bonus. Ita Ugo.*

Et quidem omni alio augustius.

Secundo, Christus est tabernaculum seu templum, tabernaculo Mosaico et Davidico, ipsoque templo Salomonis infinitis partibus sanctius. Hebr. 9. 11. *Christus assistens* (Patri æterno in cælo) *Pontifex futurorum bonorum* (ut sua oratione ac sacrificio nobis impetret futura

bona, id est remissionem peccatorum, gratiam, virtutes, et gloriam æternam) *per amplius* (μεῖζον maius et augustius) *et perfectius tabernaculum* (id est sanctuarium) nempe per cælos inferiores ascendens ait S. Thom. 2. per B. Virginem in mundum veniens; 3. per corpus et carnem suam, ut dicit S. Chrysost. et Ribera : hoc enim est, *non manufactum*, *neque huius creationis*, quia caro eius est concepta et formata non opera virili, sed virtute Spiritus sancti. Absconditum huius tabernaculi, ait Ugo, est eius divinitas, quæ abscondita fuit ab humanitate. Unde Isaiæ 45. 15. *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.* In huius tabernaculi abscondito protegit Dominus iustum, quando in fide divinitatis et contemplatione eiusdem commoretur. Ps. 90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* In fide humanitatis accendimur ad amorem. In fide divinitatis concutimur ad timorem. Eccle. ult. 13. *Deum time, et mandata eius observa.* Et utrumque protegit a peccato, quia charitas odit peccatum. Ps. 96. 10. *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Et Eccli. 1. 27. *Timor Domini expellit peccatum.* Ita Ugo in Ps. nostr. Tabernaculo Mosis ac templo Salomonis capacius tabernaculum fuit Christi humanitas, ait Primasius Episc. Uticensis in epist. ad Hebr. quia divinitas Verbi, quæ tota non potest comprehendi in tabernaculo manufacto, in illo homine plenissime requiescit.

55. *Christo applicantur multa ex taber. nac. Mosaico.*

Et vero si universum tabernaculi ornatum sigillatim placet decurrere, intelliges aptissime Christo singula quadrare. Petrus Abbas Cellensis lib. de Mosaico tabernaculo ad allegoriam pleraque trahit : *Aurum*, ait, *designat claritatem veræ sapientiæ. Argentum, nitorem sacræ eloquentiæ. Æs, oris confessionem ad salutem. Iacynthus, cælestem conversationem. Purpura, corporis passionem. Coccus bis tinctus, Dei et proximi dilectionem. Byssus, carnis castitatem. Pili caprarum, pœnitentiæ habitum. Pelles arietum rubricatæ, Doctores Dominici gregis proprio sanguine baptizatos. Pelles hyacinthinæ, corpora spiritualia in resurrectione. Ligna Sethim, Sanctorum firmitatem, qui nullo vitio corrumpuntur. Oleum ad luminaria, fulgentes fructus charitatis, et misericordiæ aromata. Unguentum et thymiama boni odoris, opinionem boni operis ad exemplum bene vivendi: Lapides, onychini et gemmæ ad ornandum Ephod et Rationale, miracula Sanctorum, et opera virtutum, quibus ornantur cogitationes et orationes.* Hæc aliaque Ecclesiæ adaptat, sed non minus Christo conveniunt, quem ipse Arcæ comparat, sed non placet nunc recedere a tabernaculo: id tantum addam, supra arcam fuisse Propitiatorium, ut in eo Deus sederet, eiusque pedes arcæ velut scabello inniterentur, indeque oracula redderet, Exod. 25. 17. *Facies et propitiatorium de auro mundissimo.* In illo Propitiatorio misericordia Iesu figurabatur, quæ est perfugium asylumque omnium peccatorum. Nam, ut ait idem auctor: *Si in Iesu est aliquod melius ipso Iesu, id mihi est propitiatorium, id est reconciliatorium. Sed Iesus totus desiderabilis, sed totus amabilis. Amabilis ergo in arca, amabilior est in propitiatorio: desiderabilis ex bonitate : sed desiderabilior ex propitiatione, quæ est pinguedo bonitatis, quia superexaltat misericordia iudicium.*

In Christo absconditmur.

In Christo velut in sacro tabernaculo, abscondimur, præsertim cum dies mali sunt. *In die malorum abscondit me in abscondito tabernaculi sui*, intra plagas suas, et maxime intra plagam cordis sui. Tripliciter *diem malorum* interpretari possis. Primo, tempus tribulationis. Tunc S. Elzearius Comes, in Christi vulnera velut in Sancta Sanctorum, sese abdebat, et ibi pacem, tranquillitatem, quietem, lætitiam et suavitatem cum securitate et protectione recipiebat. Thren. 3. 65. *Dabis eis scutum cordis* (Sept. ὑπερασπισμὸν καρδίας, protectionem cordis) *laborem tuum.* Quis enim, cum se in cor Iesu immiserit, timeat ulla hostium tela? S. Bern. in meditat. crucifixi sese immergentes negat ullos dolores sentire. Verba eius sunt: *Devotus miles sua non sentit, cum benigni Ducis vulnera intuetur.*

Dies malorum triplex.

I. *Tempus tribulationis corpore*

II. *Tempus tentationis.*

Secundo, *dies malorum*, tempus est tentationum et peccatorum. Tunc enim in Christi sanguinem, velut in fontem vivificum, inquinatus immergitur, ut ablutus inde exiliat, et stolam suam sacro cruore dealbatam conservet impollutam, 1. Petr. 4. 1. *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione* (consideratione et animi proposito) *armamini: quia qui passus est in carne* (Christus scilicet, 2. et melius Christianus) *desiit a peccatis. Ut iam non desideriis* (iuxta desideria) *hominum, sed voluntati Dei* (iuxta voluntatem Dei) *quod reliquum est in carne vivat temporis.* S. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. legit : In Dei voluntate reliquum in carne tempus exigat.

III. *Prosperitatis impiorum.*

Tertio, *dies malorum*, dies est quo mali his in terris lucent et splendescunt, iusti vero densa caligine obruuntur. Iob diem hunc aversabatur cap. 31. 26. *Si vidi solem, cum fulgeret, et lunam incedentem clare.* Huius quidem terræ felicitas, Solis instar, effulget : sed velut Luna minuitur et occidit. Ab ea quoque maligna luce et ignolentis fallacibus Ieremias abhorruit, cap. 17. 16. *Diem hominis non desideravi, tu scis.* Mane albicans aurora delectat, urit Sol meridianus, et momento in occasum vergit. Nihil est in terra stabile, nihil diuturnum. Itaque τὸ *malorum* potest sumi masculine et neutraliter.

57. *Christus est petra, ob quatuor rationes.*

Petra quoque Christus est, 1. ob soliditatem; 2. ob sublimitatem; 3. ob immobilitatem; 4. ob impenetrabilitatem. *In petra exaltavit me.* Vatabl. vertit, *in rupem extollet me.* Felix, in rupe exaltabit me. Hebr. צור *tsur*, petram, saxum, rupem significat; 2. Deum ipsum, qui inconcussa rupes est nullis hostium commotionibus dimovenda. Deut. 31. 31. *Non enim est Deus noster* (Hebr. *tsurenu*, petra nostra, ut Arias vertit) *ut dii eorum.* Ps. 17. 47. *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus.* Hebr. *tsuri*, id est *petra mea*, ut reddit Vatabl. *fortis meus*, ut Caietanus.

Ad eam nos invitat.

Ad se velut ad petram apertam Christus sponsus invitat animam sanctam sponsam suam. Cant. 2. 10. *Surge* (Hebr. surge tibi, id est ad tuam utilitatem) *propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Hebr. veni tibi. Et v. 13. et 14. *Surge amica mea, speciosa mea, et veni. Columba mea in foraminibus* (S. Ambros. in velamento. Septuag. in tegumento) *petræ, in caverna maceriæ.* Aponius lib. 4. in Cant. id de Christo sic explicat: Hæc petra, inquit, habet multa foramina, id est aditus, per quos intratur ad Patrem regnum credentibus præparantem, quæ sunt genera virtutum: hoc est, mansuetudinis, humilitatis, patientiæ, contemptus mundi, etc. Per hæc foramina lux divinitatis in tenebris huius mundi resplenduisse occulta fide probatur. Hæc est petra inter Deum et homines mediatrix : per cuius foramina homines Deo, et Deus hominibus demonstratur. Ita Apon. Illa petra inter Deum et homines mediat, quia est exaltata a terra, et soliditate virtutum immota consistit : ad hanc velut Polypi adhærescere debemus, si a tempestate tuti esse volumus: in hanc ascendendum est, si ad cælum pervenire optamus, hæc asylum erit et arx, in qua lateamus et vincamus. Invitatur S. Thomas ut in hæc sacra foramina manum et oculos immittat; nos vero, ut totum corpus et animam.

58. *Ibi est securitas, ob firmitatem.*

De illa petra Christo suavissime S. Bern. serm. 61. in Cant. ad rem nostram ait: *Vir sapiens ædificat domum suam supra petram : quod ibi nec ventorum formidet iniurias, nec inundationem. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste: fortis a casu, et hoc quoniam exaltatus a terra. Anceps est enim et caducum terrenum omne. Conversatio nostra in cælis est, et nec cadere, nec deiici formidamus. In cælis petra, in illa firmitas atque securitas est. Petra refugium herinaciis. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies nisi in vulneribus Salvatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Premit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram.*

59. *Et delectatio, ob fontes.*

Neque verearis in hac petra siccitatem et sterilitatem, ibi fontes cælestes reperies, ac melle suaviores. 1. Corint. 10. 4. *Bibebant autem de spiritali* (id est spiritalia præfigurante) *consequente eos petra* (sequente Iudæos in deserto realiter per seipsam. Ita Chald. et Rabbini; 2. at

melius, per suas aquas) *petra autem erat Christus*, id est, erat figura Christi. Nam Christus est petra et rupes firmissima Ecclesiam totam supra se situatam sustentans: *percussus*, id est occisus, *a Mose*, id est a Iudæis: et quidem *virga*, hoc est, cruce, *aquas* gratiarum effudit; incredulis, *contradictionis*; fidelibus, *sanctificationis*. Præsertim sanguinem suum dat in Eucharistia: unde clamat Ioan. 3. 37. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*. S. Anselm. in loc. illum Pauli ait: Propter firmitatem petra dictus est Christus, qui duobus lignis Crucis affixus, profudit ex suo latere Sacramenta nostræ salutis, quibus interior sitis nostra potaretur: sicut petra illis bis percussa, dedit aquam, unde populus ille satiaretur. Gemina enim percussio, duo ligna Crucis significat. S. Remig. Archiep. huius urbis Rhemensis, et Franciæ Apostolus, in eumdem locum Apostoli in commentario typis mandato a nostro Villalpando, qui asserit nomen eius se reperisse inscriptum in libro scripto ante annos 1540. ait aquam e petra diffluentem esse doctrinam Christi, et gratiam Spiritus sancti. Dionys. Carth. vero in Ps. 80. 17. *de petra melle saturavit eos*, censet melle denotari effectus Sacramenti corporis Christi: videlicet consolationem spiritualem, infusionem gratiæ sacramentalis, impinguationem mentis. Itaque sicut sunt quædam petræ salis, nempe quæ totæ sunt ex sale confectæ, et totæ sal, ut in Polonia, Catalaunia, et alibi, atque sunt symbolum deliciarum terræ, quæ sunt sal terræ, et in terra infatuatum; ita Christus est petra mellis, vel potius petra mel in Eucharistia, totus scilicet ex melle et suavitate compositus, ad recreandos, confortandos et illuminandos nostros Ionathas, id est Dei dona, Deo se donantes, et ex corde totos offerentes, ut sint veri Nathinæi, id est donati.

60. Patet etiam imperfectis. Neque perfectis tantum, sed etiam imperfectis aperta est illa petra. Ps. 103. 18. *Petra refugium herinaciis*. Vide ibi dicta. Legit S. August. *Petra refugium hericiis et leporibus, hoc est peccatoribus*. Verba eius sunt: *Ubique petra refugium nostrum, sive in montibus excelsa sit, sive in mari tundatur fluctibus et non frangatur: sive in terra solidetur. Ad illam cervi, ad illam fulica, ad illam lepus et hericius. Tundant pectora lepores, et hericii confiteantur peccata sua. Non eis tamen deest petra. Is. 2. 10. Ingredere petram, et abscondere in fossa humo*. S. Bern. serm. 61. in Cantica, suavitatem atque utilitatem sacri potus e Christi vulneribus in hunc modum repræsentat: *Foderunt manus eius et pedes, latusque lancea foraverunt: et per has rimas liceat mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: id est, gustare et videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam eius, et appropinquavit cor illius, ut non iam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis et mitis, et multæ misericordiæ?* Lege cætera.

Dei beneficio declarato, aperit David gratitudinem suam et pietatem, immolando Deo victimas cum summa devotione, 1. ait sacras se choreas de more instituturum, *Circuivi*; 2. in illis choreis non inanem delectationem quæsiturum, sed victimas oblaturum, *et immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis*; 3. voce dicturum sacra cantica in honorem Dei victoris, *Cantabo*, 4. denique, psalmum novum in eam rem conscriptum musicis cum instrumentis modulaturum, *et psalmum dicam Domino*.

61. Vers. 6. 2 Pars. Hostia vocifera- Primo itaque dicit, CIRCUIVI. Sed ea de re dixi psalmo præced. vers. 6. Secundo addit, ET IMMOLAVI IN TABERNACULO EIUS HOSTIAM VOCIFERATIONIS. Quæres, Quid est hostia vociferationis? Primo id explicari potest intransitive, id est, ita ut ipsa vociferatio, id est laus Dei, sit hostia seu victima. Syrus vertit, *sacrificia laudis*. Arabs, *sacrificia gloriæ*, id est, glorificationis, hoc est, glorificantia. S. Hieron. hostiam iubili. Cassiodorus, hostiam iubilationis. Felix, sacrificia iubilationis. Septuag. et Euthymius, hostiam, αἰνέσεως καὶ ἀλαλαγμοῦ, *laudis et iubilationis*. Dionys. Carthus. hostiam vociferationis ait esse sacrificium affectuosæ seu altæ orationis. S. August. Beda, Turrecrem. Lombard. et alii, esse hostiam laudis ineffabilis. S. Thom. ait duplex esse sacrificium, interius quo homo animum suum dat Deo, et est spiritus contribulatus; et exterius, quod ordinatur ad repræsentandum illud: unde S. August. *Quod affers, hoc exterius est, ut repræsentes animum tuum Deo*. Sed quia omnis repræsentatio fit per aliqua signa, inter quæ primatum tenent verba, ideo inter sacrificia eminentiam habet sacrificium laudis. Ita S. Thomas. Eodem modo Oseæ 14. 3. dicitur: *Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum* (Chald. accipe nos iam bonos. Secundo, et melius, bona nostra opera et preces) *et reddemus* (in gratiarum actionem) *vitulos labiorum nostrorum*: id est, laudes Dei et gratiarum actiones. Septuag. fructus labiorum. Itaque vox nostra erit victima, eo sensu quo S. Gregor. dicit hom. 21. in Ezec. Quicquid Dei causa facimus, esse victimam ipsi acceptam. Rom. 12. 1. *Obsecro vos fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*. Viventem per fidem: sanctam per spem: Deo placentem per charitatem. S. August. in psal. nostr. ait circumeundum esse totum orbem, ut in omnibus et propter omnia sacrificium laudis Deo offeramus. *Immolamus*, inquit, *hostiam iubilationis, immolamus hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis, quæ verbis explicari non potest. Immolamus autem, ubi? In ipso tabernaculo eius, in sancta Ecclesia. Quid ergo immolamus? Abundantissimum et inenarrabile gaudium nullis verbis, nulla voce effabile. Hæc est hostia iubilationis. Unde quæsita, unde inventa est? Circumeundo. Circuivi, inquit, et immolavi in tabernaculo eius hostiam iubilationis. Circumeat animus tuus per universam creaturam, undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quicquid te delectaverit in arte, artificem commendat: magisque si circumeat universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquas: undique tibi omnia resonant conditorem. Et ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam creatorem laudantium. Quis autem explicet universam creaturam? Quis illam explicet laudibus?* Vide Ps. 49. 23.

tionis potest sumi dupliciter.

I. Intransitive, id est, ita ut ipsa vociferatio sit hostia.

Vituli labiorum.

Orbem considerans laudat Deum.

Secundo, et melius, hostia vociferationis sumitur transitive et disiunctive, id est, hostia, quæ cum vociferatione et iubilatione offertur; ita Genebr. Petavius, et alii: Chald. vertit: *Sacrificabo in medio tabernaculi eius sacrificia acceptabilia cum iubilatione*. Iansen. explicat, q. d. Immolabo hostias cum summa vocis ac mentis iubilatione.

II. Transitive, id est, in qua iubilatio et vociferatio est.

Nota, pro *vociferationis*, est Hebr. vox תרועה *terua*, clangoris, ut vertit Caiet. qui recte notat non significare purum sonum tubæ, sed festivum quemdam sonum tubæ. Mercerus dicit esse sonitum tubæ incisum et inæqualem, atque adeo confusum: ut cum classicum, vel receptui canitur. Itaque, ut ait Genebr. hostia vociferationis est clangoris sacrificium adhibitis hymnis et clangore tubarum. Sic appellat David victimam solemnem et celebrem cum multo sacro apparatu: publicam non privatam, in qua alta voce musica canitur: vel etiam musicis instrumentis (ad differentiam privatarum et bassarum, ut loquimur.) Alioqui privatas fuisse hostias minusque solemnes docet Iosephus l. 3. Antiquit. c. 10. pro morbis vitandis, et omnibus aliis necessitatibus, et Talmudici, apud quos duplicia sunt קדשים *kodascim*, id est, *sancta*. Primo, quædam *sancta sanctorum*, quibus erat præscriptus certus locus, ritus solemnior, tempus; quædam קלים *kallim*, id est *levia*, quæ participari poterant extra templum, ut Agnus Paschæ; תודה *toda*, quorum non tam religiosa erat

62. Hostia vociferationis est hostia publica et solemnis.

Sancta erant duplicis generis.

observatio, neque certus locus et tempus. Sic Moses instituit sacrificia quædam fieri cum iubilatione et tubarum clangore, Num. 10. David autem citharas et alia instrumenta adiunxit, 1. Paralip. 16. 42. ita Genebr. Nota secundo, *hostiam vociferationis*, esse ordinarie hostiam pacificam, id est, quæ pace, hoc est felicitate, obtenta offerebatur. Holocausta quoque nonnunquam a victoribus, aliisque magna beneficia consecutis oblata esse non dubito. Si enim barbari captos hostes immolabant diis, et in eorum honorem comburebant, quis putet Iudæos id non fecisse de aliquot animalibus. Hoc indicatur 1. Regum 15. ubi Sauli dicenti se pepercisse gregibus Amalecitarum ad immolandum eos Domino, ait Samuel v. 22. *Numquid vult Dominus holocausta et victimas* (pacificas scilicet) *et non potius ut obediatur voci Domini?* id est voci suæ. Hebræi sæpe repetunt antecedens pro pronomine relativo.

Hostia vociferationis erat pacifica.

63. Tropol. Hostia vociferationis triplex.

Tropolog. Immolanda est Deo hostia vociferationis, id est, hostia vocem ferens, quæ triplex est. Prima est hostia laudis. Eccli. 35. 1. *Qui conservat verbum, multiplicat orationem.* Isa. 54. 1. *Decanta laudem, et hinni, quæ non pariebas.* Equus hinnitu suo alios congregat; sic et nos oratione et prædicatione. Secunda est maceratio carnis, quæ offertur pro propriis peccatis. Rom. 12. 1. *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Tertia est compassionis pro malis aliorum. De qua in Ps. 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: id est, compassione tribulatus, vel, cum aliis tribulatus: secundum illud, quod prædictum est 2. Cor. 11. 29. quod dicit Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Nec solum hostia laudis dicitur hostia vociferationis: sed et hostia macerationis, et hostia compassionis. Quia sicut dicit S. Gregorius: *Verba nostra ad Deum sunt opera.* Et Poeta, Lacrymæ, pondera vocis habent. Ubi vero immolandum est? *In tabernaculo eius*, id est, in fide Ecclesiæ. Fides enim est tabernaculum sive altare, in quo debent omnes hostiæ offerri. Nec ulla placet Deo quæ alibi offeratur. Roman. 14. 23. *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Unde super illud Matth. 5. 23. *Si offers munus tuum ad altare*, etc. dicit Glossa. Est in interiori templo altare: id est, fides, cui quodlibet munus nisi sit innixum, non est Deo placiturum. Deut. 12. 13. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus.* Sed quia hæc omnia debent fieri non ex tristitia, sed ex hilaritate, ideo addit David, *Cantabo*, quod notat lætitiam. 2. Cor. 9. 7. *Non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Eccli. 35. 11. *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* Item quia quædam opera fiunt pro redemptione peccatorum, quædam pro merito vitæ æternæ. Et supra dixit de illis quæ fiunt pro redemptione, ibi: *Immolavi, etc.* Ideo de illis adiungit: *Et psalmum dicam Domino*, id est, ad honorem Domini operabor. Ita Hugo.

64. Vers. 6. 3 Pars. Cantus in sacrificiis usurpati.

Tertio, post chorearum et victimarum immolationem cum iubilo, id est, voce non articulata: scilicet sono tubæ et instrumentorum musicorum addit David humanos cantus, vers. eod. 6. CANTABO, *et psalmum dicam Domino.* Nota, adhibitos cantus sacris choreis patet in adoratione vituli aurei prope Sinai. Exod. 32. 18. ubi ait Moses socio suo Iosue, cum quo fuerat in monte per 40. dies, loco tamen separatus: *Vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros.* Choreas enim ducebant cantantes Israelitæ, ut ait Barradius. Agens de adoratione vituli Philo lib. de temulentia, ait: περι ον χορης ιςαντες οι φρενοβλαβεις, αδουσι; *circa quem choreas ducendo insani carmen concinunt: non suave, quale in comessationibus epulis, festisque compotationibus: sed revera lugubre funestumque tamquam temulenti, multoque vino laxati nervos animæ.*

65. Vers. 6. 4. Pars.

Quarto denique explicat David, qualis sit futurus cantus, Psalmo nimirum composito eam unam in rem, ut de singulari sua liberatione e Saulis et hostium manibus Deo gratias agat. ET PSALMUM DICAM DOMINO, id est, in honorem Dei, quem supremum ipsorum Regum Dominum esse scio; 2. *dicam Domino*, cum alloquens ut præsentem, in tabernaculo enim et præsertim in arca se specialius præsentem exhibebat, et ipsum altare Deum repræsentabat. Hinc Chald. vertit: *Laudes dicam, et exultabo coram Domino.*

Beneficio accepto hymnos Deo conscribebant et canebant Iudæi.

Nota, Iudæis id in more fuit, ut accepto notabili beneficio hymnum aut psalmum conscriberent et canerent. Primo, id fecit Moses post maris rubri transitum, Exod. 15. Sive, ut vult auctor de mirabilibus sacræ Scripturæ, acciderit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, et omnes ætates eodem inspirante flamine, uno quasi ore, nulla præmonitione edocti, easdem concinentes literas decantarent in unum, sive, ut docet Philo l. 1. de vita Mosis, duos choros fecerint: unum virorum, alterum fœminarum; sive, ut Abulensis explicat, postquam Moses carmen semel cantavit, et alios edocuit Israelitas, ipsi sæpius cantaverint, quod approbat Barradius: sive cum Mose præcipui cantores carmen hoc cecinerint vocibus modulatis, et postea Maria cum fœminis selectis, quod magis arridet. Non nego tamen, populum deinde universum in easdem vel similes voces laudis et iubilationis erupisse. Cantum autem choreis iunctum fuisse patet v. 20. ubi dicitur: *Sumpsit Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis et choris, quibus præcinebat.*

Secundo, invento divinitus aquæ puteo a regione Arnon, quæ est terminus Moab, dividens Moabitos et Amorrhæos, cecinit Israel carmen istud Numer. 21. 17. et 18. *Ascendat puteus* (id est putei aqua), *concinebant, puteus quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in* (cum) *datore legis* (id est, Mose) *et in* (cum) *baculis suis* (id est, ligonibus, quibus terram foderunt.) Ubi nota, esse principum et magistratuum etiam cum suo labore et humiliatione providere multitudini sibi subditæ. Philo lib. de vita Mosis ibi quoque choreas factas esse dicit: *Cum lætitia*, inquit, *et gaudio ducentes choreas circa puteum canebant carmen Deo datori, et vero coloniæ illius deductori.* Vide cantica Iudith, Debboræ, Annæ matris Samuelis, Ezechiæ, Zachariæ, Deiparæ, et aliorum. Libro de vita contemplativa ait idem auctor, vitam Essæorum explicans, quod post mensam aliquid a præside exponebatur sumptum a sacris codicibus, quo absoluto assurgens hymnum in laudem Dei canebat primus, aut recens a se compositum, aut desumptum ab aliquo vatum veterum. Extant enim huius generis carmina prisca versu trimetro: hymni qui concinantur, cum sacrificium ad altare offertur, cum fœdera sanciuntur ante altaria, aut a stantibus, aut a choreas ducentibus variis strophis mensurati. Ita Philo. Nos cum semper nova Dei beneficia recipiamus, novos illi hymnos componamus et canamus, aut saltem veteres ad id paratos habeamus, quos novo ardore proferamus. Si tot beneficia voce exprimere non potes, et Dei infinitam bonitatem, potentiam, sapientiam, et alia attributa, ipsamque essentiam contemplans imparem te ad eum laudandum iudicas, saltem iubila admiratione et amore suspensus. S. August. in psal. nostro: *Si in istis creaturis sic laborat humanus sermo, in creatore quid agit, nisi sola restet sermone deficiente iubilatio?* Iubilus sive iubilum dicitur id, quod ex gaudio voce significatur, nec tamen verbis explicatur.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

66. *Tria continet. Primo, faciem Dei ostendi sibi postulat, vers. 7. Secundo, manum eius adiutricem implorat, v. 9. et 10. Tertio, voce eius et mandatis dirigi in huius vitæ via desiderat, v. 11.*

PARAPHRASIS.

7. *Exaudi Domine vocem meam quo clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me.*

7. Hymnos ego triumphales in tabernaculo tuo victor concinam, sed prius necesse est, ut me supplicem audias, hostium globis circumseptum ab instante periculo eximas, non meritorum meorum intuitu, sed tua unius pietate ac misericordia ob tantam calamitatem commotus.

8. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam Domine requiram.*

8. Quæ facturum me promisi, ea ex animo dixi, te unum videre et te solo frui desidero: tui unius favorem et lumen, ac benevolentiam his in terris, et in cælo visionem ambio.

9. *Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo. Adiutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.*

9. Tantis me nunc hostium et calamitatum tenebris circumfusum ne deseras, hunc tuum favorem ne deneges. Ne me velut vile mancipium sordibus peccatorum inquinatum, tuaque indignum præsentia et protectione abiicias: tuis addictus obsequiis sacram tibi servitutem serviam, omni mihi libertate meliorem. In te spes omnes meas repositas habeo: si belli dux adfueris, frendeant licet hostes, inconcussus perstabo, si iratus a me recesseris, etsi fluctus sileant et subsidant, vel levissimo calamitate obrutus demergar. Dignus quidem, qui vilis instar scoriæ, aut fœtentis cadaveris ad corvos proiiciendi a te despiciar omni favore et auxilio destitutus: sed memento te Deum meum et Salvatorem esse, qui me hactenus servasti et bonis cumulasti.

10. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

10. Præ cæteris fratribus, tum ætate, tum habitu corporis contemnendum ad gregum custodiam parentes ablegarant, nec regio sceptro dignum censuerant: sed pastoritio tantum pedo aptum. Tu vero Domine Samuelis voce a caulis abstractum, eiusque manu in Regem unctum iam in familiam regiam cooptasti: atque a patre, matre, affinibus et amicis desertum, omnique humano auxilio et solatio destitutum toties adiuvisti.

11. *Legem pone mihi Domine in via tua: et dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos.*

11. His obstrictus beneficiis vel ad nutum tibi serviam, quam placuerit legem præfige, impera, quod libitum est, præsto sum: si modo cæcutienti oculos aperueris, et infantulo manum porrexeris. Alacri studio mandatorum tuorum vias decurrentem dirige: ne, si a recta via deflexero, in hostium me meorum insidias casseque inducam.

12. *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

12. Hi iam deducto rictu apertisque faucibus prædæ inhiant, ne patiaris me crudeli eorum voluntati furorique tradi devorandum. Tu Domine, satis intueris ea, quæ in me evomunt, nulla veritate usi: et adeo cæcatos esse mihi nocendi desiderio, suis ut se verbis implicent, sibique ipsis contraria mentiantur: ut vel me tacente perversitas eorum et innocentia mea elucescat.

13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

13. Quicquid rabies suggesserit, id in me hostes iactitent: me iam inter mortuos numeret. Ex his tamen ego miseriis et lethalibus periculis ad lucem, vitam, et regnum emergam: tandemque post decursas mortalis huius vitæ ærumnas ad veram cælestemque vitam emigrabo.

14. *Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.*

14. Cum tam multa divini in me amoris pignora habeam, bona spe firmetes titubantem animum his verbis stabilio. Si Dominus pro sua voluntate, tuoque maiori præmio, ad te vile mancipium non tam festinus accurrerit, expecta eum, de illius adventu atque auxilio securus. In arena te cum atrocissimis hostibus depugnantem intuetur: ne fœminea mollitie languescas, virile robur exhibe, te laureæ præstolantur. Ne affectum tuum ac desideria ad terram deflecte et mœrore tabescere patiaris: aderit Deus, teque his e malis eripiet: sed cum tuus orbisque sit Dominus, par est ratio, ut eius tu adventum patienter, ut mos est servulis, expectes, quantum ei placuerit.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO ARDORE AD TERRAM VIVENTIUM EST ADSPIRANDUM.

67. Ordo Sectionis. POSTQUAM superiori sectione David mediis se in hostibus, et in terris idololatrarum securum esse dixit, unoque se templi videndi desiderio tangi, ut Deum adoret. Nunc a Deo opem petit, ut id præstare possit.

Ac primo, ait se optare Deum, id est, eius templum et altare, videre. Itaque petit sibi Dei faciem ostendi, quod eleganti sustentatione præmissa tandem declarat. Ait enim v. 7. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, et exaudi me.* Deinde vocem illam ait ex intimo corde procedere, v. 8. *Tibi dixit cor meum.* Tertio, voci iunctum esse ardens studium et diligentiam: *Exquisivit te facies mea.* Quarto, tandem aperit, quænam A sit ista vox, quam exaudiri cupit, v. 9. *Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira a servo tuo.*

Secundo, Manum Dei auxiliatricem deposcit, ut iter peragat, donec optatam eius faciem videat, 1. iuvando, ut exeat e discrimine, vers. eod. 9. *Adiutor meus esto;* 2. et post evasionem comitetur eum armatus: *Ne derelinquas me;* 3. ut eum consoletur: *Ne despicias me.* Duas autem rationes affert, 1. quod in omnibus periculis a Deo uno sit liberatus: *Deus salutaris meus;* 2. quod ab omnibus relictus, ab eodem uno Deo sit in regem designatus, v. 10. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

Tertio, Vocem divinam sibi ducem flagitat, quæ viam bonam ostendat, v. 11. *Legem pone mihi Domine, in via tua;* 2. quæ in via ambulantem dirigat, ne aberret: *Et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos;* 3. hostium insidias doceat, ne in eorum manus incidat, v. 12.

Ne tradideris me in animas tribulantium me; 4. calumniis remorari volentes coarguat et reprimat: *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.*

Quarto denique, rationem subtrasit, cur non sit prorsus eo auxilio indignus, cum decreverit virtutibus omnibus animam ornare, 1. fide, v. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium;* 2. spe, v. 14. *Expecta Dominum;* 3. charitate imperante ardua ad consequendam amati possessionem: *Viriliter age;* 4. patientia in adversis: *Et confortetur cor tuum;* 5. perseverantia in longa mora: *Et sustine Dominum.*

ARTICULUS I.

Estne cordi os aliquod.

68. Vers. 8. 1. Pars. Cor est velut alterum animal. HOC asserit David, cum ait v. 8. TIBI DIXIT COR MEUM, EXQUISIVIT TE FACIES MEA, FACIEM TUAM DOMINE REQUIRAM. Nota, *cor quasi alterum movetur animal*, ut ait Plin. lib. 11. cap. 37. itaque illi velut integro homini assignant sancti oculos, aures, manus, pedes, alas, et os, quo sua desideria Deo pandat.

I. Habet oculos. Primo, Oculos illi dat Christus, Matth. 5. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ad quod alludens S. Bernardus sermone de triplici genere bonorum, p. 382. ait: *Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: et cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat creatorem. Si vero sanitati corporis sollicita est providenda custodio, puritati cordis tanto sollicitior est impendenda, quanto pars ista dignior illa esse convincitur.* Duo sunt porro cordis oculi. Primus est cogitatio: de quo Luc. 2. v. 35. ait Simeon B. Virgini: *Tuam ipsius animam gladius pertransibit, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Secundus est intentio: de quo Christus dicit Matth. 6. v. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Oculum hic mentem et sensum internum sumunt S. Hieronym. et S. Chrysost. 2. intentionem mentis S. Aug. et Beda. In bonis et malis varii sunt oculi. S. Bern. tract. de præcepto et dispensatione cap. 18. ait, cordis oculum quadrifarie dividi: nempe in bonum, et meliorem: in malum et peiorem.

Cogitationem et intentionem.

II. Aures. Secundo, aures cordis sunt attentio et obedientia. De primo dicit Deus Oseæ 2. v. 14. *Ecce ego lactabo eam* (id est, velut lacte dato animam sanctam ad me alliciam) *et ducam eam in solitudinem* (ne tumultus auditionem vocis meæ impediat) *et loquar ad cor eius*, illud ad mei amorem et cultum impellendo. Leo Hebræus reddit, Loquar in cor eius; 2. consolando et recreando amicis verbis. Syr. vertit: *Demulcebo cor illius;* et Arabs, Loquar in corde eius, et detrimentum non ingredietur intellectum eius. Iesus habet verba vitæ æternæ. Sunt argentum igne examinatum, purgatum septuplum. Ps. 11. 7. Sunt sibilus auræ tenuis docens et confortans Eliam. 3. Reg. 19. 12. De secunda cordis aure, nempe de obedientia, dicitur Ps. 84. 9. *Audiam quid loquatur in me* (stat ad ostium sponsæ, pulsat, et loquitur ingressum petens, ut dominus domus) *Dominus Deus: quoniam loquetur pacem* (felicia) *in plebem suam, et super* (S. Hier. ad) *sanctos suos: et in eos qui convertuntur ad cor.* Græci codices emendati, Psalterium Latinum vetus, et Gallicanum, ac S. Aug. habent, et in eos, qui convertunt cor ad ipsum. Et Psal. 56. 8. *Paratum* (Symm. ἑδραία, stabile, q. d. non paratum in unum aut alterum diem, sed in totam vitam, et ad omnia) *cor meum Deus: paratum cor meum.*

Attentionem.

Et obedientiam.

69. III. Manus, charitatem erga Deum et proximum. Tertio, manus cordis, sunt Charitas erga Deum, et charitas erga proximum. De Christo dicitur Cant. 5. 14. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Tornatiles, id est versatiles, at agiles ad omne bonum atque ad omnem beneficentiam dicuntur, ait Iustus Orgelitanus; 2. aureæ erant, et ex corde manabant. S. Gregor. Manus Christi, ait, sunt aureæ, quia quidquid exterius operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur; 3. plenæ hyacinthis, id est opera illa omnia erant cælestia, ut explicat Angelomus. Manus porro Christi tornatiles sunt manus fidelium, qui vacant actioni instar sanctæ Marthæ, puta eleemosynis cæterisque operibus misericordiæ, ut dicit Cornelius: sed ex corde procedere debent, ut Deo placeant: sicut ex corde prodeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, Matt. 15. 19. quæ Deo displicent. Manibus illis charitatis pulsatur ad ostium Sponsi, et aperit S. Aug. in Ps. 93. *Si affectu pio et sincera cordis charitate pulsetis, ille aperiet qui videt, unde pulsetis.*

70. IV. Pedes, affectus bonos. Quarto, pedes cordis sunt affectus boni, quibus 1. vitia fugiamus; 2. virtutes sectemur: sinistra fuge, dextra consequere. Paulus dicit Galat. 5. 16. *Dico autem* (alii dicant quod placuerit) *spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis;* hic est pes sinister fugiens peccata. De secundo pede, id est, prosecutione virtutum ait idem Apostol. 2. Cor 5. 7. *Per fidem ambulamus.* Ephes. 5. 2. *Ambulate in dilectione*, id est, dilectione, Hebr. enim nomen instrumenti ponunt in ablativo cum præpositione *Bet*, id est in. Deus dicit Abrahamo Gen. 17. 1. *Ambula coram me, et esto perfectus*, singuli passus tui sint actus virtutis et perfectionis. Paulus Colossensibus ait cap. 1. 10. *Ambuletis digne Deo*, non tantum hominibus, Deus autem intuetur cor. Hippocrates dicebat, animæ obambulationem, curam esse et meditationem hominibus. Galenus vero volebat, περίπατον, id est ambulationem, vocari γυμνάσιον, hoc est mentis exercitationem et agitationem. Si pedes, id est affectus cordis ad mala ferantur, arctandi sunt sapientiæ compedibus. Psal. 149. 8. S. August. illud meditans: *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis*, dicit Reges illos esse corda hominum, quæ membris omnibus dominantur. Reges, ait, eorum dicuntur animi, et corda eorum, quæ in reliqua membra obtinent principatum: hi vero compedes accipiunt, compedes sapientiæ, compedes verbi. Quare ergo vincula ferrea, et non aurea? *ferrea sunt, quando timent: ament, et aurea erunt;* ita August.

71. V. Alas, id est, desideria. Quinto, cor humanum non modo ambulat, sed etiam volat. Alis enim, id est desideriis, ex omni parte cingitur. Non enim tot in condensa arbore folia volitant et moventur, quot in corde desideria et passiones variæ. Cor est illa bestia, quam vidit Daniel cap. 7. 6. *Post hæc aspiciebam, et ecce alia bestia quasi pardus* (variis maculis et notis variegatus est et versipellis) *et alas habebat quasi avis, quatuor super se*, affectus sunt super cor, quia illi dominantur; 2. sunt quatuor, quia precipuas habet quatuor passiones, nempe amorem, et odium: lætitiam et tristitiam. His et inde orientibus aliis infinitis motionibus cor est omni volucri volucrius et instabilius. Id sciebat S. Bernard. qui lib. de interiori domo, cap. 25. ait: *Cor omni mobili mobilius est, cuius cito in motu est, et motus est ei vita.* Et cap. 62. signatius ad rem præsentem: *Facilius*, inquit, *atomos mundi possem dinumerare, quam motus cordis mei. Velocitas animalium et volatilium meis motibus æquiparari non potest.*

72. VI. Denique os, ad Deum laudandum. Sexto denique, os cordi dat hoc loco Propheta noster. *Tibi dixit cor meum.* Ps. 118. 145. *Clamavi in tota corde meo.* Sicut enim in capite os habemus, quo affectus suos cor explicet, ita anima os internum habet, id est, cor, quo sensa sua aperiat. Ierem. ait cap. 48. 36. *Cor meum ad Moab* (hoc est propter Moab) *quasi tibiæ* (in luctu) *æris resonabit: et cor meum ad viros muri fictilis* (id est propter cives urbis vocatæ. קיר חרש *kir cheres*, id est muri fictilis, seu coctilis, hoc est lateritii) *dabit sonitum tibiarum.* Tropol. civitas parietis seu muri fictilis, est corpus humanum e terra compactum, et concupiscentiis suis concoctum atque in vitiis obduratum, sed illud a Deo in cineres redigetur. Zachar. 9. 7. ait Deus de Azoto urbe Philisthinorum minitante excidium Ierosolymæ post reditum a captivitate Babylonica: *Auferam sanguinem* (minas sanguinis et cædis) *de ore eius, et abominationes eius* (sanguinem victimarum immolatarum idolis) *de medio dentium eius*, id est, ait Hugo, peccata de corde et lingua. Ut enim ait, cor est os animæ. Et vero si naturæ insistamus, Hippocrates lib. de corde docet duos eius sinus

aut ventriculou esse, in quibus spiritus eluborantur: atque dua ora, quæ duos illos sinus uperiant. Cælius quoque lib. 3. cap. 12. ait, per cardis partem dextram munere sauguinem: per sinistrem, proiuicure spiritus.

73. Oratio fiat cum fervore. Itaque S. Laurentius Iustiuianus dat os cordi propter vebementium precum. S. Basil. in Psal. 33. ei assiguut, νοητην κραυγην, spiritulem elamorem. Clemens Alexaudr. lib. 7. Stram. μετα σιγης προσλαλουμεν, ενδοθεν κεκραγαμεν, cum silentio loquimur, intus elumavimus.

Vocem bauc cordis ad Deum dirige, et multum upud cum poteris. S. Bern. serm. 16. In Ps. 90. *Spiritus*, ait, *est Deus, et in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire. Sicut enim* uan *faciem haminis respicit, tamquam homa, sed magis intuetur cor: sic od cordis potius vocem quom corporis, aures eius, cui merita dicitur, Deus cordis mei.* Mosi taceuti ait Deus Exod. 14. 15. *Quid clamas ad me?* Et hoc clamore tacente evlelt, ut populus Isreel evaderet e munu Pharsonis et furentis Ægyptiorum exercitus; utque sicco pede mure trausierit *submersis* Ægyptiis, Ipsoque Pharuone. Puschusius Ratbertus lib. 3. in Ieremiam: *Magnus est*, inquit, *ad Deum clamor, non vocis magnitudine, sed magnanimitate cordis. Clamat cor nostrum non sona vocis, sed cogitatiouum sublimitate caucentuque virtutum.*

74. Vers. 8. 2. Pars. Cor suum David ut sisteret, in Deo una figere studebat, ideo tota coutentioue illum quærebat, vers. eod. 8. Faciem tuam Domina raquiram, id est, iterum atque iterum quæram. Arabs vertit, faciem tuum requiro, at lumen fuciei tuæ vebementer cupia. Apallin. cuusam desiderii uperit, cum vocat, φαος ευαυγητον, lumen fuustum. Mugn. blaudum fuciem.

In visione Dei sita est formalis beatitudo. Nota, in visiane Dei sita est formulis et essentiulis beutituda sanctorum, ut docet S. Thom. 1. 2. quæst. 3. 8. Ultimu, inquit, et perfecta beatituda nou putest esse nisi in visiona divinæ essentiæ. Et S. Aug. in Ps. 35. cauc. 2. *Quæ est futura gloria nostra, uisi videre Deum?* Vide dictu Ps. 15. 11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (Vatabl. vertit, satietas gandiorum in couspectu tuo est) *delectatianes* (S. Hierou. decores) *in dextera tua usque in fiuem.* Et Ps. 16. vers. ult. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, ubi docui cum Valentia essentiam beatitudinis consistere in uctibus intellectus et voluntatis sic sumptis. S. Bern. serm. 11. In Cantic. illud degustans, cap. 1. 1. *Meliora sunt ubera tuo vino, fragrantio unguentis aptimis*, eit: *Qui replet in bouis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenituda lucis; ipse voluntuti multituda pacis, ipse memariæ costiuuatio æternitatis.* Sic erit omnia in omnibus. Quuntopere autem id requirut idem S. Puter, postea declurut: *O veritas*, Inquit, *charitas, æternitas. O beato et beatificans Trinitas, ad te mea miseria, Trinitas, miserabiliter suspirat, quaniam a te discedens infeliciter exultat. Discedens o te quantis se intricorit erroribus, dolaribus, timoribus.* Hæc omnia malu cessabunt, et omuia baua incipient, cum Dei visione perfruemur. S. Augustin. serm. 4. de verbis Damini: *Erit*, inquit, *tunc Deus omuia in omnibus, nec erit ulla infelicitas, quæ nos exerceat: sed felicitas sola, quæ pascat: ipse autem pastar noster, Deus noster, ipse potus noster, Deus noster, honor noster, Deus noster: divitiæ nostræ, Deus noster: quæcumque hic varia quæris, ipse tibi unus amnia erit.* Et lib. 3. de libero urbitrio cap. 25. Tantu est, Inquit, iucunditas lucis æternæ, ut etiumsi nan liceret amplius in ea manere, quam unius diei maru, propter hoc solum innumerubiles anui buius vitæ pleni deliciis et circumflueutiu temporalium banorum recte meritoque contemnerentur: non enim falso ac parvo affectu dictum est Ps. 83. 11. *Melior est dies una in atriis tuis super millia.* Tractatu uutem 24. in Ioan. ait, lumen illud e facie Dei cuicuns esse requirendum. *Extendat*, iuquit, *anima cupiditatem suam, et sinu capaciore quærat comprehendere, quod oculus non vidit, nec uuris audivit, nec in cor hominis ascendit: desiderari potest, concupisci potest, verbis explicari nan potest.* Vide lib. 13. Conf. cap. 15.

Nota secundo, pro *faciem tuam*, Hebr. est פניך *phanecha*, facies tuus, ut vertit Arias et Caietanus. Vertere quis posset *personas tuas*. Has enim etium iu Trinitete significut *phanim*, ut docet Mercerus in thesauro linguæ sanctæ. David ituque dicit *faciem tuam* (seu facias tuas) *requiram*, id est unam essentiam sed tres personas. Facies dicitur *phanim a phana*, id est uspicio, quod aspiciat huc atque illuc, uit R. David. 2. quod sit in hamina, id quad pulchritudine cætera membra antecellit, et omnium oculos et aspectum ud se rapit. Sed Deus lange mugis, qui est totus facies, sicut sol. Iu Deo, si placet, facies diversas udvertes. Licet enim sit simplicissime entitas et indivisa, facies tumen bubet varias. Suu enim facies est bonitati, sapientiæ, poteutiæ, Iustitiæ, misericordiæ, et cæteris uttributis. Explicari boc commade potest. Primo iu Imaginibus in quibus tres diversæ formæ apparent: una scilicet, eum tabellam Integram directu acie aspicis: altaram, eum in dexteram partem deflexeris: tertiam vera, eum In siuistram. Secundo, iis imaginibus, quæ varios colores Immatæ repræsentant rationa uccessus aut recessus ab eis; elevutionis aut depressionis, licet Iu iis res unica tantum uit depicta. Habeo ego chartaceum imagunculum, In cuius parte dexteru est domus rusticu, prope quem pastores oves suas et boves servunt, iu parte sinistra sunt arbores. Cum rectam quis tenebat, et uibi prorsus abversam imuginem, nullus calor apparet præter nigrum et album, sicut iu quibuslibet imaginibus videntur: cum vero paululum inflectit, tum subviridis et vividus color oculos recreat: si ultius erigutur, tum coccineus colar urdere videtur luteo utqua cæruleo permistus. Deniqua quamcumque in fuciem verteris, navi semper aliquid apparet.

Imagines raro artificio mutantes pro diversitate aspectus. Quad accidit, siva immata oculo Imuginem loco vel situ mutes, sive imagine nan mata oculum uut remavees, aut admaveas propius, uut in alia loca eumdem vel urborem, vel damuuculam, val agricolas aspicias. Quo nibil in eo genere vidi udmirubilius. Imagiuum harum axarnutor est Domiuus I. B. de la Nuua Sacerdos, eui ub tredecim circiter anuis hoc secretum Innotuit. Hæc uutem describo uuuo 1646. mense Iulio. Deus in se unus est, a variis tamen vurio modo videtur pro ratiaue gratiæ, et luminis gloriæ: tantamque in hac infinito speculo varietatem rerum Sancti et Angeli intuentur, ut novum semper obiectum videutur.

ARTICULUS II.

Quomodo David a parentibus suis relictus est, et o Deo ossumptus? Ubi de expositis pueris servatis agitur.

Summam derelictionam suam et Dei ergu se benevalentium David declarat, cum ait se ab ipso patra suo et matre esse derelictum, a Deo vero in tutelam assumptum, 76. Vers. 10.
v. 10. Quoniam patea meus at matau mua duuuliquerunt ma: Dominus (id est, tu Domine: sæpe honoris cuusa sic Deum ulioquitur In tertia personu, sicut nos Reges) autem assumpsit mu.

David quomodo derelictus a patre et matre? 1. Quæres. Quomoda David relictus est a patre et matre? Triplex et commadus sensus hic dari potest. Primus Caietani, S. Thomæ, Th. Auglici, et uliarum est. q. d. pater meuuet muter mea ne iuci quidem memoriam aut mentionem fecerunt, cum Samuel Prophetu veuit In Bethlehem ad corum domum, ut unum ex filiis in Regem designatum ungeret ud regnandum post mortem Saulis Regis. Tunc puter meus, Isai seu Iesse fratrem meum Eliub ei primo proposuit ungendum, deinde Abiuudab, tertia Sumima, at postea quatuor alias: vixque Samueli sciscitanti numquid esset residuum, contemptim respondit 1. Reg. 16. 11. *Adhuc reliquus est parvulus, et pascit oves*, q. d. non est ullus superstes, qui sit aptus ad reguandum. Nam qui restat, est parvulus, natus tantum annos 20 et aptior est pascendo pecori quum regendo populo. Sed Deus abiectum mo assumpsit. Nam de Eliub dixit Samueli v. 7. *Ne respicias vultum eius* (venerabilem, virilem, maiestatis plenum) *neque altitudinem staturæ eius* (dignam imperio, sicut iu

Saule contigerat, qui toto capite præ aliis eminebat) *quoniam obieci eum*, ne sit rex. Chald. elongavi a regno scilicet. Sept. contempsi eum; 2. de Abinadab. Samuel ait v. 8. *Nec hunc elegit Dominus;* 3. de Samma v. 9. *Etiam hunc non elegit Dominus;* 4. de aliis quatuor suo ordine adductis etiam ait, v. 10. *Non elegit Dominus ex istis;* 5. statim ut David ægre a caulis agrestibus aut pascuis evocatus coram Samuele comparuit, dixit Deus v. 12. *Surge, unge eum: ipse est enim.* Ecce tibi assumptum non ab hominibus, sed a solo Deo, 1. absentem; 2. parvulum; 3. inter octo fratres natu minimum; 4. pastorem ovium; 5. a parentibus ita neglectum, ut ne ad mentem quidem vel os veniret, non quod ab iis non amaretur, sed quod tanto oneri impar iudicaretur.

II. Secundo, *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, q. d. Pater meus et mater mea desierunt esse in vivis in terra Moabitide, ad quam transfugi, et in qua hunc psalmum conscribo et concino, tu vero me Domine paterna maternaque cura protegis orphanum. Patre mortuo timere poteram, ne a fratribus, cognatis aut affinibus desererer, aut proderer, aut minus ardenter amarer. Sed tu Deus omnibus rebus meis provides. Scio Abulensem q. 8. in 1. Reg. cap. 22. censere Davidem cum parentibus a Moabitarum regione in terram Iuda revertisse: sed magis placet Salianus, qui anno mundi 2974. n. 11. docet, eos in Moabitarum regione esse defunctos, quod nulla deinceps eorum mentio habeatur: nec probabile sit, Davidem decrepita ætate parentes vexare voluisse, crebris locorum, quæ imminebant, mutationibus. Ubi adverte, cum David esset in Moabitide, sub parentum mortem missus est ad eum Gad propheta, qui Dei monita diceret: *Noli manere in præsidio, proficiscere, et vade in terram Iuda.* Suspicatur Abulensis loco citato, cepisse regem Moab moliri dolum et proditionem erga Davidem, ut eum traderet Sauli postulanti: sicque per caput innocentis, regis illius fortasse minas intentantis amicitiam mercaretur. Varias causas affert Salianus.

III. Tertio, *Pater meus et mater mea dereliquerunt me*, q. d. cum Saul rex me persequatur; parentes mei me reliquerunt, non potentes mihi ferre auxilium, aut salutem dare, contra tam potentes hostes qui me impugnant. Ita Titelm. Genebr. Iansen. Theodorus, et alii.

77. Sinus Dei bonum est hospitium. Ubi nota pro, Dominus *assumpsit me*, esse in Hebr. יאספני *iaaspheni*, id est, colliget me, ut vertit Caiet. et Paguin. collegit me, ut S. Hieron. et Felix; colligit me, ut Vatabl. Verbum hebr. est in futuro, sed late patent verba hebraica, et tempus sæpe pro tempore ponitur; atque omnia significant. Arabs reddit, hospitio excepit me. Petav. significanter expressit ἀλλ' ἐμὲ μονωθέντα θεοῦ ὑπεδέξατο κόλπος, sed me desolatum et ab omnibus desertum Dei excepit sinus. Bonum, dulce, utile, et securum hospitium. Genebr. ait, David se comparat puero exposito, nedum pupillo. Talmudici tract. de sponsalibus vocant אספים *asaphim*, pueros expositos, quos aliquis eripit periculo, et in suam domum tollit.

78. Expositos pueros Deus illustravit. Nota secundo, sæpe Deus pueros expositos ad magnas dignitates evexit, ut et hominum barbariem condemnaret, ac pietatem suam et providentiam ostenderet. Vide dicta Ps. 21. 11. *In te proiectus sum ex utero.*

I. In Africa. Orbem terrarum mecum decurre. Primo, in Africa ab Ægyptiis pueri Hebræorum in Nilum proiiciuntur, Moses ipse a parentibus licet invitissimis, sed Pharaonis edicto coactis, ad eiusdem fluvii ripam abiicitur natus tres menses, Exod. 2. 3. inde extractus a filia Pharaonis est adoptatus v. 10. ut scilicet regno succederet, ab eaque dictus est Moses: quia de aqua tulerat eum. Hebr. enim משה *masciach*, significat trahere vel extrahere. Iosephus dicit esse vocem Ægyptiacam. Nam *mo*, in Ægypto esse aquam, *ises*, esse servatus, q. d. ab aqua servatus. Secundo, ob occisum Ægyptium, qui crudelius agebat cum Hebræis, coactus est fugere in Madianitidem, et ibi oves pascere soceri sui Iethro, sed inde a Deo evocatus mittitur in Ægyptum liberator populi sui, et terror ac flagellum, imo Deus Pharaonis ipsius, et totius regni cap. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, id est regis. Hoc enim erat nomen commune regum Ægypti, sicut Arsaces Parthorum, et Assuerus sive Artaxerxes Persarum. Tunc autem Ægyptiis imperabat Pharao Amenophis, ait Torn. Chemres ait Salian. anno mundi 2543. ab exitu Abrahami de Chaldæa 430. ante Christum 1540. Deus autem constitutus est Moses per participationem divinæ eminentiæ et potestatis, qua rebellem et obstinatum regem ad libitum sine ulla difficultate punivit, plagis ad eius vocem incipientibus et cessantibus. Non poterat ad palatium ascendere, nisi in flumen abiectus esset: nec regibus imperare, nisi extorris ad pecora pascenda depressus servivisset. Non tantum qui se humiliat, sed etiam qui humiliatur, sæpe exaltatur.

II. In Asia. In Asia, Semiramidem nobis fabulæ ostendunt: eam, ut ait Diodor. lib. 2. cap. 2. memorant a matre Derceto expositam, παραδόξως καὶ δαιμονίως, præter opinionem ac divino modo nutritam, tandem Nini Assyriorum Imper. uxorem fuisse, atque post eius mortem toti propemodum Asiæ imperavisse. A columbis nutritam esse putant, indeque illi factum nomen. Herodotus in Clio refert, quod Cyrus Harpago traditus ut exponeretur, a bubulco servatus sit (alii a cane conservatum dicunt) et Astyagem, cuius iussu abiectus fuerat solio deiecerit, atque a Medis ad Persas imperium transtulerit.

III. In Europa. In Europa denique Hiero genitus erat patre Hieroclyto nobili viro, sed maternum illi genus sordidum, ex ancilla enim eum susceperat, ideoque a patre, *velut dehonestamentum generis* expositus est. Sed ab apibus nutritus evasit, tandemque regnum Siciliæ obtinuit, ut tradit Iustinus lib. 23. Agathoclem quoque Carcinus eius pater exposuit atque adhibuit, τηρήσοντας ἵνα τελευτήσῃ, qui observarent eius interitum: sed a matre extractus cum figulinam exercuisset, primo miles, deinde dux, denique Siciliæ rex constituitur, ut ait Diodor. lib. 19. Romulum et Remum ipsi scholarum parietes agnoscunt miro modo servatos. Crediderim ego plerosque expositos esse a nece servatos, deinde veritati fabellas intermistas, ut res posteris admirationi esset.

79. Relictus ab hominibus ad Deum fuga. Ad Deum itaque recurrendum est, cum iam abiectus es, aut abiiciendus, ille te enutriet fovebitque. Ælian. lib. 2. var. hist. cap. 7. pulcherrimam Thebanorum legem recitat, qua illis erat cautum, ne quem puerum exponerent: sed qui illis alendis essent impares, *statim a materno partu ad magistratum cum ipsis fasciis afferrent*: qui acceptum alicui traderent levi pretio, ut bona fide infantem aleret, atque adultum servi vel servæ loco haberet. In Deum nos omniaque nostra abiiciamus, non deerit sanguine filii sui redemptis, qui ipsas aviculas enutrit. Ridiculum est quod ait Alexander ab Alexandro l. 2. scilicet in Corsica insula mulierem puerperam editæ prolis nullam curam gerere, sed virum domi abditum infantilis educationis curam atque onus ferre. Sed quod in viris ridetur, hoc in Deo est summopere amabile. Ille enim est loco patris, et matris, tutoris, fratrum, affinium, amicorum, omnium denique. Est Deus omnia in omnibus. Corsorum mos ridiculus. S. Aug. in Ps. nostr. *Deus*, ait, *pater est, quia condidit, quia vocat, quia iubet, quia regit. Mater, quia fovet, quia nutrit, quia continet.* Quod Ugo Card. declarans ait: Pater est, quia nos condidit per creationem, vocat nos per timorem, iubet per doctrinam, regit per gratiam. Mater est, quia nos fovet per exempla, nutrit per opera, lactat per dulcedinem interiorem; ita Ugo. Moses ostendit Deum patrem fuisse Hebræorum in deserto. Deut. 2. 31. *Portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo portare parvulum filium suum in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum*, id est, in campestria Moab, nempe in Abelsatim, quæ fuit 42. et ultima mansio eorum in deserto: ibi Moses iamiam moriturus, anno 40. exitus ab Ægypto Deuteronomium pronuntiavit, ut populus novus mox Iordanem transiturus hac secunda legis promulgatione incitatus cum Deo fœdus renovaret, atque illi fideliter et constanter serviret. Matrem nobis Deum sic loquentem inducit Isaias cap. 49. cap. 15. *Numquid oblivisci potest mulier*

infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? et si oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui.

80. Tropol. I. Pater peccatoris est dæmon: mater est malitia.

Tropol. *Pater meus et mater mea dereliquerunt me*, id est, diabolus et malitia eius. Ita Origenes. Verba eius sunt. Beatus est qui a diabolo derelinquitur, et coniuge ipsius malitia; ex qua filios iniquitatis parit: quemadmodum Paulus per Evangelium Galatas genuit, sic et malos per malitiam diabolus generat. In hac, inquit, ingruente in me calamitate et ingressu inimicorum, neque pater, neque mater mihi præsto fuit, sed tu pre omnibus mihi auxiliator fuisti. Ita Origenes.

II. Pater est diabolus: mater societas mala.

Secundo, *Pater meus et mater mea dereliquerunt me*, id est, diabolus et societas impiorum; ita S. August. Beda, Ugo, Ruffin. Ludolp. Hierun. Th. Lombard. Verba Aug. sunt: *Pater secundum sæculum diabolus est, et fuit nobis pater cum essemus infideles. Nam infidelibus dicit Dominus Io. 8. 44. Vos a patre diabolo estis. Si ille pater omnium impiorum, qui operatur in filiis diffidentiæ, mater quæ est? Est quædam civitas quæ Babylonia dicitur. Civitas ista, societas est omnium impiorum ab Oriente usque in Occidentem: ipsa habet regnum terrenum. Secundum hanc civitatem respublica quædam dicitur, quam modo videtis senescere et minui. Hæc prima fuit mater nostra, in hanc nati sumus. Cognovimus alium patrem Deum, reliquimus diabolum. Quando enim audet accedere ad eos quos ille suscepit qui superat omnia? Cognovimus aliam matrem, Ierusalem cælestem, quæ est sancta Ecclesia: cuius portio peregrinatur in terra: reliquimus Babyloniam.* Lege cætera.

III. Pater et mater sunt Adam et Eva.

Tertio, *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, id est Adam et Eva inducendo super me peccatum originale, et pœnalitates varias ex illo peccato sequentes. Ita Dionys. Turrecr. et Ioan. a Pastura, qui speciatim notat cum Iansonio, a peccato originali ortam, nobis relictam esse pronitatem ad malum et difficultatem ad bonum. Cassiodor. moriendi necessitatem. Beda et Remig. nos esse a primis illis parentibus exhæredatos, id est, iure ad hæreditatem cælestem privatos. Nascimur enim filii iræ.

81. IV. Mundus et caro.

Quarto denique, *pater meus et mater mea dereliquerunt me*, id est mundus et caro; ita Ugo, Thom. Anglic. et Richard. Pampol. et S. Bern. in serm. qui incipit, Iustum deduxit. Mundus quidem pater est, quia sicut pater filium suum variis curis et negotiis cupit implicari, ut ditescat et honorem sibi atque gloriam comparet, ita mundus nunquam patitur servos suos esse otiosos atque domi quietos, ut in Alex. Pyrrho, Cæsare aliisque videre est. Caro autem, mater est, quia umbram amat, quietem, mollitiem, et in deliciis nutrit filios suos. Mundus autem et caro deserunt eos a quibus deseruntur, qui cum Paulo dicunt Gal. 6. 14. *Mundus mihi crucifixus est* (id est mortuus. Ita S. August. 2. eum aversor et horreo instar cadaveris in cruce suspensi et putrescentis ac fœtentis; ita S. Th. et alii) *et ego mundo*. Et qui, sicut ait idem c. 5. 24. *Carnem suam* (id est corpus, ait S. Ans. 2. carnalem concupiscentiam) *crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Mundum patrem et carnem matrem Ugo denotari putat Ezec. 16. 3. *Radix tua et generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa*, id est garrula: concupiscentia enim semper clamat, affer, affer. Prov. 30. 15. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, affer, affer.* Sed hoc etymon non placet. Nam חתית *chittit*, id est Hathæa seu Cethæa est confracta, contrita; 2. formidans; 3. stupens. Amorrhæus vero, est amarus; 2. rebellis; 3. loquax; 4. sermone celebratus. Hinc S. Hier. melius ait in Ezech. comment. *Illius pater appellatur Amorrhæus, qui interpretatur λαλουμενος, id est multo sermone celebratus: et mater tua Cethæa, id est εξιστωσα, quæ vel ipsa insanit, vel alios mittit in amentiam. Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo natus est. Unde et in toto orbe, huius antiqui patris famosum vocabulum est, et multos vertens in amentiam. Præcipiturque Ierusalem, ut relinquat antiquum patrem, et dicitur ad eam: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum.*

Sed quomodo Deus assumit a diabolo vel mundo, et a carne et mala societate: vel, ab Adamo et Eva derelictos?

82. Derelictos Deus assumit tribus modis.

Primo, naturam nostram assumendo; ita Dionys. Thom. Angl. Palant. Secundo, *Assumpsit me*, in curam et protectionem; ita Ianson. Tertio, per suam misericordiam exaudiendo me, et conservando in se; ita Dionys. Sic Ismaelem ab Agare matre sua derelictum et abiectum subter unam arborum exaudivit eiulantem, et aqua ostensa servavit. Gen. 21. 17. Sensus itaque est ait Bellarm. Ego sum instar infantis recens nati, quem pater et mater dereliquerunt humi iacentem atque omni iniuriæ expositum. Tu autem Domine, ita abiectum et desolatum, benignissime collegisti et fovisti. Vere enim si quis fragilitatem naturæ humanæ consideret, et hostium invisibilium potestatem, et quantopere Dei gratia in omnibus actionibus egeamus, nullo modo negari poterit, nos infantibus a parentibus neglectis rectissime comparari. Porro S. Ezechias usque adeo rem hanc intelligebat, ut non infanti, sed pullo hirundinis seipse comparaverit. Isai. 38. 14. *Sicut pullus*, ait, *hyrundinis, sic clamabo.* Pueros in platea expositos, et inde e terra elevatos ut alerentur vocabant Græci χαμευρετας, q. d. in terra inventos, et χαμαιρρεπεις, q. d. a terra raptos. Quarto itaque, *Dominus nos assumit* a terrena conversatione et vita, et in filios adoptat; ita Remig. et Thom. Angl. atque omnia officia patris et matris erga nos exercet, 1. vocando; 2. iubendo; 3. regendo; 4. fovendo; 5. nutriendo; 6. lactando; 7. continendo; 8. castigando; 9. amando; ita Ruffin. Beda, Ludolph. Lombard. Ugo et alii per fidem nos illuminat, et Ecclesiæ suæ aggregat, ut S. August. exponit. Denique assumit in cælum; ita Beda. Assumpsit me, ait, fovendum, nutriendum, consolandum temporalibus bonis, et beatificandum æternis. David ait Ps. 88. 19. *Domini est assumptio nostra* (S. Hieron. protectio nostra. Psalt. Illyricum, propugnaculum nostrum) *et sancti Israel regis nostri*, id est, Christi, per quem salvati sumus. Dic illi cum eodem in Ps. nostr. v. 9. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Græc. μη αποσκορακισης με, id est ne ad corvos obiicias me, ait Theodoretus, q. d. ne peream ad malam crucem damnatus, ubi oculos eruant corvi, et carne mea pascantur: vel simpliciter, ne velut vile cadaver abiiciar in solitudine, ubi sunt tantum aves rapaces; 2. ne instar scoriæ me abiicias. Sic Apostolus dicit, 1. Corinth. 4. 13. *Facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Peripsema, id est abiecta scobs, et ramentum, ac res vilissimæ, quæ abiiciuntur, et ab omnibus calcantur; 3. ne me abiicias, sicut corvi solent pullos suos abiicere, de quo vide Ps. 146. 9.

ARTICULUS III.

Quænam et qualis terra viventium, morientium, et mortuorum?

83. Vers. 13. Hebr. videre in bono est videre bonum.

DAVID ab omnibus desertus in Deo spem suam defigit, et bonorum futurorum expectatione se sustentat, v. 13. CREDO (Petav. explicat, ελπομαι, spero) VIDERE BONA DOMINI (quæ sunt a Domino; 2. quæ sunt in Domino, ait S. Thom.) IN TERRA VIVENTIUM. Nota Hebr. est, *videre in bono Domini*, id est, bonum. Est Hebraismus. Sic Psal. 105. 5. dicitur: *Ad videndum in bonitate electorum tuorum.* S. Hieron. vertit, ut videam bona. Ecclesiastes 2. 1. *Et fruar bonis.* Hebr. videbo in bonis.

84. Deus dat bona cum bonitate et suavitate.

Nota secundo, pro *bona*, Hebr. est טוב *tub*, hoc est 1. bonitatem. Caiet. vertit: Nisi credidi ad videndum in bonitate Domini; 2. *tub*, id est benignitatem, beneficentiam. Arabs reddit, Ego credens sum quod videbo gratiam Domini. Sic Ps. 104. 1. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Gr. χρηστος, utilis, commodus, benignus, benevolus, beneficus; 3. *tub*, id est lætitiam, suavitatem; 4. denique *tub*, id est felicitatem. Petav. πολυηρατον ολβον, amabilem felicitatem. Ama illam, datur amantibus.

85. Credo pro spero.

Nota tertio, *credo* sumi potest pro actu proprio fidei, et sic sumit S. Fulgentius lib. ad Monimum, cap. 11. et lib. de Incarnat. et gratia Christi, cap. 23. Secundo, pro

spero. Sic Matth. 8. 13. ait Centurioni indignum se dicenti, ut sub eius tectum intraret: *Vade, et sicut credidisti* (id est sperasti) *fiat tibi*. S. Bern. serm. 3. de Annunciat. *Sola spes, ait, apud te Domine miserationis obtinet locum, nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis.* De fide tamen proprie sumpta locum illum Matth. possis accipere: unde Arabs vertit, secundum fidem tuam. Quamquam et hic pro fiducia sæpe sumitur. Sunt ita nexæ illæ virtutes, ut vix a se divelli possint.

Nota quarta, in Hebr. ante τo *credo* ponitur לולא *lule*, id est *autem*. Hinc S. Hier. vertit, Ego autem credo quod videam bona Domini in terra viventium; 2. *lule*, id est, nisi, si non. Unde Vatabl. reddit, Si non credidissem me visurum cum voluptate bonum Domini in terra viventium. Sed difficile est hæc iungere cum præcedentibus aut seq. ut patet; 3. Septuag. acceperunt *lule* quasi interiectionem ornatus, unde illam non expresserunt, neque Noster. Sic sæpe sumuntur *chi* et *vau*.

86. Terra viventium est: Quæres tandem, Quænam est illa terra viventium? Primo, Mariana totum hunc orbem sublunarem videtur intelligere, cum explicat, q. d. in hac vita, antequam moriar. Sic de Christo dicitur Isa. 53. 8. *Abscissus est de terra viventium*, id est ab hac vita; et Ps. 51. 7. doloso ac

I. Tota terra. maledico minatur David: *Deus destruet te in finem: evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

II. Et maxime, Iudæa. Secundo, *Terra viventium* est terra promissionis, id est Iudæa, a qua tunc exulabat David apud Moabitas. Sensus itaque est: *Credo*, id est spero, *videre*, id est me visurum, bona *Domini*, id est beneficia in me et populum universum collata, *in terra viventium*, id est mea patria Iudæa; ita Hebræi, Caiet. Iansen. qui per bona Domini intelligit regnum, altam pacem et omnia bona Dei in hac vita; Agellius, et Lorinus, qui per bona Domini, accipit voluptatem eius quam prius se desiderare dixerat invisendo templum. Latius patere arbitror.

87. Iudæa dicitur terra viventium, ob quatuor rationes. Quæres secundo, cur Iudæa potius dicatur terra viventium quam alia terra? Primo sic appellatur quod esset feracissima rerum omnium ad vitam sustentandam necessariarum. Adeo, ut ipsi exploratores missi ex Cadesbarne, quod est in deserto Pharan, ad eam percurrendam, licet ab ea vellent avertere populum ob gigantes, tamen

I. dixerint Num. 13. 28. *Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle*, id est, est fertilissima. Hyperbole est ob pascua pinguia, ibi etiam mel reperitur in sylvis.

II. Secundo, Iudæa dicitur *terra viventium*, quia diu ibi vivebatur, ut patet in Abrahamo, qui longe post diluvium nempe annis 292. vixit annos 175. in Isaaco, qui vixit annos 180. in Iacob, qui 147. Sic Suecia posset dici terra viventium, in qua etiamnum diu vivitur, et sunt qui vitam protrahant ad 130. aut 140. annos, ob puritatem aeris, ut tradit Petr. D'auityto. 3. in Suecia pag. 1069. Talis proprie esset ea regio, ex qua fabulabantur educendos eos, qui animam agebant, quod in ea mori non possent.

III. Tertio, Iudea dicitur *terra viventium*, quod ibi cognosceretur et coleretur Deus vivus et vivificans, in aliis regionibus idola inanimata, et homines mortui. Vocatur, Deus vivens, Hebr. 10. 31. Deus vivus, Psal. 41. 3. Deus immortalis, 1. Timoth. 1. 17. Ideo inquit Agell. terra viventium appellabatur: quia ibi erat Arca et tabernaculum, et ibi divinæ virtutis maior significatio, quam in aliis terris edebatur. Ezech. 26. 20. et 21. dicit Deus Tyro urbi inclitæ et regiæ maris: *Cum dedero gloriam in terra viventium*, id est cum reddidero pristinam felicitatem et gloriam regno Iuda. Chald. reddit, gaudium in terra Israel dabo. Post reditum a captivitate terra Iuda et terra Israel idem erant, *in nihilum redigam te*, id est tuam gloriam, imperium, opes, delicias, merces, palatia, templa, deos, homines, *et non eris*. Te enim Alexander destruet, nec resurges cum tanta gloria et potentia.

Ubi nota, quod animæ vita est cognitio Dei et virtus inde consequens. Thalassius ad Paulum Presbyt. centur. 4. n. 56. ξυλον ζωης γνωσις εςι Θεȣ ȣ μετεχων ο καθαρος αθανατος

A διαμενει; *Lignum vitæ est scientia Dei, cuius particeps vir purus permanet immortalis.* Paschasius Ratbertus in prolog. lib. 5. in Matth. *Verba Dei, ait, verba vitæ: quia non in his flos eloquentiæ redolet sæcularis, sed fructus vitæ.* Et S. Bernard. serm. 2. in die SS. Apostolorum Petri et Pauli: *Fructus vitæ*, inquit, *sunt verba Dei, non folia.* Contra vero, ut ait S. Basil. in exhortat. ad Baptismum: Θεȣ αγνοια, θανατος εςι ψυχης; *Dei ignoratio, mors animæ est.* In Iudæa reddebantur Dei oracula, et ibi Scripturæ sacræ servabantur, quæ sunt veluti paradisus terrestris, ubi est arbor vitæ. De psalterio quidem Davidis ait Cassiodor. lib. de divin. lection. cap. 4. *Psalterium est paradisus animarum poma continens innumera, quibus suaviter humana mens saginata pinguescat.* Et S. Chrysost. de tota Scriptura generatim agens hom. 1. ad popul. postquam dixit, in ea velut in prato, πολλα και ποικιλα τα ανθη, multos et varios flores, και πολλην ροδωνιαν, et amplum rosarium, multas violas, nec pauciora lilia, subdit. Imo vero non tantummodo pratum, αλλα και παραδεισος εςι των B θειων γραφων η αναγνωσις, sed *etiam paradisus est divinarum lectio Scripturarum. Non enim fragrantiam solum nudam habent eius flores: sed et fructum, qui animam nutrire possit.* Negesne ibi esse terram viventium, ubi est paradisus?

Quarta denique, Iudæa dicitur *terra viventium*, id est IV. Iustorum, Prophetarum, Patriarcharum, qui virtutibus Deo vivebant. Ut enim ait Christus Matth. 22. 32. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob* (citat dictum Mosi Exod. 3. 6. et 15. deinde ait) *Non est Deus mortuorum sed viventium*, qui in limbis tunc vivebant secundum animam, et brevi post in Christi Resurrectione erant victuri secundum corpus, quique in terris magna virtute fuerant præditi. Virtus est animæ anima, et vita vitæ. Nam, ut ait Thalassius centur. 4. n. 25. ωσπερ σωμα κατα φυσιν ψυχη ζωοποιει, ȣτω και ψυχην αρετη και γνωσις; *Sicut anima corpus secundum naturam vivificat, ita et animam virtus et scientia.* Contra vero, ut dicit S. Laur. Iustin. tract. de ligno vitæ: *Cuncta delectationis pocula mor-* C *talia.* Hinc Ps. 5. 11. David ait de hostibus suis, *Sepulcrum patens est guttur eorum*, anima enim eorum mortua intus erat, veluti cadaver fœtens, et putredinem suam per os exhalans. Vide ibi dicta ex variis peccatoribus applicata. Christus Matth. 23. 27. comparat Scribas et Pharisæos sepulcris dealbatis. Quia, sicut dicitur, Proverb. 10. 11. *Vena vitæ* (Arab. fons vitæ) *os iusti: et os impiorum aperit iniquitatem*, quasi mortem et furiam omnibus exitialem. Unde Arabs atque Septuag. vertunt, os impii operiet perditio. Hugo, *Vita vitæ*, ait, *os iusti: e converso, vena mortis est os impii.* Christus est ille iustus, apud quem est fons vitæ Ps. 35. 10. eius verbis nos irrigemus, ut vivamus et vitæ fructus faciamus, tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Vide ibi dicta S. Eucher. Episcop. Lugd. serm. de eo, ubi sunt duo vel tres congregati, etc. *Salutis verba*, inquit, *tanquam vitæ semina agro pectoris commendata velut in germina nutriantur, et quasi in segetem multiplicentur.*

Anagogice, *terra viventium* est cælum et regio Sancto- 88. Anagog. Cælum est terra viventium.
D rum. De illa terra potissimum ait Propheta nostr. *Credo videre bona Domini in terra viventium*; ita S. Augustin. Ruffin. Beda, Theodor. Dion. Genebr. Bellarm. Caietan. Turrecr. et alii. Sic dicebat Ps. 114. 9. *Placebo Domino* (Augustin. in conspectu Domini; ita etiam habet vetus Psalter.) *in regione vivorum.* Vide ibi dicta. S. Ambr. de bono mort. cap. 9. ait, dici regionem vivorum, quia ad eam peccata non penetrant, sed virtutum vivit gloria: istam esse mortuorum, quia plena delictorum, meritoque dictum esse Matth. 8. 22. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Insulas quasdam fingi geographi memorant, in quibus nemo moriatur. (Insulæ in quibus nemo moritur.) Olaus tradit, Islandiam insulam quam multi putant fuisse ultimam Thulen, ita salubrem esse, ut in ea longissimam vitam incolæ ducant. (Islandiæ salubritas.) Sed omnes moriantur necesse est, etiam illi qui apud Ctesiam annos ducentos vivunt in gente Pandoræ, idem de Epais in Ætolia tradit Hellanicus. Mille annis vixisse Hyperboreos quidam tradunt apud Strabonem. De Macrobiis

Adamo, Seth, Mathusala et olile dicitur Gen. 5. v. 5. *et mortuus est.*

89. Cælum terra est felicissima. Caica terra est, cuius aditum mors non invenit, in qua fons vitæ, fluvius vitæ, arbor vitæ, vitæ flores et germina, quæ nulla unquam sæculorum duratione marcescant.

I. Ibi est fons vitæ. Primo, in terra cœlesti fons vitæ est: nempe Deus Pater, ex quo procedit Filius, qui est vita Ioan. 1. 4. et Sancti vitam et lætitiam æternam sumunt. Psal. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate* (Hieron. de pinguedine) *domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ratio statim redditur, v. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Vide ibi dicta. Hieron. vertit *tecum* est fons vitæ, q. d. In teipso est, tu fontem illum circumfers, tu ipse es ille fons vitæ. Unde Deus ipse iure de impiis conqueritur, Ierem. 2. 13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Et Christus Agnus ad Patrem ducens iustos Apoc. 7. 17. dicitur eos deducere ad vitæ fontes aquarum.

90. II. Fluvius vitæ. Secundo, Spiritus sancti est fluvius vitæ. Apoc. 22. 1. *Et ostendit* (Angel.) *mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.* Richard. a S. Vict. et Ioachim Abbas per illum fluvium vitæ intelligunt gratiam Spiritus sancti; 2. Ansbertus prædicationem Evangelii per omnes orbis nationes; 3. Andreas Cretens. ait esse ipsum Spiritum sanctum ὁ ποταμὸς, ait, τοῦ Θεοῦ ὁ πεπληρωμένος ὑδάτων, τὸ ζωοποιὸν πνεῦμα διαπορεύεται, *fluvius Dei, qui supernam Ierusalem larga aquarum copia irrigat, est Spiritus sancti qui ex Dei et Patris throno per Agnum procedit, et per medium supremarum virtutum, quæ divinitatis sedes nominantur, dilapsus sanctæ civitatis plateas ubertim recreat.* Et Ambr. lib. 3. de Spiritu sancti: *Hic*, inquit, *est utique fluvius de Dei sede procedens, is est Spiritus sancti quem bibit qui credit in Christum, sicut ipse ait: Qui sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu. Ergo flumen est Spiritus.* De illo flumine biberat, eoque plenus erat S. August. de quo S. Paulinus ait in epist. ad eum: *Os tuum fistulam aquæ vivæ, et venam fontis æterni merito dixerim.*

91. III. Arbor vitæ. Tertio, Arbor vitæ in medio paradisi situata et virescens ac fructus ferens est Christus. Apocal. 22. v. 2. *In medio plateæ eius* (civitatis Ierusalem in cælo) *et ex utraque parte fluminis lignum vitæ, offerens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem Gentium.* Quod Viegas exponit de Sanctis, sed Ansbertus, Rup. et Beda, melius aiunt, lignum illud vitæ esse Christum, qui sui visione et fruitione beat et satiat Beatos, eisque per 12. menses dat cibum recentem, id est per totam æternitatem eos reficit sine fastidio, folia sunt eius verba, quibus omnes recreat. Dicebat illi Petrus, Ioan. 6. 69. *Domine quo ibimus, verba vitæ æternæ habes*, q. d. Tu es verbum Patris, ideoque habes in te vitam æternam, et eam transfundis in eos quibus loqueris. Cretensis in Apoc. ait lignum illud, id est arborem vitæ, esse Christum, qui progerminat fructus duodecim, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἀδιάλειπτον καρπῶν βλαστάνοντας εὐφορίαν, hoc est perennem fructuum fœturam: folia vero esse tenuiores divinorum iudiciorum notitias: et fructus, consummationem earumdem rerum cognitionem. Et v. 14. ubi additur: *Beati qui lavant stolas* (id est corpora, quæ sunt animæ vestes) *suas in sanguine Agni, ut sit potestas* (Græc. ἐξουσία, id est ius et facultas) *eorum in ligno vitæ*, ait: Interminabili illa vita potitis ius, fasque erit in ligno vitæ: id est, in Christo Deo nostro conquiescere, suaviterque in illius contemplatione sese oblectare. S. Athan. serm. de Pass. et cruce Dom. contemplatur Christum coronam spineam gestasse, et sanguinem in terram fudisse, ut ἀντὶ ἀκανθῶν ἀγαθά, καὶ ζωὴ πέφυκεν εἰς αὐτόν, pro spinis bono, et vita repullularent, et pro spinis lignum vitæ largiretur.

92. IV. Flores et fruges vitæ. Quarto, flores et fruges vitales terræ viventium sunt omnes Beati, tum Angeli, tum homines. Cant. 4. 13. ait Sponsus: *Emissiones tuæ* (munera a te missa mihi Sponso: ita Orig. 2. effusionem aquarum, ita Gilleb. serm. 35. denique 3. propagines plantarum et arborum) *paradisus* (id est hortus deliciosus) *malorum punicorum cum pomorum* (Heb. מגדים *megadim*, id est, fructuum optimorum) *fructibus Cypri cum nardo. Nardus et crocus, fistula* (quæ est brevis arbuscula, quæ et cassia vocatur; 2. est canna continens saccharum) *et cinnamomum, cum universis lignis* (arboribus) *Libani* (Heb. לבונה *lebona*, id est thuris,) *myrrha et aloe* (Symm. thymiama) *cum omnibus primis unguentis*; hæc omnia variis virtutibus applicans. Paradisus est hortus malorum punicorum, id est Sanctorum in perfecta unanimitate et charitate viventium. Cyprus quia calida est, denotet charitatem; 2. Nardus spem, vel charitatem, ut vult Richard. a S. Vict. Crocus charitatem, ut Philo Carpath. Episc. vel divinam sapientiam, ut S. Anselmus. Fistula iustitiam, ut censet Cornelius: orationem, ut Ioan. Carmelita. Cinnamomum pietatem, ut Cosmas Damianus: sapientiam, ut Cornelius. Per fistulam et cinnamomum Philo Carpathius accipit sanctos Petrum et Paulum, qui suæ prædicationis fragrantia et vitæ sanctæ odore totum orbem repleverunt. Et Gillebertus serm. 36. in Cant. Fistula est, inquit, quando sponsa excedit Deo: cinnamomum, quando contemperans est nobis. Per universa ligna Libani intelligit Cassiod. viros eminentes et Doctores. Ligna Libani, ait, pulchritudine, proceritate, et robore præeminent; ideoque sanctos Doctores et perfectos quosque in Ecclesia significant; ita ipse. Myrrha et aloe erunt sancti Martyres, et qui per varias tribulationes se a terra in cælum extulerunt. Omnia prima unguenta, sunt excellentissima Spiritus sancti charismata. Isaiæ 60. 21. Deus ait cælesti Ierusalem: *Populus tuus omnes iusti* (supple erunt) *in perpetuum hæreditabunt terram* (quia sunt) *germen plantationis meæ*, id est, a me plantatum; 2. a me tamquam planta enatum et excrescens. Tunc dicet, id quod Sponsæ suæ Ecclesiæ ait Cantic. 2. 11. et 12. *Iam hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra*, id est Sancti virtutum odore fragrantissimi.

Quinto denique, in cælo erit corona vitæ, qua Beati coronabuntur. Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo coronam vitæ*, id Christus iubet S. Ioan. scribere Angelo, id est Episcopo Smyrnæ urbis Ioniæ in Asia, nempe S. Polycarp. Felicitas Beatorum appellatur corona, 1. quia datur certanti et vincenti; 2. quia ob æternitatem implet totum circulum fine carens; 3. ob splendorem et pretium: gemmas eius 12. vide apud Viegas in Apoc. Dicitur corona vitæ, 1. quia ibi est sola vita, non mors; 2. quia vita involvit delicias, gloriam, divitias, et omne bonum, velut eorum radix et basis; 3. ut nemo timeat hic pro Christo vitam dare miseram meliore atque æterna eam mutaturus. Richard. a S. Vict. *Corona vitæ*, inquit, *promittitur: quia ii, qui donant vitam Deo, cum triumpho pretiosæ mortis perveniunt ad veram vitam, quoniam cum eam servare possent in regno, eam in exilio perdiderunt.* Omnia in cælo vita sunt, est enim terra vitæ; Arabs vertit, Videbo gratiam Domini in terra vitæ. V. Corona vitæ.

Dices, in cælo non est terra, igitur non debet vocari terra viventium. Resp. 1. Ruffin. Terra dicta est per similitudinem, propter stabilitatem. Resp. 2. Quis posset ex Cornelio a Lapide in cap. 5. Matthæi, ubi v. 4. examinat: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Gr. κληρονομήσουσι, id est, ut legit S. August. hæreditate possidebunt. Syr. hæreditatis iure possessuri sunt terram. Sunt enim filii. Terram hic pro cælo accipit S. Hier. in Matth. S. Basilius in Ps. 33. et alii. Cælum enim est terra viventium, ut dicitur Ps. 141. 6. *Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.* In cælo igitur terra quædam est, ait non crasso, opaca, et terrestris, sed subtilis, lucido et cælestis. Ibi enim est paradisus rosarum, liliorum, gemmarum, omniumque deliciarum: at non terrestrium, sed cælestium, quæ mire oculos sensusque Beatorum oblectant: alioquin enim corpora sensusque Beatorum, quæ tam dura, imo Martyria atrocia passa sunt, in hac vita, carerent meritis suis oblectamentis, solaque animæ et mentes eorum essent beatæ, quod est absurdum. Unde 93. Dubitatur, an in cælo empyræo sit terra. 1. Opinio negat. 2. Affirmat.

S. Ioan. vidit Apoc. 21. et 22. civitatem cælestem in quadro positam, et fundamenta eius constructa ex Iaspide omnique lapide pretioso. Hinc et Pythagorici, ait Clemens Alex. lib. 5. Strom. cælum vocant ἀντίχθονα, id est terram ex adverso sitam, vel oppositam terræ nostræ; ita Cornelius, et bene. Nam oculi corporis, Deum, qui est immaterialis, videre non possunt, nec alii sensus attingere: egent igitur aliqua re corporea ad suam beatitudinem.

94.
Bona plurima Sancti videbunt in cælo.

Quæres, quænam bona videbunt Sancti in ea terra?
Resp. visuros primo, Deum in maiestate sua. Is. 33. 17.
Regem in decore suo videbunt. Isaiæ 35. 2. *Ipsi videbunt*
gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Secundo, Deum
trinum et unum. Genes. 18. 2. *Cum elevasset Abraham o-*
1. *culos, apparuerunt ei tres viri stantes iuxta ipsum.* Tertio,
2. Christum in humanitate. Cantic. ult. 1. *Quis mihi det te*
3. *fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te*
foris, et deosculer te, et iam me nemo despiciat. Act. 7. 55.
Ecce video cælos apertos, et Filium hominis stantem a dex-
tris Dei. Iob. 19. 26. *In carne mea videbo Deum Salvato-*
4. *rem meum.* Quarto, aulam supercælestem. Baruch. 3. 24.
O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus pos-
5. *sessionis eius! magnus est, et non habet finem.* Quinto, ci-
bos spirituales, quibus Sancti reficiuntur. Luc. 22. 29.
Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus re-
gnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.
6. Sexto, mansiones diversas. Ioan. 14. 2. *In domo Patris*
7. *mei mansiones multæ sunt.* Septimo, omnem sapientiam.
Ioan. 15. 15. *Quæcumque audivi a Patre meo nota feci vo-*
bis. Ibi Gloss. dicit se fecisse, quod scit se facturum in ge-
8. nerali resurrectione. Octavo, ordines Angelorum. Iob.
38. 33. *Nunquid nosti ordinem cæli, et pones rationem eius*
9. *in terra?* Nono, stolam geminam. Thren. 4. 2. *Filii Sion*
incltyi, et amicti auro primo. Prov. 31. 21. *Omnes dome-*
stici eius vestiti sunt duplicibus, id est gloria animæ, et glo-
10. ria corporis. Decimo denique, opera omnia, quæ fecerunt.
Apoc. 14. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Et quia
ista omnia videbimus in patria, dicit Isai. 60. 5. *Tunc vi-*
debis, et afflues, et mirabitur, et dilatabitur cor tuum; ita
Ugo. Alia adhuc poterat addere, ut infra videbitur. De
illis ait S. Augustinus: *O bona Domini dulcia, incompa-*
rabilia, sempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo
bona Domini?

95.
Oculi etiam corporei in cælo videbunt pulcherrima.

Resp. secundo. Beati non tantum oculis mentis videbunt spiritualia bona Domini, sed etiam oculis corporis videbunt bona eius corporalia. S. Aug. lib. Medit. c. 26. tom. 9. ait de cælo:

Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum.
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum,
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum.
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum:
Inhiantes semper edunt, et edentes inhiant.

Quibus verbis ait Cornel. in cap. 22. Apoc. v. 8. significat fore ibi res floridas, odoriferas, amœnas, quæ visum, odoratum, aliosque sensus pascant, et mira voluptate perfundant. Idem docet S. Anselmus lib. de similitudinibus, cap. 57. *Oculi*, ait, *aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, ossa, medulla, etc. Beatorum mirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur.* Idem asserit S. Laur. Iustinianus de disciplina monasticæ conversat. c. 23. Idem liquet ex visione, quam recenset S. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 36. Erunt enim Beati in cælo empyreo, quasi in æthere suavissimo et felicissimo, quem proinde instar aeris nostri findi et scindi posse (ne Beati in eo, quasi in muro compacti sint) ait S. Thomas in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2. Richardus in 4. dist. 49. qu. 3. art. 4. imo Sancti Basilius, Ambrosius, Damascenus, et Sebastianus Barradius tomo 3. lib. 20. cap. 3. et alii. Denique omnes sensus Beatorum proprias et mirificas voluptates, et sua oblectamenta, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, in cælo habituros, docent S. Thomas, Scotus, D. Soto, Henricus, Maior, et alii, quos citant et sequuntur Suarez 3. parte tom. 2. disp. 47. sect. ult. et Ioannes Sala 12. quæst. 5. art. 5. tract. 2. disput. 14. sect. 14. Hoc est, quod Psal-

A tes suspirat, *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Ideo fluvius hic, arbores et poma ad literam ut sonant, accipi possunt; quid enim obstat? Nam si iis in paradiso terrestri fruitus est Adam, multo magis iisdem fruentur Beati in paradiso cælesti: huius enim specimen et imago fuit terrestris. Ideo veras et naturales aquas esse supra cælos, ex Mose, atque ex communi Patrum sententia docui Genes. 1. 6. Sed per hæc mystice et symbolice dotes beatificæ, ac bonorum et gaudiorum affluentia significatur et repræsentatur; ita Cornel. rosas e paradiso allatas fuisse Theophilo per Angelum habes in vita S. Dorotheæ: ibi lege tom. 1. Surii, die 6. Februarii.

96.
Ex his colligitur, optandum esse excedere ab hac terra morientium.

Hinc collige primo, quam optandum sit ab hac terra discedere, quæ est terra morientium, ut ad illam veniatur, quæ est terra viventium. Hinc Paulus dicebat Rom. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est de corpore mortali. S. Aug. lib. 1. contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 12. liberari, ait, a corpore mortis, est omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam.
B Non enim a corpore mortis impii liberabuntur unquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur; ita ibi. Lege illum lib. de spiritu et anima, cap. 60. et seq. tom. 3. in psal. nostr. ait: *Eruet me Dominus o terra morientium, qui propter me dignatus est suscipere terram morientium, et mori inter manus morientium.* Singulis enim momentis morimur, et velut aquæ dilabimur. Duris quidam apud Plin. lib. 7. cap. 2. refert, Calingos Indiæ gentem octavum ætatis annum non excedere. Mirum id nobis videtur, et tamen singulis momentis morimur. Seneca lib. de brevitate vitæ, cap. 10. *Præsens*, ait, *tempus brevissimum est, adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur: in cursu enim semper est, fluit et præcipitatur: ante desinit esse, quam venit.* Pie hoc et ingeniose declarat S. August. illud Psal. 38. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum quis est*, considerans, et ait: *Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit, de quo torrente ille in via bibit pro nobis, qui iam exaltavit caput. Isti ergo dies non*
C *sunt, ante abeunt pene quam veniant, et cum venerint stare non possunt. Iungunt se, sequuntur se, et non se tenent. Nihil de præterito revocatur: quod futurum est, transiturum expectatur: nondum habetur, dum non venit: non tenetur, dum venerit. Numerum ergo dierum meorum, qui est, non istum, qui non est, et quod me difficilius et periculosius perturbat, et est, et non est: nec esse possumus dicere, quod non est, nec non esse, quod venit et transit.* Ideo, sicut ait S. Petr. Damiani Epist. 17. ad Alexandrum II. Pontificem, in mora fuit apud Græcos, ut, cum quis Imperator creabatur, statim atque esset imperialibus infulis redimitus, sceptroque et corona exornatus, quidam altera manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerret, altera vero stuppam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demollitam, cui protinus ignis adhibetur, et repente in ictu oculi flamma subito vorante, consumitur. Ut in altero debeat considerare, quod est, in altero valeat videre quod habet.

Calingi populi vix octo annos vixisse dicuntur.

Vita hæc est brevissima.

97.
Cavendum quoque ne in terram mortuorum cadamus.

Collige secundo, quam timendum sit excidere ab illa
D terra viventium, et incidere in terram mortuorum, id est in inferos. Ut enim dicit David Ps. 113. 17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.* Ibi est mors secunda. Apocal. 21. 8. *Timidis autem* (qui timent persecutiones, et sibi vim inferre reformidant. Græc. δειλοῖς, ignavis) *et incredulis et execratis* (execrabilibus ob scelera) *et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus* (id est omnibus peccatoribus, qui non verbo, sed opere sunt mendaces, faciunt enim mendacium practicum, id est peccatum) *pars illorum* (τὸ illorum redundat per Hebraismum: pars autem est sors vel hæreditas et portio) *erit in stagno ardenti igne et sulphure: quod est mors secunda.* Mors prima est quodlibet peccatum mortale. S. Greg. Nyssen. orat. 7. contra Eunomium: *In intellectuali*, ait, *natura approximatio ad Deum vera est vita, aversio autem et lapsus a Deo*

mortis nomine nuncupatur. Quapropter princeps malus, id est princeps mali auctor diabolus et mors vocatur, et mortis inventor, sed et mortis imperium habere ab Apostolo dicitur.

98. Vers. 14. 1. Pars. Patientiæ officia quatuor

Modum denique perveniendi ad illam terram viventium in cælo assignat David vers. ult. EXPECTA DOMINUM, VIRILITER AGE, ET CONFORTETUR COR TUUM, ET SUSTINE DOMINUM. Quatuor hic patientiæ Christianæ officia notare possis, 1. Deum velut Ducem et protectorem expectare: *Expecta Dominum*; 2. generose inter hostium tela et enses sine vulnerum timore pugnare: *Viriliter age*; 3. lorica impenetrabili cor munire, ut accepta vulnera fortiter patiatur: *Et confortetur cor tuum*; 4. denique, post fusos hostes coronam sibi a Christo Rege suo dandam præstolari: *Et sustine Dominum.*

1. Deum ducem et protectorem expectare.

Primo itaque, dispositis omnibus ad certamen expectandus est Christus, qui omnia ordinet: *Expecta Dominum*, per spem firmam et perseverantem. Chald. *Confide in Domino*. Syr. *Sperate in Domino.* Utrobique est verbum סבר *sebar*, id est, 1. cogitare, putare, existimare, opinari, arbitrari, censere; 2. expectare, præstolari; 3. confidere, sperare; 4. intelligere, intelligenter, cogitate, accurate statuere vel distinguere; 5. ferre, portare, perpeti, sustinere. Hæc omnia habeat spes nostra, sed præsertim patientiam. S. Chrysologus serm. 39. *Pulsare*, inquit, *quomodo potero cæleste secretum? iterando preces, et expectando iudicium largitoris, moras dantis patientissime sustinendo, quia quicumque cum semel pulsaverit, indignatur, mox si non fuerit auditus, iste non est petitor supplex, sed est imperiosus exactor.* Michæas Propheta dicit cap. 7. v. 7. *Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum Salvatorem meum.* Habacuc 2. 3. monet singulos: *Si moram fecerit* (Salvator promissus) *expecta eum, quia veniens veniet*, hoc est sine dubio veniet. Hebr. enim geminatio certitudinem prophetiæ denotat. Id expertus fuit David noster Ps. 39. 2. ait: *Expectans expectavi* (id est, diu expectavi; 2. patienter. Nam non expectat, qui murmurat et recalcitrat, atque per varios animi et corporis motus huc illuc sese agitat; 3. confidenter) *Dominum et intendit mihi.* Psalter. Roman. et Ambros. respexit me. S. Augustinus, attendit mihi: ut scilicet me adiuvaret. Paulus Philipp. 3. 20. idem nobis esse faciendum docet: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit* (Gr. μετασχηματίσει, id est, transfigurabit, transformabit, accidentaliter tamen) *corpus humilitatis nostræ* (corpus hoc humile. Est Hebr. Humile autem, id est, vile atque abiectum) *configuratum corpori claritatis suæ*, id est, corpori suo claro et glorioso conforme et simile. Huius rationis corpora decent terram viventium: lucida scilicet atque immortalia.

99. Vers. 14 2. Pars. II. Patientia ad pugnam roborat.

Secundo, patientia ad dimicationes cum hoste roborat. VIRILITER AGE. Pagn. roboro te. Petav. fortis esto expectans Dominum, donec veniat. Ab eo robur habet patienter sperans opem. Hinc Arabs reddit, Spera Dominum (id est Domini auxilium: vel in Dominum) corroborabit me. Iobum cum dæmone et doloribus certaturum Scriptura vocat virum. Iob. 1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus* (id est consilii; 2. ligni, seu crucis; 3. Syr. affixionis, confixionis,) *nomine Iob.* Didymus in Catena dicit, Iobi nomen esse nomen patientiæ. S. Hieron. et S. Chrysost. dicunt Iob significare lugentem, dolentem. Rad. est יבב *iabab*, lugere, eiulare: quod quidam ad clamorem et vociferationem bellicam sunt, qui referant. Magnus clamor est in auribus et corde parentis amantissimi patientia et afflictio filii. Matth. 5. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* S. Cyprian. contra Iudæos ait Iob sonare, charissimus Dei: unde hoc derivet, non video. Sed quod ad robur patientis viri, quem Salomon censet Prov. 16. 32. esse fortiorem expugnatore urbium, Orig. lib. 1. in Iob meditans, cur Iob vir dicatur: *Vir vere*, ait, *tamquam constantissimus bellator, tamquam singularis monomachus, tamquam constanter stans adversus omnes diaboli exercitus, tamquam, qui singulariter de omnibus dæmonum virtutibus victoriam sumpserit solus.* Et S. Chrys. hom. 1. ad populum ait, quod Iob, μείζονα ἔδωκε πληγὴν διαβόλῳ, maiorem inflixit plagam diabolo spoliatus, quam antea in Deum charitatem exercens.

Qui fuit Benoni, fuit et Beniamin.

Ideo quem Rachel vocaverat *Benoni*, id est, filium doloris mei, Genes. 35. 18. hunc Iacob appellavit Beniaminum, hoc est filium dexteræ: quod doloris et afflictionis sit proprium vires animo addere. Et Gen. 49. 3. ubi Iacob moriturus et benedicens filios suos, ait: *Ruben principium doloris mei.* Chald. et Vatabl. vertunt, principium roboris mei. Septuag. principium filiorum meorum. Erat enim primogenitus duodecim Patriarcharum. Hebr. און *on*, significat, 1. dolorem, contritionem, luctum; 2. laborem, fatigationem, violentiam; 3. robur, fortitudinem, vires; 4. filios, posteros. Labor et dolor mentem roborant, ut aquila arbores, et frigus corpore, atque alluvio moris cautes. Contra vero, ut ait S. Chrysost. in Ioan. voluptas virilitatem tollit. Seneca utrumque docet lib. de Providentia, cap. 4. *Prospera*, inquit, *in plebem ac vilia ingenia deveniunt: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est.*

Ruben fuit principium doloris et roboris.

100. Vers. 14. 3. Pars. Patientia est lorica et scutum cordis.

Tertio, patientia cor circumdat instar loricæ et scuti, vers. eod. 14. ET CONFORTETUR (S. Hieron. et Vatabl. roboretur) COR TUUM. Id a Deo expecta. Caiet. et Pagn. roboravit cor tuum. Felix confortabit; 2. tamen tu teipsum Dei gratia indutus conforta et roboro. Petav. vertit, cor tuum in potestate habe. Magn. Cor pavidum certa fidei solamine firma. Spes quoque cor roborat, Ps. 30. 25. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino.* Spes est primo sacrum et efficax epithema cordi appositum et impressum, ut cælesti sua vi illud corroboret et confortet interius. Secundo, spes est scutum cordis, ut illud ab omni hoste exteriori conservet, et tela eius retundat. Chald. vox *sebar*, sive *sibra*, *sabra*, *sebaro*, 1. est spes; 2. scutum. Quid verbum *sebar* significet iam dixi supra. Sponsus ait de Sponsa sua, id est, de Ecclesia, vel anima sancta, Cantic. 4. v. 4. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea.* Per collum Sponsæ accipe orationem cum Theodor. quia animam munit sicut turris urbem, et aerem divinum ad cor attrahit, ut vivamus; 2. collum est charitas, ait Ioan. Carmelita. Nos enim unit capiti Christo; 3. collum est invictum robur mentis, constantia et excelsitas. Vide S. Ambros. serm. in Ps. 118. serm. 1. Sed a patientia non recedemus, quæ est scutum et epithema cordis. S. Cyprian. de bono patientiæ: *Patientia est*, ait, *quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in coniunctis et maritatis individuam charitatem, facit humiles in prosperis, in adversis fortes.*

101. Vers. 14. 4. Pars Patientia denique dat palmam.

Quarto denique, longanimitas post prælium et victoriam expectat laureas in cælo repositas et Dei visionem, vers. eod. 14. ET SUSTINE (Vatabl. et Pagnin. expecta. Septuag. ὑπόμεινον, patienter expecta) DOMINUM. Hebr. est קוה *kave*, id est, expecta, præstolare, spera. Mercerus ait, hoc verbum esse, magno animi desiderio in aliquem intentum esse, et respicere, atque ab eo pendere. S. Iacobus ad illam longanimem spem hortatur in Epistola sua, cap. 5. 7. *Patientes estote* (μακροθυμήσατε, id est, longanimes estote) *fratres usque ad adventum Domini* (id est, usque ad mortem et iudicium) *Ecce agricola expectat pretiosum* (qui magni sit pretii) *fructum terræ patienter ferens* (Græc. μακροθυμῶν, longanimiter agens) *donec accipiat temporaneum et serotinum*, supple imbrem: unde Græc. additur, ὑετόν, pluviam. Porro pluvia temporanea seu matutina est, quæ cadit iacta semente in octobri, ut putrescat granum et germinet. Pluvia serotina est, quæ paulo ante messem cadit ad eam augendam et maturandam, quod fiebat in Aprili vel Maio apud Iudæos ob calorem regionis.

Hanc pluviam et messem obtinet patientia. Cyrill. E-

pist. 37. ad Alipium sic ait: *Patientia nobis omne bonum conciliat, et veluti pronuba viam ad probationem parat, ac spem in futurum sæculum nutrit.* Secundo, ipsam hæreditatem cœlestem acquirit, at nobis dat patientia. Psal. 36. 9. *Sustinentes* (Hier. expectantes) *Dominum, ipsi hæreditabunt terram.* Chrysost. hom. 8. dat rationem: *Res pretiosa*, inquit, *vili pretio non emitur, magnum laborem necesse est nobis impendere, si volumus ad regna cœlestia pervenire.* Tertio, patientia est quædam anticipata beatitudo. Chrysost. hom. 1. Si corpus, inquit, recte beatum dicimus, quod potest absque sui offensione ferre frigus et calores, et famem, et inopiam, at viæ difficultates, aliasque ærumnas: quanto magis beatam oportet vocare animam, quæ viriliter at fortiter omnes omnium molestiarum incursus ferre potest, et cor suum per omnia nulli servituti obnoxium servare; ita Chrysost. Hinc Stoici, ut essent felices, conabantur esse ἀπαθεῖς. Sed tu a Deo patientiam pete. Ps. 61. 6. ait David: *Veruntamen Deo subiecto esto* (S. Hieron. tace) *anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.* S. Hier. spes mea, id est 1. actus spei et patientiæ; 2. res sperata et patienter expectata: sic erit metonymia. In patientia autem possidebimus animas nostras hic, et in cœlo Deum.

PSALMUS VIGESIMUS SEPTIMUS.

1. Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me: ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.
2. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.
3. Ne simul trahas me cum peccatoribus: et cum operantibus iniquitatem, ne perdas me.
4. Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.
5. Da illis secundum opera eorum: et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.
6. Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.
7. Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eius destrues illos, et non ædificabis eos.
8. Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.
9. Dominus adiutor meus et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.
10. Et refloruit caro mea: et ex voluntate mea confitebor ei.
11. Dominus fortitudo plebis suæ: et protector salvationum Christi sui est.
12. Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hæreditati tuæ: et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

PSALMI VIGESIMI SEPTIMI ANALYSIS.

David de divina bonitate securus ad Deum se convertens.

- Postulat auxilium novum 1. ob
  - Pietatem suam 1. quam aperit
    - Vocis clamore, ad Deum permovandum. 1.
    - Aurium præparatione, ad eius responsa audienda. 1.
    - Pedum cohibitione, a lapsu instante. 1.
    - Mentis conversione ad Deum, per orationem. 2.
    - Manuum sublatione ad eius templum, per spem. 2.
  - Et impietatem hostium 3. qua
    - Ore mendaci, amicitiam simulant. 3.
    - Corde perfido, mala machinantur. 3.
    - Manu nefaria, scelus perpetrant. 4.
    - Voluntatem, ad impietates insolitas convertunt. 4.
    - Intellectum, a Dei operibus cogitandis avertunt. 4.
    - Corpus et animam, divinæ vindictæ obiiciunt. 5.
- Gratias agit de illo obtento. 6. quod
  - Orationem suam audiverit. 6.
    - Adiuvando, ad hostes impetendos. 6. 7.
    - Protegendo, ab eorum insultibus. 6. 7.
  - Et vires addiderit
    - Sibi. 7. cui
      - Spes exorta est in corde. 7.
      - Alacritas in vultu. 7.
      - Robur in corpore. 7.
      - Laus Dei in ore.
      - Amor eius in voluntate. 7.
    - Et populo. 8. cui
      - Ensis ad hostes perrumpendos. 8
      - Clypeus ad repellendos. 8.
      - Salus, a captivitate liberando. 9.
      - Benedictio, liberatos bonis cumulando. 9.
      - Dux in hac vita, ut semper vincat. 9.
      - Præmium in futura, ut in æternum triumphet. 9.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS IPSI DAVID.

1. Argum. Psalmi varie assignatur. AD literam de David hunc psalmum explicari censet S. Thomas. Sed varii varie id sumunt. Primo generatim de eo in gravi aliquo periculo constituto exponunt Iansen. Agellius, Lorin. Sed hoc nimis est amplum et vagum.

2. Secundo, Palanterius vult materiam huius psalm. continuari cum materia præcedentis, quæ fuit de tempore, quo Saul eum persequebatur. Idem opinantur S. Basilius, Euthymius, Nicephorus, Theodoret. et alii. Notat autem Eusebius traditionem Hebræorum esse, quod in iis psalmis, qui absque ulla additione, vel *Davidis*, vel *Davidi* sunt inscripti, oportet ad superiores psalmos recurrere, et considerare, qualis fuerit psalmus, qui in principio sequentibus omnino inscriptione carentibus, vel ipsi David inscriptis, præcessit: et cum inde inscriptionem noveris, sensum eorum, qui deinceps coniuncti sunt, eidem aptandum esse. Sed hæc traditio non videtur verum continere, ut patet passim attendenti materiam psalmorum.

3. Tertio, Caietanus ait, quod psalmus iste ad literam tractat sollicitum timorem Davidis ob crimen nepotum eius, qui proditorie interfecerunt Abner: timuit enim, ne propterea Deus negaret sibi responsum. Et merito: quoniam sciebat Regi Sauli negatum fuisse responsum ob longe minus peccatum filii eius Ionathæ, quando comederat modicum mellis, ut patet 1. Reg. 14. Congruunt autem omnes psalmi partes huic materiæ: imo et quodammodo ipsa verba, quæ tunc dixit David 2. Reg. 3. contra nepotes suos Ioab et Abisai. Dixit enim vers. 39. *Retribuet Dominus facienti malum iuxta malitiam suam:* quod hic clare in quarto versiculo dicitur. Imprecatus quoque est indeficiens malum, dicens vers. 29. *Non deficiet de domo Ioab cadens gladio, et indigens pane, etc.* quod hic in quinto versiculo dicitur: *Destruet eos, et non ædificabit illos:* Ita Caietanus.

4. Quarto, Marianа et Vatablus opinantur scriptum esse hunc psalmum, quando Seba filius Bochri in Davidem insurrexit victo et cæso Absalone. Sed tunc non fuit in tanto discrimine, ut diceret: *Ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.*

5. Quinto, Hebræi psalmum hunc volunt esse compositum a Davide, cum pugnans contra Philisthæos, pene occisus est a Iesbibenob gigante, sed Abisai nepos eius et frater Ioabi ei succurrit, et gigantem illum occidit, ut refertur 2. Reg. 21. Multa non incommode in psalmo possunt huic rei aptari. Sed non ita commode, *ne quando taceas* a me, et nonnulla alia.

6. Et optime. Scriptus est in persecutione filii. Sexto denique, Lyranus censet, et probabilius, quod David fecit hunc psalmum in persecutione Absalon filii sui, quando David fugiens de Ierusalem urbe regia ascendebat clivum olivarum nudis pedibus incedens, flens, et operto capite; et Sadoch et Abiathar attulerunt arcam Dei volentes ipsum comitari. Et ascendit Abiathar ad consulendum Dominum, ut habetur 2. Reg. 15. sed tunc non habuit responsum: propter quod David reputavit Deum sibi non esse adhuc placatum: ideo iussit Arcam reportari in civitatem ad locum suum, eius comitatu se indignum reputans, et ascendens summitatem montis, unde tabernaculum Domini clare videbatur, ex illo loco oravit versa facie ad locum sanctum: sicut solitus erat facere, quando veniebat ad locum illum; ita Lyranus. Et vero si attente expenderis, omnia convenire reperies. Primo enim hic dicit: *Ad te Domine clamabo*, 2. Reg. 15. 23. dicitur *omnes flebant voce magna*, quod et de Davide, et de omnibus eum comitantibus potest explicari. Secundo, petit hic, ne Deus sileat, id est oracula sua deneget per Urim et Tummim, a Sacerdotibus vestitis Ephod, id est vestibus pontificalibus, reddi solita: item ex Arca et propitiatorio, quæ omnia cessasse Davidi in illa afflictione videntur, unde humana media adhibet per Chusai, et alios, ut possit sibi providere. Tertio, mortuo similior, quam vivo tunc David videbatur, unde operto capite incedebat flens. Et hic dicit, *Assimilabor descendentibus in lacum.* Quarto, ex monte Oliveti commode ad tabernaculum obverti et manus tollere poterat. Quinto, tunc puniebatur ob adulterium et homicidium; itaque timebat, ne perderetur cum peccatoribus. Sexto, Achitophel, qui pacem cum eo erat locutus, tunc mala corde conclusa contra eum declarabat. Septimo, prævidet Achitopheli et Absaloni reddendam iustam punitionem secundum eorum opera. Octavo, de prævisa liberatione sua gratias agit, et se velut a morte resuscitandum, et in regno reponendum præsagit. Nono denique, populum universum, quem videbat in bellis illis civilibus periclitari, Deo commendet. Ubi nota, non esse necesse dicere tunc istum psalmum esse conscriptum, sicut nunc est, illo fugæ tempore: sed eos affectus fuisse a Davide habitos, quos deinde per otium versibus expressit, perinde quasi eo ipso momento psalmum fecisset, cum in discrimine versabatur. Et hoc in multis aliis psalmis dicendum videtur.

Tropol. Tropolog. Cuilibet iusto in gravi calamitate opem Dei et misericordiam imploranti cum remissione peccatorum, et impiorum societatem detestanti psalmus convenit; ita S. Athan. Euseb. Dionysius, Titelm. De tota Ecclesia explicat Ruffinus.

Allegor. Allegor. Christus petit liberationem a morte, prædicit Iudæorum et aliorum hostium interitum, gratias agit pro prævisa resurrectione, precatur pro salute totius Ecclesiæ; ita August. S. Hier. Beda, Remig. Aig. Ruffin. Turrecr. Genebr. Bellarm. Thom. Anglicus, Dion. Iansonius. Et volunt esse sensum literalem, sed verius est allegoricus, præcipue tamen intentus. Ubi adverte, quando in psalmo nihil est, quod non possit commode applicari Davidi, de eo esse ad literam, de Christo per allegoriam, eius enim figura perfectissima fuit David Rex sanctissimus. Hunc autem psalmum dicit Christus patiens. S. Aug. *Ipsius*, ait, *mediatoris vox est manu fortis* (alludit ad etymon Davidis, id est דַּי *doi* sufficiens, abundans, excellens, et יָד *iad* manus. Vau autem sæpe ponitur loco iod, ut patet in verbis quiescentibus Peiod) *in conflictu passionis. Quæ autem videtur optare inimicis, non malevolentiæ votum est, sed enunciatio pœnæ illorum: sicut in Evangelio civitatibus, in quibus miracula cum fecisset, neque credidissent ei, non malevolentia optat, quæ dicit, sed quid eis immineat, prædicit.* Hoc etiam ad alios psalmos transfer.

Notat Cassiodorus, Dionys. Lombard. Ugo, Beda, cum in titulo psalmi ponitur τὸ *ipsi*, de Christo solo psalmum esse accipiendum. Audiamus Bedam: *David semper in titulis Christum significare palam est, manu fortem in certamine passionis, desiderabilem in claritate resurrectionis: sed aliquando in se, aliquando in suis membris. Cum autem præmittitur, ipsi, nullam aliam personam licet intelligere, sed ipsum mediatorem Dei et hominum, qui per totum hunc psalmum loquitur, orans ab humilitate susceptæ carnis perfectorum, debitas indicans pœnas non studio malevolentiæ, sed contestatione vindictæ.* Sed hæc notatio non est solida. Nam in Hebr. est tantum לְדָוִד *ledavid:* id est Davidi, et apud Sept. ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ: ideo sive noster addat, *ipsi*, sive non addat, non videtur magis vel minus determinare Christum.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

DUO CONTINET, PRIMO, DAVID FUGIENS ABSALONEM SUPPLEX FIT DEO, NE INSTAR IMPIORUM PEREAT, VERS. 1. SECUNDO, A MORTIS PERICULO LIBERATUM SE ESSE GAUDET, ATQUE LIBERATORI SUO GRATIAS REPENDIT, V. 6.

SECTIO PRIMA.

Quatuor complectitur, Primo, orationis suæ ardorem ostendit, vers. 1. Secundo, qualis sit hæc oratio declarat: nempe ne pereat cum peccatoribus, vers. 3. Tertio, peccatores describit ab hypocrisi, vers. eod. 3. Quarto, perituros ipsos prædicit, vers. 4.

PARAPHRASIS.

1. *Ad te Domine clamabo, Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum.*

1. Ab omnibus pene amicis, affinibus et cognatis ipsoque filio derelictus et agitatus ad te unum clamabo, petamque ut tua mihi oracula non deneges, vocesque internas, quibus dirigar, et ab his periculis eripiar: alioquin mihi pereundum et moriendum est in tanto tumultu et rerum perturbatione, populique generali defectione.

2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

2. Exaudi me clamantem ad te et orantem, et instans exitium amoveas: exaudi me, cum manus meas ad tabernaculum in Sione positum obversus erigo, ut omnes te fontem bonorum omnium cognoscant, et servorum tuorum protectorem ament et colant.

3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus, et cum operantibus iniquitatem, ne perdas me.*

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

3. Ne a tua unius misericordia pendentem, eadem ruina cum sceleratis, qualis est Achitophel et Absalon, obvolvas. Ne vindicem gladium tuum in me meosque exeras, ut ob scelera admissa, me funditus perdas cum nefariis rebellibus, quos perituros prævideo.

Mihi verbis fallacibus blandiebantur, et tranquillitatis felicitatisque meæ ac publicæ studiosos se esse mentiebantur, et corde conclusum venenum tegebant.

4. *Da illis secundum opera eorum, et secundum nequitiam adinventionum ipsorum.*

Secundum opera eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eius destrues illos, et non ædificabis eos.*

4. Hanc tu perversitatem non tolerabis, qui scrutator es cordium, et amator veritatis ac sinceritatis: sed dignam illis tot patratorum scelerum mercedem rependes: atque ut ingenii sui vires intenderunt mihi ut nocerent, ita exquisitis eos suppliciis afficies.

In æqua bilance, hinc eorum opera, inde vindictam tuam et punitionem appendes, ut non disparem nefandis suis facinoribus pœnam sortientur: Quam mihi sine causa perniciem intentant, eam tu in eorum caput reflectes.

5. Etenim quia non expenderunt ea, quæ pro servis tuis operaris et semper operatus es, ac pro meipso: ideo eos eorumque conatus et occupatas dignitates destrues, neque ipsorum liberos et familiam diu manere patieris.

QUÆSTIO UNICA.

QUAM SEVERE ET IUSTE DEUS PUNIT PECCATORES, EORUMQUE ASSECLAS.

Ordo Sectionis. DAVID præsagiens Achitophelis, Absalonis et sociorum punitionem, petit a Deo, ne eadem ruina involvatur.

Ac primo, exponit orationis suæ fervorem, v. 1. *Ad te Domine clamabo;* 2. prudentiam, cupiens a Deo edoceri: *Ne sileas a me, ne quando taceas a me;* 3. humilitatem, agnoscentis se sine speciali Dei ope periturum: *Et assimilabor descendentibus in lacum;* 4. fiduciam, in Deo uno spes suas reponentis, v. 2. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te;* 5. externam venerationem: *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

Secundo, flagitat non puniri cum sceleratis, v. 3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus.* Sive opere iniqua faciant: *Et cum operantibus iniquitatem, ne perdas me.* Sive ore pacifica loquantur: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo.* Sive corde malitiam tegant: *Mala autem in cordibus eorum.*

Tertio, quam iusta sit futura impiorum pœna, declarat: 1. enim puniuntur pro merito operum, v. 4. *Da illis secundum opera eorum;* 2. pro merito fraudum, quas verbis amicis texerunt: *Et secundum nequitiam adinventionum ipsorum;* 3. certitudinem punitionis aperit repetitio, et eius celeritatem: *Secundum opera manuum eorum tri-*

A *bue illis: redde retributionem eorum ipsis;* 4. denique, puniuntur pro merito malitiæ cordis eorum, v. 5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum eius destrues illos, et non ædificabis eos.*

ARTICULUS I.

Oris clamor, et manuum extensio orationem iuvant.

DUAS velut alas hic dat orationi suæ David, 1. elevationem vocis; 2. elevationem corporis, utraque autem radicatur in fervore cordis. 7. Vers. 1. 1. Pars.

Ac primo, de elevatione vocis dicit, v. 1. AD TE DOMINE CLAMABO, DEUS MEUS NE SILEAS A ME, NEQUANDO TACEAS A ME, ET (id est alioqui) ASSIMILABOR DESCENDENTIBUS IN LACUM. Ugo hic notat quatuor proprietates orationis, 1. quod sit recta: *Ad te;* 2. humilis: *Domine;* 3. devota, *clamabo;* 4. fidelis et exaudienda: *Deus meus.* Orationis proprietates quatuor.

Alias supra attuli. Nota secundo, pro clamabo, psalterium Syr. Arab. Æthiopicum S. Augustinus et Cassiod.

B habent in præterito, *clamavi.* Vatablus et Apollinaris in præsenti, *clamo.* Hebr. verbum אֶקְרָא *ekra,* est in future. Sed sæpe apud hebræos fit enallage temporum, et futurum pro præsenti etiam sumitur, maxime quando denotatur continuatio actionis. Pro præterito autem sæpissime ponitur, et vicissim præteritum pro futuro: quo denotant vitam hanc esse punctum, in quo non differat fu- Enallage temporum frequens Hebræis. Vita nostra est punctum.

turum, præsens, et præteritum, sed omnia hæc æternitati comparata pro uno momento esse accipienda. Chald. Paraphr. tria tempora complexus videri potest, cum in Benani vertit: *Ad te Domine clamans*, supple, fui, sum, et ero. Ac Petav. qui clamoris vehementiam exprimit: *Ad te rex clamantem, quantum fauces capiunt, etc.*

Clamor cordis movet Deum.

Moraliter nota. Duplex clamor Deum movet. Primo, clamor cordis. S. Gregor. Nyss. lib. de vita Mosis, illa verba expendens Exod. 14. 15. *Quid tu clamas ad me?* cum Moses, ne syllabam quidem proferret, ait, ευηχον φωνην, *sonoram vocem esse, et usque ad divinas aures magnitudine sua pervenire, quæ non contentione clamoris, sed puritate cordis, sua meditatione concipitur.*

Et clamor oris.

Secundo, clamor etiam oris utilis est, 1. ad fervorem mentis intendendum et torporem excutiendum; 2. ad terrorem dæmonis; 3. ad misericordiam Dei inflectendam, ut patuit primo, in S. Petro Matth. 14. cum enim in mari Galilææ sive Tiberiadis supra fluctus ambularet pergens ad Christum in media tempestate, atque venti validi timore concussus cepisset mergi, v. 30. *clamavit dicens: Domine salvum me fac.* Et continuo Iesus extendens manum apprehendit eum, et ait illi: *Modicæ fidei* (Syr. o exigue fide prædita) *quare dubitasti?* Gr. εις τι εδιστασας, hoc est, cur animum in duo divisisti? Sic trepidantem et pereuntem clamor servavit. S. August. serm. 14. de verbis Domini: *Titubatio ista fratres* (ait) *quasi morte fidei fuit. Sed ubi exclamavit, fides iterum resurrexit. Non ambularet nisi crederet: sed nec mergeretur, nisi dubitaret. In Petro itaque communis omnium nostrum consideranda conditio est: ut si nos tentationum ventus conatur subvertere, vel unda submergere, clamemus ad Christum*, velut pulli viso milvo ad matrem, statim advolabit et proteget. Secundo, cum Christus secessisset in partes seu fines Tyri et Sidonis mulier Chananæa, id est ex Chananæis posteris Chanaan filii Cham, filii Noe ortum ducens, atque ex Phœnicia, ubi erant Tyrus et Sidon, *clamavit dicens: Miserere mei Domine fili David* (q. d. o Messia) *filia mea male a dæmonio vexatur.* Græc. δαιμονιζεται, id est a dæmone torquetur, est dæmoniaca. Arab. malum habet dæmonium. Cum ad eius petitionem non responderet Christus, pro ea instabant Apostoli, dicentes v. 23. *Dimitte eam* (oratione eius exaudita) *quia clamat post nos*, q. d. non possumus resistere eius clamori, digna est, quæ ob fervorem audiatur. Tandem dixit illi vers. 28. *fiat tibi sicut vis*; ut enim ait S. August. Epist. 121. cap. 15. *Ex corde desiderante ac fervente gemitus inenarrabiles immittuntur, quibus velut suavi musica Christus demulcetur.* Tertio, cum Iesus discipulis sequentibus et plurima multitudine exiret ex Iericho urbe, filius Timæi Bartimæus cæcus, id est qui proprio nomine vocabatur Bartimæus, q. d. filius Timæi, sedebat iuxta viam mendicans: *Qui cum audisset* (Marc. 10. 47.) *quia Iesus Nazarenus est, cœpit clamare et dicere: Iesu fili David, miserere mei.* Et comminabantur ei multi, ut taceret: *At ille multo magis clamabat*, fili David miserere mei. Vocatum ad se Iesus sanavit. Ubi adverte, quod Bartimæus idem est quod filius admirantis, vel frumentum admirabile, vel puritas admirabilis. Clamat ad Deum, qui illum admiratur, qui est purus, et est frumentum Christi, ut S. Ignatius: et vicissim, qui clamat, talis fit. Nonnulli dicunt Bartimæum significare filium honoris: si ad gloriam cælestem pervenire vis, clama, ut athletæ, et milites pugnantes atque victores. Clamor ipse sternit hostem, ut contingit in leone rugiente et cæteras feras per rugitum obstupefaciente.

Christus clamans exauditur.

8. Christus ipse clamore hoc corporeo est exauditus. Hebr. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ* (dum in carne mortali esset) *preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, id est, timore ex Dei maiestate incusso. Reverentia enim est habitus vel actus iudicii et voluntatis, quo creatura rationalis in conspectu divinæ excellentiæ et eminentiæ, ita se gerit et tanti eam facit, ut veluti non audeat ad illam accedere. Clamet itaque Christus: qui Deum reveretur, velut ab eo remotissimus; 2. velut onere multorum peccatorum onustus, pro quibus vadem se exhibuerat; 3. magna dona impetraturus; 4. ex magno amore orans; 5. celeriter exaudiri; 6. cito periturus in suis fidelibus et filiis, nisi succurratur, ob hostium irruentium multitudinem et rabiem.

In choro qualis cantus esse debeat.

9. Hinc conclude cum S. Bernard. in choro Ecclesiæ esse cantandum magno ardore ac virili voce sibi non parcendo, modestia tamen servata. Sic enim serm. 47. in Cantica: *Reverenter*, inquit, *et alacriter*, *Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes: sed virili, ut dignum est sonitu et affectu, voces sancti Spiritus depromentes.* Sæpe visi sunt dæmones eo non potuisse pertingere, quo voces Deum laudantium pertingebant. Sunt tela ignita in eos coniecta, quæ ferre non possunt. Etiam ad invadendum hostem et eius arces ac propugnacula evertenda, valet clamor in cantu et symphonia Ecclesiæ. Hoc figuratum est in muris Iericho eversis, et in eius civibus stupefactis ad clamorem exercitus Iosue. Sic enim Ios. 6. 20. *Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt.* Ubi adverte, a sacerdotibus initium faciendum, tunc enim sequetur populus: Prius tubam inflaverunt sacerdotes, deinde populus clamavit. Hoc clare dicunt Sept. in editione Romana. Et clanxerunt tubis sacerdotes: ut vero audivit populus tubas, iubilavit universus populus iubilatione magna. Hinc clamor moderatus dat lætitiam, auget spem, excitat audientium pietatem, et fervorem canentium, atque etiam ad valetudinem corporis conducit. Serarius in Iosue clamorem illum Israelitarum ait fuisse veluti publicam ad Deum precationem, ut quod promiserat Deus, reipsa impleret: et summæ in Deum fidei ac fiduciæ testificationem, ad extremum parati et exultantis indicem animi.

Vers. 1. 2 Pars

10. Causam clamoris sui præcipuam aperit David, ut scilicet a Deo favorabile responsum eliciat, vers. eod. 1. Deus meus ne sileas a me, nequando taceas a me, id est, mihi. Est Hebraismus, q. d. cum ad te iam diu clamem, et cum tu sis Deus meus, digneris me responso favorabili, annue petitioni meæ, ne me measque preces reiicias tamquam indignas tua benevolentia, ne iratus a me recedas nullo dato responso.

Deus est petra nos protegens et reficiens.

Nota, pro *Deus meus*, Hebr. est צורי *tsuri*, id est, 1. petra mea, ut vertit Vatabl. et Pagnin. id est, soliditas mea, ait Caietanus; 2. fortis meus, ut S. Hieron. 3. fortitudo mea, ut Chald. 4. protector meus, ut Flaminius; 5. Deus meus, ut Noster, Syr. et Arabs ac Sept. creator meus, ut Felix. Deus rupes est, dabit Echo, si ei loquaris, neque id tantum, sed dabit aquas, id est gratias. Cum anno quadragesimo ab egressu Hebræorum ex Ægypto, populus esset in Cades deserti Sin, et indigeret aqua, atque in Mosem et Aaronem murmuraret, ingressi sunt tabernaculum fœderis, et dixerunt Num. 20. 6. *Domine Deus audi clamorem huius populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati* (cum fuerint satiati) *cesset murmuratio eorum.* Tunc apparuit gloria Domini super eos, id est, splendor insolitus columnæ nubis micantiores radios vibrantis, ut iudicaret Deus, id est, Angelus eius legatus, orationem exauditam. Sed tamen eos et populum remittit ad surdam et mutam petram, ait enim v. 8. *Tolle virgam* (patratricem miraculorum) *et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et iumenta eius.* Tunc Deum putes fore vel rupe duriorem, vel sicciorem, vel tenaciorem, vel surdiorem, cui dicit David Ps. 35. 10. *Apud te est fons vitæ*, id est, vitalis, vivificans; vel in te est aqua viva, id est, semper extra saliens et decurrens. Petav. vertit, παρα σοι αναβλυζουσα διαμπερες επλετο πηγη; apud te scaturiens assidue est fons.

Petra dat aquam Hebræis.

Nota secundo, pro *ne sileas a me*. Hebr. ne תחרש *teche-*

11. Silere pro non exaudire, non curare.

ras, id est, 1. ne obsurdesces mihi, nt vertit S. Hieron. 2. ue taceas e me, nt Arias. Nam *charas* significat silere et obsurdescere. Sensns itaque est, q. d. ne ita te geras erga me, ut quasi surdus esses, meamque orationem non nudires, mihi non respondeas, et tacitum me silentio prætereas, q. d. ne a me abeas veiut iratus preces audire contemnens, eo quod petita nolis præstare. Est enim hic metalepsis, in qua antecedens ponitur pro cousequente: nempe *silere*, pro non dara postuiata: vel certe, consequens pro antecedente: *silere* scilicet, pro non curare, negligere, non exaudire, non amare. Arabs vertit, Deus meus non negligas me.

12. Silentium Dei triplex.

12. Nota tertio, triplex Dei silentium. Primo, silentium
dissimulantis. Habacuc 1. 13. *Quare respicis super iniquo*
agentes, et taces devorante impio iustiorem se? id est, Chal-
1. dæis idololatris populnm Iudaicum veri Dei cultorem. Ita
dicit David, sicut quidam vertunt, ne sileas super me,
q. d. tu infinitis partibus me excelsior ne me veluti catu-
lum vel mica indignum, aut pulicem unum despicias, et
silens prætereas super ales Cherubim vectus, aut fulmina
2. intorto conteras. Secundo, timendum est silentium Dei
voluntatam suam non aperientis. 1. Reg. 14. 37. cum Saul
per Achiam Pontificem indutum Ephod, in quo erant U-
rim et Tummim, interrogaret Deum, an persequi deberet
Philisthæos fugientes et grandi iam clade afflictos, Deus
iratus quod Ionathas mel comedisset contra adiurationem
imprecatoriam Saulis, illa die non respondit. Et c. 28. 15.
a Samuele a limbis egrediente idem Saul reprehensus,
quod eum per pythonissam suscitaret, ait: *Coarctor nimis;*
siquidem Philisthiim pugnant adversum me, et Deus reces-
sit a me, et exaudire me noluit, neque in manu Propheta-
rum (id est, per Prophetas, opera Prophetarum) *neque*
per somnia. Signum erat infensi animi: unde sequenti die
victus a Philisthinis occisus est cum tribus filiis suis:
nempe Ionatha, Abinadab, et Melchisua. David quoque
ait Deo, *ne sileas a me*, q. d. aperi mihi, quid velis a me
3. fieri, quam viam inire debeam. Tertio, timendum est si-
lentium Dei non respondentis per effectum ad petita, Is.
1. 15. *Cum extenderitis manus vestras* (mihi supplices, et
auxilium petentes) *avertam oculos meos a vobis: et cum*
multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Oculis et au-
ribus clausis lingua silet. Qui enim surdus est a natura,
mutus sit oportet: et qui postulata non audit, non potest
ad ea respondere. Hoc maxime Davidem angebat, quod
universus Israel toto corde sequeretur Absalonem, nec
quo modo et quorum auxilio evaderet, satis adverteret:
atque præteritorum sibi conscius peccatorum, et memor
minarum sibi a Nathan Propheta intentarum, verebatur
ne prorsus a Deo relinqueretur. Ubi adverte valde pro-
babile esse, cum Sadoc et Abiatar Pontifices cum arca
ad Deum fugissent extra Ierusalem, per eos consultum
fuisse Deum, ac responsa non dedisse, ut dixi supra in
proœmio.

13. Vers. 1. 3. Pars. Vau pro alioqui

13. Nisi Deus sibi loquatur et faveat, fatetur se periturum, vers. eod. 1. ET (id est, alioqui. Vau enim sumitur pene pro omnibus particulis) ASSIMILABOR DESCENDENTIBUS IN LACUM. Quod τo *vau*, id est, *et*, ponatur pro *alioqui*, patet Ps. 142. 7. *Non avertas faciem tuam a me, et* (hoc est, alioqui) *similis ero descendentibus in lacum*. Secundo, Sensus esse potest: Ad te clamabo, ne taceas a me, et ne assimiler descendentibus in lacum. S. Hieron. vertit, Ne forte tacente te mihi, comparer his, qui descendunt in lacum. Vatabl. Ne si forte obmutescas, similis reddar his, qui in foveam descendunt. Ut enim ait Cassiodorus: *Clamat homo, ne sileat Deus, quia nostra silentio ipse tacet*: Si vero loquatur, salvi erimus, et ab hostibus immunes. Nam, ut habemus Ps. 28. 4. *Vox Domini in virtute*, etc. Vide illum locum.

14. Lacus et Hebr. bor quid significent.

14. Quæres, Quis hic lacus, in quem timet David descendere? Nota, pro *lacum*, Hebr. est בור *bor*, id est cisternam, id est locum, in quo colligitur aqua pluvia per Euripos et canaliculos sub stillicidio positos, ad imbres suscipiendos. Hinc Caiet. vertit: *Et assimilabor cum descendentibus cisternæ*, id est, in cisternam. Secundo, *bor* est fovea quælibet etiam aqua carens. Syr. reddit: *Similis reddar descendentibus in foveam*. Vocem גובא *guba*, qua utitur, vertere etiam possis, cisternam. Chaldæus interpres reddit, *puteum*. A cisterna differt puteus, quod in puteo aquæ scaturiant, non in cisterna. Tertio, *bor*, significat carcerem; ita Trevotus, q. d. David: Si me non adiuves, in carcerem coniectus, occidar ab hostibus meis, veluti reus. Didymus, lacum interpretatur locum, ubi capita damnati asservantur. Quarto, *bor* est *sepulcrum*. Pagninus vertit, *et assimiler descendentibus in sepulcrum*, q. d. ait Theodoretus, si tacueris a me, tuaque ope me destituaris, repente morte afficiar. Hanc enim lacum vocavit: siquidem sepulcrum ut lacus foditur. Quinto, *bor* pro inferno sumitur ab Eusebio, S. Thoma, Glossa, et aliis. Eusebii verba sunt: Aptissime inferum animarum domicilium lacus nominetur. Nam sicut lacus supernas, et ab alto defluentes in ipsum aquas suscipit, eodem modo lacus mortis, qui infernus appellatur, animas, quæ a mortalium vita superna in ipsum feruntur, accipiens, aptissime lacus dictus est. Sexto denique, *bor* sive *lacus* sumitur pro limbis patrum, et de eo loco videtur loqui David; ita Dionysius, Bellarmin. et alii. Sic Zach. 9. 11. *Tu quoque in sanguine* (per sanguinem) *testamenti tui* (quod fœdus novum inter Deum et homines sancivisti) *emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Est enim in profundo terræ iuxta centrum eius, nulla autem aqua ibi est: deinde ibi non erat refrigerium et consolatio.

Nota igitur secundo, *lacum* hic non sumi pro loco profundo cum aquis perpetuis ibidem natis, efficiente rivos et flumina. Cassiodor. ait lacum sic acceptum dici, quod sub eo terre lateat. Stagnum a lacu differt, quod stagnum ad tempus habeat aquam stagnantem, quæ plerumque hyeme colligi solet, æstate siccari: lacus vero habeat perpetuam aquam. Lacus hic non sumitur pro loco aquis pleno.

Nota tertio, lacum hic David dixit, ex consuetudine gentis illius, apud quam foveæ altissimæ fodiebantur ad aquas in usum pecorum continendas, quibus aliquando pro sepulcris publicis utebantur; ita Agellius. Malim dicere, lacum appellari sepulcrum ab Hebræis, quod sepelirentur Iudæi extra Ierosolymam in valle, per quam transibat torrens Cedron. Itaque non longe ab illo erant sepulcra posita. Dicit Iob. 21. 32. *Ipse ad sepulcra* (ad unum e sepulcris) *ducetur, et in congerie mortuorum vigilabit* (id est, manebit, ut Pagnin. vertit, vel eius anima vigilabit, ut ait Sa) *dulcis fuit glareis* (id est, arenæ) *Cocyti*, id est, regioni mortis, q. d. eius adventu inferi lætabuntur. Ubi Mariana, Fortasse, inquit, is erat mos ei genti, ut iuxta flumina sepelirentur. Censet autem terram Hus, ex qua erat Iob, esse Idumææ partem aut illi proximam, quæ ultra Iordanem sita est, ubi dimidia tribus Manasse. Sa confidentius dicit: Apparet olim fuisse sepulcra prope torrentes. Sed hoc non est universaliter verum. Nam Regum Iuda sepulturæ erant in monte Sion. Lacus pro sepulcro. Sepulcra prope aquas posita.

Nota quarto, accommode in Hebræo esse: Petra mea ne sileas a me, q. d. ad te Deum meum, velut in excelsam et eminentem rupem confugio, ut tecum securus vivam promisso mihi auxilio: quod si non feceris, in præceps corruam, et ad imam foveam et sepulcrum deiiciar ab hostibus, neque inde potero unquam exurgere. Ad Deum itaque fuge, ut dicas cum Davide, Ps. 60. 3. *A finibus terræ* (S. Hier. de novissimo terræ, id est, ab extremis regni partibus; 2. ab imo terræ, a speluncis ubi lateo) *Ad te clamavi* (S. Hieron. clamabo) *dum anxiaretur* (S. Augustinus, dum angeretur. S. Hieron. cum tristis fuerit) *cor meum. In petra exaltasti me*. Chald. Super arcem munitam, quæ constructa est super montem altiorem meipso, deduc me.

15. Symbol. Lacus est desperatio.

15. Symbolice, lacus est desperatio. Solent, ait Folengius, qui in foveam aliquam profundam cadunt, frustra conari per sese, ut e periculo exeant, nisi sit qui manum porrigat atque extrahat. Sic homo in altissimum desperationis barathrum propter adversitatum tentationumque acerbitatem facile proruit, atque ibi perpetuo manet, si ex sese absque divino subsidio liberari cogitat. Ita ille. Lo-

rinus recte dicit, hoc alienius esse a pietate et constantia A Davidis, qui cum Iob. 13. 15. erat dicturus: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*. Si tamen suas vires attendebat, poterat vel ipsam timere desperationem, de qua tentatus fuit S. Ignatius initio suæ conversionis, cum acerrime in se animadverteret ob vitam antecoctam, et scrupulis maximis angeretur. Sed cum totos dies septem ieiunus ad opem Dei contra scrupulos obtinendam perstitisset, tota illa tempestas evanuit, ut habet Ribadeneira in eius vita.

16. Allegor. Allegor. de Christo in conflictu passionis posito sic explica, q. d. Ad te Domine clamabo, Deus meus ne separes unitatem verbi tui ab eo quod homo sum. Ex eo enim quod æternitas verbi tui non intermittit uniro se mihi, fit, ut non sim talis homo, quales sunt cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam sæculi huius: ubi tamquam silens non cognoscitur verbum tuum. Sic S. Hieron. Lombard. et alii, lacum sumunt pro miseria istius vitæ. Beda miseriem huius sæculi ait esse *lacum confusionis*, in quo amatores mundi in volutabro luxuriæ et carnalium concu- B piscentiarum involvuntur, et ideo ad solam corruptionem tendunt.

17. Tropol. Tropologice: locus hic de quolibet fideli ad Deum clamante, cum imminet tentatio, explicari potest. Ita Thomas. Angl. qui refert ex Aristotele lib. 8. hist. animal. de quadam bestiola in Ægypto, quæ cum pugnatura est cum serpente, semper prius clamat auxilium; et quia timet morsus serpentis, intrat primo aquam, postea pulverem, et tunc pugnat cum serpente. Ita et nos facere debemus pugnaturi contra serpentem antiquum: prius clamandum est ad Dominum pro auxilio: et quia morsus serpentis timemus, prius ingrediamur aquam compunctionis, et postea pulverem humilitatis; ut humiliata sit anima nostra: sic enim muniti poterimus tuto pugnare, iuxta Ps. 21. 6. *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: in te speraverunt, et non sunt confusi*.

18. Lacus duplex nobis est timendus. Duplex autem lacus nobis timendus est. Primus est lacus ignorantiæ; secundus est lacus vitiorum. De utroque ait Orig. *Assimilabor descendentibus in lacum*. Lacus mentis

I. Lacus ignorantiæ. ignorantia est, in quam ille incidit, cui Dei sapientia tacet, C nec dicit, Ecce adsum. Animæ vero lacus est vitium. Porro neminem sanctorum lacum fodisse novimus: quod si viris sanctis interdum opus aqua fuerit, puteum foderunt, et Salomon e puteis bibere iubet. Deus vero per Prophetam Ierem. 2. iis, qui de lacu bibunt, minatur dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*. Ita Origen. de puteis effossis ab Abrahamo habes Gen. 21. ab Isaaco cap. 26. de puteo effosso a principibus in deserto, Num. 21. 18.

II. Lacus vitiorum. Secundus lacus, in quem incidere periculosum, est lacus vitiorum. Ita Dionysius et Hugo. Peccatum enim lacus est: Primo, propter profunditatem. Ps. 7. 16. *Lacum aperuit et effodit eum: et incidit in foveam* (S. Hieron. In interitum) *quam fecit*. Secundo, propter obscuritatem Ps. 87. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori* (id est, in profundo vitiorum, et ut Haimo explicat) *in tenebrosis* (S. Hier. et Cassiodor. In tenebris) *et in umbra mortis*. Id est, mortifera. Tertio, propter vilitatem et lutum. Hic est lacus mise- D riæ, de quo Ps. 39. 3. *Eduxit me de lacu miseriæ*, (S. Hier. sonitus, hoc est tumultus) *et de luto fæcis*, (S. Hieron. de luto cœni) *et statuit super petram* (id est, super Christum, ut ait S. Chrysost. hom. 1.) *pedes meos*. Ad Deum ab eo lacu est ascendendum. Ruff. in Ps. nostr. maximus descensus est, ait, a Deo deviare, et se ad huius mundi miserias inclinare: Ascensus vero, relictis his miseriis ad bona perpetua festinare.

19. Vers. 2. Clamori vocis adiungit David elevationem manuum, ℣ 2. EXAUDI (ex te audi, ait Ugo) DOMINE VOCEM DEPRECATIONIS MEÆ, DUM ORO AD TE: DUM EXTOLLO MANUS MEAS AD TEMPLUM SANCTUM TUUM; id est, ad tabernaculum, quod ædificavi in monte Sion; ita Ageli. Lyran. Iansen. Theodoretus, qui monet templum needum fuisse ædificatum, ut patet. Hic sensus est maxime literalis. Vide dicta in prœmio. Secundo, templum hic aiunt esse cælum, in quo Deus præcipue colitur; ita S. Thom. Iansen. Folengius.

Nota, τὸ *vocem* denotare, fuisse Davidis orationem vocalem; ita Ugo, qui variis modis clamari posse docet, 1. admiratione. Ps. 92. 3. *Elevaverunt flumina vocem suam, mirabiles elationes maris*; 2. devotione cordis. Rom. 8. 15. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater*; 3. prædicatione. Is. 40. 6. *Clama. Quid clamabo? Omnis caro fœnum*; 4. confessione. Isaiæ 58. 1. *Clama, ne cesses*; 5. oratione. Matth. 27. 50. *Clamans expiravit*. Ps. hic. *Ad te Domine clamabo*; 6. operatione. Exodi 2. 23. *Ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus*; 7. sanguinis effusione. Gen. 4. 10. *Vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra*. Iob. 16. 19. *Terra ne operias sanguinem meum*; 8. mercedis defraudatione. Iacobi 5. 4. *Merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat*; 9. peccati contra naturam enormitate. Genes. 18. 20. *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est*; 10. vitæ sanctitate. Ps. 17. 7. *Clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius*; 11. testimonio conscientiæ. Habac. 2. 11. *Lapis de pariete clamabit*; 12. doloris immensitate. Exod. 11. 6. *Erit clamor magnus in universa terra Ægypti*; 13. denique, ardore concupiscentiæ. Prov. 30. 15. *Duæ sunt sanguisugæ filiæ, quæ semper clamant, affer, affer*. Clamatur tredecim modis.

Nota secundo, *deprecatio* denotat 1. fervorem petentis. Nam deprecari idem est quod valde precari secundum Grammaticos; ita Thomas Anglic. 2. devotionem: quia deprecatio est precatio de corde procedens; ita Ugo; 3. et verius, declarat humilitatem orantis et contritionem de peccatis. Nam, ut ait Cicero lib. 2. de invent. *Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur*; 4. Hebr. declarant multiplicitatem et perseverantiam: *Vocem deprecationum mearum*. Petav. explicat, frequentes preces; 5. fidem et cognitionem indigentiæ humanæ notat vox Gr. δέησις, qua Sept. usi sunt. Orig. Mihi, ait, videor posse dicere, δέησιν esse obsecrationem indigentiæ, et cui aliquid deest; cum vero iam intellecta dignitate Dei, aliquid a Deo peto, tum oro. At cum iam meipsum in amicitiam illius bene prorsus insinuavero, tum Deo gratias ago; ita ipse; 6. denique, spem in Dei misericordia et gratia ostendit Hebr. תחנונים *tachanunim*, id est, oratio rem gratis dandam postulans, gratiæ, seu veniæ aut misericordiæ postulatio. Rad. *chanan*, misereri, gratis dare, gratiam conferre, parcere. Vel sanctissimi timent ob peccata sua. Ioh. 9. 28. *Verebar omnia opera mea*. Spem tamen in Dei bonitate figunt, c. 13. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*. Davidis spem clamor eius notat vers. 1. *Ad te Domine clamabo*: et in hoc versu, *dum oro ad te*. Felix et Vatabl. dum clamo ad te. Verbum enim צרח *tsarach* est clamare. 20. Deprecatio sex denotat.

Nota tertio, pro *templum sanctum* Hebr. est דביר קדש *debir codes*, id est primo adytum sanctitatis, ut Caiet. Vat. Pagn. habent; abditum sanctitatis, ut Felix et Folengius, qui de cælo sic explicat, q. d. ad locum cælorum secretissimum, caliginemve incomprehensibilem tui sanctissimi numinis. Secundo, S. Hieron. vertit *ad oraculum sanctum tuum*, qui notat in c. 2. epist. ad Ephes. *debir* esse q. d. λαλητήριον, id est, locutorium: Deus enim ex Sancto sanctorum responsa dabat sedens super Arcam in propitiatorio: unde Sanctum sanctorum, id est sanctissimus tabernaculi seu templi locus, vocabatur etiam oraculum. Symm. et Theodotio vertunt hic χρηματιστήριον, id est locum rebus explicandis et conficiendis destinatum. Non sunt ibi sterilia et vana atque inania verba, sed succulenta, efficacia, medullæ plena; χρηματιστήριον est etiam locus, in quo ars quæstuaria exercetur. Nulla est ars quæstuosior oratione et pietate. 1. Timoth. 6. vers. 6. *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia*: dat enim opes supernaturales et amicitiam Dei omnipotentis, qui infinitus cum sit, potest ditare sine ulla sui diminutione aut labore: cum pater sit, hoc exoptat, et ad petendum invitat. Matth. 7. v. 7. *Petite, et dabitur vobis*. Sanctum sanctorum dicitur *adytum*, ἄδυτον, q. d. ad quod non pa- 21. Templum sanctum quid sit hoc loco. Sanctum sanctorum vocatur etiam oraculum. Oratio est ars quæstuosa. Sanctum sanctorum vocatur adytum, et cur.

tet ingressus. Soli enim Pontifici, et quidem semel toto onno in festo expiationis, erat licitum ia illud ingredi. Levit. 16. 34. Tibi semper licet in Dei pectus ingredi per orationem, quæ figurata fuit per tintinnobula resonantie, com Pontifex ad sacrum illud adytum penetrabat, et od *interioro velominis*, ut loquitur Poulus Hebr. 6. 19. Velum enim erat oxpansum inter sanctum, et sanctum saactorum, ut ipsis Sacerdotibus thymiame offerentiboa in altari iacensi, quod erat in aancto, non pateret arca et propitiatorium. Fidei oculo velo, quæ inter nos ac Deum obiicit coro mortolis, peoetranda sunt.

22. Iudæi in omni loco orantes se ad tabern. seu templum vertebant. Note quarto, Iudæi in quacumque erant regione, manus od tabernaculum, seu templum convertebant; ita Cassiodor. Lombard. Ionsoa. et elii. Hinc Dovid posuit tabernoculum et Salomon templum Deo in Ierusolem, quæ erat in medio terræ veluti centrum mundialis sphæræ, ut ed Deum ibi sedentem omnes homines, velut lineæ ad centrum tendereat, et maaus votaque porrigerent. Timæus Pythagoricus dicebat Deum esse *mundum exemplorem*, κοσμον ειδολιμον, quod omaia complexu suo ambiat: Pineda eutem lib. 5. de rebus Salomonis vocat *centrum omnium*, quod ad eum velut ad centrum debeant defluere ot quiescant. Nom, ut ait S. August. Deo, irrequietum est cor nostrum, doaec requiescat ia te. David ergo quietis cupidus ia sua expulsione e Ierusalem per Absolonem, ad Deum ibi specialiter hobitantem extendit manus, velut cor ostendens et porrigens Deo et opera offerens, opemque implorans a Rege ia medio regni sui sedeate, ut liber et facilis esset omnium ad se recursua. Ezech. 5. v. 5. *Hæc dicit Dominus Deus: Isto est Ierusalem, in medio Gentium posui ea, et in circuitu eius terras.* Ierusalem enim habet a Septemtrione Scythiam, Armeniam, Pontum: ab Oricote, Asiam: ab Occideote, Europam: ab Austro, Lybism, ait Apollin. Uode Ezech 38. 12. vocatur *umbilicus terræ;* et Ps. 73. 12. *medium terræ:* quia Ierosalem est in quarto climate ox septem, in qoæ dividitur terra habitabilis. Ita Pineda et Corael. Non erat præcise Ierusalem in medio terræ promissæ. Vide Ps. 73. 12. Quod eutem maous versus templum teoderent Iudæi, patet 3. Reg. 8. v. 44. ex dicto Salomonis, et apertins Dan. 6. 10. ex facto Donielis, etiom everso templo.

23. Elevabant manus Iudæi in oratione ob septem rationes. Nota quiato, Iudæi sæpe elevobant manus in oratione. Unde ait David, *Dum extollo monus meas ad templum sanctum tuum.* Vide de ea re oon pauca Ps. 62. 5. *In nomine tuo levabo monus meas.* Psal. 133. 2. *In noctibus extollite monus vestras in sancta.* Ps. 140. 2. *Elevatio monuum mearum sacrificium vespertinum.*

I. Sed cur elevantur manos in oratiooe? Primo, quod animus velut ales in cælum volaturus se explicare denotet. Clemens lib. 7. Stromat. ait, veteres Christianos ia extremis orotionum suarum clausulis pedem in a'tum tollere solitos, cogentes quodammodo animam ed cælestia progredi, μεταρσιον επτερωμενην, *in sublime erectam et alatam.* Ludolph. Carthusianus io Ps. nostr. Elevatio manuum, ait, notat ad æterna debere nos opera oostra deferre, non ad terreaa deprimere.

II. Secundo, manibus elevatis orana, denotat se copide ad Dei præsidium, velut ad sacrom oncborom, et porentis optimi sinum confugere. Sic pueruli exterriti, proteasis manibus in matris gremium recurrunt, ot qui iu naufragio fluctibus iactatur, ad sospitatorem suum in navi aut littore staatem manus erigit, ut o periculo educatur. Pagaai ipsi ad Iovem suum in cælo manentem extollebant maanus opem poscentes. Apuleius de mund. *Habitus*, ait, *orantium hic est, ut manibus extensis in cælum, precemur.* Cassiodor. in Ps. nostr. Desiderium, inqoit, postulantium est, ut licet obiquo Deum esse noo ambigant, de cælo sibi auxilium vonire confidont.

III. Tertio, manibus elevatis et extensis orans, Deo se suaque omnie offerre profitetur. Monus enim est, οργανον οργανων, instrumentum iostrumentorum, ait Arislot. lib. 3. de anima, text. 38. Hinc omnio opera attribuuntur manibus, ait S. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. od 1. Manuum vis et usus in tribus consistit: nempe io dando, in agendo, in repellendo. Itaque nihil noa tradit, qui manus tradit ia alicuius potestatem, velut se privons omni robore et agendi facultate, nisi quautum illi placuerit, et contra quos voluerit. Ps. 118. 109. *Anima mea in manibus meis semper* (ut eam tibi offeram, ait, Remig. et Greveus) *et* (ideo) *legem tuom aoa sum oblitus.*

Quarto, mooibus elevatis orans, ostendit megnum desideriom obtinendi opem, quam postulat, et qua se indigere confitetur. Folengius: Hic, eit, vates ordorem simul ot morem flagranti cum affectu orantium se e periculi magnitudine eximi, artificiosissime exprimit. Soleut enim bi et manus, et oculos, et quicquid sunt, eo dirigere ac levore, unde auxilium speraot. Noa etiam qui toties vel in ipsis desperatis rebus, otquo omnino perditis, Dei præsentiam ac favorom experti somus, od quod aliud confugium potissimum coacurrero debemus? Quem olium patronum implorobimus? Cui alii manus nostræ supplices erunt extolloadæ, nisi illi, qui tum potissime opitulatur, cum minus nobis nostrisque viribus fidimus? Eiusmodi enim excelleatiæ natura gratiæ divioæ est, ut nihil in nobis in re salutis nostrum esse velit, præter tenuissimam quamdam portionem, qua sponte nos nostra ad illud eligendum movemur, quod absque ipsius gratiæ auxilio ac dono fieri houd quaquam potest. Ita Folengius. IV.

Quinto, manibus elevotis orana, alacritatem et promptitudinem paroti ad prælium animi indicet. Solent enim maona cadere languidis, et molestio contabescentibus, atque de felici rerum exitu desperontibus. Cum populos Israel in deserto pugnaret contra Amalec (id est, contra Amalecitarum Regem, qui communi nomine vocabatur Amalec, sicut Reges Parthorum vocabantur Arsaces, et Reges Persarum Assueri) Moses super verticem collis elevabat maaus in oratione, et sic erat causa victoriæ, Exod. 17. 8. et seq. Dovid noster Deo gratias agit, quod menus suas ad oraodum et sic ad bellaadum edocuerit, Ps. 143. 1. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium*, non armis, sed precibus gerendum, ait Arnobius. V.

Sexto, menibus elevotis orans, innocentiam operom suorum Deo ostendit, ut facilios impetret. Tertull. c. 30. *Cælum*, ait, *debellet Imperator, cælum capticum triumpho suo invehat, cælo mittat excubias, cælo vectigalia impoaat. Non potest: ideo mognus est, quio cælo minor est. Illius enim est ipse, cuius et cælum est, et omnis creatura. Illuc* (in cælum scilicet) *suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia aoa erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus, precoatee sumus pro omnibus Imperatoribus, vitom illis prolixom, imperium securum, etc.* De S. Greg. Thaumaturgo orante extensis manibus in monte, et noo agnito ab hostibus, quod arborem extensis ramis videre se crederent, dixi alias. Tu vide ut in ramis tuis, id est manibus fructos digni oculis Regis supremi reperioatur, et eris arbor vitæ transplantando in paradisum Dei tui. VI.

Septimo denique, manibus extensis orans oculis Patris æterni exhibet formam filii eius Crucifixi, ut docet Micrologus in lib. do Ecclesiasticis observationibus, cap. 16. et Bruno Episcopus Herbipol. in Ps. 142. De Mose monus elevonto et Amalecitos vinceate, dicitor Exod. 17. 13. *Et foctum est, ut monus eius non lassorentur usque ad occasum Solis.* Christi manus non sunt lassatæ etiam Sole per totam terram obtenebrato et concusso terra. Philo, *Hominis mali*, ait, *actiones subventaneæ levesque sunt. Mosis vero, id est, sapientis graves sunt et inconcussæ: ideoque fulciuntur ab Aarone, id est, a ratione: et ab Hur, id est, a lumine, hoc est a veritate, q. d. Sapientis actiones fulciuntur ratione et veritate.* De constantia S. Dominici Loricati, Susonis, et aliorum cum elevatione mouuum preces facientium, vide dicta alias. Chald. in Exod. vertit, *fuerunt manus eius firmiter extensæ in oratione.* VII.

Symbolice: ad Deum manos dopliciter oxtollimus, Primo per eleemosynam, hæc enim elevat manus usque ad cælum. S. Chrysost. hom. 2. in epist. 1. ad Timotheum: *Si, ait, ad pauperem menus extenderis, cælum ipsum ma-* 24. Symbol.

nu et virtute tetigisti. De fœmina forti, id est, anima sancte dicitur Proverb. 31. 20. *Monum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Secundo, manus extolluntur, eum actus nostri e terrenis omnino suspenduntur; ita Thomes Anglicus. Manus viri pii, ait Titelman. esse mentem et affectum. Origenes vero, esse pietatis actiones, qui addit: *Si thesourum in cælis congregemus, sublotas ad Deum manus habebimus, et hostem superabimus. Nam si manus nostræ demissæ fuerint, vinci nos necesse est.* Speciatim qnod eleemosyna ascendat, dicit Angelus Cornelio Centurioni, Actor. 10. v. 4. *Ascendit autem ad templum sanctum,* id est, ad Christum, qui dixit Matth. 25. v. 40. *Amen* (vere) *dico vobis, quamdiu fecistis uni ex fratribus meis minimis* (conditione abiectissimis. Secundo, humilitate minimis) *mihi fecistis.* Per alias etiam virtutes, ad idem templum manus elevantur. Orig. Si, ait, templum est, qui Deum habet: Deus vero erat in Christo mundum sibi concilians, sanctum igitur templum Christus est, ad quem quis aoimam tollit per virtutes: oportet ergo manus in altum tollere, nec quidqnam infirmum agere, sed qnod ad Dei cultum et pietatem intendat: hoc est enim ad templum sanctum tuum; ita Orig. Vide dicta Psal. 17. 35. posuisti ut arcum æreum brachia mea.

25. Allegor. Allegor. Christus Patri ait: *Exaudi vocem deprecationis meæ, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum:* id est, dum crucifigor, ad eorum salutem, qui credentes fiunt templum sanctum tuum; ita S. August. quem sequuntur Dionysius, Glossa, Beda, Remigius: qui explicat, id est, ut constituam tibi Ecclesiam tuam. Secundo, Christus in cruce manus extulit versus templum cæleste factus supplex pro peccatoribus; ita Richardus Pampolitanus, Bellarminus et alii. Eas obiicit veluti scutum, ad recipiendum in se tela iræ Dei, et ad nos protegendum ab illis. Tertio, non solum in cruce, sed etiam tota vita Christus extulit suas manus per facta heroica. Beda: *Extollo,* ait, *manus: id est, manifesta opera et signa facio ad templum sanctum tuum: id est, ut alii videntes opera mea, imitentur eo, et conforment se mihi: et sic sanctificati fiant templum tuum. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos,* 1. Corinth. 3. 17. Quarto denique, Christus Sacerdos manus elevet ad templum sanctum Dei, id est, ad sanctos, ut in illis magna operetur, ibi magnas et excellentes victimas Patri offerat in corde eorum.

ARTICULUS II.

Scelerati socios suos in idem exitium et culpæ et pœnæ trahunt.

26. Vers. 3. 1. Pars. POST explicatum ardorem orationis suæ David illius materiam et argumentum proponit: nimirum, ut cum impiis non pereat, vers. 3. NE SIMUL TRAHAS ME CUM PECCATORIBUS, ET CUM OPERANTIBUS INIQUITATEM NE PERDAS ME. Nota, pro *trahas*, Psalterium Romanum et Ambrosius habent, tradas. Item S. Thomas, Lombardus, Ruffin. Ugo, Thomas Anglicus, et alii. S. August. at Cassiodorus, *ne tradas animam meam.* Illa proprie orat Davidis, cætera sunt velut adiectanea. Septuag. habent *συνελκύσῃς*, id est, simul trahas, et hos sequuntur Græci. Arabs, ne rapias me cum peccatoribus. Hebr. est תמשכני *timscechni*, id est, 1. trahas me. Nam משך *masciech*, significat trahere, pertrahere; 2. *tradas me,* ut S. Hieron. Felix et Pagn. vertunt; 3. reputes me, ut Vatablus; ne me numeres cum impiis, ut Syrus.

Nota secundo, pro *peccatoribus*, Hebraice est רשעים *resciaim*, de qua voce vide Ps. 1. v. 1. Caiet. S. Hieron. Syrus, Felix, Vatabl. et alii vertunt, *cum impiis.* Primo, commode hoc de Absalone in patrem suum, quem regno eiiciebat, et de sociis ipsi faventibus explices, eorum enim ruinam David prævidebat, timebat autem ne aut ipse in prælio, aut alii eum sequentes cum illis rebellibus perirent. Secundo, generatim Thomas Anglic. intelligit peccatores, qui delinquunt in Deum, vel in seipsum. Tertio, de Achitophele perfido et similibus adulatoribus intelligo, qui Davidi florenti assentabantur, ut ad Absalonem transeuntes eum perderent. Sequitur enim: *Qui loquuntur, etc*

Nota tertio, trahi quis potest cum peccatoribus vel ad culpam, vel ad pœnam. Primum explicari potest re lepida, quæ heri contigit in hac urbe Remensi. Duo excellentes lusores pilæ palmariæ se uno in circulo concluserunt, ut contra alterum omnino liberum luderent, ea lege ut ipsi se ex eo circulo expedire non possent, et unus tantum eorum pilam excipere et remittere posset. Ad illud spectaculum plurimi ex urbe perrexerunt, et illi duo simul compacti superiores evaserunt. Sed ad rem, quo unus ferebatur, alium ferri necesse erat; si unus currebat, alterum currere necesse erat: si stabat stare: si incurvabatur, incurvari. Hoc ipsum sæpe fit in sociis peccatoribus. Sunt enim sibi invicem colligati, et constricti. Sed cum sint putridi, se mutuo inficiunt et corrumpunt. Albertus Magnus dicit 22. de animalibus, quod equi sese invicem scalpunt, et ideo quando unus est corruptus, corrumpit alium suo anhelitu. Sic homines quando mutuo conversantur, videntur sese multum diligere, et unus alterum offendit. Nam, ut dicitur Ps. 13. 1. *Corrupti sunt* (Gr. *διέφθειραν*, id est corruperunt, 1. seipsos; 2. alios) *et abominabiles facti sunt* (Hebr. התעיבו *hithibu*, hoc est abominabiles seipsi fecerunt. Est enim in Hitpael) *in studiis suis.* S. Hieron. studiose. Conantur enim alios putrefacere et corrumpere. S. August. in affectionibus suis. Eorum amicitia pestis est. Alii, in adinventionibus suis. Quo sunt subtilioris ingenii, eo sollicitius sunt fugiendi scelerati. Venenum subtile citius se insinuat et citius occidit: etiam rosis et cibis delicatissimis venenum adhæret. Dicit Paulus 1. Corinth. 15. 33. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Sed præsertim quæ aliquid habent acuminis: sunt mel ponticum, quod cum suavitate mortem affert. Vide Psal. 1. v. 1. Sensus itaque esse potest, ne simul trahas me cum peccatoribus, etc. id est, ne permittes, ut eos imiter.

27. Peccatores a peccatoribus trahuntur ad culpam. Duo lusores pilæ in circulo clausi.

Secundo, peccator peccatorem trahit ad pœnam. Peccatum enim est iugum, qnod duos 1. simul iungit; 2. simul onerat; 3. simul aratrum vel currum trahere cogit; 4. ne separentur ab eodem periculo impedit. Thren. 1. 14. *Vigilavit* (R. Abraham, acceleratum est. R. Salomon, impressum est Pagninus, ligatum est. Chald. aggravatum est) *iugum iniquitatum mearum, in manu eius convolutæ sunt* (Pagninus perplexæ sunt) *et impositæ collo meo:* 5. enim iugum collo imponitur, ut caput in cælum erigi non possit: unde additur, *infirmata est virtus mea.* Tunc enim virtutes enervantur cum onere fatigati scelerum in terram respicimus, at cæli splendorem non contemplamur: nec deest stimulus qui pungat, et œstrum quod exagitet. Arabs Alexandr. vertit. Facta sunt quotidia laboriosa Domine super me peccata mea, et roborata sunt onera eius, et vincula eius super collum meum. Secundo, peccatum est funis qui potentias animæ corporisque sensus vinciat. Isaiæ 58. v. 6. *Dissolve colligationes impietatis,* (id est, obligationes et pacta usuraria; 2. amicitias et societates peccaminosas; 3. promissa, pacta et iuramenta ad scelus astringentia) *solve fasciculos deprimentes.* Hebr. מוטה *mato*, hoc est, *iugi*, ut vertit Pagninus et Vatabl. 2. nutationis, commotionis, lapsus, id est, causantes nutationis, commotionis, lapsus, id est, causantes nutationem et lapsum; 3. declinationis ut Chald. 4. impietatis. Tertio, est catena ferrea, quæ ubi te strinxerit, vix ab ea te expedies, sed in Babylonem, id est, in confusionem, deduceris captivus cum Sedecia excæcato a rege Nabuchodonosor. 4. Reg. 25. 7. *Filius autem Sedeciæ occidit coram eo, et oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, et adduxit in Babylonem.* Si vis Dei lucem videre, excute catenam peccati. Isaiæ 58. 9. *Si abstuleris de medio tui catenam* (peccata, ut explicat S. Hieron.) *orietur in tenebris* (in agone et horrore mortis, ut Cornelius) *Lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper,* (æternam in cælo) *et implebit splendori-*

28. Peccatores a peccatoribus trahuntur ad pœnam. Nam peccatum est: 1 iugum. 2. Funis est. 3. Catena ferrea.

bus animam tuam, per Dei visionem, quæ totam implet et superimplet animam, est enim obiectum infinitum. Chald. vertit: Implebit in siccitate siccitatum animam tuam: id est, etiam in summo ariditate, sterilitate et fame animam tuam complebit. Sin minus, rudentibus inferni te cum

4 Est rete. Angelis peccantibus detrahet in tartarum. Quarto denique, peccatum est rete, quod homines multos simul, velut pisces in aquis voluptatis, capit, implicat, convolvit, trahit, in littus eiicit, et occidendos tradit piscatori. Habacuc 1. 14. *Facies homines quasi pisces maris*, ut Nabuchodonosor eos capiat et expilet nemine eos tuente, et nemine contradicente, q. d. omnes muti velut pisces præ metu erunt, et captivi ducentur. Ita scelerati potentes et divites aut ingeniosi innumeros irretiunt et perdunt. Etiam fortes, divites, principes, reges, sancti ipsi malis consortiis irretiuntur et pereunt. Hoc exprime captivitate Ioachaz regis Iuda, qui comparatur leoni, et tamen captivatus est a Pharaone Nechao rege Ægypti, qui Iosiam eius patrem in prælio occiderat. Ezech. 19. 8. *Convenerunt adversus eum Gentes undique de provinciis* (scelerati sint nobis sicut Ethnicus et publicanus) *et expanderunt super eum rete suum* (per verba suavia) *in vulneribus earum captus est*, a lenitate et hypocrisi transeunt ad barbariem et rabiem.

29. Vers. 3. 2. Pars. Proximi sunt nobis homines variis modis. Quinam sint peccatores, cum quibus puniri timet, aperit David, v. eod. 3. QUI LOQUUNTUR PACEM CUM PROXIMO SUO, (Hebr. רֵעֵיהֶם *reehem*, sociis suis, ut vertit Cajet. et Arias. Secundo, proximis suis, ut Vatabl. Syrus et Arabs, sive sint proximi natura, ut homines: sive gratia, ut Christiani: sive sanguine, ut cognati, affines, parentes: sive habitatione, ut cives, vicini, domestici: sive officio, ut mercatores, patroni, iudices: sive moribus et conversatione, ut familiares et amici: sive quo alio modo.

Impiis ad nocendum est cor unum. Tertio, *reehem*, id est, *amicis suis*, ut habet S. Hieron.) MALA AUTEM IN CORDIBUS EORUM Hebr. *in corde eorum*: velut in fonte venenato, 1. quia mala profunda; 2. quia unita et condensata; 3. quia occulta; 4. quia semper nova, spiritibus malitiæ semper novis confectis. Ubi unta, omnibus impiis ad nocendum est cor unum et anima una, ut patet in hæreticis, qui ut vulpes Samsonis sibi mutuo illigantur. Secundo, tamen singulis est cor duplex, quia non sunt sinceri. Unde Sept. Noster, Syr. Arabs, Chald. vertunt, *in cordibus*. Vatabl. vertit, *malum meditantur cordibus suis*.

30. Malitia falsi amici est causa ruinæ. Nota secundo, paronomasiam inter hæc tria a Davide posita, רֵעַ רָעָה רֹעַ *reo*, *raa*, *roa*. Nam *rea*, significat *proximum*, amicum, socium; *raa*, malum, malitiam, ita ut primus sensus sit, malitia in cordibus eorum est, ut habet Syrus; secundo, ut sit sensus, malo intus moliebantur, ut explicat Petavius; *roa* vero significat molitiam

Elegans paronomasia Hebraica. et confractionem, ut dicam vers. seq. Ubi adverte, quod *rea*, id est, amicus, venit a verbo רָעָה *raa*, id est, pascere; *rao* vero, id est, malitia a רָעַע *rua*, hoc est conterere. Scelerati et fraudulenti amici, aut potius amicitiæ quos volunt conterere, simulatores, in conviviis et compotationibus inescant eos, ut Amnonem Absalom in convivio occidit, 2. Reg. 13. 29. et alii multi.

31. Hypocrisis Absal et Achitophelis. Quæres, Quinam igitur sunt illi, de quibus agit David, qui loquebantur pacem, et intus eum perdere optabant? Resp. esse Absalonem et Achitophelem præsertim, cum quibus David conversabatur familiariter, et qui eadem sæpe cum ipso mensa utebantur. Nam Absalom erat filius Davidis ex Maacha filia Tholmai regis Gessur. Et post mortem Amnonis maximus natu inter eius filios, itaque hæres futurus regni. Achitophel autem erat avus Bethsabee uxoris Uriæ. Bethsabee enim erat filia Eliam filii Achitophel, ut probabiliter opinantur Hebræi et Salion. Coniuravit autem contra Davidem, ut vitium nepti illatum ulcisceretur: sed scelerate, tum quia in regem furebat; tum quia David assumpserat sibi Bethsabee in uxorem, sicque iniuriam factam compensaverat.

32. Adulatores et amici ficti Moraliter nota, cavendum sibi esse studiose ab adulatoribus et amicis simulatis. Compara eos primo scorpioni, qui facie blanditur, et cauda pungit atque interimit. Ezec. 2. 6. *Increduli* (Vatabl. contentiosi) *et subversores* (Vat. spinosi) *sunt tecum* (Sept. et Chald. sunt contra te) *et cum scorpionibus* (ita etiam Vatabl. qui præterea vertit, cum spinis) *habitas*. Scorpio facie blanditur, cauda ferit. Unde S. Gregor. illum locum expendens hom. 10. in Ezech. *Increduli Deo*, inquit, *subversores vero infirmantibus proximis, scorpiones autem etiam fortibus et robustis. Quibus etsi in facie contradicere non præsumunt, ex occulto tamen vulnus derogationis inferunt. Increduli quippe simul et subversores et scorpiones sunt, quia et audito eo, quæ Dei sunt, non credunt: et eos in quos prævalent, a bonis moribus subvertunt: et quos inflectere non valent, occultis machinationibus feriunt.* Prius autem dixerat: *Scorpio palpando incedit, sed cauda ferit, nec mordet a facie, sed a posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt omnes blandi et malitiosi, qui bonis quidem in faciem resistunt, sed mox ut recesserint, derogant: alios quos valuerint, inflammant, quæque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occulte non desinunt. Scorpiones ergo sunt, qui blandi et innoxii in facie videntur, sed post dorsum portant, unde venenum fundant.* Talis fuit Iudas, qui Christum osculando prodidit: et Ioab qui Abnerem et Amasam occidit amicitiam simulans.

sedulo sunt cavendi. I. Sunt scorpiones facie blandientes, ut cauda pungant.

Secundo, adulatores et amici simulati, sunt Crocodili, qui lacrymas mentiuntur et eiulatum, ut ad se accedentes devorent. Eccl. 12. 15. *In labiis* (id est labiis) *suis indulcat* (Gr. blanditur. Syr. sonuit) *inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam* (Syr. in corde suo meditatur consilia profunda) *in oculis suis lacrymatur* (ob adversitates illius, quem decipere conatur) *inimicus, et si invenerit tempus* (καιρὸν, occasionem et opportunitatem) *non satiabitur sanguine*, id est, totum effundet usque ad ultimam guttam. *Etsi incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem* (ut noceat præ omnibus) *et quasi adiuvans suffodiet plantas tuas*, id est, terram sub pedibus tuis, ut in foveam cadas, finget tamen se amicum fictis verbis et dolosis consiliis. 2. Ipsos pedes tibi ὑποσχάσει, id est, subsecabit, incidet. Interpres noster legit, ὑποσκάψει, id est fodiet, suffodiet. Sic quidam Ismael filius Nathaniæ occiso Godolia Principe Iudæorum relictorum in Iudæa post eversionem Ierosolymæ per Chaldæos, occurrit plorans octoginta viris, qui ad locum templi pergebant ibi munera oblaturi, et fortasse altare reparaturi sicque falsa commiseratione deceptos et securos interfecit, Ierem. 41. 6. Hæ erant lacrymæ crocodili.

33. II. Crocodili lacrymas simulantes, ut devorent.

Tertio, adulatores et falsi amici, sunt lamiæ, mammam et lac ostendunt, sed unguibus discerpunt. Thren. 4. 3. *Lamiæ* (Hebr. תַּנִּין *tannin*, draco. Ita Sept.) *nudaverunt mammam* (unam tantum, non dant mammam cordis) *lactaverunt catulos suos* (immixto lacti veneno) *filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*, ovo suo exponens in terra et deserens. Raban. In lamia, ait, duplicitas Iudæorum, et fictio hypocritarum exprimitur. Lamia enim habet faciem humanam, sed corpus bestiale. S. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 11. Quid lamias, inquit, nisi hæreticos appellat, humanam quidem faciem, sed belluina per impietatem corda gestantes. Qui tunc mammam nudant, cum errorem suum libere prædicant. Tunc catulos lactant: quia male sequaces parvulorum animas dum perversa insinuant, ad impietatem nutrienda confirmant. Et lib. 33. cap. 24. illud de Leviathan explicans Iob. cap. 41. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus*, hypocritas insectatur, et ait ab Isaia cap. 34. fuisse lamiæ comparatos. *Per lamiam*, inquit, *hypocritæ, per hericium vero malitiosi quique qui diversis se defensionibus contegunt, designantur. Lamia etenim humanam habere dicitur faciem, sed corpus bestiale. Sic et omnes hypocritæ in primo facie quod ostendunt, quasi ex ratione sanctitatis est, sed bestiale est corpus quod sequitur: quia valde iniqua sunt, quæ sub boni specie moliuntur.* Ugo Card. in cap. 6. Proverb. vocat adulatorem Sirenam diaboli, cantat modos musicos, sed dentibus devorat: *Est*, inquit, *adulator quasi Sirena diaboli trahens in exitium audientes.* Ier. 9. 8. *Sagitta vulnerans* (Chald. acuta) *lingua eorum, dolum locuta est: in ore suo pacem*

34. III. Lamiæ mammam ostentantes, ut unguibus lacerent.

cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias. Vide Ps. 5. 11. Ps. 34. 22. et 36. 7. Ad stultos amandat simulatarem Isaias cap. 32. 6. *Stultus fatua loquetur* (Chald. impii impietatem loquentur) *et cor eius faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, etc.*

35. Vers 4. Dandam impiis mercedem pro ratiane peccatorum declarat David, v. 4. DA ILLIS SECUNDUM OPERA EORUM (Vatabl. *iuxta apus suum.* Ne verbum quidem atiusum carebit sua pœna) ET SECUNDUM NEQUITIAM ADINVENTIONUM IPSORUM. Nata, το *da*, non esse imprecantia, sed prædicentis, q. d. dabis, video te daturum. Est enallage modi frequens Hebræis, qua denotant Sancti: Primo se habere canfarmitatem valuntatis et iudicii cum Deo etiam vindice. Non enim minus est admirabilis et amabilis Dei iustitia, quam misericordia: nam utraque est Deus. Secunda, se etiam illam impiarum punitionem desiderare ex zelo iustitiæ. Tertio, ut graviter puniti impii resipiscant, aut minus groviter peccent, sicque levius puniantur tota æternitate. Quarto, ut iusti ab eorum persecutionibus liberentur. Sensus itaque est: *Da illis secundum opera eorum*, q. d. cita illis da quod merentur, ut sapiant, aut nos quietos esse sinant, ac papulum tuum.

Nota secundo, in iustitia vindicativa Deum servare æqualitatem, non tamen amnimodam. Dat enim mercedem Sanctis supra condignum, punit sceleratos citra condignum, quod non est contra iustitiam, sed præter iustitiam, ut ait S. Thomas.

36. Peccatum est causa confractionis. Nota tertiu, pro *nequitiam*, Hebr. est רע *roa*, id est, 1. malitiam, ut vertit Caiet. Vatabl. Syr. malignitatem, ut S. August. 2. *roa*, id est malum, quod non tantum pro malitia, sed etiam pro afflictione tam activo, quam passiva sumi potest. Nam *roa* significat quoque confractionem, cantritionem. Hanc secum offert peccatum. Unde Isai. 24. 19. dicitur: *Confractione confringetur terra, contritiane conteretur terra,* id est, anima terrena conteretur et confringetur, 1. pro certo; 2. groviter et horrende.

37. Adinventiones impiorum in Davidem quales. Nota quarto, *adinventiones* dici studio Absalonis et Achitophelis contra Davidem, 1. ut indicetur falsa esse, quæ dicebant; 2. cum labore et solicita meditatione conficta; 3. non vi tantum, sed arte eos agere; 4. indicat subtilitatem Achitophelis, qui erat senex circiter 60. annorum, diu in aula versatus, et in variis negotiis exercitotus. Tales inventiones fuerunt: Primo Absalonis affabilitas erga omnes ad palatium venientes, prehensatio, oscula, desiderium ostensum ut iustitia fieret, accusatio eorum, qui iuri dicendo præerant. Secundo, Abitus in Hebron sub specie pietatis, sollicitatio multorum od defectionem ab mentitas et caloratas rationes. Tertio, concubinarum Davidis pollutia in oculis totius urbis regiæ, et alia eiusmodi. Pro his omnibus petit dari illis *retributionem*, id est, mercedem dignam eorum sceleribus.

38. Singulis peccatis sua pœna respondet. Nata quinto, singulis peccatis suam e diametra pœnam respondere, quod David iterata prænuntiat, vers. ead. 4. SECUNDUM OPERA MANUUM EORUM TRIBUE ILLIS, REDDE RETRIBUTIONEM EORUM IPSIS. *Opera manuum,* 1. sumi possunt pro omni peccato, quia manus est instrumentum instrumentorum; 2. proprie et præcise pro operibus exterioribus; *adinventiones* vero pro peccatis cordis interioribus. August. legit, *secundum malitiam affectionum ipsorum;* 3. opera primo loco posita possunt exponi de peccatis oris. Data est iusta singulis illis retributio, quia 1. Absalon et Achitophel misere perierunt, et 20. millia hominum de eorum exercitu cæsa sunt; 2. execrationi fuerunt omnibus, et adhuc sunt: Absalan velut parricida, Achitophel velut rebellis, proditor, et perfidus. Turcæ ipsi et alii peregrini transeuntes prope lacum in quem Absalam coniectus est, aggesto acervo lapidum pro more habent, ut quisque lapidem in eum proiiciat, et quasi iuxta legem vindicantes ipsius adversus David patrem suum rebellionem, hac maledictione illum execrentur: *Maledictus sit parricida Absalan: et quicumque iniuste parentes suos persequuntur, maledicti sint in æternum.*

Toti populo Israel dicit Deus Levit. 26. 23. *Si nec sic*

A *volueritis recipere disciplinam,* (id est institutionem meam, et bonos mores vobis præscriptos; 2. correptianem et castigationem paternam) *sed ambulaveritis ex adverso mihi* (ut mihi vos oppanatis et resistatis) *ego quoque contra vos adversus incedam, et percutiam vos septies propter peccata vestra.* Septies, id est sæpius, vel plena atque gravissima plaga. Tropolog. septies percutit Deus ob septem peccata mortalia, quod figuratum est per septem plagas ab Angelis immissas in Apocalypsi. 39. Septies percutit Deus peccatores, ob septem peccata.

Primo enim dicitur cap. 16. 2. *Abiit primus Angelus, et effudit phialam suam in terram* (hac in visione est ostensum S. Ioanni, sed tamquam symbolum earum plagarum, quæ erunt in fine mundi: tunc enim non effundetur liquor aliquis in terram aut mare, etc.) *et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ;* id est, in Antichristianas, qui erant notati charactere Antichristi, in bestia cap. 13. 1. repræsentati. Character autem ille erat expressio harum literarum *Chri* transversim positarum in hunc modum CPS. quasi se Chri- B stum, id est, Messiam, seu unctum illum singularem Regem a Deo mittendum esse declararet. Vide Carnel. in cap. 13. Apocal. vers. 16. In terra avaros designatos arbitror, qui terræ incubant, illi inhiant, oculisque et corde in eam feruntur ad Plutum seu Plutonem Deum divitiarum et inferarum tendentes. Deinde inter quatuor insaturabilia a Salamone est posita Prav. 30. 16. *Terra quæ non satiatur aqua,* terra scilicet arida et arenosa, est avaritia, quæ terra est et insaturabilis. Puniuntur autem avari sævo vulnere et pessimo. S. Chrysost. homil. 25. in epist. ad Hebr. *Sunt,* inquit, *peregrini corde, sunt debiles anima, sunt mente cæci, inobedientia surdi, et cæteris passionibus spiritualibus ægrotantes, quorum animæ omnem spiritualem escam abominantur, et appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Ab Angelis illæ plagæ immittuntur. Prov. 28. 27. ait Salomon: *Qui dat pauperi, non indigebit, qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.* Hebr. habet, Abscondenti oculos suas a paupere, erit multitudo maledictionum, ut vertit Pagnin. q. d. ait Corn. Multi, C puta Deus, Angeli, dæmones, et homines maledicunt avaro, ut præsertim pauperes, sicut Troilo, ut ait Leontius in vita S. Ioannis Eleemosynarii. Figuratum id in septem phialis fusis in Apoc. I. In avaros terra repræsentatos.

Secundo, Iræ punitionem ponit S. Ioannes v. 3. *Et secundus Angelus effudit phialam in mare, et factus est sanguis tamquam mortui* (id est, perinde atque si in eo factæ essent cædes multæ et strages) *et omnis anima vivens* (hoc est omnes pisces) *mortua est in mari.* Mare est aptissimum symbolum iracundi, qui cum pacatus apparet, statim levi vento exorto intumescit, agitatur, spumat, perstrepit, insonat, infremit, omnia disiicit et frangit: sed præsertim mare sanguineum refert iram, quæ est causa rixarum atque cædium. S. Chrys. in cap. 6. Matth. *Ira,* inquit, *est homicidii mater, et homicidii bibax.* Est sanguisuga insaturabilis, omnia devorans ore gladii. In aquis Moabitarum recte exprimetur, 4. Regum 3. 22. *Viderunt Moabitæ aquas rubras quasi sanguinem, dixeruntque, sanguis gladii est: pugnaverunt Reges contra se, et cæsi sunt* D *mutuo.* II. In iracundos, mari similes.

Tertio, luxuriæ punitionem exprimit S. Ioan. v. 4. *Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis.* Fluvii et fontes fœtidi, et in sanguinem versi, sunt typus luxuriæ, 1. ob fœtorem; 2. ob sanguinem purulentum, talo enim est semen. Luxuria est sanguisuga insatiabilis. S. Hieron. contra Iovinian. *Amor mulieris,* ait, *semper insatiabilis est, qui extinctus accenditur, et post copiam rursum inops est, animumque virilem effœminat, et excepta passione quam sustinet, aliud non sinit cogitare: nec ipso usu extinguitur, sed immoderatius ac vehementius inflammatur.* De eius punitione dixi Ps. 3. art. 1. III. In luxuriosos, fluviis et fontibus fœtidis similes.

Quarto, superbiæ pœnam exprimit S. Ioan. vers. 8. *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem: et datum est illi* (soli) *æstu affligere homines, et igni,* id est, æstu igneo, æstu ardente. Sol urens superbia est, quæ lucem amat et ambit, atque calore sata omnia et homines confi- IV. In superbos Sole figuratos.

cit. De illius pœna dixi Ps. 99. 1. et 2. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit, etc.*

V. *In invidos, qui sunt sedes bestiæ.* Quinto, invidiæ pœna ponitur, v. 10. *Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ* (id est super thronum et regnum Antichristi) *et factum est regnum eius tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore.* Invidus et thronos optat, et tenebris oppletus est, et seipsum devorat. S. Chrysost. in cap. 12. epist. 1. ad Cor. *Invidia*, inquit, *mala sua nescit* (ecce tenebras), *successu aliorum loquitur* (ecce appetitum honoris) *expressa quædam satanæ imago. Habet invidus in pectus suum corrodentem vermem* (ecce voracitatem dæmoniacam) *veneni fontem, et febrem ardentissimam, qua uritur. Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quam livorem intus depascentem.* Vide Ps. 58. 7.

VI. *In gulosos qui sunt fluvius vorax.* Sexto, Gulæ punitionem affert S. Ioannes vers. 17. *Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, et siccavit aquam eius, ut præpararetur via Regibus. Et vidi de ore draconis* (diabuli) *et de ore bestiæ* (Antichristi) *et de ore pseudoprophetæ* (præcursoris Antichristi) *spiritus immundos in modum ranarum* (supple exire.) Gula fluvius est vorax obvia quæque lambens et arrodens, atque in amarum mortis mare defluens. Ibi tres spiritus immundi dominantur: nempe mundus, caro, diabolus: vel loquacitas, impudentia et impietas: vide Psal. 105. 14. ubi probavi gulam esse fontem scelerum. De eius pœnis egi Psal. 77. 30. Locus, ubi pugnat Antichristus, est Armagedon, id est, mons pomorum, Apocal. 16. 16. Sine gula non est fortis et audax dæmon. Sed a Christo profligatur et a Sanctis.

VII. *In pigros, qui blandientem auram captant.* Septimo denique, pigritiæ pœna profertur a S. Ioanne v. 17. *Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus factus est magnus: et facta est civitas magna in tres partes.* Voces et tonitrua, id est voces tonantes ac minæ divinæ exterrentes pigros, qui suaves zephyros, et auram blandientem captant. Terræmotus fit, id est, terreni cordis iactatio, et anima tota scinditur in tres partes, præteritorum scelerum memor, præsentium illustrationum et minarum vim sentiens, et futurorum brevi suppliciorum terrore expavescens. Sicque est Babylon, id est, confusio doloris, vel afflictionis. Vide Ps. 78. 4.

Peccatum fuge velut colubrum. Hinc enuclude cum auctore Ecclesiastici, cap. 21. 2. *Quasi a facie colubri* (dæmonis, qui est ille coluber antiquus, ut exponit Rabanus) *fuge peccata* (Tigurina, fuge peccatum: vel nocivum) *et* (id est, quia) *si accesseris ad illa, suscipient te*, spiris suis velut serpentes, ut te mordeant: legerat δέξεται, suscipiet: nunc habetur δήξεται, id est mordebit, ut Syrus vertit: *Dentes leonis dentes eius* (sunt) *interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta* (δίστομος, id est, habens duo ora, hoc est duas acies: ex utraque parte scindens,) *omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.* Græc. ἴασις, id est sanatio aut curatio, viribus scilicet naturalibus sine Dei gratia. Ut enim docet S. Thom. 3. p. quæst. 62. art. 6. ad 3. homo non iustificatur a peccato nisi per gratiam. Quod intellige de peccatis mortalibus. Nam ibid. q. 65. art. 1. ad 8. ait, quod ad deletionem venialis peccati non requiritur infusio gratiæ.

40. *Vers. 5 Ædificare aliquem aut domum alicuius Hebr. est illum prosperare.* Radicem et fontem malorum omnium tam culpæ quam pœnæ attingit David, nempe defectum contemplationis operum Dei, v. 5. QUONIAM NON INTELLEXERUNT OPERA DOMINI, ET IN OPERA MANUUM EIUS, DESTRUES ILLOS, ET NON ÆDIFICABIS EOS, id est, ita destrues, ut nunquam eos amplius ædifices, sed ipsos in eadem ruina et excidio semper miseros et deiectos relinquas. Nota, ædificare aliquem, aut ædificare alicui domum, est Hebræis illum prosperare, eius familiam et domum, liberis, opibus, aliisque firmare. Sic de Sephora et Phua obstetricibus Ægyptiorum, quæ pueros masculos Hebræorum noluerunt occidere, sicut iusserat Pharao, dicitur Ex. 1. 21. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*, id est, mansiones in cælis, ait S. Hieron. in cap. 65. Isaiæ. Actu enim illo timoris Dei meritæ sunt vitam æternam, ut putat S. Thom. 2. 2. quæst, 110. art. 4. ad quartum; 2. ædificavit eis domos, id est, auxit ipsis rem familiarem, dedit ipsis opes; ita S. Aug. 3. ædificavit eis domos, hoc est, dedit eis prolem et progeniem numerosam, divitem, honoratam, insignem, longævam et diuturnam. Ita Corn. Et quidem iam alias notavi בן *ben*, id est filius sic dici, quod sit veluti quoddam ædificium patris, a rad. בנה *bana*, id est ædificavit; ubi vides, dari unicuique secundum opera eius. Nam obstetrices illæ servaverant liberos Hebræorum, et Deus vicissim eas prole donat. Pharao et alii Ægyptii optaverant mares eorum occidi, primogeniti ipsorum ab Angelo iugulantur. Iusserant deinde in fluvium Nili abiici, in mari rubro intereunt.

Nota secundo. Illa geminatio Hebr. solita per affirmationem et negationem: *destrues eos, et non ædificabis eos*, denotat 1. destructionem totalem, ita ut nulla pars restet non destructa; 2. destructionem cum ira et indignatione factam et cum desiderio funditus omnia exscindendi; 3. destructionem nullo unquam tempore reparandam, q. d. si postea velint ruinas reparare, iterum illas destruam. Sic dicit Deus Idumæis: *Quod si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus: Isti ædificabunt, et ego destruam.* Vide Ps. 126. 1. *Nisi Dominus ædificaverit domum*, etc. 41. *Hebræi iungunt affirmationi negationem, et cur?*

Nota tertio, pro *destrues, ædificabis.* nunc in Hebr. et Gr. est *destruet et ædificabit*, fortasse Librariorum vitio, prima litera hebraica, quæ indicat personam, mutata est: fortasse ultima litera Græca, ex qua persona intelligitur, vitio Librariorum addita est: fortasse interpretes, non tam ad verbum, quam ad sensum respexerunt; ita Bellarm. Arbitror nihil esse corruptum, sed ubique esse eundem sensum. Hebr. destruet, et ædificabit, supple Dominus, id est, tu: quia sæpe Deo loquitur David in tertia persona, sicut nos Regibus et principibus, honoris et reverentiæ causa. Itaque destruet Dominus et destrues, idem prorsus est. Hæc notatio multis in locis usui esse poterit. *Concordantia versionum.*

Nota quarto, paronomasiam seu adnominationem Heb. inter בן *ben* intelligere, et בנה *bana* ædificare. Par igitur est ratio, ut qui non intellexerunt, et non intelligendo non ædificaverunt Deo domum in corde suo, et thronum ei ponere noluerunt, non ædificentur, sed destruantur. Ps. 81. 5. *Nescierunt neque intellexerunt* (Chald. nescierunt bona operari, et non intellexerunt legem. Agitur enim de notitia practica) *in tenebris ambulant. Movebuntur omnia fundamenta terræ*, id est Reges, principes, et Magistratus qui sunt bases populi: vel potentiæ animæ terrenæ. Chald. vertit, Propterea sic movebuntur pedes fundamentorum terræ. Pedes, id est cogitationes et affectiones, his enim anima ambulat, sicut corpus pedibus. 42. *Qui Deum non intelligunt, ab eo non ædificantur. Paron. Hebr.*

Nota quinto, difficultas textus latini, qui habet *opera et in opera*, non est in Hebr. nec in Græc. sic enim habent: *Quoniam non intellexerunt in opera Domini, et in opera manuum eius.* Utrobique exprimitur præpositio *in*, eam utrobique omittit S. Hieron. Significantius tamen videtur intelligere in opera quam intelligere opera; primo enim denotat attentiorem et constantiorem rei contuitum; secundo penetrationem in eius intima, non hærendo tantum in superficie. Fortasse excidit τὸ *in* a vulgata: fortasse in prima parte non posuit τὸ *in*, ut denotaret contemplationem operum Dei in eorum superficie: in secunda autem parte posuit, ut declararet contemplationem perfectionum interiorum in operibus Dei. Cortex pulcher est, sed medulla suavior et utilior. *Vulgatæ difficultas per Hebr. et Græca explanatur.*

Nota sexto, cum Propheta dixisset: *Non intellexerunt opera Domini*, adiunxit, *et opera manuum eius*, ratio esse videtur, ut explicaret se loqui præcipue de illo opere, quod ipse facit per se, non per causas secundas, quale fuit creatio cæli et terræ, Incarnatio Verbi, miracula Christi, resurrectio et ascensio Domini, et similia; ita Bellar. Hebr. est, *et in opus manuum eius*, q. d. Absalom et Achitophel non attenderunt ad varia opera admirabilia, quæ per me Deus operatus est, ac præcipue ad illud eius opus, quod Regem me constituit super populum suum. 43. *Opus speciale Dei fuit unctio Davidis in Regem.*

44. Allegor. Allegor. Iudæis Christi crucifixoribus recte congruit: *Non intellexerunt opera Domini*, nempe ea quæ operatur in gubernatione creaturarum, *et in opera manuum eius*, id est Incarnationem Christi, miracula, resurrectionem, ascensionem, etc. in his enim maior eius potentia requiritur. Hebr. *in opus manuum eius*, q. d. in illud singulare et admirandum opus Incarnationis, et quæ in eo continentur, et ab eo fluunt. Opus quoque manuum Christi posset dici passio: ideo enim Iudæi destructi sunt et amplius non sunt ædificati, quia Messiam suum non cognoverunt. Luc. 19. 42. *Si cognovisses* (si cognosceres) *et tu* (sicut ego cognosco, ait S. Gregor. hom. 39.) *et quidem in hac die tua* (qua ad te venio, tamquam Messias et Rex tuus) *quæ ad pacem tibi*, supple, non perires, ut ait Euthymius. Pax autem Hebræis est salus, felicitas, et omne tam corporis, quam animi bonum. Deinde ait eam, id est Ierosolymam, ita funditus a Romanis evertendam, ut non remaneat lapis super lapidem, eo quod non cognoverit tempus visitationis suæ: id est Adventus Christi, quando venit, ut inviseret eam et salvaret, ut explicat Theophylactus. Cognitio peccata impedivisset ac ruinam, 1. Corint. 2. 8. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

45. Tropol. Tropol. Quidam ædificantur, et tamen non destruuntur, sicut innocentes; 2. quidam destruuntur et ædificantur, sicut Paulus. Unde Ierem. 1. 10. *Ut evellas, et destruas, et disperdas, et ædifices, et plantes*; 3. quidam destruuntur, et non ædificantur. De quibus Ierem. 5. 3. *Percussisti eos, et non doluerunt: attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam.* Ps. 34. 16. *Dissipati sunt nec compuncti*; 4. alii nec destruuntur, nec ædificantur, de quibus Iob. 21. 7. *Quare impii vivunt, sublimati confortatique divitiis? domus eorum securæ sunt et pacatæ, et virga Dei non est super eos?*

46. Exitium peccatorum est: I. Terribile homini. Moraliter nota, fugiendum est peccatum, ne pereas. Exitium enim peccatorum est primo terribile, Isai. 1. 7. *Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion* (id est Sion seu Ierusalem) *ut umbraculum* (Tertull. lib. contra Iudæos, cap. 3. sicut casa, et lib. 3. contra Marcionem, cap. 23. tamquam specula) *in vinea, et sicut tugurium in cucumerario*; id est, in horto seu loco, ubi crescunt cucumeres. Est synecdoche, ad alios enim fructus servandos tuguriola excitantur, sed potius mentionem fecit cucumeris, quia habet lata folia, et tegit tugurium excitatum ad habendam umbram.

II. Facile Deo. Secundo, exitium peccatorum est facile Deo. Is. 22. 16. Iubet Deus suo nomine hæc verba mandari Sobnæ præposito templi superbienti: *Quis tu hic* (id est, quid tu facis in templo? q. d. eo es indignus) *aut quasi quis hic* (id est, quare hic gloriaris quasi esses quis, id est, aliquid magni?) *quia excidisti tibi hic sepulcrum, excidisti in excelso memoriale* (monumentum, sepulcrum) *diligenter, in petra tabernaculum tibi. Ecce Dominus asportari te faciet* (in captivitatem ab Assyriis Iudæam vastantibus sub Sennacherib) *sicut asportatur gallus gallinaceus* (in forum, ut ibi vendatur, et occidatur. Hebr. גֶּבֶר *gaber*, id est vir, gallinarum scilicet: sicut dicitur vir gregis ipse caper) *et quasi amictum* (vestem) *sublevabit te. Coronans coronabit* (pro certo, et cito coronabit) *te tribulatione, etc.*

III. Sæpe repentinum. Tertio, exitium peccatorum sæpe est repentinum. Isa. 24. 18. *Quia cataractæ* (Sept. fenestræ) *de excelsis apertæ sunt* (id est, cæli fenestræ, ut immittat Deus fulmina, grandines, tonitrua, ventos) *et concutientur fundamenta terræ, etc. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, et auferetur quasi tabernaculum unius noctis* (quod viatores sero figunt, et mane auferunt) *et gravabit eam iniquitas eua, et corruet et non adiiciet ut resurgat.*

IV. Violentum. Quarto, exitium peccatorum est violentum. 2. Regum 23. 6. *Prævaricatores, quasi spinæ evellentur universi: quæ non tolluntur manibus. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum*, id est, ita ut penitus destruantur.

V. Dolorosum. Quinto, exitium peccatorum, est dolorosum. Isa. 59. 4. et 5. *Non est qui invocet iustitiam* (qui iuste litiget) *neque est qui iudicet vere: sed confidunt in nihilo, et loquuntur vanitates: conceperunt laborem* (peccatum quod est causa laboris et doloris) *et pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt* (id est, suis sibi machinationibus et malitiis nocuerunt, sicut qui frangit ovum aspidis, ab ea mordetur) *et telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur; et quod confotum est, erumpet in regulum.* Aquila, in viperam; Symmach. in aspidem. Regulus est Basiliscus, ut nomen declarat. Est proverbium, q. d. cogitationes impiorum erumpunt in scelus perniciosum ipsi auctori.

VI. Irremediabile. Sexto, exitium impiorum est irremediabile. Eccl. 21. 10. *Stuppo collecta synagoga peccantium*, (Tigurina, cœtus est nefariorum) *et consummatio* (id est finis) *illorum flamma ignis.* Complut. addunt in perditionem. Isaiæ 1. 31. idem expressius dicitur: *Erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ* (favilla proprie est scintilla igne destituta, cuiusmodi flammæ impetu egeri solent; sumitur etiam pro quovis cinere) *et opus vestrum quasi scintilla* (igniculus, qui e silice excutitur: parum lucet, et citissime disparet, ipsa lux fit cum attritu et labore) *et succendetur utrumque simul, et non erit qui extinguat.* Chald. vertit: *Comburentur impii, et eorum prava opera.*

47. Deus iustos ædificat. Deus vero ædificent viros iustos, ita ut non destruantur. Proverb. 12. 7. *Verte impios* (Pagnin. reddit, *vertet Deus impios.* Vertet, id est, evertet; ita Iansenius; 2. vertet, id est, circumaget, in orbem girabit; ita Salazar) *et non erunt.* Septuag. habent: Quocumque se verterit impius, deletur: *Domus autem iustorum permanebit.* Et significantius ac nervosius cap. 10. 25. *Quasi tempestas transiens, non erit impius* (Syr. Sicut turbo repente transit, ita profligabitur impius, et non reperietur. Arab. In transitu turbinis perit impius) *iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Hebr. iustus autem sicut fundamentum mundi: supple, perseverat, ait Vatablus. Itaque iustus non solum est stabilis, sed etiam alios firmat et stabilit.

48. Domus ex virtutibus conflata. Ex his collige, virtutibus domum animæ stabiliendam esse, ut nos Deus stabiles faciat. S. August. serm. in Dedicatione Ecclesiæ: *Nunc*, inquit, *fidei et spei domum spirituali dilectione construite in omni opere bono. Fundamenta ergo in cordibus vestris Apostolica et Prophetica monita iacite: humilitatem vestram, sicut pavimentum sine offensione prosternite. Salutarem in corde doctrinam orationibus et sermonibus tamquam firmis parietibus communite, divinis eos testimoniis tamquam luminaribus illustrate, infirmos sicut columnæ sufferte, inopes sicut tecta protegite.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

49. *Duo præstat. Primo, exultabundus David gratias agit Deo, quod ab illo sit adiutus in periculis, v. 7. Secundo, eadem auxilia semper continuari postulat, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

6. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.*

6. Tibi Domine populus universus laudes occinat, ob tot accepta beneficia et concessam de rebellibus victoriam: mihi quoque tu vires suppedita, ut ex intimis te animi sensibus benedicam, quod orationem meam audieris, qua postulabam ab impiorum suppliciis liberari.

7. *Dominus adiutor meus et protector meus: in ipso speravit cor meum, et adiutus sum.*

7. Cum hostiles in globos impressio facienda est, sentio divinum tuum mihi robur affundi: cum vero insilientium in me meosque legiones exhorresco, tum vero paternum clypeum obtendi, nullis ut hostium telis impetar. De virium mearum imbecillitate diffisus animus meus in tui unius bonitate spes suas collocavit, statimque manum adiutricem sensit.

Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei.

Quique tot inter molestias mœrorisque causas emarcueram, at velut inter mortuos iacebam a rebelli et parricida filio eiectus throno in mea senectute, tantum animo vigoris et gaudii succrescere adverto, ut in corpus effluens lætam illi vegetamque iuvenilis floris speciem referat, frontemque rugis contractam aperiat.

8. *Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est.*

8. Equis curribusque terribiles exercitus alii apparent, in armorum suorum multitudine robore ac numero glorientur, tu militibus meis robur impertiris: et me, quem Regem populi tui feciati, ex innumeris periculis eripuisti.

9. *Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hæreditati tuæ: et rege eos, et extolle illos usque in æternum.*

9. Quare toties ex hostium faucibus ereptum populum, ne unquam in paria discrimina relabi patiaris: sed eum aum in hæreditatem specialem, et in peculium selectum, ex omnium gentium scoriis et quisquiliis secreveris, ubertim illi benedictionis tuæ dona concedo. Licet illi me Regem præfeceris, tuum tamen est regnum, tu eum dirige, ne aberret: et sæpius lapsantem erige, atque ad ardua nitentem sustenta: ut et hic inter hostes emineat, et in æternis montibus tandem victrices laureas decerpat.

QUÆSTIO UNICA.

Quantum animi gaudium, et corporis exultatio in Davide ob preces suas exauditas.

50. Ordo sectionis. Prima sectione David petierat non puniri cum impiis: in hac vero gratias agit, quod id obtinuerit, v. 6. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.* Nam 1. Deus cum iuverat, ut suo exercitu hostes vinceret, v. 7. *Dominus adiutor meus*; 2. ab ipsorum telis texerat: *Et protector meus*; Idque fecerat ob spem in eo repositam: *In ipso speravit cor meum, et adiutus sum*; 3. corpus iam præ senectute et labore variorum bellorum fractum novis viribus at lætitia recrearat: *Et refloruit caro mea.* Ideo pollicetur se linguam in laudes tam benefici patroni et tutoris aui soluturum: *Et ex voluntate mea confitebor ei.*

Secundo, Non tantum pro se, sed etiam pro populo suo universo gratias agit, quod eum pari ratione roborarit ad hostes aggrediendos, v. 8. *Dominus fortitudo plebis suæ:* et ad sustinendos parem fecerit: *Et protector salvationum Christi sui est.*

Tertio denique, orat ut quod ipsi revelat futurum, id quam primum præstet, 1. populum suum a periculis, in quibus versatur, liberando, vers. 9. *Salvum fac populum tuum Domine*; 2. donis variis eum cumulando: *Et benedic hæreditati tuæ*; 3. illum dirigendo, ne in Deum peccet: *Et reges eos*; 4. virtutibus aliisque rebus eum exaltando: *Et extolle illos usque in æternum.*

ARTICULUS I.

Vir iustus totus est ex virtutum floribus conflatus.

51. Vers. 6. DAVID novi solis vivificos radios parta aut prævisa victoria sentiens, velut a morte redivivus canit, v. 6. Benedictus Dominus; quoniam exaudivit vocem (vel unicam) deprecationis meæ. Nota, iis quos exaudit Deus, declarat sæpe interius, quod sunt exauditi, voce quadam interna loquendo, et excitatos timores aliasque A passiones compescendo, et suavitatem atque tranquillitatem in anima relinquendo.

Causam gratiarum actionis aperit, vers. 7. Dominus Vers. 7.
adiutor meus, et protector meus. S. Hieron. Felix, Pagnin. Caiet. Dominus fortitudo mea, et scutum meum; Vatabl. robur meum, et clypeus meus. In Hebr. est עז oz, id est robur, fortitudo, q. d. forte adiutorium, sed sæpe abstracta pro concretis ponunt Hebræi, ideo Noster vertit adiutor: et מגן maghen, id est clypeus, scutum, ordinaria reddit, protector. Est metaphora. Et in ipso speravit cor meum, et adiutus sum, et refloruit caro mea. 1. Per lætitiam; 2. per bonam habitudinem mentis et corporis ex ea ortam; ita Theodoretus, Didymus, Nicephor. Titelm. Iansen. Thom. Anglic. Foleng. et alii. Sanationem a morbo ortam ex lætitia dicit Origenes.

Nota, pro *caro mea*, Hebr. est לבי *libbi*, id est cor 52.
meum; 2. pro *refloruit;* est Hebr. יעלז *iaaloz*, id est gaudebit, exultabit, præ gaudio gestiet. Unde S. Hieronym. vertit, gavisum est cor meum. Felix et Pagnin. exultavit, B Vatabl. gestit. Aquila, εγαυριασατο cum quadam gloriatione exultavit. Secundo, Chald. et Caiet. reddunt, confisum est cor meum. Spes enim oritur ex lætitia. Tertio, V. editio habet, εκραταιωθη η καρδια μου, roboratum est cor meum. Etiam roboris fons est lætitia, spiritus enim vitales calefacit et vivificat. Arist. sect. 33. problem. in 8. η μεν ηδονη, θερμασια τις εστι; lætitia quidem gestiens, est quædam calefactio. Quarto, Theodotio vertit, ανεθαλεν η καρδια μου, refloruit cor meum.

Lætitia est flos mentis.

Nota secundo, Sept. interpretes sensum magis quam 53.
verba attendentes recte verterunt, ανεθαλεν η σαρξ μου, refloruit caro mea. Syrus, germinavit caro mea. Arabs crescere fecit carnem meam. Ex cordis enim lætitia diffunditur veluti flos quidam in corpus nostrum. Prov. 17. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Syr. Animus hilaris pulchrum facit corpus. Sept. Cor lætum facit bene habere. Baynus, cor lætum bonam facit medicinam. R. Salomon, Animus hilaris vultum nitentem florentemque efficit: *Spiritus tristis* (Theodotio, *spiritus compunctus.* Tristitia est velut spina pungens) *exsiccat ossa.* Animæ læ- C titia per sympathiam similem affectum efficit in corpore:

Et floridam mentem facit.

lætitia enim facit, ut spiritus vitales acuantur et incalescant, ac sese diffundant per corpus, præsertim per faciem. Hi autem spiritus faciunt vultum corpusque vividum, floridum, sanum, vegetum, latum et lætum: contrarium facit tristitia: per hanc enim cor contrahitur, spiritus deprimuntur, frigus inducitur: quæ tria corpus faciunt languidum, debile et quasi emortuum. Ita Cornel. Eam ob rem Galenus lib. 3. de causis pulsuum: Lætitiæ, inquit, magnus, rarus, et tardus est pulsus: lætis enim diffunditur per universum corpus calor, ac plus foras motus eius effertur, ut tristibus intro. Unde maior fit merito pulsus eorum, non tamen vehementior. Tristitiæ parvus, languidus, tardus et rarus est. Nam cum tristitia ipsa refrigeret, caloremque intro conciliet, merito contrarios superioribus motus efficit, qui lætitiam sequuntur; ita Galenus. Item Avicenna lib. 2. Lætitio, inquit, frequenti fortior fit virtus naturalis, et rarefiunt spiritus. De Iudæis tristitio et mœrore tabescentibus in captivitate Babylonica, et per Cyrum ex ea velut ad vitam revocandis, ait Isaias
54. cap. 66. 14. *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Chald. splendebunt. Symmachus, florebunt. Calaber Poeta lib. 4. homines floribus similes facit: Ἀνδρων γαρ γενος, ait, ἐστιν ὁμοιον ἀνθεσι; hominum enim genus simile est flosculis. Cum homo lætus est, videtur flos vividus, et calicem suum grato calore aperiens: cum vero tristis est, videtur flos marcidus, se contrahens, deficiens et concidens. S. Thomas in psal. nostrum: *Iuventus hominis*, ait, *comparatur flori: quia sicut flos est præsagium fructus, ita iuventus hominis est præsagium vitæ futuræ. Ps. 89. 6. Mane sicut herba transeat. Tunc ergo caro refloreseit, quando antiqua iuvenescit, quoniam homo in tristitia videtur senescere*, in *lætitia videtur iuvenescere.* Medicus Arabs Tacuinus gaudio corpora macilenta impinguari docet. Talis erat Nabuchodonosor Asiæ Monarcha nationes pene omnes pedibus suis subiectas videns, et magna aulicorum, nobilium, principum, Regum corona cinctus. Unde Dan. 4. v. 1. ait: *Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo.* Theodoretus addit, και πιων εν λαω μου, et pinguis in populo meo. Iure Magnetius in psalmo nostro animum iungit corpori hoc modo: *Tum floruit almo germine vis animi redivivos fusa per artus.* Et Petavius: Tunc refloruit mihi cor ipsum, et corpus.

Homines sunt floribus similes.

Iuvenes præsertim.

55. Tropolog. Anima iustorum est hortus, in quo feliciter in culmum adolescunt virtutum germina, et flores vernant. Cantic. 4. 12. *Hortus conclusus* (Arab. obseratus) *soror mea Sponsa.* Ubi S. Gregor. *Unaquæque*, ait, *anima sancta hortus conclusus esse intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit: et dum virtutum exhilarationes se reficit, fructus quos generat, eadem custodit.* Et Richard. a S. Vict. Hortus, inquit, est anima in qua excoluntur virtutum plantaria et spiritualium studiorum germina. Sponsa ait Cant. 6. 1. illis floribus virtutum in se crescentibus delectari. Verba eius sunt: *Dilectus meus* (Iesus) *descendit in hortum suum* (in me, per inspirationes et tenerrimas affectiones, atque in Eucharistia) *ad areolam aromatum* (Pagnin. ad lineas sulcorum. Mortificatio est fœcunda aromatum) *ut pascatur in hortis, et lilia colligat.* Arabs, ut lilia congreget. Ita illa amat, ut semper plura appetat. S. Gregor. Nyssen. per hortum Sponsi animam sanctam intelligit. Areolæ eius sunt Christi vulnera meditata, lilia vero castitas et puritas, atque candor.

Tropol. Anima iustorum est hortus.

56. Huius horti flores sunt variæ virtutes. S. Basil. Episc. Seleuciæ dicit tota virtutum prata in anima Davidis esse consita. Sponsa, id est anima sancta Cant. 1. 11. ait, se tunc maxime flores illos odoriferos fundere, cum Sponsus illi est proximus. Sic enim loquitur: *Dum esset* (Hebr. Sept. et S. Greg. donec esset) *Rex in accubito suo, nardus mea dedit odorem suum.* Accubitus Christi primo, fuit eius incarnatio, ita Cassiod. secundo, eius prædicatio, ita Beda; tertio, collocatio in cruce, ita Iustus Orgelitanus; quarto, mors, ut ait S. Hier. lib. 1. contra Iovinianum; quinto, resurrectio, ut S. Greg. lib. 35. Mor. c. 13. sexto, ascensio, et collocatio ad dexteram Patris, ut S. Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 8. septimo, S. Greg. Nyssen. in Cant. homil. 3. exponit de accubitu, quo Christus in pia anima accumbit, velut rex sedens in equo, cui antea erat comparata Sponsa; ait enim sessionem et accubitum idem esse. Melius tamen explicabis de accubitu in convivio, ibi enim sunt flores, et eorum odorem sentit sponsus, cum more veterum mensæ accumbens reclinat caput in pectus sponsæ, vel contra. Aquila vertit, in *recubitu suo.* Symm. ἐν ἀναπαύσεσιν, in requietibus. Tunc amans requiescit, cum est in centro suo, id est in amato suo, et impressus cordi eius. In illo recubitu Christus odoratur sponsæ nardum, hoc est virtutes, ut explicat S. Anselm. specialim de devotione exponit Orig. de fidei et oris confessione, S. Ambr. de humilitate, S. Bern. serm. 42. in Cant. Generatim cap. 2. 12. dicit Sponsus: *Flores apparuerunt in terra nostra*, id est virtutes in anima.

Huius horti flores sunt virtutes.

Mira porro est varietas cælestium illorum florum. Primo enim est flos fidei. Cant. 2. 5. ait Sponsa: *Fulcite me floribus* (Symm. recumbere me facite in flore. Septuag. μυροις, id est unguentis. Orig. legit μυρραις, id est arboribus myrrhæ) *stipate me malis* (hoc est pomis. Tigurina habet, substernite mihi mala. Syr. posuerunt me in deliciis) *quia amore langueo.* Philo Carpathius per flores et mala intelligit virtutes et dona Spiritus sancti, ac præsertim donum fortitudinis. Secundo, Titelm. dicta et facta Christi. Tertio, Rupertus vult floribus designari fidei actus: malis seu pomis, bona opera. Quarto, S. Gregor. opinatur per flores denotari fideles incipientes: per malo, proficientes et perfectos: *Per flores*, ait, *teneri quique et incipientes: per mala vero, perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus et stipari malis appetit; quia dum se æternitatis desiderio affi cit, dum qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit, eo quod perfectionem dum in carne vivit, omnino non invenit, fatigata in desiderio suo requiescit. Et in hoc solo gaudet, si circa se respicit, vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum perfectione consolationem de suo languore recipere possit.* Lege eum lib. 2. in Ezech. homil. 15. et S. Bernard. serm. 51. in Cantic. Item Cantic. 7. v. 12. vetus et nova Sponsa, id est Ecclesia et Synagoga dicunt: *Mane surgamus ad vineas* (id est ut ad vineas eamus) *Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*, (Sept. si floruit propago. Pagn. si aperuit se uva parva. Vatabl. si aperuerit sese uva recens) *si floruerunt mala punica; ibi dabo tibi* (o dilecto mi) *ubera mea.* Vatabl. Ibi meum amorem erga te profundam. Cassiodor. *Floret vinea*, inquit, *cum Ecclesia prima fidei et confessionis percipit rudimenta: flores parturiunt fructus, cum fides ipsa prorumpit in opera: florent mala punica, cum hi qui in fide rectaque operatione profecerunt, desiderium patiendi pro iustitia habent.*

57. *Varii sunt hi flores. I. Fides est flos.*

Secundo, in anima sancta, velut in Christi horto, est flos spei. Ps. 91. 14. *Plantati in domo Domini* (in templo ait S. Basil. 2. in domo religiosa, ut Ugo; 3. in Ecclesia, ut Lombard.) *in atriis domus Dei nostri florebunt.* S. Hieron. germinabunt. Atria porro illa sunt particulares Ecclesiæ, ut dicit Ugo; 2. corda, in quibus habitat Christus per fidem, ut Rickelius; 3. spes ipsa est atrium, in quo floret animo sancta. Philippus Presbyter lib. 1. in Iob cap. 5. Progenies, ait, operum tuorum multitudini herbarum virentium comparetur, quarum radices, id est, spei vires, si intus habeas in corde fixas, terra tua flores cum fructibus germinabit. Psal. 91. 13. *In atriis domus Dei nostri florebunt.* Sed in ipsa domo fructum ferent, cum id consequentur quod speraverunt. S. Bern. serm. in Nativit. Mariæ: *Florum, ait, non fructuum tempus est, dum in spe magis quam in re sumus: et per fidem non per speciem ambulantes expectatione magis, quam experientia gratulamur.* Et S. Greg. hom. 16. in Ezech. lib. 2. *Tunc*, inquit, *apparent flores in terra, quia cum de æterna beatitudinis vita quædam suavitatis primordia prægustare anima ceperit, quasi iam in floribus odorata exit. Quod postquam egressa fuerit, in fructu uberius habebit.*

58. *II. Spes.*

Tertio, in anima sancta, velut in Christi horto est flos charitatis. Cant. 7. 12. *Videamus si floruerunt mala pu-*

59. *III. Charitas.*

nica, id est, ait Angelomus, charitatis et martyrii desiderio, fructus, et opera. Aquila vertit, *si se aperuerunt mala punica*. Flores enim mali punici se pandunt: et charitas magis ac magis et se, et cor, in quo est, dilatat. Vide dicta Ps. 118. 12. Mala punica dicta sunt malogranata, quod e Pœnorum regione ad nos transmissa sint: granata vero dicuntur a granorum multitudine. Cantic. 4. 3. ait Sponsus: *Sicut fragmen* (Hebr. פלח *pelach*, id est fractio, divisio, fragmen, pars, frustum. Aben Ezra legerat פרח *perach*, ideo vertit flos) *mali punici: ita genæ tuæ*, quia rotundæ sunt; 2. tument; 3. rubent, sicut rubent malogranata in suis granis et cortice. Unde ait Martial. lib. 1. Epig. *Aut imitata breves punica mala rosas.* Septuag. vertunt ὡς λέπυρον, id est sicut cortex: sed frangitur ille cortex, quia charitas sibi non parcit, sese aperit, et bona sua amanti capienda obiicit.

60. IV. Aliæ omnes virtutes. Quarto, in anima sancta, velut in Christi horto, sunt flores omnium virtutum. Cant. 2. v. 1. ait Sponsus: *Ego flos campi* (Tigurine, ego sum rosa Saron; ita etiam vertit Vatablus, qui putat Sponsam loqui. Syr. vertit, lilium loci fertilissimi) *et lilium convallium*. Arebs, torrentium. Eius candorem et innocentiam magis illustrant afflictiones. Chald. reddit paraphrastice, opera mea pulchra sunt sicut rosa, quæ est in campo horti voluptatis. S. Bernard. serm. 47. in Cant. pie ac subtiliter triplicis generis flores annotat, 1. in campo; 2. in horto; 3. in thalamo, id est cubiculo seu lecto. Nam primo dicitur Cant. 1.16. *Lectulus noster floridus*. Secundo, cap. 2. 1. *Ego flos campi*. Tertio, cap. 4. 12. *Hortus conclusus soror mea Sponsa*. Sic autem sanctus hic pater eos flores odoratur: *Flos est virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto virginitas, in campo martyrium, bonum opus in thalamo.* Et bene in horto virginitas, cui familiaris verecundia est fugitans publici, latibulis gaudens, patiens disciplinæ. Denique in horto flos clauditur, qui in campo exponitur, spargiturque in thalamo. Bene in campo martyrium, dum martyres ludibrio omnium exponuntur. Bene quoque in thalamo actio bona, quæ conscientiam et quietam facit et tutam. Post bonum denique opus securius in contemplatione dormitur, et tanto quis fiducialius sublimia intueri et investigare aggreditur, quanto sibi conscius est minime se propriæ amore quietis charitatis operibus defuisse. S. Gregor. hom. 6. in Ezech. aliquot virtutum flores colligit: *Iacob gentilis populi figuram tenet, cique in benedictione dicitur Genes. 27. v. 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus Deus. Sicut enim in Evangelio veritas dicit, Matth. 13. 38. Ager est hic mundus. Et quia gentis populus ad fidem perductus, per Electos suos in universo mundo virtutibus redolet, odor filii odor est agri pleni. Aliter namque olet flos uvæ, quia, magna est virtus et opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos olivæ, quia suave est opus misericordiæ, quia more olei refovet et lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrantia, quæ rutilat et redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilii, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes, se per humilitatem a terra in altum non sublevant, et cœlestis Regni purpuram in mente servant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur: quia bonorum operum perfectio ad satietatem eorum, qui iustitiam esuriunt, præparatur. Quia ergo gentilis populus in electis suis ubique per mundum sparsus est, et ex eis virtutibus quas egit, omnes qui intelligunt, odore bonæ operationis replet, dicatur recte: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.* Floribus scilicet ac fructibus vernantis et dilati.

61. Flores enati in corpore Ioscionis. Hos denique virtutum flores veluti per sensus omnes totumque corpus distribuamus: ubique enim vernant hi flores, si præsertim psalmorum nostrorum ros cœlestis accedat. Hoc in Ioscione Monacho enituit, qui quotidie post preces matutinas decantare solitus erat Psalmos quinque incipientes a singulis literis nominis Mariæ; nempe Magnificat; 2. Ad Dominum; 3. Retribue; 4. In convertendo; 5. Ad te levavi; id est Canticum Deiparæ, et Ps. 119. Ps. 118. in partes undecim divisi part. 2. ac veluti Ps. 2. Ps. 125. et Ps. 24. vel 122. Statim vero post illius mortem inventi sunt quinque rosarum flores in vultu ipsius: quorum unus ex ore, duo ex oculis, ex auribus duo promicabant, quod tres Episcopi viderunt et mirati sunt, ut refert S. Antoninus in Chronico, et Ioan. Molanus in natalibus Sanctorum Belgii, mense Novembri.

Primo igitur flos e dextro oculo prodiens, est recta intentio, flos autem e sinistro oculo procedens est benignitas et humanitas. De primo ait Christus Matth. 6. 22. *Si oculus tuus fuerit simplex* (id est purus, candidus, mundus, externis humoribus non vitiatus) *totum corpus tuum lucidum erit.* Ibi per oculum intellectum seu mentem sumit S. Chrysost. intentionem S. August. Et S. Greg. 28. Mor. 6. sic ait: *Quid per oculum exprimitur, nisi opus suum præveniens cordis intentio? quæ priusquam se in actione exerceat, hoc quod iam appetit, contemplatur? Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio quæ intentionem suam quasi intuentem oculum sequitur. Lucerna itaque corporis est oculus: quia per bonæ intentionis radium merito illustrantur actionis.* De secundo dicit Iob c. 29. 15. *Oculus fui cæco.* Et Ps. 32. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis qui sperant super misericordia eius.* Lætitia spiritualis, de qua versiculus noster est, non tantum cor vivificat, sed etiam oculum recreat, purificat, et illustrat. Proverb. 17. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit.* Rabbini quidam reddunt, Cor lætum iuvat aciem oculorum. Spiritus enim animales et vitales illi puriores communicentur; quos tristitia infrigidat, constringit, ad cor et cerebrum revocat, aut in iis retinet. Salazar noster: Cor lætum, ait, iuvat aciem oculorum, id est iuventam vernare facit: nam in senibus oculi caligant et hebescunt. Itaque concinit cum illo: Animus gaudens ætatem floridam facit: nam vigor ætatis, vel maxime in facie atque in oculis florescit; ita ipse. — 62. Corpus iustorum sit floridum. I. In oculo sit flos rectæ intentionis.

Secundo, In ore flos est eloquentiæ, sacram doctrinam omnibus communicantis, eoque odore amicos, affines, contubernales, cives, Ecclesiam universam reficientis. Vel, in ore est flos orationis Deum ipsum odore suavitatis suæ et melodia sua recreans. Sponsus enim dicit Sponsæ, Cant. 2. 14. *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Est veluti mel in ore Samsonis. De prædicationis gratia exponit S. Ambrosius in Ps. 118. serm. 6. v. 6. Suavis est vox, inquit, quæ ore confessio fit ad salutem, et decora facies, quia non erubescit auctorem, non confunditur Redemptore. Ostendit ergo faciem suam, signaculum crucis præferens: et insinuat vocem suam, auctoritatem prædicationis assumens. De oratione autem explicat Chald. Paraphr. *Ostende mihi aspectum tuum et opera tua bona. Fac audire vocem tuam: quoniam vox tua suavis est in oratione in domo sanctuarii modici, et aspectus tuus pulcher in operibus bonis.* Evocatus Deus in os descendit, velut in areolam aromatum, et implet illud. Ps. 118. 131. *Os meum aperui, et attraxi spiritum*, velut cœlestem ventum, qui perflaret hortum, ut fluerent aromata eius. S. Chrysostomus sermone in Pentecosten id exponit de Spiritu sancto descendente in Apostolos. Sed quia oris nostri locus angustus est ad tantum hospitem recipiendum, ait Deus Ps. 80. 11. *Dilata os tuum, et implebo illud.* Cassiodorus legit, adimplebo, q. d. totaliter et perfecte implebo. Dilatatio autem consistit in apertione ad verba legis, tunc Deus implet omni bono; ita Chaldæus, imo etiam implet seipso. Dilatatio potius pertinet ad petitionem amplam et largam, et cum magno obtinendi desiderio factam, sicut qui fame urgetur, reperto cibo os pandit, et illud avide implet. Impletum autem os Deo sermones sacros velut cœlestes flores diffundit. Hoc ad rem nostram apte S. Ambr. lib. de bono mortis, cap. 5. *Hortum*, ait, *sibi Plato composuit, quem Iovis hortum alibi, hortum mentis appellavit; Iovem enim et Deum, et mentem totius dixit: In hunc introisse animam, quam Peniam nuncupat, ut se abundantia et divitiis horti repleret, in quo repletus potu iaceret Porus, qui nectar effunderet. Hoc igitur ex libro Canticorum composuit, eo quod anima Deo inhærens in hortum* — 63. II. Ex ore flos eloquentiæ.

mentis ingressa sit, in quo esset abundantia diversarum virtutum floresque sermonum. Ibi est lignum vitæ pro ipsa anima, et lignum scientiæ pro aliis, sed scientiæ divinæ et salabris, non mortiferæ. Paulo post ait idem sanctus Doctor: *Verbum Dei pascitur animæ virtutibus, quoties obedientem sibi et opimam invenerit, et carpit fructus eius, atque his delectatur. Cum autem descenderit in eam Dei verbum, defluunt ex ea salubrium unguenta verborum.* Est enim Iesus Dei verbum, eo plenus animus verba vitæ æternæ habet.

64. III. In auribus flos docilitatis et obedientiæ. Tertio, Flos auris dexteræ, est docilitas animæ sanctæ: flos auris sinistræ est eius obedientia. De utroque flore dicit Sponsus Cantic. 2. 13. *Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum.* Apostolis in vere, pata in Pentecoste, et deinceps prædicantibus, ficus protulit grossos: id est, multi Iudæi ad Christum conversi sunt: et vineæ florentes, id est gentes credere incipientes, dederunt odorem sanctæ vitæ, famæ, et exempli, indeque spem magnæ fertilitatis, puta conversionis omnium omnino Gentium; ita Cornelius. Per vineas intellexit Origenes hom. 4. ex quatuor, odorem vero ex vineæ illius sacræ floribus exortum ait esse doctrinam et institutionis bonum. Ugo autem Cardinalis, vineas florentes et odoriferas de fama et fama sanctæ conversationis explicat. S. Bernardus serm. 60. in Cant. per ficus, suavitatem morum: per vineas, spiritus fervorem interpretatur.

65. IV. In genis flos verecundiæ. Quarto, Flos genarum purpureus, est verecundia, quæ iuvenibus præsertim mirum splendorem aspergit. Sponsus ait Sponsæ Cant. 1. 9. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Chald. et Rabbini, sicut inaures, gemmæ, torques, margaritæ, monilia. Per genas autem pulchras intelligunt verecundiam, S. Gregorius, S. Anselm. et S. Bernard. Magis ad rem nostram ait Sponsus Cantic. 4. 3. *Sicut fragmen* (Aben Ezra, sicut flos) *mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Mali punici cortex purpureus, et flos, et grana, sunt symbolum virginalis verecundiæ. S. Gregor. orat. 11. de Laudibus S. Gorgoniæ: *Unus,* inquit, *illis rubor placebat, quem pudor offert: unus candor, quem parit abstinentia. Nam pigmenta, et fucos, et vivas tabulas* (id est larvas, seu larvatas et fucatas facies) *scenicis et trivialibus relinquebat, quibusque probrum ac dedecus est erubescere.* Vicissim Sponsa loquens filiabus Ierusalem, id est sanctis Angelorum et hominum animabus ait de suo Sponso, cap. 5. 13. *Genæ eius sicut areæ aromatum, consitæ a pigmentariis,* id est, vendentibus pigmenta et fucum.

66. V. In corde, charitas floreat. Quinto, flos cordis et pectoris, est charitas. Sponsus dicit Sponsæ suæ, id est, animæ sanctæ, seu Ecclesiæ, aut B. Virgini: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis,* hoc est, inter lilia, agrestia scilicet quæ in campis et convallibus proveniunt. Symmach. vertit, *in floribus*, id est, inter flores varios, ex quibus sertum contexitur, et inter duas mammae ponitur. Duo iustorum ubera sunt charitas Dei et proximi, ut ait Philo Carpathius et Michael Gislerius. Vel, ut ait Richardus a S. Victore, charitatis ubera duo sunt, eleemosyna corporalis, et eleemosyna spiritualis. Hæc ubera, ait, lacte replentur charitatis, quo iuniores et teneriores reficiunt, et quasi matres lactant et alunt. Rem admirabilem prorsus refert noster Serarius lib. 5. rerum Moguntinarum, nimirum osseam crucem in pectore Volcrandi Religiosi Ordinis S. Dominici, repertam esse, ex cuius extremitate *lilium* erumperet. Illam se vidisse narrat Thomas Cantipratensis, ut dixi Ps. 9.

67. VI. In iecore et ventre, castitas. Sexto, flos iecoris et ventris, est castitas. Sponsus dicit Sponsæ suæ novæ, id est, synagogæ conversæ in fine mundi, seu animæ novellæ in virtute, Cant. 7. 2. *Venter tuus sicut acervus* (Symm. cumulus) *tritici, vallatus liliis.* Tigur. circumseptus liliis, id est, castitate omnimoda: nempe in cogitatione, locutione et operatione, q. d. ita casta es, ut nihil in te sit non candidum, florens et odoriferum. Honorius in Cantic. *Venter animæ*, ait, *est memoria, in quo recondit cibos sacræ Scripturæ, quæ similis est acervo tritici: quia sicut in acervo grana cumulantur, ita et in memoria multæ sententiæ et imaginationes coacervantur, quæ liliis vallantur, quia mundis cogitationibus stipantur.*

Septimo, flos manus dexteræ, est liberalitas. Flos manus sinistræ, est misericordia. De utroque ait Sponsa laudans Sponsum Cant. 5. 14. *Manus eius tornatiles* (Septuag. τορευταί, tornatæ seu torno elaboratæ) *aureæ, plenæ hyacinthis*, id est, gemmis. Arabs, plenæ auro Tharsis. Syr. lapidibus auri. Sensus est, manus Christi sunt tornatiles, id est, nitentes, elegantes, et quasi torno politæ; item plenæ hyacinthis, id est, sapphiris seu chrysolithis. Ungues enim eius in digitis erant rosei, et quasi pellucentes, sicut hyacinthi in annulo. *Manus* porro, ut ait Theodor. *eas virtutes vocat, quæ in actione constituunt, quas omnibus officiis sigillatim ita diligenter excoluit, ut unamquamque actionem tornaret ac dirigeret. Quamobrem ad Ioannem Matth. 3. 15. Sine, ait, modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Aureas appellat, ut pretiosas et eximias: nam et Tharsis propter auri præstantiam posuit, illinc enim dicit Scriptura sincerum et purum, ac probatum aurum deferri.* Manus Christi ait Psellus esse Apostolos; 2. Aponius, apostolicos viros; 3. Rich. a S. Vict. opera iustorum. Tornatiles sunt, quia ad omne opus bonum sunt promptæ, ut dicit Iustus Orgelitanus. Hyacinthis denique plenæ sunt, quia habent spem vitæ æternæ, ut ait Cassiodorus. Ad flores actionis serendos Sponsam invitat Iesus, cum ait Cantic. 2. 1. *Ego flos campi, et lilium convallium*, ut docet Beda. Flos enim campi expositus est, et actionem cum proximis denotat: flos vero horti est contemplationis index, ad quam aspirabat Sponsa, cum dicebat Cantic. 1. 16. *Lectulus noster floridus.* Ad eamdem actionem invitat Sponsus, Cantic. 7. 12. *Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Aponius per flores malorum punicorum accipit desideria conservandæ virginitatis. Philo Carpathius per flores vineæ, opera ipsa, quæ ex odore sanctitatis præbent argumenta veræ fidei. S. Gregor. vero, in vinea Ecclesiam: in floribus, teneriores et imperfectiores: in malis punicis, perfectissimos intelligit, eorumque omnium opera contemplari Christum asserit: *Si*, ait, *floruit vinea, Christus conspicit: quia omnem profectum Ecclesiæ districto examine perpendit. Videt, si flores parturiunt, quia prospicit, ad quem profectum teneri quique et imperfecti excrescunt. Videt etiam, si floruerunt mala punica, quia perfectos quosque respicit, et quid utilitatis in proximis habeant, quasi in floribus fructum arboris cognoscit.* 68. VII. In manu liberalitas.

Octavo, flos pedis dextri, est fervor: flos pedis sinistri, est innocentia. Quod hi pedes, id est, affectiones, tangunt, hoc rosa, hoc lilium, hoc narcisus, hoc hyacinthus fit. Ezech. 16. 10. *Vestivi te discoloribus* (hoc est, acu pictis et variegatis opere Phrygionico) *et calceavi te ianthino*, id est, calceis ianthini sive hyacinthini, id est, violacei (ἴα enim est Græcis viola) et cælestis coloris, ut ait Cornelius. Vertit Theodotio, *calceavi te hyacinthino*, id est, pelle coloris hyacinthini: affectionibus scilicet atque cogitationibus cælestibus ac divinis, et ad Deum nos promoventibus. S. Hieron. *Cum loti fuerint pedes, et omni sorde purgati, calceantur hyacinthinis sive ianthinis, quod utrumque aerii et κυανοῦ coloris est, ut rapiantur in occursum Domini in aerem, et ad cælestia regna festinent.* Non colore tantum hyacinthino, sed hyacinthinis floribus pedes cingendi sunt, ut hircum non oleant. Manus Christi plenas vidimus hyacinthis, sed gemmis, sicut exposui, quod tamen etiam de floribus exponit Cassiodorus. 69. VIII. In pedibus fervor et innocentia.

Nono, in toto corpore, flores puritatis mirum odorem aspirant: ideo Sponsa Cantic. 1. v. 16. Iesum ad se invitans ait: *Lectulus noster floridus.* Heb. רעננה *raanana*, hoc est, viridis, ut vertit Arias: floribus scilicet virentibus coopertus. Septuag. σύσκιος, umbrosus, inumbratus: ob florum videlicet multitudinem. Lectulus hic animæ est quies et suavitas contemplationis, et bonæ vitæ, ita S. Gregorius et Cassiodorus; 2. est obedientia, ita S. Bernardus; 3. est crux Christi, ita S. Ambrosius; 70. IX. In toto corpore, puritas.

*

4. est corpus castum et purum, ita Origen. homil. 2. ex duabus. Corpus enim castum est 1. floridum ob odorem bonum sanctimoniæ; 2. umbrosum, quia non sentit ardores concupiscentiæ. Ex illis floribus Christus mel suavitatis, pietatis, et virtutum omnium conficit. Ugo Cardinalis in psalmum nostrum in Adamo flores duos notat, 1. immunitatem a peccato; 2. possibilitatem non moriendi. Thomas Anglicus vero duos flores advertit in corpore iustorum: nempe abstinentiæ decorem et pudicitiam.

71. X. [Viri iusti sunt in omnibus floridi] Decimo denique, Viri iusti, toti sunt florei, imo toti flos, Iesum Nazarenum comitantes. Sponsus dicit Cant. 2. v. 2. *Sicut lilium* (Chaldæus et Vatablus, sicut rosa: sed שושנה sciosciana, significat lilium) *inter spinas* (Sept. in medio spinarum) *sic amica* (V. editio, dilecta. Sept. proxima) *mea inter filias*. Lilium est anima innocens inter peccatores, qui toti spinosi et spinæ sunt. S. Gregor. ibi: *Bene*, ait, *sicut lilium inter spinas, sponsa inter filias esse perhibetur: quia cum multi sint in Ecclesia, qui solis verbis Christum confitentur, operibus vero nihil nisi humanas sollicitudines sectantur: dum sola illa anima in lilii dignitate computatur, quæ a mortalitatis radice ad cælestem pulchritudinem assurgit, et munditiæ candorem corde et corpore sibi ipsi custodit, et proximos quosque bonæ opinionis odore reficit*. S. Gregor. Nazianz. orat. 4. ἐχω, ait, ἀνθη παντων εαρινων ευανθεστερα τε και μονιμωτερα; habeo flores vernis magis floridos et durabiliores. Hos ait esse sacerdotes iustos: de cæteris idem dici potest.

72. [Anagog. Reflorebit caro in resurrectione] Anagogice, refloret caro nostra ob spem resurrectionis; ita S. Athanas. Didymus, Euseb. In ipsa vero resurrectione maxime florebit. Tunc quilibet iustus dicet: *Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea* (sponte, ex animo, toto affectu) *confitebor ei*. S. Hieron. in cantico meo confitebor illi. Symm. ἐν ᾠδαις μου, in odis meis. Iam vix possumus cantare canticum Domini in terra aliena. Multa enim discordant, et symphoniam impediunt.

ARTICULUS II.

Christus est flos pulcherrimus, qui in passione succisus per resurrectionem refloruit.

73. [Christus est flos pulcherrimus.] De Christo etiam ad literam locum hunc, *refloruit caro mea*, interpretantur S. August. S. Hieron. Bellarm. Dionys. Torrecr. Genebr. et alii.

Nota, Christus est flos, et sic appellatur ab Is. c. 11. 1. *Et egredietur virga* (Symmac. et Theodotio, germen) *de radice Iesse*, (seu Isai, patris David) *et flos de radice eius ascendet*. Pro *flos* Hebr. est נצר *netser:* unde Maldon. Iansen. atque alii apud S. Hieron. putant Christum dictum esse Nazaræum, vel Nazarenum, q. d. floridum omni virtute et gratia, atque excrescentem in magnam et gloriosam arborem, quæ multos et magnos dedit fructus Martyrum, Confessorum et Virginum. Unde et in titulo S. Crucis qui extat Romæ נצרי *notsri*, id est, Nazarenus, scribitur per *tsade*, quasi a *netser* hoc descendat, ut testatur Santes Pagninus, et eum secuti Iansen. Maldon. Salmeron, Barrad. Caietan. Franc. Lucas, et alii in Matth. 2. v. ult. quin et S. Hieron. scribens ad Pammachium de optimo genere interpretandi Scripturam vertit: *Et Nazaræus de radice eius crescet*. Ita Cornelius, qui ait sibi titulum Crucis in basilica sanctæ Crucis Romæ studiose diuque intuenti visum esse, literas hebræas in eo iam non posse discerni certo, et si discernantur, *notseri* potius scribi per zain, quam per tsade. Hæc ille. Sed non est mirum tsade per z esse redditum, nam innumeris locis redditur per s, itaque scribendum erit *noseri*, quod sonat sicut *nozeri*. De Christo flore ad illud etymon alludens Origenes hom. 2. in Cant. ait: *Quid sic potest esse flos mundi, ut vocabulum Christi? unguentum effusum nomen eius*. Et Iesus, et Christus, et Nazarenus, flores sunt et odorifera Salvatoris nomina. Eundum nobis est cum Angelo in Nazareth, ut eum florem colligamus. Palladius Episcop. serm. in salut. Angel. *Vade Nazareth*, ait, *Cur? quo gratissimum virginitatis decus veluti rosam suaveolentem ex loco spinoso sibi omnipotens eligeret.*

74. [Octo convenientiæ Christi et floris.] Non tantum nomen, sed etiam proprietates floris habet Christus. Primo enim, flos per se nascitur in terra, sine coitu; ita Christus similiter de virgine natus est, sine coitu, ut ait Hugo. Luc. 1. 34. *Quoniam virum non cognosco*. Isaiæ 7. 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*. Cant. 2. 1. *Ego flos campi*, sponte proveniens, sine cultura, ut dicam infra. S. Zeno serm. 3. de Nativitate. *Requiescit*, inquit, *libens florentissimo in domicilio castitatis, et visceribus sacræ Virginis comparat sibi corpus, suo iudicio nasciturus*. Et S. Bern. serm. 4. in vigilia nativitatis Domini: *O partus*, inquit, *solus nescius pudoris, corruptionis ignarus, non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum*. Tertull. lib. de corona militis cap. 15. Habes, inquit, florem ex radice Iesse, super quem tota divini Spiritus gratia requievit, florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum. I.

Secundo, sicut dicit Arist. lib. 2. de vegetabilibus, flos de subtili materia tantum exit, corpus autem Christi, fuit de subtili materia: quia secundum S. Damasc. fuit formatum de purissimis sanguinibus Virginis, et quia nulli fuit crassitiei peccati obnoxium. S. Bernard. in serm. de adventu ait: Utique filius Virginis flos candidus et rubicundus, electus ex millibus: flos, in quem desiderant Angeli respicere: flos, ad cuius odorem reviviscunt mortui; ita Thom. Angl. II.

Tertio, pulchritudo floris delectabilis est, Christus fuit pulchritudinis eximiæ. Ps. 44. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*. Aquila, καλλει εκαλλιωθης, απο υιων ανθρωπων; *pulchritudine pulcher es præ filiis hominum*. Vide ibi dicta. Sponsa dicit Sponso Cant. 1. 15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus*. Chald. vertit: *Quam pulchra est maiestas sanctitatis tuæ, quoniam in tempore, quo tu habitas inter nos, suscipis voluntarie actiones nostras.* III.

Quarto, flos odore suo iucundus est, ita et Christus, in Iacob Patriarcha figuratus, de quo Isaac eum benedicturus, ait Gen. 27. v. 27. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni* (floribus et fructibus) *cui benedixit Dominus*, dando rorem, pluvias et fœcunditatem. Hoc dixit Isaac sentiens vestimentorum illius fragrantiam. Vestis Christi est eius humanitas, sub qua latet divinitas, cuius odore illectæ animæ sanctæ ad ipsum currunt. Cant. 1. 3. ait Sponsa: *Trahe me: post te curremus in odorem unguentorum tuorum*. S. Ambros. lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 6. legit, vestimentorum tuorum. Aromatis scilicet perfusorum. Ps. 44. 9. de eodem Iesu sponso dicitur, *myrrha* (Chald. myrrha tenuis) *et gutta* (S. Hieron. stacte) *et casia a vestimentis tuis*. S. Hier. In vestimentis tuis: sed ita ut ab eis longe lateque diffundatur suo odore, eoque sponsæ vestes, id est, externas etiam actiones et totum corpus imbuat. Cantic. 4. 11. ait Sponsus suæ sponsæ: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Thus præ cæteris aromatibus est odoratum et lucidum. IV.

Quinto, flos est spei fructus. Christus ait Ioan. 15. 5. *Sine me nihil potestis facere:* David autem ait, et Christianus quilibet, Ps. 70. 5. *Domine spes mea a iuventute mea*. Ne initium quidem boni sine gratia Christi habere possumus. Iuventus est flos ætatis, sed in Nazareno et per Nazarenum floreat. S. Hier. ab adolescentia mea. Apoll. a virescente pubertate. V.

Sexto, flos brevi marcescit ac decidit, aut etiam ante tempus colligitur ab hortulano; ita Christus cito decisus est in ipso vigore ætatis, nempe anno 33. expleto. Ioan. 16. 16. *Modicum* (post paucas horas) *et iam non videbitis me*. Plin. lib. 21. cap. 1. Natura, inquit, flores odoresque in diem gignit: magna, ut palam est, admonitione hominum, quæ spectatissime floreant, celerrime marcescere. Iob cap. 4. 2. homines flori citissime præciso et contrito comparat. VI.

Septimo, flos mel suppeditat apibus. Nam apes mel non fundunt ex sese, sed in floribus repertum concoquunt et conficiunt. Christus dat gratiam humilibus et laboriosis. Ps. 18. 8. *Sapientiam præstans parvulis*. Vide ibi dicta Prov. 11. 2. dicit Salomon. *Ubi est humilitas, ibi et* VII.

sapientia, id est, Christus. Sept. vertunt, os humilium meditatur sapientiam; ut eam ex flore Christo exugat, at ad alios deinde transfundat in Ecclesiæ aut domos vel scholæ alveari. S. August. tract. 104. in Ioan. Humilites, ait, claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.

VIII. Octavo, flos inseruit coronis victorum et triumphantium, ita et Christus. Isa. 28. 5. *In die illa* (post captivitatem Assyriacam decem Tribuum) *erit Dominus exercituum corona gloriæ* (id est, gloriose) *et sertum exultationis residue populi sui*, id est, duabus Tribubus, nempe Iuda et Beniamin, quas illustribus victoriis et gloria coronabit. Sed in cælo verius id accidet sanctis post deiectos sceleratos in æternum carcerem. Corona hæc erit immarcescibilis. 1. Cor. 9. 25. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus* (eum impedientibus) *se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ut enim dixi ex Tertulliano Christus est flos incorruptus, immarcescibilis, sempiternus.

75. *Christus florem se esse ostendit.* Nota secundo, Christus florem se esse ostendit 1. In Incarnatione; 2. per totam vitam in sua conversatione; 3. in passione; 4. in resurrectione.

I. *In Incarnatione. In tota vita fuit flos campi, et lilium convallium.* Primo enim ait ipse Christus sponsus Ecclesiæ Cantic. 2. 1. *Ego flos campi* (id est, mundi, ait S. Ambr. et Orig. Ubi indicatur tempus incarnationis fore ver, quod est tempus florum, ut notat S. Bernard. et Honorius) *et lilium convallium.* Aponius dicit, Christum florem campi fuisse ante Incarnationem, quia in toto cælorum campo coruscans spiritibus cælestibus extitit admirandus: post Incarnationem vero esse lilium convallium, quia descendit in vallem lacrymarum. Honorius quinque in lilio considerat, et Christo applicat: *In lilio*, inquit, *quinque considerantur: quia est candidum, habens aureum colorem prominentem, et est odoriferum, et pandulum, et semper incurvum: sic Christus candidus est in humanitate, aureus in deitate, odoriferus in prædicatione, pandulus in suscipiendo pœnitentes, incurvus in condescendendo peccatoribus, et eos sublevando.* (*In lilio quinque spectantur.*) Verba autem Aponii sunt: Flos campi, ait, fuit Christus ante Incarnationem, quia in toto cælorum campo coruscans cælestibus spiritibus extitit admirandus. Post Incarnationem vero effectus est lilium convallium, cum descendit in vallem lacrymarum, et tria attulit: abolitionem peccati, abstersionem mendacii, et refrigerium concupiscentiæ: æque ac lilium tria ex se exhibet; candorem, odorem, et ad quæque adusta ignibus medicinam; ita Aponius. Florem campi factum fuisse Christum, quando corpus terrenum assumpsit: lilium vero convallium, cum ad limbos descendit, ibique suavem odorem benignitatis suæ afflavit, dicit Theodoretus: florem campi fuisse inter Iudæos, qui verbo Dei excolebantur, lilium vero convallium inter Gentiles, qui terra sexosa et inculte erant, docet Orig. hom. 3. ex quatuor. *Pulchre in lilio*, ait Beda, *prius se candor exterior paulatim aperit, et sic demum aurei coloris, quæ latebat intus, gratia patescit; quia natus in mundo Dominus, prius homo sublimis his, qui in eum vere credebant: at tempore procedente, Deus verus innotuit.*

76. II. *In passione Christus flos extitit.* Secundo, etiam Christus in passione fuit flos; arbor enim vitæ fuit crux, cuius flos et fructus fuit Christus. S. Ambr. lib. de Spiritu sancto c. 5. hoc declarat: *Opus spiritus, flos radicis est. Ille, inquam, flos de quo bene est prophetatum* Is. 11. 1. *Exiet virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Radix Iesse Patriarchæ, familia Iudæorum, virga Maria, flos Mariæ, Christus, qui bonum odorem fidei toto sparsurus orbe virginali ex utero germinavit: sicut ipse dixit Cantic. 2. 1. Ego flos campi et lilium convallium. Flos odorem suum et succisus reservat, et contritus accumulat, nec avulsus amittit. Ita et Dominus Iesus in illo patibulo crucis, nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, et illo lanceæ punctione succisus, sacro speciosior fusi cruoris colore vernavit: mori ipse nescius, et mortuis æternæ vitæ munus exhalans. In hoc igitur Spiritus sanctus virgæ regalis flore requievit.* Lilium fuit Christus in cruce ob candorem seu splendorem divinitatis, et ruborem humanitatis: idem sanctus Pater in Ps. 118. serm. 5. v. 1. Lilium, ait, splendore circumfusum est, intus autem quod habet rubeum est, boni et ipsum odoris, eo quod caro Christi velut morali divinitatis claritudine circumspecta, cælestis habuerit protectionem gratiæ. Denique in posterioribus ait Cant. 5. *Fraternus meus candidus et rubeus.* Candidus claritate divina, rubeus specie coloris humani, quem sacramento Incarnationis assumpsit. Meritoque et ipsum quod est rubeum, bene olet: quia caro Christi sine peccato est, quam perfidi contrectantes, manus suas inquinaverunt: sancti venerantes, pietatis odore fragrarunt. Accepit hunc odorem Dominus Iesus flagrantis Ecclesiæ suæ, et ait Cant. 1. *Ecce proxima mea bona.* Et Ecclesia dicit ad Christum Cant. 2. Ecce bonus fraternus meus, ecce es bonus tanquam malum in lignis sylvæ. Huiusmodi pomum odorem gratum habet, ut cæterorum pomorum fragrantiam vincat: *Christus ergo affixus ad lignum sicut malum pendens in arbore, bonum odorem mundanæ fundebat redemptionis, quæ peccati gravem detersit fætorem, et unguentum potus vitalis effudit.* Christus quoque in Cruce fuit lilium inter spinas, id est, inter dolores, clavos, et spineam coronam; 2. inter latrones; 3. inter Iudæos et Gentiles; 4. inter nostra peccata, ut dictum est Ps. 21. Sed illas spinas dissipat. S. Gregor. in cap. 2. Cantic: *Bene*, inquit, *florem Christus se nominat, qui dum spinas peccatorum exterminat, mentem Sponsæ, et pulchritudine suæ iustitiæ exornat, et naribus cordis dum cæleste desiderium applicat, interiora animæ quasi odore refocillat.* Titulus Crucis Nazaræum, id est, floridum Iesum nuncupat. Ibi fuit præsertim lilium rubrum, vel rosa.

Tertio, præsertim floruit, aut potius refloruit, caro Christi in resurrectione. Tunc dicere poterat: *Et refloruit caro mea*, exurgens e terra, et dotibus immortalitatis, agilitatis, subtilitatis, atque claritatis vivida, illustris, vegeta, pulcherrima, odorifera, nunquam moritura; ita S. August. S. Hier. Dionys. Ludolph. Torrecr. Genebr. Origen. Beda et alii. Ambros. serm. 57. Dominica in Albis, et octav. Paschæ: *Depositis*, ait, *corruptelæ corporalis exuviis, rediviva carnis assumptione Christus refloruit, sicut ipse ait per Prophetam: Et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi. Refloruit*, inquit, *caro mea. Videte quo verbo usus est: non ait, floruit, sed refloruit. Non enim reflorescit, nisi quod ante floruit. Floruit autem caro Domini, cum primum de Mariæ Virginis illibato vulva processit, sicut ait Isaias dicens, cap. 11. 1. Exibit virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Refloruit autem cum succiso per Iudæos corporis flore, rediviva de sepulcro resurrectionis gloria germinavit, et in floris modum odorem pariter et nitorem cunctis hominibus immortalitatis afflavit: odorem, bonorum operum suavitatem circumferens: nitorem, incorruptelam perpetuæ divinitatis ostendens.* Eam ob rem Christus in horto sepultus est, Ioan. 19. 41. ut ex eo flos redivivus exurgeret. Hoc eleganter sic declarat idem sanctus Doctor: Ergo, ait, in hortulo Salvator redivivum corpus assumit, et inter florentes arbores, et candentia lilia carne iam mortua reflorescit: et ita germinat de sepulcro, ut germinantia et nitentia cuncta reperiet. Sic enim post hyemalis rigoris frigidam quodammodo sepulturam, pullulare elementa omnia festinarunt, ut resurgente Domino et ipsa consurgerent. Nam utique ex resurrectione Christi aer salubrior est, sol calidior, terra fœcundior, ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem, vinea pubescit in palmitem; ita ipse. Unde mox concludit. Si igitur cum reflorescit Christi caro, omnia floribus vestiuntur: necesse est, ut, cum idem fructum affert, etiam universa fructificent. 77. III. *Et in resurrectione.*

Nota tertio, Christus est flos campi, flos horti, flos thalami, id est, cubiculi seu lecti. 78. *Christus fuit flos campi, horti, thalami.*

Primo enim, Christus est flos campi, id est, ornamentum mundi; ita Beda; 2. passus est extra Ierusalem; 3. omnibus virtutibus abundet, ut pratum et campus omni florum genere. Alanus in Cant. *Campus*, inquit, *dicitur humana Christi natura: sicut enim in campo florum pullulat varietas: sic in humana Christi natura virtutum plu-* I. *Flos campi, id est, ornatus mundi.*

ralitas. In eo fuit viola humilitatis, patientiæ rosa, lilium castitatis. Huius campi flos fuit Christus, id est, decor secundum divinitatem: quia ex virtute divinitatis habuit in humana natura donorum plenitudinem; 4. omnibus suam pulchritudinem visendam exhibet; 5. carpi a quibusvis exoptat, neminem a se repellit; 6. sine semine aut a ratione provenit flos campi. S. Bern. serm. 47. *Hortus ut floreat, hominum manu et arte excolitur: Campus vero ex semetipso producit flores absque omni humanæ diligentiæ adiutorio. Putasne, tibi iam videris advertere, quisnam ille sit campus, nec sulcatus vomere, nec defossus sarculo, nec manu hominis seminatus, venustatus tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat requievisse spiritum Domini*; 7. Christus est flos campi, quia se dat certanti ad coronam: idem sanctus Pater ibid. ait: *Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronae præsentia maiestatis: sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solum coronantem, sed et coronam.* Et paulo post: *Ego flos campi. Qui diligit me, veniat in campum, non refugiat mecum et pro me inire certamen, ut possit dicere 1. Timoth. 6. Bonum certamen certavi.*

79. Secundo tamen, Christus est flos horti, sed conclusi, id
II. est, B. Virginis, de qua Cantic. 4. 12. *Hortus conclusus*
Flos horti, id est, Virginis Deiparæ. *soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones* (propagines plantarum et arborum) *tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula* (calamus aromaticus) *et cinnamamum cum universis lignis libani: myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.* Hortus est Deipara, quia fœcunda mater: conclusus, quia Virgo intacta. In Cypro donum regiminis intelligit Hugo a S. Victore; patientiam, Aponius. Humilitatem indicat nardus teste S. Anselmo, quod sit herba humilis: consolationem sancti Spiritus, Aponius, quod frigus de algentibus membris expellet. Cætera execute. Flos Virginis præcipuus est Christus. Est flos horti, 1. quia charior; 2. pretiosior; 3. diligentius custoditur; 4. studiosius irrigatur.

Tertio denique, Christus est flos thalami. Cant. 1. 15. III. Flos thalami, id est, eiusdem Virginis et animæ sanctæ.
ait Deipara quæ est sponsa principalis: *Lectulus noster floridus.* Lectulus, in quo Christus novem mensibus requievit, et quasi dormivit, fuit uterus B. Virginis, inquit Guilielmus Parvus, atque ex eo salvo virginitatis sigillo, ait Rupertus, egressus est flos ille pulcher, de quo canit Isaias cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.*

S. Bernard. serm. 47. in Cantica, docet Christum esse florem campi, horti, thalami. *Hæc omnia, inquit, secundum aliquid Dominus Iesus, ipse flos horti, virgo virga virgine generatus: idem flos campi, martyr, martyrum corona, martyrii forma. Denique foras civitatem eductus est, extra castra passus est, in ligno elevatus est, spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus. Ipse item thalami flos spectaculum, et exemplum totius beneficentiæ, quemadmodum ipse Iudæis protestatus est, dicens: Ioann. 10. 32. Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo. Et item Scriptura de eo Actor. 10. 38. Qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Est flos lecti Christus, 1. quia fœcundat; 2. quia virgineus est et virgines facit; 3. quia ita mentem absorbet suo odore, ut oblivisci faciat omnium deliciarum terrenarum; 4. quia dat quietem mentis; 5. in extasim contemplationis extra se hominem rapit.

PSALMUS VIGESIMUS OCTAVUS.

1. AFFERTE Domino Filii Dei: afferte Domino filios arietum.
2. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.
3. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.
4. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.
5. Vox Domini confringentis cedros: et confringet Dominus cedros Libani.
6. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.
7. Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.
8. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.
9. Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in æternum.
10. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMI VIGESIMI OCTAVI ANALYSIS AD LITERAM.

David divinorum operum admiratione raptus, magna animi alacritate.

- Hominum pietatem excitat. 1.
  - Ut victimas Deo offerant. 1.
    - Tamquam Domino, debitas. 1.
    - Tamquam Patri, optimas. 1. 2.
  - Et honorem ob tot beneficia rependant. 2.
    - Ubique, nomen eius voce celebrando. 2.
    - In templo, corporis inclinatione eum adorando. 2.
- Dei potentiam prædicat. 3.
  - In aquis.
    - Tonitru in nube excitando. 3.
    - Et pluvias copiosas demittendo. 3. 4.
  - In aere 5. in quo
    - Ventis arbores avertit.
      - Etiam cedros durissimas. 5.
      - Et in ipso Libano sitas. 5.
    - Et fulmine discindit.
      - Velnti vitulum tenellum. 6.
      - Nullius ipse viribus superandus. 6.
  - In igne.
    - Fulminis flammas excitans. 7.
    - Et ex fractis nubibus demittens. 7.
  - In terra.
    - Terram ipsam concutiendo. 8.
    - Animalia terrendo, et ad partum invando. 9.
    - Sylvas foliis et arboribus nudando. 9.
    - Homines ad Dei laudem excitando. 9. quos
      - Gratiis complet, ut Deus. 10.
      - Gubernat ut Rex. 10.
      - Iuvat in bello, ut Dux. 11.
      - Beat in pace, ut Pater. 11.

PSALMI VIGESIMI OCTAVI ANALYSIS MYSTICA.

David Evangelicæ legis promulgationem animo contemplans

- Christianos hortatur. 1. ut
  - Animo Deum venerentur
    - Voluntatis affectum offerentes, ut filii. 1.
    - Animam totam dantes, ut victimæ. 1.
  - Et corpore. 2.
    - Vocis sono laudem ubique illi accinendo. 2.
    - Corporis incurvatione, illum in templo adorando. 2.
- Deum legem dantem celebrat. 3. propter
  - Maiestatem, 3. ob quam
    - Cælesti voce ex alto intonat. 3.
    - Populos orbis universos ad se vocat. 3.
  - Potestatem 4. qua
    - Mentes hominum voce unica pervadit. 4.
    - Naturam omnem miraculis superat. 4.
    - Tyrannos aliosque obstantes atterit. 5.
  - Bonitatem. 6. qua
    - Amabilem se, fortem licet, omnibus exhibet. 6.
    - Spiritus sancti flammas in singulos effundit. 7.
  - Misericordiam. 7. qua.
    - Gentiles sterilitate damnatos ab idolis avertit. 8.
    - Iudæos ab infœcunda Mosis lege ad se convertit. 8.
    - Incipientes ad bonorum operum partum præparat. 9.
    - Provectiores illuminat. 9.
    - Perfectos sibi unit. 9.
  - Liberalitatem. 10. qua
    - Rex uberes gratias dat omni tempore. 10.
    - Arma suppeditat cum bellum ingruit. 11.
    - Bonorum dat abundantiam, cum æterna pace. 11.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. PSALMUS DAVID IN CONSUMATIONE TABERNACULI.

1. Argumentum psalmi varie assignatur. NOTA, hic titulus non habetur in hebræo, nec in Chaldæo, nec in hexaplis Origenis, sed solum *Psalmus David:* reliqua addita sunt a Sept. interpretibus.

I. Argumentum psalmi varium a variis assignatur, occasione illorum verborum, in *consumatione tabernaculi.* Primo enim, Agellius agi putat de dedicatione tabernaculi Mosaici statim atque perfectum fuit in deserto prope montem Sinai. Tunc enim principes duodecim tribuum obtulerunt varia dona: nempe sex plaustra tecta cum duodecim bobus: et singuli acetabulum (id est, vas certæ cuiusdam mensuræ) argenteum pondo centum triginta siclorum, etc. Num. 7. Huic explicationi consonat initium Psalmi: *Afferte Domino filii Dei:* per filios enim Dei possunt accipi ἡγεμόνας ac Principes tribuum, qui etiam dii quandoque in Scripturis vocantur, ut dicetur Ps. 81. 1.

II. Secundo, S. Basil. qui legit, ἐξόδου σκηνῆς, id est in exitu tabernaculi, censet hic Sacerdotibus ac Levitis officii sui desertoribus hoc præceptum dari, ut meminerint eorum, quæ ab ipsis ad divinum cultum præstari debent. Egredientibus enim, et exeuntibus a tabernaculo, verba Psalmi preponunt, quæ ipsos parare oporteat, et quæ habere, ut in posterum parati, et instructi accedant, filios scilicet arietum, gloriam et honorem, gloriam nomini eius oblaturi: sciantque nusquam alibi divinum cultum exercere, quam in atrio Domini, ut in loco sanctificationis convenire.

III. Tertio, Agellius, quia, inquit, in Græco est, ἐξοδίου σκηνῆς, ἐξόδιον autem octavum solemnitatum diem significat: seu, ut solet S. Hieron. vertere, collectam, cum simul collecti ad atrium tabernaculi seu templi consumatis festis diebus Deum adorabant, ideo octavum diem solemnitatum hoc loco accipiendum puto, et propria octavum diem festi scenopegiæ seu tabernaculorum, ex eo quod additur σκηνῆς, id est, tabernaculi, ἐξόδιον autem consumationem dixit latinus interpres non imperite, sed doctissime, quia ipsum ἐξόδιον, seu collecta, consumatio dierum festorum erat. Unde etiam apud B. Lucam legimus, Cunsumatisque diebus cum redirent, remansit puer Iesus. Consumationem coactionis dixit eumdem octavum diem scenopegiæ Samaritanus interpres n. 29. hoc est, τελείωσιν ἐπισχέσεως, ita ipse, cui assentitur Lorin. Sed commodius in primo die festi, quam in ultimo diceretur: *Afferte Domino filii Dei*, etc. Obiter autem adverte cum Ribera lib. 5. de templo cap. 15. *collecta* sive *cœtus* festum tum in paschate tum in festo tabernaculorum non dici a colliganda pecunia in usus pauperum seu templi, sed a collectione populi mox redituri ad suas domos et urbes. Unde in eo die non licebat operari.

IV. Quarto, Theodoretus et Beda censent hic esse exhortationem Ezechiæ, cum ab Assyriis et a morte liberatus populum suum hortatus est, ut pro tantis beneficiis Deo gratias ageret ac vota redderet. Sed cur a Davide recedemus, cum ei apte conveniat.

V. Et melius. Quinto igitur verius, S. Hieron. Dion. Lomb. Aiguan. Strabus in glossa, Ruffin. Ugo, Bredembachius, et alii, consummationem hanc tabernaculi eam intelligunt, quam 2. Reg. et 1. Paralip. 16. factam legimus, cum David arcam Domini, prius a Philistæis receptam, et in domo Aminadab positam, transferret Ierosolymam, et in tabernaculo quod ipse tetenderat, poneret. Hoc apparet admodum credibile, dum caput illud Paralipomenon conferimus cum huius psalmi verbis. Nam et in cantico, quod canit ibi Asaph cum fratribus suis, princeps cantorum a Davide constitutus dicit: *Afferte Domino familiæ populorum, afferte Domino gloriam et imperium: date Domino gloriam nomini eius.* Ibi supra modum præ gaudio exultasse Davidem legimus, adeo ut universo Israele ducente A arcam fœderis Domini in iubilo et sonitu buccinæ, et tubis, et cymbalis, et nablis, et citharis concrepantibus, ipse non solum organis musicis caneret, verum etiam totis viribus ante Dominum saltaret. Illi itaque lætitiæ pulchre consonat hoc carmen panegyricon, qualia plura illic similis argumenti cantata esse, tum ex illo cap. Paralip. tum ex hoc lib. psalmorum intelligimus. Nam Ps. 104. bonam partem in illo Paralip. pene ad verbum legimus. Credo equidem eodem pertinere sequentes aliquot, quorum titulus est Alleluia; ita Bredembachius. Occasione soni auditi in cacumine pyrorum factum psalmum arbitror in illa dedicatione tabernaculi; vide infra initio quæstion. post paraphrasim.

Sed quid porro de Deo concinit David in hoc psalmo? Invitat ad hostiarum oblationem et laudem Dei, debitam ei, tum propter admirandam eius potentiam, quam in tonitrui voce ac reliquis cæli tempestatibus declarari magnifice canit: tum ob ipsius in populum suum beneficentiam, qua illum et contra inimicos ipsius fortem semper B facit, et omnibus suis beneficiis cumulat; ita Iansen. Bellarm. et Sangrinus.

Allegor. David apertissime figuram Christi tenet, et arca figuram Ecclesiæ; ita S. Hieron. Primo igitur psalmus hic concinitur in consumatione tabernaculi, id est in perfectione Ecclesiæ, quæ Apocal. 21. 3. dicitur tabernaculum Dei cum hominibus: Consumatio enim tabernaculi, ait Cassiod. perfectionem significat Ecclesiæ Catholicæ, quæ iam per totum orbem probatur esse constructa. Secundo, S. Athanas. vim facit in ἐξόδῳ, hoc est *exitu.* Canitur, inquit, præsens psalmus eiecto Israelis Populo, gentibus eius vice accitis. Hoc autem et inscriptio ipsa demonstrat, quæ dicit *in exitu tabernaculi:* Nam exitum illorum nobis aperte significat: ita Athanasius. Tertio, quia David spiritu revelante cognoscebat instrumentum, quo tabernaculum hoc novum perficiendum erat, fore prædicationem Evangelicam, ideo in consumatione tabernaculi illius umbratici, Spiritu sancto inspirante, cantavit præconia vocis Domini, qua taber- C naculum verum construitur; ita Bellar. et Iansen. Quarto denique, in voce, *tabernaculi*, ab Ecclesia bellum geri contra vitia notat Beda, qui sic ait: *Consummatio tabernaculi, perfectionem Ecclesiæ significat, quæ contra carnalia vitia bellum gerens, merito expeditionalis habitaculi nomen accepit.* Verba hæc a Cassiodoro desumpsit. 2. Allegor.

Tropol. Docet hic psalmus, quæ Christo quilibet offerre debet, bonum scilicet ex corde, tum factis, tum verbis. Hæc enim ab homine exeunt, quare merito inscribitur, in tabernaculi exitu; ita Hesychius. Moneri nos ut animum, quantum possumus, a corpore abstrahamus, et illud Deo dedicemus, vult S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Ps. cap. 6. 3. Tropol.

Anagogice, S. Basil. exitum tabernaculi intelligit exitum animæ a corpore. Per exitum tabernaculi, ait, non innuit David recessum a templo: sed tabernaculum nobis hoc corpus est, docente Apostolo, et dicente 2. Cor. 5. 4. Nam qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus: et iterum Psal. 90. 10. Et flagellum non appropinquabit D tabernaculo tuo. Exitum vero intelligit emigrationem ab hac vita, ad quam preparari nos iubet hic sermo: ita ut hæc, et hæc Domino afferamus. Nam quæstus in hac vita, viaticum est ad futuram: et quicumque dum vivit, bonis operibus gloriam et honorem Domino affert, is gloriam et honorem secundum insti iudicii Dei retributionem sibi ipsi reponit; ita Basilius, quem sequuntur Beda, Bredembachius et alii. 4. Anagog.

Nota. Vix alius est psalmus tam varie tractatus, et quem pluris nostri faciant; ita Lorinus. Primo, Cassiodorus: Hunc, inquit, psalmum *Christiani dogmatis honore* 5. Huius psalmi elogia. 1.

pollentem post perfectionem generalis Ecclesiæ, in lau-
dem Spiritus sancti Propheta decantat: ut quia tante res
per Prophetas et Apostolos beata prædicatione completa
est, competenter eius laudibus ornaretur. Est enim totus
2. psalmus Spiritus sancti laude plenissimus. Secundo, Ti-
telmannus sic loquitur: Videtur David cum hunc psal-
mum caneret, fuisse singulari et peculierissima quadam
illuminatione edoctus, de cunctis ædificandæ novæ Ec-
clesiæ mysteriis: quæ hic ita luculenter aperit, ac si com-
3. pleta iam ea vidisset, mira verborum magnificentia. Ter-
tio, Didymus dicit hoc psalmo, *magna mysteria contineri,*

A *et in huiusmodi numeri ordinem recte collocari. Nam vigesimus octavus numerus virtute hebdomas est. Nam si consequenter numeros ab unitate usque ad septenarium componas, colligitur numerus vigesimus octavus: quare et quadrangularis numerus est, cum singula eius latera ex hebdomade constituantur. Est quoque post senarium perfectus: Nam propriis partibus suis constat: huius enim dimidium est, numerus quartus decimus, quarta pars septenarius, septima quaternarius, decima quarta binarius; vigesima octava unitas. Quæ quidem partes in unum collectæ prædictum numerum efficiunt.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

6. Duo hic præstat David. Primo, invitat populum suum universum, ut perfecto tabernaculo in monte Sion ad arcam ibi reponendam, hostias multas et præclaras afferant cum debita veneratione, vers. 1. Secundo, causam oblationis victimarum affert: nempe supremam Dei potentiam in aqua, aere, igne, terra, feris et omnibus, vers. 3. usque ad finem. Divisionem psalmi secundum sensum mysticum, vide in analysi secunda.

PARAPHRASIS.

Secundum sensum literalem.

1. *Afferte Domino Filii Dei: afferte Domino filios arietum.*
2. *Afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.*

1. Vos Israelitæ, quos sibi Deus ex omnibus populis filios elegit, ac bonorum suorum hæredes constituit, afferte Deo rerum omnium Domino agnos selectissimos, qui in holocaustum atque in victimas pacificas offerantur.

2. Neque pecudes modo, sed etiam laudis hostias illi offerte ex animo: iis enim maxime honoratur et delectatur: tantæ maiestati debitam gloriam tribuite: adorate illum, corpus cum veneratione inclinando, in tabernaculi a me extructi atrio mundato et sanctificato, ut in eo soli mundi preces suas offerant divinæ eius puritati et sanctitati.

3. *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

3. Dignus est Deus, cui cultus ab omnibus exhibeatur, cum eius imperio et voce omnia moveantur. Nam et in nubibus pendulas, et vasto maris sinu conclusas aquas potenti voce commovet. Ibique terribili tonitrui fragore maiestatem suam et potentiam nimbis magno impetu depluentibus aperit.

4. *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.*
5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.*
6. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.*

4. Hæc tonitrui vox ex alto insonans magnæ efficaciæ est, et adiunctis fulgetris per aerem defertur, magna maiestate et hominum trepidantium admiratione.

5. Non in aquis tantum, sed in aere quoque potentiam suam aperit Deus, cum ventis infrementibus cedros altitudine et robore spectabiles conterit, ut quotannis videmus. Et cedris fortiores ac validiores hostes deiicit.

6. Eaque facilitate in minutissimas partes diffringit, qua quis reptum e matris ubere vitulum, qui montis Libani in mapalibus nascitur, et in saltibus herbas carpit. Cumque hæc terroris plena faciat, in illis tamen etiam minis amabilis est, velut tenellus Unicornis, qui nutritium ipsum suum lusitans amico ferit cornu, non ut vulneret, sed ut recreet; ita Deus Libani cedrorumque concussu iustos cum interna suavitate suæ potentiæ commonefacit. Gaudent enim, dum maiestatem illam contemplantur: quin etiam impiorum pœnam cum gaudio intuentur ob maiorem Dei gloriam inde resultantem.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.*
8. *Vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.*
9. *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.*

7. Tonitrui vox, qua Deus loquitur, nubes ignitas intersecat, divisaque ab invicem fulmina hinc inde in noxia capita eiaculatur.

8. Desertique feras salubri terrore concussas ad partum iuvat, et maxime in vasta Cades solitudine, in qua plurimæ oberrant, parvulosque concipiunt et alunt.

9. Atque inter cæteras feras cervis opitulatur, quæ exterritæ fœtum suum effundunt: in intimas enim sylvas, ubi cervæ latent, hæc vox permeat, densissimas arbores pervadit, atque in abditissimis etiam recessibus operatur: omnia enim illi sunt pervia. Hæc divinæ vocis opera populus Dei considerans, in voces laudis erumpit, Deo vires ei sufficiente: qui cum bis tonitrui fragoribus hostes terreat, ad amorem sui laudemque iustos invitat.

10. *Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus Rex in æternum.*

10. Qui enim lapides grandinis in impios vibrat, et fulmina, ille in populi sui fœcundos agros post levem terrorem optatam pluviam demittet, qua omnia ad nutum succrescant. Et præ pavore cadentibus omnibus, ipse omnium Dominus stabili in solio securus et quietus sedebit, ac pedibus suis subiectum orbem reget.

11. *Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.*

11. Populoque suo, licet imbelli ac præ cæteris exiguo, tantum roboris dabit, ut numerosissimos fortissimosque hostium exercitus disiiciet et proterat: tantoque terrori sit circumstantibus nationibus, ut tranquilla cum in pace bonis omnibus circumfluentem admirentur.

PARAPHRASIS.

Secundum sensum mysticum.

1. *Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.*

1. Huc alacres convolate fideles omnes, quos sibi Deus in filios adoptavit, atque hæreditatis suæ participes esse voluit. Vos ipsi per viros Apostolicos Deo gentili in iuge sacrificium offerte, eosque, quos vestris laboribus et industria ad veram fidem virtutemque traduxeritis, victimas ipsi gratas exhibete.

2. *Afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.*

2. Gloriam et honorem maiestati suæ debitum a vobis reposcit, hunc illi vocis vitæque sanctæ suavi harmonia reddite. Supplices ante eum accidito in vera et Apostolica Ecclesia, in que sola cælestis sanctitatis dona affatim elargitur, ut per illam æternum in palatium fideles admittantur.

3. *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

3. Quid voci in Dei laude parcitis? Deus infinita pietate et potentie vocem suam per varias nationes sparsit, qua salutis viam et Evangelii sacram doctrinam aperiret. Sanctissima Trias per universum orbem intonat, in monte Thabor vox Patris Apostolos instruit, Filius Iudæam decurrit, ac deinde per Apostolos etiam in semotissimas totoque mari discretas terras diffunditur.

4. *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.*

4. Neque sonus tantum inanis et aerem verberans sine fructu evanuit, sed impervias monitis mentes pervasit, atque ab errore ad veritatem traduxit: nec fuit qui aut sapientia aut potentia illi aditum occluderet. Miraculis quoque et cælestibus prodigiis vox Dei illustris, cum nationum omnium admiratione suscepte et confirmata ad intimas medullas penetravit.

5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.*

5. Hæc vox Evangelica tanta vi intonuit, ut superbum verticem nubibus inferentes tyrannos mundique sapientes, tumido fastu vanaque spe cælo bellum inferre, veramque fidem disturbare molientes contereret, atque elisos etiam virguncularum pedibus supponeret.

6. *Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: et dilectus quemadmodum filius unicornium.*

6. Et lascivientes atque mediis in voluptatibus subsultantes, minutatim et sine labore conscinderet, instar tenerrimi vituli in monte Libano pascentis: eosque beluum voluntati devorandos obiiceret: Messias vero dilectus Dei Filius, eiusque omnes alumni, inter perditorum miseros ululatus perstabunt invicti, uno Deo nixi, sicut monoceros florenti in ætate munitus unico suo cornu, nullius terrore concutitur, sed quaquaversus omnia victor perrumpit.

7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.*

7. Vocis divinæ sonum deciduæ Spiritus sancti flammæ consequuntur, quæ per varias orbis partes divisæ hominum mentes luce charitatis recreent, ardore inflamment, et ab omni rubigine expurgent.

8. *Vox Domini concutientis desertum: et commovebit Dominus desertum Cades.*

8. Efferas et omnis culturæ expertes nationes, incultis moribus nihil Deo præter vepres et dumeta reddentes, sono efficaci concutiet atque emolliet, mollitasque cælesti gratiæ imbre fœcundabit.

9. *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam.*

9. Hæc Evangelii vox ad ardua contendentes, cursuque alacri viam Dei ingressos, mediis in laboribus et periculis præparat ad partum mirabilem divinorum operum, quibus et Deo gloriam, et proximis utilitatem, et sibi salutem comparant, atque arcana legis mysteria, quæ prius variis Iudaicorum cæremoniarum involucris tegebantur, ipsis gentilium oculis videnda et miranda obiiciet. Omnesque in unam Ecclesiam aggregati Iudæi et Gentiles uni Deo laudes uno ore concinent.

10. *Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus Rex in æternum.*

10. Etenim post editas Evangelicæ prædicationis voces, Deus copiosum gratiarum imbrem in Ecclesiam demittet, ibique conservabit. Et contritis nullo labore hostibus, quieto in solio iura Ecclesiæ reddens, eamque regens, residebit.

11. *Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.*

11. E supremo cælorum vertice, in hac arena cum feris pugnanti populo suo vires sufficiet, quibus victor inde discedat, et pacem tum mentis in hac vite, tum perennis beatitatis in alia obtineat.

QUÆSTIO UNICA.

Quam merito iure offerendæ sunt Deo victimæ.

7. Ordo Sectionis. David tabernaculum extruens in civitate Sion, interturbatus est a Philisthæis numeroso exercitu se in Iudæam immittentibus, sed audito sonitu in cacumine pyrorum eos fudit: unde postea perfecto tabernaculo exultans, victimas afferri iubet: causamque addit, Dei potentiam, quæ apparuerat in ea tempestate contra hostes suos excitata, 2. Regum 5. et 6. Ubi adverte, quod ibi 1. fit mentio ædificationis domus David, et consequenter tabernaculi, quod erat prope illam domum velut pars aut appendix illius; 2. mentio fit victoriæ illius in Philisthæos; 3. deportationis arcæ in tabernaculum, in qua:

Primo, David hortatur populum, ut alacriter et liberaliter victimas Deo offerat, v. 1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Modum duplicem ostendit, quo adduci debent, 1. externum, laudes divinas canendo, v. 2. *Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Do-*

A *mino gloriam nomini eius*; 2. internum, Deum adorando: *Adorate Dominum in atrio sancto eius.*

Secundo, causam adductionis victimarum proponit Dei potentiam, quæ in tonitru illo mirabili eluxit. Nam tonitru, quod est vox Dei, in nubibus auditum est, v. 3. *Vox Domini super aquas.* In eo Dei maiestas, potestas, iustitia et beneficentia apparuit, 1. maiestas, quod velut ex throno Rex interminetur, omnesque terreat: *Deus maiestatis intonuit*; 2. potestas, quod vox ille per tam late fuses nubes cum tanto strepitu et efficacia audiatur, *Dominus super aquas multas*; 3. iustitia, quod pavefactos hostes in fugam vertat, v. 4. *Vox Domini in virtute*; 4. beneficentia, quod imbre copioso demisso profusum erga suos animum testetur: *Vox Domini in magnificentia*, tum ob agrorum fœcunditatem, tum ob spolia in illa victoria percepta.

Tertio, cum tonitru illo ventus insonuit, quo hostes iidem eversi, disiecti, et contriti sunt, v. 5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.* Et quidem sine ulla eorum resistentia, sed summa facilitate v. 6. *Et comminuet eas tamquam vitulum.* Populus

vero Israel eo vento recreatus et roboratus fuit: *Et dilectus quemadmodum filius unicornium.*

Quarto, cum tonitru et vento in ea quoque tempestate fulmen extitit, ac fulgetræ nubem intersecantes ad terrorem incutiendum, vers. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.*

Quinto, tota illa in tempestate Deus omnia concussit, tum in loco prælii, tum in regionibus circumfusis, v. 8. *Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades*; 2. foras sylvæ, in quo auditus est sonus ille in cacumine pyrorum exterruit, et parere fecit præ metu, v. 9. *Vox Domini præparentis cervos*; 3. opacitatem sylvæ patefecit lumine terrifico fulgetrarum: *Et revelabit condensa*; 4. efficiet, ut per hoc miraculum liberati Israelitæ Deo gratias agant: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.*

Sexto, post tonitru, ventos et fulmen, quibus hostes terruit et mactavit Deus, pluviam in agros populi sui immisit, ut omnia feliciter crescerent, et sufficerent terræ suæ habitatoribus, vers. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit.* Nunc vero inter nos sedet super Cherubim, in arca posita in tabernaculo a me extructo in Sione, postea sedebit in templo: *Et sedebit Dominus Rex in æternum.* Inde dabit nobis robur et vires, si bellum ingruat, v. 11. *Dominus virtutem populo suo dabit.* Felicitatem vero, et rerum omnium abundentiam, pacis tempore: *Dominus benedicet populo suo in pace.*

ARTICULUS. I.

Deo uni victimæ sunt offerendæ, et quomodo.

8. Rex noster tam celebris victoriæ in Philisthæos
Vers. 1. consecutione alacer, ac divinæ potentiæ admiratione su-
1. Pars spensus, ad dedicationem tabernaculi sui in Sione positi omnes invitat, ut adunatis viribus singuli selectas victimas offerentes dignum Deo munus præparent.

Designat autem 1. personam, cui offerendæ sunt victimæ; 2. personas, quæ offerre debeant; 3. victimarum genus; 4. modum oblationis; 5. locum; 6. denique, causam eius.

Ac primo, Deo sunt offerendæ victimæ: unde ait David, v. 1. Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum. Nota primo, pro *afferte* Hebr. est הבו *hobu*, id est date, ut vertit Arias; tribuite, ut Vatabl. afferte, ut Noster, S. Hier. Felix et alii; offerte, ut Arabs; eia agite, ut Petavius. Rad. est יהב *iahab*, dare, afferre: quidam conferunt cum אהב *ehab*, amare, diligere. Quibus notatur, 1. liberalitas in dando; 2. alacritas; 3. amor.

9. Nota secundo. Sacrificium soli Deo exhibetur, ut docet
Deo soli S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 1. et citat S. August. lib. 10.
sacrificatur. de Civit. Dei, cap. 4. circa finem. Idem S. Doctor q. 85. artic. 1. docet, pertinere ad rationem sacrificii, quod aliquæ res sensibiles offerantur Deo in signum debitæ subiectionis et honoris, secundum similitudinem eorum, qui dominis suis alique offerunt in recognitionem dominii. Itaque iure ait David: *Afferte Domino*, scilicet Deo, ut Dominus est.

Τὸ Afferte quater repetitur, cur? Nota tertio. Quater hic dicitur, *Afferte*, et quater *Domino*. Afferte dicit quater, propter quadruplicem oblationem, quam debemus Deo offerre, sive afferre. Domino dicit quater, ut notet in tribus primis trinitatem personarum: in quarto unitatem essentiæ. Et licet illas quatuor oblationes, quas offerre debemus, toti Trinitati debeamus offerre, tamen primam possumus appropriare Patri, secundam Filio, tertiam Spiritui sancto, quartam toti Trinitati. Prima oblatio, est sacrificium spiritus, de quo Ps. 50. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Secunda, est sacrificium iustitiæ: *Et sperate in Domino.* Tertia, est sacrificium laudis, de quo Ps. 49. 23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Quarta est adoratio, de qua in Psal. 94. 6. *Venite adoremus, et procidamus ante Deum.* Prima oblatio fit in bona voluntate. Secunda, in bono opere. Tertia, in psalmodia et predicatione. Quarta, in inclinationibus et genuflexione. In prima, offertur anima Deo Patri. In secunda, offertur corpus Deo Filio. In tertia offertur vox sive spiritus, Deo Spiritui sancto. In quarta, totum simul: scilicet corpus, et anima, et vox, et spiritus, toti Trinitati similiter offertur; ita Hugo. Eamdem repetitionem expendit Richardus a S. Victor. *Afferte, offerte,* inquit, *Domino, Domino utrumque bis ponitur, utrumque repetitur. Si vultis habere geminam stolam, duplicate hic hostiam vestram. Qui hostiam suam hic duplicare dedignatur, duplici contritione conteretur. Pro gemino hostia duplex dabitur stola. Pro stola corporis offerte hostiam bonæ actionis: pro stola mentis date hostiam piæ devotionis. Nolite timere eos qui occidunt corpus; animæ vero non habent quid faciant: et possunt quidem dominari corpori, sed non habent quid faciant spiritui: et idcirco sunt domini tantum, non domini Domini. Illum ergo timete, illi munera offerte, qui postquam abstulit vitam, potest et animam mittere in gehennam. Afferte ergo Domino, Domino: Domino corporum, Domino spirituum. Semel Domino, quia dominatur in tempore: secundo Domino, quia principatur in æternitate. Domino, quia, cui vult, donat temporalia bona vel mala: Domino iterum, quia cui placuerit dabit æterna præmia vel tormenta.*

Nota quarto. Hebr. non aliud legitur quam הבו ליהוה בני אלים *habu ledonai bene elim*. Hæc in Bibliis Regiis ex versione S. Hieron. ita redduntur: *Afferte Domino filii Dei*, omisso sequenti membro. Sed Marianus Victorius in psalterio S. Hieron. ponit secundum, et omittit primum: quod facit quoque Trevetus. Eusebius negat membrum primum extare iuxta Hebræorum traditionem, sed apud Septuag. obelo notatum, nec apud cæteros Interpretes extare. S. Basilius testatur se in multis exemplaribus additum reperisse. Vel in libris, quibus usi sunt Septuag. erat utrumque, ut innuit S. Basilius: sed alterum postea excidit: vel eorumdem verborum Hebræorum altera interpretatio in margine posita irrepsit in textum: vel ipsimet Septuaginta utriusque interpretationis Auctores fuerunt. Nam *elim* potest significare, tum Deos, tum arietes: et modo scribitur per Iod, post Aleph, modo sine illo: præterea איל *el* cum iod, et אל *el* sine iod, Deus est: aries vero איל *ail*: utriusque autem plurale vel אילים *elim* cum iod, vel אלים *elim* sine iod. Nec desunt in editione vulgata loci, in quibus duæ interpretationes eiusdem sententiæ simul reperiuntur in textu; ita Lorinus. Ubi etiam adverte, *elim* licet sit pluralis numeri, de uno tamen ac vero Deo posse usurpari sicut *elohim*, sive ad denotandum personarum Trinitatem, sive potius honoris maioris et venerationis causa. Itaque bene *elim* recte verterunt Septuag. et Arabs, *filii Dei*; 2. Caiet. *filii fortium*. Vatabl. qui virtute præstatis; 3. Felix, *filii principum*; 4. S. Hier. Syrus, Pagninus, *filios arietum*. 10. Convenientia versionum cum Hebræo.

Nota quinto. *Filii Dei* qui victimas afferre admonentur, sunt Primo, Sacerdotes et Levitæ, qui peculiariter Dei erant filii, cuius hæreditatem possidebant; ita Ians. Nam Deus erat pars eorum et portio: vivebant enim ex sacrificiis, oblationibus et decimis Deo datis. Secundo, *filii Dei* sunt Angeli. Sic dicit Deus Iob. 38. 7. *Cum me laudarent astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei.* Septuag. ibi vertunt, Angeli mei. Chaldæus, acies Angelorum. Et cap. 1. 6. dicitur: *Quadam die cum venissent filii Dei*, id est Angeli, ait Pinedo et Philippus, *ut assisterent coram Domino.* Et quidem Chaldæus in Psalmo nostro vertit, Tribuite coram Domino laudem cœtus Angelorum. Tertio, *filii Dei*, principes aut fortes intelliguntur, quos hortatur, ne viribus aut principatu elati Deum contemnant, et se sub illo esse, et ab illo vires et dignitatem accepisse obliviscantur, cuius potentiæ et maiestatis multa et magna indicia videant, quæ inferius commemorat; ita Agellius. Quarto, *filii Dei* sunt omnes Israelitæ, quos ut peculiarem Dei populum et eius cultui et contemplationi destinatum David ad sui tabernaculi in monte Sion positi dedicationem invitat. Quinto, Allegorice, *filii Dei* sunt Apostoli, quos specialiter Deus in Christo habitans per se ipsum vocavit, et in fide genuit; ita Beda. Sexto, *filii Dei*

11. Filii Dei possunt dici hic: 1 Sacerdotes 2 Angeli. 3. Principes. 4 Israelitæ. 5 Apostoli.

*

6. Spirituales viri. sunt spirituales viri, qui Deum præsentius et insignius referentes, empliori divinitatis portione beneficiis etque virtute donati e Deo, edducunt ed Deum in Ecciesie aius sancta fiiios arietum, homines scilicet, qui eorum doctrina fiiii et imitatores fiant Prophetarum et Apostoiorum, gregis dominici Ducum insignium et fortium; ita lansen.

7. Christiani omnes. Septimo denique, *filii Dei* sunt omnes Christiaui: et quidem veriis titulis: Primo, ob creationem, Is. 64. 8. *Et nune Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor* (Vatabl. figuius) *noster tu, et opero manuum tuarum omnes nos.* Secundo, ob educationem, qua summa beuignitate velut nutritius nos inctat et enutrit. Oseæ 11. 3. de decem Tribubus ait Deus: *Ego quasi nutricius* (nutritor, nutrix) *Ephraim* (id est Ephroimiterum, hoc est decem Tribuum, inter quas regia Tribus erat Ephraim) *portobam eos in brochiis meis.* Hæc sunt vincuia charitetis, de quibus agit postea. De donbus Tribubus, nempe de Tribu Iuda, et Beniamin dicit Deus Isa. 1. 2. *Filios enutrivi* (Septuag. genui. Theodotio, educavi) *et exultovi: ipsi autem spreverunt me:* alit nos Christus cibo Eucharistico, id est seipso, qui est ionge perfectior et succuientior quom manna Hebræorum, Ioan. 6. aut Iac et mel defluens ex terra promissa, Deuter. 6. 3. Tertio, speciali prærogativa ad filii decus evebuntur Christiani per uberioris gratiæ donationem: Ioan. 1. 12. *Quotquot autem receperunt* (per fidem) *eum, dedit eis potestatem* (ἐξουσίαν, id est dignitatem, potestatem, facultatem, libertatem et ius) *filios Dei fieri* (γενέσθαι, fieri esse) *his, qui credunt in nomine eius* (hoc est, in nomen eius: id est, in eum) *Qui non ex sanguinibus* (seminali viri, et menstrui mulieris, ex quo coaguiato fœtus formatur) *neque ex voluntate* (Arab. appetitu, id est concupiscentia) *carnis, neque ex voluntate viri* (ut sit antithesis. S. August. per carnem inteiiigit mulierem) *sed ex Deo noti sunt*, id est ex Dei spiritu mentem iusti inhabitante per seipsum, et ex Dei gratia. Galat. 4. v. 6. dicit Paulus: *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii sui* (hoc est Spiritum sanctum, qui non minus a Filio quam a Patre procedit) *in corda vestra clamantem: Abba, Pater.* Abba significat Patrem: Chaldæus et Syrus sicut Latine Abbas, Hebr. אב *ab.* Quarto, Christiani sunt filii Dei per imitationem. Ioan. 8. 39. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*, q. d. fiiiorum est imitari parentes, aiiqui sunt degeneres. Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi*, q. d. eritis charissimi, si sitis imitatores. Quinto, filii Dei sunt Christiani perfectiores per expressam in se eius imaginem. Talis fuit Paulus, qui dicebat Gal. 6. 17. *De cætero nemo mihi molestus sit* (cuius sim servus) *ego enim stigmata* (plagas et cicatrices ex verberibus, et vulneribus pro Christo susceptis, corpori meo impresses) *Domini Iesu in corpore meo porto.* S. Bonaventura agens de stigmatibus S. Francisci ait: Excreverat, inquit, in Francisco insuperabile amoris incendium boni Iesu in lampades ignis atque flammarum, ut Seraphicis desiderium ardoribus ageretur, et per Seraphim stigmata sibi imprimentem cognovit se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi Crucifixi simiiitudinem transformandum. S. Ambrosius generatim omnes aiioquitur iibro de Isaac, cap. uit. circa medium, hanc imaginem fuse delineat: *Luceat imago eius in confessione nostra, luceat in lectione, luceat in operibus et factis: ut si fieri potest, tota eius species exprimatur in nobis. Ipse sit caput nostrum, quia caput viri Christus: ipse oculus noster, ut per illum videamus Patrem: ipse vox nostra, per quam loquamur ad Patrem: ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus: ipse quoque est signaculum nostrum, quod est perfectionis et charitatis insigne, quo diligens Pater signat Filium, sicut legimus, Io. 6. 27. Quem Pater signavit Deus. Charitas itaque nostra Christus.* Aristoteles refert, nonnuiios fiiios ita similitudine parentes suos referre, ut ipsis in cicatricibus, et macuiis non differant. Sexto denique, filii Dei sumus per hæreditatis cœlestis adoptionem, ad quam acquirendam a Deo adoptamur. Gal. 4. 5. *Misit* (ἐξαπέστειλε, misit quasi legatum vel Apostolum) *Deus Filium suum, factum ex*

A *muliere* (sine Patris semine igitur est natus; 2. igitur non habuit corpus e cœlo) *factum sub lege* (cui sponte se subdidit, iicet sine obiigatione) *ut eos, qui sub ea lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*, quam perdideramus in Adamo peccante.

Nota sexto. *Afferte filii Dei*, q. d. est filiorum afferre vi- 12.
ctimas et dona suo parenti: et quidem primo cum charitate. S. Chrysologus serm. 10. *Videtis, quia cœlestis Pater sentit amorem donis datis effectum, probat muneribus charitatem. Et revera, fratres, filium se nescit, visceribus caret, naturam negat, ingratus est Patri, qui auctorem vitæ suæ non obsequiis placat, non devincit cultu, muneribus non honorat.* Secundo, filiorum munera debent fieri cum alacritate. Richard. a S. Victore in comment. huius psalmi: *Quid*, ait, *quisque esse eligat, eius hostia declarat. In lege præcipitur, vel docetur, aliam esse debere hostiam Principum, aliam Sacerdotum, atque aliam esse oportere hostiam pauperum. Sic, ni fallor, alia hostia convenit Filio, et alia atque alia mercenario, vel servo. Sicut diversa est conditio,* B *sic differens debet esse oblatio. Afferte ergo Domino filii Dei. Si filii estis, libenter faciatis; si filii esse cupitis, oportet ut libenter faciatis. Ne appareatis vacui in conspectu Domini.* Tertio, fiiiorum munera debent fieri cum gratitudine, ob accepta beneficia. Hoc considerat Dionysius Carthosianus. *Afferte*, ad gioriam Creatoris aiiquid apportate *Domino*, cuius sunt omnia, *o filii Dei* adoptivi, quibus Christus dedit potestatem fiiios Dei fieri. De quibus scriptum est 1. Ioann. 3. 2. Charissimi, nunc filii Dei sumus, at nondum apparuit, quid erimus. Et iterum ibidem. Primo, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut fiiii Dei nominemur et simus. Itaque o fideles omnes, in testimonium, quod omnia quæ habetis, a Deo recepistis, afferte ei, id est aliquid ipsi offerte. Quemadmodum enim omnia, quæ habemus, a Deo recepimus: sic totum quod sumus, possumus, agimus, et habemus, Deo offerre, id est eius obsequio mancipare, debemus: quia non sumus nostri, sed eius qui condidit nos. Propterea ait Apostolus Rom. C 14. 7. *Nemo nostrum sibi vivit.* Et rursus 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri* Iesu *Christi facite*, gratias agentes Deo et Patri per ipsum; ita Dionysius. Quarto denique, fiiiorum munera debent esse ampla et abundantia cum iatitudine cordis, et apertione totali manus: si enim amicorum omnia sunt communia, ionge magis filiorum bona a parentibus accepta iis cum fœnore reddi debent, ut flumina in mare suas aquas refundunt, quas ab eo acceperunt, cum adiunctis aiiis aquis piuviis et ex variis fontibus obtentis. S. Basiiius in psaimo nostro: *Afferte Domino*, ait, *non quælibet, nec ex quibuslibet orti, sed filii Dei: magna requisiturus magnos elegit oblatores. Afferte Domino filii Dei. Si magnum quid est Filius, magnum quid et Filii affectione, et paterna præstantia dignum esse debet, quod offertur.*

Fili Dei debent offerre victimas: 1. Cum amore filiali.

2 Cum alacritate.

3 Cum gratitudine.

4 Cum liberalitate.

Secundo, David admonet quales victimæ Deo sint offe- 13.
rendæ, vers. eod. 1. Afferte Domino filios arietum. Vers. 1.
Nota, filii arietum dupliciter possunt accipi. Primo, ut 2. Pers.
D inteiiigantur ipsi arietes phrasi hebraica et græca, ut fi- Filii arietum
lii Achivorum pro Achivis dicuntur. Et sensus tropoiogi- dicuntur:
cus erit: Fiiii Dei offerte vos ipsos hostiam Deo, et qui- 1.
dem corpus et animam: unde bis dicitur in primo versu, Ipsi arietes.
offerte. Hoc S. Bern. serm. 3. de Purificat. facturum se esse profitetur: *Quis*, ait, *mihi tribuat Domine, ut oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre: bonum mihi longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur: in te vero exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.* Hanc oblationem Apostolicorum virorum sub typo arietum proponit Isaias cap. 60. 7. ubi Deus alloquens Ecclesiam, ait: *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi* (Cedar et Nabaioth sunt Arabiæ regiones, per illas intelliguntur Gentiles) *offerentur super placabili* (placente mihi, et placante me)

altari meo, et domum maiestatis meæ (templum Salomonis. 2. et melius, in Ecclesiam meam) *glorificabo.*

11. Agni. Secundo, et simplicius veriusque, per filios arietum intelligendi sunt agni. Itaque sensus tropologicus erit: Vos qui gregi Dei præestis, afferte Deo gratum holocaustum, multos scilicet fideles a vobis et sanctis viris genitos. Ad hanc oblationem nos hortatur S. Chrysologus serm. 10. *Afferte Domino filios arietum. Afferte Domino baptizandos, afferte quos fides concipiat, non caro: afferte quos Dei gratia generet, non mundana natura: afferte quos agnos præstet innocentia, non habeat pecoris hebetudo: afferte, afferte, quos sponte venire aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut ignorantia retardat, aut tenent vitia, aut delicia remorantur, aut spectatio decipit, aut fallit confusione paupertas, adducite volentes, attrahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem.* Deinde monet, ut Dominus servum, pater filium, vir uxorem, amicum amicus, civis peregrinum Deo adducat: ut mercedem ipse a Deo obtineat, et qui præsentem vitam præstitit, conferat æternam: et quod unum est in carne, spiritu non sit divisum.

14. Apostoli dicuntur arietes, ob triplicem causam: 1. Quia præsunt Gregi. 2. Gregem tuentur. Nota, viri Apostolici triplicem ob causam arietes dici possunt. Primo, quod gregi præeant, eumque ducant in pascua. Hoc S. Basilius monet hic: *Arietes*, inquit, *sunt ovilis Christi præsides præitantes gregi Dominico se conferente*, επι τας ευανθεις και ευωδεις πνευματικης διδασκαλιας τροφας, *ad carpenda spiritualis doctrinæ florulenta et odoratissima pabula.* Secundo, quod gregem suum cornibus tueantur. Hinc mitra Pontificalis duo habet cornua, ut intelligant Episcopi virtute et scientia gregem sibi esse protegendum. Vel, scientiam sacram, et prophanam: item veteris et novi Testamenti notitiam sibi esse necessariam, Matth. 13. 52. *Omnis Scriba* (id est doctor, prædicator. Scribæ enim Iudæis legem explicabant) *doctus* (μαθητευθεις, instructus) *in regno cælorum*, (in Ecclesia, ubi regnat Christus: vel, qui docet pro regno cælorum, ut Arabs vertit, id est pro cælo) *similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera*, id est in omni re necessaria et commoda. Est proverbium. Aut in duobus mitræ Episcopalis cornibus duplex potest intelligi potestas: temporalis scilicet ac spiritualis. Nam et spirituales et temporales domini sibi creditos offerre Deo debent. Tertio, ac præcipue arietibus comparantur Apo-
3. Fideles generant stolici viri, quod Christo fideles generant, sicut de se prædicat Apostolus 1. ad Cor. 4. 15. *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* Oblatio hæc spiritualium filiorum figurata est, primo, in oblatione Isaaci, quem Dei iussu immolaturus erat Abrahamus, nisi Angelus obstitisset, Gen. 22. 12. et arietem immolandum ei ostendisset inter vepres hærentem cornibus. Iuvat audire S. Chrysologum serm. 10. hoc expendentem et admirantem: *Ad Abraham loquitur Deus: Accipe filium tuum dilectum, et offeres mihi in holocaustum. Aries Abraham maturus ad innocentiam, grandævus ad fidem, perfectus ad hostiam, paratus ad holocaustum, afferebat filium suum, filium arietis: imo se immolabat in filio: sanctificabat mentem suam, lætificabat fidem suam: ut esset idem victima et Pontifex, Sacerdos et sacrificium: patris erat passio ibi tota, ubi filius immolabatur, ignavus filius sistebatur: nescius filius aptabatur vinctus, ut tolleret de passione martyrium: præmium de pœna patris, de conflictu patris referret coronam. Denique patris suspensa est dextera, patris gladius est remotus: quia non quærebatur mors filii, sed patris charitas probabatur: nec expetebatur sanguis filii, ubi tota victima in patris dilectione constabat, Scriptura dicente: Nunc scio, quia diligis Deum: quia non pepercisti unigenito filio tuo propter me. Abraham diximus arietem, ut Isaac arietis filium probaremus: ac sic luceret, quos arietum filios Propheta vult Domino nos afferre. Afferte Domino filios arietum. Filios Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum: Christianus modo ut afferat, admonetur; quando grex dominicus fidei laxatur in pastum: quando agnos suos cælestis pastor ad ovile dominicum vult deferri: ne dispersi per inculta gentium, luporum devorentur incursibus.* Deinde sapienius loquens, monet omnes, ut afferant Domino baptizandos: et quos fides concipiat, non caro: quos Dei gratia generet, non humana natura. Secundo, hæc oblatio filiorum spiritualium figurata est in oblatione Samuelis ab Anna et Elcana, qui agnellum hunc a Deo mirabiliter obtentum ei in perpetuum holocaustum obtulerunt: neque eum unquam a templo, sicut Isaacum Abrahamus e monte, deduxerunt. Hoc S. Chrysost. prædicat hom. 2. de Anna: *Ascendit in templum*, ait, *et agnellum induxit in ovile, ac vitulum produxit ad armentum, et in pratum rosam a spinis liberam: rosam, inquam, quæ nunquam marcescit, sed floret perpetuo: quæque possit ad ipsum usque cælum exilire, cuius fragrantia usque in hodiernum diem iuvantur ac reficiuntur omnes, qui terrarum incolunt orbem.* Si tua te deliciis innutrita vivendi ratio a filiorum victima dimovet, qua agnos et quidem innocentes Deo offeras, ne tamen animum despondeas, sed vel hædum cum mercenariis offeras, ut amore mercedis a peccatis reliquæ vitæ abstineas: et cum servis turturem aut columbam, ut timore pœnæ de iam admissis erratis doleas et gemas. Imitare Iobum, qui pro filiis et filiabus suis offerebat sacrificia, ut eos sanctificaret et expurgaret a peccatis admissis in convivio et exercitationibus variis.

Tertio, David assignat modum, quo victimæ sunt im- 15.
molandæ, scilicet Deum glorificando, et honorando, v. 2. Vers. 2.
AFFERTE DOMINO GLORIAM ET HONOREM: AFFERTE DO- 1. Pars.
MINO GLORIAM NOMINI EIUS, id est ad nomen seu famam et notitiam eius. Ubi nota, pro *nomini eius*, nunc in codicibus hebraicis cum punctis Rabbinorum habetur, *nomini eius*: quæ lectio faciliorem sensum habet, quam nostra. Sed quia editio græca habet, nomini eius, et eodem modo ex hebræo vertit S. Hieronymus, oportet Septuag. interpretes, et S. Hieronymum aliter legisse, quam Rabbini legerunt. Nimirum illi legerunt *cabod semo, gloriam nomini eius*: isti vero, *chebod semo*, gloriam nominis eius. Sensus igitur est: *Afferte Domino gloriam nomini eius*, id est, afferte gloriam Domino: id est nomini eius, celebrantes videlicet nomen, famam, notitiam Domini; ita Bellarminus. Sed planius, est hebraismus, q. d. tribuite nomini Domini gloriam, et sic vertit Vatabl.

Nota secundo, gloria et honor per hendiadym ponun- 16.
tur pro gloria honorabili, honorifica, id est maxima et il- Gloria
lustri. Secundo, et melius, hic sunt disparata. Gloria est quid sit.
clara cum laude notitia, ut ex S. Ambrosio docet S. Thomas 1. 2. qu. 2. art. 3. consentiens laus bonorum, gloria appellatur. ait Quintilianus: gloriam tamen a claritate distinguit Seneca lib. 3. epistolarum, quod gloria, multorum iudiciis constat; claritas bonorum. Etiam peccatores et publicani conversi dant Deo gloriam et gaudium. Honor vero est signum et testimonium quoddam illius excellentiæ, quæ est in honorato, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 2. art. 2. ubi etiam docet esse maximum bonum inter bona exteriora: et 2. 2. q. 103. a. 1. quærit, utrum honor importet aliquid corporale, et ait quoad Deum posse consistere in solo interiori motu cordis, dum aliquis recogitat eius excellentiam: posse etiam reperiri in exterioribus factis, sicut inclinationibus, obviationibus, et aliis eiusmodi: vel etiam exterioribus rebus, puta in munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis huiusmodi, artic. 2. docet nulli deberi honorem, nisi ratione alicuius superioritatis. Itaque iure David Deum vocat Dominum, cum ait esse honorandum: *Afferte Domino gloriam et honorem.* Honorari potest ab uno, sed glorificatur a pluribus.

Nota tertio, pro *honorem* Hebr. est עז oz, id est forti- 17.
tudinem, ut Felix, Pagn. Caiet. vertunt; robur, ut Va- Fortitu-
tabl. κρατος, id est robur; ut Aquila δυναμιν; potentiam, do dat
ut Symm. 2. imperium, ut S. Hier. 3. honorem, ut No- hono-
ster et Sept. habent enim τιμην, Petavius, et alii; vene- rem.
rationem, ut Arabs, ex quibus cognoscitur, quod *honor* quam Sept. et Noster exigit, est honor confessionis, potentiæ et imperii Dei: tunc enim Deum Dominum vere agnoscimus et honoramus, cum eius potentiam et imperium extollimus et confitemur. Ille porro honor potentiæ

commoda ponitur in hoc psalmo, qui totus est in potentia Dei ostendenda et celebranda.

18. Deus ab homine potest honorari.

Dices, quomodo viles homuli Deo gloriam et honorem afferent? Quibus in thesauris eam reconditam habent? Soline tenebræ lucem circumfundent? Aquas fonti arenula sufficiet? Resp. Deum a nobis honorari, glorificari, imo et magnificari posse. Unde ait Deipara. Luc. 1. 4. *Magnificat anima mea Dominum.* Sic etiam habent Syr. Arabs, Ægypt. Persica, et Æthiop. id est magnitudinem, hoc est, maiestatem, magnificentiam, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, beneficentiam, et alia laudat atque prædicat. Matt. 5. 16. ait Christus Apostolis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, *ut* (denotat τo *ut*, partim consequentiam, partim finem) *videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Lege S. Gregor. 3. p. pastor. admon. 36. Vita filii bona est causa, cur laudetur Pater, quem ille velut in viva imagine repræsentat. Prov. 13. 1. *Filius sapiens*, *doctrina Patris*, supple, est: quia, ut ait Corn. non tantum eam suscipit: sed et refert ac repræsentat: sicut imago repræsentat suum exemplar. Tullius lib. 2. de finibus: Effigies, ait, probitatis paternæ, filius: et idem Cæcinæ: Imago animi et corporis, filius. S. Basil. in psal. nostr. propositæ quæstiuni sic respondet: Quomodo, ait, nos terra et cinis magno Deo, quomodo gloriam et honorem afferimus? Gloriam sane afferimus per bona opera, cum hominibus illuxerint opera vestra: quibus perspectis glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Sed et temperantia, et sanctificatione illa, quæ ad pietatis cultores pertinet, Deum glorificare possumus etiam Paulo teste; ait enim 2. Corint. 9. 13. *Glorificate Deum in membris vestris.* Hanc quoque gloriam Dominus ab iis exigit, qui credunt in eum, et quos adoptionis munere insignivit, Prov. 3. *Filius enim glorificat Patrem;* et Matt. 1. 6. *Si Pater sum ego, ubi est honor meus?* Honorem autem Deo affert, qui iuxta proverbium Deum colit ex iustis operibus suis, et primitias ipsi affert a fructibus iustitiæ suæ: *Honorem affert et gloriam Deo*, quicumque recte ac feliciter theologiam tractat, ut non cadat a recta Patris notione, et Unigeniti deitate, et Spiritus sancti maiestate: *Auget gloriam*, qui reddere potest rationes, quibus cuncta creata sunt, et secundum quas continentur, providentia ipsius usque ad minima permeante, et secundum quas post istam gubernationem sub iudicium producentur. Qui perspicua, distincta et pura ratione, tum ipse per se singula contemplari, tum postquam ipse contemplatus fuerit, aliis quoque bonitatis Dei ac iusti iudicii eius mysteria declarare potest, et qui demum huiuscemodi contemplationi dignam vitam ducit, hic est qui Domino *gloriam et honorem* affert. Talis enim viri lux coram hominibus lucet, dum sermone et opere, Pater qui in cælis est, glorificatur. Ita Basil. qui e contra ostendit Deum per scelera impiorum inhonorari, et id declarat similitudine militum strenue aut ignave pugnantium ad decus vel ignominiam ducis sui: *Cum*, inquit, *duo exercitus manus conserunt et confligunt: ubi hoc agmen vincit*, *Imperator ipsius gloriam refert: ubi vero contrarium vires sumit, ad illius ducem iterum gloria redit. Sed in bonis tuis operibus Dominus est, qui glorificatur: in contrariis, adversarius: et ne mihi longius de hostibus cogites, neque procul exercituum duces respicias: sed teipsum inspice, et omnem similitudinis veritatem comperies. Cum enim ratio adversus affectum decertaverit, si per contentionem et studium superaverit, victoriæ insignia de affectu referet: ubi vero demolita mens voluptati succubuerit, serva et captiva peccatorum facta, hosti gaudium, elationis et fastus occasionem præbet:* καυχημα, και επαρσιν, και υπερηφανιας αφορμην προστιθεσι.

19. Honorandus est Deus voce, opere, corporis incurvatione.

Nota quarto, tribus modis hic honorandum esse Deum edocemur, 1. voce; 2. opere; 3. corporis inclinatione et incurvatione. De duobus primis ait David: *Afferte Domino gloriam et honorem.* Ut enim ait Richardus a S. Victore: *Laudibus Deus glorificatur*, *operibus honoratur. Si videntes opera vestra Deum laudent*, *et eadem operari studeant, obtulistis Domino gloriam et honorem. Si videntes mi-* A *rantur*, *si mirantes imitentur*, *absque dubio obtulistis Domino gloriam et honorem. Propter bonos, offerte gloriam et honorem: propter malos vero, afferte Domino gloriam nomini eius.* Opera iustorum sunt hostiæ Deo acceptissimæ. S. Gregor. lib. 6. in 1. Reg. cap. 15. *Quid* inquit, *sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ et holocausta?* Hæc ut altaribus sacris offerat, eniti debet omnis familia, si Christi grex esse et appellari exoptat. Nam, ut ait S. Chrysost. serm. 10. *Quomodo Christianus domum suam iudicet ovile Christi*, *ubi non pascuale germen*, *Dei pecus dat balatum?* Cum David dixerit non seorsum gloriam aut honorem, sed coniunctim gloriam et honorem Deo debere afferri, hinc Concilium Tolet. IV. definivit sub communionis iactura, id est sub excommunicationis pœna, ut in fine psalmorum diceretur: *Gloria et honor Patri*, etc. non vero tantum, *Gloria Patri.* Eadem ratione dicitur in missa Mozarebum, quæ vocatur etiam missa S. Leandri, et qua usi sunt Hispani usque ad tempora Regis Alphonsi VI. Sed Ecclesia universalis illud Concilium Provin- B ciale non acceptavit quoad hoc, sed semper suo antiquo more dixit: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Eam enim glorificationis hymnum Apostoli ipsi Ecclesiæ tradiderunt, qua de re vide Baronium anno Christi 325. num. 173. et seq. Concilium Nicænum primum addidit: Sicut erat in principio, et nunc, et semper, etc.

Vers. 2. 2 Pars.

De tertio modo honorandi Deum, nempe incurvatione corporis additur, vers. eodem 2. ADORATE DOMINUM IN ATRIO SANCTO EIUS. Pro *adorate* Hebr. est השתחוו *istochavu*, id est incurvate vos, ut vertit Pagnin. quod egregie et significanter exponit Petav. αζομενοι μεν υποπρηνεις κραατι καρηνω, venerantes ipsum, prono incumbite capite. De illa humilitate in adorando vide dicta Ps. 5. v. 8. notatione 6. art. 4. sect. 1. Tropol. Richard. a S. Victor.

20. Humilitas erga inferiores.

Quid est, ait, *adorare*, *nisi totum corpus nostrum ac pedes prosternere: et summum nostrum ad eius imo inclinare? Vult ergo Propheta non solum superioribus membris Domini* (*hoc est Prælatis*) *vos subiici: sed et usque ad novis-* C *simo eius membro vos sponte humiliari. Subiecti estote modo omni humanæ creaturæ propter Deum*, *et absque dubio adorastis Dominum.*

21. Honorandus est Deus cum munditia.

Nota secundo, pro *atrio*, Hebr. est הדרת *hadrat*, id est decore, pulchritudine, ornatu. Unde S. Hier. Vatabl. et alii vertunt: *Adorate Dominum in decore sancto.* Felix, in magnificentia sanctitatis. Caiet. *Incurvate Domino in* (id est eum) *pulchritudine sanctitatis.* Pagnin. in gloria sanctitatis. Ubi adverte, Deum adorari velle cum decore, munditie, et splendore. 2. Nullam esse gloriam maiorem ipsa sanctitate. Bellarmin. dicit dubitari non posse quin Septuag. legerint חדרת *chedrat*, per chet, non vero per he. Sed hoc est valde mihi dubium. Nam *cheder* sive *chodro* significat cubiculum, aditum, locum absconditum et secretum, penetrale: tale autem non erat atrium tabernaculi sive Mosaici, sive Davidici: erat enim ad partem orientalem tabernaculi extra illud sub dio. Bredembachius putat Sept. legisse חצרת *chaterat*, quod atrium significat, unde etiam *atrium* puto derivari: non vero ab D Atriatibus Tuscis, aut a terra, aut ab atro, sicut Lorinus putavit: tamen non est necesse Septuag. aliter legisse quam nunc legamus, sed sensum non vocem ipsam expresserunt. Cum enim Hebr. sæpe abstracta ponant pro concretis, *decor* hic sumitur pro decorato loco: decor sanctus, pro loco ornato, in quo orabant tum Sacerdotes, tum laici, q. d. David, venite ad tabernaculum sanctum, quod vobis paravi et ornavi, ut iucundius Deo supplices esse possitis. Locus autem ille dicebatur atrium, sive, ut Sept. vertunt αυλη, id est locus subdialis, nullo tecto conclusus. S. August. et Psalt. Roman. habent, *in aula sancto eius.* Etiam latine aula idem significat quod græcum αυλη; quia autem Principum ædes habere solent amplissima hypæthra, factum est ut aula pro regia, id est domo Regum et Principum usurpetur. Dic omnibus aulicis, qui magnatibus toties sese acclinant: *Adorate Dominum in aula sancta eius.* Est enim locus sacer. Vide Caussin. nostrum et Raderum, qui de aula sancta tractatus

ediderunt. Cave ne tibi aula sit olla, in qua bullias, et cuius nidorem ambias. Antiqui uullas vocabant, quas nos ollas, id est, vasa figulina, quibus cibaria coquuntur. Plautus in Amphitryone: Optimo, ait, iure infringatur aula cineris in caput. Hinc comœdiam inscribit Aulutariam, q. d. parvam ollam. Sit tibi aula locus subdialis, unde identidem oculos in cœlum emittas ad Regem Regum, ut eum adores, et in Rege tuo, velut in sius viva imagine, venereris.

22. Atria quatuor in tabernac. Davidis, ut in templo Salomon. Quæres, quodnam erat atrium sanctum in tabernaculo Davidico? Nota, in Davidis tabernaculo, sicut in templo Salomonis, quatuor fuerunt atria. Primo, erat atrium Sacerdotum seu Levitarum, in cuius medio erat altare holocaustorum. Secundo, erat atrium laicorum mundorum: quod in duo dividebatur, nempe in atrium virorum, et in atrium mulierum: orabant enim in locis separatis. Tertio, erat atrium laicorum immundorum et Gentilium. Vide Salian. tom. 3. anno 3025. num. 11. et seqq. His positis dico, atrium sanctum dici posse atrium laicorum mundorum, quia David omnes invitat ad afferendas victimas Deo. Secundo, potest accipi etiam atrium Sacerdotum, quia in eo per manus Sacerdotum suas victimas Deo offerebant laici.

Allegorice atrium sanctum Dei est Ecclesia militans, et sub dio adhuc agens, per illam patet ingressus in tabernaculum cæleste, ibi est altare holocaustorum, ubi excoriatæ et in frusta dissectæ atque abiutæ hostiæ offeruntur per mortificationem et compunctionem. S. Greg. in Ezech. *Sancta*, inquit, *Ecclesia duos ritus habet. Unam, qua merces colligitur: aliam, in quo iam de receptis muneribus gaudet, atque in utraque vito offert sacrificium: hic videlicet sacrificium compunctionis, illic* (in cælo scilicet) *sacrificium laudis.* Adverte etiam cum S. Athanasio, et S. Basilio esse tantum unum atrium sanctum, nempe unam Ecclesiam sanctam, in qua sola Deus vellt adorari, non extra illam.

Tropologice S. Augustinus: *Adorate Dominum in aula sancta eius. Adorate Dominum in dilatato et sanctificato corde vestro. Vos enim estis regium sanctum habitaculum eius.* Beda clare, in corde per charitatem dilatato et bonis operibus et virtutibus sanctificato et ornato. Anagogice de cælo etiam explicat S. Basilius.

Symbolice, Atrium sanctum est claustrum religiosum, in eo Deus est summo cultu et ferventi amore adorandus. Richard. a S. Victore novitios alloquens, ait: *Cum hostiis introite, ingressi adorate, arripite arctam viam: introite angustam portam in habitu religionis, in voto professionis, manete in domo disciplinæ, tenete instituta regulæ. Si enim intra claustralem disciplinam vos coarctastis, in atrium Domini absque dubio intrastis. Si vero votum professionis facitis, si instituta regulæ servatis, hostias Domino admodum gratas obtulistis. Si enim in claustro viventes per omnia humiliter obeditis omnibus, vere adorastis Dominum in atrio sancto eius.*

ARTICULUS II.

Causæ cur Deo sint victimæ offerendæ. Ubi de prædicationis Evangelicæ tonitruo, miraculorum fulgetris, et aliis.

Vers. 3. I. Pars. Post locum ubi victimæ dandæ sunt Deo, nempe in atrio sancto, causas agglobat David varios scilicet divinæ potentiæ effectus, vers. 3. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas Nota, *vox Domini* vocem significat magnam sicut apud Ezech. 1. 24. *sonus sublimis Dei*, ita Lorinus. Hic tamen simpliciter, et varius, *vox Domini* est vox sive sonus a Deo specialiter excitatus ad terrendos

23. Vox Domini est sonus auditus in cacumine pyrorum. hostes populi sui.

Quæres, quænam hæc fuit vox Domini, et ubi excitata? Dico primo, præcise et maxime ad literam, hic intelligi sonitum gradientis Dei in cacumine pyrorum, quando post extortam a Iebusæis arcem Sion, et victoriam de Philisthæis iam reportatam in Baal Pharasim, David in eosdem Philisthæos sese in vallem Raphaim diffundentes movit exercitum; consuluit enim Dominum. 2. Regum 5. v. 23. *Si ascendam contra Philisthæos, et tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, et venies ad eos ex adverso pyrorum* (Chaldæus arborum. Pagninus et Arias, mororum. Septuaginta κλαυθμῶνος, hoc est fletus et plorationis. Hinc Iosephus l. 7. Antiquitat. Iudaic. cap. 4. locum illum appellat, silvam fletus) *Et cum audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam.* Hunc sonitum ait Iosephus, fuisse ipsam agitationem arborum nullo flante vento. Secundo, Cornelius censet, fuisse fragorem quemdam ab Angelis excitatum velut pugnaturis in Philisthæos; unde Chaldæus vertit: *Cum audieris vocem clamoris in capitibus arborum, tunc confortaberis: quia tunc exiit Angelus Domini ad prosperandum ante te, ut occidat castra Philisthæorum.* Tertio, præter hunc fragorem arbitror sonum illum fuisse tonitru terrificum, et excitatam fuisse tempestatem in Philisthæos, sicut olim in Ægyptios in mari rubro, et in Chananæos prope Gabaonem, cum Sol stetit ad vocem Iosue. Probatur hæc sententia ex psalmo nostr. *Vox Domini confringentis cedros*, etc. Id autem non fit simplici sono gradientium Angelorum in cacumine pyrorum, sed tonitru et fulmine, atque ventis vehementibus in tempestate. Iuvat Agellius, qui aquas multas, exercitus populi intelligit, quos sæpe tamquam tonitru quodam potentiæ suæ fudit atque disiecit Deus. Aquas sic sumi probat ex Ps. 45. 4. et 143. 7. De tonitru vero quod est vox Dei, affert illud Isaiæ 30. v. 30. *Auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, et flamma ignis devorantis: ollidet in turbine et lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus.*

Dico secundo, omnia in hoc psalmo posita possunt generatim sumi de Deo; 1. ut est auctor naturæ; 2. ut est auctor Legis Mosaicæ; 3. ut est auctor Legis gratiæ. 24. Deus est auctor naturæ, Legis scriptæ, et Legis gratiæ.

Ac primo, Deus ut auctor naturæ, describitur hic summa potentia dominans in aquis, aere, igne, terra, animalibus, hominibus, toto orbe. Primo, potestas eius in aquis exprimitur, v. 3. *Vox Domini super aquas.* Quod apparet in creatione, in diluvio, in mari, in fluviis, in pluviis et nimbis. Vocem Domini esse tonitru dicunt Genebrardus, Marianus, Emanuel Sa, et alii. Secundo potestas Dei in aere, exprimitur, v. 5. *Vox Domini confringentis cedros*, etc. cum scilicet vehemens ventus, si præsertim fulmen accedat, evertit durissimas et altissimis nixas radicibus arbores. Tertio, potestas Dei in igne, ostenditur, v. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Hoc est, fulmen a fulmine dividentis, atque in terras eiaculantis. Quarto, potestas Dei in terra, declaratur v. 8. *Vox Domini concutientis desertum.* Quinto, potestas eius in feras terræ, v. 9. *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa.* Sexto, potestas in homines, qui sibi supplices esse debent: *Et in templo eius omnes dicent gloriam*, Iudæi scilicet atque Gentiles. Septimo, potestas in reliqua terræ bona, v. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit: et sedebit Dominus rex in æternum.* Octavo denique, potestas præsertim in iustos, quos donis cælestibus et temporalibus cumulat, v. 11. *Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.* Terra contremiscet ad Dei vocem ac potestatem, concutietur mare, arbores in aere dissilient, agitatæ nubes ignitis fulminibus diffringentur, pavidæ feræ in speluis latitabunt, venerabundi homines in genua accident: solus Deus immobilis et inconcussus sedebit et regnabit in quieto pacatoque solio sibi subiecta omnia despectans.

I. Deus auctor naturæ habet potestatem in mare, aerem, etc.

Secundo, Deus, ut Legis Mosaicæ auctor, cuiusque vox et potentia, eximie hic prædicatur, enumeratis strictim præcipuis beneficiis populo Israelitico factis. Primo, potestas Dei educentis illum per mare rubrum, aperitur, v. 3. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit;* cum Pharao et Ægyptii, fulminibus percussi, aquis obruti, ventis disiecti fuere. Secundo, post transitum ma- 25. II. Deus auctor Legis Mosaicæ pro suo scripto

mem potentiam suam declaravit, in mari, manna, victoriis, etc.

ris rubri promisit daturum se manna et coturnices, aquas
e petra effusurum, v. 4. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia*. Tertio, hostes, qui Israelitis se opposuerunt, contrivit Deus ut Amalecitas. Exod. 17. Hoc
declaratur hic v. 5. *Vox Domini confringentis cedros*, id
est, superbos et potentes, suo magnitudine, robore, su-
1. blimitate terribiles reges et populos. Amorrhæos etiam
2. commode accipies. Amos 2. v. 9. *Ego autem exterminavi*
3. *Amorrhæum a facie eorum*: cuius *altitudo cedrorum altitudo eius* (το eius, redundat more Hebræo) *et fortis ipse quasi quercus: et contrivi fructum eius desuper, et radices eius subter*. Cumque in psalmo nostro ponuntur cedri Libani, sume hostes, quos passi sunt Hebræi in terra Chanaan. Iosue 15. v. 1. *Hi quoque qui habitabant iuxta Libanum, Hethæus et Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, et Hevæus, et Iebusæus*. Horum reliquiæ a Davide prorsus
4. attritæ sunt. Quarto, Hebræis Deus legem dedit in monte Sinai: tunc ut dicitur vers. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. In hoc enim monte flammæ emicuerunt, cum lex daretur, Exodi 19. v. 18. Totus mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascendebat fumus ex eo quasi de fornace, eratque omnis mons terribilis: et sonitus buccinæ paulatim crescebat
5. in maius, et prolixius tendebatur. Quinto, omnibus datis præceptis Moses populum ad terram promissam, melle et lacte manantem recto itinere ducebat, cum missi exploratores redeunt in desertum Pharan quod est in Cades, Num. 13. v. 27. id est, veniunt in Cades, sive Cadesbarne, quod est in deserto Pharan: est hypallage. Illi populum a cœpta via avertunt, et in Mosem, Aaronem, Deumque ipsum concitant. Tunc statuit Deus neminem eorum, præter Caleb et Iosue, terram promissam intraturum. Hæc *vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades*. v. 8. Populus enim audiens se condemnatum esse a Deo ad moriendum in deserto, atque ad trahendam ibi vitam misere per quadraginta annos, solutus est in lacrymas, et in lamenta, et temere
6. in Amalecitas pugnans victus est, Num. 14. v. 45. Sexto, toto illo tempore commorationis in deserto Deus Hebræos variis monitis, documentis et præceptis præparabat, velut hinnulos, ut sibi servirent, et superatis montibus ac fluminibus Chananitidem possiderent, vers. 9. *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa*, muros Iericho
7. deiiciendo, et fundum operiendo fluvii Iordanis. Septimo, hinc sequetur laus Dei in eius tabernaculo: *Et in*
8. *templo eius omnes dicent gloriam*. Octavo, Iordanis alveum Deus siccavit, atque populum suum per eum deduxit,
9. v. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit*. Nono, post occupatam terram Chanaan fixo tabernaculo in certo loco, Deus rex sedit super Cherubim, et propitiatorium regens et docens populum: *Et sedebit Dominus rex in æternum*.
10. Decimo, ex hoc sacro throno iuvat et benedicit illum, v. 11. *Dominus virtutem populo suo* (præ cæteris dilecto et illuminato) *dabit, et benedicet populo suo in pace*. Quamdiu populus eius esse voluerit, et alienos deos sibi non quæsiverit.

26. Tertio, Deus Legis gratiæ auctor vocem quoque mirabilem habet. Hoc de tota Trinitate dici potest.

Deus auctor legis gratiæ habet vocem mirabilem.

1. Audita est vox Patris.

Primo enim, vox Patris super aquas auditur, cum Christo baptizato testimonium perhibet. Matth. 3. v. 17. *Ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Vox eadem in virtute et magnificentia auditur super montem Thabor. Matth. 17. vers. 5. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Et Dominica die Palmarum, in templo Ierosolymitano, cum Gentiles eum videre optarent existentem in atrio Gentium, et Philippus atque Andreas id nuntiassent ipsi. Ioann. 12. v. 28. *Venit vox de cælo* (dicens) *et clarificavi* (te qui petis nomen meum clarificari) *et iterum clarificabo*. Cætera patebunt ex dicendis.

II. Vox Filii.

Secundo, vox filii super aquas audita est, cum a baptismo suo prædicationem incepit: vel cum, ut ait S. Basilius, dixit Apostolis Matth. 28. vers 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Vox eius fuit in virtute et magnificentia, ob plurima miracula, quibus suam prædicationem confirmabat. Commode vox Christi potentissima ad septem Ecclesiæ sacramenta, quæ instituit, applicari potest. Primo, Vox eius est *super aquas* in baptismo, in quo sacris aquis tingitur. Secundo, Vox eius *in virtute*, in sacramento Confirmationis, per quam novum robur ad prælia Christiana accipimus. Tertio, Vox *in magnificentia*, in sacramento Eucharistiæ, quæ donorum omnium uberrimum fontem continet. Quarto, Vox *confringentis cedros*, in sacramento pœnitentiæ, in qua cor vitiis obduratum, et superbiæ nubibus sese inferens conteritur ac deiicitur. Quinto, Vox *concutientis desertum* in sacramento Ordinis, in quo vis datur ad animos fidelium ad virtutem incitandos per prædicationem et sacramenta. Sexto, Vox *intercidentis flammam ignis* in sacramento matrimonii, per quod concupiscentiæ flamma sopitur. Septimo, Vox *præparantis cervos*, in sacramento Extremæ Unctionis, per quam in animæ emissione iuvamur, ut e terra in cælum feliciter pergamus.

III. Vox Spiritus sancti.

Tertio, Vox Spiritus sancti audita est, et dona eius septem per eam vocem septemplicem diffusa sunt in Pentecoste, et in toto tempore legis gratiæ. Primo, Vox illa audita est a variis populis, v. 3. *Vox Domini super aquas*. Secundo, tonitru Evangelii tunc insonuit: *Deus maiestatis intonuit*. Tertio, Populos ex omni gente tunc Ierosolymis existentes edocuit: *Dominus super aquas multas*. Quarto, fulgetræ miraculorum emicant, concussa domo, infusa linguarum notitia, v. 4. *Vox Domini in virtute*. Quinto uberes gratiarum imbres in animas fidelium credentium immittuntur: *Vox Domini in magnificentia*. Sexto, rebelles solo affligit, et conterit, atque ad cor compunctum revocat per afflictiones, v. 5. *Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani*. Septimo, fulmine impios in cinerem redigit, et flammis æternis addicit, v. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Cæterorum ordinem ponemus infra.

27. Symbol. S. Ioan. Bapt. est vox Dei, ob varias rationes.

Symbolice. S. Ioan. Baptista est hæc vox Domini super aquas Iordanis baptizans et prædicans; ita Iansonius: et quilibet concionator; ita Ugo. Ipse S. Ioan. postquam sciscitantibus Iudæorum Sacerdotibus et Levitis negavit se esse Eliam aut Prophetam, ait Ioan. 1. v. 23. *Ego vox clamantis in deserto, sicut dixit Isaias Propheta* cap. 40. v. 3. fuit enim vox Dei et verbi divini: per eum enim clamabat Deus, sicut rex per præconem suum. Varias au-
tem ob causas fuit vox. Primo, quia sicut per vocem ver- 1.
bum in mente latens aliis manifestamus: sic Pater æternus per Ioannem verbum suum, scilicet Filium latentem in carne, mundo patefecit. Ita S. Aug. serm. 20. de San-
ctis. Secundo, sicut vox loquentis antevertit conceptum 2.
et intellectum audientis: sic Ioannes prædicatione sua præcessit Christi notitiam et fidem in mentibus Iudæorum, eamque eis ingeneravit. Ita S. Gregorius hom. 20. in E-
vangelia. Tertio, vox præcedit quidem verbum et conce- 3.
ptum audientis, sequitur tamen verbum quod præcessit in mente loquentis: per vocem suum verbum et conceptum loquens revelat audienti: sic Ioannes præcessit verbum et notitiam Dei in mentibus auditorum: hoc tamen Dei verbum præcessit Ioannem, quia fuit ab æterno. Ita S. Ambrosius in cap. 3. Luc. v. 4. ubi etiam addit: *Quia Ioannes vox erat, idcirco in eius nativitate pater mutus vo-
cem recuperavit*. Quarto, aliam analogiam affert S. Epi- 4.
phanius hæres. 69. qui per vocem hic imperfectam et inarticulatam accipit, qualem præcones in tuba edere solent, dicendo, verbi gratia, *sus, sus*, cum silentium indicunt, quia princeps locuturus est: sic enim Ioannes præco fuit attentionem populo indicens, ut Christi doctrinam exciperet, cuius collatione prædicatio Ioannis imperfecta et
quasi inarticulata fuit. Quinto dicitur Ioannes vox, quia 5.
ex se nihil dicebat: sed tantum ea quæ audierat a Deo.
Sexto, sicut vox præcedit verbum (voce enim formatur 6.
verbum) ita Ioannes Christum. *Præibit*, inquit Zacharias,
ante faciem Domini parare vias eius. Septimo, dicitur vox; 7.
quia eius officium erat non scribere sua oracula, ut fecit

Isaias, aliique Prophetæ, qui proinde fuerunt et vox at calamus scribæ velociter scribentis; sed viva voce concio-
8. nari, et Christum ostendere. Octavo, quia quicquid erat in Ioanne, vox erat: totus pœnitentiam et sanctitatem prædicabat. Oculi, manus, vestis, cibus, quicquid denique in eo erat, clamabat: *Pœnitentiam agite, parate viam Domini: appropinquat regnum cælorum.* Sic vulgo dicimus, philomela est tota vox, quia non aliud facit quam canere. Talis vox sit concionator, et erit malleus conterens petras. Denique Ioannes fuit vox non exilis, sed clamans: quia mira audacia, constantia, toto spiritu et vocis contentione, publice prædicavit, at contra Principum et populi vitia vociferatus est. Erant enim tunc mores hominum corruptissimi qui magna voce terrefaciendi et percellendi erant. Hæc et alia Cornelius in Isaiam.

Nota, per aquas S. Basilius intelligit sanctos, quia flumina fluent ex ventre ipsorum; hoc est doctrina spiritalis animos audientium irrigans: super huiusmodi aquas est Dominus. Secundo, et melius, S. August. aquas ait esse populos. Beda, Remigius et Ugo *aquas* dicunt esse Iudæos: *aquas multas*, Gentiles: super utrosque vox Domini audita est.

28. Quæres secuada, cur aquis populi comparentur? Pri-
Aquis populi comparantur ob septem causas. mo, quod hominum vita et felicitas in perenni fluxu sit. Ruffin. Populi, ait, per aquas recte designati sunt, quoniam aquarum more fluxu mortalitatis incessanter decurrunt. Sapiens illa Thecuitis, ut Davidi suaderet Absalonem e terra Gessur in patriam revocare, ait 2. Reg. 14.
I. vers. 14. *Omnes morimur, et quasi aquæ* (fluvii, 2. et potius, pluviæ) *dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Hebraice habetur, *moriendo morimur* (id est, certo, et cito; 2. quia singulis momentis morimur vitæ partem irrecuperabilem perdentes) *et velut aquæ effusæ in terram, quæ non colligentur,* id est, non poterunt colligi; Pagnin. quæ non congregantur, q. d. quæ statim ab arena sicca ebibuntur, ita ut amplius non appareant. Aquis fluminis continuo fluxu in mare sese præcipitantibus viam nostram confert S. Chrysost. homil. de avaritia: *Assidue,* inquit, *perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet quam amnium defluxus, et fumo in aerem evanescente fugacior est, et umbra prætercurrente inanior.* Et hom. 9. in epistolam ad Hebræos: Quid, ait, sunt res humanæ? cinis et pulvis, et tamquam pulvis ante faciem venti, fumus et umbra, et folium quod circumfertur, et flos et somnium, et narratio, et fabula, ventus et aer mollis temere diffluens, penna non consistens, *fluentem prætercurrens,* et quæ sunt magis quam hæc nihili.

II. Secundo, sicut fluctus fluctum impellit et festinare cogit, neque in eodem loco quiescere patitur: ita dies diem urget et incitat ad perennem cursum. S. Aug. serm. 39. de verbis Domini: *Nonne,* ait, *vita ipsa morti similis est? dies autem ipsi properantes transeunt; quia hodiernus dies hesternum exclusit: crastinus ideo nascitur, ut excludat hodiernum.*

III. Tertio, nihil est firmum, stabile et solidum in aqua, et quicquid illi commiseris dissolvit, dissipat, ac prorsus delet. Idem accidit in quantumlibet felici hominum statu, omnia statim evanescunt. S. Greg. Nazianz. epistola ad Sophronium: *Neque prosperitas,* inquit, *neque adversitas nobis constat: sed quam ocyssime in diversum mutatur ac transilit:* ως αυραις ειναι μαλλον πιστευειν, και γραμμασι τοις καθ' υδατος, η ανθρωπων ευημερια, *adeo ut aquis, ac literis aquæ inscriptis, fidere liceat citius, quam humanæ felicitati.*

IV. Quarto, aquæ sive fluvii, sive maris, sive nubium facile huc illuc a vento agitantur, ita et res humanæ, atque ipsæ etiam mentes. Richardus a S. Victore in hunc Psalmum: *Mens tua,* inquit, *valde levis, multum ineffabilis, vaga et profuga, ubique se variat, undique fluctuat: quia vult et non vult piger, consilia mutat, voluntates alternat, similis fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur.*

V. Quinto, aquæ in mare decurrentes, ad saxa et cautes allisæ fremunt, et spumant, subsultant ac tumultuantur; ita et populi. Isai. 17. 12. væ intentat Damascenis et Israelitis sæpe in Iudam frendentibus eumque vastantibus, eisque prædicit clades per Assyrios inferendas: *Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis: et tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, et increpabit eum* (id est eos. Est enallage numeri) *et fugiet procul: et rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate. In tempore vesperæ, et ecce turbatio: in matutino, et non subsistet.* Vespera et mane, id est, cito. Est proverbium. S. Petrus Damiani lib. 4. epist. 9. fremitum mundi maximum esse sic declarat: *Mundus undique fremit, undique velut maximum pelagus intumescentibus procellis se attollit;* ideo autem ait maiorem edi fragorem, quia iam ad finem mundi, velut ad littorales cautes alliditur.

Sexto, aquis aimiles sunt populi, ait Ugo, ob refluxum VI.
originis: quia sicut omnia flumina intrant in mare, et ad locum, unde exeunt, revertuntur, ut dicitur Eccle. 1. 7. sic omnis homo in terram, de qua sumptus est, revertitur: unde Gen. 3. 19. dictum est homini: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia cinis es, et in cinerem reverteris.*

Septima denique, aquis similes sunt populi ob succes- VII.
sionem propaginis: viri enim propellunt senes; viros iuvenes: hos, adolescentes: istos pueri, sicut aquæ aquas, et eorum locum ac dignitates, et divitias occupant. Eccle. 1. 4. *Generatio præterit, et generatio advenit: terra autem in æternum stat.* Ubi S. Hieron. Quid est, ait, vanius hac vanitate, ut aliis morientibus nascantur alii, et homo nunquam permaneat? cum tamen terra, quæ propter hominem facta est, in æternum stet. Et S. Gregor. Nyssen. hom. 1. in Ecclesiasten, fluxum hunc hominum terrenarumque rerum demirans vocat inania mortalium studia; τα των εν ψαμμω παιδων οικοδομηματα, puerorum ludum in arena. Quemadmodum enim cum arena defluxerit, nullum amplius est laboris reliquum vestigium: sic ubi vita hæc decurrerit, nihil superest omnium, quorum causa tot sunt labores exantlati. Verba eius sunt: *Omne studium quod versatur in iis, quæ ad vitam pertinent, est plane puerorum ludus in arena: in quo, quæ ex iis, quæ fiunt, capitur oblectatio, simul desinit cum studio, quod ponitur in iis, quæ facta sunt. Nam simul atque cepit moveri arena, simul circumfluens nullum relinquit vestigium eorum, quæ fuerunt elaborata. Hoc est humana vita. Arena est ambitio, arena est potentia, arena divitiæ, arena est, quicquid est, et in iis vane laborantes infantiles animæ, si solum arenæ locum reliquerint, et vitam, quæ in carne transigitur, tunc agnoscent, quam in hac re vanum posuerint studium.* Supra vilem arenam cursus omnis est, et impetus, ac fremitus tot ex omni parte inundantium et admurmurantium populorum volvitur. Proh quantum est in rebus inane! Vel certe, super fluvium glacie constrictum ambulamus, currimus, cadimus, præcipitamur, similes Norvegis, Danis et Svecis, qui supra lacus congelatos totis exercitibus pugnant. Glacies nostra cito dissolvitur, et omnes aquis rapientibus abiicit.

Quæres tertio, cur fertur vox Domini super aquas? Pri- 29.
ma, ut fluctuantes stabiliat. Exodi 14. v. 22. *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextera eorum et læva.* Cum in mari Galilææ, id est, in lacu Genesareth, navis discipulorum iactaretur fluctibus, quarta vigilia noctis, id est, decima noctis hora, apparuit illis Iesus ambulans supra mare, cui ait Petrus Matth. 14. v. 28. *Domine si tu es* (Iesus, Magister et dominus noster) *iube me ad te venire super aquas,* q. d. si verbum unum dixeris, fient aquæ non solum stabiles ac quietæ, sed etiam solidæ, et super eas ambulabo securus, super quas non potest consistere navigium, sicut accidit. Deinde cum intrasset Iesus navem, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, sicut exprimitur, cum evigilans alias tempestatem sedavit in eodem mari, cap. 8. v. 26. Itaque Richardus a S. Victore in psalmo nostro novitios de sua imbecillitate ob fluctus tentationum et passionum trepidantes spe auxilii divini consolatur, in hunc modum: *Revela,* inquit, *Domino viam tuam,*

Vox Domini fertur super aquas ob quinque rationes.
I. Ut fluctuantes stabiliat.

et spero in eo, et ipse faciet. Scio et ipse quidem mentis humanæ fluctuantes et cogitationes vagas, sed vox Domini super aquas. Si trepidas de infirmitate, sive pusillanimitate tua, cogita, quia vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Times stationem mentis et fluctus tumidos, sed vox Domini confringentis cedros. Si vero metuis incendia libidinis, maxime autem spiritum fornicationis; agnosce, quia vox Domini intercidentis flammam ignis. Ista cogito, ista pertracta. Sed nunc redeamus ad singula. Ecce dicis, quia mens tua valde levis, multum instabilis, vaga et profuga, ubique se variat, undique fluctuat: quia vult, et non vult piger: consilia mutat, voluntates alternat, similis fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur: sed qui convertit mare in aridam, facile potest præcipere, ut congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum, et appareat arida. Quia sæpe ad vocem iubentis Domini, huiusmodi carnalium desideriorum reversæ sunt aquæ euntes et redeuntes, quoadusque siccaretur universa superficies terræ. Quoniam vox Domini super aquas, quantumlibet multas, quantumlibet magnas. Ad volantatis enim suæ nutum congregat eas in locum unum, et coarctat eas intra metas necessitatis, ut appareat arida, et solidetur propositum bonæ voluntatis: quia vox Domini super aquas. De robore mentis in viro iusto vide S. Gregor. Nazianz. orat. 28. ubi multa enumerat, quibus est superior: *Morbo laborat, pugnabit, etc.*

30. II. Secundo, Vox Domini est super aquas, ut eas dirigat, et in iis positos ad portum deducat. Ps. 106. v. 30. *Deduxit eos in portum voluntatis eorum.* S. Hieron. deducet eos ad portum, quem voluerunt. S. Basilius, S. Chrysost. et Euthym. legunt αὐτῆς, id est, *suæ*, nempe divinæ. S. Gregorius Nyssenus vocat, θεῖον λιμένα, divinum portum. S. Chrysolog. serm. 8. ad Christi igni Paschalis portum nos invitat his verbis: *Gubernante Christo, flante spiritu sancto, evictis voluptatum spumis, superatis vitiorum fluctibus, decursis criminum procellis, transvectis scopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, Paschæ portam intremus.* Sed post Pascha, ne iterum nos in fluctus reiiciamus.

Ut in illis navigantes ad portum perducat.

III. Tertio, Vox Domini est super aquas, ut eas expurget, ut de amaris dulces faciat, sicut Moses in Mara, Exod. 15. 25. et Elisæus in Iericho, 4. Reg. 2. 21. Aquæ voluptatis putres sunt et infames, sunt aquæ Sodomæ et Gomorrhæ, seu lacus Asphaltites, id est, bituminosus, qui quod pisces non fert, nec aliquid vivum, dicitur mare mortuum, et ob salsedinem mare salsissimum. Vel sunt aquæ Babylonis, de quibus Apocal. 17. 15. *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ.* Et cor et lingua sæpe sunt aquæ Babylonis, id est, confusionis. Iesus vero dat aquam vivam, et sedet super fontem Iacob, prope civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar Ioan. 4. 5. Sichar, id est, Sichem, hodie Pelosa vel Napolosa vocatur.

Ut eas expurget.

31. IV. Quarto, Vox Domini super aquas, ut eas fœcundet. Gen. 1. 2. *Spiritus Domini* (ventus a Deo excitatus, ait Theodoretus; 2. et melius, Spiritus sanctus) *ferebatur super aquas.* Tertullianus, supervectabatur: non loco vel motu, sed omnie superante ac præcellente potentia: sicut superfertur rebus fabricandis voluntas, et idea artificis, ut explicat S. August. lib. 1. de Genes. ad litteram, cap. 7. Vox Hebr. מרחפת *merachephet*, id est, movens se, ait R. David in libro radicum; agitans se expansione et dilatatione alarum, sicut solent gallinæ, aut aves pullis incubantes, ait Mercerus. Hoc sic explicat R. Salomon. Solium gloriæ manebat in aere, et incubabat super faciem aquarum, spiritu oris Domini, et eius sermone, id est, Iussu, sicut columba incubat super nidum. Chald. vertit, Spiritus e conspectu Dei sufflabat super faciem aquarum. Aquas sacras e templo manantes fecit fœcundas Deus. Ezech. 47. 9. *Et omnis anima vivens, quæ serpit, quocumque venerit torrens, vivet: et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, et sanabuntur, et vivent omnia, ad quæ venerit torrens.* Iuxta aquas Ezechiel ipse et Daniel plerasque suas visiones videbant. Quin etiam, ut dixi, S. Basilius, sanctos comparat aquis fœcundantibus prata et agros: *Aquæ illæ*, ait, *Sancti sunt: quoniam et ex eorum ventre flumina fluunt, hoc est spiritualis doctrina*, ἀρδῶσαι ψυχὰς ἀκούοντων, *animas irrigans audientium.* Hinc flores et germina virtutum animum Dei Ecclesiam recreant, et suaves cælestium arborum fructus prodeunt.

Ut eas fœcundet.

V. Quinto denique, Vox Domini est super aquas, ut illis benedicat, eiusque sono in ipso aquarum gremio uniones efformentur, pisces increscant: et, quo voluerit, omnia moveantur. Adverte obiter terram a Deo maledictam fuisse, non aquas, quod de terræ fructu, non de aquis contra præceptum Dei Adamus sumpserit, ut ait Alcuinus interrogatione 10. in Genes. Unde idem auctor interrogatione 11. advertit terrestria animalia plus maledictionis habere, quam aquatilia, *quia plus de maledicta terra vivunt, quam aquatilia: et ideo Christus post resurrectionem de pisce manducare voluit, non de aliquo animali terrestri.* Per aquas Christiani omnes gignuntur Deo in baptismo, per aquas gratiæ conservantur et augentur in aliis sacramentis, per aquas contritionis resuscitantur in sacramento Pœnitentiæ.

Ut illis benedicat.

32. Nota denique, recte dicitur: Vox Domini *super aquas*, non vero *in aquis*, quod eius gratiæ extra humanum captum positæ ab uno Deo pendeant. 2. Corinth. 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis* (quod scilicet ad fidem, gratiam, meritum, et salutem æternam pertineat) *quasi ex nobis: sed sufficientia nostra* (vires et potentia) *ex Deo est.* Nam ad opus supernaturale duæ causæ concurrunt, liberum scilicet arbitrium, et gratia: a libero arbitrio, seu voluntate nostra, est operis illius libertas, e gratia vero est supernaturalitas. Itaque non tibi, sed Deo confide. Nam, ut ait S. Greg. lib. 22. Moral. cap. 19. *Nemo se alicuius virtutis æstimet, etiam cum quid fortiter potest: quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruetur, ubi se valenter stare gloriatur.*

Gratia est supra vim totius naturæ.

33. Vocis divinæ magnitudinem, maiestatem et efficacitatem David aperit, cum eam tonitruo comparat, vers. eodem 3. Deus maiestatis intonuit. Nota. Deus maiestatis, id est, maximus, maiestate regia spectabilis, Deus, qui est maiestas: sumitur enim intransitive. Syrus, Vatablus, Petavius vertunt, Deus gloriosus; Caietan. Deus honoris: id est, honorandus, honore dignus. Arabs, S. Hier. Felix, Deus gloriæ. Pro *intonuit*, Hebr. est הרעים *hirim*, id est, tonare fecit. Est enim in Hiphil: sed idem est. Non enim Deus tonat seipso, sed per nubes. Hinc clare vides in dicta victoria contra Philisthæos fuisse tonitru.

Vers. 3. 2. Pars.

Allegorice. Tonitru est annunciatio Evangelii per Christum et Apostolos. S. August. *Deus*, inquit, *maiestatis de nube carnis terribiliter pœnitentiam prædicavit.*

Quæres. Quænam sunt tonitrui et prædicationis convenientiæ? Prima, utrumque est vox Dei. De prædicatione quidem dicitur a Christo Apostolis Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* De tonitruo autem, Psal. 17. v. 14. *Intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Ezech. 10. v. 5. *Et sonitus alarum Cherubim audiebatur usque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis.* Symmachus et Theodotio reddunt, quasi tonitrui Dei potentis. E throno Dei vox Concionatorum egreditur ad morem tonitrui. Apoc. 4. v. 5. *Et de throno procedebant fulgura, et voces et tonitrua*, id est voces tonantes. Est hendyadis. Richardus a S. Victore lib. 2. in Apocalypsin, voces a tonitrua sic dividit, atque fulgura esse miraculorum claritatem longe lateque coruscantem: voces vero esse temperatas admonitiones mediocriter audientibus sonantes. Tonitrua denique, duras et terribiles de pœnis reproborum comminationes. Per hunc thronum Dei, non immerito possis quoque ipsam Ecclesiam intelligere, in qua fulgura sunt miraculorum signa: voces vero et tonitrua, sanctarum Scripturarum eloquia. Sonum hunc e cælo uniri dies nobis Pentecostes aperuit. Actor. 2. v. 2. *Factus est repente de cælo* (ubi est thronus gloriæ Dei et

Tonitrui et prædicationis quatuor convenientiæ. 1.

Spiritus sancti) *sonus tamquam advenientis spiritus* (Gr. πνοης, id est, flatus venti) *vehementis*. Hic ventus ipsos Apostolos penetrans et implens eos toto orbe sonoros atque vehementes, id est, ferventes et efficaces effecit. Sed a tonitru non recedemus. Plin. lib. 2. cap. 43. ait, nonnunquam in nubem ignes stellarum decidere, quorum ignium percussione concuti aera verum sit, quando et tela vibrata strident: alia tonitruorum genera esse fortuita, bruta et vana, deinde ad rem nostram concludit: *Illa vero fatidica ex alto, statisque de causis, et ex suis venire syderibus*. Stellæne sint igneæ, an novi in cælo ignes oriantur atque appareant: an cælum sit liquidum, ut erratici ignes hac illac inambulent, viderint Philosophi: tonitrui certe hanc causam non esse clarum est ex Seneca lib. 2. naturalium quæst. cap. 13. Quomodo enim id non semper fieret, et qua de causa ignis ex alto deflueret? Sed de divinis ignibus verum est, in Apostolicos viros cadere, iisque inflammatos toto orbe cælestia insonantes discurrere.

II. Secundo, tonitru est simile Apostolicis viris, ob materiæ conformitatem. Non enim, ut voluit Plinius, cælesti quapiam materie utitur Deus, hos ut terrificos sonos in aere eieat: exiles aquæ stillas e mari ac fluminibus excerptas in nubem cogit, tum sicca et calida exspiratio terræ in eam nubem magnam et lateribus crassam ac densam inclusa, per nubis concava huc illuc discurset, et fugitans circumpositum frigus modo in hanc, modo in illam se partem receptat, et vel ipso motu, vel antiperistasi, vel utraque de causa incalescit et rarefit, neque amplius tam arcto loco angustari potest. Tum vero quasi hostem sentiens propinquum, nubes frigore maiori constringitur, viasque eruptionem meditanti occludit: at contra exhalatio calida incitato cursu ac vehementi in nubem impingit, eamque dividit ac diffringit: sicque sonus vehemens efficitur, qui tonitruum appellatur.

Quid Apostoli? quid cælestia intonantes nubes? Vilis sunt pulvisculus et aquæ guttula divino Sole ex abiecto luto educta, e terra eminens, necdum tamen cælo illata, regiones suppositas oberrans. Ex quo fit, ut mirabundus Isaias exclamet cap. 60. v. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Volatus quidem nubium mirabilis, sed admirationem omnem vox earum superat, quæ Dei virtute intonet. Hanc Apostolorum vocem a Christo vim suam accipere admonet S. Ioan. Apoc. 10. v. 3. agens de Angelo forti, qui descendebat de cælo amictus nube, et iris in capite eius, et cuius facies erat ut Sol, et pedes tamquam columnæ ignis. Angelum hunc esse Christum censet Primasius. Verba Ioannis sunt: *Et clamavit* (Angelus) *voce magna, quemadmodum cum Leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas;* prius loquitur Angelus et rugit instar Leonis, deinde tonitrua loquuntur: primum Christus, qui est Leo de Tribu Iuda intonat, et Apostolos aliosque ad salubrem salutis cogitationem excitat, postea Apostoli orbem decurrunt velut tonitrua cælestia. Septem vero dicuntur tonitrua, quod septiformem Spiritus sancti gratiam ubique diffundant.

34. Boanerges. Hinc S. Iacobus et S. Ioannes filii Zebedæi vocantur a Christo Boanerges, id est, filii tonitrui, Marci 3. v. 17. hoc est, tonantes, ait Euthymius: sicut filius iniquitatis, dicitur iniquus, et filius pacis, pacificus. S. Gregor. Nazianzenus orat. 44. *Tonitrui filii*, inquit, *qui spiritualia intonuerunt*. Adverte το *boanerges* haberi etiam in codice Arabico, Ægyptio, Persico: *boanerges* autem in Æthiopico; 2. hoc nomen corruptum esse. S. Hier. in cap. 1. Danielis ait, emendatius legi *bene regem*, sed melius videtur, si ponamus בני רגש *bene reghes*. Maldonatus quidem id negat; eo quod licet *ragas* significet congregare, convenire, tumultuari, tamen *reges* non tumultum, sed congregationem sonat: errare tamen mihi videtur. Nam ex ipso S. Hieron. *rigscia*, quod sine dubio est eiusdem significationis cum *reges*, pro tumultu ponitur Psal. 63. vers. 3. et ita vertit Pagninus. Hinc vocem Latinam *rixæ* deductam opinor. Et Ps. 55. v. 15. ubi Noster habet: *In domo Dei ambulavimus cum consensu*. Hebraice *be reges*. S. Hieron. vertit, in terrore. Quare non est necesse cum Maldonato dicere, hoc nomen sic e Notariis corruptum fuisse, ut vix in eo primæ originis vestigium ullum appareat. Hebraica vel potius Syriace dicendum esset *banerges*, aut *bonerges*, sicut habent quædam exemplaria. Syri enim sicut etiam Bavari et Westphali vocalem a pronunciant ut o: ac e pronunciant ut a. Unde pro Semuel dicunt Samuel, pro Selomon Salomon, pro *bene* dicunt *bane*, id est, filii. Forte *banerges* corruptum versumque est in *boanerges* ab imperitis, putantibus *boa* significare boatum tonitrui, ait Franciscus Lucas in Marcum, not. 460. In textu Syriaco est *bane reges*, quod statim interpretetur *bene iarhama*, id est, filii tonitrui. Itaque hic est metathesis seu transpositio literæ r, cui vocalis e præponitur, cum deberet sequi. Angelus Caninius in Hellenismis pag. 64. varia affert exempla. Nam pro νευρον, dicimus, nervus: pro αρπαξ, rapax: pro αρπαζω, rapio: pro μορφη, forma: pro καρκινος, cancer: pro κρεας, caro: pro κρινω, cerno: pro ακρα, arx. Simili modo pro *bane reges*, dixerunt *boanerges*.

III. Tertio, tonitru est terror impiorum; ita et Evangelica prædicatio, cuius minas terrificas scelerati ferre non possunt, quin trepident, sicut Felix Iudææ Præses ad vocem Pauli disputantis de iustitia et sanctimonia, id est, castitate, et de iudicio futuro, Actor. 24. v. 25. et Iudæi in die Pentecostes concionante Petro ibidem cap. 2. v. 17. Et vero, ut ait Iob cap. 26. v. 14. *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius* (Hebraice, fortitudinum aut potentiarum eius: id est, fortissimum et vehementissimum) *intueri*, id est, audire. Visus enim Hebraice pro omni sensu ponitur: deinde tonitruo immiscentur fulgetræ, quæ augent terrorem. Prædicationi Deus addit inspirationes et lumina. Deus ipse ait cap. 38. vers. 25. ibid. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum, et viam sonantis tonitrui?* Aquila vertit, strepitum vocum. Symmachus sonitum tonitrui. S. Greg. lib. 29. Moral. cap. 16. de prædicatione Evangelica sic explicat: *Quid per tonitruum, nisi prædicatio superni terroris accipitur. Quem terrorem dum percipiunt humana corda, quatiuntur. Aliquando vero in tonitruo ipse incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conveniente prophetia ad notitiam nostram quasi ex nubium concursione prolatus est. Qui inter nos visibiliter apparens ea, quæ super nos erant, terribiliter sonuit. Unde et ipsi sancti Apostoli de eius gratia generati, boanerges, id est, filii tonitrui sunt vocati. Aliquando autem sicut dictum est, tonitruus ipsa eius prædicatio accipitur, per quam supernorum iudiciorum terror auditur. Sed quia quilibet prædicator verba dare auribus potest, corda vero aperire non potest: et nisi internam gratiam solus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium invisibiliter aditum præstet, incassum prædicatio aure audientis percipitur, quæ pervenire ad intima corde surdo prohibetur: se Dominus viam sonantis tonitrui dare asserit, qui cum prædicationis verba tribuit, per terrorem corda compungit. Hanc viam Paulus prædicator egregius dum superna mysteria terribiliter intonaret, se a se habere non posse conspiciens, discipulos admonebat dicens: Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi, ad loquendum mysterium Christi. Qui ergo loquebatur mysteria, sed in corde audientium eisdem mysteriis a Domino aperiri ostium precabatur, habebat quidem iam tonitruum, sed dari ei desuper viam quærebat. Hanc viam nequaquam se Ioannes dare posse cognoverat, qui dicebat 1. Epist. 2. v. 27. Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed unctio eius docet vos de omnibus. Hanc viam rursum Paulus, qui daret, intimabat dicens, 1. Cor. 3. v. 7. Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Nonnulli tamen quandoque audent, quod Thraces apud Herodotum lib. 4. qui dum tonat, et fulgurat in cælum sagittas excutientes, απειλευσι θεω, ουδενα αλλον θεον νομιζοντες, ει μη τον σφετερον; Deo minitantur, quod nullum alium præter suum esse arbitrantur. Deus tamen summa bonitate etiam obdurata corda cælesti sono permeat. Ut enim ait Aristoteles lib. 2. de cælo cap. 9. *Tonitrui sonus*

scindit lapides, και καρτερωτατα σωματων, et robustissima corpora.

IV. Quarto denique, Tonitru Evangelicum præ humana imbecillitate nonnunquam indormientes iustos excitat et recreat; excitat sono, luce recreat. Hoc Andreas Cæsariensis meditatur in illa verba Apocal. 4. v. 5. *Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.* Hoc, inquit, planum fit, το φοβερον και καταπληκτικον Θεꙋ, terribile et formidabile Dei in eos intorqueri, qui illius patientia et mansuetudine abutuntur. Hominibus vero salute dignis, τꙋτων εκατερα φωτισμον αντιδωσει, utraque (fulgura scilicet ac tonitrua) lucem verius et voluptatem, quam terrorem afferent. Alterum namque ex his, mentis illorum oculos lumine perfundet. Alterum vero, spiritales eorumdem aures perficiet, atque quadam suavitate afficiet. Vide dicta Ps. 17. 13.

35. Post tonitrui fragorem sequitur fulguratio. Licet enim prior appareat fulgetra, fit tamen post sonum: sed cum visus sit acutior, quam auditus, fulgorem citius percipit, quam audiatur sonus, sicut comparatione remigum explicat Aristoteles lib. 2. Meteororum. Prius enim videtur iterata brachiorum eductio in remigendo, quam sonitus prioris remigationis percipiatur.

Miracula sunt cælestes fulgetræ. Vers. 4. Ita post Evangelii prædicationem fulgent miracula, atque admirationem populis ea videntibus ingenerant. Hinc pergit David v. 4. VOX DOMINI IN VIRTUTE, VOX DOMINI IN MAGNIFICENTIA. Nota, pro *In virtute*, Hebr. est בכח baccoach, id est, in fortitudine, ut vertit Hieronymus; 2. et aperte, Syrus et Pagninus, cum potentia. Tonitru enim Domini est validum et vehemens, ait Vatablus, ηχος καρτερων και κρατερας, vocem robustam et excellentem nominat Petavius. Ex quibus colligis virtutem hic non sumi pro habitu animam exornante, sed pro robore. *Vox Domini iam in ipsis*, ait S. Augustinus, *potentes faciens eos.* Accommodate tamen dic, quod vox Dei, et quidem ut dominantis, est in ore et in corde viri iusti: ibi enim mira facit et dicit, quæ non licet homini loqui.

Nota secundo, magnificentia etiam hic non sumitur pro virtute, quæ est factiva magnorum, de qua agit S. Thomas 2. 2. quæst. 134. artic. 1. sed sumitur pro decore, splendore, gloria: unde S. Hieron. Arias, et Caiet. vertunt, *vox Domini in* (id est, cum) *decore*. Syr. cum gloria. Arabs, cum magnitudine splendoris. Apollinaris, αριπρεπεσσιν εν εργοις, excellentibus in operibus: id est, in fulgetris, quæ iunguntur tonitruo, et in miraculis adiunctis prædicationi Evangelii. Tropolog. Vis ut vox Domini tibi loquatur, sis in decore et luce vitæ. *Vox Domini in decore*, et in decoro.

Ob quatuor rationes. I. Quæres. Cur Apostolorum miracula fulgetris comparantur? Primo, sicut post tonitru fit fulguratio, cum ex collisione ac motu nubium exhalatio inardescit; ita post prædicationem fiunt miracula, vel in anima auditorum, vel in corpore. Cum discipulos Iesus binos misisset ad evangelizandum, dicitur Luc. 10. 17. *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio* (magno, ut addit Syr.) *dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo*, id est per vim et invocationem tui nominis. Fusius recensentur, quæ facturi sint miracula ipsi fideles, nedum Apostoli, Marci 16. v. 18. quæ tropologice exponit S. Bernardus serm. 1. de Ascensione, et S. Gregorius hom. 29. in Evangelia. Aliquando tonat, nec fulguret, quod ut ait Anaximander apud Senecam lib. 2. natur. quæst. c. 18. tenuior et infirmior spiritus, quo in flammam non valuit, in sonum valuit. Sæpe tonant concionatores, sed aliquando non fulgurant luce virtutis et impetratione gratiæ pro suis auditoribus, et pro se: sunt tantum cymbalum tinniens. Tu, si quid lucis datur, ad Dei gloriam illud transfunde. Deus ait Iobo cap. 38 v. 35. *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi, Adsumus?* Quæ verba contemplans S. Gregor. 29. Moral. cap. 4. *Vadunt*, inquit, *fulgura, cum prædicatores miraculis coruscant, et superne revertentia, auditorum corda transfigunt. Revertentia vero dicunt, Adsumus: cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt, quicquid se fortiter egisse cognoscunt.*

Secundo, Citius percipitur fulgur, quam tonitru: eodem modo miraculis citius credunt populi, quam verbis. Ps. 96. v. 4. *Illuxerunt* (S. Hier. apparuerunt) *fulgura eius orbi terræ: vidit, et commota est* (S. Hieron. contremuit; Hebr. תחל tachel, contremuit instar parturientis) *terra.* Hunc in locum S. August. *Misit*, inquit, *Dominus Apostolos, prædicatores, et sanctos velut nubes. Videbantur homines, et contemnebantur: quemadmodum nubes videntur et contemnuntur, antequam de eis exiliat, quod mireris: Erant enim illi quidem homines infirmi, carnem portantes: sed erat in illis, quod fulguraret, quod coruscaret: accedebat Petrus homo piscator, orabat, et surgebat mortuus: forma humana, nubes erat: splendor miraculi, coruscatio erat. Recte autem adiungit: Vidit, et commota est terra: quia tota terra commota est fulgoribus, de illis nubibus erumpentibus.* II.

III. Tertio, Fulgur longe lateque coruscat, et latius diffunditur, quam tonitru: ita miraculorum fulgorem aliæ ex aliis urbes et nationes recipiunt mirantur que: atque vel ad fidem convertuntur, vel iam conversæ in fide confirmantur; ideoque miracula nuncupantur splendor armorum Dei. Habacuc 3. v. 11. *Sol et Luna steterunt in habitaculo suo* (id est, in cælo, cum ad vocem Iosue pugnantis cursus suos cohibuerunt) *in luce sagittarum, ibunt* (hoc est, ibant, vel iverunt; longe enim ante hæc contigerant) *in* (enim) *splendore fulgurantis hastæ tuæ*, id est, fulminum, fulgetrarum, tonitruorum, grandinis et lapidum. Hæ sunt sagittæ et hastæ Dei. Septuaginta, in splendore fulgoris armorum tuorum. Mystice S. Augustinus id explicat de verbis Concionatorum; sic enim lib. 18. de civitate c. 32. *Elevatus est*, inquit, *Sol et Luna stetit in ordine suo: hoc est, ascendit Christus in cælum, et ordinata est Ecclesia sub rege suo. In lucem iacula tua ibunt: hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur. In splendorem coruscationis armorum tuorum: subaudiendum est, iaculo ibunt. Dixerat enim suis: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine. In comminatione minorabis terram; id est, comminando humiliabis homines. Et in furore deiicies gentes: quia eos, qui se exaltant, vindicando collides.* S. Gregor. apertius de miraculorum splendore post verba prædicationis. Verba eius sunt lib. 30. Mor. cap. 3. *Fulgor*, inquit, *armorum, est claritas miraculorum: armis nos tuemur, iaculis adversa destruimus: arma ergo cum iaculis sunt miracula cum prædicatione. Etenim sancti verbis prædicationis, quasi iaculis adversarios feriunt: miraculis vero, quasi armis, se tuentur: ut et quantum sint audiendi, sonet per impetum iaculorum: et quantum sint reverendi, clarescat per arma miraculorum.*

Quarto, post fulgur pluvia sequitur; ita post ignitam concionem imbres lacrymarum, et gratiarum divinarum ubertas. Ps. 134. 7. *Fulgura in pluviam fecit.* Chald. vertit, ad descensum pluviarum. Non illustrat Deus, nisi ut gratias varias infundat. Richardus a S. Victore in Psal. nostr. *Dabit tibi de rore cæli, et de pinguedine terræ abundantiam, ut alia capias per intelligentiam, alia erudiaris per experientiam: hinc hauriens de rore contemplationis, illinc instructus ex assiduitate perfectæ operationis.* Deus ex ipsis concionatorum minis occasionem sumit miserationis, et sic fulgura in pluviam facit. S. Hier. in cap. 3. Marci: *Fulgura*, inquit, *in pluviam fecit, ut extinguat misericordia, quod iudicium incurit.* IV.

Hinc conclude: si Deus in virtute, et fortitudine, ac magnificentia nobis adest: par est ratio, ut nos quoque illi in virtute vegetaque vitiorum expulsione serviamus. S. Basilius in hunc Psalmum ad hoc nos incitat, cum ait: *Vox Domini*, ꙋκ εν ασθενει και εκλελυμενῃ ψυχῃ, *non in debili dissolutaque ac molli anima: sed in ea, quæ strenue et viriliter, quod bonum est, perficit.* Simus igitur in virtute, ut in nobis sit vox et spiritus Domini: in virtute enim habitat, et servos suos induit virtute ex alto, virtus illa cælestis est. Hoc si non fecerimus, caveamus interitum. Nam, ut ait Paulus Hebr. 2. v. 3. *Quomodo nos effugiemus* (iram et vindictam Dei) *si tantam neglexerimus salutem?* (id est, Evangelium, quod salutem animæ affert)

Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum (Christum scilicet) *ab eis, qui audierunt* (ob Apostolis) *in nos* (usque ad nos, usque od hoc tempus. Secunde, in nobis ipsis) *confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus* (potentibus miraculis) *et Spiritus sancti distributionibus* (id est, donis linguarum, prophetiæ, sanitatum, etc) *secundum suam voluntatem.*

36. Vers. 5. Post tonitru et fulgetres in tempestote sequuntur venti, vers. 5. VOX DOMINI CONFRINGENTIS CEDROS, ET (quin etiam) CONFRINGET DOMINUS CEDROS LIBANI, q. d. non tentum parvas et infirmis nixes radicibus arbores, sed etiam ipsas cedros Deus franget tonitru et ventis, et quidem ipsas cedros montis Liboni, ubi sunt procerissimæ, crassissimæ et eptime radicatæ. Est synecdoche: pro *cedros* enim intelligit queslibet arbores robustissimas.

37. Vers. 6. Modum, quo illas eedros confringit Deus, aperit v. 6. ET COMMINUET EAS TAMQUAM VITULUM LIBANI: ET DILECTUS QUEMADMODUM FILIUS UNICORNIUM, supple est Deus: populo scilicet suo, cuius hostes sic conterit, ut amplius exurgere et coalescere non possint.

Neta prime, textus ebraicus, ut nunc est, facilem habet sensum. Sic enim: *Et subsilire faciet eas sicut vitulum, Libanum quoque et Sirion* (subsilire faciet) *sicut filium unicornium.* Ita Vatablus, Pagninus, Felix, Bellorminus, Caietan. q. d. Non tantum vox Domini, (id est, tonitru et venti impetus, tum in aere, tum intra terram concussum) confringet cedros Libani: sed etiam integras cedros radicitus evellet, et exilire faciet ea facilitate, qua saltant vituli. Nec tantum cedros Libani, sed etiam montem ipsum Libonum et omnia eius iugo, quale est Sirinu, sive Sarion, sive Sanir, subsilire faciet ea facilitate, qua iuvenculus unicornis salit. Vide dicenda Ps. 113. v. 4. in illud: Montes exultaverunt, ut arietes: et colles, sicut agni ovium. Græca queque habent, ὡς τον μοσχον τον λιβανον, *tamquam vitulum Libanum*, et ita legunt S. Basilius et Euthymius, probobile tamen olim in emendatioribus codicibus græcis fuisse, *Libani*, sicut Beda, S. Augustinus et Arabs habent. Adverte autem S. Hieronymum vertisse: *Disperget eas quasi vitulus* (dispergit herbas, frondes, ramusculos, pulverem, cum ludit in pratis et sylvis) *Libanus et Sarion quasi filius Rhinocerotis*, supple erunt, q. d. subsilient ob terræ motum, tonitru et ventos, atque eradicationem et collapsionem cedrorum aliarumque arborum, e summo vertice in ima cum impetu et fragore ruentium.

38. μοσχος quid. Noto secunde, μοσχος non tantum est vitulus, animal omnibus notum: sed etiam arboris novellum et tenellum germen, seu ramulus tenellus; ita Nicander. Nonnulli μοσχους interpretantur stolones, alii pampinos, capreolos, claviculos: alii, viviradices; ita sumit S. Chrysostomus in Psalmum nostrum. Comminuet eas, inquit, tamquam vitulum Libani. Viviradices ita vocat, quos ita plantatores vocare solent: nam μοσχευειν dicunt stolones facere, et novellas plantas inserere. Postquam igitur Cedros Libani Apostolos nuncupavit, et dixit, quod eas Dominus contrivit, cum modum facilitatis metum vellet significare, induxit, quod sic eos contrivit, ut viviradices modo terræ iniectæ; ita Chrysost. Sed simplicior et melior est sensus supra allatus de vitulo subsultante. De allegoria cedrorum dicetur mox.

39. Montes inter se concurrentes. Note tertie, pro *dilectus*, Hebraice est שִׂרְיוֹן *sirion*, qui primo est unum montis Libani iugum, quod dicitur Hermon a Sidoniis, Sanir ab Amorrhæis, Deuteron. 3. vers. 9. et Sarion Montes ipsos nonnunquom Deus ita commovet, ut subsultent. Plinius lib. 2. cap. 83. L. Marcio, Sexto Iulio Coss. in agro Mutinensi duo montes concurrerunt inter se crepitu magno assultantes recedentesque. Secunde, *sirion* significat Loricam, I. Reg. 17. v. 5. et 3. Reg. 22. v. 34. et 2. Paral. 26. 14. atque 2. Esdræ 4. 16. Tertie, *sirion* significat *dilectum;* unde Septag. vertunt ηγαπημενον, id est, dilectum. Et Arabs habet, *dilectus tamquam unicus ex filiis unicornium.* Quis autem non credat Sept. interpretibus, hominibus doctissimis, et linguæ peritissimis?

Nota quarte, Agellius suspicatur Sept. pro *sirion* legisse יְשֻׁרוּן *iesciurun*, quam vocem hic transtulerunt, et in Deuteron. 32. vers. 15. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit:* quo nomine Israeliticus populus indicatur. Et cap. 33. v. 5. ἐσται ἐν τῳ ἠγαπημενῳ ἀρχων, erit in dilecto princeps; quod S. Hieron. transtulit. Erit apud rectissimum rex. Et Isaiæ 44. 2. *Noli timere serve meus Iacob, et rectissime, quem elegi*, quod Sept. vertunt, και ὁ ἠγαπημενος Ισραηλ, ὁν ἐξελεξαμην; et dilecte Israel, quem elegi. Addiderunt enim Israel, ad declarandum, quisnam esset ille dilectus; ita ille. Sed magna est differentia inter *sirion* et inter *iesciurun*, et divinare mihi non placet, cum id non sit necessarium.

40. Allegor. Cedri Libani quinque significant. Allegorice Christus per prædicationem Evangelicam confringet et comminuet cedros, et cedros Libani, id est, 1. idola; 2. dæmones; 3. Iudæos; 4. Gentiles; 5. tyrannos ipsos et persecutores.

Nota, cedri et cedri Libani pro iisdem sumuntur; ita Beda. Secundo, cedri et cedri Libani pro diversis accipiuntur; ita Hugo, Ioan. a Past. et ipse Beda, qui sic ait: Vox Domini intonuit, cedros, id est, homines elatos divitiis, potentia, et nobilitate de quolibet populo per Apostolos confringentis: id est, deiicientis usque ad pœnitentiam humilitatis. Et vere quaslibet cedros per eos confringet Dominus, quia confringet etiam cedros Libani, quod est e meiori. Libanus enim interpretatur candidatus, sive candidatio. Per Libanum itaque intelligitur Iudaicus populus qui inter cæteros populos cultura idolorum et ignobilitate carnis quasi denigratos candidus extitit, et generis nobilitate et sæculari potentia, et quia legis cæremonias singulariter accepit. Per cedros autem Libani, superbi de Iudaico populo intelliguntur, qui propter malitiam singularem quam sibi arrogabant, magis semper veritati contradixerunt. Gentes quoque, quæ creatorem creaturæ postposuerant, facile se errasse cognoverunt, et ideo statim ad sonum Apostolicæ vocis pœnituerunt; ita ille. Ierusalem vocetur nonnunquom a Prophetis Libanus propter ædificiorum, templi, murorum et turrium multitudinem et excelsitatem. Sic Ezech. 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum* (id est, Nabuchodonosor) *longo membrorum ductu, plena plumis, et varietate venit ad Libanum* (ad templum; ita S. Hier. 2. ad Iudæam et urbem Ierusalem; ita Orig. et Apollinar.) *et tulit medullam cedri*, id est stirpem regiam cum principibus et magnatibus in Babylonem. A Propheta Zacharia templum et urbs Ierusalem vocatur Libanus cap. 11. 1. *Aperi Libane portas tuas, et comedat ignis cedros tuas.* Causas quinque vide apud Cornelium. Causa præcipua est, quod de cedris et lignis Libani magna ex parte constructa essent: et quia templum ob altitudinem et candorem lapidum procul venientibus mons niveus videbatur: *Laban* enim Hebr. album seu candidum significat.

41. Cedros Libani confringit Deus. Quæres, quomodo cedros illas confringet atque comminuet Deus? Primo, contritione ad eorum interitum et perditionem: 1. Thomas Anglicus sic exponit de Amorrhæis et aliis habitantibus iuxta montem Libanum penitus a Davide exscindendis; 2. de dæmonibus a Christo vincendis explicat S. Athanasius, quos per cedros signari vult et Iudæos, per cedros Libani; et Nicephor. qui etiam in cedris Libani dæmones intelligit, quia in eo monte idolis sacrificabatur; 3. de idolis deiiciendis, et in pulverem redigendis intelligit Theodoretus: *Vitulus Libani*, ait, *ille est, qui in Horeb a Iudæis fabricatus est. Fecerunt enim vitulum in Horeb, et adoraverunt sculptile, Ps. 105. 19. Sed Legislator ille Moses vitulum illum fregit atque comminuit. Dicit igitur omnia terrarum orbis idola, instar vituli illius conterenda esse et comminuenda. Populus vero, qui Deo crediderit, et ab errore illo liberatus fuerit, et propterea dilectus appellatus, invictus et inexpugnabilis erit, utpote solutus a cultu multarum deorum, unicam divinitatem honorans.* Vitulum Libani censet Origenes esse diabolum, qui contra Deum omnipotentem extollit cervicem, et iugum Evangelicum excutit, et conatus est Deus esse; 4. non tantum de superbissimis dæmonibus, sed etiam de tyrannis potentibus, et sapientibus sæculi superandis explicat Iansenius: non poterant enim prævalere contra veritatem

Quod 1. In malam partem sumitur.

Evangelii; 5. de superbis obstinatis et ad infima protrudendis possis explicare, quia, qui se exaltat, humiliabitur. De cedris id ait Isaias 2. 13. et 41. 19.

II. In bonum. Secundo, de bona contritione humilitatis et pœnitentiæ explicant Ugo, Ludolphus, S. Augustinus, qui sic ait: *Vox Domini conterens cedros. Vox Domini contritione cordis humilians superbos. Conteret Dominus cedros Libani. Conteret per pœnitentiam Dominus elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ad eos confundendos ignobilia huius mundi elegerit, in quibus ostendat divinitatem suam. Et comminuit eos tamquam vitulum Libani. Et amputata superba celsitudine illorum, deponit eos ad imitationem humilitatis suæ, qui tamquam vitulus per ipsam huius sæculi nobilitatem ad victimam ductus est. Astiterunt enim Reges terræ, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum eius.*

42. Cedri Libani comminuuntur velut vituli, et quomodo? Quæres secundo, cur cedri Libani comminuuntur tamquam vituli? Respondent: Ut fiant hostiæ acceptabiles Deo. Ugo Cardinalis: Comminuet eas, inquit, tamquam vitulum Libani, id est, quidquid in eis boni est per humilitatem, ad parvitatem et quasi ad nihilum rediget, sicut vitulus minutatim conciditur, ut in sacrificium offeratur. Sicut dicitur Levitici 1. 6. *Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident.* Pellis extrahitur, quando exteriorum apparentia non quæritur. Artus in frusta conciduntur, quando ipsum bonum etiam agentis animo vilipenditur. Vitulum Libani dicit, quia in monte illo erant pascua bona, ubi impinguabantur vituli ad offerendum. Quod autem verbum Dei ita humiliet, dicitur Ierem. 23. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, et sicut malleus conterens petras.* Ignis enim alta incinerat, et malleus crassa ad pulverem redigit. Et Ezech. 1. 25. *Cumque fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant et submittebant alas suas.* Cant. 5. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.*

43. Comminuuntur velut vituli Libani. Quæres tertio, cur cedri Libani comminuuntur tamquam vituli Libani? Respondet Richardus a S. Victore, quia gratissima est Deo immolatio propriæ voluntatis etiam in rebus honestis et sanctis. Verba eius sunt: *Nihil flagrat Domino in odorem suavitatis, quam si mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis. Interest tamen utrum sit de Libano, an de Carmelo. Alii sunt vituli, qui pascuntur in vertice Libani: atque alii, qui nutriuntur in pascuis Carmeli. Vitulum Carmeli nutriunt, qui voluntatem suam non deserunt: in rebus adhuc carnalibus vitulos Libani pascunt, qui voluntatem suam sequuntur: in studiis spiritualibus iste quærit lautiores cibos, quam cæteri? vitulum suum impinguat de fœno Carmeli. Ille abstinere volens dedignatur comedere, quod cæteri? vitulum suum nutrit in pascuis Libani. Iste forte cupit vestem molliorem; ille usurpat sibi forte præ cæteris habitum hispidiorem? uterque pascua quærit suo vitulo: sed hic de Carmelo, ille de monte Libano. Denique quidquid propter mollitiem mentis et teneritudinem carnis agitur, ad Carmelum pertinere videtur: quia Carmelus mollis vel tenerum interpretatur. Quidquid autem quasi pro sanctitate supra ordinis institutum, vel contra Prælati consilium insolenter præsumitur, inter armenta Libani iuste annumeratur.* Libanus significat album, candidum, thus. Itaque quod de virtutis candore et bono odore nritur, hoc Libano deputari potest: Carmelus vero significat teneritudinem segetum, spicam plenam. Sed pergit Richardus monere, esse cavendos religiosis vitulos Samariæ, id est vitulos aureos, quos adoravit Ieroboam, cum ipsi sint in Iudæa, id est in domo, ubi Deus laudatur, et concludit: *Vitulum nostrum mactamus, cum obedientiæ amore omnem singularitatem abdicamus: vitulum autem nostrum secare est de præsumpta libertate mentem increpare. Sed hunc usque ad frusta dividit, qui quæque singularitatis suæ opera diligenter distinguit: et se in singulis de præsumptionis audacia reprehendit. Tunc autem nihil amplius superest, nisi ut igne compunctionis, vel flamma divinæ dilectionis eousque concremetur, quousque omnis huius arrogantiæ voluntas sopiatur. De huiusmodi holocausto quasi quidam adhuc cogitationum cinis remanet, qui omnino a nostra recordatione præterire non debet: quia utiliter satis suas quisque præsumptiones reminiscitur, quando in earum recordatione conscientia stimulata confunditur.* Ait deinde differentiam esse inter vitulos Libani, et inter cedros Libani: quod vituli Libani sint præsumptiones arrogantiæ: cedri vero Libani, sint fastus superbiæ.

Quæres itaque quarto, cur superbi designantur per cedros Libani? Primo, ob sublimitatem: quia 1. cedri sunt celsissimæ arbores; 2. Libanus est Iudææ mons altissimus, unde ab Hebræis vocatur mons montium, ut a Cornelio Tacito l. 5. historiæ, mons Iudææ præcipuus, cuius iuga sunt Galaad, Hermon, Sanir vel Sarion, Amana, Antilibanus. Itaque cedri maxime proceræ supra montem excelsissimum sunt commodum superbiæ symbolum. S. Basilius: *Qui, ait, res alienas invadunt, et inde iactantiam sibi comparant, hi sunt cedri Libani. Nam quemadmodum cedri ipsæ cum altæ sint, propterea quod supra montes natæ sunt, accedente quoque montis celsitudine conspicuæ magis fiunt. Ita qui interituris mundi rebus innituntur, cedri quidem sunt propter superbiam et mentis elationem; Libani vero cedri appellantur, propterea quod aliena celsitudine exultant, et a terra terrenisque, veluti a Libani vertice, ad fastum extolluntur.* 44. Superbi designantur per cedros Libani, ob quinque rationes. I.

Secundo, cedri Libani repræsentant superbos, quia sunt infructuosæ. Cassiodorus: Vox Domini confringentis cedros etc. Cedros superbiam debemus accipere: quæ se in altitudinem elevans proceras huius arboris summitates imitatur. Maxime quia et lignum ipsum non est utile, nisi succisum fuerit. Nullos enim in sua radice manens proficuos generat fructus: sicut nec elatio detestabilis, quæ peccatum intulit mundo; ita Cassiodorus. II.

Tertio, cedri Libani comparantur superbis divitibus, et deliciarum amatoribus ob bonum et suavem odorem: cedrus enim est arbor odorifera. III.

Quarto, cedri Libani comparantur superbis hypocritis, ob candorem ipsius montis Libani, in quo sunt pene perpetuæ nives. Inde factum nomen quidam volunt. Nam *Laban* album significat. Hypocrita est albus, sed intus frigidus. Ioan. a Pastura etiam cedros Libani vocat magis elatos et gloriantes de suo candore: id est, de generis nobilitate vel carnis, et sæculi felicitate. IV.

Quinto denique, cedri Libani comparantur superbis obstinatis et pertinacibus, vel in suo errore, vel in suis sceleribus. Cedri enim sunt arbores durissimæ. Vide plura Ps. 36. 35. in illud: *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani: et transivi, et ecce non erat.* Ubi de superborum gloria delenda dixi, et de cedris fuse. V.

Quæres quinto, quare Apostoli et Concionatores vento comparantur? Primo, quia ventus suo flatu viatores refrigerat; ita etiam Evangelii prædicatio ardorem passionum. Dan. 3. 49. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, et sociis eius in fornacem: et excussit flammam ignis de fornace. Et fecit medium fornacis quasi ventum roris* (id est roridum) *flantem* (Vatablus vertit, quasi roscidum flatum susurrantem) *et non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Apostolus, id est legatus seu missus, est Angelus, id est nuncius Domini, in ignem descendit cum venit in regionem, civitatem, familiam, domum, animam ira, furore, libidine ardentem, et flatu suo roscido et suavi susurro Spiritum sanctum et gratiam eius deferens in spiritu auræ lenis ignem depellit, et inspirat spiraculum vitæ, et Elias facit atque Eliseos: aut certe aptius, Azarias, Ananias, Misaeles. Azarias significat adiutor Deus, adiutorium Dei, atrium Dei. Vocabatur a Chaldæis Abdenago, servus claritatis. Secundo, faciens splendorem: servus qui ingreditur et egreditur coram Rege. Sis in præsentia Dei, et fulgebis. Ananias est nubes, protectio, gratia, misericordia, donum Domini. Vocabatur a Chaldæis Sidrach, id est mamilla tenera, deprædatio delicata, ager delicatus, missus tuus. Si moram fecerit Deus, expecta eum, quia veniens veniet, et tunc hauries aquas de fontibus Salvatoris. Eas haurit, qui concionatorem audit, de cuius ventre, id est corde et pectore, flumine fluunt aquæ vivæ et vivificantis atque im- 45. Apostoli vento comparantur, ob novem rationes. I.

mortalitatem dantis. Misael idem est quod, quis postulans, quis postulatus, abstolit Deus. Vocabatur a Chaldæis Misach, id est prolongans, attrahens, aquas valians et seplans. Os tuum aperi per postulationem, et implebit illud Deus aquis Salvatoris, atque lacte et melle.

Astrologi ventum dicunt esse aerem concitatum, eumque omnia ad syderum dominantium vim et aspectum referant, dicunt aerem dissipari stellarum errantium ictu, radiorumque multiformi iacto commoveri; tum ventorum portas aperiri, cum Iupiter Solem, Lunam, et Mercurium, aut eumdem Mercurium Mars diametra radiatione inspexerit, vel ei quadrata coniunctus fuerit: vel ubi uterque in signis aeriis fuerit, ut in Geminis et Libra: aut cum Luna et Iupiter in Ariete et Scorpione pariter fuerint constituti: deinde Luna æquabili societatis potestate cum Mercurio coierit. Non est immorandum omnibus Astrologorum commentis, nec censeo ventum esse merum purumque aerem, licet id etiam dicant Stoici, et Hippocrates in libro de flatibus, ac Vitruvius lib. 1. Architect. cap. 6. et alii. Sed verum est, aeris modo sacra eloquia respirationi animæ et refrigerationi esse necessaria, sacrosque verbi Dei præcones a cælestibus influentiis debere commoveri, ut in hanc potius, quam in illam partem corpus et animum flectant, his non illis Evangelium annuncient, atque accommoda auditori loquantur, cum eorum interna dispositio sit iis prorsus obscura et incognita. Sic dicitur Actor. 8. 39. *Spiritus Domini rapuit Philippum, et amplius non vidit eum Eunuchus,* id est Princeps Reginæ Candacis in Æthiopia, et Gynecæi custos, qui baptizatus fuerat a S. Philippo vel Apostolo, ut putat Polycrates, vel Diacono, qualis erat S. Stephanus, ut dicit Glossa. Inventus est autem Philippus in Azoto, quo eum transtulerat Spiritus Domini, id est Angelus, ut censet Salmeron, vel Spiritus sanctus.

II. Secundo, Ventus est exhalatio calida et sicca, a terra ardore Solis elevata. Cum enim Solis aliorumque siderum attractu multi halitus confertim in sublime efferuntur, atque ad mediam aeris regionem pervenerunt, inde ab aere illo frigido et denso protrusi refracto ac dissultanti impetu resiliunt, et quia pulsu deorsum aguntur, atque ob insitam levitatem in superiora contendunt, dum neutra pars vincit, quasi partita contentione, neque sursum, neque deorsum, sed oblique fluunt. Ita Concionatores et Apostoli a terrenis affectibus ad sublimia elevati per Spiritum sanctum, velut sacrum ventum, in varias regiones impelluntur, et divinis vocibus insonant, et Deum ipsum ad omnes deferunt. Ps. 17. 11. *Volavit super pennas ventorum.*

III. Tertio, Ventus aerem ipsa agitatione expurgat, impeditque ne computrescat et inficiatur. Nihil est mundi halitu magis pestiferum, nisi sancta concionum aura ventilet. Americam animo lustra, quæ, ut Acosta censet, non a multis admodum sæculis variis in partibus culta, tam barbaris moribus alebat incolas, ut a feris non multum distarent, quod eos cælestis doctrina non purgaret. Nunc vero fide imbuta in variis regnis suavissimos reddit virtutum fructus. Iesus Ecclesiæ sponsus ait Cantic. 4. 16. *Surge Aquilo* (abi dæmon) *et veni Auster* (id est Spiritus sanctus) *perfla hortum meum* (hoc est, Ecclesiam) *et fluant aromata illius*, virtutes scilicet bonum odorem famæ et gratiæ undequaque aspirantes. Vide S. Gregor. ibi.

IV. Quarto, Origo ventorum est incognita et admirabilis. Psal. 134. 7. *Qui producit ventos de thesauris suis*, velut gemmas pretiosas. Ita, ut dicit Iob 28. 18. *Trahitur sapientia de occultis.* Eam dat Deus S. Ioanni Baptistæ in sylvis demoranti, Apostolis piscatoribus, Paulo persecutori, Francisco, Bernardo, Ignatio, et aliis.

V. Quinto, Venti inserviunt ad pluviam advehendam, cum est necessaria: ad coercendam, cum est nimia: ad dispergendam per varios agros, nubem huc illuc impellendo. Ps. 147. 18. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: flabit spiritus eius, et fluent aquæ.*

Sexto, Vento flante ventilatur area: id est granum a palea separatur. Eodem modo per Concionatorum voces boni a malis segregantur. Matth. 3. 12. *Cuius ventilabrum* (vannus) *in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum.* VI.

Septimo, Venti faciunt mare navigabile, et divisas inter se regiones ita coniungunt, ut sibi mutuo bona sua communicent per commercia. Ita Apostoli et Concionatores ad salutis portum homines ducunt, et eos ditant gratiis et gloria incitando eos, ut per eleemosynas et alias virtutes cælestia commercia exerceant, et auro cælum emant. Luc. 16. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (id est de opibus iniquis, hoc est ad iniquitatem impellentibus) *ut cum defeceritis* (per mortem) *recipiant vos in æterna tabernacula*, velut in portum securum extra omnem tempestatem. VII.

Octavo, Quatuor venti præcipui sunt: nimirum orientalis, occidentalis, australis et septemtrionalis. Ita quatuor genera sunt prædicationum, quibus spiritus vitæ in animas immittitur, 1. quibus increpamus ob peccata; 2. comminamur ob supplicia ventura; 3. instruimus circa fidem et mores; 4. exhortamur ad profectum maiorem. His quatuor ventis vita redditur etiam ossibus aridis, et huc illuc dispersis, et in terram disiectis. Ezech. 37. 9. *A quatuor ventis veni spiritus, et insufflo super interfectos istos, et reviviscant.* VIII.

Nono denique, ventus vehemens, præsertim Ecnephias, segetes, frutices, arbores, domos ipsas concutit, sternit, in altum rapit, et alio transfert. Ita et prædicatio terrifica de iudicio, et pœnis inferni, aliisque. Psal. 47. 8. *In spiritu vehementi* (S. August. violento; S. Hier. in vento uredinis) *conteres naves Tharsis.* Vide ibi dicta. In die Pentecostes Actor. 2. 2. *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus* (πνοῆς, venti) *vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes*, Apostoli et discipuli. Sub specie venti, sicut etiam ignis datus est Spiritus sanctus. Vide S. Thom. 1. p. q. 43. art. 7. ad 6. IX.

Quæres sexto, cur Christus comparatur filio Unicornium? Nota, commode hic post vituli Libani mentionem, de unicorni agitur: Est enim bos Æthiopicus; si credimus Pausaniæ l. 9. eum vocat Festus bovem Ægyptium, Iudæa autem erat Ægypto contermina. In Indis boves erant unicornes et tricornes, ut ait Plin. lib. 8. cap. 21. Denique bovem esse parvum rhinocerotem seu unicornem, rhinocerotem vero esse maximum bovem dicit Pineda in cap. 39. Iobi. Vide qualis sit fera rhinoceros et monoceros Ps. 21. 22. 46. Unicornes boves, et tricornes.

Nota secundo, Christus est *dilectus* antonomastice, quia ab omnibus diligitur: nempe a Deo, ab Angelis, ab hominibus. Richardus a S. Victore: *Vultis videre, quomodo sit omnium dilectus. Audi quid dicat de eo Pater eius; attende quid pro eo clamet sponsa eius. Vox Patris ad dilectum: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Matth. 17. 5. Vox sponsæ de dilecto, Cantic. 5. 8. Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuncietis ei, quia amore langueo. Et de Angelis scriptum est, 1. Petr. 1. 12. In quem desiderant Angeli prospicere. Item de hominibus legitur, Agg. 2. 8. Veniet desideratus cunctis gentibus. Ergo dilectus iste, dilectus est Patris sui: dilectus sponsæ suæ, dilectus hominum, dilectus Angelorum, dilectus omnium, dilectus singulorum.*

His positis dico, quod Christus comparatur unicorni. Primo, quia, ut ait idem Richardus, hoc genus animalium præ cæteris omnibus diligit fœtum suum, ut paratior sit unicornis pro fœtu suo perire, quam fœtum suum perdere: ut malit pro ipso mortem incurrere, quam ipsum vel vivum amittere. Quis hoc de dilectoribus Christi non videt, quomodo eos pro Christi nomine mori delectat? Testis sit tantus ille effusus sanguis Martyrum, quomodo Christus sit dilectus quemadmodum filius unicornium. Nam ipsi eius dilectores, ipsi utique sunt unicornes, et ipse eorum dilectus, eorum est filius, et idcirco vere dilectus, quia veraciter filius: et diligitur ab eis quemad- 47. Christus unicorni comparatur, ob octo rationes. I. Quia unicornis fœtum suum maxime amat.

modum filius unicornium: quia diligunt eum quemadmodum decet eos diligere filium suum. Addit deinde, per originale peccatum cornu unum homini excussum esse, nempe immortalitatem carnis, contra miseriam mortalitatis; alterum, id est dextrum, contra malitiam relictum esse, nempe liberum arbitrium: sed ita inclinatum, ut opus fuerit Adventu Christi, qui erigeret cornu salutis, Luc. 1. 19. Ex quo infert, Iustum, præcipue martyrem, *unicornem* nunc vocari: quia mortis quidem supplicia patienter tolerat carens uno cornu, sed peccata quasi quosdam animæ hostes fortiter altero cornu per gratiam erecto ventilat, spernitque, donec recipiat alterum cornu securitatis, et ubi confregerit cornua peccatorum, exaltentur cornua ipsius, Ps. 74. 11. non solum erigantur, ut nec mori, nec peccare possit, qui ante originale peccatum potuit et non peccare, et non mori. Sed verba eius suavissima audiamus, quibus explicat, quomodo Christus sit filius unicornium, id est iustorum: *Unde habent*, ait, *talem filium, ut veraciter dicatur esse filius unicornium? Interrogemus ipsum eorum filium. Quicumque, inquit, fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, soror, et mater est. Quid est Filius Patris, nisi virtus et sapientia Patris? Verbum patris filius patris, voluntas patris. Item voluntas hominis quid aliud est, quam quædam proles mentis? Si igitur eadem est voluntas tuo, et voluntas Patris, idem est Filius tuus, et Filius Patris. Veritas, sapientia, voluntas corde concipitur, et ex corde generatur. Si igitur idem vis, idem sapis quod Pater: eumdem Filium habes quem pater. Miraris. Est adhuc quod amplius mireris. In te est, utrum sis Pater, an mater, an potius utrumque Pater et mater. Potes eum gignere in corde tuo, et in corde alieno: et potes concipere a corde tuo, et ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effectu nutritur. Quando veritatem intelligis, vel alium intelligere facis, Christum gignis. Quando veritas tibi a te, vel ab alio persuadetur, Christus veraciter concipitur. Ergo quando gignis, es Pater: quando concipis, es mater. Nosti voluntatem Dei, consenti ei, et concepisti. Amando parturias, operando nutrias. Vide quod in potestate cuiusque relinquitur, utrumnam tantæ prolis mater efficiatur. Merito ergo* maledicta *sterilis, et quæ non parit:* nisi quia non *æque in nostro potestate consistit, veritatem intelligere et veritati consentire. Non enim semper veritatem intelligo cum volo: intellectæ autem semper consentio, si voluero. Felix homo est, cui præsto est, cum voluerit habere filium: nec qualemcumque, sed Deum. O quanta dignitas hominis, Filium habere Deum maiestatis.* Ita Richardus.

II. *Unicornis amat bonos odores.* Secundo, Unicornis suavium odorum est amantissimus. Tzetzes Chiliad. cap. 7. θηριον ο μονοκερως τυγχανει φιλευωδες, Monoceros fera est grati odoris amans. Et Beda in Ps. 77. ait gaudere habitaculo mundissimo. Quid Christo mundius? quid virtutibus appetentius? in iis solis quiescit se sibi complacet. Hinc Sponsa dicit Cant. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum* (in me Ecclesiam suam) *ad areolam aromatum* (id est animas sanctas, ait S. Gregor. Nyssenus) *ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Chald. vertit, in illo die servivi Domino sæculi dilecto meo, et dilectus meus habitare fecit maiestatem suam in medio mei, et nutrivit me deliciis.

III. *Amat virgines.* Tertio, Unicornis amat virgines. Quare licet Plinius et Solin. dicant, monocerotem vivum capi non posse, S. Gregorius tamen lib. 31. Moral. 10. tradit, ab indagatoribus rerum naturalium scribi, virginem ei puellam proponi, quæ venienti sinum aperit, in quo ille omni feritate deposita caput demittit: sicque ab eis, a quibus quæritur, *repente velut inermis invenitur.* Idem ait S. Isidor. lib. 12. cap. 2. rem explicatius tradit Tzetzes Poeta Chil. 5. c. 7. *Iuvenem,* inquit, *fortissimum, velut puellam vestiunt,* προσωταις αρωματιζουσιν οσμαις ευωδεστατοις, *præcipuis imbuunt aromatibus et odoratissimis,* statuuntque a regione latibuli feræ, aura flante occurrit fera odore illecta, iuvenis cornu eius manibus implicat atque astringit, illud alii abscindunt. Ad fabulas id ablegat Marcus Polus lib. 2. cap. 43. Sed nobis fide certum est Christum unicornem, qui Patrem sine matre in cælis habuit, descendisse in uterum Virginis, ut in terris haberet matrem sine patre. Is. 7. 14. *Ecce virgo* (Hebr. *alma*, sic vertunt Septuag. Chald. et antiqui Rabbini apud Galatin. lib. 7. cap. 15.) *concipiet, et pariet filium* (Vide Cornel. ibi fuse hæc tractantem) *et vocabitur* (id est, erit) *nomen eius Emmanuel*, id est nobiscum Deus. Hinc Itali decurtarunt *Manuel*, Galli *Noel*, hoc est nobis Deus; vel, noster est Deus. Cant. 1. v. 1. ait Beata Virgo, quæ est Sponsa principalis: *Osculetur me osculo oris sui*, id est ex me carnem assumat, eam osculetur, et intime sibi uniat Dei Filius.

IV. *Unico armatur cornu.* Quarto, Unicornis unico tantum præcipuo armatur cornu: unde a Plinio, Solino, Æliano, Oppiano, Strabone, unum illi simpliciter tribuitur, quod erectum est ac sublime, atque ex eo inditum animali nomen ab Hebræis videtur; ab eis enim vocatur ראם *reem*, sive רים *rem*, a radice רום *rum*, id est, elevare. Et quidem Monoceroti (quem a Rhinocerota distinguit) tribuit Plinius lib. 8. cap. 21. cornu duorum cubitorum; Solinus vero cap. 53. pedum quatuor. Ludovicus Barthema in Itinerario c. 17. dat tricubitale. Christum unicorni comparant S. Thomas et Thomas Anglicus, quod secundum generationem æternam sit sine matre, at secundum generationem temporalem sit sine patre; 2. Eusebius lib. de Evangel. demonstration. cap. 8. ideo ait vocari unicornem, quod solum patrem cornu habeat, id est robur ac præsidium suum; 3. alii quod unam cum Patre communem habeat potestatem. Alterum eius cornu parvum est eius Humanitas, quæ tamen etiam fuit nobis cornu salutis, id est salutare, afferens salutem.

V. *Cornu eius potens in venena.* Quinto, Unicornis habet cornu singularis in venena virtutis: unde a Tzetze dicitur, αντιπαθης φαρμακοις, veneni contrariis vi præditum. Christus et fides eius in animam descendentes, eam faciunt contra venena potentissimam, imo etiam corpus. Marc. 16. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent* (Arab. tollent manibus suis. Sic Paulus viperam Actor. 28. 3. vel, tollent, id est occident, ait Euthymius) *et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, ut S. Ioanni Apostolo accidit.

VI. *Est animal invicti roboris.* Sexto, Unicornis est invicti roboris: unde ait S. Basilius hoc loco, ζωον ο μονοκερως εστιν αμαχον την δυναμιν; *Unicornis est animal insuperabili virtute.* Illius pellem Ælianus docet tanta esse firmitate, ut ægre iaculo penetrari possit. Christi potestati quis est conferendus, qui de se ait Matth. 28. 18. *Data est mihi* (qua homo sum, ait S. Athanasius, S. Cyrillus, et alii) *omnis potestas in cælo et in terra.* De illa agitur a Daniele 7. 14. a S. Petro Act. 10. 36. a S. Paulo Ephes. 1. 20. Philip. 2. 10. a S. Ioan. Apocal. 17. 14. Vide dicta Ps. 2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Et Psal. 90. 10. *Non accedet ad te malum* (Symmach. ου κατισχυσει σε κακον, non prævalebit contra te malum) *et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, id est corpori tuo glorioso, quod in Sole, id est in claritate immortalitatis posuisti. Chald. vertit, plaga atque nocumentum non accedent ad tabernacula tua.

VII. *Cum aliis feris mansuetus est.* Septimo, Unicornis ad alias feras mansuescit, cum gregalibus suis pugnat, ut docet Ælianus lib. 7. c. 3. Christus facilis fuit et benignus Gentilibus. Matth. 28. 19. ait Apostolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* (τὸ *eos* respicit significatum, non vocem ipsam *gentes*,) *in nomine* (appellando et invocando nomen) *Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* In Iudæos vero suos, sed obstinatos, severus fuit. Templum enim eorum evertit. Matth. 24. 2. *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Est hyperbole, quia in fundamentis aliqui lapides superfuerunt. Sed sensus est, q. d. templum hoc quod videtis funditus evertetur: et consequenter ab iis abstulit sacrificia et Sacerdotes: quia non licebat illis

sacrificare, nisi in templo Ierosolymitano. De urbis clade vide Iosephum de bello Iudaico, et Luc. 19. 43. De eorum dispersione et servitute per totum orbem a mille et sexcentis annis res oculis patet. Christus autem, ut ait S. Basilius, unicornis est, cum punit vitia.

VIII. Iudæi e-rant unicornes. Octavo, Christus recte dicitur filius unicornium, id est Iudæorum: qui sunt unicornes, quia ignorant iustitiam Dei, et superbe iactant tamquam singularem iustitiam suam; ita Ruffinus; 2. pro una lege, quam habuerunt, per quam in superbiam se extulerunt; 3. quia in unius Dei cultu gloriabantur; 4. quia unicornis nullis hominum viribus in servitium redigi potest: neque Iudæi vinci potuerunt, quamdiu unicum Deum coluerunt; ita Theodoretus quæst. 44. in Numer. ubi Balaam de illo populo vaticinans ait cap. 28. 8. *Cuius fortitudo similis est Rhinocerotis*; 5. quia nunc mutilati sunt uno cornu: scilicet novo Testamento, quod non recipiunt; ita Ugo. Itaque in eorum locum successerunt Christiani, qui sunt populus dilectus. De eo locum nostrum sic explicat Theodoret. *Dilectus quemadmodum filius unicornium. Populus qui Deo credidit, et ab errore liberatus fuit, et propterea dilectus vocatus est*, ανιττητος εἶαι και αμαχος, *invictus et inexpugnabilis erit, tamquam a multorum Deorum cultu liber, et unicam divinitatem honorans.*

48. Vers. 7. Post tonitru, fulgetra, ventos, sequitur fulmen. Unde pergit David noster, v. 7. VOX DOMINI INTERCIDENTIS FLAMMAM IGNIS. Nota, pro *intercidentis*, est Hebr. חצב *coteeb*, id est succidens, ut vertit Pagn. qui non ad Deum, sed ad vocem refert. Est idem sensus, *excidens*, sicut Caietanus præcedentis, ut legit S. Augustinus. 2. *cotseb*, id est dividens; ita S. Hieronymus; dissecans, ita Syrus et Arabs; perrumpens, ut S. Athanas. sive auctor quæstionum ad Antiochum. Sic vertit Vatablus: *Vox Domini dissectas flammas ignis iaculatur*; 3. cum dividantur flammæ, disperguntur: ideo Potavius reddit: *Vox perstrepens Dei, ignis ardentis erumpentem spargit vi flammam.*

Intercisio flammæ ignis seu fulguris quid? Sensus porro est. Vox Dei, id est tonitru et ventus resonans, flammam ignis, id est fulgura et coruscationes ad fulmina conficienda et iacienda perfectiones emicantes dispergit, et per eas medias currit. Nam una cum tonitru emicant fulgetra, et varia mittuntur fulmina, nubibus sese collidentibus et rumpentibus; ita Genebrardus, et Bellarminus, qui etiam advertit per illam intercisionem seu divisionem flammarum, denotari multitudinem et varietatem fulminum, ac præterea eorum subtilitatem et acumen: quæ enim occuntur, dividuntur ac intercidnntur, ut ad subtilitatem redigantur: porro nihil est in rebus corporalibus acutius, subtilius, penetrabilius cælesti fulmine: unde est istud in Cantico Mosis Deutor. 32. *Si acuero, ut fulgur, gladium meum*, atque hic est sensus litteralis et genuinus. Secundo, S. Thomas, Thomas Anglicus et Caietanus explicant hanc intercisionem flammæ ignis de igne, qui populum murmurantem in deserto devoravit, ita ut percussa sint ad quatuor millia hominum et septingentos, absque his, qui perierunt in seditione Core; pluresque occisi fuissent, nisi Moses oratione sua et Aaron arrepto thuribulo intercidisset et divisisset flammam ignis. Dicitur enim Numor. 16. 46. et seqq. stabat enim Aaron inter mortuos et viventes deprecans Deum, et sic plaga cessavit. Tertio, Euthymius censet prædici eo in primis, quæ tribus pueris in fornace Babylonica contigerunt, ubi flamma intercisa spiritum roris sibilantem suscepit. Sed, ut dixi, sensus primus est verus et germanus: pergit enim David in descriptione tempestatis excitatæ in cacumine pyrorum, cum David fudit Philisthæos paulo post occupatam civitatem David.

49. Allegor. sensus quadruplex. I. Allegorice. Primo, S. Augustinus, Ludolphus, Ruffinus, Beda, et alii dicunt sensum esse, q. d. vocem Domini intercidere et interrumpere flammam ignis, id est præcidere iracundiam persecutorum, et comprimere insanum tumultum eorum, sicque Sanctis suis præbere auxilium. Atque ut dicit Dionysius Carthusianus, Christus sæpe extinxit et scidit ignem materialem, cui sancti Martyres aut Fideles, ad martyrium præparati, iniecti fuerunt, sicut de S. Agnete narrat Ambros. Imo multi Sanctorum in igne omnino illæsi manserunt.

Secundo, Christus etiam scidit flammam ignis, quando quosdam Iudæorum contra se furentium misericorditer illuminavit, et quosdam in incredulitate iuste reliquit. Ita idem Dionysius. II.

Tertio, vox hæc Domini intercidit, id est dividit, flammas ignis: quia per eam charitas, aliaque spiritualia dona, cæcas et frigidas hominum mentes illuminantia, purgantia, atque incidentia, ab igne divini Spiritus prodeuntia, vario fidelibus sunt distributa et divisa: dum alii quidem per spiritum datus est sermo sapientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, etc. In quorum donorum multiplicitate, quasi intercisio videtur flammæ ignis, et divisio unius Spiritus: quia hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, 1. Cor. 12. 8. Ita Titelmannus et Iansenius. III.

Quarto denique, et magis proprie, Vox Domini intercidit et dividit flammas ignis, id est fulmina, atque per sacram prædicationem fulminantes Apostolos per orbem distribuit, ut omnia fulminis modo pervadant. Ipsam eloquentiam profanam Palladis in morem fulmine armant Oratores et Poetæ. S. Hieron. in Ruffinum tribuit fulmen eloquentiæ. Prudentius in Apotheosi vocat, fulmina verbi. Ammianus lib. 30. histor. agnoscit orationis imperiosæ fulmina. Pericles tonare, fulminare, Græciam permiscere dicebatur: unde nomen Olympii ei est datum. Ηςραπτ᾽ εβροντα, ξυνελυκα την Ελλαδα; *Fulgurabat, tonabat, permiscebat totam Græciam*. Longe potiori iure sacri Oratores et Apostoli dicendi sunt fulmina, cum Christus S. Iacobum et S. Ioannem vocaverit *filios tonitrui*, id est fulmina. Si enim ob devictam Asiam Alexandri Duces seipsi vocaverunt, κεραυνυς, πολιορκητας, αετυς, θευς, fulmina, urbium expugnatores, aquilas, Deos, ut tradit Dio oratione 64. quanto magis hoc de Orbis totius triumphatoribus Apostolis verum est? IV.

Quæres, Cur Apostoli comparentur fulmini? 1. quia per motum et antiperistasim ignescunt; 2. quia nubibus fractis in terras decidunt; 3. quia omnia penetrant, aut dissipant, aut comburunt. Nam, fulmen est exhalatio ignita e nube magno impetu excussa. Dicitur exhalatio ignita, sive ignis in exhalatione accensus: quia fulmen, ut Aristoteles lib. 3. cap. 1. ostendit, est ignis, non lapis igni delatus, sicut vulgus putat: alioquin non esset tam subtile, nec posset corpora traiicere, quod sæpe facit: cum forma lapidis in tanta tenuitate servari nequeat: tametsi non sit negandum posse exhalationes intra nubem concrescere in lapidem, qui una cum fulmine tamquam bombardæ globus trudatur: quemadmodum et aliquando exhalationes in metalla addensantur, ut advertit Albertus lib. 3. Tractatu 3. cap. 23. et Georgius Agricola l. 4. de rerum subterranearum ortu. Itaque ea fulmina quæ non penetrant, sed terebrant, et diffindunt, sæpe lapidem vehunt, quem cuneum vocant. Incenditur vero talis exhalatio, quæ admodum sicca esse debet, vel per modum, vel per antiperistasim; et quia accensa rarefit, magnoque conatu exitum e nube frigida et densa, ac diu reluctanti quærit, dum eam tandem rumpit, horrendum edit tonitruum: quod si nubem, per inferiorem partem, quam tunc tenuiorem invenit, frangat: eadem vi et impetu, quo eam scindit, ad terras fertur: nec in aere mox diffluit et dissipatur, ut pleræque omnes exhalationes ignitæ: tum quia velocissime erumpit, tum quia constat partibus bene coagmentatis, et inter se cohærentibus. Seneca lib. 2. naturalium quæstionum tria facit fulminum genera: nempe quod terebrat, quod discutit, quod urit. Quod terebrat, est nimium subtile et flammeum, cui per angustissima effugium sit ob sincerum et puram flammæ tenuitatem. Quod dissipat, valde conglobatum est, et spiritus coacti admistionem habens: itaque ictu rumpit et non perforat, ac per id foramen, quo ingressum est, regreditur: Quod urit, ignem magis est, quam flammeum: itaque percussis magnas ignium notas imprimit. Ita nostri Conimbricenses in lib. Meteor. Aristoteles Tractatu 2. cap. 5. In 50. Apostoli comparantur fulmini ob quinque rationes. 1.

Pentecoste Apostoli facti sunt ignei, Actor. 2. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, id est, ignito et ardenter omnia pervadendo, et charitate exurendo. Ps. 17. 14. *Intonuit de cælo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam* (id est sonum tonitrui. Est Catachresis. Vox enim ponitur pro sono inanimato) *grando et carbones ignis*, id est fulmina: supple intonuerunt: vel, dederunt vocem, id est sonum. Lex gratiæ est lex ignea, eam Deus eiaculatur per Apostolos suos in corda hominum, ut illa ardeant, et ad cælestia ferantur. Deuteron. 33. 2. ait Moses homo Dei, id est amicus, Propheta, Legislator, Doctor et Princeps Dei: *Dominus de Sinai* (erat typus Sionis) *venit, et de Seir* (de Idumæa, quam circuiens populus sanatus est a morsu ignitorum serpentium, Numer. 21.) *ortus est nobis, apparuit de monte Pharan* (ubi datæ coturnices, et Iudices constituti, Numer. 11.) *et cum eo Sanctorum millia* (Angelorum ipsi astantium et ministrantium multa millia) *in dextera eius ignea lex*. Eam enim promulgavit cum ignibus et fulgetris intermicantibus. De lege nova ait Christus Luc. 12. 49. *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur*. Dextera Dei possunt dici ipsi Apostoli, per quos ignem illum divinum immittit. S. Greg. hom. 30. in Evangelia: *Dextera Dei appellantur Electi: In dextera ergo Dei est ignea lex, quia Electi mandata cælestia nequaquam frigido corde audiunt, sed ad hæc amoris intimi facibus inardescunt. Sermo ad aurem ducitur, et mens eorum sibimet irata, ex interna dulcedinis flamma concrematur. In columba vero Spiritus sanctus, et in igne monstratus est: quia omnes, quos repleverit, simplices et ardentes facit. Simplices puritate, ardentes æmulatione.*

II. Secundo, Apostoli similes sunt fulmini: quia sicut ventus semper iungitur fulmini, ut ait Aristoteles 3. Meteor. cap. 3. (unde quæ fulminantur, prius tremunt) ita Apostolis semper aderat Spiritus sanctus, qui eos impelleret atque adiuvaret. Actor. 2. 3. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*. Hinc tria millia hominum ipso die Pentecostes, deinde quinque millia sacrum illum ignem S. Petro concionante conceperunt, Act. 2. et 4. Nec mirum, cum Spiritus omnipotens in eo loqueretur, et eius vocem in corda auditorum transferret, Matth. 10. 20. ait Christus: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

III. Tertio, Fulmen excelsa præsertim deiicit, cum oblique feratur, ut docet Seneca lib. 2. naturalium quæstionum, cap. 28. Natura enim ignis sursum tendit, vis vero, quæ de nube decutitur, deorsum premit. In hac itaque lucta huc illuc commeat, donec evicto ignis nisu ad terram devolvitur: quare illa primum percutit, quæ eminent. Apostoli mundanam superbiam, potentiam, eloquentiam, sapientiam everterunt. Habacuc 3. 1. dicit: *Domine audivi auditionem tuam* (verbum tuum et oraculum. Est metonymia. S. August. lib. 18. de Civitat. Dei, cap. 32. id explicat de Incarnatione Christi admirabili) *et timui*. Neque ipse tantum, sed ipsi quoque Reges et Principes, qui idolis serviebant: ideo addit vers. 6. *Incurvati sunt colles mundi*, id est minores Principes *ab itineribus æternitatis eius*, hoc est, per misericordiam et veritatem Dei, ut ait S. Bern. serm. 10. in Psal. Qui habitat. Addit Habacuc v. 10. *Viderunt et doluerunt montes*, id est excelsiores et potentiores Reges. Et clarius v. 11. *Sol et Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, in splendore fulgurantis hastæ tuæ*. Hoc est, ut explicat S. Augustin. *In lucem iacula tua ibunt: hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur*. Quod quanta felicitate præstitum sit, universi orbis ac præsertim Romani Imperii conversio et mutatio edocet. Cum esset prius Roma errorum omnium magistra, facta est *portus salutis*, ut eam vocat S. Paulinus epist. 36. qui illius pietate fieri dicit, ut vere Græcia teste, *Roma sit nomen virtutis*. Alludit ad vocem græcam ῥώμη, id est robur. Apostolicum fulmen omnem impietatem evertit, cum illam idolorum arcem deiecit, et Deo consecratam expurgavit. Nam, ut ait S. Leo serm. 1. in Natali Apostolorum Petri et Pauli: *Hic* (Romæ scilicet) *conculcandæ Philosophiæ opiniones, hic dissolvendæ erant sapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda, ubi diligentissima superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum.*

Quarto, Fulmen aqua extingui non potest, ut est apud Nonnum lib. 2. Dionysiacorum. Ita nec ignis Apostolicæ prædicationis potest extingui aqua tribulationis. IV.

Quinto denique, varii effectus et mirabiles fulmini referuntur. Primo, ut tradit Seneca 2. naturalium quæstionum, cap. 31. *Loculis integris et illæsis conflatur argentum, manente vagina gladius liquescit, et inviolato ligno, circa pila ferrum omne distillat. Stat fracto dolio vinum.* Ita cælesti fulmine sæpe obstinati, et Deo maxime obluctantes franguntur et uruntur, ut S. Paulus, reiectis tepidis ut Anania et Sapphira. Secundo, pergit Seneca: *Malorum serpentum, et aliorum animalium, quibus mortifera vis inest, cum fulmine icta sunt, venenum omne consumitur*: quod inde colligit, quia in venenatis corporibus vermis non nascitur: fulmine icta, intra paucos dies verminant. De Apostolis dictum est Marc. ult. 19. Serpentes tollent, etc. quod expendens S. Gregor. hom. 29. in Evangelia: *Dum*, ait, *bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt*. Tertio, post fulminis plagam ea quæ venenum antea non habebant, ipsum concipiunt, ut referunt Conimbricenses Tractatu II. in lib. Meteor. cap. 6. Hoc Apostolis aliquando accidit, quod de se dicit Christus Ioann. 9. 39. *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: et qui vident, cæci fiant.* Et Prov. 25. 27. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Sicut accidit in Ætnæis incendiis et fulminibus iis, qui propius accedere ausi sunt, de quibus vide Plinium, et Thomam Fazellum in hist. Siciliæ. V.

Tropolog. et Anagogice. Vide cap. seq.

ARTICULUS III.

Vox Dei iuvat in vita purgativa, illuminativa, et unitiva.

Hactenus de peccatoris aut idololatræ conversione diximus, superest ut videamus, quantum illi vox Dei prosit post conversionem: sive initio viæ, sive in progressu, sive in fine: dum vel purgat, vel illuminat, vel Deo unit. 51.

Vers. 8. Vox Dei iuvat in vita seu via purgativa, illuminativa, et unitiva.

Ac primo. In via purgativa terrores varios iterat, ut Dei timorem menti imprimat, vers. 8. *Vox Domini concutientis desertum*. Etiam post virtutis inceptum iter: *Et commovebit Dominus desertum Cades*, id est sanctificatum, ut dicetur infra.

Secundo, in via illuminativa, hæc vox ad generosos virtutum partus animat, v. 9. *Vox Domini præparantis* (ad partum) *cervos*; 2. admistis fulgetris illuminat, *et revelabit condensa*, id est, difficilia aperiet.

Tertio, in via unitiva, primo excitat ad laudem Deo ex amore reddendam, vers. eod. 9. *Et in templo eius omnes dicent gloriam*; secundo, ubertate gratiarum animam locupletat, v. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit*; tertio, Deus ipse de nube devolans, post tonitrui et ventorum terrores, sedata tempestate quiescit in animo, in eaque regnat: *Et sedebit Dominus Rex in æternum*; quarto, si qui hostes pugnam renovare cogitent, in eos cælestc robur infundit, ut statim conterantur, vers. 11. *Dominus virtutem populo suo dabit*; quinto denique, optata in pace facultates omnes animæ et sensus corporis selectissimis donis afficit: *Dominus benedicet populo suo in pace*. Atque ut strictim singula decurramus.

A timore ut plurimum incipit nostra conversio atque animæ expurgatio, v. 8. VOX DOMINI CONCUTIENTIS DESERTUM, ET COMMOVEBIT DOMINUS DESERTUM CADES. Nota, pro *concutientis*, Hebr. est יָחִיל *iachil*, a חוּל *chol*, quod significat primo formidare. Hinc Septuag. vertunt συσσείοντος, id est concutientis, ut Noster vertit; commo- 52.

Conversio nostra incipit a timore.

ventis, ut legit S. Augustinus; δονοῦσα, agitans, ut Apollinaris; contremiscere fecit, ut Felix; tremefacit, ut Araba. Secundo, *chol* significat angi, cruciari, cruciatu vel dolore affici, ut ait Mercerus. Tertio, *chol*, proprie idem est atque parturire, partus dolores sentire. Hinc S. Hieronymus vertit: *Vox Domini parturire faciens desertum, parturire faciens Dominus desertum Cades.* Symmach. κατωκίζοντος; Aquila, ὠδίνοντος; Vatablus, parturire facit. Ubi adverte a Deo immitti dolores sed fructiferos, qui terminentur in gaudium. Nam, ut ait Christus, Ioan. 16. 21. *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius* (ut cum magno labore et dolore parturiat) *cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ* (Syr. angoris) *propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Comparat deinde dolorem iustorum illi dolori, et gaudium gaudio.

53. Desertum Cades latissime patebat.

Nota secundo, desertum Cades latissime patebat, ita ut appellaretur quoque Pharan, Numer. 13. 27. et Sin, Numer. 33. 36. et est nomen quoque civitatis, quæ prius vocabatur Misphat, Gen. 14. 7. in finibus Idumææ, Numer. 20. 14. ac limes australis terræ promissionis, Num. 34. 4. Imo illa deserto appellationem videtur dedisse. A monte Sinai ad usque deserti partem, quæ dicebatur Pharan, spatium erat trium dierum ut minimum, Num. 10. 33. usque ad urbem Cades, ad quam protendebatur eadem deserti pars Pharan: undecim, si Cades et Cadesbarne duo esse eiusdem loci coniuncti Petræ in Arabia, nomina esse affirmemus. Hoc asserunt cum Andrea Masio in Iosue cap. 15. 4. Antonius Guevara in Habacuc, 3. Ioannes Ferdinandus in thesauro, verbo Cades, Benedictus Pererius in Gen. c. 14. n. 22. et confirmat Masius testimonio Chaldæi Paraphrastæ, qui pro utravis vertit רקם *rekem.* Docent autem omnes illi, mansionem decimam quintam, et trigesimam tertiam eodem factam in loco, quia errando bis eumdem repetierint Hebræi. Favet quoque Hieronymus tractatu de locis Hebraicis: et quæ narrat in Cadesbarne contigisse, in Cades conveniunt, nimirum Mariæ sororis Mosis mors, et excussa de rupe aqua post iurgium populi contra Dominum, qui sanctificatus est in eis per miraculum: a qua sanctificatione nomen Cades loco inditum est. Præter istam tum urbem, tum desertum, Cades nomen est urbis propinquæ Tyriorum agro in regione Galilææ, ubi Ionathas Machabæus debellavit Demetrii Principes 1. Machab. 11. 73. Vocat Cedesam Iosephus 13. Antiquit. 8. et Cedesim, Cydidam, Sesecham, Cades, Tersam 5. Antiquit. cap. 2. et alibi Cydissum S. Hieron. de locis Hebr. Vide Adrichomium in Theatro terræ sanctæ. Sed et alia penitus diversa Cades censenda, cuius præcipue laudatur palma in Ecclesiastici lib. cap. 24. 18. quam Pererius tamen in Genes. 4. num. 22. minime distinxit. Nam ut Ferdinandus post Iansenium in Ecclesiastico observavit, Gr. vocatur γαδδὶ, vel ἐγγαδδὶ, Gaddi, vel Engaddi, locus haud procul ab Iericho iuxta mare mortuum, ubi David latuit, 1. Regum 24. 1. at aliter vocatur Asason Thamar, 2. Paralip. 2. 20. Ita Lorin. et bene.

Sensus itaque est, tantum fuit tonitru in illa tempestate excitata contra Philisthæos, ut vel ipsum desertum Cades Iudææ conterminum tremuerit et concussum fuerit.

54. Allegor. Desertum sunt gentiles.

Allegorica. Desertum et desertum Cades sunt gentiles, quos Deus concussit salutariter per prædicationem Evangelicam, ut fructus pœnitentiæ ederent, et parturirent spiritum salutis. Ita S. Basilius, Theodor. et Iansen. 2. et melius, *desertum* sunt gentes a Deo veluti relictæ sine lege, sine oraculo, sine Prophetia: *desertum Cades*, id est sanctum, sunt Iudæi e populorum multitudine et idolis abstracti, et Deo in peculiarem gentem secreti, qui concussi sunt per Apostolos. Ita S. Augustinus, Beda, Lombardus, Ludolphus, Ugo, Ruffinus, Titelman. et alii. Sic S. Petrus, qui a Victore Antiocheno in cap. 8. Marci dicitur, *Apostolorum os*, accepto Spiritu sancto Iudæos concussit. Unde Actor. 2. 37. habetur: *Compuncti sunt corde, et dixerunt ad Petrum et reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?* S. Paulus, qui a Salmerone tom. 10. iure vocatur *lingua cæli*, disputans de iustitia, castitate et iudicio futuro concussit Felicem Romanum Præsidem Iudææ. Hinc Actor. 24. 26. ait Lucas, *Tremefactus Felix, etc.* Hæc Pauli vox fuit vox Domini intercidentis flammam ignis.

55. Tropol. Cor peccatoris est desertum ob quatuor rationes.

Tropologice. Cor peccatoris est desertum. Primo, quia ab eo abest Spiritus sanctus, gratia, virtutes et dona. 1. Secundo, quia solum est sterile, de se nihil potens producere ob naturæ infirmitatem et corruptionem. 4. Reg. 2. 19. dicunt Elisæo viri civitatis Iericho: *Ecce habitatio civitatis huius optima est, sicut tu ipse Domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, et terra sterilis.* Hebr. et Chald. terra orbatrix: sive, terra orbat, aut perimit, semina scilicet in se iacta, per suam salsuginem, amaritudinem vel putredinem, ob viciniam aquæ salsuginosæ. Ita corpus nostrum et concupiscentia eius suffocat bonam sementem in se iactam a Deo, et anima ipsa sterilescit ob eius viciniam. Secundo, cor peccatoris est incultum per torporem et negligentiam Is. 32. 15. *Et erit desertum in Carmel, et Carmel in desertum reputabitur*, id est gentiles erunt fœcundi virtutibus, et Iudæi fient steriles; 2. peccatores contriti fient devoti, superbi vero sterilescent. II.

III. Tertio, cor peccatoris spinis et carduis replebitur, per malam consuetudinem. Isaiæ eod. cap. v. 13. *Super humum populi mei* (super Iudæam, et animam religiosam prius laudantem Deum, sed in vitia lapsam) *spinæ et vepres ascendent* (eam infra se tenentes et pungentes) *quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis?* id est super Ierusalem, ubi convivia perpetua et choreæ: hoc est super sæculares ac præsertim divites et Magnates, qui ducunt in bonis dies suos, et in quorum conviviis est tympanum et vinum. Proverb. 24. 30. *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti.* (Hebr. carentis corde. Chald. carentis intelligentia) *Et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem eius spinæ* (ut intus et extra torqueatur) *et maceria lapidum* (Syrus, spes lapidum) *destructa erat.* Quarto, cor peccatoris est desertum a feris inhabitatum, ob monstruosorum peccatorum adinventionem, semper enim fit deterius malum in anima scelerati. IV. Isaiæ 34. 13. de Idumæa, quæ sanguineam, id est peccatis infectam significat, dicitur: *Orientur in domibus eius spinæ, et urticæ, et paliurus* (genus spinæ et rubi) *in munitionibus eius: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. Et occurrent dæmonia onocentauris* (onocentaurus est animal collo, pectore, mammis muliebribus, et humeris, brachiis ac digitis humanis: sed dorso, lateribus et pedibus asininis, atque colore cinereo) *et pilosus* (dæmon specie hirci hirsutus, quales Fauni et Satyri fuere) *clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, etc.* Concutitur virga Mosis, id est terrore iudicii, et fluunt aquæ contritionis, Num. 20. v. 11. sicque ex deserto fit ager virens et fœcundus. Isaiæ 35. v. 7. *In cubilibus* (in animabus gentilium et peccatorum) *in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et iunci*, id est, gratiæ et virtutum. S. Hieron. in vita S. Hilarionis ait, plurima fuisse monasteria in deserto Cades, de quo agit Psalmus noster: et in epistola ad Heliodorum de cæteris desertis loquens, vocat illa, *vernantia floribus Christi.*

56. Desertum sunt mali laici: desertum Cades sunt mali clerici.

Secundo, per desertum intelliguntur mali laici: per desertum autem Cades secundum Glossam intelliguntur mali Clerici, qui legis notitiam habuerunt; quorum pœnam graviorem esse innuitur, quia gravius est arborem commoveri a loco suo: id est, transferri, quam concuti: poterit enim concuti in loco suo permanens. Sic et laici in futuro iudicio saltem in suo loco et ordine remanebunt; Clerici vero non, sed ab omni ordine et gradu repellentur quasi peiores omnibus; ita Thomas Anglicus. Hoc eleganter et pathetice declarat S. Bern. in declamationibus pag. 3. ubi post ostensum laborem militum, agricolarum, mercatorum, et otiosorum Clericorum divitias et luxum, ait: *Cum cœperint resurgere homines unusquisque in ordine suo, ubi putas generatio ista locabitur?*

*

Si ad milites forte diverterint, exsufflabunt eos, quod minime secum laborem aut pericula tolerarint. Sic agricolæ, sic negotiatores, et singuli quoque ordines hominum a suis eos similiter arcebunt finibus, utpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter et accusat, eum sortiantur locum, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat? Caveant illi vocem Domini intercidentis flammam ignis et in die iudicii, et in inferno per totam æternitatem. Ut enim ait Euthymius in sensu anagogico, in die iudicii intercidet et dividet Deus flammam ignis: cum splendida et lucida ignis potentia iustis deserviet: caustica et adustiva in pœnam peccatoribus tribuetur. Theodoretus vero intercisam ignis flammam post diem iudicii sic explicat: *In futura vita gemina ignis vis, μεριζομένη, dispertita: virtutis quidem athletas illuminabit, peccato autem perditos exuret. Propterea et ignis nominatur, et obscuritas vocatur impiorum pœna: eo quod illa eis ignis, quæ illustrat, ibi non existat.*

57. Desertum bonum et malum. Tertio, Richardus a S. Victore desertum hic duplex nominari vult: nempe bonum et malum. Desertum malum est, inquit, ubi desunt germina virtutum. Desertum bonum, ubi longe sunt tumultus vitiorum. Desertum est, et malum desertum: ubi nulla est cultura hominum, ubi nullum est sanctitatis vel religionis studium. Item desertum est, sed bonum, ubi nullus strepitus tumultuationis: sed in silentio auditur vox turturis, et gemitus non cessat ex desiderio divini amoris. Desertum igitur malum est, ubi desunt desideria cælestia, desideria spiritualia: desertum bonum, ubi procul desideria sæcularia, desideria carnalia. Desertum denique Idumææ, desertum est malum. Desertum autem Cades, desertum est bonum. Utrumque tamen concutitur: utrumque ex divina voce in fletu compungitur. Sed desertum Idumææ compungitur formidine: desertum vero Cades, compungitur amore: Idumææ interpretatur terrena. Cades immutata vel sancta. Idumæa itaque, quia nil novit nisi terrenum, nisi transitorium, facit desertum malum. Cades autem quia nil amat nisi iustum, nil desiderat nisi sanctum, facit desertum bonum. In Idumæa desolatio sanctitatis. In Cadea desolatio terrenæ cupiditatis. Recte desertum malum Idumææ, hoc est terrena. Recte desertum bonum dicitur Cades, id est, sancta: quia in illo deest sanctitas, regnat terrena cupiditas. In isto abest concupiscentia, permanet sanctimonia. Istud Scriptura sancta ex proprio nomine designat, utpote quod novit, commendat, et approbat. De malo loquens non nominat: sed tantum dicit desertum: ut intelligas aliud quodlibet quod non est sanctum, et Cades nomine prorsus indignum; ita Richardus, qui ait utrumque concuti: hoc timore, illud amore Dei. Hoc geminum compunctionis genus est irriguum superius et irriguum inferius, et Deus dividit mare in divisiones. Et infra subdit idem auctor: *Amoris lacrymæ et acrius afficiunt, et uberius currunt. Hinc est quod per Ezechiam dicitur Isaiæ 38. v. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Magna namque amaritudo est, quando quis renuncians sæculo ad religionem convertitur. Maior autem quando abnegans semetipsum innumeris inimici tentationibus fatigatur. Maxima autem quando pace illa quæ exuperat omnem sensum ex parte degustata, ad illam tamen plene non admittitur. Amara itaque in conversione, amarior in tentatione, amarissima in internæ et æternæ dulcedinis expectatione, et impatientia desiderii dilatione: quia spes, quæ differtur, affligit animam. Hinc est quod alibi ipse David proclamat dicens Ps. 116. v. 5. Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et illud Ps. 75. v. 6. Renuit consolari anima mea. Qualis quantaque putas amaritudinis magnitudo animum transfixerat, quæ pro doloris levamine nullam etiam consolationem recipere volebat: Multum quidem vexat hominem, cum relinquitur amor mundi: multo amplius tamen cruciat, cum calcatur amor sui: verumtamen supra omnia transfigit, et penetrat cor hominis, et excoquit desiderii æstibus amor Dei. Unde est vox illa flebilis, Psal. 41. v. 3. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei: fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus: et illud in Cant. 2. v. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo: et illud quod superius commemoravimus: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Sic itaque sic post fletum et gemitum timoris, pervenitur quandoque ad desiderium et suspiria amoris. Quia ergo cor hominis prius concutitur timore, postea compungitur amore, recte per Davidem dicitur: Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades.*

Sed ante illam sacram concussionem timoris, et com- 58. Ignem concupiscentiæ et charitatis quomodo Deus intercidat?
motionem amoris, debet intercidi flamma ignis. Ut enim docet idem Richardus: *Alius est ignis quem venit Iesus in terram mittere: alius quem venit in terra extinguere. De cælo veniens, cælestem ignem secum detulit. Ad terram veniens, terrenum ignem invenit. Omnis amor ignis est, sed non omnis amor bonus est. Est amor licitus, et est amor illicitus: et licitus amor bonus est: et qui licitus non est, bonus amor non est. Amor itaque bonus, ignis est bonus: et amor malus, ignis est malus. Ignis bonus, ignis charitatis: ignis malus, ignis libidinis. Ignis bonus erat, de quo Iesus dicebat, Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat? Ignem ergo bonum venit accendere: ignem vero malum venit extinguere. Idcirco per Mosen prohibet, ne afferant ignem alienum super altare suum. De suo autem igne præcipit, ut semper ardeat in altari suo. Amat ergo ignem suum, odit autem ignem alienum. Igne suo ardebant, qui dicebant Luc. 24. v. 32. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur nobis in via? Tali igne ardebant, qui Spiritum sanctum in igneis linguis acceperant: quia ipse Spiritus sanctus ignis est, non comburens, sed illuminans: et idcirco rubus ille, quem Moses intuebatur, ardebat et non comburebatur. Sed ignis malus et alienus e contra consumit, non illuminat. Ignis est enim (ut ait Iob cap. 31. v. 12.) usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina, ardens usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburens. Flammam tamen huius ignis dominus cum voluerit, intercidit; cum placuerit, penitus extinguit. Quod autem quandoque intercidat, ut in parte ardeat, et in parte deficiat, hoc Scriptura manifeste ostendit, cum dicit: Vox Domini intercidit flammam ignis. Quod autem aliquando huius ignis flammam extinguat, alia Scriptura evidenter declarat, ubi legitur: Angelus autem Domini descendit in fornacem, et excussit flammam ignis: et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Ostendit deinde puerum a puritate dici, et puros recte vocari pueros: deinde aliam esse puritatem mentis, aliam oris, aliam actionis. In corde, ait, simplicitas, in ore veritas, in opere sinceritas. Hos tres pueros habere credimur, cum sanctum est, quod meditamur: verum, quod loquimur: iustum, quod operamur. Deinde ait, quod vox Domini in incipientibus et noviter conversis intercidit flammam ignis, quia intercidit quidquid inclinare posset consensum rationis. In proficientibus autem sæpe aufert illicitam delectationem mentis. In raris autem et valde perfectis removet etiam titillationem carnis.

Post laudatam Dei potentiam in elementis omnibus: 59.
nempe aqua, aere, igne ac terra, pergit David ad anima- Vers. 9.
lia et plantas, v. 9. Vox Domini præparantis cervos, 1. Para.
et revelabit condensa: et in templo eius omnes dicent gloriam. Nota, pro *præparantis*, Hebraice est יחולל *iecholel*, id est, parturire faciet, ut vertit Arias. Est enim futurum in Pael, parturire facit, ut Vatablus: futurum enim sumitur pro præsenti: parere faciet, ut Caietanus: obstetricans, ut S. Hieron. Secundo, *iecholel*, idem est ac contremiscere fecit, ut Felix vertit: futurum enim sumitur sæpe pro præterito. Tertio, *iecholel* significat formabit: ideo S. Hieron. in Isaiæ cap. 34. 65. vertit *perficientis*. Noster *præparantis*: quod potest intelligi, 1. de præparatione ad cursum; 2. de præparatione ad timorem; 3. de præparatione ad serpentum contritionem; 4. de præparatione ad partum. Et de hoc ultimo præsertim agitur. Male aliqui Hebræi vertunt, interficientis cervos. Illos Lyranus reiicit.

Nota secundo, pro *cervos* Hebraice est אילות *aialot*,

quod S. Thom. interpretatur *mulos*, sed non bene. Secundo, Symmachus vertit, πληθυνοντας πεδια, multiplicantis campos; sed *aialot* non significat campos. Tertio, Syrus, *Vox Domini quæ agitat ramos;* sed licet *ela*, quercum, ulmum, arborem significet: tamen *aialot* neque id, neque ramos ulli alii interpretentur. Quarto itaque melius Caietanos, Vatablus, Felix, Bellarm. Genebrardus et alii, *cervas* reddunt. *Aialot* enim est fœmininum. Noster tamen recte vertit *cervos*, q. d. vox Domini præparat speciem cervinam ad partum.

Nota tertio, sub cervis hic synecdochice intelligi etiam alias feras et animalia, quæ voce tonitrui iuvantur ad pariendum.

60. An partus cervarum sit facilis. 1. Opinio affirmat. Quæres, cur potius cervarum facit mentionem? Resp. Bellarminus, quia species hæc sine peculiari providentia Dei parere non posset. Nam, ut ait Genebrardus, cervarum sicut caprearum et ibicum partus est difficillimus: ac nisi tonitru præpararetur ac iuvaretur, non modo non eniterentur fœtus suos, sed et perirent nimia difficultate et torminibus: cervæ enim habent vulvam angustam. Agellius cervarum partum esse difficilem ex eo probat, quod ad eam rem remedium sibi quærunt: seselim namque ante partum in pastum sumunt, ut aliqui prodiderunt. Illud etiam, quod cum se gravidas senserint, lapillum devorant, qui ad mulierum partus adalligatus est usui: ita ipse. De usu herbæ Seselis ante partum cervarum agunt Plinius lib. 8. cap. 32. Dioscorides lib. 3. c. 55. Tull. 2. de natura deor. Eam herbam illas edere statim a partu dicunt Aristoteles 9. historiæ animalium cap. 5. et Plinius lib. 25. cap. 8. Verba eius sunt lib. 8. cap. 32. *Cervæ ante partum purgantur herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero. A partu duas habent herbas quæ aros et seselis appellantur.* Lorinus et plerique recentiores difficultatem partus in cervis probant loco Iobi cap. 39. v. 1. *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris?* (Id est, caprearum sylvestrium amantium rupes) *vel parturientes cervas observasti? Dinumerasti menses conceptus earum: et tempus partus earum? incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitus emittunt.*

II. Negat. Contra vero noster Pineda in locum illum Iobi censet indicari potius a Deo ibi loquente facilitatem pariendi in cervis, q. d. statim ut se incurvaverint, pariunt; dicitque difficultatem hanc pariendi cervarum a paucissimis probatæ auctoritatis auctoribus tradi. Quin etiam S. Chrysostomus in Iob ait, *eas sponte parere, nec opere obstetricis ullius egere*, ut scilicet indicat partus facilitatem. Et vero quod ad psalmum nostrum spectat, nullus veterum Patrum mentionem illius difficilis partus facit: sed tantum potestatis in extrahendis atque perimendis serpentibus, ut patet apud S. August. S. Hieron. Cassiod. Theodoret. S. Basil. S. Athan. Didym. Euseb. Nicephor. Euthym. Ruffin. et alios.

61. Allegor. Apostoli comparantur cervis, ob duodecim rationes. I. Allegor. Per cervos intelliguntur Apostoli, quos Christus sua voce præparavit ad portandum Evangelium per totum orbem: ita Ruffin. Dionys. Ludolph. et alii. Comparantur autem cervis Apostoli et Apostolici viri. Primo, quia cervi summam habent velocitatem pedum ad cursum. Ita Agell. et Richardus a S. Victore, qui sic loquitur: *Cervus animal velox et pavidum, sed serpentibus inimicum. In agilitate itaque pedum recte intelligitur expedita et prompta velocitas actionis. Vultis audire cervum alacriter currentem? Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Vultis audire vocem præparantis ad cervinam velocitatem? Sic currite, ut comprehendatis*, 1. Cor. 9. 24. De se ait David Ps. 17. 34. *Qui perfecit pedes meos* (Chald. Qui ponit pedes meos agiles) *tamquam cervorum, et super excelsa statuens me.* Chald. in domo fortitudinis meæ stare me faciet. Omnibus loquitur Iesus Sirach auctor Eccli. cap. 31. 27. *In omnibus operibus tuis esto velox* (Gr. ευτρεχης, acutus, solers, acer ingenio, diligens, acer, strenuus, currens. Curre, sed solerter et circumspecte, ne cadas) *et omnis infirmitas non appropinquabit tibi.* Omnis non, id est, nulla. Est hebraismus. Aristoteles 3. Ethic. Consiliari, ait, debemus mo-

A rose, sed exequi velociter consiliata: nam nocuit differre paratis: Ita ille. Hoc maxime verum est in bello, in quo diu noctuque versamur, ut in quo pigritantes et tardos facile dæmon occupat. Plato dicebat lib. 8. de legibus: παντων πολεμικωτατον την σωματος οξυτητα παντως; *Omnium omnino aliarum rerum ad bellum accommodatissimam esse corporum agilitatem: tum in pedibus, tum in manibus, et ad fugiendum, ac insequendum, et ad captandum atque comprehendendum.*

Secundo, cervi sunt acerrimi auditus. Plinius lib. 8. cap. 32. *Mulcentur cervi*, ait, *fistula pastoris, et cantu: et cum erexere aures, acerrimi auditus: cum remisere, surdi.* Prælatis, Sacerdotibus, Clericis, Religiosis, nihil est acutius ad percipiendas Dei voces, cum aures in cælum erigunt; nihil surdius et obstinatius, cum eas ad terram et terrena ac lutulenta demittunt. Mirum est quod tradit Aristoteles lib. 6. hist. animal. cap. 29. *In monte Asiæ, Elapho nomine apud Arginussam, cervæ omnes scissa aure sunt: quæ nota vel alibi si loco mutarint, dignoscuntur. Et* II.

B *quidem fœtus e primo ortu in utero idem contrahit signum.* Christus de se loquens Ps. 39. 7. ait Patri æterno: *Sacrificium* (Hebraice זבח *zebach*, q. d. immolationem: id est sacrificium ex animalibus) *et oblationem* (Hebraice מנחה *mincha*, seu *minha*, id est, munus, ait Felix: vel melius, sacrificium ferreum, quod sæpe vocatur mincha in Levitico) *noluisti*, id est, non acceptasti velut per se potens et efficax ad placationem et satisfactionem. *Aures autem perfecisti mihi*, ut tibi perfecte obedirem. S. Hieron. vertit, aures fodisti mihi; Felix, aures perforasti mihi. Alludit ad servos, qui cum anno sabbatico, id est, septimo, nolebant liberi egredi e domo sui domini, sistebant se ad ostium domus, et ibi herus iis perforabat aurem, et postea manebant illi servi in perpetuum, id est, usque ad annum iubilæi. In hoc servos Christi advertes et ab aliis distingues; nempe si sint aure perforata, id est, si obedientia excellant: et quidem S. Ignatius hanc notam voluit esse Religiosorum suorum. Sic enim loquitur in epistola de virtute obedientiæ, missa ad socios Lusitanos:

C *Ab aliis religiosis Ordinibus facilius patiamur superari nos ieiuniis vigiliis, et cætera victus, cultusque asperitate, quam suo quique ritu ac disciplina sancte suscipiunt: vera quidem ac perfecta Obedientia, abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime velim, fratres charissimi, esse conspicuos, quicumque in hac Societate Deo Domino nostro deserviunt: eiusdemque Societatis veram germanamque sobolem hac quasi nota distingui, qui nunquam intueantur personam ipsam, cui obediunt: sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt.*

Tertio, cornibus valent cervi, non ob pulchritudinem solum et altitudinem, sed ob soliditatem. Nam, ut ait Aristoteles lib. 3. histor. animal. cap. 9. *Cervis tantummodo cornua tota solida, et sparsa in ramos, et omnibus annis decidua, nisi castrentur.* Viris probis omnia sunt solida, nihil in illis est vacui; sed continua mortificatione opus est, nisi robore suo privari velint. Secundo, cervi cornua excelsa sunt. De Davide, id est, Christo aut viro iusto, ait Deus Psal. 88. 25. *In nomine meo* (id est, per III.

D meam auctoritatem, maiestatem et potentiam) *exaltabitur cornu eius.* Tertio, cervi renascentia cornua sua roborant: Plinius lib. 8. cap. 32. *Cornua*, inquit, *Solis vapore durant, ad arbores subinde experientes: ubi placuit robur, in aperta prodeunt.* Tenellus adhuc fervor ad radios æterni Solis in oratione prius obduretur, quam quis aperto se credat campo, et maiora viribus moliatur. Act. 1. 8. Christus in cælum ascensurus Apostolis dicit: *Accipietis virtutem* (δυναμιν, id est, vim et efficaciam) *supervenientis Spiritus sancti in vos*; sed eos quietos voluit manere Ierosolymis, donec ea virtute ex alto induerentur, ut securius in apertum stadium prodirent. De Antichristo dicitur Danielis 7. 8. *Ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto*, id est, humana prudentia et vafrities: sæpe filii tenebrarum sunt prudentiores filiis lucis in generatione sua. Vir tamen iustus est oculatissimus, cum septem donis Spiritus sancti regi se patitur. Apoc. 5. 6.

Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium (id est, Angelorum in forma animalium apparentium) *et in medio seniorum*, (id est, principum) *Agnum stantem tamquam occisum* (id est, habentem cicatrices plagarum suarum in cruce acceptarum) *habentem cornua septem, et oculos septem.* Per septem oculos et cornua significantur septem dona Spiritus sancti: quæ dicuntur oculi, ob gratiam et vim illuminandi, quam habent: dicuntur etiam cornua, ob excellentiam fortitudinis et potentiæ, quam continent. Quarto, ut ait Plinius loco mox citato: *Indicia æternitatis cervi in cornibus gerunt, singulis annis adiicientibus ramos, usque ad sexennes, ab eo tempore similia reviviscunt.* Sic viri iusti crescere debent sex annis vitæ usque ad septimum, qui est sabbaticus, id est, quietus in æternitate. 1. Petr. 2. v. 2. *Ut in eo crescatis in salutem*; Syr. ad vitam. Et 2. epist. 3. 18. sic omnia concludit: *Crescite in gratia, et in cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc, et in diem æternitatis, Amen.* Quinto, cervi cornibus pugnant, ita Apostoli scripturis. Ludolph. in Ps. nostr. Vox Domini, ait, præparantis cervos: id est, Apostolos et Doctores Ecclesiæ, qui omnia mundana transilientes et contemnentes ad nunciandum Evangelium erant agiles: quique venenosas linguas hæreticorum non timebant, et eos utriusque testamenti scripturis, tamquam duobus cornibus reprimebant.

IV. Quarto, licet cervi cornibus armentur, fuga tamen magis quam pugna sibi consulunt. Quin etiam, ut ait Plinius, *urgente vi canum ultro confugiunt ad hominem.* Pleraque vitia facilius et certius superantur occasionum fuga quam temerario certamine. Prov. 28. 14. *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Septuaginta, Beatus vir, qui omnia timet, δι᾽ εὐλάβειαν, id est, ob pietatem, metum, et reverentiam Dei. Beatus vero erit, si præsertim in sinum amantissimi Iesu timens convolet. Sinum expandit, et clamat, Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes qui laboratis*, et cap. 19. 14. *Sinite parvulos venire ad me.* Richardus a S. Victore reprehendit eos qui timere erubescunt, cum sint cervi, ob velocitatem cursus et serpentium devorationem. Alii, ait, bonam in bonis operibus intentionem habent, et inquantum serpentina vitiorum venena mortificare student: sed dum modum et tempus in suis studiis tenere nesciunt: in dæmonum insidias quasi venantium laqueos incidunt, unde se velut securos incaute crediderunt. Et isti quidem quamvis habeant cervinam velocitatem, erubescunt tamen habere cervinam formidinem; quia tantum præcipites, quantum veloces nesciunt, vel potius nolunt habere circumspectionem. Unde est quod eis clamat vox præparantis cervos, Eccli. 2. 1. *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem.* Et alibi Psal. 2. v. 11. *Servite Domino in timore.* Ut ergo ad cervorum numerum pertineant, qui inter tales cervos annumerari desiderant, oportet eos et velociter currere et caute timere. Ita Richard. Vide dicta Ps. 2. 11. et Ps. 111. 1.

V. Quinto, cervi felle carent, ut ait Aristoteles l. 2. hist. animal. cap. 15. Iusti columbina simplicitate præditi, fellis non sentiunt amaritudinem. Hebr. 12. 15. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis* (id est, amara: hoc est, peccatum, ait S. Chrysostomus, quod amaram facit conscientiam per remorsum, et per reatum pœnæ, et quod proximos exacerbat, scandalizet, ad peccandum invitat) *sursum germinans* (per superbiam) *impediat, et per illam inquinentur multi.* Impli sunt toti fellei et felle moriuntur etiam in mediis suis deliciis. Deuter. 32. v. 32. Moses agens de sceleratis Iudæis ait: *De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorrhæ* (q. d. sunt pessimi instar Sodomitarum et Gomorrhæorum) *uva eorum uva fellis et botri amarissimi* (id est, opera eorum sunt fellea) *fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile*, q. d. doctrina eorum est etiam fellea et lethifera. Vide Gregor. lib. 4. in 1. Reg. cap. 4. Christus vero ne in summis quidem suis tormentis fel bibit. Matth. 27. 34. *Dederunt ei vinum bibere cum* A *felle mistum* (Arab. acetum cum myrrha mistum) *et cum gustasset, noluit bibere*, ut doceret nos omnia in calice patris esse filio mellea, et iustos compleri gaudio in mediis suppliciis. Scelerati sunt in felle amaritudinis, id est, amarissimo, ut Simon Magus Act. 8. 23. Ibi natat cor eorum, aut potius mergitur.

VI. Sexto, de cervo ait Plinius iam citat. *Febrium morbos non sentit hoc animal, quin et medetur huic timori.* Quasdam nos, ait, principes fœminas scimus, omnibus diebus matutinis carnem eam degustare solitas, longo ævo caruisse febribus, quod ita demum existimant ratum, si vulnere uno interierit. Matth. 8. 15. de Christo sanante socrum S. Petri dicitur: *Tetigit manum eius* (opera tangens Christus pulsum inordinatum impedit) *et dimisit eam febris.* Quod meditans S. Chrysol. serm. 18. ait: *Videtis quomodo dimittit febris, quem tenuerit Christus: ibi non stat infirmitas, ubi auctor salutis assistit.* Peccatum omne febris est. Hoc sic explicat S. Bonaventura in c. 4. Ioan. pag. 336. tom. 2. Eo quod, ait, febris ex putrefactione B humorum fit, signat luxuriam: eo quod est immoderatorum appetitiva, signat gulam: eo quod est infrigidativa et anxiativa, signat avaritiam: eo quod est inflammativa, designat iram: eo quod est prægravativa naturæ, signat acediam: eo quod est deformativa colore livido, signat invidiam: eo quod est sæpe inflammativa, signat superbiam: Ita ille. Cornel. in Matth. affert novem analogias febris corporis et febris animæ.

VII. Septimo, vita cervis, ut ait Plinius, in confesso longa, post centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obesitate. De iustis dicitur Ps. 21. 27. *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Cor est fons vitæ, vivente corde vivent cætera membra. Ps. 26. 13. *Credo videre* (me visurum) *bona Dei in terra* (S. Paulin. epist. 31. legit, in lumine) *viventium.* Ibi est subtilitas terræ, et iucunditas lucis, ac puritas, et incorruptibilitas.

VIII. Octavo, cervi mutua charitate sibi præsto sunt. Maria C tranant gregatim porrecto ordine, et capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Hoc maxime notatur a Cilicia Cyprum traiicientibus. Galat. 6. 1. ait Apostolus: *Alter alterius onera portate* (Gr. βαστάζετε, baiulate,) *et sic adimplebitis legem Christi*, quæ est lex charitatis. S. Aug. in l. 8. quæst. q. 71. ad rem nostram aptissime: *Dilectionis officium, ait, est invicem onera portare. Sicut enim de cervis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent: ita ut posterior super anteriorem cervice proiecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur: ut lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit post omnes redeat, et ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem istam. Fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait Prov. 5. v. 19. Cervus amicitiæ et pul*D*lus gratiarum tuarum colloquantur tecum. Nihil enim sic amicum probat, sicut oneris amici portatio: verbi gratia, iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris, ut rursus eo tempore, quo te ira præoccupaverit, ille te tranquillitate supportet. Et item si quis loquacitatem in se vicerit, et pertinaciam nondum vicerit; alius vero adhuc loquax sit, sed iam pertinax non sit, debet ille huius loquacitatem, et iste illius pertinaciam, donec illud in illo, et hoc in isto sanetur, charitate portare.* Vide cætera, et homilie 22. in verba Apostoli citata.

IX. Nono, serpentibus cervi sunt infesti, et Apostoli atque sancti viri hæreticis, idololatris, peccatis. Ita S. August. S. Basilius, Theodoretus, Cassiodorus, Lombardus, Ludolphus, Richard. a S. Victore et alii. Verba Basilii sunt: Trahit cervus oris respiratione e cavernis animalia venenata latentia. Ubi cervi præsentia est, omnium ibi serpentium malitia fugatur. Odorem cervi nulla ferunt animalia venenata, quando vel ad suffitum cornu cervini sece-

dunt reptilia. Ita Basilius. Hæc aliaque multa congerit Plinius lib. 28. cap. 9. Pelles, inquit, einsdem animolis substratæ, securos præstant ab eo metu somnos (id est, a metu serpentum.) Fugiunt et omaino dentem cervi habentes, aut medulla perunctos, sevove cervi aut hinnuli. Et lib. 8. 32. Contra morsus vero præcipuum remedium ex coagulo hinnuli in matris utero occisi. Sancti viri impios et impietatem execrantur et fugant. Ps. 90. 13. *Super aspidem* (Hebr. שחל *sciachal;* Arias, super leonem. Pagn. super catulum leonis. Alii, super leonem grandævum. Alii super pardum aut leopardum. Sive venena, sive robur apertum, sive fraudes vincit virtus) *et basiliscum* (id est regulum) *ambulabis et conculcabis leonem et draconem.* S. Basil. in Ps. nostr. pios comparat 1. aquilæ; 2. arieti; 3. ovi; 4. columbæ; 5. cervo: *Sicut*, inquit, *et aquila dicitur sanctus, quod arrecto incedat et sublimi animo, et a terra longius distante. Sic et ovis dicitur sanctus, quia mansuetus ac sua dispertit in commune. Dicitur aries, quod cæteris præsit: Columba, propter innocentiam. Itidem sanctus cervus ob id dicitur*, δια την προς τα πονηρα εναντιωσιν, *quod adversetur improbitati et nequitiæ.* Plutarc. lib. de solertia animal. ait, cervos apud Græcos invenisse nomen a serpentum captura: ελαφοις, ait, το ονομα, πεποιηται παρωνυμον, ου της ελαφροτητος, αλλα της ελξεως τυ οφεως; non a cursus, sed serpentis attrahendi facilitate cervi apud Græcos dicuntur Elaphi. A verbo scilicet ελαυνω, seu ελκω, traho, attraho: et οφις, serpens.

X. Decimo, *cervi*, ut ait Plinius, *nec vident terras, sed in earum odorem natant.* Sanctis ne promissionis terra appareat, interiectæ obstant nebulæ: sed nonnunquam leves per fidem aspirant auræ, quæ in salo licet fluitantes, et cum tempestatibus luctantes ad iter prolectent. Cant. 1. 4. *Curremus in odorem unguentorum tuorum.*

XI. Undecimo, cervi montes amant et fluvios. Ps. 103. 18. *Montes excelsi cervis.* Ps. 41. 1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Vide illos locos. Sancti ad summa contemplationis et perfectionis feruntur, non omittunt tamen fletum compunctionis.

XII. Duodecimo denique, cervæ editos partus, 1. exercent cursu; 2. et fugam meditari docent; 3. ad prærupta ducunt; 4. saltumque demonstrant, ut tradit Plinius. Parentes pii et prælati docent alumnos suos. Primo, cursum in via mandatorum Dei. 1. Corinth. 9. 24. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et exemplo præeunt. Hebr. 12. 1. *Per patientiam curramus.* Philipp. 2. 16. *Non in vacuum cucurri.* Multi negant in vacuo posse esse motum, nedum cursum: non bene currit, qui inania sectatur. Secundo, fugam vitiorum edocent. Prov. 1. 10. *Fili mi, si te lactaverint* (decipere studeant, ut Vatablus vertit; adolando deceperint, ut Syrus) *peccatores, ne acquiescas eis.* Et v. 15. *Fili mi, ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum.* 1. Corinth. 6. 18. *fugite fornicationem;* cap. 10. 14. *fugite ab idolorum cultura;* idola sunt divitiæ, honores, deliciæ, fœminæ comptæ et in speciem devotæ. 1. Timot. 6. 1. *O homo Dei hæc fuge,* q. d. fuge hæc, quia es homo Dei: es cervus ad excelsa natus. Et 2. ep. 2. 22. *Iuvenilia desideria fuge*, non modo opera. Tertio, parentes boni ad rupem et arcem mandatorum Dei ducunt, ut liberi sint securi. Prov. 3. 22. *Custodi legem, atque consilium, et erit vita animæ tuæ, et gratia faucibus tuis, etc. si dormieris, non timebis: quiesces, et suavis erit somnus tuus.* Quarto, saltus edocent ad cælestia. Isaiæ 35. 6. ubi de lege gratiæ est sermo, dicitur apte ad rem nostram: *Tunc saliet sicut cervus claudus.* Saltus illos exigit Christus: unde conqueritur Matt. 11. 17. *Cecinimus vobis, et non saltastis.* Et claudus a Petro sanatus ad portam templi Iorosolymitani, intravit in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum, Actor. 3. v. 8. Vide S. Hier. hom. 3. in Cant. t. 7. ibi fuse agit de cervis.

Non tantum Deus Apostolis et sanctis robur internum
62. addit, eos instar cervorum agiles reddendo, sed etiam ex-
Vers. 9. teriora obstacula dimovet, viam pandit, sylvas aperit,
2. Pars. Deus revelat prærupta complanat. Unde addit David. vers. eod. 9. ET REVELABIT CONDENSA. Pro condenso Hebr. est יערים iearim, id est, sylvas, saltus, nemora. Hinc S. Hier. vertit, revelans saltus. Caietanus, detexit saltus. Felix, Pagnin. et Arias, detexit sylvas. Muisius, denudat sylvas. Hoc autem fit. Primo lucis immissione per fulgetras, quæ penetrant densitatem ramorum et arborum. Hebr. verti possunt, *aperiet sylvas*, quos veluti claudit caligo feras et serpentes in suis latibulis occultans. Deus vero lucem immittens omnia aperit: quo, ut ait Bellarm. significatur, Deo nihil esse clausum, sed omnia pervia: ipse enim penetrat densissimas sylvas, et ubique operatur. Secundo, Deus denudat sylvas per foliorum deiectionem in tempestate. Magn. vertit, *sylvas populatur*, tollens scilicet folia, quæ sunt arborum sylvestrium divitiæ et ornatus. Et Petavius clare: *In arbores irruens*, θαμινην φυλλαδα, *frequentem struem foliorum in terram fudit: raram autem effecit sylvam.* Tertio, Deus revelat condensa, id est, sylvas, arbores deiiciendo, et ramos earum frangendo. Syrus, Qui agitat ramos, et evellit sylvas. Genebr. Decorticabit, inquit, ondobitque condensas sylvas, deiectis arboribus et ramis.

Condensa tripliciter.

1.

2.

3.

Sensus itaque est: cum Deus Davidi victoriam daturus vocem tonitrui sui audiri fecit in cacumine pyrorum et aliarum arborum, sylvam aperuit partim foliis discussis, partim deiectis arboribus, partim immissis fulgetris et fulgoribus, ut in ea Philisthæi latitare non possent, vel latitantes reperiri atque mactari possent.

Tropologice. S. Basilius in primo Commentario huius psalmi accipit condensa, Primo pro animabus sylvescentibus: *Quoniam*, inquit, *omne lignum non faciens fructum bonum inciditur a securi, et in ignem mittitur: necesse est, ut inhorrescentes et condensæ sylvæ*, αι υλωδεις ψυχαι, *animæ videlicet sylvescentes, in quibus quasi* θηρια, ποικιλα παθη αμαρτιων, *feræ quædam, affectiones multivariæ peccatorum latebant, a verbo Dei, quod omni gladio ancipiti cæsim penetrat acutius, purgentur.* Hæc est revelatio, homo enim videns in animæ suæ sylva, tot feras exhorret, conteritur, a Deo purgatur: et prælati feras illas videntes ad opem occurrunt, ut Petrus viso illo linteo mirabili Act. 10. v. 11. Secundo, idem sanctus Doctor per condensa, seu sylvas, intelligit curas sæculi spinis implicatas, quas Deus revelat ostendendo vanitatem rerum terrenarum. Quoniam, ait, plures homines curis humanis aggravati, veluti quamdam terram spinis opertam suas gerunt animas onaratas, unde nec sinunt eas enutriri ad proferendam divini verbi frugem: revelat Dominus condensa: hoc est, curarum existentium in vita deformitatem et fœditatem, et incommodum aperit, ut loco, qui de bonis et malis est, veluti sylvosis arboribus elucato et aperto, non habeant homines, quo de agendis iudicia per inscitiam pervertant. Multi namque bona, ubi laboriosa vident, mala existimant. Mala e diverso ob insitam voluptatem, ut bona persequuntur. Ex quo infinitus occupat mortales error. Referunt enim naturam bonorum ligna fructifera, et omnes cedri quæ ad laudem accipiuntur. Malorum vero condensa, ne decipiantur, qui aliquem in eis fructum invenire se putant, revelat ac manifestat vox Dei. Ita ipse. Per S. Ioannem Baptistam, qui erat vox Dei clamantis in deserto, id factum esse docet in secundo commentario.

63. Tropol. 1. Condensa sunt animæ sylvescentes.

Anagogica. Idem S. Basilius in secundo commentario 64.
huius psalmi, de die iudicii sic explicat. Deus revelat con- Anagog.
densa, hoc est in apertum producit latentia εν υλικη φυσει, in sylvestri hac natura, peccata, quæ serpentes dicuntur, propter ποικιλον ηδονης, voluptatis picturatam varietatem. Revelabit autem ea in illa die, in qua manifesta faciet abscondita tenebrarum, et consilia cordium ipsorum. Ita Basilius. Quanta tunc erit confusio hypocritarum? Lege Ezechiel. c. 8. ubi perfosso pariete videntur in ipso templo abominationes pessimæ. Cum interior tentatio urget, cogita nihil esse occultum, quod non reveletur, non modo super tecta, sed etiam super montes: adeo ut tunc scelerati velint montes cadere super se, ut tegant eorum peccata, sed non obtinebunt.

Allegorice *Condensa*, id est, sylvæ, sunt primo luci ipsi 65.
at nemora idolorum, quæ tenebrosa esse volebant gru- Allegor.

Condensa sunt I. Luci idolorum. tiles, ut ibi liberius peccarent atque deiicierentur: illa revelat Deus per arborum excisionem. Ita Agellius. Nemora illa Gentilium, ait, idolis deditorum, quæ Principum ac Regum sublimi potentia, tamquam annosa quercu, densaque ilice tegebantur, et leonum ac luporum lustris atque antris plena erant, qui cæde ac sanguine piorum hominum alebantur, excisis arboribus nudata et aperta sunt; ita ut ex infami cædibus cruentoque saltu, iam Christi prædicatione purgato, atque templum Dei factum sit: ut ubi nihil, nisi rugitus leonum rapientium, luporumque ululatus audiebatur, ibi tamquam in Dei templo, omnes dicant Deo gloriam, et laudes illius assidue celebrent.

II. Delubra deorum. Secundo, *Condensa*, id est, sylvæ, sunt delubra deorum in illis lucis et sylvis ædificata. Est metonymia: illa Deus destruxit. Ita Theodoretus. *Huiusmodi*, ait, *sunt sylvæ, quas optimi agricolæ excidere solent, et aperta terra, quam illi occupabant, fructuosas arbores conserere, atque esculenta semina iacere. Hoc fecerunt etiam*, οἰκουμένης γεωργοί, *orbis agricolæ: quandoquidem cum idolarum templa funditus diruissent, sacras pro illis Ecclesias fundarunt.* Orbis Agricolæ sunt Apostoli.

III. Steriles gentium animæ. Tertio, *Condensa* interpretatur Nicephorus steriles gentium animas. Condensus locus, ait Didymus, est infructuosis arboribus consitus: attamen revelatur, cum steriles arbores a verbi securi exciduntur, et in ignem proiiciuntur. Agell. speciatim de superbis et elatis interpretatur, qui sunt persimiles ilicibus et quercubus, capita alta ferentibus, arboribus nimirum infructuosis ac sylvestribus. De illis dicitur Is. 10.33. *Excelsi statura succidentur, et sublimes humiliabuntur. Et subvertentur condensa saltus ferro, et libanus cum excelsis cadet.*

IV. Scripturæ. Quarto, et melius S. Augustin. S. Hieron. Remigius, Beda, Lombardus, Richardus a S. Victore, Titelmannus, Iansenius, et alii plurimi per *condensa* intelligunt Scripturas. Primo, quia obscuræ sunt. Secundo, quia umbra sua sunt refrigerativæ. Utrumque attingit Richardus a S. Victore: *Talibus cervis*, ait, *taliterque præparatis Dominus revelabit condensa, et reserabit Scripturarum profunda, allegoriarum opaca, sacramentorum Mysteria, Mysteriorum secreta. Amant enim huiusmodi cervi huc illucque discurrere inter condensa saltus Libani: abdita quæque loca percurrere, et occulta penetrare, opaca frequentare, in condensis et umbrosis requiescere. Ibi enim et contra venatorum insidias latebras reperiunt, et contra Solis æstus refrigerium accipiunt. Quanto enim altius Scripturarum intelligentiam perceperint, quanto earum profunda perfectius penetraverint, tanto securius, tanto quietius quasi in condensis latitantes, et in umbrosis requiescentes, hinc derident dæmonum insidias, illinc despiciunt concupiscentiæ æstus et carnales illecebras. Nam ex ipsa Scripturarum lectione contra astutias dæmonum plenius erudimur: et inter tot sapientiæ delicias, carnalium illecebrarum nec saltem reminiscimur.* Tertio, in Scripturæ condensis est locus pascuæ, ubi gregem suum Deus collocat. S. Augustin. Tunc ois, inquit, revelabit opacitates divinorum librorum et umbracula mysteriorum, ubi cum libertate pascantur. Quarto denique, tam fertilis est locus, ut non solum ibi Apostoli pascantur, sed inde etiam alios pascant. Beda, Solent, ait, cervi inter condensa nemorum ingredientes, ramos ipsis cornibus separare, et campum ubi pascantur sibi et aliis animalibus aperire: sicut sancti Apostoli opacitates et occulta mysteria Scripturarum, in quibus et ipsi pascerentur et alios pascerent, aperuerunt. His, ut dicit Ruffinus, condensa revelavit, Scripturas aperuit, et divina mysteria manifestavit. Hinc Paulus ait 2. Cor. 12. 4. *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et scriptum est Luc. 24. 45. *Aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Vide dicta Ps. 118. 105. *Lucerna pedibus meis*
66. *verbum tuum*; et v. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.*

Scriptura est mons umbrosus et fertilis. Nota itaque. Scriptura sacra est mons arboribus sacris consitus, umbrosus et fertilis. Habacuc 3. v. 3. *Deus ab Austro* (id est, a deserto Arabiæ ubi erat mons Sina, in quo lex data est, ubi montes Pharan et Seir, id est, Idu-

A mææ) *veniet, et sanctus de monte Pharan.* Septuag. habent, *Deus de Theman*, id est, a regione Idumææ quæ Theman dicitur. Est Synedoche: pars pro toto sumitur. Theman pro tota Idumæa et Arabiæ deserto) *veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso.* Mons hic umbrosus est Scriptura, ut explicat S. Gregor. lib. 33. Moral. cap. 1. Testamentum, ait, bene mons umbrosus et condensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur. Et S. August. lib. 18. de civit. Dei, cap. 32. eodem modo montem illum explicans: Multa, inquit, ibi umbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit, cum ibi eum, qui intelligit, invenit. De obscuritate Scrip. fuse dixi Psal. 50. 8. *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

Nota secundo, in hoc monte umbroso et condenso distincta sunt varia nemora et horti deliciarum cælestium, 67. Sunt ibi varia nemora et horti deliciarum,
ubi fructus vitæ colliguntur. S. Ambr. lib. 6. epist. 41. *Paradisus*, inquit, *est Genesis liber, in quo virtutes pullulant Patriarcharum. Paradisus Deuteronomium, in quo ger-*
B *minant legis præcepta. Paradisus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, et æternæ spei mandata diffundit per universos populos.* Psalterium quoque nostrum paradisus seu hortus est Sponsi. Cassiodorus libro de divinis lectionibus c. 4. *Psalterium ait, est paradisus animarum, poma continens innumera, quibus suaviter humana mens saginata pinguescat.*

S. Gregorius Neocæsareæ Episcopus cognomento Thaumaturgus in oratione prosphonetica et panegyrica ad Origenem, fuse et præclare sacræ Scripturæ studium horto variis arboribus consito componit: Συνελόντα εἰπεῖν, ait, παράδεισος ἡμῖν ὄντως οὗτος ἦν, μιμητὴς τοῦ μεγάλου παραδείσου τοῦ Θεοῦ: *Hortus quidem revera nobis erat (ut paucis dicam) magni illius paradisi Dei similitudinem referens: in quo non terram quidem colere hanc inferiorem, nec corporis alimentis pinguescere: sed solas animi opes, quasi speciosas quasdam arbores, vel a nobis ipsis plantatas, vel ab omnium auctore nobis insitas, augere cum lætitia et voluptate*
C *concessum est*, οὗτος παράδεισος ἀληθῶς τρυφῆς, *hic vere paradisus voluptatis, hæc vere lætitia atque deliciæ, quibus elapso hoc tempore oblectati sumus.* Dolet deinde se ab illo deiectum esse, veluti Adamum e paradiso, et filium prodigum e paterna domo, atque populum Dei e terra sancta.

In eo nemore seu horto habitans anima deliciis omnibus circumfluit, florum odore recreatur, fructuum abundantia pinguescit. Cant. 8. 13. *Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Ubi Rupertus sic loquitur: *Quibus in hortis habitat dilecta, nisi in amœnitate Scripturarum, in delectatione virtutum pulchre florentium, bene olentium, semper virentium.* Et S. Chrysostomus homilia in Eutropium, scriptures horto præfert, quod non uno in loco fixæ sint, sed per orbem flores fructusque circumferunt: quod hyberno non minus quam æstivo tempore perennant, et comantibus undique foliis, et fructuum pondere prægraventur.

Nota tertio, Dei unius esse hæc condensa revelare. Scri- 68. Dei est condensa revelare Mysteria.
D ptura enim est hortus conclusus, et fons signatus, Cant. 4. 12. Rupertus id accommodat proposito nostro lib. 2. in Exod. cap. 1. *Sanctam*, ait, *scripturam conditum novimus vere paradisum voluptatis, vere deliciarum hortum, hortum conclusum.* Eius clavem unus habet Christus, qui Apocal. 3. 7. *aperit, et nemo claudit: claudit, et nemo aperit.* Scriptura est liber scriptus intus et foris, signatus sigillis septem cap. 5. 1. ibid. quem nemo dignus est aperire præter Agnum, et quam non aperit nisi agnis et columbis, revelat enim sua Mysteria parvulis, et cum simplicibus sermocinatio eius. Deus est pater luminum, et Christus est lux vera. Richardus a S. Victore lib. de eruditione interioris hominis cap. 14. *Dat*, inquit, *Deus sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus et disciplinam: ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituto, et lux cum eo est. Ne no ergo de suo ingenio præsumat: nemo interiorum vel exteriorum scientiam suis studiis vel meritis adscribat.* Utilitates tres illius obscuritatis præter hanc humiliationem superborum quantumvis

subtilium affert S.Greg. ham. 6. in Ezech. *Magnæ*, inquit, *utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei: quia exercet sensum ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus. 2. Habet quoque aliud maius, quia Scripturæ sacræ intelligentia si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus tanto maiore dulcedine inventa, quanto maiore labore fatigat animum quæsita.*

Quad autem Dei sit sua Mysteria et seipsum in Scripturis aperire, Philo lib. de præmiis at pœnis declarat Solis similitudine, qui est causa videndi suiipsius: *Solem*, ait, *hunc visibilem, num alia re quam Sole ipso adiuti cernimus? quid stellas? annon sola stellarum ope aspicimus? Lucis aspectum nonne luci debemus? Ad eumdem sane modum, etiam Deus per seipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quod ex res excedant vires omnium.*

69. Sapientiæ dono id facit. Nota quarta, revelationem illam Mysteriorum Scripturæ facit Deus per danum sapientiæ, ut ait S. Thamas; por septem eius dona, ut Glossa. Ubi adverte hæc dona in Psalma nostra designari. Primo, donum timoris, v. 3. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit*. Secundo, donum pietatis, v. 4. *Vox Domini in virtute*. id est, cum virtute, q. d. dans virtutes. Tertio, dunum scientiæ, *Vox Domini in magnificentia*. Quarta, danum consilii, v. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*. Fames enim peccati, ignis est: flamma quæ inde exit, est consensus, actus, et consuetuda: sed Deus hunc flammam interrumpit datu dono consilii, quod movet ut iusta impiis præferamus. Quinto, donum intellectus, v. 8. *Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades*. Iudæos et Gentiles ad fidem adducenda, quod fit per donum intellectus. Sexto, danum sapientiæ habes, v. 9. *Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa*. Septimo denique, danum fortitudinis, v. 10. *Dominus diluvium inhabitare facit*.

Purgata anima in via purgative, et illustrata in illuminativa, superest ut in via unitiva duo fiant. Primo, ut ipsa Deo se uniat per orationem, qua ipsum laudet ac benedicat. Secundo, ut Deus vicissim, in ea habitet, regnet ac dona sua diffundat.

70. Vers. 9. 3. Pars. Ritus Deum glorificandi. Prima itaque subdit David vers. cod. 9. ET IN TEMPLO EIUS OMNES DICENT GLORIAM, id est, laudem qua glorificetur Deus. Arias censet aliudi ad moram ritumque antiquum, qua certis festis, cum maiora Dei in populum collata beneficia recitabantur, populus astans post certos versus aita voce inclamabat כבוד כבוד *cobod, cabod, gloria gloria*, supple, sit Deo. Sicut nunc post singulos Psalmos in Ecclesia subteximus, Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, de quo hymno vide Iulium Mazarin. in Ps. 50. tam. 3. atque Stephanum Durantum 3. de ritib. Eccles. Cath. cap. 15. Templum porro hic accipi pro toto

Mundus est templum et sacrum canticum. mundo, qui est *mirabile canticum*, ut ait S. Paulin. in Natali 9. S. Felicis, et S. Aug. sicut Deus vacatur a Timæo Pythagorico κοσμος ινδαλμαιος, id est *mundus exemplaris*. Omnes creaturæ dant non sibi sed Deo gloriam, ut explicat S. Aug. in Conf. singulas decurrens. Sed homo debet esse Sacerdos et Pantifex, atque omnium lingua at cor: cum sit, sicut ait Philo lib. de mundi opificia, omne animal: nempe χερσαιον, ενυδρον, πτηνον, ουρανιον, id est, terrenum, aquaticum, volatile, et cæleste. Secunda, templum hic intelligitur taberneculum Davidis in Siane. Tertio, cælum, ubi per totam æternitatem Seraphini inclamabunt suum trisagion, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: et seniores, id est, principes cælestes suam doxologiam Apocalypsi 4. et Angeli cap. 5. et turbæ multæ cap. 19. Chaldæus sic vertit: *Vox Domini tremorem incutit deserto, incutit terrorem Verbum Domini serpentibus, qui sunt in deserto Recham. Vox Domini parturire facit cervas, et confluere animalia sylvæ: ac in templo domus sanctuarii eius quod sursum est, omnes ministri ipsius dicunt gloriam eius*. Quarto, templum Dei est cor iustum, ait Ugo, ibi omnes dicent gloriam revelatis condensis. Ex cognitione enim Dei sequitur eius laudatio, Ps. 47. 1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis*. Et impossibile est eius bonitatem agnoscere, et non laudare. Vide Ps. 13. 7. *Be-*

A *nedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum*. Hinc in patria, quia perfecte cognoscetur, sine fine laudabitur. Ps. 83. 5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Quinto, templum Dei est Ecclesia eius, ait Aug. in qua omnis in spem æternam regeneratus, laudat Deum pro suo dono, quod a sancto Spiritu accepit. Aug. sequitur Beda.

Moraliter nota: Deus ubique est glorificandus, sed præsertim in templo. S. Cassius Narniensis Episcopus quotidie cum lacrymis Missam celebrans, a Deo per visionem cuiusdam Presbyteri audivit: *Age quod agis, operare quod operaris*. Inclamat in Missa omnibus Sacerdos: *Sursum corda*. Et populus respondet, *habemus ad Dominum*, quasi servi scilicet trementes atque venerabundi. Cavoant sibi garruli at nugaces. S. Ambr. lib. 3. de virginibus: *Estne*, 71. Deus est ubique glorificandus, sed præsertim in templo.

ait, *quidquam indignius, quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium: cum gentiles idolis suis reverentiam*

B *tacendo referunt: unde exemplum illud proditur. Alexandro Macedonum Rege sacrificante, puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto corpore mansisse immobilem, nec dolorem perdidisse gemitu, nec tacito pœnam indicasse fletu. Tanto in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut naturam vinceret. Atque ille non Deos, qui nulli erant; sed regem timebat*. Prafert deinde notabile miraculum: *Frequens sermo est*, ait, *cum plurima ranarum murmura religiosæ plebis auribus obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse, ut conticerent ac reverentiam sacræ deferrent orationi: tunc subito circumfusos strepitus quievisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt?* Apud Græcos sacrificaturus Sacerdos præfabatur: *Quis hic?* Qui sacris intererant, respondebant, πολλοι καγαθοι, id est, *multi et boni*. Hinc ait Virgilius: Procul hinc, procul este profani. Apoc. 22. 25. Foris canes. Ut enim dicit S. Basilius commentaria prima in Ps. nostr. Deum laudare est opus Angelorum. Verba eius sunt. In templo eius

C omnes dicent gloriam. Audiant hæc Psalmi verba et confusi erubescant ii, qui in templo prolixissima intertexunt colloquia. Quid dicit Psalmus? Qui in templo Dei est, non maledicentiam, non vanitatem, ac refertos obscœnis rebus sermones pronunciet: sed in templo eius quisque dicat gloriam, εστηκασιν οι αποσγραφομενοι ρηματα αγιοι αγγελοι: *Assistunt verba describentes Angeli*, adest et Dominus affectus intrantium considerans. Preces cuiuslibet Deo manifestæ sunt. Alius ex affectu tantum orat, alius scite ac prudenter cælestia quærit: quidam perfunctarie nec acri attentione verba loquitur: cor autem eius procul a Deo est: et si etiam orat, carnis tamen prosperam valetudinem, corporis bona, insuper divitias et gloriam quærit humanam. Oportet autem nihil horum committere in templo, ut sermo Dei docet: sed in templo eius quisque dicet gloriam. Cæli enarrant gloriam Dei: Αγγελοις εργον δοξολογειν θεον: *Angelorum opus laudare Deum*: omnibus denique cælestibus exercitibus una hæc cura, gloriam transcribere creatori. Reliquæ item creaturæ omnes sive mutæ sint, seu

D loquaces, sive cælestes, sive terrestres, summum omnium conditorem Deum extollere ac prædicare videntur, ανθρωποι και ελεεινοι, homines vero miserabiles relictis ædibus suis ad templum concurrunt, quasi emolumenti quidquam inde laturi, cum tamen nec accommodent aures verbi Dei, nec suæ intelligant conditionem naturæ, nec peccato quopiam præoccupati mœrore afficiantur, ac ne tum quidem contristantur cum ad memoriam, quæ admiserunt, recurrunt. Nullo corripiuntur divini iudicii metu, adeo ut sibi arridentes suasque prensantes dexteras, domum orationis in locum vertant effusissimæ loquacitatis, minus obtemperantes Psalmo huic contestanti ac dicenti: In templo eius omnes dicent gloriam. Tu autem non solum non dicis, sed alteri cuipiam impedimento es: cumque tibi uni reddis attentum, dum obstrepente tuo clamore obtundis et exsuperas personantem Spiritus sancti doctrinam. Vide ne cum hinc emigraris, loco mercedis recipiendæ pro divinis laudibus, una cum iis, qui nomen Dei exa-

crantur et blasphemis vocibus incessunt, condemneris. Psalmum habes, Prophetas, Evangelica præcepta, Apostolorum prædicationes. Lingua psallat, mens sensum eorum quæ dicta sunt, scrutetur: ut psallas spiritu, psalles item et mente. *Non enim gloria Deus indiget, sed vult te dignum reddi, qui olim laudem et gloriam promerearis. Quod enim seminat homo, hoc et metet. Semina divinæ laudis et gloriæ sementem, ut caranas, honores, laudesque in regno cælorum metas.* Ita Basil. Vide illum orat. 2. de precatione S. Chrysost. hom. 33. et 74. in Matth. hom. 13. in Marcum, hom. 21. in Acta Apost. hom. 36. in 1. ad Cor. hom. 9. in 1. ad Timoth. serm. 1. ex variis S. Ambr. lib. 3. de Virgin. S. Bern. serm. 6. de dedicatione Ecclesiæ. Origenem hom. 1. in Iosue.

72. Citharæ Davidis septem chordæ sunt septem virtutes. Nota secundo, in templo dicemus Dei gloriam et quidem acceptabilem, si oblatas nobis in Psalmo e Davide septem chordas assumamus et tangamus. Habemus, ait Ugo Cardinalis, septem gradus quibus homo ascendit ad Deum, et sufficiunt ista ascendere valenti. Timor enim extrahit a peccato; 2. pietas suscipit; 3. scientia expedit et instruit; 4. fortitudo stabilit; 5. consilium custodit; 6. intellectus introducit ad contemplandum Deum; 7. sapientia connectit et coniungit Deo. Hæ sunt septem chordæ in cithara Davidis. Prima est gravis, ad eius sonum eiiciendum, dictum est Matth. 3.7. *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Secunda, levis. Luc. 11.41. *Date eleemosynam, etc.* Tertia mediocris, quæ docet conversari in medio nationis pravæ. Quarta, constans. Prov. 28.1. *Iustus quasi leo confidens.* Luc. 21.19. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quinta, acuta. Eccl. 32. 24. *Omnia fac cum consilio.* Sexta supervacua. Ps. 31. 8. *Intellectum tibi dabo, et instruam te.* Septima, omnibus bene consonans quasi meter. Ps. 46. *Psallite sapienter.* Ita Ugo Cardinalis.

Secundo, Deus, qui liberalitate non vult vinci, laudes sibi ab anima datas profusa donorum immissione compensat, vers. 10. DOMINUS DILUVIUM INHABITARE FACIT, ET SEDEBIT DOMINUS REX IN ÆTERNUM. Nota, pro *inhabitare facit*, Hebr. est *in diluvio sedit*, ut vertit Vatablus, Pagnin. Aquila, et Symmach. Id est, super nubes aquis gravidas, quas in Philisthæos effundat, ut a Davide facilius vincantur, iam tonitru attoniti, fulminibus percussi, ventis disiecti. Sensus hic est commodissimus et maxime litteralis. Eodem pertinet versio S. Hieron. *Dominus diluvium inhabitat.* Ita etiam legit S. August. Arnob. Psalt. Rom. et Ambros. Est autem metonymia. Nam diluvium sumitur pro aquarum magna copia, per quam fit diluvium. Proprie enim est diluvium terræ inundatio ab immodicis imbribus, vel maris fluviive incremento proficiscens, eluvies inundatio ipsa.

Si vero versioni nostræ placet insistere, *Dominus diluvium inhabitare facit*, id est primo efficit ut ipsum diluvium, id est inundatio aquarum sit et maneat super terram, ipsusque Philisthæos obruat et perdat. Secundo sensus est, q. d. facit ut homines diluvium inhabitent, id est sint in medio aquarum, et illis in terram deiiciantur, et hostibus mactandi tradantur. In idem hæc omnia redeunt.

73. Diluvia varia in terra. Nota secundo, varia celebrantur diluvia ab Antiquis: nempe sub Deucaliane et Pyrrha, sub Ogyge Phœnice in Attica, Niliacum sub Promotheo, aliud Atticum, Thessalicum, Pharaonicum. De variis maris inundationibus per totum orbem dixi alias. Chald. Paraphr. de generali diluvio tempore Noemi exponit in hunc modum: *Dominus in generatione diluvii super sedem iudicii sedit, ut ultionem sumeret ab eis, seditque super sedem miserationum, et liberavit Noe, et regnavit super filios eius in sæcula sæculorum.* Sed, ut dixi, melius intelligitur de effusione diluvii, id est nimborum in Philisthæos, cum sonitus auditus est in cacumine pyrorum. De hac enim historia totus est hic psalmus ad literam.

74. Allegor. Diluvia varia in Ecclesia. Allegorice. *Dominus diluvium inhabitare facit*, id est peccatores, qui vitiis inundabantur, facit inhabitare Ecclesiam. Secundo, Dominus diluvium inhabitare facit, id est efficit ut Gentiles qui alios in peccato submergebant, habitent in Ecclesia, quia eos convertit ad unitatem fidei. Tertio, diluvium est ipsa Ecclesia gratiis abundans, ita ut sit sensus, Dominus facit inhabitare diluvium, id est Ecclesiam. Quarto, *Dominus diluvium inhabitat*, id est, ut ait S. Basilius, per Baptismum in animabus sanctificatorum habitatio Domino paratur. Ablutam igitur a peccatorum sorde animam inhabitat Deus. Quapropter dicitur inhabitare diluvium. Quod enim remissionem peccatorum, quæ ex Baptismate est, diluvium vocaverit ex 31. psalmo didicimus, ubi dicitur v. 6. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Peccatorum namque delicta, in redemptione ea, quæ per Baptismum fit, appropinquare amplius non permittuntur. Ita Basilius. Quinto, diluvium est multitudo ad fidem conversorum. S. Hieron. præfatione in cap. 17. Isaiæ, insinuat fidelium ex utroque Testamento multitudinem tantam futuram, confluxumque tantum, ut comparari eum diluvio possit: ad quod diluvium Deus declinet quasi fluvium pacis, et torrentem inundantem gloriam Gentium, ut ait Isaias cap. ult. 12. *Consideremus totum orbem*, ut loquitur S. Ambros. serm. 2. de Baptis. Christi, *respiciamus nationes barbaras, Romanum quoque mente lustremus imperium, ubique Christo creditur, ubique in nostrum Deum credentes baptizantur: et ita fit, ut non una aqua, sed quodammodo sit diluvium baptismorum.* Sic vox Domini fuit super aquas multas, id est super omnes orbis populos, qui multi sunt. Vel certe, ut ait idem S. Doctor, lib. 5. Hexaem. cap. 7. *Evangelium est mare, in quo Hebræus evasit, Ægyptius interemptus est. Evangelium est mare, in quo Sponsa Christi Ecclesia, et divinæ gratiæ plenitudo, quæ super maria fundata est, sicut dixit Propheta: Ipse super maria fundavit eam. Exili super undas o homo, quia piscis es: Non te opprimant sæculi istius fluctus: Si tempestas est, pete altum et profundum: si serenitas, lude in fluctibus: ai procella, cave a scopuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat.*

Tropologice. Diluvium primo est ubertas gratiarum in anima iustorum. Ita S. Hieron. Iansenius et Dionys. Carthusiensus, qui sic explicat, q. d. Dominus diluvium, id est plenitudinem seu exuberantiam gratiarum inhabitare facit in cordibus Electorum, præsertim tempore Evangelicæ legis, quod propter superaffluentem misericordiam Dei Christianis exhibitam nuncupatur tempus gratiæ. Et sedebit Dominus Rex in æternum: id est æternaliter præsidebit fidelibus suis, et habitabit in eis, modo per gratiam, in futura autem per gloriam: quemadmodum Zacharias de Christo prædixit, cap. 6. *Ipse portabit gloriam, et sedebit, et dominabitur in solio suo, et erit Sacerdos.* 75. Tropol. Diluvium est ubertas gratiarum.

Secundo, Deus facit, ut anima pœnitens inhabitet diluvium contritionis, ut Magdalena lacrymis suis lavans pedes Salvatoris, Ioan. 11. 2. et Petrus flens amare, Luc. 22. 62. S. Bernardus serm. de S. Clemente tres aquas assignat: *Accipe*, inquit, *triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit. Plorat super civitatem Ierusalem, et hæc est aqua prima: 2. Sudat imminente passionis suæ hora, et hæc est secunda, non ab oculis tantum, sed a toto corpore manans. 3. Tertiam aquam dicimus de corpore eius emanasse una cum sanguine in cruce. Prima quidem o præteritis delictis abluit conscientiam. Secunda, ut futura caveas, extinguit concupiscentiam: Tertia, ut ad eam pervenire merueris, potat sitientem animam.* 76. II. Contritio est diluvium.

Tertio, Deus facit, ut anima proficiens inhabitet diluvium afflictionum, ut in iis, et per eas magna operetur. Ps. 106 23. *Facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt* (hi sunt in via illuminativa) *opera Domini, et mirabilia eius in profundo*, providentiæ eius scilicet etque amoris, qui non patet aspicientibus superficiem maris agitati, et hoc illuc pisces suos iactantis. Pisces sumus in undis geniti, pisces non refugiunt aquas. S. Ambrosius in Hexaem. cap. 4. *Quam bona mater sit aqua piscibus, hinc considera. Vivere pisces sine aqua non queunt, nec a sui parentis consortio separari, neque a suæ altricis discedere munere.* Talis piscis erat S. Xaverius, qui in neu- 77. III. Afflictio.

fragio per dies tres lectetns super asserem petebat a Deo, ne se ab hoe perieulo et labore eriperet, nisi maiores dare exoptaret. Dicebat alias, nan putare se Deo fideliter militare, nisi esset in afflietione. Ugo Cardinalis triplex diluvium assignat, 1. gratiæ; 2. pœnæ; 3. eulpæ. Diluvium gratiæ, inquit, submergit peccata, sicut diluvium submersit peccatores. Unde Ezech. 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* De diluvio pœnæ ait Nahum 1. 7. *Bonus Dominus, et confortans in die tribulationis, et in diluvio prætereunte consummationem faciet loci eius.* Locus eius, id est Dei, Ecelesie est, cuius consummationem facit in diluvio prætereunte, id est, in tribulatione. Unde Iacobi 1. 2. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varios tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.* De diluvio culpæ ait Osees 4. 2. *Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt.* Inundatio autem fit, cum aque exit ripas suas. Duæ ripæ, quæ continere deberent peccatum, ne exiret ad actum, sunt timor et pudor: quando istæ ripæ rumpuntur, tunc fit diluvium peccati. Ruptæ erant in illo iudice, de quo dicitur Luc. 18. 2. *Iudex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et homines non reverebatur.* De ruptione primæ ripæ dicitur in Ps. 13. 3. *Non est timor Dei ante oculos eorum.* De ruptione secundæ Ierem. 3. v. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ita Ugo. Utramque ripam reperat afflietio, ut patet in prodiga, qui cum filix petiisset impudenter portionem hæreditatis suæ, et illam dissipasset vivendo luxuriose: contemnens scilicet Deum ac patrem suum: fame afflictus ad se reversus est, Luc. 15. 18. *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater peccavi in cœlum, et coram te. Iam non sum dignus vocari filius tuus.*

78. IV. Sapientia. Quarto, Deus facit, ut anima perfecta inhabitet diluvium sapientiæ. Richardus a S. Victore: *Cum sit, inquit, una eademque aqua sapientiæ salutaris, illam tamen terram viventium ubique non æqualiter infundit, sed se per eius amplitudinem multifarie multisque modis dividit. Alias enim efficit puteum vel cisternam: alias torrentem vel fontem salientem in vitam æternam: hic in rivum deducitur, illic in fluvium colligitur: modo excrescit in lacum vel stagnum: modo exuberat in abyssum vel diluvium.* His decem modis sese sapientia veriis varie communicat. Quantum autem sit aliquando sapientiæ diluvium, explicat idem Auctor alludens ad diluvium Noemi, quod quindecim cubitis montes altissimos superabat. Subdit enim: *Hæc sapientiæ aqua in tanta quandoque erumpit copia, in tanta se dilatat abundantia, ut non solum valles impleat, campos operiat, sed et omnes montes et colles longe transcendat. Ita ut omnium carnalium cogitationum incursus, omnes terrenos affectus penitus absorbeat, imo etiam quidquid hominibus est altum, cacumina ipsa virtutum: et quod his omnibus maius, ipse sibi contemplantis animus in oblivionem veniat. Contemplantis siquidem animus, qui supra se attollitur, cum in cœlestibus totus suspenditur, seipsum nimirum, et quæ sub ipso sunt, obliviscitur: et in tanto sapientiæ diluvio nil nisi cœlum aspicitur: et ipsa sapientiæ aqua qua perlustratur, a qua et in altum sublevatur. Sed ad hoc opus quis, putas, erit idoneus, et quis huiusmodi diluvii inhabitatione invenietur dignus? Nemo hoc speret de virtute sua, nemo hoc præsumat de industria propria. Non est hoc negotium meriti humani, sed muneris divini. Dominus solus est, qui hoc dare potest. Siquidem solus Dominus diluvium inhabitare facit. Ad huiusmodi, ni fallor, diluvii inhabitationem Domino instigante et instruente fabricatur illa arca conscientiæ bonæ: si tamen vivat et vigeat in vobis vir ille Noe, qui solus ad tantum negotium per divinum dumtaxat adiutorium potest sufficere. Noe requies interpretatur, et constat satis, quia sine quietis amore arcæ fabrica nullo modo perficitur. Ferveat ergo in nobis amor quietis, delectemur illo interno otiosa negotio, vel negotioso otio investigandæ veritatis, et illud, quod in Ps. 45. 11. legitur, studiose impleamus: Vacate et videte, quoniam ego sum Deus.*

79. Anagog. Diluvium erit pœnæ in iudicio extremo. Anagogice. Dominus cum in extrema iudicia revelaverit condensa, id est conscientias omnium hominum, et peccata occulta atque virtutes, et ab omnibus iustitia eius laudata fuerit, tunc diluvium inhabitare faciet, id est immittet, effundens omnia genera bonarum in bonos, et omnia genera malorum in malos: et sic nullo penitus resistente, sublato de medio omni alio principatu, et regno dæmonum atque hominum impiorum, sedebit Dominus Rex in æternum. Ita Bellarminus et alii.

Hostibus territis, prostratis ac domitis superest, ut Deus det populo suo et robur et felicitatem, ut nova bella non exurgant, et si venerint, prospere succedant, v. 11. Vers. 11.
DOMINUS VIRTUTEM (Hebr. עֹז oz, fortitudinem; Ita S. Hieronym. Vatablus, Caietanus σθένος, id est, robur, vires, potentiam; ita Petavius) POPULO SUO DABIT: DOMINUS BENEDICET POPULO SUO IN (eum) PACE, id est salute, incolumitate, securitate, tranquillitate, felicitate omnimode. Pax enim apud Hebræos sumitur pro omni bono.

80. Virtus pacem præcedit. Tropologice. Nota, Deus populo suo, id est animabus sanctis daturus virtutem et pacem, prius dat virtutem, deinde pacem. Non enim prius Iosue et populus Dei possedit cum pace terram promissam, quam Seon Regem Amorrhæorum, Og Regem Basan, aliosque Reges et Principes delevit, et armis urbes eorum sibi subiecit. Non prius nascitur Salomon, id est pacificus, quam fuerit David, id est manu fortis. Dat virtutem Deus et victoriam generosis. Iacobi 4. v. 7. *Resistite diabolo* (Græc. ἀντίστητε, contra state. Syrus, insurgite in diabolum) *et fugiet a vobis.* S. Ignatius in libro exercitiorum spiritualium confert diabolum fœminæ procaci, quæ viro timido impotenter dominatur et insultat: audacem vero veretur, eique silens se submittit. S. Bern. epist. 1. ad Robertum: *An,* inquit, *quia fugisti ex acie, putas te manus hostium evasisse? libentius te insequitur adversarius fugientem, quam sustineat repugnantem, et audacius insistit a tergo, quam resistat in faciem.* Iob. 4. 11. ait: *Tigris periit, eo quod non haberet prædam.* Septuaginta ibi vertunt Myrmicoleon, et sic legit etiam S. Augustinus: Olympiodorus de diabolo exponit, is enim formica est pietate præditis hominibus, Leo impiis. S. Nilus putat non esse verum animal sed fictitium, et in eadem opinione est Philippus. Ad rem præsentem sic S. Gregor. 5. Moral. 17. *Recte Myrmicoleon, id est Leo et formica, diabolus dicitur: Formicis enim leo est, volatilibus formica: quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest: si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant: spiritales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Et S. Ambrosius in cap. 4. Luc. Cedere, inquit, solet veræ virtuti, et si invidere non desinat, tamen instare formidet: quia frequentius refugit triumphari.

81. Pax animæ est quadruplex: 1. Cum Deo. 2. Cum mundo. 3. Cum carne. 4. Cum diabolo. Nota secundo, esse quadruplicem animæ pacem. Primam cum Deo. Secundam cum mundo. Tertiam cum carne. Quartam cum diabolo. Sed varie cum illis pax habenda est, ut docet Richardus a S. Victore in psalm. nostr. *Prima pax,* inquit, *facienda est a spiritu et Deo. Quarta, quæ est spiritus de diabolo, ut bona esse possit, fieri eam oportet a neutro, sed e solo Deo. Secunda autem quæ est spiritus ad mundum, fieri debet a carne sola, non autem exigi a mundo. Tertiam, quæ est spiritus de carne, spiritus debet a carne sola violenter exigere, non autem ipse carni suæ exhibere.* Quæ postquam paulo diffusius explicuit, aperit quibus virtutibus hæc possimus consequi: *Prima,* inquit, *pax, quæ est ad Deum, adipiscenda per obedientiam. Secunda, quæ est ad mundum, conservanda est per patientiam. Tertia quæ est de carne, acquirenda est per abstinentiam. Quarta quæ est de diabolo, obtinenda est per prudentiam, et maxime per orationis instantiam, quæ quidem ad*

omnem pacem necessaria invenitur: sine qua nulla acquiritur, nulla possidetur. De prima pace canitur, Luc.2.14. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. De secunda promittitur, pacem relinquo vobis, Ioan. 14.27. quæ qualis esse debeat, consequenter exponitur, cum dicitur: Non turbetur cor vestrum, neque formidet. De tertia et quarta in Iob legitur cap. 5. 23. Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi: et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum. Ubi per tabernaculum quidem habitaculum A *corporis nostri: per bestias terræ, intelliguntur spiritus maligni. Acquisita igitur in hunc modum hac multiplici pace, Dominus benedicet populo suo in pace.* Quam benedictionem in eo dicit consistere, ut bona voluntas efficiatur quotidie seipsa maior, et virtutum numerus fiat de die in diem copiosior. Sic dictum est Adamo et Evæ, Genes. 1. 28. *Crescite et multiplicamini.* Et David ait Deo Ps. 13. 3. *Multiplicabis in anima mea virtutem.*

PSALMUS VIGESIMUS NONUS.

1. EXALTABO te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.
2. Domine Deus meus clamavi ad te: et sanasti me.
3. Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.
4. Psallite Domino Sancti eius: et confitemini memoriæ sanctitatis eius.
5. Quoniam ira in indignatione eius: et vita in voluntate eius.
6. Ad vesperam demorabitur fletus: et ad matutinum lætitia.
7. Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.
8. Domine in voluntate tua: præstitisti decori meo virtutem.
9. Avertisti faciem tuam a me: et factus sum conturbatus.
10. Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.
11. Quæ utilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem?
12. Nunquid confitebitur tibi pulvis: aut annunciabit veritatem tuam?
13. Audivit Dominus et misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.
14. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.
15. Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

PSALMI VIGESIMI NONI ANALYSIS.

David a lethali morbo liberatus, domumque suam regiam dedicans, Deo gratias agit, ob

- Utilitatem redditæ sanitatis. 2. qua
  - A Deo in cælis excitato susceptus est. 2.
  - Ab inimicorum terrestrium irrisione liberatus. 2.
  - A corporis languore sanatus. 3.
  - A limbi descensu impeditus. 4.
  - Ab impiorum tartareo lacu servatus. 4.
- Celeritatem. 5. cum
  - Memor afflicti et ægrotantis Deus statim fuerit. 5.
  - Iram indignationis in amorem vivificum verterit. 6.
  - Tristitiam conceptam paucis diebus excusserit. 6.
- Modum, cum
  - Ante morbum. 7.
    - In regno, rebus omnibus circumflueret. 7.
    - In animo, adversis non pervius immobilem se crederet. 7.
    - In aula, regio splendore emicaret. 8.
  - In morbo. 9.
    - Animo, Deum aversum timeret. 8.
    - Corpore toto, dolorem sentiret. 8.
    - Ore clamaret. 9.
      - Ad Dominum, qui corpus a corruptione servaret. 10.
      - Ad Deum, qui animam ad virtutem et gratiarum actionem incitaret. 10.
      - Et in omnibus adiuvaret. 11.
  - Post morbum
    - Animo, gaudium sit redditum. 12.
    - Corpori, vestium splendor. 12.
    - Aulæ, populoque lætitia. 12.
    - Ori, gratiarum actio semper duratura. 13.
    - Cordi, securitas a perturbatione, nunquam reditura. 13.
    - Operi, intentio et cura Deum glorificandi. 13.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. Psalmus cantici. In dedicatione domus David.

1. De qua domo agitur in hoc Psalmo.

A Psalmum præcedentem cecinit David in consummatione tabernaculi Deo in monte Sione excitati, hunc vero in dedicatione domus suæ.

I. Opinio.

Quæres primo: De qua Davidis domo hic agitur? Primo, Theodoretus et Beda, qui sæpe psalmos de Ezechia rege Iuda explicant, censent hic esse gratiarum actionem ipsius, cum est morbo liberatus, quem contraxerat, quod cor eius in superbiam elevatum fuisset ob victoriam de Sennacherib rege obtentam. Sed quid hæc faciant ad dedicationem domus Davidicæ, non video.

II. Secundo, R. Abraham refert aliquos censere agi de domo cedrina Salomonis, quam extruxit in civitate David, id est in Sione, 3. Reg. 7. 2. Sed diversa erat hæc domus a domo Davidis.

III. Tertio, De dedicatione templi Salomonis explicant S. Basil. Didym. Agell. Aiguanus, qui ait templum Salomonis posse dici domum Davidis, quia 1. ipse primus inventor fuit illius ædificii, et tempore suo illud facere voluit; 2. quia omnes impensas templi præparavit; 3. quia descriptionem templi, et ædificiorum in circuitu, vasorum, et utensilium dedit Salomoni; 4. ut addit Agellius, quia primus David sacrificia obtulit in loco templi, nempe in area Ornan Iebusæi, eumque locum domum Dei vocavit, 1. Par. 22. Cum igitur initium facere sacrificiorum offerendorum, hoc sit dedicare: dedicatio domus tunc a Davide facta est, ubi primum in domus Dei arce sacrificium obtulit, et iram Dei placavit: ita Agellius. Sed quia rei dedicationem necdum factæ dixerit, dedicatio enim supponit rem, cuius est dedicatio, est enim velut oblatio facta Deo, ut res constructa in eius honorem cedat, et ab eo benedicatur, nihilque ibi fiat, quod ipsi displiceat, itemque ut gratiæ ei agantur, quod eius ope ad perfectionem deducta sit.

IV. Quarto, Trevetus exponit de dedicatione templi secundi post reditum a captivitate Babylonica, de qua Esdr. 1. v. 1. et seq. Sed id remotissimum est a domo Davidis.

V. Quinto, Caietanus domum Davidis, non sumit pro ædificio a Davide extructo, sed pro eius gente seu progenie. Cum itaque promisisset Davidi Deus in eius domo, id est familia, mansuram potestatem regiam, et ob peccata adulterii et homicidii se indignum tanto honore reddidisset, pœnitens tandem divina revelatione intellexit sibi Deum placatum esse, quoad pœnam successionis in regno, et generationis Christi ex eius gente. Hæc itaque redintegratio appellatur *initiatio*, quia priorem promissionem, quæ supervenerunt, crimina aboleverunt: ita Caiet. Sed quomodo hæc poterunt dici dedicatio domus Davidis? deinde unde constat, quod per peccatum eius erat abolita promissio de regno? denique omnes accipiunt hic dedicationem alicuius ædificii.

VI. Sexto, accommodatius S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Psal. cap. 6. Arias, Mariana, Emanuel Sa, et alii, explicant de dedicatione tabernaculi a Davide extructi in monte Sion prope eius palatium, de quo vide Ps. præced. in procem. Chaldæus Paraph. hic vertit: *Laus cantici pro dedicatione domus sanctuarii.*

VII. Et optima.

Septimo denique, et vere, S. Thomas, Flaminius, Vatabl. Burgensis, Gagneius, Peregrinus, Herus, Bredembachius, Iansenius, Bellarmin. Lorin. et alii, hic dicunt agi de dedicatione domus cedrinæ, quam sibi extruxit David in Sione 2. Reg. 5. 11. 1. et 1. Paral. 14. 1. Tunc enim cognovit David regnum suum a Deo esse confirmatum et stabilitum: eamque ob rem hic agit gratias Deo. Ubi adverte, simul agere gratias de recuperata valetudine: in morbum enim gravem inciderat, ut psalmi verba satis indicant.

2. Dedicatio domus cedrinæ a Davide extructæ in Sione quo ritu facta?

Quæres secundo: Qualis fuit hæc dedicatio? Primo, Dedicare domum erat offerre Domino Deo, et orare, ut eam A et omnes in ea habitantes custodire dignaretur: ita Salianus tom. 3. Annalium Eccl. veteris testam. ann. 2988. num. 37. Secundo, David videtur eo die aliquas victimas in tabernaculo a se ædificato obtulisse, ut domus hæc a se extructa stabilis permaneret, ac præsertim in ea, mansura posteritas. Tertio, psalmos aliquos, qualis est noster, in eam rem esse cantatos. Quarto, R. David Kimhi ait dedicationem Domus David fuisse principium comestionis in ea. Crediderim celebre aliquod convivium factum filiis regiis, et aliis principibus, et aliquid esse donatum populo, ut maior et generalior lætitia existeret, velut stabilito regno in Iudæa contra hostes omnes. Sic vini fontes in regum inaugurationibus aliisque festivitatibus aliquando proponuntur populo, ut quilibet ad libitum inde bibat. Svetonius in Cæsare cap. 7. refert ab eo viginti duo mensarum millia Romæ posita, in quibus populo epulum præberet.

3. Iudæi solebant domos dedicare.

Domos porro a Iudæis dedicari solitas patet ex Deuter. cap. 20. 5. ubi dux exercitus prælium cum hoste initurus, B iubetur dicere: *Quis est homo, qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat et revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, et alius dedicet eam.* Quæ dicebantur non imperando, sed permittendo reditum ad domum suam: itaque liber erat miles ille ut exiret, vel maneret.

Etiam sacris ritibus.

Ritus aliquos sacros adhibitos esse in dedicatione etiam domus prophanæ est probabile, non tantum de domibus regum, sed etiam de domibus particularium personarum. Gentiles ipsi urbes novas et domos dedicarunt. Cum Nehemias et Iudæi murum Ierusalem quinquaginta duobus diebus restaurassent, solemnem dedicationem fecerunt 2. Esdr. 12. 23. et seq. Constantinus Imperat. conditam a se Constantinopolim a patribus primi Concilii Nicæni dedicari voluit. Nicephor. lib. 8. hist. Eccl. cap. 26. rem narrat in hunc modum. Supplicis more, ait, conventum rogavit, ut, qui tantum pertulissent laboris, perpaucos sibi dies dare, et recens fundatam urbem, iam tum perfectam, adire non gravarentur, ινα ευχαις τον ταυτης περι- C βολον και τα τειχη στηριξωσιν, *ut precationibus suis munitiones et muros eius firmarent.* Atque illi statim, quod petierat, faciunt; Constantinopolim veniunt, encænia et consecrationis diem festum celebrant, incruento sacrificio operantur, precibus votisque urbem abunde prosequuntur et firmant, eandemque Dei genitrici dedicant, novam Romam, imperantemque Constantinopolim cognominantes, Alexandro tum Byzantii Ecclesiam regente. Hic denuo illis epulo exceptis, alia dona obtulit: ita Nicephorus. Concilii Patres eo se contulisse negat Baronius, quia Eusebius id non dicit: sed tanto odio ardebat Eusebius in illam sacram synodum, ut fortasse hoc de industria omiserit: alias rationes paulo efficaciores vide apud eumdem Baron. anno Christi 330. quas mihi nunc non vacat expendere.

4. Cur in psalmo non fit mentio dedicationis.

Quæres tertio: Cur in toto hoc psalmo nullam facit mentionem dedicationis? Resp. primo, implicite quodammodo contineri in primo versu psalmi. Secundo, id factum esse ex vehementi lætitia recuperatæ sanitatis: unde D seipsum dedicat et consecrat ad laudes Deo canendas, et gloriam eius amplificandam.

5. Allegor. Christus agit gratias de sua resurrectione, quæ fuit dedicatio Humanitatis Deum continentis.

Allegor. Christus hic gratias agit de sua resurrectione, quæ fuit dedicatio domus eius, id est Humanitatis, in qua habitavit plenitudo divinitatis corporaliter: ita Orig. Theodoretus, Leontius, Byzantius, Beda, Lomb. Ludolph. Dionys. S. Cyrill. Ieros. Ruffinus, qui sic loquitur: *Dedicatio domus David resurrectio Salvatoris intelligitur, in quo omnia vitæ nostræ corpora dedicantur. Domus David ædificatur, quando humanitas assumitur. Domus David ædificatur, quando a mortuis resuscitatur. Domus Chri-*

sti est humanitas. Sicut enim domus celebris fit in dedicatione, sic Christus celebrior factus est in resurrectione, assumpta impassibilitate et immortalitate. Humanitas Christi domus David dicitur, quia a Davide eam accepit; 2. quia fuit ipse verus David, amabilis, et manu fortis. S. Basil. ait dedicationem illius domus factam esse in ipsa Incarnatione.

6. Ecclesia etiam est domus Dei.

Secundo, *Domus David*, id est Christi, est Ecclesia ab ipso ædificata. Sicut scribit Paulus 1. Timoth. 3. 15. *Ut scias, quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis.* Eius renovationem Euthym. ait, intelligi eam, quæ fit per regenerationem baptismatis. S. Basil. vero, eam, quæ per spiritum Dei fit singulis, qui corpus Ecclesiæ Dei perficiunt. Ubi adverte vim facere in voce εγκαινισμυ, id est innovationis, renovationis, dedicationis rei alicuius novæ, qua usi sunt Septuag. εγκαινια festum erat, in quo aliquid innovabatur, ait Suidas. Et quidam Quintilianus declamation. 323. dedicationem describit, in qua res ipsa de novo inducitur, et in destinata et certa sede collocatur. S. August. tract. 48. in Ioan. encænia vocari docet, quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum: ac suo tempore in usu fuisse verbum encæniandi: et si quis, exempli gratia, nova tunica indueretur, encæniare dici solitum.

7. Tropol. Domus Davidis est eius anima.

Tropol. *Domus David* est anima ipsius Davidis, in qua Spiritus sanctus tamquam in templo habitans, destitutam ad tempus reliquerat, ob crimen in Uriam et adulterium cum Bethsabee, cuius causa capitalis criminis reus pene ad mortem atque ad inferos devenerat. Sed ubi per pœnitentiam renovatum et a Deo liberatum se esse sensit, gratias hoc psalmo egit: ita Euseb. qui non bene negat fieri hic mentionem dedicationis ullius domus materialis aut templi. Deinde lapsus Davidis longe post ædificationem et dedicationem domus eius contigit.

Et cuiuslibet iusti.

Secundo itaque melius, de cuiuslibet viri iusti anima id intelligitur, quæ renovatur et dedicatur per fidem, charitatem et alias virtutes: ita S. Gregor. Naz. in catena Barbari, Hesych. Folingius, qui sic ait: *Mens humana tunc dedicatur Deo, canitque suæ innovationis canticum, cum incipit Deus ipse in ea per fidem primum habitare, deinde per intimam illam, quæ solet a cælesti patre post afflictiones immitti consolationem, ac a miseriis solamen.* Dicit Paulus Corinth. 1. Epist. 6. 16. *Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.* Citat. Exech. 37. 27.

8. Anagog.

Anagogice. S. August. *In finem psalmus Lætitiæ resurrectionis atque immortalem statum, mutationis atque innovationis corporis, non tantum Domini, sed etiam totius Ecclesiæ. Nam in superiori psalmo tabernaculum consummatum est, ubi habitamus belli tempore: nunc autem domus dedicatur; quæ in sempiterna pace permanebit.* De Ecclesia in æternam domum deducta, et ibi quiescente explicant etiam S. Thom. Lombardus, Ugo, et alii. Ubi adverte τo *in finem*, quod legit in titulo S. August. non esse in Hebr. Chald. Syr. esse tamen in emendatis bibliis 70. interpretum, et apud Theodoret. εις το τελος, id est in finem.

9. Quid psalm. canticum, psalmus cantici, canticum psalmi.

Nota, hæc quatuor inter se discrepare: nempe psalmum canticum, psalmum cantici, et canticum psalmi. S. Hilarius in præfatione psalmorum sic explicat: *Psalmus est*, inquit, *cum cessante voce pulsus tantum organi concinentis exauditur. Canticum est, cum cantorum chorus sua libertate utens, neque in concentum organi adstrictus obsequium hymno canoræ tantum vocis exultat. Canticum autem psalmi est, cum organo præcinente subsequens et æmula organo vox chori canentis auditur, modum psalterii modulis vocis imitata. Psalmus vero cantici est, cum choro ante canente humanæ cantionis hymno ars organi consonantis aptatur, vocisque modulis præcinentis pari psalterium suavitate modulatur.* Brevius id perstrinxit Bellarminus in præfat. psalmorum. Psalmus, ait, est sonus organi solius sine ulla voce hominis cantantis. Canticum est, vox cantantis hominis absque organi modulatione. Psalmus cantici dicitur, cum cantico præcinente psalmi sonus subsequitur. Canticum psalmi, cum sonitu præeunte, æmula vox canentis auditur. Theolog. psalmus cantici, ait Beda, ostendit per cognitionis divinæ scientiam usum boni operis esse tractandum, quatenus optatam fidelium gestorum efficientiam præcedit anterior de Deo adepta cognitio. Ut enim docet S. Basilius: *Psalterium quidem instrumentum, cum sit musicum ad concinendos Deo nostro hymnos concinnatum, figurate tamen*, η τη σωματος εστι κατασκευη, *structura corporis. Psalmus vero ipsæ actiones sunt corporis, quas veluti debitas exsolvimus in gloriam Dei, cum sic decore ad præscriptum verbi Dei nos ipsos componimus, ut nihil conficiamus, quod in ipso corporis motu appareat inconcinnum. Canticum est, quodcumque contemplatione simplici, theologicaque comprehenditur. Psalmus itaque, sermo est musicus, quando concinne aptaque secundum harmoniæ rationem ad organum pulsatur. Canticum vero vox est concinna, quæ cum harmonica modulatione redditur sine organi sono et contactu. Itaque, quia hic inscriptio talis est Psalmus cantici, putamus significari*, ακολουθον πραξιν θεωριας λογον αναστασθαι, *quod contemplationem ordine sequatur actio.*

DIVISIO TOTIUS PSALMI

TRIA FACIT. PRIMO, GRATIAS AGIT PRÆCIPUE, QUOD SIT SANATUS A MORBO, VERS. 2. SECUNDO, AB HYPOTHESI AD THESIM ASCENDENS DOCET, NEQUE AFFLICTIONES, NEQUE CONSOLATIONES ESSE, IN HAC VITA DIUTURNAS, VERS. 5. TERTIO DENIQUE, A THESI RURSUS AD HYPOTHESIM VENIENS, MODUM, QUO SANATUS EST, OSTENDIT, ATQUE ITERUM GRATIAS AGIT, VERS. 7. USQUE AD FINEM.

SECTIO PRIMA.

Duo continet. Primo, glorificaturum se Deum, vers. 2. Secundo, triplicem causam assignat illius glorificationis, 1. quod fuerit a Deo susceptus in regnum; 2. quod hostibus superior factus; 3. quod reddita sanitate ab inferno et lacu ereptus, vers. 2. et seqq.

PARAPHRASIS.

2. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.*

2. Humi reptantem me, atque ad ovium caulas damnatum suscepisti Domine Deus, ut ad regium thronum eveheres: et hostium pedibus pene protritum eorum vertici imposuisti: mea me celsitudo tuæ maiestatis et potentiæ admonebit, quam ut sublimem omnes existiment, laudibus meis ac veneratione et cultu enitar.

3. Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.

3. Gravi efflictus morbo, viribusque omnibus exhaustus, unam quæ mihi superstes erat, vocem ad te intendi, servulum ut Dominus, pulvisculum Deus adiuvares: tu vero salutari manu creptum e mortis faucibus sanitati restituisti.

4. Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum.

4. Summis iam labris insidentem animam meam, ec pene ruptis omnibus corporis vinculis iamiam ad limbum devolantem, in corpus reddita membrorum valetudine revocasti. Iam confluentium in sepulcrum torrenti admistum, mortique ab omnibus addictum, ed vivorum numerum iterum aggregasti.

QUÆSTIO UNICA.

QUIBUS A PERICULIS DAVID A DEO LIBERATUM SE ESSE PRÆDICAT.

10. Ordo Sectionis. GRAVI cum morbo conflictatus Rex noster, vitæque singulari numinis beneficio redditus, gratias agit, quod 1. a cælo a Deo sit adiutus; 2. in terra ab hostibus vendicatus; 3. ab inferorum miseriis exemptus.

Primo enim, e cælis iacenti inter aves et pascua manum porrexit Deus, ut ad thronum eveheret, v. 2. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.*

Secundo, in terra Philistbinorum, aliorumque hostium conatus elidendo: *Nec delectasti inimicos meos super me.*

Tertio, ab inferis revocavit ex lethali morbo. Primo, corpus sanando, v. 3. *Domine Deus meus clamavi ad te, et sanasti me.* Secundo animam a corpore iam pene avolantem in corpus revocando, v. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam.* Tertio, a dæmonis unguibus et corpus et animam liberando: *Salvasti me a descendentibus in lacum.*

ARTICULUS I.

Peccatum est infernus.

11. Vers. 2. Exaltamus Deum in nobis et in aliis. GRATUM se fore pollicetur David, v. 2. EXALTABO TE DOMINE, QUONIAM SUSCEPISTI ME: NEC DELECTASTI INIMICOS MEOS SUPER ME. Nota, exaltamus Deum, Primo in nobis eius maiestatem, bonitatem, sapientiam, misericordiam, iustitiam, aliaque attributa meditando, et eorum excellentiam admirando. Secundo, in aliis partim verbo illa explicando, laudando, commendando: partim factis recte vivendo, et exemplo eos ad virtutem incitando. Sed macte animo, si Deum exaltas, ipse te exaltabit super pennas ventorum et aquilarum, et usque ad tertium cælum, sicut Paulum, de quo dicitur Ananiæ Actor. 9. 15. *Vas electionis*, id est, vas electum, hoc est, instrumentum singulariter electum. Tigur. organum electum, *est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et Regibus, et filiis Israel.* Portat, ut præco, ut legatus, ut Propheta, ut doctor, ut miles et vexillifer. Portat cum labore et difficultate, atque pedetentim, sed ipse a Deo rapitur. 2. Corinth. 12. 2. *Scio hominem in Christo* (Christianum, ait Theophylactus. Christi gratia, ait Cornel.) *ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi usque ad tertium cælum*, id est, summum: quia primum cælum est aereum; 2. sidereum; 3. empyreum, ait Iulianus Pomerius, et S. Damascenus, lib. 2. de fide cap. 6. Generaliter de omnibus dicit S. Ambros. lib. de Isaac cap. 7. *Quanto quis ad Dominum intendit, tanto amplius Dominum elevat, et ipse elevatur. Unde et ille ait: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me. Sanctus enim exaltat Dominum, peccator humiliat.*

12. Afflictio ad Deum homines elevat. Nota secundo, pro *suscepisti me*, Hebr. est דליתני *dillitani*, id est, exaltasti me, vel ut vertit Arias, elevasti me, ut Caietanus et Felix. Iure itaque David dixit se exaltaturum Deum, a quo sit exaltatus, q. d. Totam altitudinem et excelsitatem quam mihi tribuisti, tibi reddam, eius tibi gloriam omnem tribuam. Vatablus minus recte vertit, *Exaltabo te o Domine, quod me attrivisti.* Hoc enim non significat *dala*, sed *dalal*, a quo esset *dillota*, non *dillita*. Sed tamen verum est, quod attritio, deiectio, et humiliatio maxime homines exaltat, et ad Deum elevat a terra abstractos et repulsos, sicut follis elevatur deiectione vehementi: deinde afflictio et humiliatio sanctorum Deum ipsum exaltat, ut patuit in martyribus, in quibus quot sunt vulnera, tot sunt ora Deum laudantia. Vide Ps. 43. Adverte etiam *dala* esse proprie elevare et exaltare e profundo: unde דלי *dali*, situla, haustrum e puteo vel fonte aquam hauriens. De profundis ad se clamantes Deus erigit, et ad summam sæpe perfectionem extollit. Septuag. habent ὑπέλαβές, id est, *suscepisti*, in humeros scilicet, sicut usurpat Herodotus: sic Deus exaltat, cum sit gigas: vel suscipit in sinum, et pectus cordi et mammis apprimens. Deus ipse Exod. 19. 4. ait Israelitis: *Vos ipsi scitis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi.* Omnes reliquæ aves, ait R. Salomon, pullos suos ponunt inter pedes suos: eo quod timeant sibi avibus, quæ supra se volitant. Verum aquila non timet sibi, nisi ab homine, ne forte petat eam iaculo. Cum enim nulla avis altius ipsa volet, propterea collocat pullus suos in alis suis, cogitans: Satius est, ut in me penetret iaculum, quam in pullos meos. Ita et ego feci, inquit Deus, iuxta illud cap. 14. 19. tollensque se Angelus, etc. stetit inter castra Ægyptiorum, et castra Israel: cumque Ægyptii mitterent iacula et lapides, ipsa nubes, in qua latebat Angelus, excepit ea; ita ille. Suscepit etiam Deus velut mater et nutrix. Osee 11. 3. ait etiam Deus: *Ego quasi nutritius Ephraim* (id est, Ephraimitarum, hoc est, Israelitarum, quibus dominabantur Reges ex tribu Ephraim filii Ioseph) *portabam eos in brachiis meis, et nescierunt, quod curarem eos.*

Quadrupliciter itaque Deus *suscepit* Davidem: Primo, 13. Suscepit Deus Davidem quatuor modis.
cum a caulis ovium elevando ad regiam dignitatem per manum Saulis. Secundo, liberando a variis hostibus, illisque calcandis eum præponendo, partim cum esset Rex in Hebron per septennium soli tribui Iuda præpositus,
partim post inunctionem a tribubus omnibus factam, at 1.
post occupationem Ierusalem domitis Philisthæis et Iebu- 2.
sæis. Tertio, eum eripiendo a lethali morbo, qui ipsum ad 3.
sepulcrum prope deiecerat. Quarto denique, cum in omni- 4.
bus negotiis fovendo et dirigendo paterna manu, atque in rebus gravibus adiuvando, et roborando, ut omnes difficultates perrumperet, et a multis periculis servaretur. S. Hieron. vertit: *Exaltabo te Domine, quoniam salvasti me.*

Tropolog. Deus cum sit altissimus Ps. 7. 18. et 9. 3. 14. Tropol. Deus servos suos exaltat. 1. Cum facilitate.
altissimum posuit refugium suum. Ps. 90. 9. servos suos in montem magnum et altum perfectionis et cæli extollit. Primo, cum facilitate. Aquila vertit, *Exaltabo te Domine*, quia ἀνεβίβασάς με, id est, ascendere fecisti, sublimem imposuisti, velut in equum vel currum elevasti. Sic usurpat Xenophon. Secundo, Deus ad perfectionem et cælum extollit cum gloria et omnium admiratione. S. Basil. reddit: *Exaltabo te Domine, quoniam* ἐμετεώρισάς με, id est, in sublime extulisti, veluti meteorum quoddam effecisti, quod omnibus est admirationi, et nullius insultum reformidat, sed singulis infert terrorem. Meteororum, id est, impressionum sublimium, quæ in aere fiunt, materia remota sunt terra et aqua; materia proxima est vapor et exhalatio, ut docet Aristotel. lib. 1. Meteor. cap. 4. Ex his enim meteora universa oriuntur: non quidem ex utraque omnia, sed quædam ex una, quædam ex altera, alique mistim ex utraque. Est autem vapor, halitus sive spiratio calida et humida, quæ ex humore aqueo prodit, qualem videre est ascendentem ex aqua, quæ in olla subiecto igni effervescit. Ex hac autem spiratione oriuntur nebulæ, rores, nubes, pluviæ, nives, grandines, et his cognata. Exhalatio est anhelitus terræ calidus et siccus, continetque sub se duas quasi species: unam, quæ parvo negotio flammam concipit, et in ignem mutatur, de qua proxime fiunt ignitæ impressiones, ut cometæ, aliæque faces ardentes: alteram, quæ non ita

(2. Cum gloria. Meteororum materia remota terra vilis est.)

facile incenditur, ex qua proxime venti existunt. Prior a terra pingui oritur, habetque partes sibi adhærentes, ab materiæ tenacitatem, cui proinde acrius Solis calor inuritur, ideoque in altiorem aeris tractum evolat. Posterior ex aridiori terra, cuius partes minorem inter se cohæsionem habent, exhalatur: unde non tanta efficacitate sese illi calor Solis imprimit, proindeque pressa pondere minus ascendit, cito dissolvitur, et in ventorum flatus abit. Ita Conimbric. lib. 1. in Meteor. Aristot. cap. 1. Maxime mirabiles et excelsæ sunt impressiones ignitæ, quarum præcipuæ sunt flamma, capræ saltantes, lancea, sidera discurrentia, stellæ cadentes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, draco volans, Castor et Pollux, Helena, fulgura, fulmina, cometæ. Mirabile est vilem hominem et luteum ad tantam gratiæ lucem et splendorem exaltari, atque orbi universo radios suos spargere, ut accidit in Davide prius pastore ovium, in Apostolis piscatoribus aut peccatoribus, quales fuere Matthæus et Paulus.

15. Irrisio hostilis est molesta generoso. Moraliter nota: Viri magnanimi molestissime ferunt irrisionem hostium. Unde ait David se exaltaturum Deum, quia non eum exposuit ipsorum risui: *Nec delectasti inimicos meos super me;* Pagnin. et Vatabl. *de me;* Noster, *super me*, q. d. mihi superiores facti, de me triumphantes, me superbo pede calcantes, ut victores solebant, sicut alias ostendi. S. Hieron. et Felix vertunt etiam, *super me*. Quanti hoc faceret David, aperit Ps. 40. 12. *In hoc cognovi, quoniam voluisti me* (id est, amasti me, complacuisti tibi in me. Chald. quod gratus tibi sim) *quoniam non gaudebit inimicus meus super me*, sicut milvus aut lupus super prædam. S. Hieronymus, quia non insultabit inimicus meus mihi. Orat non obiici hostilibus contumeliis Ps. 12. 5. et 24. 2. et 37. 17. Conqueritur quod illis sit abiectus Ps. 30. 12. et Ps. 79. 7. et 88. 43.

1. Davidi.

2. Sauli. Saul Rex in monte Gelboe victus a Philisthinis, ait armigero suo 1. Reg. 31. 4. *Evagina gladium tuum, et percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me, illudentes mihi.* Hinc Rabbini et Iosephus Saulem laudant ab animi magnitudine et mortis contemptu, et R. Isaac eum appellat iustum, et Davidi ac Salomoni coniungit. Saul, inquit, David et Salomon iusti regnarunt. Sed recte docet S. Augustinus lib. 1. de civit. cap. 26. non esse licitam sui ipsius necem.

3. Samsoni. Samson virorum fortissimus ferre non potuit cachinnos Philisthinorum, a quibus excæcatus est ad saltandum in convivio publico cogebatur: itaque duas columnas, quibus templum illud Dagonis sustentabatur, concussit, seque cum illis occidit, dicens Iudic. 16. 28. *Domine Deus memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.* Ac v. 30. subdit: *Moriatur anima mea* (id est, ego. Est synecdoche) *cum Philistiim*. S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 21. ait eum non peccasse, quia se occidit ex Dei instinctu. Bachiarius Epist. ad Ianuarium de recipiendis lapsis, vocat eum martyrem.

4. Porus victus vivere nolebat. Si hoc Iudæi fecerunt, quid facient gentiles? Porus Indorum Rex ab Alexandro victum se adeo doluit, ut cum veniam ab hoste invenisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit: ægreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere: ita Iustin. lib. 12. ad vitandam ignominiam ab inimicis inferendam, sibi necem intulerunt

5. Cato, etc. ad vitandam ignominiam se occiderunt. Cato, Thraseas, Annibal, Marius, Antonius, Cleopatra, et alii. Sed S. Augustinus lib. cit. cap. 23. docet id esse imbecillioris, quam fortioris animi facinus: et Plato ipse in Phædone sic ait: Migrare ex hac vita nulli hominum licet iniussu Dei. Sumus enim hic omnes velut in acie, loco unicuique suo ab Imperatore Deo assignato: maiorique supplicio afficiendus est desertor vitæ, quam desertor militiæ: ita Plato.

6. Dandolus licet Christianus se occidit vi ctus. Christiani ipsi sæpe irrisiones et contumelias hostiles ferre non potuerunt. Andreas Dandalus classis Venetæ præfectus, cum bello Ligustino secundo ad Corcyram a Genuensibus victus esset, Genuamque cum quatuor millibus Venetorum captus duceretur, præ nimio dolore ita graviter toticsque triremi caput impegit, ut antequam Genuam ventum esset, expirarit, ut memorat Sabellicus lib. 1. Decad. 2.

Præcipua causa movens Davidem ad Deum laudibus exaltandum est, quod eum ab inferis extraxisset, vers. 4. 16. Vers. 4

Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti me a descendentibus in lacum. Nota, Infernum et lacum Iansenius sumit pro sepulcro. Caietanus vertit: *Domine ascendere fecisti ex fovea animam meam: vivificasti me a descendere meo in foveam.* Sed vox ᾅδης, qua usi sunt Septuaginta, non significat sepulcrum, sed infernum proprie dictum. Secundo, Pagnin. infernum proprie videtur sumere: ᾅδου vero, quod Noster *lacum* reddit, vertit sepulcrum. Sic enim habet: *Domine ascendere fecisti ab* שְׁאוֹל *sceol, inferno animam meam: vivificasti me a descendentibus in sepulcrum.* Tertio, Agellius et infernum et lacum sumit pro infernis, neque ea distinguit locis. Quarto, arbitror infernum sumi pro limbo patrum, lacum vero pro inferis damnatorum. Christus enim eductus est e limbo, et non descendit ad damnatos. Quinto, tamen infernus et lacus pro limbis sumi possunt, ut videbitur.

Nota secundo, Ugo Cardin. variis modis in Scriptura *lacum* accipi docet. Prima, significat torcular. Marc. 12. 1. *Vineam pastinavit homo, et fodit lacum*, id est, torcular. Secundo, sepulcrum. Ierem. 41. 9. *Lacus autem, in quem proiecit Ismael omnia cadavera virorum.* Tertio, baptismum. Psal. 27. 1. *Assimilabor descendentibus in lacum.* Quarto, martyrium. Apoc. 14. 20. *Calcatus est lacus extra civitatem.* Quinto, Scripturam. 2. Reg. 23. *Desideravit David aquam de lacu.* Sexto, miseriam. Psal. 39. 3. *Eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.* Septimo, præcipitium. Ps. 7. 16. *Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam, quam fecit.* Octavo, carcerem. Genes. 40. 15. *Innocens in lacum missus sum.* Nono, malum consortium. Dan. 6. 16. *Miserunt Danielem in lacum leonum.* Decimo, hæresim. Is. 22. 11. *Lacum fecistis inter duos muros:* id est, inter duo testamenta. Undecimo, peccatum. Ezech. 26. 20. *Detraham te cum his, qui descendunt in lacum.* Duodecimo, pœnam utilem. Ierem. 38. 6. *Proiecerunt Ieremiam in lacum Helciæ.* Helcias interpretatur pars Domini. Decimo tertio, pœnam inutilem. Is. 14. 15. *Verumtamen detraheris in profundum laci.* Decimo quarto, desperationem. Is. 38. 18. *Non expectabunt, qui descendunt in lacum.* Decimo quinto, limbum. Zach. 9. 11. *Tu quoque in sanguine tuo emisisti eos de lacu.* Decimo sexto denique, infernum. Prov. 28. 17. *Hominem, qui calumniatur animæ ad sanguinem eius, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet:* ita Ugo ingeniose, in plerisque nonnulla sunt aliquantulum violenta et symbolica. Lacus varie accipitur in Scriptura.

Sensus porro ad literam est, q. d. Cum morbo lethali defixus iacerem, ut iam anima pene vinculis corporis soluta discederet ad limbum patrum descensura, eam tua potenti virtute retinuisti, et impedivisti, ne iungeretur iis, qui ex hac terra in hunc lacum patrum descendunt.

Allegorice, et maxime proprie de Christo e limbis ascendente est hic lacus: ita S. Basil. S. Cypr. lib. 2. testimon. contra Iudæos, cap. 24. S. Cyrill. Ieros. catech. 14. S. Thomas, Beda, Dionysius, qui sic explicat, q. d. Domine, eduxisti ab inferno, id est, a limbo patrum animam meam in die resurrectionis, salvasti me a descendentibus in lacum: id est præservasti me, ne essem de eorum consortio, qui in infernum inferiorem descendunt. Origenes propter illa verba censet totum hunc Psalmum esse de solo Christo. Vide dicta Ps. 15. 10. In descensu ad inferos Christus ostendit humilitatem profundissimam, compassionem tenerrimam, charitatem ferventissimam. In eductione eius ab eo loco Deus Pater aperuit: Primo suam sapientiam eum revocando: non decebat enim vitæ auctorem diu cum mortuis versari. Hinc Vatabl. vertit: *O Domine revocasti ab inferis animam meam.* S. Cypr. et S. August. reduxisti. Secundo, Deus Pater ostendit suam potentiam, dæmonum omnium vires infringendo, ne eam contra ius retinerent, sed victorem cum omnibus captivis limbi patrum et purgatorii abire sinerent. Psalter. Rom. et Ambr. habent: *Do-* 17. Allegor. Deus educendo Christum e limbis ostendit: 1. Sapientiam suam. 2. Potentiam.

mine abstraxisti, etc. Syr. et Petavius, extraxisti, q. d. e loco profundissimo, et cum vi, frendentibus licet hosti-

3. Iustitiam. bus. Tertio, ostendit iustitiam, quia, qui se humiliat, exaltabitur. Felix, *Domine, exaltasti ex inferno animam meam.*

4. Charitatem. Quarto denique, ostendit charitatem, eum veluti filium comitando. Caietanus, *Domine, ascendere fecisti*, velut manu paterna capiens et reducens ac robur suppeditans, *ex fovea animam meam.*

18. Anagog. Anagog. Cum domus æterna dedicabitur, Sancti omnes poterunt Deo dicere, *sanasti me*, perfectissima sanitate corporis et animæ, *et eduxisti ab inferno animam meam*, quia non permisisti, ut in infernum damnatorum descenderem: et *salvasti* seu vivificasti *me a descendentibus in lacum*, quia vitam et salutem æternam mihi donasti; ita Bellarminus. Huc pertinet S. Hieronymi versio. Vivificasti me, ne descenderem in lacum. Et Vatabli, restituisti me, quominus in foveam descenderem. Sic dicitur Psal. 102. 3. *Qui sanat omnes infirmitates tuas* (ex nobis nihil possumus. S. Cælestinus Papa legit Epist. ad Episcop. Galliæ: *Languores tuos:* sæpe in via languemus) *Qui redimit de interitu* (S. Aug. S. Hieron. S. Prosper de corruptione. Chald. de gehenna) *vitam tuam.*

19. Tropol. Ab inferno educitur, qui extrahitur a peccato. Tropolog. Sensus est, ait Titelmannus, q. d. Erat iam in infernum descensura anima mea, et in proximo erat, ut in peccatum consentiens ream damnationis et inferni se faceret: aut certe iam in peccatum consenserat, iam inferno se addixerat per peccatum mortis: sed tu Domine ab inferno eam eduxisti atque salvam fecisti, vel eam præservando a peccato, ne inferni rea fieret, vel iam ream factam ex inferno extrahendo, per peccati dimissionem; ita salvasti me a damnatis, qui in lacum descenderunt inferni, priusquam illuc descenderem; ubi nulla est redemptio, benigne me liberando.

20. Peccatum enim mortale est infernus ob duodecim rationes. Moraliter nota: Peccatum mortale est infernus. Hoc satis fuse iam probavi Ps. 6. sect. 1. art. 3. ubi ostendi in eo reperiri ignem, catenas, dæmonem, carcerem, vermes, serpentes, tenebras, blasphemias, voracitatem, æternitatem miseram. Pauca addamus.

I. Ob profunditatem. Primo, Peccatum est infernus, ob profunditatem. Infernus enim est immensa vorago in centro terræ posita, et terræ infimæ cloaca. Peccatum vero omne vocat S. Gregor. Naz. orat. 20 ἀπωλείας βυθὸν, exitii profundum. Et clare Propheta noster Ps. 54. 16. sceleratos alloquens dicit: *Veniat* (Hebr. veniet) *mors super illos, et descendant* (Hebr. descendent) *in infernum viventes.* Quod S. Greg. meditans lib. 18. Moral. 9. dicit: *Vivi sunt, qui sentiunt, quæ erga illos fiunt. Mortui enim nec sciunt omnino, nec sentiunt. Mortui itaque, qui non sentiunt, pro nescientibus: viventes vero, qui sentiunt, pro scientibus poni solent. Viventes ergo in infernum descendere, est scientes sentientesque peccare.* Est sapientiæ eas vias inire, quæ ad vitam virtutum, non quæ ad illum infernum ducunt. Salomon id mo-

21. Infernus inferior et superior quales. net Proverb. 15. 24. *Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.* Syrus, via vitæ est ascensus intelligenti. Chald. via vitæ sursum est intelligenti, ut declinet ab inferno inferiori. Rabanus ait, infernum inferiorem esse locum damnatorum, superiorem vero esse peccatum: *Infernus novissimus*, ait, *de quo liberatur, ultima est pœna damnationis. Nam primus est infernus cæcitas animæ peccantis, et veræ lucis scientia carentis, de quo dicitur in Psalmis: Et descendant in infernum viventes, id est, scientes labantur in peccatum.* Thomas Anglicus Cardinalis in psalm. nostr. ait, infernum superiorem esse peccati perpetrationem: infernum vero inferiorem esse desperationem veniæ. S. Bern. serm. 41. de assumptione B. Mariæ, agens de Lazaro post quatriduum suscitato: *Super hac*, inquit, *Lazari suscitatione manifestius psallit Propheta Ps. 15. 10. Non derelinques animam meam in inferno quidam, et carcer animæ, rea conscientia est. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Opera itaque nostra in cælum dirigenda sunt, ut ad illud nos elevent: si secus fecerimus, in inferos deiicient. S. Basilius hic: *Unaquælibet actio*, inquit, *aut ad inferiora nos per peccatum gravanda deducit, aut habiles ad Deum accedendi ad superiora tollit.*

22. II. A peccato suis viribus nemo exurgit. Secundo, facilis descensus averni; sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, hoc opus, hic labor est. A peccato lethali exurgere sine Dei gratia, nullus hominum potest, aut Angelorum. Hoc figuratur per mulierem in amphora conclusam, ex qua non posset emergere. Zach. 5. 7. *Ecce talentum plumbi* (massa plumbea) *portabatur, et ecce mulier una sedens in medio amphoræ* (est mensura capiens tres modios frumenti) *Et dixit* (Angelus qui loquebatur in me, id est mihi, interius in mente aut imaginatione) *hæc est impietas* (impia Synagoga) *Et proiecit eam in medio amphoræ, et misit massam plumbeam in os eius*, amphoræ scilicet, in ea impiam mulierem, id est mulierosum et effœminatum peccatorem claudens et perire faciens. Quoniam David peccatores vocat descendentes in lacum, ut explicat Ugo Card. et lacum, ait Niceph. esse inevitabile periculum. S. Hier. esse infernum. S. Thom. esse damnationem æternam; commode exitium irreparabile in peccato explicabis per cœnosum lacum, de quo agit Diodor. Siculus lib. 1. suæ bibliothecæ. Refert enim in Ægypto lacum fuisse latitudine quidem perangustum, sed profunditatis admirandæ: in quem perpetuo Austri flatu cum magna vis arenæ iniiceretur, quæ superficiem aquæ inobscuraret, ac terræ similitudinem induceret, fiebat ut magni etiam exercitus nonnunquam in eo perirent. Nam ex arena cum humore permista cum vagum lutum existeret, qui illuc fuisset ingressus, cum neque enatare cœno motum corporis impediente, neque egredi posset, a gurgite hauriebatur: unde βάραθρα nominaverunt.

23. III. Ibi est ignis. Tertio, in peccato est ignis inferni. Gen. 19. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino* (id est, a seipso, a sua omnipotentia, q. d. hic ignis non per causas naturales ortus est, sed divina virtute) *de cælo, et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.* S. Gregor. lib. 4. Mor. 10. ait, sulphure denotari fœtorem peccatorum; igne, ardorem libidinis. Quo ardore melior erat ille ignis, quia a Domino immittebatur: hic autem a diabolo iniicitur, nutritur, et augetur.

24. IV. Est gelu. Quarto, in peccato est gelu tartareum. In inferno enim ab ignibus in glaciem et nives transitur, ut sit dolor intensior. Iob cap. 24. 19. impio imprecans, aut potius prædicens ait, *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius*, supple, veniet, procedet. S. Greg. lib. 16. Mor. 27. sic ad rem nostram apte: *Idcirco*, inquit, *iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentem torpore constringit. Unde scriptum est Ier. 6. 7. Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiam suam. Quo contra charitas calor est, quia videlicet mentem accendit quam replet. De quo calore scriptum est, Matth. 24. 12. Abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Et cap. 28. subdit: Et usque ad inferos peccatum illius. Peccatum quippe usque ad inferos ducitur, quod ante finem vitæ præsentis per correctionem ac pœnitentiam non emendatur. De quo videlicet peccato per Ioan. dicitur 1. epist. 5. 17. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis: Peccatum namque ad mortem, est peccatum usque ad mortem, quia scilicet peccatum quod hic non corrigitur, eius venia frustra postulatur. De quo adhuc subditur: Obliviscatur eius misericordia; ita Greg. Glacies quoque hæc et nix peccatoris, est eius trepidatio, qualis fuit in Caino, Gen. 4. 13. et in illis Cæsariensibus a matre maledictis, qui perpetuo membrorum tremore correpti per orbem vagabantur, e quibus duos asserit se vidisse in Africa sanatos ad S. Stephani sacra lipsana S. August. lib. 22. de civ. Dei, cap. 8. locus est pulcherrimus, illum lege, et mirare hæreticos nolle honorari Sanctorum reliquias, nec Sanctos orari a nobis.

25. V. Fœtor. Quinto, in peccato fœtor est inferorum. Ioel 1. 17. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Hoc de gulosis exponit S. Hieron. qui dicunt: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur. Illis Deus venter est et stercus. S. Gre-

gor. 24. Meral. 6. de luxuriosis accipit: *Iumenta*, inquit, *in stercere sue computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam Ierem. 5. 8. dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius Ezech. 23. 20. dicit: Ut carnes asinorum carnes eorum, et fluxus equorum fluxus eorum.* Fœtor ille erit intolerabilis ipsis sceleratis semper scelera sua odorentibus per memoriam, et ad eum odorem horrentibus. Amos 4. 10. ait Deus Iudæis: *Ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras: et non redistis ad me, dicit Dominus.* Isaias c. 34. 9. dicit de Idumæa impia: *Convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur: et erit terra eius in picem ardentem*, id est omnino vastabitur a Chaldæis duce Sennacherib rege Assyriorum. Est hyperbole. Alludit ad Sodomam vicinam, quæ sulphureum habet solum, et lacum Asphaltidem, id est bituminosum, seu mare mortuum. Peccator vestes habet pice illitas, et ardentes, uritur et fœtet. Cresolius noster c. 3. de selectis piorum virtutibus ait, quod Iudæos cuncti refugiebant ut graveolentis averni piacula, ut elidæ fernicis aquerios, ut stercorarios ab Angiæ stabulis prodeuntes. Hinc Iudæi dicti sunt fœtentes. Atque omnem ut illam turpitudinem a peccato ortam esse intelligeremus, si quando ad Christum et religionem converterentur post sacram baptismi lotionem malus ille odor penitus evanescebat, et similes hominum aliorum fiebant.

26. VI. Fumus. Sexto, in peccato fumus est inferorum. Isaias de Idumæa dicit cap. 34. 10. *Nocte et die* (in prosperis et adversis) *non extinguetur* (ardor concupiscentiæ): *in sempiternum ascendet* (per superbiam) *fumus eius.* Sed lacrymas excutiet a cæcutientibus. Deus dicit cap. 65. 5. *Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo* (in die furoris); *ignis ardens tota die*, id est tota vita, vel potius tota æternitate: tunc impii erunt fumus et ignis, id est fomenta et pabulum ignis et fumi: vel, igne et fumo ita cingentur, ut videantur esse toti ignei et fumantes. Peccatorem, quoque inficit nigredine hic fumus. Baruch 6. 20. de idolis, id est avaris et superbis atque luxuriosis, aliisque, habes: *Nigræ fiunt facies eorum a fumo, qui in domo fit*, id est in corde, vel in malo consortio. Fumum luxuriæ S. Hieron. ait esse infamiam, locum integrum alias citavi.

27. VII. Vermis. Septimo, in peccato est vermis inferorum, pectus tundens magis, quam vultur Promethei. Iob. 24. 20. de impio dicit: *Obliviscatur* (Hebr. obliviscetur) *illius misericordia: dulcedo illius vermes.* Arias vertit, capietur dulcore eius vermis. Pagnin. dulcedinem sentiat ex eo vermis. Tigurina, est dulcis cibus vermium. Sed noster melius et nervosius. Hebr. vertit, *Dulcedo illius vermes*, q. d. omnes eius deliciæ et voluptates, ipsaque caro quam ita charam habuit, in vermes et putredinem vertentur: vel, q. d. dulcedo et suavitas impii est inquietudo et anxietas: ubi quietem mali expectant et quærunt, ibi dolorem et amaritudinem reperiunt. S. Greg. lib. 16. Moral. 29. *Qui*, ait, *in hoc appetit mundo prosperari, cæteros excedere rebus et honoribus tumere, huic nimirum cura sæcularis in delectatione est, et quies in labore. Valde etenim fatigatur, si desit cura sæculi quo fatigetur. Quia autem natura est vermium, momentis singulis incessanter moveri, non immerito signatur nomine vermium, inquietudo cogitationum. Perversa itaque mentis dulcedo vermis est: quia inde delectabiliter pascitur, unde per inquietudinem incessanter agitatur:* ait deinde vermis nomine posse intelligi carnem, quia putredo est: adde, quia inquieta est. Speciatim de luxuriosis ait Iesus Sirach auctor Eccli. 19. 3. *Qui se iungit fornicariis* (Gr. ὁ κολλώμενος πόρναις, qui agglutinatur meretricibus) *erit nequam.* (Clem. Alexand. 2. Pædag. 10. legit, τολμηρότερος ἔσται, evadet confidentier et audacier: ad alia scilicet scelera: quia libido impudentes facit) *Putredo et vermes hæreditabunt illum.* Humores enim, spiritus, sanguinem, et totam hominis complexionem corrumpit libido, et carnem facit putrescere, ut ex ea vermes ebulliant. Vermis omnium sceleratorum est conscientiæ stimulus. Isidor. lib. 2. soliloquior: *Nulla*, inquit, *pœna gravior pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis? bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala propriis agitatur stimulis.*

Octavo, in peccato fames est et sitis inferorum. Isaiæ 41. 2. *Computrescent pisces sine aqua* (peccatores sine gratie; 2. sine refrigorio) *morientur in siti*, voluptatum, quæ sitim non extinguent, sed ita augent, ut necem afferant. De fame ait Deus Amos 8. 11. *Mittam famem in terram*, id est, in animam terrenam. Oseæ 4. 10. *Comedent, et non saturabuntur: fornicati sunt, et non cessaverunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo*, legem scilicet ac præcepta eius, ait S. Hier. et Lyran. qui de fornicatione spirituali, id est idololatria explicant: ad alia scelera posses transferre. Chald. et S. Isid. de corporea fornicatione accipiunt. Ad nostrum propositum ait S. Hieron. *Voluptas habita famem, non saturitatem parit.* Et ibidem: *Iniquitas substantiam non habet, nam ventres delinquentium vacuos relinquit. Vires fornicantium deficiunt, sed desiderium inardescit.* 28. VIII. Fames.

Nono, in peccato nulla est requies, sicut neque in tartaro. Ierem. 16. 13. ait Deus Iudæis: *Servietis ibi* (in Babylone, id est in confusione peccati) *Diis alienis die ac nocte* (in corpore et animo) *qui non dabunt vobis requiem.* Arias vertit, quia non dabo vobis misericordiam. S. Hier. in comment. *Quidquid*, inquit, *peccamus, quidquid malorum operum die ac nocte facimus, imperium est dæmonum, qui nunquam nobis dant requiem, sed semper impellunt delictis augere delicta, et cumulum facere peccatorum.* Hebræi vocant peccatorem רשע *rascia*, id est inquietum, quia est inquietus in se, et alios quietos esse non patitur. Est mare agitatum et agitans, quod quiescere non potest. Pharao dicebat Exod. 5. v. 5. *Multus est populus terræ: videtis quod turba* (Iudæorum) *succreverit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus?* Qui vacat, videt quam suavis sit Dominus, colitur Deus in sabbato, id est in requie. Pharao pergit v. 8. dicere præfectis suis: *Vacant* (id est otio torpent) *et idcirco vociferantur, dicentes: eamus et sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus.* Mosis et Aaronis evocantium in solitudinem, ut sacrificent, et ibi loquatur Deus ad cor eorum. 29. IX. Perpetua inquietudo.

Decimo, in peccato tenebræ sunt non Ægyptiacis modo et Cymmeriis, sed etiam tartareis tetriores. Ps. 57. 9. *Sicut cera quæ fluit, auferentur* (S. Hier. quasi vermis tabefactus pertranseant. Chald. Sicut reptile limax, qui madefacit viam suam) *supercecidit ignis* (Psal. Rom. et Cassiod. super eos cecidit ignis: libidinis scilicet et cupiditatis) *et non viderunt Solem.* S. Hieron. quasi abortivum mulieris, quod non vidit solem. Chald. sicut abortivum, et talpa cæca, quæ non vident solem, Christum scilicet, qui est sol iustitiæ, Malach. 4. 2. et lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. 9. S. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 19. que agit de iis, quæ illustratione fiunt, vocat ἀλαμπῆ κακίαν, tenebrosum vitium. Blondus lib. 9. hist. tradit post Guelfos, qui partes Pontificum tuebantur, at Gibellinos, qui Imperatorum, in Italia, prodiisse duas factiones, alborum, et nigrorum. In hac etiam vita iusti sunt filii lucis, Luc. 16. 8. et amant lucem, Ioan. 3. 21. impii vero sunt filii tenebrarum, et lucem oderunt, ibid. 20. 30. X. Tenebræ.

Undecimo, in peccato etiam est dæmon. 1. Reg. 16. 14. *Spiritus Domini* (id est spiritus fortitudinis, bonitatis, prudentiæ, magnanimitatis, animi liberalis et regii) *recessit a Saul: et exagitabat eum spiritus nequam* (id est diabolus) *a Domino*, supple immissus ad punienda eius peccata. Itaque melior erat dæmone, id est malitia peccati, quæ a Deo esse non potest. Sæpe in uno homine est tota legio dæmonum, imo totus infernus, id est pene omnia genera scelerum, cum summa confusione et tumultu. S. Petr. Da- 31. XI. Dæmon.

miani lib. 2. epist. 5. *Reproba,* inquit, *cuiuslibet anima fit confusio tartari: et in sancta, munda, atque perfecta, species paradisi. Mens, enim odiosa, cupida, curis tantummodo sæcularibus dedita, libidinis igne succensa, nonne tibi videtur infernus: in quo videlicet et diabolus habitat, et concupiscentiarum ignes æstuare non cessant.*

32. XII. Desperatio. Duodecimo denique, in peccato præsertim per habitum inveterato, est desperatio damnatorum, et incorrigibilitas. Thomas Anglicus in Psal. nostr. ut iam monui, duplicem infernum distinguit; superiorem quidem, peccati perpetrationem: inferiorem vero, desperationem. Semper enim in profundiorem lacunam sceleratus labitur. S. Ambros. lib. de Isaac: Anima, inquit, quæ peccat, ipsa moritur: a veris enim vinculis soluta virtutis, prona fertur in præcipitia, et labitur ad inferiora. S. Chrysol. serm. 6. *Quando homo non sub peccato tristis? quando non sub vitiis suspectus? quando non sub criminibus desperatus?*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

33. *Tria complectitur. Primo, Deum laudandum esse ob vicissitudinem consolationis et desolationis, vers. 5. Secundo, asserit expertum se diuturnas non esse huius vitæ consolationes, vers. 7. Tertio denique, monet id quoque expertum se, desolationes huius vitæ non esse semper durabiles, vers. 9. usque ad finem.*

PARAPHRASIS.

5. *Psallite Domino sancti eius: et confitemini memoriæ sanctitatis eius.*

5. Imparem me tanti Domini laudibus cum sentiam, adeste supplici vos omnes, qui sanctitate eminetis, voces vestras et cantica meis adiungite, uni Domino et vivimus et concinimus. Confessione laudis sanctissimam eius maiestatem celebrate: quod immemores sui paterna et suavissima memoria foveat, bonisque immeritos cumulet.

6. *Quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius.*

6. Deus quidem cum in scelera nostra iusto indignatur, illa punit; sed id faciens non intendit nobis mortem inferre, sed vult nos sua gratia vivificare.

Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.

Nec patitur amantissimus Pater diutinis nos angoribus confici. Sed vix unius noctis interiectu collectus ad vesperam mœror, ad orientis Solis radios evanescit, si tantillum paternæ eius providentiæ quis indormierit, et in eam omnia sua seque ipsum coniecerit.

7. *Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.*

7. Ego vero cum alternantes divinæ iustitiæ et pietatis vices non attenderem, bonisque omnibus circumfluerem, hostes in fugam versos, regnum stabilitum, paratos ad omnia subditos cernerem, sic mecum animo reputabam. Nulla me vis, nulla calamitas de hoc rerum mearum statu deiiciet: hactenus variis iactatum fluctibus fortuna luserit, nunc ductante Deo spesque meas firmante, securum portum attigi, tumultuentur venti, undæ infremant, inconcussus perstabo.

8. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.*

8. Sed o Domine Deus, a tua unius voluntate hos regiæ coronæ radios lucem accipere, regnique robur a te uno semper pendere cognovi.

Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

Cum enim has firmati sceptri et partæ quietis cogitationes maxime versarem, ac perennis et immotæ felicitatis spes inanes alerem, nubem lumini a te prodeunti obduxisti, iratoque similis a me faciem retorsisti. Tum repentinus morbus corpus meum invasit, ac mœror et perturbatio concussum insperata mutatione animum occupavit.

9. *Ad te Domine clamabo, et ad Deum meum deprecabor.*

9. Averteris faciem licet, et maiora commeritum lethali morbo punivers, unum tamen te conturbatus adiutorem quæsivi, cum membris omnibus fractus lectoque affixus iacerem, voce te sequutus sum, te Deum meum ac Dominum deprecatus in hæc verba erupi.

10. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?*

10. Quid tibi populoque meo proderit, tam variis in præliis profusus in hostes nominis tui sanguis, si nunc præmatura morte abreptus in sepulcro putrescam? nunc vel maxime in regno pacatus de te honorando cogito.

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

Poterone redactus in cineres vocem in laudes tuas formare, tuamque in iis præstandis, quæ promisisti, fidelitatem prædicare? Omnes intelligent in irritum cecidisse ea, quæ mihi post tot exilia laboresque tui unius ope superesse ferebantur: non nomini meo tantum, sed gloriæ tuæ hostes insultabunt, cum addictissimum me tibi in primævo ætatis flore succisum iactabunt.

11. *Audivit Dominus, et misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.*

11. Languentis ac pene demortui voces cælum penetrarunt, indeque divina misericordia devolans salutari panacea vires restituit, et iam in sepulcrum labentem potenti manu fulcivit, atque a morte revocavit.

12. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

12. Excusso mœrore pristina illuxit lætitia, ob recuperatam sanitatem. Lugubrem pœnitentiæ vestem saccumque, quem cum aulicis meis indueram, ut te ad misericordiam permoverem, abieci: et toti corpori robur, aulæque exultationem affundens, omni me ex parte lætitia ambivisti.

13. *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

13. Ut quidquid erit in aula regnoque gloriæ, maiestatis ac potentiæ, totum hoc tuam in laudem redundet: cum ex ipsius mortis faucibus beneficio tuo extractum me omnes agnoscant. Et pristinæ valetudini restitutus, non amplius tantis doloribus stimuler, ut liberius atque ardentius omnes animæ vires in tui laudes absumam. Vitam meam per te redditam, tibique devotam dicare parum est: dum stabit æternitas, debitum tanto liberatori præconium exolvam.

QUÆSTIO UNICA

Quam instabiles vitæ huius consolationes et desolationes.

34. Ordo Sectionis. DAVID superiori Sectione pollicitus est laudaturum se Deum, quod morbo lethali prostratum sanaverit: nunc omnes hortatur, ut idem faciant ob afflictionum, et consolationum in hoc vita alternotionem, quam se expertum asserit.

Ac primo, invitat fideles et iustos, ut Dei laudes celebrent, 1. instrumentis musicis, et præsertim psalterio, v. 5. *Psallite Domino sancti eius*; 2. canticis ore decantatis: *Et confitemini memoriæ sanctitatis eius.*

Causam illius laudis profert: nempe summam eius sapientiam et providentiam in danda consolatione et desolatione. Nam modo indignatur Deus et affligit, v. 6. *Quoniam ira in indignatione eius.* Modo consolatur et vivificat. *Et vita in voluntate eius.* Quæ tam frequenter alternat, ut sæpe ne dies quidem unus eodem cursu fluat: sed cum tempus serotinum ob diurnas curas et labores triste fuerit, v. eod. 6. *Ad vesperum demorabitur fletus,* statim post brevem somnum Sole reduce mentis lux et serenitas redeat: *Et ad matutinum lætitia.*

Secundo, declarat experientia propria se illam consolationis et desolationis alternationem didicisse. Utrumque eleganti ethopœia explicat, qua exprimit, quid apud se cogitarit, et fecerit, tum in consolatione, tum in desolatione.

In consolatione quidem, ait cogitavisse se eam fore sempiternam ac perpetuam, v. 7. *Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor in æternum:* sed fatetur se esse deceptum, et cognovisse id ob unius Dei voluntate pendere, v. 8. *Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.* Eius benigno aspectu et influxu cessante lætitiam omnem defluxisse, v. eod. 7. *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

In desolatione vero, ait, se ad Deum confugisse, partim oris clamore, v. 9. *Ad te Domine clamabo*: partim cordis oratione: *Et ad Deum meum* (id est, ad te) *deprecabar.* Secundo, ostendit qualis fuerit sua oratio et vociferatio: nempe dixisse Deo, nec vitam suam ipsi fore gloriosam, si tam cito moreretur, v. 10. *Quæ utilitas in sanguine meo* (toties fuso) *dum descendo in corruptionem?* nec mortem. *Numquid confitebitur* (corde) *tibi pulvis* (corpus in cineres redactum) *aut annuntiabit* (ore) *veritatem tuam?* Tertio, exauditum se esse dicit. Nam preces Deus auribus audivit, v. 11. *Audivit Dominus:* corde commotus est compatiens propter dolorum acerbitatem: *Et misertus est mei:* manu auxiliatus est: *Dominus factus est adiutor meus.* Quarto, effectum sanationis aperit, 1. evulsionem tristitiæ a corde afflicti, v. 12. *Convertisti planctum meum in gaudium mihi;* 2. remotionem cilicii et sacci: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.* Quinto, finem sanationis profert, 1. Dei gloriam, v. 13. *Ut cantet tibi gloria mea;* 2. Davidis ipsius exultationem: *Et non compungar.* Et constantem in Dei amore animum: *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

ARTICULUS I.

Consolationis et desolationis in hac vita mirabilis est alternatio, et ob illam laudandus est Deus.

Vers. 5. AMOR non potest satiori amati laudibus, nec sibi ipse satisfacit, sed eum ab omnibus laudari appetit, ad idque omnes invitat. Itaque David, qui amabilem significat, ait: PSALLITE DOMINO SANCTI EIUS: ET CONFITEMINI MEMORIÆ SANCTITATIS EIUS: id est, memoriæ sanctæ eius: scilicet, quod mei fuerit memor, me a morbo sanando. Recordari enim dicitur Deus, cum benefacit: et oblivisci, cum derelinquit, et gratias subtrahit. Chald. vertit: *Laudate coram Domino pii eius, et confitemini, in memoriam revocate sanctitatem eius.* Cum Deus memor sit nostri, ac de nobis semper cogitet, ingrati et stupidi sumus, nisi et ipsius et beneficiorum ab ipso datorum memores simus.

Psalmus cantici. Nota. In titulo est psalmus cantici: et tamen postquam dixit, exaltabo te Domine, ait, *psallite*, igitur potius est canticum psalmi. Resp. primo, pro *psallite* in Hebr. est זמרו *zammeru*, quod S. Hieron. et Caiet. vertunt, *cantate.* Vatabl. et Pagnin. *canite.* Nonnulli censent significare modulationem et incisionem musicam, dicique tantum de modulationibus arte compositis, quæ numeros suos ac casuras habent: sicque differre a שיר *sciar*, quod significat cantilenas solutas numeris atque vulgares. Proprie tamen *zamar* est psallere, ut noster, Septuag. Felix et alii reddunt. Patet in psalmis passim, et alibi. Resp. igitur secundo, τὸ *Exaltabo te* esse genericum et tam ad psalmum quam ad canticum pertinere: *psallite* vero ad psalmum, *et confitemini*, id est simul fatemini, unanimi professione canite, ad canticum. Adverto autem obiter *zamar* proprie esse putare, amputare; 2. psallere: itaque si bene vis psallere, vitia tua et cupiditates amputa, mortificatio est necessaria ad bonam psalmodiam. Non prius flores apparent in terra nostra, id est in nostro corpore, quod est nostrum psalterium, ut alias ostendi, quam tempus putationis advenerit, tunc etiam auditur vox turturis, id est canticum castæ et pœnitentis animæ Cant. 2. 12. Tertio psalmus cantici, ut supra dixi ex Nyssen. et Bellarmin. est, cum cantico præcinente psalmi sonus subsequitur.

36. Sancti sunt misericordes. Nota secundo, pro *sancti eius*, Hebr. est חסידיו *chasidav*, id est misericordes eius, ut vertunt Pagn. et Arias, quod sumi potest passive et active: 1. passive sumit Vatabl. cum vertit: *Cantate Domino hymnum qui experti estis bonitatem eius*; 2. active sumit Caietan. *Cantate Domino gratiosi eius*, id est ut ipse explicat, liberales ad benefaciendum gratis. Noster, Septuag. S. Hieron. Fel. Petav. et alii, vertunt *sancti*, et hoc etiam significat *chasid*, unde græcum ὅσιος, id est sanctus. Itaque *chasid* est ille qui pio affectu est tam in Deum quam in homines. Nam, ut recte ait S. Ioan. 1. epist. 4. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligit Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* (Qui amat regem, veneratur eius imaginem) *Qui enim non diligit fratrem suum quem vidit* (Gr. ἑώρακε, *vidit*, et toties quotidie videt) *Deum quem non videt quomodo potest diligere?* idem habitus charitatis ad utrumque amandum inclinat.

37. Sancti qui debent Deum laudare sunt: 1. Christiani omnes. 2 Sacerdotes. *Sancti* porro a David invitati ad Deum laudandum sunt omnes fideles Iudæi et tempore legis Mosaicæ, et præsertim Christiani tempore legis gratiæ. Hi enim omnes vocatione, professione, officio et debito sunt sancti, et sic vocantur a S. Paul. Rom. 1. 7. 1. Cor. 1. 2. Eph. 1. 1. et alias sæpissime. Secundo, sancti qui Deum laudare invitantur, sunt Levitæ et Sacerdotes: hi enim specialiter destinati et consecrati sunt, ut toti sint in Dei maiestate, sapientia, bonitate, misericordia ac cæt. meditandis et celebrandis. Sanctos autem esse convenit, eum ad Deum sanctissimum et ad sancta sanctorum, id est altaria et mysteria sanctissima accedant. Dicebat Deus Is. 52. 11. *Mundamini qui fertis vasa Domini*, quanto magis qui fertis ipsum Dominum intra vos ipsos et ad alios? Eucharistia est memoria sanctitatis eius, neque sanctitatis tantum, sed omnium mirabilium; est sanctitas memor nostri, et nos semper ferens corde, et in nostro corde hærere optans et habitare. De victimis et earum libaminibus ait Deus Lev. 6. 18. *Omnis qui tetigerit illa, sanctificabitur.* Tertio, 3 Qui virtute excellunt.
sancti qui invitantur ad Deum confitendum memoriæ sanctitatis eius sunt ii, qui speciali et excellenti virtute eminent in terris, et qui iam in cælis beati sunt. Pertinet ad Seraphinos laus sanctitatis divinæ, Isa. 6. 3. Vide dicta Psal. 32. 1. *Rectos decet collaudatio*; et Ps. 49. 16. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas.* Omnes vero affectus pii decent sanctos. Itaque Propheta noster eos invitat Psal. 30. 24. ut Deum diligant. Psal. 33. 10. ut eum timeant. Psal. 131. 9. ut in eo exultent. Ps. 144. 10. ut benedicant. Ps. 148. 14. ut hymnum decantent. Psal. 149. 5. ut laudent. Ubi adverte aliquando Hebr. et Græc. eadem esse vocabula. Syr. et Arabs ver-

tunt: *Canite Domino electi eius.* Signum est prædestinationis laudibus Dei dicendis et audiendis delectari.

Laudandus Deus etiam cum affligit.

Moraliter nota. Laudes Deo debentur etiam ob afflictiones. Itaque David hic postulat et psalmum et canticum: id est gratiarum actionem tum ob morbum, tum ob sanitatem. Psalterium non sonat nisi percussum. Monet etiam Psal. 97. 5. *Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi*, id est iungendo vocem psalmo. *In tubis ductilibus* (id est malleatione attenuatis et formatis) *et voce tubæ corneæ*. S. Hier. et clangore buccinæ. Quod S. Aug. ponderans ait: *Quid sibi volunt tubæ ductiles, tubæ corneæ? Ductiles tubæ, æreæ sunt, tundendo producuntur: Si tundendo, ergo vapulando. Eritis tubæ ductiles, ad laudem Dei productæ, si cum tribulamini proficiatis. Tribulatio, tunsio: profectus, productio est. Tuba ductilis erat Iob, quando repente percussus tantis damnis et orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis sonuit: Dominus dedit, Dominus abstulit, etc.*

Sic erit tuba ductilis.

Deus affligens est medicus et pater.

Deus affligens amandus est, 1. velut medicus; 2. velut pater. Nam primo sæpe ægrotamus, et multis simul morbis. Is. 1. 5. de corpore politico synagogæ dicitur: *Omne* (id est totum. Est enallage quantitatis discretæ, pro continua) *caput languidum, et omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Hoc ortum est ex eo quod blasphemavissent sanctum Israel, id est Israelis. Amara potione et molesta sectione atque sanguinis missione hi morbi curantur, non aliter. Diligis te sanatum, ama et medicum conducens ad hoc adhibentem. Tribulatio te cruciat, sed Deus sanare intendit. Exemplo sanguisugæ et medici rem ingeniose declarat S. Petrus Damiani opusc. 53. cap. 1. *Medicus*, ait, *sanguisugas tumentibus ægroti membris opponit, virusque simul cum sanguine ab intimis visceribus sorberi permittit: diversæ tamen intentionis est medicus et hirudo. Illa siquidem nil aliud gestit, nisi ut sanguinem bibat: iste ad hoc tendit, ut languidus convalescat. Illa satiatur et moritur: ægrotus autem, dum perdit sanguinem, recuperat sanitatem. Illa denique sua se morte satiat, et exultat: ægrotus autem dum vulneratur, ad statum salutis erigitur. Quid igitur mirum si Deus omnipotens, qui est medicus animarum, sic nos occulta sui moderaminis arte disponit, ut ex alienis vulneribus nobis medicamenta conficiat? quatenus dum nobis hostile vulnus infligitur, ex eo potissimum salutis antidotum procuratur.*

Sanguisugæ confertur afflictio, Deus medico.

Secundo, pater filios suos castigat, ut ab iis morbos animæ dispellat. S. Paulus Hebræos exhortans ad patientiam in tribulatione quam patiebantur ob Christi fidem graviter afflicti a suis contribulibus, ait Hebr. 12. 5. *Fili mi, noli negligere* (μη ολιγωρει, ne contemnas, ne parvi æstimes) *disciplinam Domini: neque fatigeris* (μηδε εκλυου, neque dissolvaris et deficias) *dum ab eo argueris* (verbis aut factis) *Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Sequitur Septuag. Prov. 3. 11. ubi Noster vertit, et quasi pater in filio complacet sibi: *In disciplina* (εν παιδεια, id est in correctione et instructione puerili) *perseverate. Tamquam filiis offert se Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam* (χωρις παιδειας, sine castigatione) *estis, cuius participes facti sunt omnes* (filii Dei, Abel, Noe, Abraham, etc.) *ergo adulteri, et non filii.* Seneca lib. de providentia: Deus bonos, ait, ut severi patres durius educat, vultque eos doloribus ac damnis colligere robur. Hinc S. Antiochus hom. 117. quæ est de gratiarum actione, dicit: *Tribulationibus attriti*, πλειον οφειλομεν ευχαριστειν, ως γνησιοι, και ουχ ως νοθοι υιοι, *magis debemus gratias agere, ut genuini ac legitimi filii, non autem ut spurii.* Accinit S. Nilus in paræn. Ne murmura, inquit, ob ea in quibus a Deo castigaris: castigat quidem ut pater; eamque ob rem dignus est, qui ut benefactor laudetur, ευχαριστεισθαι δε ως ευεργετης εστιν αξιος.

Hæc est *memoria sanctitatis* et bonitatis Dei, quam sancti agnoverunt cum affligebantur. David dicebat Ps. 22. 4. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Chald. vertit in psalt. Nebiensis, castigationes tuæ, et lex tua ipsæ me consolatæ sunt. S. Hieron. consolabuntur. Tota vita durat consolatio afflictionis et præsertim in æternitate, dulce est meminisse laborum. In ipsa percussione est delectatio, quod videamus Deum nos curare. S. Laur. Iustin. in manuscr. Psal. comm. *Ipsa*, inquit, *me non afflixerunt sed potius consolata sunt: quia in his intelligo te esse memorem mei.* Nicolaus de morib. gent. tradit apud Persas reum ipsis in flagellis gratias agere, quod rex eorum memor fuisse videretur: *Regi*, ait, *gratias egit, qui flagellari ab eo iussus fuerit, tamquam feliciter secum actum sit, quod rex memor ipsius fuerit.* Longe potiori ratione hoc Deo punienti faciendum, qui flagellis in cælum nos ire compellit, et doloribus mel affundit et ambrosiam et recreationem. Hetruscos suo tempore ad tibiæ cantum solitos flagris animadvertere in servos suos tradit Arist. et refert Plut. tr. de ira cohib. Deus in ipsis suppliciis delectationem offert.

Nos quoque in media tribulatione Dei memores simus, oculosque a terra in cælum erigamus, et ab eo subsidium affuturum speremus. Hoc consilium dat S. Gregor. Naz. orat. 16. *Memores simus*, inquit, *tum tempestatis in tranquillitate, tum gubernatoris in tempestate: nec in afflictionibus frangamur animis ac debilitemur, atque improbos servos imitemur, qui confitentur quidem Domino cum benefacit eis: sed eidem corripienti, nequaquam pari studio ac voluntate adiunguntur: cum tamen interdum accidat, ut dolor sanitate, et admonitio remissione atque indulgentia, et visitatio neglectu, et castigatio venia melior sit, et præstabilior.*

Vers. 6. 1. Pars. Deus dat vitam et felicitatem cum amore et benevolentia.

Pater et Mater irascuntur liberis, sed non diu illa ira perdurat: statim enim amor illam dissipat et serenitatem inducit: v. 6. QUONIAM IRA IN INDIGNATIONE EIUS, ET VITA IN VOLUNTATE EIUS, id est in volitione, hoc est in amore et benevolentia eius. S. Hieron. vertit, in *repropitiatione eius.* Vatabl. *in beneplacito eius.* Hebr. רצון *retson* significat bonam voluntatem, propensionem animi, favorem, gratiam, beneplacitum. Septuag. hic exprimunt per θελημα, id est voluntatem, hoc est volitionem seu ipsam actionem volendi. Petav. vero per ευμενειαν, hoc est benevolentiam, benignitatem, clementiam, placobilitatem, bene affectum animum. Radix רצה *ratsa*, bene velle alicui, propenso esse animo et affectu in aliquem, favore et benevolentia prosequi.

Sensus itaque est, q. d. Quando Deus punit, hoc præstat ex indignatione in scelera nostra, et a nobis irritatus et provocatus: cum vero vitam, id est felicitatem et bona omnia largitur, hoc facit ex beneficentissimæ naturæ inclinatione atque desiderio, sponte ad benefaciendum fertur, invitus vero et coactus ad iram, id est ad punitionem et vindictam. Sap. 1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Syr. *nec vult perditionem vivorum.* Per peccatum mors intravit in mundum, Deus vero homini dedit spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Ezech. 18. 23. *Numquid voluntatis meæ* (antecedenter et ex meipso) *est mors impii, dicit Dominus* (non cupit Dominus perire sibi servum) *Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* 1. Timoth. 2. 4. *Deus omnes homines vult salvos fieri.* Quod S. Damasc. lib. 2. de cap. 29. sic explicat: Neque intendum est, ait, Deum antecedenter velle omnes salvari, et regnum eius consequi. Non enim ad puniendum nos plasmavit, sed ut efficiat nos bonitatis suæ participes, ut bonus: peccantes autem puniri vult, ut iustus. Dicitur igitur *prima præcedensque voluntas*, et acceptatio ex ipso existens; *secunda, vero voluntas sequens*, et permissio ex nostra causa existens; ita Damas. Deus itaque vult, et sincere optat et ex animo cupit, ut omnes prorsus homines salventur, in eamque rem datur omnibus Christus redemptor, atque per ipsum gratia, sacramenta, cæteraque ad salutem necessaria media, quæ quantum est ex parte sua, desiderat esse efficacia. Itaque si qui pereunt, non ex Dei voluntate ac prædestinatione, sed ex sua malitia et obstinatione pereunt. Hinc Paul. dicit Rom. 2. 4. 5. *An divitias bonitatis eius* (id est, exuberantem bonitatem) *et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam* (quod) *benignitas Dei ad pœnitentiam te*

adducit? σε αγει, te impellit, te adducere conatur: et quantum est in se, adducit: *Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram* (id est supplicia et vindictam) *in die iræ, et revelationis iusti iudicii Dei*. Vide S. Aug. serm. 67. de temp. Chald. hic vertit: Momentanea est ira eius *vita æterna* in bona voluntate eius. Ad hoc venit Christus, ut testatur Io. 10. 10. *Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant;* περισσον εχωσιν, id est abunde habeant, vel abundantem, id est præstantem, excellentem, modum excedentem habeant: in hoc sæculo per gratiam, et in futuro per gloriam, ut ait S. Cyr. S. Chrys. et alii.

38. *Ira Dei est momentanea.* Nota. Pro *ira* Hebr. est רגע *rega*, quæ vox significat 1. scissionem: unde, ρηγνυμι, scindo, findo; 2. momentum, brevissimum tempus, q. d. brevissima scissio temporis: hinc etiam minutum vocamus, imo brevius minuto est momentum. Itaque Noster vertit: *Ira in indignatione eius*, q. d. supplicium et vindicta est scissio, id est occisio et mors in indignatione et furore eius, q. d. cum indignetur, omnia scindit, dividit, perdit, conficit. Caiet. vero habet: *Momentum est in furore eius*, q. d. brevi durat furor eius. Vatabl. clare, momentanea est ira eius. Nam et vita nostra est momentum, unde pendet æternitas, et tota vita non durat punitio divina. Felix, Instans in ira eius. S. Hieron. *Ad momentum est ira eius*. 2. Cor. 4. 17. ait Paul. *Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate* (Gr. καθ' υπερβολην εις υπερβολην, id est secundum excellentiam perfectissimam) *æternum gloriæ pondus operatur* (moraliter et meritorie) *in nobis*. Deus dicit Ecclesiæ et animæ sanctæ afflictæ Is. 54. 7. *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper a te, et in misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit redemptor tuus Dominus*. Avertit faciem, sed cor non avertit, misericordia enim est in corde. Sic ira est in אפו *appo*, vultu eius, sed vita est in corde eius velut in fonte, clauso quidem ad momentum, sed ut illam servet in totam æternitatem. Flammantis vultus ira cito extinguitur, paterni pectoris iac vivificum et spiritus vitales æterni sunt, et filiis dantur. Ps. 76. 10. *Numquid obliviscetur misereri Deus?* (q. d. hæc sunt incompossibilia Deus et oblivio misericordiæ. Chald. Numquid possibile est, ut oblitus sit misereri Deus) *aut continebit in ira sua* (velut in cataracte) *misericordias suas*, q. d. id facere non potest. Exundabit enim torrens misericordiarum eius et omnia disrumpet obstacula. Cor paternum et viscera disrumpentur potius, quam clausum amorem contineant, quin erumpat, calor enim in dies maior fiet, et tandem viam sibi faciet. Chald. vertit: *Et si ira percitus est, ut non incalescant misericordiæ eius in æternum?* Etiam contra naturam e cælo descendit ignis Spiritus sancti in Apostolos, ut eos repleret, et cæli aperiuntur, ut descendat columbæ specie supra Christum. Cæli licet sint ære fusi, amorem Dei continere non possunt, quin sese diffundat. Contra vero misericordiæ iram facile continent, ita ut egredi non possit, quin aliqua misericordia præeat et sequatur. Psal. 114. 5. *Misericors* (S. Hier. Clem. Hebr. חנון *chanun*, id est propensus ad benefaciendum gratis) *Dominus, et iustus Deus noster miseretur*. Cassiod. miserebitur, q. d. perseverans est in misericordia, nunquam desinet misereri. Adverto bis poni misericordiam, ut videas et Deum a misericordia incipere, et in misericordia terminare, intermisceri vero misericordiæ iustitiam, ut vel invitos nos coget ad acquirendam misericordiam æternam. S. Ambr. ibi: *Bis*, inquit, *misericordiam posuit, semel iustitiam, in medio iustitia est gemino septo inclusa misericordiæ: superabundabant enim peccata, superabundet ergo misericordia, apud Dominum omnium virtutum abundantia est*.

39. *Scriptura lætis tristia præponit.* Nota secundo, cum S. Basil. *Mos est sacri eloquii, ei quando tristia et læta commemorat, tristia lætis in ordine præponere*, γλυκυτερα γαρ εστιν η απολαυσις, *fruitio boni efficitur iucundior, tristibus iam exactis*. Sic Anna mater Samuelis in suo cantico post nativitatem filii facto dicit 1. Reg. 2. 6. *Dominus mortificat et vivificat* (vita est in voluntate eius) *deducit ad inferos et reducit* (Chald. ab inferis deducit ad vias æternitatis) *Dominus pauperem facit, et ditat: humiliat, et sublevat*. Deus ipse ait Deut. 32. 39. *Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. Ego occidam, et ego vivere faciam; percutiam, et ego sanabo*. Homines contrarium sæpe faciunt, blandiuntur ut interimant: illud est oleum peccatoris, ungunt, ut securius vulnera infigant. Bonum vinum primo ponunt, ac deinde id quod deterius est.

Moraliter nota. Si Deus ipse ad momentum tantum irascitur, licet ira eius sit semper cum summa sapientia coniuncta, cave ab ira, cum inter stultos iracundus computari possit: primo, enim Cicer. Tus. 4. dicit, nihil similius insaniæ, quam iram; secundo, Enn. asserit in annal. iram esse initium insaniæ; tertio, Senec. lib. 1. de ira, cap. 1. iram appellat brevem insaniam. Themist. orat. de amic. μανιαν ολιγοχρονιον, insaniam brevis temporis. Unde Cato apud Plutarch. in Apoph. irascentem ab insaniente tempore differre pronunciat; quarto denique, Horat. lib. 1. epist. 2. iram nuncupat brevem furorem. 40. *Ira est insania.*

Cum Deus ira et punitione non utatur nisi tamquam medio ut det vitam et felicitatem alumnis et filiis suis, parum durat, ut iam dixit, atque nunc clarius explicat David noster vers. eod. 6. AD VESPERUM DEMORABITUR FLETUS, ET AD MATUTINUM (mane ut vertit Pagnin. et Caiet. sub auroram, ut Vatabl.) LÆTITIA. Hebr. רנה *rinna*, cantus, ut reddit Caiet. 2. laus, ut S. Hieron. 3. iubilatio, ut Arias; 4. exultatio, ut Felix; 5. lætitia, ut noster, Vatabl. αγαλλιασις, ut habent Sept. est lætitia gestiens, sive exultatio. Rad. *ranan* est clamare, canere, lætari, exultare, ovare, laudare, acclamare cum gratulatione, sicut faciebant milites ovantes aut triumphantes. Itaque *ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia*, est Proverbium, q. d. cito tristitiæ et afflictiones huius vitæ in gaudium mutantur, sicut brevi momento tenebræ noctis fugantur lumine auroræ nascentis. 41. *Vers. 6. 2. Pars. Tristitia et lætitia in hac vita alternant.*

Nota primo, per *Vesperum* possumus intelligere tempus vespertinum, id est tempus quod est finis diei et initium noctis. Sensus tunc erit, q. d. Sæpe cum sub diei præcedentis finem mœror aliquis mentem obruerit, brevi interposita nocte statim initio diei sequentis oritur consolatio et lætitia. Vespera porro est aptior tristitiæ, 1. ob labores exantlatos tota die, sive in agricultura, sive in mercatura, sive in aliis rebus et officiis; 2. ob varias iacturas quæ accidunt, et interturbationes, ne optata consequeremur; 3. ob recessum lucis et tenebras adventantes. Aurora vero est aptior lætitiæ, 1. propter quietem nocturnam, qua corporis et animæ vires reparatæ sunt; 2. ob fugam tenebrarum et accessum lucis; 3. ob spem lucri tota die faciendi. Hunc sensum secutus sum in paraphrasi, et bonus est.

Per *vesperum* tamen melius intelligemus tempus nocturnum: per *matutinum* vero, tempus diurnum. Sensus autem tunc erit, q. d. Sæpe cum tenebris et horrore nocturno in fletus eruperis, summo mane auroræ tibi cum lumine lætitiam revehit, q. d. sibi alternatim succedunt lætitia et tristitia, sicut nox et dies. Itaque in densa caligine ne desperes, perinde quasi in cæcitate, errore, perplexitate, miseriis et calamitate perpetua sis mansurus: licet enim tibi tu succurrere nequeas, sol tamen tibi Christus sponte sua gratiæ lucem atque felicitatis restituet.

Nota secundo, pro *demorabitur*, Hebr. est ילין *ialin*, id est pernoctabit, hoc est longam moram faciet, ait Ugo; 2. *pernoctabit*, id est una tantum nocte morabitur, sicut hospes in hospitio; ita Agell. et melius. Et quidem Hebr. *lun* unde *ialin*, significat pernoctare, per noctem manere, hospitari. Unde מלון *malon* est hospitium, diversorium, q. d. pernoctatorium, id est locus pernoctationis; 2. *lun* significat gemere, conqueri, querulam vocem edere: quia inquit Mercer. in thes. noctu in locis desertis et vastis ululant animalia feralia et quod nox suapte natura sit tristis: adde, quod tunc humor melancholicus abundet. In hac vita velut in deserto sumus circumdati feris, id est pec-

catoribus: quis igitur non gemat et eiulet, cum feras, id est peccata etiam intra nos geramus.

42. Allegor. In Christi passione fuit tristitia, in resurrectione lætitia.

Alleg. *Ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum lætitia*, q. d. eum sub vesperam Christus in cruce passus et mortuus est, magna fuit comploratio matris eius, piarum mulierum, discipulorum et aliorum multorum. Luc. 23. 48. *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur;* Christo autem resurgente orta est lætitia Deiparæ, piis mulieribus, Apostolis, discipulis, toti mundo; ita S. August. hic, et serm. 18. de temp. S. Basil. Dion. Cart. et alii. Vesperæ tunc in auroram mutatio ita facta est, ut ipsa vespera luxisse, id est gaudium dedisse dicatur. Mat. 28. 1. *Vespere sabbati quæ lucescit in primo sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria* (uxor Cleophæ et mater Iacobi) *videre sepulcrum.* Vesper, ait S. Aug. est nox, quam lux terminat. Nam ut docet S. Pros. sent. 203. *Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione.* Itaque vesper ibi sumitur pro fine noctis et initio diei, id est pro tempore auroræ. Ubi obiter adverte dici, *quæ* lucescit: quia vesper est etiam generis fœminini, vel quia vespere est adverbium, et ibi non respicitur ad nomen significans, sed ad rem nomine significatam Syr. habet, Vespere in sabbate, cum exoritura esset prima hebdomadis: id est dies dominica, quæ vocatur prima sabbati, hoc est post sabbatum, vel prima septimanæ; nam sabbatum pro tota etiam hebdomade sumitur. Gaudium porro in resurrectione accidit, 1. mulieribus viso Angelo, qui revolverat lapidem ab ostio monumenti. Ibid. v. 8. *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno.* Gaudium est, sed timor restat conspecto Angelo, licet dixisset: Nolite timere. Sed ubi Iesus resurgens apparet solum gaudium reperitur. Luc. 24. cum apparuisset Apostolis in cœnaculo die ipso Resurrectionis, initio quidem turbati sunt, sed statim trepidatione recedente gaudium successit, v. 41. *Mirantibus præ gaudio, dixit.* Et in dies ipsa familiaritate augebatur: unde cum vidissent ascendentem in cælum exultantes redierunt domum, Luc. 24. 52. *Adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno.* Et in prima apparitione gaudium ex aspectu Christi resurgentis aperit Ioan. 20. 19. *Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum,* (id est prima sabbati, hoc est hebdomadis: ipsa die dominica resurrectionis) *et fores essent clausæ propter metum Iudæorum, venit Iesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit manus, et latus. Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino,* tu *ergo* denotat consequentiam gaudii ex visione. Tu vide Christi manus, id est opera: et latus, id est amorem tibi oblatum et patentem, ut partim eum ad te trahas, partim te in eum immergas, atque lætaberis.

43. Tropol. Ex peccato est tristitia, ex gratia est lætitia

Tropol. *Ad vesperum demorabitur fletus*, id est cum peccaveris, tibi flendum est. Sic David Ps. 6. 7. *Lavabo* (S. Hier. natare faciam, q. d. abundanter lavabo) *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, ut producat fructus pœnitentiæ. Lectus noster est conscientia nostra. Vide ibi dicta. *Et ad matutinum lætitia*, id est cum lux gratiæ in animam rediverit, secum lætitiam reducet. Illud est verum et solidum gaudium. Discipulis 72. revertentibus a missione sua cum gaudio et dicentibus: *Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo*, ait Iesus Luc. 10. 20. *In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Ita S. Athan. Caiet. Titelm. Dion. Ugo, Lombar. qui ait *matutinum* esse ortum fidei et charitatis, scilicet cum lux gratiæ oritur fideli, quæ occidit peccanti, per quam in anima resurgimus, secundum illud: Exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. Defle peccata tua, et dic cum Tobia seniore cap. 3. 22. *Non delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis.* Nimirum, ut ait Corn. post nubila Phœbus, post noctem aurora, post hyemem æstas, post morbum sanitas, post desolationem consolatio, post crucem gloria, post mortem resurrectio: et ut ait Tertull. in apol. Christus post fel, favos et mella gustavit. Unde Salomon Prov. 14. 10. *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.*

Symbol. Primo, *vesper* est totum tempus ab Adamo usque ad Christum, *matutinum* vero est nativitas Christi. Ita auct. oper. imp. in Matt. hom. 40. Secundo, de Adamo sub vesperam peccante sic exponit Lomb. *Vespera est quando sol in occasum declinat, quo tempore Adam peccavit: et lux inde solis, id est Christus qui est sol iustitiæ, et lumen peccatorum ab eo occidit: vergente tunc in occasum sole temporis. Unde in Gen. 3. 8. Cum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem, timuit Adam, et abscondit se. Iam ille peccator tegebat se inter ligna paradisi, nolebat videre faciem Dei ad quam gaudere consueverat. Occiderat illi sol iustitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis, dies versus est in mortem, lætitia in fletum. Defle ergo genus humanum, quia nasceris de Adam. Ex Adam enim facti sumus omnes, et quotquot procrearunt filios, et procreaturi sunt, ex quo et ipsi creati sunt. Vespere itaque cepit post meridiem, ubi lux sapientiæ a peccante homine recessit, quando et morte damnatus est. Et ex tunc durat fletus, et durabit, quamdiu in laboribus et tentationibus populus Dei expectat diem Domini, scilicet matutinum. Et hoc est fletus, id est universa miseria hominis, incipiens ad vesperum Adæ, quo peccavit, et lux interior ab eo recessit. Demorabitur, id est, diu et in multis morabitur: Diu, quia non mox est tota restitutio tradita domino: et in multis, quia omnes ex eo nascimur in peccato et pœna. Demorabitur, dico, usque ad matutinum, id est usque ad diem Domini, quo resurrectio nostra futura est: quæ in matutino Christi resurrectione præfloruit: et tunc scilicet in matutino, erit nobis lætitia perennis, quia tunc absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis sanctorum.* Ac paulo post ait Christum ideo esse sepultum vespere, ut ostenderet se mori, non pro sua culpa, sed pro nobis, qui vespere sumus sepulti in paradiso, id est per peccatum Adæ commissum: et mane surrexisse, ut nos mane surgemus, quod est quando lux gratiæ oritur homini in mente. Tertio autem die resurrexisse, ut nos tertio die surgamus, id est tempore legis gratiæ. Si enim, ait, sæculum cogites, unus dies est ante legem, secundus sub lege, tertius sub gratia. Est tantum accommodatitium quod ait Luis. Legion. in Abd. *Ad vesperum demorabitur fletus*, id est Deus tarde punit: *ad matutinum lætitia*, id est cito compensat, et summo studio dat res prosperas.

44. Symbol. Adamo sub vesperum peccante ortu est tristitia.

45. Anagog. In huius vitæ vespera est tristitia, in æternitate, lætitia.

Anag. In hoc sæculo locus est exilii et fletus; in æternitate beata dies est et lux lætitiæ atque exultationis; ita S. August. S. Hieron. Lud. Dion. S. Bas. cuius hæc verba sunt, εσπερα αιων ουτος λεγεται: *Vespera hoc sæculum dicitur, in quo qui ad suam beatitudinem ploraverint, adveniente postea matutino solatium et consolationem accipient,* Matth. 5. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt.* Vide dicta Ps. 125. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.* Duplicem fletus materiam assignat Dionysius; scilicet Christi dolores et nostram ingratitudinem. Paul. dicit Rom. 8. 17. *Si filii, et hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Vide quanta sit vis compassionis, sine qua ne filiatio quidem Dei prosit, aut potius sine qua non perseveraret, debet enim hærere trunco, qui ab eo succum trahere exoptat, et fonti qui ab ipso vult irrigari. Magis tamen sermo est de passione reali quam de compassione mentis aut oculorum.

46. Vita nostra comparatur vesperæ, ob tres rationes: I. Quia est umbrarum plena.

Quæres primo: Cur vesperæ vita nostra comparatur? Primo, quia umbra est, et umbrarum plena. Ps. 143. 4. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut umbra prætereunt.* Muis. ex Hebr. vertit: Homo halitui similis est: dies eius sicut umbra præteriens. Vide illum locum, et Ps. 38. 7. *Verumtamen in imagine* (Hebr. בצלם betselem, in imagine umbratica; *tsel* enim umbram significat) *pertransit homo: sed et frustra conturbatur:* quia capit umbras pro rebus, at illis vane terretur, quia umbræ sunt: transvolant, sed non feriunt, nisi forte minus sapientium imaginationem. S. Ambros. serm. 3. in Ps. 118. *Hic*, in-

quit, *in umbra viximus, ergo vita isto in corpore umbra est vitæ atque imago, non veritas; denique in imagine ambulat homo: Christus vita est, et ideo qui in umbra Christi vivit*, etc. Cuncta quæ in mundo sunt considera, nihil præter umbras ullo in loco reperies: Primo, voluptas umbra est, quod contemplans S. Ambr. lib. de parad. c. 13. advertit Adamum statim a peccato umbram foliorum quæsivisse, ut suam nuditatem obvelaret: *Nunc*, ait, *multis simulationum involucris mens humana velatur. Ergo postea quam spoliatos se illo sinceritate et simplicitate viderunt integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana et manufacta cœperunt, quibus nuda mentis ora operirent: delectationes delectationibus, mundi huius umbratiles voluptates velut folia foliis consuentes, quibus obumbrarent genitale secretum.* Secundo, honores sunt umbra fugaciores: S. Chrys. hom. 5. in Genes. Dic obsecro mihi, ait, cur ita humana laude teneris? Nescis, quod, καταπερ σκια και ει τι ταυτης ευτελεστερον, sicut umbra, et si quid illa vilius, ita illorum laus in aerem diffusa evanescit. Tertio, in divitiis omnia sunt evanida et umbratica, nihil vero solidi. S. Greg. Naz. ad Iul. *Sicut fumus*, inquit, *dilabuntur, et somnii more homines deludunt, umbræque instar manibus teneri nequeunt.* Quarto denique, omnia terrena sunt meræ umbræ et figuræ, non res. 1. Corinth. 7. 31. *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur* (Gr. ως μη καταχρωμενοι, tamquam non abutentes. Syr. præter æquum usum non utantur) *Præterit enim* (παραγει, id est præterit; 2. decipit et transversum agit) *figura huius mundi.* Gr. σχημα, hoc est habitus, species, status mundi fugax, ut S. Ambr. et S. Anselmus exponunt.

II. Ob Solis occasum.

Secundo, vita hæc est similis vesperæ ob recessum caloris a Sole producti. Hinc Iob. 14. 2. dicitur de homine, *fugit velut umbra*, quod S. Gregor. 11. Mor. 62. meditans, ait, *Cur cursus vitæ hominis umbræ potius quam Soli comparatur, nisi quia amisso amore conditoris calorem cordis perdidit, et in solo iniquitatis suæ frigore remansit? Quia iuxta veritatis vocem Matth. 24. 12. Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum. Qui igitur in amore Dei cordis calorem non habet, nec tamen vitam quam diligit, tenet, scilicet velut umbra fugit.* Hoc indicat S. August. in Ps. nostr. Quid est, ait, Vespere demorabitur fletus? Vespera fit, quando sol occidit. Occidit Sol ab homine, id est lux illa iustitiæ, præsentia Dei. Hoc Ruff. amplificat, qui sæpe cum S. August. convenit in verbis ipsis. Vespera fit, inquit, quando sol occidit. Vespera cepit, ubi sapientiæ lumen recessit a peccante homine, quando morte damnatus est. Occiderat enim illi sol iustitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis. Ab ipso vespera moras habebit fletus, quamdiu in laboribus et tentationibus populus Dei expectat diem Domini. Deinde veniet matutinum, quo exultatio resurrectionis futura est; ita ille.

III. Quia est nocti proxima.

Tertio, vita hæc similis est vesperæ, quia est nocti, id est, morti proxima. Nullum est vitæ momentum, in quo mortem mox intercepturam timere non debeamus. Prov. 12. 7. *Verte impios, et non erunt.* In puncto ad inferna descendunt.

47. Vita nostra est nox: 1. Ob tenebras.

Quarto, cum per vesperam hic proprie tota nox intelligatur, addendum est nocti ipsi vitam esse similem. Primo, ob tenebras. S. Gregor. 13. Moral. 15. in illud Iobi cap. 17. 12. *post tenebras spero lucem*, de hac vita sic ait: *Lux post tenebras speratur: quia vel post noctem vitæ præsentis æternum lumen percipitur, vel ita hic adversitas atque prosperitas alternant, ut sibi succedere vicissim non desinant. Unde fit, ut in luce nox in suspicione sit, et in nocte lux in præsumptione, sicut scriptum est, Eccl. 11. 27. In die bonorum ne immemor sis malorum; et in die malorum, ne immemor sis bonorum.*

2. Ob insomnia.

Secundo, Vita hæc similis est nocti ob varia insomnia. Carsilis sapienter dicebat: *Quid est homo?* ολιγοχρονιον φαντασμα, *caducum simulacrum, et phantasma.* Philo lib. de somniis: *Non decet*, ait, *virtutis sectatorem vita delicata, nec imitatio beatorum istorum, ut vocantur: revera miserorum, quantumlibet sint in honore ac pretio*, ως πας ο βιος υπνος και ενυπνιον εστι, *quorum tota vita somnus est et somnium.* Hebræi affinia fecerunt hæc duo vocabula: שנה *sciano*, id est, annus: et שנה *scena*, id est, somnus. Nam unico puncto tantum differunt, in omnibus literis conveniunt, licet a diversa radice oriantur. Etenim *scena*, deducitur a *iascian*, id est, dormire: *sciana*, autem a verbo *sciona*, id est mutare. Sed mutatio fit a somnio in somnium: seu verius, a somno nocturno in diurna insomnia.

48. Auroræ comparatur beata æternitas ob tres rationes.

Quæres secundo: Cur auroræ, sive tempori matutino, æternitas beata comparetur? Primo, quia tunc desinunt tenebræ, et incipit lux. Tobias senior de Ierusalem, id est, Ecclesia ait cap. 13. 11. et 13. *Ierusalem civitas Dei*, etc. *Luce splendida fulgebis.* Anagog. etiam de triumphante exponit Cornelius. Secundo, ob gaudium ex illa luce exortum. Tobias ibid. 20. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.* Tertio, præsertim auroræ æternitas beata comparatur, quia lux eius nunquam finem inveniet, sed semper velut in principio constitutis infinita temporis spatia restant decurrenda, neque illius durationi quidquam detrahit tempus iam evolutum. Is. 60. 19. *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, et luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui*, id est, non amplius lugebis, quia eris in perenni lumine, sine eclipsi Solis, et lunæ. Non erunt ibi alternantes vices Solis et lunæ, quia pro illis et omnibus stellis erit Deus. Apoc. 21. 23. *Civitas non eget Sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna* (lux, stella, Sol, fax) *eius est agnus*, id est, Christus. Tunc erit ad matutinum lætitia: erit enim humanitas Christi stella matutina, Apoc. 22. 16. Unde ipse eam promittit iustis, Apoc. 2. 28. *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi stellam matutinam*, id est dabo ei meipsum, ait Ribera, dabo ei stellam, quam in nocte huius sæculi sequatur, ut plene iam eius luce fruatur. Tunc illud omnino implebitur, quod habebit lumen vitæ. Atque hæc stella matutina rectissime illis promittitur, qui ut Christi doctrinam et lucem sequerentur, respuerunt carnis voluptates, et non sunt passi se tenebris errorum Iezabelis, et blanditiis excæcari; ita Ribera. Alludit porro S. Ioannes ad stellam luciferum, quæ mane Solem orientem prævenit, sicut prima oritur post Solem occidentem, et dicitur Vesper, Vesperugo, et Hesperus.

Lucifer stella.

De illa sic Plin. lib. 2. c. 8. *Infra solem ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac lunæ. Præveniens quippe et ante matutinum exoriens, luciferi nomen accepit, ut sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque lunæ reddens. Quam naturam eius Pythagoras Samius primus deprehendit, olympiade circiter quadragesima secundo, qui fuit urbis Romæ annus centesimus secundus. Iam magnitudine extra cuncta alia sidera est: claritatis quidem tantæ, ut unius huius stellæ radiis umbræ reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu est. Alii enim Iunonis, alii Isidis, alii Martis Deum appellavere. Huius natura cuncta generantur in terris. Namque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terræ modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat. Signiferi autem ambitum peragit trecentis et duodequinquagenis diebus, ab sole numquam absistens partibus sex atque quadraginta longius, ut Timæo placet.* Christus in cruce fuit nobis Vesper, in resurrectione lucifer, atque in tota æternitate, ubi rorem vivificum et lumen semper veluti novum infundet: *Oriens nomen eius*, Zach. 6. 12.

49. Vita nostra cum incipit, desinit ex parte.

Æternitas post centum milliones annorum semper erit velut in principio. Contra vero, hæc vita cum incipit, ex parte desinit, quod etiam Seneca vidit lib. de brevitate vitæ, cap. 10. *Præsens tempus*, inquit, *brevissimum est: adeo quidem, ut quibusdam nullum videatur: in cursu enim semper est. Fluit et præcipitatur, ante desinit quam venit.* Hinc Sapiens de ingressu in hanc vitam locutus, statim

finem ettexuit, Sap. 7. 6. *Unus introitus est omnibus od vitam, et similis exitus*; εισοδος, id eet, introitus: est vox theatralis, et convenit personis theatrum ingredientibus. εξοδος quoquo e theatro excuntibus convenit: unde εξοδιον appellabatur carmen, quod in fine comœdiæ canebatur teste Polluce lib. 4. Videndum est ut personam nobis impositam bene agamus, breve enim tempus habemus, cito veniet catastrophe fabulæ. S. Hier. verba allata Sapientiæ admirans: *O angustum*, inquit, *et satis anxium tempus vitæ mortolis, ubi cum initia nominotur et finis. Initium nostrum cum fius suscipimus.* S. Petr. Dam. Opusc. 56. c. 9. *Si unus ad vitam introitus, et similis exitus diligenter attenditur: varistas illo, quæ versatur in media, necesse est ut tamquam volax, fugacis somnii vanitas contemnatur.* Sed finem nostrum fugatis somniis faciamus initium matutinæ lætitiæ et auroræ æternitatis. Maximus Tyrius Platoni-

50. Mors est ad vitam nativitas.

cus serm. 25. *Hoc*, ait, *quod mortem homines vocant, idipsum est immortalitotis initium, et futuræ vitæ procreatio.* Iudi Brachmanes, ut refort Strabo lib. 15. diecbant: θανατον γενεσιν εις τον οντως βιον, και τον ευδαιμονα φιλοσοφησασι; mortem esse nativitatem ad illam veram, atquo felicem vitam. Palladas lib. 1. Antologiæ Græcæ cap. 37. ψυχη απο δεσμων τῳ θανατῳ φευγει προς θεον αθανατον; anima e corporo tamquam e carceribus mortis fugit ad Deum immortalem. Themistius apud Stobæum serm. 121. Videtur, ait, ipsum τῳ θανατῳ, hoc est mortis, nomen, hominem e vita migrantem, non ad locum aliquem suh terram referre, sed extollere ανω εις θεον: hoc est, sursum ad divinam sedem. Sic enim probabile est animam velut a vinculo corporis, quod expiravit, solutam, tum demum vere respirantem, sequo recreantem, Deo socieri, et ab eo pendere; ita ipse. Lucem autem et lætitiam ibi foro sic exponit ibidem: *Mortis*, inquit, *affectum subire, simile est initiationi in magnis aliquibus sacris, quocirca ut ipsa vocabulo, sic etiam res inter se consimiles sunt*: τελευταν *enim mori et* τελειν, *sacro*, τελεισθαι, *initiori. Nam post mortem mirabilis quædam lux occurrit, out loci puri, aut amœna prata defunctos excipiunt, in quibus voces, choreæ, et venerabiles de rebus sacris narrationes resonant: illic homo iam perfectus, initiatus, sui iuris factus et liber, coronatus obambulans sacra celebrat, et conversatur cum viris sanctis purisque, profanam in terra et impurom turbam inspiciens, quæ in profunda cœno et caligine, a seipsa conculcatur et compellitur.*

51. In prosperis et adversis Deus est laudandus.

Sive autem sint in vespere fletus, sive in metutino lætitiæ, Deum lauda, illum exalta, illi psalle, et conlitere memoriæ sanctitatis eius, id est sanctissimæ, qua memor est tui, ut te sanctificet. Sic David dicebat Psal. 54. 18. *Vespere et mane, et meridie, narrabo et annunciabo.* S. Hier. *Loquar et resonabo.* Deus vult laudari eum amore et fervore. A vespera, id est ah afflictione incipiendum est, in luce terminabis. Nota, a vespera ad vesperam dies suos inchoabant Hebræi: seu a sola occidente ad iterum occidentem solem, ut Athenienses; 2. a noctis medio ad aliud medium noctis Ægyptii; 3. ab ortu ad ortum Babylonii et Persæ; 4. a meridie ad meridiem Umbri et Hetrusci. Deus vero a vespera ad Solis ortum, post quem nulla est amplius alternatio lucis in die æternitatis. Ibi simul est aurora et meridies: id est lux ardentissima et fulgidissima, nec tamen fatigans aut fastidium afferens.

ARTICULUS II.

Superbia felicitatem vertit in miserias, oratio autem humilis vertit miserias in felicitatem.

52. Vers. 7.

Primam partem ostendit David, v. 7. et 8. Et quidem v. 7. ait, Ego autem dixi in abundantia mea: non movebor (Hebr. non nutabo) in æternum, id est unquam, nullo tempore, non movebor quamdiu vivam. Sic accipitur τὸ in æternum pro nunquam Ioan. 13. 8. ubi S. Petrus Christo sibi pedes lavare cupienti, ait: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Et hic Vatablus vertit: In sempiternum nonquam nutebo: quod Petavius vocat αμετροεπος και υπερβιον, immoderate dictum et arrogans. Neque est improbabile levi et veniali præsumptione tunc Davidem peccasse, eum se regem constitutum videns non tantum tribus Iuda, sed etiam reliquarum tribuum, bis victos Pharisæos considerans: nempe in Baal Pharasim, et cum est vox audita in cacumine pyrorum, thronum suum ita firmatum credidit, ut concuti non posset, ac suam prosperitatem ita esse stabilem, ut propriis viribus conservari valeret. In ea opinione est S. Ambros. lib. 3. in Lucam, quem infra citabo, si tamen est auctor illius commentarii.

Nota secundo, pro *in abundantia mea*, Hebr. est בשלוי *bescialci*, id est in pace mea. Vatabl. et Arias, in quiete mea. Chald. cum sederem in tranquillitate. 2. Flaminius, in prosperitate mea. Pagnin. In felicitate mea. 3. Noster, S. Hieron. Felix, in abundantia mea. Arabs, in divitiis meis. Petav. multis circum bonis affluens. Sept. εν τῃ ευθηνιᾳ μου, id est in prospero successu. 2. In bona habitudine: quod etiam ad sanctitatem corporis referri potest. 3. In bonorum ubertate et copia. Hebr. שלוה *scialca*, significat *solutem* (inde hæc vox deducitur) pacem, quietem, tranquillitatem, felicitatem, abundantiam. Hinc Christus dicitur שילה *scilo*, Gen. 49. 10. ubi ait Iacob moriturus et prophetans: *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, (Hebr. scilo) *et ipse erit expectatio gentium*, id est, avidissime excipietur a gentibus conversis, quasi ab illis diu expectatus. Sicut enim eum Prophetæ prænunciarunt Iudæis, ita etiam Sibyllæ prædixerunt Gentilibus. *Scilo* autem deducit R. David a *scil*, id est *filius*, et exponit *filius eius*; 2. Cornelius, in Genes. ait deduci a שלח *scialoch*, per chet, ita ut *Scilo* sit legatus, missus, mittendus; 3. melius derivabis a verbo שלה *scialo*, per ho, sic enim per he scribitur Scilo, q. d. salvator pacificus, felicitatis auctor, pacis et salutis dator, abundans, tranquillus, felix. Dices, Noster vertit, *qui mittendus est.* Resp. ad salvandum scilicet, et ad pacandum orbem terrarum: ita ut magis ad sensum quam ad vocem interpres advertit.

53.

Christus cur vocetur Silo.

54. Vers. 8.

Effectum præsumptionis suæ duplicem aperit David, 1. aversionem Dei a se; 2. suam perturbationem, v. 8. Domine in voluntate (id est voluntate) Hebræi nomen instrumenti ponunt cum præpositione. Hebr. *in benevolentia* tua præstitisti decori meo virtutem. Hebr. fortitudinem. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus, sicut viator sylvam longam, umbrosam, flexuosis et crebris semitis intercisam atque incogoitam pertransiens turbatur in subita eclipsi Solis faciem suam orbi abscondentis.

Varietas versionum et concordia.

Nota pro *decori meo* esse להררי *lehareri*, id est monti meo. Hinc Hieron. vertit: *Posuisti* (Caiet. stara fecisti. Vatabl. collocaveres) *monti meo fortitudinem.* Arias legit *harari*, id est montibus meis, et Chald. reddit: *Astitisti montibus validis*, quod Primo accipi potest de Iudæa, est enim regio montosa; ita Trevotus. Secundo, et melius, de monte Sion, ubi civitas David et arx, atque domus regia de cuius dedicatione hic agitur.

Sensus itaque est, *Domine, in bona voluntate tua*, ut habet Psalt. Rom. præstitisti monti meo Sion firmitatem et stabilitatem fusis hostibus meis Iebusæis, qui eum occupabant, et Philisthæis meæ felicitati invidentibus: Probabile est Sept. legisse להדרי *lehadri*, id est decori meo, facili mutatione *daleth* in *res* deinde lectum esse *harari*, id est, monti meo. Sed idem est sensus. Vult enim David gratias agere Deo propter ornatum et decorem civitatis suæ regiæ in monte Sion sitæ, et propter ornatum ac splendorem aulæ suæ tam in rebus, quam in personis. Hæc autem intelliguntur sive legas decori meo, sive monti meo.

Moraliter nota. Decori esse iungendam virtutem. *Multi*, ait, Ugo Cardinal. *habent decorem in corpore, sine virtute animæ, ut Absalon, de quo 2. Reg. 14. 25. Sicut Absalon non erat vir pulcher. Secundo, alii in sermone, Eccl.* 55. Virtus est decori iungenda.

4. 28. *Non obscondas sapientiom tuam in decore tuo. Tertio, slii in veste, Matth. 7. 15. Venient ad vos in restimentis* orium. *Sed sponsus et sponsa, et filii eorum habent decorem in corde. Primo, de sponso, Ierem. 50. 7. Peccoverunt Domino decori iustitiæ. Cant. 1. 15. Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus. Secundo, de sponsa, Cant. 4. 7. Tota pulchra es amica mea, et mocula non est in te. Ierem. 31. 23. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ. Tertio, de filiis, Ps. 127. 3. Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Zach. 9. 17. Quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines?*

56. Ornatus corporis sit moderatus

Moderatum corporis ornatum esse licitum patet. Nam Rebecca sibi datas a servo Abrahami inaures aureas appendentes siclos duos, et armillas totidem pando siclorum decem accepit, Gen. 24. 22. Et postquam acceptavit coniugium Isaaci, dicitur ibid. v. 53. *Prolatisque* vasis argenteis et aureis, ac vestibus, *dedit ea Rebeccæ pro munere,* misso scilicet ab Abrahamo et Isaaco. Secundo, de Iudith itura ad Holophernem habetur Iudith cap. 10. 2. *Vocarit Abram* (id est, ancillam) *suam, et lavit corpus suum, et unxit se myro* (id est, unguento. Est vox Græca) *optimo, et discriminavit crinem capitis sui, et imposuit mitram* (fasciem byssinam gemmis et bracteolis aureis tremulisque collucentem) *super caput suum, et induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, et lilia* (armillas specie et forma liliorum) *et inaures, et annulos, et omnibus ornamentis suis ornavit se.* Deus autem addidit decori eius virtutem: unde sequitur: *Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, et ideo Dominus hanc in illa pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.* A Deo suam pulchritudinem expectent, et per virtutes eam impetrent, quæ sunt illius studiosæ. Tertia, Esther Regina sese ornavit vestibus regiis, ut Assuerum conveniret, Esther 5. 1. et 15. 4 sed addebat decori suo virtutem, nempe humilitatem, ut patet c. 14. 16. ubi ait: *Tu scis necessitatem meam* (me ornandi regalibus vestibus more Persico) *quod abominer signum superbiæ et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ,* (signum superbiæ, id est, cidarim seu coronam regiam) *et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem illud in diebus silentii mei,* id est, quibus in cubiculo meo vivo quasi privata persona. Deus præstitit decori eius virtutem, id est, fortitudinem, quia impetravit ab Assuero liberationem populi sui, *nempe* Iudaici per Aman ad cædem damnati in toto imperio Persico, et præterea obtinuit necem ipsius Aman et decem filiorum eius, atque hostium omnium Iudaici *nominis*: adeo ut Iudæi occiderint illorum septuaginta quinque millia in provinciis, et quingentos in Susan urbe regia. Iudith quoque præstitit Deus fortitudinem, quia occidit Holophernem, terruit et fugavit universum Assyriorum exercitum, et Bethuliam universamque Iudæam liberavit.

57. Ornatus corporis superfluus septem mala causat.

Noster Ioan. Suffren septem præcipua mala superflui ornatus in vestibus effert part. 2. anni Christiani, c. 3. Primum quidem, quia nimium studium corporis ornandi est peccatum, S. Gregor. hom. 40. in Evangelia: *Sunt,* ait, *nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumque vestium non putant esse peccatum. Quod si videlicet culpa non es-*
1. *set, nequoquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso et purpura indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi ad inanem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæteris esse videatur. Nam quia pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur, res ipsa testatur, quod nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri. Quam culpam possumus melius etiam ex diverso colligere: quia si abiectio vilis indumenti virtus non esset, Evangelista vigilanter de Ioanne non diceret: Erat indutus pilis camelorum.*
2. Eccli. 11. 4. præcipitur: *In vestitu ne glorieris.* Secundum malum nimii studii in ornando corpore est neglectus ornatus animæ, cuius neglectus signum est illud studium ardentius. S. August. in Ps. 41. *Plerumque ubi corpus sic nitet, squallet animus.* Seneca epist. 14. *Honestum ei vila est, cui corpus nimis charum est.* Cum contra de solo animo sit curandum. Seneca epist. 8. *Cogito in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno, nihil magnum est.*
Tertia, nimis comptæ sunt causa vel occasio lapsus aliis. 3.
Tertull. id improbans lib. de cultu fœminar. ait: *Quid alteri periculo sumus, et concupiscentiam importamus: nescio an impune habeat, qui alicui fuerit causa perditionis; perit enim ille in tua forma, si concupierit, et admisit iam*
animo quod concupivit, et facta es tu gladius illius. Quarto, 4.
tempus misere perditur, quod tanti pretii est, cum eo acquiri possit æterna felicitas. Terentius: *Dum poliuntur,*
dum comuntur, annus est. Quinto, cultus illius nimii finis 5.
est vanitas et inanis lèus hominum. Sed stultitia est, ut ait S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Timoth. gloriari in re, quam vermes et gignunt et perdunt. Clemens Alex. lib. 3. pædag. cap. 3. ornatius comptas comparet templis Ægyptiorum ornatissimis, in quibus feles, serpentes et crocodili colebantur. Dignus est qui audiatur: *Non externi,* inquit, *hominis aspectus, sed animus* καλοκαγαθιας κοσμηματι, *probitatis ornamento decorandus est. Dici potest ornandam quoque esse carnem,* εγκρατειας κοσμω, *ornamento continentiæ. Istæ autem non animadvertunt, dum colunt id quod est extrinsecus, quæ intus in profundo sita sunt, esse plane inculta, horrida, et sterilia: cuiusmodi sunt ornamenta Ægyptiorum, apud quos templa, eorumque porticus, vestibula ac luci magnifice instructi, eorumque atria multis columnis cincta sunt: parietes autem lapidibus externis, et artificiose depictis resplendent, ita ut nihil desit: ædes autem auro, argento, et electro collucent, et ex India atque Æthiopia variis fulgentibus lapillis: adyta vero intextis auro obumbrantibus peplis. Sed si penetralia templi ambitus subieris, et ad eius quod est præstantius spectaculum properans, imaginem quæ templum habitat quæsieris, sacerdos quispiam ex iis qui in templo sacrificant, gravi et venerando vultu aspiciens, et Ægyptiorum lingua Pæanem concinens, cum veli aliquantum contraxerit,* ως δειξων τον Θεον, *tamquam Deum ostensurus, magnam suppeditat occasionem irridendi numinis: neque enim intus invenitur Deus qui quærebatur, ad quem festinabamus, sed felis vel crocodilus, vel serpens indigena, vel aliqua eiusmodi bellua, quæ templo quidem est indigna, sed antro speluncæ, ac cœno dignissima. Apparet Deus Ægyptiorum bellua, quæ super vestem stragulam purpuream volutatur. Ita etiam mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, et in crispandis crinibus exercentur; et in genis ungendis, oculisque pingendis, et pilis tingendis versantur, et aliam mollitiem arte improba persequuntur, septum hoc carnale ornantes, et vere Ægyptios imitantes, infelices amatores attrahere. Sed si quis veli templum aperuerit, vittam, inquam, vestem, aurum, fucum, tincturam, et quæ eis intrita aut incrustata sunt: hoc est, velamentum quod ex eis contextum est, tamquam illic veram inventurus pulchritudinem, recte scio eum esse abominaturum. Neque enim Dei imaginem intus inveniet habitantem, sicut esset consentaneum. Sed loco eius fornicatrix et adultera, animæ occupavit adytum* τοτε αληθινον θηριον ελεγχθησεται, *et vera esse bestia convincetur, fuco scilicet intrito et incrustata simia,*
ψιμμυθιω πιθηκος εντετριμμενος. Sexto, ob nimium luxum in 6.
vestibus familiæ in paupertatem rediguntur, quod est pudendum. Unde Ovidius lib. 3. de arte amandi, ait: Quis
pudor est census corpore ferre suos? Septimo denique, 7.
fama perditur, et suspectæ sunt libidinis quæ curiosius exornantur. Clemens mox citatus: *Seductor ille serpens,* inquit, *qui mentis excedit intelligentiam, per gloriæ cupiditatem pro spelunca habet animam, et cum omnia exitialibus venenis impleverit, et erroris sui virus eructaverit,* μετεσκευασε τας γυναικας εις πορνας ο προαγωγος ουτος δρακων, *mulieres in meretrices transformat hic draco, fungens lenonis officio.* ου γαρ γυναικος, αλλ' εταιρας το φιλοκοσμειν. *Non est enim mulieris, sed meretricis, illud nimium sui ornandi studium.* S. Cyprian. lib. de disciplina et habitu Virginum sic ait: *Ornamentorum ac vestium insignia et lenocinia formorum*

nonnisi prostitutis et impudicis fœminis congruunt, et nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Sic in Scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit, et moneri, describitur civitas meretrix, comptu pulchrius et ornato, et cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta peritura. Lege cætera. De idolo dicitur Habacuc 2. 19. *Ecce iste coopertus est auro et argento: et omnis spiritus non est in visceribus eius*, q. d. exterius pulcher est ille deiculus, sed intus non habet animam, est truncus et stipes, nihil præterea. Hebr. *omnis non*, id est, nullus.

58. Præsumptio de viribus est cavenda.

Nota moraliter secundo, sollicite cavendam esse de viribus tuis præsumptionem, ne Deus avertat faciem suam, id est, faciei suæ radios et favorem, fiasque conturbatus. S. Ambros. lib. 3. in Lucam: *Si*, ait, *David, qui præsumptione virtutis elatus dixerat, Ps. 7. 5. Si reddidi retribuentibus mihi mala. Et alibi Ps. 29. 8. Ego autem dixi in mea abundantia, non movebor in æternum: statim insolentiæ huius pœnam subiisse se memoravit, dicens: Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus: si ipse dominici generis auctor insolentiæ excepit offensam: quanto magis nos peccatores, quibus nulla suffragatur prærogativa meritorum, insolentiæ scopulum timere debemus, in quo naufragium sit bonorum? præsertim cum tantus vir nobis et magisterii auctor sit et exempli, qui quasi palinodiam quamdam ad repropitiandum Dominum in posterioribus canendam putavit, dicens Ps. 130. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Et Ps. 109. 5. Dominus a dextris meis, ne commovear. Scivit enim quando se sibi credidit, esse lapsum. Denique nihil aliud esse in homine designavit, nisi quia Deum novit: sic enim habes Ps. 143. 3. Quid est homo quod innotuisti ei: aut filius hominis quia computas eum?* S. Bern. serm. 21. in Cant. illud considerans: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*, sic ait: Quamdiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei *iure hæreditario possidere*: ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis, ne subito cum forte retraxerit manum, et subtraxerit donum, tu animo concidas, et tristior quam oportet, fias. Denique ne dixeris in abundantia tua, *non movebor in æternum*: ne etiam illud quod sequitur, dicere cum gemitu quidem cogaris: Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus. Curabis potius (si sapis) pro consilio sapientis in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum, Eccl. 11. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, et dic Ps. 70. *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Porro in tempore tentationis consolare, et dic cum sponsa Cantic. 1. 4. *Trahe me post te: in odorem unguentorum tuorum curremus.* Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, eritque inter adversa et prospera mutabilium temporum *tenens quamdam æternitatis imaginem*, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vendicans tibi etiam in huius nutabundi sæculi dubiis eventibus, certisque defectibus, *perennis quodammodo incommutabilitatis statum*, dum te ceperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Hæc Bernardus.

59. Arrogans Babylon punitur

Arrogantia et fastus Babylonis suis viribus præfidentis, et se invictam gloriantis describitur, eiusque pœna attexitur Isa. 47. 7. *Et dixisti: In sempiternum ero domina: non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui* (id est, finis et exitii tui) *Et nunc audi hæc delicata, et habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego sum, et non est præter me amplius* (aliquid opulentum, pulchrum, nobile, splendidum et gloriosum, q. d. eversa est Ninive, Ierusalem, Ecbatana, etc.) *non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subito in die una, sterilitas* (Hebr. orbitas, id est, privatio filiorum, hoc est, civium et incolarum) *et viduitas* occiso rege tuo et Imperatore, Balthasare, qui est veluti tuus maritus, dux, tutor, et protector.

Arrogantiam regis Tyri, et eius pœnam, vide Ezech. cap. 28. toto. S. Hier. censet sub eius typo superbos et rebelles Angelos figurari. Arrogantiam Pharaonis regis Ægypti et eius pœnam habes Ezech. 29. cap. integro. Ubi obiter adverte reges Ægypti vocatos esse Pharaones, sicut Romæ Cæsares et Augusti et aliquando Antonini: apud Albanos Sylvii: apud Latinos Mauroni seu Murrhani: apud Parthos, Arsaces: apud Bithinos, Nicomedes: apud Paphlagones, Philomenes: apud Thessalos, Helienes: apud Assyrios, Tigranes: in Ægypto postea dicti sunt Ptolemæi a Ptolemæo Lagi primo eius rege post Alexandrum Magnum. Hi ab aliquibus viris magni nominis eas appellationes sortiti in illis gloriabantur, sic faciunt superbi in divitiis, nobilitate, gratia, aliisque, quæ ab aliis acceperunt, quibus dicendum cum Paulo 1. Cor. 4. 7. *Quid gloriaris quasi non acceperis?* De rege etiam Ægypti vide ibid. Ezech. 31. ubi nota, quod vocatur Assur, sicut Isaiæ 52. 4. Assur enim, ut ait Cornel. fuit exemplar tyrannorum, ideoque quosvis tyrannos significat.

Et rex Tyri. Et Rex Ægypti. Pharaones vocabantur reges Ægypti.

60. Vers. 9.

Remedium, quo usus est ad morbum pellendum, et ad Deum placandum, aperit David, v. 9. AD TE DOMINE CLAMABO, ET AD DEUM MEUM DEPRECABOR. Qualis autem fuerit clamor et deprecatio, dicit:

Vers. 10.

Vers. 10. QUÆ UTILITAS IN SANGUINE MEO, DUM DESCENDO IN CORRUPTIONEM? (Felix et Vatabl. in foveam. S. Hieron. in corruptionem) NUMQUID CONFITEBITUR TIBI PULVIS (corpus redactum in cineres) AUT ANNUNTIABIT VERITATEM, id est, veracitatem. Chald. fidelitatem TUAM: q. d. Si ego moriar, quomodo erunt vera promissa tua de regno meo stabiliendo, de felicitate mihi danda post tot ærumnas, de damnandis per me Chananæis, de potestate mea exaltanda.

61. I. Sanguis hoc loco sumi potest pro vita.

Nota. *Sanguis* potest sumi primo pro vita, q. d. ait Iansenius: Quidnam profuerit tibi hominibusque vita mea, si nunc præmatura morte absumptus descendero in sepulcrum, ibique putrefactionem corpus incurrat? Ita illo. Et quidem per sanguinem potest metonymice vita intelligi, quod fuso sanguine vita avolet, et vita maxime conservetur sanguine: unde quidam veterum Philosophorum censuerunt animam esse sanguinem. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 14. *Plato dixit animam, essentiam se moventem: Xenocrates, numerum se moventem: Aristoteles, ἐντελέχειαν: Pythagoras et Philolaus, harmoniam: Possidonius, ideam: Asclepiades, quinque sensuum exercitium sibi consonum: Hippocrates, spiritum tenuem per corpus omne dispersum: Heraclitus Ponticus, lucem: Heraclitus physicus, scintillam stellaris essentiæ: Zeno, concretum corpori spiritum: Democritus, spiritum insertum atomis, ac facilitate motus, ut corpus illi omne sit pervium: Critolaus Peripateticus, constare eam de quinta essentia: Hipparchus, ignem: Anaximenes, aera: Empedocles et Critias, sanguinem: Parmenides, ex terra et igne: Xenophanes, ex terra et aqua: Boetes, ex aere et igne: Epicurus, speciem ex igne, et aere, et spiritu mistam. Obtinuit tamen non minus de incorporalitate eius, quam de immortalitate sententia.* Et l. 4. de placitis Philosophorum cap. 5. Plutarchus ait: Platonem ponere animæ principatum in toto capite: Stratonem, in superciliorum interstitio: Erasistratum, circa membranam cerebri, quam epicranidem vocat, q. d. pericranium. Herophilum, in ventriculo cerebri, qui idem basis eius est. Parmenidem et Epicurum, in toto pectore. Stoicos omnes, in toto corde, vel in corde obversante spiritu. Diogenem, in arteriace cordis ventriculo, qui animalis, id est, spirabilis est. Empedoclem, in sanguinis concretione. Fides nos edocet animam esse incorpoream, immaterialem, et immortalem. An vero sanguis sit animatus, dubitatur inter Philosophos, et plerique censent non esse animatum; ut enim ait Aristoteles: Sanguis in animalibus sanguineis ultimum alimentum est: in exanguibus, id quod ratione sanguini respondet. Ita ipse de partib. anim. 2. cap. 3. Alimentum autem non est animatum.

*

II. In propria significatione.

Secundo, et melius, cum ait David: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Sanguinem sumemus in propria significatione. Primo, q. d. quid proderit fusus sanguis meus in tot præliis, si nunc moriar, cum nunc vel maxime possim hostes populi tui debellare Rex omnium tribuum constitutus. Secundo, et adhuc convenientius, q. d. Quæ utilitas tibi populoque tuo eveniet, si nunc in lecto moriar, et sanguis meus, qui est in venis meis, putrescat et corrumpatur sub terra? Nonne gloriosius esset atque conducibilius illum in prælio adversus nominis tui hostes profundere?

62. Mortem timent omnes. 1. Pagani.

Moraliter nota. Omnes timent mortem. Primo, Pagani. Apuleius Asclep. Mortis timor, inquit, multos excruciat. Non solum Epicurus apud Laertium dicit mortem esse φρικωδέστατον κακῶν, *malorum omnium maxime horribile.* Sed etiam Aristotel. lib. 3. Ethicorum, vocat φοβερώτατον, malum plurimum timendum. Hinc dicebat Agag rex Amalec pinguissimus et tremens, mox Samuelis iussu occidendus, 1. Reg. 15. 32. *Siccine separat amara mors?* Maluit in cloacam vivus descendere Heliogabalus, quam in sepulcrum mortuus, multique ne morerentur, præ pavore sunt mortui. Alexander ipse orbis terror et domitor ad conspectum mortis intremuit, et de mentis deiectus est constantia, Babylone factus ariolorum ludus atque mancipium.

2. Ipsi sancti.

Secundo, mortem etiam ipsi sancti timent. Sciunt quidem cum Clem. Alexand. lib. 4. Stromat. esse sibi ζωῆς ἀρχὴν, vitæ principium: cum S. Dion. lib. de Eccl. Hier. cap. 7. somnum et dormitionem esse, cum Platone in Apolog. Socr. esse somnum sine insomnio: cum M. Antonio Natta de immortalit. animi lib. 1. mortem pro remedio, quasi malorum finem præscriptam esse: cum Ioanne Pico Mirandul. de imaginatione cap. 10. esse laborum molestiarumque finem, et melioris vitæ principium. Consentiunt S. Chrysologo serm. 108. dicenti: *Martyres morte nascuntur, fine inchoant, occisione vivunt.* Naturalis tamen timor vix impediri potest. Unde S. Bern. serm. 26. in Cant. lætitiam in morte miraculum vocat. Accitus sum ego, inquit, ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insultantem morti: Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, et moriendo cantat: lege illum. Elias regum terror, ad omnia interritus, qui cælum ferreum, æneam terram effecerat: et cor non adamante solum pretiosius, sed etiam fortius et durius gerebat, fugit Iezabelem uxorem Achabi Regis Israel sibi mortem intentantem: et dum mortem optat, eam fugit. Dicit enim mortem flagitans, 3. Reg. 19. 4. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum quam patres mei*, Abraham scilicet, Isaac, Iacob, David, etc. et alii a Iezabele occisi Prophetæ. Sed mortem fugiens abiicit se sub iuniperum, ut secure quiescat. Nam, ut ait Lyranus, Iuniperus arbor est crescens in desertis, cuius umbram serpentes fugiunt: itaque secure potest quis in ea obdormiscere. De illa fuga sic ait S. Chrysostomus: *Deus declarare voluit miracula illa, quæ ostensa fuerant non ab Elia, sed a sua ipsius potentia facta fuisse. Vide quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur. Reges, principes, et populi Eliæ succumbebant: cum vero Deus abscessisset, etiam mulier una Prophetæ illi terribilis visa est. Abscessit Deus, et natura humana redarguta fuit.* Et paulo post: *Non uno aut altero, sed quadraginta diebus aufugit, et ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens: nam tamquam ebrius præ metu, cætera nihil curabat, sed desertas tantum regiones sequebatur.*

63. Mors est terribilis ob duplicem rationem.

Duplicem rationem in Psalmo nostro reperio, cur mors omnibus sit terribilis.

I. Quia est quædam corruptio.

Prima, quia est quædam corruptio, ut dicit Petrus de Alver. de longitudine et brevitate vitæ lib. 1. Et David ait: *Dum descendo in corruptionem*, id est, ad sepulcrum vel mortem, quæ est unionis plurium dissolutio, ut ait Mercur. Trismegist. in Pimandro c. 11. sic perit compositum quod est realiter distinctum a partibus etiam unitis, si credimus Avicennæ lib. 3. Metaphys. cap. 1. Scoto 8. Metaphys. qu. 4. et in 3. sententiarum dist. 2. q. 3. Hervæo quodlibeto 2. q. 14. Capreolo in 3. dist. 2. qu. unica, art. 1. Burlæo in lib. 1. Phys. Arist. Ferrariensi 4. contra gentes, ad cap. 81. Zimaræ in theorematis propositione 75. Ioanni a Neapoli quodlib. 2. quæst. licet cum aliqua varietate: aut certe, quod probabilius est, in morte, id est corporis et animæ separatione, perit modus unionis modaliter distinctus, et post mortem sequitur statim corruptio in corpore: imo mors in morbis oritur ex humorum corruptione. Alcmeon putavit mortem evenire, cum totus in venis *sanguis* omnino secesserit. Empedocles, cum *sanguis* omnino friguerit. Diogenes, cum aereum omne de venis secesserit. Plato et Stoici, cum omnino sensibilis spiritus remissus contigerit. Aristoteles, cum omne calidum in corde penitus refriguerit, vel violenta extinctione, vel marcore ab superabundantiam caloris, vel ab alimenti humidi defectum.

64. II. Quia illam sequitur iudicium.

Secunda ratio, cur mors sit terribilis, est conscientia peccatorum, et timor iudicii: *Dum descendo in corruptionem*, tropolog. dum cogito de mea corruptione, id est, de meis peccatis. Philo l. 1. in legis Alleg. *Mors duplex*, ait, *corporis una, quæ est animæ a corpore separatio: animæ altera, quæ est virtutis corruptio, et assumptio vitii, quæ non est naturalis, sed pœnalis.* Plato duplicem mortem assignabat: primam, qua corpus e cælo in corpus, velut in corruptionem, descendebat: secundam, quo a corpore separabatur. Sebastianus Foxius in Platonis Phædone: *Mortis*, inquit, *est duplex genus apud Platonem: unum animæ in corpus delabentis, quæ quia ex natura intellectuali ad sensibilem migrat, mori dicitur: alterum animalis totius ex anima et corpore constantis, et hoc duplex: alterum naturale, cum a corpore animato vere anima discedit: alterum quod virtutibus acquiritur, cum eodem animali vivente, animus ipse per contemplationem a corpore separatur: dum eiusdem illecebras fugit, corpus moritur sedatis omnibus affectibus.* Sed supponit Plato, prius animas esse creatas, et in cælo habitare, quam in corpus infundantur, quod est error. Fides enim docet, statim atque corpus aliquod est sufficienter organizatum, creari animam de novo, et corpori uniri tamquam formam eius.

65. Pulvis est omnis peccator, ob quinque rationes.

Clarius timor ille damnationis continetur verbis sequentibus in eodem v. 10. *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* q. d. Ego sum vilis pulvisculus, et tuo conspectu et Angelorum indignus, ibone in cælum, ut ibi te in æternum laudem? S. Hilarion in morte timebat. Generatim ait S. Bern. tract. de modo bene vivendi, serm. 68. *In die mortis*, inquit, *animæ electorum nimio terrentur metu, incertæ utrum ad præmium, an ad supplicia transeant.* Si in viridi ligno id fit, in arido quid fiet? Pulvis, ait Ugo Cardin. dicuntur mali sacerdotes et quilibet peccatores. Primo, quia multi. Eccli. 1. 15. *Stultorum infinitus est numerus.* Secundo, quia aridi. 2. Reg. 1. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Gelboe interpretatur decursus vel acervus arenarum. Anima peccatorum est arida. Is. 5. 6. *Mandabo nubibus meis* (Angelis et concionatoribus, misericordiæ et bonitati meæ) *ne pluant super eam imbrem*, doctrinæ et gratiæ. Tertio, quia viles. Ierem. 2. 36. *Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas.* Quarto, quia mobiles. Ps. 1. 4. *Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis quem proiicit ventus a facie terræ.* Quinto denique, quia sunt cibus serpentis. Is. 65. 25. *Serpenti pulvis panis eius.* Terrorem sceleratorum ab timorem inferorum declarat Plato lib. 1. de Republ. *Mortem*, ait, *cogitantem invadit timor, et cura de his quæ antea non curavit. Nam fabulæ de inferis, quod oporteat eum, qui hic iniusta fecit, illic pœnam dare, hactenus derisæ, tunc animam ipsius torquent formidantem, ne veræ sint illæ, suspicione et formidine repletur, et reputat, et considerat an aliquem iniuria affecerit. Qui igitur multa iniusta in vita sua reperit, e somno frequenter velut pueri excitatur et expavescit, et cum mala spe vivit: at ei, qui nihil iniusti sibi ipsi conscius est, secunda spes semper adest, et bona senectutis nutrix*, ut ait *Pindarus.* Hoc in Herode

patuit: lege de eo Iosephum lib. 17. cap. 8. et 10. et in Antiocho Epiphane Rege Syriæ, 1. Machab. 9.

66. *Mors terribilis est, præsertim divitibus.* Tertiam causam adde formidinis, quia scilicet tunc David erat felix rex et dives: *Ego dixi in abundantia mea.* Iesus Sirach Eccli. 41. 1. *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti* (εἰρηνεύοντι, pacifice viventi) *in substantiis suis!* Syrus reddit: O mors quam mala es viro diviti, qui sedet in bonis suis! S. Chrysostom. apud Antonium in Melissa: *Mors*, ait, *hominis divitis et fortunati est duplex.* Avellitur enim 1. a corpore; 2. a divitiis et felicitate. Adriano Imperatori postulanti, quid esset mors, ait Secundus Philosophus: *Mors est æternus somnus, dissolutio corporis, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somnii pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium.*

67. *Symbol.* Symbolicum et accommodatitium est, quod Ega sic loquentem Christum inducit: *Quæ utilitas in sanguine meo sacramentaliter sumpto, dum descendero in corruptionem?* id est, in corruptum peccatorum, q. d. nulla, imo inutilitas multa. 1. Cor. 11. 27. *Quicumque manducaverit panem, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* In eo autem qui digne sumit, decem sunt utilitates. Prima, roboratio fidei. Secunda, alleviatio pœnæ. Tertia, conducit eum quasi peregrinum in via huius mundi usque in patriam. Quarta, augmentum virtutum. Quinta, ornatus virium. Sexta, delectat gustum spiritualem. Septima, delet venialia. Octava, vegetat membra Ecclesiæ. Nona, pascit sibi, id est, convertit in se manducantem, sicut dicit S. August. in lib. confess. Non tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me. Decima, terret et effugat dæmones.

Orationis suæ effectum duplicem hic ponit David. Primo, sanationem animæ ablata tristitia. Secundo, sanationem corporis ablato morbo.

68. Vers. 12 De prima dicit v. 12. CONVERTISTI PLANCTUM MEUM IN GAUDIUM MIHI. S. Hieron. in chorum. Lorinus vult ab eo chorum sumi pro instrumento musico, sicut cum egressæ dicuntur mulieres post Mariam sororem Mosis in deserta cum tympanis et choris. Sed in neutro loco videtur mihi sumi chorus pro instrumento, sed pro choræa sacra, sive pro cœtu exsultante et tripudiante ad Dei laudem. Vide dicta Ps. 25. 6. in illud: *Circumdabo altare tuum Domine.* Orationis porro proprium est mœrores tollere. Ps. 76. 4. *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Ps. 103. 34. *Ego vero delectabor in Domino.* S. Chrysost. t. 1. orat. 1. de precatione: Προσευχὴ, ait, ἀλεξιφάρμακον φανὶ τι ἦτα τοῖς τας ψυχας νοσησι; *Oratio singularis medicina est illis, qui anima ægrotant.* S. Antiochus hom. 106. προσευχὴ ἐστι χαρᾶς και εὐχαριστίας προβλημα, ἀλέξημα δε λυπης και ἀθυμιας: *Oratio est gaudii et gratiarum actionis tutelare propugnaculum: tristitiæ vero et pusillanimitatis amuletum.*

De secunda autem, nempe de sanatione corporis ait: CONSCIDISTI (S. Hieronymus, solvisti) SACCUM MEUM, ET CIRCUMDEDISTI ME LÆTITIA. S. Hieronymus, accinxisti. S. Augustinus et S. Isidorus in Esdram cap. 1. præcinxisti. Lætitia est bonus baltheus, et bona armatura in bello spirituali. Per lætitiam hic intelligo metonymice vestes ornatiores, quæ opponuntur sacco.

69. *Saccus erat indumentum cilicinum.* Nota primo, saccus erat cilicinum indumentum, quo induebantur, cum in luctu versarentur, vel ob scelera Deum hac demissione ad misericordiam flectere pertentarent. Inde fit, ut vocem Hebraicam שק sak, et Græcam σακκος, Noster Interpres modo cilicium, modo saccum vertat.

70. *Saccus et cilicium differunt.* Nota tamen secundo, distinctus erat saccus a cilicio; atque, ut sic loquar, saccus erat cilicium exterius, et cilicium saccus interior. Nam cilicium saepius dicitur, cum ad cutem proximo ponitur. 4. Reg. 6. 30. de Ioram Rege Israel in Samaria obsesso dicitur: *Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Et de Iuditha orante pro urbe sua Bethulia ab Holopherne obsessa, Iudith 8. 6. *Et habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata, et neomenias, et festa domus Israel.* Saccus vero non adhærebat carni, sed aliis vestibus imponebatur. Esth 4. 2. *Non erat licitum indutum sacco aulam Regis* (Assueri, qui erat Rex Persarum) *intrare.* Si saccus fuisset vestis interior, non prohibuisset aditum palatii regii. Zachar. 13. 4. vocatur pallium saccinum: *In die illa confundentur Prophetæ, unusquisque ex visione sua, cum prophetaverint: nec operientur pallio saccino, ut mentiantur:* hoc est, sacco humeris imposito, quem S. Hieronymus vocat insigne pœnitentiæ. Saccos persæpe sumebant Prophetæ, cum populum ad pœnitentiam provocabant. Erant vestes haud absimiles vestibus Eremitarum et Capuccinorum. De Enoch et Elia in fine mundi dicitur Apoc. 11. 4. *Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta* (id est, tribus annis cum dimidio) *amicti saccis.* Populus quoque in calamitate induebatur saccis, ut denotatur Amos 8. 10. *Et inducam super omne dorsum vestrum saccum, et super omne caput vestrum calvitium.* Apertissime autem sacci a cilicio distinctio patet 3. Reg. 21. 27. ubi de Achab Rege Israel audiente per Eliam Prophetam sibi paratas pœnas ob occisum Naboth, legimus: *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua* (usque ad cor solebant scindere, ut declararent se dolere ex toto corde) *et operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.* Quod ita Deo placuit, ut Eliæ Deus intimaverit: *Non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filii sui inferam malum domui eius.* Sub Ioram id contigit postea mortuo Elia. Vides porro cilicium esse vestem carni immediate impositam, saccum vero esse vestem exteriorem, sed incultiorem.

De usu cilicii apud Christianos vide Psal. 34. 13. *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Unus nunc sufficiat S. Hieronymus ep'st. ad Lucinium Boeticum: *Ego*, inquit, *insignia paupertatis, et quotidianæ symbola pœnitentiæ, tibi et sorori tuæ misi quatuor ciliciola, apta proposito et usibus nostris.* Et alibi: *Saccus et ieiunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.* Sicut e contrario vestium luxuria favet mentis luxuriam. Tertullianus lib. de cultu fœminar. cap. 9. *Vestium pompæ de proximo curant luxuriæ negotium, et obstrepunt pudicitiæ disciplinis.* De ea re dixi supra v. 8. Persas in luctu usos esse cilicio cum laceratione vestium, ululatu, cinere, obvelatione capitis, docent Herodotus lib. 3. et 8. atque Curtius lib. 5. De Assyriis habes Ionæ 3. 5. Ninive erat eorum metropolis. 71. *Cilicii usus.*

Finem sanationis a Deo intentum aperit, nempe gratiarum actiones et laudem, v. 13. UT CANTET TIBI GLORIA MEA, ET NON COMPUNGAR: DOMINE DEUS MEUS, IN ÆTERNUM CONFITEBOR TIBI Hebr. אודך odecha, id est, odas canam tibi, hymnis te celebrabo. Agitur itaque de confessione laudis, non de confessione peccatorum. Et tamen aliquatenus applicari potest: unde S. Chrysost. t. 1. homiliam fecit integram in illa verba, et de confessione peccatorum videtur explicare, cum afferat in exemplum Publicanum, qui propitium sibi Deum fieri postulavit, Luc. 18. 13. Vers. 13.

Nota, pro *gloria mea*, Arabs legit, *anima mea:* hæc enim vere est gloria nostra, cum sit imago Dei, invisibilis, immortalis, rationalis: corpus vero est dedecus nostrum, cum in ortu formetur ex fœdissimis sordibus, in vita sit cloaca stercorum, in morte sit esca vermium. S. Basilius tom. 2. tract. de abdicatione rerum, fol. 214. *Quanto*, ait, *cælum terra præstabilius est, et cælestia terrenis, tanto sine dubio anima est corpore præstantior*, ψυχη γαρ ουρανιη μιμημα: *Anima cæli quædam imago est, in eaque Deus sibi domum constituit. Caro autem ex terra constat, in qua mortales homines et bruta versantur.* Secunda, Chaldæus vertit: *Ut laudent te honorabiles mundi, atque non taceant*, q. d. David: ut omnes filii mei, Principes, Duces, aulici, Sacerdotes, magnates, populus in mea aula, civitate, regno, te glorificent ob Regem suum servatum. In hoc enim studiose debent Reges incumbere, ut Deum per se suosque laudent ob beneficia accepta. Tertio, Hebr. est 72. *Anima est gloria nostra.*

כָּבוֹד *cabod*, id est, gloria, et sic vertit S. Hieronymus, Septuag. Noster, Felix, et alii. Id enim proprie significat. Sensus autem est, q. d. Ut ego gloriosus factus, et gloriose sanitati per te contra spem humanam auxilio extraordinario redditus, in te gloriam illam omnium actionum totius vitæ effundam. Eam gratiarum actionem a nobis requirit Deus hom. 19. in epist. ad Ephesios: Οὐδὲν οὕτως εὐφραίνει τὸν Θεὸν, ὡς ὅταν ᾖ τις εὐχάριστος: *Nihil ita Deum delectat, quam cum quis illi gratiam habet.*

73. Hebræi rem per affirm. et negat. exprimunt in magno affectu.

Nota secundo, pro *non compungar*, Hebr. est לֹא יִדֹּם *lo iddom*, *et non taceat*, ut vertit S. Hieron. et non sileat, ut Felix: et non silebit, ut Vatablus. Ita ut sensus sit, q. d. Ut cantet tibi gloria mea, et illa gloria mea, non taceat laudes tuas. Sæpe Hebræi res exprimunt positive et per negationes, præsertim cum in re agenda magnum ardorem et affectum designant. Sic de S. Ioanne Baptista interrogato an esset Messias, ait Ioannes cap. 1. 20. *Et confessus est, et non negavit, et confessus est, quia* (quod) *non sum ego Christus*, q. d. Magna contentione vocis et ardore animi dixit, et sæpius iteravit se non esse Christum. Secundo, *iddom* significat excidere, sive succidere: et hanc significationem elegerunt Septuaginta interpretes, et legerunt in prima persona, *et non compungar*: quod idem est cum eo, *et non succidar*. Est autem sensus, 1. q. d. cantet tibi gloria mea, et non gemitus meus, ex timore mortis vel peccati; 2. q. d. cantet tibi gloria mea, et non amplius compungar aculeo mortis, vel peccati. Hos duos semper affert Bellarminus, et boni sunt; 3. sensus esse potest, q. d. ut cantet tibi gloria mea, et dolore tanto non compungar et lanciner atque transfodiar, ut loqui tuas laudes non possim, sed silere cogar.

Conclude, et animo insculpe dictum S. Augustini hic: *Hæc est gloria mea Domine Deus meus, ut in æternum confitear tibi: quod nihil mihi ex me, sed omnia bona ex te, qui es Deus omnia in omnibus.* Itaque in eo gloriam nostram supremam ponamus, ut omnia ad maiorem gloriam faciamus. Hunc scopum sibi suisque alumnis præfixit S. Ignatius Societ. Iesu fundator. Faxit Deus ut ab eo scopo nullus hominum aberret. Dicant cum Paulo 1. Timoth. 1. 17. *Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.* AMEN.

PSALMUS TRIGESIMUS.

1. IN te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.
2. Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.
3. Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: ut salvum me facias.
4. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me et enutries me.
5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.
6. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.
7. Odisti observantes vanitates supervacue.
8. Ego autem in Domino speravi: exultabo et lætabor in misericordia tua.
9. Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.
10. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.
11. Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.
12. Quoniam defecit in dolore vita mea: et anni mei in gemitibus.
13. Infirmata est in paupertate virtus mea: et ossa mea conturbata sunt.
14. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde: et timor notis meis.
15. Qui videbant me, foras fugerunt a me: oblivioni datus sum tamquam mortuus a corde.
16. Factus sum tamquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.
17. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.
18. Ego autem in te speravi Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.
19. Eripe me de manu inimicorum meorum: et a persequentibus me.
20. Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua Domine: non confundar, quoniam invocavi te.
21. Erubescant impii, et deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.
22. Quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem: in superbia et in abusione.
23. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te!
24. Perfecisti eis, qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.
25. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: a conturbatione hominum.
26. Proteges eos in tabernaculo tuo: a contradictione linguarum.
27. Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.
28. Ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum a facie oculorum tuorum.
29. Ideo exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.
30. Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.
31. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.

PSALMI TRIGESIMI ANALYSIS.

David ex urbe Ceila fugiens, et in deserto Maon pene captus a Saule,

- Orat ut liberetur, 2. ob
  - Dei attribute varia. 2. cum sit
    - In toto orbe Dominus. 2.
    - In iudicio Iustissimus. 2.
    - In audiendo facilis. 3.
    - In adiuvando promptus. 3.
    - In pugna protector. 4.
    - In fuga asilum 4.
    - In via doctor. 4.
    - In necessitate nutritius. 4.
    - In perplexitate liberator. 5.
    - In captivitate redemptor. 6.
    - In omni tempore impiorum osor. 7.
    - In omni loco erga pios misericors. 8.
    - In periculis vigil. 8.
    - In hostes potens. 9.
    - In omnibus amantissimus. 9.
  - Tribulationis suæ magnitudinem. 10. quæ
    - Oculos fletu turbat. 10.
    - Animam mœrore conficit. 10.
    - Viscera doloris vehementia commovet. 10.
    - Vitam ob incommoda minuit. 11.
    - Annos in gemitu consumit. 11.
    - Corpus morbis affligit. 11.
    - Famam prostituit hostibus, vicinis, affinibus. 11.
  - Hostium malitiam. 12. qui
    - Ore maledicunt. 12.
    - Oculis fugiunt et aversantur. 13.
    - Corde expellunt. 13.
    - Animo contemnunt. 14.
    - Manu rapere nituntur. 14. Sed Deus impedit. 15.
    - Pede insequuntur. 16.
      - Deus eum recreat, salvat, confundi non patitur. 17. 18.
      - Hostes eius confundit, damnat, obmutescere facit. 18. 19.
- Liberatus gratias agit. 20. ob
  - Consolationis dulcedinem. 20. quæ
    - Magnitudine mirabilis. 20.
    - Multitudine spectabilis. 20.
    - Abscondita, in Dei thesauris. 20.
    - Perfecta, Dei ipsius manu. 20.
    - Gloriosa, in oculis hominum. 20.
    - Munita, in conatus perditorum. 21.
    - Secura, a calumniis invidorum. 21.
  - Et consolatoris misericordiam. 22.
    - Miram, pene iam perditum liberando. 22.
    - Fortem, imbecillum muniendo ac tegendo. 22.
    - Prudentem, peccatorem terrendo. 23.
    - Benignam, orationes supplicis audiendo. 23.
    - Iustam, veritatem et merita spectando. 24.
    - Sinceram, impios, ne bonis noceant, puniendo. 24.
    - Fidelem, bona promissa perseverantibus largiendo. 25.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

1. In finem Psalmus David, pro extasi.

1. Verba hæc, *pro extasi*, non sunt in Hebr. Chald. Syr. Arab. nec in versione Septuag. Interpretum, aut aliorum, sicut dicit Eusebius. Scribit quoque Theodoretus, se in aliquibus tantum codicibus reperisse. Hinc S. Hieron. et in versione, et in commentario omisit, et Cassiodorus. Male tamen inde concludit Eugubinus, hæc esse obelisco delenda. Male, inquam, nam passim recipiuntur, extantque apud Patres Græcos, et apud S. August. et apud Ruffinum: et post Pontificum approbationem adhuc inseruntur in textu. Græce nunc habetur, εις το τελος ψαλμος τω Δαυιδ εκστασεως: *In finem Psalmus ipsi Davidi extasis*. Occasio addendi illa fuit v. 23. *Ego dixi in excessu meo*, εν τη εκστασει μου. Ita S. Thomas, Lyran. Thomas Anglicus, Lorinus, Bellarm. Agellius.

A Nota secundo, Extasim pati aliquis dicitur, cum extra se ponitur: quod quidem contingit et secundum vim apprehensivam, et secundum vim appetitivam. Secundum quidem vim apprehensivam aliquis dicitur ea se poni, quando ponitur extra cognitionem sibi propriam, vel quia ad superiorem sublimatur, sicut homo dum elevatur ad comprehendenda aliqua, quæ sunt supra sensum et rationem, dicitur extasim pati, in quantum ponitur extra connaturalem apprehensionem rationis et sensus: vel, quia ad inferiora deprimitur: puta cum aliquis in furiam, vel amentiam cadit, dicitur extasim passus: secundum appetitivam vero partem dicitur aliquis extasim pati, quando appetitus alicuius in alterum fertur, æquos quodammodo extra seipsum. Primam quidem extasim facit 2. *Extasis est, cum quis extra se rapitur. Extasis fit per vim apprehensivam et per appetitivam.*

amor dispositive, in quantum scilicet facit meditari de amato. Intenso autem meditatio unius abstrahit ob aliis: sed secundam extasim facit amor directe: simpliciter quidem amor amicitiæ, amur autem concupiscentiæ non simpliciter, sed secundum quid. Nam in amoro concupiscentiæ quodammoda fertur amons extra scipsum, in quantum scilicet non contentus gaudere de bono, quod habet, quærit frui alio extra se, sed quia illud extrinsecum bonum quærit sibi habere, non exit simpliciter extra se: sed talis affectio in fino infra ipsam concluditur: sed in amore amicitiæ affectus alicuius simpliciter exit extra se: quia vult amico bonum, et operatur bonum, quasi gerens curam et providentiam ipsius propter ipsum amicum. Ito S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 3.

S. August. in concione prima do hoc Psalmo: Verbum extasis, ait, est græcum latine, quantum datur intelligi, verbo uno exponi potest, si dicatur excessus. Excessus autem mentis proprie solet extasis dici: *In excessu vero mentis duo intelliguntur, aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodammodo de memoria labantur inferna.* Ita August.

Extasis hic ponitur pro summo pavore.

3. Quæres, de qua extasi hic est sermo? Primo, S. Greg. Nyss. tract. 2. in Ps. cap. 6. Apollin. Valentia, et alii, sumunt pro abstractione mentis a rebus terrenis. De illa vide Psal. 115. 11. Secundo, et melius S. Thom. Ruffin. Lomb. et alii, de summo pavore Davidis in oxtremo periculo.

Quandonam contigit Davidi.

Quæres secundo: quonam tempore hæc extasis, seu trepidatio et pavor accidit? Primo, Theodoret. Euthym. Nicephorus, Bellarminus interpretantur de timore repentino et maxima, quo David correptus fuit, cum audivit Absalonem filium et omnem populum toto corde eum sequi, et contra se conspirasse, ut refertur 2. Reg. 15.

I. Cum Absalon rebellavit

II. Et melius, in persecutione Saulis, cum esset in deserto Maon.

Secundo, et melius, Iansenius, Agellius, R. Salomon, Caietonus, et alii, interpretantur de extremo pavore Davidis quo correptus est in deserto Maon, in quo cingebatur in modam coronæ ob exercitu Saulis regis præsentis, ot suos animantis, ita ut David quodammoda desperaret se posse evodere, 1. Reg. 23. Potius aotem ibi agi do persecutiono per Saulem, quam per Absalonem illata, patet ex v. 19. Psalmi, ubi dicitur: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem: in superbia, et in abusione.* Cum enim a Saule patiebatur, erat innocens: cum vero Absalon rebellavit, iam David graviter peccavorat.

Allegor. Christi extasis et pavor in passione.

4. Allegorice, de Christo patiente est hic Psalmus, ut patet legenti, et ex v. 6. *In manus tuas commendo spiritum meam*, quem Christus in cruce protulit, ac fortasse totum Psalmum, sed demissa voce, ut censent nonnulli. Paventem hic in passiono sua Christum exprimi docent S. Aug. S. Hieron. S. Bonav. Ruffin. Ludolph. Dionys. et alii. Verba S. Augustini sunt: *Videtur de passione locuturus esse, in qua pavor est. Sed cuius pavor est? Utrum Christi, quia dixit, in finem: et intelligimus finem Christum, an forte noster pavor? Numquid enim possumus pavorem bene intelligere in Christo propinquante passione? qui propterea venerat, cum venisset ad quad venerat, numquid pavebat moriturus? Verumtamen quia dignatus est assumere formam servi, et in ea nos vestire se, qui non est dedignatus assumere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, et loqui verbis nostris, ut et nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, et divina sunt peracta commercia: mutatio rerum celebrata in hoc mundo a negotiatore cælesti. Venit accipere contumelias, dare honores: venit haurire dolorem, dare salutem: venit subire mortem, dare vitam. Moritur ergo ex eo quod nostrum habebat, non in se, sed in nobis pavebat: quia et hoc dixit, tristem esse animam suam usque ad mortem, et utique nos ipsi omnes cum illa. Nam sine illa nos nihil: in illo autem ipse Christus, et nos. Quare? Quia totus Christus caput et corpus. Caput ille salvator corporis, qui iam ascendit in cælum: corpus autem Ecclesia, quæ laborat in terra. Hoc autem corpus nisi connexione charitatis adhæreret capiti suo, ut unus fieret ex capite et corpore: unde de cælo quemdam persecutorem corripiens diceret, Saule, Saule, quid me persequeris? Quando eum iam in cælo sedentem nullus homo tangebat, quomodo eum Saulus in terra sæviens adversus Christianos aliquo modo iniuria percellebat? Non ait, quid sanctos meos, quid servos meos, sed quid me persequeris, hoc est, quid membra mea? Caput pro membris clamabat, et membra in se caput transfigurabant. Vocem namque pedis suscipit lingua. Quando forte in turba contritus pes dolet, clamat lingua: Calcas me. Non enim ait, calcas pedem meum, sed se dixit calcari, quam nemo tetigit. Sed pes, qui calcatus est, a lingua non separatus est.* Dicit itaque hic sanctus Pater Christum clamare in hoc Psalmo ratione humanitatis suæ patientis, et servorum suorum per varios persecutiones et afflictiones contritorum atque oppressorum.

5. Tropol. Cuilibet iusto convenit afflictio. S. Augus. eius extasim, id est, pavorem in tormentis aliisque calamitatibus sic exponit: *Si nullus,* inquit, *omnino pavor esset passuris, diceretur ipsi Petro, quod audivimus natali Apostolorum die, quando ei Dominus prædixit futuram suam passionem: Cum esses iunior, cingebas te, et ibas quo volebas: cum autem senior factus fueris, alter te cinget, et ducet quo tu non vis? Hoc autem, inquit, dixit significans, qua morte moreretur. Ergo si Petrus Apostolus tanta perfectione, quo nollet, ductus est, et volens nolens mortuus est, sed volens coronatus est: quid mirum si est aliquis pavor in passione etiam iustorum, etiam sanctorum? Pavor est ex humana infirmitate, spes ex divina promissione. Quod paves, tuum est; quod speras, donum Dei est in te. Et melius in pavore tuo agnoscis te, ut in liberatione tua glorifices, qui fecit te. Paveat humana infirmitas, non in eo pavore deficit divina misericordia.*

Tropol.

6. Symbolice. Extasim hic pro peccato Davidis sumunt S. Athanasius, S. Basilius, Theodoretus, Eusebius, Nicephorus, Euthymius. Verba Athanasii sunt: Propositum Psalmum canit, tamquam si adhuc in pœnitentia agenda versaretur, de peccato a Deo liberari postulans: quinimo ut iam exauditus gratias agit, Attamen quæ illi, dum pœnitentiam ageret, evenere, percurrit. Illud vero, *pro extasi*, nihil aliud nobis, quam ipsum peccatum significat, quo animus a piis cogitationibus quasi alienatus est, ita ut amplius se assumptum iri desperaret; ita ipse. Euthymius apertius de peccato cum Bethsabee, et cæde Uriæ exponit. Peccata gravia faciunt extasim, id est, extra se, et mentem suam homines faciunt, et amentes reddunt. Sic enim extasis etiam pro furore et amentia sumitur, ut initio dixi ex S. Thoma.

Symbol. Peccatum est extasis.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Duo continet. Primo, variis rationibus Deum David impellit, sibi ut maximo in discrimine constituto opem ferat, vers. 2. Secundo, exauditum se advertens, Deo gratias agit, miratur paternam erga se misericordiam, omnesque hortatur, ut eam ob rem laudes Deo concinant, vers. 22.

SECTIO PRIMA.

7. *Duo complectitur. Opem enim Dei implorat. Primo, ob spem suam in Deum, vers. 2. Secundo, ob Dei bonitatem in ipsum, vers. 6.*

PARAPHRASIS.

2. *In te Domine speravi, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.*

2. Frendeant licet, cassibusque suis implicitum iam inani spe Saul et satellites eius devorent: in te tamen unum Dominum meum certam immotamque fiduciam defigam: qua stabilita nihil est, cor affusa undique agmina metuam: non patieris unquam me ab hostibus victum rubore suffundi. Quis enim nescit a te summa æquitate et nocentes puniri, et innocentes liberari? Hinc ego nunc iustitiam tuam imploro, ut ex his me pedicis, quibus iam ab impiis astringor, liberes.

3. *Inclina ad me aurem tuam: accelera ut eruas me.*

3. Non is sum, qui vocem meam ad tam excelsum maiestatis tuæ thronum possim attollere, cum sim vilis pulvisculus, itaque aurem tuam mihi Deus acclina, et supplicis orationem ne reiice. Non ita quidem fluctuat animus, ut promissum sibi regnum et felicitatem desperet: sed iamdiu per abrupta montium cacumina reptantem diuturna fatigat mora: celerem salutis viam explica.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii: ut salvum me facias.

Telis hostium et insidiis appetitum protege, et sub dio noctu diuque per sylvas rupesque inerrantem tutela tua, velut domo arceque munitissima circumcinge: ut in irritum cadant insultantium conatus, nec tot fractus incommodis succumbam.

4. *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu: et propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

4. Nec enim numerosæ militum et invictæ phalanges suppetunt, quas tanto Saulis exercitui opponam: tu unus es, qui vires sufficias, nec urbes castellave possideo, quibus me meosque ab hostium furore subducam: tu mihi murus es, civitas, domus, asylum. Errabundum me, velut ovem, qua iter flectat, inscium, per securam viam deduces ob nominis tui gloriam, ne impii promissiones tuas mihi factas irrideant: atque ea suppeditabis, quæ ad vitæ sustentationem requirentur, ne misere peream.

5. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

5. Viam aperies, qua cingentis me undequaque exercitus conatum eludam. Si enim arduum est Regis furorem et potentiam evitare, securum est Deo tutante vivere.

6. *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.*

6. Quod si tuæ placitum est voluntati, ut corpus cætereque fortunæ bona pereant, animam saltem unicam meam conserva, hanc curæ tuæ tutelæque committo, illius una me tangit cura. Toties in veris coniectum pericula conservasti, ut promiseras: in te uno veracissimo Deo spes omnes meas repositas habeo.

7. *Odisti observantes vanitates supervacue.*

7. Non vana mihi ab ariolis, aut caducis rebus conquiro præsidia: te unum ducem et protectorem volo: tu enim inanibus, aut idolis, aut somniis, aut creaturis ullis adhærentes sine fructu, odio habes.

8. *Ego autem in Domino speravi: exultabo et lætabor in misericordia tua.*

8. Quid ergo servis adhæream, cum mihi præsto sit cœli terræque Dominus, in quo confidam? Evanescet tandem ex tot laboribus conceptus mœror, et in lætitiam non merito meo, sed misericordiæ tuæ partam convertetur.

Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.

Pridem afflictum me, et ad mortem a Saule quæsitum benignis oculis aspexisti: cum necessario mihi pereundum censerem, et satellitibus domum meam invadentibus, uxoris meæ solertia et pietate vitam mihi conservasti.

9. *Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.*

9. Iamque tergo hærentem inimicorum manum, ne præda optata potiretur, compescuisti. Ex angustæ domûs et hostibus circumseptæ periculo eductum aperto potiri campo, et quem in partem vellem flectere permisisti.

QUÆSTIO UNICA.

Quantam spem in iustis excitant Dei potentia, iustitia, sapientia, bonitas, et cætera attributa.

8. Ordo Sectionis. Auxilium ut promptius a cœlo devocet Propheta, asserit spem se in Deo collocasse, variaque illius motiva ex Dei attributis petita coacervat eleganter, et suo more figurate, partim Deum orando, partim laudando, partim spem in eum suam inculcando.

Spem excitant undecim Dei attributa. Primum motivum petitur a Dei maiestate, v. 2. *In te Domine speravi.* Hinc consequens est: *non confundar in æternum.*

Secundum motivum, a Dei iustitia: *In iustitia tua libero me.*

Tertium, ab eius bonitate. Est enim in audiendo facilis, vers. 3. *Inclina ad me aurem tuam.* Et in adiuvando promptus: *Accelera ut eruas me.*

Quartum, ab omnipotentia, tum in aggrediendo, tum in protegendo, vers. eod. 3. *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias.* Et vers. 4. *Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu.*

Quintum, e liberalitate: *Et propter nomen tuum deduces me et enutries me.*

Sextum, a sapientia, vers. 5. *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.*

Septimum, a fidelitate seu veritate, vers. 6. *In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.*

Octavum, a sanctitate, v. 7. *Odisti observantes vanitates supervacue.*

Nonum, a misericordia, vers. 8. *Ego autem in Domino speravi: exultabo et lætabor in misericordia tua.*

Decimum, a vigilantia, vers. eod. 8. *Quoniam respexisti humilitatem meam: salvasti de necessitatibus animam meam.*

Undecimum denique, a charitate, v. 9. *Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.*

ARTICULUS I.

Anima in manus ac sinum Dei est conjicienda cum magna spe in eius bonitate et misericordia.

9. Vers. 2. De spe optime omnium locutus est David. NOTA primo, cum Folengio, neminem unquam ex antiquis auctoribus, sive is vates fuerit, sive patriarcha, quos Ecclesiæ fundamentum appellat Paulus, tam honorifice spem et fiduciam de Dei bonitate suis scriptis celebrasse, quam Davidem, qui tam crebro eam extollit, ut ferme nullus sit Psalmus, in quo spei mentio non inseratur. Ita ille, qui addit causam, quod tam assiduis discordiis pene orbis universus agitetur, et Turcæ prospere bella gerant in Christianos, eam esse, quod in Deo Christiani non sperent. David porro hic dicit v. 2. IN TE DOMINE SPERAVI (Hebr. חָסִיתִי chasiti, id est, speravi velut in tegmine ac latibulo) NON CONFUNDAR IN ÆTERNUM (hoc est, nunquam) IN IUSTITIA (id est, iustitia tua. Hebræi instrumentum ponunt cum præpositione) TUA LIBERA ME. Hebr. צֶדֶק tsedech, proprie significat iustitiam, aliquando tamen misericordiam. Hinc Symm. vertit, ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου, *in tua misericordia.* Iustitia Dei est cum misericordia. Iustitia Dei paterna est, admiscetur illi misericordia, et sæpe ipsa eius iustitia, misericordia est. Unde Habacuc Propheta dicit cap. 3. 2. *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Nos quoque iustitiam amemus, tum defectus præteritos corrigendo, tum futuros prævertendo. Lactantius lib. 5. divin. institution. *Iustitia,* inquit, *aut ipsa est summa virtus, aut fons ipsa virtutis, quam non modo Philosophi quæsierunt, sed Poetæ quoque, qui et priores multa fuerunt, et ante notum Philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt abesse hanc a rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitiis hominum cessisse terra, in cælumque revolasse.* Vide Ps. 70. 2. et seqq. ubi versus isti fusius illustrantur.

10. Deus servos suos 1. Educit a culpa, etc. Nota secundo, Dominus hominem iustum educit, et deducit, et adducit. Educit de Ægypto, deducit per desertum, adducit in terram promissionis. Primum fit per fidem. Secundum per charitatem. Tertium per spem. Vel sic potest distingui: Dominus per multiplicem effectum gratiæ educit, ducit, deducit, circumducit, adducit, introducit. Primo, educit a culpa. Sap. 10. 2. *Eduxit illum a delicto suo.* Secundo, ab amore proprio, scilicet carnis: *Eduxit illum de limo terræ.* Tertio, a mala consuetudine inolita per peccatum. Mich. 6. 4. *Eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis liberavi te.* Sicut enim Ægyptii violenter filios Israel sibi cogebant servire, sic consuetudo. Quarto, a difficultate bene operandi. Ps. 17. 20. *Eduxit me in latitudinem.* Act. 12. 17. Petrus narrabat quomodo eduxisset eum Dominus de carcere. Hic v. 5. *Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi.* Quinto, a sui custodia, ad exercitium spiritualis prælii, 1. Paral. 11. 2. *Tu es qui educebas et reducebas Israel:* scilicet ad prælium, et hoc dicebat David. Sexto, ab activa vita ad contemplativam. Ezech. 37. 3. *Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini,* q. d. opere Domini, non propriis viribus, eductus sum in contemplatione spiritualium. Septimo, a statu meriti, vel expectationis ad præmium. Mich. 7. 9. *Educet me in lucem, et videbo iustitiam eius, et aspiciet inimica mea, et operietur confusione.*

II. Ducit per viam mandatorum. Secundo, Deus ducit viatorem per viam mandatorum. Prov. 4. 11. *Ducam te per semitas æquitatis.*

Tertio, Deus deducit de bono in melius proficientem: et hoc multis modis: 1. per viam timoris ad inferiora; 2. per viam spei ad superiora. Unde Sap. 16. 13. *Tu es Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem, et educis ad portas mortis, et reducis.* Isaiæ 38. 10. *In dimidia dierum meorum vadam ad portas inferi: quæsivi residuum annorum, dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium.*; 3. Deus deducit ad humilitatem per propriam sui ipsius diiudicationem. Ioel cap. 3. 2. *Deducam eas*, scilicet gentes in vallem Iosaphat, *et disceptabo cum eis.* Iosaphat interpretatur ipse iudicans, per vallem autem notatur humilitas; 4. Deus deducit per operum moderationem. Sap. 9. 11. *Deducet me in operibus meis sobrie*; 5. denique, Deus deducit per intentionis rectificationem. Sap. 10. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* III. Deducit de bono in melius.

Quarto circumducit infirmos, quasi per viam planam et magis tutam. Unde Exod. 13. 18. *Non eduxit Dominus populum per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, ne forte pœniteret eum si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum: sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Item Deuter. 32. 10. *Circumduxit eum et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui.* IV. Circumducit per viam faciliorem.

Quinto, adducit ad viam rectam, vocando per gratiam inspirationis, et signum boni exempli. Isaiæ 48. 15. *Vocavi eum, et adduxi eum, et directa est via eius.* V. Adducit ad viam rectam.

Sexto denique, introducit, 1. ad videndum suggestiones malorum, ut caveantur. Ezech. 8. 3. *Introduxit me per ostium domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem, et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem*; 2. ad videndum ortum gratiæ in pœnitentibus. Ezech. 11. 1. *Elevavit me spiritus, et introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ respicit Solis ortum*; 3. in fervens desiderium charitatis. Cantic. 2. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*; 4. tandem Deus introducit in patriam. Ierem. 3. 14. *Introducam vos in Sion*; ita Ugo. VI. Introducit in cognit. et char.

11. Vers. 6. His positis, David corpus et res terrenas pro nihilo ducens, Deo animam suam commendat, vers. 6. IN MANUS TUAS (Hebr. in manum tuam) COMMENDO (Hebr. commendabo, id est, ita commendo, ut postea sim semper commendaturus. Hebræi sic sæpe sumunt futurum pro præsenti quo carent) SPIRITUM MEUM, id est, primo, meipsum; ita Euthymius. Est synecdoche. Sic caro sumitur pro toto homine, Ioan. 1. 14. *Et verbum caro* (id est, homo) *factum est.* Secundo, *spiritum*, id est, vitam; ita Bellarm. sic sæpe in Scripturis anima sumitur pro vita. Tertio, et melius, spiritus sumitur pro anima seu mente, quæ est pars hominis nobilissima, et cui uni debet intendere. In eo sensu Christum morti proximum bene sententiam usurpasse planum est.

Sensus itaque est, q. d. David: Ego in deserto Maon undique ab hostibus circumcingor exercitu Saulis ab omni parte diffuso, et me mactandum quærente, itaque urgente ut vix pateat effugio locus. Sed cæteris meis bonis pereuntibus id unum præ cæteris postulo, et dum vivam, postulabo, ut animam meam serves, ut dum erit in corpore non succumbat nimiæ tristitiæ, neque in scelus abripi se permittat, et dum evolabit ex eo ergastulo, evadat ungues dæmonum illi velut prædæ optatissimæ insidiantium.

12. רוּחַ Ruach multa significat. Nota, pro *spiritum meum*, Hebr. est רוּחִי *ruchi*, vox autem *ruach* apud Hebræos latissime patet. Sic enim primo generatim vocatur natura, vel res spiritualis, quæ nec carnem habet, nec ossa, nec sub sensus externos cadit: idque vel active, quæ spirat, agitat, movet: vel passive, quæ spiratur, agitatur, et movetur. Secundo, sæpe de Spiritu sancto dicitur, tertia persona Trinitatis: tumque sæpe habet adiunctum Dei, vel Domini, id est Iehova, nomen. Tertio, *ruach* dicitur tam de Angelo bono, quam de malo. Sed de malo fere cum addito: ut, spiritus malus, spiritus malignus, Zach. 13. et passim in Evangelistis. Quarto, *ruach* dicitur de spiritu hominis, id est, spirituali substantia homini insufflata a Deo conditore, qua vivit, intelligit, movetur. Quinto, *ruach* est animi impe-

tus, motus, affectus, concitatio, voluntas, appetitio, desidorium, inclinatio: sicut Latino animi nomen sumitur. Sexto, *ruach* est energia, virtus, efficacia vivificans, ot carni opponitur, Is. 31. Septimo denique, *ruach* est vita animalis, flatus, anhelitus oris, anima; ita Mercerus.

Omnia nostra Deo sunt commendanda.

Hæc omnia sunt Deo commendanda, quæ in te sunt, ut fias Angelus, sed bonus, et habeas in te inhabitantem Spiritum sanctum, qui non tantum insufflet in faciem tuam spiraculum vitæ, Gen. 2. 7. id est, animam spirantem, sed sit ipse anima animæ tuæ, eique tota plenitudine divinitatis suæ inhæreat, eamque in se transformet, ut fiat in spiritum vivificantem, et Christo assimiletur, de quo 1. Corinht. 15. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem*, id est, Adam factus est anima vivens. Est synecdoche. *Novissimus Adam* (Christus) *factus est in spiritum viventem*, id est, anima vivificans corpus proprium, et donans vita, quæ non egeat cibis ad sustentationem: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis: qualis terrenus, tales et terreni. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis*. Sic in eo, et per eum vivemus.

13\. Spiritus hominis in Scriptura varie sumitur.

Nota secundo cum Didymo. Animadvertendum est, inquit, spiritum hominis in Scriptura multis modis accipi. Primo, cum dicat 1. Corinth. 7. 34. Virginem curare debere, ut sit virgo *spiritu et corpore: spiritum* cogitationem intelligit. Secundo, apud Iacobum 2. 26. *Corpus sine spiritu mortuum est:* cum hoc dicit, animam intelligit. Tertio, ubi dicitur 1. Corint. 2. 11. *Quis hominum novit, quæ sunt hominum, nisi spiritus hominis, qui in ipso est:* non alius innuitur spiritus, quam qui animæ coniunctus est: cum alius ab ea sit, qui conscientia nuncupatur. Ita Didymus, qui spiritum tribus his modis intelligi posse ait, cum dicitur: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Videndum nobis est, ut consilium Apostoli usurpemus, Galat. 5. 16. *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis*. S. Hieronymus lib. 3. in hanc epistolam docet, animam posse dici spiritum et carnem: sicut aurum terra est, cum in aurariis delitescit: pretiosum vero metallum est, cum igne excoctum fuerit. Verba ipsius sunt: *Caro, terra: anima, aurum: spiritus ignis vocetur. Quamdiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum suum, et a terra, cui commistum est, appellatur. Cum vero separatum ab humo, auri et specie et nomen acceperit, aurum quidem dicitur, sed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit et purgatum, tunc auri splendorem et ornatus sui accipit dignitatem. Ita et anima inter humum et ignem, hoc est, inter carnem spiritumque consistens, quando se tradiderit carni, caro dicitur: quando spiritui, spiritus appellatur. Quod si proprio crediderit cogitatui, et absque gratia Spiritus sancti invenire se æstimaverit veritatem, quasi aurum sordidum, animalis hominis appellatione signatur*. Itaque carnales dicuntur, qui totos se tradunt voluptatibus: spirituales, qui Spiritum sanctum sequuntur ducem: animales denique, qui imaginationi suæ adhærentes, de cælesti luce non sunt solliciti.

14\. Manus Dei est eius omnipotentia.

Quæres primo. Quænam sint Dei manus, quibus animam suam commendat David? Primo, Beda unam tantum manum assignat, nempe omnipotentiam, q. d. *commendo spiritum meum*, id est, animam meam a laqueo erroris et terroris defendendam, non in firmitatem meam: sed *in manus tuas*, id est, in omnipotentiam tuam; ita ipse. Et quidem Hebr. est *in manum tuam*. Sed illa omnipotentia pugnat et vincit a dextris et a sinistris, id est, in prosperis et adversis.

Plures manus illi dat Didymus.

Secundo, Didymus plures Dei manus agnoscit, sed certum earum numerum non præfigit; ait enim: In hoc boni omnes incumbunt, ut non corpus tantum, sed animum, mentem et cogitationem ab hostium vulneribus tueantur: quoniam ergo adversus impostores, ac fraudibus præpotentes bellum ob ipso geritur, qui non ferire, sed animam vulnerare statuunt, in manus Dei, quæ illum protegere possunt, spiritum suum asservandum tradit David. *Porro Dei manus non alias, quam occultas providentiæ suæ* A *facultates interpretari oportet;* ita Didymus.

Duas Rudolphus, nempe potentiam et misericordiam.

Tertio, alii explicatius duas Dei manus assignant. Primo, Rudolphus potentiam et misericordiam, q. d. Commendo spiritum meum inter manus potentiæ et misericordiæ tuæ: ut potentia protegat, misericordia eruat, et redimat a morte. Secundo, Dionys. v. 16. huius Psalmi ponit duas Dei manus, potentiam et providentiam. Iansenius hic, potentiam et curam. Nicephorus, curam et protectionem. Ubi vides a Dionysio et Iansenio potentiam pro dextera poni, a Nicephoro pro sinistra. Sed Deus est ambidexter. Tertio, Ugo Card. Dei dicit esse potentiam et voluntatem. Dionysius apertius, potentiam et charitatem. De illis recte dicetur cum Sponsa, id est, anima sancta, Cant. 8. 3. *Læva eius sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me*. Potentia est manus dextera, quæ iuvat ad hostes aggrediendos, et tela in eos intorquens. Sinistra seu manus cordis est charitas, quæ est instar clypei tela hostium in se recipientis et infringentis, atque lapsantem aliquando præ terrore animam sustinentis. Hæ duæ manus sunt suavissimæ et potentissimæ, et de his maxi- B me animam a Davide commendari censeo.

Alii, alias.

Quatuor manus assignat Lorinus.

Quarto, Lorinus quatuor manus Deo dare videtur, cum ait: In manus commendare, est arbitrio, potestati, liberalitati, protectioni se committere.

Quatuordecim Ugo.

Quinto denique, Ugo Cardin. nobis veluti centimanum Briareum depingit eum innumeris pene manibus, quibus attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter. Primo, inquit, manus Domini est ipse Filius. Ps. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto*. Deut. 32. 40. *Levabo in cælum manum tuam*. Secundo, manus Domini sunt potentia, sapientia, bonitas. Ps. 101. 26. *Opera manuum tuarum sunt cæli*. Ps. 94. 4. *In manu eius omnes fines terræ*. Tertio, manus Dei est eius ordinatio. Iob. 12. 10. *In cuius manu est anima omnis viventis*. Sapient. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. Quarto, fortitudo. Ps. 135. 12. *In manu potenti et brachio extento*. Quinto, largitas. Ps. 144. 16. *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione*. Sexto, consolatio. Ezech. 3. 14. *Manus Domini erat mecum confortans me*. Septimo, donum prophe- C tiæ. Ezech. 8. 1. *Cecidit ibi super me manus Domini*, id est, spiritus prophetiæ. Octavo, præscientia. Is. 49. 16. *In manus meis descripsi te*. Glossa, ut semper videam te. Nono, misericordia. Ps. 36. 24. *Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*. Decimo, protectio. Isaiæ 51. 16. *In umbra manus meæ protexi te*. Undecimo, voluntas. Ps. 30. 16. *In manibus tuis sortes meæ*. Duodecimo, comminatio. Isaiæ 9. 12. *Adhuc manus Domini extenta*. Decimotertio, vindicta. Iob. 13. 21. *Manum tuam longe fac a me*. Decimoquarto, operatio. Deuteron. 32. 27. *Manus mea fecit hæc omnia;* ita Ugo. Vide ut te commendes ac tradas manibus parentis sinum expandentis, ne incidas in manus iudicis terribilis. Deuteronomii locus ultimus non bene citatur.

15\. Animam commendat David, velut depositum sacrum.

Quæres secundo. Quomodo in manus Dei animam suam David commendat? Resp. commendare veluti sacrum depositum. Hebr. enim פקד *pakad* significat tradere in depositum, deponere aliquid, ut illius cura habeatur. Græce παρατίθεσθαι hæc propriæ sonat: undo est παραθήκη, id est, depositum. Hinc verba Christi in cruce D sio refert Tertullianus in Praxeam, cap. 25. *Pater in tuis manibus depono spiritum meum*. Et Arabs hic et in Evangelio Lucæ c. 23. 46. In manus tuas trado spiritum meum. Victor Antiochenus in Marcum ab ipso Christo se Patri offerente hoc animarum nostrarum depositum agnoscit: *Hæc*, ait, *Christi commendatio in animarum nostrarum commodum cedebat: quippe quas ille a corpore, quod inhabitaverant, absolutas, quasi quoddam depositum in Dei viventis manus ea oratione tradebat*.

16\. Deus est thesaurus immensus.

Deus est thesaurus immensus, in quem animæ omnes salvandorum confluunt. Unde, nisi velint, educi non possunt. Inter cætera Dei nomina apud Hebræos est מקום *makom*, id est, locus, quod scilicet omnia contineat, et a nullo contineatur. Id autem de homine præsortim verum est, a Deo enim iusti continentur speciali modo. Ru-

n

pertus in cap. 3. Gen. v. 9. illud versans: *Adam ubi es*, sic loquitur: *Recte dicitur illi, ubi es? quia scilicet movit pedem suum, et in loco suo non est. Locus enim hominis Deus est, extra quem nusquam bene est.*

Huic se thesauro crediderat Paulus, suaque omnia, et securus exultabat 2. Timoth. 1. v. 12. *Scio, cui credidi* (scilicet depositum meum, hoc est animom meam et me totum) *et certus sum, quia potens est depositum meum* (fideles mihi commissos ait S. Chrysost. 2. labores meos pro Evangelio toleratos; ita Cornel. 3. gratiam mihi datam, ut Theodor. 4. salutem meam, ut S. Ambros. 5. animam) *servare in illum diem*, id est, in diem iudicii.

17. Plato dicebat aliis aurum, aliis argentum, aliis ferrum, stannumve aut plumbum esse admistum, cum a Deo formarentur: hinc existere ingenia quædam aurea, id est, excellentissima: alia argentea, et inferioris notæ. Talentum datum non est defodiendum in terram et abscondendum, ne a nobis auferatur, ut ab illo pigro et terreno, qui ut habet Arabs, Matth 25. 18. sepelivit argentum Domini sui; et Noster, *abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam Domini sui*. Nempe gratiam eius, at animam suam cognoscendi vi præditam. S. Petrus Damiani l. 1.

Anima est Dei numisma et imago.

epist. 2. *Anima*, inquit, *pretiosissima Dei pecunia*. Cassiodorus in Psalmo nostro ait, animam esse inæstimabilem thesaurum. Illa pecunia est optime signata Regis Imagine. Genes. 1. 26. dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, id est, ad imaginem similem: Est hendyadis. Vide dicta Psal. 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Adde Hermetem Trismegistum, qui libro ad Asclepium ait: *Hominis una pars simplex est, quam vocamus divinæ similitudinis formam*. S. Hilarius id omnibus notum esse ait in Ps. 62. *Veluti insitum impressumque omnibus est, divinam inesse nobis animarum originem opinari, cum non exiguam cælestis in se generis cognationem mens ipsa cognoscat*. Deum quodammodo terrestrem esse animam humanam statuit Seneca ep. 31. *Quid ergo animus? sed hic rectus, bonus, magnus: quid aliud voces hunc quam Deum in corpore humano hospitantem?* Errant tamen Priscillianistæ, eosque S. Leo ep. 93. ad Turibium vocat fœtidissimam sentinam, qui inter alia dogmata docebant, animam hominis divinæ esse substantiæ, neque a natura creatoris sui conditionis nostræ distare naturam.

Non est in lutum abiicienda.

Hæc sacra pecunia ab ipso Rege data et signata non est in lutum abiicienda, id est, ad carnalia deiicienda. S. Bernard. in Meditation. *O anima*, inquit, *insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, dotata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps: quid tibi cum carne, qua haud aliud vilius sterquilinium invenisti!*

Sed Deo reddenda.

Cum animo nostro sit Dei imago, ipsi reddendo est. Cum Pharisæorum discipuli et Herodiani, sic dicti, quod Herodem Ascalonitam dicerent esse Messiam a Prophetis promissum, a Christo petiissent, an liceret dare tributum Cæsari, postulato ab eis denario, qui erat quinque assium ordinarie, ait, Matth. 22. 20. *Cuius est imago hæc et superscriptio?* (Græce ἐπιγραφὴ, id est epigraphe, inscriptio, q. d. quid est etiam ibi scriptum?) *Dicunt ei, Cæsaris* (Tiberii scilicet tunc imperantis nomen et imago) *Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo*, q. d. temporalia date Regibus, spiritualia Deo. Ubi adverte ex Lampridio, quod solebant Romani cudere numisma eo pretio et pondere, quo tributa sibi volebant pendi. Iudæi autem solvebant in singula capita Romanis didrachmam, sive dimidium sicli, hoc est, decem asses, duos scilicet denarios, aut denarium duplicem. Ad rem vero præsentem S. Hilarius dicit: *Deo etiam ea, quæ Dei sunt, reddere nos oportet: id est, corpus, et animam, et voluntatem: numisma autem Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata: ideo divitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentiæ vestræ conscientiam servate*. S. Bernardus, sive auctor lib. de passione Domini, cap. 3. *Reddite*, inquit, *Cæsari, denarium, Cæsaris habentem imaginem. Reddite Deo animam, quam ad imaginem et similitudinem suam creavit, et iusti eritis*. Lege S. Bernardum tract. de quadruplici debito, quo Deo obstringimur.

Anima nostra in manu Dei erit secura. Sap. 3. 1. *Iustorum animæ in manu Dei* (S. Aug. in Ps. 118. dicit a pluribus legi, in manibus tuis) *sunt, et non tanget illos tormentum mortis*, id est, mortiferum; 2. agonia mortis, qua anima separatur a corpore; 3. mors ipsius animæ; 4. tormentum gehennæ, quæ est mors secunda et æterna. Moraliter, portatur iustus manu Dei. Primo, sicut puer manu matris vel nutricis, iuxta illud Osee 11. 3. *Et ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: et nescierunt, quod curarem eos*. Secundo, sicut charta in manu scriptoris, ut in ea scribat et pingat, quidquid velit, iuxta illud Isaiæ 49. 14. *Ecce in manibus meis descripsi te*. Sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos non calamis, sed clavis: non atramento, sed sanguine, ut amorem suum eximium in eos testaretur, utque eos in gratia confirmaret et solidaret, iuxta illud Ioan. 10. 20. *Ego vitam æternam do eis: et non peribunt in æternum, et non rapiet eas* (oves meas) *quisquam de manu mea*. Unde sicut Spiritus sanctus dicitur digitus Dei Patris, Luc. 4. 20. sic consequenter filius dicendus est manus Dei Patris, quia mediat inter Patrem et Spiritum sanctum, sicut manus media est inter brachium et digitum. Tertio, sicut annulus in manu Regis: æque enim pretiosa est anima iusti in manu et oculis Dei. Vide Ier. 22. 24. Eccli. 49. 13. Aggæi 2. 24. Unde Isaias cap. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui*. Quarto, sicut æger vel debilis est in manu confortantis, iuxta illud Ezechiel. 3. 14. *Manus enim Domini erat mecum, confortans me*. Quinto, sicut lilia, rosæ et flores sunt in manu odorantis: sic enim animæ sanctæ fragrantem odorem exhalant in nares Dei, Deoque placent in odorem suavitatis: *Christi enim bonus odor sumus Deo*, 2. Corinth. 2. 15. Sexto, iustorum animæ in manu Dei sunt, sicut materia vel instrumentum est in manu artificis: ut eas tunsionibus, pressuris, patientia, omnique virtute et gratia expoliat: et sicut gladius est in manu militis ad occidendum hostem. Unde S. Chrysostomus homil. in hæc Sapientis verba: *Iustorum animæ*, etc. quæ extat in fine tom. 4. *In tua pugna*, inquit, *Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, et victoria tibi ascribitur. Certamen tuum, Dei certamen est; prælium tuum, Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tua virtute devincas? prehende arma, procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille, qui vinci non novit*. Septimo, iustorum animæ sunt in manu Dei, quæ scilicet eis coronas imponit, ac lucem, vitam et gloriam aspirat. Unde Theodorus Patriarcha Alexandrinus in Concilio Nicæno 2. act. 3. *Sancti*, ait, *sunt promptuaria Dei, et pura Christi habitacula, Spiritusque sancti immaculata specula: quin etiam animæ eorum in manu Dei sunt, uti scriptum est Sap. 3. Deus enim est vita existens. Cum ergo sancti in manu Dei sint, in vita et lumine necessarium est ut existant*. Et S. Damascen. lib. 4. de fide, cap. 16. Quod iustorum animæ in manu Dei sint, et non tangat illos mors, dicit divina Scriptura, Sapient. 3. Nam mors sanctorum dormitio magis est, quam mors: laboraverunt etiam in præsenti sæculo, et vivunt in æternum. Ps. 115. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*. At quid pretiosius, quam in manu Dei esse? Vita enim est Deus et lux: et qui in manu Dei sunt, in vita et luce existunt; ita Damascenus. Animæ ergo iustæ, ut ait ipse, in manu Dei sunt, *dulci somno, in mente vigilante dormientes*, sicut puer secure dormit in sinu matris, iuxta illud Is. 51. 16. *In umbra manus meæ protexi te*. Et Deuteron. 33. 3. *Dilexit populos: omnes sancti in manu illius sunt*. Ita Cornelius. Manus Dei dat iusto umbram et protectionem. Hebræi vocem כף *caph*, usurpant primo pro vola manus, et tota manu: secundo, pro nube. Mosi dixit Deus, id est, Angelus Dei legatus, Exodi 33 21. *Ecce*

18. In manu Dei est secura.

Iustus portatur Dei manu.

1. Sicut puer.

2. Sicut charta.

3. Sicut annulus.

4. Sicut ægrotus.

5. Sicut flores.

6. Sicut instrumentum.

7. Sicut victor coronandus.

est locuc apud mc, et stabis supra petram, (in fide et emore Christi perseverans) *cumque pertransibit gloria mea* (inspiratio at illustratio mea) *ponam tc in foramine petræ* (in corde Christi aperto) *et protegam dextera meo* (Pagninus vartit, operiam te nube mea) *donec transeam,* assimilatus capreæ hinnuloque cervorum fugienti ad montes aromatum, hoc est, ad montes Bethei, cælum scilicet meum, ubi est domus mea et servorum meorum, quos traham currentes in odorem unguentorum meorum, hoc est, virtutum et gratiarum. In hoc Psalmo pro manu non est *caph*, sed יד *iad*, quæ vox significat, 1. manum; 2. potentiam, vim, robur; 3. ipsam efficientiam, actionem, operationem; 4. consilium; 5. auxilium, operam, adminiculum; 6. medium; 7. locum; 8. terminum; 9. præceptum. His omnibus modis in manu Dei esse debemus. Primo, velut infirmi in manu potentis. Cant. 8. 3. Sponsa amore languens, et in deliquium cadens, ait: *Læva eius sub capite meo, et dextera illiuc amplexabitur me.* Secundo, velut ignarus in manu peritissimi consiliarii. Christus enim est admirabilis consiliarius, Is. 9. 6. et magni consilii Angelus, de quo melius quam Tobias senior possis dicere, Tob. 5. 27. *Credo quod Angelus Dei bonus comitetur ei, et bene disponat omnio, quæ circa eum geruntur, ita ut gaudio revertatur ad nos.* Eius consilio Tobias iunior et piscem devorare volentem, et dæmonem Asmodæum, qui septem viros Saræ occiderat, erasit, at eam uxorem habuit, ac patris cæcitatem curavit. Tertio, in manu Dei sunt iusti, tamquam in loco ubi quiescant, tamquam in termino, ubi terrenis superiores eorum nihil desiderent: tamquam in medio tamen, per quod ad æternam salutem perveniant: tamquam in signo voluntatis divinæ, ut ad eius minimum motum avolent mandata facturi, Ps. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibuc dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Vide illum locum. Atque hæc omnia fiunt cum summo amore reciproco. Rad. *iodat* significat 1. proiicere; 2. amare. Proiice in Deum curam tuam, sed cum amore: iacta cogitatum tuum in Domino: sed dux sit atque impulsor amor, innitere super dilectum: non tua tantum, sed proiice te in eum. Ipse te cum amore suscipiet. Est enim verus ידיד *iedid*, dilectus, et ידידיה *iedidia*, id est, dilectus Domini, quo nomine vocatus est Salomon. Est dilectus et diligens, imo ipse amor. Vide dicta Ps. 21. 11. *In te* (in manus tuas, brachium et sinum tuum) *proiectus sum ex utero.* Pythagoræi nemini dexteram dabant, nisi eiusdem sectæ: ac ne domesticis quidem, nisi parentibus, ut tradit Iamblichus. Manus immittere, ut ait Themistius orat. 3. κεντρον μελλουσης φιλιας, *aculeus ac stimulus est amicitiæ futuræ.*

19. Allegor. hic locus de Christo est, ut patet Luc. 23. 46. ubi Christus in cruce dicit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum,* quod pronunciavit. Primo, quia iam tradiderat alia omnia diversis: nempe Apostolis pacem, tortoribus corpus, hostibus veniam, latroni paradisum, Ioanni matrem, ac vicissim matri Ioannem, vestes militibus; restabat sola anima, sed omnibus longe præstantior, hanc Patri legat testamento suo.

Allegor. Christus in manus Patris commendat suum Spiritum ob septem rationes.

I. Secundo, ut filialem de Patris benevolentia et amore fiduciam declararet; atque cum dixit: Quare me dereliquisti, id non ortum esse ex diffidentia et desperatione, sicut Calvinus blasphemat.

II.

III. Tertio, ut indicaret se libenter mori, et animam offerre tamquam pretium nostræ redemptionis. 1. Corint. 6. 20. *Empti estis pretio magno.* S. Isidorus lib. 16. Ethymolog. dicit, in numismate tria requiri, 1. metallum; 2. figuram; 3. pondus; si ex his aliquid defuerit, numisma non fore. Constat autem, ut ait Thomas Anglicus Card. quod nummus iste, quem Christus pro nobis obtulit, vel tradidit, habuit metallum purissimum, igne charitatis in camino uteri virginalis diligenter examinatum. Primo de camino habetur Is. 31. 9. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, et caminus eius in Ierusalem.* Et ideo ipse fuit argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Secundo, habuit figuram debitam expressissime. Ad Hebr. 1. 3. *Cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ eius.* Tertio, de pondere vero iustissimo non est dubitandum: nam positus in statera crucis in profundissimum descendit, at quasi totum genus humanum pondus minus grave usque ad cælos exaltavit. Prov. 16. 2. *Spiritus ponderator est Dominus.* Et ideo fuit nummus iste merito acceptandus tamquam sufficiens, et plusquam sufficiens pretium. Prov. 17. 17. *Pretiosi spiritus vir eruditus.*

Quarto, ut in persona membrorum omnium loquens animas omnium Patri æterno commendaret. S. Athanas. lib. de humana Christi natura: *Cum,* ait, *in cruce dicit: Pater in manus tuas depono spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit atque commendat, per ipsum et in ipso vivificandos. Membra enim sumus, et membra ista multa unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat.* IV.

Quinto, ut omnes sibi in mortis articulo timendum esse edoceret. Nam S. Ephrem. serm. in eos, qui in Christo obdormierunt, et S. Chrysost. homil. 34. in Matth. aliique censent dæmonem proprium singulis adversarium, eidem moribundo horribili specie apparere, eumque conari inducere ad desperationem, et alia peccata. S. Martino apparuisse morienti, et ab eo fuisse reiectum scimus. Euseb. lib. 10. demonstration. Evangel. cap. ult. illud a Christo dictum Ps. 21. 13. *Tauri pingues obsederunt me,* interpretatur de dæmonibus, qui Christo in cruce patienti et morienti sese ostenderint hiante rictu insultantes velut reo atque scelerato. Favet illud Habacuc 3. 5. *Egredietur diabolus ante pedes eius.* Et illud Ioann. 14. 30. *Venit princeps mundi, et in me non habet quidquam.* Salmeron t. 10. tract. 46. Refert, inquit, historia Scholastica cap. 172. lib. de histor. Evang. ex Bedæ sententia: *Satanam super brachium sinistrum stetisse crucis, observantem diligenter, an in eum aliquod ius habere posset, et aliquam maculam in eo inveniret: nec inde recessit nebulo, donec Christus spiritum reddidit. Quo reddito satanas cernens se confusum, recessit fraudatus desiderio suo, secundum illud: Venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam. Descendens autem in tartara, invenit spiritum Christi divinitati unitum suo aspectu Patres limbi beantem, et consolantem, dæmones autem a se damnatos horribili terrore cruciantem atque vexantem.* Ita Salmer. V.

Sexto, ut varios fidei articulos confirmaret. Primum, sibi animam creatam fuisse, quæ corpus informaret et vivificaret, præter divinitatem. Secundum, illam animam e corpore exituram, sicque se vere et realiter in cruce moriturum pro nobis. Tertium, illam superstitem fore, et non morituram, sed in certo quodam loco servandam. Quartum, eam ad corpus redituram, quia est compars, et optat unionem cum corpore, illamque obtinuit in resurrectione. VI.

Septimo denique, ut morituris illa verba usurpandi exemplum daret. S. Hieron. in Ps. nostr. *In manus tuas commendo spiritum meum. Hoc est, in potestatem tuam commendo animam meam. Hoc exemplum accepit Ecclesia a Christo. Hoc et S. Stephanus fecit. Hoc et Sancti orant, quando exeunt de corpore,* ut illud 1. Petri 4. 19. *Fideli creatori commendent animas suas in benefactis. Hæc in cruce positus Dominus dixit, quod in Patris manus spiritum commendaverit, cito eum ipso resuscitante suscepturus.* Primo, de Christo post illa verba prolata: In manus etc. dicitur. Luc. 23. 46. *Et hæc dicens expiravit.* Arabs: Et cum dixisset hoc, tradidit spiritum, supple, in manus Patris. Secundo, S. Stephanus sub lapidum grandine resonans dicebat Act. 7. 59. *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Tertio, S. Nicolaus, Myræ Episcopus cum Psalmum nostrum ab initio pronuntiasset, his verbis dictis: *In manus tuas commendo spiritum meum,* statim expiravit. Quarto, de S. Basilio refert S. Gregor. Nazianz. quod cum sacra hæc verba protulisset: τους απαγοντας αυτον αγγελους, ουκ αηδως απεπνευσε ψυχην; Angelis eum abducentibus sine ullo mæroris signo expiravit. Quinto, in S. Ludovico Rege Franciæ nostræ hæc ad extremum vitæ halitum proferente: est etiam notabilius, quod eodem die et hora, qua Christus ea protulit et expiravit, ut habet Scipio

du Pleix in hist. Franc. Sexto, S. Eligius Episcopus Noviomensis, mariens aculis in cœlum intentis: *Nunc, ait, dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. In manus tuas commendo spiritum meum. Tu scis quia semper spes meo fuit in tuo misericordio, et fides meo in tua credulitate permansit. Et nuuc quoque in confessione cancti tui nominis, extremum Christe anhelitum menm efflabo. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam.*

20. Christus adest sanctis aliquibus visibiliter in morte. 1. S. Antonio de Padua. Nata, nonnulli arbitrantur a Christa ipso amnium salvandorum onimas statim a morte excipi, et quasi laborum suarum fructus Patri æterna afferri. Sed sicut de omnibus non est probabile (olioqui simul deberet Christus esse in pluribus locis) ita do selectioribus oliquonda verum esse arbitrar. Nam prima S. Antonius de Padua Ord. S. Francisci mariens cecinit hymnum: *O gloriosa Domina excelsa super sydera*, etc. deinde sublatis oculis, eos in cælum defixit. Cum rogaretur, quid contemplaretur, ait: *Video Dominum meum*, otque mox feliciter in Domino obdormivit, anno Christi 1231. Secundo, S. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 10. sic loquitur de S. Tarsilla amita suo moriente: Sursum, ait, respiciens Iesum venientem vidit, et cum magna animadversione cepit circumstantibus clamore dicens: Recedite, recedite, IESUS venit. Cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa onima e corpore est egressa. Tantaque subito fragrantia odoris aspersa est, ut ipso quoque suavitas ostenderet, illuc auctorem suavitatis venisse. Tertio denique, S. Elisabetha Hungarorum regis filia, oculis in cælum intentis vidit Christum, ab eoque audivit: *Bono animo esto, filia, ego tecum sum.* Cui illa: *Ita Domine, tu mecum, et ego tecum.* Eidem post vitam multis annis religiose transactam Christus apparuit, dixitque: *Veni sponsa, cælesti thalamo potire.*

2. S. Tarsillæ.

3. S. Elisabethæ.

21. Oratio illa, in manus, etc. sæpe est usurpanda. Nota secunda, ut in fine vitæ dicere merearis: In manus, etc. assuesce illi orationi in vita. S. August. lib. 22. de civit. cap. 8. refert quemdam in errore pertinacem, frustraque monitum ut converteretur, ivisse ad templum S. Stephani, inde eius generum Christianum flares ex altari ablatos supposuisse cervicali darmientis. Ante diluculum obstinatus ille canversus est, et presbyteros advocavit: *Hic quamdiu vixit, in ore habebat: Christe, accipe spiritum meum: cum hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est a Iudæis, ultima fuisse nesciret: quæ huic quoque ultima fuerunt.* Ille ceperat hæc dicere ægrotans, tu sonus incipe.

22. Symbol. Religiosus commendet spiritum suum in manu Christi crucifixi. Symbolice. Ugo Card. hæc explicat de religiosis. Hæc, oit, præcipue debet dicere vir religiosus, qui est in cruce pœnitentiæ, sicut Dominus his verbis usus est in cruce, Luc. 23. 46. Debent enim religiosi crucem ascendere, sicut Christus, ut dicit Dominus, Matth. 16. 24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam.* Tollere crucem est ascendere arduam vitam, et austeram. Abnegare semetipsum, est dicere: *In manus tuas commendo spiritum meum*, quod fit cum in professione abrenuntiant propriæ voluntati. Et est utrumque necessarium, ut corpus in cruce affigatur per macerationem carnis, et observantiam regularium disciplinarum, et spiritus in manus Prælati commendetur, qui vicem Dei gerit. Sed nota quod spiritus duo comprehendit: scilicet intellectum et affectum. Intellectus autem corrumpitur in claustrali per proprium sensum, affectus autem per propriam voluntatem. Quantum ergo ad hæc duo, debet religiosus commendare spiritum in manus Prælati, ut nec proprium sensum retineat ad iudicandum, nec propriam voluntatem ad eligendum. Dicit enim Dominus, cuius vices gerit Prælatus: *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis, sum enim*, Ioan. 13. 13. Si ergo est Magister, debet ei cedere et credere intellectus, non proprio sensui. Si est Dominus, debet ei obedire affectus, non propriæ voluntati. Si ita faciat, vere potest dicere: In manus tuas commendo spiritum meum. Ita Ugo, qui iure deplorat, quod multi volunt resumere, quod tradiderunt; sed ait dicendum monachis illud Coloss. 2. 20. *Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi huius, quid adhuc tamquam viventes mundo decernitis?* Et quod ibidem habetur cap. 3. 5. *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Nonnulli dicent cum Capharnaitis Ioan. 6. 61. *Durus est hic sermo, quis potest eum audire:* sed emollit et temperat eum verbum, quod sequitur: *Redemisti me Domine Deus veritatis*, q. d. vir iustus. Reddam tibi vicem, sicut potero, quia posuisti animam tuam in manus Patris pro me, et corpus tormentis. Sic ego tradam spiritum meum in voluntate Prælati, et corpus subiiciam regularibus disciplinis. Ps. 115. 13. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* Sic ergo Christi passio debet esse causa et exemplum nostræ pœnitentiæ. Item est etiam mitigatorium et remedium. Quia sicut dicit S. Bern. Devotus miles sua non sentit, cum benigni ducis vulnera intuetur. Hebr. 12. 3. *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.* Et nota, quod in his verbis hortatur nos ad amorem, cum dicit: Redemisti me. Ad timorem, cum dicit: Domine Deus veritatis.

23. Et in voluntate prælati, qui est manus Dei. Secundo, manus Christi sunt Prælati, quibus vices Christi gerentibus se tradit religiosus, et quibus in altari Christum tenentibus in Eucharistia, affert sua vota, quæ ille accipit, et supra altare ponit, cum Christus ibi manibus non utatur, ut illa capiat. Hinc timendum est Prælatis, si sint minus solliciti de animabus suorum religiosorum. S. Bern. serm. 3. de duplici adventu, suam trepidationem exponit: *Quid ego, ait, infelix? quo me vertam, si tantum thesaurum* (animas scilicet subditorum) *si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicavit, contigerit negligentius custodire?* Et vero nisi chariores illi propria sanguine animæ extitissent, nunquam pro illis eum effudisset. Rationem deinde attexit, quæ terroris plurimum inferre debeat rectoribus animarum: *Si, ait, stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem: essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in tanto discrimine? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, et quibus multo plura quam vitreis, imminere pericula videntur.* Thesauri illius nummos esse existima varias virtutes: quarum aliæ aureæ cum charitate rutilant, aliæ argenteæ cum innocentia micant. Quam speciosum est oculis divinis numisma, virginitas? Κόρη et virginem et numismo significat, ut notavit Pollux lib. 8. Onomastici. De tribus numismatis aureis tria vota, paupertatis, castitatis et obedientiæ figurantibus a S. Francisco in sinu suo repertis dixi olias.

24. Vers. 6. 2. Pars. Deus veritatis cur dicatur? Manus Christi non deest ad eam fugientibus, et in ea se ponentibus. Unde addit David: REDEMISTI ME DOMINE DEUS VERITATIS, id est, Deus verax. Est hebraismus frequentissimus, cum duo substantiva ponuntur pro substantiva et adiectiva. Dicitur Deus verus, Ioan. 17. 3. verax Rom. 3. 4. amator veritatis, colendus in veritate, Ioan. 4. 23. requirit Deus veritatem, ibid. v. 24. diligitque, Psal. 50. 8. Res duas hominibus longe pulcherrimas datas a Deo, cum deorum immortalium operibus comparandas dicebat Pythagoras: nempe veritatem et beneficentiam, ut ait Ælianus lib. 12. var. hist. Simile Deo habent homines, benigne facere et veritatem diligere, ut dicebat Demosthenes, teste Maximo Tyrio. Verax per se est solus Deus, omnis homo, imo et quævis creatura est mendax. Reciproca sunt τον ον et τον αληθες. Qui absolutum atque per se ens existit, idem per se, ac solus verus veraxque. Cogitationes Dei antiquæ ac fideles cognominantur Amen, id est, veræ seu veritas, Is. 25. 1. et ipsemet Deus vocatur Amen, ibid. 65. 16. quod Sept. βουλην αληθινην, ot θεον τον αληθινον, id est cogitationem veram, at Deum verum. Deus fidelis in omnibus verbis suis, Deut. 32. 4. Ps. 144. 13. et impossibile est mentiri eum, Hebr. 6. 18. Conversi estis, ait Apostolus 1. Thess. 1. 9. a simulacris servire Deo vivo et vera. Apud Persas Oromazus, vel Oromosdes, vel Oro-

magdus, primum ac bonum numen, corpore constare dicitur bumnno simili: anime, veritati; ita Lorinus. Unde conclude: Cum dicat Deus Ps. 88. 22. *Manus mea auxiliabitur ei*, et sit Deus veritatis, de sancto auxilisbitur, si tu in manus eius ta ac tua deponas et commendes. Sine manu autem eius uihil fecies. Cum B. Iuniperus B. Francisci socius semel oreret, et quid magnum de se conciperet, apparuit manus in aere, et divina vox insonuit: *Manus sine menu nihil potest facere*, id est, nullus est tam bonus qui possit quidpiam sine manu, id est potentia Dei et sine eius auxilio facere. Quod audiens Iuniperus per domum exsiliens et saltaus dicebat: Domine est verum, Domine bene est verum. Ita Waddingus tom. 1. Annal. Minor. pag. 70. Si vero te manns Dei tetigerit, statim ex leproso fies mundissimus, ut leprosus qui occurrit ei descendenti de monte, Matth. 8. 3. ex febricitante, et decumbente sanus et vegetus, ut socrus S. Petri, ibid. v. 15. ex cæco videns, sicut duo cæci, ibid. cap. 9. 27. et 20. 34. ex muto loquens, ex surdo audiens, ut surdus et mutus Marc. 7. 33. denique vivus ex mortuo, ut filia Iairi, Matt. 9. 25. Menns etiam Sanctorum potentes sunt Matt. 16. 18. *Super ægros manus imponent, et bene habebunt*. Lepidum est ac mirabile, cum in monte Alverniæ quidam rusticus algeret propter hyemem, S. Franciscus mann illum apprehendit, itaque hoc unico attactu calefecit, ut inter saxa et nives suavius dormierit, quam unquam in proprio lecto, sicut ipse postmodum asserebat, ut refert Woddingus tom. 1. anno 1224. pag. 318. Recita quotidie in Completorio illa verba: In manus, etc. ne te frigus nocturnum tepiditatis et tentationis occupet. In manu Dei est ignea lex, ipso tactu te succendet charitas, cuius lampades, id est, faces, sunt Lampades ignis atque flammarum. Cant. 8.

Sine Dei manu nihil possumus.

S. Iuniperi humilis sui cognitio

25. Quæres. An Christus potuerit dicere: *Redemisti me, Domine Deus veritatis*. Primo non constat an illa protulerit demissa voce post præcedentia cum clamore prolata, imo verius videtur ea non dixisse, cum dicat Lucas 23. 46. *Et clamans voce magna Iesus*, ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit*. Secundo, S. Augustinus videtur indicare hæc a Christo dici non potuisse, eum censeat τὸ In manus, etc. esse vocem Domini: τὸ redemisti etc. esse vocem corporis eius, id est, Ecclesiæ.

Nomen redemptoris Patri æterno respectu Christi an et quomodo tribui possit?

Dico tamen, sumendo late nomen redemptoris, hoc est, pro liberatore, posse a Christo Deum Patrem vocari redemptorem, sic totus Psalmus et Christo et Iustis singulis, ac toti Ecclesiæ conveniet. Sunt nonnulli, qui Christo dici velint illud Isaiæ 43. 1. *Noli timere quia redemi te: et vocavi te nomine tuo* (id est, nomen tuum, nempe illud quod sequitur) *meus es tu*.

SECTIO SECUNDA.

Duo complectitur. Primo, summam esse afflictionem suam, vers. 10. Secundo, se divina ope sperare a malis liberationem.

PARAPHRASIS.

10. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus.*

10. Iam in extremam adductus discrimen, iterum hostiles manus cruoris avidas vereor: sicut prius mei misertus es servi tui, Domine, ita nunc quoque miserere. In lacrymas oculi mei diffluunt, animus timore concussus labat, viscera emota loco intremunt, dum Saulis et satellitum eius mihi instantium rabiem mente verso.

11. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.*

11. Video enim maiores in iras diebus singulis hostem inflammari, vitamque meam mœrore vitalem succum exorbente defluere, et annos plurimos sine quiete in luctu perpetuo absumi.

Infirmata est in paupertate virtus mea: et ossa mea conturbata sunt.

Corporis vigor emarcuit, dum in summa rerum omnium inopia precariam vitam utcumque in præruptis saltibus sustento, omnibus aeris et fortunæ obiectus iniuriis.

12. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium et vicinis meis valde, et timor notis meis.*

12. Nec corporis tantum mihi bona perierunt, sed nominis mei gloria, quam multo labore collegerem, hostium sannis obiicitur, eorum nunc ludus sum et iocus. Neque hostes modo, sed vicini et affines scommatis me perstringunt; omnesque quibus ob regiam affinitatem innotueram, quique meo hærebant lateri, a me defluxerunt timore consternati, ne una eademque clade mecum atterentur.

13. *Qui videbant me, foras fugerunt a me: oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.*

13. Si locum aliquem ingredier, ut animum viresque colligam, ne colloquio quidem vel aspectu me dignentur, sed fuge se proripiunt, perinde quasi pestem afflarem, aut eos in laqueos mihi paratos inducerem. Ex ipsa hominum memoria excidi, velut in eorum animo prorsus mortuus, neque ullum doloris mei sensum percipiunt.

14. *Factus sum tamquam vas perditum: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.*

14. Vasis instar confracti, et in lutum abiecti, me pro nihilo ducunt. Hoc ego ipse percepi ex procacium, mihique velut iam capto insultantium dicteriis, quibus quotidie aures meas vulnerant.

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

In eam unam tantum rem adunatis viribus copias suas coniunxerunt, ut confertim addensati vitam mihi unanimi consensu eriperent.

15. *Ego autem in te speravi, Domine: dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis sortes meæ.*

15. Illi in multitudine sua et robore vires suas spemque universam collocaverunt: ego autem in te uno speravi, et semper sperabo. Eorum insanis clamoribus hanc unam vocem opposui: Deus meus es tu, qui solo nutu omnes eorum conatus potes infringere: non ab eorum malitia, sed a voluntate tua vitæ meæ mortisque ratio dependet.

16. *Eripe me de manu inimicorum, et a persequentibus me.*

16. Sicas iam vertici meo intentant, fugientemque me iam pene manu prehensant. Ex eorum unguibus et furore libera servum tuum Domine: odio enim infensissimo inflammantur, neque mei miserebuntur.

17. *Illustra faciem tuam*

17. Præ continuo dolore caligant oculi, et in tenebrosis cavernis latere compel-

super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua.

lor, tenebras illas et nebulas discute, et securos calles deducente te ingrediar; hilares faciei tuæ radios explica, ut eo splendore illustrer. Ab his me malis exime secundum misericordiam, quam mihi semper exhibuisti.

18. *Domine non confundar; quoniam invocavi te. Erubescant impii, et deducantur in infernum.*

18. Ne opem a te postulantem spe sua frustrari patere Deus meus, ne tuum in nomen ignominia redundet, qui sperantem in te servare non potueris. Ruborem in impiorum vultus reflecte, cum irritos conatus suos cernent. Si pertinaces et obdurata cervice perseverent, in tartarum detrudantur, ne aerem inficiant, piosque in exitium trahant.

19. *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem in superbia et in abusione.*

16. Fraudulentorum mihi insultantium os occludo, ne tibi addictis servis obstrepant: quod præstabis, si severa vindicta coerciti sub flagellis tuis ingemant. Vesano fastu turgidi, regiæque maiestatis nomine ac potentia abutentes, impia et mendacia in me innocentem effutiunt, atque ut diris iam devotum contemnunt et affligunt.

QUÆSTIO UNICA

Quanta Davidis afflictio, et quam a Deo opem flagitat.

26. *Ordo Sectionis.* Sectione superiori suam in Deo spem David constituerat. Nunc calamitatis suæ magnitudinem declarat, et Dei auxilium implorat.

Ac primo, generatim se afflictum esse plurimum inclamat, v. 10. *Miserere mei Domine, quoniam tribulor.*

Deinde afflictionem suam enucleatius aperit, atque in bonis animi, corporis et fortunæ gravissima se perpeti.

Primo, quidem in bonis animi, 1. intellectu perturbato, vers. eod. 10. *Conturbatus est in ira oculus meus;* 2. voluntate commota: *Anima mea;* 3. memoria: *Et venter meus;* 4. appetitu sensitivo, in maximum mœrorem coniecto, v. 11. *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.*

Secundo, in bonis corporis, 1. nervis languentibus, v. eod. 11. *Infirmata est in paupertate virtus mea;* 2. ossibus luxatis: *Et ossa mea conturbata sunt.*

Tertio, in bonis fortunæ, 1. inimicis ob rerum omnium inopiam insultantibus, v. 12. *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium;* 2. vicinis multa exprobrantibus: *Et vicinis meis valde;* 3. amicis et affinibus opem ferre metuentibus, ne pari clade obruantur: *Et timor notis meis.*

Quarto denique, vehementiam odii Saulis ac satellitum eius, et timoris amicorum suorum et familiarium atque affinium declarat, 1. quod oculis fugerent et aversarentur, v. 13. *Qui videbant me foras fugerunt a me;* 2. corde expellerent: *Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde;* 3. animo contemnerent, v. 14. *Factus sum tamquam vas perditum*, q. d. non pluris sum æstimatus, quam vas confractum; 4. ore maledicent: *Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu;* 5. manu rapere moliuntur: ibid. *In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.*

Secundo, opem a Deo implorat adversus omnes illas miserias, et singula singulis mira arte componit, ut omnia sibi mutuo respondeant.

Primo, enim petierat v. 10. ut Deus sui misereretur eo affectu, quo decet bonum dominum misereri servi sui. Nunc ait, affectum se suum in Deum, velut in Dominum suum proiecisse, et ab eo uno velle pendere, v. 15. *Ego autem in te speravi Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

Secundo, dixerat v. 10. se tribulari. Nunc petit ab illa tribulatione liberari, v. 16. *Eripe me de manu inimicorum, et a persequentibus me.*

Tertio, vers. eodem 10. conquestus erat oculum suum turbari. Nunc a Deo illuminari postulat, v. 17. *Illustra faciem tuam super servum tuum.*

Quarto, v. 11. dixerat dolore se contabescere, et corpus debilitari ob inopiam. Nunc ab illo languore, et mortis metu liberari petit, v. 17. *Salvum me fac in misericordia tua.* Et vers. 18. *Domine non confundar quoniam invocavi te.*

Quinto, vers. 12. hostium se opprobrium esse dixerat. Nunc orat ut ipsi sint aliorum opprobrium, vers. eod. 18. *Erubescant impii, et deducantur in infernum.*

Sexto, vers. 14. hostium se dicteriis proscindi questus erat, et ad necem quæri. Nunc flagitat, ut obmutescant, cum repressam viderint rabiem suam, v. 19. *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem in superbia et in abusione.*

ARTICULUS I.

Ira hominis intellectum, voluntatem, memoriam, et totum corpus perturbat.

27. *Vers. 10. De cuius ira hic agatur.* Miserum se David cernens, misericordiam Dei implorat, v. 10. Miserere mei Domine: causam profert: Quoniam tribulor: (Hebr. quia angustia mihi est) conturbatus est in ira (S. Hieron. in furore. Felix in dolore. Vatabl. præ indignatione. S. August. legit, præ ira) oculus meus, anima mea, et venter meus. Nota, ira hic potest intelligi, Primo, Dei ipsius in Davidem indignantis, et peccata eius punientis. Ita Bellarm. qui Psalmum explicat de Davide fugiente persecutionem Absalonis, quæ immittebatur in pœnam peccati cum Bethsabea, et cædis Uriæ. Sed ostendi in prooemio Psalmum esse probabilius de Saulis persecutione. Tunc autem necdum peccaverat David. Secundo, ira potest accipi dæmonis, vel maligni hominis; ita Ludolph. Tertio, et melius, de ira ipsius Davidis sume, hæc enim proprie eum conturbabat, licet iusta alia omnia erant extrinseca.

Ira turbat oculum. Nota secundo, pro conturbatus est, Hebr. est עששה *ascessia*, id est, 1. caligavit, ut vertit S. Hier. et Felix; 2. turbidus factus est, ut Symmach. qui habet ἐθολώθη; 3. contabuit, ut Arias; ηὐχμώθη, squaluit, ut Aquila; 4. corrosus est, ut Vatablus; 5. computruit, ut Pagninus; 6. *Tineosus fuit in ira oculus meus;* ut Caiet. Vide verbi *ascescia* iam explicat Ps. 6. 8. in illud: *Turbatus est a furore oculus meus.*

Corporis et animi. Nota tertio, *Oculus* Davidis sumi potest, Primo, pro oculo corporeo, qui præ lacrymis caligabat. Ita Bellarm. qui explicat de persecutione Absalonis post peccatum admissum, ut dixi: sed cum de Saulis persecutione exponam, illa caligatio seu conturbatio ab ira petenda est. Secundo, et melius oculus interior, id est, intellectus est accipiendus. Ita S. Hieron. Cassiod. Ruffin. Lomb. Bellarm. Caiet. Ugo, et alii.

Animæ quatuor acceptiones. Nota tertio, *Animam* sumit Lorinus pro vi et appetentia cibi. Secundo. Lomb. Ludolph. Caiet. pro affectu sensualitatis, id est, appetitu sensitivo. Tertio, Beda, pro ratione ipsa. Quarto, et melius, S. Hier. Ruff. Ugo, Bellar. S. Thom. serm. in Dom. 6. post Pentecost. sumunt pro voluntate, quæ est appetitus spiritualis animæ.

Venter quatuor significat. Nota quarto, *Venter* a S. August. sumitur pro interioribus hominis: sed quænam sint illa interiora, non explicat. Caiet. ventrem ait poni pro corporis visceribus. Secundo, Ludolphus, Beda, pro naturali appetitu carnis, id est, pro sensualitate. Tertio, Lombardus, pro carne ipsa. Quarto, et melius, Theodoret. Ruff. S. Hier. Cassiodor. Ugo, Bellarm. Ioan. Vitalis Cardinalis in speculo morali Script. verb. Ira. S. Thom. serm. in Dom. 6. post Pentecost. *ventrem* aiunt esse memoriam. Primo, quia, ut ait Cassiod. *sicut venter transmissas escas recipit, sic et memoriæ sinus notitias rerum competenter assumit.* Contur- *Memoria est venter, ob tria.*

batum ergo dicit ventrem, id est, memoriam suam, ubi habebat reposita, quæ illi Dominus de suo clarificatione promiserat. Hæc de Christo exponit. Secundo, sicut venter acceptas escas retinet, donec eas concoxerit, et utiles reliquis partibus corporis fecerit, ita et memoria. Unde et Theodor. hic γλαστηρ, inquit, λογισμων ταμειον, Venter, id est, memoria, est cogitationum penu, id est, receptaculum, officina et thesaurus. Tertio, sicut venter concoctas escas aliis membris distribuit, ita memoria sibi commissas cogitationes et species suo tempore cæteris potentiis repræsentat, ut ad agendum excitentur, aut ab actione retrahantur.

28. Ira totum hominem turbat. Moraliter nota. Ira hæc omnia conturbat: nempe intellectum, voluntatem, memoriam, oculum corporeum, vultum, appetitum sensitivum, totum denique hominem. Vide dicta Ps. 4. 5. ubi fuse iram fulmini comparavi, in illud: *Irascimini, et nolite peccare.* Quod spectat ad præsentem locum.

I. Eius intellectum. Primo, ira turbat intellectum, qui est oculus interior mentis. Cato senior dicebat, iratum ab insano non distingui nisi mora: iram enim esse brevem insaniam: Seneca vero nihil ponit discriminis inter utrumque. Sic enim tract. de ira: *Nihil inter insanum et iratum est, non unus dies: alter semper insanit, alter semper irascitur.* Rectius dixeris esse insano periculosiorem et perniciosiorem iracundum: quia omnes sibi ab insano cavent, sicut a mari iam turbato, cui nemo se committit: iracundo autem identidem quiescenti multi confidunt, et in eius subitis commotionibus naufragium faciunt ad scopulos allisi, velut in subitanea tempestate mari irato et spumante. Quis ad stultos non ableget Ctesiphontem pancratiastam, (id est, qui certabat Quinquertio seu Pentathlo, id est, cursu, disco, saltu, lucta et pugillatu) qui mulam calce repercutiebat iratus, ut ait Plutarchus lib. de Ira. Aiacem ira furiosum effecit, et gladium in eius viscera contorsit. Eliphaz Themanites, id est, rex seu princeps Theman, amicus Iobi ait cap. 5. Iob. v. 2. *Vere stultum* (Hebr. אויל *evil*, id est, temerarium, audacem, imprudentem, insanum, multa per furorem effutientem) *interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Quod Gregor. lib. 5. Moral. 30. considerans, ait: *Cum tranquillitatem mentis ira diverberat, dilaniatam quodammodo scissamque perturbat, ut sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis omittat. Quanto ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetuda omittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Primo, per iram sapientia perditur: ut quid quove ordine agendum sit omnino nesciatur, sicut scriptum est Eccle. 7. 10. Ira in sinu stulti requiescit: quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit. Secundo, per iram vita omittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est: Ira perdit etiam prudentes: quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiamsi quid intelligere prudenter valet. Tertio, per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est Iacobi 1. 20. Ira viri iustitiam Dei non operatur: quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Quarto, per iram gratia vitæ socialis omittitur, sicut scriptum est Prov. 22. 24. Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas eius, et sumas scandalum animæ tuæ. Et idem Prov. 18. 14. Quis poterit habitare cum homine, cuius spiritus facilis est ad irascendum? Quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est ut bestialiter solus vivat. Quinto, per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est Prov. 15. 18. Vir animosus parit rixas, et vir iracundus effundit peccata. Iracundus quippe peccata effundit, quia etiam malos, quos incaute ad discordiam provocat, peiores facit. Sexto, per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est Ephes. 4. 26. Sol non occidat super iracundiam vestram, quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Septimo, per iram sancti Spiritus splendor excluditur, quo contra, iuxta vetustam translationem scriptum est Isaiæ 66. Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos? Cum enim humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietis mentem subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit, cuius recessione animus vacuus ad apertam mox insaniam ducitur, et usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus, quid loquatur, ignorat.* Illum itaque sanctus hic Doctor comparat dæmoniacis, qui a dæmone possessi non suo, sed dæmonis arbitrio et impetu agitantur. Sic enim pergit: *In qua itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est. Unde fit plerumque, ut usque ad manus prosiliat, et quo ratio longius recedit, audacior exsurgat, seque ipsum animus retinere non valet, quia factus est potestatis alienæ: et eo furor membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captivam tenet.* Ita furia est in omnes sæviens sine ulla ratione. Plutarchus lib. de ira cohibenda: Non omnes amamus, inquit, non omnibus invidemus, non omnes metuimus. Soli iræ nihil intactum, nihil inaccessum est. Irascimur et hostibus et amicis, liberis, parentibus, atque adeo etiam diis, bestiis, anima carentibus, instrumentis, ut Thamyris auro illigatum cornu rumpens, et harmoniam lyræ tensas chordas habentis. Et Pandarus sese execrans, nisi arcum combureret confractum manibus. *Xerxes autem et mari stigmata ac verbera ingessit, et ad montem Athn epistolam misit. Atho divine, cælum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos et intractabiles: alioqui te excisum in mare deturbabo.* Iulianus Imper. vulneratus præ ira insaniebat et sanguinem suum in cælum iactans proclamabat: vicisti Galilæe, ut ait Theodoretus lib. 3. histor. cap. 20. Nicephorus lib. 10. cap. 35. ait eum dixisse: saturare Nazarene. Sozomenus lib. 6. cap. 2. refert, cum sanguinem manu ostendisset, illum in aerem proiecisse, perinde ac Soli iratum, quod Persis venisset subsidio, et se non servasset incolumem, cuius nativitatis velut dominus esset et moderator. Quid hac insania dementius et furiosius?

Secundo, ira voluntatem perturbat eamque peccatis replet. Prov. 17. 19. *Qui meditatur discordias, diligit rixas.* Iacobi 1. 19. *Sit autem homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Cuius rei optimam rationem assignat S. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 30. Ira viri, ait, iustitiam Dei non operatur: quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat; ita Gregorius. Itaque homo efferatur per iram. S. Basilius oratione de ira, Θυμος, inquit, αποθηροι παντελως τον ανθρωπον, και ουδε ανθρωπον ειναι συγχωρει ουκετι εχοντα, την εκ του λογου βοηθειαν; *Ira hominem penitus in fugam convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc idem et furor animo irritatis et perturbatis, impetu feruntur, insiliunt, rabie ut canes efficiuntur, pungunt ut scorpii, mordent ut serpentes.* 29. II. Ira turbat voluntatem.

Tertio, ira memoriam perturbat, species enim confundit, ob fumos excitatos et læsionem organorum. III. Memoriam.

Quarto, oculum corporeum et faciem totam, pro qua oculum hic sumit Agellius, ira maxime perturbat, ut aspicienti patet. S. Chrysostomus homil. 17. in Acta hoc describit: *Quid in iracundo non turpe?* οφθαλμοι αηδεις. *Oculi insuaves, os distortum, membra tremula, lingua infrænis, nullique parcens, mens stupida, figura indecens, multa insuavitas. Vide, oro,* δαιμονωντων οφθαλμους, μεθυοντων, και μαινομενων τι διεστηκασιν αλληλων, ουχι μανια το παν εστι, *dæmoniacum oculos, et ebriorum, et insanientium, quid differunt inter se? Nonne nihil est quam insania?* Et paulo post, tenebras spissiores ira obduci edocet: *Ira*, inquit, *non permittit videre*, αλλα καθαπερ εν νυκτομαχια παντα συνδησας, *sed quasi in nocturna pugna omnia ligat, et oculos, et aures, et trahit, quoquo voluerit.* Tanta est vis iræ in oculum, ut ab eo nonnunquam ignem et flammas eliciat. De Hectore canit Homerus in Iliad. 12. πυρι δοσσε δεδηει, ar- 30. IV. Oculum corporeum et faciem.

debant lumina flommo. Livius historicus lib. 7. memorat Samnites eum ab iis quæreretur, quænam prima causa tam obstinatos movisset ad fugam, respondisse: *oculos sibi Romanorum ardere visos:* vesanosque vultus, et furentia ora: inde plus quam ex alia ulla re terroris ortum esse. Phantasia enim, quæ est in capite supra oculos, ad se advocat spiritus vitales, et illos accendit.

31. Irati descriptio ex Seneca.

Quid ira in totam faciem et corpus possit, optime describit Seneca lib. 1. de Ira, cap. 1. *Ut scias,* inquit, *non esse sanos, quos ira possidet, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra et vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Flagrant et micant oculi, multus in ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine: labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus mugitusque, et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complosæ sæpius manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus, magnasque minas agens, fœdo visu et horrenda facies depravantium se atque intumescentium. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit,* an *deforme. Cætera licet abscondere, et in abdito alere: ira se profert, et in faciem exit: quantoque maior est, hoc effervescit manifestius. Non vides ut omnia animalia simul ad nocendum insurrexerunt, procurrant notæ, ac toto corpora solitum quietumque egrediantur habitum, et feritatem suam exasperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, et arena pulsu pedum spargitur: leones fremunt, inflantur iratis colla serpentibus, rabidorum canum tristis aspectus est. Nullum est animal tam horrendum, tamque perniciosum natura, ut non appareat in illo, ubi ira invasit, nova feritatis accessio.* Plutarchus sapienter libro de Ira cohibenda: Me, ait, si quis elegans et accuratus comitetur famulus, ægre non tulerim, si mihi irascenti speculum offerret. Etenim videre seipsum, παρα φυσιν εχοντα, και συντεταραγμενον, ου μικρον εστιν εις διαβολην του παθους, *contra naturam affecto et conturbato vultu, non parum facit ad damnandam iram.* Ioco fertur Minervam, cum fistula caneret, Satyro his verbis castiganti:

Non te decet forma isthæc, pone fistulas,
Et arma capesse componens recte genas,

non obtemperasse. Cum autem in flumine faciem suam esset contuita, indignatam fuisse, ac missas fecisse fistulas. Idem in ira accidet, si vultus deformitatem contemplamur.

32. V. Denique, ira totum hominem turbat.

Quinto denique, totum hominem, et ad eum accedentes, aliosque plurimos ira conturbat. Seneca lib. de ira, cap. 2. *Si effectus iræ damnoque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, et reorum mutuas sordes, et urbium clades, et totarum exitia gentium, et Principum sub civili hasta capita venalia, et subiectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, sed ingentia spatio regionum hostili flamma relucentia. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia, has ira deiecit: aspice solitudines per multa milliaria sine habitatione desertas, has ira exhausit: aspice tot memoriæ proditos Duces, mali exempla fati: alium ira in cubili suo confodit: alium inter sacra mensæ ira percussit: alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit: alium filii parricidio dare sanguinem iussit, alium servili manu regalem aperire iugulum, alium in cruce membra dividere. Et ad aliorum supplicia narro. Quin si tibi libuerit, relictis in quos ira viritim exarsit, aspicere cæcos gladio conciones, et plebem immisso milite contrucidatam, et in perniciem promiscuam totos populos capitis damno passos, tamquam aut curam nostram deserentibus, aut auctoritatem contemnentibus.* Quod irato noceat ira, patet: Primo, in Valentiniano seniore Imper. qui cum adversus Sarmatas propter Illyrii vastationem incanduisset, vehementius vociferans, vocis instrumentis ruptis obiit, ut refert S. Hieron. Suidas, Baronius anno Christi 75. Secundo, Nerva Imper. dum suggerente ira, voce quam maxima contra quemdam Regu-

A lum nomine, inclamaret, sudore correptus et febre, morte sublatus, anno Christi 100. Clement. Pap. 8. Tertio, in Wenceslao Rege Bohemorum, qui in pocillatorem suum ira percitus, cum interficere eum suis manibus vellet, paralysi affectus concidit, et paucis diebus postea vita excessit, ut refert Cromerus lib. 18. Quarto, Victor Pisanus Venetorum classis præfectus, Victoriis clarus, cum legatus eius decem Genuensium triremes in portu Sipontino repertas per ignaviam fugere permisisset, ab iracundia in febrem incidens obiit, anno Christi 1380. ut ait Blondus lib. 10. Decad. 2.

ARTICULUS II.

In manibus Dei sunt sortes nostræ: nempe nostra prædestinatio, gratia, gloria, cætera omnia.

33. Vers. 15.

David in extremo periculo constitutus, nihil præsidii in suis atque sociorum viribus cernens ad Deum fu-
B git, et in eo spem suam firmat, v. 15. Ego autem in te speravi Domine: dixi: Deus meus es tu: in manibus tuis (Hebraice, in manu tua) sortes meæ. Pro *sortes meæ*, Hebr. est עִתֹּתָי *ittotai*, hoc est, tempora mea, ut S. Hieronymus, Caietanus, Felix, Vatablus, et alii reddunt. Septuaginta habent, κληροι μου, sortes meæ. Bellarminus suspicatur legendum esse καιροι, id est, tempora; sed in Vaticano codice est κληροι, et sic sancti Patres legerunt. S. Cyrillus Alexandrinus de adoratione lib. 4. S. Gregorius Nazianzenus in oratione funebri de S. Basilio, in catenis S. Athanasius, Euseb. Orig. Didymus, Theodoretus, et alii.

Manus Dei variæ.

Quæres primo. Quasnam Dei manus David intelligit. Primo, cum in Hebræo sit *in manu tua*, unam tantum Dei manum, nempe potentiam hic intelligunt S. August. Beda, Lombardus. Secundo, Titelmannus unam etiam manum tantum assignat, scilicet dispositionem divinæ voluntatis. Tertio, Remigius ait Dei manum esse donum gratiæ. Quarto, et melius, alii duas manus assignant.
C Primo, Paianterius virtutem et dispositionem Dei. Secundo, Iansenius potestatem et curam, id est, potentiam et providentiam. Tertio, assignare possis potentiam et charitatem: vel præscientiam et charitatem. Videt enim Deus in scientia sua conditionata, quænam gratiæ sint contemperatæ cuilibet homini in tali tempore, loco, statu, et aliis circumstantiis, et quænam futuræ sint efficaces, vel inefficaces. Amor vero determinat hanc vel illam prædestinatis. Itaque duæ manus Dei sunt, cognitio eius, et amor, iis enim continet atque largitur dona sua. Vide dicta de variis Dei manibus v. 6.

34. Sortes in manu Dei quænam.

Quæras secundo. Quænam erant Davidis sortes in manu Dei? Respondet primo Eusebius: In manu Dei sunt tempora mea, quibus prævaleam hostibus, sicut nunc tempus nacti videntur, quo adversum me agunt, et prævalere moliuntur. I.

II. Secundo, Theodoretus sic explicat, q. d. Attribuis, ut vis cuilibet et lætitiam et mœrorem: et hæc commutas, ut tibi videtur. Tempora enim, vel sortes nuncupat rerum vicissitudines, divitias et mendicitatem, servitutem, et
D dominatum, pacem et bellum, et alia id genus similiter. Titelmannus verbo omnia involvit, q. d. omnis fortuna mea, omnis mea spes in te uno sita est. Rasin. q. d. Quidquid mihi toto vitæ tempore contingit, te iubente ac decernente fit.

III. Tertio, potissimum per sortes Davidis intelligo dignitatem regiam, sorte, id est, gratuita Dei electione ipsi destinatam. Didymus: *Potestates,* inquit, *traditæ vel principibus, vel magistris, vel excellentia et dignitate aliqua præditis viris, sortes illorum appellantur. Hæ igitur in manibus Dei sunt. Quemadmodum enim ipse constituit, ita etiam transfert Regem. Et quamquam nonnulli propter hanc dignitatem meam mihi se callide submittant, non tamen illam evertere aut labefactare poterunt, cum omnia mea in manibus tuis posita sunt.*

IV. Quarto, et generalius verinsque a Davide sumuntur: Tempora vitæ et necis, q. d. In manu tua sunt omnes dies mei, menses et anni: et quidquid in iis potest accidere, q. d. In tua est potestate, ut vivam vel moriar, ut capiar ab hostibus, vel eorum manus evadam. Ita Cassiodor. Caietanus, Isidorus, Clarius, R. Kimhi, Nicephor. Agell. Mendoza in lib. 1. Reg. Christus apparens S. Ioanni Apostolo in veste poderis, id est, cum talari tunica hyacinthina, qualem habebant Mosaici Pontifices, tenens manu septem stellas, ait Apoc. 1. 18. *Fui mortuus* (in cruce) *et ecce sum vivens. Et habeo claves mortis et inferni*, id est, potestatem occidendi et vivificandi, ad inferos deducendi et reducendi. Manu autem ait se tenere septem stellas, id est, septem Angelos, seu spiritus cælestes, ut explicat S. Hilarius in Ps. 124. 2. stellas, id est, septem Episcopos Asiæ, ut Cornelius; 3. septem dona Spiritus sancti, ut Victorinus; 4. res omnes, quæ in mundo sunt, et totam mundi gubernationem, ut Andreas Cæsariensis. Data est enim Christo omnis potestas in cælo et in terra, Matth. 28. 18. Sis stella, et sors tua erit in manu Christi cum splendore, eris lux mundi, et poneris super candelabrum, ut luceas omnibus, qui in domo sunt Ecclesiæ, et iis, qui foris sunt.

V. Ei optime. Quinto et profundius, David supra humana se extollens prædestinationem suam æternam, atque eius executionem a Dei beneplacito pendere considerans, dicebat: *In manibus tuis sortes meæ*, q. d. ait Ugo, partes hæreditatis meæ, de qua Ps. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Vide ibi dicta. Sunt autem tres sortes viri iusti in manu Dei: scilicet sors prædestinationis, sors gratiæ, sors gloriæ. Idem dicit Palanterius. Sortes nostras hic esse causam et ordinem electionis nostræ hominibus occultum dicunt S. August. Lombardus, Glossa interlinearis, id est, Anselmus Laudunensis auctor ipsius, atque alii.

35. I. Sors hominis est divina prædestinatio. Ac prima quidem sors, est divina prædestinatio, si hominem spectes, cui et sine prævio merito, et sine ulla cooperatione, aut eius cognitione obtingit. Si vero Deum prædestinantem spectes, prædestinatio est electio libera alicuius ad gratiam vel gloriam. Deus enim nos discernit, hunc potius quam illum libere eligit, huic talem vel talem gratiam libere destinat. Utrumque complexus est Paulus ad Ephes. I. 11. *In quo et nos sorte vocati sumus* (ad fidem et Christianismum) *prædestinati secundum propositum* (id est, decretum) *eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Diversitas sortis in prædestinatione, Primo figuratur in Iacob amato, et in Esau neglecto. Malach. 1. 2. *Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, et dilexi Iacob: Esau autem odio habui*, id est, minus dilexi. Nam, 1. posteros Iacob elegi mihi in populum, non vero Idumæos posteros Esau; 2. coegi Idumæos servire Iudæis; 3. dedi illis terram sterilem; 4. captivos a Babyloniis in captivitate reliqui, unde per Cyrum Iudæos liberavi. Et hoc ultimum præcipue intendit Malachias. Hinc allegorice Rom. 9. 13. assurgit Paulus ad prædestinationem et præelectionem Gentilium præ Iudæis ad bona spiritualia. Secundo, illa diversitas sortis in prædestinatis figurata est in pincerna regis Pharaonis, qui in carcere vidit coram se vitem, in qua erant tres propagines crescentes in gemmas, et post flores uvas maturescere, calicemque Pharaonis in manu sua, in quem uvas exprimeret, cum traderet Pharaoni, est enim restitutus in pristinum post tres dies: et in magistro pistorum, qui in somnis visus est sibi tria canistra farinæ habere super caput suum, et in uno canistro, quod erat excelsius, portare se omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avesque comedere ex eo; hic enim post tres dies suspensus est in cruce, ubi laceratus fuit postea a volucribus, Gen. 40. S. Prosp. et Rupert. in his duobus eunuchis, id est, principibus seu aulicis, considerant duos ordines hominum, puta electorum ex gratia, et reproborum sive damnandorum ex iustitia. Tertio, diversitas illa sortis in prædestinatis exprimitur duplici exemplo, agricolarum scilicet, et molentium. Matt. 24. 40. *Tunc duo erunt in agro, unus assumetur, alter relinquetur. Duæ molentes in mola*, Græce εν τω μυλωνι, id est, in pistrino, *una assumetur, et una relinquetur.* Agit de mola trusatili, quam versabant servi et ancillæ.

36. II. Sors est Dei gratia. Secunda sors, est gratia, quia sine merito et electione nostra gratis datur, sicut in sorte non præcedit industria, ut hæc potius quam illa obveniat: sed prout casus fert, sua cuique accidit: ita prima gratia non habetur viribus naturæ, sed Dei unius liberalitate. Ita S. Augustinus, Beda, Lombardus, et alii sortem hic pro gratia sumunt. Verba S. Augustini conc. 2. in hunc Ps. sunt: *Quid est, in manibus tuis sortes meæ? Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam, qua salvati sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur: et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors merito tunica illa Domini desuper texta, quæ significat charitatis æternitatem, cum dividi a persecutoribus non posset, sors super eam missa est; ad quos pervenit, eos significavit, qui videntur ad sortem pervenire Sanctorum. Gratia salvi facti estis per fidem, ait Apostolus Ephes. 2. Gratia salvi facti estis per fidem, et non ex vobis. Vide sortem. Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, quasi vos benefeceritis, ut ad hoc accedere digni essetis: non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Hæc quodammodo sors occulta est. Voluntas Dei in humano genere sors est: sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas. Non enim ille personas accipit, sed occulta illius iustitiæ tibi sors est.* Simoni Mago offerenti pecuniam, ut acciperet donum miraculorum, præsertim demittendi Spiritus sancti potestatem, ait S. Petrus Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, id est, in hac re. Est metonymia frequens apud Hebræos, apud quos *dabar*, hoc est, sermo, sæpe rem significat. Tigurina habet, in hoc negotio. Syr. in fide ista. S. Clem. lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 7. Non est tibi pars in sermone hoc, neque sors in fide hac.

Electio S. Mathiæ. Hæc gratia nobis sorte data repræsentatur in electione S. Mathiæ præ Iosepho, qui vocabatur Barsabas, id est, filius Sabæ, sicut Bariona significat filium Ionæ, id est, Ioannis, et cognominabatur Iustus. Ioseph enim multa habebat, propter quæ eligendus videratur: 1. erat frater Iacobi minoris, et Iudæ Apostolorum, atque filius Alphæi et Mariæ, et consequenter consanguineus Christi; 2. erat et vocabatur iustus. Et tamen dicitur Actor. 1. 26. *Et dederunt sortes eis* (Syr. coniecerunt sortes sive scripto utriusque nomine, et e vase aut pileo educto: sive qua alia ratione) *et cecidit sors super Mathiam*, (qui Hebraice significat donum Dei) *et annumeratus est cum undecim Apostolis*, συγκατεψηφισθη, id est, communibus calculis cooptatus. Itaque primo S. Mathias sorte electus est, deinde suffragiis Apostolorum. Sap. 3. *Felix dicitur, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima.* Ratio additur v. 14. *Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.* S. Hieron. in cap. 56. Isaiæ, delectabilis, Græce est θυμηρεστερος, id est, animo placentior. Apostolus iure dicit gratias agendas esse Deo ob illam sortem, Coloss. 1. 12. *Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*, q. d. qui dedit nobis participationem hæreditatis Sanctorum, quæ incohate sita est in lumine fidei et gratiæ in hac vita, et perfecte in lumine gloriæ in alia.

37. Officia varia sunt sortes. S. Ambrosius iure sortes vocat officia varia et vitæ genera, ad quæ nos destinat Deus. Sic enim tract. de hortatione ad virginitatem, ait: *Populus, qui sedebat in umbra mortis, lux orta est illis. Fuimus ergo in umbra, sed nunc iam non sumus, qui Christum fatemur. Atque utinam licuisset et mihi dicere, qui Christo profitemur. Et tamen*

*

profiteamur: ego viduitatem, vos virginitatem. Fiat in nobis ars ad salutem confessio. Date ergo Levi illi salutari nostro sortes eius. Sors eius Levitica est, sors eius virginitas est, sors eius viduitas est: quoniam non solum virgo, sed etiam mulier innupta cogitat, quæ sunt Domini. Unde et Apostolus dixit, Ephes. 1. 11. In quo et sorte constituti sumus. Sicut enim in veteri testamento terra sorte divisa est, ita et in Evangelio sorte quadam Domino deputamur. Unde et dictum est de Evangelistis, Ps. 21. 19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et supra vestimentum meum miserunt sortem. Et Apostoli, cum eligendus esset duodecimus Apostolus in locum Iudæ, sorte munus deferendum arbitrati sunt. Itaque oratione facta, ut de duobus Dominus, quem vellet, eligeret, sors cecidit super Mathiam. Illa igitur vetus terrena sortitio, hæc spiritalis. In illa census sæculi materialis, in hac personalis officii. Ibi possessio curarum, hic divisio gratiarum; illic possidemus arva plena laboris atque mæstitiæ, hic possidemur a Christo.

38\.
Constantia sanctorum ex eo est, quod sciant in Dei manu esse sortes suas.

Constantia in virtute et gratia oritur ex eo, quod Sancti sciant suos sortes esse in manibus Dei, hoc est, Deo se esse curæ. Hoc declaravit S. Agatha Aphrodisiæ, a qua sollicitabatur ad fidem abnegandam, et deserendum propositum virginitatis, ut Quintiano Præsidi nuberet: *Tuas voces*, ait, *tuamque linguam, non ut tuam, sed ut cacodæmonis, qui hæc tibi suggerit, organum et linguam accipio. Sed scito te tempus et operam perdere, ac surda canere. Ego enim ita defixa et firmata sum in amore Domini mei Iesu Christi, tamque constans in voto virginitatis, quod si nuncupavi ut per ipsius gratiam plane confidam, quod prius sol perdet suos radios, ignis calorem, nix candorem, quam ego mutem meam voluntatem et propositum. Præparet Quintianus leones, succendat rogum, distendat equuleos, aperiat portas inferorum, si potest, omnemque dæmonum vim et tormenta contra me concitet, libens et læta omnia excipiam, ut moriar Christiana et virgo. Nullam Quintiani violentiam timeo, quia scio me Deo, cui corpus et animam consecravi, curdi esse et curæ.*

Sap. 3. 1. dicitur: *Iustorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illas tormentum mortis.* Alii legunt, *malitiæ.* Vis non tangi a malitia, sortem tuam tene in manu Dei, id est, in Christo. De hac manu dicitur Psal. 79. 18. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ*, id est, super virum tibi charum, et a te honoratum, tibi coniunctum, et cum quo veluti dextera data fœdus inieris: id est, super iustum, q. d. illum iuva per Christum tuum. Sic Ps. 88. 22. dicit Deus: *Manus mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.* Ac Ps. 118. 137. orat David: *Fiat manus tua, ut salvet me.* Quod de Christo explicat Ugo

39\.
Christus est manus Dei.

Cardin. in hunc modum: Dicitur Filius Dei, manus Dei, quia per ipsum operatur omnia Pater. Psal. 103. 24. *Omnia in Sapientia fecisti.* Ioann. 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt.* Hæc est manus Mosi, quæ de sinu extracta apparuit leprosa, et postea in sinum reducta, apparuit sana. Sic Filius de sinu Patris in mundum veniens, reputatus est a Iudæis ut leprosus. Unde Isaiæ 53. 4. *Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo.* Sed

Habet quinque digitos.

postea resurgens et ascendens omnino apparuit sanus. Unde Eccli. 36. 6. *Innova signa, immuta mirabilia, glorifica manum et brachium dextrum.* Huius manus sunt

1 Digitus est humilitas.

quinque digiti. Primus, id est, auricularis, est eius humilitas, qui, quo fuit gracilior, eo fuit ad aurem obedientiæ habilior. Cuius tres fuerunt articuli: Primus, quo se Matri subdidit, Luc. 2. 51. *Et erat subditus illis.* Secundus, quo se subdidit Ioanni in baptismo, Matth. 3. 6. *Venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.* Tertius, quo subdidit se discipulis, ut lavaret pedes eorum, Ioan. 13. 5. Gracilis fuit primus articulus, sed secundus gracilior, tertius fuit gracillimus. Se-

2 Pietas

cundus digitus, qui medicus appellatur, fuit eius pietas, qua venam cordium peccatorum tetigit, tamquam pulsum infirmorum. Et hic quoque tres habuit articulos. Primus fuit facilis exauditio, secundum quod dicit ei Pater Eccli. 4. 4. *Fili rogationem contribulati, ne abiicias, et non avertas faciem tuam ab egeno.* Secundus, familiaris allocutio, sicut ibidem dicitur ei: Congregationi pauperum affabilem te facito. Quod et fecit benignus Iesus, Luc. 6. 20. *Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei.* Tertius fuit cum peccatoribus convivatio, Matthæi 9. 11. *Quare*, inquiunt Pharisæi, *cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Et ipse respondit Matt. 9. 12. *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Tertius digitus fuit eius operatio, excedens cæteros.

3\. Operatio.

Unde ait Ioan. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et hic tres habuit articulos. Primus fuit opus potentiæ, de quo Ioan. 7. 21. *Unum opus feci, et omnes miramini.* Secundus fuit opus iustitiæ, de quo Is. 28. 21. *Irascetur, ut faciat opus suum, alienum est opus*, etc. Tertius, fuit opus misericordiæ, Habacuc 3. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Ps. 144. 9. *Miserationes eius super omnia opera eius.* Vel certe primus articulus est opus creationis, de quo Ps. 101. 26. *Opera manuum tuarum sunt cæli.* Item Ps. 8. 4. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.* Secundus, opus redemptionis. Ps. 73. 12. *Operatus est salutem in medio terræ.* Tertius, opus glorificationis, de quo Apocal. 21. 5. *Ecce nova facio omnia.* Vel certe primus articulus fuit, quo operatus est potenter, Matt. 8. 29. *Quid nobis et tibi Iesu Fili Dei, quid venisti huc ante tempus torquere nos?* Secundus, quo operatus est utiliter. Matth. 11. 5. *Cæci vident*, etc. Tertius, quo operatus est humiliter. Matt. 17. 9. *Videte, nemini dixeritis visionem.* Quar-

4\. Prædicatio.

tus digitus fuit eius prædicatio, qui bene dicitur index, quia prædicanda occulta prius indicavit. Unde Samaritana dixit, Ioan. 4. 25. *Cum venerit Messias, ipse annuntiabit*, id est, indicabit nobis omnia. Iste etiam digitus tres habet articulos. Primus fuit hortatorius. Matth. 4. 17. *Agite pœnitentiam.* Secundus, comminatorius. Luc. 6. 24. *Væ vobis divitibus.* Tertius, consolatorius. Luc. 12. 32. *Nolite timere pusillus grex.* Quintus digitus fuit eius pas-

5 Passio

sio, quasi pollex, duos tantum habens articulos. Primus fuit, quia audivit sapienter mala verba Iudæorum. Unde nec respondebat eis quidquam. Ps. 37. 13. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur; ego autem tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum: et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.* Secundus fuit, quia sustinuit patienter verbera eorum. Psal. 128. 3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Prov. 23. 35. *Verberaverunt me, et non dolui: traxerunt me, et non sensi.* 1. Petr. 2. 23. *Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* Sap. 2. 19. *Contumelia et flagello interrogemus eum.* Isa. 42. 14. *Tacui, semper silui, patiens fui.* Hæc manus nos protegit. Is. 49. 2. *Sub umbra manus suæ protexit me.* Hæc manus nos eripit et liberat. Ps. 143. 7. *Emitte manum tuam de alto, et eripe me, et libera me de aquis multis.* Hanc manum porrigit nobis, ut ad se attrahat. Iob. 14. 15. *Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Porrigamus autem illi et nos manum nostram, si trahi et extrahi de luto volumus. Sit minor digitus obedientia, habens tres articulos, ut sit humilis, facilis, hilaris. Secundus, id est, medicus, sit temperantia: tres articuli, abstinentia, continentia, modestia. Tertius digitus, id est, medius, aliis longior, iustitia: tres articuli, ablatorum restitutio, debitorum solutio, maleficiorum punitio. Quartus digitus, id est, index, sit prudentia: tres articuli, præteritorum memoria, pœnitentiæ intelligentia, futurorum providentia. Quintus digitus, id est, pollex, sit fortitudo: duo eius articuli, audax aggressio arduorum, fortis perpessio durorum. Ita Ugo pie et ingeniose, quæ usui esse possunt, modo prudenter et moderate adhibeantur. Si enim placet nullam manus aut digitorum facere mentionem, habes bonas divisiones, quæ viam ad multa aperire possint. Et eam ob rem similia aliquando affero.

40\. III.
Sors sanctorum est gloria æterna.

Tertia sors sanctorum, est gloria æterna, de quo locum psalmi nostri intelligunt Sancti. Cyrillus Alexandr. lib. 4. de adoratione in spiritu, S. Greg. Nazianz. orat. de S. Ba-

silio, Procopius in cap. 49. Gen. Gloria porro æterna dicitur sors. Primo, quia est hæreditas. Solebant autem Iudæi hæreditatem sorte dividera inter plures hæredes, ut sæpe fit etiam inter nos partibus prius æqualiter divisis quantum fieri potest. Sap. 5. v. 5. *Ecce quomodo computati* (id est, annumerati) *sunt inter filios Dei, et inter sanctas sors illorum est*, id est, hæreditas. Si enim filii, et (id est etiam) hæredes, supple, sumus. Roman. 8. 17. Secundo, gloria æterna dicitur sors, quia licet de condigno illam iusti mereantur: tamen quia præsupponit primam gratiam, quæ non cadit sub ullum meritum, et donum perseverantiæ, quod non cadit sub meritum condignum, dicitur dari gratis. Apoc. 21. 6. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis*. Et cap. 22. 17. *Spiritus et sponsa* (Spiritus sanctus et Ecclesia) *dicunt, Veni* (Domine Iesu ad iudicium) *et qui audit* (hunc instinctum sancti Spiritus) *dicat, Veni. Et qui sitit* (iustitiam et vitam æternam) *veniat: et qui vult, accipiat aquam vitæ* (Syr. aquam vivam: id est æternam Dei fruitionem, quæ est torrens voluptatis) *gratis*. Ergo est sors. Tertio, gloria æterna dicitur sors, quia variis datur varia, pro Dei voluntate. Danieli dicit Angelus Dan. 12. 13. *Tu autem vade ad præfinitum* (supple tempus: id est ad mortem. Syr. ad finem) *et requiesces, et stabis in sorte tua in finem dierum*, hoc est, in fine mundi, in generali resurrectione, et tota æternitate, eris in ordine tuo et gradu gloriæ tibi dato. Quarto denique, gloria æterna est sors, quia inter multos sors conicitur, et uni tantum, vel paucis felix obtingit. Pari modo ad æternam salutem omnes vocantur, sed pauci eliguntur. Psal. 16. 14. *Domine a paucis de terra divide eos*, id est a iustis. Vide ibi dicta. Isa. 27. 12. Iudæis per Titum exscindendis et delendis dicitur: *In die illo* (illo tempore) *percutiet Dominus ab alveo fluminis* (Euphratis) *usque ad torrentem Ægypti* (id est rivum Nili, qui a deserto Arabiæ Petrææ veniens, inter urbes Rinocoluram et Pelusium, vulgo Damiatam, in mare mediterraneum influit) *et vos congregabimini unus et unus* (id est pauci) *filii Israel*. Iosue solus et Caleb cum paucis Levitis ingressi sunt terram promissam ex sexcentis millibus armatorum, qui egressi erant ex Ægypto. S. Chrysost. homil. 40. ad populum, agens de urbe Antiochia amplissima et populosissima totius Syriæ metropoli, quæ diu fuerat sedes regum durante imperio Græcorum, ait: *Quot putatis esse in hac civitate nostra, qui salvi fiant? Infestum est, quod dicturus sum, dicam tamen. Non possunt inveniri in tot millibus centum, qui salventur: Quin etiam de his dubito*. Hoc deinde probat. Sed ut ingenue fatear, vix possum id mihi in animum inducere. Arbitror enim pene omnes salvari, qui moriuntur receptis Sacramentis. Magna enim est vis Christi sanguinis. Ex Apostolis unus Iudas periit, sed undecim servati sunt.

41. Vers. 16 In manibus Dei sortem suam esse gaudens David, orat, ut ipsemet in illis ponatur, ad quod necessarium est, ut e manu, id est potestate hostium tollatur. Itaque dicit v. 16. ERIPE ME DE MANU INIMICORUM MEORUM, ET A PERSEQUENTIBUS ME. Si corpus spectas, David petebat non incidere in manus Saulis iam pene eum tenentis in deserto Maon, cum eum in modum coronæ cinxisset suo exercitu, 1. Reg. 23. 26. Sed David exauditus est. Nam nuncius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, et perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem: Davidem scilicet a Saulis exercitu. Tunc verum fuit, quod postea dixit Philo missus a Iudæis ad Imperatorem Caligulam, ut impetraret, ne Iudæos cogeret se adorare velut Deum. Cum enim ab eo reiiceretur et contemneretur, conversus ad suos, ait: *Confidite socii, nam tunc vicinum est Dei auxilium, cum deest humanum*: et S. Chrysost. homil. 46. in Genes. Davidis id exemplo confirmat: μεγιστη ασφαλεια και τειχος ακαταμαχητον η παρα τη θεη ροπη: *Maxima securitas et impugnabilis murus est gratia Dei*. Videamus quomodo David de loco in locum transiens, et quasi erraticus, vagans, manu superna munitus

Gratia Dei est murus firmus.

fuerit. Saul autem cum esset in mediis civitatibus, et tantum secum duceret exercitum: et satellites habens et armigeros, quotidie timebat inimicorum insidias, 1. Reg. 18. 12. et 29. Et ille quidem, qui solus erat, non indigebat humano præsidio: hic vero coronatus et purpura indutus, illius auxilio indigebat. Et Regi opus erat pastoris opera: et diademate redimito, privati adiumentum; ita Chrysostomus.

Si animam consideras, cuius sine dubio David potissimam curam habebat, petit a triplici inimico et persecutore liberari: nempe a dæmone, mundo, et carne. Primo, S. Aug. Lomb. Ugo per inimicos intelligunt demones. Secundo, Ruffin. etiam mundum accepit. Tertio, Thomas Anglic. et Origen. ipsam carnem. Sed hæc sunt tropologica, ut patet. Hi omnes nos persequuntur omni modo. Primus enim hostis, nempe dæmon, est supra nos. Iudicum 16. 9. ait Dalila: *Philisthiim super te Samson*. Licet sis vir solaris et parvus sol, ut Samson sonat, tamen dæmon est te doctior, versutior, subtilior, in natura excellentior. Secundus hostis, nempe mundus, est circa nos. Philipp. 2. 15. *Ut sitis sine querela*, (αμεμπτοι, de quibus nemo possit conqueri, et *simplices*, ακεραιοι, candidi, sinceri) *filii Dei sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ*, (σκολιας και διεστραμμενης, *tortuosæ et distortæ*) *inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*. Tertius hostis, nempe caro inter nos est. Mich. 7. 5. *Noli credere amico* (corpori tuo) *et noli te confidere in duce* (in sensu tuo) *ab ea, quæ dormit in sinu tuo* (a carne tua) *custodi claustra oris tui*. Ne cum ea colloquaris, fuge fornicationem et delicias, inimici hominis domestici eius. S. Paulus modum illis hostibus resistendi dat ad Titum 2. 12. *Sobrie, et iuste, et pie vivamus in hoc sæculo*. Sobrie, contra carnem: iuste, contra mundum: pie, contra diabolum. 42.

Tres hostes habemus, dæmonem, mundum, carnem.

Manus dæmonis duæ sunt. Dextera eius est superbia; sinistra, est inanis gloria. Quem semel his manibus arripuerit, eum possidet, atque in se transformat. S. Ioannes Climacus grad. 23. μοναχος, ait, υπερηφανος ου δεηθειη δαιμονος: αυτος γαρ λοιπον εαυτω δαιμων και πολεμιος γεγονεν: *Non deerit superbo monacho dæmon: ipse enim sibi dæmon et hostis est*. Ugo Card. tres dæmoni dat manus. Est enim monstrum. Sic enim illud explicans Luc. 1. 74. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi*, ait: Prima manus dæmonis, est potestas nocendi. Ioh. 1. 12. *Ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt*. Digiti huius manus sunt: Potestas mira faciendi, ut de virgis serpentes, Exod. 7. 9. et transfigurandi, 2. Corint. 11. 14. corpus affligendi, Iob. 1. 6. incautos decipiendi, 3. Reg. 22. 21. animas in inferno vexandi, Apocal. 12. Secunda manus est suggestio, de qua Ps. 35. 12. *Et manus peccatoris non moveat me*. Digiti huius sunt: tentatio levis et occulta, levis et aperta, gravis et occulta, gravis et aperte, denique omnino non tentari, quæ gravissima tentatio est, ut ait Augustinus. Tertia manus, est cœtus peccatorum, de qua Ioh. 9. 24. *Terra data est in manus impii*. Digiti huius manus, sunt pagani, Iudæi, hæretici, tyranni, hypocritæ. Manum tantum unam dat dæmoni idem Ugo Cardin. in cap. 1. Thren. eiusque digitos et articulos quinque assignat. Primus est pollex, scilicet spes vitæ longioris. Duo eius sunt articuli, sanitas, et iuventus. Secundus est index, scilicet propositum emendationis vitæ. Tres articuli eius sunt, peccare audacius, copiosius, et liberius. Tertius est medius, scilicet pudor. Cuius articuli tres sunt: erubescentia paupertatis, vilitatis, fatuitatis. Quartus est annularis vel medicus, amor malus. Cuius articuli sunt tres: amor carnalis parentum, amor scientiæ sæcularis, amor honoris, vel excellentiæ temporalis. Quintus est articularis: hic est timor. Cuius tres articuli sunt: timor in aggrediendo, in sustinendo, in perseverando. 43.

Manus dæmonis duæ: superbia, et inanis gloria.

Vel tres ex Ugone.

Manus mundi duæ sunt. Dextera eius est cupiditas, quæ attrahit. Sinistra, est curiositas, quæ disponit. Mundo hoc pene contingit, quod Zaræ filio Iudæ et Thamar, Gen. 12. qui adhuc in utero matris positus manum protulit, in qua obstetrix ligavit coccinum. Statim ab infan- 44.

Mundi manus duæ: cupiditas et curiositas.

tia plerique rapto vivunt, et manum scelerum sanguine iutinctam gestant. Ea est bebendi et omnia rapiendi cupiditas, ut Deus flammeo Cherubini gladio portam paradisi armaverit, ne Adamus rediret. Gen. 3. 22. *Ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ.* Non tantum vitales succos, sed ipsum terræ pulverem mundani colligunt et corredunt, unde ulcera. Quod ut Deus Ægyptiis indiceret, Mosi et Aaroni dixit, Exod. 19. 8. *Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moses in cælum coram Pharaone.* Hinc facta sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et iumentis, nec poterant malefici stare coram Mose propter ulcera, quæ in illis erant. Ulcera hæc sunt dolor ex divitiis pereuntibus, atque in pulverem redactis evanescens. De prima mundi manu, nempe cupiditate, vide Innocentium lib. de vilitate conditionis humanæ, qui eam vocet insatiabilem, atque unam ex sanguisugis, quæ dicunt semper, affer, affer. Hanc veritatem attigit Seneca Epist. 19. *Qualem*, ait, *dicimus seriem causarum esse, ex quibus nectitur fatum, talem dicimus cupiditatem: altera ex fine alterius nascitur. In eam demissus es vitam, quæ nunquam tibi terminum miseriarum ac servitutis ipsa futura sit, plurima et undique ingesta non satiant. Utrum istarum mavis, in inopia saturitatem, an in copia famem?* De altera mundi manu, nempe curiositate, quæ omnia ad se attrahit aliena, sua dispergit, sic ait S. Gregorius homil. 36. In Evangelia, *Grave*, ait, *curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentem ad investigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei intima sua abscondit: et aliena sciens, se nesciens sit: et curiosus animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui.* Et maxime ad rem Seneca lib. de septem liberalibus artibus: *Musica*, inquit, *monstrat mihi, qui sunt modi flebiles, monstret potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometer docet latifundia, potius doceat quomodo metiar, quantum homini satis sit: docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego discere volo, quomodo totus hilaris amittam. Scis rotunda metiri, si artifex es, metire hominis animum: dic quam magnus, quam pusillus sit. Scis, quæ recta linea: quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit, ignoras?* Multa sunt in scientiis et artibus, aliisque curiosa, pauca vero utilia.

Manus carnis denique duæ sunt. Dextera, est gulæ: sinistra, est luxuriæ. Gula enim attrahit, et luxuria attrectos suscipit et ligat. Auctor Eccli. 23. 6. timebat illas manus, ait enim: *Aufer a me ventris concupiscentias et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me.* Eccle. 7. 27. Salomon propria experientia edoctus, dicit: *inveni amariorem morte mulierem, vincula sunt manus eius.* Est Dalila illigans Samsonem. Est Fenella occidens Kennethum. Cardanus lib. 12. de rerum varietate cap. 56. ait: *Cum Kennethus Rex Scotorum Cruthliuthum Fenellæ filium occidisset, tum etiam Malcolmum Duffuum Regem et affinem Fenellæ, illa statuam mira arte fabricari iussit, in cuius manu pomum aureum gemmis refertum erat*, quod quicumque tetigisset, statim multis iaculis confodiebatur: eo Regem nihil suspicantem invitatum Featificerii oppido interfecit. Caro blanditur, vestes aureas et munera offert, sed ut perimat. Primæ manus, nempe gulæ, damna refert S. Laurentius Iustinianus tract. de ligno vitæ, Sect. de sobrietate cap. 1. *Quid mali*, ait, *ex gulæ inordinatione atque ventris repletione non oritur? Est enim fomes libidinis, flagitiorum omnium mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, stomachi lassitudo, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæque corruptela: confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, et incurrit in damnationem æternam.* De altera manu carnis, nempe luxuria, dicit S. Gregor. in moralib. Ex quo, ait, luxuria semel mentem alicuius occupaverit, vix eum bene cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. [45. Carnis manus duæ: gula et luxuria.]

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

Duo continet. Primo, bona, quæ amicis suis Deus præstat, vers. 20. Secundo, virtutes, quibus ad bonorum illorum consecutionem pervenitur, vers. 23.

PARAPHRASIS.

20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

20. Magnos quidem labores tolero Saulem fugitans, et in montibus ac speluncis oberrans: sed suavitatem nobis et delicias æternas in cælo abscondis, si te, ut decet, coluerimus.

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

Hanc tu suavitatem ab omni retro æternitate præparasti, et liberali manu concedere decrevisti in te sperantibus. Eam nunc abscondis, sed post hanc vitam in oculis omnium Sanctorum tribues.

21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: a conturbatione hominum.*

21. Tunc in contemplationem et amorem tui defixos velut pupillam oculi tui proteges, ne ullis hostium suorum tumultibus agitari et concuti possint.

Proteges eos in tabernaculo tuo: a contradictione linguarum.

Si rabidi canes latratu cælestes viros impetant, in spumam eorum furor abibit. Tu enim eos in templo tuo obsepies, ut ne ad ipsorum quidem aures ululantium et interstrepentium fragores evadant.

22. *Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.*

22. A me, et subditis meis laudetur Deus, et ab omnibus creaturis, quod post varios labores et pericula in civitate Ierusalem munitissima me populi sui Regem constituit, ubi gloria et divitiis circumfluens, longe maiora et illustriora mihi in cælis reposita confido.

23. *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum a facie oculorum tuorum.*

23. Ego quidem in deserto Maon a Saule prope captus, et in extremam evadendi desperationem adductus, in has voces erupi: Mea me scelera sanctitati tuæ ita exosum reddiderunt, ut tam horrendam terræ saniem, ne aspectu quidem digneris, sed hostium furori obiiciendam censeas.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

Eam ob rem tu mentis meæ demissione commotus preces meas exaudivisti, et Saulo revocato ad Philisthinos repellendos salutis viam expedivisti.

24. *Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.*

25. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino.*

24. Tot mibi a Deo collata beneficia non possum amore meo compensare, mentinm vestrarum sious sancti eius omnes pandite, eum amate: ipse enim licet Dominus animas tamen servorum sibi in veritate, sanctitate, iustitia famulsutium amabit, et veluti pretiosum thesanrum conservebit: superbos autem vesano fastu turgentes, et in iustum insolescentes coercebit, ot severa vindiete proteret.

25. Quare vos omnes, qui spes vestras in Deo babetis repositas, virili manu fortique animo in cœptis pergite: si necdum in culmos seges erigitur, tandem temen uberem messem profundet.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta Sanctis multitudo dulcedinis a Deo reservata.

46. Ordo sectionis. In prima huius Psalmi sectiane spem io Deo Propbeta declarat: in secunda, calamitatem suam maximam in deserto Maon. Nunc in bac tertia essnditum se esse ostendit, et bana sibi a Deo esse reposita masima, modnmque ostendit, quo illa obtinuit.

Ac primo, felicitatem sibi iustisque præparatam describit, aitque 1. esse magnam, v. 20. *Quam magna*; 2. multam, *multitudo*; 3. absconditam, *quam abscondisti timentibus te*; 4. perfectam: *Perfecistis eis, qui sperant in te*; 5. gloriosam, *in conspectu filiorum hominum*; 6. securam ab iniuriis, v. 21. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum*; 7. a calumniis sibi non timentem: *Proteges eos in tobernaculo tua a contradictione linguarum*; 8. denique, admirabilem, v. 22. *Benedictus Dominus: quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.* Hæ sunt octa beatitndines.

Secunda, per antithesim et relata modum ostendit, quo ad eam felicitatem pertingi potest. Prima, v. 20. dixerat, absconditam esse illam dulcedinem timentibus. Nunc vers. 23. ait se in summo timore et pavore fnisse: *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: praiectus sum a facie oculorum tuorum.*

Deinde, vers. eod. 20. dixerat, dulcedinem illam præparari et dari sperantibus. Nunc ait, se in Deo sperantem ad eum clemasse, vers. ead. 23. *Ideo exaudisti vocem orationis meæ, cum clamarem ad te.*

Tnm v. 21. amorem Dei summum erga sanctos apeeruerat, quos ab iolusta improbornm aggressione et maledictis liberat. Nunc bortatur eos, ut Deum ament, v. 24. *Diligite Dominum omnes Sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.*

Denique vers. 22. dixerat, deudem esse illem felicitatem in civitate munita. Nunc hortatur sanctos ad fortitudinem mentis, v. 25. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino.*

ARTICULUS I.

Octo conditiones seu proprietates felicitatis iustorum.

47. Vers. 20. 1. Pars. Octo proprietates felicitatis iustorum. Primo, Magna, id est, excellens, insignis, et præstantissima est felicitas illa, v. 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. S. Hieron. in cap. ult. Isaiæ legit: Quam grandis multitudo bonitatis tuæ! Et in cap. 3. Epist. ad Ephes. Quam infinita multitudo bonitatis tuæ! Theodoretus bene notat τo *quam*, non ad comparationem, sed ad exaggerationem poni.

1. Est magna et excellens. Sancti sunt reges. Nota, Magna est et illustris felicitas sanctorum, quia reges omnes sunt. Apoc. 1. 6. *Fecit nos regnum et sacerdotes Deo, et* (id est) *Patri suo*, regnum, id est, Reges. Græce in multis codicibus est βασιλεῖς, id est, reges. Et c. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes, et regnabimus super terram.* In cælo autem quanta magis. De regno terrestri Sanctorum ait S. Gregorius 26. Moral. 21. illud Iobi 36. 7. *Non auferet a iusto oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum*, explicans: *Bene*, ait, *viri sancti divinæ Scripturæ testimonio reges vocantur: quia præ-*

A *lati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frænant, modo æstum avaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem licoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt. Reges ergo sunt, qui tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse noverunt.* De regno autem cælesti dicit Christus Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu*, id est, laudabili voluntate inspirata a Spiritu sancto, sicut est in religiosis sponte paupertatem Evangelicam eligentibus, aut in ii- dalibus sibi a Deo immissam acceptantibus, eique offerentibus, *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hinc dicebat S. Franciscus suis alumnis: Paupertatem noveritis, fratres charissimi, virtutum esse reginam. Et S. Augustinus serm. 28. de verbis Apostoli: *Felicitas*, ait, *magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium regni cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua: nihil ea potest ditius inveniri: Vis nosse, quam locuples sit? cælum emit.*

Isaiæ 62. 3. dicitur Sioni, id est, Ecclesiæ, seu animæ 48. Corona ornatur.

B sanctæ: *Eris corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei tui*, id est, O Sion, o Ecclesia, eris corona gloriæ, id est, inclyta et gloriosa, ac diadema speciei, id est, speciosum et illustre, in manu Dei, id est, apud Deum, vel a Deo: quia Deus manu sua faciet et evebet te ad coronam regni: id est, ad regnum coronatum, gloriosum atque magnificum: imo faciet te regnum suum sibique proprium, ut regni tui corona, sit corona regni et Regis Dei. Ita Cornelius, qui subdit: τo *in manu Dei*, multa significat. Prima, hoc regnum spectare ad manum: id est, ad ius et partem Dei: hoc est, esse divinum, non humanum, imo esse ipsum Dei regnum. Secundo, regnum hoc Deo in pretio esse, et in deliciis: utpote rem gloriosam et speciosam, quam manu tenet, et semper oculis suis obiicit, illaque eos pascit; et capiti suo, si velit, quasi coronam regiam imponere possit. Tertio, regnum hoc esse opus manus Dei, atque Ecclesiam non per seipsam, sed per manum robustam Dei, evectam esse in regnum, ab eaque in illo conservari. Quarto, hoc regnum

C esse securum, fereque perpetuum: est enim in manu, id est, tutela et protectione Dei, ait S. Thomas, Adamus, et Sanchez. Hoc regnum incbaetur in terra vincendo. 1. vitia; 2. afflictiones; 3. divitias et bonores; 4. hostes: perficitur vero in cælis.

Cant. 4. 8. ait Sponsus: *Veni de Libano* (de sanctitate et puritate vitæ; *Liban*, album significat; *Lebona*, thus.) Coronari de cubilibus leonum et pardorum quid. *sponsa mea, veni de Libano, veni* (ter vocatur: nempe in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti) *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, id est, in, et ex ipsis afflictionibus et laboribus corona hæc texitur: ex spinis nascuntur rosæ, atque in sentiectis lilia: flores, qui suavem afflent odorem et coronam componunt, ex montis arduo vertice, et ex leonum cavernis et pardorum colligendi sunt: alibi non nascuntur. Lyranus in eum locum cantici, ait: Israelitas, cum in verticem montis Amana pervenissent, oculos in lacteam opimamque regionem sibi promissam deiecisse, et præ gaudio exultentes sibi e floribus coronas texuisse. Multi visi sunt coronati et regio

D babitu fulgentes in cælum ascendere. Multis in ipsa tormentorum atrocitate et cælorum velut aditu, corona ostensa est, quæ ad certamen animaret: quia, ut ait Apostolus 2. Timoth. 2. 5. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* Coronas duas vidit S. Corona marti proxime. Martyrol. Roman. 14. Maii. *In Syria natalis sanctorum martyrum Victoris et Coronæ, sub Antonio Imp. ex* 49. Coronæ oblatæ a Deo martyribus.

quibus Victor o Sebastiano iudice variis et horrendis affectus est cruciatibus: quem Corona uxor cuiusdam militis cum cœpisset beatum prædicare ob martyrii constantiam, vidit duas coronas de cælo lapsas, unam Victori, et alteram sibi missam: cumque hoc audientibus cunctis testaretur, ipsa quidem inter arbores scissa, Victor vero decollatus est. De illis agunt Græci, ad tertium Idus Novembr. Metaphrastes eorum Acta descripsit, qui ait, cum a duce suo Victor urgeretur, ut diis sacrificaret, respondisse: *Ego miles sum magni regis Iesu Christi: immortalis inquam illius imperatoris, neque mortali Regi obediam. Huius enim imperium tempore circumscribitur, et caducum est: Dei autem mei et Salvatoris Iesu Christi regnum, est immortale atque æternum, cuius, qui particeps efficitur, æternæ vitæ sortem percipiet.* In gravissimis tormentis gratias Deo agit, in ardenti fornace per tres dies illæsus perstat, cibos veneno infectos securos et sine ullo incommodo comedit ac veneficium convertit, oleo bullienti reiicitur et refrigerator, tres dies manet suspensus inversa capite, nec moritur. Cum cutis ei detraheretur, exclamavit S. Stephana, id est Corona, sicut eam loquentem inducit Metaphr. *Beatus es, Victor, et beata sunt opera tua sancta. Sacrificium tuum Deo acceptum est, ut Abelis victima, quoniam teipsum obtulisti recto corde. Sic Deus te accepit, ut Enoch illum virum iustum, qui translatus est, ne gustaret mortem, quoad certum tempus præterierit. Iustus factus es, ut Noe bonorum operum fructibus refertus. Perfectus et iustus tu es, ut ille fuit in generatione sua. Credidisti, ut Abraham. Obtulisti te Deo, ut Isaac. Tentationes sustinuisti, ut Iacob. Sapiens effectus es, ut Ioseph, cui rerum futurarum prænotio concessa fuit. Certamina ipsa, ut Iob ille, fortiter pertulisti, qui multos tentationes perpessus, hostem diabolum expugnavit. Isaiam æmulatus es, qui a rege Manasse dissectus est. Te ignis flamma non attigit, quemadmodum nec Nabuchodonosoris flammæ tres illos pueros attigerunt. Spem tuam in Deo ipso collocasti, ut David filius Iesse. Vidi duas coronas e cælo demissas, unam maiorem, alteram minorem: et maiorem quidem illam tibi allatam ob Angelis duodecim, minorem vero ad me missam audivi. Nam et si vas infirmum ego sum, nihilominus tamen et ipsa parata sum certamen subire, ac cæleste regnum assequi studeo.* Rogata, quot annos nata esset, natam se esse ait annos quindecim et menses octo: cumque ad sacrificandum urgeretur, ad rem nostram aptissime dixit: *Ego vocor Stephana, cui corona in cælis reposita est. Quamobrem sacrificia isto vestra non offeram, ut a vero illo certaminum præside Christo coronam recipere possim.* Tum alligata duabus palmarum arboribus incurvatis, in duas partes discerpta est arboribus sese erigentibus. De hoc supplicio vide Vopiscum in Aureliano, et Plut. in Alexandro.

50. Citharæ et coronæ aureæ Sanctorum. Apocal. 4. et 5. sancti habent citharas et coronas aureas. In cithara, dulcedo beatitudinis, in corona, maiestas eius et gloria denotatur. Capite quidem quarto v. 4. de coronis aureis fit mentio, cap. 5. 8. de citharis. Christus Angelo, id est Episcopo Smyrnæ urbis Ioniæ in Asia, hoc est S. Polycarpo scribi iubet a S. Ioanne suo nomine, cap. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.* Felicitas beatorum est corona, 1. quia datur victoribus; 2. quia æterna est, circulus est symbolum æternitatis; 3. pretiosa est; vide dicta Ps. 20. v. 4. Corona autem est vitæ, quia eorum gloria semper vivet. Deinde vita includit omne bonum. Talem consecutus est S. Vitalis, de quo S. Ambros. Epist. 55. ad fideles per Italiam in hunc modum scribit: *Vitalis dictus est, quasi per istius vitæ contemptum vitam aliam, quæ æterna est, sibi compararet: Cum a persecutoribus, ut Christum negaret, impeteretur, et ille constantius confiteretur: adeo omni tormentorum genere cruciatus est, ut nullus in corpore eius sine vulnere esset locus. Quare hanc ad Dominum orationem effudit dicens: Domine Iesu Christe Salvator meus et Deus meus, iube suscipi spiritum meum, quia iam desidero accipere coronam, quam sanctus Angelus tuus mihi ostendit, et completa oratione emisit spiritum.* Ait deinde S. Agricolæ compatientes carnifices eius distulisse supplicium: sed hanc

A indulgentiam quæpiam immanitate Martyri visam esse acerbiorem. Differebant quippe coronam. Tandem martyrio coronatus est.

Cælestem terram putaverim dictam esse ἀντίχθονα non ideo tantum, quod cælum sit ex adverso terræ situm, sed quod cives ibi sint diversissimis moribus et in diversissimo statu. Hic enim bella, tumultus, miseria, abiectio: ibi autem pax, tranquillitas, gloria, maiestas. Ibi totus annus felicitate et honore ac suavitate coronatur. Recte de illa terra dixeris Deo aut Christo Ps. 64. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* (S. Hieron. volvetur annos in bonitate. Chald. coronasti annum bonitate benedictionis tuæ) *et campi tui replebuntur ubertate.* S. Hier. et vestigia tua rorabuntur pinguedine. Chald. et iti nera viæ tuæ stillabunt dulcedinem pinguedinis. Annus coronatus et semper in se recurrens est felix sanctorum æternitas fructibus vitæ omni tempore abundans.

Secundo, felicitas sanctorum in cælo non solum est ma-
gna, sed etiam multa, v. 20. *Quam magna* MULTITUDO 51. Vers. 20.
B *dulcedinis tuæ Domine.* Nota pro *magna multitudo*, Hebr. 2. Pars.
est tantum רב *rob*, id est, 1. multum; 2. magnum, ex- II.
cellens, illustre, inclytum. Hinc S. Hier. et Caiet. *Quam* Proprietas felicitatis
multa est bonitas tua. Symm. Aquila, Munster et Pagnin. Sanctorum est,
Quam multum bonum tuum. Vatabl. Quam ampla sunt, quod sit
quæ metuentibus te bona reposuisti. Secundo, Felix ver- multa.
tit: *Quam magna bonitas tua.* Patavius, Papel ut te deinceps timentibus affatim magnam lætitiam clam, et immensam felicitatem collegisti.

Tertio, Noster interpres ut excellentiam illius felicitatis æternæ beatorum explicaret, quantitatem discretam et continuam simul posuit: *Quam magna multitudo, etc.* Sic Ps. 150. 1. dicitur: *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.* Deus enim multipliciter magnus est, 1. in se; 2. in omnibus creaturis, et in singulis, etiam minimis; 3. in modo eas producendi ex nihilo, et conservandi sine labore; 4. in potestate illas destruendi; 5. in misericordia erga peccatores, in iustitia erga victores, in severitate erga obstinatos.

C Quæres. Quænam est hæc multitudo dulcedinis in cæ- 52.
lo? Resp. Primo, dulcedo summa, et suavitas est beatis Dulcedo
atque lætitia, quod oculos in terram reflectentes in in- et suavitas
troitu cælestis Ierusalem, videant se evasisse tot hostes, sanctorum
tot labores, tot pericula, et præsertim damnationem æter- septuplex.
nam. Secundo, illis erit summa lætitia in conspectu tam
pretiosæ et pulchræ civitatis, de qua S. Ioan. Apoc. 21. 1. 1.
et seq. Tertio, ob conspectum et familiarem convictum 2.
cum tam excellentibus civibus: modo contemplando Apo- 3.
stolos, modo Martyres, etc. iisque familiariter colloquen-
do. Quarto, ob Deiparæ et Christi Domini conspectum. 4.
Quinto, ob Dei visionem totam animam infinito prope 5.
gaudio perfundentis. Sexto, ob dotes corporis ex ea glo- 6.
ria resultantes: nempe immortalitatem, agilitatem, et
claritatem. Septimo denique, ob plenissimam et perfectis- 7.
simam satietatem et delectationem sensuum omnium, ap-
D petituum, imaginationis et omnium facultatum hominis.

Deus hanc cælestem terram pollicetur populo suo Ierem. 3. 19. Sionem alloquens: *Quomodo ponam te in filios?* (id est tibi dabo multos cives) *et tribuam tibi terram desiderabilem, hæreditatem præclaram* (Chald. hæreditatem lætitiæ) *exercituum gentium;* id est, ut ait S. Hier. fortissimarum, bellicosissimarum et numerosissimarum gentium. Dionysius Carth. id de cælesti Ierusalem exponit, in qua S. Ioannes vidit Apocal. 7. 9. *Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus et linguis.* S. Thomas in Isaiam dicit hæreditatem illam patriæ cælestis esse præclaram: 1. ob splendorem divinæ visionis, Ps. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen;* 2. ob dulcedinem divini amoris, Ps. 22. 5. *Calix meus inebrians quam præclarus est;* 3. ob familiaritatem divinæ allocutionis, Sap. 8. 18. *Præclaritas in communicatione sermonum ipsius;* 4. ob magnificentiam operationis, Eccl. 43. 27. *Illic præclara opera et mirabilia;* 5. ob magnitudinem exultationis, Zach. 8. 13. *Salvabo vos, et eritis benedictio;* 6. ob solatium societatis, Ezech. 31. 9.

Æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei.

53. Septem symbolis exprimitur felicitas sanctorum in cælo. Hanc muititudinem felicitatis in cæio explicat Christus variis symbolis loquens S. Ioanni, et imperans scribi ad varios Angelos, id est Episcopos, quibus eam promittit. Primo, promittit eam angeio Ephesi, hoc est S. Timotheo, veiut *lignum vitæ*, Apocal. 2. 7. Secundo, angelo Smyrnæ, id est S. Poiycarpo, tamquam *coronam vitæ*, v. 10. Tertio, promittit angelo Pergami, et vocat *manna absconditum, et calculum* (gemmam) *candidum*, v. 17. Quarto, angelo Thyatiræ, id est S. Carpo, *stellam matutinam*, v. 28. Quinto, angeio Sardiensi promittit, et vocat *librum vitæ*, cap. 3. 5. Sexto, angelo Philadeiphiæ, et vocat *columnam in templo Dei*, v. 12. Septimo denique, angelo Laodiciæ et vocat sessionem in throno suo, v. 21. De Christo etiam his in terris ait Apostolus Coloss. 3. 11. *Omnia, et in omnibus Christus*, id est, ait Cornel. nobis est salvator, dominus, ductor, motor, Deus, caput, pontifex, victima, pater, sponsus, auriga, operator, et omnia. In cæio autem quid erit, cum erit unus omnium et singulorum? est enim bonum infinitum, quod acceptione non exhauritur, at possessione non minuitur.

54. Omnia quæ desiderari possunt, erunt in cælo. S. Anselmus in prosologio, cap. 25. sic describit multitudinem felicitatis in paradiso: *Qui hoc*, ait, *bono fruetur, quid illi erit? et quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit: et quod nolet*, non *erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas caro mea, quid desideras anima mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. 1. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol. 2. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes Angelis Dei: quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale: potestate utique, non natura. 3. Si longa et salubris vita, ibi sana est æternitas, et æterna sanitas: quia iusti in perpetuum vivent, et salus iustorum a Domino. 4. Si satietas, satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei. 5. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei. 6. Si melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo. 7. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas, torrente voluptatis tuæ potabit eos Deus. 8. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. 9. Si amicitia, diligent Deum plusquam seipsos, et invicem tamquam seipsos, et Deus illos plusquam illi seipsos: quia illi illum et se, et invicem per illum: et ille se, et illos per ipsum. 10. Si concordia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas. 11. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, et Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum: ita poterunt illi quod volent per illum: quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille: ita ille volet, quidquid illi volent, et quod ille volet non poterit non esse. 12. Si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles supra multa constituet: imo filii Dei et dii vocabuntur: et ubi erit filius eius, ibi erunt et illi: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. 13. Si vera securitas, certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale aut quantum est, ubi tale aut tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares?*

55. Dulcedinem sentiunt sancti in cælo. In hac etiam vita est multitudo dulcedinis pro viris piis. Cassiod. in psal. nostr. Multitudo, ait, dulcedinis est: quia multis præmiis Domini suavitas iudicatur: *Dulcis est, cum corrigit: dulcis, dum parcit: dulcis, cum credentibus æterna præmia compromittit.* Quam magna multitudo, etc. q. d. ait Ugo, quasi innumerabilis est et immensa. Magna enim dicit quantitatem continuam, multitudo discretam. Addit deinde, possumus ostendere multos alios effectus dulcedinis Dei. Primus est, quia omnes generaliter recipit. Unde Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Hic est enim verus David, ad quem convenerunt omnes, qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno: id est, peccatis obiigati. Sed tamen si sint amaro animo, ut ibi dicitur 1. Reg. 22. 2. id est, si conterantur de peccatis: tunc fit eorum princeps. Secundus est, quia etiam inimicos suos custodit. Unde in persona et typo pœnitentium dixerunt filii Israel ad David, per quem Christus significatur, ut præmissum est, 2. Reg. 5. 2. *Heri et nudiustertius cum esset Saul, id est diabolus, rex super nos, tu eras educens et reducens Israel*, q. d. cum essemus in peccatis, etiam protegebas nos Deus, ergo multo fortius, cum pœnitentes volumus tibi servire. Unde dicit Apostol. Rom. 5. 10. *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Tertius est, quia dat de dulcedine sua ad prægustandum. Unde in Psal. 33. 9. *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus.* Prov. 31. 18. *Gustavit, et vidit, quoniam bona est negotiatio eius.* Quartus, quia cito dimittit peccata. Unde Ezech. 18. 33. *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Et in Ps. 31. 5. *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Quintus, quia non semel, et bis dimittit peccata, sed quotiescumque peccaverit homo, et pœnituerit. Unde Dominus Petro quærenti, si dimitteret usque septies fratri peccanti, Matth. 18 22. respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Sextus denique, quia perfecte dimittit. Unde Ezechiel. 18. 22. *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius:* Ita Ugo, qui recte ait multitudinem dulcedinis Dei spectari secundum effectus eius: magnitudinem spectari in seipsa, et exprimi non posse.

TERTIO, felicitas et suavitas sanctorum in cælo est abscondita, v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam* ABSCONDISTI *timentibus te.* Primo, sensus est, q. d. quam abscondisti, et negasti metuentibus te timore servili, ut eam reservares in te sperantibus, et timore filiali te reverentibus. Unde additur, perfecisti eis, qui sperant in te. Hæc explicatio subtilis est, sed non est ad mentem Davidis. 56. Vers. 20. 2. Pars. III. Proprietas felicitatis sanctorum est, quod sit abscondita.

Secundo itaque Sensus est, q. d. maxima est ea suavitas et dulcedo, quam reservas te timentibus atque colentibus, ut postea illis fruantur et impleantur. Si enim de impiis terrena bona habentibus dicitur Ps. 16. 14. *De absconditis tuis* (Chald. de absconsione boni tui) *adimpletus est venter eorum*; quanto magis in cælo id fiet sanctis? de quibus ait Propheta noster Ps. 35. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vide ibi dicta.

Nota, felicitatis æternæ dulcedo dicitur abscondita. 57. Dicitur autem abscondita, ob quinque rationes. I. Primo, quia pretiosa est, gemmas enim, vestes pretiosas, aurum et argentum occultamus. Matth. 13. 44. *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito, quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.* Prov. 8. 19. Sapientia increata, id est Christus dicit: *Melior est fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea* (Hebr. תבואה *tebua*, hoc est fructus agrorum, vinearum, hortorum, etc.) *argento electo.* Vide dicta Ps. 18. 11. et 118. 72. Quæ pretiosa sunt, absconduntur. Sic mare gemmas suas occultat, aurum terra, medullam arbores, cor animalium natura.

Secundo, felicitas æterna dicitur dulcedo abscondita, quia secura est, et tranquilla, perturbari et auferri ab hoste non potest. Deus enim eius custos est. Is. 26. 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion* (cælestis Ierusalem est urbs nostra fortissima) *salvator, ponetur in ea murus et antemurale.* Sept. περιτειχος, hoc est circummurale, nulla pars hostibus patet. II.

Tertio, felicitas æterna dicitur dulcedo abscondita, quia est interior, præcipua felicitatis pars est in animo, III.

Ps. 44. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus;* et a visione perfectionum Dei procedit, Gen. 45. 18. *Ut comedatis medullam.* Ps. 33. 19. *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus.* Deus autem noster est Deus absconditus, Isaiæ 45. 15. Amicis tantum se revelat, at Pontifici intranti in sancta sanctorum, sed huic nubem opponebat; in cælo videbitur facie ad faciem, non vero tantum in transitu et ostendens posteriora sicut Mosi.

IV. Quarto, felicitas æterna dicitur dulcedo abscondita, quia multis est incognita. Matth. 11. 25. *Abscondisti hæc sapientibus et prudentibus;* 2. omnibus est incomprehensibilis. 1. Cor. 2. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus, qui diligunt illum.* Lege S. Aug. tom. 3. lib. de spiritu et anima cap. 36. Cor ibi per catachresim ponitur pro mente, quia est prima et nobilissima pars corporis, fons et principium vitæ. Sanctis ipsis in cælo multa restant abscondita, quia est thesaurus infinitus et abyssus deliciarum sine fundo: quo plus accipitur, eo plura accipienda.

V. Et optime. Quinto, et simplicius, felicitas æterna est dulcedo abscondita, quia sumus adhuc in exilio, velum templi cælestis necdum scissum est nobis, in sancto sanctorum non est fenestra, per quam ad nos divinæ faciei radii veniant, adhuc Moses loquitur velo supra faciem posito, habitat Deus lucem inaccessibilem, stat populus Christianus ad pedem montis, et nubes tegit eius cacumen, ubi est Deus dans sua præcepta, necdum videri vult aut tangi. Hoc autem facit ut magis illa felicitas desideretur. Cassiodorus: *Quam abscondisti timentibus te. Non quia sanctis ideo abscondita est, ut eam minime consequerentur: sed quia in futuro iudicio promittitur manifesta, quæ hic sentitur abscondita. Recte autem intelligimus absconditam, ut eam desideria humana plus appetant, quia solet fastidiri omne, quod subiacet: et vile plerumque creditur, quod sine aliqua difficultate præstatur.*

58. Virtus facit felices. Stillæ tamen huius dulcedinis etiam in hac vita defluunt in timentes, id est colentes Deum. Dionys. Carth. ait piorum dulcedinem hic esse præambulum futuræ dulcedinis beatorum. Antipater Stoicus docet, quod ex Platonis sententia, αυταρκης η αρετη προς ευδαιμονιαν, sola virtus sufficit ad felicitatem, quod fuse probat Tullius in Tuscul. quæstion. S. Bern. in declamation. *Quam magna,* inquit, *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Hoc ergo centuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiæ spiritus, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est, non utique esca vel potus: sed iustitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto: gaudium sane non modo in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc virtus ex alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc illa pax, quam suis reliquit Christus, quando dedit et suam. Siquidem donum et pax est electis Dei, pax utique præsentis, et donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed et huic quidquid sub sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc gratia devotionis, et unctio docens de omnibus, quam expertus novit, quoniam nemo scit, nisi qui accipit.*

59. Obiicies viam ad virtutes esse arduam. Dices, Theodoretus lib. 1. de græcanicis affection. refert dictum Porphirii, χαλκοδης η προς θεως οδος; Via quæ ad Deos perducit, ære munita est; id est, dura et difficilis est. Pindarus ode 5. αιεδ'αμφ'αρεταισι πονος; Semper circa virtutes labor est. Et Clemens Alex. lib. 4. Stromatum dicit: *Merito Simonides ait,* εστι τις λογος, ταν αρεταν ναιειν δυσαμβατοις επι πετραις, *fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus: nunc vero eam celerem tenere castum locum: et quæ nec aspici possit omnium mortalium oculis, sed ab eo demum,* ω δακεθυμος ιδρως ενδοθεν μολη, *quem sudor mordens animum intus penetraverit, et processerit ad summam animi magnitudinem.* Christus ipse dixit, Matth. 11. v. 12. *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Respondeo, ipsos labores esse consolationes et suavitates. Ps. 127. 2. *Labores manuum tuorum* (S. August.

Resp. ipse labor est suavitas.

legit, fructuum tuorum) *quia manducabis* (S. Hier. cum comederis. Sed nervosius Noster ponit particulam causalem *quia*) *beatus es, et bene tibi erit,* q. d. beatus es nunc, et eris in tota æternitate. Chald. id exprimit: *Beatus tu in mundo isto, et bonum erit tibi in mundo venturo;* ibi perfecte cum Isaia cap. 3. 10. inclamandum: *Dicite iusto, quoniam* (quod) *bene* (illi est) *quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Hinc necdum comedit fructum laborum, sed laborem fructuum, velut medullam in ipsis ossibus leonum reperiens, et mel in ore leonis comedens, et ex amaris floribus suavitatem exugens. In ipsa contusione aromatum fragrantiam cælestem sentit, et manus stillantes myrrham primam cerebrum et cor confortant. 2. Corinth. 7. 4. ait Apostolus: *Superabundo gaudio* (ibi erat multitudo dulcedinis, quæ vase electionis amplior quam esset totus orbis teneri non poterat) *in omni tribulatione nostra.* Apoc. 2. 17. *Vincenti dabo manna absconditum,* id est consolationes spirituales. Vincenti dantur et pugnanti, non stertenti et otianti.

Dices secundo. Hanc dulcedinem non experior. Respondet S. August. *Hic homo impius si dicat, ubi est ista multitudo dulcedinis? Respondebo: Quomodo tibi ostendam multitudinem huius dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses, quam bene saperet, non clamares nisi gustasses. Palatum cordis non habes ad hæc bona gustanda, quid tibi faciam? Quomodo ostendam? Non est cui dicam: Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. Quam magna, multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quid est abscondisti illis? Servasti illis, non negasti, ut soli ad eam perveniant. Bonum est enim, quod iustis et impiis non potest esse commune, ut timendo perveniant. Quamdiu enim adhuc timent, nondum et ipsi pervenerunt: sed credunt se perventuros, sed a timore incipiunt. Nihil enim dulcius est immortalitate sapientiæ, sed initium sapientiæ timor Domini.* Prius glandes porcorum et siliquæ a prodigo relinquuntur, quam adducatur vitulus saginatus et audiatur symphonia, Luc. 15. In domo patris ipsi mercenarii abundant panibus, sed extra domum fames est in tota regione. Atheniensibus tantum gaudii attulit frumenti inventio, et peculiarem glandium reiectio, ut in nuptiis puer quidam vannum panibus plenam et glandibus, in medio hominum consessu ferret, his verbis sibi et omnibus gratulans, εφυγον κακα, ευρον αμεινον: *Effugi mala, inveni meliora.* Panes enim longe glandibus sunt præstantiores. Qui contemnit delicias terrenas, semper in Deo gaudet, et illi se Deus revelat in abscondito, et loquitur ad cor, id est cum delectatione, in ipsa solitudine. S. Adelphardus ab Imper. Ludovico, eo quod eum liberius de peccatis arguisset, in exilium relegatus, ita gaudebat, sibique gratulabatur, ut exilium reputaret paradisum, diceretque se ibidem pristinam in Christo libertatem recipere. Ita refert Paschasius Ratbertus Abbas Corbiensis in eius vita. In Eucharistia præsertim illa dulcedo absconditur, ubi *Deus noster absconditus.* Isaiæ 45. 15.

60. Obiicies hoc non experior. Resp. mel non sapit ei, qui habet corruptum palatum.

Atheniensium exultatio ob repertum frumentum.

S. Adelphardus in exilium eiectus gaudet.

61. Vers. 20. 4. Pars. IV. Proprietas felicitatis sanctorum est, quod sit perfecta.

QUARTO, Felicitas æterna sanctorum et multitudo dulcedinis, quæ a Deo illis datur, est perfecta, v. 20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* PERFECISTI EIS QUI SPERANT IN TE IN CONSPECTU FILIORUM HOMINUM. Pro *perfecisti* Hebr. est פעלת *paalta,* id est operatus es, ut vertit S. Hieron. et Felix: effecisti, ut Vatabl. Sed melius Noster, S. August. Psalt. Rom. et Ambros. *perfecisti.* Hoc enim significat εξειργασω, ut habent Sept. εντελεσας, ut Petavius. Et Hebr. *phaal,* est operari cum energia et perfectione, aut certe simpliciter operari. Si autem, ut ait Moses Deut. 32. 4. *Dei perfecta sunt opera:* Si, ut ait Paulus 2. Cor. 8. 6. *Perficit in nobis gratiam:* Si, ut dicitur, 1. Ioan. 4. 12 *Charitas in nobis perfecta est,* quid erit gloria? cum Deus sit non tantum *Deus gloriæ,* Act. 7. 2. eam sibi servans: sed *pater gloriæ,* Ephes. 1. 17. eam filiis lucis communicans: gloria et honore eos coronans, Ps. 8. 6.

Nota. Felicitas illa et multitudo dulcedinis sanctorum in cælo, perfecta est. Primo, quia nihil illi deest. Coloss.

Perfecta autem est, propter tria.

I. Quia nihil illi deest. 4. 12. *Semper sollicitus* (ἀγωνιζόμενος, certans et agonizans) *pro vobis, ut sitis perfecti et pleni in omni voluntate Dei.* Iacobi 1. *Ut sitis perfecti et integri.* Nolebat sibi Deus offerri animolia cæca, fracta, id est fractos habentia pedes, vel lumbos, vel oculum, nec cicatricem habentia, nec papulos, id est verrucas, nec scabiem, nec impetiginem; id est morbum similem scabiei squamosum, *la gratelle.* Deus quoque dona suo esse perfecta vult, Iacobi 1. 17. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Deus dat mensuram plenam, Luc. 6. 38. *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

62. II. Quia in animo est. Secundo, felicitas et dulcedo sanctorum perfecta est, quia non in extima tantum superficie est, sed in intimis animæ penetralibus. Philo lib. quod deterius potiori insidiari soleat: *In solis*, inquit, *animæ bonis pura et minime adulterina invenitur lætitia, in seipso utique gaudet omnis sapiens, non in his, quæ circa se habet.* Contra vero omnis mundana felicitas est imago tantum et umbra felicitatis. Psal. 72. 20. *Velut somnium surgentium Domine in civitate tua, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* S. Hieronymus, imagines. Nihil illis reliqui facit Deus. Ut enim ait S. Augustinus: Nonne digni sunt hæc pati, ut Deus in civitate sua, imaginem illorum ad nihilum redigat, quia et ipsi in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt? S. Basil. et Euthym. explicant de felicitate temporaria Babyloniorum, quæ peritura erat in civitate Ierusalem, id est, propter illam. Sed melius alii generaliter sumunt de felicitate impiorum, quæ a Deo in cælis regnante destruetur. Ut enim ibi ait ipse Euthym. *Humana felicitas vera felicitas non est, tametsi esse videatur: sed ut imago, ut umbra, imitatur tantum felicitatem.* Nicolaus S. Bernardi notarius vocat felicitatem personatam. Seneca, bracteatam. Est autem bractea tenuis lamina, et sua sponte plicabilis, quæ crepitat, v. g. folium aureum, vel argenteum, vel alterius metalli. Dicitur ἀπὸ τοῦ βράχειν, id est, a resonando. In terrenis est sonitus plurimum, et soliditatis ac firmitatis parum. Verba Senecæ sunt epist. 115. *Omnium istorum, quos altos incedere vides, bracteata felicitas est: inspice et disce sub ista tenui membrana dignitatis, quantum lateat.* Sic idola ferrea atque ærea et lignea bracteis aureis vel argenteis exterius fulgebant, intus vilia erant et dura. Ugo Cardin. in Ps. 29. alio simili sic explicat: *Deliciæ terrenorum habent in superficie claritatem et limpiditatem, in fundo autem fæcem.* Scorpius est humana felicitas, facie blanditur, cauda pungit: in viæ principio fundit rosas et violas, in fine spinas et tribulos. Paulus III. Pontifex Maximus animam agens dicebat, teste Iovio in eius vita: Mallem me subiecisse coco familiæ Capuccinorum, quam hanc Deo proximam, sex et decem annorum curriculo, dignitatem sustinuisse.

63. III. Quia caret omni amaritudine. Tertio, felicitas et dulcedo sanctorum in cælis est perfecta, quia nulli amaritudini est permista. Exod. 33. 13. dixerat Deo: *Ostende mihi faciem tuam*, et v. 18. *Ostende mihi gloriam tuam.* Deus autem respondet v. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi*, id est, faciem meam et gloriam, q. d. qui videt me, omne bonum videt ac possidet. Chald. vertit: *Ego transire faciam omnem gloriam meam super faciem tuam.* Hebr. Ego transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam. In cælo autem non erit transitus, sed stabilitas. S. Thomas 2. 2. quæst. 134. 3. putat a Mose visam esse Dei essentiam: idem putat S. August. epist. 112. cap. 12. et 13. ac S. Ambr. 1. Hexaem. cap. 2. atque alii. Sed melius alii id negant. Si igitur in visione unius Angeli, et quidem in humano corpore apparentis, et posteriora sua tantum et non faciem ostendentis, videtur omne bonum, id est, excellentissimum bonum; quid fiet in visione intuitiva Dei et Angelorum, ac Sanctorum omnium? Contra vero in his terris verum est quod ait S. Bonavent. in Ps. 29. *Omnis humana felicitas variis amaritudinibus est respersa.* Michæas Propheta c. 1. 12. dicit de urbe Maroth in Iudæa: *Infirmata est* A *in bonum* (id est, privata est bono et virtutis et felicitatis) *quæ habitat in amaritudinibus*, hoc est, urbs Maroth, quia Maroth significat amaritudines, q. d. ait Cornelius: Tu o Maroth urbs, et tu o Iuda urbis Maroth possessor ac dominus, qui sub Ezechia Rege pio, in bono pietatis æque ac prosperitatis, puta in pace et rerum omnium affluentia, felix lætusque vivebas, inde sensim ad vitia et idola prolapsus, amisisti eum bono pietatis bonum prosperitatis; et acquisivisti malum amaritudinis et adversitatis. Hinc Theodor. legit: Quis cepit afferre dolores ei, quæ habitare solita est in bonis? Chald. quæ habitat in amœnitate terræ, q. d. ipsa terræ amœnitas est amara, aut potius ipsa amaritudo. Mundani hypocritæ, fingentes pietatem, habitant in Galgalis, id est, in volubilitate, in rota, in acervi revolutione, quærunt bonas herbas egressi in agrum, ut liberis in campis libere vagentur et lasciviant atque vitulentur: sed invenient *quasi vitem agrestem*, et colligunt ex ea *colocynthidas agri*, 4. Reg. 4. implent iis pallium suum et ollam, id est, corpus et animam carnalem, fu-B liginosam et bullientem, sed mortem et dolores mortiferos in olla reperient inclamantes: *Mors in olla vir Dei*, id est, in gula et amore sensualitatis, in anima cibis et potibus vacante. Colocynthis, ut docet Franciscus Vallesius sacræ Philosophiæ cap. 36. est cucurbita agrestis, qua medici utuntur, ut pituitam vehementer expurgent, estque amarissima: unde vocatur fel terræ, et si supra quatuor obolos sumatur, potest mortem afferre, et exterius admota fœtus enecare. Hoc facit sensualitas et deliciæ terrenæ. Sed si Elisæus, id est, Dei salus, hoc est, Iesus, iniiciat farinam, id est, charitatem, ait S. Bern. serm. 65. e parvis (vel potius Eucharistiam) cuncta fient dulcia, etiam ignes et cruces, ut patuit in Martyribus, qui eo viatico ante pugnam armabantur, ut S. Cyprianus docet, et alias retuli.

QUINTO, felicitas sanctorum in cælo est gloriosa, v. 20. 64. Vers. 20.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te: perfecisti eis qui sperant in te: IN 5. Pars.
CONSPECTU FILIORUM HOMINUM, id est, hominum. Est V. Proprietas felicitatis sanctorum est, quod sit gloriosa.
C Hebraismus.

Nota, τὸ *in conspectu filiorum hominum* potest referri primo ad τὸ *qui sperant in te*, q. d. ait S. Augustinus, eis perfecisti dulcedinem tuam, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. Quomodo dicit Dominus, qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego illum coram Patre meo. Ergo si speras in Domino, spera coram hominibus: ne forte abscondas ipsam spem tuam in corde tuo, et timeas confiteri, cum tibi pro crimine obiiciatur, quia Christianus es; ita August. Qui deinde monet abiiciendam esse perversam verecundiam, qua pudet virtutem et pietatem sequi etiam inter Christianos: *Vis*, inquit, *vivere ut Christianus? Vis sequi vestigia Domini tui? Obiicitur tibi, erubescis, et erubescendo dimittis? Viam perdidisti. Videris tibi corde credidisse ad iustitiam: sed perdidisti, ore confessio fit ad salutem. Si ergo vis ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum, spera in Deum: id est, noli erubescere de spe tua. Quomodo vivit in corde tuo,* D *sic habitet in ore tuo, quia non sine causa signum suum Christus in fronte figi nobis voluit tamquam in sede pudoris, ne Christi opprobrio Christianus erubescat.* Alludit, imo attingit consignationem baptizati, et præsertim confirmati in fronte. Arabs vertit, præparasti eam iis, qui adhærent tibi coram filiis hominum.

Secundo, et signantius, τὸ *in conspectu hominum* refertur ad τὸ *perfecisti*, q. d. illam multitudinem dulcedinis et gloriæ, quam abscondisti et reservasti timentibus atque colentibus te, eam tandem illis exhibebis perfectam et fulgentem in conspectu totius orbis in die iudicii, et sanctorum Angelorum atque hominum per totam æternitatem. Hinc Chald. vertit: *Operatus es sperantibus in verbo tuo, ut reddas eis præmium bonum coram filiis hominum.* Hinc iusti sunt in aurora, impii in tenebris; in cælo erit lux clara, nihil fiet in occulto, sed omnia in lumine. Prov. 4. 18. *Iustorum autem semita* (viam arctam cæli et mandatorum decurrunt cum paucis) *quasi lux splendens pro-*

*

sedit (Vatabl. promovet: Semper vera virtus ambulat, ut sol) *et crescit usque ad perfectam diem.* Syr. *donec stabiliatur dies.* Hic semper dies variatur, in æternitate stabit sol, et luna ac stellæ. Hinc Beda diem illam ait esse felicem æternitatem: *Iustorum*, ait, *opera in luce scientiæ peraguntur, et æternam ducunt ad vitam, quæ est perfecta dies.* Lege S. Gregorium 29. Mor. cap. 2. ubi ait, aurorum Ecclesiæ et sanctorum esse in terra, meridiem fore in cælo.

65. Certamina apud Romanos in theatro et circo. Circi amplitudo.

Nota. Alludit primo ad certamina, in quibus victores renuntiabantur publice voce præconis in frequentissimo hominum conventu, v. g. in Circo Romano, quem Tarquinius Priscus constituit ad cursus equestres ad varia exercitia; Cæsar vero illum ampliavit. Plin. lib. 36. c. 15. *Circum maximum a Cæsare dictatore extructum longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum ædificiis iugerum quatuor, ad sedem ducentorum sexaginta millium inter magna opera dicamus.* P. Victor de regionibus urbis Romæ ait, tandem circum maximum habuisse portas duodecim, et capacem fuisse trecentorum octoginta quinque millium hominum. Ad Olympica vero certamina, quæ celebrabantur iuxta Olympiam Elidis urbem, tota pene confluebat Græcia. Quinto quoque anno fiebant in honorem Iovis Olympii: et qui vicisset, corona ex oleastro, qui Philostephanos dicitur, donabatur: institutaque sunt anno mundi 2849. ante Christum 1204. Iephte Iudicis 1. In coque certamine Hercules primus coronatus est. Itaque ante Davidem anno 131. Olim tanti erat ibi vicisse et coronari, ut olympionices evehi videretur ad deos. Plin. l. 7. c. 47. *Euthymius*, *picta* (id est, pugil) *semper Olimpiæ victor, et semel victus, sicuti mortale fastigium egressus, consecratus est vivus, sentiensque.* Nero Imperator cum Olimpiæ curru certaret, eo est excussus, coronam tamen adeptus est, ut ait Xiphilinus in Nerone, propter quem favorem iudicibus distribuit viginti quinque myriadas. Præconium, quo Nero renuntiatus est victor, tale fuit: Νερων Καισαρ νικα αγωνα, και στεφανοι Ρωμαιων δημον: *Nero Cæsar certamen vicit, et populum Romanum coronat, et proprium imperium.* De illo ait Svetonius in eius vita c. 25. *Cum Romam eo curru, quo olim Augustus triumphaverat, et in veste purpurea, et chlamyde distincta stellis aureis inveheretur, coronam capite gestavit Olympicam, dextra manu Pythiam.* Gellius lib. 3. cap. 15. de Diagora dicit: Cum tres filios vidisset vincere et coronari eodem Olympiæ die, eumque tres adolescentes amplexi, coronis suis in caput patris positis, suaviarentur: eumque populus gratulabundus flores undique in eum iaceret, ibi in stadio, in oculis atque manibus filiorum animam efflavit. Nos verum Olympum, ολον λαμπρον, id est, totum splendidum spectemus, hoc est, cælum, et præmia in eo reposita.

Certamen olympicum in Græcia.

Quanta gloria victorum.

66. Triumphans dabat dona militibus.

Secundo, alludit ad dona triumphantium, quæ dabantur spectante toto exercitu, et civium innumerorum multitudine. De Romano quidem triumphatore ait Zonaras in suis Annalibus: *Triumphali habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, et ramum dextra tenens, populum convocabat, et militibus quibusdam etiam publice laudatis pecuniam donabat et ornamenta, armillas, hastas sine ferro, et coronas, aliis aureas, aliis argenteas*, τȣ ονοματ εκαϛι, και τας αριϛειας φεροντας το εκτυπωμα, *expressa in iis nomine et facinore viri.* Livius lib. 39. vocat insignia dona. Tacitus, insignia triumphi. Marcell. anteactæ vitæ insignia. Lampridius, insignia, et honorificentiæ genera. Aurelius Victor, arma insignia. Hinc apud Gallos arma, *les armes, les armoiries*, vocamus gentilitias notas, quibus varii ob varia in bello gesta aliasve de causis uti possunt.

67. Corona datur sanctis victoribus a Christo

Christus victor dat victoribus coronam. Vide dicta Ps. 20. 4. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretiosa.* Ipse dicit, aut saltem suo nomine scribi curat Angelo, id est Episcopo Smyrnensi, sancto scilicet Polycarpo, Apoc. 2. 10. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*, id est, viventem, vitalem, et vivificantem. Hebræi armati intrant terram promissam, et Cantic. 7. v. 7. dicit Ecclesia sponsæ novæ, id est, synagogæ: *Statura tua assimilata est palmæ.* Aquila vertit, αυτη αναϛασις σȣ, *ipsa resurrectio tua*, qua scilicet resurgis a perfidia ad fidem in fine mundi. De homine iusto resurgente ad gloriam post tot victorias id commode dicitur. Sancti, quos vidit S. Ioannes Apocal. 7. 9. habebant palmas in manibus. Statura tamen propria intelligitur totius corporis status et magnitudo. Hinc Septuag. vertunt: *Hæc magnitudo tua assimilata est palmæ.* Vir iustus a capite ad pedes est palma, quia in omnibus potentiis, sensibus et membris victorias varias consequitur. Corona illa datur legitime certanti, et tamen per gratiam obtinetur. Prov. 4. 9. de sapientia, id est, Christo habetur: *Dabit capiti tuo augmenta gratiarum* (Sept. coronam gratiarum. Est scutum bonæ voluntatis, undique coronans. Illa corona est pulcherrima. Unde Chald. reddit: Ponet in capite tuo pulchritudinem gratiæ. Est bona et fulgens galea) *et corona inclyta proteget te.* Septuag. suavitatem illius felicitatis expresserunt, cum dixerunt, *corona deliciarum te proteget*: eius splendorem Aquila, cum vertit, *corona gloriationis.* Symm. *corona gloriæ.* Et suavitatem et splendorem attigit Isaias cap. 61. 10. *Gaudens gaudebo* (id est, vehementer gaudebo) *in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: et indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, et quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Vide Ps. 86. 3.

Adverte porro, Imperatores in triumphali pompa atque donario sæpe minora meritis dare. Quid enim tot vitæ periculis est comparandum? Deum vero supra condignum gloriam largiri. Hoc S. Cyrillus in Zachar. ait: Non expectamus, ισοϛαθμȣς αμοιβας, operibus nostris æquales præmia: sed maiora et illustriora, cum Deus sit πλȣσιοδωρος, valde munificus. Vide Vasquesium 12. disp. 215. cap. 4.

68. Vers. 21. I. Pars. VI. Proprietas felicitatis æternæ, est eius securitas ab afflictionibus.

Sexto, Felicitas æterna et multitudo dulcedinis sanctorum secura est ab tumultibus et calamitatibus humanis. Hinc addit Propheta noster vers. 21. ABSCONDES EOS IN ABSCONDITO FACIEI TUÆ (Hebræa, in latibulo vultus tui. Syrus, tegumento faciei tuæ. Arabs, ala tua. S. Hieronymus, in protectione vultus tui) A CONTURBATIONE HOMINUM. *To* a conturbatione, potest sumi, Primo, passive, q. d. abscondes eos a conturbatione, qua homines, id est, mali, turbabuntur, cum in ira et furore tuo, id est, in die iudicii turbabis eos; ita Thomas Anglicus, et alii. Secundo, et melius, active, q. d. abscondes iustos a conturbatione, qua impii dum viverent, illos turbaverunt, et præ rabie adhuc turbare exoptarent: hoc est, efficies, ut eos scelerati concutere et perturbare non possint. Ita S. Hieron. S. August. Genebr. et alii.

Quæres. Quid est absconditum faciei divinæ? Resp. primo, est locus, in quo est illa facies, qui locus hosti non patet. Secundo, *absconditum faciei* est ipsa facies abscondita. Tertio, *absconditum faciei* est in ipsa facie locus aliquis, nempe oculus seu pupilla oculi, quæ est in loco concavo et tecto, et non ita extante atque aliæ partes faciei.

69. Absconditum in abscondito faciei divinæ quid sit? I.

Primo itaque sensus est, q. d. Sufficit manifestatio tua, hoc enim faciem vocat, ut ipsos liberes ab omni perturbatione, και ζαλης ανθρωπινης, et humanis fluctibus: et protegas eos veluti quodam tabernaculo in medio comprehensos, et reddas eos invisibiles. Hanc enim providentiam et ipse consecutus est David, cum Saulem fugitaret. Nam intra periculum comprehensus salutem adeptus est. Eodem modo magnus Elisæus circumvallantes Syros effugit, illorum oculis offusa caligine; ita Theodoretus, et bene. Hebr. habent: *Abscondes eos* (socios meos) *in abscondito faciei tuæ a superbiis viri*, id est, Saulis. S. Hier. a duritia viri. R. David, a superbiis hominum. Muisius, ab elationibus. R. Abraham, a perversitatibus. R. Emanuel, a duritiis et fortitudinibus. R. Salomon, a congregationibus. Chald. a viris exercitus. Saul enim multis millibus stipatus Davidem persequebatur. Sed Deus abscondit eum in abscondito faciei suæ, id est, arcana sua providentia et favore. Sic S. Felicem araneæ tela texit. Christus a

lapidare se volentibus Iudæis abscondit se, Ioan. 8. 59. Cælica potestate, ut ait S. August. invisibilem insidiantibus, se constituens.

II. Secundo, *abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, id est, paradiso, ubi facie ad faciem videtur divinitas tua, quam abscondisti sub humanitate. Unde Isaiæ 45. 15. *Vere tu es Deus absconditus*; ita Ugo. Sed nolim hoc restringi ad Christum solum, sed extendi ad totam Trinitatem, quæ sanctos abscondit in loco abscondito faciei suæ, id est, in quo visionem suam manifestat solis Electis, eam abscondendo impiis. Dicitur enim illis, foris canes, Apoc. 22. 15. Et postquam sponsus intravit cum virginibus lampades ardentes, id est, oculos puros et claros, et divinæ visionis capaces habentibus, clausa est ianua, Matth. 25. 10. atque virginibus fatuis dicitur: nescio vos, id est, vos non agnosco pro meis sponsis, itaque non debetis intrare ad nuptias, non cognosco vos scientia approbationis. S. Chrysostom. dicit, illud verbum esse gehenna gravius.

III. Tertio, *abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, id est, in secreto contemplationis et notitiæ tuæ. Ita Ruffin. Dion. Ludolph. Ut te per speciem videant, qui modo lates; ita Lombardus. Faciem quidem pro ira sumit Chald. qui vertit: Abscondes eos in occulto, in tempore iræ tuæ. Et S. Hieron. qui explicat, q. d. in iustitiæ tuæ abditis. Sed alii melius accipiunt faciem pro favore, gratia, luce, notitia.

IV. Quarto, *abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, id est, in teipso; ita Bredembachius. Est synecdoche. Facies enim sumitur sæpe pro tota persona, quia eius maiestas et præsentia maxime eminet in facie. Faciei vocabulo, ait, Genebr. utuntur Hebræi, sicut Itali excellentiæ, maiestatis, celsitudinis, reverentiæ, quando viros honoratos alloquuntur, vel memorant. Adde, pro *faciei tuæ*, Hebr. est פניך *panecho*, id est, facierum seu *personarum* tuorum. Nam, ut dicit Mercerus in thesauro sancto *panim* etiam personas Trinitatis significat. Iusti autem non tantum intra unam, sed intra omnes Trinitatis amantissimæ personas absconduntur. Non videtur enim una persona quin videatur alia, imo nec videri potest, ut plerique docent. Titelmann. Illic, ait, eos absorptos in te, et iam totos in te transformatos, abscondes et occultabis quasi in tutissima custodia reclusos, in aspectu vultus tui, in præsentia divinitatis tuæ: dum te illis facie ad faciem præbebis contuendum. Ita, inquam, abscondes eos, ut nulla ultra hominum conturbatio ad illos possit accedere, nullum ad illos malum possit introire, nullum flagellum ad tabernaculum illud appropinquare, sed erunt eis absque ulla conturbatione omnia salva, læta et prospera. Clemens Alexandr. lib. 7. Strom. ait, priscorum ianuis inscriptum fuisse, μηδεν εισιτω κακον, *nihil ingrediatur mali*: quanto magis id verum erit de domo Dei, quæ est asylum longe sanctius, augustius, securius domibus regum et principum. Photius refert ex Ctesia, veteres censuisse ignem ex Ætna erumpentem non reddere infestam, ευσεβων χωραν, piorum regionem, licet alia loca populetur. Tudensis in Chronico dicit, in morte cuiusdam pii viri auditas esse has voces in aere: *Ecce quomodo tollitur iustus, et nemo considerat: ablatus est a facie iniquitatis, et erit in pace memoria eius.* Quem felix est, qui a facie iniquitatis ablatus, occultatur in abscondito faciei divinæ, ibique in perpetua pace a conturbatione hominum liberetur.

V. Et optime. Quinto denique, et præcise ac proprie, *abscondes eos in abscondito faciei tuæ*, q. d. intra oculos tuos, intra pupillam oculi tui: hoc est enim absconditum vultus Dei, q. d. semper illos aspicies, illos in oculis semper feres, erunt tibi gratissimi, ab iis nunquam oculos tuos amovebis, semper eorum commodis, securitati et delectationi eris intentus. Sic Ps. 31. 8. ait Deus: *Firmabo super te oculos meos.* S. Hieron. *Cogitabo de te oculo meo*, q. d. Aspectus hic non est vanus et inutilis, sed cum amore et efficacia, luce ac delectatione. Ibi sunt Sancti procul a conturbatione hominum. Apollinar. vertit, εκτοσθε βροτεης ταραχης, extra turbationem mortalium. S. August. hic: *Abscondes eos in abscondito vultus tui. Qualis est locus iste? Non dixit, Abscondes eos in cælo tuo: non dixit, abscondes eos in paradiso: non dixit, abscondes eos in sinu Abrahæ. Multis enim fidelibus loca futura sanctorum in Scripturis sanctis posita sunt. Vilescat totum quidquid præter Deum est. Qui nos tuetur in loco vitæ huius, ipse post istam vitam sit locus noster: quia et iste Psalmus hoc ei ait superius: Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii. Ergo erimus in vultu Dei absconditi. Quis sinus est in facie Dei, a me expectatis audire? Purgate cor, ut ipse illuminet, et quem vocatis intret. Esto domus eius, et erit domus tua: habitet in te, et tu habitabis in eo. Si eum exceperis in hoc sæculo in corde tuo, ille post hoc sæculum excipiet te vultu suo. Abscondes, inquit, eos? Ubi? in abscondito vultus tui. A conturbatione hominum. Ibi enim non conturbantur cum absconduntur.* Thomas Anglicus hoc loco refert ex Alberto Magno lib. 24. de animalibus, de quodam animali marino, quod fœtum suum extrahit de utero suo. Si autem ipsum viderit non maturum nec perfectum, intra uterum suum reponit eum usque ad maturitatem. Oppianus l. 2. αλιευτικων, id est, de piscatione, refert rem prorsus admirabilem, quam ipse vocat θαυμα, hoc est, miraculum, de marina cane: *Miraculum*, inquit, *maricagæ canis est istud. Eam sectantur catuli novelli, et σφιν σακος επλετο μητηρ, ipsis scutum est mater. Sed quando trepidant, magnique terrores sunt in mari, tunc illos recipit intra lumbos suos per eumdem meatum, eamdemque viam unde ceciderunt nascentes: talem autem laborem, afflicta licet, tamen libenter sustinet, rursumque infundit liberos visceribus: statim autem remittit eos cum respirarint a timore.* Alias retulisse me memini de quodam animali terrestri Americæ, quod ventri subiectam peram habet, in qua fœtum abdat, si quid terroris ingruerit. Deus id facit non modo sine dolore, sed etiam cum delectatione et prolis et sua: pondus non sentit, qui portat omnia verbo virtutis suæ, et amor onus non reputat. Sibi commissos, et in se receptos servat ut pupillam oculi sui, Deut. 32. 10. Zacher. 2. 8.

Septimo denique, Felicitas æterna Sanctorum, et multitudo dulcedinis eorum secura est non solum e manibus lacessentium, sed etiam a linguis calumniantium, v. 21. PROTEGES EOS IN TABERNACULO TUO A CONTRADICTIONE LINGUARUM, id est, a iurgiis, contentionibus, rixis, dissidiis, vexationibus, turbis, litibus pro lingua malignantium excitatis. Hebr. ריב *rib*, hæc omnia significat. Pro *tabernaculo* Hebr. est סכה *succa*, quod significat tabernaculum, umbraculum, tegmen. Petav. vertit, in intimis edytis. Syrus vertit, teges eos umbra tua a contentione. Arabs, umbra faciei tuæ custodi eos a contradictione linguarum. S. Hieron. in umbra. Symm. εν σκεπη, in tegmine.

70. Vers. 21. 2. Pars. VII. Proprietas felicitatis æternæ, est eius securitas a maledictis.

Nota, cum dixit, *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum*, allusit ad columnam nubis et ignis tegentem Hebræos ab Ægyptiis illos insequentibus et perdere volentibus. Nunc cum ait, *proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum*, alludit ad tabernaculum Mosaicum, ad quod Moses ipse et Aaron fugerunt, ne a populo murmurante et tumultuante occiderentur, ut refertur Num. 16. 42. *Cumque oriretur seditio, et tumultus incresceret, Moses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini*, id est splendor quidam maior in ea nube. Ubi obiter adverte, in eo Deus gloriam suam præcipuam ponit, ut alumnos suos ad se fugientes tegat, ibi seipso splendidior effulget. Orta erat seditio ob mortem Core, Datan, et Abiron, atque Hon terra absorptorum, et ducentorum quinquaginta procerum prunas accipientium ex altari holocaustorum, ut offerrent incensum in altari thymiamatis: sed priusquam ingressi essent Sanctum, perierant, ex altari holocaustorum exorto igne. Deus autem iterum iratus in murmurantes et rebellantes quatuordecim eorum millia iterum igne immisso peremit, omnes interempturus, nisi Aaron thuribulo accepto medius stetisset inter vivos et mortuos, qui deinde ad suum asylum, nempe ad tabernaculum rediit. Sic factum est, ut habes Ps. 63. 8. *Sagittæ parvulorum* (Hebr. פתאים

ptaim, ut legerant Sept. verti potest *fatuorum*, stultorum. Nunc legitur *pitam*, id est, subito) *factæ sunt plagæ eorum* (et quidem repente: quia in cælum iactæ, et suo pondere et Dei manu reflectuntur in auctores) *et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum*. S. Hieron. corruent in semetipsis linguis suis. Si enim lingua sagitta est, emissa in eorum capita recidit, sicut olim Scytharum, dum tonabat, sagittas in cælos eiaculantium. Si lingua est gladius acutus, sicut habetur Ps. 56. 5. illa se confodiunt. Si venena aspidum plena est, ut dicitur Ps. 139. 4. eo suffocantur.

71. Lingua fons est malorum. Quantum autem bonum sit e manibus et dentibus atque rabie linguæ liberari, collige unica sententia Hugonis a S. Victore lib. 2. de anima: *Lingua*, inquit, *dicitur quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo: ligat et ligari non potest: labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallitur. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, una ictu multos percutit et interficit: blanda est et subdola, lata et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala.*

Quia vero Sanctos in cælo calumniis et blasphemiis lædat? canes lunam allatrant, sed spuma se sua contaminant, luna micat argentea, et cursum læta vel in media nocte pergit, velut astrorum regina. S. Augustinus contradictionem linguarum explicat de linguis hæreticorum, sed tabernaculum dicit esse Ecclesiam in terris adhuc militantem: arbitror vero absconditum faciei divinæ et tabernaculum pro eodem sumi, nempe pro tegmine et umbracula intra ipsum Deum et pupillam eius: palpebræ sunt velut pelles huius tentorii. Verba porro S. August. sunt: *Proteges eos in tabernaculo tuo. Quod est tabernaculum? Ecclesia huius temporis, tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in hac terra peregrinamur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Ipsa dicuntur tabernacula. Domus non est tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus: ut cum factus in tabernaculo gloriosus recipiaris in domum. Erit enim in cælo domus tua æterna, si modo bene in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos a contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.* Malim dicere contradictionem linguarum in hæreticis esse: quod non tantum Ecclesiæ dogmatis, sed etiam sibiipsis contradicunt, seque mutuis impetunt morsibus, sicut Samsonis vulpeculæ, igne indignationis et furoris in Ecclesiam æstuantes: imo semetipsos singuli consumunt, sicut vipera olim cum aliis inclusa, et cæteris superstes.

ARTICULUS II.

Civitas munita est anima sancta, et Ecclesia.

72. Vers. 22 Hebræi sæpe ponunt duo substantiva pro substantivo et adiectivo. GENERALI Dei cura erga omnes iustos exposita, ad se descendit David, et gratias agit ob misericordiam sibi præstitam, v. 22. BENEDICTUS DOMINUS: QUONIAM MIRIFICAVIT MISERICORDIAM SUAM MIHI (id est, ad mei tutelam et gloriam exhibuit miro modo) IN CIVITATE MUNITA. Hebr. מצור *matsar*, id est, munitionis; 2. obsidionis. Est enim substantivum. Solent enim Hebræi ponere duo substantiva pro substantivo et adiectivo: ideo S. Hier. Muisius. Noster vertunt, *in civitate* (Vatabl. urbe) *munita*. Sept. habent, ἐν πόλει περιοχῆς, id est, *in civitate*, in urbe *circumstantiæ*, ut legit S. August. id est, in toto ambitu munito, et muris cincta. Unde Symm. reddit, ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ, id est, in civitate circummunita. S. Thomas refert versionem, in civitate obsessa, hoc etiam *matsor* sonat, ut dixi.

73. Civitas munita Quæres, quænam sit illa civitas munita? Respondent primo aliqui esse Ierusalem urbem regiam Davidis, sed varii varie id explicant. Primo enim Trevetus exponit de

A obtenta venia pro se et populo universo, quem Angelus peste percutiebat in Ierusalem, quam David muro cinxerat atque munierat: unde vocabatur civitas David. Sed hic sensus videtur alienior, nec reliquo Psalmo congruere, ut patet attendenti. Secundo Genebrardus sensum esse ait, d. q. Deus mira usus est misericordia erga me, servavit me mirabiliter in Ierusalem civitate, quam inimici mei munierant, præsidiis ubique impositis ad me intercipiendum, ne qua evaderem. Sed de Absalonis persecutione non agitur in hoc Psalmo. Tertio, Iansenius, q. d. mihi iam omnibus malis erepto exhibuit mirabiliter misericordiam suam in civitate Ierusalem munitissima. In qua ingenti gloria et felicitate, copiaque omnium rerum me affecit. Hic sensus bonus est, multos enim Psalmos etiam de præcedentibus persecutionibus scripsit David in urbe Ierusalem, sibi in memoriam revocans pericula, quæ evaserat, et affectus quos tunc habuerat. Vide paraphrasim, in qua hunc sensum secutus sum. hic accipi potest: I. Ierusalem.

B Secunda, Arias opinatur hanc civitatem munitam esse Hebron urbem celebrem et fortissimam ab ipsis Iosue temporibus, ubi habitabant tunc gigantes, Iosue 14. 14. Mortuo enim Saule ad eam Dei monitu se recepit David, et ibi unctus est in regem super tribum Iuda, 2. Reg. 2. 4. et postea mortuo post septennium Isbosetho filio Saulis, ibi etiam est unctus in regem reliquarum tribuum undecim, ibid. cap. 5. 3. II. Hebron.

Tertio, et probabilius, civitas illa munita, in qua Deus mirificavit misericordiam suam erga Davidem, est Ceila: quam Primo obsidentibus Philisthæis feliciter Dei ope liberavit, percussis hostibus plaga magna, 1. Reg. 23. 5. Secundo, inde servatus est cogitantibus Ceilanis eum tradere Sauli exultanti, quod ingressus esset urbem, in qua portæ et seræ essent, atque venturo eum exercitu. Ita Lyranus, Eugubinus, Rasi, R. Salomon, Agell. Muisius, Bredembachius, et alii. III. Ceila et melius.

Quarta, Isidorus Clarius putat metaphorice tantum hic sumi civitatem munitam, et sensum esse, q. d. Miro quodam modo ostendit misericordiam suam mihi, et tam-

C quam in munitissima fuissem civitate, tutatus est me. Sed tertia sententia magis arridet.

Anagogice. Civitas hæc munita est absconditum faciei divinæ. Ita Bellarm. q. d. Benedictus sit Dominus, quoniam mirificavit, id est, mirabilem ostendit misericordiam suam erga me, in civitate munita, id est, abscondens me in abscondito faciei suæ, quod est veluti civitas munitissima, ut iam mihi nihil nocere possit. Ita ipse, quod tam de securitate iustorum in his terris, quam Sanctorum in cælo exponit. 74. Anagog. Civitas munita est absconditum faciei divinæ.

Secunda, et apertius, civitas munita est Ierusalem cælestis. Est enim munitissima. Primo, ob situm excelsissimum. Secundo, ob muros fortissimos et altissimos, Apocal. 21. 16. Tertio, ob cives numerosissimos, et ad bella doctissimos, atque ob victoriam coronatos. Quarto, ob regem illius civitatis, qui spiritu oris sui interficiet impium ad alta se evehentem, sicut inde deiecit Luciferum cum asseclis suis, quos ad tartara præcipitavit. II. Et melius est cælum.

D Allegorice. Civitas munita, in qua Deus misericordiam suam mirificat, est Ecclesia Catholica toto orbe diffusa. Ita S. Aug. S. Thom. Lomb. Dionys. Bredemb. Ludolph. et alii. Hæc est civitas circumstantiæ, ut legit S. Aug. qui sic explicat: *Quæ est civitas circumstantiæ? In Iudæa populus Dei erat positus, quasi in medio mundo, ubi dicebantur laudes Dei, eique sacrificia offerebantur, ubi Propheta non cessabat canendo futura, quæ modo videmus impleri. Iste populus quasi in medio gentium erat. Attendit Propheta iste, et vidit futuram Ecclesiam Dei in omnibus gentibus. Et quia omnes gentes circum undique erant, quæ in medio ponebant unam gentem Iudæorum: has undique circumstantes gentes appellavit civitatem circumstantiæ. Mirificasti quidem Domine misericordiam tuam in civitate Ierusalem. Ibi passus est Christus, ibi resurrexit, ibi ascendit in cælum, ibi multa mirabilia fecit: sed maior laus tua est, quia mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ, id est, in omnibus gentibus diffudisti misericordiam tuam. Nec unguentum* 75. Allegor. Civitas munita est Ecclesia.

tuum in illa Ierusalem, quasi in vase tenuisti: sed tamquam confracto vase, unguentum per mundum diffusum est, ut impleretur, quod dicitur in Scripturis sanctis, Cant. 1. Unguentum effusum est nomen tuum. Et ita mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ. Ascendit enim in cælum, sedet ad dexteram Patris, post decem dies misit Spiritum sanctum: impleti sunt Spiritu sancto discipuli, ceperunt prædicare magnalia Christi. Lapidati, occisi, fugati sunt. Et cum inde tamquam ex uno loco fugarentur, quasi ligna ardentia igne divino, totam sylvam mundi accensam fervore spiritus et lumine veritatis impleverunt. Et mirificavit Dominus misericordiam suam in civitate circumstantiæ.

76. Ecclesia militans et triumphans sunt tantum una Ecclesia. Nota, Ecclesia militans et triumphans unam tantum efficiunt civitatem, velut in duas distinctam, quarum una sit inferior, altera superior, sicut in plerisque urbibus cernimus, atque in ipsa Ierusalem erat. Vel, Ecclesia militans est suburbium, triumphans vero est proprie dicta civitas. De utraque David ait Ps. 47. 1. *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius;* v. 3. ibid. vocatur *civitas Regis magni*, et v. 9. *civitas Domini virtutum*. Lege totum illum Psalmum, in quo sigillatim describitur fuse. Nunc pauca strictim attingam.

I. Illius civitatis conditor est Deus. Primo, conditor illius civitatis est Deus. Hebræor. 11. 10. *Expectabat* (Abraham) *fundamenta habentem civitatem* (id est, cælestem, quæ non est tabernaculum mistum solis baculis et fulcris, sicut viatores et peregrini erigere solent, et loco movere) *cuius artifex et conditor Deus*. S. August. epist. 5. ad Marcellinum: *Hæc est civitas, ubi Rex est veritas, lex charitas, modus æternitas.*

II. Fundamentum Christus. Secundo, Fundamentum, cui tota civitatis moles incumbit, est Christus. 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus*, id est, fides in Christum Salvatorem. S. August. in Ps. 86. 1. Christum vocat *fundamentum fundamentorum*, id est, primum et excellentissimum fundamentum Apostolos ipsos, qui sunt secundaria fundamenta, sustentans.

III. Fossa, profunda mysteria. Tertio, Fossa, est profunditas mysteriorum. Ps. 91. 6. *Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ* (id est, inscrutabiles) *factæ sunt cogitationes tuæ*. Rom. 11. 33. dicuntur incomprehensibilia iudicia Dei, et investigabiles viæ eius. Et Iobi 5. 9. ait Eliphaz: *Qui facit magna, et inscrutabilia, et mirabilia absque numero.*

IV. Murus, Christi protectio. Quarto, murus quoque est Christus, sive protectio singularis eius. Isaiæ 26. 1. de Sione, id est, Ecclesia dicitur: *Urbs fortitudinis nostræ Sion Salvator, ponetur in ea murus et antemurale*, id est, ait Cornel. fortitudo nostra, protectio nostra secure, et habitatio quiete instar urbis Sionis est Christus Dominus: quia ipse erit murus et antemurale nostrum, id est, instar muri et antemuralis fortissimi tutabitur atque muniet Beatos in cælo. Aliter S. Gregor. hom. 11. in Ezech. In sancta, inquit, Ecclesia, Dominus Christus murus nobis, et Prophetæ eius antemurale sunt positi: quia ad nos, quos ipse perfecte protegit, etiam Prophetarum verba in fidei constructionem venerunt. Aliter quoque S. Hieron. Murus Ecclesiæ, inquit, est fides: antemurale, sunt bona opera. Et S. Bernard. serm. 5. de Assumpt. B. Mariæ: Murus, inquit, est continentia, antemurale patientia, quod eleganter prosequitur serm. 3. de Dedic. Eccl. Sic Alcidamas dixit, Philosophiam esse vallum et sepem legum, quasi in ea sita sit summa et robur legum: quod citans Arist. l. 3. Rhetor, immerito reprehendit. Valentia in Ps. nostr. Ecclesia civitas militans triplici munitione est munita: scilicet munitione doctrinæ, et Sacramentorum, et donorum Spiritus sancti. Et triplici muro est septa: scilicet, fide, spe, et charitate: et sic nihil est nobis timendum. Civitas vero cælestis est munita atque copiosa et abundans omnibus bonis fruibilibus: quia est status omnium bonorum aggregatione perfectus: et sic est perfecta beatitudo in ea; ita Valentia.

77. V. Turres, Apostoli. Quinto, Turres Ecclesiæ sunt Apostoli. Humanitas Christi dicit et placet Aponio: *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Quod ad rem nostram sic explicat: *Sicut turris portatur a muro, et intra turres arma posita: ita per fidem a Christo sustentantur Apostoli, et per Apostolos fidelium turma: in quibus vitæ exempla, et rectæ fidei arma sunt collocata: quæ qui indesinenter tenet, vincit: qui dimiserit, vincitur.* Honorius de Ecclesia triumphante exponit in hunc modum: q. d. Ego sum constructa per opificem Christum, de electis hominibus, murus de lapidibus in ambitum Ierusalem cælestis, ut murus in circuitum civitatis. Et ubera mea, id est, doctores, qui mihi lac doctrinæ præbuerunt, sicut turris erecti sunt pro Angelis, qui inde ceciderunt: et ita cœpit ædificari ut civitas per doctos opifices Apostolos, et eorum successores ex illo tempore, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

Sexto, Ecclesiæ portæ sunt duæ: nempe fides et baptismus. Primo, per fidem ostium Deo in nos aperimus, Hebr. 11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et serm. 12. in Psal. 118. *Ianua nostra fides est, quæ totam domum, si fuerit robusta, communit: per istam ianuam Christus ingreditur.* Per eam etiam nobis aditum in Ecclesiam, aperit Deus. S. Chrysost. in Symbol. *Fides*, inquit, *religionis Catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ.* Coloss. 2. 12. *In quo* (Christo scilicet) *resurrexistis per fidem operationis Dei*, id est, efficacem et facientem bona opera, ut explicat Adamus. Secundo, Baptismus est porta Ecclesiæ militantis et triumphantis. Christus ait Nicodemo principi Iudæorum, id est, viro inter eos primario, seniori, et e magistratu: *Amen Amen* (id est, verissime atque certissime) *dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo* (Græce ανωθεν, id est, superne, cælitus, q. d. regeneratione cælesti. Ita S. Cyrillus Alex. 2. ανωθεν, id est, iterum, denuo, ut Noster vertit, et explicat S. Chrysost. et Nonnus) *non potest videre* (id est, possidere. Est metalepsis. Antecedens ponitur pro consequenti) *regnum Dei*. S. Cyrill. Ierosol. in Præfat. ad Catech. βαπτισμος, ait, παραδεισου θυρα, id est, baptismus est paradisi porta. Optatus lib. 5. contra Parmenianum: *Quis, ait, nesciat, baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, nativitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium.* Ugo. Card. in epist. S. Iacobi quærit: cur in extrema unctione balsamum non ponatur, sicut in baptismo et confirmatione; causam esse ait: *quod Baptismus sit introeuntium: Confirmatio, pugnantium sive procedentium, a quibus exigitur bona vita pro se, fama pro aliis: unde inunguntur chrismate, quod fit ex oleo et balsamo: in oleo nitor conscientiæ: in balsamo odor bonæ famæ. Sed extrema unctio est Sacramentum exeuntium, quibus sufficit nitor conscientiæ bonæ: quia subtrahuntur de consortio hominum.* 78. VI. Portæ, fides et baptismus.

Septimo, Ecclesiæ custodes et vigiles sunt Angeli, Ps. 33. 8. *Immittet* (Hebr. castra metatur) *Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.* Ubi S. Basilius, Ob magnitudinem, ait, illius, qui te custodit, castra tibi munitionesque præbet Deus: propter Angeli vero virtutem veluti circumvallat te undique securitate, quæ est per illum. S. Chrysost. hom. 3. in cap. 1. ad Coloss. Singulis fidelibus unum Angelum dari ait; et Anastasius Nicænus qu. 61. atque Pantaleon Diaconus in narratione de miraculis S. Michaelis Archangeli. Omnibus vero provinciis ac regnis a Deo custodes attribui asserit Victorinus Pictaviensis in Apocalypsim. Severus Episc. ad Ioannem Tribunum, S. Chrysost. serm. de Ascensione, in qua æquiparat Deum Imperatori, milites per urbes, civitates et castella distribuenti. Germanus Constantinopol. orat. de obdormitione Dei Genitricis, vocat eos, vitæ hominum custodes ac præsides. Origen. hom. 8. in Gen. appellat, animarum nostrarum tutores et actores. Vide Ps. 33. loco citato. 79. VII. Custodes et vigiles Angeli.

Ecclesiis illos præsidere docet S. Hilarius ad Ps. 129. *Meminimus*, inquit, *esse plures spirituales virtutes, quibus Angelorum est nomen, Ecclesiis præsidentes. Sunt enim secundum Ioannem Asianis Ecclesiis Angeli.* Et S. Gregorius Nazienzenus orat. 32. quæ in præcutia 150. Episcopo-

rum est habita. Præter omnia, inquit, et ante omnia clamabo: Valete Angeli huius Ecclesiæ præsides, meæque præsentiæ atque peregrinationis. Genes. 3. 24. dicitur: *Eiecit Deus Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Paradisus voluptatis, Ecclesia est: illam custodiunt Angeli, non ut homines, sed ut serpentem arceant, atque errantes ad eam invitent, ingressosque custodiant. Hoc Deus Isaiæ 62. v. 6. apertius profitetur: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes* (id est, Angelos, ut explicat S. Hieron. et S. Bern. serm. 4. de Dedicatione Ecclesiæ) *toto die et tota nocte in perpetuum non tacebunt,* id est, non quiescent, semper pro te laborabunt, et erunt solliciti, huc illuc discurrent. Est catachresis. Plura vide Ps. 33. 8.

80. VIII. *Tormenta bellica, orationes.* Octavo, Ecclesiæ tormenta bellica sunt orationes et conciones. De primis ait Eccli. 35. 21. Iesus Sirach: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* S. Augustinus epist. ad Probam: Dicuntur, inquit, fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas tamen, et raptim quodammodo iaculatas. Et in quodam sermone: *Oratio oranti est subsidium, Deo sacrificium, dæmonibus autem flagellum.* Adde et tormentum atque glans ferrea et ignita eos penetrans et deiiciens. De secundis, nempe de concionibus, quod sint tormenta bellica, imo tonitrua et fulmina, satis probavi Ps. 28. v. 3.

IX. *Domus, Ecclesiæ particulares.* Nono, Ecclesiæ Catholicæ domus, sunt Ecclesiæ particulares, et singuli fideles. Sic Dionys. Carthusianus explicat Ps. 47. 4. *Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* S. Hieronymus, in auxiliando. VI. editio, εις οχυρωμα, in munimentum. Aquila, εις υπερτατον, in elevationem. Secundo, diversæ domus, sunt diversæ nationes, aut diversarum meritorum personæ. Tertio, variæ virtutes. Has constitue eburneas ob puritatem, illas argenteas ob virginitatem, alias aureas ob charitatem, alias gemmeas propter bonam famam ex virtutibus emicantem, alias de lignis Sethim ob innocentiam semper servatam. Aut, si placet, virginum domos constitue albo colore spectabiles, martyrum rubricatas, coniugatorum variis coloribus cancellatas, religiosorum viridi colore vernantes.

81. X. *Vici et plateæ, agendi variæ viæ.* Decimo, Vici et plateæ sunt agendi et vivendi diversæ viæ: nempe in matrimonio, in viduitate, in cœlibatu, in clericatu, in religione. Per has vias fervens anima Deum se nonunquam ad tempus subducentem quærit: neque prius quiescit, quam voti compos in amati sinum convolet. Hoc profitetur sponsa, id est, Ecclesia, Cantic. 3. 2. *Surgam, et circuibo civitatem, per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea.* S. Gregor. Nyssen. vicos et plateas ait esse ordines et status Angelorum et Sanctorum in cælesti Ierusalem. Idem possis dicere de terrestri. S. Anselm. Beda et S. Gregor. dicunt esse exempla Sanctorum, qui aut arctiorem, quod vici figurant, vel laxiorem, quem notant plateæ, vivendi rationem secuti sunt. De cælesti Ierusalem dicit Tobias senior cap. 13. 22. *Ex lapide candido et mundo omnes plateæ eius sternentur: et per vicos eius alleluia cantabitur.*

82. XI. *Templum, pietas in Deum.* Undecimo, Civitatis illius divinæ templum est pietas erga Deum: in illud cum quis intraverit, terrenorum omnium oblitus ibi figet gradum. Apoc. 3. 12. *Qui vicerit* (passiones suas et cupiditates) *faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius,* ut scilicet se in exterioribus obiectet, et per Ægyptum dispersas paleas quærat. Ibi Richardus a S. Victore: Faciam illum, ait, columnam in templo Dei mei: id est, efficiam, ut instar columnæ sit in se firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem: et præterea alios sustentet verbo consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis.

83. XII. *Fons, sacra doctrina.* Duodecimo, Civitatis illius divinæ fons est sacra doctrina, quæ ab Ecclesia sola egreditur, atque in omnes nationes effluit. Figuratur primo illo fonte terreni paradisi, qui ubertim in adiacentem regionem fundebatur. Genes. 2. 6. *Fons ascendebat e terra* (est fons aquæ salientis in vitam æternam) *irrigans universam superficiem terræ.* Sacra doctrina et superficiem, et ipsa penetralia rigat. Christus hunc orbi fontem aperuit, ut sapienter monet Aelredus Abbas Rievallis serm. 1. de opere Babylonis: *Scripturam,* inquit, *totius eruditionis fontem nobis ministravit.* Et Zachar. 13. 1. dicitur: *In illa die erit fons patens domui David, et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ.* Chaldæus Paraphras. de sacra doctrina explicat. Vertit enim: In tempore illo erit doctrina legis patens, sicut scaturigo aquarum domui David, et habitatoribus Ierusalem.

84. XIII. *Cibus, Eucharistia.* Decimo tertio, Cibus civium illius sanctæ civitatis est Eucharistia. De ea vide dicta Psal. 21. 28. *Edent pauperes, et saturabuntur, etc.* ac Ps. 22. 5. *Parasti mensam in conspectu meo adversus eos qui tribulant me.*

XIV. *Cor unum est omnibus civibus.* Decimo quarto, Civium est summa concordia in fide et moribus. Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* S. August. in cap. 26. Ioan. vocat Eucharistiam, *panem concordiæ.* Vide tu, ut te in se transformet. Deus charitas est. In hoc adverte, an bene atque utiliter ad sacram mensam accedas: an scilicet in charitate crescas erga Deum et homines.

85. *Tropol. Anima Sanctorum est civitas munita.* Tropologice. Anima Sanctorum est hæc civitas munita, in qua Deus mirificat misericordiam suam; ita Ruffinus. Inde, inquit, est benedicendus et glorificandus Dominus, quoniam mirabilem ostendit misericordiam suam mihi, id est, ad utilitatem mei et meorum, in civitate munita, id est, in Sanctis, qui dicuntur civitas: quia multi sub una divina lege coniunguntur: et munita propter multas virtutes, et diversa dona sancti Spiritus, quibus muniuntur; ita ille. Sed illam in partes, si placet, distribuamus.

Eius fossa, murus, etc. sunt variæ virtutes. Primo, eius fossa est humilitas. Secundo, murus et turres fortitudo, et diversi eiusmodi. Tertio, portæ, sensus. Quarto, arma, fervor. Quinto, machinæ bellicæ, orationes. Sexto, domus, tranquillitas. Septimo, vici et plateæ, actiones proximo utiles. Octavo, palatium, prudentia. Nono, curia suprema, iustitia. Decimo, templum, castitas. Undecimo, altare, amor Dei. Duodecimo, Rex, Christus. Decimo tertio, milites, Angeli. Decimo quarto, consilium, inspirationes cælestes. Decimo quinto, constantia, æternitatis spes.

Hæc civitas eo est munitior, quo plures et perfectiores sunt virtutes. S. Ambr. lib. 1. de virginit. *Quo sanctior quisque, eo munitior.* Unde Ieremiæ animos facit Deus, eiusque robur declarat Ierem. 1. 18. *Ego quippe dedi te* (te constituo) *in civitatem* (velut civitatem) *munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, et Sacerdotibus, et populo terræ.*

Obsidetur undique hæc civitas, ideoque eget protectione Dei, velut muri: et Angelorum, velut scuti. S. Bern. serm. 2. de S. Andrea Apostolo: *Videsne,* ait, *quam necesse sit, ut scuto circumdet te veritas, quem sic hostium tela circumdant? Ab inferiore enim parte timor nocturnus insurgit. A sinistris, sagitta volat in die: a dextris, perambulat negotium tenebrosum: et, ut nihil sit vacuum, a superiore parte dæmonium meridianum insurgit.*

86. *Symbol. B. Virgo est civitas munita.* Symbolice. Christus et B. Virgo sunt civitas illa munita. Ita Thomas Anglicus, nisi quod putat id etiam dici ad litteram. Primo inquit, hoc convenienter aptatur Christo, qui in natura ista assumpta, quasi in civitate munita habitavit, in qua misericordiam suam nobis miram fecit, tam in Incarnatione, quam in miraculorum perpetratione, et tandem, quod omne mirabile excedit, in sua passione. Psal. 15. 3. dicit: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis.*

Muro duplici cingitur. Secundo, B. Virgo fuit civitas bene munita duplici muro: vel, ut ita dicam, muro et antemurali. Dicit enim S. Bernardus in serm. de Dedicatione: Bonus continue est, qui sic undique circumdatur, et circumagitur, ut nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur morti ingressus: bonum autem murale patientiæ, quod primos hostis sustinet impetus. Ibi fossæ fuerunt profundissimæ humilitatis et obedientiæ: non etiam defuerunt aquarum

copiæ, id est, devotionis et compassionis lacrymæ, insuper et profunditas fovearum: non enim poterat esse sine magna copia aquarum, id est cælestium gratiarum. Psal. 86. 3. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Vide ibi dicta. In hac autem civitate fecit Deus misericordiam suam nobis: fecit enim ut virgo Deum pareret, et ancilla mater Domini sui fieret. S. August. in serm. quodam de Nativitate: Mira est potentia, sed plus miranda est misericordia: quod ille, qui sic nasci potuit, sic nasci voluit. Luc. 1. 49. *Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius: et misericordia eius, etc.* Ita Thomas Anglicus.

Quomodo mundus sceleratus possit dici civitas munita, et quomodo muniatur, vide articulo seq. v. 24.

ARTICULUS III.

Quibus gradibus ad cælestem felicitatem ascendatur

87. Vers. 23. 1. Pars. Gradibus quinque ad felicitatem æternam venitur. 1. Timore Dei.

EXPLICATIS felicitatis Sanctorum in hac terra et in cælo proprietatibus, quinque gradus David ostendit, quibus ad eam perveniatur, 1. timorem Dei; 2. orationem; 3. charitatem; 4. fidelitatem; 5. fortitudinem.

PRIMO, Timor est necessarius, qui nos admonet imbecillitatis nostræ, et hostes fugere compellat, v. 23. EGO AUTEM DIXI IN EXCESSU MEO: PROIECTUS SUM A FACIE OCULORUM TUORUM. Nota, pro in *excessu*, Heb. est בחפזי *bechophzi*, id est, Primo, in festinando me, est enim gerundium in Kal. Pagninus vertit, dum festinarem. Vatablus, cum præceps fugerem. Caietanus, in festinatione mea. Muisius, in præcipitatione mea. Secundo, *chaphaz*, significat trepidare, obstupescere. S. Hieron. vertit, in stupore meo. Psalt. Roman. et Ambros. in pavore meo. S. August. in extasi mea. Magnus timor facit extasim, hominem velut extra se præ stupore constituens. Aquila, εν θαμβησει μου, in trepidatione mea. Symm. εν τη εκπληξει μου, in perculsione mea.

Quæres, de qua festinatione et pavore loquitur? Resp. Primo, loqui de fuga ex Ceila, cum vidit se nusquam posse consistere, 1. Reg. 23. 13. Secundo, et melius de fuga et summa trepidatione in deserto Maon, cum Saulis exercitu cingebatur, et desperabat se viribus humanis posse evadere, ibid. v. 26.

88. Qui Dei maiestatem et sua peccata videt, timet.

Moraliter nota. Qui in extasi seu contemplatione Dei maiestatem considerat et iustitiam: sua vero peccata et eorum enormitatem, suamque fragilitatem ad lapsus frequentes, trepidat ac stupet, et se a Dei conspectu subducit non ferens tantos radios. Sic S. Petrus Luc. 5. 8. dicebat Christo post felicem piscationem eius ope factam, cum prius tota nocte laborans nihil fecisset cum sociis: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* Et ratio redditur: Stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Secundo, de Magdalena peccatrice, sed contrita, Luc. 7. 38. dicitur: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cepit rigare pedes eius.* Faciem Christi sustinere non potuit, sed retro stetit, id est, hæsit, præsens fuit. Stare enim apud Hebr. quamlibet situm significat, seu præsentiam et immobilitatem in quolibet situ. Tunc autem genibus nitebatur Magdalena, osculans, lavans, et extergens pedes Christi in mensali lectulo iacentis. Tertio, de Hæmorrhoissa muliere veniente ex civitate Cæsarea, quæ prius vocabatur Dan, deinde Paneas, postremo a Philippo Tetrarcha Herodis filio aucta, dicta est Cæsarea in gratiam Tiberii Cæsaris. De illa, inquam, dicitur Matth. 9. 20. *Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius* (ne pedes quidem attingere est ausa) efficacia huius verecundiæ subiicitur: *Et salva facta est mulier ex illa hora.* Sanguis est symbolum peccati; ab eo vis sanari? verecunde et humiliter ad Deum accede. Ut enim ait S. Bern. serm. 86. in Cant. *Verecundia est gemma morum, virga disciplinæ, soror continentiæ, lampas pudicæ mentis, expunctrix malorum, et propagatrix paritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ.* Quarto, Matth. cap. 8. v. 8. Centurio indignum se duxit hospitio Christi, et fides eius præfertur fidei omnium Israelitarum, cum ipse esset gentilis, ac servus ipsius sanatur a Christo absente. Quinto, Moses videns rubum ardentem et incombustum, et vocatus a Domino, abscondit faciem suam, Exod. 3. 6. et eligitur dux totius populi Israel, liberator eius ab Ægypto, et deus Pharaonis ad eum domandum et conterendum. Sexto, Elias in monte Horeb audiens sibilum auræ tenuis, et in eo sciens esse Dominum, operuit vultum suum pallio, 3. Reg. 19. 15. et mittitur a Deo, ut ungat Hazael Regem super Syriam, et Iehu filium Namsi Regem super Israel, id est, super decem tribus, et Elisæum in Prophetam sibi successurum. Recte S. Augustinus ait in Ps. nostr. *Nihil dulcius est immortalitate sapientiæ, sed initium sapientiæ timor Domini.* Tullius in Tuscul. quæst. *Timor,* inquit, *sicut modestiæ cognatus est, ita familiaris est sapienti: quia mentem componit et humiliat.* Qui autem se humiliat, exaltabitur: itaque timor est gradus ad exaltationem et felicitatem. Vide dicta Ps. 111. 1. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.*

89. Vers. 23. 2. Pars. Secundus gradus ad felicitatem est oratio plena spei.

SECUNDUS gradus, quo ad cælestem felicitatem ascenditur, est fervens, et spei plena oratio, quam timor filialis excitat. Hinc sequitur v. eod. 23. IDEO (Hebr. אכן *achen*, id est, vere, ut reddit Pagninus, Arias et Muisius; 2. at, ut Vatablus; verumtamen, ut Felix; 3. siquidem, ut Caietanus; 4. ergone, ut S. Hieron. 5. δια τουτο, id est, ideo, ut Sept. et Noster) EXAUDISTI ORATIONEM MEAM, DUM CLAMAREM AD TE. Ubi nota, το *ideo* denotare timorem sanctum, ne proiiciaris a facie, id est, a conspectu oculorum Dei; multum prodesse, ut nostra oratio exaudiatur. Secundo nota, pro orationis meæ, est in plurali תחנוני *tachanunai*, id est, orationum mearum: ubi Primo, denotatur perseverantiam in oratione multum prodesse. Quot sunt a te preces emissæ ad Deum, tot sunt gradus in scala Iacob, ut pertingens usque ad cælum: aut tot sunt Angeli ibi ascendentes ad Deum, qui erat in summitate scalæ, Gen. 28. 12. Denotatur secundo in voce *tachanunim*, et humilitas et spes. Nam proprie significat deprecationem seu supplicationem, qua petitur et imploratur gratia. Radix est *chanan* misereri, rem gratam facere, gratis dare. Tertio, fervorem denotat clamor. Vide dicta Ps. 4. 1. *Cum invocarem* (Hebr. cum clamarem) *exaudivit me Deus iustitiæ meæ,* auctor scilicet et conservator: quia sine eo nihil possumus facere boni, aut evitare mali: ideo in naufragio est clamandum cum Petro Matth. 14. 30. *Domine salvum me fac:* et continuo extendens manum apprehendet te, et cessabit ventus. In petitione lucis et gratiæ clama cum Bartimæo, id est, filio Timæi, qui prope Iericho iacebat cæcus, Marci 10. 47. *Iesu fili David, miserere mei.* Si aliqui tibi comminantur, ut taceas, multo magis clama, et stans IESUS præcipiet te vocari per suos Apostolos, vocatus proiecto vestimento maiorum habituum venies ad eum, et visu recepto sequeris eum in via regia virtutis, non divertens ad obscuros calles et devia ac præcipitia vitiorum.

90. Vers. 24. 1. Pars. Tertius gradus ad felicitatem est charitas.

TERTIO, Orationi trepidanti et speranti addenda est charitas, quæ viam faciliorem ad sponsum reperiat. Ideo additur vers. 24. DILIGITE DOMINUM OMNES SANCTI EIUS. Hebr. חסידיו *chasidav*, id est proprie, *misericordes eius, chesed* enim significat misericordiam. Dupliciter autem id sumi potest. Primo, passive, q. d. qui a Deo misericordiam sunt consecuti. Par enim est ratio, ut ii plus diligant, sicut Magdalena, Luc. 7. 47. *Remittuntur* (Græce αφεωνται, remissa sunt, in præterito: sic vertit Arab. et Syr. cum scilicet habuit perfectam contritionem et amorem Dei, quibus mota intravit locum convivii) *ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et ad rem nostram subdit: *Cui autem minus dimittitur, minus diligit*; ordinarie scilicet, quod Christus exposuerat, parabola duorum debitorum, quorum unus debebat fœneratori denarios quingentos (id est, quinquaginta aureos gallicos assium sexaginta.) Nam denarius valet decem parvos asses, seu asses quinque gallicos: et alius quinquaginta; cum utrique debitum condonasset, iudicavit ipse Simon Phari-

sæus, qui Magdalenam tacitus in corde arguebat, fœnerotorem diligi plus ob eo, cui plus dimiserat. Arabs vertit: *Diligite Dominum, o omnes electi eius.* Hæc electio est summa Dei misericordia.

Secundo, et melius, *chasidov*, id est, *misericordes eius*, sumitur active, q. d. omnes, qui eius omore vos operibus misericordiæ, sive corporalis, sive spiritualis applicatis. Hic est lapis lydius veræ sanctitatis. Omnis enim sanctus habet viscera misericordiæ: et impius, viscera ferrea, frontem æream, et manum plumbeam.

91. *Timori succedere debet charitas.* Nota primo, timori succedit charitas in scala cæli. Cassianus lib. 4. de Institut. monach. varios gradus assignat: *De timore Domini*, ait, *nascitur compunctio salutaris; 2. de compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas et contemptus omnium facultatum; 3. de nuditate humilitas procreatur; 4. de humilitate mortificatio voluntatum generatur; 5. de voluntatum mortificatione extirpantur atque marcescunt universa vitia; 6. vitiorum expulsione virtutes fructificant atque succrescunt; 7. virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur; 8. per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.* Tres alios gradus in Psalmo nostro reperire possumus: nempe, 1. fidem, quæ Dei offensi maiestatem et iram oculis obiiciens timorem excitat; 2. spem, quæ orationis fervorem causat; 3. charitatem, quæ Deo nos iungit. De illis sic Origenes hom. 2. in Genesim: *Si quis est*, inquit, *qui crescentibus malis, et inundantibus vitiis convertere se potest a rebus fluxis, et pereuntibus, et caducis, et audire verbum Dei, ac præcepta cælestia, hic intra cor suum arcam salutis ædificat, et bibliothecam, ut ita dicam, intra se divini consecrat verbi. Longitudinem in ea, et latitudinem, et fidem, spem, et charitatem collocat. Fide Trinitatis ad longitudinem vitæ, immortalitatemque descendit. Latitudine charitatis, indulgentiæ et benignitatis fundat affectum. Altitudine spei ad cælestia erigit et excelsa. Super terram enim ambulans, in cælis habet conversationem*

92. *Timor et amor non debent separari.* Nota secondo, timar et amor non debent separari. Hæc enim sunt duo sponsæ brachia, quibus sponsum constringat. Sinistrum brachium est timor, quem sponso subiicit, considerans ea quæ sunt in seipsa, in terris, et in inferis. Dextrum brachium est charitas quam illi superponit, considerans ea quæ sunt in cælis, et in sponso suo, in quo et multa conspicit quæ diligat, et multa quæ timeat. Nam ut ait David Ps. 24. 8. *Dulcis* (Hebr. טוב *tob*, bonus; Græc. χρηστὸς, utilis, benignus) *et rectus* (Apollinaris, εὐθύδικος, recta iudicans) *Dominus.* Ubi Cassiodorus: *Cum audis*, ait, *quod Dominus tuus dulcis est, attende, quid diligas? cum audis, quod rectus, attende quod timeas: ut amore et timore Dei excitatus legem eius custodias.* Et in Ps. 32. Qui, ait, Deum bene timet, et amat: qui bene amat, et timet: res illæ in cæicati devotione sociatæ sunt. Ita Cassiod.

93. *Non quicumque Deum diligit, sanctus est.* Nota tertio, quicumque sanctus est, diligere Deum potest: quia principium habet in se permanens, et efficax dilectionis: nempe habitum charitatis, sive distinguatur ab habitu gratiæ, sive non: tamen, non quisquis diligit, dilectione etiam vero et supernaturali, sanctus formaliter est ab habitu gratiæ diverso ab habitu charitatis: et antequam intelligatur quis in iustificatione consecutus habitum gratiæ sanctificantis, potest revera concipi producere actum dilectionis, tamquam ultimam dispositionem eiusdem iustificationis. Vel quia quod mihi plane persuadeo, idem hic actus producitur efficienter cum solo auxilio gratiæ, et non per habitum charitatis, qui habitus infunditur posita iam dispositione dicti actus. Ac propterea licet eodem instanti temporis adsit, in posteriore tamen instanti naturæ advenit, et idcirco non potest intelligi esse causa efficiens suæ dispositionis, et esse causa suæ causæ in eodem genere causæ productivæ. Tametsi difficultatem in contrarium facit, quod idem actus dicatur meritorius vitæ æternæ, ut proinde videatur ab habitu ipso ita pendere, ut producatur ab ipso. At sufficit, ut concipiatur dignitatem supponere in subiecto grato, et habitum habente. Ita Lorinus, et varii Teologi. Itaque recte ait David: *Diligite Domiuum omnes soucti eius*, q. d. id facite, quia vos omnes id potestis, et nullus alius. Qui enim aliquid præter Deum diligit, Deum perfecte et ex toto non diligit. Si enim nemo potest duobus dominis servire, quomodo poterit duos amare? S. August. in Ps. nostr. *Diligite Dominum omnes sancti eius: id est, vos diligite Dominum, qui non diligitis mundum: hoc est, omnes sancti eius. Nam cui dico, ut diligat Dominum, quid adhuc diligit amphitheatrum? Cui dico ut diligat Dominum, quid adhuc diligit pantomimum? quid adhuc diligit vinolentiam? quid adhuc diligit pompas sæculi, et vanitates omnes, et insanias mendaces? Cui dico, disce non diligere, ut discas diligere: avertere, ut convertaris: funde, ut implearis.* Dicit Sponsus Cant. 5. 1. *Comedite amici, et bibite, et inebriamini charissimi.* Vino scilicet divini amoris, sed prius uvæ fellis et botri amarissimi abiiciantur: et fel draconum, id est, impiorum, quod est vinum eorum. 1. Ioan. 2. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* S. Iacobus cap. 4. v. 4. acrius in amatores mundi invehitur: *Adulteri* (Græc. additur, καὶ μοιχαλίδες, *et adulteræ.* Mulieres sæpe sunt vaniores, et magis mundanæ) *nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Dei?* (Aliqui legunt, inimicitia est Dei) *Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius,* (id est mundi) *inimicus Dei constituitur.* Beda verissime ait: Omnes amatores mundi, omnes inquisitores nugorum. S. Cyprianus epist. ad Donatum: *Arridet mundus, ut sæviat: blanditur, ut fallat: illicit, ut occidat: extollit, ut deprimat: fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior summa dignitatis et honorum, tam maior exigitur et usura pœnarum.*

Ugo Card. supra in illum versum, *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita*, ait illam civitatem munitam esse mundum, qui munitus est septemplici muro, id est, septem vitiis capitalibus, sicut Iericho munita erat contra filios Israel. Et qui vult istam civitatem debellare, oportet circumeat eam septies: scilicet cogitando et pœnitendo de illis septem vitiis, et detestando ea. Isaiæ 23. 16. *Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita, bene cane, frequenta canticum.* Citharam sumit pœnitentiæ, cum membra velut chordas extendit in rigore pœnitentiæ. Urbem circuit per contritionem. Is. 38. 15. ait Ezechias rex: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Bene canit, per confessionem. Ita Ugo. Si placet celeri oculorum coniectu illam sceleratam mundi civitatem lustrare, Primo fossam reperies, ubi vorago inexplebilis, nempe avaritia. Eccl. 5. 9. *Avarus non implebitur pecunia.* Secundo, muri sunt divitiæ. Nahum 3. 8. *Aquæ muri eius*, divitiæ fluunt et refluunt. In partibus mundi septemtrionalibus fieri muros ex aqua congelata retuli alias ex Olao Magno. Tales sunt mundi divitiæ, fulgent, sed cito franguntur ac defluunt: aut alienam vim passæ, aut propriam mutabilitatem. Tertio, turres muro altiores. sunt dignitates et honores huius mundi. Isaiæ 30. 25. *In die interfectionis multorum cum ceciderint turres, erit lux lunæ sicut lux Solis.* hoc est, in die iudicii, cum honores dignitatesque conciderint, et lux Ecclesiæ militantis, sicut lux Ecclesiæ triumphantis. Tunc, ut ibid. dicitur cap. 2. 11. *incurvabitur altitudo virorum, et exultabitur Dominus solus in die illa.* Quarto, propugnacula sunt scientiæ sæculares. Iudic. 9. 51. *Erat turris excelsa in media civitate* (Thebes, quæ significat cœnosam, erat in Iudæo) *ad quam confugerunt simul viri et mulieres, et omnes principes civitatis, clausa firmissime ianua, et super turris tectum stantes per propugnacula:* id est, per scientias sæculares. His defendunt suas turres, id est, dignitates mundani, sed cœnum cavent in Poetis, et alibi. Quinto, vigiles murorum sunt pravi habitus conservantes peccata. Ps. 54. 11. *Super muros eius iniquitas.* Sexto, Scuta sunt excusationes variæ, quas peccatores sceleribus suis obtendunt. Iob. 41. 6. *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus, una uni coniungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas.* Septimo, Galea, est vana spes de satisfa-

ctione et venia. Eccli. 5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Octavo, Sagittæ, sunt detractiones. Ierem. 9. 8. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Nono, Arcus, est pravum iudicium. Oseæ 7. 16. *Facti sunt quasi arcus dolosus, cadent in gladio.* Decimo, Vexilla, sunt mala exempla. Sap. 2. 9. *Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ.* Undecimo, Loricæ, sunt delectationes sibi connexæ. Eccli. 43. 22. *Sicut lorica induet se equis*, id est, delectationibus, quæ in mare æternæ amaritudinis influunt. Duodecimo, lucalæ civitatis exprimuntur. Ezech. 27. 10. *Persæ, et Lydii, et Lybies erant in exercitu tuo, viri bellatores tui.* Persæ pro superbis ponuntur, quod omnia diffringant et canterant. Rad. פרס *paras*, id est, frangere, canterere. Lydii pro luxuriosis accipiendi sunt, qui rebus venereis continuo distinentur. Rad. ילד *ialad*, id est, genuit. Libyes pro cupidis rite desumuntur, quod ear præter amucin rationem in res luteas incliuent. Nam pro *Libyes* Hebr. est פוט *put*, id est, crassus, pinguis. S. Ioan. ait 1. epist. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

94 Vers. 24 2 Pars. Quartus gradus ad felicitatem est fidelitas. QUARTO, Cælum scandenti necessaria est fidelitas, vers. eodem 24. QUONIAM VERITATEM REQUIRET DOMINUS, ET RETRIBUET ABUNDANTER FACIENTIBUS SUPERBIAM. Nota, τὸ *abundanter*, referri potest, Primo, ad sequentia, q. d. retribuet Deus iis qui superbiam faciunt abundanter. Ita S. Basilius, Theodoret. Niceph. Euth. et alii exponunt. Et quidem ita disponunt Psalt. Rom. et Ambr. et S. Aug. Arnob. Cassiod. *Retribuet his qui abundanter faciunt superbiam.* Secundo, τὸ *abundanter*, referri potest ad *retribuet*, q. d. Deus abundanter retribuet facientibus superbiam, hoc est, graviter illos puniet, ut patuit in Luciferi eiectione e cælo, Adam e paradiso terrestri, Gigantibus obrutis diluvio, Pharaone merso aquis rubri maris, Sennacheribi una nocte cæso exercitu, postea occisi a filiis, Nabuchadonosoris mutati in bovem, Antiochi dirissima morte percuntis, Herodis a vermibus corrosi, et cæterorum. Vide dicta Ps. 36. 35. licet enim etiam in inferno puniat Deus omnia peccata infra condignum, et compenset bona opera in cælo supra condignum, ut docet Vasquez noster in primam secundæ disp. 215. cap. 4. tamen præcipue deiicit superbos, et exaltat humiles. Nota secundo, pro *abundanter* Hebr. est על יתר *al ieter*, id est, 1. *super nervum*, q. d. retribuet illis, id est, puniet eos sagittando et confodiendo, coniectis nervo arcus contento in eos multis sagittis, hoc est, eos dolore cruciando, et calamitatibus impetendo; 2. *al ieter*, id est, *super funem*, sive *per funem*, q. d. eos funibus et laqueis variis irretiendo et implicando: unde non possint se expedire.

Nota tertio, pro *veritatem* Hebr. est אמונים *emunim*, quod sumitur, Primo, adiective, et significat fideles; unde S. Hieronymus vertit: *Fideles servat Dominus.* Felix et Muisius, *fideles custodit.* Vatabl. tuetur, *Dominus.* Secundo *emunim* potest sumi substantive, et significat veracitates, fidelitates. Unde latina Biblia regia Complutensis habent in plurali *veritates*, et Chald. Paraph. atque Sept. interpretes.

95. Veritatis acceptio quadruplex. Quæres, de quo veritate hic agitur? Respondet primo Lorinus, hic veritatem intelligi sincerum virtutis, præsertim charitatis, opus. Secunda, veritatem causæ inter vexatum innocentem, et vexatarem superbum. Tertia, 1. 2. 3. 4. Euthymius atque Nicephorus veritates hic intelligunt veras et ex corde dilectiones. Quarto, arbitror sumi hic veritatem pro veracitate, et favent S. Hieronymus, Felix, Et optima. Caietanus, Muisius, Vatablus, Pagnin. Arias, qui vertunt, *fideles.* Et hic sensus erit, q. d. Diligite Dominum

A sancti; quia requiret a vobis veritatem, id est, fidelitatem: promisistis enim illi vos eum amaturos ex toto corde, et mandata eius impleturos. Alludit ad pactum populi Israelitici cum Deo initi mediatore Mose, Exod. 24. Deuteron. 29. in quo cavebatur, ut populus serviret ipsi, et eum ex corde amaret, Deus vero eum tueretur, et bonis cumularet. Facientes vero superbiam, sunt rebelles, qui iugum frangunt, et dicunt: Non serviam, atque alios sibi amatores quærunt de veritatis et veracitatis amore. Vide Ps. 50. 8. *Ecce enim veritatem dilexisti.*

QUINTO denique, fortitudine opus est vel maximo, ut ad cælum evadamus, v. 25. VIRILITER AGITE, ET CONFORTETUR COR VESTRUM, OMNES QUI SPERATIS IN DOMINO. Vide dicta Ps. 26. vers. ult. licet breviter. Nota, Fortitudo prædictis virtutibus est iungenda. Primo timori. S. Gregorius in Mor. *In via Dei*, ait, *a timore incipitur*, ut *ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem: ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et sicut in via sæculi timor debilitatem: ita in via Dei timor* B *fortitudinem gignit.* 96. Vers. 25. Quintus gradus ad felicitatem, est fortitudo, quæ: I. Iungenda est timori.

Secundo, orationi iungenda est fortitudo. Languens enim et enervis oratio repulsam patitur, fortis omnia superat. Exod. 17. 11. *Cum levaret Moses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Mosis manus erant graves, quia ex nobis ad terram tendimus: sed Christo lapide sunt sustentandæ. Iosue clypeum manu elevans contra urbem Hai, et sic erices eius ad internecionem cædens, fuit typus iusti orantis cum fortitudine, atque hostes superantis. Iosue 8. 26. *Iosue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.* II. Orationi.

Tertio, charitati iungenda est fortitudo. Cantic. 8. 6. ait sponsus: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.* Ubi Guilielmus hoc modo explicat: *Imprimere mihi quasi signaculo per amorem mihi fortiter inhærendo, ut a me quasi signaculo formam accipias, ut mea subtili expressione similitudinem trahas: quanta fuerit impressio a-* C *moris, tanta et erit expressio similitudinis: quanto mihi fortius per amorem inhæseris, tanto mihi similior eris: quanto te mihi impresseris fortius, tanto ego Christus in te formabor expressius, et tanto tu in me formaberis transformaberisque insignius.* Et infra: *Charitas hominem mundo conformem transformat, quia ut signaculum, sic et formam mutat.* S. Gregorius: Amor Dei, ait, otiosus non est, operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est. Et S. Bernardus: Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo: id est, dulciter. Ex tota anima tua: id est, prudenter. Ex tota fortitudine tua: id est, fortiter. III. Charitati.

Quarto denique, fortitudo iungenda est fidelitati, quam Deo debemus: potius mori eligentes, quam fidem ei datam frangere. Olim cum fœdera sanciebantur, victimæ immolabantur, ut fecit etiam Moses cum Deo fœdus iniens pro Hebræis, quos sanguine victimæ aspersit, ut doceret potius esse moriendum, quam a tam sancto fœdero recederetur. Hoc nos docuerunt etiam puellæ pro Christo sanguinem fundentes. S. Gregorius homil. 11. in E- D vangelia: *Quid, ait, nos barbari et debiles dicimus? qui ire ad regna cælestia puellas per ferrum videmus, quos ira superat, superbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat? Qui si adipisci cælestia regno per bella persecutionum non possumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quod Deum nolumus saltem per pacem sequi. Ecce nulli nostrum hoc tempore dicit Deus, pro me morere, sed illicita tantum in te desideria occide. Qui ergo in pace subiicere carnis desideria nolumus, quando in bello pro Deo ipsam carnem doremus.* IV. Fidelitati.

PSALMUS TRIGESIMUS PRIMUS.

1. Psalmus David.

1. BEATI, quorum remissæ sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.
2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.
3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.
4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.
5. Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitiam meam non abscondi.
6. Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.
7. Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.
8. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.
9. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.
10. Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.
11. Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.
12. In camo et fræno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.
13. Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
14. Lætamini in Domino et exultate iusti: et gloriamini omnes recti corde.

PSALMI TRIGESIMI PRIMI ANALYSIS.

David ob peccati sui remissionem exultans, miratur et extollit

- Iustificationis beneficium 1. quo
  - Offensa Dei remittitur. 1.
  - Macula peccati deletur. 1.
  - Reatus pœnæ tollitur. 2.
  - Puritas et sanctitas animæ donatur. 2.
- Confessionem, qua acquiritur. 3.
  - Ante quam
    - Acribus morbis vexatus est. 3.
    - Gravi tribulatione oppressus. 4.
    - Vehementi dolore compunctus. 4.
  - In qua
    - Sinceritatem erga Deum habuit, in peccati expositione. 5.
    - Severitatem erga seipsum, in sui accusatione. 5.
  - Post quam
    - Remissio culpæ secuta est. 5. pro qua
      - Orant etiam sancti. 6.
      - In tempore totius vitæ. 6.
    - Remissio pœnæ æternæ. 6.
    - Remissio pœnæ temporalis. 7.
- Modum, quo conservatur 10. nempe
  - Intellectus illustrationem, per lumen internum. 8.
  - Manus veluti ductionem, per protectionem externam. 8.
  - Pedum corroborationem, per continuam amotionem impedimentorum. 8.
  - Voluntatis errantis revocationem, per dolores et afflictiones. 9.
  - Passionum a cursu retardantium moderationem, per flagella. 10.
  - Animæ totius vulneratæ sanationem, per misericordiam. 10.
  - Hominis victoria coronationem, per gloriam æternam.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Ipsi David intellectus.

1. Maschil quid significet

PRO intellectus habetur מַשְׂכִּיל *maschil*, quod significat Primo, erudiens, intelligere faciens. Est enim benoni, hoc est, participium in Hiphil, id est, in sexta coniugatione, quæ proprie significat alicuius actionis esse auctorem, suasorem et impulsorem. Est שׂכל *sacal* in coniugatione prima, quæ Kal, id est, levis vocatur seu expedita, quia initio præteriti nullam recipit literam præter tres radicales, neque in secunda radicali oneratur daghes, id est, punctulo duplicationem illius secundæ radicalis denotante. Daghes enim est nota abbreviationis. In Hiphil vero a *sacal* fit *hischil*, id est, fecit intelligere: cum *sacal* sit intransitivum, et significet *intellexit*. Hinc Arias vertit, *Davidi erudiens*, supple psal- A mus, vel carmen. Vatabl. *erudiens Davidis*. Felix vero facit intransitivum, quod aliquando est verum in Hiphil: vertit enim *David prudens*.

Secundo, et melius, *maschil* est nomen heemanticum, id est, factum per unam e litteris heemanticis, hoc est, contentis in hac voce heemanthi. Unde S. Hieron. et Flaminius vertunt, *David* (id est, Davidis, vel Davidi) *eruditio*. Pagnin. Davidi doctrina. Muisius, Davidis didacticon, id est, doctrinale, docendi artifex, aptum ad docendum: carmen scilicet. S. Augustinus in prima enarratione huius Psalmi vertit, Ipsi David intelligentia: in secunda enarr. huic David intellectus. Chald. Paraph. reddit, *David intellectus bonus*. Sicque reddit in Psalmis o-

mnibus, in quibus est *maschil*, excepto 77. in quo explicatius eperit, in quo sit illa bonitas: vertit enim, *intellectus Spiritus sancti*.

2. *Cur maschil seu intellectus, huic Psalmo præfigitur?*

Quæres, eur huic Psalmo præfigitur *maschil*, seu *intellectus:* id est, intelligentia, eruditio, doctrina? Resp. Primo Hebræi nonnulli sic inscribi, quia scriptus est ed exemplum alicuius carminis eo tempore cogniti, cuius initium erat *maschil*. Sicut in cerminibus musicis præponi solet, ad cuius similitudinem sit carmen compositum. Sed contra est, quia Sept. Ps. 41. 43. et 44. vertunt εἰ συνεσιν, id est, ad intellectum, licet in titulo sit eadem vox *maschil*.

Secundo, alii volunt titulum huius Psalmi esse *maschil*. quia v. 8. habetur אשכילך *aschilecha*, id est, intellectum tibi dabo. Sed hæc ratio non potest extendi ad alios Psalmos, ubi est idem titulus: nempe ad 41. 43. 44. 51. 52. 53. 54. 73. 77. 88. 141.

Tertio, Hebræi veteres opinantur omnes Psalmos, qui habent titulum *maschil*, esse quidem a Davide conscriptos, sed per interpretem dictos, ut a populo perciperetur eorum sensus. Sed idem titulus deberet esse multorum Psalmorum, qui egent multis interpretibus.

Quarto, *intellectus* non est aliud quam canticum scite et apte pronuntiatum, adeo ut qui audiunt, optime percipiant et intelligant; ita Agellius. Sed omnes Psalmi erant scite et apte pronuntiandi. Neque sola pronuntiatio sufficit ad sensus Psalmorum percipiendos.

Quinto, *maschil* seu *intellectus* in titulo ponitur, quia πνευματικης μαλιστα χρεια νυ προς το νοησαι το βαθος των αυτη μυστηριων. Ita Theodoretus in Ps. 88. ubi est idem titulus. Eusebius in Psal. 41. et 88. Et in nostrum Psalmum sic loquitur Didymus: *Ad intelligentiam hortatur, cum multo sint in Psalmo arcana et occulta*. Bellarm. dicit Psalmum esse obscurum, atque ad eum penetrandum dono intelligentiæ opus esse. Innocentius ait eum continere profundum intellectum: et Origen. asserit in epist. ad Romanos continere intellectum altiorem. Eam ob rem vocatur לב *leb*, id est, *cor Davidis*, ab Hebræis: eo quod plenus sit spiritu prophetico, et affectu vere pœnitentis ex animo. S. Thom. et Valentia generatim docent: quoties ponitur intellectus in titulo Psalmorum, esse signum profundi mysterii. In nostrum quidem Alphonsus a Castro scripsit 24. homilias, Toletus 15. sermones, et alii multi plurimos commentarios et conciones, nec tamen illum exhaurire potuerunt, aut fundum eius reperire. Est enim abyssus humano ingenio impenetrabilis.

Sexto, *maschil* seu *intellectus* in titulo ponitur, quia hunc Psalmum fecit David eruditus a Spiritu sancto; ita Valentia. Sed idem titulus esset præfigendus omnibus Psalmis.

Septimo, quia Davidi post commissum peccatum, per Dei gratiam aperti fuerunt oculi mentis, ut intelligeret, quam graviter deliquisset, quod antea carnali delectatione occæcatus intelligere non potuerat; ita Bellarmin. Hoc quidem verum est, sed sufficere non videtur.

Octavo, *maschil*, seu *intellectus* in titulo ponitur, quia Dei speciali illustratione cognoverat David, quomodo peccatum suum deflere, et de eo conteri atque illud confiteri deberet. Beda, *Intellectus*, inquit, *sequitur, quia nullus peccatum, nisi qui infelix erit, plangit*. Sed non placet, quod vult esse orationem Ezechiæ regis, qui in languorem ob superbiam inciderat. De se enim præsertim et primario agit David.

Nono, *maschil*, seu *intellectus* in titulo ponitur, quia particulari revelatione Dei præter eam, quæ sibi facta fuerat per Nathan Prophetam, intellexerat sibi dimissum esse peccatum cum Bethsabæa admissum, et inde consequentem cædem Uriæ eius mariti. Ita Lyran. et R. Salomon.

A Decimo denique, *maschil*, seu *intellectus* in titulo ponitur, quia David spiritu prophetico prævidit gratiam novi testamenti, remissivam peccatorum. Et hic sensus est profundior et melior, supponit tamen septimum, octavum et nonum. Theodoret. *David propheticis oculis novi testamenti gratiam prævidens, et remissionem, quæ per sanctum baptisma suppeditatur, hos beatos esse prædicat, ut qui sine labore peccatorum remissionem recipiant*. S. Aug. in præfat. huius Psalmi, vocat Psalmum gratiæ Dei, et iustificationis nostræ. Hoc illud est *magnum pietatis sacramentum*, quod Paulus celebrat 1. Timoth. 3. 16. quod scilicet Verbum caro factum est, et tot tantaque pertulit, ut nos iustificaret et salvaret. *Optima ratio.*

3. *Deo gloriam de nostris operibus tribuere, summa sapientia est.*

Hinc consequens est, summam esse sapientiam, Deo gloriam tribuere ob omnia bona opera quæ facimus, et illa ferre accepta ipsius gratiæ. S. August. in Ps. nostr. *Primo intelligentia*, inquit, *ut te noveris peccatorem. Consequens intelligentia est, ut cum ex fide per dilectionem bene ceperis operari, ne hoc viribus tuis, sed gratiæ Dei deputaveris*. B Illum sequuntur S. Thomas, S. Bonaventura, Ugo, Aiguan. Richardus Pampolitanus, Dionysius, qui ait hunc Psalmum esse cognitionem veraciter pœnitentis. S. Gregor. in prologo 2. Psalmi pœnitentialis sic ait: *Intellectus David in hoc Psalmo est, 1. ut nemo se ante fidem de meritis suis, quæ nulla sunt, efferat; 2. nemo fide per gratiam accepta, de peccati impunitate præsumat; 3. nemo bonum quod facit, sibi, sed gratiæ Dei attribuat; 4. nemo per desidiæ torporem in bona operatione pigrescat.*

Nota Primus Psalmus pœnitentialis egit de contritione: nempe Psal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me*. Hic autem agit de peccati confessione. Ita S. Thomas, Ugo et alii.

Nota secundo, S.Thom. ait, hic incipere quartam decadem primæ quinquagenæ. Et sicut in prima decade sunt Psalmi, in quibus fit mentio de persecutione Absalonis. In secunda, de persecutione Saulis. In tertia, de persecutione populi. Ita in ista quarta, de tribulatione, quam boni a peccatoribus sustinent. 2. Petr. 2. 8. *Habitans apud* C *eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant*. Dividitur autem hæc decas in duas partes. Quia Primo commendatur iustorum dignitas. Secundo, imploratur auxilium contra persecutiones impiorum in quarto Psalmo. Ita ipse, cui tamen non assentior, cum Psalmus præcedens, ut alios omittam, sit de persecutione Saulis, sicut ostendi in tituli explicatione.

4. *Argumentum Psalmi.*

Argumentum porro Psalmi est: David accepta per peccatorum suorum confessionem venia, primum quidem canit felicem esse, cui a Deo gratis condonata sunt peccata, nec amplius ei in pœnam imputantur. Deinde narrat, quomodo propter peccatorum suorum dissimulationem ultricem Dei manum senserit, et per hanc delictum suum agnoverit, confessus sit, ac veniam remissionemque acceperit quantocyus. Propter quam Dei facilitatem, Dei cultores dicit merito Deum oraturos, si quando vel peccatorum conscientia vel afflictione aliqua premantur. Postea vero, sermone ad unumquemlibet converso, erudiendo admonet ne brutis similes efficiamur: ut quemadmo- D dum illa fræno compelluntur hominum voluntati inservire, ita et nobis opus sit Dei flagellis, quibus adigamur accommodare nos divinæ voluntati. Postremo, peccatorum et iustorum diversitatem describens, ad lætitiam omnes iustos ob paratam illis Dei misericordiam generaliter invitat. Ita Iansenius, qui censet eum post commissum adulterium at homicidium in corporis infirmitatem aliasque calamitates incidisse, quas ob id ei immisit Dominus, ut vexatione dante intellectum, quæ dissimularet, et tegere conabatur peccata, agnosceret et confiteretur.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

Tria facit. Primo, iustificationis beneficium extollit, vers. 1. Secundo, modum adocet, quo Deus est flectendus, ut iustificationem illam concedat, vers. 3. Tertio denique modum ostendit, tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, quo recuperata iustitia conservetur, vers. 8.

SECTIO PRIMA.

Duo dicit. Primo, beatos illos esse, quibus Deus culpam condonavit, vers. 1. Secundo, illos etiam beatos esse, quibus Deus remisit pœnam, vers. 2.

PARAPHRASIS.

1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.

1. Felicitatem suam in opum copia, in dignitatum splendore, in voluptatis innocentiis plerique collocent: ego vero felicitatis in hac vita summam attigisse illos arbitror, quibus a Deo condonata sunt scelera: et per variarum virtutum, ac præsertim charitatis ornatum, ita tecta, ut anima prius omni ornatu spoliata, cælestibus his gemmis circumfulgens tota colluceat.

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

2. Tum vero illa felicissimus censendus est, cui non macula modo, qua mens inficiebatur, abstersa est: sed omnis quoque pœnæ reatus ita ablatus, ut neque ad culpam, neque ad commeritas pœnas admissum illi flagitium Deus imputet. Atque hæc felicitas obtingit omnibus, qui ex animo sine ullo fuco aut simulatione pertæsi vitæ in peccato anteactæ, ad Deum, virtutisque sincerum studium convertuntur.

QUÆSTIO UNICA.

Quam perfecta sit peccati remissio in iustificatione peccatoris.

5. Ordo Sectionis. Miseriam suam ob admissa scelera deploraturus David, incipit ab admiratione felicitatis illorum, qui perfecte ad Deum conversi sunt.

Ac primo, beatos esse dicit eos, quibus offensam Deus condonarit, v. 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.*

Secundo, beatiores, quibus peccati maculam abstersérit infusa gratia, v. eod. 1. *Et quorum tecta sunt peccata.*

Tertio, beatissimos, qui reatum pœnæ peccato etiam remisso debitæ amplius non habuerint, v. 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

Quarto denique, beatissimis ipsis beatiores, qui præclaris virtutibus admissa errata compensarint, v. eod. 2. *Nec est in spiritu eius dolus.*

ARTICULUS I.

Beatus est, cuius peccata remittuntur, teguntur, non imputantur.

6. Vers. 1. David peccati sui onere levatum se advertens, et ab eius deformitate purgatum clamat, v. 1. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Nota, primus hic Psalmus, post primum qui est initium Psalmorum omnium, incipit a beatitudine. In primo Psalmo beatus dicebatur expers penitus peccati, quæ beatitudo solius Christi absolute propria est: quia mater eius, quod non contraxit, potuit ac debuit, nisi præventa esset peccatum contrahere: altera beatitudo hic exponitur, a iam contracto peccato liberari, aut etiam ab eius debito. Etsi porro absolute maius sit innocentiæ beneficium, tamen dulcius est veniæ: quemadmodum nemo melius novit quam dulcis sit sanitas, atque is qui amissam quam deflevit, recuperat: nec tam iucunde potitur quis bono præsenti, quam avide concupiscit a malo contrario liberari, et illud iterum bonum nancisci. Ita Lorinus, Bellarm. et alii.

Beatos facit innocentia et pœnitentia.

7. Iniquitates et peccata quomodo differant. Nota secundo. *Iniquitates* sunt peccatum originale: *peccata* sunt, ea quæ post baptismum committuntur. Ita Origenes, S. Gregor. Beda, Ruff. et alii. Favere videntur Hebr. Nam pro *iniquitates* habetur in singulari numero

A פשע *pescia*, id est, iniquitas, ut vertit Hieronymus, illa scilicet singularis Adami, quæ in omnes est transfusa; 2. Felix vertit, transgressio; 3. Muisius, prævaricatio; 4. Caiet. rebellio. Enucleatius et expressius hæc distinguit Innocentius. Primo enim de peccatis originalibus dictum putat: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates.* Secundo, de actualibus peccatis cogitationum, *quorum tecta sunt peccata.* Tertio, de peccatis actionum: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quarto denique, de peccatis locutionum, *nec est in ore eius dolus*, sic ipse legit. Vel, *iniquitates*, inquit, intelliguntur, quæ fidem et baptismum præcedunt: peccata vero, quæ post fidem et baptismum succedunt. Vel denique, iniquitates referuntur ad offensam, quam quis committit in Deum: peccatum, ad culpam, quam committit in se: dolus, ad noxam, quam committit in proximum.

Secundo, S. Hieron. commentario in Osee tom. 5. Inter iniquitatem, ait, et peccatum hoc interest: quod iniquitas ante legem, peccatum post legem est.

B Tertio, et melius, *iniquitates* et *peccata* realiter idem sunt: formaliter vero differunt: id est, accipienda sunt de iisdem omnino erratis, sed sub diversa formalitate. Ad quod:

Nota tertio. In peccato tria sunt. Primo, ratio offensæ, quia scilicet fit contra Deum, eique displicet, et in hoc est malitia peccati. Secundo, peccato perpetrato remanet in animo macula, quæ est privatio gratiæ, atque adeo recti ordinis rationis, quatenus in his consistit veluti quidam nitor animæ: sicut macula corporis propria dicitur privatio nitoris corporis. Itaque quemadmodum gratia et rectus ordo rationis, metaphorice dicitur nitor et splendor quidam animæ, quatenus scilicet reddit animam gratam et acceptabilem, sicut nitor corporis reddit illud iucundum ad aspiciendum: sic privatio gratiæ et recti ordinis rationis dicitur metaphorice macula. Idque etiam ea ratione, quia ex peccato velut ex contactu inferioris et immundæ alicuius rei provenit: sicut macula corporis provenit ex contactu corporis vilioris. Ita S. Thom. 1. 2. C q. 86. art. 1. et Valentia disput. 6. q. 16. Vide dicta Ps. 50. 9. Tertio, peccato condonato remanet reatus pœnæ persolvendæ, ut ostendam infra. Hæc tria denotantur per tres voces Hebraicas. Nam 1. *pescia iniquitas* significat defectionem, rebellionem, prævaricationem, ut supra dixi, atque recte denotat offensam Dei; 2. pro *peccatum* ponitur חטאה *chataa*, id est, macula, inquinamentum. Nam

8. In peccato tria sunt. 1. Ratio offensæ. 2. Macula. 3. Reatus pœnæ.

chataa in Kal significat peccare, fœdare, maculare; in Piel vero, ut ait Merus, *chitte* est contrariæ significationis: purgare scilicet atque omuudare. Gen. 4. 7. dixit Deus Caino: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* Hebr. *cubat*, peccatum, id est, macula peccati, vel certe potius pœnæ, quæ quasi Cerberus in anima cubat, allatrat, et quasi furia serpentibus et flagellis insonat et cruentat. Hinc Chald. ibi vertit: In diem iudicii peccatum tuum servatum est, in qua ulciscetur de te; 3. pro *peccatum* ultimo loco ponitur עָוֹן *avon*, quæ vox tam pravitatem et scelus significat, quam pœnam illi debitam. Ps. 68. 28. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Pagnin. vertit, da punitionem iniquitatis super punitionem iniquitatis eorum. Utrobique est *avon*. His positis:

9. Remittere iniquitatem tegere peccata, non imputare peccata, est idem. Dico primo. Remittera iniquitates, tegere peccata, non imputare peccata esse idem quoad rem, sed ratione differre. Primum ait S. Ambros. commentar. in Epist. ad Rom. cap. 4. tom. 3. et de condonatione, quæ fit per baptismum, exponit. Tu ad alias omnes facile transferes. *Manifeste*, inquit, *beati sunt, quibus sine labore vel opera aliqua remittuntur iniquitates, et peccata teguntur, nullo ab his requisito pœnitentiæ opere, nisi tantum ut credant. Beatus etiam hic vir est, cui non imputabit Dominus peccatum. Remittere, et tegere, et non imputare, una ratio, et unus est sensus. Omnia enim uno modo obtinentur, et dantur. Videtur autem quibusdam tripartita ratio esse in his dictis, quia diversis Propheta usus est verbis, et quia a plurali numero ad singularem descendit. Cum enim ubertatem gratiæ Dei, quia peccati diversa sunt nomina, per delictorum vocabula enumerare vult, totius locutus est: unius tamen significationis sunt verba: quia et cum tegit, remittit: et cum remittit, non imputat. Ad laudem enim gratiæ Dei prolixius loquitur, ut amplificet donum Dei. Tres enim gradus fecit, propter delictorum varietatem. Quorum primus gradus est iniquitas vel impietas, dum non agnoscitur creator: secundus, gravium peccatorum operibus: tertius vero levium. Has tamen omnes in baptismo obliterari. Tribus his gradibus totius peccati corpus significavit.* Ad secundi vero explicationem, nempe quod remittere, tegere, non imputare peccata per rationem differant:

10. Peccatum remittere, est illud condonare, et inimicitiam inde ortam extinguere. Dico secundo. Remittere iniquitates seu peccata, est gratis illa condonare, non operum merito, sed propter bonitatem propriam donare offensam, et indignationem atque inimicitiam ex ea ortam ex animo tollere. Quæres, an id possit fieri per solam condonationem extrinsecam sine infusione gratiæ? Respond. primo, Peccatum originale, prout nunc contrahitur ex Adamo, non potest remitti sine infusione gratiæ, potuisset tamen ita contrahi, ut posset sine infusione gratiæ quoad rationem culpæ auferri. Prima pars patet, quia Deus voluit, ut omnes homines generandi ex Adamo possent et deberent habere gratiam: igitur carentia illius gratiæ semper manet in illis sub ratione privationis et peccati. Secunda pars probatur: quia potuit Deus posteris Adami solum imponere debitum habendi gratiam pro certo annorum numero, vel dare iustitiam Adamo ad posteros transfundendam ea lege, ut si legem transgrederetur, filii eius privarentur usque ad certum tempus, et non ultra. Hoc posito, etiamsi filius Adami contraheret peccatum originale, nihilominus posset sine infusione gratiæ tolli, sola mutatione facta in tempore, quod est homini extrinsecum.

Respondeo secundo, idem esse dicendum de peccato personali, proportione servata. Quamvis enim macula peccati, prout nunc inducitur per actuale peccatum, auferri non possit sine mutatione reali physica, imo nec sine gratia habituali. Nihilominus si Deus alium modum providentiæ erga homines statuere voluisset, potuisset etiam peccatum mortale remittere sine physica mutatione peccatoris. Nam primo id fieri posset in homine condito in puris naturalibus. Secundo, in homine ordinato ad finem supernaturalem sine infusis habitibus. Tertio, in homine habente gratiam habitualem, cum peccat; quia supponitur, Deum decrevisse illam conservare, non obstante actuali peccato pro tempore huius vitæ. In his enim tribus casibus macula relicta ex actuali peccato non includeret physicam privationem gratiæ, et ideo ad tollendam illam non esset habitualis gratia necessaria. Quarto, si post gratiæ privationem per peccatum inductam, debitum habendi vel recuperandi illam non maneret perpetuum, sed pro aliquo tempore aut modo a Deo præscripto. Tunc enim posset cessare illud debitum, et consequenter posset manere carentia habitualis gratiæ in ratione puræ negationis, et non privationis, ac subinde tolli, vel remitti in ratione peccati, seu maculæ moralis, licet maneret in ratione cuiusdam pœnæ, vel irreparabilis nocumenti. Ita Suar. tract. de gratia lib. 7. cap. 23. et probat, quia remota unione hypostatica, nulla mutatio præter habitualem, requiri potest ex parte peccatoris. Omnis enim alia erit magis remota et inutilis, imo vix potest cogitari. Nam in homine v. g. in puris naturalibus non posset actus more naturalis habere efficaciam ullam ad remissionem peccati, sed ad summum acceptaret illum Deus ex mera liberalitate: ergo etiam posset liberalitatem augere concedendo remissionem sine tali actu. Vide plura ibi fusissimo tractata.

11. Peccata quomodo tegantur, varii varie explicant. Dico tertio. Peccata cum remittuntur, dicuntur tegi, licet non remaneant, sed prorsus deleantur et tollantur. Sed dicuntur proprie remitti, metaphorice vero tegi. Hoc varie varii explicant.

I. Primo, S. Hier. dicit tegi a Deo peccata, quia quæ hic deleta sunt per pœnitentiam, in die iudicii non manifestabuntur, sed tegentur et celabuntur. Sed probabilius est etiam peccata Sanctorum omnibus manifestatum iri in generali illo hominum conventu, licet sine ipsorum confusione.

II. Secundo, Valentia dicit, peccata condonata tegi diabolo: quia iam non habet, unde iure possit accusare aut possidere eos, qui sunt iustificati per pœnitentiam.

III. Tertio, S. Aug. Beda, Iansen. Dionys. et alii censent, tegi peccata, esse non puniri a Deo. Ut enim dicit Lombardus, *Videre Dei, est peccata punire.* Unde dicitur Ps. 50. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Verba autem S. Augustini sunt: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere: si noluit advertere, noluit animadvertere: si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Nec si intelligatis quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Ut noveris, quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? Ps. 50. 11. Averte faciem tuam a peccatis meis. Peccata ergo tua non videat, ut te videat? Quomodo te videat? Quomodo Nathanaelem Ioan. 1. 48. Cum esses sub arbore fici, vidi te. Umbra fici non impedivit oculos misericordiæ Dei.* Hactenus Augustinus.

IV. Quarto, S. Thomas subtiliter ait, tegi peccata, cum eorum perpetratio non imputatur ad culpam. Peccata, inquit, sunt macula animæ. Ier. 2. 36. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas? etc.* Quando quis habet in se turpe, et illud tegitur, tunc oculos intuentis turpitudo non offendit. Deus autem tegit turpitudinem peccatorum, sed quomodo? totaliter scilicet, abluendo animam. In peccato enim duplex est deformitas. Una scilicet ex privatione gratiæ, qua privatur peccator: et hæc totaliter tollitur, et non tegitur: quia datur ei gratia. Alia macula est ex actu præterito, et hæc non deletur: quia non datur ei, quod non fecerit, sed quod non imputetur ei ad culpam: et hæc tegitur. Ita S. Thomas.

V. Quinto, S. Gregor. Nazianz. orat. in sanctum baptisma, ait, Tegi peccata, cum iis remissis remanent reliquiæ et habitus pravi in anima. Remitti vero, cum plane et ipsa et habitus eorum ac radices ex anima evellantur et expurgantur. Verba eius sunt: *Beati quorum remissæ*

sunt iniquitates, τουτο της παντελους καθαρσεως, *hoc plenæ et cumulatæ purgationis est. Et quorum tecta sunt peccata* τουτο των απο το βαθος καθηραμενων. *Hoc iis congruit, quorum intimæ animi partes nondum purgatæ sunt. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Tertia hæc peccantium classis est: quorum scilicet tametsi actio minime laudabilis est, mens tamen culpa et crimine vacat.* Sed arbitror hic in illis tribus verbis remittendi, tegendi, non imputandi peccata, esse auxesim, et plus significari per ultima quam per prima.

VI. Et optime Sexto itaque, et verius, peccata dicuntur tegi per infusionem gratiæ, Charitatis, et aliarum virtutum. Hoc autem intelligi potest tam de prima iustificatione, quæ proprie tegit nuditatem per peccatum factam, quam de tempore iustificationem consequente. Hoc autem varie adhuc explicetur.

Primo enim, aliqui apud S. Ambros. in Apologia Davidis cap. 9. dicunt, peccata remitti per baptismum, tegi per pœnitentiam. Sed arbitror et remitti et tegi peccata tam in baptismo quam in pœnitentia.

Secundo, ipse S. Ambrosius ibid. cap. 23. censet peccata remitti ratione gratiæ, tegi ratione charitatis, deleri ratione sanguinis Christi.

12. Tam gratia quam charitas tegunt peccata Tertio, et melius, tam gratia, quam charitas et omnes virtutes tegunt peccata. Primo gratia est stola prima, quam prodigo filio dat pater. Luc. 15. 22. *Dixit autem pater ad servos suos* (Deus ad Angelos vel Sacerdotes ut ait Theophylactus: vel ad prædicatores, ut S. August.) *cito proferte stolam primam.* Stola erat vestis pretiosa demissa usque ad talos; Gratia inest ipsi substantiæ animæ, et totam vestit atque exornat. Refertur in vitis patrum lib. 6. libello 1. n. 16. quod Episcopus quidam in spiritu vidit duas mulieres peccatrices, sed pœnitentes, post confessionem in sancta Communione alba stola vestiri, splendidas habere facies, totumque corpus magno lumine coruscare. Cum ab Angelo sibi apparente causam petiisset, audivit: *illas per confessionem et lacrymas divinum meruisse numerum.* Confessio igitur pœnitentes vestit, et in cœlitum numero ponit. S. Augustinus q. 108. in Exod. ait, *fieri confessionem peccatorum, ut per gratiam aboleantur, hoc est tegantur.* S. Chrysologus serm. 3. de filio prodigo: Deiiete, inquit, non videt vis amoris, et ideo pater peccata filii redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret pater filii crimina, pater filium ne fœdaret: pater sic curat filii vulnera, ne filio cicatricem, nævum filio ne relinquat. Secundo, itaque teguntur peccata nostra per charitatem tum eam, quæ in Deo est velut per causam efficientem: tum per eam, quæ in nobis est veluti per causam formalem. Didymus in Psalmo nostro: *Peccata*, inquit, *sola charitate obumbrantur. Charitas enim operit multitudinem peccatorum.* Et S. Ambros. in Apologia David, 1. p. Cap. ult. *Remissionem meruit peccatorum, et texit charitate.* Hæc est Sponsæ vestis auro effulgens. Psalm. 44. 10. *Astitit regina a dextris tuis* (loco honoratissimo, situque post regem) *in vestitu deaurato* (S. Hieron. in diademate aureo. Symm. εν χρυσω πρωτω, in auro primo) *circumdata varietate.* S. Cypr. lib. 2. cap. 29. S. Ambros. 1. de Virgin. S. Isidor. in 3. Reg. S. Augustin. et alii circumamicta, vel amicta varietate. Vestem deauratam sponsæ explicant de Charitate, Cassiodor. Beda, S. Thomas, Valentia, Haymo. Varietas vero ornamentorum sunt variæ virtutes et earum actus. Tertio denique, peccata nostra tegimus bonis operibus etiam iustificationem primam sequentibus, quæ efficiunt, ut eorum memoria prorsus deleatur, et ita occultentur. Sic S. Ambros. in Apolog. David. et lib. de Noe et arca cap. 31. et lib. 2. de pœnit. cap. 5. Origen. in cap. 4. Epist. ad Rom. et Philo Carpath. in cap. 4. Cant. Hæc est vestis nuptialis, quæ datur amicis sponsi, de qua Matth. 22. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Ubi S. Hieron. Opera, inquit, quæ complentur ex lege et Evangelio, novi hominis efficiunt vestimentum. S. Hilar. de gratia Spiritus sancti exponit. Gregor. de operibus charitatis. De Ecclesia dicitur Cant. 4. 11. *Odor vestimentorum tuorum,*

A *sicut odor thuris.* S. Gregor. Cassiod. et Beda id explicant de bonorum operum ornamentis. Apoc. 19. 8. *Byssinum iustificationes* (opera sancta et iusta) *sunt Sanctorum.* (Byssus erat linum præstantissimum veterum: stola byssina est symbolum purissimæ et innocentissimæ conversationis Sanctorum. Arab. vertit. Byssus est iustitia Sanctorum. Sedulo illæ vestes sunt quærendæ Apocal. 3. 18. Christus iubet S. Ioanni, ut scribat Angelo, id est Episcopo Laodiceæ: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum* (id est sapientiam, ait S. Gregor. Primasius, Rupert. 2. Charitatem, ait Ansbertus, Beda, Richard.) *probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris.* Id est sanctis virtutum operibus exorneris, de quibus ad Coloss. 3. 12. *Induite vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, etc.* Sic eritis beati. Apoc. 16. 15. *Beatus, qui vigilat, et custodit vestimenta sua* (gratiam et virtutes) *ne nudus ambulet, et videant turpitudinem eius*, hoc est, nuditatem, innatam concupiscentiam et peccata. S. Ambros. de Noe et arca

B cap. 31. tom. 1. hoc explicat facto Sethi et Iapheti tegentium nudatum patrem, ambulantium averso vultu retrorsum, ne patris verenda cernerent: *Omnis*, inquit, *mens sapiens retrorsum ambulat: hoc est, præterita spectat, nec naturæ quodam usu impeditur: nihil vacuum, nihil nudum suorum esse patitur gestorum. Operit quæ aliter gesta sunt amictu quodam, et gratia vel præsentis operis, vel futuri, ut nihil indecorum prætereat, nihil inornatum relinquat. Unde et Apostolus Philipp. 3. 13. superiora obliviscebatur, priora appetebat: sed obliviscebatur, ut absconderet persecutoris errores, ut tegeret superiora delicta, bonisque obumbraret. Beati enim et illi quorum tecta sunt peccata: id est si tegantur bonis operibus, et operiantur virtutum sequentibus disciplinis.*

Bonis operibus non tantum tegitur nuditas, sed etiam vulnera curantur et cicatrices prorsus tolluntur. S. Greg. in Ps. 2. pœnit. id est in hunc Ps. *Tegit*, inquit, *medicus vulnus sanandum medicamine, tegit Deus peccatum, ea quæ multitudinem peccatorum operit, charitate. Si quis ergo peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis* 13. Opera bona curant vulnera.

C *ostendat. Sunt tamen quædam peccata, quæ quamdiu in hac vita vivitur, etiam a perfectis viris aut vix, aut nullatenus declinentur. Habent enim sancti viri aliquid quod in hac vita operire debeant: quia omnino est impossibile, ut in locutione aut etiam in cogitatione nunquam delinquant. Student igitur viri Dei, oculorum linguæque culpas tegere meritis vitæ, student pondere bonorum operum premere immoderata verborum. Verum quomodo in electis est possibile, eorum transgressiones contegi, cum ab illo cuius oculis nuda et operta sunt omnia, non possunt abscondi? Sed quia hoc quod tegitur inferius ponitur, et aliud aliquid superducitur, ut quod est subter positum, tegatur: tegere peccata dicimus, quæ quasi subter ponentes abdicamus. Quibus nimirum, quasi tegmen superducimus, dum bonorum operum nos indumento vestimus. Peccata itaque tegimus, si bona facta*

D *malis actibus superponamus.* Sigillatim ad omnes virtutes posses descendere, et vestes esse animæ ostendere. S. Ambros. lib. de Elia et ieiunio cap. 4. Gula, inquit, nudos facit, ieiunia operiunt et exutos. Unde Dominus ait Psal. 68. 11. *Operui in ieiunio animam meam.* Bonum operimentum, quod animam tegit ne a tentatore deprehendatur, ne a tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Beati, quorum etc. Tegit gratia dum remittit, et omnem abolet errorem, tegit abstinentia, dum abluit vitium, et mœsto abscondit affectu, atque attenuat pœnitendo; ita Ambrosius.

Post remissionem et absconsionem peccati ponit David eius non imputationem, v. 2. BEATUS VIR, CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM, Tertullian. in Scorpiaco, cap. 6. Cui non reputaverit Deus delictum; NEC EST IN SPIRITU, S. August. Arnob. et Innocent. legunt, *in ore*, EIUS DOLUS. 14. Vers 2. 1. Pars.

Primo, Eulogius in Bibliotheca Photii pag. 230. Remissas iniquitates intelligit per Baptismum; tecta pecca- Peccata non imputari

quid sit vario explicatur. to, per pœnitentiam: non imputari, idem esse quod tegi. S. Hieron. in hunc psalm. et Theodulphus Aurelian.
I. Episcop. in suo capitulari cap. 36. *Remittuntur,* inquiunt, *peccata per baptismum: teguntur per pœnitentiam: non imputantur per martyrium.*

II. Secundo, Deum non imputare alicui peccatum, est aliquem non habere peccatum: inde enim fit, ut Deus illi imputare non possit. Ita Lorin. hic, et Corn. Rom. 4. 8.

III. Tertio, Origen. dicit remitti peccata, cum ab iis peccator per pœnitentiam se avertit: tegi, cum bonis operibus obruuntur: non imputari, cum omnis peccati radix ex animo avellitur.

IV. Quarto, non imputatio peccati proprie indicat condonationem pœnæ. Ita Suarez Tract. de gratia lib. 7. c. 11. et bene. Cum enim prius David egerit de remissione offensæ, deinde de ablatione maculæ, restabat ut ageret de condonatione pœnæ. Primo autem ac præcipue id sumendum est de ablato reatu pœnæ æternæ. Ita Lyran. Innoc. Ioan. de Turrecremata. Secundo, potest etiam extendi ad pœnas temporales, quæ nonnunquam tota ob contritionis vehementiam aut charitatis ardorem condonantur: sicut Magdalenæ contigisse arbitror. Ita Iansen. et Agell. videntur explicare. Quantum autem sit bonum sic non imputari peccata, declarat S. Zeno serm. ad Neophytos post baptisma, tom. 2. biblioth. patr. *Recte,* inquit, *sanctissimus David ait: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, etc. quia beatus esse non potest, fratres, in prima nativitate persistens: quem æstuantium delictorum fax incensa omnibus momentis exurit: qui pædorem sui secum carceris portat; qui carnificem sentit, antequam videat: qui nomen iudicis pertimescit: qui sic unde susurrus ingruerit, se quæri, se existimat inveniri: cui securitatis profectus est nullus, etiamsi contingat si accusatore carere, teste conscio cum se ipsa carere non possit: quia violentior omni tortore conscientia nunquam suum deserit peccatorem. In hoc reatu, fratres, usque nunc fuistis: sed fortiter examinati estis: sed, ut indulgentiam perciperetis, pro vobis bene vigilastis; optime estis auditi. Novum iudicii genus, in quo reus, si excusaverit crimen, damnatur: absolvitur, si fatetur. O magna potestas, magna pietas iudicis nostri! a quo universi generis peccatores, ut possint beate vivere, puniri festinant. descendit quippe gladius pius in viscera peccatoris, et uno eodemque ictu, incolumi corporis manente materia, interficit hominem veterem, creat novum, et sacri gurgitis elemento sepelit. Et, cum omnium aquarum natura sit talis, ut cum in profundum homines susceperit vivos, evomat mortuos, aqua nostra suscipit mortuos, et evomit vivos, ex animalibus veros homines factos, ex hominibus in Angelos transituros, si provectus ætatis eorum infantiam non mutaverit.* Lege S. Bern. serm. 13. in Cant. Prope Neapolim aqua est, quæ canes pene mortuos vitæ restituit: sed nulla reperitur, quæ prorsus mortuos resuscitat canes, id est peccatores præter aquam pœnitentiæ.

V. Quinto denique, et perfectissime non imputatur a Deo
Et optime. peccatum, cum tam perfecta fit cum eo reconciliatio, ut ad antiquam etiam familiaritatem, et peculiares favores admittat peccatorem, perinde atque si nullum scelus admisisset, ut S. Magdalenæ, S. Iacobo Eremitæ, S. Pelagiæ, Davidi ipsi et aliis accidit. Sic explicat auctor lib. de diligendo Deo, qui tribuitur S. August. Sic enim ait cap. 12. *Sic ex tota indulsit, et tam liberaliter omnem donavit iniuriam, ut iam non damnet ulciscenda, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando.* Huc revocari potest dictum Origen. in cap. 4. ad Roman. quod attuli supra. Verba ipsa accipe: *Ubi vero,* ait, *quis ad perfectum iam venerit, ita ut omnis de eo malitiæ radix penitus amputetur: eousque ut nullum in eo vestigium possit inveniri nequitiæ, ubi iam summa perfectæ beatitudinis promittatur, tum nullum possit Dominus imputare peccatum.* Et S. Bern. initio serm. 1. de Annuntiatione B. Mariæ. Utique, ait, quod factum est, non potest non fuisse: ipso tamen non imputante erit quasi non fuerit. Et Theodoret. in Psal. nostr. Erga ipsos, inquit, tanta liberalitate utitur, ut non modo remittat, sed etiam obtegat peccata, και μηδε ιχνη τουτων καταλιπειν, et ne vestigia quidem horum remaneant; ita ipse. Hæc est perfectissima condonatio. Sæpe enim fit, ut etiam inter homines quis remittat offensam sibi factam, tegat illam silentio, memoriam tamen verset, atque doloris et indignationis aculeos sentiat, nec in eadem domo aut mensa vivere possit, ut contigit Davidi, cum revocavit Absalonem post cædem Amnonis fratris, et exilium in terram Gessur, 2. Reg. 14. 24. dixit David Ioab nepoti suo (erat enim filius Sarviæ sororis David) in cuius gratiam condonabat Absaloni: *Revertatur in domum suam, et faciem meam non videat.* Et hæc pœna totos duos annos duravit, et diuturnior fortasse fuisset, nisi incensis segetibus Absalom coegisset Ioabum, ut ingressum in aulam a Davide impetraret.

Nota ex hoc psalmi loco, quem sæpe obtrudunt hæreti- 15.
Ex hoc loco tres hæreses adversarii eruunt.
ci, tres hæreses confirmare moliuntur. Primo, iustificationem perfectam consistere in sola peccati remissione, sine ulla gratiæ infusione. Secundo, ne remissionem quidem illam veram esse, sed imputatitiam tantum. Neque enim tolli arbitrantur, sed tegi tantum peccata, et non
imputari. Tertio, nullam satisfactionem requiri post cul- 1.
pæ remissionem. Si enim Deus peccatum non imputat, 2.
quid est cur tantis nos laboribus frustra conteramus? Sed 3.
contra eos:

Contra illos dico iustificationem non consistere in sola remissione peccati, sed etiam infundi gratiam.
Dico primo, Iustificatio non consistit in sola remissione peccati, sed in ea recipitur gratia, quæ est qualitas supernaturalis inhærens animæ, cuius effectus formalis positivus est iustum facere hominem, et divinæ consortem naturæ. Probatur, quia, ut ait Suarez tract. de gratia lib. 7. cap. 6. Deus iustificando peccatorem, non tantum declarat, vel facit illum non malum, ut sic dicam, sed etiam bonum: ergo necesse est, ut verbum iustificandi dicat non tantum carentiam mali, sed etiam effectum positivum bonitatis: ergo gratia iustificationis, id est, quæ per iustificationem fit, vel declaratur, non tantum consistit in absolutione a malo: sed necesse est, ut aliquo modo conferat positivum donum. Primum antecedens nempe, quod in iustificatione homo non tantum fiat non malus, sed etiam bonus, ex S. Paulo evidenter convincitur. Nam de iustificatione loquens illa duo frequenter coniungit, vel eisdem verbis, vel æquivalentibus: interdum propriis, interdum metaphoricis; satis tamen apertis 1. Cor. 6. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Certe licet verbum *abluendi,* de remissione peccati exponatur, de verbo *sanctificandi,* negari non potest, quin significet facere sanctum, ac proinde bonum; quomodo enim erit sanctus, nisi sit bonus; Utrumque ergo sub iustificatione concludit cum addit: *Sed iustificati estis.* Et eodem modo ad Ephes. 5. 26. dicit, Christum seipsum pro Ecclesia tradidisse: *ut illam sanctificaret mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed ut sit sancta et immaculata:* ergo dum Christus per lavacrum iustificat Ecclesiam, non solum illam mundat a maculis peccatorum, sed illi etiam sanctitatem et bonitatem impertit: utrumque ergo fit per veram iustificationem. Hæc Suarez.

Tridentina Synodus sæpe damnat eos, qui dicunt iustificationem consistere in sola remissione peccati. Et quidem sessione 6. cap. 7. Iustificatio, inquit, non est sola peccatorum remissio: sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Causas deinde iustificationis assignat: Primo finalem, nempe gloriam Dei et Christi, ac vitam æternam. Secundo, efficientem principalem, misericordem Deum: instrumentalem, sacramentum baptismi. Tertio materialis, est ipse homo, qui iustificatur. Sed satius erit verba ipsa attexere: postquam enim cap. 6. egit de dispositione prævia ad iustificationem: nempe de actibus fidei, spei, charitatis et pœnitentiæ, subdit: *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum: unde homo ex iniusto fit iustus, et ex ini-*

mico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Huius iustificationis causæ sunt: finalis quidem gloria Dei et Christi, ac vita æterna: efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: meritoria autem, dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Iesus Christus: qui cum essemus inimici, propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos, sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio: demum unica formalis causa est, iustitia Dei: non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: qua videlicet ab ea donati, renovamur spiritu mentis nostræ: et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem. Canone autem undecimo eiusdem sessionis intentat anathema secus sentientibus: *Si quis,* inquit, *dixerit homines iustificari vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel solo peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, neque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.*

Hanc doctrinam sæpe inculcat S. Augustinus lib. 6. in Genes. Imaginem Dei, ait, in spiritu mentis impressam amisit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam iustitiæ. Item Epist. 105. ad Sixtum: Nec quisquam, inquit, liberatur et iustificatur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solum remissione peccatorum, sed prius ipsius inspiratione fidei, et timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu et effectu; et lib. de natura et gratia cap. 42. Ipsa charitas est verissima, plenissima perfectissimaque iustitia. Denique lib. de Spiritu et littera, cap. 30. *Per legem,* ait, *cognitio peccati: per fidem, impetratio gratiæ contra peccatum: per gratiam, sanatio animæ a vitio peccati: per animæ sanitatem, libertas arbitrii: per liberum arbitrium, iustitiæ dilectio: per iustitiæ dilectionem, legis operatio.*

16. Quomodo Christus dicatur nostra iustitia et sanctificatio?

Dices primo, Christus dicitur nostra iustitia, sanctificatio et redemptio 1. Cor. 1. 30. et Rom. 5. 19. habetur: *Per obeditionem unius, iusti constituuntur multi.* Ergo Christi obedientia est nostra formalis iustitia, quando nobis imputatur. Respond. negando consequentiam: quia est tantum nostra iustitia causalis, id est causa nostræ iustitiæ, sicut dicitur nostra sapientia, id est causa sapientiæ: nostra patientia, id est causa patientiæ. Nemo enim est sapiens vel patiens per sapientiam vel patientiam alteri inhærentem et ipsi imputatam: ergo neque iustus.

17. Iustitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ, quomodo?

Dices secundo, Isaiæ 64. 6. habetur, Iustitiæ nostræ, sicut pannus menstruatæ: ergo iustitia nobis inhærens non potest nos facere puros coram Deo, illi gratos et eius filios. Præsertim cum dicatur clare, Ps. 142. 2. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Respond. Isaiam non loqui de gratia nobis inhærente, quæ cum a Deo sit, est ipso sole purior et splendidior in oculis Dei et Angelorum: sed loquitur de iustitiis legalibus, ut explicat S. Hieron. quia tunc populus erat corruptissimis moribus. Ad Davidem dico nullum hominem suis viribus posse iustificari, sed ad hoc requiri specialem Dei gratiam.

Dices tertio, fieret iniuria Christo redemptori, si nobis aliam iustitiam tribueremus, quam ipsius Christi redemptoris. Unde ait Paulus Philipp. 3. 9. *Ut inveniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu.* Respond. per iustitiam nobis inhærentem non minui, sed augeri Christi gloriam. Nam, ut ait Suarez, sicut in aliis operibus Dei non pertinet ad perfectionem Dei, quod per seipsum formaliter perficiat, vel det esse creaturis, sed ut efficiendo communicet illis participationem sui esse: ita in ordine gratiæ et redemptionis pertinet maxime ad gloriam Christi, ut ab ipso, et ab eius meritis et iustitia, sit omnis nostra iustitia: non vero spectat ad honorem eius, quod ipse sit nostra

A formalis iustitia: tum quia esse formam non est perfectio simpliciter, tum etiam quia illo modo nostra iustitia non esset vera et realis, sed nomine tantum.

18. Quomodo gratia excludat peccatum?

Quæres primo: An gratia, quæ est forma iustificans, excludat formaliter peccatum sine alia remissione Dei? Resp. primo, Remissionem peccati mortalis esse effectum formalem inhærentis gratiæ seu iustitiæ: ita ut simpliciter dicendum sit, per inhærentem iustitiam, et ad introitum eius excludi peccatum, quia illa duo sunt quasi duæ formæ simul incompossibiles in anima. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 2. Richard. in 4. dist. 14. art. 7. q. 1. Aureolus in 1. dist. 17. q. 1. artic. 2. Capreolus qu. 1. artic. 3. Petrus Soto lect. 11. de pœnit. Ruardus art. 8. Suarez loco citato cap. 2. Respondeo. 2. Vasquez 1. 2. disput. 203. tota. quemdam actum iustitiæ erga Deum, nimirum actum dilectionis Dei super omnia, et perfectam contritionem, quæ illam includit, esse formam ita per se sufficientem ad expellendum peccatum, ut sola sua informatione physica peccatum excludat sine alia cooperatio- B ne, vel remissione libera Dei. Nam Luc. 7. dilectio dicitur causa remissionis peccatorum. De Magdalena enim contrita habes: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* S. August. lib. de morib. Eccles. cap. 12. *Qui separatur a Deo, dilectione redit in Deum.* S. Bernardus lib. de modo bene vivendi serm. 10. *Compunctio cordis sanitas est animæ: compunctio lacrymarum, remissio est peccatorum.* S. Ambr. in Ps. 118. octon. 15. vers. ult. *Charitas culpam et omnia peccata mortificat, charitas mortis ictus interimit. Denique morimur flagitiis atque peccato, dum Domini mandata diligimus.* In contraria sententia est Suares cap. 13. ubi asserit: Nullum esse actum voluntatis operantis ex auxilio gratiæ, qui per seipsum et ex sola inhæsione, seu informatione reali et physica peccatum ab homine expellat, nisi Deus speciali et nova misericordia illud remittat. Probatur ex Zach. 1. 3. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Ubi unum Deus requirit ab homine, et alterum promittit. Ierem. 3. 14. *Convertimini* C *filii revertentes, et ego sanabo vos.* S. Leo Epistol. 92. ad Theodorum: *Misericordiæ Dei,* ait, *nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Propheta, cum conversus ingemuerit, tunc salvus erit.* Quod si instes Suaresio, Si gratia vel actus amoris aut contritionis non expellit formaliter peccatum, quænam est forma immediata illud expellens? respondet t. 4. tertiæ partis disputat. 4. sect. 8. ubi fuse illam tractat quæstionem, huius effectus privativi nullam aliam formalem causam immediatam esse quærendam, præter carentiam ipsam peccati. Nam extrinseca conditio potius se habet, ut causa moralis efficiens. Explicat hoc totum exemplo physico. Quando enim per introductionem caloris formaliter expellitur frigus ab eodem subiecto, expulsio frigoris aliquid distinctum est ab introductione caloris, ac de potentia absoluta separabile: tamen quia illa expulsio ex natura rei coniuncta est, et debita tali formæ, ideo physice totum illud censetur per modum unius totalis effectus illius formæ: quamvis præ- D cise singula comparando, id quod est positivum, scilicet formalis calefactio, sit primarius effectus formalis, privatio autem frigoris sit tantum effectus secundarius: neque illius privationis aliam immediatam causam formalem, præter ipsam carentiam talis formæ, assignare oportet, sed ipsa potius concipitur tamquam forma quædam. Necesse est autem intelligere, quod dum subiectum calefit, Deus suspendit influxum, quo frigus in illo subiecto conservabat, quæ est quædam causalitas privata, non in genere causæ formalis, sed efficientis. Iuxta hanc ergo proportionem philosophemur de infusione gratiæ, et expulsione peccati, et huic ultimæ causalitati, quam habet Deus in corruptione formæ contrariæ, respondet in proposito extrinseca condonatio et remissio culpæ: non quia culpa conservaretur a Deo, cum enim mala sit moraliter, sicut non fit, ita neque proprie conservatur a Deo: neque indiget tali conservatione, cum tantum sit mortale quid: sed quia, cum consistat in iniuria et offensione Dei, et

pro illa non possit plene satisfieri, non potest, nisi illo coudonante, moraliter destrui. Neque est inconveniens, imo valde rationi consentaneum, quod creatura, postquam Deum graviter offendit, nihil possit facere, quo expellat a se peccatum, absque remissione Dei: vel, quo necessitatem absolutam Deo inferat ad huiusmodi remissionem. Tanta est enim divina maiestas, ut omnem excellentiam pure creatam, quantumvis supernaturalem, et ad ordinem gratiæ spectantem, antecellat. Quam placuerit sententiam elige, eique subscribe.

19. *Quomodo actui contritionis debeatur remissio peccati?* Quæres secundo: Utrum actus perfectus infusæ dilectionis Dei, vel contritionis sit forma, cui propter valorem aut perfectionem suam remissio peccatorum connaturaliter debeatur, tamquam propriæ formæ immediate expellenti peccatum? Respond. negative Suar. tract. de gratia lib. 7. cap. 14. quia vel hæc remissio esset debita illi formæ solum quatenus est qualitas recte afficiens voluntatem hominis in ordine ad Deum, vel quatenus actus satisfactorius est. Non primum, quia hæc remissio peccati non debetur illo modo nisi formæ perfecte iustificanti, et quasi deificanti hominem, hoc autem non præstat solus actus. Non secundum, quia satisfactio secundum æqualitatem seu condignitatem nunquam invenitur in actu contritionis, vel amoris: vel si aliqualiter in talem actum convenire potest, necesse est, ut supponatur peccatum remissum per gratiam.

20. *Licet peccata dicantur tegi, tamen non remanent.* Dico secundo: Cum David dicit peccata tegi, non censet ea remanere, ut supra ostensum est. Nam ex rei natura, supposita hominis ordinatione ad finem supernaturalem, et sanctificationem eius per participationem divinæ naturæ, peccati mortalis macula per se ac necessario includit privationem physicam gratiæ cum morali habitudine ad peccatum actuale. Ita S. Thom. 1. 2. q. 86. art. 2. ad 3. et e converso gratia, quæ est splendor quidam divinus, non stat cum peccato mortali. Itaque illa intrante in animam, inde monstra diffugiunt. Probatur ex variis modis, quibus Scriptura illam peccati remissionem exprimit. Dicit enim peccata auferri, tolli, longissime proiici, dissolvi, exhauriri, deleri, mundari, lavari, ablui, purgari, fuisse et non esse.

Prob. I. Ex Scriptura. Primo, Isaias cap. 27. 9. de Iudæorum reliquiis ad Christum per Apostolos conversis, ait: *Dimittetur iniquitas domui Iacob, et iste omnis fructus, ut auferatur peccatum eius.*

II. Secundo, Ioannes dicit peccata esse tollenda per Christum. Sic enim cap. 1. v. 29. ait S. Ioannes Baptista videns eum venientem ad se: *Ecce agnus* (Græc. ὁ ἀμνὸς, ille agnus, q. d. singularis, a Mose et Isaia prædictus) *Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ubi S. Augustinus: Qui non assumpsit, inquit, de massa nostrum peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum; ita ipse; tollit, id est, aufert, tam quoad maculam, quam quoad reatum pœnæ.

III. Tertio, peccata longissime proiiciuntur. Ps. 102. 12. *Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit* (alia psalteria, elongavit) *a nobis iniquitates nostras.*

IV. Quarto, peccata nostra per gratiam Christi dissolvuntur. 1. Ioan. 3. 8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est* (ex diaboli regno, familia, et prosapia) *Quoniam ab initio* (creationis suæ et mundi) *diabolus peccat. In hoc* (id est, ad hoc) *apparuit Filius Dei, ut dissolvat.* Hinc quidam deducunt non venturum fuisse Christum, nisi Adamus peccavisset. S. August. serm. 9. de verbis Apostoli, clare ait: Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, et nulla erit causa medicinæ.

V. Quinto, peccata nostra dicuntur exhauriri. Heb. 9. 28. *Christus semel oblatus est* (in cruce) *ad multorum* (id est, omnium, qui multi sunt) *exhauriendo peccata*, calice passionis exhausto. Syr. vertit, in se ipso immolavit, seu sacrificavit peccatum multorum.

VI. Sexto, peccata nostra delentur. Actor. 3. 19. S. Petrus post gressum restitutum claudo, ait præsentibus in templo Ierosolymitano: *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur* (Syr. *expungantur*: scilicet velut litteræ a tabulis ceratis) *peccata vestra.* Deus ipse ait populo fideli: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te*, a captivitate diaboli. Alludit ad liberationem a captivitate Ægypti.

Septimo, peccata nostra mundantur, aut potius nos a peccatis. Ezech. 36. 25. *Effundam super vos aquam mundam* (gratiam per Sacramenta) *et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* S. Cyprian. lib. 2. Epist. 2. ad Donatum, vocat baptismum, mortem criminum, vitam virtutum. 1. Ioan. 1. 7. dicitur: *Si in luce* (rationis, fidei, Evangelii, virtutis et gratiæ) *ambulamus* (eundo de virtute in virtutem) *sicut et ipse est in luce* (Deus est lux substantialis et increata) *societatem habemus ad invicem* (Vatabl. mutuam) *et sanguis Iesu Christi* (id est sanguinis effusio, hoc est passio et mors Christi. Est metonymia) *emundat* (moraliter et meritorie, non physice) *nos ab omni peccato.* Si scilicet illum nobis applicemus. Non enim medicina, licet optima, sanat eum, qui illam non accipit. VII.

Octavo, peccata nostra dicuntur lotione tolli. Ps. 50. 9. *Asperges me*, S. August. S. Hieron. S. Thomas, et alii addunt, *Domine* (ablutio peccatoris est opus supremi Domini) *hyssopo, et mundabor: lavabis me* (velut leprosum) *et super nivem dealbabor.* Vide illum locum. VIII.

Nono, peccata nostra dicuntur ablui. 1. Corint. 6. 11. *Et hæc quidem fuistis* (fornicarii, adulteri, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces) *sed abluti estis*, (in baptismo) *sed sanctificati estis, sed iustificati estis in Spiritu Dei nostri*, id est, per Spiritum sanctum, ut ait S. Chrysostom. Theoph. Œcum. lege S. Cypriani Epist. 2. ad Donatum, ubi refert, quid in se operatus sit baptismus. IX.

Decimo, peccata nostra purgantur. Hebræor. 1. 3. *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis* (id est Dei Patris. Est abstractum pro concreto) *in excelsis.* Prov. 15. 27. *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* X.

Undecimo denique, peccata dicuntur fuisse, et amplius non futura. Psal. 9. 35. *Quæretur peccatum illius, et non invenietur.* Cant. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* Rom. 8. 1. *Nihil damnationis est*, id est nihil damnatione dignum, nihil damnabile, nulla damnabilis culpa (ita Concilium Trid. sess. 3. can. 5.) etiamsi motus concupiscentiæ sentiant, *iis, qui sunt in Christo Iesu*, id est, qui sunt iustificati, Christoque in baptismo insiti per fidem, spem, et charitatem. Cum iustitia ergo non consistit reatus culpæ damnabilis, sed bene reatus pœnæ, puta obligatio ad pœnam temporalem. Hinc patet primo, nec concupiscentiam, nec aliud quidpiam in renatis esse peccatum damnatione dignum. Secundo, gratiam iustificantem et baptismum non tantum tegere aut radere peccata, sed eradere omnino et tollere. Tertio, vere nos iustificari, non tecte, non imputative: Ita Cornel. De Ecclesia, id est fidelibus Spiritu sancto et gratia renovatis ait S. Paulus Ephes. 5. 27. *Ut exhiberet* (Gr. παραστήσῃ, id est, statueret) *ipse sibi gloriosam* (ἔνδοξον, gloria illustrem) *Ecclesiam, non habentem maculam* (peccati) *aut rugam* (vetustatis. Semper se renovat velut aquila vir iustus) *aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Non habitabit in conspectu eius malignus. Nam ut habetur Sap. 14. 9. *Odio est Deo impius et impietas eius.* XI.

Scripturæ consonant Patres. S. Augustin. lib. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 13. Dicimus, ait, sanctum baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum: et auferre crimina, non radere. Et in Ps. nostr. Deus, inquit, vulnera tegat, non tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat et curet, emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Theodoret. ait, ne vestigia quidem peccati remanere, ut supra dixi. S. Chrysost. illud Isaiæ 1. 18. *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, explanans, ait: Animam adeo peccatorum eluvie squallentem, ut excepisse videatur tincturam nequitiæ, non solum ab omni liberat 21. *Prob. deinde ex Patribus. S. Aug. Theodoreto. S. Chrys.*

*

molestia: ἀλλὰ καὶ λαμπρὰν ἐργάζοιτο, sed splendidam reddit, atque eum primis illustrem.

22. *Non potest infundi actualis iustitia sine remissione peccati mortalis.*

Quæres primo: Utrum actualis iustitia possit infundi peccatori, de potentia absoluta sine remissione peccati mortalis? Respond. implicare contradictionem, hominem actu peccantem mortaliter, actu diligere Deum super omnia, vel perfectam contritionem habere de peccato: ita Scotus in 3. dist. 49. q. 6. Richard. in 3. dist. 31. a. 1. q. 1. ad 1. Ocham in q. 2. 19. Ratio est, quia duo actus vitales contrarii, et includentes contradictionem in obiectis suis, non possunt esse simul, etiam de potentia absoluta, quia invicem unus destruit obiectum alterius. Hoc autem modo comparantur inter se vera dilectio Dei super omnia, seu vera contritio, et actuale peccatum mortale. Nam vera contritio includit displicentiam de se efficacem omnis peccati mortalis, seu nolitionem illius, seu absolutam voluntatem et propositum non peccandi mortaliter, et totum hoc includit etiam vera dilectio Dei super omnia. Cum hoc autem proposito manifestam repugnantiam involvit actuale peccatum mortale; quia non committitur sine actuali voluntate illi proposito contraria.

23. *An de potentia Dei absoluta possit esse habitus gratiæ et char. cum peccato mort.*

Prima opinio negat.

Quæres secundo: An de potentia Dei absoluta possit conservari habitus gratiæ et charitatis cum peccato mortali? Negat Gabriel Vasquez 12. disputat. 204. Ioan. Vincentius in relection. de gratia Christi, Capreolus et Aureolus in 1. dist. 17. Richard. in 4. dist. 17. art. 1. Ratio est, primo, quia peccatum habituale per peccatum mortale formaliter expellitur. Secundo, repugnat hominem averti ab aliquo obiecto, vel fine, et conservari conversum. Nam hæc duo contradictionem involvunt: sed homo per habitum charitatis est conversus ad Deum velut ultimum finem, et per peccatum mortale avertitur a Deo, velut ab ultimo fine; ergo fieri non potest, ut cum hac aversione actuali conservetur illa conversio; ergo neque habitus ipse charitatis conservari potest: quia non potest ibi manere, et non conferre suum effectum formalem, ergo multo minus poterit manere gratia, quæ excellentior est, magisque hominem deificat. Tertio, dicitur 1. Ioa. 3. 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen* (gratia) *ipsius in eo manet: et non potest peccare* (In sensu composito: scilicet quamdiu in gratia est; 2. in sensu formali, quatenus ex gratia operatur) *quoniam ex Deo natus est.*

Secunda affirmat.

Affirmativam tamen partem, nempe de potentia absoluta posse stare habitum gratiæ et charitatis cum peccato mortali, docet Scotus in 4. dist. 16. quæst. 2. Ocham in 4. quæst. 3. lit. E. Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 1. Cumel 12. quæst. 110. artic. 4. Lorca 1. 2. disp. 40. de gratia, Suar. de gratia lib. 7. cap 49. et alii. Probatur primo, quia inter habitus gratiæ et charitatis, et inter peccatum mortale, neque est repugnantia physica, id est, quæ inter physicas formas positivas, aut inter formam positivam et eius carentiam etiam physicam invenitur: neque est repugnantia moralis, id est, quæ repugnet prudentiæ, vel honestati, ita ut non possit prudenter vel honeste fieri. Nam magis repugnare videtur, Deum mori pro peccatoribus, quam conservare habitus gratiæ et charitatis in peccatore. Quod non sit repugnantia physica, probatur: primo, quia peccatum actuale non consistit in physica privatione habitualis gratiæ, sed in actu inordinato, vel in omissione eius. Unde illa duo non involvunt immediatam contradictionem. Secundo, quia existente peccato actuali, ut habitus gratiæ expellatur, necessarium est, ut Deus suspendat influxum, quo illum conservat; at peccatum non infert Deo necessitatem physicam suspendendi talem influxum. Tertio, formalis effectus physicus gratiæ est constituere hominem peculiari modo dilectum a Deo, et participem divinæ naturæ: effectus autem actualis peccati est constituere hominem dilectorem creaturæ, et actualiter aversum a Deo: sed hæc duo, loquendo physice, non ita formaliter repugnant, ut sequatur aliqua contradictio ex eo, quod simul sint. Nam amare alium, et non amari ab illo, formaliter non opponuntur.

A Dico tertio: Etiam post remissionem culpæ in peccatore nonnunquam remanere reatum pœnæ, ideoque peccatorem debere per varia virtutum opera Deo satisfacere, licet mundatus sit a culpa. Probatur primo, quia Deus punit peccatores etiam post culpam ablatam et offensam remissam. Ergo remanet reatus pœnæ, alioqui Deus esset iniustus pœnam infligendo. Primum Antecedens patet, quia Evæ etiam dimisso peccato futurum prædicit Deus Gen. 3. 16. *Multiplicabo* (Hebr. est, multiplicando multiplicabo, id est plurimum et certissime multiplicabo) *ærumnas tuas et conceptus tuos* (id est ærumnas conceptuum: unde explicans subdit) *in* (cum) *dolore paries* (Aristot. lib. 7. hist. anim. dicit esse maiorem dolorem in muliere, quam in ullo animali) *et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Adamo autem in pœnam datur terræ maledictio producentis spinas et tribulos, atque labor in ea excolenda, et mors. Maria soror Mosis licet pœnitens, lepra inficitur per septem dies, at extra castra manere cogitur, Num. 12. 10. Moses ipse et Aaron moriuntur ante ingressum terræ promissæ, quia prævaricati B erant contra Deum, in medio filiorum Israel, ad Aquas contradictionis in Cades deserti Sin, et non sanctificaverunt Deum inter filios Israel, ut habetur Deuter. 32. 49. et seq. licet peccatum eorum esset tantum veniale. Dubitaverant enim, non quod Deus non posset e petra aquam elicere, cum tot miracula vidissent et patrassent; sed an eliciturus esset pro populo toties rebellante et murmurante, tantisque prodigiis tam indigno. David denique post dimissum sibi peccatum gravissima est passus. Nathan enim Propheta illi pœnitenti ait, 2. Reg. 12. 13. *Dominus transtulit peccatum tuum*, non *morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc* (id est, hanc rem. Est hebraismus) *filius, qui natus est tibi* (ex Bethsabæa) *morte morietur*, hoc est certissime morietur. Alias etiam pœnas subiit prædictas, v. 10. de quibus actum est sæpe. 24.

Post remissionem culpæ remanet aliquando reatus pœnæ.

Prob. I. Quia tunc adhuc Deus punit.

Secundo, Ecclesia pœnas imposuit pœnitentibus maxime contritis. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. sic præcipit: *Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et* C *prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones* iniungere: *ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Nam claves sacerdotum* non *ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent.* Olim gravissimæ pœnitentiæ iniungebantur. Petrus Alexand. de pœnitentia can. 1. docet, etiam eos, qui post multa tormenta sacrificaverant, per tres annos agere solitos pœnitentiam. Concilium Anciran. can. 4. idem tradit de iis, qui per vim sacrificaverant, et præterea ad idola pransi erant. Concilium vero Nicæn. primum can. 11. præcipit: ut qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine periculo ullo transgressi essent sub Licinii tyranni- D de, tres annos inter auditores exigerent, et septem annis prosternerentur supplices. S. Gregor. Nyssenus tom. 1. pag. 951. in Epist. Canonica ad Letoium can. 4. *Qui*, ait, *fornicatione polluti sunt, in tribus quidem annis ab oratione expellantur omnino. In tribus autem sint solius auditionis participes. In tribus autem aliis cum iis, qui in confessione substernuntur, precentur, et tunc sint Sacramentorum participes.* Dat tamen potestatem tempus illud contrahendi pro ratione fervoris, ei, qui pœnitentes admittit. S. Basilius Epist. ad Amphilochium tom. 2. pag. 775. can. 59. ait, fornicatorem octavo tantum anno communicare debere. Sed longe graviorem pœnam iniungit adulteris in eadem Epistola, can. 58. *Qui adulterarit*, inquit, ἐν ιε' ἔτεσιν ἀκοινώνητος ἔσται τῶν ἁγιασμάτων, *in quindecim annis non communicabit Sacramentis. Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus con-*

25. II. *Quia Ecclesia pœnas iniungit pœnitentibus.*

sistens sine communione. Adverte autem hæc iniuncta esse peccatis publicis, non privatis, alioqui per illam pœnitentiam ad notitiam publicam adduceretur peccatum in auriculari confessione declaratum, quod fieri sine summo sacrilegio non potest, et maxima periculo peccatorum, qui a confessione sic averterentur. Sed ex his collige, quam debeas secretam pœnam iniungere: neque murmura, si pœnitens es, de longe leviori tibi imposita.

26. Tertio, sancti viri etiam post dimissa peccata pœnas
III. sibi inflixerant, ut Deo satisfacerent. De Davide nostro
Quia sancti post dimissa sibi peccata se afflixerunt pœnis. dicit S. Cyrill. Ierosol. catech. 2. *Beatus David, quamvis audiverit Dominum transtulisse peccatum ipsius, non abstinuit tamen a pœnitentia: verum loco purpuræ sacco utebatur; et loco aurei throni in terra et cinere Rex sedebat: neque tantum in cinere sedebat, verum etiam cinere vescebatur;* hoc dicit Ps. 101. 10. S. Paulus licet ad cælum tertium raptus fuisset de se ipso tamen dicit 1. Cor. 9. 27. *Castigo* (υπωπιαζω, id est lividum facio, contundo) *corpus meum, et in servitutem redigo* (per ieiunia, et alias macerationes) *ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus* (reprobatus a Deo) *efficiar.* Afflictio corporis iuvat et ad impedienda peccata, et satisfacit pro admissis. S. Ioannes Climacus gradu 5. pœnitentium austeritatem in quodam monasterio fuse describit, pauca profero: *Cum, ait, ad locum illum pœnitentium, imo vero ad regionem lugentium, carcerem, inquam, venissem: Vidi, si fas est dicere, quæ uti solet, hominis ignavi non vidit oculus, et inertis aures non audierunt, quæque in cor pigri non ascenderunt: facta, inquam, ac verba,* τον Θεον δυναμενα βιασασθαι, *quæ Deo quodammodo possint vim inferre, studia et habitus, quæ clementiam ipsius statim inflectant.* Quæ porro illæ fuerint, fuse recenset: *Vidi quosdam ex innocentibus illis reis totas noctes sub dio immotis pedibus stantes,* etc. Alios cælum intuentes, et illinc opem cum lamentabili voce gemitoque implorantes. Alios item, qui in precibus perseverabant, manos post terga sceleratorum ritu revincti, vultus alte mœrore confusos humi defigebant, etc. Sedebant alii in pavimento super cinerem et saccum, genibusque vultum tegebant, frontibus humum ferientes, alii assidue pectus tundebant, etc. De S. Dominico Loricato, Susone, et aliis dixi alias.

27. Quarto, sancti Patres Græci et Latini ad illam satisfa-
IV. ctionem pro peccatis faciendam nos adhortantur. Ex Græ-
Prob. ex Græcis Patrib. cis duos profero. S. Basilius hom. 3. sic ait: *Magnum et grave peccatum est? multa opus habet confessione,* δακρυων πικρων, συντονιας της αγρυπνιας, αδιαλειπτου της νηστειας, *lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiculso et continenti ieiunio. Levis est, nec intolleranda offensio? huic quoque exæquetur pœna.* Theodoretus in epitome divinorum, cap. de pœnitentia: *Sunt ergo,* ait, *medicabilia, quæ post baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem non ut olim* (per baptismum) *per solam fidem data remissione: sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et ieiunium, et orationem, et laborem facti peccati quantitati commoderatum. Qui enim non sic affecti sunt, eos nec admittere quidem didicimus, nec divina sunt eis manu impertienda.* Ratio autem cur baptismus tollat culpam et pœnam, pœnitentia vero ordinarie tollat quidem culpam, sed commutet pœnam æternam in temporalem, est Primo, quia baptismus est regeneratio; debet itaque novum omnino hominem facere, et nihil in eo relinquere de priore vita. Pœnitentia vero fit per modum medicinæ extra Sacramentum, et iudicii in Sacramento: medicina autem etsi mortem impediat, non tamen omnes morbi dolores et infirmitates tollit: iudicium vero sæpe pœnam mortis, aliasque graviores in leviores commutat. Secundo, cum peccata ante baptismum facta fuerint cum maiori ignorantia, conveniens fuit ut facilius remitterentur: peccata vero post baptismum facta sunt maiori cum luce, itaque plus habent malitiæ, et consequenter veniam difficiliorem habere debent.

Et ex Latinis. Ex Latinis vero Patribus duos quoque afferamus. Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 9. *Satisfactio,* inquit, *confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* S. Ambros. lib. 2. de Elia et ieiunio c. 20. *Pecuniam habes,* inquit, *redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venumdatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. Et veneno frequenter antidotum temperatur: hoc est, venenum veneno excluditur. Veneno mors repellitur, vita servatur. Fac et tu quasi bonus dispensator de instrumento avaritiæ subsidium misericordiæ, sinceritatis gratiam de corruptionis illecebra.*

ARTICULUS II.

Fraus omnis et hypocrisis fugiendæ sunt.

POSTQUAM dixit Propheta, quid requiratur ex parte Dei, 28.
ut simus beati: nempe ut remittat, tegat, et non im- Vers. 2.
putet peccata, nunc aperit quid sit necessarium ad eam- 2. Pars.
dem beatitudinem ex parte hominis, nempe ut sit sine dolo, vers. eod. 2. NEC EST IN SPIRITU EIUS DOLUS.

Nota, pro *spiritu* Hebraice est רוח *ruach*, id est Primo, ventus elementaris, id est aer. Secundo, natura vel res spiritualis, quæ nec carnem habet, nec ossa, nec sub sensus externos cadit: idque vel active, quæ spirat, agitat, et movet: vel passive, quæ spiratur, agitatur, movetur. De Deo, Angelis, et anima hominis dicitur. Tertio, *ruach*, est animi impetus, motus, affectus, concilatio, voluntas, appetitio, inclinatio, propensio. Quarto, *ruach*, est vita animalis et flatus, latine anima: cum nomine *chaia*, est anhelitus seu flatus vitalis: cum nomine *aph*, est anhelitus narium: sumitur etiam pro anhelitu seu flatu oris et labiorum, maxime ubi labiorum nomen iungitur; ita Mercerus; deducitur a verbo *rava*, id est dilatare, respirare: refrigerium, relaxationem, respirationem accipere. Hinc existit varietas versionum. Nam

Prima Sept. vertunt, ουδε εστιν εν τω στοματι αυτου δολος, *nec* Varietas
est in ore eius dolus, ut etiam habent S. August. Cassiod. versio-
Arnob. Innoc. Psalt. Romanum, Ambros. et Arab. Se- num.
cundo, Psalterium Æthiopicum, et Syr. *Nec est in corde* (id est in mente) *eius dolus.* Tertio, Noster, Vatabl. S. To Spiri-
Hieron. Felix, Pagn. Muis. Caietan. et alii, vertunt, *in* tus va-
spiritu, quæ vox est ambigua. Prima, enim sumitur pro rie sumi-
spirituali substantia, id est pro anima hominis. Secundo, tur.
pro anhelitu et flatu oris. Sic Isaiæ 11. 4. de Christo habes: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium,* id est, Antichristum, qui κατ' ἐξοχην erit impius, et caput impiorum: virga oris est acris obiurgatio et increpatio. Paulus citans eum locum, reddit, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,* id est suo iussu, verbo, sententia visibiliter in aere apparens, et illum a dæmonibus per aerem elevatum, ut in cælum ascendere videretur, deiiciens. Eadem significatione habes 1. Corinth. 14. v. 14. *Si orem lingua, spiritus meus* (id est vox mea, sermo meus, ut explicat S. Basilius et Primasius) *orat: mens autem mea sine fructu est* (si non intelligam, quod dico) *Quid ergo?* (faciam) *orabo spiritu, orabo et mente.*

Nota secundo, dolus triplex est: Primo, in mente. Ps. 29.
37. 13. *Dolos tota die meditabantur.* S. Basilius in regul. Dolus
brevior. respons. ad interrog. 77. *Malignitas,* ait, *ut ego* triplex est:
arbitror, ipsa est primum et latens in moribus vitium. Do- 1. Men-
lus vero, ea, quæ ad insidiandum adhibetur, exquisita so- tis.
lertia: quotiescumque videlicet is, qui per simulationem alicuius boni, et alicui perinde sicut esca quædam obiecti, quæ ad insidias pertinent, exequitur. Secundo, dolus est in ore, 2. Oris.
Ps. 14. 3. *Qui non egit dolum* (S. Hieron. non est facilis, Chald. non facile detrahit) *in lingua sua.* 1. Machab. cap. 1. 30. *Post duos annos dierum* (id est post duos annos integros, et suis omnibus diebus plane completos) *misit Rex* (Antiochus Epiphanes, qui vocatur radix peccatrix) *principem tributorum in civitates Iuda, et venit Ierusalem cum turba multa. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo: et crediderunt ei. Et irruit super civitatem repente, et percussit eam plaga magna, et perdidit populum* 3. Ope-
multum ex Israel. Tertio, dolus est in opere. Ps. 51. 12. ris.

de impio dicitur: *Non defecit de plateis eius usura et dolus*. S. Hieron. vertit: Et non recedit de platea eius damnum et fraudulentia.

30. Non esse in spiritu dolum quid sit.

I. Sensus itaque est, Primo, *nec est in spiritu* (id est in ore) *eius dolus*, q. d. sincere se accusat, cum sit peccator; ita S. Hieron. S. Aug. Euseb. Ruffin. Beda, Dionys. Lombardus: *In quo*, ait, *non est dolus: quia se accusant, cum sit peccator, corde tenet, quod ore fatetur. Dolus est, ut cum sit peccator, iustum quis se prædicet. Qui vero se accusat, dolo caret.* S. Aug. id fuse explicat, et ingeniose de Nathanaele, Pharisæo, et Publicano.

II. Secundo, *nec est in spiritu* (id est in ore) *eius dolus*, q. d. qui verbis non conatur decipere proximum suum, sicut David conatus est decipere Uriam, 2. Regum 11. 6. excipiendo illum convivio, et remittendo illum ad uxorem, ut occultaret adulterium, ac postea Ioabo duci exercitus obsidenti Rabba regiam urbem Ammonitarum scribendo v. 14. *Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: derelinquite eum, ut percussus intereat*, sicut accidit. Sed dolum illum detestans David nunc dicit, eum esse beatum, qui dolo caret.

III. Tertio, *nec est in spiritu* (id est in mente) *eius dolus*, q.d. qui nullam habet cogitationem pravam. Est synecdoche; ita Genebr. et Titelm. qui, ait, non solum exterius nullum habet apparens crimen, sed neque latentis pravitatis quidquam habet in corde absconditum. Ioseph Kimhi, *qui ne quidem de peccando cogitavit*. Ubi nota, recte dolum poni pro omni peccato. Primo, quia est eius fons, radix, inventor et machinator. Secundo, quia illud occultando promovet, fovet, conservat, roborat, adauget, votorum compos efficit. Tertio, quia diabolus eo maxime delectatur, cum sit mendax ab initio, serpens antiquus et tortuosus, Behemoth nervis testiculorum perplexis, ut dicitur Iobi 40. 12. Vide quanta mala dolus fecerit. Primo, per serpentem decepit Evam, Gen. 3. 4. Secundo, per Evam decepit Adamum, et nos omnes occidit et anima et corpore morti spirituali et corporali addictos, Gen. 3. 6. Tertio, per Cainum occidit Abelem, Gen. 4. 8. Quarto, per Ioabum occidit Abnerem, 2. Reg. 3. 27. et Amasam principes, ibidem 20. 10. Quinto, per Ismaelem occidit Godoliam. Sexto, Tryphon dolosus intercepit Ionatham fratrem Iudæ Machabæi, 1. Mach. 12. 48. et duos eius filios, c. 13. eosque occidit. Septimo, idem Tryphon Antiochum Alexandri regis filium dolo occidit iter faciens cum eo: erat enim eius tutor, eumque ad regnum evexerat, ibid. v. 31. Octavo Ptolemæus filius Abobi constitutus dux in campo Iericho a Simone socero suo, et fratre Iudæ Machabæi, ac Duce Iudææ et Pontifice, eum occidit cum duobus filiis in convivio, 1. Mach. 16. v. 16. ut scilicet Ducatum Iudææ obtineret, sed frustra: Ioannes enim Machabæus Simoni patri suo successit in Ducatu et Pontificatu. Nono, Iudas filium hominis et Dei, osculo tradidit ad mortem, mortem autem crucis, Luc. 22. 48. Nihil est enim tam sanctum et divinum, quod dolus non aggrediatur et perdat. Vide dicta Ps. 5. 7. et 11. sed præcipue Ps. 139. 1. ubi ostendo fraudulentum hominem esse monstrum, cui sunt sex facies, 1. vulpis; 2. lupi; 3. pantheræ; 4. manticoræ; 5. crocodili; 6. dæmonis. Varios alios hypocritæ, negotiatoris, periuri, avari, luxuriosi, detractoris, etc. vide apud Pepinum lect. 42. in 7. Psalm. pœnitent.

31. Dolus sumitur pro omni peccato ob tres rationes. Dolosorum varia peccata.

Dolosus est monstrum, habens sex facies.

32. Qui caret dolo, omni virtute est præditus.

Contra vero, Christus omnem virtutem indicat esse in eo, qui dolo caret. Unde ait de Nathanaele, Ioan. 1. 47. *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est*, q. d. ille imitatur candorem, simplicitatem et sanctitatem Israelis, id est Iacob Patriarchæ, ex quo prognatus est; ita Corn. Et quidem Syr. vertit, Ecce vero filius Israel. De Israel autem seu Iacob dicitur Gen. 25. 27. *Iacob vir simplex* (Sept. ἄπλαστος, non fictus, id est sine fuco et dolo. Sym. ἄμωμος sine macula, sine reprehensione, sine crimine. Aquila ἁπλοῦς, q. d. non duplex. Hebr. תם *tom*, id est perfectus, integer, innocens, consummatus omnibus virtutibus, cui nihil deest) *habitabat in tabernaculis*, id est, in tentorio paterno, domi se continebat. Mystice Chald. explicat, Iacob erat vir integer, et minister (id est auditor) *domus doctrinæ*, id est scholarum. Iam erat 77. annorum. De Iobo virtutum omnium exemplari habes Iob. 1. v. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, et erat vir ille simplex* (Sept. verus) *et rectus* (rectitudo sequitur ex simplicitate; quæ duplicia sunt et retorta, sunt flexuosa) *ac timens Deum* (et nihil aliud: ibi est vera simplicitas) *et recedens a malo*. Tullius lib. de senectute: Cum, ait, simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum dispar sui, atque dissimile, non poterat dividi. Christus dixit Luc. 10. 42. *Unum est necessarium*. Simplicitas illa non opponitur prudentiæ, sed dolo et falsitati. Estque, ut ait S. Chrysostomus, veritas, puritas, sinceritas, et innocentia animi, falsitatis, simulationis, et peccati expers, et illi impermista. Hebr. *tam*, quod noster ibi vertit *simplex*, reddidit cap. 9. 9. Innocens. Gen. 6. 9. *tamim*, perfectus. Levit. 23. 15. plenus. Isaiæ 1. 6. *metom*, sanitas. Ezech. 15. 5. *tamim*, integer. Cant. 5. 2. *tamma*, immaculata. Hæc ab eadem radice procedunt: nempe a *tamam*, perficere, consummare, omnibus numeris et modis complere et absolvere, ita perficere, ut nihil desit. Hæc omnia præstat sinceritas et simplicitas Deo uni innixa, et habens cornu unicornis, quo omnia pervadit.

IV. Quarto, *nec est in spiritu* (id est in mente) *eius dolus*, q. d. cuius non est dolosa pœnitentia: sicut illorum, qui peccant animo peccandi, aut qui pœnitent animo peccandi. Ita R. David Kimhi, qui non habet in animo redire ad vomitum; ita Rosi.

V. Et genuine.

Quinto denique, et simplicissime, *nec est in spiritu* (id est in mente) *eius dolus*, q. d. qui non est hypocrita, qui non simulat sanctitatem, cum sit perversus, qui intus et extra bonus est; ita S. Thom. Caiet. Genebr. et alii. *Nec ei in pectore est actus culpis callidæ, sed mitis agni puritas*; ita Angelus Sangrinus Abbas Cassinensis. Illa secum habet agnum, et illum sequitur quocumque ierit: illa beatus est, et habet stolam albam non fucatam, in sanguine agni dealbatam. Nam, ut ait Ugo Card. *In spiritu Dei est bonitas, in spiritu diaboli est falsitas, in spiritu mundi vanitas*. De primo, Ps. 142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*. De secundo, 3. Reg. 22. v. 22. *Ergo spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius*, Achabi scilicet regis Israel ire volentis ad bellum contra Benadad regem Syriæ, ubi est occisus, deceptus a falsis prophetis. De tertio, 1. Cor. 2. 12. *Nos autem spiritum huius mundi non accepimus*.

Moraliter nota, Hypocrisis est maxima virtutum pestis, 33. Hypocrisis est maxima virtutum pestis.
et vitiorum mater atque propagatrix. Nec mirum, cum ab ea recedat Deus, qui est simplicissimus et sanctissimus. Sap. 1. 5. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*. Sept. δόλον, dolum sive fictionem. Noster legerat δόλιον, fraudulentum, vafrum, versipellem. Spiritus enim sanctus est columba, amat simplicitatem et candorem: est ipsius ut Ecclesiæ Doctoris curare disciplinam, id est morum reformationem, puritatem, sanctitatem, et sinceritatem. De eo locum illum explicat S. Hier. lib. 7. in cap. 63. Isaiæ, et Idacius contra Varimodum. Sanctitatem corrumpit hypocrisis. S. Chrysol. serm. 7. *Hypocrisis*, ait, *subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Adversa omnia nituntur viribus suis, armis suis pugnant, impugnant palam: unde et caventur tam facile, quam videntur. Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, curiosa mentitur, et crudeli arte virtutes truncat, truncat mucrone virtutem: ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febris frigido populo propinat ardorem. Quod corporibus sunt hydropes, hypocrisis animabus*.

Satellites suos dæmon vestit ovium pellibus, ut certius 34. Falsi prophetæ vestiuntur ovium pellibus.
sæviant. Matth. 7. 15. unde opus est vigilantia, ut dignoscantur et vitentur: *Attendite* (Syr. custodite vos) *a falsis prophetis* (id est doctoribus. Nam prophetæ erant populi doctores) *qui veniunt ad vos in vestimentis ovium* (sententias Scripturæ inculcantes, et morum reformationem) *intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Oves, id est simplices devorare appetunt.

Antichristus ipse ad immanem sævitiam adiunget do- Antichristus erit dolosus.

los. Apparet S. Ioanni sub figura bestiæ de mari ascendentis, habet septem capita, et consequenter septem ora, quia loquetur non solum in corde et corde, id est duplici et multiplici corde: sed etiam in ore, et ore, mox blandiens, mox minitans: huic unum, alteri contrarium dicens. Similis est pardo maculoso ob fraudes et hypocrisim, urso ob luxuriam, leoni ob superbiam et sævitiam. Dicitur enim Apoc. 13.2. *Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leonis.* Hinc gravissima erit piorum tentatio, tum ob diritatem tormentorum, tum ob simulatam sanctitatem persecutorum. S. Gregorius 32. Moral. 12. *Pensemus*, inquit, *quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr et corpus tormentis subiicit, et tamen ante oculos eius tortor miracula facit: Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat? Dicatur igitur recte: Stringit caudam suam quasi cedrum; quia nimirum et illius tunc erit veneratione prodigii, et durus crudelitate tormenti. Unde et per David dicitur, Psal. 9. 30. Insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili suo.* Pro suo charactere tres primas litteras Christi sumet: nempe χρ. ut Ansbertus ait sibi esse revelatum.

Constantius ob dolos fuit peior Nerone. Hypocrisim Constantii Imp. Arriani detestatur, atque Ecclesiæ perniciosissimam fuisse S. Hilarius declarat lib. ad ipsum scripto. Plus, inquit, crudelitati vestræ Nero, Deci, Maximiane debemus; diabolum enim per vos vicimus: Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est: dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, etc. At tu omnium crudelitatum crudelissime, damno maiore in nos, et venia minore desævis: subrepis nomine blandientis, occidis specie religionis. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc præter ille tuus artifex humanarum mortium docuit, vincere sine contumacia, iugulare sine gladio, persequi sine infamia, odire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, *blandiri sine bonitate: agere quod velis, nec manifestare quæ velis.* Et postea pergit: *Vestem ovis tuæ lupe rapax cernimus.* Auro Reipub. Sanctum Dei honoras, osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus: caput benedictioni submittis, ut fidem calces: convivio dignaris, ex quo Iudas ad proditionem egressus est: censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exolvit: vectigalia Cæsaris donas, ut ad negationem Christianos invites: quæ tua sunt, relaxas, ut quæ Dei sunt, amittantur. Hæc tua falsa eius indumenta sunt; ita Hilarius.

Antichristi pseudopropheta erit hypocrita. Insignem aliquem impostorem habebit Antichristus, veluti suum præcursorem, qui illi omnes conciliet simulatione sanctitatis et potestate miraculorum fictitiorum. De illo S. Ioan. Apoc. 13. 11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco.* Illa duo cornua possis interpretari duos alios magos et impostores, quos sibi velut discipulos et adiutores adiunget, et quibus roborabitur. Secundo, et melius, mansuetudinem ac sanctitatem simulatam, et potestatem miraculorum, quæ per præstigias et ope dæmonis saltem secundum apparentiam faciet, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, electi.

Hæretici sunt dolosi. Generatim de hæreticis hypocritis loquens, Sponsus ait Cant. 2. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas* (id est Ecclesias particulares). *Nam vinea nostra* (Ecclesia Catholica, id est universalis) *floruit.* S. Bernard. id versans serm. 66. in Cant. ait: Non sufficit hæreticos esse, nisi et hypocritæ sint, ut sit supra modum peccans peccatum. Hi sunt, qui veniunt in vestimentis ovium ad nudandas oves, et spoliandos arietes. An non tibi utraque res impleta videtur: ubi et fide plebes et plebibus sacerdotes deprædati inveniuntur? Quinam isti prædones? Hi oves sunt habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi: *Hi sunt, qui boni videri, non esse: mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali: mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est.* Hoc aliis hypocritis applica. Alio in loco sic eos depingit: *Hypocritæ volunt esse humiles sine despectu, pauperes sine defectu, bene vestiti sine sollicitudine, delicatæ pacis sine labore, aliis adulantes, aliis detrahentes, mordaces ut canes, dolosi ut vulpes, superbi ut leones, intrinsecus autem lupi rapaces: mellis dulcedinem, id est inanis gloriæ et latentis lasciviæ, ut ursi quærentes.*

SECTIO SECUNDA.

35. *Tria exprimit. Primo, ante confessionem peccati Davidem afflictum fuisse, vers. 3. Secundo, confessionem suam perfecte fecisse, vers. 5. Tertio, confessionis factæ effectus percenset, vers. 6.*

PARAPHRASIS.

3. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.*	3. Quoniam in adulterium lapsus, scelus scelere cumulavi: adeoque immersus sum in lutum, ut ne Deo quidem vulnus meum aperirem, sed dissimularem, veluti senio absumpta et arefacta sunt ossa mea, omnesque vires meæ defecerunt, dum ob varias, quibus premebar, angustias, sceleris mei ultrices, gemitibus totos dies contererem.
4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*	4. Veternum tandem ac soporem, quo obrutus iacebam, potenti manu immissis flagellis excussisti, quibus diu noctuque concisus tandem resipui gravitate tribulationis pondus criminis mei expendens. His ergo afflictionis stimulis, velut pungente spina, excitatus, a vesano Bethsabeæ amore ad te Deum meum conversus sum, tibi ut uni adhærerem.
5. *Delictum meum cognitum tibi feci: et iniustitiam meam non abscondi.*	5. Solutusque in lamenta coram te cor meum effudi, neque amplius lubricum in luxuriam lapsum dissimulavi: neque admissum in fortissimum, et bene de patria meritum Uriam nefas, summa cum iniustitia coniunctum.
Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.	Quodque summo tui amore et admiratione dignum est, vix in animo prodendæ iniustitiæ meæ propositum formaveram, cum paterno affectu impium licet ac scelestum facinus, omnique supplicio vindicandum condonasti.
6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.*	6. Propter culpas, quas animo suo hærentes vident, ad te omnes pietatis et sanctitatis studiosi confluent, et oratorum veniam petent, dum tempus huius vitæ, obtinendæ gratiæ præfixum, durabit.
Verumtamen in diluvio a-	Cum vero tempus orationi, pœnitentiæque et salutaribus fletibus opportunum ef-

quarum multarum ad eum non approximabunt.

7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

fluxerit, etque in die extremi iudicii mala in sceleratos inundaverint, ad sanctos tuos terrores, et minæ, atque tormenta oon accedent.

7. Omni ex parte corporis animique calamitatibus circemcingor, nec ad quem me conferam, reperio; tu unicum asylum meum es, ad quod me recipiam. In te uno gaudium meum est repositum, eripe me ab hostibus, qui me obvallant, et ab afflictionibus, quæ concluanm constringunt.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta confessionis utilitas.

36. Ordo Sectionis. Cum David in luxuriæ voraginem incidisset, in eaque lethali oppressus somno, neque oculos luci, neque os orationi et confessioni aperiret, Deus ultor morbi cladibusque stertentem fodicavit: exurrexit tandem, scelus aperuit: tem Deos, velut amantissimus pater, oscula filio defixit, donisque supplicem cumulavit. Hic itaque declarat, quænam sibi ante confessionem, in confessione, et post coofessionem accideriet.

Primo, ante confessionem calamitatibus est oppressus propter silentium suum, v. 3. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Calamitates illæ torpentem excitaruot ed confessionem peccatorum Deo faciendam, v. 4. *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.*

Secundo, confessionis snæ iotegritatem ostendit, v. 5. *Delictum meum cognitum tibi feci, et iniustitiam meam non abscondi.* Et humilitatem, ibid. *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino.*

Tertio denique, confessionis effectum triplicem aperit. Primo, remissionem culpæ, vers. eod. 5. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Hanc maxime desiderant et pro illa orant saocti, dum vivunt, v. 6. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Secundo, remissionem pœnæ æternæ, ibid. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt,* supple aquæ. Tertio, remissionem pœnæ temporalis, v. 7. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me a circumdantibus me.*

ARTICULUS I.

Quam perniciosum silentium peccatoris.

37. Vers. 3. Peccator est surdus et mutus. Sectione superiori declaravit beetitudieem eorum, quibus condonata essent peccata, qeique sincere virtutis viam sequereutur. Nunc suam miseriam ob peccatum admissum, et non confessum declarat, vers. 3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die. Nota, pro *tacui*, Hebraice est החרשתי *echerasti*, id est Primo, *tacui*, ut vertit Noster, S. Hieronymus, Felix, Pagnin. Mulsius, Septuag. Symmach. Syr. Arab. Secundo, *echerasti*, id est obsurdui. Hine Aquila vertit εκωφευσα, quod proprie significat surdum esse. Potest tamen etiam exponi, obmutui; item stupidus fui et hebes. Nam κωφος, 1. est surdus; 2. mutus, ut Homerus vocat κωφον κυμα fluctum, qui nullum edit strepitum: et dicitur κωφον προσωπον, muta persona in tragœdiis; 3. stolidus, fatuus, hebes, stupidus. Hæc omnia habet peccator. Primo, non aodit Deum pulsantem ad ostium cordis. Secundo, illi non loquitur os aperiens et attrahens spiritum. Tertio, inde oritur stupor et hebetudo mentis. Deniqee το *echerasti*, significat tacite machinari, fabricare, moliri, malum cogitare, arare. Hinc Vatabl. vertit: *Dum quotidie nunc tacitus mecum cogito, nunc voce infremo, contabuerunt ossa mea.* Et Theodotio, εκοπιασα, id est laboravi. Chald. Quoniam tacui a verbis legis. Origen. Quoniam tacui a lege Dei.

38. Peccator clamat sicut corvus ob rationes quinque. Nota secundo, pro *dum clamarem*, Hebr. est בשאגתי *besciaogati*, id est, *in rugitu meo*, ut vertit S. Hieroeym. et alii. Septuag. vertunt, απο τῃ κραζειν, id est, dum clamarem crocitando instar corvi. Eustathius enim docet κραζειν, seu κρωζειν esse proprie cornicum et corvorum, A δια το τραχυ της φωνης, ut sit proprie crocitare, vel clamare asperius. Ubi adverte, David clamorem suom comparat crocitationibus corvi, 1. quia erat niger propter peccata admissa; 2. quia derelictem se videbat et morti expositum; 3. quia vox eius erat absona, non est enim speciosa laus in ore peccatoris; 4. quia instar corvi clamabat, eras, eras, procrastinans scilicet suam conversionem; 5. quia clamabat et crocitabat sentiens et appetens putredinem cadaveris, ut ad illud avolaret, et illo se pasceret: Aquila vertit, εν βρυχηματι μυ, id est in rugitu meo, βρυχημα sicut, Hebraice *sciaaga*, de leonibes proprie dicitur. Metaphorice ad alias feras, et ad ipsum hominem transfertur. David porro clamorem suum comperat rugitui leonis. Primo, ob crudelitatem in procerande cæde Uriæ; itaque respectu eius fuit leo, et respectu Bethsabeæ fuit corvus. Secundo, quia regem excusantem se et negantem peccatum suum atque occultantem, et de suis meritis gloriantem, atque ob plagas inflictas murmurantem, nemo audebat arguere. Fortasse etiam aliquos eam ob rem mussitantes aula aiecerat, sed hoc est divinare. Tertio, et B præcipue, rugitus denotat regis vehementem dolorem, qei omnes exterret ac deiicit. Leo enim est rex animalium, morti proximus flere dicitur. Plinius lib. 8. 19. *Creditum est a moriente leone humum morderi, lacrymamque letho dari*, tunc bumum se esse reges vident, cum ægrotant.

Nota tertio, multiplex est sileotium. Bonum quidem. 39. Silentium est multiplex. Et bonum. Primo, obedientiæ. Isaiæ 32. 17. *Cultus iustitiæ silentium.* Secundo, prudentiæ. Prov. 17. 28. *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur.* Tertio, patientiæ. Isaiæ 30. 15. *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* Eccli. 13. 4. *Pauper tacens tacebit.* Quarto, sapientiæ. Genes. 37. 11. *Pater vero tacitus rem considerabat.* Quinto, reverentiæ. Eccli. 32. 9. *Audi tacens, et pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Sexto, contemplationis. Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius, et tacebit.* Septimo, coodescensioois. 1. Corinth. 3. 1. *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus.*

Malum vero sileotiem est: Primo, quo cessatur a laude Et malum. C Dei. Isaiæ 6. 5. *Væ mihi, quia tacui.* Secundo, quo cessatur a confessione. Ierem. 4. 9. *Non tacebo, quoniam vocem tubæ audivit anima mea.* Tertio, quo cessatur a correctione. 1. Reg. 3. 13. *Heli non corripuerat filios suos.* Quarto, quo cessatur ab oratione. Esther. 4. *Si nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi.* Quinto, quod oritur ex adulatione. Eccli. 16. 28. *Dives locutus est, et omnes tacuerunt.* Sexto, ex infidelitate. Amos 6. 11. *Tace, et non recorderis nominis Domini.* Septimo, ex humano timore. Ier. 48. 2. *Silens conticesces, sequeturque te gladius.* Octavo, ex mala conscientia. Matth. 22. 12. *At ille obmutuit.* Nono, ex negligentia. Prov. 11. 26. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Decimo, ex desperatione. Isaiæ 47. 5. *Surge, tace, intra tenebras filia Chaldæorum.* Hæc et alia Ugo Card.

Quæres, de quo silentio intelligendus est David, cum ait: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea?* Resp. Primo, Origenes intelligendum esse de silentio a laude Dei: putat enim hic esse hyperbaton, et sic ordinanda esse verba. Quoniam a clamando ad te tota die tacui, inveterata sunt ossa mea, ita ut sit sensus, q. d. Quoniam a clamore et oratione, et laude tua cessevi, ideo exsiccata sunt ossa mea. Tunc enim cum laudabam, o Deus, nomen tuum, impinguabantur ossa. Secundo, et aptius, et verius, pene omnes patres et interpretes explicant de silentio Davidis non confitentis sua peccata adulterii et homicidii. 40. De quo silentio hic agitur? D

Quæres secundo: Quamdiu duravit illud silentium? Resp. novem saltem aut decem menses durasse. Nam David non prius dixit, peccavi: quam cum Nathan Pro- 41. David per multos menses in peccato mansit.

pheta eum ingeniose parabola ovis domino suo ablatæ ad mentem revocavit. Hoc autem non fecit, nisi post nativitatem filii ex adulterio suscepti, ut patet 2. Reg. 12. Neque tempus hoc novem aut decem mensium prorogari multum debet, si Caietano credamus, qui puerum ex adulterio natum vult mortuum esse die septima ab eius nativitate, cum dicatur capite citato v. 18. *Accidit autem die septimo, ut moreretur infans.* Sed si Abulensem sequamur, qui verosimilius arbitratur diem illam septimam, non e pueri nativitate, sed ab eius morbo luctuque Davidis desumendam, erit omnino incertum, quamdiu David peccatum suum reticuerit, et neglexerit, ac pro nihilo duxerit. Bellarm. ait Davidem anno fere integro et fortasse diutius in cœno peccati iacuisse, et confessionem distulisse: hoc considerans contremisco, cum tantus Propheta, vir secundum cor Dei, qui faciebat omnes voluntates eius, tam turpiter sit lapsus post mitigatos adolescentiæ, et iuventutis ardores, iam senex (natus enim erat annos 49.) nec resipuerit, nisi post tam longum tempus, et quidem graviter a Nathan Propheta reprehensus.

Illud tamen sæpe non iteravit. Neque tamen hoc ita dictum putes perinde, quasi toto illo tempore David peccatum adulterii iteraverit. Nam Uria mortuo Bethsabeam legitimo sibi matrimonio copulavit: et quidem, ut arbitror, brevissimo tempore interiecto, ut famæ utriusque consuleretur, et vitæ Bethsabeæ, quæ ob adulterium lapidibus fuisset obruenda. Abulensis qu. 21. in 2. Reg. 11. censet septem aut paulo plures dies in luctu transegisse, cum dicatur Eccli. 22. 13. *Luctus mortui septem dies*; tot pariter soliti erant lætitiæ nuptiali impendere, ut potest colligi ex c. 11. Tobiæ. Theodoret. q. 25. in 2. Reg. luctum Bethsabeæ brevissimum fuisse docet, cum ait, το πενθος της γυναικος γαμος εγενετο, *mulieris luctus fuerunt nuptiæ.* Itaque non expiavit legitimos viduitatis menses, quos minuere licebat, cum splendidiorem in familiam immigrarent, ut auctor est Festus.

Ex morbo, et morte pueri ex adulterio nati posset quis conIicere eum esse natum octavo mense post conceptionem, quod fortasse Deus fecit, ut David peccatum suum celare minus posset. Averroes ait de generation. animal. 4. cap. 4. quod nati in octavo mense raro vivunt. Tres causas affert, sed obscuriores. Aristotel. ibid. ait: Natos mense octavo, etsi minus, tamen vivere posse. Arbitror tamen natum ex Bethsabea fuisse complexionis optimæ, et vitam diuturnam victurum fuisse secundum leges naturæ, ut melius post Dei minas punitio eius appareret ex morbo repentino et morte insperata. Sed hæc sunt incerta.

42. Quomodo David clamabat et tacebat? Quæres tertio: Quomodo poterat David tacere, dum clamaret? tacere enim et clamare opponuntur. Respondeo primo, tacere et clamare posse sumi hic diversis temporibus, sicque sibi non opponuntur, imo post longum silentium fortius clamatur, et contra. Sensus itaque erit: *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem toto die,* q. d. Tacui, id est, feci finem clamandi seu eiulandi,

1. Hoc de variis temporibus potest exponi. qui viderem me consumi, penequa deficere clamoribus et eiulatu assiduo. Ubi nota το *quoniam* non esse causale, sed continuativum, more scripturæ: ita Emanuel Sa. Sed cum possit accipi velut causale, non est necesse aliter sumere.

II. Secundo igitur, et convenientius S. Athanas. Theodoret. Ruff. Kimhi, Bellarm. et alii sensum esse volunt: q. d. quia longo tempore distuli confessionem peccati mei, ideo post illius cognitionem veram et dolorem ex ea notitia conceptum, tam assidue *toto die*, id est die et nocte, q. d. totis 24. horis diei clamavi et irrugii, ut debilitata sint, exhausta, exsiccata et attrita ossa mea: hoc est, prope meum robur omne sit consumptum. *Vociferando et peccatum accusando consenui*, ait Theodoretus. *Dum clamarem veniam peccati postulans*, ait S. Athan.

III. De eodem tempore, et quidem varie expon. Tertio, et simplicius, verius, atque nervosius, *tacui, dum clamarem*, significat coexistentiam silentii et clamoris, sed ob diversas causas. Sensus itaque est primo, q. d. ait S. Gregor. tacui occultando peccatum admissum, et aliud palam perpetrando: *Ille*, inquit, *tacet, et*

1. *clamat, qui peccata quidem præterita non enunciat, et per*

A *cor impœnitens alia committere accepta peccandi libertate non cessat, etc.* Hoc facit David advocando Uriam, et eum impellendo, ut ad uxorem rediret, ad tegendum suum scelus; clamavit vero, dum curavit Uriam generosissimum et innocentissimum virum occidi gladio Ammonitarum. Secundo tacebat David et dissimulabat peccatum, 2. ducens Bethsabeam in uxorem: sed tunc clamabat ob infamiam inde exortam: itaque eam ob rem multi murmurabant etiam in vicinis regionibus. Unde Nathan ei dixit 2. Reg. 12. 14. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc* (ob peccatum illud verbosum et clamans) *filius, qui natus est tibi, morte morietur*, q. d. duplici morte: sua scilicet ac tua, inveterascent enim præ dolore ossa tua. Salvian. id amplificans lib. 4. sub finem ostendit, quam grave sit peccatum scandali in Christianis, *quia per eos*, inquit, *blasphematur Deus, qui bona dicunt, et mala faciunt: qui, ut scriptum est Tit. 1. v. 16. Deum verbis confitentur, et factis negant.* Caveant præsertim reges, qualis erat David, principes, nobiles, eorum enim peccata sunt tacentia, quia nemo audet arguere:
B et clamantia, quia ab omnibus videntur et audiuntur, ac sæpe commemorantur et scandalosa sunt. Eclipses et tonitrua non possunt latere. Ideo inveterascunt ossa eorum, et omnis potentatus vita brevis. Et Potentes potenter tormenta patientur. Tertio, clamor est defensio ma- 3. lorum et peccatorum, ait S. Isidor. 4. Reg. 11. 13.

IV. Quarto, David tacebat peccata sua, clamabat merita; ita S. August. S. Gregor. S. Thomas, Beda, Lombard. Dionys. Richardus Pampol. Ramig. Glossa interl. id est Anselmus Laudun. eius auctor. Verba S. August. sunt: *Quid est hoc? Quasi contrarium videtur, quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea a clamando. Si a clamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam. Tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret. Tacuit confessionem, clamavit præsumptionem. Tacui enim dixit, non sum confessus. Ibi oportebat, ut loqueretur, taceret merita sua, clamaret peccata sua. Nunc autem perverse tacuit peccata sua, clamavit merita sua. Et quid illi contigit? Inveteraverunt ossa eius. Intendite, quia, si clamaret peccata sua,*
C *et taceret merita sua, innovarentur ossa eius, id est virtutes eius. Esset robustus in Domino, quia inveniretur in se infirmus. Modo autem quia in se voluit esse firmus, factus est infirmus, et inveteraverunt ossa eius. Remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare novitatem. Qui enim fiunt novi, nostis fratres: quia beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata*; ita August. Sed non constat Davidis illa gloriatio verbis facta, erat certe præsumptio de venia tamdiu in peccato perseverare sine pœnitentia.

V. Quinto, Titelm. sic explicat, q. d. tacui peccata, clamavi orando Deum. Ego, ait, quoniam tacui, dissimulans agnoscere et confiteri peccatum meum, quo onusta erat conscientia, consenuerunt et aruerunt ossa mea, omnes vires defecerunt, robur omne abscessit, et omnis vigor spiritus qui in me erat, absumptus est, quemadmodum cum homo ad ossa usque consumitur: tametsi iugiter per omnem diem, absque cessatione ad Dominum clamarem, poscens auxilium. Donec enim tacemus, donec dissimulamus, donec excusare volumus, donec aperte
D nolumus confiteri Domino, quæ latent intrinsecus in abscondito cordis nostri, non est exaudibilis nostra oratio, quantumvis clamamus voce, quantumvis ore et exteriori gestu Deum postulaverimus; ita ille. Exemplum horribile referunt Seraphinus Razius in hortulo exemplor. tit. de confess. cap. 3. D. Gabriel Inchino Canon. Reg. Lateran. et noster Anton. Dauroultius cap. 5. flor. exempl. tit. de confess. n. 9. In Italiæ civitate quadam fuit quondam nobilis fœmina, quæ, prout exteriori sua conversatione præseferebat, *ab omnibus tamquam sancta reputabatur. In eleemosynis liberalis erat, Ecclesias frequentabat, et familiam suam in timore Domini gubernabat.* Cum ergo sub tali pietatis nomine apud omnes bene audiret, ubi ad extremum vitæ pervenit, post mortem reliquit inter alias filiam unam valde piam et devotam, quæ pro dilecta sua

matro in dies singulos particularem apud Deum fundabat orationem. Post autem aliquot septimanas, cum ipsa sola esset quadam die in cubiculo, dictæ puellæ accidit, ut subito eoque inusitato corriperetur tremore membrorum. Et convertens oculos ad ostium cubiculi, unde ipsi videbatur audivisse strepitum, percepit monstrum horribile, visu porci excoriati speciem præseferens, ignem et fœtorem gravissimum usquequaque emittens. Unde cum gravi timore consternata surrexisset a loco orationis, ad dicti cubiculi fenestras citissime cucurrit, ut se deorsum præcipitaret, et sic tam cruentæ bestiæ præsentiam evitaret. Verum audiens illa vocem quamdam in hæc verba post se emissam: Siste gradum, filia, siste gradum, ipsa a Deo confortata immota substitit, audiendi causa, quid informe et horrendum istud monstrum proponere vellet. Quod voce humana talibus cum ea sermonibus egit. Nunc intelligas, filia, me esse, eheu! infelicem, et maledictam matrem tuam, quæ non obstante vita irreprehensibili et inculpata, necnon et pia conversatione mea, quam semper in præsentia hominum duxi, nihilominus tamen propter enormia quædam et detestanda peccata, quæ cum patre tuo fœdissime perpetravi, et præ verecundia nunquam confessa sum, æternis inferni ignibus deputata sum: et propterea nullas pro me deinceps ad Deum fundes preces. Cumque filia ab ea petiisset, qualia forent inferni tormenta, respondit: Privationem visionis divinæ præ omnibus maximam esse, et postea cogitationem, qua apprehendunt damnati se nunquam liberandos a pœnis. Quibus adiunxit damnatorum exercitium, blasphemare et maledictis prosequi divinam iustitiam, quæ eos tam acriter hisce cruciabat et torquebat suppliciis. Denuo interrogata de tempore interiecto a die mortis eius, usque ad tempus quo in eam damnationis suæ definitive prolata est sententia, in hunc modum respondit: Statim ubi separata fuit anima eius a corpore sine prævia confessione debita, rapta fuit ante tribunal Iesu Christi per malignos spiritus: et cum eam ipse iracundo vultu inspexisset, iudicasset, atque maledictionis sententiæ addixisset, fuit in instanti per cacodæmones præcipitata in inferni teterrimum barathrum: et cum ipsam monuisset, ne quid eam ulterius interrogaret, aliquos saltus faciendo super areas et scamna, quæ lecticam circumstabant, et eisdem sua vestigia imprimens, tamquam quoddam ferrum candens foret, ab iisdem dæmonibus de novo ad infernum transportata fuit. Puella autem damnatione matris admodum afflicta, posteaquam quibusdam linteis hæc fœtida vestigia cooperuisset, simulque cubiculum obserasset, confestim ad Ecclesiam se contulit, et convocari fecit Prædicatorem, qui toto quadragesimæ tempore conciones habuerat ad populum, patrem videlicet Damianum Bonsfole territorii Cremonensis, cui rem totam, prout acciderat, plene enarravit. Quo facto, sese transfert ad dictum cubiculum, et ubi vidit monstri vestigia, simulque fœtidum percepit odorem, locum benedixit, et filiam consolatus est, quæ illi licentiam fecit hoc exemplum publice annunciandi. En malum quod ei accidit, qui integre non confitetur, et præ verecundia peccatum aliquod enorme omittit; ita illi. In his historiis enarrandis moderatione et prudentia opus est. Sicut enim apud pios et simplices multum possunt, ita hæreticis, libertinis, politicis, sciolis ridiculæ videntur. Sed sapientibus huius mundi, qui in sua sapientia et scientia desipiunt.

VI. Et optime. Sexto denique, simplicissime et verissime, *tacui dum clamarem*. Sensus est, q. d. Quoniam ego tacui, et peccata mea dissimulavi, atque confiteri neglexi, ideo ossa mea, quasi vetustate consumpta, languida facta sunt: dum assidue eiularem, et clamarem præ nimio afflictionis dolore, in quam ob mea peccata incidere me permisit Dominus; ita Iansenius, et alii.

43. Davidis ossa inveterata sunt. Quæres quarto: Quomodo inveteraverunt ossa Davidis? Nota, pro *inveteraverunt*, Hebr. est בלו *balu*, id est vetusta facta sunt, consumpta sunt. Unde primo, Caietan. vertit, veteraverunt. Chald. inveterascent. Secundo, Vatabl. reddit, contabuerunt. S. Hieron. attrita sunt.

Respond. itaque primo, ossa sumi posse in propria significatione, ita ut sensus sit, q. d. Ossa corporis mei præ vehementia morbi mihi a Deo immissi ob peccata mea arefacta, imminuta et debilitata sunt, sicut in senibus accidere solet. Vis enim morbi illa exedit, consumit, atque enervat. Morbum illum negat Bellarm. Sed vide dicta Ps. 6. 2. in illud: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine.* I. Sumenda ossa in propria significatione.

Secundo, ossa possunt sumi metaphorice pro robore animi et virtutibus, quas diuturna novem aut decem circiter mensium in peccato mora prorsus debilitaverat, et ad miseram senectutem deduxerat. Ita S. Greg. S. Thom. Bellarm. Ugo, Ludolph. Ossa porro mentis sunt virtutes. Primo, quia ossa recta sunt: in rectitudine virtus sita est, nihil amat obliquum, omnis curvitas illam frangit. Secundo, ossa alba sunt; virtus candorem amat. Tertio, ossa exterius arida sunt et sicca, intus medulla plena: ita virtutis species exterius tristis videtur, intus plurimum habet suavitatis. Quarto denique, ossa fortia sunt, et corpus sustentant: ita et virtutes animam. S. Gregor. *Per ossa*, inquit, *virtutes accipimus, quia per eas animam sicut corpus per ossa sustentamus. Quæ profecto inveterantur, quando a statu fortitudinis infirmantur; sicut enim morborum infestationes corporis ossa debilitant, ita vitiorum importunæ turbationes animæ virtutes infirmant.* II. In metaphorica.

Moraliter nota, quam noxium sit peccata reticere. Nam peccatum occultatum est ignis inclusus in sinu, Proverb. 6. 26. *Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Ideo S. Ambr. in Ps. 36. ait: *Peccatorum morbus dum tegitur, inardescit: si confessionibus proditur, evaporat.* Eccli. 20. 6. *Est tacens non habens sensum.* Iste autem ignis magis accenditur, si eo incluso iactantiæ vento de meritis clametur. Nam tali clamore veluti vento amplius ignis inardescit. Phil. lib. de Problem. dicit: quod in febribus existens non debet ad ventum iacere: quia ventus ignem pene extinctum resuscitat, et ex modico facit magnum: sic in proposito: nam in febribus est, qui fervorem peccati intra se sentit. Si autem talis exponatur vento iactantiæ de meritis, vel murmuris pro flagellis, amplius accenditur et augetur. Ideo Iosue 6. 10. *Non clamabitis et non audietur vox vestra.* S. Gregor. lib. 7. Mor. vulnera, inquit, clausa plus cruciant; quia cum putredo, quæ intrinsecus latet, emittitur ad salutem, dolor aperitur. Ita Thom. Anglic. qui addit ex Plinio, olim animadversionem fuisse militarem, ut militi, qui male pugnaverat vena aperiretur, quod putet factum esse stupentibus et a naturali habitu declinantibus, ut non tam pœna quam medicina videretur. Postmodum vero hoc tractum esse in consuetudinem ob alia delicta, quasi minus sani viderentur omnes, qui contra officium militiæ delinquerent. Militia est vita hominis super terram, Iob. 7. 1. sed male militant, qui tentationi succumbunt et hosti cedunt: ideo vena est aperienda in confessione, ut fluat sanguis, id est peccata, quorum symbolum est sanguis, Ps. 50. 16. *Libera me de sanguinibus.* Unde ait S. Bern. Si peccare delectat, sanguis vitiosus est, minuere festinato. 4 Reg. 7. 9. dicunt duo leprosi: *Si tacuerimus, sceleris arguemur.* 44. Peccata sua tacere est perniciosum. Ignis in sinu est peccatum.

Christus quatriduanum et iam fœtentem Lazarum suscitaturus voce magna clamavit dicens Ioan. 11. 43. *Lazare veni foras*, quod S. Gregor. contemplans hom. 26. in Evangelia, ait: *Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur, Veni foras: ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cum reatum tuum intra conscientiam tuam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit* meritis glorians tem, atque ob plagas inflictas *confiteri quod fecit.* Prius ostenderat dignitatem illam solvendi peccata esse mirabilem, 45. Lazarus foras prodire iubetur.

46. *Lazari alterius ulcera aperta notant peccati manifestationem.*

De alio Lazaro, mendico scilicet, habetur Luc. 16. 20. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus* (id est adiutus, ait S. August. et S. Chrys. seu potius adiuvandus. Nam deducitur a gerundio in Kal לעזר *Laazar* seu *laazor*, q. d. ad adiuvandum, ut adiuvetur, sive ut adiuvat. Pauperes enim non minus iuvant divites, a quibus aiuntur, quam ab illis iuvantur) *qui iacebat ad ianuam divitis, ulceribus plenus*. S. Greg. id symbolice explicans hom. 40. ait: *Quem Lazarus ulceribus plenus, nisi gentilem populum figuraliter exprimit? qui dum conversus ad Deum peccata confiteri sua non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus a visceribus trahitur, et foras erumpit. Quid est ergo peccatorum confessio nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis, et confitendo peccata, quid aliud agimus, nisi malum quod in nobis latebat, aperimus*. Addit, canes ea vulnera lingentes, esse concionatores et confessarios, qui sic ea sanant: *Sancti etiam Doctores dum gentilium confessiones accipiunt, mentium vulnera saluti restituunt. Unde et Lazarus bene interpretatur adiutus: quia ipsi hunc ad ereptionem iuvant, qui eius vulnera per linguæ correptionem curant*. Innocentius III. in Ps. nostr. Sicut, inquit, sanies sub cute collecta tumorem multiplicat et dolorem, donec ea per apertionem educta, tumor sedetur et dolor: ita putredo peccati cordis latibulo congregata inflat animum et perturbat, donec ipsa per confessionem eiecta, inflammationis et perturbationis molestia penitus mitigetur.

Leprosi vestes dissuti. Levit. 13. 45. de leproso Deus præcipit: *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum* (ne alios inficiat. Chald. os eius involvetur panno, sicut lugentis) *contaminatum, ac sordidum se clamabit*. Hæc omnia ad confessionis dolorem et sinceritatem in peccatorum apertione pertinent. Heliodor. lib. 4. histor. Æthiop. τροφη νοσων, ait, η σιωπη, το δε εγκαλυμενον, ευπαραμυθητον: *Nutrimentum morborum, silentium: quod autem vulgatur, facile solatium consequitur*. Et Boethius lib. de consolatione: Si, ait, opem medicantis expectas, necesse est vulnus detegas. S. Hieron. in cap. 10. Ecclæ. *Si quem*, ait, *serpens diabolus occulte momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit: si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri ac magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat*.

Leprosi tenebantur se sistere sacerdoti. Lucæ 17. 13. Christus decem leprosis sanitatem ab eo contenta voce postulantibus, ait: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est dum irent* (Gregor. inter eundum, q. d. in ipsa via) *mundati sunt*, a lepra, quæ erat maxima immunditia et naturalis et legalis apud Iudæos. Nam lepra est contagiosa, et vicinos eodem morbo inficit atque contaminat. Eiiciebant Iudæi leprosos, extra urbem sanabantur, obligabantur lege sistere se Sacerdoti, ut declararet eos mundatos esse, et sic restitueret eos urbi, templo, et hominum convictui, Lev. 24. 2. Sed Sacerdotes novæ legis non tantum declarant sanatos, sed sanant. S. Isidorus in synonimis: *Confessio*, ait, *sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat, omnis spes in confessione consistit, in confessione misericordia est. Nulla tam gravis est culpa, quæ post confessionem non habeat veniam*. S. Ephrem de pœnitentia et conversione: Ad omnem, inquit, plagam peccanti nobis *magnus ille animarum nostrarum medicus*, dedit magnum hoc remedium. S. Antioch. hom. 77. Aliud nihil est pœnitentia, quam, φαρμακον ζωης, sarciendæ vitæ pharmacum salutare. S. Cæsar. Arelat. homil. 6. *Peccatum vulnus, est pœnitentia ligatura vulneris*. Tu qui pœnitentiam non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere. S. Chrysost. homil. de pœnit. id fusius amplificat: O pœnitentia, inquit, quæ peccatum miserante Deo remittis, et paradisum reseras: *quæ contritum sanas hominem*, et tristem exhilaras: *vitam de interitu revocas*, statum restauras, honorem renovas, fiduciam das, et reformas vires; gratiamque abuudatiorem refundis. O pœnitentia, quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta tu reseras, tu mitigas, *omnia contrita tu sanas*, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio deiicit. O pœnitentia misericordiæ mater et magistra virtutum. Hæc et alia Chrysost. quæ dicta de virtute pœnitentiæ ad sacramentum applicari possunt, quo tamen carebat David, licet in quibusdam peccatis Iudæi tenerentur ad confessionem Sacerdoti faciendam, ut ostendam v. 5.

Accedamus igitur ad pœnitentiam, quæ nobis a Deo data est in remedium: bestiæ ipsæ ad remedia sibi a natura data fugiunt. Alcuin. ad cap. 7. Ecclæ. *Novit*, inquit, *hirundo pullos suos de sua oculare chelidonia, dictamnum capræ appetunt vulneratæ: cur nos ignoremus medicinam pœnitentiam propositam esse peccantibus?*

ARTICULUS II.

Tribulatio peccatorem iuvat ad conversionem, et ad peccati confessionem.

DAVID declarato silentio suo malo non confitendo peccatum, et clamore suo ob afflictiones a Deo immissas, aperit illarum afflictionum gravitatem et utilitatem, 47.
Vers. 4. Deus levi manu affligit iustos et cur?
v. 4. QUONIAM DIE AC NOCTE GRAVATA EST SUPER ME MANUS TUA, CONVERSUS SUM IN ÆRUMNA MEA, DUM CONFIGITUR SPINA. Nota, manus Dei est potestas vindictæ, ait, S. Hieron. Levis est illa manus, cum affligit iustos. 1.
Primo, quia una manu et paterna eos percutiens, altera 2.
illos Deus sustentat. Secundo, quia in levibus et externis bonis, quæ ipsi pro nihilo ducunt, affligit: in bonis vero internis et supernaturalibus illos ditat. Tertio denique, 3.
quia utilitatem æternam afflictionum vident. Hinc S. Paulus ait, 2. Cor. 4. 17. *Id quod in præsenti est, momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate* (Gr. καθ'υπερβολην, id est, secundum excellentiam ad excellentiam, hoc est excellentissimum, supra modum excellens) *æternum gloriæ pondus operatur* (moraliter et meritorie) *in nobis*. *Gravi autem peccatores.* Gravis vero est Dei manus, cum percutit sceleratos: Primo, quia in illis multa et gravia peccata reperit. Secundo, quia nullus retundit vim ictus inflicti. Tertio, quia debiles sunt infirmi, impatientes, ægroti terræ et corpori affixi. Quarto, denique, quia pœnæ illorum meræ pœnæ sunt sine merito aut spe præmii. Dum enim in mortali peccato manent, nihil merentur. 1. Reg. 5. 6. *Aggravata est manus Domini super Azotios, et demolitus est eos*, id est, excidit, interfecit, et perdidit eos. Tangebat enim eos tamquam hostes suos et populi sui Israel, erant enim Philisthini. Iustos vero tangit paterna manu velut filios, ut illos emendet, corrigat atque perficiat. Itaque non tam eos quam illorum maculas tangit, ut excutiat et amoveat.

To lesciaddi vario explicatum. Nota secunda, pro *conversus sum in ærumna mea*, Hebr. est, נהפך לשדי *nepach lesciaddi*. Bellarmin. opinatur Septuag. interpretes legisse: *nepachti lescioddi*, arbitror ego legisse *nepachti lesciaddi*. *Miro autem modo hic variant interpretes.*

Primo enim aliqui sumunt *lesciaddi*, quasi unicam dictionem cum suo affixo. Nam *lesciad* significat 1. recens, humidum, viride. Unde Campensis sic explicat, q. d. sic mutatus sum, ut ex succulento factus sim aridior, quam sunt aristæ in media messe; 2. *lesciad* est substantivum, id est humor, viror, succus, pinguedo. Unde Felix Primo vertit, immutatus est humor meus in siccitates æstatis. R. Abraham interpretatur humidum radicale, in quo consistit vita hominis. Caietan. versa fuit humiditas mea in siccitates æstatis. Secundo, Pagnin. versus est viror meus in siccitates æstatis. Tertio, Vatabl. versus est succus meus in siccitates æstivas. Campensis, vertebatur succus meus in siccitatem æstivam. Quarto denique, Felix etiam explicat, conversa est aut eversa piu-

guedo mea, et humidum meum in siccitates, aut cum siccitatibus æstatis.

Secundo, et melius, *lesciaddi*, est vox gemina: *sciad* enim, sive *sciod* significat vastitatem, vastationem, perditionem, afflictionem, direptionem, prædam, miseriam, calamitatem, ærumnam. Particula vero *le* est articulus dativi. Nam verbum *hapach*, id est convertere, commutare longitur dativo, ut patet Ps. 29. 11. et 65. 6. Recte itaque verterunt Septuaginta, ἐστράφην, (V. editio, ἐστράφη) versus est εἰς ταλαιπωρίαν, conversus sum in miseriam. Aquila, ἐστράφην εἰς προνομήν μου, versus sum in vastitatem meam. Symm. μετεστράφη μοι εἰς διαφθοράν, conversum est mihi in corruptionem. S. Hieronymus quoque reddit, versatus sum in miseria mea, cum exarserit æstas. Et in cap. ult. Isaiæ, versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina. Et in cap. 3. Ezech. Conversus sum in ærumna mea, dum infigitur mihi spina. Ex his vides quam temere nonnulli vellicent interpretem nostrum, et quam secure insistamus Sept. interpretibus, contempta nimia innovandi prurigine recentiorum hebraizantium.

48. Varietas lectionum et versionum.
Nota tertio, pro *dum infigitur spina*, Hebr. nunc est בחרבוני קיץ *becharbone kaits*, id est, in siccitates æstatis, ut præter nominatos vertit Muisius. Idem reddit Aquila, ἐν ἐρημώσει θερινῇ, in desolatione æstiva. Symmach. ὡς καῦσος θερινόν, velut ardor seu fervor æstivus. V. editio, ἐν τῷ ἐρημωθῆναι ὀπώραν, id est, dum deserta fit maturitas, hoc est, dum maturis fructibus collectis deserta fiunt omnia in agris.

Sed Septuaginta legerant, ut putat Agellius, *bedarbene kots*, id est, in stimulis spinæ, q. d. inquit, graviter me doloribus pungis et fodicas, et stimulos tamquam aranti bovi altius infigis, nunc hoc latus feriens, nunc illud, q. d. convertis manum tuam, ita ut mihi necesse sit, nunc hac nunc illac in ærumnam meam converti, ut quacumque vertar, ibi paratum stimulum et aculeum inveniam. Secundo, et melius, Bellarm. censet legisse *becharboni kots* id est, *dum adurit me spina*: quod idem cum eo, quod nos habemus, *dum configitur spina*. Dum enim configitur spina, certe adurit, et vastat, quod significat *harob*. Itaque minima mutatione punctorum, et unius litteræ, videmus inveniri posse lectionem quam Septuag. interpretes habuerunt. Ita Bellarmin. qui addit, variorem autem esse lectionem, quæ erat in codicibus Septuag. interpretum ea quæ nunc est in codicibus nostris, quibus Rabbini puncta addiderunt, dubitare non possumus. Tertio, malim legi minori adhuc mutatione, *becharbone kots*, id est, *in adustionibus spinæ*, at est idem sensus.

49. Spinæ duplex significatio.
Nota quarto, *Spina* duo præsertim significat. Primo et propria spina est aculeus sentis vel rubi, quo pungimur. Maro 5. Ecloga: *Carduus et spinis surgit paliurus acutis.* Hinc asparagus dicitur spinam facere, cum percrevit, et spinosus fit. Columella lib. 1. cap. 3. Deinde cum spinam fecerit, collectis seminibus ipsis, scorpiones, ita ut sunt, in suo loco perurendi sunt. Secundo, spina dicitur vertebrarum in quocumque animali contextus inter se (quam et Græci ἄκανθαν nominant, quod non bene negat Lorinus) quod est a collo ad extremum usque os, quod sacrum dicitur. Sic autem vocata est, quod ipsæ vertebræ in suo contextu processus utrinque ostendant spinis haud absimiles. Plinius lib. 11. cap. 37. post medium sic eam describit: *Spina lumbis, assea sed tereti structura, per media foramina a cerebro medulla descendente. Eamdem esse ei naturam quam cerebro colligunt, quoniam prætenui eius membrana modo incisa statim expiretur.* Hinc Ps. Ambrosianum, Arnob. et Cassiodor. legunt in psalmo nostro, *dum confringitur spina.*

50. Gravata manus Dei super Davidem, et quomodo
Quæres primo: Quomodo super Davidem gravata manus Dei? Primo, Bellarminus et Lorinus interpretantur de afflictionibus, quæ ipsi advenerunt post admonitionem Nathan Prophetæ, et remissam culpam peccati. Nam, inquiunt, multa mala propter peccatum ei acciderunt, 1. filius natus ex adulterio infans mortuus est; 2. filia nomine Thamar ab Amnon fratre per incestum polluta est; 3. idem
1.
Amnon ob Absalone fratre occisus est; 4. Absalon contra
A eum rebellavit; 5. in pugna misere est occisus: quæ omnia summos dolores Davidi attulerunt, ut patet 2. Reg. cap. 19. 4. et seqq. 6. Semei eum conviciis appetivit; 7. Absolon decem eius concubinas publice polluit; 8. Seba filius Bochri adhuc rebellavit cæso Absalone.

Secundo tamen, et melius sumo de afflictionibus Davidi, insensibili ac stupenti inflictis, dum perseveraret in peccato suo habituali, et etiamnum non adverteret percutientis manum; unde semper flagella aggravabat Deus. Ratio est, quia illa afflictio eum tandem excitavit additis minis a Propheta Nathan. II.

Tertio, et plenius, ac planius, gravem illam Dei manum interpretare de afflictionibus, tam ante conversionem, quam post illam inflictis, donec hunc Psalmum scriberet. Unde S. Hieronymus vertit in præsenti tempore: *Die enim et nocte gravatur super me manus tua.* Die et nocte, id est, semper, assidue, omni tempore. Et hic sensus est plenissimus et litteralis; 2. die et nocte, id est, ait Innocentius, manifestis et occultis pœnis; 3. in pro- III.
B speris et adversis. Ita S. Gregorius et Richard. Pampol. 4. in luce honorum, gratulationum aulicarum, ludorum, conviviorum atque similium, et in tenebris desolationum, morborum, etc. q. d. in omnibus me affligis. Hæc sunt symbolica, sed est idem sensus. Causam afflictionis illius assignat S. August. superbiam David, qui tacuerat peccata sua: *Quid est*, inquit, *gravata est super me manus tua? Magna res, fratres. Respicite illam sententiam rectam inter duos, Pharisæum et Publicanum. Quid dictum est de Pharisæo? Quoniam humiliatur. Quid dictum est de Publicano? Quoniam exaltatur. Quare ille humiliatur? Quia exaltavit se. Quare iste exaltatur? Quia humiliavit se. Ergo ut exaltantem se humiliet Deus, gravat super illum manum suam. Noluit humiliari confessione iniquitatis suæ, humiliatus est pondere manus Dei. Quando ille perferret manum gravem humiliantis? Quam levis fuit manus sublevantis, ut in illa fortis et in illa fortis: fortis ad illum premendum, fortis ad illum sublevandum.* Et S. Gregorius de Davide expressius, ait: Quoniam manus tua, quæ superbos humiliat, humiles exaltat, gravata est super me. Me enim
C superbum depressit: quia non solum peccatum mihi dominari permisit, sed etiam de qua nimis gloriabar, iustitiam mihi difficilem fecit; ita Gregor.

Quæres secundo: Quomodo David conversus est in ærumna? Primo, S. Basilius, S. August. Lombard. sensum esse volunt, q. d. factus sum miser, conversus sum in miseriam, volutatus sum in ærumna mea, quocumque me verterem, calamitates et miserias atque ærumnas reperiebam. Paulo aliter S. Gregor. *Qui*, ait, *de me præsumens quasi divitem me prius et nullius egentem credidi, postea ad me rediens, quam sum miser et infelix, agnovi.* Idem fecit prodigus ad se reversus, et cogitans, quanti mercenarii in domo patris abundarent panibus, dum fame periret. 51. Conversus est David in ærumna: id est, afflictus est. I.

Secundo, et melius, Dionys. Iansen. Titelm. Bellarm. II.
D et alii. Sensum esse volunt, q. d. propter afflictiones et calamitates mihi a te immissas, cognovi gravitatem peccatorum meorum, et a voluptatibus rebusque terrenis aversus, quod mihi tantum fellis ac veneni in aureo et melleo poculo propinassent, ad te sum ex animo conversus, teque aspexi ut summum meum bonum. Sic prodigus ad porcos damnatus, ibique siliquis, id est, folliculis inanibus fabarum, pisorum, at cæterorum leguminum, quæ porcis dabantur, cupiens ventrem implere, in se reversus dixit Luc. 15. 18. *Surgam, et ibo ad patrem.* Non sunt ibi porci, nec siliquæ, multo minus fames. S. Chrysologus serm. 1. *Est penes patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, secura possessio.* Conversionem illam fecit afflictio. Nam ut ait S. August. in Ps. 21. *Intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.* Et alibi: Flagellum, inquit, interius et exterius glorificat Creatorem, compellit Et melius, sensus est, q. d. per ærumnam se convertit ad Deum.

nolentem, erudit ignorantem, custodit virtutem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat superbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem, initiat ad mortem semper viventem.

52. Quæres tertio: Quomodo Davidi confixa est spina? Pri-
1. mo, qui spinam pro osse dorsi sumunt, legunt *confringitur*, ut plurimum, pro configitur, et Primo, id de ratione explicant, q. d. ait S. Thomas, ratio, quæ sicut spina est regens dorsum, deprimitur. Secundo, et melius, idem sanctus Doctor, S. Gregor. Beda, Lombard. et alii multi explicant de superbia, quia spina erectum hominem te-

Spina dorsi Davidi confixa est, et quomodo?

1.

2. net. Remigius: *Conversus sum*, inquit, *o laude in accusationem mei, dum confringitur spina, id est, dum frangitur spina superbiæ: et inclinor ad humilitatem per legis prohibitionem. Spina est os, quod animalis corpus rigidum tenet: ea fracta incurvatur.* Eliphaz Themanites, id est Rex Themanorum in Idumæa, ait de impio et superbo: *Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice armatus est*, Iob. 15. 26. Currere erecto collo indomitam quamdam superbiam notat, ait Pineda. De Achab autem Rege Israel minis Eliæ humiliato dicitur 3. Reg. 21. 27. *Scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, ieiunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite.* Quod ita placuit Deo, ut licet non esset alter talis sicut Achab, qui venumdatus erat, ut faceret malum in conspectu Domini, pœnas tamen intentatas distulerit post eius mortem. Si dorsum erectum teneant superbi, illud percutit Deus. Deuter. 33. 11. ait Moses: *Percute dorsa inimicorum eius* (tribus Leviticæ) *et qui oderunt eum, non consurgant.* Spina scilicet eorum confracta, id est, ipsorum viribus, ut contigit hostibus Machabæorum, qui erant de tribu Levitica. Proverb. 10. 13. *Virga* (sed ferrea) *in dorso eius, qui indiget corde*, id est, insipientis, hoc est, peccatoris, et maxime superbi. Stultus dicitur quasi stans altus, superbia enim est summa stultitia. Cum illa virga sit ferrea, dorsum confrigit. Ps. 2. 9. *Reges eos in virga ferreo, et tamquam vas figuli confringes eos.* Ps. 68. 24. *Dorsum eorum semper incurva.* Et de se ait Ps. 65. 11. *Posuisti tribulationes in dorso nostro.*

53. Secunda, et melius, sumenda est spina pro aculeo sen-
II. tis vel rubi, quo pungunt, ut dixi supra. Sic autem spina sumetur Primo, pro punctionibus, minis et terroribus legis, quæ pungunt conscientiam, eamque exterrent. Ita Remigius et Beda, qui sic ait: *Lex fixit spinam, id est, compungi fecit conscientiam; quia lex admonuit, ut se quisque reum agnosceret, videns se eam non posse implere.*

Spina, id est, aculeus, infixa est Davidi, et quomodo?

I. Secundo, Taletus dicit spinam esse reprehensionem
II. Prophetæ Nathan, qui animo Davidis pœnitentis adhæsit. Salomon verba sapientum confert stimulis et clavis, Ecclæ. 12. 11. *Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno*, nempe Deo, et Christo. S. Gregorius in Evang. Clavis ac stimulis verba sapientum comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Sententia quinque Doctorum Hebræorum habetur in Pirke avoth, id est, in sententiis Patrum, cap. 2. *Ad ignem sapientum incalesce, si potes: incendio autem illorum ne ardeas, cave. Dentes enim eorum dentibus vulpinis acutiores sunt: pungunt instar scorpionum, et verba ipsarum urunt tædarum in modum, atque in cineres resolvunt.* Ubi nota, stimulos illos pungere, sed ad utilitatem, non ad dolorem. Nam pro *stimuli* Græce est βούκεντρα, id est, stimuli boum, quibus scilicet boves compuncti celerius et fortius arant, et agrum ad fructus ferendos aptiorem reddunt. Olympiodorus: Sicut, inquit, stimuli boves pungunt urgentque aratro sulcos proscindere: ita et Theologorum verba excitant nos, qui spe bona aremus, proscindere sulcum spiritualem: ut cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutis surculos conseramus.

III. Tertia, spina configens Davidem est stimulus conscientiæ, ac remorsus ob peccata præterita; ita S. Thom. Ugo, Titelm. S. Aug. de utilitate pœnitentiæ, cap. 1. tom. 9. S. Gregor. lib. 3. in 1. Reg. cap. 6. et alii. Sensus hic est facillimus. Hinc Syr. vertit: *Volutatus est in pectore meo dolor, ad occidendum me*, q. d. qui posset mihi mortem afferre. Et Arabs: *Et reversæ sunt curæ occidentes me* (id est, vitam meam consumentes et minuentes, vitam mihi morte amariorem reddentes) *in cor meum.* Ut enim ait S. Isidor. lib. 2. soliloquiorum: *Nulla pœna gravior, pœna conscientiæ. Vis autem nunquam esse tristis? bene vive. Secura mens tristitiam leviter sustinet. Bona vita gaudium semper habet: conscientia autem rei semper in pœna est. Nunquam securus est reus animus: mens enim mala conscientiæ propriis agitatur stimulis.* Et Seneca ep. 97. Rem dicam, inquit, ex qua mores æstimes nostros. Vix quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit: sic vivimus, ut deprehendi sit subito aspici. Quid autem prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, *mala autem in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!*

Quarto, et optime, spina configens Davidem est tribu- IV.
latio eum pungens et fodiens; ita Thomas Anglicus, S. Bernardus serm. 48. in Cant. et alii. Verba S. Bernardi sunt: *Bene confixus, qui conversus exinde est. (Bene pungeris, si compungeris, cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam) et talis dicere potest: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, o tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum, vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. In terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his, et minime lædi divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed confidite, inquit, quia vici mundum. Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum, tamquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet, sciens, quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Plinius l. 12. c. 16. docet myrrham Indicam de quadam spina colligi. Myrrha est pœnitentia: spina est tribulatio. Avicenna l. 2. caus. dicit radicem albæ spinæ masticatæ, a punctura scorpionum attrahere venenum. Philosoph. lib. 1. urget, ait, multas plantas sylvestres clavis confixas fieri hortenses. De quadam arbore Iaponica alias memini, quæ clavis fixa melius radices agit, et fructus producit. Idem in plerisque hominibus accidit, in quibus balsamum, thus, myrrha non defluunt sine incisione et punctione. Deus peccatori non deest, spinis eum circumcingit et fodicat, ut ad mentem redeat. Oseæ 2. 6. *Ecce ego sepiam viam tuam spinis*, ut non tantum ex utraque parte viæ sunt spinæ, sed etiam eunti semper obiiciatur sepes spinarum, id est, spinæ densissimæ, et sibi mutuo implicatæ, ut perrumpendo manus, vultus, oculi, pectus, pedes, totum corpus cruentetur, sicque via displiceat et ab ea resilias. Proverb. 15. 19. aperte id dicit Salomon: *Iter impiorum quasi sepes spinarum.* Hebr. via pigri velut senticetum spinarum: id est, locus, ubi non sunt nisi spinæ. Chald. via pigrorum tribuli et spinæ. Mendoza noster commentario in lib. 1. Reg. cap. 12. num. 9. tom. 2. Supplicia, inquit, calcaria sunt, quibus homines scelerum veterno consopiti ad Deum quærendum stimulantur. Hoc David medicamentum expertus, e suo morbo convaluit. *Conversus sum*, inquit, in *ærumna mea, dum configitur spina*, Ps. 31. 4. q. d. Punctiones seu persecutiones passus, ad viam salutis, de qua decideram, remigavi. Idcirco hoc remedium omnibus peccatoribus convertendis a Deo postulabat: *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum Domine*, Psal. 82. 17. Sicut enim medicum nemo curat, nisi morbo aliquo vexetur: ita peccator Deum non quærit, nisi aliqua afflictione torqueatur. Sic Ephraim, id est, frugifer, dum uberrimis frugibus in patria frueretur, a Deo recedebat, iuxta illud: *Ephraim quasi avis avolavit*, Oseæ 9. 11. intellige a cultu divino, quem cultu idolorum commutarat. Sed idem bonis omnibus destitutus, et in captivitatem avectus, ad meliorem

Et optime.

54. Spinæ sunt peccatores et afflictiones.

frugem remeabat, iuxta illud: *Audiens audivi Ephraim transmigrantem: castigasti me, et eruditus sum: quasi iuvencnlus indomitus*, Ierem. 31. 18. Ubi nota illud: Audiens audivi, hoc est, frequentissime audivi: quia ille suo malo edoctus, frequentissime ad Dominum clamabat. Vide dicta Psal. 59. 4. in illud: *Sano contritiones eius, quia commota est.*

55. Symbol. Spinæ figentes Davidem erant voluptates.

Symbolica. Spinæ configentes Davidem erant voluptates, deliciæ, divitiæ, honores, applausus nulici. In radice sua, id est, in principia, sunt molles et suaves, sed in progressu pungunt, et in fine obdurata, cruentant et fodiunt. Didymus: Sollicitudines vitæ, inquit, voluptates et illecebras huius sæculi Salvator spinas interpretatus est. Cum igitur huiusmodi spina alicui infixa fuerit, is statim in ærumnas et miserias ob huiusmodi mutationem et conversionem prolapsus cum natura non sit, miser efficitur. Dixit infelicem, atque miserabilem significent: *At spinam quidem non natura infigi ostendit, sed exterius ingredi.* Ab hac ergo, ait, stimulatus in ærumnam conversus sum, idque pœnitentia et animadversione Domini erudiente. Quem enim diligit Dominus, castigat. Flagellat autem filium, quem suscipit; ita Didymus.

Matth. 13. 22. spinis divitias Christus comparat, ait enim: *Qui autem seminatus est* (id est, semen verbi Dei excepit) *hic est, qui verbum audit, et sollicitudo sæculi, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur.* Rabanus: Recte divitiæ spinæ vocantur, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et quasi strangulando, spirituales virtutum fructus gignere non permittunt. Vide S. Gregor. homil. 15. in Evang.

56. Ursi in melle capiuntur apud Russos.

Mel præ se fert voluptas, sed ut inescatos perimat. Refert Olaus Magnus lib. 18. histor. Sept. cap. 14. ursos in Russia hac arte capi et necari. Apes, inquit, in Russia ad cavas arbores mellificant: ursi, quia mellis avidissimi, in eas insiliunt: venatores *clavam ligneam ferreis cuspidibus circumdatam* super foramen egredientium apum, ex altiori ramo suspendunt: hæc a scandente urso agitata decidit, et caput ursi, quod debilissimum habet, obterit: ita mello mortem sibi accersit. Hoc ipsum faciunt deliciarum amatores, mel quærunt, ferreos stimulos et cuspides reperiunt, quibus mactentur; iure igitur. Tullius lib. de senectute ait: *Divinc Plato escam malarum, voluptatem appellat.* Et lib. 1. de legib. *Voluptas malorum omnium mater.* S. Basilius in exortatione ad baptismum, tom. 1. *Voluptas*, ait, *peccati mater, peccatum vero* κεντρον θανατȣ, *mortis stimulus. Voluptas demum*, τροφος αιωνιȣ σκωληκος, *perpetui vermis nutrix, ad tempus admodum breve possidentem demulcet: postremo autem*, πικροτερας χολης, *acerbiore felle germina producit.*

57. II. Spinæ sunt peccata ob septem rationes.

Secundo, etiam symbolice spinæ configentes Davidem in illius deliciis et voluptatibus fuerunt eius peccata; ita Theodoretus, Ugo, Pepinus, et alii. Primo enim spina peccatum est, quia oritur ex negligentia excolentis agrum.

I. Prov. 24. 30. et seq. *Per agrum pigri hominis transivi, et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem eius spinæ, et maceria* (Syrus, sepes) *lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam*, id est, statui sapere hoc exemplo commotus. Philo de plantatione Noe ait, Deum in homine quasi in minore mundo arbores quasdam condidisse, et vites: nempe auditum in auribus, visum in oculis, in naribus odoratum, et sic de cæteris. Sed a corde succum hauriunt, si desit cor, urticæ et spinæ fiunt. Hebraice pro *viri stulti*, est *viri carentis corde.* Statim atque Adamus peccavit, dixit illi Deus, Genes. 3. 18. *Terra spinas et tribulos germinabit tibi.* Theodoret. in Ps. nostr. Causa malorum meorum fuit peccatum, quod uvæ loco produxi.

II. Secundo, peccatum est spina, quia spina inutilis est, et sine fructu, saltem alicuius pretii; ita Theodoretus ait hic: *Spinam peccatum nominavit*, ως αχρηστον βλαστημα, *tamquam germen inutile*, et ad pungendum natum. Sap. 4. 3. *Multigena* (πολυγονον, multiplex, multiplicata, multa) *autem impiorum multitudo non erit utilis. Et spurio vitulamina* (μοσχευματα, surculi, plantæ) *non dabunt radices altas.*

Tertio, peccatum est spina, quia ignis æterni est aptissima materia. Isaiæ 33. 11. Deus alloquens Assyrios cogitantes de incendio Ierosolymæ, cum Sennacherib Iudæam est ingressus, ait: *Concipietis ardorem, parietis stipulam* (erunt irritæ minæ vestræ) *spiritus vester ut ignis vorabit vos. Et erunt populi* (Assyrii igne occulto, id est, peste ab Angelo una nocte percussi ad 185. millia) *quasi de incendio cinis*, (et quasi) *spinæ congregatæ igni comburentur.* Et de Israelitis, id est, de decem tribubus, dicit cap. 9. 18. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit: et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi.* Hebr. Elevabunt se secundum elevationem fumi, q. d. peribunt sicut fumus se elevans. III.

Quarto, peccatum est spina, quia spina cum comburitur, stridet et crepitat. Salomon Ecclæ. 7. v. 7. ait: *Sicut sonitus* (strepitus, fragor, crepitus, ut Campensis et alii vertunt) *spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: sed et hoc vanitas.* S. Ambros. in exhort. ad Virgin. *Spinæ*, inquit, *cum ardent, sonant, et cito exuruntur, ut nullius caloris sit effectus. Unde et de Iudæis dictum est: Exarserunt sicut ignis in spinis*, Psal. 117. 12. In Eccl. est elegans paranomasia inter שׂיר *seir*, id est, canticum: unde *sirenes* cantatrices, id est, voluptates blandientes, dici arbitror, et inter סיר *sir* cum samech, id est, spina, quod etiam ollam significant. In ipsa olla, id est, gula, spinæ sunt ac dolores. IV.

Quinto, peccatum est spina, quia suffocat bonam sementem. Luc. 7. v. 7. *Aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* V.

Sexto, peccatum est spina, quia pungit. S. Gregor. in Ps. nostr. *Per spinam, ait, omne peccatum idea accipitur, quia dum confert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.* Et Innocentius eleganter dicit: *Potest per spinam intelligi culpa, quæ pungit, vulnerat, et cruentat, 1. pungit in cogitatione; 2. vulnerat in consensu; 3. cruentat in actu.* De Idumæa, quæ sanguineam significat, id est, de anima peccatis vulnerata et cruentata, dicit Isaias cap. 34. 13. *Orientur in domibus* (in membris et sensibus) *eius spinæ, et urticæ, et paliurus* (genus spinæ et rubi acutis spinis) *in munitionibus eius*, in ipsis eius potentiis, quæ sunt velut castella et arces animæ: nempe in intellectu, memoria, et voluntate. VI.

Septimo denique, peccatum est spina, quia infixum hæret animæ, eam retinet, implicat, et innectit. S. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Hebr. *Non solum, ait, peccatum ingreditur*, αλλ' εμπηγνυται, *sed infigitur, et si parum eius remaneat, et non totum ipsum exemerimus, parum illud æque dolorem infert atque ipsa spina. Et quid dico ipsum parum. Etiam postquam exemptum fuerit, diu immittit plagæ dolorem*, και δια τȣτο δει θεραπειας πολλης και ιατρειας, *et ideo multa medicina opus est atque curatione, ut liberemur. Neque enim peccatum solum eximere oportet, sed etiam curare locum percussum.* VII.

Allegorica. Arnobius de Christo sic explicat: Quis est, inquit, qui remittit peccata? Ille sine dubio, de quo dicitur 1. Petr. 2. 22. *Quia non est in ore eius dolus.* Mundus itaque totus in sente positus, et in vulnere constitutus, quia gravata erat super eum manus Dei, et conversus in ærumna fuerat, pro eo quod fracta esset eius spina, quæ libertatem cervicis et capitis eius sublimabat: clamavit semper per voces Prophetarum, ut veniret qui salvaret eum. At ubi venit Dominus, tacuit, dum clamarem. Veniente enim Domino, lex et Prophetæ, qui clamabant, tacuerunt; ita Arnob. sed paulo obscurius. Allegor.

58. Tribulatio Christi summa fuit.

Secundo itaque melius hæc verba Christo attribua, velut cooperto nostris peccatis, et pro illis patienti. Dicit enim tribulationem suam fuisse Primo, continuam ratione omnis temporis, v. 4. *Quoniam die ac nocte.* Secundo, magnam ratione intentionis, *gravata est.* Tertio pene intolerabilem, et supra vires totius naturæ, *super me.* Quarto, inevitabilem, ob potestatem inferentis, *manus tua.* Quinto, conterentem, et solo affligentem, *in ærumna mea.* Sexto denique, pungentem et urgentem, *dum configitur spina.*

ARTICULUS III.

Confessionis perfectæ conditiones octo.

Vers. 5. 1. Pars. DAVID post contritionem suam expositam, qua in ærumna et calamitate sua configebatur, confessionem suam perfectissimam ostendit, cuius octo proprietates edverto, Primo, ut ait propria, vers. 5. *Delictum meum.* Se-
59. Confessio Davidis habebat octo proprietates. cundo, ut perspicua et clara, *cognitum tibi feci.* Tertio, ut integre, *et iniustitiam meam non abscondi.* Quarto, ut præmeditata, non præceps, vers. 6. *Dixi* (id est, statui, decrevi) *confitebor.* Quinto, accusatoria, *adversum me.* Sexto, humilis, *iniustitiam meam Domino*, ego servus. Septimo, efficax, *et tu remisisti impietatem peccati mei.* Octavo, non nimis sera, sed tempore commodo facta, vers. 7. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.*

I. Erat de propriis peccatis. Ac primo, Confessio debet esse de propriis peccatis, v. 5. DELICTUM MEUM COGNITUM TIBI FECI, ET INIUSTITIAM MEAM NON ABSCONDI. Nota, differentia est inter *delictum et iniustitiam.* Primo, quod *delictum* sit peccatum omissionis: *iniustitia* vero peccatum commissionis; ita S. Gregorius, Ruffin. Remig. Ugo, a Castro, Toletus, Innocentius. Secundo, *delictum* est peccatum cogitationis: *iniustitia* est peccatum operis; ita Ruffinus. Tertio, *delictum* est peccatum per imprudentiam factum: *iniustitia* est id, quod scienter committitur; ita Ribera 4. de templo, cap. 6. num. 26. Quarto, Lorinus ait, hic delictum et iniustitiam esse synonyma, et frustra laborari in differentia quærendo. Sed hoc verum esse non arbitror. Quinto itaque, per *delictum* arbitror intelligi peccatum cum Bethsabea admissum, quod non fuit ex malitia, sed ex infirmitate et vehementi tentatione, sine cogitatione aut desiderio iniustitiæ faciendæ, sed tantum ex ardenti passione. Per *iniustitiam* vero reor sumi peccatum homicidii. Nam Uriæ cædes directe et per se erat iniustissima, atque ut talem statim omnes cognoscunt atque execrantur, et ex deliberata malignitate ortam. Adde in Hebræo pro *delictum* esse חטאה *chatoa*, id est, peccatum sordidum. Rad. *chata*, peccare, sordidum esse. Unde recte Magnetius in quadam editione vertit: *At postquam explicui sordes, peccato retexi*; nihil est sordidius adulterio. Prov. 24.27. *Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus alieno.* Quia profunda est, ideo luto plena: quia angusta, ideo inde se amasii extrahere non possunt. Est puteus bituminis in valle Sodomæ, in eum cadunt devicti, Gen. 14.10. hæc vallis postea facta est mare salis, ibid. 3. id est, salsissimum, quod etiam dicitur mare mortuum, quia nihil ibi vivit. Luxuria præsertim adulterorum est causa cædis, ut fuit in Davide occidente Uriam, in Herode Antipa Galilææ Tetrarcha, filio Herodis Ascalonitæ: nam S. Ioannem Baptistam precibus Herodiadis occidi iussit, quod diceret ipsi non licere abuti uxore Philippi fratris sui, qui in Thrachonitide imperabat. Vocabatur etiam Herodias, et erat mater saltatricis, quæ cædem illam obtinuit, Matt. 14. 8. et seqq. S. Isidorus de fornicariis agens dicit: *Hi sunt, quos iam lethale θ obsignat.* Per θ olim iudices damnabant reos ad θάνατον, id est, ad mortem. Hinc Persius dicit: Et potis est vitio nigrum præfigere theta. Et S. Chrys. homil. 49. in Matth. Luxuria non solum petulantes, sed et homicidas facit. De differentia delicti et peccati vide Cornelium, Levit. 7. 1.

Nota secundo, imitandus est David se accusans, et alios excusans, ac servare innoxios cupiens. Cum post numeratum a se populum, et immissam pestem, qua septuaginta millia perierunt, vidisset Angelum stricto gladio cædentem populum, exclamavit 2. Reg. 24.17. *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi: isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei.* Ubi 1. se reum fatetur; 2. alios clamat esse innocentes; 3. pœnæ se affici postulat.

Psal. 40. 5. ait: *Ego dixi Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*, id est, ut ait Ruffinus, coram te, vel contra te. S. August. autem Davidem se accusantem inducit loquentem his verbis: *In factis meis, in*

A *peccatis non accuso fortunam: non dico, hoc mihi fecit fatum: non dico, adulterum me fecit Venus, et latronem me fecit Mars, et avarum me fecit Saturnus. Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.* Hoc in Ps. nostr. pie et eleganter amplificat, verba citabo art. 5. ubi agam de effectu confessionis.

Quæres, an possit et debeat pœnitens aperire peccatum alienum, quando sine illo non potest explicare suum, v. g. incestum cum filia aut sorore, quam novit sacerdos, cui confitetur? Respondet Henricus Henriquez in summa Theolog. lib. 5. cap. 9. in hunc modum: Propter conservandam proximi famam, curet pœnitens quantum salva confessionis integritate licet, ne complex aut tertia persona agnoscatur: quia infamatio complicis in re gravi, licet fiat apud unum alienum confessarium secrete, non compensatur ullis bonis ipsius complicis. Ubi grave malum timetur, si declaretur ea circumstantia speciem mutans, tacende quidem est in particulari, et tamen confitendum est genus peccati externi, ut quod fornicatus est, tacita circumstantia sacrilegii aut incestus: aut certe exprimat consensum internum totius speciei, ut se concupivisse metrem. Nam huiusmodi confessione alter complex infamiem non incurrit; ita Henriquez: Illem consule, varia enim refert. Ordinarie et licet et necessarium est confiteri complicem, si aliter non potest explicari peccatum. An possit et debeat pœnitens aperire peccatum alienum.

B

Secundo, Confessio debet esse perspicua et clara. Unde addit David, COGNITUM TIBI FECI. Hebraice est, אודיעך *odiacha*, id est, notum faciam, ut vertit S. Hieronymus. Sed, ut sæpe moneo, et in Psalmis est frequentissimum, Hebræi tempora permutant, et futurum sumunt pro præterito, præsertim quando id, quod iam factum est, continuabitur. Sept. vertunt ἐγνώρισα, quod significat novi *et cognitum feci.* Hinc S. Augustin. et Victor Cartennæ Episcopus in Africa lib. de Pœnitent. cap. 8. legunt: *Peccatum meum cognovi.* 60. Vers. 5. 2. Pars. II. Confessio debet esse perspicua.

C Nota secundo, cognitum facere Deo peccatum, est illud et illius causas atque circumstantias plane aperire. Scientia enim est cognitio rei per causam. S. Gregorius: *Quamvis, ait, omnia sint nuda et aperta oculis tuis, tamen quia ore confessio fit ad salutem, feci tibi cognitum delictum, dicens illud esse meum. Mihi enim, quia deliqui, imputo, me solum in operum meorum pravitate culpabilem clamo. Plus est delictum cognitum facere, quam delictum manifestare. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit, annuntiat, sed etiam omnem peccandi causam et originem narrat. Qui non superficie tenus peccatum loquitur; sed et quando, et ubi, et quomodo: et si vel ignorantia, vel casu, vel studio deliquerit, confitetur.* In hoc lapsus est Adam, qui peccatum quidem confessus est Deo, sed causam eius non in se, sed in uxorem suam, et oblique in Deum, qui eam dederat, reiecit: ait enim Genes. 3. 12. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno* (id est, de arbore, hoc est, de fructu arboris scientiæ boni et mali) *et comedi*, q. d. nisi illam mihi dedisses, de fru-
D ctu vetito non comedissem: itaque illa est causa immediata mei peccati, tu vero mediata. Eva quoque culpam suam confessa est, sed causam eius ait fuisse serpentem. Dixit enim v. 13. *Serpens decepit me, et comedi.* Ideo tam graves pœnas subierunt, ut ibi narrator.

Qui vero peccata Deo aperit, ab eo veniam impetrat. S. Augustinus in Psalm. nostr. *Delictum meum, ait, cognitum tibi feci. Non operui, sed operui, ut operires: non celavi, ut tegeres. Nam quando homo detegit, Deus tegit: cum homo celat, Deus nudat: cum homo agnoscit, Deus ignoscit.* Et Ps. 84. 12. in illud: *Veritas de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit*, sic ait, post verum sensum assignatum de Christi incarnatione: *Possumus hinc dicere alterum sensum: Veritas de terra orta est, confessio ab homine: homo enim peccator eras. O terra! qui quando peccasti, audisti Gen. 3. Terra es, et in terram ibis. Oriatur de te veritas, ut respiciat de cælo iustitia. Quomodo ergo orietur a te veritas, cum tu peccator sis, cum tu iniquus sis? Confitere peccata tua, et orietur de te veritas. Si enim* Qui peccata aperit veniam impetrat.

cum sis iniquus, dicis te iustum, quomodo a te orietur veritas? Si autem cum sis iniquus, dicis te iniquum, veritas de terra orta est. Intende illum Publicanum longe a Pharisæo in templo orantem, qui neque oculos ad cælum audebat levare, sed percutiebat pectus suum dicens. Luc. 18. 13. *Dominus propitius esto mihi peccatori. Ecce veritas de terra orta est, quia confessio peccatorum ab homine facta est. Quid ergo sequitur? Amen dico vobis, quia descendit iustificatus Publicanus ille magis, quam ille Pharisæus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur. Orta est veritas de terra in confessione peccatorum, et iustitia de cælo prospexit, ut descenderet iustificatus Publicanus ille magis, quam ille Pharisæus. Nam ut noveritis, quia veritas pertinet ad confessionem peccatorum, ait Ioannes Evangelista* 1. epist. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Quomodo ergo veritas de terra orietur, et iustitia de cælo prospiciet? audi illum sequentem et dicentem: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata, et purget nos ab omni iniquitate. Veritas ergo de terra orta est, et iustitia de cælo prospexit. Quæ iustitia de cælo prospexit? Tamquam Dei dicentis: Parcam huic homini, quia ipse sibi non pepercit: ignoscamus, quia ipse agnoscit. Conversus est ad puniendum peccatum suum, convertar et ego ad eum liberandum;* ita Augustinus. Et quidem iustum est, ut non bis puniatur in idipsum. Sic ait Paulus 1. Corinth. 11. 31. *Si nosmetipsos diiudicaremus* (id est, probaremus et excuteremus, ut agnita peccata confiteremur, ut Gagneius et Caietanus exponunt) *non utique iudicaremur*, (id est, puniremur morbis et morte, ut ait Vatablus et Erasmus) *dum iudicamur autem* (punimur in hac vita) *a Domino corripimur* (velut a patre filii) *ut non cum hoc mundo* (cum infidelibus et peccatoribus mundi) *damnemur*.

Omnia scienti Deo quomodo peccatum potest manifestari?

Dices. Cum Deus perfectissime omnia sciat, quomodo peccator illi delictum suum cognitum facit? Resp. David loqui more humano. Iudex enim etiamsi sciat delictum rei, quia ipse vidit fortasse illud committi: tamen non dicitur scire iuridice, nisi reus ex testimonio plurium testium sit convictus, aut ipse reus aperte confiteatur, adactus fortasse ad confessionem per tormenta. Sic igitur Deus viderat quidem Davidem peccantem: sed volebat eum aperte confiteri: ideo flagella quasi quæstionem adhibuit; ita Bellarminus. Ad illam confessionem iudici faciendam nos hortatur S. Ioannes Climacus gradu 4. *Ante omnia*, inquit, *culpas nostras præclaro iudici nostro soli confiteamur: omnibusque, si ille iusserit, confiteri simus parati*. Addit deinde, nullam posse consequi remissionem peccatorum sine confessione, quæ fit homini.

Vers. 5. 3. Pars. III. Confessio debet esse integra.

61. Tertio, Confessio debet esse integra, id est, ita ut nullum peccatum celetur: parum enim refert, uno an multis laqueis captiva avis aut fera teneatur, uno an multis vulneribus occumbat. Ideo ait David vers. eodem 5. ET INIUSTITIAM MEAM NON ABSCONDI. Nota, S. Gregor. legit *iniustitias meas*. Primo enim adulterium cum Bethsabea est iniustitia, quia fit iniuria et marito, qui solus habet ius in corpus uxoris; et liberis qui soli habeant ius ad hæreditatem, quod in simplici fornicatione non contingit. Secundo, cædes Uriæ fuit aperta omnibus iniustitia, erat enim innocentissimus: et regni magno damno occidebatur, quia erat generosissimus et fortissimus dux. Itaque in ea cæde fiebat iniuria, 1. Uriæ; 2. uxori eius; 3. liberis; 4. familiæ universæ; 5. regno. Syr. vertit: *Et insipientias meas non abscondi a te*. Quid enim stultius quam Deum offendere?

Hebræi per affirmat. et negat. idem dicunt.

Secundo nota. Prius dixerat per affirmationem: *Delictum meum cognitum tibi feci*. Nunc idem dicit per negationem: *et iniustitiam meam non abscondi*. Sic facere solent Hebræi, cum vehementem, frequentem et totalem ac perfectissimam rei declarationem denotant. De S. Ioanne Evangelista se Messiam esse pernegante dicitur Ioan. 1. 20. *Et confessus est, et non negavit, et confessus est*. Iosue dux populi dixit Achan, qui furatus erat pallium coccineum, et ducentos siclos, id est, ducentas libras argenti, regulamque auream inter spolia urbis Iericho, quæ a Deo facta erat anathema, id est, ferro et igni ita exposita, ut omnia ibi essent occidenda, vel igni tradenda, Iosue 7. 19. *Fili, da gloriam Domino Deo Israel: et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*. Ubi obiter nota, esse Dei gloriam ut confiteamur ei, et Sacerdotibus qui sunt duces et iudices populi eius, peccata nostra facta in Iericho, quæ significat lunaticum, id est, in mundo stultitiis, hoc est, peccatis pleno. Quandonam dimidiari possit confessio, ita, ut sit formaliter integra, licet non materialiter, vide apud Mærat. tract. de Pœnitentia, disp. 28. et seqq. et Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 22.

Peccata omnia sunt detegenda, et cur?

Moral. nota. Peccata omnia sunt detegenda. Primo, ne in iudicio universali detegantur. S. Chrys. homil. 33. in Ioan. *Vos*, inquit, *hortor, dilectissimi, ut etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, et iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi ea manifesta patere*. Secundo, illa declaratio peccata præterita delet. S. Eligius Novionensis Episcopus hom. 11. de Cœna Domini ad populum et pœnitentes: *Omnis*, inquit, *peccator, intra conscientiam abscondit se, introrsus latet*, in *suis penetralibus occultatur: sed mortuus exiit foras, dum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro igitur dicitur: Veni foras, ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intro conscientiam abscondis? foras* 1.
iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque iam foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Tertio, illa peccati apertio vul- 2. 3.
nera per peccatum facta sanat. S. Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam: Vos fratres, inquit, appello post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri. Rogo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: *prudenter ægri medicos non verentur*, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam perusturos; ita ille. Quarto, confessio peccati 4.
tentationes etiam consuetudine firmatas tollit. Cassianus collatione 2. cap. 11. refert, quod Serapion solitus erat furari paximatium, id est, panem unum ad explendam gulam: publice hoc ipsum confessus, ab omni tentatione gulæ et furti in perpetuam liberatus est: dæmon enim specie lampadis de sinu eius egredi visus, mira fœtore totam cellam replevit. Nihil ergo, ait Cassianus, sic noxium est monachis, et lætificat dæmones, quam si patres spirituales celent suas cogitationes. Quidam præterea cum per totos quatuordecim annos tentationem de fornicatione superare non potuisset, et a sua cogitatione avertere, publica tandem confessione illam superavit. Quinto 5.
denique, declaratio aperta peccatorum penitus infringit vires dæmonis. Astion martyr per confessionem curatus fuit a turpi cogitatione, et diabolus ab eo in specie pueri nigri cum ignea facula recessit, dicens: *Confessio tua, o Astion, magnas meas vires contrivit, et inermem me reddidit*. Dæmon est Princeps tenebrarum, in illis dominatur, serpens lucem fugit.

Serapionis tentatio confessione superatur.

Occultatio peccati nocuit Adamo et Evæ.

Contra vero peccati occultatio nocuit Adamo, Evæ, et Caino. Prima enim Adamus et Eva statim commisso peccato nuditatem suam occultaverunt, Gen. 3. 7. *Fecerunt sibi perizomata*, id est, ventris subligacula, ut partes pudendas obtegerent, sicut nunc faciunt Brasilii, Cafres, et varii Indorum populi. Et Adam dicit Deo, v. 10. *Timui, eo quod nudus essem, et* (hoc est, ideo) *abscondi me*. Secesserat enim audito Dei adventu, et se cum Eva absconderat in medio ligni, id est lignorum, seu arborum paradisi. Est enim enallage numeri. Dæmon, cum peccandum est, ostendit pulchritudinem et suavitatem, vers. 6. *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, sperat aliquam cum Deo similitudinem in cognitione boni et mali. Cum vero peccatum perpetratum est, relinquit pudorem et ruborem proposita eius turpitudine. Musonius Philosophus apud Gellium lib. 16. noct. Atticarum, cap. 1. Cum quis,

nit, per voluptatem aliquid turpe gessit; quod suave est, A abit: quod turpe et triste est, manet. Secundo, Cain post occisum Abel anno mundi 130. ut probabiliter ait Pererius et Torniellus, provocatus a Deo ad confessionem peccati, illud tegere conatur. Ideo maledicitur Gen. 4. 11. *Nunc igitur maledictus eris super terram*, tremendo, huc illuc vagando, et tolerando varias calamitates. Adam confessus statim est peccatum suum, ubi Deus dixit: Adam ubi es? ideo maledicitur tantum terra, non vero ipse. Si se non occultasset, nec in alium causam peccati reiecisset, fortasse etiam cum venia benedictionem et laudem obtinuisset, sicut Magdalena, Luc. 7. 41. et sequentibus.

Atque Caino.

62. Vers. 5. 3. Pars. IV. Confessio debet esse præmeditata.

Quarto, Confessio debet esse præmeditata, non præceps, expensis scilicet accurate peccatis, et eorum circumstantiis, ut eas medico suo aperiat, v. 5. DIXI: CONFITEBOR ADVERSUM ME INIUSTITIAM MEAM DOMINO: ET TU REMISISTI IMPIETATEM PECCATI MEI. *To dixi* sumitur de dictione et locutione interna, q. d. proposui, decrevi, apud me, firmiter in animo meo determinavi. Sic sumitur Ps. 38. 2. *Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*. Ps. 76. 11. *Dixi, nunc cœpi* (Psalt. Illyricum, incipiam) *hæc mutatio dexteræ Excelsi*. Et Ps. 118. 57. *Portio mea* (S. Hieronymus, pars mea) *Domine, dixi custodire legem tuam*. S. Hieronym. ut custodiam verbum tuum. S. Gregor. in Psal. nostr. *Quod*, inquit, *delictum meum cognitum tibi feci, quod iniustitias meas non abscondi, non fuit ex necessitate, vel alicuius levitatis occasione, sed ex pœnitendi et confitendi præmeditatione. Nam, dixi, id est, in corde meo statui: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*. S. Bernardus illa verba considerans serm. 3. de S. Andrea Apostolo: *Ostendam tibi*, ait, *unum iustorum iustissime confitentem. Quæris, quisnam sit? Psaltes Domini est. Dixi, inquit, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino. Dixi, hoc est, in corde proposui, non coactus, non compulsus, sed spontaneus. Iniustitiam meam, non alienam, adversum me arguens et accusans. Vides quia non timore alterius, vel ad alium accusandum, sed seipsum: sanctus Domino confitetur. Pro huiusmodi confessione remittes tu Domine impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Hæc primum in corde germinat ad iustitiam, posthoc in ore nascitur ad salutem. Primus eius gradus est cognitio peccati. In hac cognitione videndum est quid egeris, quantis contumeliis affeceris corpus tuum, ambulans passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum, possidens vas tuum in immunditia et vilitate, non in sanctificatione et honore. Considerandum est etiam, quem merueris ignem: scilicet illum, qui paratus est diabolo et Angelis eius, et omnia genera pœnarum, quæ in illis pœnalibus locis cumulantur et crescunt. Inspiciendum vero quid amiseris, bona videlicet illa, quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. Horum igitur omnium consideratione perterritus transi ad pœnitentiam ultricem vitiorum*. Ezechias Rex in suo cantico, postquam miraculose sanatus est a morbo per Isaiam, retrocedente etiam sole decem lineis. id est, decem semihoris, seu quinque horis in horologio Achaz qui fuit pater Ezechiæ ipsius, ait, Isaiæ 38. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos* (id est, peccata omnium annorum) *in amaritudine animæ meæ*. Intellectus, qui est sol animæ nostræ, retrocedat oportet decem lineis, contemplans quinque sensus externos, sensum communem, imaginationem, voluntatem, memoriam, imo seipsum. Vel, decem decalogi præcepta, ut videat, quomodo fuerint observata. S. Bernardus serm. de Virginibus, vim facit in τὸ *recogitabo*, id est, inquit, *iterum cogitabo. Ne aliquid forte oblitus sim, neque aliquid invindicatum et indiscussum remaneat*. Clemens Alexandr. lib. 2. Stromatum, vocat pœnitentiam recognitionem et cognitionem tardam, id est, prudentem. Peccatoris contritio figuratur in confractione lagenarum, quas habebant milites Iosue; 2. confessio in sono tubarum; 3. claritas et perspicuitas cognitionis et declarationis, in luce emicante ex lagenis seu facibus; 4. exterminatio peccati in fuga et cæde Madianitarum, qui cæsi sunt ad 185. millia per

A trecentos male armatos. Madianitæ idem sunt atque iudicantes, litigantes, obiurgantes. Ne timeas severitatem iudicii, et multitudinem hostium, in hoc iudicio evades victor, etiamsi arenam maris superarent hostes tui, modo tibi lux adsit considerationis, fervor contritionis, et sonora vox confessionis. Ieremias alloquens Ephraim, seu virginem Israel, id est, decem tribus, cap. 31. 21. ait: *Statue tibi speculam* (ut a terra elevatus videas et detesteris idola tua, id est, vitulos aureos, et peccata) *pone tibi amaritudines*, id est, conterere de illis omnibus. Nec eorum tantum superficies videnda est, sed intima natura et differentia specifica. Thren. 3. 40. ait idem Propheta: *Scrutemur* (cor hominis est inscrutabile) *vias nostras* (cor hominis est labyrinthus, aut abyssus) *et quæramus, et revertamur ad Dominum*. S. Bern. serm. 58. in Cant. illud expendens: Tempus putationis advenit, sic loquitur: *Scrutemur iuxta Prophetam vias nostras, et studia nostra, et in eo se quisque iudicet profecisse, non cum invenerit, quod reprehendat, sed cum, quod invenerit, reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursum opus esse* B *scrutinio advertisti. Et toties te non fefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris*.

Nota secundo, pro *confitebor*, Psalt. Rom. S. Aug. hic, et de salut. docum. cap. 56. S. Hier. lib. 2. contra Pelagium legunt *pronuntiabo*. Psalt. Ambros. *eloquar*. Sept. ἐξαγορεύσω, id est, profitebor in publicum, palam efferam. Primo, itaque confessio denotat rei humilitatem. Secundo, pronuntiatio prudentiam accusatoris. Tertio, elocutio affectum se emendare cupientis. Quarto, publica confirmatio fortitudinem aulipsius victoris. Confitens facit exordium orationis, pronuntians narrationem, publice inclamans confirmationem, et eloquens perorationem. Deus vero evictus hac flebili et sincera oratione dat veniam. De Davide nostro sic ait S. Ambros. in prima David apologia, cap. 2. *Quem mihi nunc facile reperias honoratum ac divitem, qui si arguatur alicuius culpæ reus, non moleste ferat? At ille regio clarus imperio, tot divinis probatus oraculis cum a privato homine corriperetur, quod graviter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit* C *culpæ dolore. Denique Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: Quoniam pœnituit te, et Dominus abstulit peccatum tuum. Maturitas itaque veniæ, profundam Regis fuisse pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offensam traduxerit. Alii homines cum a sacerdotibus corripiuntur, peccatum suum ingravant, dum negare cupiunt, aut defendere: ibique eorum lapsus est maior, ubi speratur correctio. Sancti autem Domini, qui consummare pium certamen gestiunt, et currere cursum salutis, sicubi forte ut homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quam peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo maiore reparantes certamina: ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse*. Hoc patuit in Davide ipso, Petro, Paulo, Magdalena, Iacobo eremita, Guillelmo Aquitanico, Pelagia, Maria Ægyptiaca et aliis.

Confessio peccati facienda est sine timore.

Quinto, Confessio sit oportet accusatoria, vers. eod. 5. 63.
CONFITEBOR ADVERSUM ME (Vatabl. contra me) INIUSTITIAM (Vatabl. transgressionem) MEAM. Si mea est, ratio postulat, ut in me, non in alium refundatur. S. Au- D gustinus: *Non sine causa dixit: Pronuntiabo adversum me, et hoc interest. Multi enim pronuntiant iniquitatem suam, sed adversus ipsum Dominum Deum: quando inveniuntur in peccatis suis, dicunt, Deus hoc voluit. Fatum mihi fecit. Quid est fatum? stellæ fecerunt. Quid sunt stellæ? Certe istæ, quas in cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinavit? Deus. Ergo vides, quod voluisti dicere: Deus fecit, ut peccarem. Ita ille iniustus, tu iustus: quia nisi ille fecisset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis, memento illius Psal. 140. 4. Ne declines cor meum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis*. Peccare est sæpe infirmitatis, excusare peccato est malitiæ, excusare ipsas excusationes est malignitatis non tolerandæ. Nihil itaque accusa, nisi te. S. Greg. Adversum se, ait, confitetur, qui omnino confitetur, quod apo-

Vers. 5. 4. Pars. V. Confessio debet esse accusatoria.

rit. Qui in peccati confessione sibi non parcit: quidquid peccavit, non Deo imputat, non Deo annotat, non fortunæ attribuit, non diabolo, non constellationi adscribit. In eo autem evasurum se credit, si sibi iratus se sine moderatione accusat: ita Gregorius.

Modus accusationis.

Secundo, modum illius accusationis nostræ docet S. August. lib. 50. homiliarum homil. ult. *Constituto*, ait, *in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animæ per lacrymas fluat.*

Fructus accusationis.

Tertio, fructum illius accusationis nostræ Tertullianus adducit lib. de pœnitentia cap. 9. *Pœnitentia*, inquit, *cum provolvit hominem, magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absolvit.* Contrarium fit in tribunalibus iudicum temporalium. Nam qui sicut Achan fatetur suum crimen, vel lapidibus obruitur, vel crematur, vel alio supplicio afficitur. Hoc expendit Sidonius Apollinaris; sic enim ait l. 14. epist. 14. *Noveris volo, non ut apud iudicem mundi: namque is, qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur: ita nobiscum, qui eidem Deo et Dei vice legitimo sacerdoti fuerit confessus, absolvitur.* Dicamus igitur omnibus id, quod dicitur Ps. 4. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, et sperate in Domino.* Illud iustitiæ sacrificium Origenes dicit esse eleemosynam. S. Aug. et Alcuinus esse pœnitentiam, quam ipse David Ps. 50. 19. nuncupat spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum, mactando et de media tollendo taurum superbiæ, hircum lasciviæ, etc. Ait Remig. Nihil omittendum est, quod non mactetur, ne dicatur nobis sicut redeunti ex regione Amalecitarum, 1. Reg. 15. 14. ait Samuel: *Quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis* (id est, levium peccatorum) *et armentorum* (gravium criminum) *quam ego audio?* Pro *iniustitiam* in Psalmo nostro Hebraice est פְּשָׁעַי *pesciaai* in plurali, id est, prævaricationes meas, ut vertit Pagnin. transgressiones meas, ut Felix; confitebor super rebellionibus meis, ut Caietanus. Peccator est transgressor, quia recedit a via mandatorum: est rebellis, quia arma sumit contra suum Regem: est prævaricator, præsertim cum in confessione est tantum simulatus accusator. Nam docent Iurisconsul. lib. 1. ff. ad Senatuscons. Turpil. prævaricatorem esse eum, qui colludit cum reo, et translatitia munere accusandi defungitur: eo quod prius quidem probationes dissimulat, falsas vero excusationes admittit. Periculum est potissimum ne peccato, cui magis adhæremus, et quod nobis plus affert delectationis, parcamus, sicut Saul regi Agag pinguissima. *Agag* significat *tectum*. Tu secundum consilium S. Bonaventuræ gravissimum crimen primo loco confitere; ubi magnus draco transiverit, facile colubri transibunt. S. Hieron. vertit: *Dixi: confitebor scelus meum Domino.* Scelus est grave peccatum, seu atrox facinus.

64.

Vers. 5.

5. Pars.

VI.

Confessio debet esse humilis.

Sexto, Confessio debet esse humilis, vers. eod. 5. *Confitebor iniustitiam meam* DOMINO, quem offendi vile mancipium, quem revereri et timere debeo. Stultum est in tam potentem Dominum rebellare. Hinc Syrus vertit: *Confitebor Domino pro deliriis meis.* Iustum enim est id palam, atque cum mentis demissione profiteri, sicque eius misericordiam excitare, velut olim faciebant rei in iudicium prodeuntes atrati et sordidati, quod quia Milo non fecit, ideo in se iram concitavit iudicum, et Massiliam in exilium missus est, quia Clodium tribunum plebis sibi in via occurrentem occidisset.

Rebellis, pervicacis et indomiti est animi etiam post scelerum admissionem nolle ea humiliter confiteri, atque de illis veniam petere. Basilius Imper. in oratione ad Episcopos, qui cum Photio schisma fecerant, docet eos cum Deo pugnare, qui a confessione humili peccatorum abhorreant: *Confusio*, inquit, *revera est, et maximus pudor, imo vero in Deum dimicatio, nolle unumquemque proprium confiteri peccatum, atque humiliari propter Christum, et lucrari se ac multos.* Servus, qui debebat domino suo decem millia talenta, id est, sexagies centum millia aureorum, id est, sex milliones aureorum, si talenta Attica sumas, procidens et rogans eum obtinet debiti remissionem, quod mirum est in tanta summa, quæ vicies maior erit, si talenta Hebraica sumas. Nam singula continebant tria millia siclorum, hoc est, duodecim millia drachmarum auri, id est, duodecim millia aureorum, sive coronatorum Francicorum. Unde decem millia talentorum auri sunt centum et viginti milliones aureorum Francicorum. Horum autem remissione per humiliationem obtenta disce nihil esse irremissibile tibi, si recte humilieris, licet tota vita scelus sceleri accumulaveris, sicut bonus Latro, qui in cruce humiliter se reum confitens, Christum vero suum dominum et regem, audivit, Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Terrestris paradisus est serenitas conscientiæ a peccatis expurgatæ. Et tu quoque esse potes in paradiso, si velis. Adamo non est datus in eum reditus, ne caperet de ligno vitæ, et viveret in æternum, quia sceleris culpam in Evam reiecerat, et illa in serpentem: tu confessione humili tibi ad vitæ arborem, id est, Christum in Eucharistia, sitam in medio paradisi, id est, Ecclesiæ, viam aperies, ut vivas in æternum: ait enim Christus Matth. 11. 26. *Venite ad me omnes, qui laboratis*, (οἱ κοπιῶντες, id est fatigati estis, ita Syrus. Labore attriti, ita Arabs. Molestia et fastidio affecti, ita alii) *et onerati estis* (pondere peccatorum, ut ait S. Chrys. grave est illud onus. Unde Arabs vertit, gravati onere. Syr. baiulantes onera. Incurvant in terram baiulos suos) *et ego reficiam vos*, ἀναπαύσω, id est, requiem dabo, ut explicat Syrus. Refectionem quoque et cibum dat, ait enim Apoc. 3. 20. *Cœnabo cum illo, et ipse mecum*, ut Principes in mensa Regis: facit cœnam magnam, Luc. 14. 16. id est, satietatem dulcedinis æternæ, ait S. Greg. hom. 36. in Evang. Vel Eucharistiam, ait S. Cyrill. Ad eum intrant pauperes, debiles, cæci, claudi, id est, peccatores pœnitentes. Ab ea excluduntur se iustificantes ac de se præsumentes.

Humilitas est vallis terebinthi.

Præsumptio enim a Deo removet. Nam *alta a longe cognoscit.* Humilitas vero nos Deo coniungit. Etenim requiescit super humilem et trementem. Tremor est in contritione cordis: humilitas in apertione oris, ut attrahatur spiritus, et vivat anima spiritu Dei, quæ erat mortua per flatum serpentis. 1. Reg. 17. 2. dicitur: *Porro Saul* (foveam significat, ut ait Michael Angelus a S. Romulo) *et filii Israel congregati venerunt in vallem Terebinthi, et direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim*, id est, contra ruinam apponentes: vel, ruinam duplicantes. Hoc est, contra peccata et dæmones, qui corpus et animam pessumdant. Ibi manu Davidis, hoc est, Christi moritur Goliath, licet gigas sex cubitorum et palmi, id est, peccatum detectum et revelatum, licet gravissimum et aspectu insuperabile, atque malitia et longa consuetudine armatum. Goliath significat primo accumulationem. Nihil æque est giganteum, quam peccatum peccato cumulatum, de eo vincendo pene omnes desperant, et se eo viso occultant, ut Israelitæ desides. Secundo, Goliath, id est, revelatio, detectio, statim atque se ostendit Davidi, id est, Christo amabili et manu forti, periit. In fronte percutiendus est, id est, pudor vincendus, mox expirabit, et gladio proprio, hoc est, dolore ex eo relicto, fodietur.

Ibi Goliath vincitur.

Vallis porro terebinthi est humilitas profunda pœnitentia. Beda in locum citatum 1. Reg. *Terebinthus*, inquit, *arbor est lacrymas et resinam præstantissimam* (vocatur terebinthina Plin. l. 23. 6.) *manans, quæ dissoluta quæque coniungit, et scissa conglutinat. Talis autem est ea anima, quæ peccatorum memor, eadem detestatur, profusisque lacrymis solvit, hæc arctius Deo coniungitur et conglutinatur.* Hæc arbor in Syria est magna et copiosa, materia lenta et nigra, lauri pene folio, oleæ flore, sed puniceo, baccis primum herbaceis, mox rubris, et cum maturuerint, nigrantibus, magnitudine fabæ, resinosis et sulphurosis, radice valida, in profundum acta. Duo terebinthi sunt genera, sexu distincta, ex quibus mas sterilis est, teste Theophr. Ecclesia sexum fœmineum vocat devotum, id præcipue patet in frequentatione Sacramentorum. Viros tumultus curarum et negotiorum non parum impedit. Sed quam da-

bit homo commutationem pro anima sua? Si confitentibus remitterentur debita pecuniarum, quis non accurreret? remittuntur debita æterna, et plerique torpent. Onus hoc est Babylonis, quod confusionem inducit, et instar lapidis molaris deiicit in mare amarissimum calamitatis internæ, et sæpe externæ, atque ipsius inferni. O cæci mortales, qui pro agello et spinis ac tribulis, iudicum curias et tribunalia teritis, ubi domus vestræ litibus exhauriuntur, et sacerdotum seu Christi potius tribunal fugitis, ubi thesauri cælorum sine cura et fatigatione conceduntur. Humiliamini sub potenti manu Dei, qui per sacerdotem se erigens, et vos benedicens, eriget supra hostes omnes, et filios Dei factos in libro vitæ cum Angelis scribet, ac deducet ad vitæ fontes aquarum, ut lavemini et satiemini, et nunquam morituri vivatis.

Vers. 5. 6. Pars. VII. Confessio debet esse efficax.

Septimo, Confessio sit efficax oportet, vers. eod. 5. ET TU REMISISTI IMPIETATEM PECCATI MEI. Hoc explicabo art. 5. ubi agam de triplici effectu bonæ, et omnibus suis numeris expletæ confessionis.

65. Vers. 6. 1. Pars VIII. Confessio fieri debet tempore opportuno.

Octava denique, Confessio fieri debet tempore opportuno, hoc est, non debet esse nimis sera, v. 6. PRO HAC ORABIT AD TE OMNIS SANCTUS IN TEMPORE OPPORTUNO. VERUMTAMEN IN DILUVIO AQUARUM MULTARUM, AD EUM NON APPROXIMABUNT. Nota, τo *pro hac*, Primo referunt ad antecedentia S. August. Theodoretus, Euthymius, et alii Græci interpretes, q. d. *pro hac impietate*, quia Græce et Latine impietas est generis fœminini. S. August. verba sunt: *Pro hac. Pro qua hoc? Pro impietate. Pro qua? pro ipsa venia peccatorum. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Inde orabit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus, qui ad te oraret.*

Secundo, τo *pro hoc* refert ad sequentia S. Hieron. qui vertit: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus tempus inveniens, ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.* Symmachus eodem modo vertit. Theodoretus Primo, sic explicat, q. d. ut cum inundaverint aquæ tribulationum multarum, ad illum non accedant. Secundo, Lyranus, q. d. ut tempore vehementium tentationum non cadat iterum in peccatum. Tertio, Bellarm. q. d. ut in die novissimo, quando veluti diluvium quoddam inundabunt super impios omnia genera pœnarum, tunc ipsi salvi sint ab illis. Hic sensus in Hebræo est clarissimus et facillimus. Sed obstat in vulgata τo *verumtamen*. De hoc dicetur infra.

Tertio itaque, et melius, Agellius, Pagninus, Arias, Bellarminus, Kimbi, Muisius, Vatablus, et alii *pro hac* volunt significare pro hac re, propter hanc rem, propter hanc causam. Vatablus vertit, *idcirco*. Muisius, Pagninus, et ipse Vatabl. *propter hoc*. Arias, *super hoc*. Licet enim *zoth* sit fœmininum, tamen usurpatur pro neutro, ut apud Hebræos est frequens. Cum enim neutro genere careant, pro illo sumunt sæpe genus fœmininum. Sic, inquit Agellius, Ps. 118. 56. dicitur: *Hæc facta est mihi* (id est, hoc factum est mihi) *quia iustificationes tuas exquisivi*. Et v. 50. *Hæc me consolata est in humilitate mea*, id est, hoc, etc. Illa tamen loca examinabimus ibi. Certius est exemplum Ps. 26. 4. *Unam* (id est, unum, seu unam rem) *petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.*

Sensus porro est, q. d. propter hanc rem, quia scilicet tu remisisti impietatem peccati mei, et tam benignum erga me te præbuisti, omnis sanctus orabit ad te in tempore opportuno.

66. Sanctus hoc loco sumi potest variis modis.

Quæres Primo: Quis sanctus hic intelligitur? Resp.
I. Primo, sanctus hic sumitur, qui est gratia Dei perfecte ornatus, et sic sumit Theodoretus. Omnes, ait, qui per totum orbem divinam cognitionem accipient, has pro me tibi offerent preces. Sumit autem orare pro gratias agere, quod Deus Davidi condonaverit. *Etenim*, ut subdit, *Davidis verba usurpantes videmur*, εκεινη γλωτταν αναλαμβανειν, *illius linguam assumere ad laudandum Deum*. Lombardus sic etiam sumere videtur orare, sed pro peccato sibi ipsi dimisso sanctum orare dicit: *Orabit*, inquit, *ad* A *te omnis sanctus. Inde enim est sanctus, et inde oratur, quia dimisisti: quia aliter non esset sanctus, nec adoraret, quia omnes sunt peccatores, et egent gloria Dei*, Rom. 3. 23. Id est, gratia eius: quæ dicitur *gloria Dei*, primo active, quia per eam nos glorificat, et est inchoatio gloriæ cælestis et eius arrha: secundo passive, nam ob illam et per illam a nobis glorificatur.

Secundo, sanctus, id est, iustus quilibet quantavis perfectione præditus orat *pro hac*, id est, pro remissione suorum peccatorum venialium; ita S. Greg. *Scriptum est*, ait Iob. 15. *quia nemo sine peccato, neque infans, cuius est unius diei vita super terram. Et iterum Iob testatur cap. 15. v. 15. Quia cæli non sunt mundi in conspectu eius, et in Angelis suis reperit pravitatem. Quanto ergo electus quisque maiori sanctitate præeminet, tanto magis de his, sine quibus hæc vita non ducitur, peccatis venialibus dolet. Quis autem sanctior Paulo, qui cum delectaretur legi Dei secundum interiorem hominem*, *Roman.* 7. *et aliam legem in membris suis, legi mentis suæ videret repugnantem, miserum se ex-* II.
B *clamans commemorat, et de se diffidens, de corpore mortis illius per Dei gratiam liberari expectat. Idem nihil sibi conscius fuerat, sed nequaquam in hoc se iustificatum credebat. Sancti etenim viri licet magnis iam virtutibus polleant, habent tamen adhuc de culpæ obscuritate, quod feriant. Et licet magna iam vitæ claritate luceant, aliquas tamen peccati nebulas, velut quasdam noctis reliquias nolentes trahunt. Quod divinæ profecto pietatis dispensatione agitur, ut qui ascensiones in corde suo disposuit, ad humilitatis celsitudinem sua melius infirmitate sublevetur: quatenus unde parva reprehensibilia humiliter patitur, inde verius in iustitiæ virtute roboretur. Et eo se in virtutis culmine erectus minimum sentiat, quo suis viribus etiam parva, quæ eum impediunt, non expugnat. Orat ergo pro remissione peccati omnis sanctus: quia sine peccati macula invenitur homo Iesus Christus. Denique de ipso solo legimus Hebr. 7. 27. quod non haberet necessitatem, quemadmodum Sacerdotes, prius pro suis delictis hostiam offerre, deinde pro populo. Verum ne aliquid intelligas transitorium appeti in oratione sanctorum,*
C *adiungitur, ad te. Electi etenim Dei orantes ut ad Deum perveniant, infirmitatis suæ incessanter excessus deplorant: quia et inde refectionis intimæ dulcedinem sentiunt, unde vim suavissimi amoris per lacrymas emittunt.*

Tertio, *sanctus*, id est, iustus, hoc est, qui per confessionem peccatorum est iustificatus, omnis vere pœnitens, qui odio habet iniquitatem, induit Iesum Christum, *orat*, ne relabatur in peccata præterita ob inveteratum habitum et pronitatem corruptæ naturæ, et diluvium passionum ac tentationum. III.

Quarto, *sanctus*, id est, iustificatus, *orat* pro peccatis remissis: tum quia nemo scit certo an sint remissa, et an amore, an odio dignus sit: tum quia reatum pœnæ optat remitti, et vulnera facta perfecte sanari. Monet Iesus Sirach Eccli. 5. 5. *De propitiato peccato* (S. August. in Speculo, Glossa et Iansenius legunt, *De propitiatu*, id est, propitiatione *peccatorum*) *noli esse sine metu*. Primo, quia non es certus de propitiatione et remissione illa. Secun- IV.
D do, quia adhuc latet anguis in herba, et fomes facile excitari potest. Tertio, quia restat debilitas. S. Ambrosius lib. 2. de pœnitent. cap. 10. rem terrificam dicit: *Facilius*, inquit, *inveni, qui innocentiam servaverint, quam qui congrue egerint pœnitentiam*. Et S. Greg. lib. 6. epist. 22. ad Gregoriam scribens, quæ Imperatrici erat a cubiculis, postulanti, ut remissionis peccatorum revelationem et certitudinem acciperet, rescribit hoc ipsi fore inutile: tota enim vita timendum esse. *Certe*, inquit, *Paulus Apostolus iam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret, et tamen adhuc trepidans dicebat* 1. Cor. 9. 27. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui iam ad cælum ducitur: et iam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur?*

Quinto, *sanctus*, qui antea sanctus erat, et per fragilitatem humanam in peccatum incidit: talis erat David; V.

ille arevit pro remissiane peccati sui: ita Eusebius. *Pro hac*, inquit, id est, pro hoc remissiane, quæ facta est mihi, et ab tuom misericordiam et humanitatem mihi exhibitam, amnia sanctus bonam spem concipiet se abs te similia consecoturum: si quando illi tamquam homini carne circumvestita eiusmodi iapsus accidet, ut tuo confessione ac deprecatiane indigeat.

VI. Sexto, *Sanctus*, id est, qui vult fieri sanctus: ito Remigius. Qui divinam cognitionem babet: ita Theodoretus, q. d. amnes fideles, amnes, qui prafessione et debito sancti sunt, qui se Dei servos esse dicunt, qui veram fidem et pietatem profitentur. Hinc S. Paulus sæpissime Christianos omnes vocat sanctos, licet non sit dubium, quin inter illos multi essent peccetores. Sed peccatum mortale nan tollit fidem, quæ est initium et radix sanctitatis, excipia unum peccatum infidelitatis. Sed tunc non est amplius Christianus, sed apostata et infidelis. Character quidem manet, sed ad maius dedecus et tormentum.

Hi omnes sensus bani sunt, tamen megis placet tertius et quartus.

67. *Tempus opportunum, in quo oratur est triplex.* Quæres secundo: Quodnam est *tempus opportunum*, in qua arot sanctus? Resp. Primo Ugo Cardin. Orat tempore apportuno, qui nrat cum hebet propositum relinquendi peccato: aliter enim non exauditur. Unde Isaiæ 1. 15. dicit Deus Iudæis: *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, id est,

I. 1. homicidiis; 2. omnibus peccatis: quia, ut ait S. Gregor. lib. 13. Moral. cap. 6. Sanguis sanguinem tangit, cum

II. culpo culpam cumulaverit.

Secundo, *tempus opportunum*, in quo orant sancti, est tempus legis gratiæ; ita S. August. et S. Gregor. qui ait: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, dicit *Apostolus 2. Corinth. 6. Tempus opportunum, tempus gratiæ: dies remissionis, plenitudo temporis. In quo propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus, misit Filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Sed quid est, quod dicit, in tempore opportuno? Numquid et ante adventum Christi non extiterunt sancti, qui orarent pro hac sua et populi ignorantia? Fuerunt plane. Sed quia ipsum in carne venturum expectabant, cumque solum salcatorem suum esse sciebant, per eius nimirum fidem salvati sunt. Iamque illud tempus opportunum in corde susceperont: quia od ipsum toto cordis desiderio nihil hæsitantes suspirabant.*

III. *Et optimum.* Tertio, et commodius, *tempus opportunum* dicitur tempus huius vitæ: ita Ugo, Ageil. Bellarm. Ruffinus, qui sic loquitur: Moda, inquit, est apportunum tempus orandi, canfitendi peccata sua et corrigendi. Modo enim tempus gratiæ, tempus misericardiæ, de quo dicit Apostolus 2. Cor. 6. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Modo possunt appropinquare Deo, qui valunt, si præterita male puniant, si mores corrigant, si sobrie et iuste vivant. Erit postmodom tempus iudicii, tempus vindictæ, quo iam nan appropinquabunt, qui modo appropinquare contemnunt: ita Ruffinus.

68. Primo itaque, si vim Latinæ vocis sequamur, vita est

I. *Vitæ tempus est tempus opportunum, id est, habens portum misericordiæ.* tempus opportunum, id est, habens cammodum portum, nempe portum misericordiæ et gratiæ. Hæc quidem vita est mare, et quidem agitatum: unde ait David Psal. 68. *Salvum me fac Deus: quoniam introierunt oquæ usque ad animam meam.* Sed ibi est portus. Nempe latus apertum Christi, qui oit Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes.* De quo dicitur in Psal. nostro v. 7. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit.* Vita Sanctorum, seu cælum, in quo requiescunt, est portus sine mari et agitatione. Apoc. 14. 13. *Audivi vocem de cælo dicentem mihi: Scribe*, (hoc notatione et memoria dignum) *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo* (ex nunc ac tota æternitate, q. d. ab ipso martis tempore) *iam dicit Spiritus* (sanctus Spiritus) *ut requiescant a laboribus suis.* Infernus denique est mare, in quo non est portus, quia in inferno nulla est redemptio. In illud more proiicitur Babylon. Apoc. 18. 21. *Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem* (ὡς μύλον, quasi malom) *magnum, et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, ut ultra iam non inveniatur.* Arabica versio ostendit, per mare illud intelligi infernum. Sic enim habet: Sic *casu sodet* (id est, casu megna) Babylon, et proiicietur in locum magnum, profundum: et civites magna non invenietur postea. De mari huius mundi, in quo vivimus, dicitur in Midras tehillim, id est, in expositione Psalmorum, Psal. 64. *Hanina filius Popa interrogavit R. Samuelem filium Nachmam, dicens: Quid est quod scriptum est Thren. 3. 44. Protexisti nube te, ne transeat oratio? respondit ei: Quia portæ orationis quondoque apertæ sunt, quondoque vero clausæ. Portæ autem pœnitentiæ nunquam clausæ sunt in mundo isto. Sicut dictum est Ps. 64. 6. Spes omnium finium terræ, et mare singulorum, est scilicet pœnitentia. Quemadmodum enim mare hoc nunquam clauditur, sed quicumque vult, lavat se ibi omni hora, ita ipsa pœnitentia, etc.* Sed finita hac vita, ut clamat Angelus stans super mare et super terram, Apoc. 10. 6. *Tempus non erit amplius.* Opportunum scilicet ad merendum, et ad evadendum e naufragio in portum.

69. II. *Est tempus, quo Deus reperiri potest.* Secundo, si vim vocis Hebraicæ spectes, hæc vita est tempus, qua Deus potest inveniri a nobis. Vox enim Heb. מצא metso, est infinitivus in Kal, id est, in prima coniugatione, et significat invenire. Hinc Felix, *Pro hos* (Muisius, propter hac) *orabit omnis sanctus ad te in tempore inveniendi.* Votabl. Idcirco orabit ad te, quisquis est bonus, in tempore, dum invenire licet. Pagn. Propter hoc orabit omnis misericors od te tempore inventionis. Isaias monet Iudæos sui temporis, aut potius omnes prorsus homines præsertim in lege gratiæ constitutos, cap. 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum prope est.* Prima, prope est per inspirationes continuas movendo et impellenda. Secunda, prope est in Sacramento pœnitentiæ, ut te absolvat. Tertia, prope est in Eucharistia, ut te amplectatur, exosculetur, se tibi uniat, et donis omnibus cumulet atque exornet. Sponsum ibi se tuum exhibet cum summo amore et liberalitate, ibique te die noctuque expectat et invitat. S. Bernard. serm. 9. in Cantic. duo illi ubera assignat huic loco congrua: *Duo*, inquit, *Sponsi ubera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta: quod patienter expectat delinquentem, et clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo exuberat in pectore Domini Iesu: longanimitas videlicet in expectando, et in donando facilitas.*

Sponsa sponsum quærit, et invenit. Si sponsa es, eum ama, et amanda perquire. Dicit vera sponsa, id est anima sancta, Cantic. 3. 2. *Surgam, et circuibo civitatem: per vicos et plateas quæram, quem diligit anima mea*, et nullum alium: nec desistam, donec invenero, quidquid aliud pretiosum possim reperire. Unde repertis custodibus civitatis, id est, Angelis, ulterius pergit, sicut Magdalena quærens Iesum crucifixum, Matth. 28. 5. Pie monet S. Augustinus in illud Ps. 33. 5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me, sic loquens: *Noli aliud a Domino extra illum quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet: Ecce adsum. Quid est, Ecce adsum. Ecce præsens sum, quid vis? quid a me quæris? Quidquid tibi dedero, vilius est, quam ego. meipsum habe, me fruere, me amplectere: nondum potes totum, ex fide continge me, et inhærebis mihi. Hoc tibi Deus dicit. Cætera onera tua ego a te deponam, ut totus mihi inhæreas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero, ut sis æqualis Angelis meis, et semper videas faciem meam, et gaudeas, et gaudium tuum nemo auferet a te: quia inquisisti Dominum, et exaudivit te, ex omnibus tribulationibus eruit te.* Quomodo Deum quærere debeamus, ut inveniamus, et quid impediat, ne eum inveniant, qui quærunt, docet S. Bernard. serm. 75. in Cantic. sic enim ait: *Quærite, et invenietis: et qui quærit, invenit, Matt. 7. 8. Propheta quoque loquitur ad eum, Thren. 3. 25. Bonus es Domine, animæ quærenti te. Item sanctus Isaias cap. 55. 6. Quærite Dominum, dum inveniri potest. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Neque enim quæ hic inducitur quærens, una est ex his, quibus ipse ait, Io. 7. 34.*

Quæretis me, et non invenietis. Sed attendite tres esse causas, quæ interim occurrunt, et quærentes frustrari solent: cum 1. aut videlicet non in tempore quærunt; 2. aut non sicut oportet; 3. aut non ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur ego dicit Propheta, quod iam memoravi: Quærite Dominum dum inveniri potest? Erit absque dubio, cum inveniri non poterit. Et ideo addit: Ut invocetur, dum prope est: quia futurum est, iam non prope futurum. A quo enim tunc non requiratur? Mihi, inquit, curvabitur omne genu, etc. Isaiæ 42. Nec tamen invenietur ab impiis, quos ultores Angeli arcebunt profecto et tollent, ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt et fatuæ virgines: minime prorsus iam ad eas exit, clausa ianua. Sibi proinde dictum putent illæ: Quæretis me, et non invenietis.

70. III. Vita tempus est gratiæ obtinendæ.

Tertio, si vim vocis Græcæ spectas, hæc vita est tempus opportunum ad obtinendam Dei gratiam et amicitiam. Septuaginta enim habent, ἐν καιρῷ εὐθέτῳ, q. d. In tempore opportuno et accommodato, hoc est, tempore opportunissimo. Nam καιρὸς significat temporis opportunitatem, tempestivitatem, occasionem commodam. Sic Demosthenes vocat καιρὸν πραγμάτων, occasionem rerum bene gerendarum, et Aristoteles Rhet. 2. καιρὸν τηρεῖν usurpat, pro occasionem commodam observare, occasioni imminere. Hinc Petavius in nostro Psalmo vertit, κατὰ καιρὸν, id est, opportuno tempore: εὔθετος vero est bene positus, appositus, accommodatus, aptus, idoneus, continue dispositus, eleganter et scite digestus. Hoc tempus nobis posuit et ordinavit Christus. Nonne est appositissimum, cum nullum sit in eo momentum, in quo non possimus assequi et augere gloriam æternam. In manibus nostris est positum, et emptum Christi sanguine: unde sapienter monet Paulus Galat. 6. 10. *Ergo dum tempus habemus* (operandi et merendi) *operemur bonum ad omnes, maxime tamen ad domesticos fidei*, id est, ad Christianos, qui sunt de domo Dei, id est, de Ecclesia, uniti nobis in eadem fide. Ibi S. Hieron. ait: *Breve curriculum huius vitæ. Titus Vespasiani filius, cum quadam nocte sero recordaretur in cœna se nihil boni illo die fecisse, dixit amicis: Hodie diem perdidi. Nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicii!*

71. IV. Vita est tempus acceptabile.

Quarto, Chald. vertit: *Propterea orabit ad te omnis pius in tempore acceptabili*. Syr. Propterea orabit ad te omnis, qui electus est tibi, tempore acceptabili. Nos Deus elegit ad fidem et gratiam, offert tempus, ut simus electi ad gloriam; illud acceptemus, eo utamur; si avolare patiamur, volat irrevocabile tempus, præceps est occasio calva. Ioan. 9. 4. ait Christus: *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est* (vitæ meæ, ut explicat S. August. et S. Cyrillus) *Venit nox* (mortis) *quando nemo potest operari*, ad meritum scilicet. Pythagoras dicebat vitam hominum similem esse diei solemni, ad quem multi conveniunt, alii certaturi, alii negotiaturi, nonnulli spectaturi, ut memorat Laertius lib. 8. cap. 1. *Sed nemo coronabitur, nisi legitime* (νομίμως, iuxta legem stadii et agonis, ac tempore definito) *certaverit*, 2. Timoth. 2. 5. Itaque Corinthios hortatur, ut tempore tam pretioso bene utantur. Sic enim dicit 2. Corint. 6. 1. *Adiuvantes autem* (συνεργοῦντες Deo cooperantes, ut sitis sancti) *exhortamur, ne in vacuum* (id est, frustra, in anima vacua, vacante et otiosa, inani, non solida, non plena, sine medulla et sensu) *gratiam Dei* (tum generalem reconciliationis mundi, et redemptionis Christi, tum particularem nobis datam ad operandum) *recipiatis. Ait enim Isaiæ 49. 8. tempore accepto* (id est, acceptabili, maxime acceptando, digno quod ab omnibus summo gaudio accipiatur) *exaudivit me, et in die salutis adiuvit me. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

72. V. Vita est tempus, quo exaudit Deus.

Quinto, Arabs denique vertit: *Propterea orabit ad te omnis innocens, in tempore exauditionis*. Nunc omnibus inclamat Christus Matth. 7. v. 7 *Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis*. S. Aug. lib. 1. Retract. cap. 19. bis tribus, nempe petere, quærere, pulsare, ait denotari instantissimam petitionem. S. Bern. lege in scala claustralium. Addit Christus sententiam, qua vix est ulla suavior in tota Scriptura, vers. 8. *Omnis enim* (nullum excipit) *qui petit, accipit: et qui quærit, invenit: et pulsanti, aperietur*. S. August. de salutar. documentis cap. 28. *Oratio iusti*, inquit, *clavis est cœli: ascendit precatio, et descendit Dei miseratio*. Quin etiam Christus conqueritur, quod non satis sæpe et satis magna petamus. Ioan. 16. 24. ait Apostolis: *Usque modo non petistis quidquam* (per me, et mea merita) *petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum*. Vult dare usque ad plenitudinem; Dei perfecta sunt opera; aperit manum suam vel unicam, et implet omne animal, id est, etiam animales homines, benedictione, ut fiant de Animalibus, Angeli. Dicit Deus Pater Christo apud Isaiam 49. 8. *In tempore placito* (id est, placabili, quo per te placatus sum. Hebr. רצון *ratson*, id est, beneplaciti, benevolentiæ) *exaudivi te: et in die salutis auxiliatus sum tui, et servavi te, et dedi te in fœdus populi*, id est, in victimam fœderalem. Idem nobis ait Deus de tempore acceptabili seu placabili, ut patet loco citato 2. Corinth. 6. 2. Imitemur itaque Davidem, qui Ps. 68. 14. dicit: *Ego vero orationem meam ad te Domine:* (supple, dirigo) *tempus beneplaciti* (S. Hieronym. tempus reconciliationis est) *Deus*. Chald. vertit: Ego orationem meam coram te (supple, effundo) Domine; in tempore beneplaciti, id est, gratiæ et benevolentiæ. Hoc si non feceris, cave, ne tibi statim post mortem oranti dicatur sicut fatuis virginibus, Matth. 25. 12. *Nescio vos*: et in inferno audias cum divite epulone orante, et non exaudito, Luc. 16. 25. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris*. Itaque negatur illi aquæ guttula ad linguæ refrigerium, quæ in otiosis multa peccata committit per detractiones, fraudes, adulationes, mendacia, convicia, turpiloquia, blasphemias, et alia, ideo gravius cruciatur. Hinc in illo petit refrigerari potius quam in aliis membris. Nunc tempus est exauditionis, lingua tua utere ad orandum, ut Deum cum iucunditate laudet in æternum.

73. To rak quid significet.

Quæres: Quodnam est diluvium aquarum multarum, in quo ad eum non approximabunt? Respond. posse illud diluvium in bonam et in malam partem accipi. Ad quod primo pro *verumtamen* esse in textu Hebraico רק *rak*, quod significat Primo, *tantum*; ita Agell. et Caietanus. Secundo, *rak* est, *profecto:* ita Muisius; *certe*: ita Emmanuel Sa; *vere:* ita Bellarm. Tertio, *rak* est *equidem*, ut reddit Vatabl. *quippe*, ut Felix; *autem*, ut Syrus. Quarto, S. Hieron. vertit, *ut*. Quinto, Nicephor. Euthym. *et*. Sexto, Arabs prorsus omittit, et sumit sicut encliticum, sicut *chi* sæpe sumitur apud Hebræos. Septimo, *rak* est *verum, verumtamen*: ita Noster, Chald. et alii. Ubi advertendum est, τὸ *verumtamen* sumi aliquando adversative pro *sed*, aliquando autem asseveranter pro *certo, profecto*. Sic multi sumunt Ps. 38. 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur.*

Nota secundo, τὸ *eum* posse referri ad Deum, ad quem non approximant, qui sunt in diluvio aquarum; ita S. Thomas, Ugo. Lombard. S. August. Titelm. et alii. Secundo, τὸ *eum*, et quidem aptius, refertur ad sanctum orantem in tempore opportuno: ad eum enim non approximant diluvii aquæ licet multæ.

Nota tertio, alludit ad diluvium, a quo evasit Noe, Genes. 7. et ad Ægyptiorum submersionem, Exod. 14.

74. I. Diluvium aquarum multarum est baptismus.

Primo, per diluvium aquarum multarum intelligit baptismum Didymus et Euthymius, qui sic ait: Per diluvium, baptisma intellige, quod in aquis fit, et peccata abluit. Aquas vero baptismatis multas appellat, considerata potius qualitate ac potentia spiritus, quam undarum qualitate: quo pacto dicere solemus ventum multum, id est, validum. Orabit igitur, inquit, ad te omnis sanctus, et in baptismo ad eum non approximabunt peccata: illic nimirum demersa, ac derelicta; ita Euth.

II. In malam partem su-

Secundo, et melius, diluvium in malam partem sumendo accipitur, 1. pro divitiis temporalibus; 2. pro voluptatibus; 3. pro peccatis; 4. pro mala doctrina; 5. pro ten-

mendo diluvium aquarum multarum, octo significat. tationibus; 6. pro tribulationibus; 7. pro populis adversantibus; 8. pro die iudicii.

I. Primo igitur, Thomas Angliens et Ugo *diluvium* accipiunt pro abundantia temporalium divitiarum: *quæ*, ut ait Ugo, *fluunt sicut aqua. Sed quandoque fluunt in alveo, quandoque inundant. In alveo sunt, dum ad necessitatem habentur, nec nimis amantur. Et qui sic habet, bene ad Deum potest accedere. Exeunt autem alveum, et fit diluvium, quando ad superfluitatem sumuntur, vel quando nimis amantur. Et in hoc diluvio ad eum non approximabunt. Quia sicut dicit Dominus Matth. 19. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Vel non approximabunt etiam in præsenti per contemplationem. Unde dicit S. Gregor. Temporalium dispensationes tanto bonis graviores sunt, quanto ab intuitu æternorum vel ad modicum avellunt. Idem dicebat Dominus Matth. 6. Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Quærite primum regnum Dei et iustitiam eius, etc.* Vide dicta Ps. 61. Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ne scilicet simul cum illis effluat. B Rationem, cur impios divites illud diluvium impediat, ne ad Deum approximent, affert Thomas Anglicus: quia, inquit, nec habent navem, nec naviculam, qua super undas portari possint: nec orationem scilicet, nec eleemosynam. Dicit S. Isidorus lib. 13. Ethymolog. in fine. Sciendum esse flumina cum supra montes crescunt, non tantum ad præsens inferre damna, sed etiam aliqua signare futura: Sic et vehemens excrescentia divitiarum, non solum infert damna in præsenti: quia multas curas et sollicitudines anxias ingerit, et quia ad Deum appropinquare non sinit, sed etiam est signum magni damni futuri, scilicet damnationis perpetuæ. Luc. 17. 27. *Venit diluvium, et perdidit omnes.*

II. Secundo, S. Thomas et Lombard. Dionys. Innocent. atque idem Ugo, sensum esse volunt, q. d. *in diluvio aquarum multarum*, id est, voluptatum, ad Deum non appropinquabunt delicatuli. Ruben licet primogenito suo, qui paternum thorum polluerat abutendo eius concubina, C id est, secundaria uxore, nempe Bala, ex quo susceperat Dan et Nephtali, ait Iacob, Genes. 49. 4. *Effusus es sicut aqua* (nam, ut ait Cornelius, Luxuria hominis vires, iudicium, rationem, sapientiam, opes, conscientiam, bonaque omnia cum semine et sanguine sæpe effundit et profundit) *non crescas*, id est, non cresces. Non est enim imprecatio, sed prophetia. Gradus ad cælum et Deum sunt tribulationes. Act. 14. 21. *Per multas tribulationes* (est magna distantia cæli a terra, multi gradus requiruntur) *oportet nos intrare in regnum Dei.* Hanc scalam primus Christus decurrit in crucem ascendens.

III. Tertio, idem Ugo et Titelm. diluvium peccatorum accipiunt. Titelmanni verba sunt: Qui sanctus est, dum ita per quotidianam orationem sese continuo purgare studet, et sanctificari adhuc, per hanc continuam bonam exercitationem servabitur, ut nunquam pondere peccatorum prorsus valeat obrui atque demergi in profundum: ita ut etiamsi inundantes tentationes in modum copiosarum aquarum magni diluvii excreverint, non sint ad illum appropinquaturæ, sic ut illum obruere valeant, aut prorsus in perditionem demergere. Qui enim a quotidianis delictis sese continuo emendare satagunt, hi non facile vel gravissimis tentationibus prorsus succumbunt: quemadmodum e contrario, qui minima negligunt agnoscere, et confiteri, atque quotidiana delicta tacent, et ante conspectum tuum Domine Deus confiteri dissimulant, parvi pendunt, et emendare non laborant, propter peccandi consuetudinem et pravam habitudinem, cum graves tentationes illis advenerint, facile etiam peccatis mortis obruuntur: etiam levibus tentationibus facile succumbunt.

IV. Quarto itaque, de diluvio tentationum multarum, id est, gravium explicat Nicephor. Toletus, S. Athanasius, qui ait sensum esse, q. d. Pœnitentiam agentem tentationum multitudo non obruet.

V. Quinto, S. Augustinus, S. Hieron. S. Gregor. Remig. A Beda, Cassiodor. S. Thomas, Innocent. Richard. Pampol. Ugo, et alii, de diluvio variorum doctrinarum exponunt, q. d. ait Lombardus: *Qui sunt in diluvio aquarum multarum, id est, qui sunt in erroribus diversorum sectarum, et in multiplicitate variarum doctrinarum: ut 1. Philosophi, qui libero arbitrio; 2. et Iudæi, qui carnalibus observantiis salutem adscribunt; 3. et alii, qui fato, vel fortunæ, peccata, vel aliis huiusmodi imputant, cum una sit doctrina Dei, quæ est de humiliatione cordis, et confessione peccati. Ii, inquam, omnes non approximabunt ad eum, id est, ad Deum. Mutat enim hic personam, ut sæpe facit. Ut Ps. 3. Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua. Non enim appropiant ad Deum, qui sunt in diluvio variarum doctrinarum: ut qui dicunt, fatum me peccare fecit: vel, fortuna, quæ omnia regit: vel gens tenebrarum, quæ Deo rebellat. Diversæ sunt hæ aquæ et amaræ, sed illa est vera et dulcis aqua, quæ de intimo fonte puræ veritatis emanat: hæc est aqua confessionis peccatorum, et humiliationis cordis vitæ hominis salutaris, abiicientis se, et nihil de se præsu-* B *mentis, et nihil suæ potentiæ superbiæque tribuentis. Hæc aqua ab illo emanat, qui cum esset altus, pro nobis factus est humilis, id est, a Christo. Vel, non approximabunt ad eum, id est, ad sanctum, illi tales sunt ad imitationem. Sed in hoc diluvio, quod undique perstrepit:* Ita Lombardus. Lege S. Augustinum, a quo multa solet sumere, et S. Gregorium.

Sexto, aptius, planius, et magis litteraliter, diluvium VI.
aquarum multarum pro diluvio et inundatione multarum calamitatum sumunt S. Thomas, Iansenius, Muisius, Theodoretus et alii. Verba Theodoreti sunt: Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Hoc Symmachus sic interpretatus est: Pro hoc orabit omnis sanctus opportunitate inventa, ne aquæ multæ inundantes ad ipsum appropinquent. Qui studiosam deprecationem tibi offert, omne auxilium consequetur. Ita licet in diversas calamitates incidat, quæ veluti aquæ ipsum inundent, superior tamen his erit, et potentior C calamitatibus evadet: Ita Theodoretus. Paulo aliter Iansenius. Sensum esse vult, q. d. Eo quod sic te sanctus continue oraverit, tibique se reconciliaverit, cum gravissima mala in modum inundantium aquarum multarum ingruerint, non poterunt pertingere ad illum. Vide dicta Ps. 65. 12. et 68. 1. Chald. vertit, in tempore, quo venient populi multi velut aquæ, ad eum non appropinquabunt, ut malum inferant.

Septimo, et optime, S. Hieron. Ruffinus, Innocentius, VII.
Iansenius, Bellarminus, et alii diluvium aquarum multarum intelligunt de die iudicii, ubi maximi fluctus calamitatum et dolorum obruent sceleratos, ad sanctos vero non pervenient. Ruffinum audiamus: *Recte per diluvium, Dei iudicium designatur: quia sicut prius in diluvio, ita in extremo iudicio peccatores damnabuntur. Nemo autem arbitretur, cum repente finis venerit, sicut in diebus Noe, remanere confessionis locum, pro qua propinquetur ad Deum. Modo non videtur Dominus et prope est. Tunc autem videbitur, et iam prope non erit. Multi fluctus diluviorum corda com-* D *movebunt pravorum, quos illi censuri non sunt, qui modo ad portum divinæ misericordiæ refugiunt.*

Diluvio porro simile erit iudicium extremum. Primo, 75.
ob universalitatem punitionis. Secundo, ob magnitudinem calamitatis. Tertio, ob paucitatem salvandorum, quorum typus fuit Noe servatus cum uxore sua, tribus filiis, et tribus eorum uxoribus. Quarto, ob inutilitatem pœnitentiæ. Postquam enim Noe est ingressus arcam, et cataractæ cæli ruptæ sunt, nihil profuit clamor et gemitus ad cælum suspirantium. In iudicio clamabunt impii. Matth. 7. 22. *Multi dicent mihi in illa die* (iudicii extremi) *Domine, Domine, etc. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quinto denique, ob altitudinem inundationis aquarum, quæ altissimos montes quindecim cubitis superabant. Ita in iudicio ipsi Imperatores, Reges, Principes, Nobiles, divites eadem cum aliis clade involventur et obruentur. Isaiæ 2. 17. *Incurvabitur sublimitas hominum* (in humo atque terrenis

Diluvio simile est iudicium extremum ob quinque rationes.

divitiis glorientium) *et humiliabitur altitudo virorum* (in robore, honoribus, scientia turgentium) *et elevabitur Dominus solus in die illo. Et idola penitus conterentur*, id est, illi, qui se velut idola ornari, pingi, gemmis onerari, coli et adorari voluerunt.

ARTICULUS IV.

Soline Deo, an etiam sacerdotibus faciendo est confessio?

Cum David dicat v. 6. *Dixi*, id est, firmiter statui: *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino*, non erit abs re hic considerare, an Deo soli, an etiam sacerdoti sit facienda peccatorum confessio, cum in ea quæstione inter nos et hæreticos sit magna dissensio. Matthæus Paris in chronico anno 1237. ait, Nestorianos hæreticos confessionem peccatorum suorum non sacerdotibus, sed soli Deo latenter fecisse, et iuxta se thus in igne posuisse, quasi cum fumo peccata sua coram Domino ascendere crederent. Sed iure illos miseros vocat, et Scripturarum ignaros. Hæretici huius temporis, ne hanc quidem cæremoniam adhibent, sed sola mente confiteri Deo sufficere credunt.

76. *Confessio peccatorum nobis præcepta est.* Dico cum Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, confessionem peccatorum nobis esse præceptam, et necessariam esse omnibus, qui peccaverunt mortaliter, et habent copiam confessarii.

Quæritur an sit præcepta iure naturæ. Quæres: An ad illam confessionem obligemur iure naturæ? Nota cum Scoto, de lege naturæ dicuntur omnia principia practica nota ex terminis lumine naturali, sicut principia speculativa in speculationibus; licet non sint tot principia practica in practicis, quot speculativa in speculationibus. Et non solum principia practica sunt de lege naturæ: sed omnia, quæ immediate sequuntur ex iis, ut conclusiones necessariæ necessaria deductione, vel demonstrativa illatione deducta ex eis. Ita ille in 4. dist. 17. quæst. 1. Scol. 1. Unde refert confessionem non esse de lege naturæ, quia confiteri sacerdoti omnia peccata, non est principium practicum per se notum ex terminis: nec etiam necessario deductum ex eis, nec videtur consonum omnibus pro omni statu: quia tunc fuisset servatum in omni lege, quod est falsum. *Explicatur, quid sit lex naturæ.* Ratio alia affertur in supplemento S. Thomæ quæst. 6. artic. 2. quod scilicet Sacramente sunt quædam fidei protestationes, unde oportet ea fidei esse proportionata: fides autem est supra cogitationem rationis naturalis: unde et sacramenta sunt supra rationis naturalis dictamen. Et quia ius naturale est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit, ut Tullius dicit lo lib. 2. de Iuventione, non parum ante finem libri. Ideo sacramenta non sunt de iure naturali, sed de iure divino, quod est supra naturale: quod quandoque etiam naturale dicitur, secundum quod cuilibet rei illud est naturale, quod ei e suo creatore imponitur. *Et respondetur, confessionem non præcipi lege seu iure naturæ.* Tamen proprie dicuntur naturalia, quæ ex principiis naturæ causantur: supra autem naturam sunt illa, quæ ipse Deus sibi reservat, sive naturæ ministerio operanda, sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum. Et sic confessio, quæ necessitatem sacramentalem habet, non est de iure naturali, sed de divino.

77. *Nec fuit ullum præceptum Dei positivum de confessione tempore legis naturæ.* Quæres secundo: An tempore legis naturæ esset præceptum aliquod positivum de confessione sacerdoti faciendi? Nota etiam in lege naturæ fuisse sacerdotes. Nam et Caio, et Abel, et Enos, et Noe, et Abraham, Isaac, Iacob, Melchisedech, aliique sacrificia obtulerunt. Ordinarie primogenitis cedebat ius sacerdotii, aliis tamen etiam datum est, ut Abeli, Iacobo, et similibus. Ad quæsitum respond. nonquam extare ullum præceptum confessionis in lege naturæ, quæ duravit annos 2544. nempe ab Adamo usque ad Mosem et promulgationem legis scriptæ in tabulis lapideis, quæ contigit anno primo egressionis ex Ægypto, die quinquagesimo a primo paschate, quod in ipsa Ægypto celebratum est, anno autem mundi.

Excitatus Adam a Deo ad confessionem peccati. Deus quidem interrogat Adamum post peccatum Gen. 3. 9 dicens, *Adam ubi es?* quæ vox est increpantis, et confessionem requirentis. Et licet Scotus explicet, quod Deus ab Adamo requirebat tantum confessionem interiorem de peccato, et eius contritionem, contrarium tamen videtur, quod illi apparens specie visibili etiam oris confessionem elicere cupiebat, ut sic ad interiorem illam deduceret ostensa peccati gravitate. Sic interrogavit Caium cap. 4 9. *Ubi est frater tuus?* ut sic eum ad vocalem peccati declarationem excitaret, atque nobis figuram confessionis sacramentalis daret. *Et Cainus.* Unde ipsi vocaliter respondent, sed se excusantes, et peccatum pro potestate occultantes. Tertullianus hanc figuram confessionis vidit. Sic enim lib. 2. contra Marcionem: *Interrogat*, inquit, *Deus quasi incertus, et ut hinc liberi arbitrii probans hominem in causa vel negationis vel confessionis, ut daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine revelandi: sicut de Cain sciscitatur, ubinam frater eius, quasi non iam vociferantem a terra sanguinem Abelis audisset: sed ut et ille haberet potestatem ex eadem arbitrii potestate sponte negandi delicti, et hoc nomine gravandi: atque ita nobis conderentur exemplo confitendorum potius delictorum, quam negandorum: ut iam hinc initiaretur Evangelica doctrina: ex ore tuo iustificaberis, et ex ore tuo condemnaberis.* Apud paganos aliqua fuit confessionis umbra, licet tantum lege naturæ doceretur. Plutarchus in Lacon. Apophthegmatis pag. 217. refert Antalcidam in Samothrac. cum initiaretur sacris, interrogatum fuisse a sacrificulo, ecquid in vita flagitii perpetrasset? sed eum respondisse: Si quid tale egi, norunt ipsi Dii. *Confessionis umbra quædam apud paganos.* Hoc expressius, et ad rem nostram aptius, refert aut de ipso Antalcida, aut potius de alio (ad quid enim id repeteret?) omnino in fine apophthegmat. illorum pag. 236. ait enim *Laconem quidam sacris initiane, dicere iubebat, τι πρᾶξας εαυτω συνοιδεν ασεβεσατον, enius maximi sceleris sibi ipsi conscius esset? Respondit Laco, diis id notum esse. Instantemque et dicentem, παντως σε δει ειπειν, omnino profitendum esse, interrogavit. Cui ergo id indicendum est? tibine, an Deo? cum responderet, Deo. Tu ergo, inquit, interim recede.* Sed facile erat huic argutiæ et cavillationi respondere: sacerdos enim est Dei legatus. Cum igitur illi dicitur, quatenus talis est, Deo, non illi dicitur: unde potest asserere et iurare se nescire id, quod sibi in confessione est dictum. Non enim scit humana scientia, sed divina. De obligatione non revelandi peccata confessa, dixi alias. De Lysandro pene idem refert ibid. pag. 229. Lysandrum, inquit, in Samothracia oraculum consulentem sacerdos eum iuberet dicere, quod in vita eum maximum perpetrasset scelus. Tuone, inquit, an deorum iussu? respondenti, deorum: Tu itaque, ait, apage hinc, et ego diis, ubi interrogabunt, dicam: Ita ibi. Sine dubio erat illis molestissimum scelere sue confiteri non recipiendo coram venienti. Nullam enim potestatem ad id habebant illi sacrificuli. Sed in lege gratiæ iucundissimum est per solam peccati declarationem, eamque secretissimam, homini sæpe ignoto, obligato ad silentium sub pœna æterna, et gravissimis etiam temporalibus, obtinere remissionem eius, infusionem gratiæ et donorum, ut docetur art. sequ. Apud Lacedæmonios item, ut ait Plutarchus in Laconicis instit. paulo post initium: *Iuvenis, qui in aliquo delicto deprehendebatur, cogebatur aram quandam in orbem circuire: compositamque sui ipsius vituperationem cantare: quod nil erat aliud, quam ipsum a seipso obiurgari.* Adverte autem me non afferre exemplum Lacedæmoniorum perinde quasi vixerint tempore legis naturæ, sed quod sola duce natura leges sibi posuissent, sicut cæteri ethnici. Scio Lycurgum floruisse tantum anno mundi 3153. multi volunt eum fuisse Eunomi Regis filium, et fratrem Polydectis Regis, quo mortuo curam Charilei nepotis suscepit, et regnum administravit per octo menses, sed cognatorum invidiam et calumnias non ferens peregre profectus est, multisque regionibus per annos quatuordecim peragratis in Græciam reversus leges Lacedæmoniis condidit anno mundi 3183. Fundati templi Ierosol. 161. Ioas Regis Iu-

dæ 27. Elisæi Prophetæ 45. post Troiam excisam 313. post diluvium 1527. ante Christum 870. Post Lycurgum autem vixerunt Antalcidas et Lysander: hic enim floruit circa annum mundi 3648. illa vero circa annum 3660. Pythagoras, qui magna nominis celebritate docuit circa annum mundi 3514. Transmigration. 79. Servii Tullii Regis 38. ante Christum 539. monebat, peccata non esse verbis tegendi, sed detegenda, ut reprehensionibus curentur. Aristoteles, qui mortuus est anno mundi 3732. Imperii Alexandri Magni 9. ante Christum 321. aiebat, non multum distare ab impeccabili, qui peccatum, ut decet, confiteretur, ut ait Maximus serm. de Confessione. Seneca, qui vixit post Christum tempore Neronis et S. Pauli, cum quo contulisse creditur, ait lib. de moribus: *Ubi est confessio, ibi est remissio.* Sic vides variis temporibus ab ipsis ethnicis laudatam esse et usurpatam peccati confessionem.

78.
Quæritur, an in lege Mosaica confessio esset facienda sacerdoti.

Quæres tertio: An confessio peccati esset facienda sacerdoti in lege Mosaica? Nota primo, sacerdotes illius legis nullam habuisse potestatem remittendi peccata ex opere operato, nec potuisse dare gratiam per sacramenta, quæ ideo S. Paulus Galat. 4. 9. vocat *infirma et egena elementa*, ut explicat S. Hier. et S. Anselmus, atque Tertullianus lib. 5. in Marcion. cap. 4. qui legit, *mendica*, quia gratiam, sanctitatem, Dei cultum et religionem non continent, nec conferunt: sed ad hoc Christi fide, gratia, sacramentis indigent. Nota secundo, in festo expiationis, quod singulis annis celebrabatur die 10. mensis Tisri, qui partim Septembri, partim Octobri respondet, fiebat a summo Pontifice quædam confessio generalis omnium peccatorum totius populi, ut generalis etiam expiatio illorum fieret, sicut nunc apud Christianos in festo Paschæ fit generalis quædam confessio et expiatio publice variis in locis, sed tunc non datur absolutio sacramentalis. Cum tamen etiam singuli expientur per confessionem sacramentalem, sed separatim, illud festum expiationis satis commoda est eius rei figura. Præcipitur autem Levit. 16. 20. *Postquam Pontifex emundaverit Sanctuarium et tabernaculum* (id est, Sanctum) *et altare*, (thymiamatis, ait Cornelius) *tunc offerat hircum viventem, et posita utraque manu super caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti eius emittet illum per hominem paratum in desertum.* Quomodo id imitati fuerint Massilienses et varii Gentiles, mactatis, e monte præcipitatis, vel in mare deiectis animalibus, vel etiam hominibus, dixisse me alias memini.

Non habebat tunc sacerdos potestatem remittendi peccata.

Confessio generalis in festo expiationis

79.
Leprosus tenebatur lepram ostendere sacerdoti.

Nota tertio, Leprosus tenebatur se sistere sacerdoti, et lepram suam ostendere, cuius rei modus et obligatio fuse habetur Levit. 13. Et quidem v. 2. præcipitur: *Homo, in cuius cute et carne ortus fuerit diversus color, sive pustula, aut lucens quidpiam* (ut videantur esse quasi fulgentes furfures aut squamæ, ait Valesius in Philosoph. sacra) *id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem* (id est, ad summum Pontificem, qui tunc erit) *vel ad unum quemlibet filiorum eius*, id est, ad aliquem alium minorem sacerdotem. Lepra illa Iudæorum non fuit unus morbus, sed varii, eius declaratio sacerdoti facta est symbolum et typus confessionis faciendæ sacerdotibus novæ legis, ut ait S. Hier. in cap. 16. Matth. et S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, ubi Christianorum sacerdotum officium probat esse longe efficacius et præstantius Aaronico, quia hoc lepram non curabat, sed curatam esse declarabat: Christiani vero sacerdotes peccata non ostendunt tantum esse curata, sed illa vere curant et condonant.

80.
In quibusdam casibus confessio peccati debebat fieri sacerdoti Mosaico.

Ad quæsitum autem Respondeo, in quibusdam casibus peccatores fuisse obligatos ad confessionem particularem faciendam sacerdotibus Aaronicis durante lege Mosaica.

Prob. 1.

Probatur primo, ex Lev. 5. 4. et seq. *Anima* (id est, homo; est synecdoche) *quæ iuraverit, et protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, et idipsum iuramento et sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam pro peccato* (Hebr. et Chald. habent, confiteatur peccatum, in quo peccavit) *et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos, et pro peccato eius*, etc.

II.
Secundo, Num. 5. 6. etc. habetur clare: *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput* (id est, ipsam rem, quam furati sunt) *quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint.*

III.
Tertio, cum vir agitatus spiritu zelotypiæ adducebat uxorem ad sacerdotem, si rea erat, debebat confiteri peccatum suum sacerdoti, alioqui si bibebat aquas maledictionis, id est, maledictas, putrescebat femur eius, et tumens uterus disrumpebatur, ut legere licet Num. 5. 12. et sequentibus. Præceptum 183. ex affirmativis præceptis Hebræorum sic habet: *Super omne pecus, quod vel ex debito, vel ex spontanea mente affertur, debent poni manus offerentis; idque inter cornua animalis, et offerens debet confiteri peccato suo, in hunc modum: Peccavi, inique feci, feci sic et sic, etc.* Quod intellige de sacrificio pro peccato. Nam in holocausto et in sacrificio pacificorum erat tantum confessio laudis. Cornelius in cap. 5. Levit. refert hanc formam confessionis ab Hebræis tradi: *Obsecro Domine, peccavi, inique egi, prævaricatus sum, sic et sic feci, ecce pœnitet me, et pudet me operum meorum, nunquam revertar ad rem istam*: et Hebræi docent, nihil profuisse sacrificia, nec expiasse peccata, nisi תשובה וידוי *tesciuba vidui*. pœnitentia et confessio hæc accessisset. In lib. Siphri docent has fuisse illius confessionis circumstantias: Primo, ut fieret ante sacerdotem. Secundo, imponendo manus capiti hostiæ immolandæ, et quidem inter cornua. Tertio, distincte commemorando peccatum, et promittendo se nunquam reversurum. Hoc autem vocabant וידוי הדברים *vidui adebarim*, id est, *confessionem verborum*, id est, verbalem, seu, quæ conceptis verbis erat facienda. Est enim Hebraismus. Asserit Cornel. in Levit. Hebræos etiamnum specialem peccatorum confessionem facere in die expiationis, et loco satisfactionis sibi plagas infligere, idque se ab illis audivisse. Thom. Waldens. refert tom. 2. cap. 137. num. 7. se ab ipsismet Iudæis Viennæ in Austria accepisse, solitos confiteri de peccatis potissimum in tribus casibus, 1. in private adulterio; 2. in homicidio occulto; 3. in occulta blasphemia Dei aut legis: et a sacerdote pœnitentiam imponi. Ubi adverte duo peccata Davidis contineri: nempe adulterium cum Bethsabæa, et homicidium, quæ præterea fuerunt causa, cur blasphemarent inimici Dominum. S. Antoninus 3. part. Summæ Theolog. tit. 14. c. 6. sess. 1. Psalmi nostri locum de confessione sacramentali exponit, aitque quosdam doctos Hebræos sibi asseruisse, quod si invenerint sacerdotem e tribu Levitica, vocaliter ei peccata sua ante mortem confitentur.

81.
Præceptum est divinum de confessione sacramentali in lege gratiæ.

Quæres quarto: An sit præceptum divinum de confessione sacramentali in lege gratiæ? Dico hoc esse de fide. Ita docet Magister sententiarum in 4. distinct. 16. et 17. S. Thomas quæst. 3. art. 1. Richardus art. 2. quæst. 4. Paludanus quæst. 2. art. 2. Durandus quæst. 8. Scotus et Gabriel quæst. 1. Adrianus quæstion. de Confess. Medina Codic. de Confess. quæst. 2. Sotus disp. 18. qu. 1. art. 1. Canus Relatione de Pœnitent. p. 3. Suarez tom. 4. in 3. part. disput. 35. sect. 1.

Prob. 1. Ex loco S. Iacobi.

Probatur Primo, Iacobi 5. 15. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Hoc enim de confessione sacramentali explicat Concilium Cabilonense tempore Caroli Magni cap. 33. S. Aug. lib. de visitatione infirmorum, cap. 4. Beda, et alii. Dices, τὸ *alterutrum* non dicit sacerdotes magis quam laicos. Respond. id negando, quia v. 14. dixerat, cum quis infirmatur, id est, graviter ægrotat, inducendos esse Presbyteros Ecclesiæ, qui eum ungant, id est, Sacramentum Extremæ Unctionis impertiant, ut docet Concilium Florent. in decreto unionis, et Concilium Trident. sess. 14. deinde addit, confitemini alterutrum, id est, homo homini, similis simili, frater fratri. Quo etiam indicat ipsos sacerdotes ad hoc teneri, imo ipse Papa obliga-

tur. In articulo mortis obligat illud præceptum, quia divinum est, ut docet Suarez disputat. 35. citata sect. 3. Quæres, utrum absente sacerdote possit quis confiteri peccata sua Diacono aut Laico? Respondeo Primo, si absit scandalum, et omne aliud periculum, quod ex tali confessione oriri posset, id cum merito fieri valere. S. Franciscus in sua regula cap. 20. suis religiosis ita præscribit: Si, ait, sacerdotem habere non possunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit Apostolus Iacobus: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Concilium Triburiense, quod citatur in decretalib. cap. *fures, de furtis:* dicit fures et latrones, si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communionem eis non esse negandam. Respondeo secundo, per eam tamen confessionem diacono aut laico factam non datur gratia, etiamsi illi absolvere conentur. Unde S. Franciscus loco citato subdit: *Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi atque solvendi solis sacerdotibus est concessa.* Ad Concil. Tribur. Respond. signum esse animi contriti confiteri diacono, cum ad id non obligeris.

II. Ex verbis Christi. Secundo, et efficacius, probatur necessitas confessionis esse iuris divini et institutionis a Christo, ex loco Matth. 16. 19. ubi Petro dicit: *Tibi dabo claves regni cælorum* (id est, potestatem ordinis et iurisdictionis in totam Ecclesiam) *et quodcumque ligaveris super terram* (negando peccati absolutionem; 2. pœnam imponendo; 3. excommunicatione et censuris agendo; 4. legibus et præceptis constringendo; 5. obligando ad credendum fidei definitiones) *erit ligatum et in cælis. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Sic omnibus Apostolis dicit Matth. 18. v. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Et post resurrectionem idem confirmat Ioan. 20. 22. *Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum* (id est, potestatem remittendi per Spiritum peccata, ut S. Cyrillus, S. Chrysost. et Theophylactus exponunt) *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus in locis constituit eos iudices ad retinenda vel absolvenda peccata, hoc autem non potest fieri sine cognitione causæ. Igitur ad eos deferenda sunt omnia peccata, ut de illis iudicent. Accusator autem solus esse potest ipse reus, cum de internis etiam quæstio instituatur. Concilium Trident. definit sess. 14. can. 3. locum citatum Ioan. 20. esse intelligendum de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento pœnitentiæ. Itaque hoc est de fide.

III. Ex praxi Apostolorum. Probatur Tertia conclusio, quia confessionem sacramentalem a Christo institutam, revocarunt Apostoli ad praxim, ut iam ostendi ex cap. 5. Epistolæ S. Iacobi: *Confitemini*, etc. Secundo, Act. 19. 18. ait S. Lucas de Ephesiis Christianis: *Multi credentium veniebant confitentes et annunciantes actus suos.* Quod de sacramentali confessione explicant Œcumenius, Salmeron, Ruardus, Tapperus, Baronius, Bellarmin. lib. 3. de Pœnitent. cap. 4. Hosius, et alii. Aperte id habet Syriaca versio: *Renuntiabant offensas suas, et confitebantur, quod fecerant.* Dices, non est probabile Christianos a Paulo instructos retinuisse libros magicos. Respondeo cum Sanchez hos confitentes fuisse diversos ab iis, qui erant magiæ dediti, et conversi libros suos comburebant.

IV. Ex Concil. œcumenicis. Probatur Quarto conclusio, quod œcumenica seu generalia Concilia sic definierunt faciendam esse confessionem sacerdoti. Primo, Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 21. *Omnes*, inquit, *utriusque sexus omnia peccata sua confiteantur fideliter semel tantum in anno proprio sacerdoti, vel alieno, prius tamen a proprio sacerdote impetrata venia.* Secundo, Concilium Constantiense sess. 8. Tertio, Concilium Florentinum in doctrina de Sacramentis. Quarto, Tridentinum fusissime sess. 14. atque inter cætera dicit can. 6. *Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure divino: aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

87. Probatur Quinta conclusio, ex praxi totius orbis: nempe Asiæ, Africæ, Americæ, Europæ. Breviter illas omnes
V. Ex praxi totius mundi. decurramus.

I. In Asia. Primo, Asia offert S. Basilium, qui interrogatione 288. regul. breviorum: *Necessario*, inquit, *illis peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Si quidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando et in Evangelio scriptum Matt. 3. 6. quod Ioanni confitebantur peccata sua: et in Actis 19. 18. Apostolis ipsis, a quibus etiam baptizabantur cuncti.* Hoc testimonium non multum urget, quia certum est confessionem factam S. Ioanni Baptistæ non fuisse sacramentalem; item eam, quæ fit ante baptismum: quia baptismus est ianua Sacramentorum. Secundo, S. Gregorius Nyssenus in oratione ad eos, qui durius et acerbius alios iudicant: *Afflictionis*, inquit, *participem et socium sume sacerdotem, ut patrem. Audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana tamquam occulto vulnera medico retege. Ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit.* Tertio, S. Chrysostomus, qui fuit Antiochiæ natus, licet postea electus Patriarcha Constantinopolitanus, expressius et significantius designat confessionem auricularem hom. 20. in Gen. *Qui*, ait, *hæc facit, si voluerit ad confessionem facinorum festinare, et medico ostendere ulcus, qui curet, et non exprobret, atque ab illo remedia accipere, et soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere, cum diligentia facile sua peccata emendabit. Confessio enim præteritorum est abolitio delictorum.* Et lib. 3. de Sacerdotio: *Etenim*, ait, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra*, etc. Locum illum evolve. Quarto, Concilium Laodicenum can. 2. *His*, ait, *qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, et instant orationi, confessioni et pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est.* Quantus, et quam frequens fuerit inter Iaponios Christianos usus confessionis, iucundum est commemorare. Nam anno 1594. quinque Societatis nostræ sacerdotes in unico Omurensi regno non magno duodecies millia confessiones supra centum et quinquaginta exceperunt. Mirabilem et crudelem confessionis ritum inter Iaponicos ethnicos usurpari solitum in quadam peregrinatione ad idolum famosum alias retuli.

Secundo, in Africa confessionis usum fuisse Primo, II.
Concil. Carthag. III. can. 3. ubi præcipitur, *ut pœniten-* In Africa.
tibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. Secundo, S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis serm. 5. de lapsis: Quanto, ait, et fide maiore, et timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet ac modicis vulneribus requirunt. Tertio, S. August. lib. de visitatione infirmorum, cap. 5. *Astantem coram te*, inquit, *sacerdotem, Angelum Dei existima. Labia* siquidem *sacerdotis*, ait Malachias cap. 2. 7. *custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore eius; Angelus* enim *Domini exercituum est. Et cum quo Deum et Angelum eius decet reverentia Dei ministrum affare, aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula*, conscientiarum verecundarum penitiora revela repagula. Non te pudeat coram uno dicere, quod te non pudeat forsitan coram multis et cum multis facere. Et lib. 20. de civitate Dei, cap. 9. illud Apocalypsis expendens cap. 20. 4. *Vidi sedes, et sedentes super eas, et iudicium datum est, sic loquitur:* Non hoc putandum est de ultimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, et ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod

dictum est Metth. 16. 19. *Quæ ligoveritis in terrn, ligote erunt in cælo.* Unde Apostalus 1. Cer. 5. 12. *Quid enim mihi est,* inquit, *de his, qui faris sunt, iudicare? noane de his, qui intus sunt, vos iudicatis?* Querto, in Ægypta Origenes ham. 17. in Lucam: Nan salum Deo peccata revelanda, sed his, qui possunt mederi vulneribus nastris atque peccetis. Delebuntur peccata nostre ab eo, qui ait Iseiæ 44. 22. *Ecce delebo, ut aubem iniquitatem tuam, et sicut caliginem peccata tua.* Quiuto, S. Athanas. in eedem Ægypto Patriarche Alexandr. sermane in illud Marci 11. Luc. 19. Profecti in pagum, qui ex edverso est, invenietis pullum alligatum, sic ait: Nos ipsos exeminemus, num solute sint nastra vincula, ut in melius praficiamus. Quod si nendum soluta sint vincula, tradas teipsum discipulis Iesu: adsunt enim, qui te solvent pro petestote ea, quam a Salvatore acceperunt: *Quæcumque enim ligaveritis*, etc. Sexto denique in Æthiepia. Zaga Zeho Episcopus sic lequitur in confessiene fidei: *Est etiem moris epud nas, ut mulieres gravidæ eats partus tempus confitenetur, etque Corpus Daminicum confessæ eccipiant.*

III. In America. Tertio, in Americam simul cum Evangelio usum confessianis sacramentalis inductum esse nema est qui dubitet. Mirum vero est, quod refert noster Iosephus Acoata lib. 6. de procurande Inderum salute, cap. 12. repertos scilicet ætate nostre in Americæ provincia Nicaragua secerdotes ethnicos audiendis confessionibus atque imponendis pœnis destinatos: eisque et peccata revelare, et uxares ducere, quod aliis ibi licet sacerdotibus, nefas esse. Dæmen scilicet simia est, augustissima Christi mysteria imitari contendit. Canadenses ad fidem conversi, ut plurimum ita sunt teneræ conscientiæ, ut nihil in anima retinere possint, quod eam maculet aut inquietet; sed statim ed secrementum Pœnitentiæ recurrunt, ut expientur, sicut legi in Epistolis inde ed nes missis.

In neva Francie seu regione Canedensi Christiani nihil in anima suo retinere possunt, quod putent Deo displicere: unde fit, ut statim ad confessarium accurrant, et quidem cum magno desiderio nihil amittendi. Barthomæus Vimant in Relat. anni 1644. et 1645. refert, eos cum ex longis et diuturnis venationibus suis redeunt, solere bis confiteri, antequam sacram Eucharistiam percipiant. Retienem huius rei afferunt, quod non sunt tem tenaci memoria, ut prima vice statim omnia repræsentet, quæ admiserunt; se charta et atramento carere, quibus iuvari possint; in secunda mentis examinatione posse oblita in memoriam revocari. Nonnulli suis rosariis tamquam memaria lacali utuntur, ut peccatorum suorum facilius recordentur, eaque fidelius spirituali medico exponant.

83. IV. In Europa. Quarta denique, in Europa usum confessionis sacramentalis semper fuisse docet nos praxis et cousensus Ecclesiæ latinæ et græcæ.

Tam in Ecclesia Græcorum. Primo quidem, inter Græcos habes sextam Synodum, in qua cen. 102. sic hebetur: *Oportet autem eos, qui solvendi et ligandi a Deo potestatem occepere, peccati qualitatem considerare, et eius qui peccavit, ad eam conversationem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medicinam.* Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus respons. 1. cap. 11. de confessione: Respondemus, inquit, talem ministrum debere spiritualem medicum esse, et bene rerum suarum peritum. Deinde confitentem quoad possit et recordetur, peccata particulatim exponere, idque corde contrito et humiliata. Sic enim is sanatur, si scilicet faciat ea, quæ contraria sunt peccatis a se admissis. Ipsi Imperatores edictis suis Ecclesiasticam sanctionem adiuverunt. Iustinienus enim Imp. Constitut. 141. de his, qui luxuriantur contra naturam: Rite, inquit, agant pœnitentiam, et carem Deo procidant, et morbum beatissimo Patriarchæ renuntient, rationemque curationis percipient, et fructus producent pœnitentiæ. Basilii Imper. placitum iam retuli art. 3. et S. Chrysost. verba in hoc nostro supra, atque alios Asiaticos.

Quam Latinorum. Secunda, in Ecclesia Latina innumeri extent Patres, qui de sacra examologesi sacerdoti facienda scripserunt, iam eliquot Afros retuli, videamus Europæos, decurrendo provinciae varies.

1. In Italia. Prime enim in Italia se offert caput et regina totius orbis Rome, in ea S. Leo Pantifex Epist. 80. ait: Ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta.* Quamvis enim plenituda fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem erubescere non veretur; tamen quia non omnium eiusmodi sunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetuda, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur. Et S. Gregorius homil. 26. in Evangel. illa verba exponens Ioan. 20. 23. *Quarum remiseritis peccata, remittuntur eis,* sic eit: Principatum superni iudicii sortiuntur, ut *vice Dei* quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. In eadem Italia S. Ambr. Mediolanensis Archiep. lib. 2. de Pœnitent. cap. 6. Si vis, ait, iustificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum: Et in exhortatione ad pœnitentiam agendam monet, cavendum esse a peccatis; quia, inquit, nescit homo, si possit pœnitentiam accipere, et confiteri *Deo et sacerdoti* peccata sua.

II. In Sabaudia. Secundo, in ditione ducis Sabaudiæ, S. Maximus Episcopus Taurinensis hom. 1. in Natali sanctorum Petri et Pauli: *Clavis cæli,* inquit, *lingua est Petri;* quia singulorum merita censendo Apostolus unicuique regnum cælorum aut claudit, aut aperit. Non est ergo clavis iste mortalis artificis aptata manu, sed data a Christo potestas est iudicandi. Denique ait Ioan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata*, etc. Et homil. 5. in eamdem festivitatem, postquam dixit Petro claves potentiæ, Paulo vero claves scientiæ esse datas, dicit: Clavis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreto panduntur, et quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clavis, inquam, quæ et conscientiam ad confessionem peccati aperit, et gratiam ad æternitatem mysterii salutaris includit. Ambo igitur claves a Domino acceperunt: scientiæ iste, ille potentiæ. Divitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur; Ita Maximus.

III. In Dalmatia. Tertio, in Dalmatia S. Hieron. qui fuit Stridone in ea provincia natus, in Epistola ad Heliodorum de vita solitaria: *Absit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant.* Et ad cap. 16. Matthæus Episcopus et Presbyter, ait pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligendus sit, quive solvendus.

IV. In Hispania. Querto, in Hispania S. Isidor. Hispal. in synonimis: Confessio sanat, confessio iustificat, etc. locum integrum attuli supra.

V. In Anglia. Quiuto, in Anglia S. Anselmus Cantuariens. Archiepiscopus, et totius insulæ Primas in cap. 17. Lucæ: *Ite,* inquit, *ostendite vos sacerdotibus:* id est, per humilem oris confessionem veraciter manifestate omnes interioris lepræ vestræ maculas, ut mundari possitis. Theodorus Cantuar. in Pœnitentiali: Confessio, ait, quæ Deo fit, purgat peccata: ea vero, quæ sacerdoti fit, docet, qualiter purgentur ipsa peccata. Deus namque salutis et sanitatis auctor et largitor plerumque hanc præbet potentiæ suæ medicinam invisibili administratione, plerumque medicorum operatione. Beda item ad cap. 5. Iacobi: Gravioris, inquit, lepræ immunditiam iuxta legem sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium, qualiter et quanto tempore iusserit, purificari curemus.

VI. In Scotia. Sexto, in Scotia, Iones Scotus in vita S. Eligii cap. 4. Quoties, inquit, illi aliquis ad recipiendam pœnitentiam lapsus suos esset confessus, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Et subtilis Ioannes Duns, cognomento Scotus, κατ'ἐξοχὴν scilicet, in lib. 4. sententiar. distinct. 14. quæst. 14. cum obiecisset sibi locum Psalmi nostri ad probandum Deo soli faciendam esse confessionem, hoc

falsum esse docet, ac pœnitentiam sic definit: *Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis a sacerdote, iurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato.*

VII. In Germania. Septimo, in Germania Concilium Moguntinum sub Rabano Archiepiscopo confessionem sacerdoti faciendam esse docet cap. 26. ubi sic præcipit: Ab infirmis in mortis articulo positis per presbyteros puro inquirenda est confessio: non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda. Et ipse Rabanus lib. 7. in Ecclesiasticum cap. 7. Qui, ait, transgreditur mensuram in concupiscentiis carnis, et aggravatur eius deliciis: necesse est, ut per confessionem peccatorum fœditatem evomat: et sic per ieiunium et castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat. Vide Concil. Vormat. cap. 25. Constantiense sess. 8. Quin etiam Carolomannus Rex Germaniæ in edicto suo apud Aventinum lib. 3. ait: Cuique tribuno unus dumtaxat sacerdos a sacris, pœnitentia et confessionibus esto. Hos paucos e multis attuli. Si in hæreticos agere placet, vide Bellarminum et alios, apud quos reperies adhuc testimonia, quæ magis urgeant.

84. VIII. In Gallia, ut patet In Gallia nostra plurimi scientia virtuteque celebres de confessione egerunt, plurimaque Concilia illum fidei articulum sanxerunt. Breviter illam percurramus.

Tum ex Conciliis. Primo, Concil. Cabilonense I. Clodovæi II. Regis evocatione celebratum circa annum 650. tempore Martini Papæ sic habet can. 8. De pœnitentia vero peccatorum, quæ est medela animæ, utilem hominibus esse censemus, et ut pœnitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire. Et Can. 3. Concil. Cabil. II. celebrati circa annum 813. dicitur: Hoc emendatione egere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore: et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio. Pene eodem tempore Concilium Turonense III. cap. 22. Rhemense II. canon. 12. Parisiense VI. cap. 52. Et circa annum 900. Concilium Nannetense cap. 4. de confessione sacerdoti facienda, et de illius modo decernunt.

Tum ex Patribus Secundo, Patres in Gallia pro confessione stant. Primo, S. Dionysius Areopagita eius Apostolus, Epist. 8. ad Demophilum monachum, ait: *Tu procidentem sacerdoti impium, ut ais, atque peccatorem nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans calce abiecisti ac repulisti, cum ille quidem verecunde, quod oportuit, fateretur se ad remedia peccatorum quærenda venisse: neque exhorruisti insuper sacerdotem optimum lacerare conviciis, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.* Vides eum argui, qui ad sacerdotem faciendæ confessionis gratia accedentem repulisset. Secundo, S. Irenæus Episcopus Lugdun. lib. 1. cap. 9. agens de fœminis a Marco hæretico corruptis: Hæ, ait, sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas, valde se illum dilexisse. Tertio, S. Hilarius Episcopus Pictav. can. 18. in Matthæum: *Ad terrorem*, ait, *metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ iudicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione scilicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque aut soluti sint, aut ligati.* Quarto denique vide S. Prosperum Aquitanicum lib. 2. de vita contemplativa, cap. 7. S. Cæsar. Arelatens. homil. 7. et 10. S. Eligium Episcop. Noviomensem homil. 11. S. Audoenum Archiepisc. Rotomag. lib. 1. vitæ S. Eligii, cap. 7. Hincmarum Archiep. Rhemensem in vita S. Remigii, S. Fulbertum Episcopum Carnot. in vita S. Richardi, cap. 16. S. Ivonem Episcop. item Carnot. Epist. 97. S. Bernard. de interiori domo, cap. 37. Remigium Episcopum Altissiodor. ad cap. 2. Ioelis, et alios.

ARTICULUS V.

Effectus confessionis sunt culpam remittere, et pœnam æternam, ac partem temporalis pœnæ.

David post expositum, primo silentium suum; secundo, contritionem suam, cum Dei gratia excitatus est a peccato; tertio, confessionem ex vera contritione ortam; nunc quarto, explicat confessionis illius effectus, quæ quia erat typus confessionis Sacramentalis in lege gratiæ faciendæ, de illa præsertim agam. 85.

Tres porro effectus veræ et sinceræ confessionis reperio. Primo, remissionem culpæ, v. 5. *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Pro qua etiam orat sanctus, tum sibi ob venialia, tum aliis ob mortalia consultum cupiens. Secundo, remissionem pœnæ æternæ, vers. eod. 6. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Tertio, remissionem pœnæ temporalis, v. 7. *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.*

Primo itaque, confessio remittit culpam peccati mortalis et venialis, vers. 5. *Tu remisisti* (Hebraice נשׂאת nasata, *abstulisti.* Macule peccati non remanet, ut supra ostendi) *impietatem peccati mei.* Nota, Septuaginta vertunt, ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου, id est impietatem, irreligionem mei cordis. Fontem malorum indicare voluerunt esse cor. Ut enim ait Christus Matth. 15. 18. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes*, etc. Cor enim est veluti cella animæ, et thesaurus: de bono thesauro proferuntur bona, et contra. S. Ambrosius lib. 1. de Iacob cap. 6. legit: *Tu remisisti impietatem cordis mei.* Sic cum Noster antea verterit: *Confitebor adversum me iniustitiam meam*, S. August. legit, iniustitias meas. Cum enim cor peccatoris stygium serpentem admiserit et semen eius, innumeri colubri momento pullulant, et fit pectus malorum fœcundum, et ingis scaturigo impietatum.

Quæres, quid intelligatur per impietatem peccati? Primo, Cassiodorus, Ruffinus, Remigius, Haymo, Ludolph. Bruno, Richard. Pampol. intelligunt impœnitentiam Davidis. Verba Cassiodori sunt: *Impietas cordis fuit, quia tacere decreverat: ut illi se crederet celatum, qui antequam fiant, omnia potest habere notissima.* Ubi adverte obiter, non teneri peccatorem ad Deum statim converti, ita ut peccet de novo, si id non faciat. Ita docet pene omnis Theologorum schola, alioquin innumera pene peccata committerentur ab eo, qui per aliquod tempus perstaret in uno quopiam. Sapientis tamen est cum serpente et leone non dormire, a quibus iam sis vulneratus. 86. Impietas peccati explicatur sex modis. I.

Secundo, Lorinus *impietatem peccati*, ait esse idem atque *impium peccatum*, et has voces esse synonimas. Favet Symmachus, qui vertit, ἄνομον ἁμαρτίαν, id est, iniquum peccatum. Theodosio, ἁμαρτίαν ἀσεβείας, *peccatum iniquitatis.* Sed cum Deus non remiserit totam pœnam peccati, per impietatem peccati aliquid intelligitur in peccato, quod sit diversum a pœna debita, sic non remittitur totum peccatum totaliter et secundum omnia, quæ importat. Syr. vertit: Tu remittis mihi omnia peccata mea. II.

Tertio, Theodoretus, *impietatem peccati* intelligit excessum pœnæ debitæ peccato. Oportebat me, ait, cum illa perpetrare ausus essem, statim secundum legem morte mulctari: sed benignitate usus, morte quidem non affecisti, mediocribus vero flagellis me castigasti. III.

Quarto, Iansenius *impietatem peccati* ait esse iniquitatem, quam peccato admiserat. Nam, ut supra ostendi, iniquus, id est, iniustus fuerat per adulterium et homicidium. Favet S. Hieron. qui vertit, *Tu dimisisti iniquitatem peccati mei.* Sic Felix, Vatabl. Muis. Pagnin. Arias vocem עון avon vertunt iniquitatem. IV.

*

V. Quinto, S. Gregorius *impietatem peccati* interpretatur intentionem malam, ea enim est radix et causa malitiæ, quæ reperitur in peccato: *Remisisti*, inquit, *impietatem peccati mei. Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Non solum peccatum remisisti, sed etiam ipsam impietatem, pravæ scilicet operationis intentionem: ut iam nulla in corde meo malitiæ radix remaneat, ex quo pestiferæ actionis de cætero germen succrescat.* Arabs favet, qui vertit: Ipse dimittit iniquitates cordis mei, id est, affectus et intentionis ac voluntatis.

VI. *Et optime.* Sexto et melius, Toletus et Caietanus *impietatem peccati* sumunt de culpa peccati, id est, de offensa Dei et macula, quæ restat ex peccato habitualiter perseverante, et Deo displicente, adeo ut qui illam habet, sit inimicus Dei, et ab illo habeatur odio. In hoc enim proprie consistit omnis peccati impietas, quod Deum offendat. Nam in Deum, patriam et parentes esse possumus impii, et omne peccatum habet virtualem impietatem; hæc autem tota tollitur semper, cum Deus condonat. Nam, ut ait S. Augustinus: *Impium est dimidiam a Deo sperare veniam.* Sed reatus pœnæ non semper totus tollitur, ut probavi supra. Caietan. itaque vertit: *Tu dimisisti culpam peccati mei.*

87. *Misericordia Dei summa in remissione peccati.* Nota secundo, misericordiam Dei esse summam. Nam David dixerat: *Confitebor*, et Deus statim remittit: *Tu remisisti*. Confitebor, est in futuro: remisisti, est in præterito. Antequam clamemus, Deus exaudit: quia pater est, et pater misericordiarum, id est, misericordissimus, misericorditer stantes iustos stabiliens, et misericorditer lapsos peccatores erigens, lavans, amplexans, osculans, stola prima vestiens, annulo exornans, et ad mensam ac musicam suam admittens. Remig. *Magna*, inquit, *commendatio misericordiæ Dei. Nondum vox in ore, et iam ad cor auris Dei.* S. Gregorius: *Attende*, ait, *quanta sit indulgentiæ vitalis velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat pœnitentia: ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat*: ita Gregorius. Solerter tamen advertit S. Augustinus, quod *hoc ipsum dicere pronuntiabo, pronuntiare est.* Erat scilicet actus contritionis internus movens ad satisfaciendum Deo, et omnibus læsis per confessionem peccati et pœnas sibi impositas. Ad illam contritionem et confessionem etiam Sacramentalem hortabatur S. Petrus Apostolus, teste S. Clemente Epist. 1. ad S. Iacobum Episcop. Ierosol. qui frater Domini vocabatur, si tamen Clementis est hæc Epistola: *Actus*, inquiebat, *vitæ tuæ omni hora custodi. In omni loco Deum respice. Firmiter scito, cogitationes cordi tuo advenientes mox ad Christum allide, et sacerdotibus Domini manifesta.*

88. *Contritio est dispositio sufficiens ad remissionem peccati.* Quæres: An confessio sacramentalis tollat peccata? Ad quod suppono primo, quod contritio sola, etiam a Sacramento separata, est dispositio sufficiens ad gratiam Dei recipiendam, cum dicatur Ps. 50. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ita definit Tridentin. sess. 14. cap. 4. Suppono secundo, quod solus Deus remittit per se culpam, sacerdos vero ministerialiter et instrumentaliter. Ita Supplem. S. Thom. qu. 18. artic. 1. His positis:

Remissio peccati est effectus pœnitentiæ. Dico primo cum S. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 6. quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ: principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in Sacramento: secundario autem ex vi actuum pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ. Et sic patet, quod remissio culpæ est effectus pœnitentiæ, secundum quod est virtus: principalius tamen, secundum quod est Sacramentum. In Supplemento qu. 5. artic. 1. hoc explicatur in hunc modum: Contritio, in quantum est pars Sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter; in quantum autem est pars virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati, eo quod dispositio est quasi necessitas ad iustificationem: dispositio autem reducitur ad causam materialem, si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum: secus autem est de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus causæ efficientis. Et quæst. 10. art. 1. concluditur: cum a culpa non liberet contritio, nisi quatenus votum confessionis annexum habet: ideo dicendum esse per ipsam confessionem animas a morte peccati liberari; sicut baptismus a morte peccati liberat, non solum secundum quod actu suscipitur, sed etiam secundum quod in voto habetur.

Dico secundo, per confessionem cum sola attritione supernaturali, seu contritione imperfecta dari gratiam: alioqui sacerdos nunquam remitteret peccatum, sed reperiret remissum per veram contritionem et perfectam, vel per actum amoris Dei super omnia. Hi enim actus etiam extra Sacramentum dant gratiam, ut docet Suares tract. de gratia, lib. 7. cap. 13. quod tamen fieri tantum dispositive et meritorie, non vero formaliter, tradit cap. 14. ubi ait, contritionem esse sanctitatem inchoatam et partialem, non esse tamen æqualem satisfactionem pro mortali peccato, nec habere *tantam* vim ad hominem ordinandum, quantum peccatum ad deordinandum: imo censet dilectionem gratia habituali formatam non esse condignam satisfactionem pro peccato; utraque tamen tolli peccatum meritorie. De charitate enim dicitur Ioan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Odio autem est impius et impietas eius, igitur qui a Deo diligitur, non est amplius impius, ergo peccata illi remissa sunt. De contritione autem Isaiæ 55. 7. *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius.* Zachar. 1. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Convertitur autem ad nos, sicut sol ad aerem tenebrosum, fugando tenebras peccati, et dando lumen gratiæ. Scotus in 4. dist. 15. quæst. 4. Scholio 2. de attritione sic loquitur: *Bonus motus præcedens Sacramentum pœnitentiæ, tantum est attritio, et dispositio de congruo ad deletionem culpæ, et infusionem gratiæ, quæ remissio culpæ et collatio gratiæ sunt in virtute Sacramenti pœnitentiæ, et non in virtute attritionis tantum, nisi dispositive. Sed hæc attritio post collationem gratiæ, quæ confertur in susceptione Sacramenti, fit contritio formata. Unde pœnitens accedens ad Sacramentum pœnitentiæ oportet quod attritus, vel quod non ponat tunc obicem per dispositionem contrariam et peccatum actuale, et non oportet, quod tunc habeat contritionem veram et formatam, quia tunc remitterentur peccata ante susceptionem, et per consequens non video, quomodo Sacramentum pœnitentiæ possit tunc salvari, et esse secunda tabula post naufragium, quia per contritionem præcedentem posset homo sufficienter salvari. Et ideo dico, quod sicut in baptismo virtute baptismi remittitur omnis culpa et pœna, et confertur gratia: ita hic virtute Sacramenti tantum remittitur culpa, et confertur gratia, non quidem per modum meriti, ut dictum est.* Adde quomodo verificari posset illud Ioan. 20. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Lege Suar. tractat. de pœnit. 89. *Confessio sacramentalis cum attritione dat gratiam.*

Dico tertio, confessionem peccati esse efficacissimum remedium, ut illud remittatur. 1. Ioan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Proverb. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Septuag. vertunt: Qui cooperit iniquitatem suam, non prosperabitur: qui autem narrat redargutiones, diligetur. Symmachus, Aquila, et Theodotio, prosperabitur. Maxima hominis felicitas est misericordiam consequi, et a Deo amari. Isaias itaque monet cap. 43. 26. secundum Septuaginta: *Dic tu prius peccata tua, ut iustificeris.* Ut enim ait Origenes homil. 2. in Ps. 37. Sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humores, vel phlegmata stomachi graviter et moleste immanentia, si vomuerint, relevantur: ita etiam ii, qui pec- 90.

caverunt, siquidem occultant et retineat intra se peccatum, intrinsecus urgentur et propemodum suffocantur a phlegmata vel humore peccati: si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat sematipsum et confitetur, simul avomit et debitum, atque omnem morbi digerit causam. Notabile est dictum Hugonis a S. Victore lib. de claustro animæ: *Si veniret dæmon ad capitulum confessionis, impetraret indulgentiam remissionis. Satan expulsus est a capitulo cœli, Adam a capitulo paradisi, Iudas a capitulo Christi. In primo fuit culpa superbiæ: in secundo, inobedientiæ: in tertio, avaritiæ.* Latroni in cruce confitenti promissus est paradisus, Luc. 23. 43. A patre prodigus dicens: Peccavi in cælum et coram te, recipitur, Luc. 15. 20. Publicanus in templo stans a longe, et dicens: Propitius esto mihi peccatori, descendit iustificatus in domum suam, ibid. cap. 18. 14. De latrone confitente peccata sua refert S. Ioannes Climacus cap. 4. quod delebantur ea proportione, qua illa confitebatur. Dicit itaque David v. 6. *Confitebor*, etc. *et tu remisisti impietatem peccati mei.* S. Zeno Episcopus Veronensis serm. 2. ad Neophytos, eleganter vim confessionis amplificat: *Mira ratio*, inquit, *mira beatitudo, salvo reo punitur reatus in eo, integroque statu moritur in homine, propter quod homo fuerat moriturus. Inde est, quod nostra non habet necessaria tormenta confessio: quod sine sudore tortoris facinora sua sponte reus, ut fiat innocens, confitetur. Pretiosa indulgentia est, fratres, quæ et veniam præstat, et medicinam. Cæterum, qui parcit venefico, homicidæ, adultero, incestatori, sacrilego, nisi eius curaverit mentem, non video quid ipsi præstiterit. O liberatoris nostri profunda providentia! O præstantia singularis! O dulcis sententia! O damnatio necessaria! Homo iugulatur, ut vivat: percutitur, percussorisque non cernitur gladius: percussique non hiat vulnus: non defluit sanguis, non decolor color est. Ipse est, et tamen ipse non est. Vetus quidem videtur domicilium, sed novus est inquilinus, mutatione morum nativitatis suæ nobilitatem incredulis variis virtutibus monstrans.*

Memorabile est, quod refertur in Annalibus Carthusianorum, et ab Henrico Gravio, de Faverio, qui fuerat Prior domus sanctæ Crucis. Cum ad mortem ægrotaret, et Huberto etiam Carthusiano confessus esset, vidit dæmonem grandem librum gestantem, atque ex eo varia eius peccata cum risu et cachinno prælegentem. Dicebat Faverius, illa se confessione expiasse; instabat dæmon, confessionem esse invalidam ob multas omissas circumstantias. Sed trepidanti astitit Deipara tanta luce circumfusa, ut vix acies humana illam ferret, et manibus ac brachiis formosissimum puerum amplexa conspicitur, hisque ægrum verbis affatur: *Quid times, animumque despondes? in portu navigas, omnia tibi ab hoc pulcherrimo puero peccata condonantur, tibique esse remissa confirmo.* Hæc ubi cacodæmon audivit, fractus debilitatusque diffugit, ipsaque cæli Regina cum parvulo illo, sed totius orbis et rectore et effectore filio discessit. Restitit, revixitque Faverius, et animum confirmavit, qui pene desperaverat. Redeunti paulo post collegæ Huberto utramque visionem patefecit: deinde matutinis precibus absolutis, ægrotus, alta voce septem pœnitentiæ Psalmos pronuntiavit: languescentibus viribus Hubertum ad precum partem advocavit, amboque Litanias recitarant. Ut autem ad illud ventum est: Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis, Faverius dextræ manus intento indice lætus exclamavit: *Omnes Sancti, qui hic adestis, intercedite pro nobis.* Et in his verbis vitæ cursum atque periodum feliciter terminavit.

91. Confessio non solum culpam, sed etiam pœnam æternam tollit.

Dico quarto, Confessio rite facta non solum culpam peccati, sed etiam pœnam æternam tollit. Ita docetur in supplem. Summæ S. Thomæ quæst. 10. art. 2. Et ratio est, quia cum per confessionem culpa tollatur, et gratia detur, qui confitetur, desinit esse inimicus Dei, et fit eius filius atque hæres; Deus autem filium suum et amicum non torquebit pœna æterna. Hinc David noster dicit, v. 6. VERUMTAMEN IN DILUVIO AQUARUM MULTARUM AD EUM NON APPROXIMABUNT. Ridiculi sunt Iaponum Bonzii seu antistites, qui populo dant chyrographa, spondentes, nibil eum post mortem mali a dæmonibus accepturum, qui unum ex iis e vita migraturus acceperit. Et chyrographa licet caro admodum væneunt, plurimi tamen ea, priusquam hinc abeant, comparare sibi non dubitant: eaque diligenter asservata moribundi sepeliri secum iubent, quorum diabolus fugetur aspectu. Ea Bonziis quæstuosa est mercatura, ut refert Nicolaus Orlandinus lib. 9. histor. Societ. num. 200. In confessione data absolutione, datur, sed gratis chyrographum, quo ostenso iudex non exquirit peccata præterita, quæ intelligit esse condonata.

Nota, diluvium aquarum multarum ostendi supra art. 3. posse sumi pro multitudine voluptatum et peccatorum, ac præcipue calamitatum in die iudicii, et in inferis.

92. I. Confessio est alter baptismus hominem vivificans et purgans.

Ab his confessio liberat. Est enim diluvium, sed gratiarum cælestium, et purificatos vivificantium. Eam ob rem vocatur a Dionysio Carthusiano in Compendio Theologiæ proposit. 136. *velut alter baptismus.* Et ab Haymone ad cap. 6. epist. ad Hebræos, lacrymæ pœnitentium dicuntur, *secundum baptismi genus;* atque a S. Gregor. Nazianzeno orat. 39. recensente multiplicem baptismum, quinto loco ponitur *βαπτισμα δακρυων*, *lacrymarum baptismus;* et orat. 3. Lacrymas nuncupat, *αμαρτιας κατακλυσμον*, *peccati diluvium.* S. Chrysostomus hom. 55. quæ est 5. de Pœnitentia: *Remissio peccatorum*, inquit, *πηγη σωτηριας και επαθλον μετανοιας*, *fons salutis, et pœnitentiæ præmium.* Multa deinde pœnitentiæ elogia acervat: *ιατρειον γαρ εστι αναιρετικον της αμαρτιας η μετανοια, δωρον εστιν ουρανιον, δυναμις θαυμαστη, χαριτι νικωσα την των νομων ακολουθιαν*, pœnitentia medicamentum est peccatum extinguens, donum cælitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. Quare non fornicatorem renuit, non ebrium, etc. Est piscina probatica, id est, ovina, in qua scilicet oves Christi abluuntur, et ab Angelo sanantur, in templo offerendæ. Ad Ierosolymitanam piscinam allusit S. Isidor. Pelusiota l. 1. Ep. 408. cum ait Alexandro.... *De pectore tuo aquam ducet, quæ tibi pro altero quodam lavacro sit, ac voluntaria piscina*, *δευτερον λυτρον και εκουσιος κολυμβηθρα.*

93. II. A tempestate et naufragio liberat.

Secundo, confessio in hoc diluvio aquarum multarum tempestate et naufragio, est liberatrix, quæ ad portum salutis ducit. S. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 5. docet Sacramentum baptismi esse absolute necessarium ad salutem, Sacramentum vero pœnitentiæ esse necessarium, supposito quod quis peccaverit: *Sicut medicatio corporalis, postquam homo in morbum periculosum inciderit.* Nam, ut dicitur Iacobi 1. 15. *Peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*, art. 6. docet esse secundam post naufragium tabulam: ut eam vocat S. Hieron. in Isaiam, tom. 5. et refert Magister sententiarum in 4. dist. 15. Ratio est, quia sicut primum remedium mare transeuntibus est, ut conserventur in navi integra, secundum autem remedium est post navem fractam, ut quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quod homo integritatem servat: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat. Quæst. vero 86. art. 1. et 2. probat cum illa tabula neminem perire, licet gravissimorum scelerum reum, sine illa autem omnes peccatores perire. Nullam præfigit Deus sceleribus metam, nullum certum definit numerum, quem ultra non pateat pœnitentiæ vis: si vel unum in acervum, et in unam animam omnium hominum omnia confluxissent crimina, unica lacrymula hæc omnia demergeret, et proiiceret extra alveum. Iulius Firmicus lib. de erroribus profanarum religionum, cap. 4. *Pœnitentibus*, inquit, *libenter ignoscit Deus, nec multo exigit, ut ignoscat: fide tantum et pœnitentia potestis redimere, quidquid sceleratis diaboli persuasionibus perdidistis.* Petenti Petro an redimeret peccata usque septies, ait Christus Matth. 18. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*, id est, innumerabilibus vicibus. Cum enim septenarius sit symbolum universitatis: septuagenarius vero numerus ita septenarium excedat, ut eum contineat decies; est symbolum velut infinitæ multitudinis, et numerum omnem excedentis. Vide S. August. serm.

15. de verbis Domini secundum Matthæum. Nimis vere dixit Sozomenus lib. 7. cap. 16. Non peccare naturæ est humanæ divinioris. S. Ioannes mendaces vocat eos, qui dicunt se peccatum non habere. Quare ipsis Apostolis pedes, id est, affectus abluendi sunt, Ioan. 13. 10. Quo mysterio, ut ait Ivo Carnot. Episcopus epist. 27. indicantur terreno pulvere etiam religiosa corda sordere, et neminem esse mortalium, qui non egeat pœnitentia, et peccatorum indulgentia. Itaque, ut docet S. Cyrillus Ierosolymitanus: *Tempus præsens, tempus confessionis. Confitearis tempore acceptabili, et in die salutis.* In quo lætandum est, quod, ut ait Petrus Cluniacensis lib. 3. epist. 28. etiam millies in confessione, a Deo veniam obtinere possumus, ut loquitur Berno Augiensis Abbas lib. de divinatione dæmonum contemnenda, quantacumque nobis acciderint peccata, ut docet Meginardus de fide ad Guntherum, etiam in extremo spiritu. Nam neminem sero pœnitet, quem mors invenit pœnitentem. S. Ephrem pœnitentiam comparat fornaci omnia excoquenti, et in melius convertenti. Nihil est tam durum, quod non emolliat et liquefaciat; nihil tam rubiginosum et impurum, quod non expurget. Verba eius sunt tract. de Pœnitentia: *Magna,* inquit, *fornax est pœnitentia: æs accipit, et illud in aurum mutat: plumbum tollit, et argentum reddit.* Ars metallicæ compositionis et conflaturæ ad excernendum aurum argentumque, quam Alchymiam vocant, magistros suos post longum et inanem laborem spe sua ut plurimum deludit, et sæpius patrimonia decoquit, quam metalla; at vero pœnitentia cor licet plumbeum et tardissimum in aurum convertit, atque in cælum elevatum Deo offert et gratum efficit. De Davide nostro post silentium et impœnitentiam novem aut decem mensium, et statim post prolatum doloris signum absoluto, ait S. Ambrosius in exhort. ad agendam pœnitentiam: *Quantum valent tres syllabæ? Tres enim syllabæ sunt, peccavi: sed in istis tribus syllabis flamma sacrificii cordis eius ad cælum ascendit.*

94.
III.
In morte iuvat.

Tertio itaque, confessio in morte iuvat, et est necessaria. Ad eam tunc obligamur præcepto divino. Et Gregor. de Valentia tom. 4. disput. 7. puncto 4. ait, hoc verum esse sine controversia. Itaque in morbo gravi, ante navigationem periculosam, ante prælium, et in summa cum aliquid faciendum est, unde soleat moraliter mors sequi, ad confessionem tenemur. Ita Navarrus cap. 2. num. 8. Sotus disp. 18. quæst. 1. art. 4. Victoria quæst. 131. et alii communiter explicant. Eam olim fuisse fidelium consuetudinem, colligitur ex S. August. epist. 180. ad Honoratum, qui eiusdem periculi esse censet, aut catechumenum non baptizatum, aut baptizatum non reconciliatum exire ex hac vita. Unde sæpe terrificis spectris, et aliis modis coegit Deus obstinatos in eo articulo confiteri. Lucas Waddingus tom. 1. Annal. Minor. anno 1235. numer. 10. pag. 550. ait, quod in Conventu Parisiensi Minorita factus est quidam Clericus lubricus, sed in docenda Philosophia insignis. Ad mortem ægrotans confessionem negligebat, ob peccata de venia desperans. Minorita vocatus in cubiculum vicinum recedit, orat ante Crucifixum. Statim visum est infirmo *ex profundo puteo ascendisse draconem,* ut se devoraret. Exclamavit voce magna ut sibi succurreretur, statimque vidit Christum crucifixum, et ante pedes eius orantem Minoritam, et id responsi accipientem: *Non exaudieris, neque huius miserebor, nisi obduratum animum flectat peccator, et de admissis peccatis confiteatur.* Id ille tantum peti videns, advocat Minoritam, et per aliquot dies de conscientia emundanda serio cum illo agit. Cum peccatis deposuit morbum, et factus est Minorita, id est, Franciscanus. Periculosum est tamen confessionem ad illud usque tempus differre. Rem horrificam audi. Guniso quidam ut de inimicis vindictam sumeret, dæmoni sese devovit, ea conditione, ut triduo ante mortem instantis discessus eum admoneret. Dæmon fœdifragus licet, ægrotum monuit, statim multos advocat, eisque rem, ut erat, expandit: cum ab illis ad confessionem incitaretur, statim obdormiscebat tanto sopore correptus, ut excitari non posset: cum alii sermones inferebantur, evigilabat: sicque miser sæpe monitus, et semper somno correptus, dæmoni, quam promiserat animam, sine confessione tradidit. Mature tibi provide, et stolam tuam lava in fonte Silon, et in sanguine Agni. B. Rogerius Franciscanus nonnunquam septies vel octies die uno confitebatur, et quinquies in anno generalem confessionem instituebat. Ita Wadd. an. 1287. num. 9. pag. 522. Vidi in nostra Societate, qui singulis mensibus confessiones totius illius mensis retexeret. Malim id præstare, quod in eodem fit ab eius scholasticis ante renovationem publicam votorum suorum singulis semestribus. In morbo autem lethali arbitror magnam esse adhibendam prudentiam Confessario, an ægroto debeat permitti confessio generalis, ordinario satius erit petere, num quid animam gravet, et quod occurrit excipere sine tam anxia discussione, quæ mortis aut scrupulorum causa sæpe esse potest. Ex personis et rebus iudicium esto.

Quarto, confessio securum facit in diluvio aquarum multarum, id est, in iudicio extremo. Unde monet S. Chrysostom. hom. 33. in Ioan. *Vos hortor dilectissimi, ut etsi nemo opera vestra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, et iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda universo orbi ea manifeste patere.* Christus ad iudicium veniens apparet cum gladio in ore, Apocal. 1. 16. per quem intelligunt sententiam condemnationis Andreas Cæsar, Aretas, Rupertus, et Seraphinus. De illo dicitur Psal. 7. 13. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit,* (S. Augustinus meminit alterius versionis, frameam suam splendificabit, et explicat de adventu ad iudicium. S. Hieron. acuet. Vibratio denotat impetum, splendor terrorem, acumen penetrabilitatem seu penetrationem potius) *arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa* (id est instrumenta) *mortis,* id est sagittas lethiferas. *Sagittas suas ardentibus effecit.* Vide ibi dicta. Gladium illum in vagina continet dolorosa confessio. Legimus apud Ioannem Osorium conc. 2. de confess. tom. 4. quod quidam cum plures annos gravia in confessione scelera reticeret, per quietem se vidisse narrabat, ardentem in se gladium distringi ad aspectum horribilem: se vero præ timore clamorem sustulisse, Deoque ut parceret, supplicasse, promissione facta integre confitendi. Tunc gladius in vaginam reconditus est, nec uspiam amplius apparuit. Visi fidem fecit accurata confessio, et ex concepto timore exanimatio tanta, ut tamquam mox expiraturo Sacramenta novissima sint adhibita. Sed ut in confessione pestem evomuit, momento convaluit. Hoc in Hispania contigit in civitate Toletana. 95. IV. In iudicio extremo.

Quinto denique, confessio ab inferis liberat, et impedit, ne in diluvium et abyssum aquarum stygiæ demergamur. S. Chrysostomus in Isaiam: *Pœnitentia,* inquit, *est medela delictorum et consumptio, prævaricatorum legis solutio, loquendi libertas in conspectu Dei, adversus diabolum armatura simul et gladius, caput ipsius præsecans, salutis spes, eversio ignorantiæ. Ipsa homini cælum adaperit, eadem ipsa in paradisum introducit evicto diabolo.* Hinc potestas dimittendi peccata Petro concessa vocatur clavis regni cælorum, quia cælum aperit. In Berescit Katanna, id est, in expositione minori libri Genesis, hæc vis confessionis prædicatur: *Omnis,* ait, *qui confitetur actus suos, dignus est futuro sæculo.* Contra vero, qui scelus suum occultant, in æterna vexatione ingemunt. Eorum figura Cain extitit, qui post admissum negatumque flagitium habitavit in terra Nod, id est, *commotionis:* in perpetuo enim tremore vitam traxit, cum intus agitante peccato, velut vento subterraneo et infernali quateretur. Beda lib. 5. histor. Anglicanæ cap. 14. refert damnationem cuiusdam aulici, qui erat regi Coenredo percharus, et ab eo sæpius admonitus confiteri de peccatis noluerat. Duo enim Angeli ei astiterunt, et libellum, in quo aliqua bona eius opera continebantur, ostenderunt. Deinde dæmonum ingens multitudo attulit codicem horrendæ visionis, et magnitudinis enormis, et ponderis pene impor- 96. V. Ab inferis servat.

tebilis, qui illi legendus est propositus. Recedentibus Angelis, et permittentibus, ut ad inferos duceretur, *surgentes duo nequissimi spiritus, habentes in manibus furcas, percusserunt eum, unus in capite, et alius in pede.* Sicque in viscera eius interiora irrepserunt, et desperantem ad inferos secum traxerunt. Unde concludit Beda: *Non multo post defunctus pœnitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit.* Et paulo post. Si errores pueritiæ corrigere in adolescentia, ac benefaciendo a Dei oculis abscondere curasset, posset eorum numero sociari, de quibus ait Ps. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Celebris est illa Catharina Indica, quæ luxuriæ dedita, in lethali morbo novies confessa illud peccatum semper reticuit, sicut tota vita fecerat. Æthiops quidam lateri sinistro adstans illam hortabatur, ut sileret: S. Maria Magdalena ad latus dextrum apparens incitabat, ut confiteretur. Post mortem apparens igne circumcincta, damnatam se esse proclamavit, quod levibus peccatis confessis graviora omisisset. Hoc refert noster Iacobus Saminiego in epist. anno 1590. Paucissimi ad vitam revocati sunt, ut per confessionem peccatorum salvarentur. S. Gregor. lib. 1. Dialog. cap. ultimo, rem Parochis et Sacerdotibus notabilem memorat. *In valle Interorina, quæ a multis verbo rustico Interocrina nominatur, erat quidam vir vitæ valde admirabilis, nomine Severus, Ecclesiæ beatæ Mariæ Dei Genitricis et semper Virginis Sacerdos. Hunc, cum quidam paterfamilias ad extremam venisset diem, missis concite nunciis rogavit, ut ad se quantocyus posset, veniret, suisque orationibus pro peccatis eius intercederet, ut acta de malis suis pœnitentia solutus culpa ex corpore exiret. Qui videlicet Sacerdos inopinate contigit ut ad putandam vineam esset occupatus, atque ad se venientibus diceret: Antecedite, ecce ego vos subsequor. Cumque videret sibi in eodem opere parum aliquid superesse, paululum moram fecit, ut opus, quod minimum restabat, expleret, quo expleto cœpit ad ægrum pergere. Eunti vero in itinere occurrentes hi, qui prius venerant, obviam facti sunt, dicentes: Pater, quare tardasti? Noli fatigari, quia defunctus est. Quo audito ille contremuit, magnisque vocibus se interfectorem illius clamare cœpit. Flens itaque pervenit ad corpus defuncti, seque coram lecto illius cum lacrymis in terram dedit. Cumque iam vehementer fleret, in terram caput tunderet, seque reum mortis illius clamaret, repente is, qui defunctus fuerat, animum recepit. Quod dum multi, qui circumstabant, aspicerent, admirationis vocibus emissis cœperunt amplius flere præ gaudio. Cumque eum requirerent, ubi fuerit, vel quomodo redisset, ait: Tetri valde erant homines, qui me ducebant, ex quorum ore, et naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram. Cumque per obscura loca me deducerent, subito pulchræ visionis iuvenis cum aliis nobis euntibus obviam factus est, qui me trahentibus dixit: Reducite illum, quia Severus presbyter plangit, eius enim lacrymis Dominus eum donavit. Qui scilicet Severus protinus de terra surrexit, eique pœnitentiam agenti opem suæ intercessionis præbuit. Et dum per dies septem de perpetratis culpis pœnitentiam æger redivivus ageret, octava die lætus de corpore exivit.* Ubi nota Primo, mature esse advocandum Sacerdotem, ne intercipiaris. Secundo, mature Sacerdoti esse accurrendum. Tertio, periculum esse magnum non confitentibus, licet sibi per contritionem providere possint. Quarto, magnæ efficaciæ esse preces bonorum pastorum pro ovibus suis. Quinto, si unquam a lethali morbo surrexisti, tibi reliquam vitam speciali amore datam puta, ut agas pœnitentiam. Vide quid referat noster Gaspar Ruiz de fœmina a morte suscitata, ut confessa salvaretur.

97. Vers. 7. 1 Pars. Confessio liberat a parte pœnæ temporalis.

Dico quinto, Confessio rite facta etiam a pœnæ temporalis parte liberat; v. 7. TU ES REFUGIUM MEUM A TRIBULATIONE, QUÆ CIRCUMDEDIT ME: EXULTATIO MEA ERUE ME A CIRCUMDANTIBUS ME. Nota, pro *refugium* Hebraice est סתר *seter*, id est absconsio, occultatio, cella, latibulum. Hinc metaphorice significat protectionem, munimen. Primo itaque Caietanus vertit, *Tu absconsio mihi.* In umbra alarum Christi sperandum est. Vatablus, *Tu latibulum es mihi.* Bene vixit, qui ibi latuit. Fœlix, *Tu secretum mihi*, est Sanctum Sanctorum, in quod non intrat, nisi Sacerdos, qui audit confessionem meam, ut Dei legatus. Septuaginta, καταφυγη, id est locus vel persona, ad quam fugiatur. Noster et Muisius *refugium* vertit. Secundo, S. Hieron. habet, *Tu es protectio mea.* Petav. ἄλκαρ μοι ἔμπεδον, *præsidium mihi firmum.* Arx scilicet, ad quam fugiamus, et in qua tuti simus, tum ob loci munitionem, tum ob affectum et amorem recipientis. Deus enim est et locus refugii, et defensor, si quis in eo loco positum aggrediatur. Illius arcis securitatem indicat Apollinaris, cum vocat πύργον, id est, *turrim.* Defensoris vero potestatem Syrus, cum hic orat: *Tu protege me, et ab inimicis meis libera me. Gloria et salute complectere me, ut intelligam te.* Securus fuit Noe, qui significat quietem vel quiescentem, in arca super aquas multas fluitante, et decem cubitis altissimos montes superante, Gen. 7. quanto magis nos in vulneribus Christi, in quibus imperfecti sunt, sicut herinacei in petra, Ps. 103. 18. Vide illum locum. Perfecti vero, sicut columbæ in foraminibus petræ, et in caverna maceriæ, Cant. 2. 14. cui dicitur Ps. 90. 9. *Altissimum posuisti refugium tuum: non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Eo non pertingunt aquæ diluvii, quæ transcendunt altissimos montes, id est, potentissimos sæculi, apud quos nemo quietus est; sed qui ad eos accedit, est in aquis profundioribus, et consequenter magis tempestuosis, et magis periculosis, ne inde in præcipitia et in abyssum cadat: ubi a cautibus conteratur, et ab aquis submergatur.

Nota secundo, סתר *seter*, id est, *refugium*, est nomen Hebraice quinque punctorum, et trium litterarum. Itaque in tribus litteris, et in quinque punctis est refugium nostrum: hoc est, in sanctissima Trinitate, atque in quinque Christi vulneribus. Primo, de tota Trinitate Ruffinus ait in Psal. nostr. *Multa est tribulatio, quæ nos undique circumdat, teste Apostolo, qui ait 2. Corinth. 7. 5. Foris pugnæ, intus timores. Et in Ps. 33. 20. dicitur: Multæ tribulationes iustorum. Denique tota vita ista mortalis servis Dei tribulatio est, Iob. 7. 1. Sed ab hac tribulatione, qua circumdatur in hoc mundo, non invenit homo tam tutum refugium, quam ipsum Deum. Refugiunt alii ad vires suas, ad munitiones suas, defensiones peccatorum suorum. Mihi non est refugium nisi tu, qui es etiam exultatio mea, quia de te gaudeo.* Et Remigius, Tu es refugium meum, q. d. inquit, te in corde quasi arcem refugii habere satago, non me, non mundum, qui perit. Secundo, de Christi vulneribus, quæ sunt petræ, id est, Christi foramina, ait S. Bernardus serm. 61. in Cant. *In his passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi ponat pullos suos. In his se columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem.* Lege cætera. Chald. ad hoc aptissime vertit: Tu absconsio es mihi, in latere tuo custodies me. De hoc dicam infra.

Quotidianum nobis debet esse illud refugium, et unicum: *Tu es refugium meum.* Hoc unum est necessarium, et omnibus sufficit. Nicolaus Oriandinus histor. Societatis Iesu lib. 9. num. 200. refert, quod Iaponicarum superstitionum Antistes, (qui ita late imperat, et tam copiosis vectigalibus fruitur, ut cum profanis regibus certet) habet Menei domicilium, intra quod *idola sex et sexaginta supra trecenta* numerantur, quorum singula singulis vicissim noctibus ad eius latus excubiarum causa collocentur. Sacrosanctus vulgo putatur, et pro numine pene colitur, ut nefas quidem ei sit humi vestigia ponere, quæ si ponat, de honoris gradu statim deiicitur: ita ibi. In Deo maneemus, sic terram non tangemus, et terra nos non tanget, sed cælestes et divini erimus. Sancti, quos singulis diebus colimus, erunt protectores nostri.

Antistes in Iaponia terram non tangit pedibus.

Nota tertio, hoc refugium patet pœnitentibus. Prius enim dixerat David, *Dixi: confitebor adversum me*, etc. hic autem subdit: *Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me.* Ut enim ait S. Laurentius Iustinianus, 98.

Pœnitentiæ refugia

de gradibus perfectionis, cap. 3. pœnitentiam ipsam alloquens velut misericordiæ parentem ac nutricem, ait: *Tu es refugium humilium, contritorum levamen, veniæ porta, spes indulgentiæ, propriæ agnoscendæ infirmitatis magistra, terror dæmonum, virtutum nutrix, gratiarum custos, orationis incentivum, lacrymarum origo, consequendæ misericordiæ præcursor, amica Angelorum, et spiritualis disciplinæ norma præcipua, si tamen interioris et exterioris sis exercitio decorata.* Et Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ad Ioannem presbyterum sic pœnitentiam laudat: *Pœnitentia*, inquit, *insignis est armatura, magna salutis via, hospitii regni cælorum dispensatrix, incorruptibilis vitæ dux, martyriorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, et cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium et lapsorum resurrectio.* Et infra adiicit: *Pœnitentia est columna et familiaris dilectionis, eleemosynæ, ieiunii, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis: ut verum uno verbo dicam: Hæc omnia pollet pœnitentia.* Nicolaus Clamengius considerans prodigi verba, *Pater, peccavi*, sic pœnitentiæ in illis contentæ vim extollit: O verbum, ait, salutiferum! o verbum efficax et prævalidum, modo ex animo dicatur! quod et spirituales nequitias potenter expugnat, et divinæ severitatem iustitiæ flectit, temperat, mitigat: quod iudicis iram placat, sententiam mutat, decreta revocat, imo penetranti virtute ad intima misericordiæ viscera irrumpens, illa mortalibus effundit: quod Ninivitas ob excidio liberat, Davidem a morte solvat, Ezechiæ annos prorogat: quod postremo publicanum iustificat, latroni paradisum reserat, Magdalenæ ploranti veniam impetrat, et dæmonia septem ab ea fugat; ita Clamengius. Notabilis est Hebræorum Glossa in illud Cant. 5. 2. *Aperi mihi soror mea*, edita a Galatino lib. 8. cap. 8. *Filii mei*, inquit, *aperite mihi aperturam unam pœnitentiæ, sicut est foramen acus, et ego aperiam vobis aperturas misericordiæ, per quas introbunt quadrigæ et currus.* Illæ misericordiæ aperturæ sunt Christi vulnera, ex quibus sanguis profluens dat vim nostræ pœnitentiæ. Ut enim in Ps. nostr. docet Iacobus Perez de Valentia: Pœnitentia habet virtutem a sola passione Christi: et non est valida, nisi fiat cum fide et spe misericordiæ Christi. Nam fides Christi et spes veniæ deducit peccatorem ad pœnitentiam. Et ideo unusquisque peccator debet recurrere ad passionem Christi, per quem solvitur omne debitum. Coloss. 2. 14. *Delens quod adversus nos erat chirographum decreti* (id est memoriam Dei reservantis peccata, ait S. Thomas; 2. et melius, hoc est, obligatio ad pœnam æternam iuxta Dei sententiam damnationis in Adamum et posteros eius peccantes latam) *quod erat contrarium nobis, et illud tulit de medio, affigens illud cruci*, q. d. sua cruce et morte illud abolens. Sed adverte, quod cruci affigitur et configitur, non enim obtinet illam veniam, nisi qui per pœnitentiam crucem suam portat, et in ea se crucifigit.

99. Nota quarto, pro *tribulatione* Hebr. est צר *tsar*, quod Primo est nomen Taar seu adiectivum, et significat hostem, angustiatorem, oppressorem. Unde S. Hieronymus vertit: *Tu es protectio mea, ob hoste custodies me.* Secundo, *tsar* est etiam nomen substantivum, et significat angustiam, afflictionem, oppressionem, coarctationem, obsessionem. Hinc Pagninus vertit: *Tu absconsio es mihi, ab angustia custodies me.* Intra Christum, velut divinam fornacem positi, charitate inflammantur, et corde dilatantur. Rad. צור *tsur*, duo significat: Primo, obsidere, coarctare, angustiis afficere, opprimere. Secundo, roborare, fortificare. Fortes enim athletas facit in stadio tribulationis exercitatio. Ut enim ait Paulus Rom. 5. 3. *Tribulatio patientiam operatur.* Ad hoc etiam conducit verbum sequens in Psal. nostro. Nam pro *circumdedit*, Hebraica est תצרני *titsereni*, id est custodies me, ut vertit S. Hieron. Vatabl. Caietan. Felix, custodis me, ut Muisius. Tribulatio itaque nos circumdat, sicut miles præsidiarius, ut custodiat et conservet. Rad. est נצר *natsar*, quod duo etiam significat: Primo, custodire. Secundo, destruere. Deus corpus et terrena debilitat et destruit, ut animam et cælestia custodiat. Paulus dicit 2. Cor. 12. 10. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Vel certe, Christus sui ipsius passione et morte nos custodivit: vulneratus est enim, ut sanaremur. Chald. qui pro *tsar*, id est tribulatio, legerat צד *tsad*, id est latus, vertit, ut iam dixi: *In latere tuo custodies me.* Ibi S. Elzearius Comes Arriani se totum adversus omnes calamitates, convicia et iniurias æstimabat.

Quæres: A qua tribulatione liberari se David optat? 100.
Respond. Primo, Ugo et Dionysius per tribulationem in- Tribulationes
telligit tentationes, quæ nos *circumdant*: quia, ut ait Dio- quæ cir-
nysius, multipliciter et undique insurgunt et oriuntur in cumdant,
nobis: nempe a suggestione dæmonis, a persuasione seu sunt:
molestatione mundi, et a lege peccati, quæ viget in mem- I.
bris nostris. Est diluvium aquarum multarum nos cir- Tentationes.
cumstans. Speciatim S. Gregorius exponit de tentationibus carnis. Illæ enim totum corpus velut massam peccati succingunt. Sic enim ait: *Tu es refugium meum. Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine: et benedictus homo, qui confidit in Domino. Impugnant me carnis illecebræ, circumveniunt ignominiosæ passiones, perturbant inordinati desideriorum tumultus. Sed eo tutius omnia despicio, quo de me vilia sentiens, in solo virtutis tuæ munimine confido.* Bonum remedium contra tentationes carnis est sui ipsius despicientia, et spes in Deum: quia, ut ait Sapiens cap. 8. 21. *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens* (id est castus, ait Glossa. S. August. lib. 6. confess. cap. 11. Græc. εγκρατης, q. d. potens domitor et victor voluptatum.) *nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis.* Cantic. 2. 1. Christus vocat se lilium convallium, quia eius est dare puritatem, sed dat illam convallibus, id est humilibus, qui ex utraque parte sunt vallis, id est, se in suo corpore et anima, atque utriusque donis et ornatu humiliant. Humilitatis illius flos pulcherrimus et odoratissimus erit castitas et virginitas, in qua opes cæli mel suum conficient. S. Fulgentius Epist. 3 ad Probam, de virgin. cap. 18. *Ut integra permaneat Deo dicata virginitas, sicut custoditur integritas corporis, multo amplius custodienda est humilitas cordis. Si qua enim vere virgo est Christi, non potest Christo nisi humilitate coniungi.* Et S. Bernardus hom. 1. super Missus est: Pulchra, inquit, permistio virginitatis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem.

Secundo, per tribulationem, quæ circumdat, Lombar- II.
dus, Glossa, et alii intelligunt ipsa peccata. David enim Peccata.
adulterium et homicidium commiserat, quæ instar furiarum tædes ardentes agitantium, flagellis et scuticis insonantium, ac serpentibus sibilantibus horribilium ipsi adstabant, eum circumvallabant, omni loco et tempore se eius oculis obtrudebant pœnam minitantia, etiam post condonationem culpæ. Nam ablata culpa remanet reatus pœnæ temporalis persolvendæ, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 86. art 4.

Tertio denique, et aptius, S. Hieron. Lombard. Titelm. III.
et alii *tribulationem* hic sumunt omnia adversa, et sæculi Omnia
pressuras, quas David atque cæteri peccatores perferunt adversa.
ob peccata, sicut in ipso Davide supra ostendi.

Ab his autem omnibus liberat pœnitentiæ virtus, et præcipue Sacramentum. Ut enim habetur in Supplemento S. Thom. q. 10. art. 2. Confessio tollit aliquam pœnam temporalem. Uno modo ex ipsa vi absolutionis: et sic quidem liberat in voto existens a pœna æterna, sicut etiam a culpa: quæ quidem pœna est pœna condemnans, et ex toto exterminans: a qua homo liberatus, adhuc manet obligatus ad pœnam temporalem, secundum quod pœna est medicina purgans et promovens: et sic hæc pœna restat in purgatorio patienda etiam his, qui a pœna inferni liberati sunt: quæ quidem pœna est improportionata viribus pœnitentis in hoc mundo viventis: sed per vim clavium in tantum minuitur, quod proportionata viribus pœnitentis remanet: ita quod satisfaciendo, se in hac vita

purgare potest. Alio modo, diminuit pœnam ex ipsa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubescentiæ annexam: et ideo quanto aliquis pluries de ipsis peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur: ita ibid. quæst. vero 18. art. 2. docetur, quod in baptismo tota pœna etiam remittitur, quia est regeneratio, et homo regeneratus passioni Christi configuratur totaliter, fit enim per gratiam baptismalem novus homo. In pœnitentia autem homo non mutatur in aliam vitam: quia non est regeneratio, sed sanatio quædam: ideo tantum pars pœnæ remittitur ex vi clavium, ita ut si tunc moreretur quis, iret quidem in purgatorium: sed minus puniretur, quam si decessisset ante absolutionem. Adverte tamen, quod contritio potest esse tanta, ut omnem prorsus reatum pœnæ tollet, ut habetur ibi, quæst. 5. art. 2.

101. Confessio liberat a variis tentationibus et malis habitibus.

Si placet sigillatim vitia percurrere, intelliges peccati reliquias, id est malas inclinationes omnes, quæ etiam ablata culpa remanent, ut docet S. Thom. 3. part. qu. 86. a. 5. aut prorsus tolli, aut valde debilitari per confessionem. Primo enim quidam a blasphemiæ spiritu liberatur, illum aperiens Abbati Poemeni, id est Pastori, ut ait Ruffin. Aquileiensis presbyter, et habetur in vitis Patrum lib. 3. num. 57.

I. A tentatione blasphemiæ.

II. A tentatione luxuriæ.

Secundo a tentatione luxuriæ liberatur Astion per confessionem, qua facta puer quidam niger cum ignea facula de eius sinu egredi visus est, ut refert ibidem lib. 4. numer. 11. pag. 216. De alio per confessionem ab eadem tentatione liberato, habes ibidem lib. 5. num. 13 p. 574. et num. 14. lege toto libello quinto multa de resistentia necessaria, et de adiutorio Dei.

III. Ab iracundia.

Tertio, mulier iracunda sanatur ab illa furiosa passione, cum esset confessa S. Malachiæ, ut narrat S. Bern. in vita S. Malachiæ, longe post medium, eam sic describit: *Clamor et rancor, et tempestas valida ubicumque fuisset: audax, et ardens, et præceps, metuenda lingua et manu, importabilis omnibus, et invisa.* De conversa subdit: Fertur adhuc hodie vivere, et tantæ esse patientiæ et lenitatis, ut quæ omnes exasperare solebat, nullis modo exasperari damnis, contumeliis, afflictionibus queat. Ait deinde hoc miraculum esse maius, quam suscitationem fœminæ alterius demortuæ.

IV. A tristitia.

Quarto, confessio a tristitia liberat, ut dicitur lib. 7. cap. 11. Semper se in iugi animi pace et lætitia fuisse asserit S. Dorotheus serm. 5. quod omnes animi sui cogitationes revelaret patri suo spirituali. Lege nostrum Crombetium lib. 2. de studio perfectionis cap. 2. ubi refert mirabile et notabile exemplum unius, qui stimulum conscientiæ nisus est obtundere, et peccati infamis memoriam deponere: 1. in multorum consortio deliciis vacando; 2. varias regiones percurrendo; 3. mathematicæ et perspectivæ studiis se totum applicando; 4. ieiuniis, ciliciis, flagellis se puniendo. Quæ cum non prodessent, deliberat sibi fauces fune occludere, mori statuens potius, quam confiteri. Sed Dei providentia incidens in Patrem e Societate nostra, ab eo variis artibus ad confessionem peccati illius inductus, et tranquillitati conscientiæ atque lætitiæ est redditus. S. August. suavitatem bonæ conscientiæ prædicans ait: *O felix conscientiæ puritas! o felix sanctæ conscientiæ iucunditas! quæ vermem interiorem excludis, quæ a carcere doloris liberas rationem! quæ ab omni immunditia purgas mentem! o mens sancta! o paradisus deliciarum variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus purpurata, et suaviter cælesti gratia irrigata! Hæc est, fratres mei, paradisus, in qua plantatur lignum vitæ, et cælestis sapientiæ: hæc est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum sancti Spiritus.* Verbulo eam obtinere potes, fugatis a mente tua per confessionem dæmonibus. Thomas Cantipratensis Ordinis S. Dominici Episcopus suffraganeus Archiepisc. Cameracensis, auditor Alberti Magni, et condiscipulus S. Thomæ Aquinatis, in cuius gratiam dicitur vertisse Aristotelem e Græco in Latinum, refert in utilissimo opere de proprietatibus apum, in quo sub figura apum multa scribit de officio prælatorum atque subditorum: refert, in-quam, quod vir notus et clarus in Burgundia ob scelera sua contabescebat, neque medici proderant. Intelligens mali causam, confessus est peccata: statim ubi beneficium absolutionis accepit, similitudinem fere bufonum habentia in facie, sed diversificata posterius septem animalia cute teterrima, et parva, quasi vitiorum septem dæmonia, de se simul eiecit. Mira res, vix modico temporis spatio intericcto, in tabem animalibus resolutis reflorere cœpit caro prorsus et facies pœnitentis, menteque et corpore integerrime sospitatus multis postea profuit ad exemplum. De mitigatione tristitiæ per fletum, vide S. Thom. 1. 2. q. 38. a. 2.

V. A gula.

Quinto, confessio furti unius panis quotidie, sanat Serapionem a tentatione gulæ, ut supra dixi, et refertur lib. 4. vit. Patrum cap. 47. pag. 553. et 569. ex Cassiano collat. 2. c. 11. Iudum cæteris vitiis, ac præsertim ebrietati deditum Satanas specie horribilis molossi velut devoraturus invadit; eumque confecisset, nisi quidam adolescentes eximiæ pulchritudinis impedivissent. Exterritus ille ad Confessarium accurrit, et cum multo fletu confessus, vitam emendavit. Ita legitur in Liter. ann. Societat. anno 1584. Collegii Pascuar. Provinciæ Mexicanæ.

VI. Ab omni peccato.

Sexto, confessio ab omnibus peccatis liberat. Athenienses sontem, qui culpam ingenue et pœnam quam merebatur, confessus fuisset, impunitate donabant, ut ait Alexander Neapolitanus lib. 3. cap. 5. Ideo Socratem cupidius damnarunt, quod maiore constantia peccatum fateri noluisset. Hoc longe verius est apud Deum 1. Ioan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.* Confessio ita purgat a peccatis, ut Dominicus Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 1. asserat se præsente Norimbergenses per legatos a Carolo V. Imper. postulavisse, ut imperatorio iure confessio auricularis indiceretur: se namque usu comperisse, postquam illa cessaverat, Remp. suam vitiis contra iustitiam, virtutesque alias abundarisse. Risi tamen merito sunt ab Imperatore legati, quod vim Sacerdotalis absolutionis negarent homines: ad vera fatendum divino iussu compelli non concederent: postremo quod qui non confiterentur, cum id cognoscere Prætor nequiret, pœnarum humana lege propositarum cogi minis non possent.

VII. Ab ipsis malis corporis.

Septimo denique, confessio ab ipsis malis corporalibus liberat. Primo, a morsu serpentum, Num. 11. 7. et seq. Secundo, a captivitate, Iudic. 10. v. 10. et 15. Tertio, a febri, S. Greg. Turonens. de gloria Confessorum. c. 93. Quarto, a flammis, Cæsarius lib. 3. cap. 17. Ioan. Bonifacius de institutione pueri Christiani oration. de relig. Animæ igitur et corpori etiam consuluit S. Ignatius, cum procuravit ut Pius V. sanciret, ne quis a medico viseretur ægrotus, priusquam remitterentur a Sacerdote peccata, ut habet Orlandin. lib. 4. num. 9.

Vers. 7. 2. Pars.

Non solum pœnitentia dat quæ sunt necessitatis, sed etiam quæ ad delectationem pertinent. Unde addit David, vers. eod. 7. EXULTATIO MEA ERUE ME (S. August. et Cassiod. redime me) A CIRCUMDANTIBUS ME. Nota, To *exultatio mea*, potest sumi Primo, passive, q. d. Deus meus, de quo gaudeo: ita Ruffin. Secundo, et melius, active, q. d. Deus qui es causa meæ lætitiæ: ita Bellarminus, Deus enim est lætitia nostra causalis, licet non formalis.

102.

Nota secundo, pro *exultatio mea*, nunc est in Hebræo רָנֵּי *ronae*, quod est in regimine plurali, et significat *exultationes*. Unde Pagnin. *canticis liberationis* (Arias, liberandi. Felix, liberati. Caietanus laudibus evasionis) *circumdabis me*. Munsius, clamoribus liberationis circumdas me. Quod explicans Vatablus reddit, iubilis quibus ovare solent elapsi, circumcinges me, Selah, de qua voce vide Psal. 3. Sed noster et Septuag. legerunt *roani* in singulari numero, id est *exultatio mea*, et S. Hieron. vertit *laus mea* salvans circumdabis me. *Ron* enim significat, 1. clamorem fortem; 2. lætitiam; 3. laudem. Oritur a *ronan* clamare, exultare, laudare. Adverte præterea quod nunc legitur תְּסוֹבְבֵנִי *tesobebeni* in coniugatione Piel in

tempore futuro. Ideo vertunt *circumdabis me*. Sed Sept. et noster aptius legebant מסובבני *messobsbeni* in Beuoni, id est participio activu Kal, ideo elare reddunt, *a circumdantibus me.*

103. Circumdant nos 1 Ærumnæ 2 Dæmones. Quæres, qui sunt qui nos circumdant? Resp. Primo, cum Marinna, circumdant nos mala et ærumnæ. Secundo, cum S. Hieron. Ugone et Lyran. circumdant nos dæmones et peccata. Innocentius in Psal. nostr. et munitiones nostras, et earum impugnationem exponit: *Principales*, ait, *quatuor sunt virtutes, quæ mentem viri sancti circumdant: videlicet iustitia, prudentia, temperantia, et fortitudo. Habet enim ab anteriori parte iustitiam: a posteriori parte prudentiam: temperantiam a dextris: fortitudinem a sinistris. Congruunt bene loca virtutibus. Nam quæ sunt ante, sunt certa: quæ vero retro, dubia sunt: quæ a dextris, prospera: quæ a sinistris, adversa. In certis autem est exercenda iustitia, in dubiis est adhibenda prudentia, in prosperis opus est temperantia, in adversis est necessaria fortitudo. Cum ergo iniquitas premit iustitiam, oppressio instat ante: cum fatuitas premit prudentiam, oppressio instat retro: cum superfluitas premit temperantiam, oppressio instat a dextris: et cum pusillanimitas premit fortitudinem, instat oppressio a sinistris. Cum autem diversæ oppressiones simul has virtutes omnes impugnant, tunc undique mentem circumdant.*

104. Pœnitentia dat lætitiam. Quæres secundo: Quænam virtus ita nos ab illa obsidione liberat, ut lætitiam et exultationem donet? Resp. esse pœnitentiam. Hoc patuit in urbe Bethulia, quæ virginitatem significat; fuit enim liberata ab Holopherne duce exercitus Assyriorum, per Iudithæ pœnitentiam, Iudith. 9. 1. Patuit quoque in liberatione Samariæ, in qua Elisæus lacrymas in oratione pro populo fundebat, et Ioram rex cilicium ferebat, 4. Regum 6. et 7. Quanta utrobique fuerit exultatio, ibi lege.

In ipsa tristitia est exultatio. Instabis. Potestne simul cum tristitia obsidionis esse exultatio? Resp. S. August. subtiliter: *Exultatio mea redime me. Si iam exultas, quid vis redimi? Exultatio mea redime me. Audio vocem gaudii, exultatio mea: audio gemitum, redime me. Gaudes et gemis, ita, inquit, et gaudeo et gemo. Gaudeo in spe, gemo adhuc in re. Exultatio mea redime me. Spe gaudentes, ait Apostolus Roman. 12. v. 12. Ergo recte, exultatio mea redime me? Unde redime me? Sequitur, in tribulatione patientes. Exultatio mea redime me. Iam iustificatus erat et Apostolus Roman. 8. 23. Et quid ait? Non solum, inquit, sed etiam nos ipsi primitias habentes spiritus, et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Unde redime me? Quia ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri. Ecce ergo unde redime me, quia adhuc expectamus in nobis ingemiscentes redemptionem corporis nostri. Unde ergo exultatio mea? ibi sequitur idem Apostolus et dicit: Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quid enim videt quis, et sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Si speras, gaudes; si per patientiam expectas, adhuc gemis: non enim opus est patientia, ubi nihil mali perpeteris. Tolerantia quæ dicitur, patientia quæ dicitur, sustinentia quæ dicitur, longanimitas quæ dicitur, non est nisi in malis. Ubi premeris, ibi angustia est. Ergo si per patientiam expectamus, adhuc dicimus: Redime me a pressura quæ circumdedit me: quia vero spe salvi facti sumus, simul utrumque dicimus: exultatio mea redime me.* Itaque dolemus, quia in malis sumus et illa patimur: gaudeamus, quia bona speramus. Et quo maior est amaritudo in terra, tanto magis nos in cælum ire cogit, ut ibi in Domino gaudere et exultare in Deo Iesu nostro. Hoc attingit S. Gregor. Exultatio mea erue me. In divinæ contemplationis claritate electorum mentes, quanto graviores rerum temporalium tumultus tolerant, tanto in meditatione secuturæ in perpetuum felicitatis suavius exultant. Et cum cœperint eis mundanæ perversitatis inæqualitates amarescere, tunc primum possunt internæ quietis suavitatem sentire. Et quia nihil de sæculo, nisi tristitiæ fluctus colligunt, Deum solummodo suum esse gaudium ducunt: ita Gregor. hoc loco.

Secundo moral. Nota, quod maior est exultatio quam tristitia, quia exultatio est interior. *Exultatio mea*, tribulatio est exterior: circumdat me, sed non penetrat. *Erue me a circumdantibus me*. Hoc S. Gregor. indicat lib. 26. Mor. cap 12. illud expendens cap. 35. Iob. v. 10. Qui dedit carmina in nocte. Sic enim loquitur: *Carmen in nocte, est lætitia in tribulatione: quia etsi pressuris temporalitatis affligimur, spe iam tamen de æternitate gaudemus. Carmina Paulus in nocte prædicabat, dicens, Roman. 12. v. 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes. Carmen in nocte David sumpserat, qui dicebat, Ps. 31.7. Tu mihi es refugium a pressura, quæ circumdedit me, exultatio mea, redime me a circumdantibus me. Ecce noctem pressuram nominat, et tamen liberatorem suum inter angustias exultationem vocat. Foris quidem nox erat in circumdatione pressuræ, sed intus carmina resonabant de consolatione lætitiæ. Quia enim ad æterna gaudia redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta: tota sacræ Scripturæ intentio est, ut spes manentis lætitiæ nos inter hæc transitoria adversa corroboret. Unde et Ezechiel Propheta cap. 2. 9. Librum se accepisse testatur, in quo scriptæ erant Lamentationes, carmen, et væ. Quid enim libro hoc nisi divina eloquia figurantur? Quæ quia nobis lacrymas luctusque præcipiunt, lamentationes in eo scriptæ referuntur. Carmen quoque et væ continent: quia sic de spe gaudium prædicant, ut in præsenti tamen pressuras atque angustias indicent. Carmen et væ continent; quia et si illic dulcia appetimus, prius necesse est ut hic amara toleremus. Carmen et væ discipulis prædicabat Dominus cum dicebat Ioan. 16.33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis; ac si aperte diceret: Sit vobis de me interius, quod consolando reficiat, quia erit de mundo exterius quod sæviendo graviter premat.* 105. Exultatio iustorum est maior eorum tristitia.

Christus botrus Cypri dicitur, et cur. Dicit Sponsa, id est Ecclesia, seu anima sancta, Cant. 1. 13. *Botrus Cypri* (Plin. lib. 12. cap. 24. Cyprus est arbor in Ægypto, zizyphi foliis, semine coriandri, flore candidato et odorato) *dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Aponius ait, Cyprum significare tristitiam et mœrorem, et Christum esse botrum Cypri peccatoribus, dum iis iniicit spiritum compunctionis et dolorem de peccatis; ut eos evehat ad beatitudinem lugentibus promissam, Matth. 5. v. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Hi enim sunt in Engaddi, id est, in fonte hædi, quia fonte lacrymarum eluunt hædos fœtentes criminum. Malim id explicare de anima perfecta, quæ in mediis afflictionibus lætatur. Cyprum enim habet, id est afflictionem seu dolorem, sed in vineis, id est cum lætitia spirituali et exultante, 2. Cor. 7. 4. *Superabundo gaudio in omni tribulatione:* et quidem in vineis Engaddi, quod significat fontem vel oculum felicitatis. Illa enim exultatio et superabundantia gaudii oritur ex felicitatis, quæ labores consequitur, consideratione.

SECTIO TERTIA ET ULTIMA.

106. *Duo complectitur. Primo, apostrophen Dei ad Davidem pœnitentem et populum eius, qua eos ad virtutem incitat, vers. 8. Secundo, apostrophen Davidis ad Deum et ad populum suum: qua Deum incitat ad impiorum punitionem, et populum suum ad amorem virtutis, vers. 9.*

PARAPHRASIS.

8. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

8. Nihil est cur his terroris fluctibus quatiaris, ero refugium tuum et asylum, sicut optasti: ad quod ut securus pertingas, prudentiam tibi interiorem affundam, quæ cecis in tenebris facem præferat: ego ipse, cuius ductu nutuque reguntur omnia, edoro; viarum ut divortia, et anfractus ac pericula edoceam. Intentis semper in te oculis viam permetier, ut et salebras et abrupta complanem, ac magno animo ad metam anhelantem fulciam, atque ex insidiis assultantes hostes detegam atque compescam.

9. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.*

9. Videsis tantum, ne tu tuoque subiecti imperio lucem animæ vestræ congenitam, extinctam velitis: cœcoque et effræni impetu, equorum instar insanientium, et multorum lascivientium, ad uxores alienas adhinniatis, at morsu calcibusque pauperes atque abiectos proteratis.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

Audio quidem, Domine Deus, amentissimas voces tuas, sed capistro et lupatis opus est, ut quos tanta vis amoris ed te non provehit, neque a vitiorum lacunis abducit, efflictionum stimulis promoveas. frænoque in orbita contineas.

10. *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

10. Providete vobis, qui a via Dei deflectitis; vindicis manus et senticas sentietis. Si autem errabundi ad Deum recurratis, misericordiæ vos optimi parentis circumcinget: ut neque inflicta flagella sentiatis, neque hostium insultus horreatis.

11. *Lætamini in Domino et exultate iusti, et gloriamini omnes recti corde.*

11. Vos vero, qui longam viam permensi portum spectatis, cælesti vos lætitiæ in animo dedite, quæ in corpus etiam cum exultatione exundet: quanta sit iustorum lætitia, omnibus prædicate, qui a rectitudine vitæ non deflectitis, ut alios ad Deum, exemplo vestro traducatis.

QUÆSTIO UNICA

QUIBUS DONIS POENITENTES POST CONFESSIONEM DEUS CUMULAT, QUIBUSVE POENIS RELABENTES AFFLIGIT.

107. Ordo Sectionis. Cum David præcedenti sectione necessitatem, proprietates, et effecta confessionis ostenderit, superest, ut aperiat, quid post confessionem sit præstandum. Hoc suo more figurate et eleganter exequitur per duplicem apostrophen.

Ac primo, Deus iustis ostendit auxilia, quibus eos tueri et ad cælum ducere statuit; peccatori autem declarat, quid sit cavendum.

Primo, Iusto tria pollicetur. Primo, prudentiam interiorem, et quæ facis instar viam ingredienti præluceat, v. 8. *Intellectum tibi dabo.* Secundo, auxilium externum singularis providentiæ, quæ velut dux in viæ progressu flexus varios, et cæcatos periculosasque calles edoceat: *Et instruam te in via hac, qua gradieris.* Tertio, perseverantiam in gratia, quæ ad metam usque constanter perducat: *Firmabo super te oculos meos.*

Secundo, Peccatori duo cavenda præcipit Deus. Primo, affectuum in voluntate perturbationem, et ad terrena inclinationem, vers. 9. *Nolite fieri sicut equus et mulus.* Secundo, intellectus excæcationem: *Quibus non est intellectus.*

SECUNDO, David ipse per apostrophen mutuam ad Deum, ad peccatores, et ad iustos convertitur.

Primo, Deum orat, ut non solum illustratione mentem illuminet, sed etiam voluntatem urgeat, et passiones compescat, v. eod. 9. *In camo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Secundo, peccatores monet. Primo, Deum uti iustitia adversus impios, v. 10. *Multa flagella peccatoris.* Secunda, misericordia erga pios: *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

Tertio denique, iustos hortatur ad lætitiam, exultationem, et gloriationem: ut scilicet: Primo, animo lætentur A incipientes, v. 11. *Lætamini in Domino.* Secundo, corpore exultent proficientes, cum passiones mortificatæ non ita tumultuantur: *Et exultate iusti.* Tertio, ore glorientur perfecti, Deo laudes concinendo, et hominibus virtutis suavitatem prædicando: *Et gloriamini omnes recti corde.*

ARTICULUS I.

Pœnitentes Deus illuminat, docet, ac iuvat.

Finge tibi animo in abruptis cautibus iacentem peccatorem, qui a pœnitentia e cælis ellapsa sanatus et in pedes erectus, oculos in cælum tollit, ut Deo gratias agat et lucem impetret ac robur, ut ex tot viis sibi occurrentibus bonam eligat atque feliciter transmittat. Vide in cælo abblandientem Deum et dicentem, v. 8. INTELLECTUM TIBI DABO, ET INSTRUAM TE IN VIA HAC, QUA GRADIERIS, FIRMABO SUPER TE OCULOS MEOS. 108. Vers. 8. 1. Pars.

Quæres, Quis hic loquitur? Respond. Primo, Toletus, B Gagneius, Iansenius et alii, Davidem loqui in proprie persona, q. d. peccatori: Ego post lucem mihi redditam, et post cognitam experientia peccati malitiam et pœnas illud consequentes te doceho, quæ facere et vitare debeas. Sed quidquid fuse dicat Toletus, non satis apposite explicatur in eo sensu, *firmabo super te oculos meos.* Secundo igitur, et aptius, Dei verba esse censent Lombard. Titelm. S. August. Ruff. et alii. Ubi nota cum S. Hieron. in Daniel. cap. 11. tom. 3. *Consuetudinis Prophetarum est repente personas introducere, sine ulla præfatione verborum.* Et citat locum hunc, quem consideramus; ubi ait Dei personam statim introduci. Idem docet S. Aug. lib. 3. de Trinitate tom. 3. Patet hoc in toto Cantico canticorum, ubi sponsus, sponsa, adolescentulæ, et aliæ personæ introducuntur sine præfatione.

Quæres secundo: De quo intellectu hic agitur? Nota intellectus potest sumi vel pro potentia intellectiva, vel pro habitu supernaturali, qui vocatur intellectus, vel pro actu illius potentiæ elevatæ per illum habitum, et sic intellectus erit idem cum intellectione. Intellectus tria significat.

1. Aliqui hic pro habitu sumunt. Respond. igitur Primo S. Thomos, Innocentius, et alii hic *intellectum* accipi pro habitu a Deo infuso et supernaturali: de quo dicitur Eccl. 15. 5. *Adimplebit illum* (ut ait concha, non canalis tontum) *spiritu sapientiæ et intellectus*. 2. Alii pro actu. Secundo, Lorinus, et Dionysius Corthus. *intellectum* sumunt de actu, id est de intellectione, seu intellectuali notitia. 3. Alii pro potentia ipsa. Tertio, et pionius, *intellectum* malim sumi pro ipsa potentia informata ipso habitu, et facta potente od octum eliciendum, q. d. tu per peccati insaniam foctus amens, perdidisti intellectum tuum sicut oquus et mulus, quibus non est intellectus, sed te iom conversum ad me, et pœnitentem pristino gradui et intellectus rectitudini restituam, coquo tibi reddita to instruam in vio, Hebr. est אשכילך *aschileca*, id est, intelligere te faciam. S. Hieron. docebo te. Vatabl. erudiam te.

109. Deus dat intellectum tribus modis. Quæres tertio: Quibus modis Deus dat intellectum? Respond. Ugo Cardin. tres modos assignat: *Dominus*, inquit, *intellectum dat et instruit tribus modis principaliter: scilicet per inspirationem, per prædicationem, per tribulationem: de Primo Iob. 4. 12. Porro ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri eius. Ioan. 2. 27. Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus. De secunda in Ps. 118. 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. De tertio Is. 28. 19. Tantummodo solo vexatio dabit intellectum auditui. Iob. 33. 19. Increpat per dolorem in lectulo. Et ibi præmittit Iob: Tunc aperit aures virorum, et erudiens eas instruit disciplina.* Agitur hic de primo modo, nempe per inspirationem, cum Deus in animo iustificata residens, et in ea mansionem faciens, ei sese ac lucem suam communicat. S. Bern. serm. 69. in Cantica sic declarat: *Si*, ait, *sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certe expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium, et uberiores desursum influere animo meditationum imbres, non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæ copiæ sunt, et de plenitudine eius ista accepimus. Quod si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet et contemptum, aut ne forte scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me, tunc prorsus paterne sentio agi mecum, et patrem adesse non dubito: si autem perseveravero huic dignationi, dignis semper, quod in me est, affectibus et actibus respondere, et gratia Dei apud me vacua non fuerit, etiam mansione apud me faciet, tam Pater enutriens, quam verbum erudiens.*

110. Deus dat intellectum, ob decem causas. Quæres quarto: Quibus de causis detur a Deo intellectus? Resp. S. August. Ruff. Dionys. Lambert. Glossa, et alii, *intellectum* dari a Deo, ut cognoscamus nos ipsos. Licet enim nobis simus proximi, tamen sumus nobis ignotissimi: exterriti enim deformitate nostra et cicatricibus, 1. Ut nos ipsos cognoscamus. atque sanie ex vulneribus fluente claudimus oculos, aut vitro versicolore interiecto aspicimus, aut oculos alio flectimus. Vel certe per amorem proprium ita nobis propinqui sumus, et adhæremus, atque agglutinamur, ut neque abstractive, neque intuitive nos cognoscamus: non abstractive, quia luto immersi mentem ad excelsa non tollimus: non intuitive, quia obiecti propinquitas et identitas impedit: ut videmus in oculo, qui nec seipsum videt, nec sibi proxime imposita, opus est reflexione, et speculo, ac speculatione, ut et oculum et mentem nostram videamus. Ad viam cæli decurrendam est necessaria sui et suæ imbecillitatis notitia, alioqui aberrabitur. Cant. 1. 7. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum tuorum, et pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Hortolon. Soto maior, Sonchez, Votabl. et alii putant *τὸ te* per pleonasmum hebraicum redundare. Sed melius S. Athan. Iustus Orgelitanus, S. Bern. S. Anselm. et alii vim faciunt in voce *te*. Sensum esse reor, q. d. si pulchritudine tua excæcata et superbiens teipsam et tuam imbecillitatem ignoras, a me egredere, et tuos greges sequere, id est tuas passiones, affectus, cogitationes, tunc intelliges te ex te ipso tantum habere hædos fœtentes et inclinationes od malum.

II. Ut via cognoscatur. Secundo, *intellectum* dat Deus, ut via ipsa cognoscatur: unde subdit: *Et instruam te in via.* Via porro illa est Christus, qui ait Ioan. 14. 6. *Ego sum via.* Ducit enim ad beatissimum finem, id est ad Patrem, omnes qui in eo ambulant: ita Eusebius.

III. Ut in via suscepta pergamus. Tertio, *intellectum* dat Deus, ut in via semel suscepta ambulemus, non deflectendo ad dexteram per præsumptionem, neque ad sinistram per pusillanimitatem. Theodoret. *Intellectum tibi dabo*, etc. id est, te qui a via aberrasti, et errorem agnovisti, reducam iterum in rectam viam, et cognitionem eius tibi atque scientiam dabo: tibi etiam concedam pristinam benevolentiam. S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. *Spiritus*, inquit, *sanctus per donum intellectus illustrat mentem hominis, ut cognoscat veritatem quamdam supernaturalem, in quam oportet tendere voluntatem rectam.* Intelligere autem, ut ait ibid. art. 2. quasi intus legere. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores: cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei. Sunt autem multa genera eorum, quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis, quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata, et in causis latent effectus, et e converso. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus. Lumen autem naturale nostri intellectus est finitæ virtutis, unde usque ad determinatum aliquid pertingere potest. Indiget ergo supernaturali lumine ut ulterius penetret ad cognoscendum quædam, quæ per lumen naturale cognoscere non valet. Et illud lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus. Art. 8. vero idem sanctus Doctor tradit, intellectum, qui est donum Spiritus sancti, esse fructum fidei, quæ est virtus; fidem vero, id est certitudinem quamdam fidei esse fructum intellectus. Fidei, quæ est virtus, proprium est assentiri mysteriis divinis: Intellectus vero, illa magis penetrare: ex qua penetratione oritur hæc certitudo maior, quæ etiam fides dicitur, et est fructus intellectus.

IV. Ut hostem, et eius insidias caveamus. Quarto, *intellectum* dat Deus ut hostem et eius insidias videamus atque caveamus: ita S. Gregor. Innocen. Pepin, et alii. Verba S. Gregorii sunt: *Quamdiu hic vivimus in via sumus, qua ad patriam tendimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi custodiunt, et operi nostro insidiantes, deceptionis suæ ubique laqueos tendunt. Facile ergo inter laqueos ambulantes labimur, nisi sapientiæ Dei ducatu gubernemur.*

V. Ut agenda videamus. Quinto, *intellectum* dat Deus, ut cognoscamus quæ sint agenda in via, pro varietate occasionum subinde occurrentium. Ita Pepin. et alii. Actio enim iungenda est cognitioni. S. Maximus lib. de Ecclesiastica mystagogia, facit sex combinationes seu coniugationes, ut vocat: Συζυγιας, inquit, φημι νυν τον νουν και τον λογον: την σοφιαν, και την φρονησιν: την θεωριαν, και την πραξιν, etc. *Coniugationes nunc dico, mentem et rationem: sapientiam et prudentiam: contemplationem et actionem: cognitionem et virtutem, quæ oblivioni dari nequit: cogitationem et fidem: eam autem, quæ id quod divinum est significat, veritatem et bonum.*

VI. Ut prompte illa præstemus. Sexto, *intellectum* dat Deus, ut simus flexibiles ad prompte ea agenda, quæ lux Dei esse agenda ostendit: ita Innocentius. Et quidem, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 5. Dona Spiritus sancti perficiunt animam, secundum quod est bene mobilis a Spiritu sancto. Sic ergo intellectuale lumen gratiæ ponitur donum intellectus, inquantum intellectus hominis est bene mobilis a Spiritu sancto. Huiusmodi autem motus consideratio in hoc est, quod homo apprehendat veritatem circa finem. Unde nisi usque ad hoc moveatur a Spiritu sancto intellectus humanus, ut rectam æstimationem de fine habeat, nondum consecutus est donum intellectus, quantumcumque ex illustratione Spiritus sancti alia quædam præambula cognoscat: rectam autem æstimationem de ultimo fine non habet, nisi ille qui circa finem non errat: sed ei firmiter in-

hæret tamquam optimo, quod est solum habentis gratiem gratum facientem.

VII. Ut Dei gratiæ nostram salutem tribuamus.

Septimo, *intellectum* dat Deus, ut intelligamus salutem non meriti esse, sed gratiæ: ita Richardus Pampolit. ut sciamus de nullo esse præsumendum, nisi de sola Dei nostri misericordia: ita Remigius.

VIII. Ut æterna supplicia cognoscamus.

Octavo, *intellectum* dat Deus, ut cognoscamus æterna supplicia, et illa horreamus; ita S. Gregorius: *Cum*, inquit, *ad secretarium cordis accedimus, et quam districtus iudex futurus sit, qui nunc patiens et longanimis, consideramus: cum ad intuenda Sanctorum præmia, et iniquorum damnationem, oculos mentis attollimus: cum de futuris incerti, ne labamur, metuimus: et ea quæ male egimus, flenda punimus: tunc nimirum salutari a Deo intellectu accepto, de cordis nostri habitacula ignorantiæ tenebras effugamus.*

IX. Et bona æterna.

Nono, *intellectum* dat Deus ad cognoscendum æterna bona. Ad hoc præcipue valet donum intellectus, ut rectam det æstimationem de fine, ut diximus mox ex S. Thoma 2. 2. qu. 8. art. 3. Et art. 2. dicit, quod intellectus intimam cognitionem importat. Quis si penetraverit ad contemplanda æterna bona quæ Deus abscondit diligentibus se, statim ad illos thesauros non evolet? Lege eorum descriptionem apud S. Laurentium Iustinianum libro de casto connubio Verbi et animæ, cap. 25. pag. 318.

X. Et alia ad salutem pertinentia.

Decimo denique, *intellectum* dat Deus ad illa, omniaque alia, quæ ad salutem nostram iuvare possunt. Hic enim non sumitur intellectus stricte, prout distinguitur a sapientia, scientia, et consilio: sed late prout idem est, atque cognitio supernaturalis præmiorum et suppliciorum æternorum, mysteriorum, atque eorum quæ nocere vel prodesse possunt ad Deum aspiranti.

111. Pœnitentia dat intellectum.

Nota porro, quod ad intellectum horum omnium iuvet pœnitentia, de qua est hic Psalmus, qui ideo est Psalmus intelligentiæ. S. Chrysostomus tom. 4. homil. 3. de Pœnitentia, eam vocat ἀγνοίας ἀναίρεσιν, *ignorantiæ ablationem*. S. Ioannes Clim. grad. 5. αὐτοκρίματον λογισμὸν, *ratiocinationem sui ipsius iudicem.*

Quæres quinto: Quænam est differentia inter *intellectum dabo*, et inter *instruam te in via qua gradieris*. Resp. Ugo, intellectum dat Dominus ad cognoscendum, instruit autem ad operandum. Secundo, intellectum dat illuminando interius: instruit docendo exterius per concionatores, et alios.

112. Deus instruit in via, si duo faciamus.

Moraliter nota Primo, Deus instruit in via, cum scilicet consideramus omnia terrena non esse nisi viam, nos esse peregrinos, hæc esse transitoria, et transeundo ibi cor non figendum.

I. Consideremus terrena esse tantum viam.

II. Si in via gradiamur.

Secundo nota, instruit Deus in via qua gradimur, non in via in qua stertimus, languemus, et otiamur. Moses progreditur ad rubum ardentem, et illuminatur ac docetur, Exod. 3. 2. Populus Israel ex Ægypto pergit in terram promissam, post 50. dies itineris datur illi lex in monte Sinai, ibid. cap. 20. 2. Ad hoc alludit David in Psalmo. Elias pergit ad montem Horeb, qui erat unus e verticibus Sinai, et ibi Deum loquentem, id est, Angelum Dei vicarium, audit, 3. Reg. 19. 12. Sponsa in lectulo, id est, in sua commoditate et otio, manens non invenit sponsum. Unde ait Cant. 3. 2. *Surgam, et circuibo civitatem: per vicos* (Hebr. שוקים *scevakim*, vicos et angiportus significat, q. d. nihil omittam non lustratum, omnes angulos scrutabor) *et plateas, quæram quem diligit anima mea.* S. Ambros. lib. 3. de Virginibus: Si vis, ait, et tu tenere Christum, quære iugiter, nec pœnam metuens. S. Bernardus serm. 84. Magnum bonum, inquit, quærere Deum: ego hoc nullis in bonis animæ secundum existimo: primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli: cui accedat, quam nulla præcedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, quisve terminus quærenti Deum? Quærite, inquit, faciem eius semper: existimo, quia nec si inventus fuerit, cessabitur a quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus: et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit: ita Bernardus ibi. Serm. 85. autem docet ab anima Deum quæri septem de causis. Audierat sponsa vocem sponsi dicentis cap. 2. 10. *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Nyssenus habet, *veni sponte.* Dixerat sponsa cap. 1. 3. *Trahe me, post te curremus:* sed sponsus amat cursum voluntarium, non coactum. Ad rem nostram Cornelius explicat de anima peccatrice, quam Christus evocat ad pœnitentiam et iustitiam, q. d. Surge e lecto peccati, iam enim hyems peccatorum, et imber concupiscentiæ transiit: illuxit enim tibi gratia mea, quæ te amore calefaciat; ac pœnitentiæ virtutumque flores et fructus producat, ut fias formosa instar columbæ Deo tuo.

Quare notantur tres actus pœnitentiæ, puta contritio per flores, vers. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra;* confessio per vocem turturis: *vox turturis audita est in terra nostra:* satisfactio, per putationem, *tempus putationis advenit.* Contritionis enim actus est quasi emicans flos fidei, spei, et charitatis, ex quo nascitur fructus iustificationis. Vox turturis est confessio gemebunda pœnitentis: putatio seu amputatio est satisfactio, quia per ieiunia, lacrymas, aliaque opera pœnalia castigatur præterita culpa, et futuræ occasio amputatur et succiditur. Evocata sponsa dicit *Surgam*, etc. idque faciens evolat ad sponsum, a quo virtutibus repletur: unde occurrentes illi amici sponsi, id est, Angeli et Sancti, dicunt Cantic. 3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris.* Quod S. Bernardus sermon. 59. inter parvos, de ascensu animæ peccatricis, per pœnitentiam accipit: *Ascendit*, inquit, *anima pœnitens per desertum, peccatorum suorum recordando. Ascendit sicut virgula, eadem peccata humiliter confitendo, quæ confessio recte fieri sicut virgula fumi dicitur: quia per plures peccatorum species, tamquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum, quod, cum fumus nunquam habeat splendorem, nonnumquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quemdam pietatis habeat, innuitur ex his, quæ subiunguntur: Ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii. Confessionem debet semper comitari myrrha et thus, id est, mortificatio carnis, et oratio cordis. Alterum sine altero aut parum, aut nihil prodest. Nam qui carnem mortificat, et orare dissimulat, superbus est.* Deinde post aliqua interposita subdit: *Et universi pulveris pigmentarii. Post recordationem et confessionem peccatorum, post mortificationem et orationem exhibendus est fructus eleemosynarum. Quæ bene pulvis dicuntur, quia de terrena substantia fiunt: pigmentarius vero, quia suavissimum odorem emittunt. Hinc est quod Cornelio bene agenti dictum est Actor. 10. 4. Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt. Vel, universi pulveris pigmentarii, ideo dicitur: quia non solum magna, sed etiam minima quæque peccata conterenda sunt per confessionem, et diluenda per compunctionem.* Sive itaque sis imperfectus, sive perfectus, ambula, et Deus erit tecum te docens et illustrans. Imperfecti, qui viam mandatorum ingrediuntur a peccato exeuntes, et ad Deum pergentes, similes sunt vaccis, quæ ex Philisthinorum regione egressæ trahunt plaustrum novum, in quo erat arca continens tabulas legis, recto itinere ad neutram partem deflectendo pergunt in Bethsames, id est, in *domum*, seu civitatem *Solis*. Erat hæc urbs sacerdotalis in tribu Iuda, quæ significat confessionem. Perfecti similes sunt Cherubinis, qui comitantur currum Dei Ezech. 1. Primo animalia vocantur, ob humilitatem. Secundo, Cherubini dicuntur, ob plenitudinem scientiæ. Tertio, ambulant semper ob fervorem. Quarto, ambulant coram facie sua, ob prudentiam. Quinto, ubi est impetus spiritus, ambulant, ob perfectam obedientiam. Sexto, non revertuntur, cum ambulant, ob perseverantiam. Septimo, facies habent instar carbonum ignis ardentis, ob charitatem. Octavo, habent aspectum lampadarum, ob claritatem illustrationum cælestium. Nono, sunt quadruplici facie, ob circumspectionem in omnibus.

Quæres sexto: Quales sint scientiæ in hac Dei univer-

113. *Deo doctore omnes scientiæ discuntur, nempe Grammatica, Logica, Physica, etc.* sitate, in qua instruitur is, qui a peccato et ignorantia recedit? Resp. Primo, ibi esse Grammaticam, quæ docet, ne in verborum compositione peccemus. Secundo, Logicam, qua iuvante ratiocinemur. Tertio, Physicam, quæ res naturales a Deo productas consideret. Quarto, Metaphysicam seu Theologiam, quæ Dei, Angelorum, et rerum divinitus revelatarum naturam et effecta contempletur. Quinto, Ethicam, quæ virtutes sequi, vitia fugere commonefaciat. Sexto, Rhetoricam, quæ cum Deo loquendi modum ostendat. Septimo, Mathematicas disciplines: nempe 1. Arithmeticam, quæ peccatorum, virtutum, præmiorum et suppliciorum numerum expendet; 2. Opticam, quæ Deum perspiciat; 3. Geometriam, terram viventium, quæ dimensiones charitatis Christi speculatur ac mensuret; 4. Musicam, quæ eum ob tot beneficia collaudet; 5. Astrologiam, quæ ad cælum ducat. Paucis singulas videamus.

I. *Grammatica docet bene legere et loqui.* Primo, viam cælestem ingredianti offert se Grammatica, quæ puerilem ætatem instruat, 1. ut legat libros pios; 2. ut sine solœcismis aut barbarismis loquatur, id est, sine turpitudine, scurrilitate, detractione, etc. 3. ut Poetorum sacra carmina evolvat atque intelligat; 4. ut sacram Bibliorum et totius Ecclesiæ historiam calleat. Hæc enim sunt munia Grammaticæ. S. Petrus id faciendum admonet 1. epist. 4. 11. *Si quis loquitur, quasi sermones Dei*, supple, loquatur: Primo, quoad materiam, ut nihil nisi sanctum et divinum loquatur. S. Paulus Ephes. 4.27. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat* (omnis non, id est, nullus) *sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et cap. 5. 3. *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Quod S. Bern. meditans ait: Merito os tuum divinis osculis et oraculis consecratum, quidquid ex eo otiosum vel immundum exierit, sacrilegium puta. Secundo, *sermones Dei* sint quoad formam, id est, loquere instar Dei, sicut Angelus in Sinai loquebatur Israelitis, et Moses Pharaoni, cuius erat constitutus Deus: hoc est, libere, constanter, fortiter, humiliter, ardenter, charitative et amanter de ipso loquere, atque hilariter. Lege S. Basilium in Mor. reg. 80. cap. 10. Sint Tertio, *sermones Dei*, quoad causam efficientem, id est, sermones, qui ab amore Dei procedant, quod est in corde, frequenter ad os ascendit. Quarto denique sint *sermones Dei* quoad finem, id est, qui unius Dei gloriam quærant. Hoc facit Sponsa semper de dilecto, vel dilecti causa loquens, ut illum possideat, et ad illum alios invitet. Hoc Paulus, qui toties Iesu et Christi nomen inculcat. Hoc S. Ignetius, qui Iesu nomen aureis litteris in corde scriptum habebat. Hoc S. Augustin. cui puero Tullius non sapiebat, quod Iesu nomine scripta sua non condivisset.

II. *Logica docet bene ratiocinari.* Secundo, Grammaticam vesta bombycis multitiæ, *de toffetas* myrteaque corona insignem sequitur Logica, quæ spectabilis veste rasi densique texti, *de satin* et querneam coronam gestans, adolescentem ad se accedentem suscipit sua in spatia: ubi 1. edocet veri a falso secernendi rotionem; 2. captiunculas adversariorum seu visibilium seu invisibilium dissolvendi; 3. veritatem certis discursibus muniendi. Hac in arte illustres esse volebat Ephesios Paulus, quibus ait c. 4. 25. *deponentes mendacium* (velut membrum veteris hominis) *loquimini veritatem* (ut sit in vobis lingua novi hominis, id est, Christi, qui est veritas, ut dicit Ioan. 14. 6.) *unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*, quæ se mutuo non decipiunt, sed sincere iuvant. Sine hac arte nullus pervenit ad finem viæ cælestis, quia recta est; mendacium autem a recto deflectit in abrupta. Hinc Ps. 14. 1. cum David petiisset, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet v. 3. *Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum* (Chald. qui non facile detrahit. Campensis, qui non circumvenit. S. Hieron. qui non est facilis) *in lingua suo.* q. d. qui habet duplicem veritatem, nempe cordis et oris.

III. *Physica per notitiam rerum naturalium ad Deum ducit.* Tertio, Physica longe lateque diffusos rerum naturalium campos ostentat, ut per eos ad Deum ducat. Corone est, spicis et pampinis redimite, et modesto vestitu ac rusticano. Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei* (id est attributa eius, nempe potentia, sapientia, bonitas, etc.) *a creatura mundi* (hoc est, per res creatas in mundo) *per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sap. 13. 5. habetur: *A magnitudine speciei et creaturæ, cognoscibiliter* (Græce ἀναλόγως, per analogiam, similitudinem, comparationem, proportionem) *poterit creator horum videri.*

IV. *Metaphysica seu Theologia Deum ipsum in se contemplatur.* Quarto, Metaphysica seu Theologia scientiarum regina et sublimis sapientia, arduos sed amœnissimos montes perambulat aurea corona effulgens, et sole vestita, intra Deum enim sese mergit. Hi sunt montes Bether, id est, *Bethel*, hoc est, *domus Dei*, ubi Christus versatur, et ad quos ab anima sancta invitatur. Cant. 2.17. *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.* S. Ambrosius lib. de Virgin. et Syrus legunt, super montes aromatum. Nullum enim est aroma suave fragrantius contemplatione mysteriorum, quæ Theologia præsertim mystica degustat.

114. V. *Mathematica per Arithmeticam varia computat.* Quinto, Mathematica multo comitatu succincta advenitat, quæ Primo offert Arithmeticam, vesta undulata *de camelot onde*, et corona ex sideriti, seu mille folio confectam, ut numeret, 1. divina beneficia; 2. vitæ labentis fluxos dies et momenta; 3. varias clades peccatorum; 4. felicitates piorum; 5. nostra scelera; 6. pœnas illis paratas; 7. hostes nos circumstantes: Ps. 39.13. de suis peccatis et miseriis ait David: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* (S. Hier. non potui videre) *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: et cor meum dereliquit me.* Secundo, Optica advenit, ut Dei mirabilia contempletur, corona gemmea et radianti lucens, ac veste oculis ex omni parte aspersa. David illam didicerat, qui dicebat Ps. 118. 15. *In mandatis tuis exercebor* (S. Hier. *Per Opticam Dei mirabilia speculatur.* in præceptis tuis meditabor. Ambros. legit, me exercebo. Non est otiosa fervens oratio) *et considerabo vias tuas*, quibus ad me venis, et quibus me ad te ropis. S. Hieron. contemplabor semitas tuas: selectissimas scilicet, ac paucis notas, et a paucioribus tritas; sed securas, rectas et regias. Opticam illam optabat, v. 18. ibid. *Revela* (S. Ambros. adaperi) *oculos meos, et considerabo* (S. Hieron. *videbo.* Aperi oculos, et videbis: contracti oculi in divinis caligant) *mirabilia de lege tua*, id est, in lege tua, et per legem tuam, quasi de specula te contemplans. Tertio, Geometria tenens in manu arundinem auream, ex floribus et herbis coronam præferens, et vestem surculati *Per Geometriam diversa metitur.* heteromalli, *velous o ramage*, opem suam offert, ut terram hanc metiatur, cælos ac terram viventium, de qua Apoc. 21. Sed illam metitur *mensura hominis*, id est, secundum captum nostrum, non secundum rei excellentiam. Metitur quoque charitatem Christi et Dei. Ephes. 3.17. *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Sic enim dicit S. Bern. lib. 5. de consideratione, cap. 14. Divina essentia, res una cum sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. Hæc quadriga Dei: comprehendimus hanc duobus brachiis, timoris et amoris: timor sublimi et profundo, amor longo latoque respondet: Vel quatuor virtutibus: longitudinem cum tenemus et comprehendimus perseverantia: latitudinem charitate: maiestatem veneratione et adoratione: sapientiam, et abyssum iudiciorum timore et humilitate. His etiam quatuor species contemplationis respondent: longitudinem enim comprehendit meditatio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio maiestatis, profundum inspectio iudiciorum: ita Bern. fusius. Sed adverte cum Bravardino tract. de Geometr. aliam esse geometriam speculativam, aliam practicam. In rebus naturalibus præstentior est theorica, sed in rebus moralibus praxis prævalet. Quarto, musica suum iter decurrentes iustos præit et *Per Musicam recreat.* recreat, manu citharam pulsans, corona hederacea insignis, et veste emblematis descripti heteromalli, *de velous figuré.* In hac disciplina eximius fuit Psaltes noster,

qui citharæ modulatione spiritum malum Saulis fugabat, 1. Reg. 16. Sed hic etiam adverte, perfectam et omnibus numeris absolutam esse simphoniam, si vocis cantico instrumenta manuum iungantur, sicut Boetius monet: *Musica*, inquit, *non modo speculationi, verum etiam moralitati coniuncta sit. Nihil est enim tam proprium humanitati, quam remitti dulcibus modis, astringique contrariis.*

Per Astrologiam ad cælum ducit.

Quinto, cælo propinquantem iustum suscipit Astrologia, stellato capite et vestimento, manumque manui implicans eum per cælorum varios orbes deducit, cæteros admonens. Coloss. 3. 1. *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Huic disciplinæ se tradiderat Paulus, qui dicebat Philip. 3. 20. *Nostra autem conversatio in cælis est:* (Unde Gregorius 8. Mor. 31.) *unde* (ἐξ ȣ, ex quo, scilicet cælo) *etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit* (μετασχηματισει, hoc est, transfigurabit, transformabit) *corpus humilitatis nostræ* (corpus nostrum humile et abiectum) *configuratum corpori claritatis suæ*, id est, corpori suo clarissimo.

115. VI. Rhetorica orationis modum tradit.

Sexto denique, Rhetorica laurea corona illustris, et veste damascenæ descriptionis bombycino textili figurata, *habillée de damas*, iustos ad Deum ipsum deducit, eique per orationem sistit, veluti legatus cæterarum artium et scientiarum: nempe Grammaticæ, Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Theologiæ, ac Mathematicæ. Optimus apud Deum orator erat Paulus, qui dicebat 1. Cor. 14. v. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est, orabo spiritu* (id est, voce, quæ spiritu seu flatu profertur) *orabo et mente* (id est, intelligentia) *psallam spiritu, psallam et mente?* Illa Rhetorica est maxime persuasiva. Marc. 11. 24. ait Christus: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis.* Addi poterat Poesis, quæ sacra carmine componit, sed eius partes satis explet David noster, et aliquatenus ad grammaticam revocari potest, ut dictum est.

116. Oculus Dei est misericordia.

Quæres septimo: Quos oculos firmat Deus super iustos, et quomodo? Nota, pro *oculos meos*, Hebr. est עֵינִי *eni*, id est, oculum meum. Sed sensus idem est. Fortasse legerant Sept. *enai*, in plurali, id est, oculos meos. Nota secundo, si unum oculum das Deo, qui est totus oculus, potes illi misericordiam assignare cum Turrecremata, Beda, et aliis. Sensum itaque vult esse Beda, q. d. dirigam in te lumen intelligentiæ meæ confirmando oculos misericordiæ meæ super te, ut tu non avertas oculos tuos a me. Si vero duos oculos assignas Deo, Primo possis cum Pepino assignare misericordiam et gratiam. Dicit enim Sapiens Sap. 4. 15. *Gratia* (favor) *Dei, et misericordia est in sanctos eius, et respectus* (επισκοπη, inspectio, observatio, visitatio) *in electos illius*, quod Cervantes amplificat, q. d. Gratia, beneficium, et favor, ac misericordia, seu affectus tenerrimus atque suavissimus, gratia misericordiosissima, et misericordia gratiosissima Dei est erga sanctos suos, et erga electos suos providentia singularis, inspectio, observatio, et visitatio, et illorum ratio maxima habetur a Deo. Hos oculos poscebat David. Ps. 24. 16. *Respice in me, et miserere mei.* Et Daniel. 9. 18. *Inclina Deus aurem tuam, et audi: aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram*, q. d. Satis est, si videris, statim enim paterna viscera emovebuntur ad tantæ cladis aspectum. Sic Matth. 9. 36. de Christo dicitur: *Videns turbas misertus est eis*, εσπλαγχνισθη, hoc est, ex intimis visceribus commiseratus est) *quia erant vexati* (εσκυλμενοι, variis molestiis et malis afflicti) *et iacentes* (ερριμμενοι, disiecti, abiecti) *sicut oves non habentes pastorem.*

Duo oculi Dei sunt: I. Misericordia et gratia.

II. Favor et cura.

Secundo, oculi Dei sunt favor et cura: ita Folengius; seu, providentia et cura: ita Genebr. q. d. In te oculos providentiæ meæ et curæ defigam, ne malis obruaris. Heb. est, *consulam tibi oculo meo:* ita Pagnin. et Vatabl. *consulam super te oculo meo:* ita Muisius et Arias; *cogitabo de te oculo meo:* ita S. Hieron. *consultabo de te oculo meo:* ita Symmachus, q. d. ait Genebrardus, consulam tibi oculo provido, circumspecto, fixo et intento, vel placido et benevolo. Oculus Dei non potest esse otiosus. Hebr. יעץ *iaats* significat consulere, consilium dare, decernere, deliberare.

III. Sapientia et misericordia.

Tertio, oculi Dei sunt eius sapientia et misericordia, q. d. ait Dionysius, Per sapientiam meam providebo tibi de necessariis ad salutem, et per misericordiam meam erigam te labentem, ac semper custodiam, ita ut dicere possis quod infra habetur Ps. 39. 18. *Ego autem mendicus sum et pauper: Dominus sollicitus est mei.* S. August. et Cassiodorus, Dominus curam habet mei. Unde dicebat S. Petrus 1. epist. 5. 7. *Omnem sollicitudinem* (Græc. μεριμναν, anxietatem cor dividentem; nam μεριζειν est dividere) *vestram in ipsum proiicientes, quia ipsi est cura de vobis.* Unde S. Bernard. serm. 9. in Ps. 90. Ut quid si hæc sapimus, ut quid cunctamur abiicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere?

117. Firmare oculos super aliquem quinque denotat.

Nota igitur tertio, *Firmare oculos* super aliquem denotat Primo, aspectum ex deliberato meditatoque consilio. Secundo, aspectum serium et attentum. Tertio, constantem et perseverantem. Quarto, cum amore et ex amore procedentem. Quinto, cum desiderio dirigendi, iuvandi et protegendi. Alluditur enim Primo ad ducem viatoris alicuius in loco præcipiti atque abrupto et periculoso, qui non amovet oculos suos ab eo, qui eius curæ est commissus, præsertim si sit puer aut debilis, qui facile in loco lubrico, declivi et aspero impingere, aut labi in præcipitia possit. Syrus vertit: *Notam faciam tibi viam, per quam abeas, et ponam oculos meos super te.* Felix habet: *Innuam super te oculo meo*, ut tibi semper præeuntem contemplans videas, quo te iter habere velim, ut securus sis. Genebr. sic explicat, q. d. Figam oculos meos super te, ne erres: aut si erres, ut te in viam revocem. Secundo, alluditur ad ducem exercitus, qui e colliculo spectat certantes milites suos et capitaneos, nec oculos ab iis dimovet, ut laborantibus extemplo succurrat. Non simpliciter, inquit, ego aspiciam: sed constanter atque indesinenter te observabo, ait Euthym. eorum instar, qui in bello alicuius curam suscipiunt: et oculos in eum firmant, ut periclitanti subveniant, et præsto adsint. Tertio, alluditur ad amantes, qui se mutuo in oculis et in corde ferunt: ita Theodoret. *Firmabo*, inquit, *super te oculos meos ex translatione eorum, qui erga aliquem bene affecti sunt, et in ipsum respicere continuo volunt. Nam quemadmodum qui irascitur, faciem avertere videtur: ita propriam benevolentiam, convertendo faciem, ostendit.*

118. τo super te varia indicat.

Nota quarto, τo *super te* denotare Primo, excellentem curam, et de rebus excellentibus, puris, elevatis, sublimibus, cælestibus ac divinis providentem, non vero de terrenis, abiectis et luteis. Secundo, *super te*, q. d. curam providentem ea, quæ sunt super te, id est, supra vires tuas, quæ sine hac Dei providentia nec consequi, nec sperare possis. Tertio, *super te*, q. d. curam et providentiam, quæ a nullo hoste possit impediri, et quæ præveniat tuo merita. Quarto, *super te*, q. d. curam, quem nihil latet: si enim esset a tergo, non videret anteriora: si a latere uno, aliud non adverteret: sed supra positus oculus, velut sol, nihil non perspectum habet. Hinc dicitur de Christo Psal. 18. 6. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus* (qui scilicet ex alto suam sponsam respicit) *procedens de thalamo suo.* Cant. 2. 8. habetur de illo: *Ecce iste venit saliens in montibus* (in potentiis animæ) *transiliens colles* (sensus corporis) *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum*, quia est acutissimi visus; δορκας enim derivatur a δερκω, id est, video: ideo autem acute videt, quia est dilectus. Nam amor est perspicax. Et v. 9. additur: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens* (Hebraice משגיח *masghiach* id est, attente contemplans et considerans. Amans enim omnes gestus, actus et sermones observat) *per fenestras, prospiciens* (Hebraice מציץ *meteits*, hoc est, efflorescens: instar floris erumpens et emicans) *per cancellos*: latens in sua humanitate: ita S. Bernardus, S. Gregorius, et S. Ambrosius. Sic enim Gregorius: *Quasi post parietem no-*

strum Christus incarnatus stetit, quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia eius immensitatem, si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum obiecit: et quidquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem latitans fecit. Per fenestras autem et cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit. Sic et Dominus Iesus Christus, dum et miracula per divinitatis potentiam fecit, et abiecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram et cancellos prospexit: quia in alio latens, in alio quis esset, apparuit. In Eucharistia etiam latens Christus nos aspicit, et *super nos*, quia eum ibi videre non possumus.

119. Symbol. Oculati sunt iusti.
Symbolice, firmet Deus *super nos*, id est, super capita nostra oculos suos, ut per eos simus perspicaces, et velut Uranoscopi cælestes cælum et cælestia divinis oculis, hoc est, recta intentione, et eius unius contemplatione videamus; sicut Spiritus sanctus sedit in linguis igneis super caput Apostolorum die Pentecostes, ut cælestia et divina loquerentur. S. Anselmus in cap. 2. Cant. v. 8. *Saliens*, inquit, *in montibus, id est, pedes ponens et habitans in perfectis, et eos etiam salire faciens sicut Paulum, quem ex persecutore cito fecit summum prædicatorem. Transiliens quoque colles inferiores montibus, in quibus licet Deus non ita sedeat sicut in perfectis, transilit tamen eos, quia quamdam cognitionem mysteriorum suorum ostendit eis, licet non adeo plenam.* Se aspicientes Deus aspicit. Unde S. August. in Psalmum nostrum ait: *Obfirmabo super te oculos meos. Non a te auferam oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos. Iam iustificatus, iam post remissionem leva oculos tuos ad Deum. Putruerat enim cor tuum, cum esset in terra. Non gratis audis, sursum cor, ne putreat. Ergo et tu leva iam oculos tuos semper in Deum, ut firmet super te oculos suos. Sed quid times, ne cum habeas oculos ad Deum, offendas, ne non respicias ante te, et forte incurras in laqueum? Noli timere. Ibi enim sunt oculi ipsius, quos obfirmat super te. Nolite, inquit Matth. 6. 31. solliciti esse. Et Apostolus Petrus 1. Petri 5. 7. Omnem sollicitudinem vestram super illum mittite: quia illi cura est de vobis. Ergo obfirmabo super te oculos meos. Tu ergo oculos tuos in illum erige: et non timebis, ut dixi, ne in laqueum incurras. Audi alium Ps. 24. Oculi mei semper ad Dominum. Et quasi diceretur illi: Quid agis de pedibus tuis, cum non ante te attendis? Quoniam ipse, inquit, evellet de laqueo pedes meos.*

120. Oculi Dei sunt super pœnitentes.
Conclude cum Dionysio: Ecce charissimi, quam fructuosa atque salubris est vera et humilis peccatorum confessio, quæ tantam gratiæ plenitudinem promeretur: videlicet ut pœnitenti dicatur a Domino: Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. Acute Ugo ait firmari oculos Dei super pœnitentes, quia sunt iusti, et iustitiam in se exercent. Sic enim ait: *Dominus amat iudicium, id est, pœnitentiam, in qua homo iudicat se. Primo, in corde per contritionem. Postea, in ore dando contra seipsum sententiam in confessione, et exequitur sententiam iudicii in satisfactione. Et sic dicit Ps. 36. 28. Quia Dominus amat iudicium istud, et non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur. Et alibi Ps. 33 16. Oculi Domini super iustos.* S. Bernard. Serm. 56. in Cantica, ait sponsum respicere per cancellos, qui angustiores sunt: id est, per compunctionem: respicit per fenestras, quæ sunt latiores, id est, per charitatem. Verba eius sunt: *In hoc tibi tota vigilantia providendum, ut apertas semper inveniat fenestras, et cancellos quosdam confessionum tuarum, per quos te intus benigne respiciat; quoniam respectus eius, profectus tuus. Aiunt cancellos angustiores esse fenestras, quales utique hi, qui libros describunt, aptare sibi solent ad recipiendum lumen paginis. Unde et puto cancellarios eos appellari, qui chartis conscribendis ex officio deputantur. Cum ergo sint duo genera compunctionis, unum in mœrore pro nostris excessibus, alterum in exultatione pro divinis muneribus: quoties sane eam quæ sine angustia cordis minime fit, peccatorum scilicet meorum facio confessionem: videor mihi cancellum, id est, angustiorem aperire fenestram. Nec dubium, quin libenter per istam respiciat is, qui stat post parietem pius explorator: quia cor contritum et humiliatum Deus non despicit. Denique et hortatur ad hoc ipsum Isaiæ 43. 26. Dic tu, inquiens, iniquitates tuas, ut iustificeris. Quod interdum corde dilatato in charitate, pro consideratione divinæ dignationis ac miserationis libet animum laxare in vocem laudis, et gratiarum actionem: puto me non iam angustam, sed amplissimam stanti post parietem sponso aperire fenestram, per quam, ni fallor, tanto libentius respicit, quanto amplius sacrificium laudis honorificat eum.*

ARTICULUS II.

Luxuria hominem transformat in equum et mulum, quibus non est intellectus.

121. Vers. 9. 1. Pars.
Deus promisso intellectu, instructione et favore pœnitentibus, vicissim ab eis petit, ut hominum ritu vivant, neque se in belluas transforment, ne doleat imaginem suam in iis deletam, et avertat oculos suos ab eis. Itaque dicit v. 9. NOLITE FIERI SICUT EQUUS ET MULUS, QUIBUS NON EST INTELLECTUS. Hebraice, quibus non est intelligere, id est, intelligentia. Græc. σύνεσις, perspicacia et prudentia in iudicando, animi facultas, quæ committere res inter se potest et discernere. S. Thomas 1. p. quæst. 22. artic. 1. ad 1. *Synesis*, inquit, *bene iudicat*; et 1. 2. quæst. 57. art. 6. ad 3. distinguit synesim et gnomen: quod synesis sit iudicativa de agendis secundum communem legem: gnome autem secundum ipsam rationem naturalem in his, in quibus deficit lex communis. In Psalmo tamen nostro synesis sumitur generaliter pro intelligentia et ratione, q. d. nolite fieri similes brutis.

Animalia carent ratione præter hominem.
Nota enim primo, de fide esse nullum animal, præter hominem, habere animam rationalem, et consequenter omnia carere intellectu. S. August. seu potius S. Fulgentius in libro de fide ad Petrum Diaconum cap. 24. *Firmissime tene*, inquit, *et nullatenus dubites, ex omni creatura, quam spiritualem atque corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus Angelicos et humanos intelligendi facultatem divinitus accepisse: cæteros vero spiritus brutorum animalium rationalem intelligentiam non accepisse, et etiam hoc omnino habere non posse. Propter quod dicitur hominibus: Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Et ideo animas hominum, et animas pecorum unius naturæ non esse, nec animas pecorum in animas pecorum posse aliquando transire.*

122. Animalium mira solertia.
Nota secundo, tanta est solertia quorumdam animalium, ut quædam ratione prædita viderentur, si exteriora tantum spectares. Plutarchus multa de multis refert, pauca subiicio ex tract. eius de solertia animalium. Primo, Elephanti, quia materia, quam alimenti sui causa effodiunt aut excidunt, dentem hebetat deterendo: altero tantum ad hanc rem utuntur, alterum semper acutum ac recentem sui defendendi gratia servant. Sparsim multa ibi refert de elephantis. Secundo, Leo semper ambulat pedibus introrsum reductis: itaque ungues occultat, ne attriti aciem amittant, aut investigantibus occasionem inveniendi exhibeant. Non enim facile invenitur vestigium unguis leonini: sed in cæca et exigua incedentes via venatores aberrant. Tertio, Ichneumon parum differt ab induto thorace ad prælium milite: tantum sibi cœni circumdat, tamque densam sibi circumfigit tunicam, aggressurus crocodilum. Quarto, de hirundinum nido, de aranearum textura, de Cretensibus apibus lapillo se in ventum tutantibus, de gruibus in Cilicia ori lapillum imponentibus, ut sileant: de formicis mortuas sepelientibus agit. Quinto, Thraces concretum gelu fluvium transituri, vulpe utuntur ad soliditatem glaciei explorandam: sensim enim accedens aurem admovet, et si quidem strepitu oblato sentiat aquam prope subterlabi, ratiocinatur non in profundum congelasse aquam, ideoque subsistit, et nisi prohibeat aliquis, retro abit. Si nullum sonitum percipiat, iam audacter transit. Sexto, agit de canum sagacitate et gratitudine. Septimo, Perdices assuefaciunt pullos suos, qui nondum volare possunt, urgente aucupe supinos lo-

Margin notes: 1. Elephanti. 2. Leonis. 3. Ichneumonis. 4. Hirundinum, apum, et gruum. 5. Vulpium. 6. Canum. 7. Perdicum.

cere, et glebam aliquam aut quisquilias corpori iniicere, ac prætendere tamquam umbraculum aut tegumentum quoddam: ipsæ persequentem aliorsum abducunt, atque circumagunt hinc inde volitantes, paulatimque loco cedentes, donec lactatum spe capiendi longe a pullis avellant.
8. Leporum. Octavo, Lepores in cubiculum suum redeuntes, catulorum alium alio ponunt, sæpe iugeri intervallo unum ab alio collocantes: ne si homo aut canis superveniat, omnes simul periclitentur. Ipsi cum hac illac discurrentes varia vestigia reliquerint, ad extremum saltu magno longe a vestigiis se subducentes, ita dormiunt. Vide cætera de ursis, cervis, erinaceis, draconibus, sturnis, corvis, psittacis, etc. ac præsertim fuse de variis piscibus.

9. Muli cuiusdam. Ad rem præsentem primo refert de quodam *mulo*, qui salem portans in fluvio, quem transibat, cecidit, ac sale in aqua colliquato, cum surgens onere se levatum animadverteret, causam sensit, ac memoriæ mandavit, et quoties per amnem transiret, dedita porro opera se dimisit, et in utramque partem, ut vasa in aquam demergerentur. Quod ubi Thales audivit, iussit loco salis lana et spongiis vasa impleri, iisque oneratum agi mulum, qui cum pro more suo egisset, atque onus suum aqua implevisset, sentiens suas sibi argutias male cessisse, posthac ita caute fluvium transiit, ut ne invito quidem ipso vasa aqua tangerentur.

10 Equorum. Secundo refert, quod *equus* Bucephalus nudus conscendendum se equisoni suo tradebat: ornatus autem regiis phaleris et bullis, neminem excepto Alexandro admittebat: cæterorum si quis accederet tentandi gratia, adversus eum magno hinnitu insiliebat et conculcabat, nisi quis fuga saluti consuluisset. De illo sic ait Plinius lib. 8. 42. Alexandro equi magna raritas contigit. Bucephalon eum vocarunt, sive ab aspectu torvo, sive ab insigni taurini capitis armo impressi. Sexdecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalii grege emptum, etiam tum puero capto eius decore. Neminem hic alium, quam Alexandrum regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reiiciens. Idem in prœliis memoratæ cuiusdam perhibetur operæ, Thebarum oppugnatione vulneratus in alium transire Alexandrum non passus: multa præterea eiusdem modi, propter quæ Rex defuncto ei duxit exequias, urbemque tumulo circumdedit eius nomine. Nec Cæsaris Dictatoris quemquam alium recepisse dorso equus traditur, idemque humanis similes pedes priores habuisse: hac effigie locatus ante Veneris genitricis ædem. Fecit et Divus Augustus equo tumulum, de quo Germanici Cæsaris carmen est. Agrigenti complurium equorum tumuli habentur: ita Plinius.

123. Equo intellectum tribuit Plinius. Quæres igitur, sitne equo intellectus? Respondet affirmative Plinius loco citato. Quidam equus, ait, detracto oculorum operimento, et cognito cum matre coitu, petiit abrupta, atque exanimatus est. Eadem ex causa in Reatino agro laceratus est proriga, id est, qui equum admittit. Namque et *cognationum intellectus* in iis est. Et infra multis interiectis: *In circo ad currus iuncti, non dubie intellectum adhortationis et gloriæ fatentur.* Secundo, equis dat idem Auctor ingenium: *Ingenia eorum*, inquit, *inenarrabilia iaculantes, obsequio experiuntur, difficiles conatus corpore ipso nixuque invitantium.* Tertio, dat equis iudicium Solinus cap. 47. *Equis*, ait, *inesse iudicium documentis plurimis patefactum est.* Quarto, concedit equis humanos affectus, artes, atque solertiam Oppianus lib. 1. Cynegeticon: *Equis*, inquit, παρα αλλα φυσις τεχνησσα, *eximie natura artificioso largita est*, ημεριων καρδιην, *humanum cor, et* στηθεσιν αιολον ητορ, *in pectoribus varium animum.*

I. Equus excellit docilitate. Et quidem Primo, equus maxime docilis est, et facile discit ea, quæ vix fieri sine ratione possunt. Plinius l. 8. cap. 42. equorum, ait, *docilitas* tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus ad symphoniæ cantum saltatione quadam moveri solitus inveniatur. Et postea subdit: Tela humi collecta equiti porrigunt. Petrus D'Auity tom. 3. pag. 1203. refert Caramaniæ equos a Turcis edoctos in genua se demittere, ut sessorem suum excipiant, dentibus gladium, clavam militarem, aut virgam e terra
Apud Sybaritas saltabant ad numerum.

A extollere, et sessori suo tradere. Ob hæc et alia tanti æstimari, ut aliquando etiam octo millibus librarum veneant. In Caramania gladios sessori porrigunt.
Arabicorum vero equorum, qui sunt æqualis aut maioris pretii, genealogiam texunt, et a iudicibus identidem approbari curant, sed præcipue equarum, ut carius vendantur. Strabo lib. 3. ait in Hispania equos edoceri, ut montes scandant, et in genua prompte subsidant, ubi usu facente iubentur. Mira prorsus sunt, quæ tradit Plinius cit. Primo, Claudii Cæsaris sæcularium ludorum Circensibus excusso in carceribus auriga, albati equi palmam occupavere, primatum obtinuere opposita effundentes: omnia, quæ contra æmulos debuissent peritissimo auriga insistente, facientes: cum puderet hominum artes ab equis vinci, peracto legitimo cursu ad metam stetere. Secundo, Maius augurium apud priscos, plebeis Circensibus excusso auriga, ita ut si staret, in Capitolium cucurrisse equos, sedemque ter lustresse. Tertio, Maximum vero, eodem pervenisse ab Veiis cum palma et corona, effuso Ratumena, qui ibi vicerat, unde postea nomen portæ est.

Secundo, equi charitate excellunt erga dominos suos, II. Amore domini sui.
B ut in Alexandro et Cæsare ostendi. Solinus cap. 47. aliquot equi inventi sunt, qui nonnisi primos dominos agnoscerent. Amissos dominos lugent, ut ait Oppianus lib. 1. Cyneg. et lacrymas interdum eorum desiderio fundunt. Quintus Smyrnæus lib. 8. Paralipomenon Homeri, ait equos ob cædem Achillis non mansisse αδακρυτας, id est, lacrymarum expertes. Ob hunc equorum in dominos amorem Homerus finxerat Iliad. 19. Xanthum unum ex equis Achillis illi interitum prædicentem, ut sibi caveret. Sic Æneid. lib. 2. equus Pallantis lacrymans describitur. Interfecto Nicomede Rege, eius equus inedia vitam finivit, ut ait Plinius. Philarchus refert, Centaretum e Galatis, in prœlio occiso Antiocho, potitum equo eius conscendisse ovantem. At illum indignatione accensum domitis frænis, ne regi posset, præcipitem in abrupta isse, exanimatumque una. Bulengerus tract. de Circo, ait, occiso Scytharum regulo, ex provocatione dimicante, cum victor ad spoliandum eum venisset, ab eius equo ictibus morsuque confectum esse. Ælian. lib. 16. cap. 24. asso-
C rit, equos, qui Lycospades dicebantur, amavisse Græcos, et palpantibus se faciles præbuisse: sed barbaros refugisse et percussisse.

Tertio, equi gratitudine excellunt, ut ex dictis apparet. III. Gratitudine.
Præterea memorat Ælianus lib. 11. cap. 31. quod Leucl equus iussu Serapidis oculo fomentis redintegrato, saltans, hinniens, ante aram se volutans, medico suo gratias egit.

Nota, Propheta Deum inducit dicentem, ne simus si- 124.
miles equo, *cui non est intellectus*: sed pudendum est, si non simus saltem similes equo, cui est intellectus: dociles nos, amabiles, et gratos, atque officiosos Domino nostro exhibendo. Sponsam suam, id est, animam sanctam comparat Christus equæ, Cant. 1. 8. *Equitatui meo* (Hebr. et Septuag. equæ meæ) *in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.*
Simus saltem similes equo habenti intellectum.

Quæres secundo: Quinam equo, qui est sine intellectu, 125.
comparandi sunt? Respond. Primo, et aptissime, ac maxime litteraliter, cum dicitur: *Nolite fieri sicut equus*, etc. sensum esse, q. d. nolite esse brutorum instar, quæ so-
D lis sensibus ducuntur, et irrationalia sunt atque indomita. Est synecdoche. Idque intelligi de evitatione omnium peccatorum: ita Beda, Titelm. Bellarm. et alii. Nominari vero equum et mulum, quia erant animalia notissima. Speciatim tamen de equo nunc agendum est, quem noluerat Deus esse in frequenti usu apud Iudæos, de quo dixi Psal. 19. 8. Ægyptii quoque equum velut profanum animal aversabantur, neque sacerdoti apud illos equo vehi licitum erat. Equus apud Romanos a sacrorum flamine minime tangebatur. Philo lib. de agricultura illud Exod. 15. 1. *Equum et ascensorem deiecit in mare*, explanans, equos vitiis comparat: *Meliorem*, inquit, *atque perfectiorem victoriam invenire non licet, quam qua vincitur*, το τετραπουν και σκιρτητικον, και υπεραυχον πατων το και κακων αδαμαστατον ζωον, *petulantium quadrupedum cervico-*
Equo carenti intellectu similes sunt omnes peccatores.

eorumque agmen validum, hoc est, vitiorum et affectuum. Peccatorum fontem esse defectum luminis practici docet noster Antonius Gaudier tract. de perfectione, part. 2. cap. 8. illum consule. Alterum fontem peccatorum esse passiones docet cap. 9.

Ut ad particularia vitia descendamus. Quatuor in equo potissimum possa figurari arbitror. Primo, superbiam. Secunde, præcipitationem seu temeritatem. Tertio, iram. Quarto denique, luxuriam. Erunt hi quatuor equi pedes. Duo anteriores, erunt superbia et temeritas: duo posteriores, ira et luxuria.

Primo, equus superbus est. S. Chrysostomus in Matth. Equus, ait, habet pectus plenum gloriæ iactantia. Prudentius in Psychomachia insidentem equo superbiam describit: *Forte per effusas inflata superbia turmas infræni volitabat equo.* Et superbiam sessori equos ingenerat: unde Plato statim equo desiliit, ut alias dixi. Et Romano Dictatori nefas erat equitare, ut tradit Plutarchus.

I. Superbi. Itaque per equum hic designari superbum censent Dionysius Ruffin. Lombard. Pepin. Innoc. et alii. Innocentius autem notat non dici, ut caveamus, ne simus sicut bos, quia satis humilis est: nec sicut canis, quia nimis est sagax: sed sicut equus, qui designat superbiam: quia extento collo cervicosus incedit. Cum Plato dixisset, equum excelsos spiritus præ se ferre. Antisthenes subiecit: At tu videris bonus equus evasurus. S. Augustin. in Ps. 32. 17. Fallax equus ad salutem, sic ait: *Equum accipe etiam figurate quamlibet amplitudinem sæculi huius, quemlibet honorem, in quem superbus ascendis: quo altius ingrederis, eo te non tantum celsiorem, sed etiam tutiorem falso putas.* S. Gregorius illud Eccl. 10. 7. Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi servos super terram, explicans, ait lib. 31. Moral. cap. 18 *Omnis qui peccat, servus est peccati: et servi in equis sunt, cum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes vero quasi servi ambulant, cum multas dignitate virtutum plenas nullus honor erigit: sed summa hic adversitas velut indignos deorsum premit.*

Equæ ex vento concipiunt, ut tradit Aristoteles lib. 6. animal. Calaber. lib. 8. D. Chrysost. orat. 20. Solin. cap. 47. Varro lib. 2. de re rustica, cap. 1. Martian. Capella lib. 5. Columella lib. 6. cap. 26. Plinius hoc tamquam certum refert lib. 8. cap. 21. *Constat*, inquit, *in Lusitania circa Olyssiponem oppidum et Tagum amnem, equas favonio flante obversas animalem concipere spiritum, indeque partum fieri et gigni pernicissimum ita, sed triennium vitæ non excedere.* Superbia vento sese implere gaudet, vento gravidatur, et subventaneos fœtus effundit, qui diu non durant, sed pereunt cum eius dolore et perturbatione. Oseæ 8. 7. *Ventum seminabunt, et turbinem metent.*

II. Temerarii et præcipites. Secunde, equus temerarius est, præceps, et inquietus. Aristoteles histor. animal. lib. 6. cap. 22. Natura, inquit, equorum non est stabilis, sed procax. Alanis a Probo Imper. victis equus inventus est, qui singulis diebus centum passuum millia decurreret, perque octo vel decem dies vigore minime fracto perduraret. Probus id in equo militari contempsit, et fugacibus aptum esse dixit. Homines sunt quidem ita leves, ut uno quadrante per orbem imaginatione currant et recurrant.

Per equum intelligi aperte peccantes, Ugo Card. censet in Psalm. nostro. Ecclesiastici auctor ait cap. 30. 8. *Equus indomitus evadit durus* (Tigurina vertit, *intractabilis*, alii, *sævus*) *et filius remissionis* (ανειμενος, sibi relictus, dissolutus) *evadet præceps.* Græc. προπετης, id est, temerarius, effrænis, procax, petulans, præcipitanter cadens seu irruens, præceps, protervus, effusus. Syrus vertit: Sicut pullus equinus effrænis, ita filius protervus, qui non obedit patri suo. Gallice dicimus: *c'est un poulain indompte: c'est un cheval echappé.* S. Thom. 2. 2. qu. 142. a. 2. comparat concupiscentiam puero, illum consule. Gr. ιππον, id est, equum derivant ab επτασθαι ποσι, quod volet pedibus. Caput vento plenum pedes volaticos et erraticos facit. S. Hier. in Ps. nostr. *Equus*, inquit, *et mulus sunt, qui non Dei voluntate, sed proprio motu se regere volunt, et effrænes in luxuriam decidunt.*

Tertio, equus irascitur, et calce ferit, ideo alterum e pedibus posterioribus iram ponemus. Licet enim Aristoteles lib. 2. histor. animal. equum felle carere dicat, tamen in bello furit, ignem efflat e naribus: unde Oppianus vocat αιθωνας ιππους περιλαμπεας, ardentes equos et circumfulgentes. Calaber lib. 8. Achillis equos a Neoptolamo in bellum ductos ait fuisse πυρ ολοον πνειοντας, exitialem ignem spirantes. III. Iracundi.

Iacobus de Valentia Christopolitanus Episcopus ait, in Psalmo per equum designari mundum: per mulum vero carnem. In mundo quatuor esse vitia: nempe superbiam, invidiam, iram et avaritiam. In carne autem tria: luxuriam, gulam, et acediam. S. Gregor. Nazianz. epist. 194. de zelo suo, sed bono, ait: *Ego, ut feroces equi solent,* πνεω τεθυμον εκ μυκτηρων, και βλεπω δριμυ, και αφρω βαλλομαι, *furorem e naribus spiro, præfero acrem vultum, impellor spuma.* Et in epist. ad Meletium: *Exurgo et excutio pulverem, ut equi Achillis, atque* την χαιτην ανασειομαι, *setam seu iubam excutio.*

IV. Luxuriosi. Quarto denique, luxuria equi nota est, ut eam præcipue notari censent Didymus, Ruffinus, Nicephorus, Innocentius, Ugo, S. August. tract. 15. in Ioan. S. Hieron. in cap. 3. Oseæ, S. Gregor. 31. Moral. cap. 18. et alii plurimi. In furorem equos et equas agit libido. Aristoteles lib. 6. de histor. animal. cap. 18. θηλειων, ait, ορμητικως εχητι προς τον συνδιασμον. Libidine inflammantur, ac veluti in præceps cæco impetu aguntur ex fœminis, equæ potissimum, deinde vaccæ. Et cap. 22. Equus mas omnibus temporibus init, nec cessat, quamdiu vivit. Fœmina etiam quamdiu vivit, initur: nec tempus ullum certum libidinem aufert. Virgil. 3. Georgic. sic ait: *Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.* Et equorum etiam. Cum enim Phormis equos duos a Dionysio fabrefactos in Olympia dedicasset, in eorum altero Hippomanes abdidit, aut in liquatum metallum immiscuit: unde fiebat, ut equi inde divelli non possent, nisi flagellis.

126. Hoc sentiunt Prophetæ. Luxuriosos equis comparant Prophetæ, Patres, Philosophi, Oratores, Poetæ, Grammatici, pictores, sculptores. Ac Primo, Propheta Ieremias 5. 8. in Iudæos invehens dicebat: *Equi amatores* (Hebr. *muzanim*, id est, saturati, bene pasti. Mater luxuriæ est gula. Septuag. equi furentes in fœminas. Effectus amoris est insania. Chald. equi robusti. Gaude in morbis, qui hostem tuum enervant) *et emissarii* (qui ad hoc servantur, ut equas ineant. R. Kimhi et Vatabl. vertunt, manicantes, id est, summo mane surgentes, ut vagas libidines quærant. Mane iuventutis tuæ et lucem eius ne ganearum tenebris obscures) *unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.* Strabo lib. 10. suæ Geographiæ refert, in Media provincia pratum quoddam Hippobotum dici, per quod transeunt, qui a Perside et Babylonio ad Casias portas proficiscuntur: in eo prato ali dicit quinquaginta millia equorum Persicorum, esseque ea armenta regia. Nos vero dicere possumus plerasque urbes et regiones, instar Pentapolis Gen. 19. esse longe maius pratum Hippobotum, in quo innumeri equi subsultent, exlasciviant, atque insaniant. Ezech. 23. 20. de Ierosolyma dicit: *Insanivit libidine* (Fornicatio, vinum et ebrietas auferunt cor, Oseæ 4. 11.) *super concubitum eorum* (Chaldæorum) *quorum carnes* (membra genitalia) *sunt ut carnes asinorum* (qui inter omnes bestias genitalia habent maxima: hinc Commodus Imp. dictus est ονος, id est, asinus) *et sicut fluxus* (seminis) *equorum fluxus eorum.* De Benedicto IX. sub figura asini et ursi apparente ob libidinem, et ob eam damnato vide S. Petrum Damiani epist. ad fratres eremi, et Baron. an. 1054. fuerat Antipapa. S. Bern. lib. de natura et dign. divini amoris cap. 2. vere ait: *Quorum spiritus ut spiritus bestiarum vel pecorum, quorum carnes iuxta Prophetam, ut carnes sunt asinorum.* Pratum Hippobotum.

Patres. Secundo, Origenes ait, non omnem hominem esse hominem, sed aliquos tanta aequitia præditos, ut equi dicendi sint. Cæsarius dial. 2. comparat libidinosum equo.

Philosophi. Tertio, Plato 2. de legibus ait: Habetis amatorios in-

venes, οιον αθροι πωλοι, *instar gregis equorum, confortim* pascentium. Arist. lib. 6. hist. animal. c. 23. ait, equum post hominem esse animalium salacissimum.

Oratores. Quarto, inter Oratores Dio Chrysostomus orat. 23. ad Alexandrinos: *Timeo*, ait, *equinum huius civitatis amorem*, ιππικον ερωτα πολεως, *ne quid difficile vobis et peregrinum afferat procedente tempore.*

Poetæ. Quinto, Poetæ regis Diomedis filias impudicas comparant equis, quæ adventantes devorabant. Saturnum amore insanientem Virgilius in equum transformat. Apollodorus libro tertio de Diis refert, Neptunum in equum mutatum e Cerere in equam mutata, Ariona equum suscepisse. Maximus Tyrius vult a Poetis per Centauri formam intellectum esse voluptatis vinculum: ego etiam censeo designari, quod homines fiunt equinæ naturæ per voluptatem. Pisidas in Poemate de mundi opificio, luxuriosos comparat centauris, fol. 431.

Grammatici. Sexto, Grammatici eum, qui libidini nimis est deditus, vocant ιπποβοτον, ιπποπορνον. Item, ιππομανειν apud eos significat, instar equi ardere et furere.

Pictores et sculptores. Septimo denique, Pictores et sculptores idem sentiunt. Pausanias tradit apud Phigalenses simulacrum Cereris in antro consecratum habitu sedentis in petra, equinis capite comaque, cætera muliebri simile, adnexis draconum et ferarum plurium imaginibus, quæ circa caput illudebant, palla nigra ad talos demissa, in cuius manu una delphinus, in altera columbe sustineretur. Quibusdam placet Veneris fuisse simulacrum, et omnia commode luxuriosis conveniunt. Sed non multum moror. Ceres enim ob amorem insanum versa est in equam, et a Neptuno in equum verso compressa, atque Erinnys ab ipso Pausania dicitur ob furorem, non quod, ut explicat, Neptuno irata fuerit vim inferenti: sed potius, quod a libidine in rabiem verteretur, sicut fieri solet, ut dicetur infra.

127. Luxuriosi sæpe sunt equis deteriores. Adde, luxuriosos sæpe deteriores effici equis. Ut enim loquitur Oppian. lib. 4. Cynegeticon: καθαρης εραωσι Κυθηρης, castam equi amant Venerem. Absyrtus docet, equam ubi se concepisse novit, marem ulterius non admittere. Aristot. lib. 8. hist. animal. dicit, equos nunquam scienter coire cum matribus suis. Et lib. 9. c. 42. Ferunt, inquit, regi Scytharum fuisse equam egregiam, ex qua mares generosi omnes gignerentur, quorum unus qui præstantior habebatur, cum urgeretur, ut ex matre procrearet, admissum omnino recusasse. Opertam deinde latuisse matrem, ut imprudens superveniret. Verum ubi a concubitu faciem matris detectam agnovit, fugam properasse, atque seipsum actum præcipitem interemisse. Oppianus addit non pullum modo, sed ipsam matrem in præceps se dedisse. Quis non horreat Semiramidis coitus cum equo, ut ait Iuba? Quis non iudicet infra omnes bestias amandandum Equisonem, qui cum equa peccans a pullo eastione laceratus est, ut habet Ælianus lib. 4. cap. 8. Quare si vere dixit Aristoteles, teste Dionysio, quod homo peccator decies millies peior est bestiis, dicendum est, quod luxuriosus iis fœdior est centies millies, totaque æternitate in luto tartareo volutandus. Si vere dixit S. Ambrosius libro de ieiunio, quod maior est vis rerum intelligibilium expressione verborum: ut qui delicta non erubescit, erubescat vel nomina delictorum, erubescant insani, quod equis se similes, imo tetriores faciunt. S. Chrysostomus homilia 4. in Matthæum, peccatores, ac præsertim libidinosos equis et mulis, aliisque animalibus comparat: *Quid dicam*, ait, *utrum Christianus sis? nec si homo vere sis, possum evidenter agnoscere. Quando enim ut asinus calcitras, ut taurus exultas libidine incensus* χρεμετιζεις επι γυναιξιν, ωσπερ ιππος. *Sic ad uxores adhinnis velut equus. Quando in epulis ursorum imitaris voracitatem: et pinguedine corpus, mulorum more, distendis: cum exercenda simultate camelum, lupum imiteris rapina: cum irascaris ut serpens, et atrocitate scorpionum percutias: cum subdole insidieris, ut vulpes: cumque veneno malignitatis armeris, ut coluber et vipera: cum quasi diabolus ipse crudelia bella suscipias: quonam unquam modo, qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te certæ humanæ signa naturæ?* Plinius lib. 4. cap. 13. ait referri, esse quasdam insulas Septemtrionales, in quibus *equinis pedibus* homines nascantur, Hippopodes appellati. Pedes affectuum sunt symbolum. Eos luxuria equinos facit. Notabile est, quod idem auctor habet lib. 28. c. 11. et ad rem præsentem facit: *Equarum*, ait, *virus a coitu in ellychniis accensum, Anaxilaus prodidit, equinorum capitum visus repræsentare monstrifice: similiter ex asinis.* Caput est symbolum cogitationum, quæ, sicut affectus, in libidinosis equinæ sunt.

Quæres tertio, quinam peccatores mulo, qui est sine intellectu, comparandi sunt? Quatuor præsertim assignari possunt. Primo, superbi. Secundo, avari. Tertio, pigri. Quarto, luxuriosi. Hi quatuor muli pedes fulciunt, eut sunt. 128. Peccatores quatuor mulo comparantur.

I. Superbi. Primo igitur, mulus est symbolum superbiæ: ita S. August. hic: *Equus*, inquit, *et mulus erecta cervice sunt.* Deinde, quia mulus est inobediens et obstinatus: ita Didymus et Theodoretus. Præterea mulus designat hypocritas, qui pluris æstimari volunt: ita Ugo et Petrus de Palude, qui sic ait: Mulus ex ignobili et nobili gignitur: ex asino scilicet et equa: ita hypocritæ opus ex nobili actu fit, et ex intentione ignobili: quod speciosum est, ostentat, ignobile occultat, ut qui genus iactant suum, et si quos norunt parentes, pauperes eos ne aspectu quidem dignantur. Fabellam Ugo refert de mulo, quem vulpes interrogavit, de quo genere fuerat, et mulus respondit, quod pronepos erat equi magni regis Hispaniæ: Non quæro de patre, dixit vulpes, sed de matre, et noluit indicare: ita, inquit, faciunt multi, qui semper nominant nobiliorem de suo genere, si quæratur de genere eorum. Sunt sepulcra dealbata, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia, Matth. 23. v. 27. Sunt muli vani, et bene ornati regiis stragulis, sed intus viles et abiecti. Memores sint superbi, unde orti sint, et tumor ille ac fastus sanabitur. Lepide fabella refertur a Plutarcho in convivio: Lydius, inquit, mulus in unde fluminis magnitudinem suam contemplatus ferocire cepit, et equi instar procurrere: sed ubi asini se filium est recordatus, cursum repressit atque ferociam. Terra, terra, terra, quid tibi gloriationis esse potest?

Secundo, mulus est symbolum avaritiæ. Est enim animal ad portanda onera natum, sæpe regum et principum II. Avari.
auro, argento, gemmis, vestibus ornatum atque oneratum, et semper inops. Divitiæ terrenæ onerant. Unde de Rege Hebr. præcipitur, Deuteron. 17. v. 17. *Non habebit auri et argenti immensa pondera.* Onerando enim degravant, et in ruinam impellunt. Zachariæ 14. v. 15. *Et sic erit ruina equi et muli, et cameli, et asini, et omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illis*, mundi scilicet cuius erat Antiochus Epiphanes Syriæ rex, spolians Ierusalem, et templum, ob quam causam et crudelitates ibi exercitas misere periit cum variis eius exercitibus. Miseri tamen mortales hæc onera quærunt, et sibi læti et exultantes imponunt: sed instar mulorum, et asinorum, ut aliis ea servent et tradant vel inviti. Genes. 49. v. 14. de tribu *Issachar*, qui significat *est merces*: vel, est mercenarius: vel, est ebrius; dicitur: *Issachar asinus fortis* (Chaldæus, Issachar dives in substantia) *accubans inter terminos* (inter limites et confinia aliarum tribuum. Avarus semper est in insidiis, considerans aliena bona ad invadendum ea) *vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima* (nihil melius auro, quod terra est, videt et optat avarus.) Quid inde sequitur? *Supponit humerum ad portandum, factusque est tributis serviens.* Quod non capit Christus, rapit fiscus. Obolum negas pauperi, aureos milles et satelles exigunt. Muli inter quadrupedes primi censentur fuisse currui trahendo appositi: unde Festus ait factum esse, ut mulis celebrarentur ludi in circo maximo Romæ Consualibus, id est in ludis qui fiebant in honorem Consi consiliorum Dei. Ludos amat peccator, sed grave iugum portat. Per mulum avaros intelligit in Psalmo Thomas Anglicus.

Ad quemlibet peccatorem hæc transferre possis: onus enim portat ipso monte Ætna gravius, deterioris sortis effectus, quam gigantes ibi sepulti. S. Gregorius in Psalmum nostrum: *Mulus*, inquit, *sicut onus Domini sui sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem præbet. Quisquis itaque Domini illius, cuius iugum suave, et cuius onus leve, præcepta reiiciens, gravissimas peccatorum sarcinas ferre non recusaverit, irrationabilem se profecto sicut mulum ostendit.* Onustus peccator deiicitur. Primo enim infra terram ponitur, cuius in infimo loco iacent metalla, quæ sitit, et quibus sese ingurgitat, ut lupus terra. Secundo, brutis postponitur. Unde Boetius de consolatione: *Humanæ*, inquit, *naturæ ista conditio est, ut tunc tantum cæteris rebus, cum se recognoscit, excellat. Eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare naturæ est, hominibus vitio venit.* Tertio, peccatum homines Christianos deprimit infra ethnicos, Rom. 2. v. 14. *Gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter* (id est a lege naturæ edoctæ) *ea, quæ legis sunt, faciunt.* Christiani vero peccatores sæpe naturæ legem violant, ut ipse Paulus exprobrat 1. Cor. 5. v. 1. *Omnino auditur fornicatio inter vos, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Quarto, peccatum homines Christianos facit peiores ipsis damnatis: quia damnati non possunt ad Deum converti, deest enim illis gratia: at Christianus vivens est in statu pœnitentiæ et gratia illi offertur. Si igitur sit obstinatus, gravissima pœna est dignus. Rom. 2. v. 5. *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis iusti iudicii Dei.* S. Bernard. de triplici misericord. Thesaurizas, ait, tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in te misericordiam Dei. Quinto, peccator deiicitur infra dæmones. Nam, ut meditatur S. Anselm. *Diabolus nulla præcedenti peccati vindicta, superbia peccavit: ego visa eius pœna, contemnens ad peccatum properavi; 2. ille semel est in innocentia constitutus, ego frequenter restitutus; 3. ille contra eum qui fecit, ego contra eum qui me fecit et refecit; 4. ille perstat in malitia Deo reprobante; ego in illam cucurri Deo revocante; 5. et si ambo contra Deum, ille contra non requirentem se, ego contra morientem pro me.* Tum concludit, et exclamat: *O infelix, ecce cuius imaginem horrebam, et horribiliorem in multis me conspicio.* Sexto denique, peccator infra ipsum nihilum deiicitur. Ps. 14. v. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Et Matth. 26. v. 24. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

129. III. Pigri et stupidi.

Tertio, mulus symbolum est pigritiæ, stupiditatis, et sterilitatis spiritualis. Dionysius Ps. nostr. de pigris explicat: *Ne sitis*, inquit, *ad divino pigri.* Intellectus enim et operatio, ait S. Ioannes Climacus homini sunt necessaria. Mulus de parentis tarditate participat. Nam, ut ait Plinius lib. 8. cap. 44. Gignitur mula ex equo et asina, sed effrænis, et *tarditatis indomitæ.* Prius dixerat, ex asino et equa mulum gigni. Ac postea: Equo et asina genitos mares hinnulos antiqui vocabant; contraque mulos, quos asini et equæ generarent. Pepinus in Psal. 2. pœnitentialem notat, mulos debiles esse in parte anteriori, ex qua parte crux apparet in eorum dorso: fortes autem esse in parte posteriori. Hoc multis usuvenit, ut crucem inviti portent, et virium suarum imbecillitatem obiiciant. Contra vero in potu et venereis fortes sint atque effrænati. Isaiæ 5. v. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum: et viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Ex pigritia duo præsertim mala oriuntur: nempe Primo, sterilitas spiritualis. Et vero Plinius loco citato: Observatum, inquit, e duobus diversis generibus nata, tertii generis fieri, et neutri parentum esse similia: eaque ipsa, quæ sunt ita nata, non gignere, in omni animalium genere. Idcirco mulas non parere. Est in annalibus nostris peperisse sæpe, verum prodigii loco habitum: ita ille. Plutarchus lib. 5. de placitis Philosophorum cap. 14. Alcmæo, inquit, mulos steriles esse dicit ob seminis tenuitatem, sive ψυχροτητα, id est frigiditatem: et mulas, quia

Ex pigritia oritur sterilitas

A metrices non hient. Empedocles, ob exilitatem, humilitatem et angustiam vulvæ, inverse ventri indatæ: ut neque recta ad eam semen eiicietur: neque si id fiat, excipiatur. Huic Diocles testimonium perhibet, tales se matrices mularum in dissectionibus sæpe deprehendisse inquiens: ac fieri posse, ut iisdem de causis mulieres quoque sint steriles: ita Plutarchus. In spiritualibus rebus pigri sunt infœcundi, quia frigidi. Soli enim ferventes generant, sicut Paulus, qui dicebat, 1. Corint. 4. v. 15. *Per Evangelium ego vos genui.* Deinde, pigri habent cor in terram inversum, unde semen cæleste non suscipiunt, vel susceptum statim effundunt. Ruffinus: *Mulus significat pigros et infœcundos. Tales sunt homines huius sæculi: in elatione se erigunt, carnalibus voluptatibus deserviunt: nullum animæ fructum faciunt. Et dum solis terrenis inhærent, bestialiter viventes sicut equus et mulus, intellectum de cælestibus non habent.* Secundo, ex pigritia diuterniore oritur stupiditas. Putrescunt enim et obtunduntur ingenia situ et languore. Lombardus: *Per mu-* B *lum, ait, significantur stolidi et pigri.* Græci mulum vocant ημιονον, q. d. semiasinum: nota est autem asini stoliditas et stupiditas. Catullus epigram. 14. stupidum quemdam pungens, ait: *Mule, nihil sentis?* Hoc in plerosque quadrat, qui licet in terrenis lyncei sint, in cælestibus tamen sunt noctuæ, et mulis asinisque hebetiores. Ieremiæ 4. vers. 22. *Sapientes sunt, ut faciant malo, bene autem facere nescierunt.* Digni plane, qui ad lunæ vehiculum applicentur, sicut olim muli. Sunt enim sine intellectu, qui est donum Spiritus sancti, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 85. sic autem carnales sunt ac terrei. Saltem ad aquas contritionis et pœnitentiæ salsas pergent, sicut mulus Thaletis, de quo supra: sic suo onere levabuntur, quod pigri debent exoptare.

Et stupiditas.

Quarto denique, mulus est etiam luxuriæ symbolum, sicut equus: ita S. Thomas. *Per mulum intelliguntur luxuriosi. Mulus luxuriosus est, tamen non generat. Sic peccato luxuriæ infructuosi sunt. Rom. 6. v. 21. Quem ergo* C *fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Libidinosus non prolis generandæ, sed libidinis satiandæ, et voluptatis capiendæ causa in venerem effenditur. Si locum species, in quo David vivebat, ibi muli generabant. Hebraice vocantur פרדים *peradim*, de quibus Cornelius. Ezech. 27. Est, inquit, equi genus proprium Syriæ aptum ad bellum, et velox ad cursum, de quo Aristoteles lib. 6. histor. animal. cap. 24. et 36. Unde eo vehebantur reges et principes, ut Absalon eiusque fratres, 2. Regum 13. v. 29. et cap. 18. v. 9. Hinc vocatur equus, quia generat: et mulus ab Aristotele. Hebraice *pered*, id est separatus: quia separatum et peculiare est equorum genus: et quia mulo est facie simile, ut ait Aristoteles. Muli ergo hi Syriæ nostris sunt dissimiles: partimque equis, partim mulis nostris similes. Theophrastes ait, quod muli vulgo pariunt in Cappadocia: ibique animal est sui generis proprii: non vero ab equo et asina, aut ab asino et equa genitum. Aristoteles lib. 8. histor. animal. cap. 8. *In terra Syriæ*, inquit, *super Phœnicem* D *mulæ pariunt omnes: sed id generis diversum est, quamquam simile.* David itaque utitur exemplo animalis in Iudæa notissimi. Phœnicia enim est terræ promissionis conterminæ, imo ad eam pertinebat. In Italia L. Paulo, et L. Marcello Coss. mula peperit, cum exorta sunt bella inter Cæsarem et Pompeium. Anno item 1518. Leonis X. Papæ anno sexto, quarto nonas Aprilis, apud Iulium Cardinalem Medicum, mula peperit, quod vidisse se testatur Pierius Valerianus lib. 12. cap. 28. ubi etiam refert anno 1462. in Arceate Brutiorum agro a mula equum progenitum pilo flavo, crinibus rutilis, oculis rufis, quem post Loisius Arensis apud Brutios longe princeps, ad Ferdinandum Neapolitanorum regem misit.

130. IV. Luxuriosi.

Symbolice, per equum et mulum duo populi intelliguntur. Per equum intelligitur gentilis indomitus: per mulum, Iudæus piger ad credendum. Itaque, Nolite fieri sicut equus et mulus, idem est, ac si dicatur: Nolite fieri sicut Gentiles, et sicut Iudæi: ita Lombard.

131. Symbol. Equus et mulus sunt Iudæi et Gentiles.

Luxurioso nullum esse intellectum. Prob. I. Quæres quarto: Nullusne luxurioso est intellectus? respond. nullum esse: id asserit Iesus filius Sirach Eccleaiast. 19. v. 1. *Vinum et mulieres apostatare faciunt* (a sapientia et a Deo) *sapientes*. Patuit hoc in Salomone e sapientissimo in stultissimum, et idololatram per mulieres transformato.

II. Secundo, Oseas Propheta causas iræ Dei et vindictæ in decem tribus populi Israel declarans, peccata enumerat varia, quorum origo sit ignoratio Dei: deinde subdit v. 11. *Fornicatio, et vinum, et* (id est) *ebrietas auferunt cor*, id est, mentem, rationem, iudicium, sicque hominem vecordem, insanum, et stupidum faciunt, ut Theodoretus et Theophylactus explicant. Demetrius Phalereus viso iuvene luxurioso, dixit: Ecce *quadratam statuam*, habentem ayrma, ventrem, pudenda, et barbam, q. d. en truncum ac stipitem, non hominem.

III. Tertio, Salomon admissarios istos noctuis et vespertilionibus in nocte volitantibus comparat. Proverb. 7. v. 7. *Video parvulos* (Hebr. פתאים petaim, hoc est insipientes, ut habet Chaldæus: stultos, ut Septuag. stupidos ut Tigurina) *considera vecordem* (Hebraice, carentem corde. Septuag. inopem mentis. Chaldæus, *deficientem* intellectu. S. Ambrosius, indigum sensu) *graditur in obscuro advesperascente die in noctis tenebris et caligine*. Solem fugit, id est iustos. Palladius in vita S. Chrysost. Infelicia, inquit, scorta ex ipso oculorum motu pudicos agnoscunt ac fugiunt viros, *non secus, atque infirmus oculus Solis iubar*, et vultur unguentum.

IV. Quarto, clare stultum vocat Salomon luxuriosum ibid. v. 21. et 22. ubi de meretrice ait: *Irretivit eum* (Septuag. seduxit) *multis sermonibus, et blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam sequitur* (Septuag. κεπφωθεὶς, id est circumventus, ut habet S. Ambros. infatuatus, ut Rom. Bibl.) *quasi bos ductus ad victimam* (Chaldæus ad macellum. Hebr. ad lanienam) *et quasi agnus lasciviens, et ignorans quod ad vincula stultus trahatur*. Symmach. vertit, Exultans super vinculis stultus. Pagn. Et sicut compes ad castigationem stulti. R. Salomon. Et sicut venenum ad castigationem stulti, *donec sagitta transfigat cor eius*.

V. Quinto, S. Gregor. lib. 31. Moral. 31. Luxuriæ filias octo enumerat, inter quas primam assignat mentis cæcitatem, quæ cæterarum est velut primogenita: *De luxuria*, inquit, *cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri*. Hanc enumerationem effectum luxuriæ bonam esse probat S. Thom. 2. 2. quæst. 53. art. 5 Per luxuriam, ait, maxime superiores vires deordinantur, scilicet ratio et voluntas. Sunt autem rationis quatuor actus in agendis. Primo quidem, simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem, ut bonum. Et hic actus impeditur per luxuriam, secundum illud Danielis 13. v. 56. *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*. Et quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem. Et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Unde Terentius dicit in Eunucho, loquens de amore libidinoso: Quæ res in se, neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes. Et quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilii, ut supra habitum est, artic. 3. Tertius actus est iudicium de agendis. Et hic etiam impeditur per luxuriam. Dicitur enim Dan. 13. 9. de senibus luxuriosis: *Averterunt sensum suum, ut non recordarentur iudiciorum iustorum*. Et quantum ad hoc ponitur inconsideratio. Quartus autem actus est præceptum rationis de agendo, qui etiam impeditur per luxuriam in quantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum. Unde Terentius dicit in eunucho, de quodam, qui dicebat se recessuram ab amica. Hæc verba una falsa lacrymula restinguet. Ex parte autem voluntatis consequitur duplex actus inordinatus, quorum unus est appetitus finis. Et quantum ad hoc ponitur amor sui, quantum scilicet ad delectationem, quam inordinate appetit. Et per oppositum ponitur odium Dei, inquantum scilicet prohibet delectationem concupitam. Alius autem est appetitus eorum, quæ sunt ad finem. Et quantum ad hoc ponitur affectus præsentis sæculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate. Et per hoc ponitur desperatio futuri sæculi; quia dum nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit eas: ita S. Thom.

Sexto, S. Hieron. lib. 1. adv. Iovinian. cap. 30. *Amor formæ*, inquit, *rationis oblivio est, et insaniæ proximus: fœdum minimeque conveniens animo sospiti vitium, turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit. Amor non iudicio, sed furore ducitur*. Et in cap. 4. Oseæ: Fornicatio, ait, et voluptas pervertit sensum, animamque debilitat. De rationabili homine brutum efficit animal, ut balneas et lupanaria, et libidinum castra sectetur. VI.

Septimo, S. Ambr. lib. 1. de Cain et Abel cap. 5. *Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, a negotio abducit, a ratione revocat, aufert consilia, amentes inquietat, lapsos inclinat*. VII.

Octavo, ex Græcis Patribus S. Chrysost. homil. 8. de pœnit. Ὀφθαλμία, inquit, χαλεπὴ μοιχεία, *Morbus oculorum gravis, est adulterium. Oculorum hoc malum non corporeorum quidem sed mentis*. VIII.

Nono, ex Philosophis loquatur Aristotel. lib. 6. Et hic cap. 5. Delectatio, inquit, maxime corrumpit æstimationem prudentiæ. Et lib. 7. cap. 6. *Venus, ait, furatur intellectum multum sapientis*. IX.

Decimo Claudianus Poeta lib. 2. de laude Stiliconis, sic ad rem præsentem cecinit: X.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effœminat acrius herbis.

Undecimo, Sculptores inductam a luxuria amentiam et stupiditatem expresserunt. Venus enim ex auro et ebore apud Corinthios summa arte elaborata, altera manu papaver, soporis et languoris symbolum: altera malum indicium voluptatis præferebat. Phidias vero apud Eleos simulacrum Veneris ex auro et ebore voluit altero pede supra testudinem niti, cuius rei causam aliis disquirendam reliquit Pausanias in Eliacis. Plerique hanc causam esse arbitrantur, quod, ut ait Aristoteles, sola testuda ablata corde vivit: et Venus cor amantium tollit: ideoque amantes sunt excordes, vecordes, et amentes. Hinc forte David ipse post peccatum adulterii exclamat Psal. 39. 13. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui, ut viderem* (Hebraice ad videndum. S. Hieron. potui videre) *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum* (Chald. cogitatio mea) *dereliquit me*, corde ratio et intelligentia ac sapientia denotatur. Ps. 37. 11. cæcitatem etiam suam declarat: *Cor meum conturbatum est* (S. Hieron. fluctuabat. Chaldæus, horruit. S. Gregorius addit, *in me*. S. Cyrillus hunc docet esse effectum turpis voluptatis, ut cor exagitet, ac pace privet) *dereliquit me virtus mea* (Græce ἰσχὺς, id est vis, robur. S. Augustin. fortitudo mea) *et lumen oculorum meorum* (supple dereliquit me) *et ipsum non est mecum*, q. d. longe a me recessit, et non redit. Vide ibi dicta. XI.

Duodecimo denique, hæc amentia efficit, ut luxuriosi in maiores sese laqueos induant, sicut Samson ligatus a Philisthæis. Haud absimiles sunt coturnicibus, quæ, ut ait Athenæus lib. 9. cum effervescunt in Venerem, si a regione speculum ipsis abiiciatur, ut ante illud laqueus, quem speculum repræsentat, advolantes laqueo se implicant. David dicebat Ps. 17. 6. *Circumdederunt me dolores* (S. Hieron. funes, in 2. lib. Regum) *mortis*, etc. *præoccupaverunt me laquei mortis*. Ibi etiam ponitur, torrentea iniquitatis conturbaverunt me: quod nobis commodo vertit S. Hieron. *congregationes Belial* (significat, sine iugo, et inutilem atque impium) *perterruerunt me*. Quibus funibus stygiis tenebatur Pasiphae, et quibus furiis agitabatur et facibus ardebat, cum tauro se supposuit, et Se- XII.

miramis, cum equo? Num furebat et insaniebat Aristo Ephesius, qui asinam iniit, Publius Stellus *equam*, Crathis capram, Archidas statuam, Xerxes platanum, Periander uxorem suam: aut, ut alii volunt, meretricem mortuam? Quid enim de Salomone dicam, omnium hominum sapientissimo, priusquam in eam se insaniam præcipitasset, cum septingentis et trecentis reginis infatuato, et thus idulis sacrificente? Quid de Commodo Imperatore cum trecentis uxoribus ac trecentis exoletis enervato et putrescente? Quid de Surina Parthorum ditissimo, et secundo a Rege, cum ducentis pellicibus in ipsis castris stultescente?

132. Luxuriosi a dæmone occisi. Digni plane sunt, in quos Asmodæus potestatem suam exerat, sicut fecit in septem maritos Saræ filiæ Raguelis, et deinde uxoris Tobiæ iunioris. Nam ut dicitur Tob. 6. 17. *Qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant* (ille est vera sapientia) *et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus* (Aristot. lib. 6. histor. anim. cap. 22. Salacissimus, inquit, omnium tam fœminarum quam marium, equus est) *quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Ctesippus lib. 2. rerum Scythicarum rem notabilem refert: Asserit enim in Phaside fluvio virgam quamdam Leucophyllum nomine nasci, quam zelotypi circa virginalem thalamum dispergunt, ut spuriæ prolis expertem thorum servent. (Leucophyllus virga.) Si quis autem amore insano percitus accesserit, *alienatur a mente*, et omnia scelera coram omnibus enunciat. Tum a circumstantibus correptus insuitur culeo, et in impiorum voraginem præceps impellitur, quæ post triginta dies in Mæotidem paludem cadaver eiectum vermibus scatens evomit, *vulturibus statim involantibus prædam futurum.* Quid æquius, quam ut a vulturibus oculi iis eruantur, qui sibi prius rationis lumen sustulerunt? in hos inferni vultures habent potestatem.

133. Castitas iuvat homines ad sapientiam acquirendam. Contra vero, puritas et castitas iuvant homines ad sapientiam acquirendam, et vicissim cælestis sapientia, instar solis nebulas animæ tollit, et serenum lumen illi infundit. Iacobi 3. 17. *Quæ desursum est sapientia, primum pudica est.* Hinc sapientia simul cum castitate apparuerunt in somnis S. Gregor. Naz. eumque complectentes dixerunt: *Ne moleste accipias iuvenis, notæ tibi et familiares sumus; altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur: et missæ sumus a Domino tecum habitare: quia iucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti*, ut habet Ruffin. in prologo apolog. Pro *pudica*, Græc. est, ἁγνὴ id est, pura, immaculata, casta, intemerata instar agni. De virginitate, et sapientia S. Agnetis vide S. Ambros. tom. 4. tract. de virginibus, ad Marcellinam sororem, lib. 1. paulo post initium: ac præsertim tom. 5. epist. 34. ad virgines sacras. S. August. lib. de vera Religione, dicit, Platonem semper fuisse continentem ob sapientiæ studium. Academiam ille sitam in loco morbido, et ea de causa apto ad libidinem reprimendam, sibi delegit ad docendum. Laertius dicit eius monitum fuisse: *Venerem exhorrescite Musæ.* Hinc Musæ vocantur Camœnæ quasi castæ mentes. Venus amorum, gratiarum, pulchritudinis, deliciarum voluptatumque omnium dea, sic appellata est, ut Tull. 2. de nat. deorum, quod ad omnes res veniat. Vigilantia opus est, ne venenum illud irrepat: alii deducunt a νε particula privativa et νοῦς, id est, *mens* q. d. sine mente, sine ratione, et intelligentia. Varro deducit a viendo, hoc est ligando et vinciendo, quia ligat rationem, mentem et voluntatem amantis. S. Hieron. contra Iovinian. et Lactantius lib. 1. divin. institut. dicunt, Sibillas sapientissimas fuisse virgines, imo ob virginitatem adeptas esse donum prophetiæ. Verba S. Hieronym. sunt lib. 1. in Iovin. *Sibillarum insigne virginitas est, et virginitatis præmium divinatio.* Tertull. lib. de pudicitia cap. 1. castimoniam vocat *fundamentum sanctitatis, præiudicium omnis bonæ mentis.*

Sponsæ sunt oculi columbæ. Sponsæ Christi, qui est æterna sapientia, castæ sunt et sapientes. Cant. 1. 14. ait ipse Sponsus: *Oculi tui columbarum*, id est simplices, puri, casti, innocentes, perspicaces. Ut enim ait S. Gregor. Nyss. hom. 4. oculi columbæ sunt pellucidi, et habent vim speculi. Ideo S. Bernard. serm. 45. per eos accipit intuitum spiritualem. Neque in oculis tantum, sed in toto corpore et animo casta est sponsa Christi. Unde ait cap. 5. 2. *Amica mea.* Castitas est, et vocatur angelica. Tertull. lib. 1. ad uxorem cap. 4. ait, castos de familia angelica deputari. S. Chrysologus serm. 143. Semper est Angelis cognata virginitas.

ARTICULUS III.

Peccatores obstinati in camo et fræno ad Deum revocandi sunt.

Cum peccator similem se equis et mulis, quibus non est 134.
intellectus, effecerit, et a Creatore suo sese subduxe- Vers 9.
rit, nec sit spes revocari posse ratione, qua caret, fræ- 2. Pars.
no opus esse monet David Deum orans, v. 9. IN CAMO ET FRÆNO MAXILLAS EORUM CONSTRINGE: QUI NON APPROXIMANT AD TE. Pro *qui non* Hebr. est בַּל *bal*, id est, non, ne, neutiquam, nequaquam. Hinc varii varie vertunt. Primo, Felix, *In camo et fræno maxillas eius ut constringas, ne appropinquet ad te:* Ne scilicet tibi noceat, aut in te peccet. Sed hic sensus non est commodus. Secundo, Vatab. *Quorum maxillas lupato ac fræno nisi constringas, tibi non appropinquant.* Tertio, noster clare vertit: *Qui non approximant ad te.* Sæpe enim apud Hebræos subintelligitur relativum אשר *ascer*, id est, *qui*. S. Hieron. etiam habet, *qui non accedunt ad te.*

Nota Secundo, pro *maxillas eius* Hebr. est, עדיו *edio*, in singulari, quod significat Primo ornamentum eius. *Adi* enim seu *edi* deducitur ab odo orno, decoro. Unde Chald. vertit: *In camo et fræno erit ornatus eorum, ut constringantur simul, ne accedant ad te.* Ornatus atque aurum fræna sunt, quæ retinent, sed retinendo læduut. Secundo, *edio*, id est, *os eius*, ita Pagn. et forsan, ut ait Mercerus, et Cavallerius, ea oris pars, qua cibus transit in stomachum, sic dicitur œsophagus. *Ada* enim significat etiam transire: unde ὁδὸς, id est via, per quam transitur. Tertio denique, *edio*, id est, *maxillam eius*: ita Arias, Felix, Muisius, et alii. Noster, S. Hieron. Vatabl. in plurali ponunt maxillas eorum. Unde Bellarm. coniicit puncta fuisse mutata. Sed non est necesse, tum quia Hebræi sæpe ponunt numerum singularem pro plurali, tum quia non potest una maxilla constringi, quin alia constringatur. An *adi* seu *edi* os, maxilla sit latinum *edo*, id est manduco.

Nota tertio, pro *constringe* Hebr. est לבלום *liblom*: id est, ad constringendum, seu constringere. Sed est enallage modorum apud Hebræos frequentissima. Itaque Noster, S. Hieron. Sept. et alii clare vertunt *constringe.* Pagnin. *obturo*, id est capistro vel fiscella claude. Caietan. vertit, ad claudendum. Arias ad epistomio claudendum. Est autem epistomium, obturamentum seu præpedimentum, quo alieni homini, aut rei os obstruitur, græco στόμα, id est, os.

Quæres, Quid est camus? Respond. Primo censet Eu- 135.
thymius, camum et frænum esse omnino synonima. Favet Camus et frænum an et quomodo differant.
Psalterium Ambrosianum S. August. Cassiodorus, cum
inverse ponant, *in fræno et camo.* Secundo, Cassiodorus,
ait *frænum* esse equi, ut dictum a *fero*, equus enim olim
ferus dicebatur: camum vero muli. Sed dictum erat, *si-* 1.
cut equus et mulus, prius nominando equum: dicitur vero, 2.
in camo et fræno, prius nominando camum. Deinde camum etiam ad equum pertinere posse patet ex Polluce lib. 10. cum ait: *In equis solitariis opus est sago, ephippio,*
camo, fræno, phaleris aureis, ocularibus, calcaribus. Ter- 3.
tio, camum esse duriorem censent Aiguanus, Richardus Pampolit. Palanterius, et alii. Vatablus vertit, *in lupato.* Est autem lupatum, seu lupus, frænum asperrimum: sic appellatur, ut placet Servio a lupinis dentibus, qui inæquales sunt: unde et eorum morsus vehementer obest, et vel ferocissimos equos continet. Ovidius l. 1. amor. eleg. 2. *Asper equus duris confunditur ore lupatis.* Suidas et Hesychius dicunt camum esse speciem fræni. Xenophon item de re equestr. *Camus*, inquit, *respirare quidem non*

prohibet, mordere autem non sinit. Et vero Mercerus vult מתג *metheg*, quod per κημον Septuaginta verterunt, proprie significare lupatum, quod ori equi inseritur: רסן *resen* autem, quod χαλινον vertunt, esse lorum seu habenam, qua lupatum alligatum est ad aures usque et maxillas equi. Hinc gallica vox *resne* deduci videtur. Sic camus esset idem quod Chiloter: ferrum scilicet, quod in os equi inditur, ut quidam volunt: vel, ut Suidas, Chiloter est capistrum a capite suspensum, in quo cibus ponitur.

4 et optime. Quarto tamen, et melius Bellarminus, Caietanus, Ugo, et alii censent, camum esse leviorem fræno. Hinc Caietanus vertit *in lora*, Bellarminus capistrum interpretatur. Est autem capistrum, Primo, capitis vinculum, quod equis atque eiusmodi animalibus imponitur, ne fugiant, a capite sic dictum. Secundo, capistrum est involucrum illud, quod circa os brutorum involvitur, ne cibos decerpant. *Camus* itaque dici poterit primo funis seu capistrum et retinaculum, quo equi similesve bestiæ ligantur, *La bride, le licol*. Secundo, *camus* est illud instrumentum instar sacculi, in quo cibus illis datur, ut calefactus eorum halitu melius digeratur; eodem sacco impediuntur, ne segetes aut alia carpant. Hesychius: *Camus*, inquit, *qui equis circumponitur, in quo hordeum iacitur.* Eustathius quoque: *Fistulati cami*, ait, *habuerunt adiuncta tintinnabula, quibus inspirantes equi sonitum tibiarum ediderunt.* Nunc videmus camis mulorum addi tintinnabula. Divites peccatores sunt muli resonantes et bene ornati. Avari, sunt muli camo aurato conclusi, ne comedant.

136. Quid per maxillas intelligitur? Quæres secundo: Quid per camum et frænum atque per maxillas iis constringendas intelligitur?

Respondeo primo, maxillæ sunt, Primo iactantia meritorum, et silentium peccatorum: ita S. Augustin. *Per maxillas os movetur ut loquatur, recte iactantia de meritis significatur.* Secundo, maxillæ peccatoris, qui est instar equi superbientis, et muli cerebrosi et obstinati, sunt superbia et contumacia: ita Thomas Anglicus. Tertio, maxillæ peccatoris, qui est similis equo et mulo, qui sunt sine intellectu, sunt superbia et stoliditas: ita Innocentius. Quarto denique, maxillæ peccatoris duæ, superior scilicet atque inferior, possunt dici superbia et gula, quæ sunt constringendæ.

137. Quid per camum et frænum? 1. Labores et afflictiones. Respondeo secundo, camus et frænum sunt, Primo labores, dolores, afflictiones, calamitates, tam parvæ quam magnæ: ita Dionysius, Agellius, Bellarminus, Palanter. S. Gregor. lib. 25. Moral. 22. Lyranus et alii. Camus est symbolum maioris tribulationis: frænum vero, minoris: ita Aiguanus, Palanter. Richardus Pamp. Contra vero, et melius camo minores tribulationes, fræno, maiores denotantur: ita Ugo Cardin. Hoc afflictionum et ærumnarum fræno circumagit Deus peccatores rebelles, 4. Regum 19. vers. 28. de Sennacherib Rege Assyriorum Iudæam invadente, et blasphemias in Deum iactante, sibique urbis Ierosolymitanæ et templi spolia promittente dicitur: *Insanisti* (blasphemi sunt insani) *in me, et superbia tua ascendit in aures meas; ponam itaque circulum in naribus tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti.* De Pharaone Rege Ægypti domando a Nabuchodonosore magno Babylonis et Asiæ Monarcha post vastationem Tyri, quam annis tredecim obsederat, habetur Ezec. 29. v. 3. *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti* (Pharao erat commune nomen regum Ægypti) *draco magne* (alludit ad crocodilum, qui est aliquando octodecim cubitorum, ut ait Plinius lib. 8. cap. 25.) *qui cubas in medio fluminum tuorum* (id est, rivorum Nili) *et dicis: Meus est fluvius, et ego feci memetipsum. Et* (hoc est, ideo) *ponam frænum in maxillis tuis* (Chaldæus atque Vatablus, ponam hamum in ore tuo. Alludit ad quosdam, quibus crocodili non nocebant, ut alias dixi, quique eorum dorsis insidentes velut in equo, frænum etiam addebant, ut quaque vellent, eos ducerent) *et agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis*, id est subditos tuos, ut tecum pereant: *et extraham te de medio fluminum tuorum.* Eodem loquendi modo utitur etiam Deus apud eumdem Ezech. cap. 38. vers. 4. agens contra Gog, id est contra

A Antichristum, ut explicat Lyranus et Vatablus, ac Paulus Burgensis. Vel potius, contra ducem primarium exercitus Antichristi, Magog autem est eius exercitus, ut vult Bellarminus lib. 3. de Pontifice, cap. 17. et Gregorius de Valentia. De omni Ecclesiæ persecutore intelligit S. Augustinus lib. 20. de civitate, cap. 11. Contra Gog igitur dicit Deus: *Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch et Thubal* (id est contra principem capitalem sive supremum regnorum Mosoch; id est Cappadociæ seu potius Moscoviæ: et Thubal, id est Iberiæ aquilonaris prope Pontum. Est Synecdoche, id est princeps summus regionum omnium Septentrionalium) *et circumagam te, et ponam frænum in maxillis tuis*, etc. Nota obiter, fræno circumactum vides Pharaonem regem Meridionalem, Sennacherib regem Orientalem, Gog regem Septemtrionalem, solus Occidens liber est, quia humilitas servitutem nescit, exaltat enim et supra hostes elevat, ac Deo amicum facit. Alluditur porro ad morem barbarum victorum aliquorum in Ægypto et Asia, qui victos instar bestiarum frænabant. De Ægypto seu Persis id refert Herodotus in Thalia. Cambyses domitor Ægypti, ante oculos Psammeniti regis, misit filium eius cum duobus millibus Ægyptiorum æqualis ætatis vinctas fune cervices, και στοματα εγκεχαλινωμενους, *et frænata ora habentibus.* Ad necem eos omnes duci iubebat. Erat porro Cambyses rex Persarum: an illum morem ex Perside, an ex Ægypto traxerit, an ex utraque, incertum est. Plutarchus eumdem morem refert in Cleomene Spartanorum rege: *Ut hi scilicet, de quibus sumendum esset supplicium, cervices fune innexas tenerent, et frænata ora.*

138. Ita peccator constringitur. Hoc frænum et camus tribulationis constringit peccatores, Primo, ut loquacitatem et iactantiam abiiciant: ita S. August. Remigius, S. Thomas, et alii. Verba August. sunt: *Equus et mulus vis esse, vis non habere sessorem: constringetur os tuum, et maxillæ tuæ in fræno et chamo. Ipsum os tuum confringetur, quo iactas merita tua, et taces peccata tua.* Ruffinum etiam audiamus: *Nolite*, inquit, *fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Equus superbos significat et luxuriosos; Mulus autem, pigros et infæcundos. Tales sunt homines huius sæculi: in elatione se erigunt, carnalibus voluptatibus deserviunt: nullum animæ fructum faciunt. Et dum solis terrenis inhærent, bestialiter viventes sicut equus et mulus, intellectum de cælestibus non habent. Qualiter tractandi sunt tales, sequitur, et dicit: In chamo et fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Duris disciplinæ vinculis debent coerceri, crebris verberibus ora iactantia reprimi: quia prave et indomite vivunt, effrænate loquuntur: Deum fugiunt, in mortem currunt. De talibus non est mirum, si adhibito fræno flagella sequuntur. Unde subditur: Multa flagella peccatoris.* Secundo, *constringuntur* a Deo peccatores, ut vagi et errabundi, et inter lupos in avils et sylvis periclitantes ad heri sui domum revocentur. Tertio, *constringuntur*, ut amplius non discedant sine iussu et voluntate heri sui ac domini, et gubernatoris. Quarto, *constringuntur*, ut viam incant, ad quam ducantur, et inde

D non aberrent. *Ut sequantur te per viam pœnitentiæ*, ait Ugo. Quinto denique, ut ad vitam æternam ducantur, nec desinant ad eam pergere, donec felicem metam attigerint. S. Gregor. 25. Mor. 22. *Potest*, inquit, *in catenis et funibus paupertatis pœna etiam temporalis afflictionis intelligi: quia sæpe, qui iubentis verba non audiunt, ferientis verberibus admonentur, ut ad bona æterna saltem pœnæ trahant, quos præmia non invitant. Unde per Prophetam dicitur: in chamo, etc* Ubi obiter adverte S. Gregor. S. Aug. et plerosque alios scribere chamum cum h, melius tamen scribi sine illo. Nam κημος, id est camus, scribitur per cappa non per chi.

Secundo, *camus et frænum*, quibus homines in officio continentur, et ad illud revocantur, sunt leges, quas reges et principes subditis suis ponunt: ita Caietan. Reges enim et populorum moderatores sunt instar equitum aut mulionum, qui equis suis aut mulis insident. Elisæus 4. Reg. 2. 12. Eliam vocat aurigam Israel, id est modere- II. Leges.

torem, ducem, et principem. Exclamavit autem, cum in cælum Elias curru igneo raperetur: *Pater mi, pater mi, currus Israel, et auriga eius.* Sept. et eques eius. Hebr. et equites eius, q. d. unus eras instar omnium. De Dario Medo, et Cyro obsidentibus atque capientibus Babylonem habetur Isaiæ 21. 7. *Vidit* (speculator) *currum duorum equitum*, (id est exercitum unum Darii et Cyri) *ascensorem asini, et ascensorem cameli*. Ascensor cameli erat Darius, quia Medi camelis utebantur, erantque illustres tunc et potentes. Ascensor asini erat Cyrus, quia Persæ tunc erant ignobiles. Euseb. lib. 9. Præparation. Evangelicæ cap. ultim. docet ex Alphæo et ex Chaldæorum historiis, quod Nabuchodonosor enthusiasmo correptus prædixit: *Veniet Persa Semiasinus, qui vobis iugum servitutis imponet.* Cyrus dicitur semiasinus, id est mulus: quia matrem habuit Mandanem Astyagis Medorum regis filiam, et patrem Cambysem Persam obscuri generis. Itaque erat natus velut ex equa nobili, et asino despicabili. David noster victis Philisthæis leges posuit, et frænum tributi. 2. Reg. 8. 1. *Percussit David Philisthiim, et humiliavit eos: et tulit David frænum tributi de manu Philisthiim.* Methegamma, quod noster vertit frænum tributi, erat urbs Geth, una ex quinque præcipuis Philisthinorum urbibus: in confinio Iudææ et Palæstinæ sita, erat frænum quo Philisthini Iudæam frænabant: a Davide capta, frænum fuit, quo constringerentur ipsi, et tributum solvere cogerentur, et legibus victoris obtemperare. Satius est ut Christi frænum et iugum suave suscipiamus, atque cum eo vincamus, et coronemur. Apocal. 6. 2. *Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.* Christus insidet Apostolis, per quos unam provinciam vincit, ut alias deinde vincat. Non desistet enim, donec Evangelium decurrerit et superaverit totum orbem.

139. III. Prædicationes et exhortationes. Tertio, *camus et frænum*, quibus peccatores, qui non approximant ad Deum, constringuntur, et ad ipsum adducuntur, sunt prædicationes, exhortationes, reprehensiones, consilia, commonitiones, collocutiones spirituales, instructiones: ita S. Hieron. Didymus, et alii. Hieron. audi: *Rogat Ecclesia Deum Patrem, ut per frænum, id est prædicationem, populum Gentilem quos equos nominavit, de lata via et spatiosa sæculi huius, faciat ad se appropiaquare: et populum Iudaicum, quos mulos nominavit, qui piger est ad Deum credendum: per camum, id est contritionem cordis, faciat ad se venire.* Didymus non facit mentionem contritionis; ait enim: Propheta Deum alloquitur dicens eos, qui equi propter libidinem, et muli propter duritiem oris facti sunt, in fræno, hoc est in sermone tuo: et in camo, hoc est convenienti adhortatione, cohibeto: et maxillas eorum constringe, domans et trahens fræno tuo, ut illos iugo tuo submittas: ita Didymus. Ipse quoque S. Hieron. illud Ezech. 38. 4. Circumagam te, et ponam frænum in maxillis tuis, explicans ait: *Primum a sententia tua fluctuare te faciam, atque converti: et ponam frænum in maxillis tuis, de quo scriptum est: In chamo et fræno, etc. Ut indomitus equus atque lasciviens, et corruens per præcipitia fræno Domini subiugetur; ad quem Propheta* (Habacuc) *dicit cap. 3. 8. Ascende super equos tuos, et equitatio tua salus. Et ad Iob per nubem et turbinem dicitur, c. 39. 19. Tu circumdedisti equo fortitudinem. Tales erant equi et equites, quorum multitudinem Ioannes vidit in cælo.* Iure exclamat Aloysius de S. Severino in catena: Felix voluntas, quæ tali fræno moderatur: tunc enim, quæ alias ruebat in præceps, rectum iter incedit. Perambulent mali vias suas, et eant in adinventionibus suis. Iter eorum spatiosum, sed finis est interitus. Nos contra, Dominum invocemus, et dicamus: Cohibe, coerce, constringe voluntatem nostram, ut in tua sit. Equus iste non currat in desideriis suis, sed circumductus auxilio tuo perambulet in præceptis tuis, et currat in illis iuxta Prophetæ dictum: Viam mandatorum tuorum cucurri: ita ipse. Sancti catenis aureis, id est adhortatione ad charitatem et amoris verbis, a Christo vero Hercule Gallico rapiuntur. Peccatores frænis ferreis indigent, in iis enim prævalet natura animalis, et rationem excutit. Virgilius tribuit Lapithis fræni inventionem, Pindarus Bellerophonti, Sophocles Neptuno, Pelethronio Plinius, Centauris Palephatus: *Ante illos*, inquit, μη ηπιςαντο εφ' ιππων οχεισθαι, *nesciebant mortales in equis sedere, sed curribus solum utebantur.* Ælianus lib. 9. histor. variæ, cap. 16. arbitratur Italum quemdam Marem nomine, primum fuisse fræni inventorem: unde biformis sit creditus: in anteriori scilicet parte, homo: in posteriori, equus. Christus natura divina et humana constans frænum e cælo attulit, eoque homines infrænavit, ut illos secum ad cælum duceret. Ps. 32. v. 19. *Ut eruat a morte animas eorum.* Prius in toto pene mundo erat frænum erroris, sed Christus illud confregit et abstulit suo adventu, et Apostolorum prædicatione. Isaiæ 30. v. 28. *Spiritus Domini velut torrens inundans usque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum* (per sui cognitionem eas humiliando, et perdendo gentilismum) *et frænum erroris, quod erat in maxillis populorum*, credentium et laudantium vana idola, quæ prædicatio destruxit, de qua hunc locum exponit S. Cyrillus et Procopius.

Quarto, *camus et frænum*, quo homines ad Deum revocantur, et cum eo retinentur sunt virtutes: ita Remigius, Iacobus de Valentia, S. Thom. Thomas Anglicus, et alii. 140. IV. Virtutes. Primo, camus, et frænum est contritio et confessio a peccatis revocans et ad Deum convertens: ita Remigius. Contritio. *Domine*, ait, *qui malunt esse equi et muli, quam tibi approximare, in camo et fræno, id est in magna refrænatione et magna contritione maxillas eorum constringe, id est, superbam vocem eorum comprime. Discant non iactare merita, sed tibi per humilitatem confiteri peccata.* Secundo, camus et frænum est abstinentia et ieiunium: ita Thom. Ieiunium. Anglicus. A Deo autem optat maxillas constringi, id est, ut ait S. Thomas, subtrahi cibos, quibus peccator utitur ad voracitatem. Cassiodorus: *Maxillæ adminicula sunt animalium, quibus esca manditur, ut corporis vita procuretur. Ipsas ergo maxillas per figuram allegoricam dicit inobedientibus debere constringi: id est copias victuales parcius dari: ut ieiuniorum necessitate creatoris subdantur imperio.* Tertio, camus et frænum optimum, est silentium. Silentium. Labiorum quædam partes vocantur χαλινοι, id est, fræna, a Polluce lib. 2. Dentes etiam a Nicandro in Theriacis appellantur χαλινοι. Sunt enim labia et dentes retinacula sermonis. Vide Ps. 38. v. 1. Quarto, camus et frænum est amor crucis, hic enim ab omni voluptate avocat, et Christo configit cruci, ut in se expertus erat S. Paulus, S. Franciscus, S. Ignatius, et alii. Mortificatio. Zachariæ 14. v. 20. *In illa die erit, quod super frænum equi est sanctum Domino.* Id est, Machabæi victores et Principes Christiani dedicabunt Deo spolia ab hostibus rapta, et præsertim phaleras et ornamenta equorum. S. Ambrosius hoc applicat fræno Constantini Imperatoris facto ex duobus Christi clavis, tertio diadema Regium compactum est, quartum in mare deiectum illud pacatum fecit. Ait itaque sanctus hic Pater: *Recte in capite clavus: ut ubi sensus est, ibi præsidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoque de cruce, ut potestas regat: sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio.* Ac postea: *Quare sanctum super frænum, nisi ut Imperatorum insolentiam refrænaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quod liceret illis adulteria impune committere? Quæ Neronum, quæ Caligularum cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frænum? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut fræna dirigeret, nisi ut omnibus Imperatoribus sancto dicere spiritu videretur. Nolite fieri sicut equus et mulus, sed in fræna et camo maxillas eorum constringeret, qui se non cognoscerent reges, ut regerent sibi subditos? Prona enim potestas in vitium ferebatur, et more pecudum vaga sese libidine polluebant.* Quinto, camus et frænum ad Deum revocans et eum eo retinens est, omne sacramentum et omnis virtus. Omnis virtus. Iacobus de Valentia in Psalmum nostrum: Sicut, inquit, diabolus equitat super duas bestias: nempe super mundum et carnem, ad pu-

gnandum contra hominem: Ita Christus contulit nobis frænum ad compescendum equum scilicet mundum: et camum ad ligandum mulum, scilicet carnem. Unde, *frænum compescens mundum, est humilitas et mansuetudo contra iram, et odium, et contra avaritiam. Sed chamus ad ligandum carnem, est castitas et sobrietas.* Et finaliter ad compescendas et ligandas omnes istas bestias, dedit nobis Christus omnes virtutes cardinales et theologales, et omnia septem dona Spiritus sancti. Et ad sanandos morsus et vulnera istarum bestiarum contulit nobis septem Ecclesiastica sacramenta, quæ omnia continentur in lege Evangelica, quæ prohibet omne vitium, et consulit et mandat omnem virtutem: ita Valentia.

141. V. Quinto denique, camus et frænum, quibus ad Deum trahimur, et ab eo retinemur, sunt omnia eius beneficia. Hæc enim sunt vincula charitatis. Deus ait Is. 48. v. 9. *Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrænabo te, ne intereas.* Id est, ut ait S. Thomas et Haymo, cum te populum meum Israel e captivitate Babylonica revocavero, frænum tibi legis et religionis meæ iniiciam, et efficiam, ut me laudes in templo meo, in eoque delecteris et retinearis, ut servias mihi. Cornelius vero ad rem nostram adhuc aptius ait, quod laus hæc, qua Deus infrænavit Iudæos, fuit Dei in ipsos indulgentia et misericordia, sive ipsa Dei in eos beneficia. Nihil enim Principem, et magis Deum ita commendat, et laudabilem facit, atque clementia et beneficentia, quæ Regum et Principum propria est virtus: quæque subditos frænat, et cogit eos amare, iisque obsequi. S. Bernard, serm. 11. in Cant. *Ne,* inquit, *nimio peccatorum tristitia cum Cain desperes, et quasi equus effrænis in præceps ruas, fræno te inhibebo indulgentiæ meæ, et meis laudibus te erigam: respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me esse benigniorem quam te culpabiliorem invenies.*

Denique beneficia Dei, sunt camus et frænum.

Vers 10 1. Pars. Cum camus et frænum non sufficiunt, Deus adhibet flagellum. Hinc pergit David, vers. 10. MULTA FLAGELLA PECCATORIS (supple sunt) SPERANTEM AUTEM IN DOMINO MISERICORDIA CIRCUMDABIT. Pro *flagella* Hebr. habetur מַכְאוֹבִים *macobim*, id est, dolores, cruciatus. Hinc Chald. Syr. Arabs, Felix, et alii vertunt, *multi dolores impio.* Deus enim ita eum flagellat, et tamdiu, ac toties, ut sentiat. Albertus Magnus 22. de anim. dicit, quod asinus est pellis duræ, et ideo verberibus afflictus vix ab eo discedit, quod desiderat: et ad hoc cooperatur eius complexio terrestris; ita terrenorum amans peccator nonnisi duris verberibus cogitur od officium, sed Deus illi non deest, ut experientia docet, ac Salomon docet Proverb. 26. 3. *Flagellum equo, et camus asino* (Septuaginta, Chaldæus et Syrus, *stimulus asino.* In Syria et Palæstina asini erant vivaces et generosi, unde in iis equitabant seu asinabant filii Principum, Iudic. 12. 14.) *et virga in dorso insipientium.* Lucifer Calaritan. vertit, genti insipienti, q. d. sicut flagello et fræno reguntur equi et asini: ita insipientes verberibus. Beda per equum ibi superbum intelligit: per asinum vero, luxuriosum. Et sic ait: *Necesse est, ut per divinum flagellum elatio humilietur superborum, ut per infirmitatem carnis velut per camum cohibeatur voluntas lubricorum: ut qui sponte converti nolunt, coacti flagellis convertantur a vitiis, sicut ait Propheta: In camo et fræno,* etc. Seneca dicebat, nobilis equus umbra virgæ regitur, ignavus nec calcaribus concitatur. Dicit etiam Salomon cap. 33. 25. *Cibaria* (Syrus pabulum) *et virga, et onus asino: panis, et disciplina* (Tigur. castigatio) *et opus servo,* ei scilicet, qui est servili, duro ac rebelli ingenio, q. d. convenit servum nutrire, castigare, et multo labore exercere, ne otio torpescat, et vitia contrahat. Flagellatio supplicium servile fuit apud Ro-

142. manos, ut docet Baronius tom. 1.

Nota secundo, pro *multa,* Hebraice est רַבִּים *rabbim,* quod significat multa et magna; Deus enim extento brachio impios parentit. Hoc patuit in Pharaone et Ægyptiis, qui multis, magnis et variis plagis percussi sunt, Exod. 7. et seq. Hoc in Israelitis, dum per quadraginta annos versati sunt in deserto Arabiæ, ac per 400. circiter annos tempore Iudicum, id est, Principum eos regentium, et per annos 485. tempore Regum 22. Apollin. vertit, παντοδαπαὶ μάστιγες, *varia flagella,* varietas et novitas magis animum ferit: sed multitudo obruit. Campensis reddit, *mala plurima manent impium.* Et quidem ex omni parte, et quocumque se vertat, flagella reperiat et stimulos. Vatablus hæc iungens sequentibus, habet: *Multi dolores impium circumdabunt.* Dicimus ut vel uno ictu totum peccatorem circumcingat et complectatur; quid vero efficient flagella multiplicata? Contra vero de iustis dicitur Sapient. 3. 5. *In paucis vexati* (ὀλίγα παιδευθέντες, id est, in exiguis castigati) *in multis bene disponentur,* μεγάλα εὐεργετηθήσονται, hoc est, multis beneficiis et felicitatibus afficientur, ut vertit interpres Clementis Alexandr. lib. 4. Stromatum. Syrus reddit, exiguum probavit eos, et multum hæreditabunt. Dices, per multas tribulationes intrandum esse in regnum cælorum. Resp. primo, Sedulius et Hibern. flagella a tribulationibus secernit. Sic enim in epist. ad Romanos: *Tribulatio,* inquit, *sanctorum proprie est, impiorum vero et iniustorum flagella appellantur. Denique in Psalmo sic dicit: Multæ tribulationes iustorum. De iustis autem ait: Multa flagella peccatorum. Spes autem non confundit. Spes futurorum omnem confusionem expellit. Unde probatur non habere fidem, qui in præceptis confunditur. Spes non confundit, dum stulti non et hebetes a perfidis iudicamur.* Respondeo secundo, multas esse tribulationes et flagella etiam iustorum, sed ab iis non lædi, quia misericordia Dei velut lorica et muro circumdantur. Olim Artaxerxes Persarum rex non homines, sed eorum vestes flagellari iubebat: hoc facit Deus in sanctis. Corpus est animæ vestis. Dicebat Anaxarchus crucianti se tyranno: tundis Anaxarchi folleın, Anaxarchum non tangis. Diogenes et sanctus Simeon Sales, id est, stultus, sed sapientibus sapientior, statuas flagellabant, nec sentiebant, ut virorum fortium pectus inconcussum denotarent. Dat Deus Ezechieli prophetæ faciem et frontem adamantinam, et ut silicem, Ezech. 3. 9. Fecit Martyres suos capite aureo per charitatem, pectore et brachiis argenteis per prædicationem et innocentem operationem, ventre et femoribus ex ære per mortificationem passionum et contemptum deliciarum, tibiis ferreis per constantem fortitudinem, in pedibus exiguam terram relinquens, ut in pulverem suum, sed sine dolore redire possent. Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Actor. 5. 41. Flagellati enim fuerant. Psal. 70. 20. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas* (pro *malas,* Symmachus vertit κακώσεις id est, afflictiones, vexationes) *et convertens vivificasti me, et de abyssis terræ* (ne terræ te immergas: abyssus est, fundo caret) *iterum reduxisti me.* Alii, ascendere fecisti me. Qui se humiliat, exaltabitur. *Multiplicasti magnificentiam tuam.* Complut. habent, multiplicasti super me magnificentiam tuam, mihi scilicet opem præstando in mea afflictione. Opem suam semper dat servis suis Deus; sed illam multiplicat secundum multitudinem et magnitudinem dolorum, et mortificando vivificat alumnos suos et liberos.

Deus plagis multis et magnis peccatores percutit.

Nota tertio, pro *peccator* Hebr. est רָשָׁע *rascio,* id est, primo, impius, et sic vertit Caiet. Muisius, Pagn. Arias, Vatabl. et alii. Secundo, eomdemnatus. Tertio, pavidus, tremens. Et sub flagellis et præ timore flagellorum tremit sceleratus. Si vel folia, id est, bona terrena, vento agitentur et flagellentur, totus inhorrescit et concutitur. Quarto, *rascia,* id est, inquietus, qui uno loco non stat, sed volvitur ac roboratur sicut turbo scutica et flagellis puerorum verberatus, in circulu ambulat, circumagitur, fluctuat et concidit. De peccatore non confitente, sed defendente peccata exponit Beda; 2. de eo, qui in peccatis perseverat, Remig. 3. de obstinato, Beda. Sentit flagella, dentibus suis fremit et tabescit; sed causam non attendens vitia non deponit, ideo semper flagellatur, ut mancipium contumax et malus cerebrosus et petulans. Psal. 31. 15. de se in peccatis perstante David ait: *Con-* 143.

Peccator Hebr. vocatur rascia, et cur?

gregato sunt super me (viribus meis maiora) *flagello, et ignoravi*. S. Hieron. *collecti sunt adversum me percutientes* (Deus scilicet, homines, dæmones) *et nesciebam*. Carebat enim tunc intellectu, itaque scientiam et sapientiam habere non poterat. Vide dicta Ps. 2. 9.

144. Flagella peccatoris sunt varia.

Quæres, quænam sunt illa flagella peccatoris? Resp. Innocentius: *Multa*, ait, *dicuntur flagella peccatorum*, 1. *quia et in carne flagellantur exterius, et in mente flagellantur interius; 2. flagellantur in vita præsenti, et flagellantur in vita futura; 3. flagellantur ex culpa, et flagellantur ex pœna; 4. flagellantur a Deo, flagellantur ab homine; 5. flagellantur a mundo, et flagellantur a dæmone. Nec posset quisquam per singula enumerare peccatorum flagella.* A seipsis enim innumeris modis flagellantur. Iob. 20. 22. de impio dicitur: *Omnis dolor irruet super eum.*

145. I. Flagellatur a Deo. Christus fecit flagellum de funiculis.

Primo itaque Deus flagellat impios. Christus initio suæ prædicationis, ex urbe Capharnao profectus, instante Paschate, ascendit Ierosolymam, ibique vendentes et ementes in templo eiecit, *cum fecisset*, ut ait Ioan. 2. 15. *quasi flagellum de funiculis*. Secundo, iterum eos expulit anno quarto et ultimo suæ prædicationis. Vixit enim annos triginta tres cum tribus circiter mensibus, prædicavit per annos tres circiter. Nam baptizatus est a S. Ioanne anno ætatis suæ trigesimo cum tredecim diebus, quo die post nativitatem fuerat a Magis adoratus, deinde mansit per quadraginta dies in deserto, postea Discipulos collegit, et concionatus est. Nec fit mentio concionum publicarum ante ascensum in templum, voluit enim incipere a domo Domini, cuius zelo comedebatur, et inde eiicere illos nundinatores. Deinde in Paschate quarto, et initio quarti anni prædicationis postridie Dominicæ Palmarum, qua urbem triumphans ingressus fuerat, templum adiit, ex eoque vendentes et ementes, eiecit, Matth. 21. 12. Ut per zelum iustitiæ inchoaret et finiret prædicationem, atque ostenderet et in principio et in fine sceleratos esse puniendos. Deut. 28. 19. *Maledictus eris ingrediens, et maledictus egrediens.* Et v. 22. *Percutiat te Dominus egestate, febri et frigore, ardore et æstu, et aere corrupto ac rubigine* (est vitium segetum) *et persequatur, donec pereas.* Vide plura ibi. Hebr. habetur, *percutiet*. Est enim Mosis prophetia, non imprecatio.

Varii peccatores flagellati.

Habes percussionem Luciferi ac deiectionem, Isaiæ 14. 10. Caini percussionem et tremorem ac vagationem, Gen. 4. 11. Orbis universi contritionem et submersionem, Gen. 7. Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Seboim, ac totius Pentapolis conflagrationem, cap. 18. et 19. Pharaonis et Ægypti varias et gravissimas plagas, Exod. 7. usque ad 15. Nabuchodonosoris regis Babylonis transmutationem in bovem, Dan. 4. 28. Antiochi regis Asiæ mortem miseram, 2. Machab. 9. 5. Herodis Agrippæ, qui fuit filius Aristobuli, filii Herodis Ascalonitæ, consumptionem a vermibus, Actor. 12. 23. Paralytico, qui post morbum 38. annorum sanatus fuerat Ierosolymis in piscina probatica, ait Christus Ioann. 5. 14. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* S. Cyrill. et S. Chrysost. notant inde manifestum fieri, morbos sæpe immitti ob peccata, et huic revera esse immissos. Chaianus sive Gaganus ob incensam S. Alexandri Ecclesiam, et Reliquias iniuriis affectas septem filios uno die amisit. Vide Baron. ann 600. n. 2.

146. II. Peccator flagellatur ab hominibus.

Secundo, ab hominibus impii flagellantur, et quidem scorpionibus, id est, flagellis aculeatis, et in summitate habentibus glandes plumbeas, ut Roboam se facturum iactitabat 3. Reg. 12. 14. Patuit hoc in Nabuchodonosoro Ierusalem et templum expilante et succendente, atque Sedeciam regem eius excæcante, cum prius filios coram ipso occidisset, 4. Reg. 25. In Phoca, qui occupato per tyrannidem imperio, Mauritium Imp. cepit, in eius oculis quatuor filios occidit, et postea ipsum. Pœna hæc erat, quod Mauritius captivos a Chaiano rege Avarum sive Hunnorum, vilissimo pretio redimere noluisset, nempe in singula capita quatuor dotis siliquis, ideoque essent occisi. Siliqua autem est minimi ponderis apud Romanos nomen, quod et a Græcis Ceration appellatur, scrupuli sextam partem, drachmæ vero decimam octavam conficiens. Sex itaque siliquæ conficiunt scrupulum. Scrupula autem tria, sive octodecim siliquæ, explent drachmam. Drachma porro Græcum nomen est, Latinoque nomine vocatur denarius, ut Budæus censet. Denarius vero æstimabatur quinque assibus Gallicis. Maior adhuc fuit barbaries Cambysis regis Persarum, qui Amasis regis Ægypti cadaver iussit verberibus cædi ac vellicari, et stimulis pungi, omni denique contumelia infestari, ut ait Herod. l. 3. Attila se Dei flagellum vocabat. Non vult tamen David incidere in manus hominum, melius enim est incidere immediate in manus Dei.

147. III. Flagellatur a dæmone.

Tertio, dæmon peccatorem frænat per tentationes et vitia, flagellat per dolores et plagas inflictas. De primo narratur in vita S. Euthymii Abb. Lauræ cap. 35. quod Maro et Clematius asperam et difficilem in Laura agendo vitam defessi, inter se convenerunt, ut illinc clanculum effugerent, et se noctu furtim surriperent. Sed S. Euthym. silenti et quiescenti visus est malignus, Maroni et Clematio frænum iniicere, et eos in laqueum trahere gravissimum. Statim eos ad se vocatos ad meliorem mentem revocavit, et ab importuna servitute eripuit. De secundo, nempe de flagellatione, refert Gaspar Rais fœminam in Indiis flagellatam fuisse a dæmone an. 1624. Deo id præcipiente dæmoni, ut iustitiæ divinæ ob peccata satisfaceret, quorum veniam ope Deiparæ impetraverat. Dæmon est *flagellum inundans*, cuius typus, nempe Nabuchodonosor sic vocatur Isa. 28. 15. Deus illud immittit, aut removet ad libitum. Hinc dæmon Saulem torquens appellatur spiritus Dei malignus 1. Reg. 16. 15. et 18. 10.

148. IV. Flagellatur a seipso.

Quarto, et gravissime, flagellatur peccator a seipso et sua conscientia. Leo sese ad iram excitans flagellat tergum suum. Plin. lib. 8. cap. 16. *In principio terram verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur.* Homo autem sive irascatur, sive tristetur, sive amet, aut ulla alia passione moveatur, seipsum cruciat in ipso corde: stimulo enim ac flagello conscientiæ agitantur impii, cum peccant, et præcipue post peccatum. Titelm. in Psal. nostr. Homines, ait, peccatores, tametsi florere videantur in hoc sæculo, multo tamen expectant flagella et tormenta varia eaque æterna, quibus cruciabuntur in sæculo futuro; atque etiam modo ex mala conscientia, veluti *perpetuum sustinent flagellum, pugionem ac stimulum*, et in omnibus obvenientibus necessitatibus atque adversis multum torqueri illos videmus, dum consolationem interiorem divinam nesciunt, propter quod etiam minima recula facile commoveantur, et vehementer affliguntur. Iuvenalis Satyra 13. sic conscientiæ stimulum ac flagellum describit:

Cur tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, et surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum:
Pœna autem vehemens, et multo grandior illis,
Quos et Cæditius gravis invenit et Rhadamantus
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

149. Deus per flagella vult emendare peccatores.

In hac vita finis omnium illorum flagellorum a Deo intentus est emendatio peccatoris. S. August. id docet hic: *Multa*, inquit, *flagella peccatorum. Non est mirum si adhibito fræno sequantur flagella. Indomitum enim animal esse cupiebat, domatur fræno et flagello, atque utinam perdometur. Verendum est enim, ne nimiam resistendo, indomitum redomitum relinqui mereatur, et ire in suam vagam licentiam, ut dicatur de illo Ps. 72. 7. Prodiit tamquam ex adipe iniquitas eorum, sicut de illis, quibus modo sunt impunita peccata. Ergo cum flagellatur, corrigatur: domatur, quia et iste sic se dixit indomitum: equum et mulam se dixerat, quoniam tacuit. Sed unde domitus est? Flagellis conversus sum, inquit, in ærumna mea, dum configitur spina. Sive flagella dicas, sive stimulos, domat Deus iumentum, cui insidet: quia iumento expedit, ut insideatur. Non enim defatigatur Deus ambulando pedibus, insidet iumento. Aut vero non plenum mysterii est, quod asellus adductus est Domino. Populus mitis et mansuetus bene portans Dominum asellus est, et tendit in Ierusalem. Diriget enim mites in iudicio,*

sicut dicit alius Psalmus: Docebit mansuetos vias suas. Ps. 24. 9. Quos mansuetos? Non erigentes cervices adversus dominatorem suum, patientes flagello et fræno: postea sic domiti, ut sine flagello ambulent, et sine fræno et chamo viam teneant. Si calcitraveris isto sessore, tu cades, non ille: quia multa flagella peccatoris. Ruffinus pene eadem habet.

In alia autem vita finis flagellorum est ipsa punitio, imo etiam aliquando in ista. S. Gaudentius Episcop. Brixianus, æqualis S. Ambrosii, præfation. ad Benivolum, ait, cruciatus vel ad probationem iustis contingere, vel ad emendationem peccatoribus, vel ad pœnam sacrilegis: docet propterea cum distinctione summa scribi in libro Psalmorum de pertinacibus quidem malis, Ps. 33. 22. *Mors peccatorum pessima;* de emendabilibus Ps. 31. 10. *Multa flagella peccatorum;* de Sanctis Ps. 33. 20. *Multæ tribulationes iustorum.*

150. Flagellati sunt: I. Natalius. Exempla si placet habere eorum, qui divinitus in ipso suo corpore sunt flagellati, aliquot afferam. Primo, anno Christi 207. Zephyrini Papæ V. Severi Imp. XIII. Natalius olim confessor, sed postea corruptus pecunia hæresim Theodati tuebatur, ideo ab Angelis flagellatus, ad mentem rediit. Euseb. lib. 5. cap. 27. rem sic narrat: *Cum Natalius se in illorum hæreticorum societatem dedisset, per visiones quasdam a Domino ad se demissas sæpe admonitus fuit. Deus enim misericors et Dominus noster Iesus Christus martyrem et testem suarum afflictionum extra Ecclesiam misere perire noluit. Sed quoniam primæ erat apud illos sedis Episcopalis appetitione tamquam homo inescatus, et turpi quæstu, qui multis affert perniciem, irretitus, et propterea tardius lentiusque Dei visionibus animum ottendit: tandem per integram noctem a sanctis Angelis flagris et verberibus usque adeo acerbe et graviter cæsus fuit, ut cum primo mane surgeret cilicio et sacco indutus, cineribus aspersus, magno cum tremore et lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abiiceret: et non modo ad cleri, sed laicorum etiam genua advolveretur: ita ut Christi misericordis Ecclesia illum magnopere commiserata, lamentis una se dederet. Attamen ille, licet multis precibus usus fuisset, et plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus fuit.*

II. S. Hieronymus. Secundo, notum est quid de S. Hieron. quidam dicant.

III. S. Laurentius. Tertio, Laurentius archiepiscopus Cantuar. a S. Petro flagellatus est, quod ex Anglia vellet discedere ad persecutionem fugiendam. Ea recognita Adelvaldus filius Edelberti, præter spem omnem Christianus effectus est. Beda lib. 2. hist. Anglicanæ, cap. 6. sic narrat: Cum, inquit, Laurentius Episcopus Mellitum Iustumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in ecclesia beatorum Apostolorum Petri et Pauli, de qua nos frequenter iam diximus, stratum parari. In quo cum post multas preces et lacrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset, atque obdormisset: apparuit ei beatissimus Apostolorum Princeps, *et multo illum tempore secretæ noctis flagellis acrioribus afficiens*, sciscitabatur Apostolica districtione, quare gregem, quem sibi ipse crediderat, relinqueret: vel cui pastorum oves Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro parvulis Christi, quos mihi in iudicium suæ dilectionis commendaverat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus et inimicis Christi, ipse cum Christo coronandus pertuli? His B. Petri flagellis simul et exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto, venit ad Regem, et retecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus ei ostendit. Qui multum miratus, et inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere: ut audivit, quia causa suæ salutis Episcopus ab Apostolo Christi tanta esset tormenta plagasque perpessus, extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, et baptizatus, Ecclesiæ rebus quantum valuit, in omnibus consulere et favere curavit. Misit etiam in Galliam, et revocavit Mellitum et Iustum, eosque ad suas Ecclesias libere instituendas redire præcepit: ita Beda.

Quarto, Baronius anno Christi 760. Pauli Papæ IV. Constant. Copronymi Imper. 20. refert flagellatum fuisse a S. Remigio Franciæ Apostolo, at huius urbis Rhemensis Archiep. Regem Pipinum. Hincmari verba sunt: Processu temporis Pipinus Rex, Caroli Magni pater, volens Episcopi Laudunensis villam, quæ Anisiacus, seu Anicinens dicitur, accipere quasi sub censu, sicut et alias quasdam fecerant: venit in ea manere. Ubi cum dormiret, venit ad eum S. Remigius dicens: Tu quid hic facis? Quare intrasti in hanc villam, quam mihi la devotior homo dedit: quamque ego Ecclesiæ Dominæ meæ sanctæ Dei Genitricis donavi? *et flagellavit eum satis duriter, ita ut livores postea in corpore eius apparerent.* Et cum disparuit S. Remigius, Pipinus valide correptus febre, quantocyus ab illa villa recessit, qua febre non parvo tempore laboravit. Et deinde Princeps regni usque ad moderna tempora ibi non mansit, uti nec in Codiciaco, vel Iuliaco, nisi Ludovicus Rex Germanorum, quando super fratrem suum Carolum regnum eius invasit, in Iuliaco mansit, et in die crastina turpiter ante ipsum fratrem fugiens vix evasit: ite Hincmarus in vita S. Remigii cap. 67. IV. Pipinus Rex.

Quinto, Erempertus in rebus gestis Longobardorum memorat Alexandrum Imperatorem ob blasphemiam a S. Petro percussum misere interiisse. Cum enim ille intuitus statuas deorum Roma Constantinopolim olim delatas, blasphemam eam vocem emisit: Heu quando istas colebant Romani, potentissimi et invicti perseverarunt! Iussitque eas serico operiri, tunc sequenti nocte per quietem vir aspectu lucidus ei apparens, severe admodum eum arguens et percutiens dixit: *Ego sum Romanorum Princeps Petrus*, et statim evigilans timore vehementi correptus, sanguinem ore vomeus exitiali morbo correptus, extinctus est. Idem refert Baron. anno Christi 912. Landonis Papæ 1. Constantini VIII. solius Imper. V. Alexander Imper.

Sexto, S. Dunstanus exeuntem e monasterio monachum sæpe revocat, tandem non resipiscentem baculo ita ferit, ut post duos menses mortuus fuerit: ita Edovardus Maiheu in natalibus Sanctorum Congregationis Anglicanæ pag. 1476. Floruit S. Dunstanus circa annum 940. Fuit Archiepiscopus Cantuariensis. VI. Monachus quidam.

Septimo, S. Wolstanus adhuc Prior monasterii Wigorniensis, concionibus vacabat singulis Dominicis, quem frater quidam increpans ait: Solius esse Pontificis prædicare, monacho silentium et claustrum competere. Cui Sanctus respondit: Verbum Dei non est alligatum, nihilque Deo gratius, quam Christum annuntiare, populumque ab errore viæ suæ revocare, ideoque se non omissurum. Nocte sequente frater ille ad tribunal ignoti iudicis in visione ductus, et cur servum suum obiurgasset, redargutus, *in pavimentum iussus est sterni, et cædi.* Lacrymæ vero in maxillis, et livores evidenter in scapulis evigilantis apparuerunt. Cuius calamitate motus vir Dei, benedictionem ei dedit, et statim sanitas ei rediit, omneque doloris vestigium conquievit, ut refert Edovardus Meiheu in Trophæis Congregation. Anglicanæ pag. 211. tom. 1. Fuit postea S. Wolstanus Episc. Wigorniensis. VII. Item alius monachus

Octavo, Lucas Wadingus refert in Annalib. Minorum, tom. 1. anno Christi 1220. num. 35. pag. 236. quod cum quidam contra voluntatem Superioris e monasterio exivisset ad parentes visitandos, dormienti sub arbore apparuit S. Franciscus, eumque bene flagellavit. Videns ille cicatrices, et dolorem sentiens, ad claustrum rediit. VIII. Franciscanus quidam.

Nono, idem auctor ait anno 1267. num. 12. pag. 319. tom. 2. Cum quidam dissolutæ vitæ reprehensus a fratribus non curaret, et monitus ut caveret sibi a nodoso cingulo vel flagello S. Francisci, dixit: se nihili Franciscum ipsum habere, neque sibi ab eius flagello timere. Nocte sequenti *tot flagris affectus est in lecto*, ut inter flagella et familiarium manus clamaret se a Francisco cædi, se a Francisci funiculo torqueri. IX. Item alius.

Decimo, mirum magis est, quod flagellatus quoque est S. Eleazarus sive Elzearius de Sabrano, Comes Ariani, e provincia Phocensi, Carolo Claudo Siciliæ Regi eiusque X. Eleazarus Comes.

filio Roberto summe charus, miris virtutibus clarus, divinis visioaibus illustrotus, et miraculis illustris. Mortuus est Porisiis anno Christi 1323. Ioaunis Popæ XXII. 7. Andronici Imper. 41. Pancis vero oanis ante mortom e Deo reprehensus et punitus est ob periculum, cui se oxposuerot in bello. Surius t. 5. die 28. Sept. in vita ipsius cop. 31. sic uorrot: Iussus quondoque fuit S. Elzearius a Roberto Rege Domino suo, cuius erat beneficiarius ot subditus, proficisci Romom eum Ioanne fratre eiusdem Regis, et armoto milite contra Imperatorem, qui Ecclesiasticom libertatem in multis violaverot: oumque esset Romæ in armis, Germanum quemdam partis odversæ fortem virum, e manibus illum occidere volentium, liberovit. Bello confecto, in quo Imperatoris exercitus succubuit, mox beatus vir intro Urbem tam acri febre correptus est, ut sibi videretur inter duos lectus igneos totus inflammari. Reminiscons vero belli iom confecti, admodum dolere cepit so illi interfuisse. Cumquo in ea cogitatiano perseveraret, audivit corporeis auribus Christum sibi dicentem: Scias Elzeari, in hoc bello, cui ormatus adfuisti, expositum te fuisse periculo amittendi gratiam meam. Sed quia eius te pœnitet, volo te flogellare. Tum ille inclinavit se, cepitque dicere Ps. 50. *Ad singulos autem versus Christus eum ter, ut ipse solitus erat, in dorso fortiter cæcidit.* Deinde somno correptus, febre recedente perfecto curotus est, ineffabili animi consolotiono perfusus. Vides itoquo Imperatores, Reges, nobiles, religiosos, sæculares, viros, fœminas, in Græcia, in Italia, in Francio, in Anglio, in Indio, o Deo, ab Angelis, a Sonctis, a dæmone esse flagellotos ob hæresim, blasphemias, timiditatem, bonorum Ecclesiæ occupationem, fugam e monosterio, contemptum Sonctorum, negligentiom in evitandis animæ periculis. Tu igitur sape, et cave.

Tribus rebus peccatores Deus in officio coatinet, 1. camo; 2. fræno; 3. flagello, ut supra vidimus. Tribus quaque iustos ad se invitat atque rapit, 1. misoricordia; 2. lætitia; 3. gloria. Hoc declarat Propheta noster.

151. Vers. 10. 2 Pars. Misericordia Dei iustos circumdat. I. Velut medicus, ut eos sanet perfecte ex omni parte.

Ac primo, de misericordia dicit vers. 10. SPERANTEM AUTEM IN DOMINO MISERICORDIA CIRCUMDABIT. Quæres, cur circumdet? Resp. primo, ut eum sanet: quia enim ex omni parte est in homine miseria, infirmitos, debilitas, morborum innumera multitudo, omnes eius focultotes ot potentios sensusque ot membra afficiens, ideo ex omni parto necessario est misericordio. Hinc baptizandi in aquam toto corpore, ot quidem ter immergebontur, ut in Christi songuine per sanctissimam Trinitotem melius quom Naaman in aquis Iordanis, a lepra peccatorum omnium sanarentur et mundarentur. Sic Christus ut nobis daret exemplum perfectæ purificationis, aquas Iordonis ingressus est, ad baptismum in Bethabara. Ubi, ut tradit S. Gregor. Turon. lib. de gloria Martyr. cap. 17. in unn reflexu aqua ipso revolvitur, in quo aunc leprosi mundantur. Hoc aquis illis contulit attactus Christi, qui aquos ipsas, ut sic dicam, baptizavit, et purgavit, eisque donum incorruptionis contulit. Nom, ut ait Princeps Nicolous Christaphorus Radzivilus in suo Hodœporico Hierosolymitano, aqua Iordanis in vase asservata nunquam corrumpitur. Æthiopes etiamnum die sexto Ioanarii, qua Christus fuit o Ioanne baptizatus, in aquas se penitus immergunt. S. Paulus oit per baptismum nos esse consepultos Christo, Coloss. 2. 11. *In quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis* (id est, corporis carnei. Sic Iudæi circumcidebantur omisso præputio) *sed in circumcisione Christi: consepulti estis in baptismo*, velut in bolsamo sanaato omnia peccata. Circumdati sumus infirmitate. Ad Hebr. 5. 2. egemus circumdante misoricordia, ut medicino et emplastro.

152. II. Circumdat velut anima, ut vivificet.

Secundo, misericordia Dei circumdat sperontem in se, ut magis ac mogis illum vivificet, et vividum oc vegetum reddat. Rom. 11. 36. *Ex ipso* (ut primo effectore) *et per ipsum* (velut directorem) *et in ipso* (vegetante et vivificante) *sunt omnia*. Areopagitis dicebat idem Apostolus Athenis Actor. 17. 28. *In ipso vivimus, movemur, et sumus*, sicut corpus in animo illud continente et gubernan-A to. Deus quidem non est forma rerum creatorum, nec anima mundi, ut censuit Plato; tamen in iustis per suam gratiam et specialem unionem, sed accidentolem, est velut animo animæ vitom illi supernaturalem conferens. S. Augustinus: *Tu, ait, vegetas animo molem corporis tui, præbens ei vitam, quod nullum corpus præstot corpori: Deus autem tuus etiam tibi vitæ vita est.*

153. III. Velut gallina, ut conservet.

Tertio, misericordia Dei circumdat sperantem in se, ut gallina pullos olis suis, cum accipiter circumvolitot, Matth. 27. 37. Vide Ps. 15. 8. et 35. 8. Si olæ tibi sufficere non videntur, Deus vallum est, quod dæmones superare non possunt. Iob. 1. 9. hoc fatetur eorum princeps, cum dicit Deo: *Numquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius per circuitum?* ut nulla via aditus ad eum pateret; vallum infinitum est, et te, et tua, oc tuos includere potest. Si vallum non te satis firmat, Deus murus est. 1. Reg. 25. 16. dicebant pastores Nobolis in Carmelo monte pinguissimo habitantis de Dovido eos cum 400. out 600. suis militibus tutaote: *Pro muro* B *erant nobis tam in die, quam in nocte, omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges*, dicunt se servatos die et nocte, et deinde subtexunt, omnibus diebus, quibus pavimus greges, non dicunt, et noctibus: ratio est, quia in tali custodio semper dies et lætitio illis erat. Esto cum Deo, erit tibi *murus ignis in circuitu*, undique te recreabit, inflammabit et illuminabit, Zachar. 2. 5. Si foras egredi placet ex illa urbe refugii, erit tibi Deus lorica impenetrabilis. Christus imperat Apostolis in cælum ascendens, Luc. 24. 49. *Ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in civitate* (Ierusalem) *quoadusque induamini* (ex omni parte circumdati) *virtute* (δυνάμει, vi et robore) *ex alto*, lorica est cælestis, telo humono aut tartareo non penetratur. Spiritus est, carnem non veretur: sanctus est, vitia repellit.

154. IV. Velut dux, ut lustret exercitum.

Quarto, misericordia Dei circumdat sperantem in se, velut dux lustrans exercitum, quem per loca periculosa, et ab hostibus obsessa et circumcincta deducit. De Deo C Israelitos educente ex Ægypto, atque in terram promissionis ducente dicitur Exod. 13. 18. *Circumduxit* (Gregorius ἐκύκλωσε, circuivit) *per viam deserti* (ad evitandam terram Philisthiim) *quæ est iuxta mare rubrum* (quæ sanguine Christi irrigatur) *et armati* (חמושים *chamuscim*, id est, quintati, q. d. quini et quini, sic procedebont armati) *ascenderunt filii Israel de terra Ægypti*. Cum erant in Ægypto, serviebont et erant inermes: Deum sequentes ducem, liberi sunt et ormati. Bona orma sunt præsentia Dei et custodia, atque præcepta. Deut. 32. 10. de eodem populo ait Moses exultans in suo cantico: *Invenit eum in terra deserta* (frustra eum quæsiverat in tumultu Ægypti) *in loco horroris* (id est, horrendo, in contritiono et mortificotiane) *et vastæ solitudinis* (extra spem ullam in subsidiis humanis) *circumduxit eum* (per annos 40.) *et docuit, et custodivit quasi pupillam oculi sui*, quæ multis tunicis et ciliciis tegitur et circumdatur, ac munitur.

155. V. Velut sol, ut illuminet.

Quinto, misericordia Dei circumdat sperantem in se, sicut sol tenebras dispellens, et noctem effugans. Maloc. D 4. 2. *Orietur vobis timentibus* (id est, reverentibus et colentibus) *nomen meum Sol iustitiæ*. Iustum et æquum est, ut Deus servos suos velut bonus Dominus illustret. Chaldæus vertit, *sol puritatis*, id est, purissimus, et puritatis effector. Hæc est vera lux animæ. Sol abest aliquando o nobis, Deus vero nunquam: itaque cælo ipsum comparo semper nos ambienti, sed semper fulgenti. Deus ab Hebræis metonymice vocotur שמים *sciamaim*, id est, cælum. Sipontinus porro cælum dici vult, quasi cælatum, stellis scilicet atque sideribus. Varro autem lib. 4. de lingua Latina deducit a Græco κοῖλον, hoc est, cavum, quod sua cavitate res omnes creatas complectotur. Deus utrumque habet: nam et fulget, et omnia infinito suo sinu circumdat, fovet, fœcundat. David ait Ps. 102. 11. *Secundum altitudinem cæli a terra* (S. Hieron. quantum excelsius est cælum a terra) *corroboravit misericordiam suam super timentes se*, quid faciet super sperantes et amantes se, nun suo? Ibi S. Augustinus pie et subtiliter: *Confir-*

mavit Dominus misericordiam suam (id est, infinitam: hominum miseria magna est, misericordia parva) *super timentes se: secundum quid? secundum altitudinem cœli a terra. Quid dixit? Si aliquando potest cœlum abscedere a protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende: cœlum ubique atque undique protegit terram, et nulla pars terræ est, quæ non cœlo protegatur. Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, cœlo tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus: inde omnis misericordia a cœlo. Tolle auxilium cœli a terra, statim deficiet: sicut ergo protectio cœli permanet super terram, sic protectio Dei permanet super timentes eum. Times Deum? super te est protectio eius super terram: quoniam secundum altitudinem cœli a terra confirmavit misericordiam suam Dominus super timentes eum. Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus eum. Iam sæviat quantum vult, pater est: sed afflixit nos, sed trivit nos: pater est.*

156. VI. Velut iris, ut delectet. Sexto, misericordia Dei circumdat sperantem in se, ut eum delectet, sicut iris eum cingens. Apoc. 10. 1. *Vidi Angelum descendentem de cœlo* (id est, iustum se humiliantem) *amictum nube* (considerantem imbecillitatis humanæ, et occultantem splendores virtutis suæ) *et iris in capite eius*, id est, spes in divina misericordia, cuius symbolum est iris, arcens diluvium, et cingens thronum Dei, Apoc. 4. 3. quia misericordia Dei plena est terra, et cælum, et nihil ab eo egreditur, quod per misericordiam non transeat, et illa imbuatur. De ipso Deo dicitur Ps. 58. 18. *Deus meus misericordia mea.* Talem se Iesus lugenti Magdalenæ exhibuit die resurrectionis. Nam euntem ad sepulcrum cum mulieribus cingit Angelis, uno sedente supra lapidem circumvolutum, et aliis duobus stantibus intra ipsam cryptam sepulcri. Deinde ipsemet ex alia parte ad eam venit in specie hortulani, unde videns Angelos ipsi reverentiam exhibentes, se ad ipsum convertit, et ad pedes eius advoluta est, quos osculata est; sed non diu id facere permissa, ad socias currit, quibus etiam apparens Iesus, ait Matth. 28. 9. *Avete*, Græca. χαίρετε, hoc est, gaudete, salvete. Arabs, lætamini. Eam lætitiam complexæ sunt circumfusæ sacris eius pedibus, velut gaudii apertis fontibus. Et circumplectens et circumplexus Iesus dat gaudium, et qui in eum, et eius vulnera intrat, in gaudium Domini sui intrat: quia et in illis gaudet, et ex illis gaudium fundit.

157. VII. Velut mater ut mammam admoveat. Septimo, misericordia Dei sperantem in se circumdat, ut amorem suum declaret, sicut mater erga pupulum, quem ulnis stringit, et mammæ imprimit. Vel, sicut sponsam sponsus, de quo Cant. 2. 6. *Læva eius sub capite meo* (sub spe mea et charitate) *et dextera illius amplexabitur me*, ad omnes actus virtutum. Symmachus, Dextera eius circumplicetur mihi. S. Bernard. lævam ait esse gratiam præsentis vitæ: dexteram vero, gloriam futuræ et æternæ. Sic enim loquitur serm. 4. de Vigilia Nativitatis Domini: *Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur et iustificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva eius merita, in dextera vero præmia continentur. In dextera, inquam, deliciæ: in sinistra sunt medicina.*

158. VIII. Velut agonotheta, ut ex omni parte coronet et exornet. Octavo denique, misericordia Dei sperantem in se circumdat, ut eum coronet. Psal. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia* (id est, misericordia. Hebræi nomen instrumenti et modi ponunt in ablativo cum præpositione Beth) *et miserationibus*: misericordia ipsa est corona, et miserationes, id est, actus misericordiæ sunt illius gemmæ et radii. Coronam hanc viderat Syrus interpres; ubi enim Matth. 5. 7. habemus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, vertit: Beati misericordes: quoniam super ipsos erunt misericordiæ. Ut enim ait S. August. epist. 105. *Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua.* Itaque non a viribus nostris, sed ab eius misericordia coronam expectemus in ipsa confidentes. Columba S. Maurinæ martyri coronam imponens, ait: *Pax tibi, ancilla Dei, nunc confide, cælestem coronam accipiens e manu Altissimi.* Vide dicta Ps. 5. vers. ult. *Domine, ut scuto bonæ voluntatis* (εὐδοκίας, id est, beneplaciti, benevolentiæ) *tuæ coronasti nos.*

159. Spes perfecta alias secum virtutes facile ducit. Conclude, quandoquidem sperantes misericordia Dei circumdat, enitendum esse, ut spem in Deo figamus, ut nos illi circumplicemus instar hederæ, quæ nisi alteri innitatur, humi repit atque infigitur; si alteri iungatur, ad summitatem excelsissimarum arborum et pyramidum attollitur, ut illis stantibus virescat. Ps. 90. 19. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Pro *speravit*, Hebraica est חשק *chasciak*, quod significat, 1. amare; 2. desiderare; 3. sperare; 4. complacere sibi; 5. adhærere, coniungi; 6. cingere, amplecti. Hinc primo vertit Pagn. hoc loco: *Quoniam me peramavit.* Campens. et Muis. *amavit.* Secundo Caiet. *Quoniam in me desideravit.* Tertio, Noster, Sept. Petav. et alii: *Quoniam in me speravit.* Quarto, Pagnin. in Thesauro sancto: *Quoniam in me complacuit.* Quinto, S. Hieron. *Quoniam mihi adhæsit.* Sexto denique, Arias et Vatabl. *Quandoquidem me amplexus est.* Ubi nota spei et charitatis nexum, cum eadem vox *chasciak* utrumque significet. Hæc sunt duo sponsæ brachia, quibus sponsum caste, sed ardenter complexa dicit Cant. 3. 4. *Tenui eum, nec dimittam.* Spem necessariam esse ad charitatem, et vicissim a charitate maiorem accipere perfectionem, vide apud nostrum Antonium Gandier tract. de perfectionis natura et causis, part. 1. cap. 10. Gratia habitualis est utriusque vinculum. In Psalmo nostro Caiet. vertit: *Confitentem in Domino gratia circumdabit ipsum:* est Hebraismus; τὸ *ipsum* redundat.

Vers. 11. Secundo, cum sit triplex status iustorum: nempe incipientium, proficientium, et perfectorum. Incipientes præsertim misericordia circumdantur: Proficientes lætitia cumulantur: Perfecti in uno Deo gloriantur. Hinc addit David vers. ult. LÆTAMINI IN DOMINO, ET EXULTATE IUSTI, ET GLORIAMINI OMNES RECTI CORDE. Vide Ps. sequ. v. 1. *Exultate iusti in Domino.* Nunc concludamus cum Dionysio Carthusiano: *Psalmus hic est parvus quantitate, sed magnus virtute: instructivus valde et accensivus pii pœnitentisque cordis.* Titulus eius est: *Intellectus David*, id est, Davidis vel Davidi, ut ostendi: hoc est, ut ait Dionysius, cognitio veraciter pœnitentis. Terminatur in fructu intellectus, nempe in gaudio. Nam, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 8. art. 8. *Dono intellectus respondet pro proprio fructu fides, id est, fidei certitudo: sed pro ultimo fructu respondet ei gaudium, quod pertinet ad voluntatem.* Oculos itaque luci et gaudio aperi, et Deo mentem atque affectum tribue, de eius bonitate atque liberalitate non dubitans. Vide Ps. 13. 9.

PSALMUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

1. Psalmus David.

1. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.
2. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.
3. Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.
4. Quia rectum est verbum Domini: et omnia opera eius in fide.
5. Diligit misericordiam et iudicium: misericordia Domini plena est terra.
6. Verbo Domini cœli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum.
7. Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.
8. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.
9. Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.
10. Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.
11. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione et generationem.
12. Beata gens, cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi.
13. De cœlo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.
14. De præparato habitaculo suo: respexit super omnes qui habitant terram.
15. Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.
16. Non salvatur Rex per multam virtutem: et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.
17. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.
18. Ecce oculi Domini super metuentes eum: et in eis, qui sperant super misericordia eius.
19. Ut eruat a morte animas eorum: et alat eos in fame.
20. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor et protector noster est.
21. Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto eius speravimus.
22. Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.

PSALMI TRIGESIMI SECUNDI ANALYSIS.

David post insignem de numerosis et potentibus hostibus obtentam victoriam, omnes hortatur

- Ad divina cantica, 1. cum
  - Mentis et vocis iubilatione. 1.
  - Sociorum adiuncto choro. 1.
  - Instrumentorum musicorum harmonia. 2.
  - Scriptionis novitate. 3.
  - Consonantiæ bonitate. 3.
- Ob Dei bonitatem, 4. qua
  - Sanctus in verbis suis. 4.
  - Fidelis in promissis. 4.
  - Misericors erga afflictos. 5.
  - Iustus in obstinatos. 5.
  - Pius in omnes. 5.
- Ob eius potentiam, 6. qua
  - Cælos et eorum ornatum condidit. 6.
  - Mare atque abyssos constringit. 7.
  - Terram et homines gubernat. 8.
- Ob sapientiam. 10. qua
  - Hostium suorum consilia dissipat. 10.
  - Consilia sua in æternum firmat. 11.
  - Consilia piorum ad æternam salutem perducit. 12.
- Ob providentiam, 13. qua
  - Omnes homines e cælo aspicit. 13. 14.
    - Corda eorum perscrutans. 15.
    - Opera omnia considerans. 15.
  - Superbos aspicit, ut eos conterat
    - Multitudine exercitus contusa. 16.
    - Robore peditum fracto. 16.
    - Equitatu ipso fuso. 17.
  - Servos suos videt, ut eos iuvet. 18.
    - A morte enim liberat. 19.
    - In fame sublevat. 19.
    - In negotiis iuvat. 20.
    - In periculis protegit. 20.
    - In prosperis consolatur. 21.
    - In adversis sustentat. 21.
    - In omnibus gratia cumulat. 22.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

PSALMUS DAVID.

1. Hic Psalmus apud Hebræos titulo caret. Aquila quoque, Theodotio et Symmachus nullum titulum posuerunt. Quinta et sexta editio, quæ ab Auonymis foctæ sunt, habent τῳ Δαυιδ, id est, *ipsi David*, sicut etiam posuit S. Augustinus. Unde concludit: *Qui pertinent ad sacratissimum semen David, audiant vocem suam, et dicant vocem suam, et exultent in Domino.* Dionysius Carthusianus, et alii titulum hunc præfigunt: In finem Psalmus David; sed in Bibliis Latinis correctis reiectum est τὸ in finem: restat itaque tantum pro titulo; *Psalmus David*, quod acceptum est a Septuag. Interpretibus, qui teste Theodoreto, monuerunt se in Hebræo titulum non reperisse. Advertit S. Hieronymus in prologo Psalmorum, septemdecim Psalmos in Hebræo textu titulis carere. Hoc S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in Psalmos c. 8. et Hesychius in plerisque factum putant, quod contineant mysteria de Christo. Sed hoc verum non videtur, textus enim potius ipsius Psalmi, quam titulus fuisset tollendus, est enim longe clarior et expressior. Deinde Psalmi alii, qui de Christo manifeste loquuntur, titulum habent, ut vigesimus primus, centesimus nonus, et alii.

2. Argum. Psalmi varie assignatur. Argumentum Psalmi primo censet Theodoretus ad tempora Ezechiæ Regis Iuda pertinere. Formatur, inquit, in persona Ezechiæ ipsius, qui ad hymnos cantandos populum excitat, post admirabilem victoriam, et Assyriorum
I. internecionem. Sed non video, cur tam sæpe ad Ezechiam recurratur, cum in Davide idem, quod in eo reperiatur.

II. Secundo, itaque melius Caietanus opinatur tractari hic felicitatem populi Israel tempore Davidis habitam: tum
A quoad securitatem vitæ ob inimicis; tum quoad alimenta in terra promissionis, iam libera non vi armorum, sed gratia Dei.

Tertio, et sublimius ac plenius, Bellarminus, Iansenius, Lorinus, et alii ad iustos omnes Psalmum extendunt, dicuntque eos moneri, ut Deum laudent ob varia III. Et optime.
eius attributa, et ab ipso accepta beneficia. Scriptum autem arbitror a Davide post insignem aliquam victoriam, in qua periculum magnum Dei ope evaserit, et gigantes aut potentes hostes devicerit, ut patet v. 16. *Non salvatur Rex per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* De bellis Davidis contra Philisthæos, ubi erant gigantes, et ipse David periclitatus est, vide 2. Reg. cap. 21. 15. et seq. De illis dicam vers. 16. Aptissime censueris post illud bellum Davidem iam seniorem, annorum scilicet 65. vetitum a suis amplius adesse præliis, arma sua Deo consecrasse hoc carmine, et ei acceptas omnes suas victorias retulisse, ac præsertim de evitato discrimine gratias egisse. Unde suo more ad altio-
B ra assurgit.

Ex his collige, hunc Psalmum non esse connexum cum superiore, qui factus est ad lugendum peccata admissa, et gratias agendas de obtenta remissione. Id tamen censent Beda et Remigius: et favet connexio vers. ultim. in Psal. preced. *Lætamini in Domino, et exultate iusti:* ac versus primi in nostro: *Exultate iusti in Domino.* Sed hoc argumentum non convincit. Nam ferme omnes Psalmi lætum habent finem. Itaque posset noster Psalmus multis adiungi.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

DUO FACIT. PRIMO, IUSTOS INCITAT AD DEUM LAUDANDUM, VERS. 1. SECUNDO RATIONES, CUR LAUDANDUS SIT, AFFERT, NEMPE EIUS BONITATEM, VERS. 4. POTENTIAM, VERS. 6. PROVIDENTIAM, VERS. 10.

SECTIO PRIMA.

3. *Tria facit. Primo, hortatur, ut iusti Deum laudent animo, ore, instrumentis musicis, vers. 1. Secundo, bonitatem Dei declarat in puritate et rectitudine præceptorum eius, in operum fidelitate, misericordia, et iustitia in omnibus, v. 4. Tertio, potentiam Dei prædicat in creatione cœli, maris, ac terra, et contentorum in illis, v. 6.*

PARAPHRASIS.

1. *Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.*

1. Vos omnes, qui sanctitate animum Deo consecrastis, vocem quoque in eius laudes cum gaudio efformate. Quid enim convenientius, quam ut rectitudinem ipsam laudent ii, in quorum vita ac moribus nihil pravum, aut distortum, quod rectissimæ regulæ non quadret?

2. *Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.*

2. Non modulatione tantum vocis, sed musicorum instrumentorum melodia, laudes potenti Domino accinite. Huc citharas, huc decem intento cordis psalteria, ut mentis vocisque iubilum hilari psalmorum cantu cumuletis.

3. *Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione.*

3. Veternum soporemque excutite: animo novo nova cantica novis Dei locupletati muneribus celebrate: contentis vocibus, coniunctisque citharis pluribus ac psalteriis ad eius amorem, cultumque vivida hac harmonia omnes incitentur.

4. *Quia rectum est verbum Domini, et omnia opera eius in fide.*

4. Hoc autem in canticorum materiam assumite, quod ex divino hoc bonitatis fonte verba manantis, sive mandatorum, sive promissorum, sive interminationum, recta sunt et iusta. Nec verbis modo, sed ipsis operibus fidelitatem suam testatam omnibus facit.

5. *Diligit misericordiam et iudicium: misericordia Domini plena est terra.*

5. Misericordiæ simul et iustitiæ tenacissimus est, ut in omnibus eius operibus utraque eluceat, et sanctos eius velut arctissimo amoris vinculo innexæ sorores nunquam deserant. Gaudet tamen pleniore manu per universum orbis amplexum, amoris et benevolentiæ ac misericordiæ dona spargere: nulla ut vel tantillula creatura

eius expers, vacua, et inanis remaneat, sed undequaque in omnes eius munera diffluant.

6. *Verbo Domini cæli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

6. Cælorum immensam hanc et volubilem molem auspicis. Hanc nullo labore, nulla temporis longinquitate, nullis machinis, nullis allaborantibus: sed verbulo unico, unico temporis puncto ita compaginavit, nulla ut ratione dissolvi possit. Soloque eius imperio ac nutu stellarum tum inerrantium, tum fixarum cælestis instructus est exercitus; cuius ornatus mentes in Dei admirationem rapiat, virtusque et influxus hæc inferiora vegetet atque fœcundet.

7. *Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.*

7. Oculos a cælestibus radiis placet reflectere, ne ad tantam lucem connniveant et caligent: vastos et immensos oceani tractus contemplare, undantes et mugientes aquarum vortices, qui suis conclusi mollis arenæ terminis, infremant licet ac subsultent, continentur, sicut paaxillum aquæ in utre vel vasculo colligi ab hominibus solet. In hoc furioso mari infrænando nulla potenti Deo difficultas est. Abyssum vero, immensam scilicet illam aquarum profunditatem, quæ a terra ad cælum pertingebat, in occultos terræ meatus, marisque penitissimos recessus conclusit: velut pecunias in thesauris reconditas, quas ad placitum educeret, sive ad fœcundandam, sive ad obruendam aquis terram.

8. *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.*

8. Cum ea sit in cælorum marisque creatione et conservatione potentia Dei, sacro timore Dominum homines omnes, velut servuli vereantur. Eoque timore concussi, qui ubivis gentium sibi sedem fixerunt, ad omnem eius nutum prompti paratique advolent.

9. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit et creata sunt.*

9. Ipse, ipse est, qui quidquid ob oculos cadit, quidquid intelligentia percipimus, quidquid denique in cælis, mari terraque continetur, absque labore, absque temporis mora, absque ullius auxilio, vel præiacente materia, solo verbo potentissimo unius suæ voluntatis ad nutum condidit, et pari facilitate administrat.

QUÆSTIO UNICA.

Quanto ardore laudandus est Deus ob creationem cæli, maris, et terræ.

PROPHETA noster laudaturus paternam curam, qua iu-
4. stos Deus tuetur in hostes, ac donis cumulat, in hac
Ordo Sectionis. prima sectione omnes invitat ad illius laudem perfectissimam.

Primo enim assignat omnia, quæ se tenent ex parte formæ. Primo, personas, quæ his in laudibus occupari debeant, v. 1. *Exultate iusti.* Secundo, considerationem personæ, quæ laudari debeat, et quantæ sit dignitatis. *in Domino.* Tertio, socios, cum quibus id fieri oporteat: *Rectos decet collaudatio.* Quarto, modum externum, quo id præstandum est, v. 2. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Quinto, qualitatem cantus, v. 3. *Cantate ei canticum novum.* Sexto, quantitatem, ut sic dicam, et extensionem cantus: *Bene psallite ei in vociferatione.* Septimo, formam interiorem et essentialem, qua cantus informandus et vivificandus est: nempe bonitatem ac virtutem: *Bene psallite ei in vociferatione.*

Secundo, materiam cantus fusius exponit: nempe quinque Dei attributa. Primo, sanctitatem, v. 4. *Quia rectum est verbum Domini.* Secundo, fidelitatem: *Et omnia opera eius in fide.* Tertio, misericordiam, v. 5. *Diligit misericordiam.* Quarto, iustitiam: *Et iudicium.* Sed prædicat magis misericordiam, ne terreat, et suavitatem cantus tremore impediat, ipsamque iustitiam indicat esse quamdam misericordiam. Addit enim: *Misericordia Domini plena est terra.* Quinto denique, fusius laudat adhuc potentiam, benignitati scilicet Dei subservientem in cælo, in mari, in terra.

Primo enim, potentia Dei tanta fuit, ut unico verbulo cælos tam vastos, et tam admirabiles creaverit, vers. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Et solem, lunam et stellas: *Et spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

Secundo, pari potentia mare produxit, suoque alveo conclusit, ne terræ officeret, v. 7. *Congregans sicut in utre aquas maris.* Et immensis aquarum thesauris complevit ad fœcundandam terram per occultos meatus: *Ponens in thesauris abyssos.*

Tertio, terram quoque ipsam creatione proprie dicta produxit. Ex quo est consequens, ut ipsa terra Deum veneretur, v. 8. *Timeat Dominum omnis terra.* Omnesque tum homines, tum bestiæ: *Ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.* Ratio allata subtexitur, quod sci-
A licet illa omnia creaverit, v. 9. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt.*

ARTICULUS I.

Cantandum est in honorem Dei cum lætitia, et sanctitate.

PARTA victoria exultans David, et Deo illam acceptam referens, ad eius laudem omnes invitat bonos canto- 5. Vers. 1. 1. Pars.
res, nempe pios et gratia plenos, v. 1. EXULTATE IUSTI IN DOMINO, RECTOS DECET COLLAUDATIO. Nota, pro *exultate*, in Hebræo est רננו *rannenu*, id est, *ovate*, sicut Vatablus vertit, q. d. cum ope Dei vicerimus, gaudio triumphate, voces lætitiæ et gratulationis emittite, sicut solet fieri in triumphis et ovationibus, quæ erant triumphi minores. Cum scilicet victor ingrediebatur Romam non in curru, sed pedes vel eques, myrto coronatus, universo Senatu subsequente. Ad triumphos etiam maiores potest pertinere vox *ranan*, est enim clamare fortiter, sive in lætitia,
B sive in laude et præconio, sive in oratione. Secundo, *rannenu* reddit Cassiodorus *gaudete.* Apollinar. ac Patavius, χαίρετε. Tertio, S. Hieron. et Chald. *Laudate.* Arias, præconia dicite. Campensis signate, *cum exultatione laudate.* Agell. clara et alacri voce, ac palam laudate ac prædicate Dominum.

Nota secundo. *In Domino,* id est, Primo, per Dominum, ita ut Deus sit causa efficiens vestri gaudii, non aurum, non deliciæ, non honores, q. d. exultate iusti, quod Deus vos tot beneficiis affecerit. Secundo, *in Domino*, id est, cum Domino: vincit enim et triumphat Deus in fidelibus suis, quorum est dux et Dominus, et Deus Sabaoth, id est, exercituum. Unde Iudæi arcam sæpe deferebant ad exercitum, ut Deus ibi specialiter se præsentem exhibens, consilium et auxilium præberet, ut patet 1. Reg. 4. v. 3. et 1. Reg. 11. v. 11. Tertio, *in Domino,* id est, coram Domino: parta enim victoria ad tabernaculum, seu templum accedebant, ut sacrificiis et hymnis Deum celebrarent, ibique de pacificis victimis convivia facerent.
C Quomodo in ipso illo sacro loco choreas agerent, dixi Ps. 25. v. 6. et Ps. 26. v. 6. Chaldæus hic vertit, laudes dicite iusti coram Domino. Quarto, *in Domino,* id est, propter Dominum, ita ut sit causa finalis vestri gaudii, q. d. ita exultate, ut Dei Domini vestri gloriam, non vestram quæratis, sicut boni servi facere debent. Sic Ps. 31. vers. ultim. dixit: *Lætamini in Domino, et exultate iusti, et gloriamini omnes recti corde.* Lætamini corde, exultate corpore, gloriamini ore, sed in Domino. Quinto, *in Domino*, id est intra Dominum velut circumdati, vestiti, informa-

To in Domino sex significat.

ti: adhæret enim iustificatis, eisque nititur etiam physice, sed accidentaliter, uimirum per suam gratiam. Sexto et optime, *in Domino*, id est de Domino, ita ut Deus victor et triumphator sit obiectum et materia exultationis vestræ et laudis. Sic Psal. 50. 16. dicitur: *Exultabit* (S. Hieron. laudabit. Psalt. Gallicanum seu Ambrosianum, exaltabit) *lingua mea iustitiam tuam*. Symm. ἐλεημοσύνην, id est misericordiam. Utraque magna est, utraque est exaltanda. Eodem sensu dicebat Deipara Luc. 1. 47. *Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari* (id est salvatore) *meo*.

6. Lætitiæ spiritualis novem effectus.

Moral. Iusti exultent in Deo. Ubi tria habentur. Primo, exultandum esse. Secundo, id proprium esse iustorum. Tertio, id faciendum esse in Domino.

I. Ac primo, lætitiæ spiritualis multa sunt commoda. Primo, vitam corporis et animi conservat, et longiorem facit. Prov. 17. v. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit*. Vatabl. vegetius facit corpus. Tigurin. Cor lætum bonam facit valetudinem. Ratio est, quia, ut ait Aristot. lib. 3. de partibus anim. cap. 4. ex corde motus lætitiæ ac tristitiæ oriuntur. Hinc fit, ut lætitia ibi spiritus vitales augeat, calefaciat et vivificet, atque reddat efficaciores ad omnes humores noxios concoquendos et depellendos. Avicenna l. 1. dicit, lætitiam ægrotis esse perutilem. Galenus tradit, sola lætitia multos a morbis esse sanatos. Seneca generatim loquitur: Quidquid, ait, animum erexit, etiam prodest corpori. Hinc Baynus vertit: *Cor lætum bonam facit medicinam*, et quidem non amaram, ut sunt nostræ, sed Iaponicis longe suaviorem. Sunt Iaponum medicinæ suaves gustui.

II. Secundo, lætitia ingenerat menti audaciam spiritualem, tristitia vero eam deiicit. Prov. 15. 13. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur* (Vatablus, frangitur, obscuratur: vel, perit et obsolescit) *spiritus*. Tigurina, in mœrore cordis languescit spiritus. Ratio est, quia spiritus vitales frigefacit et obtundit. S. Augustinus Epist. 20. ad Honor. cap. 14. illud Ps. 21. 15. *Factum est cor meum tamquam cera liquescens*, explanans ait: Tristitia quasi solvit cor. Unde dicitur etiam Gr. λύη, quod hinc appellata sit λύπη. S. Antioch. homil. 23. *Tristitia*, inquit, στόμα λέοντος καταπίνον ευχερῶς τὸν λυπούμενον, *est os leonis, quod mœrore confectum nullo negotio absorbet*. S. Nilus orat. 5. de tristitia: Ignis, ait, assiduus, plumbum imminuit, et mundi tristitia mentem atterit; 2. oculorum aciem hebetat fumus, et contemplatricem animi vim obtundit tristitia; 3. aquæ profunditas non admittit Solis splendorem, et cor tristo non exhilarat lucis contemplatio; 4. ut gustus vim adimit febris, sic animi sensus aufert tristitia.

III. Tertio, lætitia corporis et mentis robur auget. 2. Esdræ 8. v. 8. dixit Nehemias, ipse est Athersata, et Esdras sacerdos, et scriba, et levitæ interpretantes universo populo: *Nolite lugere, et nolite flere: quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari. Gaudium enim Domini est fortitudo vestra*, non quidem formalis, sed causalis.

IV. Quarto, lætitia amabiles aliis facit. Prov. 15. 13. *Cor gaudens exhilarat* (Pagninus decorat) *faciem*. Septuag. habent: *Cordis læti facies floret*. Origenes homilia 4. in Cant. floride est. In virginibus est lilium, in martyribus rosa, in omnibus verna et optatissima iucunditas. Syrus vertit: *Cor hilare pulchrum reddit corpus*. Rectum enim situm conservat, tristitia incurvat et deiicit. Item cap. 17. 22. ubi legimus: *Animus gaudens ætatem floridam facit*. Syr. reddit, *animus hilaris pulchrum facit corpus*. R. Salomon, animus hilaris vultum nitentem florentemque efficit. Baynus, cor lætum bonam facit aciem oculorum. Minius, cor lætum bonum facit splendorem vultus.

V. Quinto, lætitia tentationes omnes expellit. Isaiæ 30. vers. 32. *In tympanis, et in citharis, et in bellis præcipuis expugnabit eos*. Deus scilicet Assyrios, et regem eorum Sennacherib, idque faciet quasi ludens, sine labore et difficultate: atque populo suo non pugnante, sed se in sacrificiis et orationibus laudante. Septuaginta vertunt: *Ipse cum tympanis et cithara pugnabit contra eum ex com-*
A *mutatione*, id est, sicut ipse in eos pugnavit cum furore et rabie; 2. mutando vices, antea affligebantur, postea felices erunt; 3. mutando personas, ut modo ab his, modo ab illis Assyrii atterantur. Petrus le Ieune in Epistola anno 1631. pag. 72. ait, quod Canadenses in suis difficultatibus, periculis, fame cantant, tympana pulsant, aliosque strepitus edunt, id sibi prodesse arbitrati, ut in venatione aliquid reperiant, et ex miseria sua evadant; Felices, si ad Deum clamarent, et in eo lætarentur.

Sexto, lætitia facit animam fœcundam virtutum. Albertus lib. 1. de animalibus advertit, Philomelam vibrantes voculas cantando frangere, cum ovis incubat: ac nonnullos Platonicos censuisse, fore ut pullus non formaretur, nisi caneret; quem in sententiam concedere se eruditissimus Doctor fatetur, quod cantus gaudium excitans, calorem excitet magis vivificativum. In hominibus vero experientia docet omnia pene, quæ a tristitia proficiscuntur, esse subventanea et evanida: quæ autem a gaudio, ea esse vitalia, vivida, et vegeta. VI.

B Septimo, lætitia fugat dæmones. 1. Reg. 4. 8. cum ob VII.
Arcæ in castra adventum lætarentur et iubilarent filii Israel, territi sunt Philisthini, ingemueruntque dicentes: *Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri et nudiustertius*, id est, die ab hoc tertio, hoc est antea. Est Hebraismus. Ubi vides exultationem eis fuisse terrori. Sed de dæmone expressius ibid. cap. 16. 23. *Quandocumque spiritus Domini* (a Domino immissus) *malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus*, quia Saul musica recreabatur, itaque melancholia, quæ est nidus dæmonis, minuebatur. S. Chrysost. lib. 2. et 3. de providentia fuse docet, plura esse incommoda tristitiæ, quam iræ, concupiscentiæ, et aliarum passionum; acriusque a dæmone excitari, cum speluncam sibi tutiorem et commodiorem in ea reperiat.

Octavo, lætitia spiritualis insipidas et amaras atque VIII.
odibiles facit delectationes mundi et carnis. Levit. 26. 10. *Vetera novis supervenientibus proiicietis*.

Nono denique, lætitia spiritualis memoriam præterita- IX.
C rum calamitatum ex memoria expungit. Proverb. ult. 6. *Date siceram mœrentibus, et vinum his, qui amaro sunt animo: bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius*. Lux fugat abyssi tenebras, et vidit Deus, quod esset bona. Si Deus dicat, *Fiat lux*, ut fecit Gen. 1. statim omnis caligo discedit.

Secundo, lætitia vera et solida, est tantum iustorum, 7. Lætitia solida est tantum iustorum.
unde dicitur: *Exultate iusti*. Ps. 5. 12. *Lætentur omnes, qui sperant in te*. Ps. 69. 5. *Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te*, qui enim quærit, amat. Ps. 31. 11. *Lætamini in Domino, et exultate iusti*. Apoc. 12. v. 12. S. Ioannes audit vocem cælestem dicentem: *Lætemini cæli* (id est Ecclesia) *et qui habitatis in eis*. Vel, cæli sunt iusti, innocentes, in quibus habitant Angeli, et sanctæ cogitationes atque affectiones. Isaias cap. 66. 10. admonet: *Læ-*
D *tamini cum Ierusalem* (cum anima sancta) *et exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio universi*. S. Ioan. Columbanus ad latrones tristitiam suam amandabat, in Dei servis non debere reperiri asserebat. S. Franciscus, cui crux erat in deliciis, lætitiæ tamen spiritualis fuit perstudiosus, cum eam diceret esse optimum medium gratiæ conservandæ. S. Antonius magnus ille eremi cultor et illustrator, ac dæmonum terror domitorque, gaudium mentis censebat esse singulare contra dæmones remedium, ac semper in vultu splendor quidam cælestis lætitiæ emicabat, quo etiam ab iis, a quibus nunquam visus erat, agnoscebatur. Cælo iam proximant, et soli suo sancti, in aurora sunt, tenebras tristitiæ reiiciunt. Itaque plurimum errant, qui depingunt virtutem, velut anum querulam, mœrore contractam, et rugis exaratam ac deformatam, pallore ac macie et situ squallentem et luridam, quæ oculis concavis, caperata fronte, trementibus labris, compressis genis, toto corpore exanguis horrorem vel ipso sui aspectu incutiat. Apagesis has commentitias nænias. Virtus alacri vividoque vultu est, ex-

plicata fronte, ridentibus oculis, ore sereneto, voce suavissima, quæ aures animosqua alumnorum suorum demulceat, et vera, solide, cælestique delectatione perfundat. Democritus apud Ioan. Stobæum serm. 1. de virtute, dicebat, quod hominibus lætitia exoritur ex mediocritate ineundi, et vitæ æquabilitate, et moderatiane concinne. Aristot. lib. 7. Ethicor. ait, μακαριον, id est beatum, dici a χαιρειν, id est gaudere. Virtus vero sola beatos facit, igitur lætos quoque reddit. Isaiæ 65. 14. ait Deus Iudæis sceleratis: *Ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis*, velut lupi et belluæ, quibus similes facti estis per vitia. Da lætitia in cibo Eucharistico explicat S. Cyprian. lib. 1. contra Iudæos cap. 22. de mensa cælesti. Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 18. Tu explica de omni lætitia in exercitio virtutum omnium. Vinum novum mittitur in utres novos, id est in viros per Iesum hominem novum renovatos.

8. In Deo solo est exultandum, id est: I. In eius verbis. Tertio, exultendum est in Deo: *Exultate iusti in Domino*, id est, Prima in Domini verbis. Ut enim dicit Christo David Ps. 44. 3. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. S. Hier. effusa. Fons est gratiarum. Vide ibi dicta. Christus læta loquitur servis suis, ait mulieribus ipsa resurrectionis die. Matth. 28. 9. *Avete*, Græc. χαιρετε, id est gaudete. Syr. pax vobis. Illæ scientes eum esse gaudii scaturiginem, ad eius pedes se abiecerunt, ut eos tenerent. Angelus apparens pastoribus dixit Luc. 2. 10. *Evangelizo vobis gaudium magnum*, id est Iesum, qui totus est gaudium. Favus distillans labia eius, et totus est amabilis ac desiderabilis. Cant. 1. 4. ait Sponsa Christo: *Exultabimus et lætabimur in te memores uberum tuorum*, id est benevolentiæ et beneficentiæ tuæ, tum in verbis, tum in factis. In ore et labiis Christi sponsi sui videtur ubera ponere, cum ait v. 1. *Osculetur me osculo* (Hebr. osculis) *oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino. Ts quis*. denulat ibi esse ubera et eorum suavitatem, ubi est osculum. Hebraice pro *ubera*, est *amores*. Unde Vatabl. vertit, Amores tui vinum bonitate superant. Ubera itaque sunt Christi doctrina, quæ amorem et lætitiam ingenerat. Iustus Orgelit. in Cant. *Exultant*, inquit, *sancti et lætantur in Domino, cum recordantur, quemadmodum per ubera Christi, dum priscæ legis præceptis incipiunt clariorem, in illa, vel ex ipsa, Christum intuentes, intelligunt, quibus ipse in Evangelio dicit: Vestri beati oculi, qui vident, et aures, quæ audiunt. Amen dico vobis, multi Prophetæ et Reges quæsierunt videre, quæ videtis, et non viderunt: et audire, quæ auditis, et non audierunt*. Hæc Domini verba miro modo in animum influunt, eumque permovent, si attente et devote percipiantur in Sacris Scripturis. S. Theodor. Studita vir admirabilis, et sacrarum imaginum contra Iconoclastas defensor acerrimus, qui circa annum 820. floruit serm. catech. sic ait: *Equidem, qui sic audit, compungitur, illustratur, orat, exultat, ut fert Davidicum carmen, Exultate iusti in Domino, cuncta hæc umbram æstimat fugacem, omniaque pro stercoribus ducit, quo Christum lucretur, exempli gratia, audit discipulos alloquentem, Ioan. 14. 18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos: modicum, et mundus me iam non videt: vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. Et rursum Ioan. 15. vers. 5. Ego sum vitis vera, vos palmites. Atque iterum vers. 14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Et alibi Luc. 22. v. 28. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis testamentum æternum, ut edatis, et bibatis in æternum super mensam meam in regno meo. Hæc aliaque similia Dei audiet studiosus, non lætatur modo, quin mori Christo quotidie in animum inducit. Sane id institutum cuncti iniere sancti, et his studiis quasi quodam celebri triumpho suum Dei desiderium ostentarunt: quippe ait Ierem. 17. 16. Non sum te sequendo defessus, et diem hominis non desideravi. David quoque Ps. 115. 12. Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Apostoli vero hæc sententia est Philipph. 1. Nobis donatum est a Deo pro Christo, non solum, ut in eum credamus, sed ut etiam pro illo patiamur. Nec Apostoli secus: Verberati, inquit, gaudebant: quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati. Breviter, iis vocibus omnes suum Christi studium demonstrant.*

9. II. In Deo ipso. Secundo exultendum est in ipso Domino, ut dixi initio artic. notation. 2. idque faciendum est nos ipsi uniendo. Primo per contemplationem. Secundo, per virtutes interiores ac præsertim charitatem. Tertio in Eucharistia, ubi Iesus est noster Emmanuel, id est nobiscum Deus. Quarto per orationem. Quinto, per bonam vitam et opera etiam exteriora. A Deo nunquam recedunt sancti sive intellectu, sive voluntate, sive aliis facultatibus et potentiis utantur, sed in eo velut in centro, ac loco suo manent, ab eoque divelli se non patiuntur. S. Basil. comment. in Ps. nostrum, postquam dixit iustis lætendum esse, non quando rem prospere domi habent, non quando corpori bene est, etc. Sed quod Dominum habet talem insignem pulchritudine, tali præditum bonitate, tali denique sapientia præcellentem. Ob id exultandum esse, μετα χαρας αμυθητυ και σκιρτηματων καρδιας, οιονει πηδωσις ενθυσιασμω αγαπης τυ αγαθυ; Cum gaudio inenarrabili et tripudiis cordis, velut per numinis aspirationem subsilientis, ac sensum divinæ delectationis. Subdit deinde ad rem præsentem: Οιονει τοπος χωρητικος εστι των δικαιων ο κυριος; *Quasi locus quidam iustorum capax est Dominus*: in *quo, qui est, necesse prorsus, ut lætetur et gaudeat. Fit vicissim et iustus domino locus, cum illum in sese recipit. Nam et qui peccat, locum dat diabolo, ut qui non obtemperat dicenti: Nolite locum dare diabolo. Itemque Ecclesiastæ 10. 4. Si spiritus potestatem habentis super te ascendat, ne locum tuum dimiseris. In ipso itaque Domino cum simus, cumque quoad licet, ipsius mirabilia speculemur, ex eorum contemplatione lætitiam nostris cordibus comparemus*. Ibi sese cum Deo et in Deo sentiens anima illi adhæret uniturque, et summa delectatione perfunditur, quod noster Anton. Gaudier sic explicat tractat. de perfectionis natura et causis, p. 328. Perfecta, inquit, unio animæ fit per amorem actualem, et frequentes in Deum aspirationes, quæ ex fonte illo amoris manant, et toto die eructare faciunt animam verbum bonum: adeo ut nonnunquam nihil loqui, nihil cogitare præter Deum possit. Tanta est nimirum suavitas et facilitas conversationis cum Deo familiaris, quæ ex oratione mentali oritur: ut inde efficiatur, ut vere semper homo quodammodo oret, et omnia sua opera illo divini amoris sapore condiat, et sive bibat, sive comedat, sive studeat, aut quidvis tandem aliud, *in Deo, et cum Deo*, quem semper præsentem habet, illud agere videatur. Huc spectat devotio illa continua et affectus Deo placendi in omnibus, item actualis conformatio voluntatis cum divina voluntate: ita Gaudier.

10. Ex his sequuntur quinque. Ex his est consequens, 1. non esse exultandum in nobis; 2. non esse exultandum in sæculo; 3. impios vero et solido gaudio exultare non posse; 4. exultationem Sanctorum esse maximam; 5. denique, ab iis auferri non posse.

I. Non in nobis ipsis esse confidendum. Ac primo, non in nobis, nec in meritis, laboribus, perspicacis mentis, bona indole, corporis robore et firma valetudine exultandum est. Remig. in Ps. nostr. *Exultate*, inquit, *id est extra vos saltate, non in vobis gaudentes, sed in Domino. Tantum illi attribuite, in quo æterna est exultatio. Ideo vos iusti exultate in Domino, in omnibus gratias agite Deo*. Vide Ps. 113. 9.

II. Non esse exultandum in sæculo. Secundo, non est exultandum in sæculo, eiusque honoribus, deliciis et divitiis. Idem Remig. in Psalmi procemia: Iustificati gratis, inquit, per gratiam Dei non amplius exultent in sæculo, cuius gaudium finem habet: sed in Domino, in quo sine fine gaudebunt: et innovati cantent canticum novum, quod cantatur non voce, sed nova vita: scilicet novam humilitatem, voce animositatis deposita, novam charitatem, novam iustitiam, induentes

novum hominem, qui secundum Deum creatus est. S. August. serm. 2. de Assumptione Virginis vocat vituperabilem exultationem, qua mundus gaudere dicitur tendens ad luctum.

11. III. *Impiis non esse veram exultationem.* Tertio, non exultant impii, nisi improprie. *Exultate iusti in Domino,* id est, ut ait Dionys. Carth. toto et exuberanti affectu gaudete in primo universorum principio. *Gaudium autem est diffusio animi in conceptu boni, et oritur ex unione potentiæ cum obiecto convenienti.* Consequitur enim aliquam operationem connaturalem seu virtuosam: ideirco impiis non convenit, quoniam operationes eorum sunt innaturales et vitiosæ; peccatum enim est recessus ab eo, quod est secundum naturam et ordinem, secundum Dionys. et Damascen. Unde scriptum est Isaiæ 57. 21. *Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.* Et Philosophus ait, quod signum virtutis est delectatio operis. Operationes vero, quibus rationalis creatura immediate coniungitur Deo tamquam obiecto, sunt operationes intellectus et voluntatis: videlicet contemplatio veritatis, et dilectio bonitatis. Exultatio itaque mentis in Deo, procedit vel ex contemplatione, vel ex sancta et ordinata dilectione, vel ex aliis actionibus virtuosis, quæ a ratione et voluntate imperantur, causantur et diriguntur. Quid ergo est, exultate iusti in Domino, nisi considerate Deum eiusque opera? et diligite eum, et facite ea, quæ Deo sunt placita, et in his cordialiter exultate, non in vobis tamquam propriis viribus bona agatis, aut aliquid a vobismetipsis habeatis, sed in Domino, a quo est omne donum optimum, et omne datum perfectum, Iacobi 1. v. 17. Interdum autem accipitur exultare, gaudere, lætari, magis communiter atque improprie pro gestire: et ita Scriptura divina tribuere solet iniustis prædicta, secundum quod Salomon ait, Proverb. 2. v. 14. *Lætantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis*: ita Dionys. Nonne pessima sunt, quæ facie blandiuntur, et cauda venenum proprio Domino intorquent, quæque impediunt, ne Deo uniamur. S. August. in Soliloquiis cap. 1. *Hinc etiam est Domine, quod in te non gaudeo, et tibi non adhæreo: quia ego in exterioribus, tu in interioribus: Ego in temporalibus, tu in spiritualibus: Ego in transitoriis animo diffundor, cogitatione versor, locutione implicor, et tu Domine in æternis habitas, et æternitas es,* etc.

12. IV. *Iustorum exultationem esse maximam.* Quarto, Sanctorum exultatio maxima est, quia in Domino infinite suavi et amabili est. S. Augustinus in Soliloquiis: *Quamquam,* ait, *hæc infima habeant suas delectationes suosque amores: non tamen tali modo delectant, sicut tu Deus noster. In te enim delectatur iustus, quia amor tui suavis est, et quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine et suavitate, et tranquillitate reples: et contra, amor sæculi anxius est, et perturbatus, animas certe quas ingreditur, quietas esse non patitur: semper enim suspicionibus, et perturbationibus variisque timoribus sollicitat eas. Tu itaque es delectatio rectorum, et merito. Quies enim valida est apud te, et imperturbabilis vita: qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui: et non timebit amplius, sed habebit se optime in optimo.*

V. *Iustorum exultationem esse æternam: impiorum temporalem.* Quinto denique, lætitia et exultatio a iustis tolli non potest, impiorum vero est transitoria. Hoc S. Augustinus considerat in psalmum nostrum, et S. Chrysost. in lib. 1. de orando Deo. Sic autem loquitur: *Gaudio repleamur reputantes honoris magnitudinem, quod Deus mortalium genus tanto, ac tali sua cura dignatus sit, ut assidue divino colloquio frui liceat: per quod illud assequimur, ut et mortales, et temporarii esse desinamus: natura quidem mortales, sed colloquio convictuque, quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes.* Hinc martyres in mediis tormentis exultabant, quia cum Deo erant, qui ait Ps. 90. v. 15. *Cum ipso sum in tribulatione.* Cum S. Eusebius, Pontianus, Vincentius et Peregrinus Martyres sub Commodo Imperatore in eculeo quasi in cruce distenti, nervis et fustibus cæderentur, insultabant tortoribus dicentes: *Nolite remittere: nunc enim vobis tempus, quam nobis animus pro Christo patiendi deficiet.* Cumque Vitellius præses tantam in tormentis lætitiam a magia oriri diceret, S. Vincentius ait: *Non gaudemus nisi in Domino Iesu Christo,* sicut dicit Philippus Ferrarius in catalogo sanctorum Italiæ, ubi etiam refert SS. Savinum et Cyprianum martyres Brixianos super rotas extensos et dilaceratos gratias agentes Deo cecinisse: *Quam dulcis est dilectio tua Domine!* Idem et nos dicamus atque faciamus. Deum amemus, et ille nos amabit. Ut enim ait S. Augustinus in psalm. nostrum: *Ille placet Deo, cui placet Deus.* In Deo delectemur, ut in nobis ipse delectetur, et tamquam filiis dilectis et diligentibus sibi bene complaceat.

Una vox in musica suavis est et delectabilis, sed magis placet symphonia. Unde addit David: RECTOS DECET COLLAUDATIO. Pro *collaudatio* Hebraice est ותהלה *theilla,* id est, laudatio. Hebræi enim compositis carent. Pro *decet* Hebr. est נאוה *nava,* hoc est pulchra, decens, decora, iucunda, gratiosa, venusta, amœna; est enim Toar, a verbo *nava,* id est habitare, amœnum et pulchrum esse. In laude Dei suave est animæ sanctæ tugurium, gratiosa et amabilis habitatio: ibi cum Iesu bonum est nos esse in monte Thabor, quod significat lumen veniens. Semper oritur et crescit lumen illud et nunquam occidit; vallat, et circumcingit, atque illustrat laudantes Deum. Secundo, *nava* est in Niphal a verbo אוה *ava,* id est, desideravit. Sic *nava* significat, ita pulchra est, ut desiderium sui excitet. Talis debet esse nostra oratio, ut a Deo, Angelis, et Sanctis collaudantibus ametur, desideretur, approbetur. Stimulus ad illam est amor Dei et desiderium illi placendi. 13. *Vers. 1. 2 Pars.*

Sensus autem esse potest duplex. Primo, q. d. *rectos decet collaudatio*, id est, Æquissimum est et decentissimum, ut a rectis, iustis et Sanctis laudetur Dominus: ita Campensis, Iansen. et alii. Unde Magnet. vertit: Decet in socias assurgere laudes. Pectora divinis accensa caloribus. Sic oratio fervorem suum conservat.

Secundo, Sensus etiam et bonus esse potest, *rectos decet collaudatio*, id est, recti ornantur et decorantur lauda, quam dant Deo, illa ipsa laudatione, qua Dei decus et gloriam augere moliuntur, seipsos illustrant, perinde quasi ex eorum ore, sicut ex orantis S. Simeonis Sales, flammæ lucentes egrederentur, quæ eos illustrarent. Hinc Campensis ipse vertit: *Rectis ornamenta est, dum collaudant.* Felix, *rectis decora laudatio.* Caiet. Pagnin. *rectis pulchra laus.* Hinc luce et decore cælesti spectabiles visi sunt Sancti plurimi, ut ostendi alias, idque illis accidit præsertim in oratione, ut S. Ignatio.

Quæres, quinam sunt recti, qui sunt aptissimi ad Deum laudandum. Resp. eos esse rectos, qui in nullas voluptates, delicias, honores deflectendo in Deum unum tendant. Ecclæ. 7. v. 30. *Solummodo* (Hebraice est, *tantum vide,* ubi attentio excitetur) *hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum*, velut in citharam mundi prudenter contentam et a curvitate revocatam chordam, ut sonum suavem Dei auribus efficiat. Vide S. Thom. 1. p. qu. 95. et quæ dicam Ps. 50. 12. Olympiodorus in Eccl. legit prorsus rectum, nempe dando naturam rectam, ut vult Caietanus. Deinde gratiæ sanctificantis et iustitiæ originalis rectitudinem, ut alii. Albertus Magnus in post. affert ex Euclide hanc recti definitionem: Rectum est linea brevissima inter duo puncta. Et ex Platone: Rectum est linea, cuius prima pars totam operit lineam, vel cuius medium non exit ab extremis. Tu cum Sponsa in oratione ad Deum ascende *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii*, Cant. 3. 6. et rectus eris, et sic brevissima linea ad Deum pertinges. Qui in terram se incurvat, vocem, seu mugitum, aut rugitum, ululatumve in terram deiicit, eam oculis devorat, corde amat, mente admiratur. Ut vox ad cælum veniat, in illud erigendus est animus. Hoc laudationis et collaudationis decorum, ait Lorinus, cum iucunditate soli recte exhibent recti, quia soli Deo cari; 2. soli de beneficiis grati; 3. soli Deum, ut oportet, noverunt; 4. soli recta, quasi ut corporis sic animæ habitudine, cælum Dei sedem suspiciunt; 5. soli similes Angelis, qui socia semper exultatione maiestatem Dei laudant et concelebrant. S. August. *Distortis,*

14. *Quinam sunt recti ad laudandum Deum apti?* 1. *Qui voluptates et honores spernunt.*

inquit, *et pravis non placet Deus, nec placent Deo. Ille autem placet Deo, cui placet Deus;* cantat enim eius laudes, et quidem canora voce et grata, quod facere non potest peccator. Vide Ps. 49. v. 16. S. Basilius in Psalmum nostrum hoc declarat triplici similitudine. Primo, pedis et calcei: *Sicut,* inquit, *pedi obtorto atque obliquo, calceus rectus non admodum probe optatur; sic obtortis cordibus divina laus minime convenit. Quamobrem existimo dæmonum ori ut de servatore indigne loquenti, ad eum manifestandum oblatam fuisse potestatem. Et Pythonem increpat Paulus, ut ne ab impuro sanctus commendetur. Tale quid et peccatori dicit Deus, Ps. 49. v. 16. Quare tu enarras iustitias meas? Conemur igitur omni studio,* φιλοτιμώμεθα, *opus omne obliquum, ac distortum a rectitudine vitare: mentemque nostram,* ὡς εὐθῆ κανόνα, *ut rectam regulam et animæ iudicium corrigamus: ut nobis existentibus rectis, Dei laus concredatur Deo ipsi offerenda.* Secundo, affert similitudinem serpentis tortuosi et inepti ad Deum laudandum: *Quemadmodum serpens, qui ad peccatum nobis incentor fuit, tortuosus dicitur, et in serpentem draconem tortuosum, Dei ensis inducitur, propterea quod multos digressiones ac divortia in itinere facit. Serpentis namque tractus inæqualiter per humum serpit: prioribus partibus aliter ac illis, quæ sequantur, motis, et rursus postremis adversus priores procedere conantibus. Itaque qui serpentem imitatur, obliquam, inæqualem, et contrarietate refertam suam reipsa exprimet vitam. Qui e diverso domini Dei vestigia sequitur, rectas semitas, recta item pedum vestigia faciet: quia rectus Dominus Deus noster, et rectitudinem sive æquitatem vidit vultus eius,* Ps. 10. v. 7. Tertio, utitur similitudine regularum: *Si duæ,* ait, *regulæ, altera alteri admoveatur, pulchre conveniet utriusque rectitudini. Si vero obtortum iuxta regulam rectam ponatur lignum, incongruum et procul a proportione recti reperitur. Quoniam itaque recta est Dei laus,* εὐθείας χρεία καρδίας, *recto opus est corde, ut ei laus Dei congruat atque conveniat. Quod si nemo Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto dicere valet, quomodo laudem referes, spiritum in tuis visceribus rectum renovatumque non habens.*

15. II. Qui cum Deo voluntatem conformant. Secundo, recti sunt, et maxime ad Deum laudandum apti, qui cum Deo conformem habent voluntatem suam: illi enim neque prosperis, neque adversis inflectuntur; sed semper in Deum feruntur. Ruffinus: *Qui sunt recti?* ait, *qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei: et si eos perturbat humana fragilitas, divina consolatur æquitas. Iusti sunt, qui per fidem et bonam operationem deserviunt. Recti sunt, qui nec extolluntur in prosperis, nec franguntur in adversis: et in his eidem Domino gratias referunt. Iustitia ergo* in *fide et actione, rectitudo in voluntate. Qui tales sunt, ad laudandum Deum et in eo exultandum idonei sunt.* Hæc sumpsit ab Augustino, qui fusius amplificat.

16. Collaudant Deum recti. 1. Cum Angelis 2. Cum hominibus rectis. Recti autem apti sunt ad Deum collaudandum. Primo cum Angelis rectis, qui in iustitia steterunt, et ad quos mentem erigunt. Secundo, cum hominibus rectis, cum quibus stant atque chorum efficere possunt. Incurvati, non se mutuo aspiciunt, sed terram, ideo non bene collaudant vocesque invicem miscent. Pulchra erat collaudatio. Primo, Mosis et virorum Hebræorum: Mariæ sororis Mosis et fœminarum Hebræarum, transito mari rubro dicentium, Exod. 1. v. 15. *Cantemus Domino*, non nobis, aut ulli alteri. Secundo, pulchra erat collaudatio Exempla afferuntur. Deboræ et Barac, victo et prostrato Sisara duce Iabin regis Chanaan, Iudic. 5. v. 1. et seq. Tertio, Annæ et Helcanæ parentum Samuelis eo nato, 1. Reg. 2. Quarto, Davidis et fortium eius heroum, 2. Regum 23. Quinto, Ezechiæ Regis sanati et Isaiæ Prophetæ, Isa. 38. v. 10. Sexto, Iudith cæso Holopherne, et Oziæ principis populi Israel, Iudith 13. v. 17. et cap. 16. Septimo, Iudæ Machabæi summi Pontificis templum Ierosalymæ purgantis, et altare dedicantis, et reliquorum Iudæorum, 1. Mach. 4. vers. 54. Octavo, Deiparæ et Elisabethæ se salutantium, Luc. 1. 42. et seq. Nono, S. Zachariæ et S. Ioannis mox nati, ibidem 67. Decimo, S. Simeonis et Annæ Prophetissæ in die Purificationis Mariæ et præsentationis Iesu, Luc. 2. v. 29.

Nota, ritus alternatim psalmos canendi ab ipsis Ecclesiæ incunabulis est usurpatus, ut patet ex Philone lib. 2. de vita contemplativa, et ex S. Dionys. Areopagita cap. 3. Eccl. Hierarch. Hoc ab ipso Christo sancitum fuisse arbitror, et postea confirmatum visione S. Ignatii Antiocheni Episcopi, qui ipsis convixit Apostolis. Nam ut ait Socrates lib. 6. cap. 8. visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium: et formam canendi in ea visione expressam Ecclesiæ Antiochenæ tradidit. Unde illa traditio in omnibus Ecclesiis recepta est. Iam multis ante sæculis Angelorum chori visi erant ab Isaia alternis vocibus laudem Deo concinentes: Isa. 6. v. 3. *Clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* (Hebraice Sabaoth) *plena est omnis terra gloria eius.* In textu Arabico est tantum, Sanctus, Sanctus. Unde colligit Cornelius, et quia dicitur *alter ad alterum*, fuisse tantum duos Seraphinos illustriores et quasi principes, qui id dicerent. Secundo, Noster Prado et Pererius in Apoc. 4. disput. 7. quatuor Seraphinos visos esse, qui hæc cantarent. Tertio, et melius, Forerius visos esse plurimos arbitratur, et hoc postulabat maiestas Dei ibi apparentis. Unde commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis illius multitudinis. S. Damascenus porro docet tractatu de Trisagio, ab his Seraphinis Ecclesiam didicisse chorum, hoc est modum alternis canendi et psallendi. Quem etiam censeo observatum fuisse a Iudæis in suo tabernaculo et templo. Unde David dicit Ps. 149. v. 3. *Laudent nomen eius in choro.* 17. Cantus alternatio in choro antiqua.

Moral. Utile est ac necessarium, iucundumque, preces suas aliorum oratione roborare. Hoc ipsi faciebant Apostoli, sicque impetrarunt adventum Spiritus sancti, Act. 1. v. 1. *Cum complerentur dies Pentecostes* (Christus ascenderat in cælum die 40. a Pascate. Itaque restabant decem usque ad Pentecosten, id est, diem quinquagesimum, in quo data fuerat lex Mosi) *erant omnes pariter* (Gr. ὁμοθυμαδὸν, hoc est unanimiter) *in eodem loco.* id est, in cœnaculo in quo Christus Pascha fecerat, Eucharistiam instituerat, Apostolis post Resurrectionem apparuerat. Erat autem cœnaculum domus Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus. Angeli ipsi simul Deum laudare appetunt. Deus ait Iobo cap. 38. 7. *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina* (Id est Angeli, ut explicat S. Greg. Philippus, Beda) *et iubilarent omnes Filii Dei?* id est iidem Angeli. A multis Christianis quæri posset, ubi eras, cum me laudarent astra matutina, id est tot sancti religiosi, canonici, Sacerdotes in templo Deum laudantes? Eras tu in ganeis, in lustris, in popinis, in somno et torpore, in nugis et cachinnis: sed cum quo tunc eras? cum scurris et dæmonibus. Tu ad Ecclesiam te confer, ibi est locus Angelorum, ibi locus Archangelorum et omnium cælestium Deum collaudantium. Laudant enim non tantum ore viri sancti, sed corde, oculis, corporis modestia, mente, memoria, voluntate, omnibus potentiis et facultatibus: itaque collaudant. Tu et fac similiter: *rectos decet collaudatio.* 18. Orationes aliorum nos muniamus.

ARTICULUS II.

Non voce tantum, sed musicis etiam instrumentis Deus laudandus est.

Cum Dei sint omnia, quæ sive natura, sive ars effinxit: par est ratio, ut omnia auctoris sui laudes concelebrent. Hinc David ait v. 2. CONFITEMINI DOMINO IN CITHARA (et) IN PSALTERIO DECEM CHORDARUM PSALLITE ILLI. In cithara, id est, cithara. Hebræi nomen instrumenti ponunt in ablativo cum præpositione Beth, hoc est, in. Per citharam porro et psalterium intelliguntur omnia instrumenta musica. Est Synecdoche. Vers. 2. 1. Pars.

Nota, cithara est instrumentum musicum, quod alio nomine Lyra nuncupatur. Vernacule vocamus *harps*. S. Hieron. in epist. ad Dardanum, censet citharam effici in modum Δ delta litteræ, et per digitos variis vocibus tinnulisque ictibus diversis modis concitari. Idem S. Hieron. 19. Cithara quale instrumentum musicum.

sentit in cithara esse tantum sex chordas. Quidam volunt septimam additam fuisse a Terpandro, a Simonida octavam, a Timotheo nonam. Sic enim ait Plin. lib. 7. c. 56. *Citharam invenit Amphion: ut alii, Orpheus: ut alii, Linus. Septem chordis additis Terpander. Octavam Simonides addidit. Nonam Timotheus. Cithara sine voce cecinit Thamyras primus: cum cantu, Amphion: ut alii, Linus. Citharœdica carmina composuit Terpander.* Amphion Thebis regnasse fertur anno mundi 2727. quem fabulantur citharæ cantu saxa movisse, quod, ut ait Euseb. fuerint duro corde: et, ut ita dixerim, saxei quidam auditores. Annus hic erat datæ legis Mosaicæ 184. Baraci et Deboræ 7. Imperii Assyriorum 796. Ante Christum 1326. ante Davidem nostrum. Orpheus vero floruit anno mundi 2786. Diluvii 1330. datæ legis 243. Gedeonis 26. Ante Christum 1267. ante Davidem. Fuit unus ex Argonautis, ab illis heroibus assumptus, ait Salianus, quod nisi eo præsente Sirenes præteriri non poterant, ut prædixerat Chiron. Inter fidicines excelluit: cumque fidibus carmen, et vocis suavitatem adderet, non homines solum, sed arbores et saxa etiam secum trahere dicebatur, quo factum est, ut Apollinis et Calliopes filius celebraretur. Nam ille citharæ inventor, ut quidam putant, hoc a vocis præstantia nomen accepit. Carminis concinnitate omnes, qui ante ipsum fuerant, longo superavit intervallo, ut ait Pausanias l. 9. pag. 304. Multa de Deo, personisque divinis, consentanea fidei Christianæ ab eo scripta referuntur, et eam ob rem non tam Poeta quam Theologus a veteribus est habitus teste S. August. Illum fuisse magum sicut et Amphionem suspicatur Salianus in suis Annalibus: et putat arte magica arbores et saxa realiter loco movisse.

Ex his vides citharæ usum fuisse ante Davidem: illam Cassiodorus sic appellari putat, quod *cita iteratione* percutitur. Secundo, Eustathius citharam dici vult quasi κινουσαν η κευθουσαν ερωτας, id est commoventem et occultantem amores. Sed vide, ut sint sacri et honesti: excitet te cithara ad amorem, sed Dei et divinorum. Tertio, verius est citharam deduci ab Hebræis כנור *chinnor*, qua voce David noster utitur, et citharam significat. Hebræi enim in ethymologiis et derivationibus tantum habent rationem litterarum radicalium, et sæpe secundam radicalem mutari adverti, cum vox Hebraica transit ad aliud idioma. Sicut fortasse ostendam in peculiari tractatu de lectione Hebraica.

20. Nota secundo, pro *psalterio* Hebraica est נבל *nebel*,
Nablum quid? quod Primo Felix, Eobanus, Vatablus et alii vertunt *na-*
blum. Petavius ναβλα. Iosephus lib. 7. Antiquitatum cap.
1. 10. scribit citharam, id est *chinnor* fuisse decem chordarum et solitam plectro perenti: *nablum* vero fuisse duodecim chordarum, et digitis tangi solitum: unde forsan, ait Mercerus, nostræ cheli seu testudini non fuit dissimile. Sed aliquod saltem nablum seu nablium fuisse decem
2. chordarum patet ex nostro Psalmo. Secundo, alii *nebel* reddunt, fistulam utricularem, *une cornemuse*. Nebel enim
3. primario significat utrem, lagenam, hydriam. Tertio *ne-*
4. *bel* vertit Caietanus, violam. Quarto, Folengius, cui assentior, putat esse instrumentum, quod nos *leutum* vocamus ob eius levorem, *un Luth;* olim in eo fuisse decem chordas, nunc vero undecim: Ita ipse, qui addit, psalterium nobilius fuisse, quam cætera instrumenta musica apud Iudæos, et inde patere, quod, cum quatuor olim cantores in prisca illa Iudæorum ætate constituti essent, qui quatuor præessent choris, ob totidem præcipua mundi climata, atque eorum quilibet ex duabus et septuaginta viris extaret: ex quibus alii tuba, alii tympano, partim organis, partim cymbalis, lyrave et cithara canerent, rex solus psalterio regio canebat, quod quidem decem chordarum numero distinctum fuisse scribunt, non absque mysterio. Hæc Folengius, sed verum non arbitror regem solum esse usum psalterio, et patet Ps. 149. 3. ubi vult ab aliis Deum laudari in tympano et psalterio: et Psal. 150. 3. *Laudate eum in psalterio et cithara*. Nunc plures
5. sunt chordæ in psalterio seu leuto. Quinto, S. Hieronym.

A Muisius et Septuaginta quibus maxime credendum est, *nebel* vertunt ψαλτηριον. Mentionem psalterii, velut instrumenti musici, facit Tullius lib. de Aruspicum responsis. Est porro Psalterium, ut ait S. Hieronymus in Psal. 149. genus organi musici, quod est quasi cithara, eiusque habet similitudinem, cithara tamen non est. Inter psalterium et citharam hoc interest, quod cithara deorsum percutitur, psalterium vero sursum. Nam, ut idem notat, cithara habet cavamen inferius, psalterium autem superius: atque alio in loco tradit, Psalterium factum esse in modum quadrati clypei cum decem chordis.

Quæres, sitne licitus usus citharæ, psalterii, organi, et aliorum instrumentorum musicorum in templis nostris? Dico primo, initio nascentis Ecclesiæ in usu non fuisse in templis, ne quid commune cum Gentilibus habere Christiani viderentur: deinde quia sanguine Christi adhuc bullienti et miraculis fieri solitis atque prophetantium vocibus satis inflammabantur, deinde cœtus suos ut plurimum in occulto agebant. S. Iustin. Martyr hunc usum non fuisse docet, qu. 107. *In Ecclesiis non usus carminum per eius generis instrumenta, et alia insipientibus congruentia receptus est, sed simplex cantio in eis manet.* 21. Musicis instrumentis non sunt usi primi Christiani in templis.

Dico secundo, extra templa primorum etiam temporum Christiani musicis instrumentis usi sunt ad laudes Dei concinendas. Clement. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 4. vetat quidem, ne ea instrumenta, quibus Gentiles in suis sacris utebantur, Christiano sint communia, sed addit: *Licet ad lyram vel citharam canere et psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio. Hebræum iustum regem imitaberis, qui Deo gratus est et acceptus.* Locum deinde, quem versamus, citat. Vivebat autem Clemens sub Severo Imper. circa annum Domini 204. fuit Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, S. Panteni discipulus, et Origenis magister eruditissimus. Prudentius vero, qui floruit sub Theodosio seniore circa annum 390. sic canit adversus Iudæos in Apotheosi: Sed extra templa.

Quidquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,
Quidquid in arcano comit ingens spiritus haustu,
Quidquid casta chelys, quidquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum,
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.

Dico tertio, etiam in Ecclesiis usus musicorum instrumentorum per varia Concilia permissus est: nempe per Senonense, Coloniense, Augustense, Tridentinum, et alia. Antiquissimum quoque usum illum fuisse patet: quia Iulianus, qui longe ante S. Gregorii tempora floruit, illa verba expendens Iob 31. 5. *Si autem ambulavi cum irrisoribus, vel cum vanitate*, ait in ipsis templis usitatum fuisse concentum musicorum instrumentorum. Et de templis etiam potest intelligi Prudentius mox allatus. 22. Postea etiam in templis permissus est ille usus.

Bulengerus lib. 2. de Theatro, cap. 33. dicit, Organa nupera ætate Iuliani Apostatæ esse nota, in quibus variæ imparesque tibiæ follibus inspiratæ digitis percurrentibus varium sonum edunt: sed quo tempore Ecclesiis donata sint, non aperit. Glycas et Manasses inventum organorum Imperatori Theophylo tribuunt: at longe ante Theophylum Vitaliano Pontifice, usum organorum in Ecclesia receptum fuisse auctores sunt Martin. Polonus, Ioannes Platina et alii. Platina certe de Vitaliano vult ab illo Pontifice hoc institutum fuisse. Verba eius sunt: *Vitalianus cultui divino intentus, et regulam Ecclesiasticam composuit, et cantum ordinavit, adhibitis ad consonantiam, ut quidam volunt, organis.* Pontificatum autem iniit Vitalianus anno Christi 655. Marian. Scot. in Pipino tradit organa primum missa Pipino regi Franciæ a Constantino Imp. Græciæ. Pipinus autem cognomento Brevis, ob corporis staturam exiguam, auctoritate Pontificis Zachariæ rex declaratus est anno Christi 746. Censet Aimoinus l. 4. de gestis Franc. cap. 113. Organa more Græcorum primo in Francia esse composita, industria cuiusdam Greg. Imp. Ludov. Pio, eiusque sumptibus. Res est incerta. Organa quando inventa.

Hæc de organis intexui, quod vox organi sit etiam

communis omnibus instrumentis musicis. Nam ut ait Buleng. loc. cit. cap. 19. Organorum alia sunt ἐμφυσώμενα et πνευματικὰ, ut loquitur Athenæus, ἐμπνευστὰ Plutarcho, ut cornua, litui, tibiæ, quæ inflatæ ab hominibus sonum edunt. Alia sunt ἔγχορδα, Plutarcho ἐντατὰ, quæ constant nervis et fidibus, ut cithara, psalterium. Nonnulla κρουστὰ, quæ pulsantur, ut tympano, sistro, cymbala, et campana, ut docet Chrysost. protheoria in psalmos, a quo facit Cassiodor. lib. de Musica. Organorum, inquit, aliud percutitur, aliud intenditur, aliud inflatur. Percutiuntur acetobulo ænea vel argentea, unde κρούματα dicta. Tenduntur fides, quæ plectro percussæ mulcent aurium sensum. Inflantur tubæ, calami, organa, pandura, et cætera, quæ spiritu agitata in sonum vocis animantur.

23.
Organa et instrumenta musica permittuntur in Ecclesiis, ob tres rationes.
I.
Ut rudiores ea delectatione in illis sibi placeant.

Quæres secundo: Cur nunc organa proprie dicta, et alia instrumenta musica permittuntur in Ecclesiis? Respond. quia Primo, hac suavitate deliniti simpliciores, aut qui ad divina non ita sunt affecti, sacris mysteriis libentius intersunt. Si enim S. August. lib. 10. Confess. cap. 33. ait se in Ecclesia retinuisse musicam, ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat: cur musica reiiciemus instrumenta, ex quibus non minor exoritur oblectatio? cum præsertim musicam ex instrumentis ortum habere non pauci credant: sive Pythagoram musicæ inventorem placet dicere, qui ex malleorum sonitu et chordarum percussione eam invenerit, ut vult Isidorus: sive Idæos Dactylos, qui modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versuum ordinem transtulerunt, sicut placet Solino cap. 17. Scio musicæ inventionem Musis a Clem. Alex. in admonitione ad Gentes tribui, Dardanis a Strab. lib. 7. Tubali a variis, et quidem melius. Sed etiam Musis sua fuerunt instrumenta, et Dardani semper usi sunt tibiis atque organis variis, Tubalique hæc omnia placuerunt, ut congenerem istorum naturam videas. Quare si nemo est, qui a templis secludendum asse, id est ore tantum prolatæ vocis cantum existimet, quis fidium harmoniam eliminandam putet. Errant igitur Hæretici, qui id faciunt.

Musicæ quis inventor?

II.
Ut affectus pios excitent.
S. Vinc. Ferrerius organa secum deferebat.

Secundo, musica etiam instrumenta affectus pios excitant, moresque componunt. Et quidem S. Vinc. Ferrer. qui sceleratorum Christianorum centum millia ad pœnitentiam provocavit, Iudæorum ac Saracenorum plurima millia ad baptismum suis concionibus compulit, tudiculare organum musicum, *une espinette*, secum devehi curabat, ut hac excitati melodia auditores, alacrius se Deo traderent, et ab eo tradita mysteria et oracula exciperent. Eum sæpe ad octo vel decem hominum millia sequebantur. Et vero ita multis hominibus placet concentus, ut multi veterum Philosophorum dixerint, animam esse harmoniam, alii ex harmonia constare. In animam quidem tantam vim habet, ut Galenus phreneticos modis curaret harmonicis, Xenocrates vero lymphatos. Aulus Gellius lib. 4. cap. 33. ait Ischiacos, id est qui ischiade morbo seu coxendicum laborant, *qui ont la goute sciatique*, sanari tibiæ concentu. Marsilius Ficinus tradit, et quotidiano experientia docet morsos a phalangio in Apulia per certum quemdam instrumenti musici sonum excitari, cum prius stupidi et semianimes iacerent, saltare, sudare, convalescere. Si hæc potest musica in morbis corporis, quid in animæ motibus non poterit? Clinias Pithagoricus, ut refert Chamæleon Ponticus, si quando exasperaretur, sumpta lyra ludebat: et, si quis causam rogaret, dicebat se hac ratione mitescere. Sic lenitur Achilles apud Homerum. Pythagoras denique, ut tradit S. Ambrosius lib. 3. de Virg. priusquam cubitum iret, fidicinem iubebat melodiam canere, ut anxia curis sæcularibus corda mulceret.

Musicæ vis in sanatione corporali.

Et spiritali.

24.
III.
Ut omnia Deo consecrentur.

Tertio denique, omnia instrumenta musica Ecclesiis diceri decuit, ut omnia Deo consecrarentur. Unde David noster in extrema psalmorum clausula sigillatim illa percenset, hortaturque, ut iis omnibus in Dei laudem utamur. Ps. 150. 3. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio et cithara. Laudate eum in tympano, et choro, laudate eum in chordis et organo.* Denique uno verbo omnia complectitur psalmos sic terminans, *omnis spiritus* (S. Hieron. omne quod spirat. Arias, omnis halitus) *laudet Dominum*. Græc. πᾶσα πνοὴ, id est omnis spiratio, omnis flatus. Sive, ut ait Cresol. noster lib. 3. Mystag. ipsum ora mittant, tibiæ ducant, inflent cornua, pneustica exhibeant organa vel hydraulica, omnis denique sonus in hoc animabili naturo, seu nervorum intentu, seu fidium pulsu: seu bombo tympanorum artificiose discriminatus, laudi numinis serviat oportet. In eius laudem, et cinyras Iudæi, et sistro Ægyptii, et Mygdonii cados, et tibias Phryges, et crotalo Gades, et barbari cymbala adaptent. Divinis usibus omnia sunt consecranda. Anacharsis dicebat Græcorum diis musica magis instrumenta, quam humanæ vocis concentum placere. Et quidem deorum imaginibus illa in manus dabant: non quod, ut ait Plutarchus lib. de animæ procreatione, eos lyra aut cithara ludere putarent: ἀλλ' οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν οἷον ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν, sed quod nullum Deo opus esse convenientius iudicarent, quam consonantiam et harmoniam.

Objectio.

Dices, S. Thomas 2. 2. quæst. 91. art. 2. ad 4. sic ait, Philosophus lib. 8. Politic. cap. 6. circa medium dicit, neque fistulas ad disciplinam esse adducendas, neque aliquod aliud artificiale organum: puta citharam, et si quid tale alterum est: sed quæcumque faciunt auditores bonos. Huiusmodi enim musica instrumenta magis animum movent ad delectationem, quam per ea formetur interius bona dispositio. Caiet. ibi dicit, illo tempore, quo vivebat S. Doctor, organa in Ecclesiis non fuisse usitata. Resp. ex dictis esse evidens decipi Caiet. Nam S. Greg. Papa, qui anno Christi 604. Pontif. ani 14. obiit, dicit organa cum pietate usurpari posse, et iam in templis usum illorum fuisse, cum scriberet. Vitalianus etiam præcessit Gregor. de illa dixi supra. Resp. secundo, rudiores excitari ad devotionem instrumentis musicis. Hinc S. Thom. addit, in veteri testamento usum fuisse talium instrumentorum, quia populus erat magis durus et carnalis. Resp. tertio, Ecclesiam relinquere liberum cuique, ut vel utatur, vel non utatur instrumentis musicis et organis. Ecclesia Metropolitana Lugdunensis, ut est antiquitatis retinentissima, in hanc usque diem non est usa organis. Quin etiam Pontifex in capella, et religiosi aliqui ab iis abstinent.

25.
Tropol. Confessio consistit in quinque.

Tropol. *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum.* Confessio alia laudis, alia peccati, ait S. Bonav. quæ consistit in quinque. Primo, in carnis maceratione, unde dicit *in cithara*. Secundo, in operatione, unde, *in psalterio*. Tertio, in decalogi observatione, unde, *decem chordarum*. Quarto, in mentis hilaritate, unde addit: *Cantate canticum*. Quinto, in vitæ novitate, *novum*.

I.
Cithara est symbolum hominis Deo alacriter servientis.

Primo, per citharam et psalterium potest intelligi totus homo Deo alacriter serviens: ita Theodor. et Amalar. Fortun. aliique. Theodor. quidem sic loquitur: *Fieri potest, ut nos*, εὔηχον καὶ παναρμόνιον ὄργανον, *canorum et concinnum organum reddamus, et Deum celebremus per instrumenta omnium sensuum, tum interiorum, tum exteriorum.* Sunt enim nobis quinque sensus exteriores, et quinque interiores, secundum Avicennam, sic fiat psalterium decem chordarum. S. Gregor. in Ezech. de concionatoribus præsertim dicit: *Omnes organa veritatis sumus, quotquot Christum prædicamus*, sive voce, sive oratione prædicamus. Amalarii vero verba sunt lib. 3. de Officio Ecclesiæ cap. 3. *Nostri cantores non tenent cymbala, neque lyram, neque citharam manibus, neque cætera genera musicorum, sed corde. Quanto cor maius est corpore, tanto Deo devotius exhibetur, quod per cor fit, quam per corpus. Ipsi cantores sunt tuba, ipsi psalterium, ipsi cithara, ipsi tympanum, ipsi chorus, ipsi cordæ, ipsi organum, ipsi cymbala.* Hoc S. August. auctoritate in psalmum ultimum stabilit.

26.
II.
Cithara est symbolum corporis et mortis.

Secundo, per citharam corpus, et eius mortificatio: per psalterium vero, anima et contemplatio, seu cælestis doctrina intelligitur: ita S. August. S. Basilius, Beda, Lombardus, Ruffinus, Didymus, et alii. Rationem afferunt, quia cithara ex inferiori parte resonat, psalterium ex superiore, ut infra dicetur.

Ut eithara et homo bene resonent, septem requiruntur.

I. Nata, ad hoe nt eithara vel psalterium bene resonet: Prima ebordæ debent esse bene temperatæ. Homo non dat Deo suavem melodiam, nisi habeat passiones suas ad temperiem reductes. S. Ambros. in Ps. 40. *Quoniam,* ait, *decem sensus homini inesse manifestum est: ideo David, qui et foris et intus canebat, foris corpore, intus corde, dicit in Ps. 91. 4. In decachordo psalterio psallam tibi. Psalterium ergo est homo consummatus in Christo: in quo sicut arte concinentium fila chordarum, ita convenientium resonant opera canora virtutum, ut possit dicere Ps. 70.22. Psallam tibi in cithara sanctus Israel: exultabunt labia mea, cum cantavero tibi: et anima mea, quam redemisti. Paulus ait de se 2. Cor. 7. 5. Foris pugnæ, intus timores. Hic et intus et foris gaudet: sed ille adhuc in certamine, iste in redemptione: quia redemptionem animæ suæ se meruisse cognoverat. Qui psallit, in lætitia est: qui luctatur, in sollicitudine. Verum et Paulus sciebat psallere, sed adhuc se processibus reservabat, cum foret plenius comprobatus, ut psalleret, et ideo dixit 1. Cor. 14. 15. Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente: et quia geminum psallendi officium demonstravit, geminam quoque vocem esse Scriptura edocuit, Propheta dicente Ps. 76. 2. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea od Deum, et intendit mihi.*

II. Secunda, nt eithara aut psalterium bene resonent, debent chordæ esse tenues, S. Gregor. monet mortificatione extenuante opus esse ad bonum cantum. Sic enim lib. 20. Moral. cap. 31. in illud Iobi 30. 31. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium, dicit: *Per fistulas organi, ora prædicantium: per chordas vero citharæ, intentionem recte viventium non inconvenienter accipimus. Quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quasi extenuata chorda in cithara per intuentium admirationem sonat.*

III. Tertio, ut cithara aut psalterium bene resonet, debent chordæ esse siccæ. S. Gregor. pergit loco citato: *Siccatur chorda, ut congruum in cithara cantum reddat, quia et sancti viri castigant corpus suum, et servituli subiiciunt, atque ab infimis ad superiora tendunt.*

IV. Quarto, chordæ prudenter sunt extendendæ. S.Gregor. ibid. *Pensandum,* ait, *quoque est, quod chorda in cithara si minus tenditur, non sonat: si amplius, raucum sonat: quia nimirum virtus abstinentiæ aut omnino nulla est, si tantum quisque corpus non sdomat, quantum valet: aut valde inordinata est, si corpus atterit, plusquam valet. Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt extinguenda, non caro: et tanto quisque sibimet debet moderamine præesse, ut et ad culpam caro non superbiat, et tamen ad effectum rectitudinis in operatione subsistat.* Hoc deinde ait non in se solum præstandum esse, sed etiam in aliis: Itaque Prælati et concionatores prudentiam adhibeant, ut moderate subditos in officio contineant. Intueri, inquit, inter hæc egregium prædicatorem libet, quanta arte magisterii fidelium animas, velut in cithara chordas tenens, alias amplius tendendo extenuat, atque alias a tensione sua relaxanda conservat. Aliis enim dicit Rom. 13. 13. *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis.* Et rursus ait, Coloss. 3. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* Et tamen prædicatori charissimo scribit, dicens, 1. Timoth. 5. 23. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.* Illas ergo chordas attenuando tendit, ne tensæ omni modo non sonent.

Quinto, nullæ chordæ deesse debent, ut bona sit harmonia et concordia. Per psalterium intellexit charitatem Lombardus, ea enim continetur in duobus mandatis dilectionis Dei et proximi, ad quem pertinent decem mandata legis. Thomas Angl. Cardin. ait, in cithara et psalterio designari bonam operationem ex concordia charitatis procedentem. Iacobus de Valentia per citharam figurari vult fidem, spem et charitatem. Est enim, inquit, instrumentum triangulare: ita pariter unus est Christus, sed est colendus triplici virtute: scilicet fide, spe et charitate, sic Valentia. Ut sit perfecta consonantia omnes debent concordare, et tunc est bonum habitare fratres in unum. Sic in homine particulari omnes animæ vires debent uniri, et omnia peccata vitari; nam qui peccat in uno, factus est omnium reus, Iacobi 2. 10. Unus Achan perturbavit totum exercitum Israel, Iosue 7. 25. Unus Absalon totam Davidis familiam, et regnum, 2. Reg. 16. et seq. Unus Iudas ipsam familiam Christi et Apostolorum, Ioan. 13. 21. et seq.

27. Psalterium decachordum. Decachordum psalterium est: decem, id est omnia præcepta servari necesse est, ut bene resonent. S. Maxim. de Eccl. mystag. *Quinque,* ait, *coniugationes, quæ de anima intelliguntur, dixi versari in una coniugatione, quæ quod divinum est, significat. Coniugationes autem nunc dico, 1. mentem et rationem; 2. sapientiam et prudentiam; 3. contemplationem et actionem; 4. cognitionem et virtutem; 5. quæ oblivioni dari nequit, cogitationem et fidem. Eam autem, quæ id quod divinum est, significat, veritatem et bonum. Quibus per progressum mota anima, universorum Deo unitur: eius substantiæ et operationis immutabilem beneficentiam per firmum et stabilem, et qui dimoveri nequeat, in bono ex electione et instituto, habitum imitans. Et ut his parvam aliquam conducibilem contemplationem adiungam, hæc fortasse est divina chordarum decas: eius quod in anima intelligentia comprehendi potest psalterii: quæ habet rationem spiritu resonantem per aliam beatam præceptorum decadem, perfecteque consonantes et numerosos intelligentia apprehendendos sonos efficit, per quos Deus laudatur: ut discam, quænam sit eius quæ canit, et eius quæ canitur decadis ratio, et quomodo decadi decas mystice unitur et coniungitur. Ut meum quidem Deum, et Servatorem completum per me servatum ad se adducat, qui est semper plenissimus, et supra omnem modum plenissimus, et a seipso nunquam potest excedere.* S. Basil. ait, eum qui omnia mandata respicit, facere velut, συνωδιαν και συμφωνιαν, concentum et symphoniam.

V. Quinto, cithara et psalterium ut resonent, debent excavari et evacuari. Quo denotatur: Primo vacuum debere esse animum a curis, ut bene cantet coram Deo in oratione et gratiarum actione. Ps. 45. 11. *Vacate, et videte, quoniam suavis est Dominus,* tunc est suavis musica, cum uni Deo vacamus, et illo uno implemur, ut illum solum resonemus, et illi uni sapiamus. Eccli. 38. 25. *Sapientia scribæ in tempore vacuitatis.* Secundo, corpus etiam vacuari debet ab escis per ieiunia. Arist. in Problem. dicit, vocem eorum, qui post cibum clamant, corrumpi. Rom. 14. 17. ait Apostol. *Non est regnum Dei esca et potus,* q. d. Ibi non regnat Deus, ubi gulæ servitur: non laudatur Deus a guloso, sed venter qui est eius Deus. Hinc sancti se ieiuniis tam studiose addixerunt, ut uni Deo vacarent. Isaias dicit c. 16. 11. *Venter meus* (id est cor meum) *quasi cithara sonabit,* non gravabatur escis, atque habebat passiones temperatas. S. Basil. tom. 2. constitut. monast. cap. 4. ait, γαστρος παιδαγωγια, παθων εστι κολασις, παθων δε κολασις, αταραξια και γαληνη ψυχης. *Ventris moderatio, animi perturbationum compressio est; perturbationum autem compressio, animi pax atque tranquillitas.*

VI. Sexto, cithara a parte inferiori, psalterium a parte superiori resonat. Quo denotatur: Primo debere nos laudes Deo resonare tum in prosperis a Deo venientibus, tum in adversis a carne, mundo, et dæmone exorientibus. S. Aug. prospera et adversa terrena in sola cithara considerat. Secunda, studium vitæ activæ in cithara, studium vitæ contemplativæ in psalterio commendatur: ita Thom. Anglic. Illa necessitatibus proximi subvenit, hæc Deo intendit et illi uni placere exoptat. Tertio, in cithara confitetur, qui ob terrena sive prospera, sive adversa Deum laudat, et cum Iobo dicit c. 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In Psalterio autem confitetur, qui attendit superiora dona Dei: quid sibi retulerit præceptorum Dei, qua doctrina cælesti se imbuerit, quid sibi desuper ex illius veritatis fonte præ cæteris dederit: ita S. August. Ruffin. et alii. Quarto denique, per citharæ confessionem et laudem intellige opera corporis et eius mortificationem: per psalterium vero, operationes mentis: ita Euthym. Origen. Didym. Remig. Ugo. S. Basil. qui

sic ait: *In cithara primum confiteri Deo oportet: hoc est, actiones corporales congrue reddere. Quoniam enim in corpore peccavimus, quando membra nostra serva peccati ad iniquitatem præbuimus: corpore item confiteamur, eodem in peccati dissolutionem utentes instrumento. Maledixisti? benedicas. Circumvenisti proximum in negotio? Redde. In ebrietatem incidisti? ieiuna. Arroganter et superbe egisti? Humiliare. Invidisti? Obsecra. Occidisti? Martyrium subeas, aut certe quod martyrio æquivaleat, per confessionem corpus tuum affligas. Tunc demum post confessionem dignus fueris, qui Deo psallas in decachordo psalterio. Prius enim corporis actiones corrigere oportet, ut decenter ac congrue eas perficere possis iuxta præscriptum divini verbi, ac sic tandem ad intelligibilium contemplationem ascendere. Psalterium enim fortasse mens ipsa dicta est, quæ superna quærit, ex eo quod structura organi huius, a parte superiore sonandi potentiam accipit. Opera igitur corporis, veluti inferne Deo confitentur; quæ vero per mentem annunciantur mysteria, e supernis occasionem habent, propterea quod mens per Spiritum sanctum sonandi accipit facultatem. Qui ergo omnia mandata respicit, ac veluti concentum et symphoniam quamdam peragit: is demum in decachordo psalterio Deo psallit.* Quintilian. lib. 2. cap. 8. orationem perfectam ad populum habendam citharæ comparat in hunc modum: Sicut cithara, inquit, ita oratio perfecta non est, nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat. Idem et nos de oratione apud Deum dicere possumus.

VII. Septimo denique, ut cithara et psalterium bene resonent, requiritur peritus artifex. Ex parte hominis ille artifex est amor, qui chordas tanto studio percutit, ut omnes canorum et iucundum sonum edant. S. August. dicebat, *ama, et fac quod vis.* Ab amante omnia grata proveniunt: nihil displicet, quod ab amore proficisci putamus. Optimus itaque citharœdus est amor. Et vero ut supra dixi, Eustathius vult citharam dici quasi *κινοῦσαν ἢ κεύθουσαν ἔρωτα*, moventem aut occultantem amorem. Ad formam pectoris facta est, ut notet S. Isidor. Sed vide, ne sis cithara vacua sine corde, et solum sonum habens verborum. Secundo, ex parte Dei ille peritus artifex est Spiritus sanctus, qui suo instinctu et impulsu efficit sonum vehementem, sed suavissimum tamen; si bene paratas citharas reperiat atque psalteria, sicut accidit in die Pentecostes, cum tetigit Apostolos, et ex mutis piscatoribus fecit eloquentissimos verbi Dei præcones, Act. 2. v. 2. *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus* (πνοῆς, id est venti) *vehementis.* S. Chrys. hom. 2. de Pentecoste, elogia Spiritus sancti observans, ait: *Spiritus sanctus nostræ imaginis est reformatio, mentis perfectio, spiritalis mentalium oculorum nostrorum Sol, interni nostri hominis lumen, lucifer in pectoris cælo.* Ac deinde: *Spiritus sanctus est copula unionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudium.*

Præparatis cantoribus bonis: nempe viris iustis et rectis: Assignatis instrumentis musicis selectis: nempe cithare et psalterio; nunc declarat quale velit canticum assumi: nempe novum, v. 3. CANTATE EI (non vobis, et vestræ delectationi aut gloriæ et vanitati) CANTICUM NOVUM: BENE PSALLITE EI IN VOCIFERATIONE. Vers. 3. 1. Pars.

28. Canticum novum esse potest ratione quatuor causarum. Cantari vult David canticum *novum* quadruplici novitate, per quatuor scilicet causas: Primo, *Canticum novum* ratione causæ efficientis: id est novæ charitatis, vel gratiæ et fidei, ut dicetur infra. Secundo, cantandum est *canticum novum* ratione obiecti et materiæ: id est de nova et quidem illustri victoria: et de novo rege, id est Christo incarnato. Tertio, *canticum novum,* ratione causæ formalis, id est canticum pulcherrimum, valde iucundum et excellens. Deinde cum novo et insolito fervore cantatum, qui est veluti causa formalis moralis. Quarto denique *canticum novum* ratione causæ finalis, nempe vitæ æternæ, et solius Dei gloriæ.

Canticum itaque novum varie sumitur. Ad litteram itaque, canticum novum, est canticum, *παράδοξον ὑπὸ συνήθειαν*, præter consuetudinem admirabile, nec prius auditum: ita S. Basilius. Secundo, quod nunc primum in lucem prodierit: ita idem S. Doctor. Bellarm. et alii. Tertio, *novum,* id est novo et insolito gaudio cantatum: ita Titelmannus. Sic enim solent cantari nova cantica, quia sua novitate magis feriunt animum.

Allegor. *canticum novum* est canticum de novo homine Christo. Hinc Thomas Angli. et Glossa interlin. vocant canticum gratiæ. Remig. canticum fidei. Lombard. canticum gratiæ, fidei et charitatis. Canticum de incarnatione, de qua mundus exultat, de qua et Angeli cantaverunt Luc. 2. 13. Hoc est canticum novum, quod novus attulit homo. Novus enim rex, nova lex. Nova ecce facta sunt omnia. Hoc canticum non cantant, nisi homines novi, renovati per gratiam, pertinentes ad novum testamentum: ita Lombardus. Iure possumus vocare novum canticum, canticum Agni, ad distinctionem cantici Mosi, cui data est lex vetus. Apoc. 15. 3. S. Ioannes ait se vidisse eos, qui vicerant bestiam et imaginem eius stantes super mare vitreum, habentes citharas Dei, *et cantantes canticum Mosi servi Dei* (illud scilicet Exod. 15. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, quem cecinit mari rubro pertransito) *et canticum Agni.* Cornelius censet idem esse canticum Mosis et Agni, id est Christi: illius tamquam figuræ et typi, istius tamquam exemplaris et antitypi. Sed videntur fuisse duo cantica diversa, et in secundo specialius actas gratias Christo de redemptione, et aliis donis. 29. Allegor. Canticum novum, id est de Christo homine novo.

Novitatem in Christo, ait S. Bonaventura in Psalmos, consistere in quatuor: Primo, in conceptione, Ier. 31. 22. *Novum faciet Dominus in terra, mulier circumdabit virum.* Secundo, in prædicatione, Ioan. 13. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Tertio, in miraculorum ostensione, Ioan. 15. 24. *Si non fecissem opera in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quarto, in resurrectione, unde dicitur Ps. 27. 7. quod caro eius refloruit. Canticum itaque novum, insolitum, et admirabile requiritur ad eum laudandum, qui ab Isaia 9. 6. vocatur admirabilis. A nostro David Ps. 70. 7. prodigium. Primasius id vidit lib. 2. in Apoc. cum ait cap. 5. *Et cantantes,* inquit, *novum canticum. Consona utriusque testamenti veritate, novum Christus canticum dedit: quando idem in principio permanens Verbum, novo ortu per Virginem genitus, novo more indutus homine Deus, potestate propria occidentibus traditus, a morte mirabiliter suscitatus, super cælos, quando voluit, elevatus, misso desuper Spiritu sancto gentes acquirens, novum his omnibus Ecclesiæ conquisitæ canticum dereliquit iugiter decantandum, quo secura posset iudicem sperare venturum, ut in novitate vitæ ambulemus, dicens Matth. 16. 24. Si quis vult meus esse discipulus, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* 30. Novitas in Christo quadruplex.

S. Augustinus sermon. 140. vocat hunc mundum pulcherrimum carmen, quod Deus ex quibusdam pulcherrimis antithetis honestavit. Quot sunt creaturæ, tot sunt voces et chordæ resonantes illud carmen. Idem potiori iure dici potest de mundo gratiæ et gloriæ, quæ sunt præstantiores natura. Valentia hic: In toto ait libro Psalmorum per canticum novum intelligitur testamentum novum: et per psalterium decem chordarum intelligitur lex decem præceptorum in lege Evangelica confirmatorum. Item, lex Evangelica continens in se decem chordas: id est, decem articulos pertinentes ad Christum. Nam prima chorda huius psalterii est Verbi incarnatio. Secunda chorda, est Christi nativitas de Maria Virgine. Tertia chorda, est baptismus Christi. Quarta, eius prædicatio. Quinta, miraculorum operatio. Sexta, mors et passio. Septima, resurrectio. Octava, in cælum ascensio. Nona, Spiritus sancti in Apostolos missio. Decima, per prædicationem Apostolorum Ecclesiæ congregatio: ita Valentia. 31. Mundus est carmen pulcherrimum.

Anagogice: *Canticum novum* cantabunt sancti in cælo nova gloriæ stola circumdati, et tantam gloriam admirantes, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, quæ nec in cor hominis ascendit: itaque nova erit. Præsertim post resurrectionem et renovationem corporis, novus homo novo indigebit cantico. 32. Anagog. Canticum novum in cælo.

Tropolog. Cantare canticum novum, est exuere cum

33. Tropol. Canticum novum canit, qui veterem hominem cum alacritate exuit. alacritate veterem hominem, et induere novum, nempe Christum, hoc est, Christi mores et virtutes. S. August. *Exuite vetustatem, nostis canticum novum. Novus homo, novum testamentum, novum canticum. Non pertinet novum canticum ad homines veteres. Non illud discunt nisi homines novi, renovati per gratiam ex vetustate, et pertinentes iam ad testamentum novum, quod est regnum cælorum. Et suspirat omnis amor noster, et cantat canticum novum. Cantet canticum novum, non lingua, sed vita. Cantate ei canticum novum.* Ruffinus clare: Novus homo, inquit, nova gratia, nova vita nobis commendatur. De his agere, in his Dominum laudare, in novitate spiritus canticum novum cantare est: ita ipse. Quid sit vetus et novus homo enucleate aperit Remigius: Cantate ei, ait, canticum novum: scilicet deponentes mendacium, simulationem, odium, invidiam, detractionem, et omnem malitiam, quæ sunt veteris hominis: quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo virtutes novi hominis induite, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate virtutis. Vetus canticum est animositas, superbia, et odium. Novum vero canticum est, mansuetudo, humilitas, charitas. Beda ad novum canticum requirit novam charitatem in dilectione inimicorum, quam distinctius imperat lex nova, quam vetus Matth. 5. 44. Luc. 6. 27. et 35. Verba Bedæ sunt: *Est novum canticum nova charitas, ut non tantum quisque diligat amicum, sed etiam inimicum sicut seipsum: sicut vetus canticum, est vetus animositas.* De renovatione instar aquilæ, vide Psal. 102. 5. sic oculos in solem conicies per contemplationem, et volabis per actionem.

34. Canticum novum est canticum Deiparæ. Accommodatitie. Primo quidem apud Salmeron t. 3. tract. 11. *canticum novum* hic intelligunt Deiparæ canticum, quod inter Evangelica primum est, atque in psalterio decachordo dictum: constat enim decem versibus. Unde præfiguratum volunt decem canticis veteris Testamenti, nempe Mariæ sororis Mosis, Exod. 15. Mosis, Deuter. 32. Deboræ, Iudic. 5. Annæ, 1. Reg. 2. Davidis, 2. Reg. 22. Salomonis, in Cantico; Iudith, Iud. 16. Ezechiæ, Isa. 38. Habacuc, cap. 3. trium puerorum, Dan. 3. Sed hæc paulo sunt remotiora. Secundo, Euthym. iuxta anagogen, ut loquitur, *canticum novum* intelligit Christianorum cantus, quoscumque scilicet fideles composuerunt, qui novi sunt comparatione antiquorum mandatorum. Talia sunt cantica Zachariæ nato S. Ioanne, Luc. 1. 46. Simeonis Christum ulnis excipientis in Hypapante, id est, in occursu in die purificationis Deiparæ, Luc. 2. 29. Ad alia omnia extendere potes, quæ sancti viri fecerunt.

35. Vers. 3. 2. Pars. Post assignatum canticum declarat David modum, quo cani debet, vers. 3. BENE PSALLITE EI IN (id est, cum) VOCIFERATIONE. Duo dicit: psallendum esse bene. Secundo, psallendum esse cum vociferatione. Ad quod

Nota primo, pro *bene*, Hebraice est הֵיטִיבוּ *hetibu*, id est benefacite; Noster legerat הֵיטִיב *heteb*, id est bene, optime, vehementissime, exactissime, diligenter, pulchre, iucunde, apte, apposita, decenter. Hinc vertit *bene*. Campensis, *quam optime*. S. Hieronymus, *diligenter*. Syr. *decenter*. Alii, *docte, strenue*. Euthym. sublimiter, egregie, ex tota anima. S. Basilius, mente indivulsa. Septuaginta, καλως, id est, *pulchre*, honeste, perite, congrue, commode, venuste, convenienter. Rad. יָטַב *iatab*, bonum esse, bene, et convenienter esse, placere, pulchrum et iucundum esse, aptare, dirigere, disponere.

Bene psallit, qui bene vivit. Tropologice. Bene psallit, qui bene vivit, et cum amore Dei canit. Hebr. nunc ad verbum habent, *benefacite modulando in iubilatione*. Ut enim ait S. Hieronymus ad Rusticum cap. 8. *In psalmo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur*. S. Cyprianus tractat. in orationem Dominicam: *Deus non vocis, sed cordis auditor est*. David Ps. 46. 8. præcipit, ut psallamus sapienter. S. Nilus de oratione cap. 77. ait, cane prudenter. Innocentius III. cum Concilio Lateranensi præcipit, ut canatur studiose et devote. Verba eius sunt: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter et* A *diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote.*

Ingratus est humanis auribus serræ stridor, grunnitus porcorum, asinorum ruditus: neque vel ipsam symphoniam amamus, nisi vocum recta sit concentio. Et erit, qui iudicet asperatam ira vocem, inquinatam libidine, laxam pigritia, subraucam invidia, superbia rigidam, avaritia gracilem, obtusam gula amovendam esse a Dei auribus, quas innumeri Angeli et Sancti modulatis vocibus demulcent, et quæ vel minimam dissonantiam statim percipiunt, longe magis quam periti musices magistri. Unde S. Augustinus ait: *Quærit unusquisque, quomodo cantet Deo. Canta illi, sed non male. Non vult offendi aures suas. Bene cantate, fratres. Si alicui bono auditori musico, quando tibi dicitur, canta, ut placeas ei: et si vis aliqua instructione musicæ artis cantare, trepidas, ne displiceas artifici: quia quod in te imperitus non agnoscit, artifex reprehendit: quis offerat Deo bene cantare, sic iudicanti de cantore, sic examinanti omnia, sic audienti. Quando potes afferre tam elegans artificium cantandi, ut tam* B *perfectis auribus in nullo displiceas? Ecce veluti modum cantandi dat tibi: noli quærere verba, quasi explicare possis, unde Deus delectetur. In iubilatione cane.* Cætera addam infra. Mala psallit, qui male vivit.

Non ingrediuntur aulas Principum et Regum, atque secretius eorum conclave, qui sacco et vestibus laceris induuntur, quique iis fimo et luto conspurcatis fœtent. Rasa densaque bombyce amicti, argentoque, et auro asperis, lucentibusque vestibus conspicui et spectabiles regio se conspectui sistunt. Oratio autem nostra eo temeritatis et audaciæ evadet, ut illuvie squaloreque horrida cælos penetret, thronoque se divino visendam offerat? ideo indignatur Deus, in cuius conspectu non stat malignus, et David hoc declarat Psal. 49. 10. *Peccatori autem dixit Deus* (quanta distantia, Deus et peccator?) *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* que fœdato illud contamines. Lacedæmonii ne Reipublicæ quidem utilem sententiam admiserunt, quod per os scelerati hominis transisset, veluti C per sulphuratam et toxicatam venam: sed priusquam ad usum ea revocerent, a probo viro dici voluerunt, ut per os eius, velut per canalem vivificum, gratum odorem, succum et vim acciperet. Facile est, ut vasis venenum vel exquisitissimis cibis adhæreat, ideoque non inutiles modo, sed etiam noxii reddantur. Eccli. 15. 9. dicitur: *Non est speciosa laus* (sapientiæ increatæ et creatæ) *in ore peccatoris: quoniam a Domino profecta est sapientia*, et peccator e diabolo, est enim eius filius; et sapientia, id est, Verbum Dei a Patre gignitur. Græca aliter habent: Non est speciosa laus in ore improbi: *quia a Domino non est missa*, scilicet illa laus. Itaque impudenter irrumpit in conspectum Dei et Angelorum, sicut satan cap. 1. Iobi, et Menippus in cælum volare præsumpsit apud Lucianum: unde a Iove deiectus est. Imperat Deus populo Israel, id est decem tribubus peccantibus, Amos 5. 23. *Aufer a me tumultum* (Septuaginta, sonitum. S. Iustinus in Tryph. multitudinem. Sed tumultus melius notat animum perturbatum, et internis sceleribus agitatum, atque voces insanas et inconditas) *et cantica lyræ tuæ non audiam*. Se- D ptuag. Psalmum organorum tuorum non audiam. S. Aug. vere dicit in Ps. 102. *Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua?*

S. Hieronymus in Amos, orationem Iudæorum et hæreticorum vocat *grunnitum suis*, et clamorem asinorum. Contra vero, etiam vox subsurda et fusca, pura et canora cælitibus censetur, si innocenti vitæ adiungatur. Unde idem S. Hieronymus in epist. ad Ephes. ait: *Quamvis sit aliquis, ut solent illi appellare*, κακοφωνος: *si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est*. Et Thomas Cantiprat. lib. 2. exempl. cap. 4. refert: cum quidam in Ecclesia canerent, super quemdam in angulo cantantem lugubri voce, cælestem vocem inauditam esse: non est exauditus, nisi raucus. Quis ea sit imprudentia et temeritate, ut occiso cuiusquam filio, se ad eum conferat cruentatis adhuc

manibus? Peccator crucifixit Dei Filium, et elevat manus stillantes eius sanguinem eorem Deo Patre? Audi eum Iudæis loquentem, id est duobus tribubus, Isaiæ 1. 15. *Cum extenderitis* (cum affectu et ardore) *manus vestras, avertam oculos meos a vobis: et cum multiplicaveritis orationem* (eamdem, de eadem re) *non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Lavatis eas exterius, sed intus impletæ sunt sanguine, id est sceleribus. *Lavamini, mundi estote*, etc. *et venite*, q. d. tunc venite, cum eritis loti et mundi, tunc audiam vos, aspiciam, et compotes votorum faciam. Israelitis vero, id est decem tribubus ait idem Dominus Amos 5. 21. *Odi et proieci festivitates vestras: et non capiam odorem cætuum vestrorum* (id est thus et thymiama) *Quod si obtuleritis mihi holocaustomata, et munera vestra, non suscipiam: et vota* (Septuag. salutares, supple hostias, id est victimas pacificas) *pinguium vestrorum, non respiciam*, sicut Caino contigit, Gen. 4. 5. *Ad Cain vero, et ad munera eius non respexit*, cum prius dixisset respexisse ad Abel, et ad munera eius: erat enim innocens, in eo sibi complacebat: unde pro *respexit*, vertit Symmachus ετερφθη, delectatus est. Lactantius lib. 5. institut. cap. 9. ait: Christianorum omnis religio est, sine scelere, et sine macula vivere. Et Mercur. Trismeg. Unicus Dei cultus est non esse malum.

Nota secundo, pro *in vociferatione*, est Hebr. בתרועה *bitrua*, id est in iubilatione: ita habet in Psalt. Rom. et Ambros. S. August. Cassiod. Vox *therua* significat Primo, vociferationem, clamorem tam in lætitia, quam in luctu. Hinc Noster et Muis. vertunt, in vociferatione. S. Hier. in iubilæo. Felix et Flamin. cum iubilatione. Pagn. cum clamore. Secundo, *therua*, est sonitus tubæ incisus, et inæqualis, ut cum classicum canitur. Unde Caiet. reddit, Bene facite sonare in clangore. Vatabl. Suaviter ludite instrumentis musicis, in clangore tubæ. Magn. et valido clangore tubas animate canoras. Campensis, incendite organa cum clangore. Petav. διαμπη σαλπιγγων ορυμαγδος αν ουρανον αχρις ικηται, id est iugis tuborum strepitus pariter in cælum usque perveniat. Deus imperat buccinari in neomenia tuba, Ps. 80. 4. Hoc est novum canticum.

36. *Vociferatio in cantu quinque denotat.* I. Vociferatio porro seu iubilatio denotat: Primo ardorem in pugna, et audaciam in hostes. Timor enim spiritus vitales et animales ad cor revocans, elingues facit, o lingua eos abducens. Euthym. Vociferatio, inquit, est ingeminata militum vox, quæ adversus hostes audaciam præstat. Per huiusmodi vero vociferationem confidere nos admonet, dicens: psallite iubilanti voce, ac fiduciam præstante, postquam hostes omnes territi, atque in fugam conversi sunt.

II. Secundo vociferatio, iubilatio, clangor tubæ declarant lætitiam ingentem de obtenta victoria, et gratiarum actionem. In triumphis Romani utebantur tuba. Sept. habent, ψαλατε αυτω εν αλαλαγμω. Est autem, αλαλαγμος, Primo clamor lætus militum ante pugnam, in pugna, vel post pugnam in victoria. Vegetius, et alii barritum nuncupant, metaphora ducta ab elephantis ob intensionem clamoris, alii iubilationem, Cæsar ululatum vocat lib. 5. de bello Gallico. Secundo, αλαλαγμος, est victorialis hymnus, ut ait Suidas et Hesychius. In nostro autem Psalmo, ut dixi, agitur gratiarum actio de illustri aliquo victoria a Davide obtenta. S. Basilius ad Christianos referens ait: *Bene psallite ei in vociferatione. Audite mandatum. Bene psallite: hoc est*, αμετεωριστω διανοια, *mente indivulsa, nec alio quoquam distracta, sed affectu sincero:* ειλικρινει διαθεσει. *In vociferatione psallite: Quasi enim*, καλοι στρατιωται, *boni quidam milites, parta iam de hostibus victoria, victoriæ auctori referte hymnos. Confidite, inquit, ego vici mundum. Quisnam hominum adversus diabolum bellum gerere possit, nisi ad Imperatoris nostri protectionem simul et virtutem fugientes, illinc in hostem nostrum petita n fide, quæ in Christum est, iacula contorqueamus, et sagittis configamus?*

III. Tertio, vociferatio seu iubilatio denotat unanimem militum animum, et generalem amorem, qui consonas edat voces. S. Basilius id etiam vidit: *Bene psallite*, inquit, *in vociferatione. Est autem* αλαλαγμος, *vociferatio vox quædam inarticulata*, συμφωνως συνασπιζοντων εν πολεμω συνεπεχοντων, *cum in bello addensati milites, et inter se constipati consone sibi acclamant. Igitur* εν συμφωνια και εν συμπνοια και δια αγαπης ενωσει ψαλατε, *in uno concentu, eademque animorum conspiratione, et unione charitatis psallite.*

Quarto, vociferatio seu iubilatio denotat ardentem amorem Dei, et desiderium summum illi placendi, et ob accepta beneficia gratum animum testificandi nihil sibi reservando, sed omnia ad eius gloriam et honorem profundendo. *Psallite ei in vociferatione*, id est, ait Remigius, omni mentis intentione, vel ineffabiliter. Est metalepsis. Vociferatio enim est consequens ad amorem vehementem, et pro illo ponitur. In auribus Dei solus amor clamat. S. August. in Ps. 119. *Quam multi*, ait, *sonant voce, et corde muti sunt? quam multi tacent labiis, et clamant affectu, quia ad cor hominis aures Dei; sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus, et dicere: multum peregrinata est anima mea.* Eobanus Hessus hic perfectam et ex toto corde iubilationem adhibendam monet, cum canit: Dicite Carminibus *iubila plena* novis. Vide dicta Ps. 28. *Immolavi in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Ruffinus optime in Psalm. nostr. Bene psallit, inquit, qui bene vivit. Sed hæc ipsa bona vita nostra quamdam in auribus Dei debet habere spiritualem vociferationem, ut quidquid bene vivendo agimus, *toto affectu, tota fide, tota devotione* ad laudem Dei, in quantum possumus, faciamus. IV.

Quinto denique, vociferatio et iubilatio denotat cognitionem infinitæ et ineffabilis Dei maiestatis, potentiæ, sapientiæ, benignitatis, et bonitatis, atque cognitionem imbecillitatis nostræ et impotentiæ ad eius essentiam, personas et attributa sufficienter laudanda. Iubilatio enim et αλαλαγμος denotant voces inarticulatas ob vehementiam affectus, et rei excellentiam. S. Augustin. *In iubilatione cane. Hoc est enim bene canere Deo, in iubilatione cantare. Quid est in iubilatione canere? Intelligere, verbis explicare non posse, quod canitur ore Deo. Etenim illi, qui cantant, sive in messe, sive in vinea, sive in aliquo opere fervendi, cum coeperint in verbis canticorum exultare lætitia, velut impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se a syllabis verborum, et eunt in sonum iubilationis. Iubilum sonus quidam est significans cor parturire, quod dicere non potest. Et quem decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim est, quem fari non potes. Et si eum fari non potes, et tacere non debes, quid restat, nisi ut iubiles? Ut gaudeat cor sine verbis, et immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum. Bene cantate ei in iubilatione.* In bellis, victoriis, et triumphis fit vociferatio, et iubilatio. Septuag. ut supra dixi, habent εν αλαλαγμω, quæ vox deducitur ab *alala*, voce inarticulata, qua utuntur milites ante pugnam, et in pugna, cum præsertim fugacibus insistunt, et ad eos persequendos invitant commilitones. Ovatio, quæ erat minor triumphus, dicitur quasi ohatio, ut quibusdam placet, ab interiectione lætantis *ohe* deducto etymo. Deinde *oo* lætantes solent ingeminare, quod in Canadensibus, Huronibus, et illius tractus hominibus nunc maxime notatur. V.

Concludamus cum S. Bernardo, qui omnia complectitur necessaria, ut et bene psallamus, et psallamus in iubilatione. Sic enim serm. 13. in Cant. *Omnis de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum auctorem et largitorem. Idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis: nec sola consuetudine, sicut sæcularibus: sed nec quadam necessitate, ut iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, devotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, et reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati, quo interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus, et excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales lætitias in iubilæis, amœnitatibus, in* 37. *Necessaria ut bene psallamus.*

lumine Dei, in suavitate, in Spiritu sancto probantes nos comprehensos in his, quos Propheta intuebatur, cum diceret Ps. 88. 16. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt toto die, et in iustitia tua exaltabuntur.

Modus illam iubilationem internam habendi est clamor etiam corporeus. Vide dicta Psal. 4. 1. *Cum invocarem* (Hebr. cum clamarem) *exaudivit me Deus iustitiæ meæ*, auctor scilicet ac promotor, id est me iustificans. Hunc clamorem oris laudarunt et usurparunt sancti, sed prudentem et moderatum. S. Dominicus post Completorium sæpe in Ecclesia orans perseverabat ad nocturnas usque preces, quas etiam cum fratribus persolvens cantabat alacriter, et *alta voce:* solebat etiam per utramque transire chori partem *voce iubilante*, monens et invitans fratres ut *alte* et distincte psalmodiam depromerent. Arabs. vertit: *Laudate eum laude nova, psallite ei bene, altis vocibus.* S. Bern. ad eumdem fervorem et clamorem alacrem alumnos suos adhortatur serm. 47. in Cant. in illud cap. 2. 1. Ego flos campi, et lilium convallium, id est corona humilium religiosorum. Sic enim ait: *Ex regula nostra nihil operi Dei præponere licet. Quo quidem nomine laudum solemnia, quæ Deo in oratorio quotidie persolvuntur, Pater ideo Benedictus voluit appellari, ut ex hoc clarius appareret, quam nos operi illi vellet esse intentos. Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integro transilientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces sancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis.*

ARTICULUS III.

Materia cantici novi est sanctitas, fidelitas, misericordia, et iustitia Dei.

38. INSTRUCTO iam musicorum choro, paratisque ad triumphales cantus musicis instrumentis, nempe cithara et psalterio, veluti quadriga invectum Deum nobis David ostendit, et curru triumphali spectabilem: rotis sanctitatis scilicet, fidelitatis, misericordiæ, et iustitiæ deductum. Sanctitas declarari potest, vers. 4. *Quia rectum est verbum Domini.* Secundo, fidelitas: *et omnia opera eius in fide.* Tertio, misericordia. Quarto, iustitia. De utraque dicitur, vers. 5. *Diligit misericordiam et iudicium.* Sed eminet misericordia: *Misericordia Domini plena est terra.* Vel quatuor illas cælestes nymphas ac Dei filias in eius curru triumphali colloca, unde misericordia cornucopiæ plenum floribus et donis tenens, toto itinere obvios recreet, et locupletet sparsis floribus, gemmis, et aliis.

Currus Dei quatuor rotæ sunt quatuor virtutes.

39. Ac primo, Sanctitas in prima currus parte emicat, odoratum manu balsamum prætentans, coronaque e cinnamomo insignis, blando oculorum vultusque in affusos populos circumiecto omnes in sui amorem excitans, et ad Deum invitans. Hinc dicit David, v. 4. QUIA RECTUM EST VERBUM DOMINI, ET OMNIA OPERA EIUS IN FIDE.

Vers. 4. Prima rota est sanctitas.

Quæres, quodnam est hoc verbum Domini rectum? Primo, respondent aliqui verbum Domini esse ipsum Dominum, nimirum sanctissimam Trinitatem: *Rectus Pater, rectus Filius, rectus Spiritus sanctus*, ait S. Basilius. Secundo, verbum Domini est Filius Dei, secunda scilicet persona Trinitatis, quæ est terminus intellectionis divinæ, qua seipsum Deus Pater ab æterno cognoscit, et sic Verbum eius est, sicut terminus intellectionis nostræ est et appellatur verbum mentis; sed est accidentale in nobis, in Deo est substantiale, et consubstantiale, idem realiter cum ipsa Dei essentia et substantia, itaque rectitudine eadem rectum est, qua ipse Deus Pater. De illo hic explicat S. Basilius, et S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos, qui ex hoc loco probat divinitatem Verbi, et consubstantialitatem, cum seiunctim collocetur ab operibus Dei: dicitur enim, *rectum est verbum Domini:* deinde additur, *et omnia opera eius in fide.* Sic Ps. 103. 24. canitur: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti*, id est, in Verbo, et per Verbum tamquam per ideam et exemplar omnium producibilium: ipsum autem Verbum non dicit factum.

Verbum Dei rectum quid est?
I.
II.

III. Tertio, et melius, *verbum Domini* est mandatum eius, doctrina, instructio, prohibitio, iussio, communicatio, promissio: ita Bellarminus, Lorinus, et alii. Bruno arctat ad præceptum cantandi Domino. Sed hoc est angustius.

IV. Quarto denique, et aptissime, *verbum Domini*, est specialis promissio de victoria obtinenda, facto Davidi per Ephod atque Rationali. Solebant enim Hebræi, præsertim David, consulere Dominum, qui per Sacerdotem supremum, id est, Pontificem, respondebat, et reddebat oracula, ut patet 1. Reg. 23. 6. et cap. 30. 7. apertissime. Item 2. Reg. 19. et 23. Iuvat versio S. Hieron. in commentario. S. August. Cassiodor. Psalt. Rom. *Rectus est sermo Domini.* Sermo enim dicitur a serendo, cum mutuis collocutionibus velut inter nos verba serimus. In illis autem oraculis David proponebat dubia sua, et Pontifex vices Dei gerens respondebat, et serebat bonum semen, quod lætas fruges victoriæ funderet atque felicitatis: atque David pectus suum tamquam agrum fidelem et fœcundum Deo offerebat, in quo verba eius, velut æternitatis semina, germinarent, et facerent fructus dignos Deo et suos paradiso. Allegorice, Verbum illud Dei est Evangelium: ita S. Cyrillus.

Et spe.

40. Quæres secundo: In quo consistit illa rectitudo verbi Domini? Primo, rectum est in seipso, id est sanctum, immaculatum, purum, in quo nihil sit obliquum, nihil depravatum, nihil distortum, et recurvum: ita Cyrillus et Didymus. Campensis vertit: *Verbum Domini sacrosanctum.* Secundo, *rectum*, quod ad Deum dirigit: ita Cassiodorus. Tertio, quod a Deo ad effectum obtinendum dirigatur: ita S. Hieron. Quarto, quia recta docet, iubet, prædicat, et promittit: ita Ruff. *Dominicum*, ait, *verbum rectum est: quia recta docet, recta iubet, recta prædicat, recta promittit. Ad nullam falsitatem distortum est, ad nullam vanitatem: ad dexteram non declinat, neque ad sinistram: recta itinere, recta via ad supernam patriam nos perducit. Nec in verbo tantum Deus est rectus, sed et in operibus suis fidelis existit, reddens homini, quod promisit.* Quinto denique, verbum Domini est *rectum*, id est fidele: ita Aiguanus, alias incognitus. Rectum, ait, dicitur, cuius medium non exit ab extremis. Verbum autem est medium inter intentionem loquentis, et eius effectum. Et ideo tunc verbum dicitur rectum, quando concordat cum intentione loquentis, et exteriori opere. Verbum ergo Domini ideo dicitur rectum, quia quod sonat, ab intentione procedit, et per effectum perducitur. Sic enim dicitur Ps. 144. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

In quo consistit rectitudo verbi Domini.
1.
2.
3.
4.
5.

41. Quæres, de qua fide sermo est, cum dicitur: *Omnia opera eius in fide?* De fide, qua Deo creditur, explicant S. August. S. Chrysologus, S. Ambros. S. Gaudentius, et sensum esse volunt:

Omnia Dei opera in fide quomodo sint?

1. Primo, *omnia opera eius in fide*, id est fidem confirmant: ita S. Thomas et S. Basilius, qui sic eleganter et subtiliter explicat: *Quid est quod dicit? Opus cælum, opus terra, opus mare, et aer denique animata et inanimata, rationis participantia, et eius expertia omnia. Quomodo autem in fide omnia? Quænam in animatis fides? quæ item in brutis, quæ fides in lapide, quæ in cane? Nec inanimatum, nec brutum aliquod in fide. Hic autem nihil excipit, omnia comprehendit, dicens: Cuncta opera eius in fide. Quod ergo opus dicit? Si cælum, inquit, contempleris, et ipsius ordinem consideraveris, [Greek], fidei tibi dux est. Per id namque artifex tibi ostenditur. Si terræ ornatus et diffinitionem variam inspexeris, rursus per hanc tibi erga Deum augescit fides. Non enim carneis istis oculis edocti Deum, in ipsum credimus: sed discursiva vi mentis per hæc quæ videmus, invisibilem conspicimus. Omnia ergo opera eius in*

fide: et si lapidem dixeris, quamdam habet δυναμεως τῦ πεποιηκοτος αποδειξιν, *demonstrationem eius, qui se lapidem creavit: et si formicam, et si culicem, et si apem dixeris,* πολλακις εν μικροτατοις σοφια δημιουργῦ διαφαινεται. *Sæpe namque in minimis conditoris sapientia solet apparere. Nam qui cælum expandit, et immensa pelagi spatia diffudit, is est, qui tenuissimum apis aculeum, veluti fistulam quamdam excavavit, ut per illam venenum effundat. Omnia igitur opera eius in fide. Nihil tibi omnino sit infidelitatis occasio. Cave dicas, temere factum est hoc, et sponte hoc provenit. Nihil enim inordinatum, nihil non præfinitum, nihil accidit frustra, nihil temere fertur. Nec malum ullum eventum, aut malam dixeris horam,* απαιδευτων φωναι. *Hæ namque ineruditorum sunt voces. Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex eis absque Dei voluntate non cadet? Matt. 10. Quot capilli capitis? et unus ex eis non est apud Deum oblivioni. Vide quomodo divinum oculum ne minutissimorum quidem rerum consideratio effugiat.*

II. Secundo, *omnia opera eius in fide*, q. d. credenda sunt, non discutiendo: quia sunt incomprehensibilia: ita S. Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 5. tom. 3. *Scriptum est*, ait, *Omnia opera eius in fide. Opere ergo in fide, generatio sine fide? Et discutimus, quæ non videmus, qui iubemur credere magis, quam discutere, quæ videmus? Dicet aliquis: Quomodo generatus est Filius quasi sempiternus, quasi Verbum, quasi splendor lucis æternæ, quia simul splendor simul operatur, ut noscitur? Apostoli istud exemplum est, non meum. Noli ergo credere, quod fuerit vel momentum, quo fuerit sine sapientia Deus, aut sine splendore lux. Noli, Ariane, ex nostris æstimare divina, sed divina crede, ubi humano non invenis. Rex gentilis in igne cum tribus pueris Hebræis quarti quasi Angeli vidit figuram. Et quia præstare putabat Angelis, Dei Filium, quem non legit, sed credidit, iudicavit. Abraham quoque tres vidit, et unum adoravit. Petrus in monte Mosem et Eliam cum Filio Dei vidit, nec erravit in natura, nec erravit in gloria. Denique quid facere deberet, non illos, sed Christum interrogavit. Nam et si tribus parabat obsequium, unius tamen expectabat imperium.* Agit deinde de admirabili Christi nativitate ex Virgine, quam etiam fides docet, non ratio. S. Gaudentius Episcopus Brixiensis serm. 14. de promiss. Paracleti, in eumdem sensum allegat verba Psalmi nostri: Credere, inquit, nos oportet, non aliter esse Deum, quam seipse proprio sermone revelavit esse credendum: facta quoque eius non debemus rebelli spiritu discutere, sed fideli studio admirari. Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia opera eius in fide. Si omnia opera in fide, quanto magis istud opus sacratissimæ incorporationis eius? Desinamus ergo fide neglecta, contumeliosis quæstionibus divinum pulsare mysterium. Nam scrupulositas hæsitantis intelligentiam factorum Dei superflua curiositate non invenit: sed *fidem perdit, quam constat esse ducem salutis ac vitæ.* Quod autem nimia scrupulositas fidem perdat, facile potest ex una specie divinæ operationis intelligi. Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, cum non assequor, qualiter eam Creator eius ex nihilo fecerit: nisi credidero tamen et confessus fuero eam factam, mendacem Deum sacrilega cunctatione pronuncio: ita Gaudentius, cui tamen non assentior factam esse ex nihilo. Nihil enim creatum est proprie dicta creatione, præter terram, cælum empyreum, et abyssum aquarum, quæ occupabat spatium inter illa duo. Hæc enim tantum Deus produxit primo instanti, quo cœpit producere. Ex abysso vel terra cætera formavit. Sed pene non minus mirum est lucem e materia tenebrosa educere, quam e nihilo creare.

III. Et optime. Tertio, et magis litteraliter, *omnia opera eius in fide*, id est in fidelitate, q. d. fidelia, veracia, neminem fallentia, respondentia dictis et promissis eius, ab omni fraude et omni iniustitia aliena: ita S. August. Remig. Theodoret. Ludolph. Raynerius Snoygoudanus, Iansen. q. d. Deus fideliter et sincere cuncta operatur et præstat: ita Geneb. *Omne opus eius firmum:* ita vertit Campensis et Vatabl. *Omne opus eius in veritate.* Verba S. Augustini spem nostram excitant: *Opera Dei*, ait, *quomodo possunt esse in fide, quasi et Deus ex fide vivat? Invenimus et Deum fidelem, et hoc non verbis nostris dicitur. Apostolum audi 1. Corinth. 10. 13. Fidelis, inquit, Deus, qui vos non permittit tentari supra quam potestis ferre, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Audistis fidelem Deum; audite et alibi, 2. Timoth. 2. 13. Si tolerabimus, et conregnabimus: si negaverimus, et ipse nos negabit: si non credimus, et ipse fidelis permanet, negare seipsum non potest. Habemus ergo et fidelem Deum: distinguamus potius fidelem Deum a fideli homine. Fidelis homo est credens promittenti Deo, fidelis Deus est exhibens, quod promisit homini. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Neque enim aliquid ei commodavimus, aut mutuum commodavimus, ut teneamus eum debitorem: cum ab illo habeamus, quidquid illi offerimus, et ex illo sit, quidquid boni sumus. Omnia bona quibus gaudemus, ab illo sunt. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit: aut quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Quoniam ab ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Ergo non ei aliquid dedimus: et tenemus debitorem. Unde debitorem? Quia promissor est. Non dicimus Deo, Domine redde, quod accepisti, sed redde, quod promisisti: quoniam rectus est sermo Domini. Quid est, rectus est sermo Domini? Non te fallit, tu eum noli fallere. Quis enim fallet omnia scientem? Sed mentita est iniquitas sibi. Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia opera eius in fide.*

Conclude Deo fideli credendum esse, et in eius verbis confidendum. Hoc fecere sancti Martyres, qui audientes repromissam in cælo coronam victoribus, omnes mundi delicias, et tyrannorum tormenta contempserunt, seque et suos Deo consecrarunt, ut eam obtinerent, neque se ullis parentum, uxorum, aut liberorum lacrymis superari passi sunt. Hoc præstitit Saturus Hunerici regis procurator, qui ad Arrianismum sollicitatus abnuit: mox uxor timens familiæ eversionem, adductis liberis ad genua viri provolvitur, perque omnia sacra obtestatur, ut misereatur sui, et pendentis a lacte matris filiolæ, et aliorum pignorum: Deum condonaturum, quod invitus ipse fecerit, cum alii idipsum fecerint voluntarii. Tum ipse cum S. Iob ei respondit: *Tamquam una ex insipientibus mulieribus loqueris. Reformidarem ista, mulier, si tantum huius vitæ dulcedo esset futura mora in emissione rerum nostrarum. Imo si tu vere diligeres maritum, nunquam eum tuis insidiosis blanditiis in secundæ mortis exitium præcipitare conareris. Age, distrahant liberos, auferant uxorem, diripiant facultates. Ego Domini promissionum plane securus, verba in mente fixa tenebo: Si quis non reliquerit uxorem, liberos, agrum, aut domum, meus non poterit esse discipulus.* Uxor discedit: Saturus spoliatus omnibus, et multis suppliciis debilitatus, mendicus demum relinquitur, ut refert Victor Uticensis in persecutione Vandolica. Pari constantia et fide Thomas Morus Angliæ Cancellarius, cum Henr. VIII. sacra omnia prophananti, et se a Pontificis obedientia subtrahenti resisteret, ideoque in carcere teneretur, uxoris se lacrymis et precibus vinci aut inflecti non est passus, nec voluit familiam suam stare Dei cultu everso. 42. Credendum est Deo, et illi fidendum.

In Dei curru triumphali Fidelitatem, quæ manu amaranthum gestat, et lauro coronatur, comitatur misericordia oleæ foliis coronata, manuque oleaginam virgam gestans, qua accedentes ad se tangit et sanat, tristes consolatur, languentes roborat: comitatur utramque iustitia exerto gladio, et fulguranti facie, oculisque terribilis. De fidelitate egit mox David, itaque pergit, v. 5. DILIGIT MISERICORDIAM ET IUDICIUM: MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA. Nota, pro *misericordiam*, Hebraice est צדקה *tsedaka*, id est *iustitiam*. Unde S. Hieron. Felix, Muis. et plerique Hebraizantes vertunt: *Diligit iustitiam et iudicium.* Sic in prima parte versus denotabitur rectitudo voluntatis divinæ ex parte iustitiæ: in secunda autem, rectitudo eiusdem voluntatis ex parte misericordiæ, cum additur: *Misericordia Domini plena est terra.* Sed Sept. qui erant peritissimi linguæ Hebraicæ, sæpe vocem *tsedaca* vertunt ελεημοσυνην, id est *misericordiam;* eos No- 43. Vers. 5. 1. Pars. Secunda rota currus Dei, est fidelitas.

aler, et Areb, ac Pelavius sequuntur. Itaque prima pars meutionem facit misericordiæ et iustitiæ veluti sororum inter se maxime coniunctarum, ut infra magis declarabo: secunda vero pars declarat bis in terris misericordiæ ope-re esse copiosiora, cum sit in illis magna miseriarum et miserorum multitudo.

Amorem Dei erga misericordiam testatom habemus ipsius ore apud Oseam Prophetam, ubi ait Ephraim, id est decem tribubus, quibus imperabat tribus Ephraim: et Iuda, id est tribui Beniamin et Iuda, quia Iuda erat tribus regia, c. 6. v. 6. *Misericordiam volui* (id est volo. Hebræi enim usurpant præteritum pro præsenti, quo carent) *et non sacrificium*, id est magis quam sacrificium. S. Hieronymus ibi, S. Chrysostom. S. Hilar. et Euthym. in Matth. cap. 9. 13. accipiunt misericordiam non hominum, sed Dei, q. d. Iucundius mihi est misereri vestri, quam a vobis sacrificia recipere: magis delector vestra conversione et salute, quam victimis. Melius tamen hæc sumentur de misericordia, id est eleemosyna et beneficentia hominum in proximos egentes et miseros: ita Chald. Theod. Theophyl. Haymo, Albert. Lyr. Arias, Vatabl. et S. August. lib. 10. de civit. S. Cypr. lib. 3. contra Iudæos, cap. 5. et Christus Matt. 12. 7. atque ex iis Cornel. in Osee. Utramque misericordiam amat Deus: nimirum suam erga homines, et hominum erga se invicem.

44. Misericordia Dei erga nos est pretiosa.

De Prima dicit Deipara exultans in suo Cantico, Luc. 54. *Suscepit* (collapsum et miserum) *Israel puerum* (filium vel servum) *suum, recordatus misericordiæ suæ*, rege misso Messia, cum defecisset sceptrum de Iuda. S. August. ad rem nostram: *Suscepit Israel, non quem invenit Israel, sed ut faceret Israel, suscepit: sicut medicus ægrotum, ut sanaret infirmum et redimeret captivum: ut iustificaret impium et salvaret iustum.* Miseros videns, eorum miseretur. S. Leo serm. 1. de ieiunio decimi mensis: *Causa*, inquit, *reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei.* S. Zacharias pater S. Ioannis Baptist. ex muto factus Propheta, eidem misericordiæ Dei tribuit adventum Christi in hanc terram, ut eam illuminet, Luc. 1. 78. *Per viscera misericordiæ* (id est visceralem, hoc est cordialem et tenerrimam, ac paternam et maternam misericordiam) *Dei nostri* (qui se nostrum facit) *in quibus* (id est quibus, velut causa movente: vel, propter quæ) *visitavit nos Oriens ex alto*, e cælo, et a sinu Patris, ubi velut e fonte inexhausto misericordiam infinitam hausit. *Illuminare* (Syr. ut luceat) *his, qui in tenebris sedent*, diu, otiose, mœste, periculose. Oriens ibi est nomen substantivum: ideo Chaldæus Paraphr. pro *oriens*, Zach. 3. et 6. vertit *Messias*, qui dicitur Oriens, quia miro modo venit in has terras, ut radius Solis, sine viri semine, et sine matris corruptione: deinde quia lumen suum super nobis offert, novum et maius lumen dare expetens: denique, quia lumen eius nunquam occidet. S. Ioan. Damasc. orat. 1. de Nativit. vocat Christum, *Dei misericordiam*. Ex divino enim corde velut amoris et misericordiæ abysso emanans, et in terram effusus, miseriam nostram corde et corpore suscepit, totus in misericordiam transformatus. Hanc nos suscipere debemus in medio templi, id est in Eucharistiæ sacrificio.

Græci mel libabant Soli.

Græci cum sacra facerent Soli, quem pro Deo pleræque nationes habuerunt, mel ei libabant. Non tantum, quod, ut ait Philochorus lib. 12. existimarent Solem rerum omnium moderatorem a vino atque ebrietate esse alienissimum: sed, ut arbitror, quod illius benignitatem adorarent, eique suavitatem acceptissimam esse crederent, cum Solis in sublunaria imperium sit maxime efficax et suave. Dei vero nostri, qui quidquid Soli lucis est, atque efficacitatis, et iucunditatis impertitur, benignitas eo maior est, quo creaturam creator superat. S. August. in Ps. nostr. Misericordiæ illius divinæ aliquot effectus enumerat. Sic enim ait: *Misericordiæ tempus modo est, iudicii tempus post erit. Unde est misericordiæ tempus? Vocat modo aversos, donat peccata conversis. Patiens est super peccatores, donec convertantur. Quandocumque conversi fuerint, præterita obliviscitur, futura promittit. Hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuvat dimicantes. Neminem deserit laborantem et exclamantem ad se: donat, unde sibi sacrificetur: ipse tribuit, unde placetur. Magnum misericordiæ tempus, fratres, non nos transeat: venturum est iudicium. Erit et tunc pœnitentia, sed iam infructuosa. Dicent intra se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes. Certe ista scripta sunt in libro Sapientiæ, cap. 5. 8. Quid nobis profuit superbia, et divitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia, tamquam umbra. Modo dicamus, Transeunt omnia tamquam umbra. Modo fructuose dicamus, transeunt: ne tunc dicamus infructuose, omnia transierunt.*

45. Misericordia est virtus et telum Christiani.

De Secunda misericordia, nempe de ea, qua homines sibi mutuum auxilium præstant, hunc locum explicat Thom. Anglic. Card. Illam vocat S. Chrysost. homil. 20. χριστιανισμου δυναμιν, *Christianismi virtutem, ac potentiam.* Itaque *gesis* sua Galli hostes impetant, sicut olim, ut ait Claudia. lib. 2. in Eutropium. *Lancea* Hispani, ut Varro lib. 14. rerum divinar. *Falarica* Saguntini, ut Livius decad. 3. lib. 1. Germani *framea*, ut Cornel. Tacit. de morib. German. Theutonici *catela*, Virg. l. 1. Æneid. Thracibus sua sit *rhomphæa*, ut ait Gellius lib. 10. c. 15. Macedonibus *sarissa*, ut Statius lib. 7. Thebaid. Lacedæmoniis *gladius*, ut passim omnes. Persis *sagaris*, ut Strabo lib. 15. sub finem. Medis *acinacis*, ut Horat. lib. 1. carminum oda 27. Christiani vero arma sunt benignitas, pietas, clementia, modestia, liberalitas, misericordia; his victoriam et coronam obtinent. Ps. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia* (et tua, et sua: extra misericordiam positos non coronat) *et miserationibus.* Psal. 58. 18. *Deus meus misericordia mea*, id est misericordia, quam exerceo, est mihi instar Dei, id est me bonis omnibus cumulat. Hoc verum est, sed non est sensus illius loci: ibi enim sermo est de misericordia Dei erga nos. Cicero in orat. pro Ligario: *Nec ulla re*, inquit, *propius homines ad Deum accedunt, quam salute hominibus danda.* Reges præsertim divinos efficit. Philippus Macedo, ut ait Franciscus Patricius Senensis lib. de regno et Regis institut. dicebat, oportere Regem meminisse, hominum e numero se esse, ac per misericordiam fieri similem Deo.

Varia populorum tela.

Omnes virtutes animam, velut reginam, circumstant et protegunt, velut cælo missæ custodes, primam inter illas ponit S. Nilus in capitibus 24. M. S. de virtutibus: Τεσσαρες, inquit, εισιν αι αρεται φυλασσουσαι την ψυχην, το ελεος εις παντας, και το μη οργιζεσθαι, και η μακροθυμια, και το ατραλισαι εαυτον απο της ληθης. *Quatuor sunt virtutes, quæ protegunt animam: misericordia in omnes, iræ vacuitas, patientia animi mansuetudo, et sui ipsius ob oblivione custodia.* Sic ab omni parte secura est anima.

46. Vers. 5. 3. Pars. Tertia rota currus Dei est eius misericordia.

Secundo, Non misericordiæ ita studiosus est Deus, ut iustitiam deserat: eam quoque amat, vers. eod. 5. DILIGIT MISERICORDIAM, ET IUDICIUM. Septuag. κρισιν, id est iudicationem, ipsam iudicandi actionem, sententiam iustam. Arabs vertit, æquitatem. Petavius, iustitiam: in actu scilicet exercito. Nota, *iudicium* simpliciter positum ponitur pro iudicio iusto: quia iniusta sententia non est iudicium, sed insania. Sic Michææ 6. 8. dicitur: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam.* Ubi adverte, quod debet fieri iudicium, puniendo impios quodammodo coacte et repugnanter, sed est diligenda misericordia. Potest tamen lætari iustus, cum viderit vindictam. Ps. 100. 1. *Misericordiam et iudicium* (Apollinar. *pœnam*: latius patet iudicium; sed declarat etiam de punitione intelligi) *cantabo tibi* (non mihi, quia non peto vindictam de meis hostibus, nec in ea delector) *Domine.* Item, cantare misericordiam et iudicium, est alacriter illa facere.

Quarta rota est eius iustitia.

Deus amat iustitiam.

Deus in se iustus est, et iustitiæ amantes alios esse vult. De primo ait David Ps. 10. 8. *Iustus Dominus et iustitias* (id est iustos ait S. August. 2. id est iustitiam, et melius: sicque vertit Chald.) *dilexit, æquitatem vidit facies eius.* Imitantur Deum sancti, rectum videbunt facies eorum, id est iustorum. Homerus Deo tribuit ενδικον ομμα, iustis-

simnm oculum. Orpheus, iustitiam nominat Deem in hymno de illa, ubi ait: Κλυθι θεα κακιαν θνητων θραυστα δικαιως; *Audi Deo molitiam mortelium frangens iuste.* Babylonii avienlas, quibus Iustitiam divinam figurabent, Deorum linguos vocabant. Id refert Phyiostratus lib. 1. vitæ Apollonii, e. 18. *Ferunt*, inquit, *et in portieum venisse, cuius suprema pars in formem clypei fabricato cæli faciem imitabatur, sapphiro lepide extrinsecus odoperte, qui lapis maxime cæruleus cæli colorem refert: ubi eorum, quos ipsi Deos hobent, imagines ex ouro, tamquam ætherie colorem imitontes sculptæ erent. Is outem locus est, ubi rex ius dicere consuevit. Ex testudine outem illices aviculæ quatuor ourex pendebant, quas illices torquillas nominant, ultionis Deam significontes, edmonentesque regem, ne se supra hominem efferret: ees vero dicunt magos, cum in regiam venisscat, iussisse fieri: vocont outem ipsas,* γλωσσας, *Deorum linguas.*

Et eos qui faciunt iustitiam.

De secundo, nempe quod Deus etiam velit homines esse iustitiæ tenaces, bebes Exod. 23. 3. ubi Deus imperot illam eliquaodo præponi misericordiæ, eum ait: *Pauperie non misereberis in iudicio*, cum babet causom iniustom. Hebreiee, Non decorabis panperem in lite sua. Lances iustitiæ debent poni ad æquilibrium. Ps. 98. 4. *Honor regie* (S. Hieron. Imperiom regis. Aquila, κρατος βασιλεως, robur regis) *iudicium diligit.* Vide illnm locum. Pieto vocot Iustitiam, ερμα πολεων, septum et propugnaculum urbium. Et vero enm Romani in belio contra Pyrrhum mogna æris inopia premerentur, Iunonam consuluerunt, quid facto opus esset, oraculum respondit, *armis iustitiæ esse pugnandum*, ea ratione pugneotibus pecuniom non defore, sicut accidit. Hinc Iuno Moneta a monendo diota est: atque, ut ait Suidas, institutum est, ut in eius templo moneta cuderetur. Romanum Consulem præibant lictores cum securibus et fascibus, ut semper ad manum esset, quo sceleratos et iniustos in officio continerent. Bazanus quoque Sicambrorum rex gladium atque funem præferri semper sibi imperabat, ut omnes iustitiæ timor o sceleribus averteret.

47. Misericordia et iustitia sunt duæ sorores, quæ simul debent iungi.

Tertio, Misericordiam et iustitiam, quasi geminas sorores, o se invicem distrabi non patitur Deus: sed eum val maxime excandescit, suum misericordiæ locum relinquit, otque in summa misericordia rationem babet iustitiæ. Non aureum solum Deo caput est, et pectus argenteum: sed etiom venter et femora ex ære, tibiæ autem ferreæ: pedum quoque pars una ferrea est, altera fictilis, sicut Don. 2. 32. statuæ illi admirabili Nabuchodonosoris.

Hoc David dicit in nostro versiculo: *Diligit misericordiem et iudicium.* Vox *tsedaca*, quam Noster vertit *misericordiam*, proprie et ordinoria significet Iustitiam, ut supra dixi. Contra vero Exod. 15. 13. ubi est in Vulgata: *Dux fuisti in* חסדך *chasdecha, misericordie tua populo, quem redemisti.* Septuag. verterunt: Dux fuisti in iustitia. Ad libertatem id accipitur de Iudæis ab Ægypto liberatis. Allegor. de Christianis sanguine et morte Christi redemptis. Tunc fuit iusta misericordia, et misericors iustitia od æquolitatem et ad pondus persolvens pro delictis omnium bominum: et quidem efficaciter ad eorum beatitudinem, modo velint sibi pretium applicare. Oseæ 2. 19. *Sponsabo te mihi in* (id est, cum) *iustitia et iudicio: et in misericordio et miserationibus.* Desponsavit sibi Ecclesiam in cruce, ibi enim cubat in meridie, id est eum ordore charitatis. Habac. 3. 8. *Cum iratus fueris* (contra filium) *misericordiæ recordaberis*, ut porcas servis. Sensus litteralis est, postquam in nos iratus fueris eiiciendo captivos in Babylonem, inde nos liberabis. Allegor. hoc intellige de Christi redemptione, qui in medio annorum notum faciet filium suum: hoc est in medio temporis, ita ut quatuor annorum millia eum præcedant, et quatuor millia sequantur, ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia. Ganarotim dicitur, Psal. 24. 8. *Dulcis et rectus Dominus.* Et v. 10. *Universæ viæ* (agandi modi) *Domini misericordia et veritas requirentibus testamentum eius, et testimonia eius.* Est hendiadys, id est testamentum seu fœdus testimoniorum, seu de testimoniis, hoc est de legibus servandis, quibus suam testificatur voluntatem. Fœdus illud est ut ipse sit noster Deus, salvator et protector: nos populus eius, et subditi obedientes.

Hæc mistio in iride figuratur.

Mistio hæc iustitiæ et misericordiæ Dei figuratur in iride thronum Dei eingente, et variis coloribus pieturata, Apocal. 4. 3. *Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni* (colori; est metonymia, actus enim ponitur pro obiecto) *smaragdinæ.* Smaragdus sua viriditate oculos mire recreat, et est symbolum spei: illum tantum viridem colorem fuisse in iride putat Alcazar: sed melius alii censent ibi fuisse omnes colores iridis, sed viridem eminuisse. Viegas noster in hoc variegato et mirabili arcu putat repræsentari Dei misericordiam. Maxima omnium, ait, litteralis ea nobis videtur expositio, ut per iridem divina nobis misericordia designetur: cum iris fœderis et clementiæ symbolum sit, que undique Dei thronus ambitur, quia ubique et omnibus eam præstat. Ratio autem duplex potissimum afferri potest. Une, quia sicut Iris variorum colorum, et quidam pulcherrimorum, speciem refert: ita Dei misericordia multiplex est, eaque pulcherrima. Cæruleum licet agnoscere in fide, quæ tota cælestis est: In spe, viridem: In charitate, rubicundum: intermedios, in reliquis donis gratiarum, quæ Deus iustis liberaliter impertit. Altera, quia sicut iris gerit speciem arcus, adversus cælum intenti: ita arcus noster et arma ad Deum promerendum, et quodammodo vincendum, cælumque ipsum expugnandum, una Dei misericordia continentur. Sic enim eam appellavit Iacob, Genes. 48. 22. cum dixit ad Ioseph: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu meo.* Ubi per gladium et arcum Paraphrastes Chaldæus, misericordiam divinam intellexit, per quam Deus orationem Iacob exaudivit, cum locum ita verterit: *Quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, et deprecatione mea.* Ad rem nostram accommodatius, dicamus, in colore cæruleo ac viridi Iridis, figurari misericordiam: in rubicundo autem, atque intermediis, iustitiam. Ac licet iris signum sit fœderis, arcum tamen esse, qui denotat facili ad terras inflexione, posse ipsam divinæ iræ sagittas immittere.

Christus ipse verus est Melchisedech, id est, rex iustitiæ: sed idem est rex Salem, id est, pacis, sicut erat etiam Melchisedech: imo Christus, id est unctus, fuit Rex misericordiæ, sicque in eo et misericordia et iustitia regnarunt, quia in eo fuerunt in summo gradu.

Pedes Christi et brachia iure dixeris esse misericordiam et iustitiam, in his enim ambulat atque operatur. Primo, de pedibus ait S. Bernard. serm. 52. ex parvis: *Duo*, ait, *sunt pedes Domini misericordia et veritas: hunc utrumque pedem Deus se convertentium cordibus imprimit: et utrumque pedem peccator quisque si vere convertitur, amplectitur. Si enim solam misericordiam sine veritate reciperet, per præsumptionem caderet. Rursus si veritatem sine misericordio reciperet, nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat salvus, od utrumque pedem humiliter provolvitur: ut per veritatem peccata damnet, et per misericordiam veniam speret.* Alludit ad locum Ps. 14. 10. quem citavi supra. *Universæ viæ Domini misericordie et veritas.* Secundo, de brachiis apte affert dictum illud Augusti Imp. *Duo*, inquiebat, *brachia Imperatoris sunt misericordia et iustitia*, ut scilicet sibi mutuum auxilium præbeant: Ita percutit Deus, ut servat: ita servat, ut putredini non parcat, instar periti chirurgi. S. Chrysost. hom. 18. in Genes. hoc odmirans, ait: *Singulæ pœnarum species benignitate plenæ sunt.* Hoc uno in Scripturam coniectu oculorum cerni potest. Primo enim, Adamus e paradiso eiicitur, Gen. 3. 23. quid severius? Vestes illi providet Deus v. 21. quid benignius? Terra germinat spinas et tribulos v. 18. quid iustius? Eadem culta segetes et fructus profundit? quid suavius? Secundo, Cain. velut malediatus, a facie Dei eiicitur, cap. 3. 14. sed pœna eius interfectori gravissima proponitur. Tertio, aquarum eluvione statuit Deus terram obruere ob peccata hominum, et dicit Genes. 6. *Non permanebit* (Hebr. לא ידון *lo iadon*, non disceptabit, non litigabit, q. d. ait Corn. non patiar hanc litem inter meam

48. Misericordia et iustitia sunt Christi pedes.

Et brachia.

misericordiam et institiam tamdiu durare) *spiritus meus in homine, quia caro est,* id est carnalis, et in carnam immersus est. Dat tamen tempus pœnitentiæ: Additur enim: *Eruntque dies illius centum viginti annorum,* id est post centum et viginti annos perdam et interimam illos omnes carnales. Non dicit quod post diluvium sint tantum victuri 120. annis; nam aliqui vixerunt 400. annis, ut manifestum est Gen. 21. Abraham, Isaac, et Iacob 120. annos vivendo superarunt longe post diluvium. Quarto, Sodomam, at Gomorrham atque universam Pentapolim perdere decernit Deus, Gen. 18. mittit tamen misericorditer Angelos qui Loth educant. Symbolum Iustitiæ simul et misericordiæ erat, nubes in deserto deducens Israelitas: de die enim erat columna nubis, de nocte columna ignis: ut bonis refrigerium paratum ostenderet, et sceleratis vindictam.

Pii IV. symbolum.

Pius IV. Pontifex in gentis suæ scutario typo, id est in gentilitiis armis, lauros et virgas appingi curavit, cum hoc lemmate: *Pœna et præmium,* indicans a Deo victores lauro esse coronandos, virga impios percutiendos. R. Simeon Ben Iochai in Leviticum column. 22. ait: *Duæ coronæ uniuntur una, et simul porta omnium portarum. Et traduut: una est iudicium, alia misericordia, et conciliantur una mas et fœmina. In latere masculi dominatur misericordia: in latere fœminæ iudicium:* id est generosis et virili animo certantibus parantur præmia a Deo misericorde, effœminatis vero supplicium a iustitia.

Corona est misericordia et iustitia.

Misericordia astat Dei tribunali.

S. Basil. in Psalm. nostrum dicit, misericordiam semper adstare Dei tribunali, ut iustitiæ rigorem temperet. Verba eius sunt: *Si per se iudicium Dei satis esset, ac severe et præcise pro meritis eorum, quæ gessimus, nobis rependeret, quæ nobis spes reliquo esset? quis ex omnibus salvus fieret? Nunc autem diliget misericordiam et iudicium* οιονει παρεδρον εαυτω την ελεημοσυνην ποιησαμενος, και προβληθεισαν βασιλειω κρισεως θρονω, *velut assistrice constituta sibi misericordia, et regio iudicii prælata et præstituta throno, si quemlibet in iudicium adducit. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Neque enim misericordia sine iudicio, neque iudicium sine misericordia. Ante iudicium misericordiam diligit, et post eam prærogatam ad iudicium venit. Hæc enim inter se coniuncta sunt, misericordia cum iudicio: ne misericordia sola supinitatem et lentorem animabus ingeneret, nec iudicium, si per se consideretur, in eisdem desperationem operetur.* Deus pœnitentium miseretur et contritorum, obduratos in sceleribus et impœnitentes indicat et confodit, sicut Chirurgus apostema, quod fomentis non potest resolvere et sanare. Lege hic S. Augustinum.

49. Misericordiæ et iustitiæ mistio necessaria est regibus.

Quarto, sacram hanc cælestium virtutum attemperationem non in se modo, sed in aliis amat Deus, ut patet ex loco Michææ supra allato. Hæc necessaria est regibus, iudicibus, et privatis personis.

Primo, in Regno duo luminaria magna sunt misericordia at iustitia. Misericordiam iure Solem esse dixeris, qui amœna luce subiectos populos recreet: virtutibus, velut floribus, urbes vestiat, cælesti ardore cunctos compleat. Iustitiam vero esse lunam, quæ in mediis scelerum tenebris lumen cæleste effundat, ut tenebricosi grassatores internoscantur, et deprehensi securas pietatis vias relinquant. Solem et Lunam cætera virtutum astra consequentur, sicque regnum erit cælum, in quo sibi ipse Deus complacebit: et rex erit tunc in suo principatu et imperio velut quidam Deus.

S. Isidor. l. 9. ethimol. regias virtutes ait esse misericordiam et iustitiam. Augustus apud Senecam aliquid augustius ait: *Pietate et iustitia Principes dii fiunt.* Xenophon in Cyropedia dicit, illas esse divitias regias: *Ego,* inquit, *arbitror regibus et principibus,* ουδεν καλλιον ειναι κτημα, ουδε λαμπροτερον αρετης και δικαιοσυνης, *nullas esse opes pulchriores et honestiores, quam virtutem et iustitiam.*

S. August. lib. 5. de civit. cap. 25. refert ex Platone, reges tum demum in beatis esse numerandos, si quod duru iudicant, misericordie et beneficiis compensent. Unde ipsis hostibus admirationi et venerationi sunt. Darius Rex Persarum ultimus audita Alexandri erga uxorem suam misericordia, elevatis in cælum manibus dixisse fertur: *Dii patrii, primum mihi stabilite regnum; deinde, si de me iam transactum est, precor, ne quis potius Asiæ Rex sit, quam iste tam iustus hostis, et misericors victor.*

Sopater in Epist. ad Demetrium fratrem, ubi egit de ratione bene administrandi magistratum dicit, eum qui norit se accommodare subditis, at omnem ubique differentiam ad unam recti rationem connectere ορθιον αρετης αδειν νομον, rectam moderationem virtutis canere. Secundo, nec ira in subditos utendum esse, neque peccantibus institutum suum sine reprehensione relinquendum. Nam, οργη ουδεν μαινομενον διαφερειν αρχοντα, δεικνυσι, *iracundia principem ab insanis nihil differre signum est:* hoc vero facilitatem ad peccandum in subditis gignit. Tertio, *Præbe,* inquit, *teipsum et clementem, et malis infensum: lente quidem puniendo, clementiam: malis autem indignando, improbitatis odium præ te ferens: ut hoc quidem fugiendo esse malo, illud autem non nimis implacabilem iis, qui peccaverunt, esse fortunam, documento sit. Quarto, imperandi modum singulorum moribus decenter accommodato, cum probis moderate, cum supinis vehementius, cum audacibus acerbe, cum cautioribus denique leniter agens. Quinto, oportet a peccatis arcere,* αναγκη πειθω συναρμοσαντι, *per necessitatem suadelæ coniunctam: his vero, qui deliquerunt, moderatam iustitiæ castigationem inferre: ita ut parva quidem et vulgaria peccata dissimulentur, nec enim conducit et quælibet et omnia simpliciter punire, neque cognoscentem negligere. Quia vero iam ingravescunt, iis cura secundum leges adhibeatur. Sexto, gratiæ et beneficia quæ iustitiam transgrediuntur, ne gratiæ quidem dici mihi debere videntur. Amicas vero iustitiæ,* δικαιοσυνης φιλας, *nemo ultro reiecerit, qui modo,* ου απο δρυος εστιν η πετρας, *non ex quercu, aut petra natus sit. Quandoquidem enim lex sæpiuscule duriores peccatis pœnas irrogat,* επιεικες, *ius quod æquum dicitur, austeram legum sententiam mitigans, inculpata mihi videtur veræ et liberæ gratiæ occasio. Verum iudicia quidem, quæ occupantur circa iustitiæ emendationem in contractibus, omnino, non agnoscunt gratiarum genus: quæ autem circa delicta versantur, mansuetam et humanam gratiarum faciem non recusant.* Hæc et alia Sopater.

Et patribus in familia.

Secundo, patresfamilias et prælati domorum particulerem admisceant etiam Iustitiæ misericordiam. S. Gregor. lib. 2. Pastoralis cap. 6. *Disciplina,* inquit, *vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet, et iuste consolans misericordia, et pie sapiens disciplina.* Epictetus ad earum virtutum adeptionem omnes hortatur. Si, ait, proposueris, πολιν αναθημασι κοσμειν ornamenta civitati quæpiam consecrare: *teipsum pulcherrimo mansuetudinis, iustitiæ, et beneficentiæ ornamento primum decores.* De civitatis totius moderatore ait: *Sicut bonus equorum domitor, non bonos tantum pullos alit, famelicos feroces autem relinquit: sed ambos ex æquo nutrit, magis vero castigat alterum, et cogit similem fieri meliori: sic etiam vir providus, et facultatis peritus, bonos cives beneficiis demereri, malos autem non continuo perdere conatur: sed de alimento quidem utriusque prospicit, instituit vero et urget vehementius illum, qui rationi et legi obstiterit.*

Tertio, in ipsis iudicibus institiæ administris debet esse misericordia. Vere quidem dixit Pythagoras, qui de malis pœnas non sumunt, bonos affici volunt iniuriis. Plutarch. lib. ad imperitum ducem: Tot, inquit, tantorumque bonorum, quæ dii largiuntur, nullus est fructus, aut usus rectus, sine lege, iure et principe. *Ius finis est legis,* Principis opus, lex: princeps autem, εικων θεου παντα κοσμουντος, *imago Dei, cuncta administrantis et exornantis in mundo:* ita ille. Lysias quoque recte dicit, iudices eadem mente præditos esse, qua legislatores: Plato, maximi criminis pœnas dare, e malitia liberari est. Facit enim modestiores iustioresque ipsa pœna, και ιατρεια γινεται πονηριας η δικη: *Et improbitatis medicina est.* Chæremon etiam ait, σοφων ανδρων, sapientium virorum esse diligenter et recte iudicare. Hyperides, incipientibus malis obstruendas esse 50.

50. Misericordiæ et iustitiæ mistio necessaria iudicibus.

vias docet. Cum enim semel radices egerit, et inveterata fuerit malitia, καθαπερ συντροφος αρρωστια, tamquam congenita ægritudo, difficilis extinctu est.

Sed vere quoque et sapienter Antiphon: Si, ait, peccandum sit, iniuste reum absolvere, quam iniuste perdere melius fuerit. Illud enim quidem peccatum est, hoc autem impietas. Secundo, Agathon dicebat principem oportere tria considerare: primum, *quod imperet hominibus*: deinde, quod secundum leges; 3. quod non semper imperet. Tertio, Eusebius: Inter inimicos, inquit, iudex constitutus, ius examina, et sententiam ad eius momentum inclina. Iustitia enim, *et perfectus ei genius* digniores sunt, maioresque haberi merentur, quam ut inimicitiæ gratificeris. Dicit quoque iudicem considerare debere, si quid peccatum fuerit, non posse revocari, nec emendari. Quarto, Bias damnaturus ad mortem lacrymatus est. Et cum dixisset quidam: Quid est quod fleas, cum penes te sit condemnare hominem, respondit: Quia necessarium est naturæ affectum, legi suffragium reddere.

Misericordiæ cum iustitia connexionem in iudice repræsentant Sinæ per duos pueros, quos diverso ornatu prope tribunal iudicis ponunt. Fernandius Mendesius Pinto in suo itinerario cap. 103. refert, vidisse se augustissimum tribunal præsidis Sinensis, quam Chaem vocant, cuius ad dexteram stabat puer decem vel undecim circiter annorum, terso densoque vestitus serico, cui opere Phrygio rosæ aureæ erant aspersæ: collum triplici unionum monili cingebatur: longo fœminarum in morem capillitio, quod aurea fibula et intortum bombycinum colligabat, atque amiculum margaritis dives exornabat, sandalia erant aurea unionibus plurimis decora. Manu ramum prætendebat serico, filo aureo, et lapillis pretiosis implexum, cubito innitebatur præsidis cathedræ, atque hoc puero misericordiam exprimebant. Alter ad sinistram stabat pari prope vestitu, brachium dextrum liquato minio usque ad cubitum rubescebat, manusque strictum gladium, et veluti sanguine stillantem, ostentabat. Caput corona in modum mitræ efformata, et exiguis novaculis, quæ scalpellis chirurgicis non erant absimiles, succincta. Hic puer iustitiam ornatu suo referebat. Sinæ enim dicunt, iudicem locum tenentem regis, qui Dei imago est, iustitia et misericordia uti debere: nisi tyranni non iudicis nomen sortiri velit.

Pausanias in Atticis memorat ipso in Areopago, ubi severissimi sedebant iudices, fuisse aram Minervæ deprecatricis, αρειας, quam erexerat Orestes iudicio solutus: αργυρυς λιθυς, argenteos præterea lapides, in quibus rei et accusatores sedebant: et hunc quidem contumeliæ, illum impudentiæ vocabant, proximam ædem, τα σεμνον, Eumenidum, quibus tamen in forma nihil erat horribile: denique Plutonis, Mercurii et terræ simulacra, quibus sacra faciebant, qui in causa capitis fuerant absoluti. Caussin. noster id evolvens lib. 12. Hist. Parabol. ait, Minervæ deprecatricis ara monumentum est clementiæ, sedilia argentea, quibus insident rei et accusatores, fundamentum pecuniæ qua fundantur lites. Sella contumeliæ, est accusatoris: rei vero, impudentiæ; quia si contumeliosus est ille in accusando, hic impudens in negando: templum Eumenidum, conscientiæ stimuli qui consceleratos exagitant. Plutonis, Mercurii et terræ simulacra, quibus sacra faciunt absoluti, significant reum a morte ad vitam revocatum salutem debere eloquentiæ.

51. Vers. 5. 3. Pars. Quinto, in mistione misericordiæ et iustitiæ divinæ, oleum misericordiæ abundat et supernatat, adeo ut vix iustitia sibi locum ullum reperiat. Unde subiicit David vers. eod. 5. MISERICORDIA DOMINI PLENA EST TERRA. Hebr. חסד *chesed*, significat primo misericordiam, sicut vertit Noster Septuag. Muis. S. Hieron. et alii. Secundo, gratiam, beneficentiam, donum gratuitum. Hinc Caiet. reddit, gratia Domini plena est terra. Tertio, bonitatem, propensam voluntatem, affectum benefaciendi. Unde Campensis et Vatablus habent, bonitate Domini plena est terra, q. d. ait Camp. benignitas Domini nihil expers est eorum quæ sunt in universa terra. Hanc sibi sententiam, utpote succo, et medulla plenissimam, sumpsit in symbolum S. Leo Papa IX. ut hac iugi et continua divinæ bonitatis recordatione in amorem illius inardesceret.

Nota plenitudinem illam bonitatis, benignitatis, gratiæ et misericordiæ in tota terra reperies, sive naturæ, sive gratiæ contemplandæ immoreris. Arabs, habet, *universa terra* plena est misericordia Domini. Petavius, πασα περι χθων, *omnis circum terra*. Neque circum tantum, id est in extima superficie, sed etiam intus per omnes terræ venas, recessus et anfractus se late diffundit Dei bonitas et misericordia. Magnet. Toto serit orbe profusas indulgentis opes animi. Misericordia Dei abundantior apparet quam iustitia.

Primo, si naturam intueri placet, quid arenti terræ tot aquarum tubos et canales immiscuit, quibus coalescit, et in unam massam compaginata non fatiscit in varios et profundos hiatus, et non abit in siccos pulvisculos? Quid duris e cautibus et summis montibus extundit aquarum rivos et torrentes, qui in subiectos campos defluant, et herbis ac floribus, frondibus atque fructibus locupletent? Quid tot auri mineras, argentique, et cæterorum metallorum in cæcis montium cavernis abdidit, quibus universus orbis ditescat? Quid tot animalia tum cicurata et domestica: tum effera et per agros sylvasque vagantia terræ superfudit? Unica Dei bonitas et liberalis beneficentia omnino gratuita. Illa enim una et aurum montibus, et segetes vallibus, et pratis flores, et sylvis animalia, et homines urbibus concessit. Unde ait David Psal. 103. 24. *Omnia in sapientia* (id est sapientia, per sapientiam) *fecisti. Impleta est terra possessione tua*. S. Aug. et S. Prosper, repleta est terra creatura tua; S. Hier. in Isaiæ 65. creatione tua. Nisi Deus ubique omnia conservet, ac veluti continuato producat, in nihilum recidunt. I. In natura.

Secundo, si gratiam attendis, impletur illa universa terra: sive per terram intelligas peccatores, qui sunt terra ob vilitatem, maculas et fœtorem: sive per terram accipias iustos, qui sunt terra propter firmitatem, humilitatem et fœcunditatem virtutum. Caiet. ut dixi, vertit: *Gratia Domini plena terra*. II. In gratia.

Ac primo, peccatori necessaria est gratia, et bonitas ante conversionem. Ps. 58. 12. *Deus meus, misericordia eius præveniet me*. Est hebraismus, id est Dei misericordia me præveniet. Ibi S. August. Antequam boni aliquid agam, misericordia eius præveniet me. Inde sancti Patres et Doctores afficax argumentum sumunt pro gratia præveniente, et omnino prima. Est illa gratia veluti prima lux, quæ primo illuminavit illam abyssum aquarum, quæ a terra usque ad cælum extendebatur prima die creationis. Vel, est Spiritus ille sanctus, qui ferebatur super aquas tenebrosas, eodem cap. 1. Gen. et illis incubabat, sicut fert textus Hebræus, ut deinde ex illis Deus educeret Solem, Lunam, stellas, cælos, pisces, aves, et similia. 52. Peccatori necessaria est Dei misericordia. I. Ante conversionem.

Secundo, peccatori necessaria est Dei misericordia et gratia concomitans in ipsa conversione. Iob. 26. 13. *Spiritus eius ornavit cælos*, id est iustos, *obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus*. Symm. serpens qui concludit. Alii, serpens fugax: nempe peccatum, quod fugit lucem, et est serpens vectis, id est claudens cor Deo. Ad litteram serpens tortuosus est fulmen quod cadit obliquo cursu, peccatum fulmen est, omnia obvia comburit, et est obliquum atque tortuosum, sed rectum est verbum Domini, et illo potentius. Luc. 10. 18. ait Christus: *Videbam Satanam*, id est adversarium, *tamquam fulgur de cælo cadentem*; cadit satan, et peccatum quod est opus eius; e cælo, id ex anima hominis, et fit cælum serenum et lucidum. Moritur Diabolo peccator in sua iustificatione, et vivit Christo. S. Basil. in Psal. nostr. *Referti sumus miserationibus Dei. Cum enim nos mortui essemus peccatis et delictis, misertus Deus convivificavit nos in Christo*. Gratia est anima animæ, ait quodam loco S. August. et vitam se vocat Christus Ioan. 11. 25. *Ego sum resurrectio, et vita*, non formalis, sed causalis. II. In conversione.

Tertio, peccatori necessaria est misericordia et gratia, ac bonitas Dei post ipsam conversionem. Ps. 22. 6. *Et* III. Post conversionem.

misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. S. August. in Psal. nostr. concione 2. *Accipite misericordiam. Sic ad nos clamat Deus tamquam si tempore famis diceretur, accipite frumentum. Quod cum audires tempore famis, profecto ipso stimulo necessitatis concitus corrueres, versans te huc atque illuc, quærens unde acciperes, quod dictum est, accipe. Et cum venires, quando te teneres? quam moram interponeres? Sic et nunc dictum est, accipe misericordiam.* Diligit enim misericordiam et iudicium. *Cum acceperis, bene utere: ut bonam rationem reddas, cum iudicium venerit eius, qui tibi modo prærogat in ista fame misericordiam. Nolo ergo mihi dicas, unde accipio? Quo eo? Recordare quod cantasti, Misericordia Domini plena est terra. Ubi iam non Evangelium prædicatur? ubi sermo Domini tacet? Ubi salus cessat? Opus est ut velis accipere, plena sunt horrea. Hæc ipsa plenitudo et abundantia non te venientem expectaverunt, sed ad dormientem ipsæ venerunt. Non dictum est, Surgant gentes, et eant ad unum locum: sed annunciata sunt ista gentibus ubi erant: ut adimpleretur prophetia dicens Sophon. 2. 11. Adorabit eum unusquisque de loco suo: Misericordia Domini plena est terra. Quid cæli? audi quid cæli. Non enim indigent misericordia, ubi nulla est miseria. In terra abundat hominis miseria, superabundat Domini misericordia. Miseria hominis plena est terra, et misericordia Domini plena est terra. Cæli ergo ubi nulla est miseria, numquid quia non indigent misericordia, non indigent Domino? Omnia indigent Domino, et misera et felicia. Sine illo miseri non sublevantur, sine illo felix non regitur. Ergone forte de cælis quæreres cum audires, misericordia Domini plena est terra: audi quia Domino et cæli indigent. Verbo Domini cæli solidati sunt.* Cæli, id est, iusti solidantur, et perseverantiam obtinent per misericordiam et gratiam subsequentem.

53. Iustis ipsis est necessaria Dei misericordia

Quarto itaque, etiam Iustis et in sanctitate provectis usque ad finem vitæ necessaria est Dei misericordia et gratia, quo enim instanti eos destitueret, eodem in nihilum peccati redirent, sicut nisi Deus continuato concursu quodammodo semper creativo, terram et omnia conservaret, in nihilum prorsus redirent. Hinc Isaias orat. cap. 16. 1. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ* (id est Christum, qui ponit thronum suum in anima humili, constanti et fructifera) *de petra deserti* (de Virgine Deo soli vacante per contemplationem et virginitatem) *ad montem filiæ Sion*, ad animam elevatam et speculantem divina, et v. 5. subdit: *Et præparabitur* (id est, firmabitur et corroborabitur, ut patet in Hebr.) *in misericordia solium*, et Dei seu Christi, et iusti per eius misericordiam passionibus suis imperantis.

54. Misericordiæ Dei terram implentis longitudo, latitudo, etc.

Nota, ut misericordia Dei impleat terram, debet habere magnam longitudinem, latitudinem, altitudinem, et profunditatem. Hinc dicit Apostolus Ephes. 3. 18. *Ut possitis comprehendere* (Deus continet omnia et ab omnibus contineri cupit) *quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* S. Bern. lib. 5. de consideratione ad Eugen. Papam sic apte ad Psalm. nostr. explicat: *Divina*, inquit, *essentia res una cum sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profunditas propter sapientiam. Hæc quadriga Dei: comprehendimus hanc duobus brachiis, timoris et amoris: timor sublimi et profundo: amor longo latoque respondet: vel quatuor virtutibus. Longitudinem enim tenemus perseverantia: latitudinem charitate: maiestatem veneratione et adoratione: sapientiam et abyssum iudiciorum timore et humilitate. His etiam quatuor species contemplationis respondent. Longitudinem enim comprehendit meditatio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio maiestatis, profundum inspectio iudiciorum.* Diligit Dominus misericordiam et iudicium: si de solius misericordiæ extensione loqui placet, quatuor crucis dimensiones accipe cum S. August. his enim Christus totum orbem complexus est, et misericordia, id est suo sanguine vivificante complevit. Adde etiam cum Apostolo v. 19. *Scire etiam supereminentem scientiæ* (in dativo casu: id est, quæ præstat scientiæ: ita S. Aug. de gratia et libero arbitrio cap. 19. id est, 2. quæ est per scientiam incomprehensibilis) *charitatem Christi* (in tota œconomia redemptionis nostræ), *ut impleamini in omnem plenitudinem*, id est, omnibus virtutibus, quibus plenus est Deus, et omnes implet, quia misericordia, gratia et bonitate plena est terra. S. Bern. serm. 4. de Assumpt. ait de Virgine: *Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem, et profundum queat investigare? Nam longitudo eius usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis: latitudo eius replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra: sic sublimitas eius civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum eius sedentibus in tenebris, et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, etc.* Christo hæc aliaque, et perfectiori modo, tribui possunt.

Nota secundo, misericordia nunc dum in terra sumus, supereminet iustitiæ, quæ nonnisi cum quadam vi sese infert, cum plenam terram reperiat misericordia, quam excludit. Deus libenter sese diffundit per misericordiam et bonitatem, est enim omne bonum, bonum autem naturaliter est sui diffusivum, invitus autem punit, quia pater est. S. Bern. serm. 5. de Nativitat. Domini: *Quod miseretur*, inquit, *proprium illi est; ex se enim sumit materiam, et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus: ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere videatur.* Ac Didym. apud S. Damascen. 3. Parall. cap. 10. natura, inquit, ac per essentiam Deus hoc habet, ut misericordia commoveatur: ut autem irascatur non natura ipsi comparatum est, sed ob alios contingit. 55. Misericordia in terra supereminet iustitiæ.

Deus immensitate sua terram et cælum continet, atque in bonitate sibi complacet, sicut Phœnix in felicis Arabiæ cinnamis et balsamo; inde cum exit, e loco suo exire censetur. Isaiæ 26. 21. *Ecce nunc Dominus egredietur de loco sancto suo, ut visitet* (id est, puniat) *iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Et Michæas Propheta cap. 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco suo: et descendet, et calcabit super excelsa terræ*, id est super arrogantes et superbos. R. Moses Ægyptius lib. 1. directoris dubiorum cap. 10. per descensum Dei vult intelligi supplicia, quæ peccatoribus Deus infert. Cum enim Deus in altissimis habitet, et miserationes eius sint super omnia opera eius Ps. 144. 9. cum nostra punit scelera, descendere quodammodo videtur. Unde Gen. 18. 21. puniturus flagitia Sodomitarum ait: *Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.*

Conclude hinc, principi, magistratui, prælatis, aliisque maximum et singulare debet esse studium misericordiæ et benignitatis exercendæ. Archytas Pythagoreus lib. de Lege et Iustitia: Oportet, inquit, ἀληθινὸν ἄρχοντα, verum principem non recte tantum imperare: scire ac posse, sed etiam humaniter. Turpe enim fuerit pastorem oves odisse, et pecoribus suis infensum esse. Iamblicus Epist. ad Dyscolium: Verus Princeps, ait, magna cum dignitate et bonitate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet, victus abundantis, salutis omnimodæ, et vitæ tranquillitatis auctor est. Τοῦτο ἐστι τέλος ἄρχοντος σπουδαίου. Hunc enim sibi finem proponit honestus et sollicitus princeps, ἀρχομένους ποιεῖν εὐδαίμονας, ut subditos felices efficiat. Et tum sane præ cæteris, qui ab eo gubernantur, in primis eximius est, cum illi beatam vitam agunt, qui seipsos ei commiserunt. Et postea subiungit: Inter omnia principum opera plurimi facio et admiror magnanimitatem et magnificentiam: maxime eum bono merendo de hominibus, non exactis et avaris rationibus utuntur, neque parcunt in largitionibus, nec tamquam in lance trutinæ æqualia pro æqualibus commutant: sed gratias ingenue proferunt, non tantum ex vase fundentes ipsas, ut poetæ canunt, nec aliis huiusmodi organis inclusas: sed nudas, intectas, et sine velamentis externis continuas, sibique cohærentes benigniter et benevole porrigunt, ut decet et gratiosum est. Huiusmodi etiam gratiarum decus, merito, στέφανον εἴποιμι τῆς ἀρχῆς, *coronam imperii appellaverim.* Epictetus, beneficum iure 56. Principes, et Prælati sint misericordes.

comparet Soli sponte lumen quaquaversum fundenti. Sicut, ait, Sol non expectat preces, et incantationes, ut exoriatur: sed illico fulget ac salutatur ab omnibus: ita neque tu expectaveris plausus, strepitus, et laudes, ut benefacias; sed sponte confer beneficia, καὶ ἴσα τῷ ἡλίῳ φιληθήσῃ, *et æque ac Sol amaberis*. Democritus dicebat, divitias principum, regum, ac divitum esse depositum eis a Deo datum, ut illud aliis distribuant: eos enim esse factos, ut alios iuvarent, non ut ais nocerent: *Misericordia Domini plena est terra*, eorum misericordia, gratia, bonitate, plena sint regna, provinciæ, civitates, familiæ, domus, si diis similes esse volunt.

ARTICULUS IV.

Materia cantici naci est etiam Dei potentia in creatione cæli, maris, terræ, et omnium in iis existentium.

DAVID a bonitate Dei transit ad eius potentiam, quæ bonitati terram replere et exornare cupienti subser-
57. Vers. 6
vit. Pergit itaque, vers. 6. VERBO DOMINI CÆLI FIRMATI (Hebraice, facti) SUNT, ET SPIRITU ORIS EIUS OMNIS VIRTUS EORUM. Hebraice, צבאם *tsebaam*, id est, exercitus eorum: ita Caietanus, Muisius, Vatablus; omnis militia eorum: ita Campensis; plures exercitus ponit Syrus, vertit enim omnes exercitus eorum; Arabs, universæ cohortes eorum. Cohors erat decima pars legionis continens milites 1250. vel, ut alii 500. Secundo, *tsebaam*, id est, potentia, vis et efficacia, qua pollet exercitus eorum; Septuaginta δύναμις αὐτῶν, id est, virtus eorum: ita Noster, et Felix. Tertio, *tsebaom*, id est ornatus eorum: ita S. Hieron. διακόσμησις: ita Symmachus; ἀπαστος κόσμος: ita Petav. qui etiam exercitum vertit.

Quæres primo: Quo verba Domini cæli firmati sunt? Nota, potest dici quodammodo duplex Verbum in Trinitate: primum essentiale et commune toti Trinitati, quo sibi invicem loquuntur tres personæ, et creaturis imperant, easque producunt. De illo verbo essentiali habes, Genes. 1. v. 3. *Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux*. Et v. 26. *Faciamus hominem*. Secundo, Verbum in divinis proprie sumitur notionaliter seu personaliter, ut docet S. Thomas 1. p. q. 34. artic. 1. quæst. Verbum proprie significat conceptum intellectus. Verbum autem illud est filius Dei, et generari a Patre dicitur melius, quam homo dicatur ab homine generari: quia procedit vivens a vivente tamquam principio coniuncto in totalem similitudinem generantis: homo autem non generat hominem ad similitudinem suam, nisi secundum corpus: creatur enim anima immediate a Deo solo. Nota secunda: *Dicere verbum* soli Patri convenit, quia solus notionaliter gignit verbum secundam personam, sive Filium sibi similem, sicut est nostrum verbum mentis expressa imago intellectus nostri intelligentis. *Dicere verbo*, vel *per verbum*, dicunt nonnulli convenire omnibus personis, ut significat actum intellectus practici cum voluntatis actu ad opus externum producendum: et sic dici, quod dixit Deus, *et facta sunt*. Vide Suar. lib. 9. de Deo Trino et uno, et Vasq. in 1. p. disp. 141.

Verbum in divinis proprie dicitur notionaliter.

58. Dico primo, *verbo*, id est, iussu, imperio, mandato, voluntate Domini cælos esse firmatos, q. d. non fuit Deo necessaria mora in tanta cælorum tam vastorum et excelsorum molitione, non eguit labore et machinis, non imploravit opem ministrorum, non adhibuit materiam: verbulo unico potenti condidit et stabilivit cælos. Eadem facilitate, et simplici mandato eosdem cælos ornavit et potentes fecit ad influendum in sublunaria: ita Origenes, Euthymius, Lorinus et alii. Sic Hebr. 1. v. 3. dicitur de Filio Dei: *Portans* (Syrus, complectens, continens, coercens; Græce φέρων, id est agens, movens, moderans, gubernans, ut ait Erasmus) *omnia verbo virtutis suæ*, id est iussu et imperio suo virtuoso ac potenti.

Verbo Domini firmati sunt cæli, et quomodo?

I.

II. Secundo, *verba Domini cæli firmati sunt*, id est per Verbum, quod est secunda persona Trinitatis et filius Dei. Ita pene omnes interpretes, et S. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. S. Ambros. lib. 1. de fide, cap. 10. S. Gregorius Nyssenus oratione catechet. cap. 4. S. Iustinus in expositione fidei, S. Irenæus lib. 3. cap. 8. S. Gregorius Nazianzenus oratione in Pentecost. et alii plurimi. Verbo Dei tribuitur rerum omnium creatio, seu Patri æterno per Verbum. Gen. 1. v. 1. *In principio* (id est, in filio, ait S. Ambrosius, et S. Basilius hom. 1. in Hexaem.) *creavit* (creatione proprie dicta, hoc est, fecit ex nihilo) *cælum et terram*, id est cælum empyreum, quod est locus beatorum, et terram, quam calcamus cum abysso illi superfusa et extensa usque ad empyreum. Hæc tria tantum proprie sunt creata, ex illis cætera omnia sunt educta etiam per ipsum verbum, quod est sapientia increata, sed a Patre per intellectionem genita. Ps. 103. v. 24. *Omnia in sapientia fecisti*, id est sapienter; 2. In Verbo et per Verbum, ut exponit S. Chrysostomus, et S. Athanasius oratione 2. et 3. et 5. contra Arrianos. Nihil excipit S. Ioannes cap. 1. vers. 3. *Omnia per ipsum* (velut causam non instrumentalem, sed principalem) *facta sunt* (omnia ab Angelo usque ad vermiculum, ait S. August.) *et sine ipso factum est nihil*. Nihil quod extra sit, derelinquitur, ait S. Hilarius libro de Trinitate. Sine ipso non fuit quidquam eorum, quæ facta sunt, ut Arabs vertit. Coloss. 1. v. 16. dicit Apostolus: *In ipso* (id est per ipsum Verbum) *condita sunt universa sive visibilia sive invisibilia* (errant igitur Platonici, qui dicunt, a Deo Angelos, ab Angelis mundum et homines esse factos) *sive dominationes, sive principatus, sive potestates*, (id est, dominantes, principes, potentes Angeli) *omnia per ipsum, et in ipso* (id est, intra ipsum, qui est immensus. Vide S. Augustinum lib. 7. Confess. cap. 5.) *creata sunt*.

In expositione R. Mosis Hadarsan in lib. Genes. super 59.
illud cap. 42. v. 6. *Et Ioseph erat princeps in terra Ægypti*: ita dicit R. Eleazar. Non est creatus mundus nisi verbo Dei sancti et benedicti, sicut dictum est Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt*. S. Thomas 1. p. qu. 34. artic. 3. ait, nomen Verbi importare respectum ad creaturas, tum cognoscendas, tum producendas. Deus enim, inquit, cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum, est repræsentativum omnis eius, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba, secundum diversa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu, et se et omnia intelligit, unicum eius verbum est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva et factiva; ita Verbum Dei, eius quod in Deo Patre est, est expressivum tantum, creaturarum vero est expressivum et operativum, et propter hoc dicitur in Ps. 32. *Dixit, et facta sunt*: quia importatur in Verbo ratio factiva eorum, quæ Deus facit: ita ibi S. August. lib. 83. quæstionum dicit, quod in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrem: sed etiam ad illa, quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia.

Verbum Dei importat respectum ad creaturas cognoscendas, et producendas.

Quæres secundo: Quomodo cæli sint firmati? Respond. 60.
Primo, cælos dici firmatos, quia sunt solidi. Favet et S. Augustinus hic, et S. Cyprian. Secundo, contra Iudæos cap. 3. qui legunt, *solidati sunt*. Empedocles putavit cælum esse solidum veluti crystallum ex aere et igne compactum. Thales credidit esse solidum, quod ex terra concretum arbitraretur, sicut Anaximenes. Locus videtur clarissimus Iobi 37. v. 18. ubi Eliu ait Iobo: *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt*. Et Homerus cælos vocat, χαλκοβατὲς δῶ, id est æream domum, q. d. instar æris solidam.

Cælum est firmatum id est solidum

Sed multi negant cælos esse solidos, sed eos aiunt esse instar aquæ aut aeris fluidos et liquidos, sicque longe expeditius sine circulis excentricis, concentricis et epicyclis explicantur motus planetarum. Favet Genesis 1. v. 14. Moses, qui Solem, Lunam, Stellas ait esse a Deo creata in firmamento cæli, id est in cælo, non ponens in cælis diversitatem ullam. Dices, firmamentum denotat soliditatem. Respond. in Hebræo est vox רקיע *rakia*, id est, expansio, extensio. Dices 2. in Hebræo est שמים

Sed alii cælum esse solidum negant.

sciamaim, id est cæli, in duali. Respond. empyreum esse unum cælum, alterum vero esse cælum planetarum et stellarum. Vel certe, primum cælum esse cælum planetarum: secundum, cælum stellarum fixarum: tertium, empyreum, ad quod est raptus S. Paulus, cum est raptus ad tertium cælum. Ad locum Iobi patebit responsio ex dicendis; imo Pineda eum explicat de aere seu æthere.

61. Itaque cælum est firmatum, ob duas rationes. Dico igitur secundo, verba Domini cæli firmati sunt.

I. Ob incorruptibilitatem. Primo, ab incorruptibilitatem tum intrinsecam tum extrinsecam, de qua dicetur Ps. 101. v. 27. Nunc sufficiat S. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. de Trinitate, ubi ait, firmaro cælas esse eos fovere et cantinere, ut durent, qui carruptibiles ex se sunt, et refluxum in nihilum interminantur. Poetæ faciunt cælum ακμονος filium, quad sit incorruptibile: idque illi a natara dat Aristoteles lib. 1. de cæla, quia ipsi nihil est contrarium; ακμων porro incudem significat. Plato in Timæo apinatur quidem cælos natura sua esse obnaxias carruptiani, sed Dei beneficio ab interitu vendicari. Sic enim inducit mundi opificem cælestia carpora alloquentem: *Dii orti ex diis, quorum apifex ego et pater sum, hæc attendite. Quæ a me facta sunt, me ita volente indissolubilia sunt. Omne siquidem, quod vinctum est, solvi potest. Sed mali est, quad pulchre compositum est; seque habet bene, velle dissolvere. Quamobrem, quia generati estis, immortales quidem et indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis.* Itatianem deinde reddit a Dei unius petita voluntate, quæ omnia inter se sapienter colligat. *Nam voluntas mea*, μειζων δεσμος και κυριωτερος, *maius præstantiusque est vinculum od vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis tunc, cum gignebamini, colligati.* S. Irenæus lib. 4. c. 16. Damascenus lib. 2. de fide orthod. cap. 6. putant cælas natura sua corruptibiles, sed de hoc agetur alias.

II. Ob situm et motum. Secunda, *cæli firmati sunt* a Deo, quaad situm et motum. Nota, cælum non moveri, sed fixum immotumque permanere censuit Chrysost. homil. 12. ad populum Antiochenum: Ουρανος, ait, αστηρικτος εστηκε, *cælum quidem immotum permansit. Sol vero cum reliquis sideribus quotidie circumvolvitur.* Cælum itaque maris instar magni stare, atque in eo stellas more piscium fluitantes. Poetæ, qui Atlantis humeris cælum imposuerunt, censuerint oportet illud non moveri: quomodo enim Atlas consisteret tanta agitatione concussus? Euripides in Helena: *Atlas ille*, χαλκεοισι νωτοις, *ferreis humeris cælum antiquam deorum domum ferens et sustinens.* Si maveri nan censes cælos, facile explicabis, quomodo sint Verbo Dei firmati; si placet eos maveri, dic tamen verbo Dei esse firmatos: quod licet cælorum motus sit omnium celerrimus, ut docet Aristateles tractatu de cælo, nihil tamen ab tantam rapiditatem frangitur aut defluit: sed cardines immoti ac poli invariabiles tantam et tam late fusam molem sustentant.

Plato lib. 10. de Republica ponit cæli quædam vincula medio in lumine, quibus retineatur, ut triremes succincturis. Sed melius ait in Timæo, solam Dei voluntatem cæla astrisque pro astrictoria vincula esse, atque apud Achillem Tatium in Phænomenis: *Cælum*, inquit, *duplici motu præditum est: quorum alter natura illi sua, alter a Deo impressus accidit. Atque cum a Deo movetur, ordinate cietur et constanter:* cum vero a seipso, *contrario motu rapitur et corrumpitur: donec rursus accedat Deus*, και ηνιοχησας, *aurigæ instar moderans, pristinum in curriculum restituat*, ac *revolvat.*

Futurum aliquando, ut cæli cardines emoverentur, Hipparchus credit. Contra autem Philo libro de plantatione Noe, censet cælo cætera omnia firmari: sic autem loquitur: *Deus terram et aquam radicavit in medio aeris, arbores vero in sublime subduxit a medio. Hæc circumquoque munivit æthere*, των εντος οροντι και φυλακτηριον αυτον τιθεις, αφ' ου και ο ουρανος ονομασθαι δοκει. *Extimum hunc terminum pro munimento custodiaque statuens: unde cælum Græcis nominatum videtur.* Est enim affinitas harum vocum ορος, id est, limes, terminus, finis alicuius regionis, ut usurpatur a Luciano in Macrobiis, et a Plutarcho in amat.

A narrat. et ουρανος, id est, cælum, quad est terminus eorum, quæ supra sunt, ορος των ανω, et inde deducit Aristoteles libro de mundo, si tamen est illius auctor.

Cælestia corpora dicuntur a Deo firmata esse, quia suo in motu eumdem tenorem servant, æqua semper a terra distantia, nusquem inclinata, velut fixum expansumque, pellis in morem, tentarium. Pisidas in poemate de mundi apificia, præclare cæli matum et firmitudinem declarat his versibus:

Εστως δε φευγει, και διωκων προσμενει:
Στασιν δε την κινησιν αρρητως εχει.
Cælum stans fugit, saliensque firmus permanet,
Et motionem, ceu quietem, miram habet.

Hinc cælum ait nitI, βασει τρεχουση, id est, *basi vagante et currente.* Currit enim cælum atque volvitur, et semper in eodem statu permanet secundum se totum, licet partes transeant ad novum ubi. Pisidas antea sapienter et pie dixerat, cælarum basim in Deo esse firmatam.

Οπως εχη στερεωμα την εν σοι βασιν,
B Εις βαθρον αστηρικτον εστηριγμενην.
Firmamentum, ut habeat basim, quæ in te sita est:
In sede fixo quæ caret fundamine.

Cum hæc plena sint admirabilitatis, cæli dicti sunt Hebraice *sciamaim*, q. d. admirabiles. Arab. שמה *sciama*, id est obstupescere: vel a שם *scem*, id est, fama, gloria, celebritas, nomen.

Quæres tertio: Quid per virtutem cælarum intelligit David? Respondent prima, Theodaretus, Euthymius, ac Nicephorus, virtutes cæli esse Angelos, earum enim est cælos movere. Euthymius: *Per cælorum*, ait, *potentiam, cælestes Angelorum potentias intellige;* pro *virtus*, Græce est δυναμις, id est, vis, robur, potentia, ut dixi initio articuli. 62. Virtus cælorum quid?

I. Angeli summa Solis et Stellarum velocitas. Quantam oportet esse patentiam Angeli mavantis Solem, cum Sal una hora decurrat unum millionem, et centum quadraginta milia milliarium: quod perinde est, atque si terræ ambitum et gyrum circumcurreret quinquagies? Quantam esse aportet potentiam Angeli maventis stellas, cum quælibet stella in æquinoctiali posita, singulis haris conficiat quadraginta duos milliones milliarium, et insuper tertiam partem milliaris: hoc est tantumdem, ac si eques quadraginta milliaria quatidie conficiens, posset bis mille nongentis et quatuor annis canficere: aut tantum quantum si quis una hora bis milies ambitum terræ obiret, et circumcurreret. Quod eo est admirandum magis, quod Angelus id præstans non fatigatur, nec unquam aberrat, sed eodem semper æquabili et certo cursu stellam suam, aut forte stellas omnes fixas dirigit. Planetas enim, id est, errantes, sed in suo errore canstantes, a singulis Angelis necesse est dirigi.

II. Stellæ. Secunda, *virtus cælorum* sunt stellæ, et earum influxus: ita Theodoretus, Bellarminus, Eobanus, et alii. Favet vox Hebraica *tsebaam*, id est, *exercitus eorum*, ut ostendi initio articuli. Stellæ enim sunt militia Dei, unde vocantur militia cælarum. Isaiæ 24. v. 21. et 34. v. 4. Ierem. 8. v. 2. Militia illa est primo numerosissima, licet enim nobis visibiles stellæ tantum sint 1022. tamen in Galaxia sunt plurimæ, et aliæ innumeræ, ad quas nostris aculis non pertingimus. Earum multitudo. Cum a nobis superficies concava firmamenti, id est, octavi seu stellati cæli, 80. millionibus milliarium distet, et superficies convexa 160. millionibus. Secunda, illa militia est ordinatissima, neque ordinem sibi præscriptum unquam transgreditur. Tertio, est vigilantissima, singuli eius milites tot sunt aculi admirabiles semper aperti. Quarto, est diligentissima, nunquam quiescens, at motu celerrimo evolans ad nutum sui Imperatoris, ut mox dixi. Quinto, est tranquillissima et iucundissima, in suo motu harmoniam suavissimam efficiens, ut non tantum Pythagoras, sed etiam recentiores quidam opinati sunt. Sexto, est efficacissima, per suas influentias. Septima denique, est pulcherrima, per suum lumen. Huius imperator militiæ est Deus, qui inde vocatur *Deus Sabaoth*, id est, exercituum magis quam ab exercitibus hominum, ubi tot blasphemiæ et scelera vigent, cum stellæ semper, diu noctuque Deum laudent eique be-

*

nedicant. Exercitus sunt splendentibus in armis coruscans, ad Dei imperium oriuntur et occidunt, procurrunt, tela iaculantur, radios evibrant, influxus suos perennant, atque omnem in partem ad eius voluntatem agmine composito volvuntur, quod nulla hostium vi dissolvi possit.

De influxu cæli in hæc inferiora, et per lumen et per occultas influentias, ait Nicolaus de Cusa lib. 8. exercitationum, sermone in illa verba, in charitate fundati: *Si totus sensibilis mundus consideratur una species seu essentia, tunc cælum se habet, ut pater: terra, ut mater: ex illis sunt quæ in hoc mundo generantur. Dicebant philosophi intelligentias movere cælum, et intelligentiam cum motu cæli, producere vitalem naturam.*

De ornatu cæli locus hic etiam posset exponi. Nam pro *virtus*, Symmachus vertit, διακοσμησις, id est ornatus. Ab ornatu quidem totus mundus dicitur κοσμος, hoc est ordo, modus, ratio, ornamentum, ornatus, pulchritudo: sed hoc præsertim habet a cæli lumine, sine quo cæca et fœda sunt atque horrenda omnia, et ab ipsius cæli pulcherrima facie et ordinatione ac motu. Hinc lib. 2. epigr. Græc. specialiter pro cælo usurpatur κοσμος. Vocatur ordinario ουρανος, ab ορασθαι, id est videre, quod pulchritudine sua oculos in sui admirationem rapiat, et quod sit dignissimum contemplatione hominum. Inde Gymnosophistæ nonnunquam totos dies inconniventibus oculis cælum aspiciebant, et Chaldæi noctu multum temporis in eo considerando ponebant. Philo libro de opificio mundi, cælum ait nuncupari ουρανον· διοτι παντων ορος, η οτι πρωτος ορατων εγενετο: id est, quia omnium rerum terminus: vel, quod fuit omnium visibilium primum. Hoc verum est de cælo empyreo, non de aliis cælis: quia primo die creationis post sex horas, ut vult Cornelius, vel post duodecim horas tenebrarum, ut censet Pererius, facta est lux, id est corpus lucidum in medio abyssi, quæ sic reddita est visibilis, et secundo die facti sunt cæli.

III. Ipsi cæli. Tertio, *virtus cælorum* sumi potest intransitive, id est, cæli, qui sunt potentes et efficaces.

63 Spiritus oris Dei quis? Quæres quarto: Quis est spiritus oris Dei, quo firmavit virtutem cælorum? Respond. Spiritus oris idem est atque verbum, hoc est mandatum, ore prolatum. Scriptura loquitur ανθρωποπαθως, est itaque catachresis. Secundo, et

1.

2. Et melius. melius, Spiritus oris Dei est Spiritus sanctus: ita omnes pene interpretes. S. Chrysost. hom. de S. Ioanne Baptista, S. Cyrillus Alexand. 12. thesaur. cap. 1. Elias S. Gregorii Nazianz. Scholiastes, in oratione de Spiritu sancto, et in oratione tertia de pace. S. Chrysologus serm. 60. S. Fulbertus sermone de Trinitate et iam citati, ubi dixi de Verbo, aliique plurimi. Creator enim est Spiritus sanctus, sicut Pater et Filius, et hue profitetur Ecclesia, cum orat: *Veni creator Spiritus*: et statim initio Genesis, cap. 1. v. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, quod non de Angelo, ut Caietan. non de vento cum Hebræis, sed de Spiritu sancto explica cum S. Hieron. et S. Athanas. Adverte autem in textu Hebraico pro *ferebatur* esse מרחפת *merachephet*, id est flabat, ut vertit Pagninus; motabat, ut Arias; volitabat, ut alii. Rad. *rachaph*, ut docet Mercerus, significat agitari expansione et dilatatione alarum, ut solent gallinæ aut aves pullis incubantes. R. Salomon sic exponit, solium gloriæ manebat in aere, et incubabat super faciem aquarum, spiritu oris Domini at eius sermone, *sicut columba incubat super nidum*. Columba est Spiritus sancti symbolum; a se creata fovet, sicut avis pullos suos; est enim amor notionalis in Trinitate, et amat nos, at vivificat. S. Basilius lib. 1. in Hexaemeron cap. 8. legit, Spiritus Dei superferebatur super aquas: notatque in textu Syriaco esse: *Spiritus Dei fovebat aquas*, id est, inquit, vivificabat, ut in novas cogeret creaturas, et fotu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum sanctum legimus creatorem, dicente Iobo cap. 33. *Spiritus divinus, qui fecit me*: ita Basilius. De cælis quoque habetur Iobi, cap. 26. v. 13. *Spiritus Domini ornavit cælos*, id est, Angelos, ait S. Thomas, sed magis ad litteram de cælis materialibus explicant alii.

Quæres quinto: Cur Spiritus sanctus dicitur spiritus A oris Dei? Nota, per os Dei aliquando intelligitur Deus Pater. Sic canit Ecclesia: O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti. Verbum enim est sapientia æterna ex Patre procedens. Et in Psalmo nostro os Dei sic sumere videtur S. Basilius. Nam etiam procedit Spiritus sanctus a Patre. Secundo, S. Bonaventura, Ugo et alii per os Dei hic intelligunt Verbum. Sic autem ait Ugo: *Os Patris est Filius, quia sicut homo exponit aliis per os suum voluntatem, ita Pater per Filium. Huius oris dicitur Spiritus sanctus esse spiritus: quia sicut a Patre, sic a Filio procedit.*

Dico itaque, Spiritum sanctum dici spiritum oris Dei, 64. Spiritus sanctus cur dicatur spiritus oris Dei? ut appareat eiusdem esse substantiæ cum illo, a quo emittitur: ita Euthymius et S. Basilius; 2. quod non est creatus aliunde; 3. quod Pater et Filius sunt tantum unum principium Spiritus sancti. Vide S. Thomam 1. p. q. 35. art. 2. et q. 36. art. 4.

Ex his infertur Primo, tres esse personas in Trinitate. Ex his collige quatuor. Nam per Dominum intelligitur Pater: per Verbum, Filius: per Spiritum Domini, Spiritus sanctus: ita Victor 1. Tres esse personas in Trinitate. B Episcopus Africanus, qui floruit circa annum Christi 530. Sic enim ait libro de ratione fidei Catholicæ ad Hunnericum regem Wandalorum: *Verbo Domini cæli firmati sunt: et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Vide quam plena sit brevitas, et quam clare in sacramentum unitatis recurrit, Patrem in Domino, verbi significatione filium ponens, Spiritum sanctum Altissimi ex ore nuncupavit. Et ne vocis editio acciperetur in verbo, cælos per eum asserit esse firmatos. Ne autem flatus in spiritu reputetur, cælestis in eo virtutis plenitudinem demonstravit: nam ubi virtus, ibi necesse est persona subsistens, ubi omnis non ablata a Patre et Filio, sed consummata significatur in Spiritu sancto: non ut solus habeat, quod in Patre et Filio est, sed ut totum habeat cum utroque.* Lege Epistol. 32. Alexandri 3. ad Soldanum Iconii, habetur in tomo 3. Concil. edition. col. pag. 517. Cæsarium dialog. 4. respond. ad interrog. 192. ubi Spiritum sanctum vocat consummatorem sacræ Trinitatis. S. Athanas. disput. contra Arrium, et sermon. 3. C contra Arrianos. Victor etiam ille Episcopus Africanus extat tom. 6. bibl. patrum, part. 1. pag. 438.

Secundo, ex his infertur Spiritum sanctum esse Deum 65. et creatorem; ita S. Basilius: *Ubi sunt*, ait, *qui Spiritum* II. *flocci faciunt? ubi, qui illum separant a creatrice Dei po-* Spiritum sanctum esse Deum. *tentia? ubi, qui a Patris et Filii coniunctione illum dirimunt et exsecant? Audiant Psalmum dicentem: Verbo Domini, etc. Non enim hic verbum simplex, aut communis hæc locutio ex nominibus et dictionibus consistens existimanda est. Neque item hic spiritus est vapor in aera diffusus: sed et verbum in principio consistens apud Deum, et Spiritus sanctus, qui hanc proprie sortitus est appellationem. Ut igitur*, δημιουργος λογος, *verbum opifex cælum firmavit, sic et Spiritus sanctus ex Deo, qui ex Patre procedit: hoc est, qui ex ore ipsius est, ne externum aliquid, et creaturam esse ipsum iudices; sed tamquam*, εκ Θεῳ εχοντα υποστασιν, *ex Deo subsistentem glorifices, universas simul in illum contulit virtutes*, απασας εν αυτῳ δυναμεις συνεπηξεν. S. Zeno Episcopus Veronensis et Martyr, qui sub Gallieno Imperatore D passus est, et floruit circa annum 260. serm. 1. in Genesin ait: *Solus Deus est principium, qui ex seipso dedit sibi ipse principium. Solus ante omnia, et post omnia, quoniam in eius manu inclusa sunt omnia, ex se est, qui est. Solus sui conscius, quantus et qualis est. Solus perfectus, quia non potest illi aliquid nec addi, nec minui. Solus omnipotens: quia ex nihilo universa constituit, virtute regit, maiestate custodit. Solus immutabilis, ac semper æqualis: quia in se non admittit ætatem. Solus sempiternus, quia immortalis est Dominus. Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic pater, qui suo manente integro statu totum se reciprocaret in filium, ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus sancti plenitudine, una originali coæternitate renitens. Quemadmodum, si dicere dignum est, duo maria, quæ in semel recumbunt freta æstus alternos in unum conferente connexa, quæ licet sui proprietate, locis, vocabulisque discreta sint: tamen trini profundi vaporis una virtus, una substantia, una est fluen-*

di natura, nec potest incomprehensibilis communisque undæ dividi magnitudo, et tamen utrinque commeando largiflua, utrisque propria, nulli privata: etenim damnum patientur ubertatis et gratiæ, si adimatur, quod uno eodemque æstu alterum ex altero decoratur.

III. *Trinitatis opera ad extra esse indivisa.* Tertio, ex his infertur, opera Trinitatis ad extra esse indivisa, cum et Pater, et Verbum, et Spiritus sanctus cælos fecerint, firmaverint, virtute dotaverint: ita Ruffinus. Non a se, inquit, cæli solidamentum fuerunt, nec ipsi cæli firmitatem sibi propriam præstiterunt. Audi unum opus Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Cum enim Dominus Pater per Verbum Filium cælos firmat, per Spiritum roborat, manifeste ostenditur, quia unum Pater, et Filius, et Spiritus operantur.

66. IV. *Trinitatem totam esse laudandam in creaturis.* Quarto denique, ex his infertur, totam Trinitatem laudandam esse in omnibus creaturis, cum ad singularum productionem tres Personæ æqualiter concurrant, et in illis sui vestigium relinquant, sed præsertim in cælo, quod S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi nona vocat, παραπετασμα θεοτητος, *velum divinitatis*: occultat enim nobis Deum, et occultando ostendit: emicant enim per illud divini radii, sed refracti: sicut lumen faciei Mosis, per velum, quod ei imponebat. Cælum quidem dixerunt unitatem omnium corporum, quod quælibet cæli pars sit totus mundus inferior, et in stellæ cuiuslibet virtute omnis caducorum corporum virtus. Hoc docet symbolice Pythagoras, cum ait in luna et sideribus esse quatuor elementa, montes, valles, arbores, segetes, atque omnia, quæ hic visuntur. Excelsius aliquid dicit Aristoteles lib. 2. de cælo, cap. 3. cum cælum nuncupat, σωμα τι θειον, corpus quoddam divinum. Varro principes deos numerat duos, cælum, et terram, quos Ægyptii Serapin et Isim indigitant. Arabes vero, deos duos colunt, Cælum, et Liberum patrem, ut ait Arrianus. Persæ nec statuas, nec aras erigunt, sacrificant in loco excelso, cælum Iovem putant, ut Strabo auctor est lib. 15. Plato cælum ait Deum esse, et αιτιον αγαθων παντων ημιν γεγονεναι, omnium bonorum nobis causam esse. Iuvenalis quoque satyra 14. canit:

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, et cæli lumen adorant.

Vetus editio Iuvenalis habet, *cæli numen*. Auratus emendavit, et posuit, *cæli lumen*, quem postea secuti sunt Critici: sed recte Ioannes Filesacus lib. 1. selectorum cap. 12. reposuit, *cæli numen*. Nam Iudæi, de quibus ibi agitur, dicti sunt Cælicolæ, quod cælum adorarent, ut illis exprobat Ieremias cap. 7. v. 18. ubi lunam vocat reginam cæli, et cap. 19. v. 13. idem pœnam intentat. Esseni inter Iudæos religiosissimi adorabant Solem, quem Plato vocat *ipsius boni* (id est Dei) *conspicuum filium*, et *perspicuam Dei statuam*, *seu imaginem*.

De cælis enarrantibus gloriam Dei iam dixi Ps. 18. v. 1. Adde Philonem, qui eorum admirans melodiam, ait libro de somniis: *Quæ laudare, hymnisque celebrare suum patrem possunt, sunt hæc duo*, ουρανος και νους, *cælum et mens. Nam homo hunc præcipuum honorem sortitus est præter animalia cetera, quod Deum colit. Cælum perpetua concentu suorum motuum*, παμμουσον αρμονιαν αποτελων, *reddit harmoniam suavissimam. Quæ si posset ad aures nostras pervenire, in nobis essent* ερωτες ανεκλαλητοι και λελυττηκοτες: ιμεροι, και απαυστοι και μανιωδεις εγενοντο μεχρι, amores impotentes, et qui cor dissolverent: suavissimi tamen, et tranquillissimi essent, stimulique perpetui, quibus ad maiora excitati extra nos raperemur, et rerum ad victum necessariarum oblivisceremur, non pasti cibo potuque per fauces demisso, sed velut immortalitatis candidati μουσικης τελειας ενθεαις ωδαις, *consummatæ musicæ divinis cantibus*: quales cum Moses extra corpus raptus audivisset, fertur per quadraginta dies, totidemque noctes nec panem, nec aquam gustasse. Quare ουρανος το μουσικης αρχετυπον οργανον, *cælum instrumentum musicæ archetypum*, videtur mihi non propter alia sic elaboratum, quam rerum Patris hymni scite decantentur, et musice.

67. *Tropol.* Tropologice, Sancti, et præsertim Apostoli sunt cæli. Vide dicta Ps. 18. Adde, Primo, Alexander de Ales in 5. Metaphys. textu 32. ait cælum et elementa esse diversa genere: quia nec unum resolvitur in aliud, nec ambo in tertium: ideo non habent materiam communem, et in 8. Metaphys. textu 14. ait, non habere materiam, quia in eo non est natura necessarii, nec possibilis. Averroes 2. de cælo textu 1. dicit cælum non esse compositum ex materia et forma, ut alia simplicia, quia haberet contrarium: nec ex elementis in actu, quia est simplex. Ita Sancti non sunt conflati ex materia, quia non sunt materiales, sed spirituales viri, et spiritu dicuntur filii Dei. Galat. 5. vers. 25. *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.* Et cap. 6. 1. *Vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu.* Sancti sunt toti anima, et animas faciunt esse omnes sibi subditas. Genes. 12. 5. *Tulit Abraham Sarai uxorem suam, et Loth filium fratris sui* (Aram, et consequenter fratrem Sarai) *universamque substantiam* (suppellectilem et pecora) *quam possederant, et animas, quas fecerant in Haran*, urbe Mesopotamiæ: ibi fecerat, id est, acquisierat, servos et ancillas cum Loth nepote suo, necdum enim liberos habebant. Chaldæus id spiritualiter sumit, vultque agi de conversis ab infidelitate ad fidem: tunc enim, qui erant corpus, et corporea spectabant, facti sunt anima et spiritus intenti solum spiritualibus. Vertit enim: *Et animas, quas legi subiecerunt in Haran.* Simplicius in 2. Physic. tom. 69. dicit, cælum non habere materiam, sed subiectum. Hoc est explicatu difficile, sed sancti sunt in corpore velut extra corpus viventes. Secundo, velut arbores cælestes, quæ extremis tantum fibris tangunt terram, et toto vertice supra sunt, ac cælum petunt, eoque nutriuntur et vivunt, sive in corpore, sive extra corpus, nesciunt, ut in S. Bernardo sæpe patuit, qui nec cibos, nec alia sibi circumposita cernebat, aut gustabat, et in S. Ioanne Baptista, qui erat neque manducans, neque bibens.

Sancti et præsertim Apostoli sunt cæli ob sexdecim rationes. I.

Secundo, Averroes in 12. Metaphys. textu 36. docet, cælestia corpora esse animata, et non habere de virtutibus animæ, nisi intellectum et virtutem desiderativam, quæ movetur in loco. Eo in libro dicit Aristoteles, cælum esse animatum anima intelligente, et desiderante. Averroes de substant. orbis cap. 3. ait, naturam cæli esse naturam animæ. Erroneum hoc est in cælis materialibus, sed verum in spiritualibus, de quibus Ps. 81. v. 6. *Ego dixi, dii estis.* Deus autem est incorporeus. Vivunt Sancti non solum vita rationali et intelligente, sed divina. Habent cæli sibi assistentes intelligentias, a quibus moveantur, ut mox dicam: Sancti habent Deum sibi unitum, licet unione accidentali, nempe per gratiam. II.

Tertio, Zabii dixerunt, quod cælum non incepit per generationem nec finem habebit per corruptionem. Stoici, quod per generationem incepit, et quod per corruptionem non finietur. Pythagorici, et per generationem incepisse, et per corruptionem desiturum. Saraceni quidam, quod per generationem non incepit, per corruptionem tamen desiturum: ita Albertus in 1. de cælo, tractatu 4. cap. 1. An et quomodo cælum sit corrumpendum aut transmutandum, dicam Ps. 101. v. 27. nunc sufficit ad rem nostram, quod, ut ait Averroes in 2. Metaphys. textu 41. Cæleste corpus non habet potentiam, ut corrumpatur, quia non habet contrarium: est igitur permanens per se, et per suam substantiam; et S. Thomas de anim. motu lib. 2. quod cælum corrumpi impossibile est simpliciter et per se: quia motor cæli, ut est causa movendi, ita et essendi causa est. Alexander Alensis in 5. Metaphys. tractatu 17. ait, cælum esse incorruptibile, quia eius forma non est coniuncta cum privatione. Anima animæ Sanctorum est Deus, qui in illis vivit et operatur, eosque incorruptibiles facit sicut spirituales. S. Gregorius in septem Psalmos pœnitentiales: *Infirma*, inquit, *est omnis anima, nisi sancti Spiritus fuerit virtute firmata. Nam et de Apostolis dictum est: Verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum.* S. Basilius in Psalm. nostr. Spiritu, inquit, sancto firmata est omnis virtus cælestia: hoc est, το ευτονον, και παγιον, και βεβαιον εν αγιασμω, firmitatem, soliditatem, et confir- III.

mationem in sanelitate, et in omoi virtute, quæ sacras decest potestates, ax Spiritus sancti euxilio babent. Et infra subdit: Nihil sanctum est citra Spiritus sancti præsentiam. Addit deinde, per cælos intelligi Angelos sanctos, qui per Spiritum sanctum ecceperunt ssuctitatem, ideoque ad malitiam difficile se poterant transmovero, οιονει βαφη τινι, αγιαστμω δευσοδεντες, in sibi indulta sanctitate quasi tinctura quadem confirmati pene momento, stabilitatemque ad virtutem dono Spiritus sancti adepti.

IV. Quarto, cælestis natura nunquam recipit obscuritatem, nisi boc, quod existimant de luna in Eclipsi: ita Averroes 2. de anima textu 91. et tunc megis est lucida in parte superiori, quia est Suli propinquior: ita Sancti nunquam sunt sine luce, et eo magis lucent Deo, quo magis occultant se hominibus.

V. Quinto, Aristoteles in problem. sect. 25. text. 4. ait, quod cælum nocte media et meridie maxime solet tranquillari: quia venti tranquillitas et aeris tunc constaro maxime solet, enm vel vincitur: etenim, quemdiu pugnat, movetur et inquietatur: vincit eutem nocte dimidiata, vincitur meridie: ut enim medio noctis sol remotissimus, sic io meridie proximus est: ad hæc flatus, vel ortu Solis, vel obitu incipit: cessat, qui ortu ceperit, cum victus est, qui vespere cum parta victoria desinit. Itaque fit, ut alii meridie, alii noctis medio eessent. Meridies ob ardorem, et nox ob tenebras sunt symbolum afflictionis, in que sunt in tranquillitate Sancti, ut patuit in Martyribus ad carceres tenebrosos, ot ad ignes damnetis. Non timebant sibi a dæmonio meridiano et timore nocturno. In ipsis ventis, turbinibus, atque tempestate dormiunt, sicut Iesus, Matthæi 8. v. 24.

VI. Sexto, cælestia corpora nibil probibet altererl alteretione perfectiva, quæ fit, eum aliquod ab alio perficitur, absque elterius abiectiona: ut luna a sole alteratur, alteratione autem passiva noo alterantur: Ita S. Thomas lib. 1. de cælo; decebat mundi tectum auratis et fulgentibus semper ornari et splendescere luminibus, sed Sancti Deo eos ornante magis emicant, sunt enim Deo propiores, et intimius coniuncti. Petrus Abbas Celleasis libro de conscientia, cap. 5. *Efficitur, ait, anima cælum per inhabitantem spiritum eius, qui fecit cælum et terram, et habitat in cælis. Verbo enim Domini cæli firmati sunt, spiritu oris eius, et omnis virtus eorum. Revera hæc tria: scilicet Verbum, Dominus, et Spiritus oris eius, creant, formant, et ornant cælum conscientiæ: Dominus quidem creat, Verbum format, Spiritus ornat. Simul tamen Trinitas hæc operatur, quæ a nobis in nobis secundum dicere merita nostra sigillatim distinguuntur. Dominus timore suo conscientiam creat; Verbum Domini instructione sapientiæ confirmat; Spiritus oris eius donorum varietate exornat.* Philo libro de Gigantibus dicit, alios esse homines terræ, alios cæli, alios Dei. Terræ quidem, γηινους illos, qui corporis voluptates venantur, earumque materiam uudequeque indagant. *Cæli autem eos, qui tenent artes et scientias, aut eas sectantur. Quod enim nostri cæleste est, mens est: quæ et motus cæli considerat, et in reliquis exercet se artibus liberalibus: acumen intelligendis huiusmodi rebus sibi comparans. Dei vero homines, sacerdotes et prophetæ sunt, quorum maior est dignitas, quam ut se misceant humanæ Reipublicæ, et κοσμοπολιται γενεσθαι, mundi cives sint: sed αισθητον παν υπερκυψαντες sublimiores rebus omnibus sensibilibus migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti Reip. idearum incorporearum et incorruptibilium.*

VII. Septimo, Averroes de subst. orbis cap. 2. ait, quod calor cæli largitur vitam vegetabilem, et animalem: calor autem ignis illuminantis corrumpit et destruit entia, contra Alchimistas. Alensis in 7. Metaphys. textu 31. Cælestis, inquit, virtutis appetitus est, omnem speciem, quæ est in potentia, educere ad actum. S. Thomas in 2. de cælo, docet cælestia corpora secundum virtutem luminis calefacere: sed secundum proprias virtutes, singulis corporibus attributas, non solum calefacere et infrigidare, sed etiam omnes alios effectus corporales in hæc inferiora efficere. Sancti sunt maxime activi, et omnibus prodesse cupiunt. 2. Corinth. 11. v. 28. *Præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana* (id est, negotiorum moles mihi quotidie incumbens, et mibi instans ac me adurgens) *sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Græce πυρουμαι, id est, incendor, ignesco, ardeo, et inflammor dolore atque zelo, ut illi compatiar, et eum curem.

Octavo, cælum non est in aliquo loco, quia nullum corpus ipsum continet. In quo autem movetur, hoc etiam est locus partibus: ita Aristotel. 4. Physic. cap. 9. textu 45. ubi ait, cælum et animam esse in loco per accidens. Sancti non continentur mundo, neque illo claudantur, sed altius evolant; conversatio enim eorum est non solum in cælis, sed in ipso Deo. Psal. 4. v. 9. *In pace in idipsum* (id est in Deum, de quo dicitur Ps. 101. v. 28. Tu autem idem ipse es) *dormiam et requiescam*, velut in meo centro, extra quod irrequietum est cor meum. S. Chrysost. in Matthæum: *Elegit quidem Deus humiles in sæculo, etiam ipso artis officio. Sed præcelsos fide, ac devotæ virtutis obsequio: despectos terræ, sed acceptissimos cælo.* Ex illo excelso cælorum loco non est descendendum, aut ruendum cum lucifero. Palladius in Lausiaca cap. 20. ait, quod S. Macarius sibi ipsi dicebat: *Habes Angelos, Archangelos, omnes supernas potestates, Cherubim, et Seraphim, Deum horum omnium effectorem, illic versare, ne sub cælo descenderis, ne incideris in mundanas cogitationes.* VIII.

Nono, cæli motus non dicitur naturæ, sed intelligentiæ: quia, si esset naturæ, non moveretur in loco suo: ita Albertus Magnus in 2. Physic. tract. 1. cap. 2. Sancti impetu naturæ non rapiuntur, sed ductu intelligentiæ et primi motoris immobilis. Ezech. 1. v. 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Isaias Deum in cælesti throno videns, et assistentes illi Seraphinos, ait cap. 6. v. 18. *Ecce ego, mitte me.* Christus dicit Apostolis Lucæ 10. v. 3. *Ecce ego mitto vos.* Roman. 10. v. 15. dicit Apostolus: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ruffinus in Psalm. nostr. Deus, ait, de infirmis hominibus cælos fecit, verbo instruxit, spiritu confirmavit, per omnem terram misit: et suam misericordiam, id est, remissionem peccatorum prædicari præcepit. Albertus Magnus de caus. et process. univer. affert quinque rationes Peripateticorum, cur cælum e natura sola non moveatur. In nobis una ratio est, cur Deo egeamus, quia sine gratia nibil supernaturale possumus. IX.

Decimo, motus cæli, licet ab extrinseco veniat, non est tamen violentus, quia nullum violentum est durabile: ita Alexander Alensis in 6. metaphysic. textu 5. sine labore esse illum motum, ait Aristot. 2. de cælo, quod esset admirabile, si, ut ille voluit, cælum esset animatum. Sanctis suam gratiam ita attemperat Deus, ut ab ea moveantur suaviter, fortiter, et efficaciter, ita ut laborem non sentiant. Isaiæ 10. v. 27. *Computrescet iugum a facie olei.* Lege ibi Cornelium fuse de suavi Christi lege et iugo agentem, cap. 40. v. 31. ibid. clare dicitur: *Current et non laborabunt.* X.

Undecimo, motus cæli omnium motuum velocissimus est: ita Aristoteles 2. de cælo cap. 3. textu 27. et tamen perpetuus. De Cherubinis, id est, Sanctis Dei scientia plenis thronum Dei ambientibus, dicitur Ezech. 1. v. 14. *Et animalia ibant, et revertebantur* (hic est motus cæli perpetuus) *in similitudinem fulguris coruscantis*, ecce motum velocissimum. Latinus Pacatus in Theodosii panegyrico motum illum continuum in eo laudat: *Gaudent*, inquit, *divina perpetuo motu, et iugi agitatione se vegetat æternitas: et quidquid hominis vocamus laborem, vestra natura est, ut indefessa vertigo cælum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit: ita tu Imperator, continuatis negotiis, et in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.* XI.

Duodecimo, cæli motus circularis est. Cælum enim, ut docet Aristoteles 2. de cælo, habet figuram sphæricam, quia sphæra figurarum maxime utilis est; et ut non sit vacuum, cum movatur. Virtus perfectissima est, non amat angulos, et abhorret a vacuo. De primo, dicit S. Au- XII.

gustinus libro de quantitate: *Nulla planarum figurarum similior est virtuti, quam circulus: in bonis animi nihil sibi ex omni parte consentit, quam virtus, neque in planis figuris, quam circulus.* De secundo, S. Gregor. in Ezechielem: Sphære, inquit, ex omni parte volvitur, et prædicatio, quæ nec adversitate retinari potest, nec prosperitatibus elevatur, sphæra est. Et inter adversa fortis, et inter prospera humilis, nec timoris habet angulum, nec elationis. In cursu ergo suo figi non valet, quia per cuncta se volubiliter trahit: ita Gregorius. De tertio, mortuus est Abraham plenus dierum, Gen. 35. v. 29. Peregrinatus est diu, unde, ut aliqui volunt, vocatus est Hebræus, id est transitor, quia Euphratem transiverat, ut veniret in Chanaan, inde descendit in Ægyptum, ex Ægypto rediit in Chananitidem, cuius varias partes decurrit, sed semper plenus virtutum.

XIII. Decimo tertio, motu raptus planetæ moventur ab ortu in occasum, sed proprio motu moventur ab occidente in orientem: ita Sancti pronitate naturæ occiderent, sed sese agitant ad Orientem, id est, ad Iesum, in quem aspiciunt, et orando, et agendo. S. Petrus Damiani opusculo 23. cap. 3. *Quid*, ait, *sphæra cæli, quæ planetas includit, nisi corpus designat humanum, quod rationalem animam contegit? Quæ videlicet animo quasi septenario planetorum numero continetur, dum totidem sancti Spiritus donis imbuitur. Et quid est, quod sphæra labitur in occasum: e contra planetæ ad ortum, nisi hoc, quod Apostolus dicit, Galat. 5. vers. 17. Quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem?* Paulo post subdit: *Planetæ septem nituntur ad ortum, cum animo rationalis instinctu sancti Spiritus incito redire conatur ad Deum, quem rerum omnium constat esse principium. Sphæra vero prolabitur ad occasum, cum caro neglectis superioribus gravatur in ima vitiorum.*

XIV. Decimo quarto, cælestia semper in fine ac principio sunt: ita Ioannes Grammaticus, in 2. posteriorum, c. 9. De viro iusto dicitur Eccli. 18. 6. *Cum consummaverit, tunc incipiet.* Vide dicta Ps. 76. 11. *Dixi: nunc cœpi.*

XV. Decimo quinto, cælum habet principium quiescendi. Nam circa idem converti, nec locum mutare, idipsum quiescere est. Itaque immobiliter movetur: et cum mirabiliter moveatur, quiescit: ita Alexander Aphrodis. in 5. metaph. vel in 6. cap. 20. Cælum et simul moveri et stare dicitur, quia principium et finis rotundorum proprie est centrum: quia eius definitio a centro nascitur, ait Themistius; ita Sancti semper moventur, et a Deo centro suo non recedunt. Motum eorum firmant et conservant duo poli, super quos totus volvitur: nempe timor Dei et amor. De primo, qui est polus Septemtrionalis, dicitur Tobiæ 2. v. 13. *Tobias immobilis in Dei timore permansit*, volvebatur omnes in fide confirmans, mortuos sepeliens, mœstos consolans, sed in Deo motus eius erat, ideo in immobili immobilis permanebat. Ps. 45. vers. 6. *Deus in medio eius non commovebitur*, in medio sphæræ illius est ut centrum, et in throno sedens atque imperans, melius quam Chosroes in suo cælo fictitio, de quo alias. De secundo, nempe de amore Dei, ait Paulus Roman. 8. v. 35. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia?* etc. Charitas illa est polus Meridionalis.

XVI. Decimo sexto, cæli motu cessante, omnis motus inferiorum corporum cessaret: ita S. Thomas 2. de cælo, lib. 9. textu 20. Ita cum Prælati, concionatores, Sacerdotes, Religiosi, desinunt lucem exempli, et influxum verbi præbere, atque operationes sanctas derelinquunt, omnis aliorum virtus languescit et perit.

68. Vers. 7. In mare est mirabilis Deus. A cælo ad mare descendit David, ut in eo quoque Deum admirabilem et laudabilem esse ostendat, v. 7. CONGREGANS (supple, est: id est, congregat. Hebræi sæpe utuntur participio pro tempore præsenti quo carent) SICUT IN UTRE AQUAS MARIS, PONENS (est) IN THESAURIS ABYSSOS, id est, ipsas aquas maris, quæ sunt abyssi, quia fundo carent: ita Mariana; 2. *abyssos*, id est, aquarum copiam: ita Emmanuel Sa; 3. et melius abyssus intelligenda est illa, quam Deus primo instanti creavit cum cælo empyreo et terra: deinde die tertio in maris, fluviorum, et fontium alveis, atque in terræ cavernis condidit, velut in thesauris.

Varietas lectionum. Nota, pro *sicut in utre*, nunc Hebraice est כנד *canned*, id est, sicut acervum: ita Pagninus, et Muisius; sicut cumulum: ita Felix, Vatablus, Caietanus. Nam *nad*, cumulum seu acervum significat, Exodi 15. v. 8. Iosue 3. v. 13. Septuaginta interpretes legerunt נאד *nod*, id est utrem, unde vertunt ωσει ασκον, sicut utrem. S. Hieronym. quasi in utrem; Syrus, sicut in utribus; Symm. ως εν ασκω, quasi in utre. Utrem intelligit nubes Theodoretus: quia ad eas elevantur aquæ maris. Melius, uter est maris ipsius alveus.

69. Mirabilis est Deus in conclusione maris intra sua littora. Nota secundo, conclusio maris velut in utre denotat Primo, facilitatem illas omnes aquas in unum alveum congregandi atque coacervandi, sicut in utrem aquæ immittuntur, aut in sacculum pecuniæ. Verbulo id fecit Deus, Genes. 1. v. 9. *Dixit vero Deus: congregentur aquæ quæ sub cælos sunt* (iam ex aliis fecerat cælum) *in unum locum* (omnes enim aquæ cum oceano et inter se uniuntur per canales subterraneos) *et appareat arida*, id est, terra exsiccata. Secundo, conclusio sicut in utre, declarat facilitatem illas aquas continendi et coercendi. Tertio, facilitatem eas, cum libuerit, educendi, sive per vapores inde eductos, et ope ventorum per varios terræ tractus dispersos, sive per cavitates subterraneas. De illa inclusione et detentione maris admirabili Deus ipse ait Iobo cap. 38. v. 8. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens*, de vulva, id est, de omnipotentia Dei, ait Nicetas; de divinæ sapientiæ fæcunditate, ait S. Thomas; de terra, ut Philippus. Sed non agitur ibi de creatione maris, sed de conclusione intra alveum, q. d. quis mare retinuit, ne ex alveo suo erumperet, ad littus sese inferens, ut instar parvoli ventre maris conclusi claustra obiecta aperiret, q. d. nullus præter me id potuit. *Cum ponerem nubem vestimentum eius, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem.* Nubes enim mare circumdant velut fasciæ, quia impediunt ne exundet, et a loco se moveat, quia vapores semper inde educit sol, et mare exhaurit nubes densanda. Galenus lib. 1. de sanitate tuenda: Primum, ait, infans fasciis deligetur, sed corpori prius toti modico sale insperso: deinde utantur balneis salubrium aquarum, et universa virtus ratione humida. Deus salsum fecit mare ab initio, id est, die tertio creationis, et illud suis littoribus illigavit. Unde pergit Deus v. 10. *Circumdedi* (ex omni scilicet parte) *illud terminis suis, et posui vectem, et ostia. Et dixi: Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Sed quamdiu illa claustra perseverabunt? Respondet Iob ipse cap. 26. v. 10. *Terminum circumdedit* (magna sapientia velut lineam et circulum describens circino) *aquis, usque dum finiantur lux et tenebræ*, id est, semper, usque ad finem mundi. Tunc enim aqua in suo loco maxima naturali erit super totius terræ faciem, et erit lux perpetua sine ulla varietate tenebrarum et lucis sibi succedentium. Ieremias vocat illud præceptum sempiternum, cap. 5. v. 22. *Me ergo non timebitis, ait Dominus, et a facie mea non dolebitis?* Chaldæus, non contremiscetis; Septuaginta, non formidabitis, *qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit: et commovebuntur, et non poterunt: et intumescent fluctus eius, et non transibunt illud.*

70. Mirabilis porro est hæc aquæ captivitas, quod naturalis aquæ locus sit super terræ superficiem. Mirabilior adhuc erit, imo perpetuum miraculum, si credamus S. Thomæ arbitranti aquam esse terra altiorem, quod etiam Tullius affirmat lib. 2. de natura Deorum: *Mare*, inquit, *cum supra terram sit, medium tamen locum expectans congregatur undique æquabiliter, neque redundat, neque effunditur.* Sed Ps. 23. ostendi maris et terræ esse unum et eumdem globum, sicque mare non esse altius terra, imo potius esse contrarium.

71. Ob fluviorum Admirationem auget continuos tot et tantorum fluviorum influxus in mare, quod tamen non redundat. In Eu-

Influxum non redundat mare. ropa Danubius sexaginta fluvios navigiis ferendis idoneos sinu suo excipit, et in mare transfundit. In Asio Ganges, Tigris, Euphrates, oliique maximi in mare se exunerant. In Africo Nilus septem ostiis in illud influit. In America

Fluvii maximi. fluvius orgenteus tam lato olveo decurrit, ut cum iungitur mari, os habeat quadraginta leucas latum. Fluvius S. Laurentii apud Canedenses est longissimus et amplissimus. Physicos multa in eam rem comminiscentes ait S. Gregorius Nazianzenus orat. 34. κυαθω μετρειν την θαλασσαν, *cyatho metiri mare*. Lege illum. Uno vinculo, nempe Dei præcepto, mare continetur. S. Hilorion mare mediterraneum extra limites egrediens compescuit, et Dei virtute in olveum reiecit. Cum mare Adrioticum supra consuetum excresceret, Bartholomæo Gradnnico Duce, ita ut non leve periculum urbi Venetæ immineret: a S. Georgio, Nicolao et Marco servato est, ut pio viro ostensum est: qao re audita decretis rite supplicationibus grates Deo persolutæ sunt, sicut refert Egnatius, ipsum oceanum sæpe frænorunt Sancti, ut nec sibi, nec aliis noceret; in illud intrans beatus Iosephus Anchieta viam sibi fecit recedentibus aquis ante faciem eius, stantibus in utrequo lotere, et cum rediret ad littus, cum sequentibus et socii talos verberantibus, sed neutrum prævertentibus. Maris rubri aquas Deus velut in utre continuit, cum suo populo per illud transitum dedit, de illo speciatim Psalmum exponit S. Basilius.

72. Mare est equus fræno retentus, et captivus in carcere fremens. Compara itaque mere: Primum equo ferocienti, sessoremque excutere molienti, sed quia fræno retineatur a perito duce. Theodoretus in Ps. 103. *Mare*, ait, *arenam vsretur, et usque ad illam rabie percitum, veluti fræno, divino termino inhibitum rursus coercetur, et retrorsum cedit.* Secundo, mare est captivus, qui carcerem diffringere nititur: sed ferrais monicis pedicisque constrictus imbeili tantum et inutili ictu furit. S. Basilius homil. 4. in Hexaem. hoc odmiratur et prædicat: Ibique ait mare rubrum esse altius Ægypto, eaque de causa Sesostrim Ægypti regem, et Darium Medum destitisse ab eo conatu, quo illud mari mediterraneo coniungere moliebantur, et concludit fieri non posse, quin totam illam provinciam demergat, ει μη προσταγματι εν πεπεδημενη κτισαντος, *nisi creatoris præcepta, tamquam compedibus, astrictum teneretur*. Tertio, omnia maria sunt instar variorum exercituum ex omni parte terram invadere molientium, et contra eam crebris arietationibus et insultibus irruentium. S. Chrysost. hom. 9. od populum Antiochenum: *Non cernis*, inquit, *hoc mare undis et violentis flatibus plenum? sed hoc mare spatiosum, et magnum, et furens*, ασθενει ψαμμω τειχιζεται, *invalida areno continetur. Et considera Dei sapientiam, non permisit illud quiescere, neque manere sedatum, ne id esse naturæ ordinem putes, sed intro terminos manens*, βοα και ταραττεται, *clamat et turbatur, et vehementer resonat, et in altitudinem fluctus extollit ineffabiles: cum autem ad littus et arenam pervenerit, dissolutum rursus ad seipsum revertitur: per hæc utraque te docens, quod non naturæ opus est ipsum intra proprios fines manere, sed virtutis eius qui ipsum cohibet.* S. Gregorius Nazianzenus orat. 34. oit, esse, ωσπερ αιδουμενον την γειτονα, veluti reverentia erga terras motum mare.

73. Thesauri duplex acceptio. Nota tertio, thesaurus sumitur Primo pro copia rerum pretiosarum, verbi gratia, gemmarum, ouri, argenti et similium: sic Deus *ponit in thesauris abyssos*, id est, in abyssis ponit thesauros, est hypallage, q. d. abyssi, id est aquæ maris immensæ, et aliæ, sunt maxime pretiosæ ob magnas utilitates, quas mundo afferunt, terras irrigando et fœcundando, pisces fovendo et nutriendo, navigia et merces transvehendo ex una provincia in provinciam, vapores suppeditando ad pluvias, ventos, et alia. Secundo, thesaurus est locus, in quo res illæ pretiosæ continentur. Sic Tullius lib. 1. de Oratore: Thesaurus, inquit, rerum omnium memoria. Sensus sic est melior: *ponens in thesauris*, id est, in alveis maris et terræ, *abyssos*, id est aquas plurimas.

74. Ad thesaurum Ad thesaurum autem, utrovis modo sumas, tria requiruntur. Primo, ut in eo magna sit auri, argenti, aut aliarum rerum copia. Secundo, ut ibi conserventur. Tertio, ut inde ad libitum educi possint. Hoc autem contigit in mari et abyssis subterraneis. Thesaurum S. Thomas dici vult quasi thecam auri; sed est vox Græca, vel a τιθω, id est theco, repositorium, locus in quo aliquid reponitur: vel, q. d. θεμενον, seu, θησαυμενον εις αυριον, repositum in crastinum. Copiam et abundantiam denotat nomen abyssi, utilitatem vero declarat S. Ambrosius lib. 3. Hexaem. cap. 5. *Bonum igitur mare, Primum quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occulte succum quemdam haud inutilem subministrat. Bonum mare, tamquam hospitium fluviorum, fons imbrium, derivatio alluvionum, invectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulantur, quo præliorum removentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum.* Abyssi quoque sub terra clausæ utilitatem declarant, fontes et flumina loda exorientia, et terram instar mammarum nutrientia. Philo libro de mundi opificio: γη, inquit, φλιβας μαστοις εοικυιας επλημμυρε, *Terræ venis mammarum similibus exundavit*, quæ per *cavernas editæ fluvios fontesque profunderent*. Et aliquot paginis interiectis subdit: Mater terra videtur esse, ideo vocata est δημητηρ, composito e more et terra nomine. Non enim terra mulierem, ut dixit Plato, sed mulier terram imitatur, quam vere Poetica gens omniparentem, frugiferam et Pandoram nominare solita est: quippe causam generationis et perpetuitatis tam stirpium, quam animalium. Merito igitur terræ antiquissimæ matrum et fœcundissimæ, natura tamquam mammas dedit, omnium fluenta fontiumque, ut stirpes rigentur, et omnia animalia potum copiosum præbeant: ita Philo.

Nota quarto, abyssus denotat primo aquas maris, et 75.
abyssi subterraneæ esse immensas, et visu impenetrabiles, ac fundo multis in locis carentes. Secundo, eos et illorum effectus ac motus esse etiam animo humano incomprehensibiles. Thomas Anglicus censet abyssum dici per antiphrasim, q. d. sine bysso, quod est linum candidissimum, q. d. sine lumine. Sed hoc etymon est absurdum. Secundo, deducit ab a privativo, et basis, q. d. sine basi. Verum abyssus est vox Græca, et derivatur ab a et βυσσος, quod sit sine fundo. Ionice enim βυσσος dicitur pro βυθος, id est, fundus, vel abyssus dicitur, quod nullus illam δυει, vel βυει, id est subit, penetrat, ingreditur usque ad fundum. S. August. in Ps. 41. *Abyssus, ait, est profunditas quædam impenetrabilis, et incomprehensibilis: et maxime solet dici in aquarum multitudine. Ibi enim altitudo, ibi profunditas, quæ penetrari* usque ad *fundum non potest.* Abyssus quid denotet?

Quæres, quanta est, et quam lata, et profunda abys- 76.
sus maris? Respondent primo aliqui aquam habere proportionem duplam ad extimam terræ superficiem. Secundo, Conimbricenses lib. 3. de cælo cap. 5. quæst. 3. dicunt id non satis esse compertum. Tertio, et verius, dicit Alexander Piccolomineus aquam quæ exterius apparet, multo minorem esse terra, idque demonstrat libro de hac re edito. Latitudo maris quanta?

Si de profunditate quæstio est, bene respondet Bal- 77.
thasar Paez in Canticum Mosis: Inter omnia maria, inquit, Ægæum in mediterraneo, et Malacicum in oceano, habentur omnium altissima et profundissima: itaque unumquodque eorum dicitur Archipelagus, quasi Princeps pelagi: ut autem immissa bolide, id est nautico perpendiculo marinæ altitudinis exploratorio, dicuntur experti nautæ, nullius profunditas excedit duo millia passuum, scilicet duas leucæ tertias: ut plurimum autem non excedit dimidium milliarii. Si tamen paucissima loca exceperis, quorum vada nondum reperta sunt, ad littora nempe Svecica, ubi non anchoris, sed ferreis annulis naves cohibentur, et in mari Pontico, ut refert Plinius lib. 2. cap. 102. ex adverso Coraxorum gentis, trecentis fere a continenti stadiis: et alia quædam loca, quæ Lusitani et Hispani commemorant. Hæc ille recte, nisi quod mare Profunditas maris quanta?

Marginal notes (right margin, beside paragraph 74): tria requiruntur 1. 2. 3.

Ægæum et Molucicum putat dictum esse Archipelagus propter profunditatem, cum hoc nomen habeat potius propter insularum multitudinem et habitationem.

78. Allegor. Mare est Ecclesia ob septem rationes.

Allegorice. Mare est Ecclesia, Primo, ob multitudinem Christianorum velut piscium, quos sinu fovet. Secundo, ob multitudinem gratiarum, velut aquarum, sive in baptismo, sive in pœnitentiæ lacrymis, et cordis liquefactione per amorem perceptarum. Tertio, ob amplitudinem extensionis; totum enim orbem complectitur, et se in illud infundit. Quarto, ob salsedinem afflictionum et sapientiæ. Quinto, ob afflatum Spiritus sancti. Sexto, ob potum salutis. Septimo, ob charitatem recipiendo omnia flumina venientia ex omni parte. licet sint insipida et non salita sale sapientiæ, id est, viros non baptizatos, ut Turcas, Persas, Indos, aliosque, quos sibi incorporat et sui sapore imbuit. Octavo, ob fremitum undarum per varios flexus et assultus insonantium, et Deum suum laudantium. S. Ambrosius lib. 3. Hexaemeron, cap. 5. *Quid*, ait, *aliud ille concentus undarum, nisi quidam concentus plebis est? Unde bene mari comparatur Ecclesia, quæ primo ingredientis populi agmine totis vestibulis undas vomit, deinde in oratione totius plebis tamquam undis refluentibus stridet: tum responsoriis psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum, consonus undarum fragor resultat. Nam illud quid dicam, quod unda peccatum abluit, et sancti Spiritus aura salutaris aspirat?* In eo mari varii sunt sinus, et particularia maria. Mare rubrum, id est sinus Arabicus, sunt Martyres, qui terram corporis sui sanguine purpurant. Mare nigrum, id est, Pontus Euxinus, sunt pœnitentes, qui atrato vestitu et lacrymis scelera sua deplorant. Mare album, id est mare Caspium, sunt innocentes, qui variis virtutum operibus intenti benignitatem et hospitalitatem in omnes exercent. In mari Orientali, id est, in charitate et novo semper fervore incultibus et ardentibus, gemmas virtutum reperies. In mari Septemtrionali, id est in patientibus, succinum, id est, mansuetudinem cor et amorem omnium attrahentem invenies.

Continetur illud Ecclesiæ mare totale *in utre*: id est, in unitate, et in mortificatione. Uter enim fit ex pellibus mortuorum animalium.

79. Abyssi illius maris quales.

Abyssi illius maris sunt Primo, Sacramenta. Secundo, divina mysteria. Tertio, profundum Scripturarum. Quarto, pœnæ malis intentatæ. Quinto, præmia bonis promissa et data.

Et thesauri?

Thesauri, in quibus ponuntur, et unde depromuntur illæ abyssi, sunt Apostoli et Apostolici viri. Ut enim loquitur Euthymius: *Apostoli thesauri fuerunt: custodes nimirum et conservatores abyssorum: hoc est profundissimorum mysteriorum fidei*. Thesauros possis dicere Sacramenta ob gratiam, quam continent et dant: item Scripturas, in quibus quot Dei verba sunt, tot gemmæ irradiant.

80. Mare quoque est Deipara.

Secundo, Allegorice. Mare est Maria Deipara, quæ in utre, id est, in humilitate, in parva domuncula Nazareth, in spelunca Bethlehem, in exiguo Ægypti angulo ponitur. Ibi sunt aquæ et abyssi gratiarum, thesaurus vero Iesus, *in quo*, ut ait Paulus ad Coloss. 2. v. 3. *sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi*.

81. In ea sunt thesauri gratiæ.

De abundantia gratiarum eius sic loquitur S. Hier. sermone de Assumptione: Vere beata Virgo plena gratia: quia cæteris gratia per partes præstatur; Mariæ autem tota se infudit gratiæ plenitudo. Albertus Magnus super Missus est, magis ad rem nostram: *Congregationem*, ait, *aquarum vocavit Deus maria: locus autem omnium gratiarum vocatur Maria*. Et S. Bonaventura diffusius in speculo beatæ Virginis cap. 3. *Maria*, inquit, *dicitur mare propter affluentiam et copiam gratiarum, unde scriptum est Ecclesiast. 1. v. 7. Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam, flumen gratiæ Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, et Virginum intrant in Mariam, quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit: unde ipsa optime dicere potest illud Eccl. 24. 25. In me omnis gratia viæ et veritatis: in me omnis spes* A *vitæ et virtutis*.

82. Tropol. In utre congregantur aquæ maris dupliciter. 1. Cum tribulationes restringuntur.

Tropologice. Congregat Deus aquas maris, quasi in utre. Primo, quando tribulationes restringit, et non permittit extendi et furere. Sic ventos clausos in utre ab Æolo eorum moderatore fingunt Poetæ. Eccli. 39. v. 22. *In verbo eius* (Dei) *stetit aqua sicut congeries* (Gr. θημωνιά, id est, acervus et cumulus rerum simul positarum, seu congestarum; deducitur a τίθημι, hoc est pono, colloco) *et in sermone oris illius* (stetit) *sicut exceptoria aquarum*. Græce ἀποδοχεῖα, q. d. receptacula, et quasi utres aquarum, ait Cornelius, qui id explicat de alveis et cavitatibus, in quas Deus reclusit aquam tertio die creationis. Lyranus id exponit de mari rubro, cum divisum est et constrictum ad transitum Israelitarum ex Ægypto. Syrus vertit: *Verbo suo oriri facit solem, et verbo suo occidere eum facit*. Pro aqua, id est, pro tribulatione, ponit solem, quia ipsa afflictio sanctos illuminat et recreat.

83. II. Cum potabiles et suaves redduntur.

Secundo, congregat Deus aquas maris, id est, tribulationes, quasi in utre, quando eas potabiles facit, quod B fit perfectis. Moses tribus Israeliticas benedicens ait de tribu Zabulon et Issachar, Deuteron. 33. v. 19 *Populos vocabunt ad montem* (id est ad templum in monte Sion, id est in Ecclesia contemplante, et in perfectione positum), *ibi immolabunt victimas iustitiæ* (id est legitima et iusta) *qui inundationem maris* (id est merces et opes mari advectas, atque tribulationes) *quasi lac sugent et thesauros absconditos arenarum*, id est gemmas, aurum, et metalla terræ immista, hoc est, virtutes humilitate occultatas. Deus *ponit in thesauris abyssos*, id est, magnum thesaurum reputat esse homines humiles, et iis suas divitias elargitur. Hebraice תהום *tehom*, hoc est abyssus, sive sumas pro ipsa aqua multa, sive pro illius loco profundo et impenetrabili, deducitur approbante Mercero a *taha*, id est, turbare et fremere. Abyssus itaque est in thesauris, quia ex ipsa perturbatione et calamitate iustos ditat atque locupletet. 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Faciet etiam cum tribulatione proventum* (id est progressum et augmentum virtutis, gratiæ et gloriæ) *ut possitis sustinere*. Græ- C ce ὑπενεγκεῖν, id est, ita sustinere, ut vires adhuc supersint ad graviora sufferenda.

Unde sequitur, non esse timendum, cum Deus vires hosti minuat, afflictis augeat. S. Augustinus in Psalmum nostr. de repressis persecutoribus Christianorum, sic ait: *Congregans sicut in utrem aquas maris. Cum ergo antea more liberis fluctibus sæviebat, modo autem intra mortalia pectora inclusum amarum est, ille fecit, qui in illis vicit, qui posuit tunc mari terminos, ut in se remeantes comminuerentur fluctus eius. Ipse congregavit velut in utrem aquam maris, mortalis pellis contegat amaram cogitationem. Timentes enim pelli suæ, intus tenent quod non audent emittere. Nam eadem est amaritudo. Sic oderunt, sic detestantur. Sed quod tunc aperte sæviebat, nunc occulte: quid aliud dicam, quam quod dictum est: Frendet et tabescet? Eat ergo Ecclesia, ambulet. Facta est via, strata nostra ab imperatore munita est. Ferveamus in itineribus bonorum operum,* D *hoc est enim ambulare nostrum*. Ait deinde, si tribulationes accidant, id fieri, ut simus canori auribus Domini, sicut tubæ ductiles. S. Basilius ait, mare congregari *sicut utrem*, quia modo instar utris inflatur, modo subsidit, et coarctatur: idem fit in tribulationibus. Itaque in die malorum, memor esto bonorum: et in die tempestatis spera tranquillitatem. Expecta Dominum, quia veniens veniat ac te salvabit. Tobiæ 3. v. 22. *Post tempestatem, tranquillum facis*. S. Gregor. 9. Moral. 5. *Aquas maris quasi in utrem Dominus congregat, cum miro moderamine cuncta disponens in suis clausas cordibus carnalium minas frænat*. Lege illum lib. 19. c. 29. ubi ait, nunc draconem claudi in abysso, sicut dicitur in Apocalypsi, quia publice illi sævire non permittitur.

Secundo, Aquas maris congregat Dominus, quando carnis petulantiam in sanctis restringit; ponit in thesauris abyssos, cum peccatores facit lapides pretiosos per pœnitentiam: ita Ugo. De primo dicitur Gen. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus eius* (peccati) *et tu dominaberis illius*. Si

nempe id velis. De secundo, Matth. 3. v. 9. ait Christus multis Pharisæis et Sadducæis: *Dico vobis, quoniam* (quod) *potens est Deus de lapidibus istis* (duodecim, quos Iosue posuit in medio Iordanis alveo illum traiiciens in Bethabara, id est in domo seu loco transitus, ubi nunc baptizo) *suscitare filios Abrahæ*, id est, Abrahamo; Græca enim est τω Αβρααμ. Iobi 28. v. 2. dicit: *Ferrum de terra tollitur*, id est peccator obduratus ex terrenorum amore abstrahitur: *et lapis* (materia chalybea in lapidem inutilem durata) *solutus calore in æs vertitur*. Calor et ardor charitatis solvit et liquat cor humanum, atque ad multos usus aptum efficit, quod prius terra obvolutam et impurum erat inutile. Aqua maris in conchas incidens, et cælesti rori admista, in gemmas vertitur: ita tentatio cum Dei gratia mutatur in meritum, et coronæ æternæ splendor est.

84. Vers. 8. Concludit David ex enarrata Dei potentia in cælis et in mari, ab hominibus in terra manentibus Deum timendum esse, v. 8. TIMEAT DOMINUM (alium vero nullum) OMNIS TERRA: AB EO (uno) COMMOVEANTUR OMNES INHABITANTES ORBEM. *Commoveantur*, Primo effective, id est, huic uni se moventi, et ad agendum incitanti obediant, huius unius motum et incitationem admittant: ita S. Basilius: *Commoveantur*, inquit, *omnes inhabitantes orbem: hoc est, omnis motus, sive ex mente, sive ex corpore actum perficiens, ab hominibus perficiatur iuxta præscriptum divinæ voluntatis. Sic enim intelligo illud, commoveantur ab eo: videlicet, ut nec oculus, nec manus præter Dei voluntatem moveantur. Sed ne cor quidem ea quæ Deo displicent, excogitet. Nec ab ulla prorsus alia causa moveantur: neque ipsos quidvis aliud moveat, nisi Dei timor.*

Secundo, *commoveantur ab eo*, obiective, ita ut Deus et eius potentia sit obiectum et materia timoris. Primo, timoris initialis, quem S. Basilius appellat hic, εισαγωγικον εις ευσεβειαν, introductoriam ad pietatem: item vocat, επιστημονικον φοβον, timorem instructivum. Secundo, per timorem, Eusebius accipit summam pietatis et divini cultus venerationem: itaque de filiali timore intelligit. S. Cyrillus *commotionem* vult sumi pro admiratione, et certa persuasione de gloria et maiestate, et præstantis virtutis ac sublimitatis Dei dignitate. Pro *commoveantur* Hebraice est יגורו *iaguri*, id est, timebunt: sed pro optativo sæpe sumitur, aut pro imperativo futurum apud Hebræos, S. Hieron. vertit, ipsum formident omnes habitatores orbis. Felix, paveant. Septuaginta, magnum pavorem requirunt; vertunt enim, σαλευθητωσαν, hoc est, velut in salo timeant, q. d. cum Deus sit Dominus maris, timeant omnes tempestatem et naufragium, si eum non colant: sed si habeant eum benevolum, nihil timeant, quia venti et mare obediunt ei. S. Augustinus: *Ab ipso*, ait, *commoveantur omnes, qui inhabitant orbem. Non timeant alterum pro illo. Fera sævit, Deum time: serpens insidiatur, Deum time. Homo te odit, Deum time. Diabolus te impugnat, Deum time. Tota creatura sub illo est, quem iuberis timere. Quoniam ipse dixit, et facta sunt*, etc.

85. Vers. 9. Causam timoris et commotionis subtexit David, quia Deus creator est, et quidem sola voluntate ac sine labore omnia faciens, v. 9. QUIA IPSE DIXIT (verbo essentiali et communi tribus personis: id est, imperio, iussu, voluntate) ET FACTA SUNT (mare scilicet ac terra. S. Hieron. et factus est, supple orbis) IPSE MANDAVIT, ET CREATA SUNT, creatione impropria dicta, id est producta, si ad cælos referas, quia educti sunt ex aqua: creatione proprie dicta, si ad mare: quod creatum est primo instanti cum cæteris aquis, et reiectum in suos canales die tertio; το *dixit, et facta sunt*, denotat facilitatem faciendi. Vide Ps. 148. 5. ubi est eadem sententia. Gr. pro *creata sunt*, Hebr. est יעמוד *iaamod*, id est, stetit, ut vertit S. Hieron. et Felix. Cum imperat Deus, statim præsto est creatura, et stat instar servi aut ancillæ voluntatem Domini expectans. Vel, *stetit*, id est, stabile fuit, permanens, solidum, perfectum, omnibus numeris absolutum. Cum Noe arcam fabricavit, non statim stetit, sed per centum fere annos iacuit, donec perficeretur: cum vero Deus iubet, mox in perfecto suo statu extat creatura. Petav. reddit, τετελεσμενον εστι, perfectum est. Campensis vertit, cum præcipit, constant res.

Hinc recte concludit, esse Deo serviendum. Alludens enim ad Psalmum nostrum Iudith ait cap. 16. v. 17. *Tibi serviat omnis creatura tua: quia dixisti, et facta sunt: misisti spiritum tuum* (spiritum oris, id est iussum et mandatum) *et creata sunt, et non est qui resistat voci tuæ.* De efficacia illius vocis vide Ps. 28.

Ex Mari, quod Deus continet quasi in utre, sicut mox dictum est, ut cum lubuerit, illud educat, timoris magna causa exoritur. Nam varias terræ partes partim disiecit, partim vastavit. Orbem cursim lustremus. Hoc videbis in Oriente, Meridie, Septemtrione, et Occidente. 86. Mare exundans varios populos per totum orbem afflixit.

Primo, in Oriente oceanus Indicus non exiguum terræ spatium occupavit, ut probari potest ex vita S. Thomæ, qui Calaminæ templum extruxerat, in quo crucem posuerat, cum hac inscriptione: Cum mare hanc Crucem alluet, homines albi venient ex remotis provinciis, qui eamdem doctrinam, quam ego, edocebunt, eiusque memoriam refricabunt. Notatum est autem, cum Lusitani eum terræ tractum sibi subiecerunt, tunc mare ad illum usque lapidem pervenisse, quod Christianos ingenti gaudio affecit. 87. I. In Oriente.

Secundo, ad Meridiem, mare Mediterraneum tempore Valentiniani Imperatoris exundavit, anno Christi 365. Sic rem narrat Nicephorus lib. 10. cap. 35. Sub Iuliani, inquit, imperio, mare vehementi æstu concitam, et ultra fines suos progressum, ita diluvio aridam et continentem terram inundavit, ut eo in locum suum regresso, Alexandriæ in tectorum tegulis scaphæ marinæ sint repertæ: ita ille. Quantam id cladem attulerit, satis patet. Sed inde quoque id secutum est, quod in Psal. nostro dicitur: *Timeat Dominum omnis terra*, etc. Nam Alexandrini ab eo tempore, quo talis inundatio coorta est, diem festum eum peragentes, faces multas in urbe accendunt, carminibusque et gratiarum actionibus iram Dei supplices placant, solemnitatemque anniversariam cum insigni pietate et religione observant. Sozomenus lib. 6. cap. 2. ait etiam sub Iuliano id accidisse. Sed melius Orosius lib. 7. cap. 32. S. Hieron. in Chron. sub Valentiniano et Valente ponunt. 88. II In Meridie.

In eodem mari Mediterraneo variæ insulæ et disiectæ, et disrupta terra continente factæ sunt. Nam, ut ait Plinius lib. 2. cap. 88. *Mare avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam Bœotiæ, Eubœæ Atalantem et Macrin, Besbycum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promontorio.* Et cap. 89. Rursus abstulit insulas mari, iunxitque terris Antissam Lesbo, Zephyrum Halicarnasso, Æthusam Myndo, Dromiscon et Pernen Mileto, Narthecusam Parthenio promontorio. Et cap. 90. In totum abstulit terras. Videmus hodie mersam Acarnaniam Ambracio sinu, Achaiam Corinthio, Europam Asiamque Propontide et Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada, Antirrhium, Hellespontum, Bosphoros duos: ita Plinius: id est Bosphorum Thracium, et Bosphorum Cimmerium.

In mari Ægæo, quod est nobis Orientale et Meridionale, Chryse insula non procul a Lemno undis maris hausta est, ut tradit Pausanias in Arcadicis. Thraciam Iustiniani Imperatoris anno 18. fuisse opertam mari ad quatuor milliaria, tradit Cedrenus, tectis aqua Odryso, Dionysiopoli, et Aphrodisio, multosque esse aquis suffocatos: deinde iussu Dei aquam in locum suum rediisse. Alia vide in allatis e Plinio.

In mari Pontico, seu in ponto Euxino sunt duo Bosphori, de quibus mox dixi. Plinius etiam ait lib. 2. cap. 92. *Pyrrham et Antissam circa Mæotim Pontus abstulit.* Elicen et Buram in sinu Corinthio, quorum in alto vestigia apparent. Ex insula Cea amplius triginta millia passuum abrupta subito cum plurimis mortalibus rapuit. Et in Sicilia dimidiam Thyndarida urbem, ac quidquid ab Italia deest. Similiter in Bœotia et Eleusina: ita Plinius, ubi varia permiscet mario. Est porro Pontus Euxinus, sic dictus per antiphrasim quasi αξενος, id est inhospitalis, quod

populi iuxta illum habitantes solerent hospites immolare. Est Galliæ nostræ Orientalis et Meridionalis.

Ex his concluda: *Timeat Dominum omnis terra, et commoveantur omnes inhabitantes orbem*. Et certo Argiva regione inundata, ac deinde aquis liberata tempore Inachi, templum erectum est Neptuno, προσκλυστίῳ, id est, inundatori, ut tradit Pausanias in Corinthiacis.

89. III. In Septemtrione. Tertio, ad Septemtrionem, Ambrones Galliæ populos subita maris inundatio semel sedibus suis expulit. Iovius lib. 29. histor. tradit, quod anno 1530. in extremis Belgarum regionibus, quæ Gessoriaco littori incumbunt, ita Oceanus intumuit, ut multas urbes undis obruerit, infinita pene hominum multitudine extincta. Calamitas hæc longe maxima in Hollandia et Zelandia contigit. Nam præter eas urbes, quæ penitus submersæ fuerunt, Alenbucha, et Aries, et Exclusæ clara oppida, ita fluctibus oppressa devorataque sunt, vix ut sacrarum turrium et templorum fastigia extarent, quæ horribili æque at sæpe metuenda excidii memoria cladem testarentur. Hæc et alia Iovius, qui creditum fuisse ait, nullam a diluvio cladem terris a mari accidisse graviorem.

In Septemtrionis etiam populis timorem Dei et commotionem ingenerarunt aquæ maris. Canutus enim Daniæ et Angliæ rex, ut aulicorum assentationes compesceret, atque Dei præ regibus potentiam declararet, iuxta maris littus ambulans, vestem exuit, at ex ea globum fecit, et super eum sedit, æstu tum forte ex alto se incitante, at ait: Unda tibi iubeo, ut ne pedes meos tangas. Quæ vix locutus erat, cum aqua eum totum madefecit. Tum ad suos conversus, eos monuit: nullum mortalium regis nomine esse dignum, sed Deum solum qui cæli, terræ, maris est rector. Post hæc Vintoniam profectus, coronam regiam quam gestabat, capiti Christi crucifixi imposuit propriis manibus, nunquam deinde eiusmodi ornamento capitis usus. Lege Polydor. Virgil. pluribus hæc narrantem. lib. 7. hist. Angl.

90. IV. In Occidente. Quarto denique, ad occasum magna Dei potentia in maris exundatione innotuit. Nam Gaditanum fretum irruptione maris apertum esse tradit Plinius lib. 2. Plato vero rem longe admirabiliorem refert in Timæo, cum ait, insulam Atlanticam maximam, quam plerique Americam esse putant, ex parte undis maris fuisse absorptam. Verba Platonis sunt: *Traditur vestra civitas Atheniensis restitisse olim innumeris hostium copiis, quæ ex Atlantico mari profectæ prope iam cunctam Europam Asiamque obsederant. Tunc enim erat fretum illud navigabile, habens in ore, et quasi vestibulo eius insulam, quas Herculis columnas cognominatis:ferturque insula illa Libya simul et Asia maior fuisse, per quam ad alias proximas insulas patebat aditus, atque ex insulis ad omnem continentem e conspectu iacentem vero mari vicinam. Sed intra os ipsum portus angusto sinu fuisse traditur. Pelagus illud verum mare, terra quoque illa vere erat continens. In hac Atlantide insula maxima et admirabilis extitit potentia regum, qui toti insulæ, multisque aliis, et maximæ terræ continentis parti, præterea et his, quæ penes nos sunt, dominabantur. Siquidem tertiæ mundi parti, quæ Libia dicitur, usque ad Ægyptum imperaverunt. Europæ vero usque ad Tyrrenum mare. Horum vis omnis una collecta nostram, o Solon, vestramque regionem, et quidquid intra columnas Herculis continebatur, invasit. Tunc vestræ civitatis virtus in omnes gentes enituit. Quæ cum omnes magnanimitate bellicisque artibus antecelleret, partim una cum aliis Græcis, partim sola cæteris deserentibus, extrema discrimina subiit, hostesque expugnavit: eos vero qui nondum in eorum ditionem potestatemque venerant, ne venirent, prohibuit: alios autem nimirum nos, quotquot eis Herculis columnas habitamus, omnes promiscue servavit.* Hæc Plato, penes quem sit fides, cum eam insulam Libya et Asia dicat fuisse maiorem, iure dixeris esse Americam, quæ etiamnum fere utramque exæquat.

Ad rem porro nostram Plato subdit: *Post hæc ingenti terræ motu, iugique diei et noctis unius illuvione factum, ut terra dehiscens vestros illos una omnes bellicosos homines absorberet, et Atlantis insula sub vasto gurgite mergeretur. Quam ob causam innavigabile pelagus illud, propter absorptæ insulæ limum relictum.*

Concludamus itaque cum Propheta nostro: Timeat Dominum omnis terra, ab eo commoveantur omnes inhabitantes orbem. Orbis est, facile volvitur a prosperitate in adversitatem, et tantum in puncto consistit. Terra est, facile et ex improviso a Deo conteritur.

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Duo complectitur. Primo, Deus sapientia sua impiorum consilia dissipare, iustos vero beare, vers. 10. Secundo, utrumque per elegantem hypotyposim fusius explicat, vers. 13. usque in finem.

PARAPHRASIS.

10. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.*

10. Nec bonitatem tantum at potentiam Dei suspicio, sed summam eius sapientiam, quæ me populumque suum tot impetitum circumstantium gentium insultibus, et dolis implicitum expedivit, discussis earum in nos machinationibus. Hoc enim supremæ mentis est, texta variis fraudibus impiorum consilia dissolvere at irrita reddere, quamvis populi multitudini, at impiorum auctoritati innitantur.

11. *Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione et generationem.*

11. Frendeant licet populi regesque infremant, Dei consilia nihil est quod disturbare possit, sed effectum suum sortientur, et in æternum immota perstabunt: neque unius aut alterius sæculi claudentur angustiis: sed per omnes hominum consequentes ætates vim suam roburque exerent, singulis ut innotescat, nec sapientiam, nec consilium esse contra Dominum.

12. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi.*

12. Quare ad hunc bonitatis, potentiæ, et sapientiæ fontem omnes omnium gentium populi accurrite, neque inanibus idolorum in mendaciis spes vestras figite. Illi, illi soli beati sunt, qui se Deo iustissimo, potentissimo, ac sapientissimo consecrarunt, eumque sibi in Dominum ac Principem delegerunt. Beatus quoque ille est populus, quem præ cæteris orbis nationibus selectum sibi in peculium, et hæreditatem Deus secrevit, eum ut excolat, servet, atque possideat.

13. *De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.*

13. Et summo cælorum palatio, in quo maiestatis suæ divitias Deus peculiariter ostentat, terram universam contemplatur, singulari providentia creaturas singulas, sed homines præsertim considerans, et gubernans.

14. *De præparato habitacu-*

14. Ex illo, inquam palatio, quod sibi suisque principibus et aulicis præpara-

lo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

vit, omnique ornatu et decora illustravit, respectat Deus omnes homines, ut bonos ad virtutem incitet, atque propositis præmiis extimulet: malos vero a vitiis revocet, aut obduratos atterat.

15. *Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.*

15. Neque in exteriori operum cortice et libro eius oculus demoratur, intimas scrutatur medullas, animique fibras rimatur: cum ipse divina manu cordi formando præsertim intentus, mentis affectum et propositum illis qui sensum fariunt, actionibus anteferat. Quo fit, ut qui mundano cordi operam navant, Deo se cordium amatori probent, eaque re beatitudinem summam possideant.

16. *Non salvatur rex per multam virtutem: et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

16. Neque oculo tantum imbelli et ignavo terras despectat Deus, sed potenti manu suis robur sufficit, eosque summis e periculis subducit: cum sciat ne reges quidem armatis succinctos, et totis vallatos agminibus propria potentia salutem consequi: sed sua unius voluntate, ductu, ac potestate, cui nemo est, qui obsistat. Nec gigantes turrita membrorum mole, pusionibus licet ac pygmæis obiectos vitam in tuto positam sibi posse appromittere, nisi ipse subsidio sit.

17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

17. Nec cataphractum equum satis esse ad perrumpendos hostium cuneos, aut ad evitandos eorum gladios tergo fugacis hærentes, licet cursu prævertat ventos. Neque ipsum equum robore suo aut velocitate mediis in hostium telis, ferratisque ac densatis globis, salutis sibi viam explicare, sed in se uno vero rerum omnium domino, sitam esse potestatem.

18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum; et in eis, qui sperant super misericordia eius.*

18. Innumeri licet hac illac discursent homines, et per varia terrarum regna divagentur: sagax tamen ac perspicax Dei parentis optimi cura oculos ab eis non dimovet, qui cæteris hominum contemptis terroribus, solum illum reverentur et colunt. Quique de suis diffisi meritis amicorumque præsidiis, in una Dei misericordia spes suas repositas habent.

19. *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame.*

19. Ut iam sub mortis telo positos et gementes liberet, et pressis fame panem cibosque affatim sufficiat; tum in hac sterili exulum terra, tum in fertilibus æternorum collium pascuis.

20. *Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor et protector noster est.*

20. Cum ea sit Dei vigilantia et sollicita suorum cura, recedant a nobis satellitum adstantium latusque stipantium cohortes, equorum globi negligantur, ab uno Deo præsidium omne præstolabimur, cum calamitates ingruent: quoniam ipse nobis gladius est, quo adiuti armatiqua obstantes legiones pervadamus: ipse scutum, quo tecti vibrata in nos tela repellamus, irrito ut ictu in auras dissultent.

21. *Quia in eo lætabitur cor nostrum: et in nomine sancto eius speravimus.*

21. Ille unus est, qui vero solidoque gaudio cor nostrum explere possit, cætera nos verius exedunt et vorant, quam satiant. Vel ipsum eius sanctissimum atque augustissimum nomen prolatum omnibus erit armis potentius, ab eo auxilium nostrum expectamus.

22. *Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.*

22. Exere igitur potentiam tuam Domine, et quam prædicamus, misericordiam effunde: ut hoc sacro delibuti oleo in arenam intrepidi descendamus: tu spei fiduciam animis ingenerasti, fac ut votis omnia respondeant.

QUÆSTIO UNICA

Quam sedula Dei erga viros pios providentia.

91. Ordo Sectionis. Cum Propheta noster initio Psalmi monuisset viros pietati deditos, ut exultarent, Deumque laudarent: illum a sanctitate, fidelitate, misericordia, iustitia, et potestate in cæli marisque creatione, prædicavit. Nunc præcipuam lætitiæ causam attingit, nempe quod Deus suis alumnis provideat, eosque in omnes omnium hostium insultus tueatur.

Ac primo, Sapientiam Dei prædicat, qua vafras hostium machinationes dissolvit, v. 10. *Dominus dissipat consilia gentium.* Plebis scilicet tumultuantis: *Reprobat autem cogitationes populorum:* et regum adversantium: *Et reprobat consilia Principum.*

Secundo, Constantia paterna iustis ita providet, ut nullo tempore iis impii nocere possint, v. 11. *Consilium autem Domini in æternum manet:* neque filios eorum aut posteros perturbare: *Cogitationes eius in generatione et generationem.*

Inde concludit, beatos esse illos, primo, qui Deum sibi in regem elegerint, v. 12. *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius.* Secundo, qui a Deo electi sunt in populum peculiariter ipsi destinatum, et eius cultui: *Populus quem elegit in hæreditatem sibi.*

Tertio, duo illa prædicta: nempe, impios a Deo destrui, et iustos stabiliri fusius per elegantem hypotyposim Dei e cælo respectantis, actionesque hominum considerantis, exponit, v. 13. *De cælo respexit Dominus.* Unico illo oculorum delectu mortales omnes contemplatus est: *Vidit omnes filios hominum.* In quacumque lateant regione, aspectum ipsius fugere non possunt, v. 14. *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.*

Intuetur autem, 1. eorum corda; 2. opera. Nam creator est etiam cordis, vers. 15. *Qui finxit sigillatim corda eorum.* Et legit quidquid est in eorum operibus: *Qui intelligit omnia opera eorum.*

Opera autem impiorum plena fastus, arrogantiæ, et præsumptionis de suis viribus, destruit Deus. Primo enim, iis non proderunt numerosi exercitus, v. 16. *Non salvatur rex per multam virtutem.* Secundo, neque robur corporis ac moles: *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* Tertio, neque equitatus, in quo gentiles maxime fidebant, quidquam proderit, v. 17. *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

Secundam denique hypotyposis partem explet David, in eaque Deum exhibet viros iustos e cælo aspectantem. Nam primo eos respicit, qui conversionis initio eum timent, v. 18. *Ecce oculi Domini super metuentes eum.* Secundo, eos qui in vitæ et virtutis progressu spes suas in eum proiiciunt: *Et in eis, qui sperant in misericordia eius.*

Effectus denique divini illius aspectus et providentiæ sex proponit. Primo, liberationem piorum a morte, v. 19. *Ut eruat a morte animas eorum,* id est ipsos. Secundo, curam in iis nutriendis: *Et alat eos in fame.* Tertio, Auxilium in negotiis, v. 20. *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adiutor et protector noster est.* Quarto lætitiam in prosperis, v. 21. *Quia in eo lætabitur cor nostrum.* Quinto, patientiam in adversis: *Et in nomine sancto eius speravimus.* Sexto, misericordiam in omnibus actionibus, v. 22. *Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te.*

ARTICULUS I.

Deus corda et apera hominum contemplatur, et impiorum consilia dissipat.

92. Vers. 11. PRIMO impii, tamquam mali servi varia in Deum Dominum suum, atque in conservos suos versant consilia, sed Deus illa dissipat, v. 10. DOMINUS DISSIPAT (Hebraice, הֵפִיר *hefir*, id est, ut vertit Vatablus, irritu facit. Secundo, S. Hieron. *dissolvit*; funes sunt iniquitatis Gordio nodo astrictiores. Tertio Arabs, annuliat. Quarto Muisius, *frangit*, cum dissolventis manus non patiuntur. Quinto Campensis, *turbavit*, etiam cum illa consilia concipiunt et exequi meditantur. Sexto Apollinaris, *dispergit*, in ventum scilicet ventosa et inania disiicit, et in varias partes spargit. Muisius et Campensis, dissipat) CONSILIA GENTIUM, (Hebr. consilium, q. d. ne unum quidem sinet coalescere, et illud præsertim dissipabit, quod magis ipsi cordi esse advertet.) REPROBAT (Hebraice הֵנִיא *heni*, id est, annihilavit, ad nihilum redegit. Chaldæus, Muisius, Pagninus, irritas facit. Septuag. evertit.) AUTEM COGITATIONES. Campensis, machinamenta, POPULORUM, ET REPROBAT CONSILIA PRINCIPUM.

93. Consilia varia impiorum in pios. Quæres, quæ consilia et cogitationes intelligit? Primo de Assyriis congregatis adversus Ierusalem exponunt Euthymius, et Theodoretus, qui mentionem facit Sennacherib. Seeundo, S. Basilius explicat de Syris Samariam obsidentibus tempore Elisæi Prophetæ. Tertio, idem exponit de Achitophele Absalonis consiliario. Quarto, speciatim arbitror Davidem intelligere de populo a se devicto, in ea victoria, ob quam Deo agit gratias, generatim tamen extendere ad omnes sceleratos. Ubique enim Deus consilia sceleratorum dissipavit, et cogitationes reprobavit.

Primo enim Genesis 11. v. 7. homines vani dicebant: *Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, culmen pertingat ad cælum*. Cumque per annos viginti circiter in ea extruenda desudassent, Deus confudit linguam eorum, ut non audiret unusquisque vocem proximi sui, eos deinde in varias terras dispersit. Seeundo, in regno Assyriorum Sennacherib anno mundi 3321. Imperii Assyriorum 1389. Ezechiæ regis Iuda 13. ante Christum 732. venit in Iudæam, consilia agitat de Ierusalem evertenda, et templo concremando, sed ex eius exercitu cæduntur una nocte ab Angelo centum octoginta quinque millia militum et ducum, ipse vero cum reliquis dissipatur. Tertio, in Persia de Aman tempore Asueri, id est, Artaxerxis Longimani, cui erat ebarissimus, consilia cum Zares uxore sua et cum cæteris amicis init de perdendo Mardochæo, ei trabem iubet erigi altam quinquaginta cubitos, in ea ipse suspenditur anno mundi 3601. Imperii Persarum 85. Ante Christum 452. Quarto, in imperio Græcorum Antiochus Epiphanes rex Syriæ varia molitur in Machabæos et reliquos Iudæos Deo vero servientes, sed misere moritur anno imperii Græc. 149. ante Christum 162. lib. 2. Machab. 9. vers. 5. et sequent. Quinto, in Imperio Romanorum quis fuit Neronis, Decii, Diocletiani, Maximiani, Valentis, Iuliani Apostatæ, et aliorum exitus, qui vi et dolo Christianos aggressi fuerant? Vide Ps. 33. v. 22. De Pharaone in Ægypto et consiliis eius dissipatis, habes Exodi 1. et sequenti: de Balaam et Balac rege Moabitarum, Num. 23. et 24. de Achitophele et Absalone in Iudæa, 2. Reg. 17. et 18. Generatim ait Eliphaz rex Themanorum, Iobi 5. v. 12. de Deo: *Qui dissipat cogitationes malignorum* (Hebr. callidorum, versutorum, vafrorum) *ne possint implere manus eorum, quod ceperant. Qui apprehendit* (Hebr. לֹכֵד *loched*, capiens quasi vi et iure belli, ait Pineda; 2. et melius, veluti laqueo et sapientia atque industria. Hinc Latinum *laqueus*, et vernaculum *lacet*) *sapientes in astutia* (in vafritie, in animo versipelli et veteratorio, in omnem partem et faciem se mutante in suis actionibus) *eorum, et consilium pravorum dissipat*. Sept. disiicit. Symmach. disturbat. Vide dicta Ps. 7. 16. Salomon dicit Prov. 21. 30. *Non est sapientia*, (Chald. intelligentia) *non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Ratio a priori est, quia sapientia Dei primo est increata. Secundo, Infinita. Tertio, omnipotens. Infatuat consilium Achitophel, de quo supra. Achitophel est verum symbolum mali consiliarii. Nam significat, Primo, fratrem ruinæ, id est, ruinosum, causantem ruinam, et alteri scilicet, et sibi, ipse periit suspendio, Absalon lanceis, et fratrem se atque amicum ac fere alterum fingit, qui vafra dat consilia. Secundo, Achitophel significat fratrem rel insulsæ, seu insipiditatis, q. d. fratrem et affinem stultitiæ. Deus dicit Isa. 29. 14. se facturum miracula admirabilia, ut sapientes malos faciat stultos. Sic enim ait: *Ecce ego addam, ut admirationem* (Chald. percussionem) *faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo: peribit enim* (Septuaginta et Paulus 1. Corinth. 1. 19. vertunt, *perdam*, sponte sua defluet, et insuper illam etiam, cum vigebit, tollam) *sapientia a sapientibus eius, et intellectus prudentium eius abscondetur*. Septuaginta et Paulus, et prudentiam prudentium reprobabo. Velut argentum reprobum et adulterinum lucet foris, sed intus plumbeum est, ac male sonat per malæ vitæ famam. De malis consiliariis vide Ps. 1. v. 1.

94. Allegor. Allegor. gentes sunt gentiles: populi vero, Iudæi affligentes Christum, Apostolos, et alios Christianos: ita S. Basil. Euthym. Ugo, et alii; sed in eos meditantur inania, ut fuse ostendi Ps. 2. 1.

95. Symbol. Symbol. *Gentes* sunt carnales: populi, sunt avari: Principes, sunt superbi. Hi cogitant prava consilia. Primo, carnales dicunt, Sap. 2. 7. *Vino pretioso* (interius) *et unguentis* (exterius) *nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis* (id est, iuventus, ait Holcot. 2. tempus vernum, ait Corn.) *Coronemus nos rosis* (Gr. *calicibus rosarum*, ut diutius durent necdum apertæ omnino) *antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*, etc. Deus dissipabit hoc consilium per tribulationes, morbos, infamiam, ac mortem celerem. Dicunt v. 12. Circumveniamus iustum, etc. Sed c. 3. ostenditur, quomodo dissipata, et in caput auctorum reiecta sint illa consilia: Iustorum animæ in manu Dei sunt, etc. Secundo, avari dicunt Prov. 1. 11. *Abscondamus tendiculas contra insontem frustra* (Syrus, abscondamus iusto contritionem et perniciem) *deglutiamus* (est catachresis) *eum, sicut infernus viventem et integrum*, (Syr. et Chald. immaculatum) *quasi descendentem in lacum*. Syr. in foveam. Vatabl. in voraginem. *Omnem pretiosam substantiam* (Symmach. divitias) *reperiemus, implebimus domos nostras spoliis*. Deus consilium illud infatuat, permittendo, ut male parta male dilabantur, et ipsi cito bona illa relinquant moriendo. Lege et vide cogitationes et consilia avari. Luc. 12. 17. unde iure stultus appellatur, qui se sapientem putabat in bonorum dispositione, vers. 20. dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent* (Deus et Angeli) *a te: quæ autem parasti cuius erunt?* Tertio, superbi consilia versant de nomine suo amplificando, Iudith. 2. Nabuchodonosor rex Assyriorum diversus fuit a Nabuchodonosore magno rege Babyloniorum, regnavit enim in Ninive circa annum mundi 3572. ante Christum 481. Imperii Persarum 56. Ioachimi Pontificis V. Is vocavit omnes maiores natu, omnesque duces et bellatores suos, *et habuit cum eis mysterium* (secretum seu arcanum) *consilii sui; dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subiugaret imperio*. In eam rem elegit ducem exercitus sui Holophernem, qui erat secundus ab eo, ut est in Græco: S. August. in appendice serm. 66. vocat eum regem, id est, qui habebat potestatem regiam. Zonaras vocat archisatrapam. Deus porro illud consilium infatuavit, et inutile reddidit cæso Holopherne manu Iudith fœminæ, cap. 13. ibidem.

96. Vers. 11. Secundo, Deus consiliis impiorum eversis sua firmat in utilitatem piorum, v. 11. CONSILIUM AUTEM DOMINI IN ÆTERNUM PERMANET. (Hebr. תַּעֲמוֹד *taamod*, id est, stabit. Felix, permanebit. Vatablus, perstat. Campensis, durat) COGITATIONES CORDIS EIUS IN GENERATIONE ET GENERATIONEM, id est, semper, q. d. quamdiu durabit hominum generatio et perpetua successio, tamdiu manebunt cogitationes Dei et consilia ad protegendos pios et

disturbandos sceleratos. S. Hieron. vertit, in generatione et generatione. Alii, in generationem et generationem. S. Hieron. in cap. 53. Isaiæ, a generatione in generationem. Sic dicitur Lucæ 1. 50. a progenie in progenies. Chald. in Psalm. nostr. in generationes generationum. Campensis, ad omnes generationes. Ubi adverte, quod vox generatio tria significat. Primo, ætatem hominis. Albertus Magnus censet generationem continere tantum decem annos. Hinc Baruch cap. 6. vers. 2. *Ingressi in Babylonem, eritis ibi annis plurimis, et temporibus longis, usque ad generationes septem: post hoc educam vos inde in pace*; fuerunt autem ibi per septuaginta annos, septies vero decem faciunt septuaginta. Suidas censet, generationem esse tantum septem annorum: ait enim, Orpheum vixisse novem generationes, id est, 63. annos. Villalpando in apparatu Ezech. p. 1. lib. 3. cap. 2. vult generationem complecti quatuordecim annos. S. August. in Ps. 101. generationi assignat quindecim, quia tunc homo potens est generare. Eusebius lib. 10. de præparatione Evang. cap. ultim. assignat ei annos viginti. Censorinus de die Natali assignat annos triginta: unde Nestor dicitur tres ætates, id est, 90. annos vixisse. Secundo, *generatio* sumitur pro sæculo, et Vatabl. hic vertit: *Cogitata cordis eius per omnia sæculo*. Arabs, *Voluntas eius in sæculum*. Varro lib. 5. et Dionysius Halicarn. lib. 1. Romanarum Antiquit. dicunt generationem esse centum annorum tempus. Et quidem Genes. 15. 16. Abrahamo post prædictam posterorum captivitatem in Ægypto dicitur: *Generatione autem quarto revertentur huc*, id est, post quadringentos annos. Hoc enim dictum est illi anno mundi 2119. diluvii 463. ipsius Abrahami 78. ante Christum 1934. Filii autem Israel egressi sunt ex Ægypto anno mundi 2544. diluvii 888. ante Christum 1509. Eccli. 18. 8. generatio sive spatium vitæ humanæ centum annis circumscribitur: *Numerus dierum hominum ut multum centum anni, quasi gutta aquæ maris deputati sunt, et sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi*. Varro lib. 5. putat sæculum dici a sena, quod illud spatium senescendorum hominum putarint: ordinario enim sæculum aiunt continere centum annos, et Festus est in ea opinione. Hinc vocatur Horatii carmen sæculare, quo describuntur sacrificia, quæ centesimo quoque anno fiebant. Tullius quoque ait lib. 2. de Oratore, Numam Pompilium regem Roman. duobus sæculis Pythagoram præcessisse: Livius autem refert eum præcessisse ducentis annis. Tertio, *generatio* sumitur pro hominibus genitis. Sic Proverb. 30. 11. et seq. sumitur, ac v. 14. dicitur: *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes ex hominibus*. In nostro Psalmo tribus illis modis generatio sumi potest. Nam cogitatio et providentia Dei extenditur 1. ad omnes homines; 2. ad omnes eorum ætates; 3. per omnia sæcula, et de hoc ultimo præsertim Psalmum interpretor.

97. Nota secundo, consilium proprie sumptum non est in Deo. Quia consilium est inquisitio eorum, quæ sunt ad finem operabilium a nobis, non minimorum, nec determinatorum, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 14. art. 4. et 2. 2. quæst. 33. art. 1. ad 2. Consilium a Deo excludit S. Damascenus lib. 2. de fide, cap. 22. *In Deo*, ait, *voluntatem quidem dicimus, et electionem proprie non dicimus: quia non deliberat Deus, cum sit ignorantis consilium inire, nec quisquam de eo quod cognitum atque exploratum habet, deliberat*.

Consilium proprie non est in Deo.

98. Nota tertio, consilium in Deo improprie et secundum quid esse dicitur. S. Thomas 1. p. q. 22. art. 1. *Ratio*, inquit, *rerum agendarum consilium in Deo dicitur: non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur Ephes. 1. 11. Qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suæ*. Prope idem dicit 1. 2. q. 14. artic. 1. Plato dixerat Porum, id est, abundantiam esse filium consilii, quod explicans Marsilius Ficinus in commentario convivii Platonici cap. 7. sic loquitur: Porus consilii filius, id est, summi Dei scintilla dicitur: Deus nempe consilium

Sed tantum secundum quid.

et consilii fons appellatur: quia veritas omnium est, et bonitas: ita Marsil. Et Tullius lib. 2. de natura deorum: Omni, ait, ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

Noto quarto, illud Dei consilium stabile est, et aberrare aut mutari non potest: quia procedit ex cognitione certissima et infallibili, atque ex voluntate rectissima, et cui nihil potest resistere. Maximus Tyrius animam hominum orta a sensibus cognitione res percipientem comparat iis, qui navi egressi, primum terram tangunt. Nam et illis corpus e diuturno fluctuum motu, vi atque impulsu, ægre ad se redit et consistit; *Iam*, inquit, *in quo Deum ponemus? ουκ αρα εν ϛαϑματερα, και εδραιοτερα, και απλανεστατω; τουτω και μεταβολης. Nonne in illo, quod stabile fixumque manet, quod moveri nunquam et mutari solet?* Hinc Iovem suum pagani sedentem induebant, ut stabilem eius virtutem atque immutabilem denotarent. Illi sceptrum in dextera dabant, atque in sinistra aquilam aut victoriam, quod cæterorum deorum Dominus esset; cumque omnia subiecta haberet, victoriam, cui libitum esset, daret. 99.

Consilium Dei stabile est.

Immutatus Deus suo consilio, prudentia, et providentia, dissipat consilia gentium, et cogitationes populorum. Unde sicut monet S. August. lib. 5. de Trinit. cap. 1. *Intelligamus Deum si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem*.

Dices: Si consilium Dei manet in æternum, necessitamur ad ea facienda, quæ ipse decrevit et providit. Respondeo cum S. Thoma 1. p. q. 22. artic. 4. ad 2. In hoc est *immobilis et certus* divinæ providentiæ ordo: quod ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniant eo modo, quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter. Et ad 3. sic ait: *Indissolubilitas illa et immutabilitas*, quam Boetius lib. 4. de consolatione, prosa 6. tangit, pertinet ad certitudinem providentiæ, quæ non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit: non autem pertinet ad necessitatem effectuum: ita S. Doctor. Enimvero si necessitaremur, in nulla re consultare deberemus. Nam, ut ait Demosthenes apud Thucydidem lib. 4. Quæcumque ad necessitatem redacta sunt, λογισμον ουκ ενδεχομενα, *consilia minime admittunt*: sed periculum fieri quam celerrime postulant.

Moraliter, ut consilium nostrum sit stabile et durabile, debet esse consilium Dei, id est, cum Deo consultatum, et a Deo profectum. Hinc Moses in dubiis intrabat in tabernaculum, a Deo oraculum petiturus, Exod. 33. 9. Iacob timens Esau cum Deo consultat, Gen. 32. et apertius descensurus in Ægyptum adiit Bersabee ibi immolaturus victimas Deo, ad cognoscendum ab eo, an eo pergeret. Deus illi respondet, Genes. 46. 3. *Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi: Ego descendam tecum illuc, et ego inde adducam te revertentem*. Ta quidem mortuum, sed posteros tuos, de quibus es sollicitus, viventes, et spoliis Ægypti ditatos, atque Chananæorum domitores futuros. Hic est fructus boni consilii, ut Deum habeat adiutorem et promotorem negotii, quod eum eo est consultatum. Euripides sapienter monet, συν θεοισι τας σοφας χρεων δορυ ϛρατηλατας χρην: *Cum diis movere hastam sapientes duces oportet*, non autem præter ipsorum *voluntatem*. Sapientia increata tum essentialis, id est, sancta Trinitas, tum notionalis, id est, Verbum seu Filius Dei dicit Prov. 8. 12. *Ego sapientia habito in consilio* (Tigurina, ego cohabito solertiæ) *et eruditis* (sapientibus et prudentibus, id est, sanctis) *intersum* (quasi præses) *cogitationibus*. Hebr. habetur, ego scientiam cogitationum invenio, q. d. ego sum fons, thesaurus, abyssus, doctor et præceptor, a quo bonæ et solertes cogitationes oriuntur, et in accedentes ad me influunt. Ego et primo invenio, quæ non venirent in mentem sine me; secundo, facio illa scientifice, et certa cognitione per causas. Et v. 14. 100.

Ut consilium nostrum sit stabile, debet esse consilium Dei.

subdit: *Meum est consilium, et æquitas;* Hebr. תושיה *tuscia*, id est, essentia. Hinc fortasse Gr. *ετια*. Tigurina vertit *essentia*. Sept. *securitas*, consilium sequitur et comitatur securitas, modo sit consilium Dei, id est, bonum et sanctum, ad quod S. Thomas 2. 2. quæst. 51. artic. 1. ad 1. tria requirit: nempe debitum finem, bonum medium, et tempus opportunum.

Tertio, ex præmissis de sanctitate, fidelitate, misericordia, iustitia, potentia et sapientia Dei infert David verissimam et suavissimam hanc conclusionem, ergo beati

Vers. 12. sunt servi Dei, v. 12. BEATA GENS, CUIUS EST DOMINUS, DEUS EIUS (id est, cuius est Dominus Deus) POPULUS, QUEM ELEGIT IN HÆREDITATEM SIBI. Nota, non dicit beatum esse eum, qui vocatus est, sed eum, qui electus est. Matth. 20. 16. ait Christus: *Multi* (id est, omnes, qui omnes sunt magno numero) *sunt vocati, pauci vero electi*. Recte Cassianus inde concludit: *Vive ergo cum paucis, ut cum paucis eligi et inveniri merearis in cælo*. Parœmia est vulgaris, loquendum ut multi, sapiendum ut pauci.

101. Felicitas duplex sanctorum. 1. Deum possident. 2 A Deo possidentur.

Nota secundo, duplex felicitas hic ponitur. Primo, cum Deum possidemus: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius;* per fidem scilicet, spem, charitatem, et per alias virtutes, ac præsertim per gloriam. Secunda est, cum a Deo possidemur, ab eoque uno, ut servi a domino, filii a parente, subditi a rege, ager a cultore, domus a possessore, oves a pastore pendemus, movemur et ducimur. Vide Ps. 22. 1. *Dominus regit me, et nihil deerit;* et hic: *Populus, quem elegit in hæreditatem sibi;* quod Deum possidemus, et quod ab eo possidemur. S. Augustinus pie et ingeniose suo more considerat: *Beata gens,* inquit, *cuius est Dominus Deus eorum. Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habere gratis, habebis. Beata gens, cuius est Dominus Deus eorum. Noster Deus. Cuius enim non est Deus? Non plane omnium eodem modo. Noster magis, noster, qui vivimus ab illo tamquam de pane nostro. Ipse sit hæreditas nostra, possessio nostra. An forte temere dicimus faciendo nobis Deum possessionem, cum sit Dominus, cum sit creator? Non est ista temeritas, affectus est desiderii, et dulcedo spei. Dicat anima, omnino secura dicat, Ps. 15. 2. Deus meus es tu; qui dicit animæ meæ: Salus tua ego sum. Dicat, secura dicat, non faciet iniuriam, cum hoc dixerit; imo faciet, si non dixerit: Arbores volebas habere, quibus beatus esses, audi Scripturam dicentem de sapientia Proverb. 3. 18. Lignum vitæ est omnibus possidentibus eam. Ecce possessionem nostram dixit esse sapientiam. Sed ne putes ipsam sapientiam, quia possessionem tuam dixit Scriptura, aliquid esse quod sit te inferius, sequitur et adiungit: Et incumbentibus in eam velut in domo tuta. Ecce Dominus tuus factus est tibi quasi baculus: securus homo incumbit, quia ille non succumbit. Dic ergo securus, possessia tua est, possidentibus eam Scriptura dixit, implevit fiduciam, removit dubitationem. Dic securus, ama securus, opera securus. Tua etiam illa verba sint in Ps. 15 5. Dominus pars hæreditatis meæ.* (Vide ibi dicta) *Ergo unde beati erimus? Deum possidendo. Quid ergo? nos possidebimus eum, et ille non nos possidebit? Unde ergo Isaiae cap. 26. 13. Domine posside nos. Possidet ergo, et possidetur, et totum propter nos. Ut enim nos ex illo beati simus, possidetur a nobis; ut autem ille beatus sit, non possidet nos. Et possidet nos, et possidetur a nobis: non ob aliud, nisi ut nos beati simus. Possidemus eum, et possidet nos, quia colimus eum, et colit nos. Colimus eum tamquam Dominum Deum, colit nos tamquam terram suam. Quia colimus eum, nemo dubitat: quia colit nos, quis nobis indicat? ille qui ait Ioan. 15. 1. Ego sum vitis, vos estis sarmenta, Pater meus agricola est.*

102. Deus eos, quos vult possidere, excolit.

Nota igitur tertio, elegit suos Deus *in hæreditatem*, ut eos possideat, sed prius bene excultos a se ipso agricola et vinitore. Ioan. 15. 1. *Ego sum vitis vera* (Gr. η αμπελος, η αληθινος, hoc est, illa vitis, illa vera. Syrus vertit, Ego sum vitis illa veritatis) *vos palmites, et Pater meus agricola* (id est viticola) *est*. Agrum porro suum et vineam colit Deus: Primo vepres, spinas et tribulos amovendo, ut ager purgetur a noxiis et terram frustra occupantibus. 2. Reg. 23. 6. ait David dicens verba novissima, id est, ul-

A tima, ideoque memoriæ maxime commendanda, ut monet Lyranus: *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi*. Non figant radices in corde tuo per amorem, et te non implicent per familiaritatem. Ierem. 4. 3. præcipitur: *Nolite serere super spinas.* Secundo, Deus vomere terram proscindit per contritionem de præteritis, et per mortificationem carnis: hæ sunt duæ partes vomeris, quibus scindit illam. In peccatoribus captivatis a diabolo retusi sunt vomeres sicut Iudæorum subiugatorum a Philisthinis, et eis servientium. 1. Reg. 13. 21. *Retusæ erant acies vomerum, et ligonum, et tridentum, et securium, usque ad stimulum corrigendum*, id est, ut ne reliquus esset quidem exiguus stimulus pungendis bobus, qui non esset obtusus. Stimuli punctio est modica mortificatio, eam etiam molles aversantur. Tertio, Deus proscissam terram invertit, et quod in loco superiori erat, ponitur in inferiori, et contra. Efficit enim ut quæ magni fiebant, contemnantur; et quæ contemnebantur, magni fiant. Quarto, terræ præparatæ inicit Deus semen. Isaiæ 28. 24. *Numquid tota die*

B *arabit arans, ut serat, proscindet et sarriet* (sarculis fodiet et purgabit) *humum suam?* q. d. non semper arat agricola, sed tandem semen conicit. *Nonne cum adæquaverit faciem eius, seret gith* (genus seminis calidi et nigri. Græce. μελανθιον, vulgo nigella, Gallice poivrette) *et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem, et hordeum, et milium, et viciam in finibus suis?* id est, varias virtutes et gratias in agro suo, id est, in animo iusti. Quinto, post sementem factam Deus sepe cingit agrum, ne bestiæ noceant. Isaiæ 58. 12. de Christo dicitur: *Vocaberis ædificator sepium, avertens semitas in quietem*, id est, occludens et tollens semitas, per quas bestiæ aut viatores ingrediebantur in agrum, et illum vastabant. Alludit ad Nehemiam, qui muros Ierusalem a Chaldæis destructos reparavit. Hebr. *Chasdim*, id est, Chaldæi, significant *quasi dæmones*. hi sunt feræ belluæ animam nostram vastantes. Christus autem vocatur, id est, revera est obstructor et reparator ruinæ factæ. Sexto, sepem semel factam servat Deus, et

C messem in agro succrescentem, et vulpes se in eam immittentes capit. Isaiæ 27. 2. *In die illa vinea meri* (id est, Ecclesia et anima pia ferens merum. Sept. ακρατον, id est, impermistum, purum et generosum vinum, fervoris scilicet eximii. Vatabl. *vinum ruboris*. hoc est, charitatis) *cantabit ei. Ego Dominus, qui servo eam, repente propinabo ei* (Vatabl. tempestive irrigo eam) *ne forte visitetur* (Vatabl. ne forte visitet eam hostis) *contra eam, nocte et die servo eam*, in prosperis et adversis: in consolationibus et desolationibus. Septimo, frequenter suam hæreditatem Deus visitat, et in ea eiusque fructibus sibi complacet. Sapientia increata, id est, Verbum Patris æterni, atque Sapientia incarnata, id est, Christus, dicit Proverb. 8. 30. *Delectabar per singulos dies, ludens* (id est, gaudens, ait Beda; 2. cum alacritate producens quotidie novos flores, arbores, aves, pisces, animalia, et cætera, atque illa conservans) *coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum* (Septuag. *cum lætaretur orbe perfecto:* in perfectione sibi placet Deus) *et deliciæ meæ* (Hebr. שעשעים *sciaasciuim*, id est,

D applausus, amplexus, oscula) *esse cum filiis hominum*, q. d. in aliis ludo, sed cum hominibus singulariter delector. Primo, eas contemplando velut vivas mei imagines. Secundo, de iis curam specialem habendo. Tertio, cum iis conversando in terra. Quarto, eos sapientia mea illustrando. Consilium Domini in æternum manet, sed præsertim in iustis, in quibus ipse, qui est suprema sapientia, habitat. Unde Maximus Tyrius dissert. 1. agens de sapientia divina, ait: *Religuum est*, ωσπερ ως ακροπολιν ανα... *ut tamquam in arce aliqua sublimi, in principe intellectu, Deum statuamus.* S. Gregor. Nazianzenus in Apologetico dicit, Deum nomine sapientiæ impensius, quam ullis aliis delectari.

Quis non eum beatum putet, qui cum Deo familiariter versetur, et eius radiis illuminetur, incalescat, recreetur, atque fœcundetur? Socrates dicebat, deos omnium optimos et felicissimos esse: ad eorum similitudinem quo quisque propius accederet, eo et meliorem esse et beatiorem.

Brusonius id referens lib. 3. Apophthegm. ait: *Si corrigas unius vocis numerum, nihil potest dici christianius.* Si videlicet non deos, sed Deum dixisset. Felicitatem illam a divina sapientia oriri indicat S. August. lib. 8. de civitate Dei: *Platonici*, inquit, *dicunt beatum esse hominem fruentem Deo, non sicut corpore vel seipso fruitur animus: aut sicut amicus amico, sed sicut luce oculus.* Ut enim a tenebris ad lucem transiens oculus lætatur, ita animus noster a terrenis caliginosis ad Deum accedens, et lumen eius hauriens exultat. Ab eo enim est lux omnis, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Cicero lib. 2. de natura deorum: *Intelligitur*, inquit, *prudentiam quoque et mentem a diis ad homines pervenisse, ob eamque causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordiæ consecratæ et publice dedicatæ sunt*, id est, æstimatæ sunt deæ, et sic cultæ. Zamolxis apud Getas deus habitus est, ob consiliorum prudentiam. Strabo lib. 7. suæ Geographiæ tradit, ab illo philosopho ortum esse, ut apud Getas unus Regis consiliarius vocaretur deus, idque ad suam usque ætatem permanere. Plato in Sophista vocat omnes Philosophos, *divinos*: atque ob sapientiam urbes circuire, καθορωντας υψοθεν τον των κατω βιον, *velut desuper inferiorum vitam prospectantes.* Persæ ignem cælitus delapsum sempiternis ferculis custodiunt, cuius portionem exiguam quondam præivisse Asiaticis regibus dicunt, ut ait Ammianus lib. 25. Manavit in cæteros deinde Imperatores exemplum, qui πυρ πομπευτικον etiam mera luce usurperint. Indi non quaslibet faces, sed eas, *quæ in ara Mithræ, hoc est, Solis essent accensæ, prætulerunt.* Narret enim Philostrat. lib. 2. cap. 13. pag. 96. Indos ipsos ad Phraotæ regis reditum tanta lætitia elatos esse, ut accensis ex ara Solis facibus obviam procederent, et ad regiam usque deducerent, faustis acclamationibus prosecuti. A Dei altaribus sapientia petenda est: ibi prostat Sapientia creata et increata, quæ est *lux vera* (non est ignis fatuus mundanorum) *quæ illuminat omnem hominem;* brutum est animal, qui ab hac luce oculos in terram deiicit φωτιζει παντα ανθρωπον, qui scilicet ad alta et Deum aspicit et convertitur; ανθρωπος deducitur ab ανω αθρειν, id est, a sursum aspiciendo. Plato in Cratylo desumit ab αναθρειν οπωπας, id est, a considerando attente et fixis oculis. Multi in luteis oculos defigunt, cælum cursim et raro aspiciunt. Tota vita in Dei lumine transigenda est, ut eius amore ardeamus. Themisthius ad Valentinianum Imperatorem θεοφιλεις, ait, αναγκαιον ειναι τους βασιλεας τη πρωτη γενεσει. Amantes Dei oportet esse reges, ab ipso primo ortu. Sic a Deo obtinebunt sapientiam, quæ est et vocatur ανθολ. ε. ασβεστον φεγγος, id est, lumen inextinguibile: at ab eo assumentur in hæreditatem et in filios. Cum in Iovis Ammonis templo vates Alexandrum vocavisset Iovis filium: *Nihil*, ait, *mirum est*, παντων γαρ ο Ζευς φυσει πατηρ εστιν, αυτος δε ποιεισθαι τους αριστους. *Nam Iupiter omnium quidem natura pater est, sed optimos nomine filiorum suorum dignatur*, ut refert Plutarchus in Apophtheg. Iupiter dictus est quasi iuvans pater, ut dicunt Grammatici.

Sapientia illa divina cohabitans iustis, et desursum ad eos descendens, et a patre luminum in eorum potentias omnes se transfundens, illos beatos efficit. Seneca ad Lucilium: *Prope Deus est, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum observator et custos. Hic prout a nobis tractatur, ita et nos tractat ipse: bonus vero vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra formam, nisi ab illo adiutus, exurgere? Ille dat consilia magnifica, et erecta in unoquoque bono viro.*

103. Ex his infertur I. Terrena esse spernenda. Ex his concludendum est, terrena omnia esse abiicienda; in his enim non felicitas, sed infinita pene miseria est. S. Basilius in Psal. nostr. v. 11. Quemadmodum, ait, in cera scripturus quidlibet, eam prius levigat inductis et deletis prioribus in ea positis litteris, deinde quas vult imprimit formas: ita cor nostrum quod sit divinas γραφας υποδεχεσθαι θεια λογια, lucide et perspicue susceptūrum eloquia, purum prius liberumque omnis contrariæ cogitationis reddi oportebit: ita ipse. Esau prophanus iure ab Apostolo vocatus est Hebr. 12. 16. quod pro lentis offa vendiderit ius primogeituræ, cui annexum erat ius ad sacerdotium. Quid erimus nos, si pro vilibus rebus Deum reiiciamus, et Iesum Barabbæ postponamus? Duodecim analogias Esau et impiorum vide apud Pererium tom. 4. in Genes. et apud Cornelium cap. 25. v. 23.

Secundo conclude, in Deo uno sitam esse tuam felicitatem. Sap. 7. 11. de Sapientia increata dicitur: *Venerunt mihi omnia bona cum illa.* S. Gregor. enim vere ait: Quid est quod non habet, qui omnia habentem habet? S. Augustinus in Psalmum nostrum ostendit fuse beatitudinem illam in uno Deo esse positam, ideoque errare eos, qui in aliis rebus collocant, at præsertim impios, qui ut sint felices, Deum offendunt. Verba eius sunt: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius. Quis est qui non hoc audito erigat se? Amant enim omnes beatitudinem: et ideo perversi sunt homines, qui mali volunt esse, miseri nolunt. Et cum sit malitiæ individua comes miseria, isti perversi non solum mali esse volunt, et miseri nolunt, quod fieri non potest: sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint.* Ostendit deinde, ipsos fures ideo furari, ne miseri sint, et alios etiam peccatores mala facere, ut beati sint ex pecunia, argento et auro, prædiis, fundis, domibus, mancipiis, pompa sæculi, *honore volatico* et perituro. Sed probat subtiliter illis nos non posse beatos esse, cum sint nobis minus perfecta: *Quæro, ait, quid habeas, ut beatus sis. Cum enim beatus fueris, melior utique eris, quam cum miser es. Fieri autem non potest, ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est, quidquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, qualibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Tu melior es, tu potior es: et utique vis melior esse, quam es, cum beatus esse vis, quia miser es. Melius est utique beatum esse, quam miserum. Vis esse melior te: et quæris, perquiris, per quæ id fiat, deteriora te.* Hinc concludit, Deum solum esse ab hominibus quærendum ut beati sint, quia ille solus est illis præstantior: *Accipe fidele consilium. Melior te vis esse, novi, omnes novimus, omnes volumus. Quære quod est melius te, ut inde efficiaris melior te. Intuere nunc cælum et terram: non tibi sic hæc pulchra corpora placeant, ut sis fieri beatus velis. In animo est, quod quæris. Beatus enim esse vis. Ipso animo tuo quære, quid sit melius*, ait animo quidem posse corpus fieri melius, quia est præstantior, sed requiri aliquid ipso animo melius, ut animus fiat beatior. Subdit itaque: *In animo tuo est imago Dei, mens hominis capit eam. Accepit eam, et inclinando se ad peccatum decoloravit eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat eius ante formator: quia per verbum facta sunt omnia, et per verbum impressa est hæc imago. Venit ipsum verbum, et audiremus ab Apostolo: Reformamini in novitate mentis vestræ. Iam ergo superest, ut quæras quid sit melius, quam animus tuus. Quid erit, obsecro, nisi Deus tuus? non invenis aliquid melius animo tuo, quia cum fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Iam supra non est nisi creator.*

Ostendit deinde idem sanctus Doctor, Deum facile obtineri posse, et longe facilius et suavius, quam alia, quæ tanto studio et labore quæruntur: *Erige te ad cælum, noli desperare, noli dicere, multum est ad me. Magis multum est ad te habere aurum, quod quæris. Aurum et si volueris forte non habebis: Deum cum volueris, habebis: quia et antequam velis, venit ad te; et cum aversa voluntate esses, vocavit te; et cum conversus esses, terruit te; et cum territus confitereris, consolatus est te. Iste qui tibi præstitit omnia, iste qui fecit, ut esses, qui his, qui tecum sunt, etiam malis præstat solem, præstat pluviam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tantas consolationes, servat tibi aliquid quod non det, nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat, nisi se? Pete aliud si melius inveneris, se tibi servat Deus. Avare, quid inhias cælo et terræ? Melior est, qui fecit cælum et terram, ipsum visurus, ipsum habiturus es.* S. Thomas 1. 2. quæst. 2. tota probat beatitudinem nostram non consistere in divitiis, honoribus, fama vel gloria, potestate, aliquo corporis bono, voluptate, vel aliquo bono animæ

104. II. In Deo uno sitam esse felicitatem.

ercoto, quæst. 2. ostendit positam esse in Deo, qui est bonum increatum. Vido Ps. 15. 5.

105 Vers. 13. Quarto, Propheta noster iustos volut milites io acie certaotes, maxime excitat et recreat, eum ait, eos a Deo duce suo semper aspici, v. 13. DE CÆLO (empyreo scilicet: Vatablos, *e cælis*. Sol, luna, stella quælibet est oculus Dei beneficus et amabilis. S. Hier. Felix, et alii, *de cælo*. Nam eum שמים *sciamoim* careat singulari numero, et pro uoo cælo, et pro omnibus cælis pooitur) RESPEXIT, id est, respicit, quia Hebræi carent præsenti, utnotur præterito, quod etiam sæpe ponitur pro futuro: itaque הביט *hibbit* hic significat, respexit, respicit, ot respiciet. Vatablus vertit, *despicit*, se humiliat Deus, ol nostra consideret. Secuudo, Syrus et Arab. *prospexit*, non impedit illum distantia plusquam centum millioouro leucarum, quæ interiacent ioter terram et cælum empyreum. Campensis, *prospicit*. Tertio, attentionem et curam denotat Petavius, ουρανου εξ ακρης ποτι γην θεος ομματ ερειδων, *Cæli e verlice in terram Deus oculos defigens*. Mercerus ceoset, *hibbit* denotare animadversiooem et obtutum, id est, accuratum aspectum. Quarto, Dei maiestatem et sanctitatem repræseotot Magnetius, eum canit: *stellato cæli de culmine, summique ex adytis templi spectot mortalia rerum arbiter*. Quinto, possis etiam iotueri benevolantiam ot amorem paternum. Nam *hibbit* etiam significat cum voluptate aspicere. Vide, no illum tuis vitiis contristes) DOMINUS: VIDIT (ad considerandum) OMNES FILIOS HOMINUM.

106. Vers 14. Deus est ubique. Et vers. 14. DE PRÆPARATO HABITACULO SUO RESPEXIT SUPER OMNES, QUI HABITANT TERRAM. Nuta, pro *præparato*, Habraice est מכון *mecon*, id est, 1. basis, 2. firma, et certa, ac stabilis sedes seu thronus; 3. locus præparatus; 4. statio, stabilis mansio. Unde S. Hieron. vertit, *de firmissimo solio suo*. Vatablus, do firmo domicilio habitationis suæ; 2. Pagninus, de habitaculo suæ sessionis; 3. Campensis, *e tabernaculo, quod ab omni inquietudine liberum ipse inhabitat*. Nam pro *habitoculo suo*, Hebraice est שבתו *scibto*, quod potest Primo deduci a radice *iosciob*, id est, habitare, sedere, manere, commorari, et sic significat habitationem, sessionem, mansionem, commorationem, et moram in commoratiooe. Deus aliquando inducitur specialiter præseos in uno loco, aliquando in alio: sed semper in cælo, ubi stabiliter se videndum et fruendum exhibet Sanctis. Secuodo, *scebbet*, sive *scibto*, quod est eom affixo, derivator a *sciabat*, id est, quiescere. Deus semper operans, semper tamen quietus est. Hic operationem suam in cælo quietem aperit.

Nota, noo io cælo tantum empyreo, sed etiam in aliis cælis, et in terris Deus est, atque operatur. Deus circulus est, cuius centrum ubique ost, et circumferentia ousquam. Hinc Synesius hymno secuodo Deum vocat centrum rerom. Sic eoim caoit:

Μεγα χαιρε ριζα κοσμου.
Μεγα χαιρε κεντρον οντων.
Multum salve radix mundi.
Multum salve centrum rerum.

Arnobius Deum vocat locum rerum, omnes eoim longe vorius et arctius contiuet, quam extima superficies ambiens. Sic autem loquitur lib. 1. adversus gentes: *Prima tu causa es, locus rerum ac spatium fundamentum cunctorum, quæcumque sunt*. Unum ex Dei nominibus apud Hebræos est מקום *makom*, id est, locus. Vide dicta Ps. 2. 4. sect. 1. ort. 3. in principio.

107. Et ubique omnia videt. Nota secundo, Deus ubique existens ubique omoia introspicit atque contemplatur. S. Cyrillus Alexandr. lib. 1. in Iuliaoom: *Deus*, ait, *in se totus est: in toto circulo generationes omnes inspiciens, sæculorum omnium temperatio*. S. August. in Ps. 120. Deus, ioquit, totus oculus est, quia omoio videt: totus manus est, quia omoio operatur: totus pes est, quia ubique est. Mercur. Trismegist. in Pimandro: *Quemadmodum*, ait, *mundi partes sunt cælum, aqua, terra, et aer: eodem modo membra Dei, vita, immortalitas, necessitas, providentia, natura, animo, mens, horumque omnium participatio, ipsum bonum*.

Nota tertio, Deus tamen specioli modo io cælis habitat, et inde impios aspicit, ut puniat: iustos, ut adiuvet, ut dixi Ps. 2. 4. eum locum consule. Nunc adde, Deum in cælo esse instar Solis, qui παντ' εφορα, και παντ' επακουει, omnia videt, omoia audit, ut dicebat Homerus de sole hôc visibili, in quo Deus pooit tabernaculum suum, Psalmo 18. Dicit Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis, Platooem quidem fatori de Deo se hoc unum scire, quod ab homine, qualis sit, sciri aon possit: dixisse tamen solem de visibilibus ei videri simillimum. Hoc pulcherrime ad rem oostram expressit S. Gregor. Nazionzenus orat. 21. *Quod*, ait, *rebus in sensum cadentibus est sol, hoc iis, quæ animo et ratione intelliguntur, est Deus. Ille enim mundum hunc aspectabilem collustrat, hic invisibilem. Ille corporis oculos ita efficit, ut lumen ipsius intueri possint: hic mentes divinas reddit*. Subdit deinde, solem esse pulcherrimum visibilium, et Deum των νοητων ακροτατον, intelligibilium omniom summum esse verticem, et ορατων εσχατον, rerum omnium appeteodarum extremum. 108. In cælis tamen specialiter habitat.

Duplici comparatione rem nobis propositam illustrat Maximus Tirius dissert. 1. *Divinum*, ait, *intellectum cum visu confer; humanum cum sermone. Nihil enim emissione oculi velocius est, quæ statim eodemque momento obiectum suum sensu suo ad se attrahit: at sermonis operatio lento similis est gradui. Vel, divinum intellectum cum obtutu Solis conferamus, qui simul totum terræ spatium collustrat. Humanum cum motu eius, quo alium aut olium vicissim locum totus occupat*.

Illod aptissime de Deo dixeris, quod Minutius Felix ait de sole. Sic enim habet in Octavio: *Sol cælo affixus, sed in terris omnibus sparsus est, pariter præsens, ubique interest, et miscetur omnibus*. S. Ioannes in insula Patmo existens videt ibi Christum in medio candelabrorum, id est, Ecclesiarum: iis scilicet providentem, vestitum podere, id est, tunica hyacinthina talari, et præcinctum ad mamillos zona aurea. Caput eius et capilli erant caodidi tamquam lana alba, et tamquam nix, *et oculis eius tamquam flamma ignis*. Gagneius ibi dicit, illis oculis figurari omnisciam Christi meotem, iustis luceotem, improbos incendeotem. In toto Christi habitu possis duodecim perfectissimæ providentiæ proprietates advertere. Primo enim providentia Dei et Christi est penetrans usque ad intima, et illis consulens. Apocal. 1. 13. *Vidi in medio septem candelabrorum aureorum*, quiuque sensuum, et iotellectus, atque voluntatis. Secundo, providentia illa est benigna et suavis: *similem filio hominis*. Humanitas ab homine derivatur, filius a φιλια, id est, amicitia, amore, benevolentia, φιλεω, amo, amicus sum, amice tracto, osculor, suavior. Tertio, providentia Dei et Christi est perseverans, *vestitum podere*, ποδηρης est vestis talaris, ad extremos pedes defluens. Quarto, est charitativa: *Et præcinctum ad mammillas zona aurea*. Quiuto, prudens est, v. 14. *Caput autem eius et capilli erant candidi*, veluti senis. Est enim Deus antiquus dierum, Danielis 7. 9. quod de Christo explicat S. Hieron. de Patre æterno alii verius. Sexto, providentia illa est innoxia, et innocentiam efficit: *Tamquam lana munda, et tamquam nix*. Septimo, perspicax est: *et oculi eius tamquam flamma ignis*. Octavo, est fervens, et dat fervorem, v. 15. *Et pedes eius similes aurichalco*, id est, æri præstantissimo, *sicut in camino ardenti*. Nono, est potens: *Et vox illius tamquam vox aquarum multarum*. Decimo, lucis est donatrix, v. 16. *Et habebat in dextera sua* (ut daret et effunderet) *stellas septem*. Undecimo, est efficax, et imperio eius nemo resistit: *Et de ore eius gladius utroque parte acutus exibat*. Duodecimo denique, pulcherrima est, amabilis, et delectabilis: *Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua*, id est, in meridie, cum maximo sol lucet et fulget. Habe virtutem eius, id est, ab eo datam, et eris in media die ac luce. 109. Est instar Solis.

Non terminatur et clauditur cælo oculus Dei, terram respicit e cælo existens. Hoc figuratum est Patriarchæ Iacobo, pergenti ad Haran in Mesopotamia. Genes. 28. 12. *Vidit Iacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. Et Dominum innixum scalæ*. 110. E cælo Deus terram aspicit.

Ibi denotatur perspicuitas divinæ providentiæ. *Vidit Iacob*; 2. sollicitudo pro iustis etiam tueri se non valentibus, *in somnis*; 3. rectitudo, *scalam*; 4. stabilitas, *stantem super terram*: 5. excelsitas et amplitudo, *cacumen illius tangens cælum*; 6. ministri, *Angelos*; 7. iugis operatio, *ascendentes et descendentes per eam*; 8. absoluta potestas, *Dominum*; 9. inspectio attenta, *innixum scalæ*, velut in ea recumbentem, oculis in terram et Iacobum deiectis. Pererius iure disput. 3. in caput illud 28. et Theodoretus scalam illam dicunt esse symbolum universalis de rebus omnibus providentiæ Dei. Illam Homerus figurat *catena aurea* a Iove de cælis demissa in terras, omnia comprehendente atque constringente, et ad Iovem ipsum retrahente, Iliad. θ. Primo, varii gradus scalæ, sunt varii modi providentiæ Dei, pro varietate ipsarum rerum, quæ partim sunt superiores per intelligentiam, partim mediæ per animam sensitivam et vegetativam, partim infimæ non habentes vitam. Secundo, duo ligna quæ sunt latera scalæ, sunt eiusdem providentiæ suavitas et fortitudo. Nam fortitudo et potentia eius prorsus insuperabilis et indeclinabilis est: certitudo enim providentiæ Dei non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit, ut docet S. Thomas 1. part. quæst. 22. art. 4. et quæst. 103. artic. 7. et 8. Tertio, scala Iacob e cælo pertingebat usque ad terram, quia omnia prorsus subiacent divinæ providentiæ, licet diversimode, 1. part. quæst. 8. artic. 3. et 22. q. 2. art. 3. et quæst. 23. art. 1. et part. 1. quæst. 103. art. 5. ubi probat omnia singularia, etiam contingentia, ei subesse. Item, a terra pertingit usque ad cælum illa scala, quia Deus gubernat corpora inferiora per superiora, 1. part. quæst. 113. art. 1. in corp. et quæst. 115. art. 3. Quarto, Angeli ascendunt et descendunt, velut administri divinæ providentiæ, Deus enim gubernat creaturas spirituales inferiores, per superiores, 1. part. quæst. 110. et creaturas, spirituales, q. 22. art. 3. et q. 63. art. 7. Quinto, Deus est in scalæ vertice, primo, quia est finis gubernationis rerum, 1. part. q. 103. art. 2. secundo, quia providet omnibus immediate, quoad rationem ordinis, in quo sita est providentia: nam providentia est ratio ordinis in finem: sed providet tantum mediate, quoad executionem eius, quæ dicitur gubernatio, 1. p. quæst. 22. art. 3. et 103. art. 6. tertio, quia Deus ex illo vertice dirigit administros suæ providentiæ, ut non aberrent. Nam in recta ordinatione ad finem, quæ includitur in ratione providentiæ, importatur rectitudo consilii, iudicii et præcepti, sine quibus recta ordinatio in finem esse non potest, 2. 2. quæst. 49. artic. 6. ad 3. Sexto, ex illa scala loquitur Deus Iacob, eique dicit vers. 13. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac: terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo, etc. et ero custos tuus, quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi complevero universa quæ dixi.* Licet enim Deus omnibus rebus provideat, tamen creatura rationalis speciali modo subest divinæ providentiæ, 1. p. quæst. 113. art. 2. et 116. art. 1. et 12. quæst. 91. art. 2. et 22. quæst. 83. art. 2. Deinde inter homines, boni subsunt divinæ providentiæ propter se: mali vero, propter alios tantum, ut bruta, 1. part. quæst. 23. art. 7. Septimo, evigilans Iacob erigit altare, oleum fundit desuper, petit a Deo cibos et vestes, quia non excludit immobilitas divinæ providentiæ utilitatem orationis.

111. Vers. 15 Deus est hominis figulus. Quinto, David ait, duo in hominibus a Deo considerari. Primum, cor, deinde opera ex eo, et per illud prodeuntia, v. 15. QUI FINXIT SIGILLATIM CORDA (Hebraice, cor) EORUM: QUI INTELLIGIT OMNIA OPERA EORUM. Pro *finxit*, Hebraice est יוצר *iotser*, hoc est, plastes, figulus, qui ex luto aliquid efformat. Quo indicat David hominem ex limo et luto esse effectum, et consequenter esse infinitis partibus Deo inferiorem, ab eoque perfecte cognosci atque comprehendi, sicut figulus cognoscit perfecte vas a se factum. Est metalepsis: ex formatione enim, quæ est antecedens, indicat cognitionem, quæ est aliquid consequens. Dices, corda ibi ponuntur pro animabus, ergo per fictionem ex luto indicatur, quod animæ sint materiales. Respondeo negando consequentiam, sed denotatur tantum cor ipsum esse materiale. Non est autem necesse, ut symbola in omnibus cum re figurata conveniant. Quomodo vero, et quare cor sit symbolum cogitationum mentis, et renes affectuum, dixi satis fuse Ps. 7. 10. in illa verba: *Scrutans corda et renes Deus.* Adde, quod *iotser* dicitur etiam de qualibet formatione. Hinc Felix et Wolfgangus Musculus vertunt, *qui format*; Chaldæus et Arabs, *qui creavit*: creatio autem fit ex nihilo.

Nota secundo, *finxit sigillatim*, Deus corda eorum, id 112. Fingere corda sigillatim quid significat?
est, Primo, finxit et formavit corda singulorum, q. d. nul-
lum est cor, nulla anima, quam Deus non finxerit et ef-
formarit. Secundo, *finxit sigillatim*, id est, seorsim, se-
parate, unum ab alio, q. d. dedit Deus singulis sibi pro-
prium cor et animam, non est anima una communis omni- 1.
bus hominibus, sed singuli habent suam sibi propriam, 2.
et ab omni alia divisam et separatam. Tertio, *finxit sigil-* 3.
latim, id est, ita ut cor et anima singulorum non possit
cognosci ab aliis, sed habeat speciale dominium in suas
cogitationes et affectiones, ita ut ne Angelis quidem in-
notescant, nisi permittant. De hac dixi Ps. 7. loco citato.
Quarto denique, *finxit sigillatim*, id est, solus corda ho- 4.
minum et animas. Cum enim Deus dicit Genes. 1. v. 26.
Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:
id est, ad imaginem nobis similem, Deus Pater non lo-
quitur Angelis, ut formatoribus humani corporis, et ani-
mæ sensitivæ, sibi reservans creationem animæ rationa-
lis, ut quidam Rabbini volunt cum Philone lib. de opificio
sex dierum, et cum Platone in Timæo; sed loquitur Ver-
bo et Spiritui sancto, ut docet S. Basilius in Hexaem. et
Rup. in Genes. Quinto, *finxit sigillatim*, κατα μονας, id est, 5.
ut ait Eusebius, αφωρισμενος και χωρισμενος παρα τα λοιπα ζωα,
seorsim atque separatim a cæteris animalibus. Homo enim solus inter animalia factus est ad Dei imaginem: tum per naturam, quia habet animam intelligentem: tum per gratiam et gloriam, quarum est capax. Est enim paulo minus ab Angelis minoratus, ut ostendi Ps. 8. 6. Eleganter dicitur homo a Platone Horizon universi, quia disterminat ac dividit superius hemisphærium, et in se illud coniungit, puta Angelos et animalia, ex anima spirituali, et corpore materiali et animali efformatus: a singulis tamen discretus et separatus, sed per gratiam ipsis etiam Angelis excellentior aliquando, ut de beata Virgine nemo dubitat.

Nota igitur tertio, ex hoc loco colligi dogma Ecclesiasticum, quod videlicet Deus non creavit quasi in confuso omnes animas, cum creavit animam primi hominis, quasi in illa fuerint omnes, et ex illa fiant omnes: sicut revera tunc creavit quodammodo omnes homines: quia in uno erant omnes, et ex uno fiunt omnes, quantum ad generationem carnis: sed creavit Deus sigillatim omnes animas, non unam ex alia, sed ipse singulas ex nihilo distincte ac separatim. Scio S. August. in epist. 28. non existimare, ex hoc loco solide probari distinctionem animarum, quia in Ps. 50. 12. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus.* Sed responderi potest, in Psalmo illo tractari de sanctificatione, non de naturali creatione: hunc autem locum requirere, ut verba proposita de creatione intelligamus: cum inde colligatur Deum omnia corda scrutari, quia omnia ipse formavit: ita Bellarminus. Hinc etiam reiicitur Origenes et Plato, qui censent animas in cælo simul omnes esse factas, et inde huc mitti in exilium. Philo et Origenes apud S. Hieron. epist. 161. dicunt, scalam Iacob esse μετεμψυχωσιν, sive migrationem animæ hominis ex corpore in corpus. In hoc autem descensu esse veluti quosdam gradus. Primo enim anima in subtiliora corpora demittitur. Secundo, si pergat peccare, in crassiora: ac tandem in terrena prorsus corpora devolvi. Lege Philonem lib. de somniis, et S. Hieron. dicta epistola, S. Ambrosium tract. in symbol. Apost. Iustin. Imperat. ad Menam Epist.

Tropolog. Deus *finxit sigillatim* corda hominum, id est, 113. Tropol.
finxit et formavit in prima productione eorum corda, ci-
tra ullam admistionem ad malitiam inclinantem. Cor enim

finxit opifex hominum Deus ad suam ipsius imaginem, simplex quidem illud. Ipsi demum id reddidimus ποικιλον και παντοδαπον, multifarium et ad omne genus vitiorum versatile, το θεοειδες αυτης, το απλουν και μονοτροπον, διαφθειραντες, ipsum permiscendo affectibus carnis, corrupta in illo imagine Dei, et quam habebat simplicitate et sinceritate sibi ubique simili: ita S. Basilius, qui sensum putat esse litteralem, sed est tropolog. Secundo, *finxit*, id est, formavit, vel reformavit corda, id est, animas eorum, *sigillatim*, dans scilicet cuilibet proprium donum, 1. Corint. 12. 11. *Dividens singulis prout vult.* Unde de quolibet sancto potest vere legi illud Eccli. 44. 20. *Non est inventus similis illi*, qui intelligit, id est, approbat opera eorum, id est, iustorum. Proverb. 4. 27. *Vias quæ a dextris sunt, novit Dominus.* Matth. vero 7. 23. ait impiis: *Tunc confitebor eis, quia nunquam novi vos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*: ita Ugo. Vide dicta Psal. 1. vers. ult. de notitia approbationis.

114. Deum nos aspicientem semper consideremus.

Moraliter, ex his collige ostendum tibi esse, ut Deum te semper aspicientem sæpe consideres. S. Basilius id dat præcepti, vers. 13. *De cælo, ait, respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Considera e sublimi despectantem, considera e cælo res mortalium*, εφορωντα, *introspicientem. Quocumque tandem perges, quodcumque tandem efficies opus, sive in tenebris, sive in diei luce*, επισκοπουντα εχεις Θεου οφθαλμον, *Dei oculum superintendentem habes.* Hoc dat primo, consolationem in bonis cogitationibus, affectionibus, locutionibus, et operibus, cum sciamus nos videri a Rege nostro, et parente præmia atque hæreditatem daturo. Secundo, illa contemplatio Dei nos aspicientis dat vires et robur in pugna et tentationibus: non videtur enim Deus, quin lumen ab illo recipiatur, et corona in manu agonothetæ. Tertio, illa contemplatio dat terrorem, et ne in peccatum labamur, videntes iudicem, ex cuius ore gladius biceps egreditur, corpus et animam puniturus, et cuius oculi sunt flammæ ignis, Apoc. 1.

Averroes negat oculis nostris lucem esse ullam, alioqui videremus in obscuro. Eccli. vero 23. 28. dicitur: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem.* Ideo videt in caliginosis cordium abyssis, et inscrutabilibus cavernis. Hebr. 4. v. 12. *Pertingens usque ad divisionem animæ* (partis inferioris, quæ facit animales) *ac spiritus*, (partis superioris, quæ facit spirituales, q. d. videt motus omnes et cogitationes) *compagum quoque* (cartilaginum, musculorum, nervorum, quibus inter se singula membra connectuntur) *ac medullarum. Discretor* (κριτικος, id est, iudex et censor) *cogitationum et intentionum cordis*, id est, animæ. Intentio est propric actus voluntatis, secundum quod in ea est vis intellectus ordinantis. S. Thomas 1. 2. q. 12. art. 4. *Et non est ulla creatura invisibilis* (Gr. αφανης, id est, non apparens) *in conspectu eius. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius.* Id dicit de sermone Dei, id est, de Verbo seu Filio, qui est sapientia Patris: idem de aliis personis est dicendum, in eis enim est sapientia essentialis. S. August. serm. 2. de tempore, hanc Dei perspicaciam et omniscientiam sic declarat: *Oculos Dei simul omnia cernentis non abdita locorum, non parietum septa secludunt, nec celum ei octa et cogitata, rerum et agenda et cogitanda sunt cognita. Ista vero scientia summi iudicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur.* Thales unus ex septem Græciæ sapientibus interrogatus, utrum opera mala diis essent incognita, respondit: *Ne cogitata quidem. Secretis enim cogitationibus cæleste numen adest et interest.* Cogitationes ipsas se videre, et consequenter se Deum esse, declaravit Christus Matth. 9. 1. et 12. 25. Luc. 5. 22. et 6. 8. et 9. 47. et 11. 17. Salomon intima nostra a Deo videri, ut illa examinet et appendat, sic ait Proverb. 16. 2. *Omnes viæ* (externi agendi modi) *hominis patent oculis eius* (hominis, ut explicat Syr. Chald. R. Levi, et Iansen. Secundo, Dei, ut Beda, Lyran. et Aben Ezra) *spirituum autem* (cogitationum, affectionum, et intentionum) *ponderator est Dominus.* Hebr. תוכן *tochen*, id est, primo, diligens et disponens. Secundo, mensurans. Tertio, ponderans. Et c. 21. 2. dicit: *Omnis via viri sibi recta videtur: appendit autem corda Dominus.* Arabs vertit, corda perforat, id est, penetrat, scrutatur, penitus cognoscit. Sept. dirigit. Symmach. parat. Caietanus adaptat. Vatabl. concinnat. Cor tuum illi offer ut Domino, ut illud videat veluti suum, et concinnet ac dirigat ad sui unius amorem et gloriam. Iacob, id est, luctator, ex Lia, id est, laboriosa, primum filium habet Ruben, id est, visionis filium.

Si Deus fundum cordis penetrat, quanto magis videbit superficiem operum. Itaque additur, *qui intelligit omnia opera eorum*, intelligit, id est, intus legit scripta in libro conscientiæ, et opera ipsa, et eorum intentiones. Plutarchus lib. 8. Symposiacon inquirit, cur a Platone dictum sit Deum semper Geometriam exercere: hac de re fuse agit, et varias explicationes affert: hæc vera et solida est, quod actiones hominum aspiciat, et ab hoc intuitu oculos nunquam deflectat, terramque universam moderetur. Hanc Dei providentiæ notitiam agnovit Tullius lib. 2. de natura Deorum: *Ignoratio rerum*, inquit, *aliena naturæ Deorum est, et sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem Deorum: ex quo efficitur, quod volumus, Deorum providentia mundum gubernari.* Ægyptii Deum mundo providentem, eumque gubernantem, delineantes, pingebant Solem hominis fulgentis habitu navigium crocodilo impositum gubernantem. Quo symbolo Euseb. lib. 3. de præpar. Evang. indicari ab iis credidit, per humidum ac suavem aerem Solis conversionem fieri. Iamblichus vero in Mysteriis, titulo de expositione symbolorum Ægyptiæ Theologiæ melius ad rem nostram: Ubi, inquit, introducunt Deum navis gubernatorem, principatum mundi, et veluti clavum in Dei manibus constitutum significant. Sicut enim gubernator clavo, uno quodam facilique momento navem movet ac regit: ita Deus ipse mundum desuper, videlicet a primis naturæ principiis præcipuas motionum causas exhibens. Ad propositam vero materiam recte dixeris, ut navis gubernator ea perspecta habet, quæ in navi fiunt, et aspectu suo nautas dirigit: ita Deus homines intuetur et iuvat. Nam, ut vulgari fertur parœmia, Θεου αλκιμον ομμα, *Oculus Dei est potentissimus.*

Itaque Athenodori et Thaletis Græcorum inter sapientes sapientissimi, sapiens consilium mentibus omnium est inserendum. Dicebat ille, ita nos cum hominibus vitam debere traducere, ac si Deus retributor bonorum, et malorum ultor, omni loco ac tempore actiones omnes intueretur, atque humanis oculis conspiceretur. Thaletis verbo erant: *Homines sibi persuadere debere, Deos omnia cernere, Deorumque omnia esse plena, ut coram eis caste et sancte vivant,*

ARTICULUS II.

Per numerosos exercitus non obtinetur victoria, sed per Dei auxilium.

Cum hominum opera Deo cognita esse dixisset David, inde concludit in eo solo esse confidendum, exclusis omnibus aliis, quibus homines inniti solent. Iam enim supra dixerat, Deum esse potentem et sapientem. Primo itaque dicit, non esse confidendum in exercitus multitudine, *Non salvatur*, etc. Secundo, nec in propria magnitudine et robore: *Et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.* Tertio, nec in equitatus præstantia: *Fallax equus ad salutem.*

Ac primo. In numero militum sitam non esse victoriam, 115. Vers. 16. 1. Pars.
edocet, v. 16. NON SALVATUR REX PER MULTAM VIRTUTEM: ET GIGAS NON SALVABITUR IN MULTITUDINE VIRTUTIS SUÆ.

Nota, pro *virtutem*, Hebr. est חיל *chail*, id est, exercitum, in quo sunt strenui duces et milites; 2. robur, fortitudinem; 3. potentiam, opes, divitias; 4. propugnaculum, munitionem, antemurale seu murum exteriorem. Arias vertit primo: *Non salvatur Rex in multitudi-*

*

ne roboris. Secundo, et melius, S. Hieron. et pene omnes alii: *Non salvatur rex in multitudine exercitus.* Arabs significantius reddit: *Non superabit rex ullus per multitudinem exercituum suorum.* Campensis: *Non salvat regem innumerabilis exercitus*, qualis erit exercitus Antichristi, Apocal. 9. 16. continens ducentos equitum milliones, qui tamen a Christo et eius militibus concidentur in Armagedon: sive sit Megeddo, qui est campus et civitas in tribu Manasse, iuxta Iezrahel, ut censet Ticonius et Riber. sive potius locus aliquis prope Ierusalem et vallem Iosaphat, qui ab eventu tempore Antichristi ibi devicti sortietur illud nomen. Armagedon enim significat insidias exercitus: vel, dolum congregationis exercitus. Sed contra oculum omnia videntem, ut supra Deum esse ostendi, quis esse potest utilis dolus? Uti dolo est timidorum: etiam cum tanto exercitu timebit Antichristus, et iure quidem, cum habiturus sit sibi oppositum Deum.

116. In multitudine exercitus non esse sitam victoriam prob. ex Scriptur.

In multitudine exercitus sitam non esse victoriam, sed Dei ope, passim habetur in Scriptura, Gen. 14. vers. 14. Exod. 14. v. 14. et 17. 9. et 18. 10. et 23. 27. Iudic. 1. 2. et seq. Ezech. 7. 2. Dan. 1. 2. Sophon. 3. 15. Zach. 10. 15. Rom. 16. 20. et 2. Cor. 15. Illustre est quod Gedeoni Iudici, id est, Principi Iudæorum contigit an. mundi 2768. ab ingressu in Chananitidem 185. ante Christum 1285. ante Davidem 210. Cum enim triginta duo millia militum haberet, et hostes Madianitæ centum triginta quinque millia, id est, centum et tria millia plusquam ipse, tamen illi dixit Deus, id est, Angelus Dei Legatus, Iudic. 7. 2. *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius.* Ratio additur: *Ne glorietur contra me Israel* (nota, qui in se gloriatur, in Deum cornua erigit) *et dicat: Meis viribus liberatus sum.* Cum permissus esset timidis reditus, viginti duo millia defluxerunt, et de decem millibus reliquis trecentos tantum Deus reservavit, qui lingua lambuerant aquas, sicut solent canes lambere; manu scilicet ad os proiiciente aquas, sicut lingua eas canes bibunt. Lingua enim est illis pro manu. Cum illis autem trecentis hostes ad internecionem cecidit, ne uno quidem relicto. Quod Salvianus considerans lib. 7. de Providentia, ait id factum esse: *Ut sibi de patrato divinitus belli opere, paucitas usurpare nihil posset.*

Illustre quoque est, quod accidit Amasiæ regi Iuda, qui cum anno mundi 3208. ante Christum 815. in Idumæos pugnaturus mercede conduxisset de Israelitis centum millia robustorum, eos remittere domum iussus est, quod essent idololatræ. Eique dixit Propheta Amos pater Isaiæ Prophetæ, ut volunt Hebræi in Seder Olam: *O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel, et cunctis filiis Ephraim. Quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est adiuvare, et in fugam convertere.* Cum obtemperavisset Amasias, percussit filios Seir, id est, habitatores montis Seir, hoc est Idumæos decem millia, et decem millia de monte præcipitavit. Ubi nota, Regis illius obedientiam. Nam persolverat Israelitis centum talenta argenti, id est trecenta millia librarum Gallicarum. Nam talentum argenti continebat tria millia siclorum argenteorum: id est, tria millia librarum Gallicarum, quarum singulæ sunt viginti assium, sicut siclus Hebræorum. Deus seipsum appellat Deum Sabaoth, id est exercituum. Aben Ezra dicit Deum ab Arabibus vocari *Gad*, id est, felicitatem, bonam fortunam, sed præsertim in prælio. Gad proprie significat accinctum seu procinctum: nempe militem vel exercitum; 2. Martem; 3. Iovem; 4. Bonam fortunam, felicitatem, victoriam, quam a Marte dari putabant veteres. R. Moses ait, lingua Cedar, id est, Ismaelitica stellam Iovis, quæ significat omne bonum, vocari Gad. Radix est *gadad*, congregare, cogere, ducere exercitum, victoriam reportare cum exercitu. De Deo ait Ierem. 42. 18. *Dominus exercituum nomen eius:* sic sæpissime appellatur in Scripturis. Ethnici a Deo uno pendere victoriam cognoverunt: ideo Philisthini timuerunt, cum tempore Heli Iudicis, id est Principis, Ophni et Phinees eius filii attulerunt arcam in castra iuxta la-

A pidem adiutorii posita: arca enim erat quasi solium Dei, unde reddebat oracula, et patrabat miracula. 1. Reg. 4. 7. *Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes: Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, et nudius tertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu deorum sublimium istorum? Hi sunt dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto:* id est in mari rubro, quod est vicinum deserto Arabiæ, et ad quod spolia et cadavera mersorum Ægyptiorum sunt coniecta.

117. Pagani tribuebant victorias Iovi.

Veteres pingebant sedentem Iovem, et manu aquilam aut victoriam tenentem: ut quas vellet in partes, illam emitteret. Plin. lib. 17. cap. 26. ait, Romæ in Capitolio in capite Iovis bis Persei bello enatam palmam, victoriam triumphosque portendisse. Augustum autem palmam inter iuncturas lapidum enatam, ante domum suam, in compluvium Deorum Penatium transtulisse: utque coalesceret, magnopere curavisse: ut scilicet a Deo enasci victorias indicaret. Compluvium est locus in ædibus, ad quem de diversis tectis aqua pluvialis decidit. Ex omni B loco aquas gratiarum recipe, et in te orientur et crescent palmæ.

Agathias lib. 3. historiæ: *Dei*, inquit, *arbitrio expenditur victoria, neque ad insolentissimos quosque accedit: sed ad eos dumtaxat, ad quos conditor ille rerum et moderator accedere voluerit.* Iure itaque Traianus dux Valenti Imp. exprobranti, quod a Gothis victus esset, ait: *Non ego o Imperator, victus sum, sed tu ipse sponte tua victoriam a te ipso reiicis, qui ita cum Deo belligeraris, et auxilium, quod ab eo provenit, repellens, ad hostes potius transmittis,* νικα και Θεος αει. *Deus autem semper vincit. Is nunc ab adversariorum partibus stat, quod eum tu bello persequeris.* Id contemnens, et aliorum sanctorum monita, in Arrianismo perstitit Valens, in Gothos movit exercitum, victusque est, et in fuga concrematus, cum in rusticum tugurium se recepisset, ut ait Nicephor. l. 11. c. 49. et 50.

118. Parvis exercitibus Deus dat sæpe victoriam.

Nota, ut Deus se Dominum exercituum probet, sæpe dat victoriam exiguis copiis contra numerosos exercitus. C Nam pauci in uno Deo spem suam ponunt: multi vero in suis viribus, cursim orbem lustrantes, quam id verum sit, videamus, in Asia, in Europa, in Africa, et in America.

I. Id accidit in Iudæa Asiæ provincia.

Primo, Iudæa se offert, quæ sive tempore Iudicum, sive Regum, sive Ducum id experta est. Primo enim, anno datæ Legis 198. Iabin Rex Chanaan, qui viginti annis oppresserat Israelitas, eisque erat dominatus, in eos iugum servitutis excutientes misit Sisaram cum nongentis curribus falcatis, ut ait Scriptura Iudic. 4. 3. quibus addit Chaldæus cap. 5. 8. ducenta quinquaginta millia militum. Iosephus et Abulensis dicunt in universo Sisaræ exercitu fuisse trecenta millia peditum, et decem millia equitum. Barac et Debbora cum decem millibus militum hos omnes usque ad internecionem deleverunt, sicut habetur vers. 16. cap. 4. adeo ut ne unus quidem superesset. Philo Biblicus parum probabiliter dicit, cæsa fuisse nongenta nonaginta septem millia. Ubi nota, Iabin significat intelligentem, et ædificantem, habitabat in Asor, id est in fœno. Fœnea et futilis est omnis intelligentia et D structura, quæ propriis viribus nititur. Omnis enim caro, id est, omnis homo fœnum. Secundo, misit ducem exercitus Sisaram, id est, qui hirundinem videt, qui equum videt, qui tineam videt. In equis sperantes, multum de suis viribus garrientes, a tinea corroduntur, et corrosi intereunt. Tertio, Sisara habitabat in Haroseth gentium, id est ubi erat confluxus gentilium. Haroseth idem est quod sylva, vel fabrefactio, vel munitio, vel surditas, vel artificium. Chald. vertit, *in munitione arcium gentium.* Paganorum est, in suis arcibus totam spem ponere. Quarto, Deus ei opponit Debboram, id est, apem, verbum, subiectionem. Syriaco, ductricem. Qui Deo se subiicit, eum orat, mel virtutum conficit, optimus ad victoriam ductor est; scit ubi habitet, nempe in sinu et manu Dei, ideo illam reperit, et suis tradit. Quinto, Debbora erat uxor Lapidoth, id est, fulguris vel lampadis. Unde Arias vertit, mulier lampadarum sive splendorum. Fulgur est lux cælestis, illa quærenda est, ut hostes effuget. Sexto,

ad bellum illud adsciscitur Barac, id est, fulmen, quod nomen ab hac victoria habuisse censetur: fulmen in manu Dei omnia perrumpit. Dixerat Debbora ad Barac cap. 4. 14. *Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus.* Sisaram occidit Iahel, id est ascensio, ascendens. E cælo auxilium petendum est, ut hostes conteramus. Vocatur Deus Sciaddai, id est contritor, destructor, vastator, spoliator, a radice *sadad*, id est conterere, etc.

Anno mundi 2768. exitus ab Ægypto, et datæ Legis 225. contigit victoria Gedeonis de quatuor Regibus, Oreb, Zeb, Zebee, et Salmana, qua parta cum eum talis populi principem constituere vellent Israelitæ, ait Iudicum 8. v. 23. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*, q. d. par est ratio, ut Dominus dominetur, nos omnes servi sumus, non domini.

Secundo, tempore Saulis primi Regis Iudæorum, anno regni eius tertio Ionathas, id est Dei donum, filius eius, cum armigero suo solo universum Philisthinorum fudit exercitum, 1. Reg. 14. David noster cum quadringentis aut sexcentis militibus suis sæpe elusit insidias et exercitus Saulis: et rex factus Deo ipsum ducente omnes sibi vicinos hostes undequaque contrivit, sæpe paucioribus congressus copiis. Insignis fuit victoria, quam obtinuit Asa rex Iuda de Æthiopibus, sive Madianitis, ut vult Torniell. sive potius Abyssinis et Africanis, ut censet Serarius et Sanchez, 2. Paral. 14. v. 9. sic refertur: *Egressus est autem contra eos Zara Æthiops* (probabiliter fuit etiam Rex Ægypti) *cum exercitu suo, continente decies centena millia militum, et currus trecentos, et venit usque Maresa.* Porro Asa perrexit obviam ei, et instruxit aciem ad bellum in valle Sephata, quæ est iuxta Maresa: et invocavit Dominum Deum, et ait vers. 11. *Domine, non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuva nos Domine Deus noster: in te enim, et in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine, Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo*, qui est humus, et in pulverem revertetur, quem proiicit ventus a facie terræ. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Iuda: fugeruntque Æthiopes. Et persecutus est eos Asa, et populus qui cum eo erat, usque Geraro: et ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, id est, ne uno quidem reiicto, quia Domino cædente contriti sunt, et *exercitu illius prœliante*, id est, exercitu Angelico. Distinguit enim eos, qui sequebantur Asa, ab exercitu Dei.

Tertio, post captivitatem Babylonicam historia Iudith contigit, cum summi Pontifices simul erant Duces populi. Licet enim Salian. a Castro, Serar. et alii censeant eam accidisse ante captivitatem, et Nabuchodonosorem fuisse cognatum, vel filium, vel generum Asarhaddonis filii Sennacherib, aut certe fuisse Merodach Baladan Babylonis Regem, qui vicit Asarhadem, et regnavit in Ninive: et deinde superavit Arphaxad, id est, Deiocem Regem Medorum, et cepit Ecbatana, quibus victoriis inflatus de toto orbe subiugando cogitavit: probabilius tamen censent Torniell. Berosus, Beda, et plerique Hebræi, historiam Iudith contigisse post captivitatem tempore Xersis, postquam a Græcis victus est. Holofernes itaque cæsus est manu fœminæ, et a paucis Bethulitis fusus eius exercitus, in quo erant saltem centum viginti millia peditum pugnatorum, et equitum sagittariorum duodecim millia. Gratias agens Iudith ait cap. 16. 5. *Venit Assur* (Assyrius exercitus) *in montibus ab Aquilone* (partim septemtrionalis, partim orientalis Iudææ est Assyria) *in multitudine fortitudinis suæ*, (q. d. in ea confidens) *cuius multitudo obturavit torrentes* (ideo Xerxem fuisse illum Nabuchodonosorem putat Sanch. sed Xerxes erat Rex Persidis, non Assyriæ) *et equi eorum cooperuerunt valles. Dixit se incensurum fines meos, et iuvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, et virgines in captivitatem. Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus fœminæ, et confudit eum. Non enim cecidit potens eorum a iuvenibus, nec filii Titan* (id est excelsi gigantes. Alludit enim aliquando Scriptura ad fabulas) *percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Iudith filia Merari.* Iudith idem est quod confitens, laudans, glorificans, nempe Deum. Da gloriam Deo, tibi nihil tribue, et eris invincibilis, atque omnes superabis.

Quot reportatæ a Machabæis victoriæ de Apollonio, Serone, Gorgia, Lysia, Timotheo, aliisque ducibus regis Antiochi Epiphanis filii Antiochi Magni, Antiochi Eupatoris filii Epiphanis, et aliorum Regum. Hoc uni in Deum fiduciæ tribuendum est, quam semper Iudas Machabæus militibus suis inculcabat. Et vero cum Seron princeps exercitus Syriæ movisset exercitum in Iudæam usque ad Bethoron, dicens lib. 1. Machab. 2. 14. Faciam mihi nomen, et glorificabor in regno, et debellabo Iudam, exivit Iudas obviam eum *paucis*, cumque timidi dicerent: Quomodo poterimus *pauci* pugnare contra multitudinem tantam et tam fortem, et nos fatigati sumus ieiunio hodie? ait v. 18. *Facile est concludi multos in manus paucorum: et non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis, et in paucis. Quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci et superbia, ut disperdant nos, et uxores nostras, et filios nostros, et ut spolient nos: nos vero pugnabimus pro animabus nostris, et legibus nostris: et ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: vos autem ne timueritis eos.* Dei est nos iuvare, nostrum eo duce non timere. Hæc de Iudæa satis.

Secundo, in Syria anno Christi 698. Tiberii Absimari II.
Imp. secundo ab exercitu Christiano cæsa sunt ducenta In Syria.
millia Saracenorum, longe dispari numero existente in exercitu victorum, ut refert Baronius ex Theophane et Cedreno.

Tertio, in Asia minore Alexander ad Granicum Misyæ III.
fluvium sexcenta Persarum millia superavit, ut auctor In Asia
est Iustinus lib. 11. cum sub signis haberet tantum trigin- minore.
ta millia peditum, et quatuor millia equitum, ac quinquaginta, ut tradit Diodor. lib. 17. qui satis indicat hoc Alexandri pietati tribuendum esse, cum ait eum ante prælium recensitis copiis splendidum spolium Minervæ adornasse, et quod το ιδιον οπλον ανεθηκε τη Θεω, sua armatura illi dicata, de repositis in templo aliam inter omnes firmissimam desumpsit: qua prima deinde pugna utens, gloriosam sui ipsius virtute victoriam adeptus est: ita Diodor. Nec mirum est a Deo vero adiutum Alexandrum, qui falso numini cultum deferebat. Nam divinitati honorem tribuebat, licet male in Minerva eam esse reputarat.

Quarto, in Cilicia ad Issum oppidum, quod Nicopolim IV.
a victoria appellavit, Alexander cum Dario iterum confli- In Cili-
xit. Armaverat Darius quadringenta peditum, centum ve- cia.
ro equitum millia: victus tamen aufugit, matremque et uxorem victori reliquit. Hanc quoque, sicut cæteras victorias Deo tribuendam clarum est ex Iosepho lib. 11. antiq. cap. 8. ubi narrat, processisse inde Alexandrum in Iudæam, quæ cum Ægypto variisque provinciis, victoris iugum subivit, obviamque illi prodiisse Iadda Summum Iudæorum Pontificem, quem salutavit, at Dei nomen, quod inscriptum fronti gerebat, adoravit: causam roganti Parmenioni dixisse: se, cum in Macedonia fluctuaret animo, utrum in Asiam traiiceret, vidisse Deum eo habitu, qui hortaretur, forti ut esset animo, et sine mora exercitum deportaret, αυτον γε ηγησεσθαι της στρατιας, και Περσων παραδωσειν αρχην. *Se enim ducem futurum exercitus, et traditurum Persarum imperium.*

Quinto, in Perside ad Gaugamela, sive ad Gausamela, V.
Darium cum decies centenis millibus vicit Alexander, ut In Persi-
docet Plutarch. in Alexandro. In eadem Perside nihil illu- de.
strius victoriis Heraclii Imp. qui ad extrema deductus a Chosroe Persarum rege, sumpta Christi imagine cum paucis, at sæpe victis militibus invictum Persarum imperium pessumdedit, crebris victoriis Chosroem atterens, quod Dei virtuti qua ratione tribuendum sit, tradit passim Baron. t. 8. ac præsertim an. 621. n. 4. et seqq. Postea tamen miser in hæresim Monothelitarum lapsus Deum de-

seruit, atque ab eo desertus est. Tunc enim Saraceni sibi in Romanum Imperium aditum aperuerunt, Syria occupato, ut ait Theophanes.

VI. In Parthia. Sexto, in Parthia Tigranes Parthorum rex exercitum Luculli, eiusque paucitatem admiratus dixisse fertur per iocum ει μεν ως πρεσβευται, πολλοι παρεισιν· ει και ως στρατιωται ολιγοι. *Si ut legati venissent, multos esse; sin ut milites, paucos*. Vicit tamen Lucullus cæsis centum peditum millibus, et tota fere equitatu hostium: de suis amisit tantum quinque, centum vulnerati sunt: ita Plutarchus. Tradit Livius nunquam Romanos signa cum hostibus contulisse tanto numero inferiores.

VII. In Ponto. Septimo, in Pontica regione idem Lucull. iam Mithridatem Regem Ponti vicerat, cæsis trecentis millibus ex universo tam lixarum, quam militum numero, cum ipse paucos milites sub aquilis numerarat, ut ait Plutarchus in Lucullo.

VIII. In Scythia. Octavo, in Scythia Tomyris Regina Cyrum Persarum regem vicit et occidit, cæsis ducentis millibus militum, ne uno quidem superstite, qui nuntium in patriam referret, cum tamen Cyrus Spargapisem Tomyridis filium, et magnam Scytharum multitudinem in alio prælio occidisset, ut tradit Iustin. lib. 1.

IX. In India. Nono, in Indiam moventi Semiramidi Assyriorum Reginæ peditum numerus erat *tricies centena millia*, equitum millia quingenta, currus ad millia centum. Totidem quoque viri camelis vehebantur, gladios quatuor cubitorum stringentes. Navium resolutilium numerus erat duo millia. Victa tamen est ab Indorum Rege, ut vix salva tertia exercitus parte rediit, ut ait Diod. Sic. l. 2. ex Ctesia.

Lusitanis nihil admirabilius in India. Unum referam, quod legi apud Hier. Osor. Episc. Sylvensem lib. 3. de reb. Emmanuelis Regis Portugalliæ: Trimumpara, inquit, Rex Cocinensis in Lusitanorum amicitia mansit, licet ab illis desertus. Nam unam tantum navem reliquerunt Paciecø cum duabus caravelis, et centum militibus Lusitanis: cum Rege autem Cocinensi alii manserant quinquaginta: sic summa Lusitanorum ad centum et quinquaginta pervenit. Rex Calecutiensis sub signis numerabat plusquam quinquaginta septem millia hominum, et classem centum et sexaginta navium habebat, in qua præterea erant duodecim hominum millia. Aucta deinde classis est centum ferme navigiis. Sæpius transitum omnibus viribus tentarunt, sed semper mira Paciecí virtute repulsi. Hoc plane compertum fuit, multos ex nostris fuisse pilis ferreis secundum caput, aut pectora, aut brachia, aut reliquas corporis partes vehementissime sine ullius interitu percussos. Quæ tamen tanta vi contortæ ferebantur, ut cum e corporibus, in quæ primum ceciderant, collaberentur, scuta ingentia perfringerent, et moles abiectas facillime dissiparent. Nonnunquam non plus quadraginta Lusitani duabus navibus aditum impedivere per æstuarium, quo regnum Calecuti a Cocinensi separatur. Nemo Lusitanorum desiderabatur in præliis. Rex Calecuti mœrore perditus regni curam abiecit, et Naubeadarimo tradidit, ipse privatam vitam desperatione fractus in idolorum fano ad mortem traduxit. Hæc et plura Osorius, qui dignus est qui legatur.

119. In Europa etiam parvis exercitibus Deus dedit victoriam. SECUNDO, in Europa quoque numerosi exercitus a parvis sæpe cæsi sunt.

I. In Græcia. Primo, in Græcia noti sunt campi Marathonii, in quibus decem millia Atheniensium, cum Plataeensibus mille auxiliaribus superarunt sexcenta millia Persarum, atque ex illis ducenta millia trucidarunt. Nota Xerxis clades, qui compedes in mare coniecerat, illud flagellis ceciderat et fluviorum alveos exsiccarat, ab equorum transeuntium multitudinem, cum in Græciam properaret. Notum quoque est Mardonium ducem Xerxis postea ad Plateas cum trecentis militum millibus victum esse, cum Pausanias Lacedæmoniorum dux perpaucos haberet milites, si cum tanta multitudine conferantur: sicut Themistocles ad Salaminem insulam paucis cum classiariis numerosissimam Xerxis classem dissiparat.

II. In Albania. Secundo, in Albania Scanderbergius plurimos Turcarum exercitus superavit cum paucis militum manipulis, ut refert Iac. de Lavardin. in eius vita.

III. In Sicilia. Tertio, in Sicilia Atheniensium classis maxima duce Nicio Syracusanum in portum invecta, ac prope victrix, unius Gylippi Lacedæmoniorum ducis adventu a paucis Syracusanis funditur, et fugatur tanta strage, ut omnis Athenarum gloria tunc conciderit.

IV. In Italia. Quarto, in Italia Maxentium Constantinus longe dispari numero, visa in cælo cruce, superat, ut omnes clamant historiæ. Eamdem crucem ab eodem bis adhuc visam refert Niceph. lib. 7. Et quidem cum in Byzantios pugnaret, cap. 47. et cum in Scythas, cap. 49. Utraque autem in pugna Dei ope extitisse victorem, Carolus VIII. Francor. Rex sine exercitu propemodum, sine ducibus, sine pecunia, sine prudentia bellica, quatuor mensibus, et novemdecim diebus totam pene Italiam traiecit ac domuit, Romam cepit, atque Neapolim, aliasque multas civitates. Unde Alexander Papa dictitabat Gallos venisse Neapolim cum calcaribus ligneis, cretam tenentes manu, ut domos notarent, ac sibi designarent ad habitandum, ut refert Philippus Comin. cap. 17. hist.

V. In Hispania. Quinto, in Hispania Pelagius ad Auseum montis speluncam fugiens cum mille militibus ibi a Deo servatus est, telis in hostes urgentes resilientibus, quod advertens Pelagius eruptione facta ex iis viginti millia peremit, cæteri montis diffractione obtriti sunt, ut ait Mariana lib. 7. hist. Hispan. cap. 2. Celeberrimam de Mauris victoriam reportarunt Christiani ad Castulonensem saltum, uti ducenta eorum millia trucidarunt, ut habet idem auctor lib. 11. c. 14. Pelagius Correa S. Iacobi Magister prope Tudiam insignem victoriam de Mauris retulit, sole a cursu retento, quo dies esset longior ad stragem hostium, ib. lib. 13. cap. ult. Ad Tarissam ab Alphonso Rege ducenta Maurorum millia cæsa sunt, multa capta lib. 16. cap. 7. Ex his apparet vere ab Appiano dictum esse lib. de bello Hispan. *Victoria non numero hostium, sed divino beneficio conceditur*. Hinc Alphonsus Rex cum Ferdinando filio dixisset, in numero militum spem non esse reponendam, subdidit: *Spem omnem victoriæ in Deo reponito*, ut ait Facius lib. 10. hist.

VI. In Lusitania. Sexto, in Lusitania Henrici Regis victoriam memorabilem, in quinque Reges Maurorum iam retuli, cum de Crucis potentia agerem. Quid fecerint Lusitani in Indiis, vide apud Maffeium, du Iarric, Osorium et alios, mox dixi de Paciecø ibi mira præstante.

VII. In Gallia. Septimo, in Gallia: 1. Cæsar quadringenta et quadraginta Helvetiorum millia superavit, nemine de suis desiderato, ut refert Scipio du Pleix lib. 4. Galliæ comment. cap. 31. 2. Carolus Martell. ad campos Turonicos trecenta Saracenorum millia contudit. 3. Longe antea rex Meroveus Attilam cum quingentis hominum millibus toti Europæ terribilem, ad campos Catalaunicos fregit et fugavit, cum ipse longe disparem copiarum numerum haberet cum suis fœderatis. Quid contra contigerit in Cressiacensi et Pictaviensi pugna contra Anglos, vide in Annal. Franc. et Angl.

VIII. In Germania. Octavo, in Germaniam Caspianus tradit tanta numero Hungaros irruisse sub Othone I. Imp. ut dicerent: *Aut cælum cadens nos obruet, aut terra dehiscens nos absorbebit: alioqui nemo hostium multitudine nos superabit*. Fastum illum repressit Otho ad Lycum fluvium circa Augustam Vindelicorum, tres Regulos captos in crucem egit, reliquis ad internecionem deletis.

IX. In Dania. Nono, in Dania Frotho rex Hunnum Regem Hunnorum tantis copiis collectis irruentem, ut in totum Orbem parasse exercitum videretur, oppressit in finibus Russiæ. Habebat in acie sua Hunnus (si tamen Saxoni credimus) triginta ducum millia, excepta gregarii militis multitudine. In exercitu autem navali, quem ducebat Olimarus, erant Reges sex, qui totidem classibus præfecti erant, quarum quælibet quina navium millia complectebatur, in qualibet vero navi trecenti milites numerabantur, ut ait Ioannes Magnus lib. 4. cap. 26. liberum arbitror esse cuilibet hoc credere vel reiicere.

X. In Scotia. Decimo denique, In Scotia Robertus Brasiue Eduardum Angliæ Regem cum trecentis millibus militum mira victoria superat, ob pietatem suam et Reliquias S. Philani, et propter Eucharistiam, ut habet Hector Boethius in histor. Scotiæ fol. 303.

120. In Africa quoque parvis exercitibus data est victoria. Tertio, in Africo quoque numerosi exercitus ob exiguis victi sunt.

Primo, in Ægypto victoriæ Alexandri et Cæsaris notæ sunt. Sed notior, verior, et illastrior est Mosis de Pharaone maris rubri undis sepulto triumphus, qui refertur Exod. 14. et 15.

I. In Ægypto. Secundo, in Mauritania pauci equites Galli multa fuderunt Maurorum millia.

II. In Mauritania. Tertio, in Æthiopia interiori seu Abyssinorum imperio, Zelachristus frater Imperatoris iam Ecclesiæ Romanæ aggregati, exercitum schismaticorum, in quo erant centum militum millia, ita feliciter superavit, ut ne unus quidem de suis desideraretur, ut habetur in epistolis Æthiopicis.

III. In Æthiopia interiore. Quarto, in Æthiopia exteriore, Rege Congi mortuo Pansus Aquitimus minor natu adhuc ethnicus regnum occupat, et Alphonso fratri Christiano eripere molitur. Advolat ad urbem Alphonsus, sed cum vix triginta ex armatos haberet, turbamque imbellem, quæ ad regiam metu consternata confluxerat, ecce tibi cum expeditis copiis Pansus adest. Cum ad teli iactum ventum est, Iesum Deum et S. Iacobum ex Lusitanica disciplina ingeminant. Mirum dictu, ad eas voces hostes territi in nemora fugerunt. Cippus erat in sylvis captandæ feræ paratus, in eum se Pansus induit, et graviter saucius ad fratrem ductus in errore pertinax est mortuus. Dux exercitus Pansi captus Baptismum petit, se vidisse dicebat initio congressus prope Alphonsum: *viros humana specie augustiores ipsius, quasi adorarent, Crucis nota distinctos, circumfusos luce, vultu acerrimo præliantes*: eo viso territos Pansi milites fugisse. Illi vitam licet non petenti dedit Rex Alphonsus, ea lege, ut purgando in posterum verrendoque sanctæ Crucis templo cum suis daret operam: et in mystici lavacri usum, puros latices religiose conveheret: ita noster Ioannes Petrus Maffæus lib. 1. histor. Ind.

IV. In Æthiopia exteriore.

Incredibilem prope victoriam legi in epitome virorum illustrium Soc. Iesu. Cum scilicet vix centum quinquaginta Lusitanos, cum paucis auxiliariis, exercitus Angolanorum duodecies centenorum millium obruere moliretur, precibus patris Balthasaris Barreiræ fusus est, septem tantum desideratis Lusitanis, qui occisi sunt, postquam ille sanctus vir ab oratione destitisset. Qua re audita Philippus II. Hispaniæ Rex imperavit, ne quid unquam inconsulto patre duces aggrederentur. Hæc superant vires humanas, sed non Dei potentiam, qui unico culice posset omnes mundi exercitus in fugam vertere. Lege Petrum du Iarric. lib. 3. histor. Ind. Orient. cap. 7. ubi a ducentis Lusitanis et decem mill. Æthiop. ait fusa Angolan. sexcenta millia, præter enarratam victoriam.

In America denique quantum potuerint pauci Lusitani, Hispani, Angli et Galli, res loquitur; invit tamen ad terras illas occupandas gentis imperitia in armis tractandis atque faciendis.

ARTICULUS III.

Gigantes atterit Deus moli corporis et robori præfidentes.

Non Pygmæorum tantum exercitus dissipat et conterit Deus, sed vel ipsos gigantes nutu suo fugat, et paucorum atque imbellium gladiis mactandos ubiicit. Unde subdit Propheta, vers. eod. 16. ET GIGAS NON SALVABITUR (Hebraice, non eructur. S. Hieron. non liberabitur. Vatablus, nequaquam pericula evadit) IN MULTITUDINE VIRTUTIS SUÆ. Hebr. כח *coach*, id est potentiæ, fortitadinis, roboris. Differt ab חיל *chail*, quod strenuitatem et gesta præclara significat: cum hoc virtutem, potentiam et facultatem significet, idem quod Græce δυναμις, quæ se foras exerit in opere: ita Mercurius in thesauro sancto.

121. Vers. 16. 2. Pars.

Nota secundo, pro *gigas*, Hebraice est גבור *ghibbor*, id est: Primo fortis corpore, id est, robustus. Et hoc maximo videtur spectare David alludens ad Goliathum, qui tanto erat corporis robore, ut ferret loricam squamatam, cuius pondus quinque millia siclorum æris erat, et hastam velut liciatoriam texentium, cuius ferrum sexcentos siclos appendebat. Prætorea gestabat cassidem æream in capite, ocreas æreas in cruribus, clypeum æreum in manu sinistra, ut appareret homo ferreus et æreus. — To ghibbor quatuor significat. I. Fortem corpore.

II. Fortem animo. Secundo, *ghibbor*, id est fortis animo, id est vir strenuus et bellicosus, heros. Unde S. Hieron. vertit, *nec fortis liberabitur in multitudine virtutis*; fortitudo de animo in periculis interrito, robur de corpore proprie dicitur. Vatabl. vertit: *Heros nequaquam per multam virtutem suam pericula evadit*. Lucian. dialog. 3. moral. heroem sic definit: *Heros est, qui neque homo est, neque Deus, et simul utrumque est*. Qui scilicet rerum a se gestarum magnitudine ad deos immortales proxime accedit, ut Hercules, Theseus, Alexander et alii. Ubi nota, gigantes Baruch 3. 26. dici scientes bellum, et ad expugnandum hostem fuisse peritissimos, ut ait S. Cyrillus Alexand. lib. 9. contra Iulian. Theodoretus q. 48. in Gen. Cassianus collat. 8. cap. 21. Campensis explicat; neque *miles* quantumvis strenuus evadet pericula propriis viribus.

III. Fortem propter auctoritatem. Tertio, *ghibbor*, id est fortis ob potentiam et auctoritatem, potentissimus. Tales fuerunt gigantes ante et post diluvium, quia omnibus erant terribiles, nec erat, qui se illis opponeret. Hinc ut notat noster Fernandius in Genes. c. 6. sect. 3. varia sortiti sunt nomina, 1. dicti sunt אמים *emim*, q. d. terrores, terribiles; 2. גבורים *ghibborim*, id est, robusti, fortes, potentes, dynastæ, a *gheber*, id est robore; 3. רפאים *rephaim*, q. d. curatores ac medici populi, cui præsunt, a rad. רפא *rapha*, mederi, vel remitti, et levem esse: quod ad eorum aspectum homines elanguescunt; 4. ענקים *anakim*, seu *enakim*, vel ab Anac eorum auctore, vel q. d. torquati, torque insigniti; 5. denique, נפילים *nephilim*, a radice *naphal*, id est, cecidit: vel quia ad gigantum aspectum homines conterriti cadebant animo, et humi prosternebantur: aut quia in diluvio ceciderunt illæ prodigiosæ corporum moles haustæ vorticibus aquarum: vel, quod verius est, cadentes active, id est incidentes, irruentes, et cuncta instar tempestatis prosternentes: et quia quando gigas impetu ferebatur in aliquem, corruere in illum videbatur insana moles instar turris aut montis. De Og, et eius fictitio monte dicam infra.

Nemrod, qui primus fuisse videtur gigas post diluvium, auctor fuit ædificandæ turris Babylonicæ, ut arcem sibi constitueret, primus tyrannidem invasit, et fuit Princeps in urbe Babylone. De illo dicitur Gen. 10. 8. *Ipse cepit potens esse in terra* (Septuaginta vertunt, *iste erat gigas*, nempe et corporis mole, et robore, et audacia, et superbia atque crudelitate) *et erat robustus venator* (ferarum, ut placet Aben Ezræ; 2. et verius, hominum, eos opprimendo, necando, spoliando, sibi captivando ut servos) *coram Domino*, id est publice, impudenter, insigniter. S. August. reddit, contra Dominum: *Ob hoc exivit Proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino*. Ipse fuit fundator Imperii Assyriorum. Robustissimum sibi in Regem deligebant Automalæ, qui Meroen inhabitabant, ut tradit Pomponius Mela lib. 3. Medi non quidem omnes, sed montani deligebant sibi in Regem τον ανδρειοτατον, id est robustissimum, fortissimum, maxime virili animo præditum, ut ait Strabo lib. 11. Geograph. 2. Syriaci in regnum evehebant eum, qui proceritate corporis reliquos præcelleret, ut refert Zenobius, in proverbio νομος και χωρα; 3. robur proceritati iungebant Æthiopes Macrobii, teste Herodoto lib. 3. Τον αν των αστων κρινωσι μεγιστον τε ειναι και κατα μεγεθος εχειν ισχυν, τουτον αξιουσι βασιλευειν. *Quem e popularibus maximum, et pro magnitudine validum, hunc Regem deligendum censent*. Muisius vertit: Potens non salvabitur in multitudine virtutis.

IV. Gigantem. Quarto denique *ghibbor* recte Noster, Septuaginta, Felix, Campensis et alii vertunt *gigas*. Neque hæc vox aliu-

dit multum ab hebraica. De gigantum multitudine et potentia dicam infra.

122. *Moles corporis nocuit gigantibus.* Nota secundo: Et moles corporis et robur causa ruinæ est gigantibus et robustis. Primo, quia sibi confisi facilius se offerunt periculis. Secundo, quia sæpe sunt stupidi et quasi turres carneæ, cum enim anima sit finitæ virtutis, tota se effundens in operationes vitæ vegetativæ et sensitivæ, minus sibi reservat virium ad ratiocinandum: unde imprudenter se offerentes discrimini in eo pereunt. Tertio, quia superbi sunt, ideo a Deo confunduntur. Possis censere ideo gigantes esse dictos *nephilim*, id est cadentes, quia eos Deus deiecit et attrivit. Isaias 26. v. 19. *Terram gigantum detrahes in ruinam*, gigantum terram hic vocari censet corpora impiorum. Sunt enim terra, terra, terra, ut vocantur impii a Ieremia 22. 29. id est maxime terreni. Terra gigantum tamen est intelligenda regio, in qua gigantes vel impii ac superbi manebant, hi enim pereunt a Deo deiecti et confusi. Deuter. 3. 13. *Cuncta Basan vocatur terra gigantum*. Basan significat 1. in dente, q. d. dentatam, a radice שֵׁן *scen*, id est, dens; 2. in mutatione, q. d. mutabilem, alterabilem, a שָׁנָה *sciana*, mutare, alterare, mutari; 3. confusionem, ignominiam, a radice בּוֹשׁ *bus*, pudore suffundi, erubescere, confundi. Hæc tria conveniunt gigantibus: dentati sunt, ut omnes mordeant et impetant, sicut Cadmæi milites nati ex dentibus serpentis, qui se mutuis vulneribus confecerunt, a Deo autem mutata et alterata eorum potestate confunduntur, et in lingua sicut gigantes ædificatores turris Babel, id est confusionis et permistionis: et in aliis rebus.

Primo enim, gigantes confudit et perdidit Deus per diluvium. Genes. 6. 4. fit mentio gigantum, quos perperam Burgensis putat fuisse dæmones, et Valesius filios incuborum; nam erant orti ex Sethianis corruptis et mulieribus de stirpe Cain adhuc corruptioribus. Statim autem versu sequenti ait, quod Deus vidit multam malitiam in terra, et cunctam cogitationem cordis intentam esse ad malum omni tempore: ac v. 6. et 7. declarat, Deum pœnituisse quod fecisset hominem, et diluvium intentasse, ut intelligas, quod patet Sap. 14. 6. Iob. 26. 5. maximam et potissimam diluvii causam fuisse gigantes.

Secundo, Og Rex Basan, quem Iudæi fabulantur evasisse diluvium stantem in monte altissimo, ab Israelitis occisus est, cum duce Mose pergerent in Chananitidem anno post diluvium 927. unde patet vanitas fabulæ. De eo dicitur Deut. 3. 11. *Solus quippe Og, Rex Basan, restiterat* (in ea regione, in aliis alii erant, Num. 13. 34. Iosue 15. 14.) *de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus in Rabbath filiorum Ammon* (quæ postea dicta est Philadelphia, eam cepit David anno 20. regni) *novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus*. Og significat, 1. subsannationem; 2. detentum et impeditum. Gigantes alios subsannant, et illos Deus detentos aliis obiicit subsannandos.

Tertio, de Goliatho a Davide occiso habes 1. Reg. 17. 4. lib. 2. Reg. cap. 21. narratur quadruplex bellum contra Philisthæos a Davide gestum, in quo semper aliquis gigas periit. Primo, Iesbibenob. Sic enim habetur vers. 16. *Deficiente* (ob prælii diuturnitatem, et senium suum) *autem David, Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha* (id est Rapha seu Raphaim, hoc est gigantum, quorum progenitor fuit Rapha. Nam *ha* est articulus in Hebr.) *cuius ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, et percussum Philisthæum interfecit.* Iesbibenob idem est ac sedens in locutione, id est loquax, superbus de se loquens: hic vult occidere David, id est amorem et charitatem, sed occiditur per Abisai, id est patris munus, hoc est per Christum: vel per gratiam, qua convertitur peccato pereunte. Secundo, in secundo bello in Gob contra Philisthæos gesto Sobocai de Husati, occidit Saph de eadem stirpe Arapha, de genere gigantum. Tertio, in tertio bello etiam in Gob percussit *Adeodatus* (id est David a Deo datus Israeli ad eum salvandum: ita Hebræi: melius alium a Davide fuisse putat Serar. et Caietan.) *filius Saltus* (Hebr. *filius Iare*. Itaque Saltus est nomen proprium) *Polymitarius* (id est textor licia variegata contexens, phrygio) *Bethlehemites Goliath Gethæum, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.* Quarto, in Geth occisus est a Ionatha filio Semaa fratris David vir excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est, viginti quatuor, et erat de origine Arapha.

123. *Robur corporis exitio fuit multis.* Secundo, robur corporis multis exitio fuit. Isaiæ 1. 31. *Fortitudo vestra, ut favillæ stupæ*, (q. d. lucendo perit) *et opus vestrum quasi scintilla*. Ierem. 51. 30. *Cessaverunt fortes Babylonis a prælio, devoratum est robur eorum, et facti sunt quasi mulieres*. Et apertius Regi Tyri dicitur Ezech. 28. 5. *Elevatum est cor tuum in robore tuo. Idcirco ecce ego adducam super te alienos robustissimos Gentium*, etc. Apud prophanos in laude sunt vires Aristomenis, trecentos enim Lacedæmonios solus occidisse fertur, bis ab illis captus evasit: sed tandem intercepto pedes dissecuerunt, pectoreque eius aperto *cor hirsutum* habere repererunt.

Secundo, Miloni Crotoniatæ fatalis fuit nimia in corporeis viribus fiducia. Nam de illo sic ait Pausanias lib. 6. Magnum illud fuit roboris documentum. Milo caput nervo non aliter quam redimiculo aut corona incingebat, intercluso deinde, quanta maxima vi poterat compressis labris spiritu, cum venæ capitis sanguine plurimo intumuissent, *venarum robore nervum rumpebat*. Idem ubi porrecta dextera cubitum lateri admovisset, sublatoque pollice reliquos digitos iunctim intendisset, nimirum nemo erat, qui ullo nisu posset a cæteris abiungere. Ita Pausanias, qui deinde hæc illi nocuisse ostendit. Subdit enim: *Ferarum laniatu hunc periisse memorant*. Conspicatus enim hiantem immissis cuneis quercum aridam in Crotoniatarum finibus, *robore suo pristino fretus* truncum illum manibus dicitur rescindere conatus. Ibi cum relaxatis cuneis comprehensis manibus Milo detineretur, λυκοις εγιγνετο ευρημα, a lupis iuventus discerptus est.

Tertio, Polydamantis robur extollit idem Pausanias lib. citato: ait enim, quod μεγαν και αλκιμον λεοντα, magnum et præferocem leonem occidit. Taurum μεγιστον και αγριωτατον, maximum et ferocissimum, posteriorum pedum altero, πηδωντα και σπαιρομενον, subsultantem et contranitentem tam obnixe detinuit, ut vix, et relictis quidem ungulis, effugere potuerit. Eumdem incitante equos auriga, altera tantum manu retractos a tergo currus sistere solitum dicit. Quid tandem emolumenti inde acceperit, ostendit, cum addidit: *At enim Polydamanti virium suarum fiducia, quam exitio multis esse solere Homerus carminibus vaticinatus est, perniciem attulit. Nam cum per æstatem speluncam intrasset cum aliquot sodalibus in opaco accubiturus, sors minus æqua ita tulit, ut superior speluncæ pars late fatisceret. Ibi Polydamas cæteris imminentis periculi metu dilapsis, quasi unus tantam labem sustinere posset, sublatis manibus montem fulcire conatus, ruinæ mole est oppressus.* Dignus, cui acclamaretur, quod anus cuidam: Quanta est longitudo et profunditas, tanta est stultitia.

Quarto, ad fabulas amandandum est, quod Iudæi apud Tostatum in cap. 21. Num. qu. 27. nugantur de Og gigante lapidem tantum capiti imponente, ut totum Israelitarum exercitum obterere posset, qui deinde ab avicula perforatus in collum eius inciderit, neque inde tolli potuerit ob dentium subitam excrescentiam: unde Moses ad eum accedens facile vulnus lethale inflixerit. Vere sic fuisset Og Rex Basan, id est dentatus; sed apage istas nænias Rabbinicas: itemque id, quod Petrus Alphonsus refert tit. 1. contra Iudæos de filio Dan saxum non dispar ferente.

124. *Gigantes extiterunt.* Quæres, an in variis regionibus et temporibus fuerint gigantes, et quantæ molis extiterint? Resp. Primo dictum esse de Og Rege Basan.

Secundo, de Goliath aliisque in terra Philisthinorum.

1. *In Asia.* Tertio, post Christi adventum Artabanus Rex Parthorum misit Tiberio filium Darium obsidem cum multis muneribus, inter quæ etiam virum staturæ quinque cubitorum, *genere Iudæum*, Eleazarum nomine, qui ideo dictus

est *gigas*, ut ait Iosephus lib. 18. Antiquit. Iudaic. cap. 6. pag. 625.

Quarto, in Arabia memorat Plinius lib. 7. cap. 16. procerissimum hominem ætate sua Divo Claudio Principe, Gabbaram nomine, ex Arabia advectum novem pedum et totidem unciarum.

Quinto, in Syrio Pausanias in Arcadicis, sive lib. 8. ad Orontem, ait, Syriæ fluvium urno fictilis reperta est undecim cubitorum: et in eo cadaver, μεγεθος εν κατα τον σορον, magnitudine sepulcro non absimili, humano specie ex omni parte corporis.

Sexto, in Asia minore idem Pausanias in Atticis, seu lib. 1. apud Milesios cadaver repertum ait decem cubitorum.

Septimo, in Cilicia Iustino imperante mulier fuit quantumvis proceros viros *cubitum integrum* superans, ut ait Zonaras in Iustino.

Octavo, in Ponto Rex Mithridates tanta vi animi et corporis præstitit, ut sex iuges equos regeret.

Nono, in Persido Herodot. lib. 7. Artachæes, inquit, qui fossæ ad Athon montem faciendæ præfuit, morbo decessit, vir Xersi spectatus, genere Achæmenides, statura inter Persas procerissima, απο γαρ πεντε πηχεων βασιληιων απελειπε τεσσαρας δακτυλους, *quippe cui quatuor omnino digiti deerant a longitudine quinque regiorum cubitorum.* Huic tamquam heroi ex oraculo Acanthii sacrificant.

Decimo, in Parthia Dio lib. 63. Teridates, inquit, Porthorum Rex Puteolis in Italia præsente Nerone *duos tauros*, μια μεν βολη, uno semel ictu (si tamen credibile est) vulneravit eique confecit: ita Dio. De robustis etiam potest Psalmus exponi, ut vidimus.

Undecimo, in Iodia, ut ait Diodorus Siculus lib. 17. Porus Rex, qui in Alexandrum pugnavit, *cubitis quinque* longus erat, crassitudine autem tanta, ut loricø eius duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent. Quamobrem verutis ab eo proiectis tanta vis inerat, ως μη πολυ λειπεσθαι καταπελτικων βελων, ut non multum a catapultæ iactu abessent. Si, ut Curtius scribit, ab Indis iaciuntur tela duorum cubitorum: ut Arrianus, prope trium: quanta a Poro emittebantur.

125. II. EUROPA, suos quoque gigantes et miri roboris heroes variis temporibus habuit.

In Europa. Primo, ad Mæotidem paludem in Bosphoro Cimmerio inventum est cadaver *viginti quatuor cubitorum*, ut tradit Phlegon lib. de mirabil.

Secundo, ex Thracia prodiit Maximinus, qui humili genere natus, suo robore sibi ad imperium Romanum viam munivit. Nam cum in lucta prostravisset sexdecim gregarios milites, ac deinde septem validos equites cursu pene exhaustus, Severo Imperatori hoc videnti placuit, et ab eo inter stipatores allectus primum, deinde ad exercitum missus, tandem factus est Imperator. *Octo pedum et semis erat proceritate*, tanto robore, ut maiusculos arbores manibus divideret, currum onustum solus loco moveret, equum pugno percussum dentibus nudaret, crura calce perfringeret. Pollice tanto erat, ut uxoris dextrochorio, id est armilla seu brachiali, pro annulo uteretur. Sæpe uno die bibit vini amphoram, comedit libros carnis quadraginta, ut tradit Iulius Capitolinus: aut sexaginta, ut aliis placet. Amphora porro erat genus mensuræ continentis congios octo, hoc est quadraginta octo sextarios. Capit autem sextarius cotulas binas, quæ et heminæ dicuntur.

Tertio, in maris Ægei quadam insula prope Athenas repertum fuisse sepulcrum *centum cubitorum* magnitudine, recitat Apollonius Grammaticus.

Quarto, in Creta terræ motu rupto monte inventum est corpus stans *quadraginta sex cubitorum*, quod alii Orionis, alii Oti fuisse arbitrantur, ut docet Plin. lib. 7. c. 16. Aliud *triginta trium cubitorum*, ut refert Thomas Fazellus 1. Decad. rerum Sicular. lib. 1. cap. 6.

Quinto, in Græcia, ut ait Herodotus lib. 1. Athenis mulier nomine Phya, μεγεθος απο πηχεων τεσσαρων απολειπουσα τρεις δακτυλους, tribus digitis minus statura *quatuor cubitorum*, alioqui formosa. Hanc mulierem omni ornatu cum instruxisset Pisistratus exul, et in currum sustulisset, Minervam esse, quæ reduceret Pisistratum, credidit populus, sicque receptus regnum recuperavit. Et folio 27. in eodem libro ait apud Tegeates repertum esse cadaver *septem cubitorum*, quod Orestis esse crediderunt. Hoc item Aulus Gellius refert lib. 3. Noct. Atticarum cap. 10. sed Herodotum temere eam ob causam vocat hominem fabulatorem.

Si de robore agitur. In Græcia celebratum est robur Cynægiri Atheniensis militis, qui navem hostium onustam retinuit dextera, donec illam amitteret, tum sinistra: qua etiam resecta, ad postremum morsu navem tenuit, ut auctor est Iustinus lib. 2. Omitto Bitnnem, qui taurum humeris ferebat, ut ait Pausanias in Corinthiacis, et rusticum quemdam nomine Herculem, mulum suum portantem, ut est apud Plinium lib. 7.

Sexto, in Albania Regis Scanderbergii, id est, Alexandri Magni, Christiani Principis robur in laude est, qui unico ensis ictu caput tauri, altero maximi apri demessuit: duos prætorea hostes uno simul ictu medios conscidit, ut est apud Iacobum de Laverdin. lib. 12. eius vitæ cap. ult.

Septimo, in Sicilia multi gigantes extiterunt, sicut patet apud Thom. Fazellum Ordinis Prædicatorum l. 1. decad. 1. de rebus Siculis, c. 6. ubi Primo refert ex Ioanne Bocatio lib. 4. de genealogia deorum, ad radices montis Erycis anno 1342. pastores antrum reperisse, in eoque cadaver gigantis, qui coniectura ex ossæ ossæ inita creditus est fuisse *viginti cubitorum*. Secundo, ait Fazellus, Cum Ioannes a brachiis fortibus oppidi cuiusdam Comes domum fabricari iussisset, in fossa repertum fuisse cadaver circiter *viginti cubitorum*, idque accidisse dicit anno 1516. Tertio, prope Melillim oppidum, sepulcra sunt vix credendæ molis gigantum. Petrus Paulus plures inde sumptos dentes dono mihi dedit. Est autem eorum quilibet ponderis unciarum circiter quatuor: ita Fazellus. Quarto, non longe ab Hyccara Siconorum pervetusto oppido antrum est, in quo permulta gigantum sepulcra. Quinto, in agro Panormitano specus est cubitorum plus minus sexaginta, latitudinis viginti, in qua Paulus Leontinus nitrum confecturus anno 1547. incidit in cadaver *cubitorum fere decem et octo*, molares singuli unciarum prope quatuor pondus conficiebant, nostris similes, subalbi, et carie prorsus carentes, quorum duo mihi a Simeone Pigliono donati. Sexto, in agro Syracusano Georgius Adurnus Genuensis, eques Ioannita, classis tum Ordinis sui præfectus specum ingreditur, in eaque pro speratis nummis cadaver hominis *cubitorum viginti* reperit. Septimo, Calatrasis, non longe ob Entella, arx est, cuius præfecto anno 1550. defuncto, dum coloni in templo tumulum fodiunt, reperiunt cadaver hominis *cubitorum circiter viginti duorum*, eius caput decem ferme pedum circuitum metiebatur. Octavo, Petraliæ anno 1552. reperta cadavera plurima *octo cubitorum* proceritate. Hæc Fazellus, qui concludit: *Si singula gigantum cadavera possim in Sicilia casu hactenus eruta recenseam, et dies et instituti ratio me deficiat.*

Octavo, in Italia Henrici III. principatu, Pallantis a Turno interfecti corpus inventum, et ad muros urbis Romæ erectum, illorum pinnas vertice tangebat, ut tradit Ioannes Dalecampius in lib. 7. Plinii.

Nono, in Gallia tempore Caroli VII. Francorum Regis, in Narbonensi Gallia repertum est cadaver *triginta pedum*, ut tradit Fulgosus lib. 1. cap. 6. qui se sepulcrum vidisse ait, atque aliquot ossa. Secundo, regnante Ludovico XI. Caroli filio, e regione Valentiæ Allobrogum in torrente, qui rigat pagum Divi Peratii, gigantis corpus *octodecim pedum* inventum refert Dalecampius loco citato. Tertio, regnante Ludovico XIII. Rege nostro victoriis ac pietate Maximo, reperta sunt in agro Viennensi in Delphinatu gigantis ossa, ex quibus facta coniectura iudicatum est *pedum sex* fuisse a capitis vertice usque ad montum: id refert Iacobus Chiffletius in 4. p. Antiquit. Vesunt. c. 47. et Iacobus de Charron in historia universali Gallorum.

Decimo, in Lotharingia Ducis Godofredi Bullonei robur notum est, quo formidabilem se fidei hostibus exhibuit, atque a Christianis obtinuit, ut dux omnium terram sanctam petentium crearetur, et Rex Ierosolymorum.

Undecimo, in Anglia anno 1171. ossa reperta sunt gigantis, cuius longitudo erat *pedum quinquaginta*, ut ait Sigebertus in Chronico.

Duodecimo, in Scotia ait Corden. lib. 8. de rerum varietate cap. 43. servari ossa Litil-Ihon, id est parvi Ioannis, ex quibus colligitur fuisse *quatuordecim pedum* altitudine.

Decimo tertio, in Dania Skioldus Rex, cum e tutoribus venationis spectandæ licentiam impetrasset, obvium sibi insolitæ granditatis ursum; telo vacuus, cingulo, cuius usum habebat, religandum curavit, necandumque omnibus præbuit. Ab ipso cæteri Reges communi vocabulo Skioldungi nuncupati sunt, ut tradit Albertus Krautzius lib. 1. cap. 5. Chron. regn. Aquilonarium.

Decimo quarto, in aliis regionibus Septemtrionalibus fuerunt gigantes. Nam, ut ait Olaus Magnus Archiepiscopus Upsalensis, Sveticæ et Gothiæ Primas lib. 5. c. 1. Regiones extremæ, videlicet Finmarchia, Biarmia, Saericfinnie, Helsingia, etc. adeo evidentia monimenta gigantum, curiosis seu studiosis inspectoribus ubique exhibent, ut admiratione prævia credere cogantur, tam sublimem saxorum molem, tamque immanem collium congeriem, nullo naturæ compendio, sed portentosis hominum viribus fuisse congestam atque absolutam etiam in campis, sylvis, ac montibus regnorum Sveciæ, Gothiæ, ac Norvegiæ, ubi similia saxa conspiciuntur. Ita Olaus, qui addit cap. 2. In regno Helsingorum, qui nunc parent Regi Sveciæ, gigas erat Hartbenus nomine, tanta præditus magnitudine, ut *novem cubitis* dimensio longitudinis eius protenderetur. De robore autem ac viribus, ait in Sveciæ et Gothiæ provinciis, moderna memoria quosdam tanta fortitudine præditos extitisse, ut quisque eorum in humeros sublatum equum vel bovem maximum, imo vas ferri sexcentarum, octingentarum, aut mille librarum (quale et aliquæ puellæ levare possunt) ad plura stadia portaret: ita Olaus.

126. III. In Africa. Africæ quoque gigantes non defuerunt. Sigebertus dicit, in Uticensi littore dentem gigantis repertum, ex quo dentes centum similes nostris fieri possent.

Et Strabo lib. 17. Nec Gabinius, inquit, Romanarum rerum Scriptor in describenda Mauritania fabulis prodigiosis abstinet. Scribit enim apud Lingem, Antæi sepulturam esse, et compagem ossium cadaveris absumpti, πηχων ἑξηκοντα, *cubitorum sexaginta*, eamque a Sertorio detectam, et rursus humatam. Plutarchus vero fabulam non vocat, ait enim in Sertorii vita: *Ut Sertorius Antæi corpus offendit*, πηχων ἑξηκοντα μηκος, *cubitos sexaginta (ut fama est) longum cæsis victimis tumulum adaggeravit, honoresque et famam eius amplificavit*. Fides sit apud Auctores.

In Æthiopia, Nomades, ait Plin. lib. 6. cap. 30. Cynocephalorum lacte viventes, Olabi, Syrbotæ, qui *octonum cubitorum* esse dicuntur. Et lib. 7. cap. 2. Troglodytas, inquit, super Æthiopiam velociores esse equis, Pergamenus Crates scribit. Item Æthiopes *octona cubita* longitudine excedere. Syrbotas vero gentem eom Nomadum Æthiopum, secundum flumen Astapum ad Septemtrionem vergentium. Suidas tradit Gangem Regem Æthiopum fuisse *decem cubitorum*.

127. IV. In America. Americæ etiamnum regionem habet Patagonum seu gigantum, ut vocat Maginus, in qua homines novem aut decem pedes alti vivunt, sicut apparet in chartis geographicis. Cardan. lib. 8. ait, eos una bucca libras duas carnis aut piscium sumere: tantum vero aquæ uno haustu, ut duodecim hominibus sufficere possit. Patagonum terram a gigantibus incoli scribit etiam Ioannes Hugo de Linschot in historia navigationis suæ, in descriptione Americæ, cap. 17. In Chica regione ad littora S. Iuliani Magellano apparuere homines proceræ magnitudinis, qui dimisere sesquicubitales sagittas per guttur usque ad stomachi fundum, fortitudinis suæ testimonium.

In Mexicana regione ossa ab Hispanis reperta sunt, quæ ostenderent homines illos triplum iustæ magnitudinis hominum nostræ regionis et ævi excessisse: id testatur Cardan. lib. 8.

In Peruano regno, anno 1553. Ioannes de Helmos gubernator portus Veii gigantum ossa reperit, atque in maxillis dentes latitudine trium, et longitudine quatuor digitorum. Statuæ quoque gigantum duæ ibi repertæ, una virili, altera muliebri forma figuratæ. Destructos volunt hos gigantes Peruani a iuvene quodam a cælo lapso, qui Solis instar splendentibus radiis emicaret, eosque flemmis cælestibus ureret, quas fugientes ipsi in spelæa se receperunt, in quibus periisse illos fama erat, ut tradit Ioannes Hugo de Linschot in histor. citata cap. 9.

Tropologice. Gigantes sunt vitia, quæ nos oppugnant. Omnibus enim erant sceleribus contaminati gigantes, ut patet Genes. 6.

Primo, excelsi gigantes sunt symbolum superborum. 128. Gigantes sunt vitiosi.
S. August. in Psalm. nostrum: *Gigas*, inquit, *est aliquis extollens se adversus Deum, velut quia est ipse aliquid in se et per se*. Gigantum vero superborum supplicium ac deiectio optime a Poetis exprimitur, cum eos montibus subiiciant, quibus premantur, 1. enim sub Ætna monte Enceladus ponitur ab Oppiano lib. 1. Cynegeticon, id est, de venatione, e Callimacho, Orpheo, et aliis; 2. Tiphœum a Iove fulmine percussum eodem premi monte fingit Æschylus in Prometheo, Pindarus, Hesiodus, et alii; 3. Numas gigas sub Procbyta concluditur, teste Silio lib. 12. 4. denique, Briaræus qui ab Homero Iliad. 1. vocatur ἑκατονχειρος, id est, centum manuum, et ab Æschylo in Prometheo, ἑκατοντακαρηνος, id est centum capitum, a Neptuno maris Ægæi scopulo alligatur. Et Tityus ab Apolline sagittis conficitur, et iecur vulturi tundendum semper præbet, ut ait Tibullus lib. 1. Lucretius lib. 3. Horatius lib. 3. oda 4. Pausanias vero in Phocicis ait, Tityum habuisse magnitudinem novem iugerum. Fictionis occasio fuit, quod vere sub montibus cadavera gigantum sepelirentur, ut dixi supra, ubi egi de Sicilia. I. Superbi.

Secundo, avaros et terrenorum bonorum amatores in gigantibus notare potes. Hinc Gen. 6. dicitur: *Gigantes erant super terram*, terræ scilicet incubantes, velut lupi, ea ut se ingurgitarent. Ugo Cardin. in Gen. ait, per gigantes recte significari amatores terrenorum, qui revera dicuntur cadentes. Quantumcumque autem isti ascendant in oculis mundi, magis cadunt in conspectu Dei. Avaros quoque vide cum S. Gregor. Nazianz. orat. 19. in gigante Briareo figuratos, affert enim bene parœmiam βριαρεω χειρες, *Briarei manus*, dicíturque de eo, qui nimia aviditate manus in aliena bona iniicit. Briareus enim erat gigas centimanus. II. Avari.

Tertio, gula optime designabitur Briareo, qui, ut ait Plutarch. de multitudin. amicor. centum manibus cibum inferebat in ventres quinquaginta. III. Golosi.

Quarto, luxuriam adverte in Tityo, unde in iecore punitur, sicut canit Horatius lib. 3. oda 4. *Incontinentis nec Tityi iecur*, etc. Eustachius enim ait in Odyss. 11. Καρδια θυμη τις ςτια, και λογιςικη κεφαλη: ητω και ηπαρ επιθυμιας: *Sicut cor domicilium est vitæ, caput rationis: ita et iecur cupiditatis*. IV. Luxuriosi.

Quinto, iram et invidiam, et aliqua alia vitia in Tiphœo gigante picta potes credere, cum apud Natalem Comitem lib. 6. Mythologiæ, paulo post initium, depingitur: *Erat*, inquit, *Tiphœus admirabili corporis magnitudine, quippe qui omnium montium altior esset vertice vel crurum tenus: caput astra tangebat: altera manus ad orientem, altera ad occidentem tendebatur. Ex humeris centum capita draconum eminebant: in cruribus maximas habebat viperarum spiras. Corpus erat totum pennis obtectum, crines impexi, barba prolixa, oculi ignei, ignis ex ore multus ferebat*. V. Iracundi et invidi.

Sexto denique, pigritiam in gigantibus sub ingenti montium mole iacentibus, ita ut in nullam partem se movere possent, delineatam existima. VI. Pigri.

Hi omnes fuere terræ filii.

Hi omnes, velut terræ filii, in lutum et pulverem ebierunt, Deoque frustra bellum inferra conati perierunt. Ovid. lib. 5. Fastor.

Terra feras partus immania manstra gigantes
Edidit, ausuros in Iovis ire domum,
Mille monus illis dedit, et pro cruribus angues:
Atque ait, in magnos orma movete deos.
Extruere hi mantes od sidera summa parabant,
Et magnum bella sollicitare Iovem.
Fulmina de cæli iaculatus Iupiter arce,
Vertit in auctores paudera vasta suos.

Cave sis na gigantæa andecia Deo bellum indicas, ne quæ da gigantibus legnntur in fabula, bæc de te vera loquatur historia.

ARTICULUS IV.

In equitotu non est confidendum.

129. Vers. 17. Equitatui non est fidendum.

NUMERO militum non esse fidendum dixerat Propbeta; 2. monuerat molam at robur illorum peditum non sufficere; 3. nunc eit, ne velocitati quidem ac viribus equorum esse confidendum, vers. 17. FALLAX AQUUS AD SALUTEM: IN ASUNDANTIA AUTEM VIRTUTIS (Hebraice, roboris) SUÆ NON SALVABITUR, supple, equus. Septuag. legerant *iimmalet*, id est, eruetur, extrahetur, liberabitur: nunc vero est ימלט *ismollet*, in Piel, boc est eruet, ut vertit Pagnin. eripiat, ut Vatobl. salvat, ut Wolfgangus. Temere tamen Fober et Cæcus Burgensis varsionem vulgatam bic improbant, et legi volunt, non salvabit. Nam in idem bæc omnia redeunt. Si anim equus salvatur, salvat etiam suum equitem. Arabs utrumque expressit. Naque salvabitur equus, neque salvabitur equitans eum per fortitudinem virtutis suæ.

Nota secundo, pro *fallax* Hebr. est שקר *seeker*, id est, falsitas, fallacia, mendacium. Unde Pagnin. et Wolfgangus vertunt: *Mendacium est equus ad salutem*. id est, mendacissimus, fallacissimus. Mendacium est, cum quid promittimus, at illud non præstamus. Equus autem generosus sua forma, robore, hinnitu, motu, industria, ardore, cursu, impetu, victoriam at salutem promittit, cum sæpe sit causa exitii sessorem in bostes seu volentem seu aliquando invitum immittens, ibique telis eorum et gladiis obiiciens, atqua spem datam fallens. Petavius sic declarat, q. d. Multi equis confisi celeribus, ἵπποισιν ὠκυπόδεσσι, aberrarunt spe: quorum, σθένος ἀκάματον, robur, infatigabile licet, fefellit: neque tristem propulsavit iis interitum.

130. Equus exitio fuit multis.
1. In Iudæa
2. In Armenia.
3. In Græcia.
4. In Polonia.
5. In Germania.
6. In Svecia.
7. In Gothia.
8. In Scotia.
9. In Gallia.
10. In Navarra.
11. In Castella.

Exitio fuit equus in Iudæa Fulconi Regi Ierosolymæ, qui equo lapsus eo casu est extinctus, ut tradit Ritius Neapolit. de Ierosolym. Regibus. Secundo, Fridericus I. Germaniæ Imper. eodem equi casu occubuit, cum iam in Armeniam exercitum traduxisset, ut ait Paul. Æmil. l. 6. Tertio, in Græcia Theodosius iunior, Imper. ut dicit Cedrenus. Quarto, in Polonia Casimirus II. Polonorum Rax, ut refert Cromerus lib. 12. histor. Polon. Quinto, in Germania Ludovicus Bavarus Imper. ut ait Cuspin. Sexto, in Svecia, Adcius Gothorum et Sveonum sive Svecorum Rex, parta de Danis magna victoria, teste Ioanne Magno lib. 8. cap. 22. Septimo, in Gothia, Svereberus Gothorum Rex, ut idem Magnus ait lib. 7. cap. 18. Octavo, in Scotia, Alexander II. Rex Scotiæ, ut docet Hector Boethius lib. 3. bistor. Scotiæ, fol. 291. Nono, in Gallia, Ludovici Crassi filius Philippus, quem paulo ante coronatum Regem salutandum curaverat, dum in suburbano Lutetiæ equitat, occursu fœminæ suo pavefacto equo effusus, ac tam gravi ruina stratus est, ut paucis post boris expirarit, teste Fauyno lib. 5. bistor. Navarræ folio 333. Decimo, in Navarra Garcias Ramirus Rex Navarræ cum Pompeiopolim eques pergeret, ob equo ob rubum attonito, et in posteriores plantas erecto deiectus est atqua contritus, ut idem ait lib. 4. fol. 208. Undecimo, in Castella, Ioannes Rex equum in vervacto, id est in agro verno tempore semel prosciso et quiescente usque ad autumnum, *en un varet* ou *gueret*, agitans, at ad cursum incitans cecidit, et statim interiit, ut refert Mariana lib. 18. hist. Hispan. cap. 13.

12. Seianus equus fuit dominis suis fatalis.

Duodecimo denique, vix quidquam illustrius ad bunc Psalmi locum afferri potest, quam id, quod est apud Gellium lib. 5. cap. 9. de equo Seii, qui secum infortunium domino suo vehere videbatur. Verba Gellii sunt. Ceius Bassus et Iulius Modestus in 2. quæstionum confusarum, Cn. Seium quempiam scribunt fuisse, cumque babuisse equum natum Argis in terra Græcia, de quo fama constans esset, tamquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent, quos Hercules Diomede occiso e Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse baud credibili pulcbritudine, magnitudine inusitata, cervice ardua, vigore et colore exuberantissimo, quem phœniceum sive spadiceum vocant, flava at comanti iuba: cumqua omnibus aliis equorum laudibus longe præstitisse. Sed eumdem equum tali fuisse fato siva fortuna ferunt, ut quisquis eum baberet, possideretque, is cum omni domo, familia, fortunisque omnibus suis ad internecionem deperiret. Itaque primum illum Cn. Seium dominum eius e Marco Antonio, qui postea Triumvir Reipublicæ constituendæ fuit, capitis damnatum, miserando supplicio affectum esse. Secundo, eodem tempore Corn. Dolabellam Consulem in Syriam proficiscentem, fame istius equi adductum, Argos divertisse, at cupidine babendi eius exarsisse, emisseque eum sestertium centum millibus; sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessum atque interfectum esse. Tertio, Mox eumdem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse: Quem Cassium postea satis notum est victis Parthis, fusoque exercitu suo, miseram mortem oppetiisse. Quarto, deinde Antonium post interitum Cassii, parta victoria, equum illum nobilem Cassii requisisse: at cum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum, detestabili exitio interiisse. Hinc provarbium de bominibus calamitosis ortum, dicique solitum: *Ille homo habet equum Seianum*, id est, Cn. Seii. C. Bassus hunc aquum se Argis vidisse testatur.

131. Iudæi vix usi sunt equis.

Nota tertio, Iudæorum Regi præceptum erat, Deuter. 17. 16. *Non multiplicabit sibi equos*, quod de multitudine equorum licet tantum præciperetur, vix tamen ullos babuerunt equos Iudæi ante Salomonem. Causas varias attuli Ps. 19. v. 8. art. 3. Legimus enim Iudices, id est, principes ac duces populi Israel, asinis mulisque vectos, Iudic. 5. 10. et cap. 12. 14. ac Prophetas 3. Reg. 13. 28. Num. 22. 21. filiosque ipsos Davidis Regis, 2. Reg. 13. 24. et Absalonem, qui in pugna mulo insidebat, 2. Reg. 18. 9. captos hostium equos subnervavit Iosue, Deo ipsi id imperante, Iosue 11. 6. et David 2. Reg. 8. 4. ubi postquam dictum est, quod percussit David Adarezer filium Rohob Regem Soba, id est partis Syriæ, quæ inter Libanum et Antilibanum ac Hermon iacet, et vocatur a Græcis Cœlesyria, id est cava Syria, ob demissam planitiem, cum profectus est, ut dominaretur super flumen Eupbratem, qui erat terræ a Deo Iudæis promissæ limes ad Orientem: sicut mare mediterraneum ad occidentem; cum inquam David percussisset Adarezer, additur: *Et capiis David ex parte eius septingentis equitibus* (præcipuis scilicet ac nobilioribus. Nam 1. Paralip. 18. 4. dicitur cepisse septem millia equitum) *et viginti millibus peditum subnervavit* (incidit nervos et suffragines) *omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus*. an etiam cum equis eorum non declarat, id certe est probabile, cum nulla Lex prohiberet Regi, imo ne privatis quidem, aliquot equos habere, præsertim ad currus. Multitudinem equorum vetuerat Deus, tum quia in Iudæa regione montosa non erat magna utilitas equitatus, tum quia ex Ægypto maxime emendi fuissent, tum præsertim, ut in uno Deo spem suam collocarent. Ut enim ait ipse Salomon Prov. 21. 31. *Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem tribuit*. Sept. A Domino auxilium. Vide S. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 9. et 19. ubi equi nomine rectam intentionem accipit, Deum

vero sua gratia dicit res ad exitum perdocare. Displicet autem Deo, qui in suis viribus aut equorum suorum confidit. Unde Ps. 146. 10. *Non in fortitudine equi voluntatem habebit* (id est delectabitur, sibi placebit) *nec in tibiis* (cruribus) *viri beneplacitum erit ei*, q. d. nec in equitatus, nec in peditatus robore consistet victoria e Deo data, non favebit Deus equitatu aut peditatu adversarios superantibus, et iu illis confidentibus. Itaque dicit Deus Isaiæ 31. 1. *Væ qui descendunt in Ægyptum* (id est, qui modis illicitis potentiam sibi quærunt) *ad auxilium, in equis sperantes.* Et Deuter. 20. 1. *Non vult timeri a suo populo equitatus, et currus, et multitudinem exercitus.*

132. Auxiliis et præsidiis humanis est utendum. Nota quarto, non esse negligenda humana præsidia. Sicut enim, qui in mari tempestatem adventantem vident, primo Deum invocant, deinde vela contrahunt, anchoras iaciunt, et omnia ad vitandum periculum necessaria præparant: sic qui in pugna versantur, ad Deum primum oculos et cor dirigant, deinde manum ferrumque in hostes. Hinc, ut ait Plutarchus in Apophtegm. Carilaus rogatus, cur Spartæ omnia deorum simulacra essent armata, respondit: *Ne, quæ opprobria hominibus obiiciuntur ob ignaviam, in deos referamus, ac ne inermes nostri iuvenes diis vota nuncupent.*

Equus autem ad salutem in pugnis maxime usui est, si Dei non desit auxilium, tum ob robur, cum in hostes impressio facienda est, tum ob velocitatem, cum fuga sibi consulendum. Hinc Marti dicatus erat. Plinius lib. 8. cap. 42. narrat, Sarmatas longinqua itinera acturos, inedia præparare equos suos, exiguum tantum potum impartientes, atque ita per *centena millia et quinquaginta* continuo cursu euntibus insidere. Et quidem hi ad fugam erant optimi. Bucephalus vero in pugna insignis erat, qui quos Alexander manu et armis feriebat, morsu laceratos calcibus proterebat. Occiso Scytharum regulo ex provocatione dimicante, cum victor ad eum spoliandum venisset, equus iniuriam illatam domino non ferens, eum ictibus morsuque confecit. Iulii Cæsaris equus humanis anterioribus pedibus erat: prope humana docilitas, et vis, atque industria in equis aliquando cernitur. Vide Ps. 31. 9.

ARTICULUS V.

Radii septem divinæ providentiæ erga viros pios.

DIXERAT supra David v. 13. et 14. Deum aspexisse omnes homines. Deinde declaravit benigno oculo ac favente non aspicere sceleratos in equis et suo robore spe-
133. Vers. 18. rantes. Denique Psalmum concludit demonstrans favorem eius erga pios, v. 18. ECCE OCULI DOMINI SUPER METUENTES EUM (id est, super eos, qui eum reverentur et colunt. Sæpe metus seu timor sic sumitur in Scriptura. Arabs vertit, *super colentes eum.* Syr. *super iustos.* A timore Dei oriuntur religio et iustitia velut a radice.) ET IN EIS QUI SPERANT SUPER MISERICORDIA EIUS. Facile est sperare positos super Dei misericordia, bonus hic currus est, et suavis lectica. Hebr. *Sperantes in misericordia eius*, q. d. intra ipsam positos; misericordia enim aperit cor Dei, ut intra illud miserias nostras ponat, si tamen in hoc felicitatis fonte manet ulla miseria. Arx est impenetrabilis, in quam nulla hostis tela intrant. Syrus vertit, *qui expectant gratiam eius*, velut athletæ oleum in stadii initio, et coronam in fine.

Timor et spes oculos aperiunt. Nota primo, metus Dei nobis aperit oculum sinistrum, ut Deum aspicientes revereamur: Spes vero dextrum, ut ad illum advolemus. Ps. 122. 2. *Sicut oculi* (unus non sufficit) *ancillæ in manibus* (utraque spectanda est, tam puniens quam blandiens) *dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Manus utraque Dei est aspicienda, et pes uterque osculandus. S. Bernard. serm. 7. in Cant. *Felix mens*, ait, *cui semel Dominus Iesus utramque infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam, quæ huiusmodi est, quæ secum necesse est referat divinis impressa vestigiis. Ipsa sunt timor et spes: ille iudicii, ista misericordiæ re-*
A *præsentans imaginem. Alterum sine altero osculari non expedit: quia et recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, et misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* De spei et timoris coniunctione vide Ps. 2. v. 11. Reiiciendi itaque sunt Epicuræi, de quibus Plutarchus in Mor. Quemadmodum a piscibus Hircanis nec boni quidquam expectatur nec mali: sic Epicuræi, nec turbari nos volunt deorum metu, nec delectari benevolentia: ita Plutarchus. Bivium vocant Hebr. פתח עינים *petach enaim*, id est apertionem oculorum: quia aspiciendum ibi est, utram viam inire debeamus. Chald. Genes. 38. 14. vertit, divisionem oculorum. Oculum spei et timoris divide, ut modo hoc, modo illo venientem ad te Deum aspicias, et ad cælum cum ipso ambulans pervenies. Non tantum oculos dant timor et spes, sed etiam fides. Hesychius alludens ad id, quod dictum erat: *Fallax equus ad salutem*, sic ait: *Vis fortem equum? timorem Dei sume: vis infractam et impenetrabilem armaturam? spem in Deo capias, qua qui utuntur, nullo pudore suffundi solent, atque*
B *ita Deum propugnatorem habebis, qui oculos in te ad salutem coniicit, ut ab illis directus, nunquam errare possis.*

Nota secundo, se cum timore et spe aspicientes Deus aspicit: *Oculi Domini super metuentes eum, etc.* veluti lampades ac faces super pharum, et Sol super cælum, ut omnes eorum luce promoveat; 2. et potius, sicut Domini super servum, et matris super filium, et ducis super militem, ut eum dirigat et animet. Ubi adverte eum aspectum denotare, 1. amorem; 2. curam et providentiam; 3. delectationem; 4. æstimationem et admirationem; 5. perspicaciam intima pervidentem; 6. constantiam protectionis. Iesus filius Sirach ait Eccli. 15. v. 20. *Oculi Domini ad timentes eum, et ipse agnoscit omnem operam hominis.* Syrus, et novit omnes cogitationes hominis. Tigurina benevolentiam maiorem notat, vertit enim: *Oculis suis reverentes ipsum aspicit, et omne opus hominis cognoscit.* Oculi, ut ait Aristotel. lib. 1. histor. animal. in cerebrum finiunt; et cap. 16. meatus, inquit, ab oculis terni ad cerebrum pertinent. In cerebro autem est sedes prudentiæ 134. Deus metuentes se aspicit et quomodo?
C et providentiæ. Deus itaque aspiciens Iustum est illi providens. Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus totus est sensus, totus visus*; a θεᾶσθαι seu θεᾶσθαι a Græcis dictum θεὸν putat S. Ioannes Damascenus lib. 1. de fide cap. 12. Ipse totus est lux, ait Augustinus. Psalm. nostr. locum, quem aspicimus, illustrat idem Iesus Sirach cap. 34. v. 19. *Oculi Domini super timentes eum* (Tigurina, amatores suos respicit Dominus) *protector potentiæ*, (id est potens) *firmamentum virtutis* (στήριγμα ἰσχύος, id est fulcimentum validum) *tegimen ardoris*, (σκέπη ἀπὸ καύσωνος, tegmen ab ardore) *et umbraculum meridiani*, σκιὰ ἀπὸ μεσημβρίας, tegmen a meridie. Alludit ad Isaiæ cap. 4. v. 6. et ad Ps. 90. 5. *deprecatio offensionis*, φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, custodia ab offensione, *adiutorium casus*, βοήθεια ἀπὸ πτώσεως, auxilium a casu, id est, ne cadamus, et ut post casum resurgamus: *Exaltans animam, et illuminans oculos.* Syrus, lætitia cordis et lumen oculorum: *Dans sanitatem, vitam et benedictionem.* Syrus vertit: *Est sanitas vitæ et benedictio* (causaliter non formaliter) *omnia hæc dupla super iustos*
D *veniunt*, ut patet in benedictione Iacob præ benedictione Esau, licet Isaac oculis caligaret. Deus est videns, et videntium, id est Prophetarum et Sanctorum, oculus semper vigil et nunquam caligans, itaque in sua benedictione non aberrat. 135.

Vers. 19. I Pars. Septem radii divinæ providentiæ erga iustos. 1. Eorum conservatio a morte. Primus radius ex oculis Dei, velut Solis infiniti, est Sanctorum veluti florum paradisi vivificatio, et in vita vigente et florente conservatio, v. 19. UT ERUAT A MORTE (velut e lupi faucibus, aut e Cerberi dentibus, atque inferorum cavernis, et unguibus diaboli. Non eruitur enim, nisi quod captum est, atque cum quadam violentia tenetur, et repetenti non redditur) ANIMAS EORUM. Hebr. *animam eorum.* Act. 4. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* In uno enim Deo et in una fide atque in uno baptismate uniuntur credentes, qui vero inter se dividuntur animis, sunt infideles, et spe infidelibus te-

triares: cum unitatem fidei, et charitatis quæ est Deus, qui omnium animarum sanctarum est anima et vita, discindant.

Nota, a duplici morte eruit servos suos Deus. Primo, a corporali, velut Mosem ab undis Nili et a gladio Pharaonis, Ezechiam a vi morbi, Davidem a peste mirum in modum grassante. 1. Regum 5. 6. et 12. morbus pestilens Azotiorum, vocatur *mors*: S. Cyprianus fecit tractatum de mortalitate, id est de peste. Vernacule dicimus *la mortalité*. De qualibet tamen morte violenta hic mortem accipe. Secundo, per mortem intellige tropologice peccatum. Est enim mors animæ eo funestior, quo anima præstat corpore. Ut enim ait S. Bernardus serm. de Apostolis Petro et Paulo: *Non vivit, qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris vitiis inficitur. Quia non hoc vivere, sed vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis.* Et Aristoteles ipse interrogatus, in quo differant disciplinati ab indisciplinatis: *Sicut*, inquit, *viventes a mortuis*. Ab hac animæ morte eruit Deus. Ps. 77. 35. *Deus excelsus redemptor* (Cassiodorus, liberator) *eorum est.* Christus vitam se vocat Ioan. 16. Eleganter et vere Crysol. serm. 71. *Sit*, inquit, *terra cælum; vita, Deus: tempus, æternitas: patria, requies: census, innocentia: honor, immortalitas: fama, castitas: Deus, totum.*

136. Vers. 19. 2 Pars. II. Nutritio continua. Secundus divinæ providentiæ radius est nutritio continua et indeficiens, etiam cum succus aliis deest, v. eodem 19. ET ALAT (Hebraice, et vivificet) EOS IN FAME, q. d. ita alat, ut vividi sint, sani, vegeti et alacres: dum necessaria aliis desunt, ibi superfluunt et abundent. Arabs vertit, *in die angustiæ satiabit eos.* Ex hoc conclude primo, iustis non esse timendam afflictionem. Secundo, etiam esse amandam quia, tunc Deus satiat. Luc. 1. v. 33. *Esurientes implevit bonis*, dat bona aliis, sed esurientes implet. 1. Regum 2. v. 5. *Repleti prius pro panibus se locaverunt*, et *famelici saturati sunt.*

137. Triplicem cibum dat Deus. I. Corporeum. Nota, de triplici cibo potest hic locus intelligi. Primo, de cibo corporeo. Nam Deus suis illum non denegat, cum res exigit, et ab eo petitur. Ps. 33. 11. *Divites* (S. Hieron. Leones) *eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Eutychianus Papa epist. 2. Quærentibus autem Dominum non deerit omne bonum. Isaiæ 65. 13. id dicitur. Ps. 144. 15. ait David: *Oculi omnium in te sperant* (non potest aspici Deus, quin benignitas et splendor vultus eius nostram spem excitet) *Domine: et tu das escam illorum in tempore opportuno.* Vide illum locum. Apollinaris vertit, κατ αχρειας αρμενον ειδαρ, secundum necessitatem convenientes cibos. Si avium et volucrum atque animalium tot speciebus diversos et congruos dat cibos Deus, quid faciet servis, amicis, filiis, atque hæredibus? Etiam cum fames est aliis, ipsi abundant. Ps. 36. 19. *Non confundentur in tempore malo* (in variis calamitatibus) *et in diebus famis saturabuntur.* Vide ibi dicta, et præsertim v. 25. eiusdem Psalmi.

II. Gratiam. Secundus cibus, qui nunquam deest iusto, est cælestis gratia et inspiratio, qua conservatur et augetur vita animæ et robur. Christus ait Matthæi 4. v. 4. *Non in solo pane vivit homo: sed in* (id est ex: est enallage præpositionis) *omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ad litteram, omni verbo, id est, omni re quam Deus ordinarit ad vitæ sustentationem. Hinc Abulensis in Deuter. 8. v. 3. ait: Si Deus mandaret comedere colubros, basiliscos, lapides, æs, et similia, melius illis quam delicatissimis cibis nutriremur: nam Deus illa in succum et chilum præstantem converteret. Verbum pro re sæpissime ponitur apud Hebræos per metonymiam. Tropologice autem verbum Dei est eius inspiratio. De illo cibo ait Isaias, seu Deus potius, Isaiæ 65. v. 13. *Ecce servi mei comedent, et vos esurietis: ecce servi mei bibent, et vos sitietis.* Samaritanis hanc famem intentat Deus per Amos prophetam cap. 8. 11. *Ecce dies veniunt* (obsidionis Samariæ per Salmanasar, et animæ per dæmones) *dicit Dominus: et mittam famem in terram:* (in animum terrenum) *non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.*

III. Eucharistiam. Tertius cibus, quo alitur et vegetatur anima, est Eucharistia, Ioannis 6. 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Habet vitam æternam, ait Dionysius Carthusianus, 1. qui habet meipsum; 2. qui habet vitam gratiæ, quæ virtute huius Sacramenti continuatur, donec ad vitam gloriæ sempiternæ pertingat. S. Cyrillus Alex. dat rationem, quia caro Christi est caro Dei, quæ verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, vivificata effecta est. De hoc Eucharistiæ effectu dixi Ps. 21. 27. in illud: *Edent pauperes et saturabuntur, vivent corda eorum* (S. Hier. cor eorum. Eucharistia est unio voluntatum, unde non est accedendum ad altare cum discordia) *in sæculum sæculi.* Vide etiam Ps. 22. 5. de variis effectibus cibi illius vivifici.

Nota secundo, ut plurimum prosint cibi spirituales, debent sumi cum fame. Matth. 5. v. 6. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam* (generaliter sumptam, id est complexionem omnium virtutum) *quoniam ipsi saturabuntur.* S. Hieron. Non sufficit, inquit, velle iustitiam, sed esurire: ut per hanc famem nunquam nos satis iustos esse credamus, sed semper iustitiæ opera esurire intelligamus. S. Leo sermone in festo omnium Sanctorum: *Nihil aliud est*, ait, *diligere Deum, quam amare iustitiam.* Nauseanti stomacho cibus non prodest, ne si vel ipsum sit manna cibus Angelorum. S. Ambros. 6. Hex. notat, oves sub hyemis adventu inexplebiles esse ad escam, et insatiabiliter herbam rapere, quod hyemis asperitatem præsentiunt affuturam: ut prius se herba impleant, quam deficiat. Cum sentis frigus improborum, cum quibus debes versari, aut frigus animæ tuæ, cibi cælestis famem in te excita.

138. Vers. 20. III. Radius providentiæ est auxilium in negotiis. Tertius divinæ providentiæ radius est, auxilium in negotiis, calor scilicet divinus in venas nervosque infusus, et intimas medullas permeans, et ad agendum fortes faciens ac ferventes, v. 20. ANIMA NOSTRA SUSTINET DOMINUM: S. Hieron. Felix et Pagninus, expectavit Dominum. S. Augustinus, anima nostra patiens erit Domino. Chaldæus, anima nostra expectat redemptionem Domini. QUONIAM (Hebraice, deest illa particula causalis) ADIUTOR (Hebraice, auxilium) *et protector* NOSTER EST. S. August. pie et ingeniose de Deo sic loquitur, in Matth. 6. Pater noster: *Deus*, inquit, *est in seipso, ut α et ω. In mundo sicut rector et auctor. In Angelis, sicut sapor et decor. In Ecclesia, sicut paterfamilias in domo. In animo, sicut sponsus in thalamo. In iustis, sicut adiutor et protector. In reprobis, sicut pavor et horror.* Moses filium suum primogenitum vocat Gersam, id est advenam, peregrinum. Alterum, Eliezer, id est auxilium Dei: ut et suam abiectionem, et Dei benignitatem declaret.

IV. Est protectio. Quartus divinæ providentiæ radius est instar tegminis, totum hominem circumdans, et stygios vespertiliones impediens, ne accedant et noceant. ET PROTECTOR NOSTER EST: sicut Mosi ad tabernaculum fugienti, et nube fulgenti circumdato, post mortem Core, Dathan et Abiron, et 250. procerum, qui ambiebant sacerdotium, et cum thuribulis pergebant ad Sanctum, ut in altari thymiamatis incensum adolerent. Cum enim sequenti die murmuraret populus, ac diceret: Vos interfeciatis populum Domini, ut seditio oriretur, et tumultus increseceret. Numer. 16. v. 43. *Moses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini*, id est, splendor quidam solito maior in nube. Septuaginta pro *protector* habent, υπερασπιστης, id est, strenuus propugnator, qui clypeo suo aliquem protegit. Lacedæmoniorum enim clypeus, proprie rotundus, vocabatur ασπις, sicut scutum exiguum Thracum et Amazonum, quod Lunæ semiplenæ imaginem referebat, vocabatur, πελτη, pelta. Hinc συνασπιζω, id est confertis clypeis pugno, testudine facta pugno, υπερασπιζω, strenue clypeo protego, ut usurpant Polybius, et S. Basilius. Alludit porro David ad illud Genes. 15. 1. ubi Deus Abrahamo post confectum bellum Sodomiticum, atque victorism, et gratias sibi actas per Melchisedech regem Salem, id est, Ierusalem, ait: *Noli timere Abram* (id est pa-

ter excelsus. Cælestia quære, et non timabis terrenos bostes ac tartareos) *ego protector tuus sum*. Hebr. ego sum scutum tuam. Septuag. ego hyperaspistes tuus, q. d. ego to præcedo semper et protego, sicut ducem at capitaneam fortis miles eum præiens, et scuto tegens sub quo lateat, et unde veiat ex insidiis in hostem erumpat, ut est apud Homerum. Vide dicta Ps. 5. vers. ultim. et Ps. 117. 6.

139. Vers 21. V. Est lætitia. Quintus divinæ providentiæ radius cor ipsum permeat, et spiritibus vitalibus, animalibus, et naturalibus vivificatis et expurgatis, totum pectus lætitia complet, v. 21. QUIA IN EO LÆTABITUR COR NOSTRUM, non est superficie tenus appareos piorum lætitia, fundum ipsum animæ penetrat. Arabs, *corda nostra*. Unus bic fons lætitiæ omnibus sufficit; est enim fons infinitus atque inexbaustus, et indeficiens. Psal. 104. 3. dicitur: *Lætetur cor quærentium Dominum*. Quid faciat cor invenientium amicum, patrem, præceptorem et illuminatorem. Chaldæus ibi vertit, lætetur cor illorum, qui quærunt doctrinam a conspectu Domini. Facies Dei liber est, in quo omnia scripta sunt, quem qui aspicit, primo aspectu doctus fit et doctor. Etiam in exilio lætitia est a longe spectantibus repromissiones. Ps. 5. v. 12. *Et lætentur* (Hebraice, lætabuntur) *omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt* (Vatabl. perpetuo vocibus lætis perstrepent) *et habitabis in eis* (velut chorugus et præcentor: et ipsi babitabant in te, velut chordæ in sua cythara et psalterio, ut ibi lætos cantus resonent. Unde additur) *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*, id est te; 2. famam tuam et laudem; 3. nomen Domini, q. d. qui amant te Dominum, id est, qui in animo sunt servi tui. Tales fuere Martyres, qui spe gaudentes, Rom. 12. v. 12. gloriabuntur in tormentis. Unum nostrum Ogilbeum affero. Hic anno Christi 1615, primus in Scotia pro fide orthodoxa mortuus est. Cum octo integros dies stilis, aciculis et acubus cum assidue pungendo, iugiter vigilare coegissent, atque ocreas crurifragiales, et acerbissima quæque minarentur, athleta Christi respondit: *Egregii carnifices: ego vos omnes in hac causa nihili facio. Agite pro hæretico vestra molitia, vos non curo. Rogavi neminem, rogabo nunquam, sprevi semper. Possum et volo pro hac causa pluro libenter pati, quam vos una cum omnibus inferre potestis. Desinite mihi talia obiicere, hæc lymphatis fœminis obtrudite. Me ista accedunt, non consternant: ista non aliter rideo, quam crepitus tot anserum.* Nec verbis tantum inanibus hæc iactabat, sed tortores etiam invitavit, ut promissa sibi tormenta inferrent, et exultans dicebat: *Ego glorior causa, et triumpho pœna toli, omnia possumus in eo, qui nos confortat.*

Soli Deum comparat Iamblicbus l. de Mysteriis: Nam sicut orientem solem tenebræ sustinere non possunt, sed subito fugiunt solem nihil impedientes: sic undique refulgente potestate divina, quæ omnia bonis replet, perturbatio omnis locum non habet, sed repente disperditur. Richard. a S. Victore hoc luculenter prædicat in cap. 1. Apoc. *Flamma ignis*, inquit, *lucem et calorem tribuit, terrorem incutit et exurit. Oculi Dei sicut flamma ignis sunt: quia electos respiciens illustrat luce sapientiæ, calefacit amore iustitiæ: reprobos autem respiciens terret ferocitate comminationis, et incorrectos exurit incendio damnationis.*

140. Vers 21. 2. Pars. Nota, το *quia*, censet Lorinus poni pro *et*, vel pro *certe*. Sed melius dic esse causale, et referri ad το *sustinet*. Nam expectamus Deum spe lætitiæ, et eius arrha.

VI. Spes in adversis. Sextus radius divinæ providentiæ, nempe spes in adversis, singulus mentis potentias pervadit, et grata luce complet, v. eod. 21. ET IN NOMINE SANCTO EIUS SPERAVIMUS. Petavius eleganter vertit, ελπιστιν ημετεραις επι τουτο ονομα γραφοντων, id est, *qui spei nostræ nomen eius inscribimus*, velut oves nomen Domini, velut servi nomen heri, velut subditi nomen Regis, velut filii nomen patris, velut sponsæ nomen sponsi, quod sit non solum signaculum super cor, et super brachium, sed super frontem, vultum, os, humeros, femur, ac totum corpus, ut eo viso hostis aggredi non timeat, ad quorum opem videt advolaturum, tanquam ad rem sibi sacratam, orbis totius dominatorem. Vatabl. reddit, *eo quod sancto ipsius nomine nitimur*, non baculo arundineo Ægypti. Eo nixi baculo transibimus Iordanem, id est fluvium iudicii, et perveniemus in Haran, id est ardorem, hoc est ad charitatem. Syrus, Haran est libertas, quæ per charitatem corda dilatato, et timore excluso obtinetur: matrimonium initur cum pulcherrima Rachela, quæ ovem significat, id est contemplatione innocente fruimur: et cum fœcunda Lia, quæ idem est atque laboriosa, hoc est vitam activam exercemus cum fervore.

Nota primo, sperare *in nomine Domini*, maiorem vim habere videtur, quam simpliciter *in Domino*. Est enim sperare nominatim in ipso Domino, et propria appellato, aut nomini ipsi profiteri virtutem quamdam inesse: aut ideo sperare, quia celebre sit nomen, rumor, fama, de Dei potentia et benignitate: ita Lorin. cui tamen non assentior in eo, quod dicit το *et* valere *quia*. Non est enim necesse, sed melius sumetur in propria significatione, q. d. anima nostra sustinet Dominum, quia in eo lætabitur cor nostrum, et quia in nomine sancto eius speravimus.

Nota secundo, nomen Dei sanctum est. Primo, quia, ut ait S. Basilius, omnis Dei proprietas, et eorum intelligentia, quæ ipsi eminentissime adesse contemplamur, sancta est, atque ab omni impuritate seiuncta. Secundo quia Dei nomen dignum est, quod ab omnibus honoratur tamquam sacrum. Ideo prophani sunt et puniuntur, qui illud blasphemant, sicut de Ægyptiis et eorum rege Pharaone habemus Isa. 52. 4. et seq.

Nota tertio, nomen Dei sanctum est præcipue nomen Iesus, de quo sic ait S. Bern. serm. de Nativ. *Venit medicus ad ægrotos, venit redemptor ad perditos, venit via ad errantes, venit vita ad mortuos, venit cum salute, cum unguentis, cum gloria; nec sine salute Iesus, nec sine unctione Christus, nec sine gloria venit Dei Filius.* Secundo, nomen Dei sanctum est Christus, quod est nomen dignitatis, id est unctus, in Regem scilicet atque Pontificem, et Prophetam. Ab eo nomine dicimur Christiani, q. d. sub Christi nomine militantes, Christi nomine et charactere in Baptismo et Confirmatione insignes, eo duce gloriantes, et in illo spem reponentes. Nam, ut ait S. Basilius hic: *Satis est nobis quod Christiani nominemur*, προς το πασαν εφορμην την απο των εναντιων, επηρειαν, *et inimicorum omnem impressionem, et insultus omnes effugiamus.* S. Ludovicus Francorum Rex vocari se Ludovicum a Possiaco gestiebat, quod in eo oppido baptizatus esset, dicebatque nullam se ullam insigniorem retulisse victoriam, quam cum baptizatus esset: tunc enim maximum et fortissimum hostem dæmonem protriverat. De nomine Iesu vide Psal. 8. v. 1. de nomine Christi, Ps. 44. v. 8.

Septimus denique divinæ misericordiæ radius, nempe misericordia usque ad vitæ finem, caput iustorum pulcherrima corona circumdat, v. 22. FIAT MISERICORDIA TUA DOMINE SUPER NOS: QUEMADMODUM SPERAVIMUS IN TE. Misericordia Dei est super nos. Primo, quia datur supra merita. Secundo, quia datur supra potestatem; non enim *sufficientes sumus cogitare aliquid* (boni, quod ad fidem, gratiam, meritum, et salutem æternam pertineat) *a nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Tertio, quia supremam mentis nostræ partem præsertim attingit et coronat. Quarto, quia ad superna, cælestia et divina nos elevat, nec vult humi nos serpere et iacere. Quinto, et simpliciter ac propria, *super nos*, id est propinqua nobis, atque unita, a nobis inseparabilis, nobis impressa et inscripta, tenaciter et constanter nobis tua misericordia adhæreat, nos cingat et vestiat, atque instar loricæ nostræ menti impositæ tueatur, sit nobis galea caput tegens et coronans. S. Bernardus extollit bano Dei misericordiam: *Quam*, ait, *dives es in misericordia, quam magnificus in iustitia, quam munificus in gratia, Domine Deus noster: Non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator piissime, gratis respicis humiles, recte iudicas innocentes, misericorditer etiam salvas peccatores.* 141. Vers. 22. VII. Misericordis usque ad finem vitæ.

Nota secundo, *Fiat* dicitur, non vero *facias*, aut aliquid simile, ne illa misericordia videatur tantum opus Dei, vel tantum opus hominis. Sicut habetur Matthæi 6. 10. *Fiat voluntas tua.* Est enim opus gratiæ, et liberi arbitrii. Sicut terra nec sine semine fructificat, nec sine terra semen: sic de gratia et libero arbitrio: ita Ugo Cardinalis. Optat David cooperari gratiæ, et dicere sicut Paulus postea, 1. Cor. 15. 10. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, q. d. ego et gratia simul, velut duo eidem iugo colligati, et illud unitis viribus trahentes, et coadiutores Dei facti.

142. Misericordia Dei nos iuvat proportione servata. Moraliter nota. Tanta erit erga te Dei misericordia, quanta fides tua, spes, charitas, et aliæ virtutes. Primo, Christus duobus cæcis, qui se filium Davidis, id est Messiam confitebantur, dicentes Matth. 9. 27. *Miserere nostri fili David;* et cum statim non exaudirentur, magna

I. Fidei nostræ. fide eum sequentibus usque ad domum, quam habebat in Capharnai urbe sita ad mare Galilææ, ait tangens oculos eorum, v. 29. *Secundum fidem vestram fiat vobis*, statim aperti sunt oculi eorum, id est, visum receperunt. S. Cyprianus epist. 9. dicit: *Dat credentibus Deus tantum, quantum se credit capere qui sumit.*

II. Spei. Secundo, pro spei proportione dat Deus: *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.* Ps. 80. v. 11. dicit Deus populo suo, quem eduxit de Ægypto, id est a vitiis: *Dilata os tuum* (spem tuam amplifica in oratione, quantum potes) *et implebo illud*, meliori melle, quam quod fuit in ore aperto leonis, id est, viri fortis et sibi præfidentis. Ideo postulat David Psal. 50. 17. *Domine labia mea aperies.* Chald. addit, in lege tua. Non vult Deum orare, et ab eo postulare compressis labris, et corde angusto, spem et amorem suum vult dilatare, ut secundum illam dilatationem dona percipiat. Ps. 9. 17. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (desidera prius, si vis exaudiri) *præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Chald. *Aptabis cor eorum* (sicut magnum vas electionis, id est, electum) *arrigesque aurem tuam* (attente, avide, et hilariter, ac benevolo advertens) *ad orationes eorum.* Tamdiu fluxit oleum, id est, misericordia Dei, quamdiu habuit vidua vas paratum, in quod illud infunderet, 4. Reg. 4. 6.

III. Charitas. Tertio, pro charitatis proportione dat Deus sua dona. Magdalena, quæ erat peccatrix in civitate, non Ierusalem, ut aliqui volunt, sed Naim, ut Francisc. Lucas; vel Magdalum, ut alii probabilius, inde enim habet nomen; Magdalena, inquam, illa tam execrabilis recepit magnam misericordiam, quia magnam habebat charitatem. Luc. 7. 47. ait Christ. *Remittuntur* (Gr. αφεωνται, *remissa sunt*, in præterito: quando scilicet a Deo illuminata actum contritionis et amoris Dei super omnia elicuit, quibus actibus incitata venit in domum Simonis leprosi, et procidit ad pedes Iesu) *ei peccata multa* (et pœna iis debita) *quoniam dilexit multum.* Ut enim dicit S. Greg. hom. 33. in Evang. *Incendit plane peccati rubiginem, quia ardet valde per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur.*

IV. Omnium virtutum. Quarto denique, pro virtutum omnium proportione, Deus dat dona sua. Matth. 7. 1. Christus monens, ut nolimus iudicare temere alios, ait: *Nolite iudicare, et non iudicabimini. In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: et in qua* (id est in quali) *mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Item, mensura eadem condonabit nobis Deus, qua aliis condonaverimus. Ibid. cap. 6. 12. *Dimitte nobis debita* (Arabs, peccata) *nostra: sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est, his, qui peccaverunt in nos, ut Arabs reddit.

Hi sunt igitur septem radii divinæ providentiæ. Primus, liberatio a morte. Secundus, subsidium in fame. Tertius, auxilium in negotiis. Quartus, tegmen in insultibus. Quintus, lætitia in prosperis. Sextus, spes in adversis. Septimus, misericordia in omnibus. Hi sunt septem oculi Dei, de quibus Zacharias Propheta cap. 4. v. 11. *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in universam terram.* Syr. et Arabs vertunt, qui intuentur universam terram. Intuentur, et discurrunt, sicut radii Solis non deserunt cælum, et sunt tamen in tota terra, quam cælum quodammodo faciunt. Plato certe vult terram esse unam stellam, et quidem lumen suum reflectit usque ad lunam. Secundo, hæ sunt *septem lampades ardentes ante thronum* (Dei) *qui sunt septem spiritus Dei*, Apoc. 4. 5. Tertio, hi sunt septem oculi Agni, Apoc. 5. 6. Quarto denique, hæ sunt stellæ septem, quas Christus tenet in dextera sua, ibid. cap. 1. 16. De Deo, recte ait S. Bernardus de lamentatione B. Virginis Mariæ: *O immarcessibilis decor Dei excelsi, et purissima claritas lucis æternæ, vita omnem vitam vivificans: lux omne lumen illuminans, et conservans in æterno splendore. Mille millena lumina fulgurantia ante thronum divinitatis tuæ a primo diluculo.* Eusebius lib. 1. de præparat. Evang. cap. 6. censet Osiridem esse solem, Isidem vero lunam, et vocari Osiridem quasi multioculum. Habet enim sol multos radios, quasi multos oculos, quibus non tantum terram aspicit, sed etiam calefacit et fœcundat. In cuiusdam oculis reperta et lecta est hæc vox, *amor*, Dei oculus, quo nos intuetur, totus amore plenus est, imo amor est. Nos vicissim ad eum oculos erigamus. Ps. 25. 15. ait David: *Oculi mei semper ad Dominum.* Et quidem iuste. Ut enim ait Hugo lib. 1. de claustro animæ: *Sicut nullum momentum est, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate et misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computa perdidisse.* Sine Deo os in tenebris et caligine, cum ipso autem in luce et splendore. De Christo ait Iacob prophetans Gen. 49. 12. *Pulchriores* (Hebr. חכלילי *chaclili*, id est, rubicundiores, ardentiores, magis radiantes et fulgentes) *sunt oculi eius vino.* Oculi Christi sunt eius providentia, quæ continet cognitionem, et amorem, seu curam.



PSALMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

1. David, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit *(1. Reg. 21.)*

2. BENEDICAM Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.
3. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti et lætentur.
4. Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen eius in idipsum.
5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me: et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
6. Accedite ad eum, et illuminamini: et facies vestræ non confundentur.
7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: et ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum.
8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.
9. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.
10. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.
11. Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
12. Venite filii audite me: timorem Domini docebo vos.
13. Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?
14. Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum.
15. Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem et persequere eam.
16. Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum.
17. Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.
18. Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
19. Iuxta est Dominus, his qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.
20. Multæ tribulationes iustorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus.
21. Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.
22. Mors peccatorum pessima: et qui oderunt iustum, delinquent.
23. Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes, qui sperant in eo.

PSALMI TRIGESIMI TERTII ANALYSIS.

David a periculo maximo, quod apud Achis regem Geth incurrerat, liberatus, docet Deum esse

- A iustis amandum ac benedicendum 1. eum
  - Constantia, in prosperis et adversis. 2.
  - Perseverantia, usque ad vitæ finem. 2.
  - Humilitate, ut a servis dominum. 3.
  - Mansuetudine, nunquam obmurmurando. 3.
  - Lætitia spirituali, sibi in mandatis eius complacendo. 3.
  - Fervore, nomen eius extollendo, et magnum ostendendo. 4.
  - Charitate, laudantibus illum sanctis nos uniendo. 4.
  - Diligentia, Deum ipsum sollicite quærendo. 5.
  - Fide, ad eius lumen cæleste accedendo. 6.
  - Spe, ad eum in angustiis clamando. 7.
- Erga iustos liberalem, 8. quibus
  - Angelos dat, 8. qui
    - Castrametentur circa illos. 8.
    - Et a periculis eripiant. 8.
  - Bona omnia
    - Interna,
      - Cum suavitate. 9.
      - Et felicitate. 9.
    - Externa,
      - Cum sufficientia. 10.
      - Et abundantia. 11.
  - Et seipsum,
    - Ore illos docendo. 11.
      - Corde, amare æterna. 13.
      - Lingua, proximo non nocere. 14.
      - Opere, Deo servire, et ei adhærere. 15.
    - Oculis benignis, eos aspiciendo. 16.
    - Auribus, preces audiendo. 16.
    - Vultu, hostes terrendo. 17.
    - Manu, pericula arcendo. 18.
    - Pedibus, ad eos prope accedendo. 19.
    - Toto corpore
      - Illos conservando. 20. et 21.
      - Hostes eorum prosternendo. 22.
    - Sanguine, redemptionis pretium dando. 23.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

DAVID, CUM IMMUTAVIT VULTUM SUUM CORAM ABIMELECH, ET DIMISIT EUM, ET ABIIT.

1. Diversæ Davidis fugæ. NOTA primo, cum Saul misisset satellites, qui Davidem domi suæ occidendum asservarent, ope uxoris suæ Michol filiæ Saulis aufugit, et 1. abiit ad Samuelem in Naioth; 2. ope Ionathæ reconciliatus est Sauli; 3. novas insidias prævidens fugit in Nobe urbem vicinam Gabaa, ad Achimelech Pontificem; inde enim ex Silo translatum erat tabernaculum post cladem acceptam a Philisthæis tempore Heli Iudicis et Pontificis. David fuga sua dissimulata petit a Pontifice viaticum, et nominatim panes, et aliis deficientibus accipit panes propositionis, id est, qui singulis hebdomadis proponebantur in Sancto supra mensam auream, quæ ideo dicebatur mensa panum propositionis. Ab eo quoque accipit gladium gigantis Goliath, quem occiderat. Viatico recreatus, et gladio munitus se confert ad Achis regem Philisthinorum, qui in Geth morabatur. Pro hoste et Goliathi occisore agnitus præsentissimum vitæ periculum adiit, quod furorem simulans evasit, ut refertur 1. Reg. 21. 10. reiectus ab aula velut insanus, inde statim fugit in speluncam Odollam, quæ erat in tribu Iuda, bidui fere itinere a Geth distans. Ibi Psalmum hunc cecinisse censet Caiet. Hoc porro contigit anno mundi 2973. exitus ab Ægypto 430. Saulis regis 12. ante Christum 1080. ætatis David 24. ab unctione eius in regem per Samuelem in domo patris 4. a matrimonio cum Michol filia Saulis anno uno circiter.

Nota secundo, pro *Achimelech*, sicut nunc legitur in Bibliis correctis Sixti V. et Clementis VIII. in omnibus codicibus Hebr. Chald. Græc. et Latinis, quos evolvi, habetur *Abimelech*.

2. Varietas versionum. Nota tertio, pro *vultum suum*, Hebr. est טעמו *tomo*, id est, ut vertit Felix, *gustum suum*. Quinta editio, *το γευμα αυτȣ*, hoc est, gustum suum. Secundo, alii, *saporem suum*. Tertio, Muisius, *gestum suum*, sa contenance. Quarto, S. Hier. *os suum*, illud scilicet distorquendo, et oculos atque vultum immutando, sicut facere solent arreptitii, epileptici, cardiaci, furiosi. Quinto, Caietan. *sensum suum*. Sexto, Chald. מדעיה *madaha*, id est *cognitionem suam*: seu, *intellectum suum*. Septimo, Hebræi, *consilium et rationem suam*. Nam *taam*, ut docent Pagnin. Mercer. et alii, significat gustum seu saporem, consilium, ostensionem, seu demonstrationem, aut probationem, qua res conspicue redditur oculo cordis, et dispositionem seu aptationem rei: id est aptam rei constitutionem seu decorum: sunt, qui gustum vertunt: Kimhi, aptationem, rationem, argumentum, sermonem, edictum, decretum, et in Grammatica accentum, quod velut dictionem condiat. Sumunt passim pro sensu, seu sententia et intelligentia: a sensu interno ad externos facta translatione.

3. Ad quas historias alludit. His positis, ad duplicem historiam potest titulus Psalmi nostri respicere. Primo, quidem ad eam, quæ narratur 1. Reg. 21. cum venit ad Achimelech Pontificem, ut dixi supra. Tunc enim immutavit vultum suum dissimulatione utens, et fictum dans responsum: ita Eusebius, Theodoret. atque Theodorus Antiochenus.

Argumentum Psalmi. Secundo, et melius, S. Basil. S. Hieron. S. Augustin. Euthym. Beda, Agell. et alii pene omnes, de Achi rege Gethæorum exponunt, ut refertur eod. lib. 1. Reg. 21. 10. et supra retuli. Ratio prima est, quia tunc proprie immutavit vultum suum, os, gestum atque gustum suum, id est, finxit se insanire. *Gustum*, id est, ait Cornel. in 1. Regum habitum oris et faciei suæ: ore enim et facie ostenditur gustus tum corporis, tum mentis: quod scilicet homo gustet, quid ei placeat, quid eum oblectet, quidve ei displiceat, eumque contristet. David ergo mutavit *gustum*, id est habitum oris et vultus sui, illum detorquendo, contrahendo, dilatando, et in varias formas gestusque os, oculos, nares, et labia transformando: ut faciunt stulti, cum quid eis placet, vel displicet: ita Cornel. Secunda ratio est, ubi legimus in titulo, *et dimisit eum*, Hebr. est, *et expulit ipsum*, ut vertit Felix. Pontifex autem Achimelech non expulit e tabernaculo ac domo sua Davidem, sed panes ei dedit et gladium, cumque honorifice dimisit, quem sciebat esse generum regis. Achis vero eum veluti furiosum a se et aula sua indignabundus eiecit. Tertio denique, hic Psalmus est gratiarum actio ob liberationem e gravissimo periculo. Nullum autem fuit periculum in Nobe apud Achimelech, sed maximum apud Achis regem Geth, ubi agnitus erat David occisor Goliathi, qui erat Gethæus: et continuus incursator ditionis Philisthinorum, quos variis præliis occiderat, captivaverat, aut in fugam verterat: unde vocaverunt eum Regem terræ, q. d. qui ubique vincit atque dominatur.

Dices, Achis nec vocabatur Achimelech, nec Abimelech. Respondet primo, Lombard. quod Esdras propter sacramentum nomen mutavit. Sed hoc non videtur probabile. Secundo, alii dicunt, Achis fuisse binomium, quod erat frequens apud Iudæos, et in populis Orientalibus. Tertio, S. Basil. Nicephor. Blemmida, Euthym. Philippus Solitarius cap. 6. Diophæ, et alii, dicunt Abimelech fuisse nomen commune Regibus Palæstinæ, sicut Romæ Cæsar et Augustus, in Ægypto Pharao. Hoc probat S. Basil. quod tempore Abrahami rex vocabatur Abimelech, Gen. 20. 2. et alius tempore Isaac, Gen. 26. 1. atque hic noster Achis. Urgebis, Abraham atque Isaac erant in Geraris, quæ est urbs Australis: Achis vero erat in Geth, quæ est urbs Septentrionalis Palæstinæ iuxta Bethlehem in tribu Beniamin. Respondet primo, Folengius, Geth et Geraram esse eamdem urbem. Sed hoc falsum est, ut patet. Nam Geth erat prima inter civitates Philisthinorum ex parte Aquilonari. Gerara autem erat sita ad partem australem in finibus Ægypti iuxta Bersabee. Respondet igitur secundo, Valentia, et bene, quod Abimelech in lingua Palæstina idem est, quod Rex terræ. Nam *Abimelech* interpretatur *rex patris mei*; et sic, quem nos appellamus regem, ipsi vocabant Abimelech, q. d. rex paternalis, sive rex naturalis. Ideo quilibet rex naturalis cuiuscumque regni sic dicebatur Abimelech inter Palæstinos. Et sic non solum rex Geraræ dicebatur Abimelech: sed etiam rex Geth, et rex Accaron, Ascalon, et Gazæ, quasi regnum paternum iure paterno possidentes. Unde *melech* arabice, interpretatur rex latine: ita Valent. ubi Arabice melius posuisset, quam Hebraice: ab Hebræo enim *melech* Arabes regem vocant *malcon*: et verbum *malaca*, possidere, habere, acquirere: item regnare, dominari, potestatem habere, imperare, subiugare. — 4. Cur Achis dicatur Achimelech.

Psalmus secundus Alphabeticus. Nota secundo, hic Psalm. est secundus ex Alphabeticis, id est, quorum singuli versus incipiunt a litteris Alphabeti ordine positis. In hoc deest littera Vau, sed duo versus inchoantur a littera Phe. Sicque sicut sunt apud Hebræos litteræ, id est consonantes viginti duæ, ita hic sunt 22. versiculi.

Continet autem hic Psalm. formam gratiarum agendarum, ait S. Cyrill. et ideo fortasse eum fecit Alphabeticum David, ut facilius memoriæ mandaretur a militibus quadringentis, qui ad eum confluxerunt in speluncam Odollam, in qua se receperat fugiens ex aula Achis regis Geth, in qua hunc Psalmum composuit in gratiarum actionem ob liberationem suam ex tanto periculo.

Tropolog. Nisi mutaveris vultum tuum coram Principe vitiorum, et dimiseris eum; ac virtutum Domino, omne quod tibi superest, vitæ mancipaveris tempus, non vere dicis: Benedicam Dominum in omni tempore: ita Arnobius.

5. Allegor. Christus vultum suum tripliciter mutavit. Allegor. Tripliciter vultum suum immutavit Christus. 1. scilicet in Incarnatione; 2. in Eucharistiæ institutione; 3. in Passione.

I. *In Incarnatione.* Primo igitur, per Davidem hoc loco intelligitur Christus. Per Abimelech, qui interpretatur pater meus, intelligitur populus Iudaicus. David autem mutavit vultum suum in susceptiona nostræ naturæ. Tunc enim Deus ossumpsit vultum humanum, qui prius habuit solum divinum. Tunc etiam habuit vultum passibilis et pouperis, qui prius impassibilis solus erat, ot dives in omnes, qui invocant eum, Rom. 10. ita Thom. Anglic. Cardin.

II. *In Passione.* Secundo, David, id est Christus, venit ad Abimelech, id est Iudæos, ut ipse ait Matth. 15. 24. *Non enim missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Quem cum vidissent Iudæi, dixerunt Luc. 20. 14. *Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas,* David autem simulavit amentiam, cum voluissent illum occidere: sic et Christus nihil respondit Herodi, propter quod reputavit eum insanum, fecitque eum tamquam fatuum alba veste indui atque illudi. Sicut autem David liberatus egit gratias Deo, ita et Christus in resurrectione: ita Dionys. Carth. Quæ maior vultus mutatio, quam ut Christus ex homine fiat vermis. Psal. 21. 7. *Ego autem sum vermis, et non homo.* Vide ibi dicta, et toto illo Psalm. qui est de Christi passione. Isaias dicit 53. vers. 4. *Nos putavimus eum quasi leprosum.*

6.
III. *Christi in Eucharist. et Davidis vultum mutatis apud Achis, octo conven.* Tertio denique S. August. Ruffin. Ludolph. Guitmund. Thomas Anglic. Arnoldus Abbas tract. de verb. Domini, et alii de Eucharistia explicant hanc immutationem Davidis, id est Christi. Primo, manifesta est mutatio vultus et speciei Christi in Eucharistia: non enim ibi videtur caro et sanguis, sed panis et vinum. S. Aug. concione 1. in hunc Psalmum: *Mutavit*, inquit, *vultum suum Dominus noster Iesus Christus. In corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus et sanguinem suum? De humilitate suo. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem*
I. *ipsius. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ecce cibus sempiternus. Sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cælestes spiritus, et manducant, et saginantur, et integrum manet, quod eos satiat et lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? Unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat: et per humilitatem mamillæ, et lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducavit homo, ut scriptum est Ps. 77. 24. Panem cæli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo. Id est, Verbum illud, quo pascuntur Angeli sempiternum, quod est æqualis Patri, manducavit homo: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Saginantur illo Angeli. Sed semetipsum exinanivit, ut manducaret panem Angelorum homo, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: ut iam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini, novum sacrificium, quia mutavit vultum suum coram Abimelech.* Hæc Augustinus.

II. Secundo, illa mutatio vultus Christi fit coram Abimelech, id est coram Iudæis. Nam Abimelech significat patris regnum. Regnum autem patris, id est David et Abrahæ, unde Christus traxit originem, sunt Iudæi: in Iudæa enim est facta institutio Eucharistiæ, in monte Sion, in eodem cœnaculo, in quo descendit Spiritus sanctus in die Pentecostes.

III. Tertio, in titulo Psalmi habetur, et dimisit eum, David regem Achis, et Christus Iudæos: seu potius Achis rex Davidem, et Iudæi Christum, qui ab eis eiectus abiit ad Gentes. S. August. ibid. *Quem dimisit?* inquit. *Ipsum populum Iudæorum dimisit Christus, et abiit. Quæris modo Christum apud Iudæos, et non invenis. Unde dimisit et abiit? quia mutavit vultum suum. Hærentes illi enim sacrificia secundum ordinem Aaron, non tenuerunt sacrificium secundum ordinem Melchisedech, et ceperunt eum habere gentes, quo non miserat ante præcones.* Rationem deinde affert, cur Christus dimiserit Iudæos, nempe quia erant sicut Achis, qui significat, *quomodo est?* Curiosi inepti sunt ad hoc mysterium percipiendum. Capharnaitæ, id est cives urbis Capharnai, quæ erat celebre emporium maris Galilææ, dicunt Ioan. 6. 53. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Erant Achitæ dicentes, *quomodo*, etc. Hoc considerans S. Aug. ait: Error, et ignorantia, et stultitia in persona regis Achis. Ubi enim dicitur, quomodo est, non intelligitur: ubi non intelligitur, tenebræ ignorantiæ sunt. Erat ergo in illis *regnum ignorantiæ,* quasi rex Achis: id est regnum erroris eis dominabatur.

Quarto, David velut insanus a rege Achis est habitus, et Christus a Iudæis. S. Aug. *Christus dicebat Ioan. 6. 54. Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum. Quia mutaverat vultum suum: quasi furor iste et insania videbatur, dare carnem suam manducandam hominibus, et bibendum sanguinem. Ideo quasi insanus putatus est David, quando dixit ipse Achis, arreptitium hunc mihi adduxistis. Nonne videtur insania, manducate carnem meam, et bibite sanguinem meum?* Et: *Quicumque non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? Quasi insanire videbatur. Sed regi Achis insanire videbatur, id est stultis et ignorantibus; ideo dimisit eos, et abiit. Fugit corda eorum intellectus, ne eum possint comprehendere. Et quid dixerunt illi? Quasi, quomodo est, quod interpretatur Achis. Dixerunt enim: Quomodo potest hic nobis dare manducare carnem suam? Arreptitium putabant Dominum, et nescire, quid loqueretur, et insanire. Ille autem qui noverat, quod dicebat in illo mutatione vultus sui, et quasi furore et insania, sacramenta prædicabat, et affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis,* id est Ecclesiæ, quæ est Geth, id est torcular, sanguinem Christi habens et exprimens in Eucharistia. IV.

Quinto, de Davide dicitur, collabebatur inter manus eorum, nempe aulicorum Saulis. Hebr. est, finxit se furere in manibus eorum: inconditos scilicet brachiorum ac pedum motus edebat, sicut assolent furiosi, cum retinentur: modo in hunc, modo in illum decidentes: unde S. Hieron. vertit, collabebatur. Septuag. habent παρεφέρετο, id est insaniebat: nam παραφορα est mentis error et deliratio. Chald. vertit: *Et stupidus factus est in manu eorum.* Christus, in quam volueris partem, in Eucharistia vertitur, veluti sensu carens et intelligentia. Antiqua versio Italica, quam S. Augustinus secutus est, habet: *Ferebatur in manibus suis*, et nunc est ἐν χερσὶν αὐτῆ, *eius;* sive αὐτῆ, *suis.* Hoc aptissime convenit Christo Eucharistiam instituenti, et seipsum manibus gestanti, cum post prolata verba: *Hoc est corpus meum,* seipsum dedit discipulis. Matth. quod S. Augustinus expendens concione 1. in Psal. nostr. ait: *Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero, fratres, quomodo possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus suum in manibus suis.* Ergo S. Augustinus non censuit in Sacramento Eucharistiæ esse tantum figuram corporis Christi, quid enim est admirandum, si quis fert corporis sui figuram? V.

Sexto, David *impingebat in ostia portæ:* irruebat scilicet in portas clausas, veluti per ostia clausa transiturus, ut explicat Abulensis; vertunt Septuaginta, *cadebat ad ostia civitatis*, cum in eo clauso irruens repellebatur, et concidebat in terram. Hebraice est יְתָו ietov, id est, designabot, ut vertit Pagninus. Lineas ducebat super fores portæ, ut Chaldæus habet: possis vertere, *delineabat litteram thau,* id est figuram crucis, opem a Christo, quem crucifigen- VI.

dum, et cruce futurum salvatorem sciebat, in tanto periculo implorans. Eucharistia est memoriale passionis. Septuaginta pro *ietar*, legerant יתוף *iatoph*, id est tympanum pulsabat, fores sibi obstantes crebris manuum et pedum ictibus verberans, ita ut instar tympani resonarent. Unde S. August. legit, *affectabat et tympanizabat ad ostia civitatis*, idque Christo in Eucharistia sic applicat: *Quid est affectabat? Affectum habebat. Quid est affectum habere? Quia compassus est infirmitatibus nostris: et ideo voluit ipsam carnem suscipere, in quo mortem occideret. Ergo affectavit, quia pervenit usque ad mortem crucis. Et quoniam, qui crucifigitur, in ligno extenditur: ut autem tympanum fiat, caro, id est corium in ligno extenditur: dictum est, et tympanizabat, id est, crucifigebatur, in ligno extendebatur. Affectabat, id est affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis. Tympanizabat. Quomodo? ad ostia civitatis. Ostium nobis est, quod aperitur, ut credamus in Deum. Clauseramus ostia contra Christum, et aperueramus diabolo. Contra vitam æternam clausum cor habebamus, illi autem Dominus Deus noster, quia clausum cor habebamus homines adversus vitam æternam, nec poteramus videre Verbum, quod vident Angeli, cruce aperiebat corda mortalium; hoc est tympanizabat ad ostia civitatis.*

VII. Septimo, defluebant salivæ Davidis in barbam eius, sicut accidit in epilepticis, phreneticis, stupidis ac stultis, ut citius eiiceretur, sicut contigit. Nam hanc fœditatem oculi ferre vix possunt. Hoc Christo applicat S. Augustinus in hunc modum: *Quid sunt salivæ? Quasi verba infantilia. Salivæ enim currunt infantibus. Nonne erant tanquam infantilia verba: manducate carnem meam, et bibite sanguinem meum? Sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam eius, quid sunt, nisi verba infirma virtutem eius tegentia.*

VIII. Octavo denique, David abiit ab Achis, et Christus a Iudæis recessit, et transivit ad gentes. S. August. concione 2. in Psalm. nostr. *Mutavit Christus vultum suum in sacerdotio: et dimisit gentem Iudæorum, et venit ad Gentes.* Christus recedit ab Achis, id est a curiosis, dicentibus quomodo est? hoc enim significat Achis: venit in speluncam Odollam, id est in animas fideles testimonio eius credentes. *Odollam* enim significat *testimonium illis*. Sufficit nobis Christi testimonium, ratiocinationes naturales et sensationes non audimus. *Odollam* significat etiam *ornatus illis*. Deo dicenti credamus, atque inde ornabimur; ponet murenulas aureas in auribus nostris, et torques aureos collo appendet, et seipsum signaculum cordi imprimet.

Guitmundus Episcopus Aversanus, qui floruit tempore S. Gregorii Papæ VII. qui cepit sedere in Apostolica Sede anno 1073. tract. de veritate Eucharistiæ fuse expendit, quod David, id est Christus, ferebatur manibus suis, atque inter cætera dicit: *O sententia lucidissima! o sententia fidelissima! o sententia vere beatissimo et excellentissimo doctore Augustino dignissimo!* etc. Dixerat scilicet id non de Davide, sed de Christo intelligendum esse. Vide illum in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

7. An peccavit David, stultitiam simulando? Quæres, an peccavit David stultitiam simulando? respondent quidam peccasse: quia, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 111. art. 1. in corp. ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Igitur sicut in verbis, ita in factis potest esse mendacium. Unde simulatio est proprie mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens, quæstion. autem 110. art. 4. docuerat omne mendacium esse peccatum.

Secundo, S. Thomas ibidem quæst. 111. art. 1. ad 2. excusat Davidem a peccato; quia, inquit, commutatio faciei David fuit fictio figuralis, sicut Glossa exponit in titulo Psal. 33. Fictio autem relata ad rem significatam, ut metaphora, non est mendacium, sicut patet in figurativis locutionibus, ut dicitur 2. 2. qu. 110. art. 3. ad 6. Item qu. 111. art. 1. ad 2. Item 3. p. q. 55. art. 4. ad 1. Item q. 76. art. 8.

Tertio denique, et melius, alii dicunt fictionem illam non fuisse mendacium, quia David os distorquens, et vultum immutans, atque alia faciens non dicebat se esse stultum, sed intendebat hoc ita simulare, ut si alii essent imprudentes, non possent detegere, quid rei esset. Sic licet militibus simulare fugam, alii enim deberent sibi imputare, si regulis prudentiæ non utantur. Verba autem præcise et clare rem enunciant, unde facilius est in illis, quam in factis mendacium. Nam facta multas explicationes pati possunt. Hoc modo Iosue finxit fugam, ut cives Hai interciperet, Iosua 8. 5. Et Christus finxit se longius ire, Luc. 24.

Speciatim, quod liceat simulare stultitiam, ait Ausonius lib. 2. distichorum: *Stultitiam simulare loco prudentia summa est.* Horatius dixerat prius lib. 4. Carminum Ode 12. *Misce stultitiam consiliis brevem, dulce est desipere in loco.* S. Paulus 1. Corinth. 4. 10. *Nos stulti propter Christum*, quem scilicet prædicamus et imitamur crucifixum, licet crux sit Iudæis scandalum, et Gentibus stultitia. Sed sapienter dixerat idem Apostolus ibid. cap. 1. 25. *Quod stultum est Dei* (id est eius mortalitas, passio et crux) *sapientius est hominibus*, id est vincit omnem sapientiam et fortitudinem humanam. Et cap. 3. 19. ait: *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*; quia nihil sapit salutare, cæleste, et divinum. Hinc S. Ignatius Fundator Societatis nostræ dicebat: *Sis mundo demens, ut sapias Domino.* Et in Summario Constitutionum num. 11. sumpto ex Examin. cap. 4. sess. 44. *Diligenter*, inquit, *animadvertant oportet (magnifaciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu Creatoris Domini nostri) quantopere iuvet ac conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino, et non ex parte abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat et amplectitur; et admittere et concupiscere totis viribus, quidquid Christus Dominus noster amavit, et amplexatus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt, et quærunt magna cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet; sic qui procedunt in spiritu, et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, et ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt: indui nimirum eadem veste, ac insignibus Domini sui pro ipsius amore et reverentia: adeo ut si sine offensione ulla divinæ maiestatis, et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia et iniurias pati, ac stulti haberi et existimari, (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptant assimilari, ac imitari aliquo modo Creatorem, ac Dominum nostrum Iesum Christum, eiusque vestibus et insignibus indui. Quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit, nobisque exemplum dedit, ut in omnibus, quoad eius fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, cum vera sit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.* Lege ardentia eiusdem S. Ignatii desideria, ut pro stulto haberetur, si id Dei gloriæ non obstitisset. Ribaden. ea refert in vita. 8. Amandus sui contemptus.

Stultitiam simulavit Primo, S. Franciscus, qui se vocitabat fatuellum mundi, vestesque sumpsit, quibus et mundi vanitatem rideret, et se mundo ridendum propinaret, ut initio præsertim conversionis eius sæpe contingebat. 9. Sancti quidam stultitiam simularunt.

Secundo, B. Iacoponus multa facit, ut pro fatuo haberetur et contemneretur.

Tertio, S. Simeon postquam viginti novem annis in eremo mansisset vitam agens sanctam, inde exiens Emesam venit, et se stultum esse simulavit, unde Sales sive Salus, id est stultus, dictus est. Hoc autem Deo placuisse patuit primo, quia manu nuda ignem tulit illæsus, eum deinde tulit in pallio incombusto. Secundo, divinitus edoctus est venenum vasi infusum a serpente, vidit enim vasi inscriptum, *mors*, licet nullus alius id viderat. Tertio, quod erat longe mirabilius, nec ullo modo imitabile, intrabat in balnea mulierum, nec ullam tentationem sentiebat. Quarto, dæmones et morbos e corporibus expellebat. Quinto, ex orantis ore flammæ de nocte exilire videbantur. Sexto, Angeli ad eius funus suavissime concinunt. Hæc et alia

refert Leontius sanctissimus Episcopus Neapolis Insulæ Cypri in eius vita, quam habent S. Simeon Metaphr. et Surius. Die prima Iulii.

Quarto, Pallad. in historia Lausiaca, cap. 41. refert, quod in quodam monasterio fuit virgo, quæ propter Christum simulabat stultitiam, et se emotæ esse mentis præ se ferens, præter hæc virtutem optime exercuit, se in ea præclare gerens, seque reddens abiectam, et humilem. Hanc usque adeo reliquæ sunt aspernatæ, ut nec cum ea quidem vescerentur, id illa excipiente cum lætitia. Discurrens itaque in culinam, exhibebat aliis omne genus ministerii, adeo ut nec horam quidem unam intermitteret, sed tamquam ancilla serviret; eratque, ut dicitur, hæc beata, *σπόγγος συνάξεως*, *spongia monasterii*, revera implens id, quod scriptum est in Evangelio, Matth. 23. 11. *Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium servus, et omnium minister.* Et rursus alibi, 1. Corinth. 3. 18. *Si quis videtur esse inter vos sapiens in hoc sæculo, sit stultus, ut fiat sapiens.* Eam nulla ex quadringentis vidit comedentem omnibus diebus vitæ suæ. In mensa nunquam sedit, neque B unquam fragmentum panis comedit: sed *ψίχας σπογγολογοῦσα τραπεζῶν*, micas mensarum spongia colligens, et ollas lavans, his erat contenta. Neque vero ea unquam in- A duit calceos, neque aliquem affecit contumelia; non murmuravit, non parvum vel magnum verbum est locuta, etsi contumelia afficeretur et pugnis tunderetur, et maledictis appeteretur, et plurimi eam abominarentur. Cap. 42. ostendit, quomodo Angelus revelaverit eam esse sanctissimam totius monasterii, ipsoque S. Potyro, cui id revelabatur, sanctiorem: adeo placuit hæc eius humilitas Deo. Ab ea sanctus ille vir petiit benedici: cumque aliæ religiosæ dicerent: *Ne tibi fiat probrum ac vituperium. Est enim Sala*, id est stulta; respondit: *Vos estis Salæ. Hæc enim et me, et vobis est melior. Est Amma*, id est mater spiritualis, *et quæso, ut ea dignus inveniar in hora iudicii.* Lege cætera.

Vis exempla Gentilium? Primo, Plutarchus refert in 10.
Solona, qui fuit unus a septem Sapientibus Græciæ, et Et quidam sapientes pagani.
Legislator Atheniensium, eum insaniam simulasse, ut Salaminæ insulæ recuperationem eis persuaderet, quod reipsa præstitit. Erat enim capitale ea de re agere apud populum. Secundo, Cicero lib. 3. Offic. et Ælianus lib. 13. variæ historiæ referunt, Ulyssem simulavisse stultitiam, ne cogeretur ad bellum Troianum proficisci. Tertio, Livius idem dicit de L. Iunio Bruto, ne a Tarquinio avunculo suo occideretur, ob prudentiam et opes.

DIVISIO TOTIUS PSALMI

11. Duo præstat. Primo, homines exemplo suo et adhortatione invitat ad Deum laudandum, vers. 1. Secundo, eosdem hortatur ad Dei timorem, et explicat, in quo consistat, et quæ ex eo bona procedant, vers. 8. usque ad finem.

SECTIO PRIMA.

Tria complectitur. Primo, pollicetur se omni tempore Deum laudaturum, vers. 1. Secundo, hortatur omnes, ut idem faciant, vers. 3. Tertio, causam ostendit propositi sui, et invitationis: quod sciret sit iam exauditus, et prævideat fore, ut omnes exaudiantur, qui ad Deum in oratione supplices accesserint, vers. 5.

PARAPHRASIS.

2. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

2. Cum præsentissimum vitæ periculum, apud Regem Achis evaserim, reliquo vitæ tempore nullus mihi dies effluet, quin, ubi se dederit occasio, Dei erga me beneficia prædicem: nec memori tantum animo concludam, sed ore etiam grato universis exponam.

3. *In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti, et lætentur.*

3. In Dei potenti virtute gloriabitur anima mea, atque ab omnibus, qui artem, quo hostium laqueos manusque evasi, audiverint, non sine causa laudabitur. Hoc Dei erga iustos præsidium audiant, qui ob mansuetudinem, hostium obiecti dicteriis et iniuriis patienti animo adversa perferunt: et lætentur se tam vigili oculo, et potenti dexteræ commissos, ut a periculis omnibus facile possint evadere.

4. *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum.*

4. Non sum is, qui unus tot laudibus et gratiarum actionibus sufficiam: aggestis in dies beneficiis obruor. Accurrite mansueti omnes, iunctisque vocibus et animis magnum facite et prædicate Dominum mecum: unoque consensu, conatu, et fervore, altum ubique et magnificum Deum nostrum prædicate.

5. *Exquisivi Dominum, et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

5. Hæc nobis nunc laudum sit materia. Ab hominibus desertus, in summaque coniectus pericula ad Deum confugi, eius tutelæ me eum fiducia commisi: preces ille meas benignis auribus accepit, manuque salutari ab hostium pedicis exemptum in libertatem asseruit.

6. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.*

6. Qui tristitiæ et tribulationis nebulis circumfusi in tenebris iacetis aut erratis, cursum ad eum intendite, ex eius vultu lux emicans caliginem omnem dispellet, nec patietur tanta benignitas faciem vestram robore suffundi, sed votorum compotes favoris sui luce recreabit.

7. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum.*

7. Quem repulsæ metus ab hoc ad Deum accessu præpediat, cum ego pauperculus, omnique humano destitutus præsidio, ut primum vocem in verba formavi, eiusque opem imploravi, statim fuerim exauditus atque ab omnibus tribulationibus ereptus.

QUÆSTIO UNICA.

QUANTO STUDIO ET ARDORE LAUDANDUS DEUS POST LIBERATIONEM A PERICULIS.

12. *Ordo Sectionis.* DAVID liberatus a summo periculo apud Achis Regem Geth, in gratiarum actionem erumpit, v. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Primo, modum duplicem edocet, quo id facturus est: 1. ore: *semper laus eius in ore meo*; 2. mente, v. 3. *In Domino laudabitur anima mea.*

Secundo, hortatur omnes, ac præsertim ad se accedentes in speluncam Odollam, ut idem faciant, cum tanto se beneficio prædicando imparem sentiat: ibid. *audiant mansueti.*

Tertio, modum triplicem ostendit, quo id ab illis fieri cupit. Primo animis lætitia suscepta ob tantam Dei potestatem, v. eod. 3. *et lætentur.* Secundo, voce illam prædicando, v. 4. *Magnificate Dominum mecum.* Tertio, opere efficiendo, ut omnes illi serviant: *et exaltemus nomen eius in idipsum.*

Quarto, materiam laudationis proponit, tum præteritam suam liberationem, tum futuram eorum, qui in Deo spem suam posuerint.

Primo, suam accidisse ait, quod ad Deum fugerit, v. 5. *Exquisivi Dominum.* Huius inquisitionis fructum duplicem aperit. Primo, quod auribus benignis preces susceperit: *et exaudivit me.* Secundo, quod manu a periculis subduxerit: *et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*

Secundo, aliorum liberationem cum lætitia prædicit, si ad Deum confugerint, vers. 6. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Hoc probat ex iis, quæ sibi contigerunt, v. 7. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum.*

ARTICULUS I.

Quænam virtutes sunt necessariæ in perfecta Dei laudatione.

13. *Virtutes decem necessariæ ad perfectam Dei laudationem.* DECEM virtutes Propheta hoc loco indicat, ex quibus perfecta harmonia, Deique auribus acceptissima conficiatur, cum unanimi in choro laudes eius ob accepta dona celebramus. Sic laudamus Deum in decachordo psalterio. Primam assignat constantiam, qua omni tempore sive prosperitatis sive adversitatis laudemus Deum, v. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore.* Secundam, perseverantiam, qua usque ad vitæ finem id præstemus: *Semper laus eius in ore meo.* Tertiam, humilitatem, ut tamquam servi Dominum celebremus, v. 3. *In Domino laudabitur anima mea.* Quartam, mansuetudinem, nunquam dissona voce obmurmurando: *Audiant mansueti.* Quintam, lætitiam spiritualem, sibi in eius mandatis complacendo: *et lætentur.* Sextam, fervorem, nomen eius magnum ostendendo et extollendo, v. 4. *Magnificate Dominum mecum.* Septimam, charitatem, illum laudantibus sanctis nos uniendo: *et exaltemus nomen eius in idipsum*, id est simul. Octavam, diligentiam, Deum ipsum sollicite quærendo, v. 5. *Exquisivi Dominum.* Eius fructus recitat: *et exaudivit me, et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* Nonam, fidem, ad eius lumen cæleste accedendo, v. 6. *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Decimam denique, spem, ad ipsum in angustiis clamando, v. 7. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum.*

14. *Vers. 2. 1. Pars. 1. Constantia.* PRIMA igitur decachordi psalterii chorda sit Constantia, sine qua cæteræ diffluent. Ideo statim exclamat David, v. 2. BENEDICAM DOMINUM IN OMNI TEMPORE (Arabs, in omni momento) SEMPER LAUS EIUS IN ORE MEO.

Nota, ut supra dixi, Davidem hunc Psalmum cecinisse cum liberatus a periculo, quod incurrerat a Philisthæis in aula Regis Achis, et adhuc timens Saulem se ad mortem odio habentem, et omni conatu perquirentem, secessit in speluncam Odollam, quæ erat prope vicum eiusdem nominis in Tribu Iuda, ad dexteram euntibus ex Ierusalem in Hebron: eam speluncam sic optime ad rem nostram describit Adrichomius, in Tribu Iuda, n. 204. *Spelunca Odollam, in ipso petra fuit; locus natura tutus et communitus, in quam David cum fugisset a facie Saul, ibique multos angustia et ære alieno oppressos ad se confugientes suscipere, factus est princeps quadringentorum virorum. Habuit eumdem usum spelunca hæc tempore Christianorum. Nam Turcæ cum ad ea loca populabundi devenissent, fugerunt habitatores vicinorum locorum, et sese cum uxoribus, liberis, armentis, et gregibus, illuc contulerunt.* Ibi igitur David cantans dicit se laudaturum Deum omni tempore.

Moraliter nota, Deus laudandus est omni tempore; id est, et in prosperitate, et in adversitate. Tobias senior captivus manens in Ninive, atque luminibus orbatus, dicit filio suo, Tobiæ iuniori, Tob. 4. 20. *Omni tempore benedic Deum.* Gr. Dominum Deum, q. d. tu servus es ab eo manumissus, triumphantem illum laudibus prosequere. S. Paulus, civibus Thessalonicæ, quæ erat Macedoniæ metropolis, sic dicta a victoria Philippi Regis, ait Epist. 1. ad eos data, cap. 5. 17. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*, id est tam in desolatione, quam in consolatione, tam in morbis, quam in sanitate, et sic de aliis. Hoc modo semper eritis in civitate victoriæ et victores. S. August. in Ps. 132. laudat veteres religiosos, quod sæpe in ore haberent, *Deo gratias.* Hoc etiam nobis frequens esse volebat S. Ignatius fundator Societatis nostræ. Iesus filius Sirach multis tribulationibus probatus, quas enarrat initio c. 51. in Eccles. dicit v. 15. *Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione.* Vatabl. cum gratulatione. Et v. 17. *Confitebor* (Vat. gratulor tibi) *et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini*, id est, tuo: hoc est filio Dei, ait Palacius: vel, ipsi Deo, ut alii. Iacob moriturus et spiritu prophetico benedicens filiis suis et eorum posteris, de Nephthali, qui significat colluctantem, et in lucta cum adversario implicatum dicit, Gen. 49. 21. *Nephthali cervus emissus*, id est donatus libertate, et in herbidis ac fertilibus pratis exultim ludens, *et dans eloquia pulchritudinis*, id est pulcherrima, Deum laudans. Alludit ad canticum Debboræ et Barac, qui erant de Tribu Nephthali, et superaverunt Sisaram, ducem exercitus Iabin Regis Chanaan, eaque victoria amissam per annos viginti libertatem populo Dei reddiderunt, post 404. annos ab eo vaticinatione, Iudicum 4. et 5.

15. *In prosperis et adversis Deus est laudandus.*

Itaque Primum prospero flante vento, cum plenis velis onerariam, ut sic loquar, Indico auro, argento, gemmis divitem ad securum et patrium litus appellimus, alacri celeusmate et clamore vox in Dei unius laudes formanda est. Nam, ut ait S. Greg. *Dignum est semper gratias agere, quia nunquam Deus cessat benefacere.*

Secundo, cum ventus reflat, undæque minaces in rabiem efferantur, et dentatos murices, et iam cruentatos lapides scopuli intentant, videndum est, ut fluitantibus omnibus immobilem in Deo pedem figamus, et mediis in tenebris diem perpetuum habeamus et retineamus. Isaias onus Duma; id est Idumææ, declarans ait cap. 21. 12. *Dixit custos, Venit mane, et nox: si quæritis, quærite: convertimini, venite.* Sensus est, ut placet Theodoreto et Procopio, q. d. O Idumæi recte facitis, quod pro muris vestris consistitis; et de nocte, deque mane custodem vestrum interrogatis: si tamen salutem certamque ad eam viam quæritis, ad me, qui sum vester Deus et custos venite. Impio etiam in luce Evangelii est nox. Vide Gregorium 6. Mor. 16. Iusto etiam in nocte tentationis et afflictionis est lux. In nocte melius apparent stellæ, et fulgent gemmæ. Lux semper oritur iusto, et declaratio sermonum Dei eum illuminat, et præceptorum custodia. Ps. 18. 12. ubi habemus: *Servus tuus custodit ea.* Hebr. est, *illustratur in eis*, id est per illa.

Omnia etiam vel asperiora in manu et corde Dei spectata sunt suavissima; et in illis Deus laudatur. David ad Dei laudem omnia excitat, Ps. 148. 7. *Laudate Domi-*

num de terro, dracones (alii, *ceti*, etiam in mediis fluctibus et venenis) *et omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum* (id est procellosus ventus turbinem excitans) *quæ faciunt verbum eius*. Et draconum venena, et abyssorum tenebræ, et ignis ardor, et tempestas grandinis, ac nivis rigor, glaciei asperitas, procellarum impetus a Deo sunt, et ab eo mittuntur ad nos, in radice sua amorem potius, quam metum iusto ingenerant. Cum amore et gratiarum actione a nobis recipiuntur, et omnia cooperabuntur nobis in bonum. Inter medias nives in rigida hyeme exultabat B. Borgia, Deum secum ludentem spectans.

16. Deus est medicus et chirurgus, et agonotheta.

Medicus est Deus, qui etiam aconita sanat aconitis, et scorpii venena eius occisi succis. 2. Chirurgus quoque Deus est, qui urit et ungit, dissecat et medetur. Unde concludit S. Chrysostomus in Ps. 118. Deus æque est laudandus, cum punit, et cum a supplicio eximit, αμφοτερα γαρ κηδεμονιας, αμφοτερα αγαθοτητος. *Utraque enim sunt curationis, utroque bonitatis.*

Tertio, Agonotheta est Deus, coronas offert, sed iucta opus est, et nonnunquam cæstibus, id est clavis pilas plumbeas loris bubulis appensas habentibus. Cum oculos in paratam lauream coronam, gemmeamve, aut auream intenderis, diffluens sudor et sanguis rore ipso erit iucundior et suavior. S. Basilius id sciebat, qui in Psal. nostr. sic ait: *Revera recte dispositis*, θλιψεις οιονει τροφαι τινες εισιν αθλητικαι και γυμναστικ, *tribulationes edulia quædam sunt, et exercitatia, gymnico certamini conveniens, et ad patris gloriam suum agonisten promoventia: puta, si quando incessimur maledictis, nos contra benedicimus conviciatori: cum blasphemantem obsecramus, attriti laboribus et oppressi gratias agimus, in afflictione positi exultamus, quasi gloria affecti. Nihil minus Christianum decet, quam ut rebus suis prospere cadentibus benedicat Deo: contra, tristiore quapiam calamitate afflictus laudes reticeat Dei: quando tunc quoque gratiæ uberiores agendæ veniunt, ut qui plane noverit, quia quem diligit, erudit et castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

17. I. Martyres Deum in tormentis laudant.

Deum in ipsis tormentis benedixerunt Martyres Primo, S. Theodorus Martyr cum ferreis ungulis discerperetur, tædisque ardentibus ureretur, vultu alacri emicans, firma et intrepida voce exultans dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Cum ardentem in rogum esset coniectus in SS. Trinitatis laudibus animam exhalavit. Anima huius invicti bellatoris cælum conscendere visa est splendenti lumini similis, ut inde nobis inclamare posset, quod in Psalmo nostro habetur vers. 6. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Secundo, Dionysius Martyr dum Romæ a Diocletiano Imperatore captus ad supplicium lætus duceretur: hoc unum in toto itinere inclamabat: *Et si millies occidi possem, tamen Dominum meum Iesum Christum confiteri non cessarem.* Tertio, S. Cyprian. ad mortem condemnandus dicebat: *Salus mea et virtus mea Christus Dominus est, cui sine fine servire desidero.* Quarto, pueri in fornace Babylonica Deum benedicunt. Quinto, S. Laurentius dicebat: *Gratias ago tibi Domine Iesu, quia ianuas tuas ingredi merui.* Vide plura Ps. 43. qui totus est de Martyribus.

Itaque audiamus S. Augustinum, qui in illud Ps. 144. *Per singulos dies benedicam te*, sic loquitur: *Sive ergo in eius donis, sive in eius flagellis, lauda eum, qui tibi aut blanditur dando, ne deficias: aut corripit exultantem, ne pereas: laus flagellantis medicina est vulneris.* Et S. Basilius homil. in S. Iulittam: *Nullo tuo merito plecteris? gaudium tibi ingerat futurorum spes. Iusto es supplicio addictus? gratias agito, quod hic potius luas pœnas, quam in futuro.* Et S. Hieron. in cap. 5. ad Ephes. *Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, gratias referre Creatori, ac dicere, Benedictus Deus: minora me scio sustinere, quam mereor. Hic animus Christiani est. Hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant.* Lege hic Magnetium.

Secunda cytharæ nostræ cælestis chorda, est Perseverantia, v. cod. 2. SEMPER LAUS EIUS IN ORE MEO Lingua iustorum est canora cythara, quæ Dei laudem semper continet, et ad alios transmittit: Sive cum excusso somno oculos lumini aperiunt, sive cum Sol vegetior orbi se ostentarit, sive cum se vesper in noctem clauserit, sive nocte concubia silente rerum omnium natura, ex intimo corde se Dei laus in linguam infundens suaviores succos impartietur. Nox enim est diurnæ musicæ resonans Echo: cum quod ore menteque volveris, dum sensus et ratio vigent, sopitis recursat, et refractas voces primis nonnunquam sonantiores, et quæ magis memoriæ hæreant, edit. 18. Vers. 2. 2. Pars. II. Cytharæ chorda, seu virtus, ad Deum laudandum, est perseverantia.

Continuata quidem oratio, nulla interrupta quiete vel operatione, humanas vires superat: sed dum implorationis tempus est et facultas, ita contentis viribus cogitatus illi sacri mentibus imprimendi sunt, ut velut in molli cera imago impressa, diu vel non laboranti animo hæreant: non vero instar figuræ fluxibili aquæ insculptæ, defluant.

Ad hoc continuum Dei laudandi studium incitare nos debent Primo, Angeli: Astant enim divini illi principes cælesti throno, et dies noctesque divinum illud trisagion, *Sanctus, sanctus, sanctus*, ingeminant, Dan. 6. 3. Eiusdem gloriæ futuri participes eisdem vocibus insuescamus. Id moniti dat Tertull. lib. de oratione cap. 3. *Proinde et nos Angelorum, si meruimus, candidati iam hinc cælestem in Deum vocem et officium futuræ charitatis ediscimus.*

Secundo, ad idem Dei laudandi continuum studium invitant nos cæli, ubi consona voce Sol, Luna, astra omnia, suavissimam musicam laudibus Deum vehentes efficiunt. Vide Ps. 18. v. 1. et sequent.

Tertio, si in cælum oculos tollere, tibi conscius, vereris, subiecta in planitie tot florum agmina, herbarum acervos, fluviorum fluctus, terræ segetes, arbores, animalia contemplare, quæ omnia in Dei laude iugiter occupantur. Vide ne cum divinum sis organum cæteris omnibus sonantius, surdos tamen sonos edas: cæteræ autem creaturæ, viriles et canoros. Hoc monet S. Chrysostomus in Ps. 144. v. 2. *Turpe fuerit, ut homo, qui est compos rationis, et omnibus, quæ videntur, præstantior, sit creatura in Dei laudibus inferior*, ου αισχρον δε μονον, αλλα και ατοπον. *Non solum autem turpe, sed etiam absurdum: siquidem ipsa quotidie, atque adeo singulis horis emittit Domino glorificationem. Cæli enim enarrant gloriam Dei.*

Quarto, barbari ipsi docent nos illud continuum Dei laudandi studium. Turcæ enim habent accusatores, qui de orationum omissione convictos per urbem circumducant, et tabulam cum caudis vulpinis collo appendant, ac pecuniario mulcta puniant, ut ait Gisbertus Schevichavius lib. 1. de Ecclesiasticorum vita, moribus, et officiis, c. 44. Quid dicet Christianus, cui Christus ait Luc. 18. 1. *Oportet semper orare, et non deficere.* Græce, μη εκκακειν, id est non defatigari, ob difficultates occurrentes. Iesus filius Sirach ait, Eccli. 18. 22. *Non impediaris orare semper*, q. d. multa tibi impedimenta obtrudet dæmon, caro et mundus, ut te a conversatione cum Deo avellant; sed dic illis, *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* S. Paulus Thessalonicensibus dicit, 1. Epist. 5. 17. *Sine intermissione orate.* Et signantius Ephesiis cap. 6. 18. *Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu* (id est non solum labiis, sed mente, affectu, desiderio) *et in ipso* (εις αυτο τουτο, ad hoc ipsum) *vigilantes in omni instantia* (εν πασῃ προσκαρτερησει, cum omni perseverantia) *et obsecratione pro omnibus sanctis.*

Modum perfacilem, ut semper oremus, assignat S. Augustin. bonam scilicet vitam. Sic enim in illud Ps. 34. 28. et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam, Inquitur: *Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum. Lingua tua, quid agit, nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, ut reficiaris; noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis, ut dormias, noli surgere ad male faciendum, et laudasti Deum. Agrum colis, noli litem movere, et laudasti Deum.* R. Moses ait in Lege veteri tot fuisse præcepta negativa, quibus malum prohibeatur, quot sunt

dies in anno, ut denotaretur omni tempore a peccato cavendum esse.

19. Vers. 3. 1. Pars. III. Cytharæ chorda est humilitas.

Tertia virtus ad debitam actionem gratiarum, et laudem Deo persolvendam est Humilitas, Dei unius gloriam non suam quærens, v. 3. In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti et lætentur. Nota, *pro laudabitur*, Hebr. est יתהלל *ithalel*, id est laudabit seipsam anima mea, beatam se, felicem et gloriosam dicet, gloriabitur. Est enim verbum in coniugatione Hitpael, ubi denotatur actio eiusdem in seipsum.

Sensus est primo, *in Domino laudabitur anima mea*, q. d. anima mea laudabit Dominum. Est hypallage. Vel certe metalepsis, quia pro Dei laude, de qua agitur, ponitur consequens, nempe laus viri iusti. Sed hæc sunt hic duriora: sicut quod quidam aiunt, apud Hebræos, præpositionem *in* iunctam verbo non habere aliam vim quam accusativi casus, quod verum non est: et exemplo ab iis allata ex Ps. 62. 12. Ps. 104. 3. et alia, hoc non probant. Compensis hic exponit: *In laude Domini oblectat se anima mea*. Vel in laudando Domino occupata erit anima mea.

B

Secundo, et melius: Sensus est, *in Domino laudabitur anima mea*, q. d. omnes, qui cognoverint, quæ mihi contigerunt apud Achis, et quomodo Dei ope evaserim, me laudabunt, quod tanto et tam potenti ac benigno Domino serviam ex animo.

Tertio, et planissimo ex textu Hebraico: *in Domino laudabitur anima mea*, idem est ac si diceretur, seipsam anima mea laudabit et felicem prædicabit, quod tam servorum suorum amanti iisque providenti Domino famuletur. Hinc Syr. Arabs, Vatabl. vertunt: *In Domino gloriabitur anima mea*. Petavius, unico animæ meæ Dominus erit gloriatio.

Quarto denique, et proprie, *in Domino laudabitur anima mea*. Sensus est, q. d. anima mea laudabit seipsam et sibi applaudet, quod ita curæ sit Domino suo, sed ita exultabit, ut illi omnem gloriam debitam esse profiteatur.

20. Deo uni danda est gloria.

Moraliter. Deo uni tribuenda est omnium actionum gloria. Hoc præceptum dat Paulus Corinthiis 2. epist. 10. 17. *Qui gloriatur, in Domino* (non in se, ait S. Chrysostomus) *glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. David noster dicit, Psal. 65. 2. *Iubilate Deo* (Chald. *coram Domino*. Sed noster significantius *Deo*, q. d. non vobis) *omnis terra, psalmum dicite nomini eius* (S. Hier. cantate gloriam nomini eius) *date gloriam laudi eius*, eam illi soli offerentes, et in cælum recta emittentes, non ad vos reflectentes in terram, ut ibi putrescat. Laudem Dei inhonorat, qui aliquid ex eo decerpit. Vide dicta Ps. 113. 9.

C

Hoc a nobis exigit Primo gloria, quam ad nos transfundit tanti Regis ac Domini excellentia, cui servire digni habiti sumus. S. Basilius in Psalmo nostro αρκει προς απαν αξιωμα. *Satis est nobis ad omnem dignitatem et nostri existimationem, talis Domini servos appellari. Etenim qui Regi cuipiam subservit, nonne tandem ie sibi mire placebit, quod in ordinem ascitus sit tanti istius famulitii? Qui vero in servorum Dei dignationem venerit, aliunde laudem exquiret? ac si*, προς πασαν δοξης και περιφανειας υπερβολην, *ad omnis excellentiam gloriæ et nobilitatis hæc appellatio non satis esset?*

D

Secundo, Dei gloriam quærere debemus, quia servus nihil habet sibi proprium, sed quod sibi acquirit, Domino acquirit. Ps. 134. 1. ait David: *Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum*, non vos et vestra. Apocal. 19. 5. vox de throno Dei exit, dicens: *Laudem dicite Deo nostro omnes servi eius*. Vox hæc per aliquem Seraphinum aut Cherubinum emissa est, thronus enim Dei visus est S. Ioanni in cælo.

Tertio, Dei gloriam quærere debemus, quia ingrati et superbi est, ex alienis bonis sibi proprium honorem vendicare. S. Aug. in Ps. 134. *Quid iustius, quid dignius, quid gratius? Etenim si non laudaverint servi Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi erunt: et quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum? Neque enim servus ingratus, si Dominum suum laudare noluerit, ideo*

A

efficit, ut servus non sit. Laudes, non laudes, servus es: sed si laudes, propitiabis: si non laudes, offendis. Non laudibus nostris ille crescit, sed nos.

Modum bene laudandi Deum assignat idem S. Doctor in Psalm. nostr. nempe humilitatem: *Quare*, inquit, *benedicit Dominum homo in omni tempore? Quia humilis est. Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis esse superbus, ut possis esse humilis, dic quod dictum est: In Domino laudabitur anima mea.*

Quarta cytharæ nostræ cælestis chorda, ad Deum laudandum, est Mansuetudo, v. eod. 3. Audiant mansueti, et lætentur. Quid audiant? Primo, meam liberationem mirabilem ex aula Achis Regis Philisthæi. Secundo, meam gratiarum actionem, et canticum. Tertio, exhortationem ad virtutem. 21. Vers. 3. 2 Pars. IV. Cytharæ chorda est mansuetudo.

Nota: pro *mansueti* Hebr. est ענוים *anavim*, id est *humiles*: ita Pagn. Felix, et Campensis. Secundo, *pauperes*: ita Syrus. Tertio, *afflicti*: ita Vatabl. et Wolfgang, q. d.

B

Audiant, qui adversa patiuntur, et recreentur: ita Campensis. Quarto denique, *anavim* proprie significat mansuetos, ut vertit Noster, Arias, et Muisius: seu *mites*, ut S. Hieronymus.

Nota secundo, mansuetudo hic sumi potest Primo pro omni virtute. Sic erit synecdocha, hoc modo etiam sæpe sumitur humilitas, sicut superbia pro omni vitio. Superbia enim prima et maxime universalis est radix peccatorum: et humilitas atque mansuetudo virtutum. Secundo, et melius, mansuetudo hic præcise et proprie sumenda est. Huius enim virtutis fuit amantissimus David, ut patet Ps. 131. 1.

Moraliter. Mansuetudo prodest ad bonam symphoniam in Dei laudibus. Primo, quia ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 157. art. 4. ad 1. Mansuetudo præparat hominem ad cognitionem Dei, removendo duplex impedimentum: scilicet iram, et contradictionem veritatis. 22. Mansuetudo facit bonam symphoniam ob quinque rationes.

Secundo, mansuetudo impediens malos humores, præ- I.

C

sertim bilis dat et conservat bonam et iucundam vocem. Contra vero, ira turbat organa.

Tertio, mansuetudo dat vocem cum aliis concordantem: iracundi vero symphoniam dissolvunt: cum aut voce fusca, vix verba formant: aut rigida, inflexiones nullas efficiunt: aut scabra, suavitatem musicæ omnem tollunt. Mansuetus etiam fidium modulationi puræ vocis candidæque sonos admiscet, flexilisque iucundas fractiones, iucundæque dulcedinem inserit, mentemque Deo intentam mira delectatione perfundit. Hinc ponitur a Christo inter beatitudines, Matth. 5. et a S. Paulo inter fructus Spiritus sancti, Galat. 5. 23. Est tamen etiam virtus, quæ, ut ait S. Thomas 2. 2. q. 157. art. 2. in quantum refrænat impetum iræ, concurrit in eumdem effectum cum clementia. Differt tamen ab illa, in quantum clementia est moderativa exterioris punitionis: mansuetudo autem proprie diminuit passionem iræ. II. III.

Quarto, mansuetudo dat aures dociles et attentas, ut IV.

D

præfecti musicæ ductum bene sequamur, qui ait Matth. 11. 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Hæc est bona musica. Non misit cantores suos nascens ad Herodem crudelem, ad Pharisæos invidos et superbos, sed ad humiles et mansuetos pastores. Luc. 2. 13. Cum voluit sibi cantari cantus triumphales, assumpsit discipulos mansuetos et pueruIos, veniens ipse mansuetus sedens super mansuetum iumentum Zachar. 9. v. 9. dicitur: *Exulta satis* (Hebr. et Chald. vehementer) *filia Sion* (anima contemplativa) *iubila filia Ierusalem*: (anima in actione pacifica) *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus et Salvator: ipse pauper* (Septuag. et S. Matth. cap. 21. 5. πραυς, hoc est, mansuetus) *et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ*. Super utrumque successive sedendo, ut S. Chrysost. Ribera, a Castro, et alii censent. Drogo Hostiensis Episcopus, qui floruit tempore S. Bernardi, tract. de Sacram. Domin. passionis, ait: *Venit tibi mansuetus: qualis ipse est, talem te esse vult: mansuesce iugum eius portare. Et ipse sedeat*

super te asinam suam, et pullum filium subiugalis, dicit deinde carnem esse asinam, spiritum vero esse pullum, et super utrumque debere Christum sedere. Vide dicta Ps. 72. 23. *Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Abbas Mestero in congregationem religiosam ingrediens, hoc sibi in animo insculpsit, ac sæpe in memoriam revocavit: *Ego et asinus idem sumus*, sic semper vixit mansuete cum aliis, et nihil durum iudicavit. S. August. pie et ingeniose in Psalm. nostr. ostendit, quomodo debeamus esse similes asino Christum ferenti: *Audiant mansueti, et lætentur. Ergo qui non in Domino volunt laudari, non sunt mansueti: sed truces, asperi, elati, superbi. Iumenta mansueta vult habere Dominus. Esto iumentum Domini: id est, esto mansuetus. Sedet ille super te, ipse regit te, noli timere, ne offendas, et eas in præceps: Infirmitas quidem tua est, sed attende, quis tibi præsideat. Pullus asini es, sed Christum portans. Nam et ipse in pullo asini venit ad civitatem, et fuit illud iumentum mansuetum. Numquid laudabatur iumentum illud. Numquid iumento dicebatur, Hosanna fili David, benedictus qui venit in nomine Domini? Asellus portabat: sed ille, qui portabatur, a præcedentibus et consequentibus laudabatur. Et dicebat forte iumentum: In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti et lætentur. Nunquam illud dixit ille asinus; fratres: sed dicat illud populus, qui imitatur iumentum illud, si vult portare Dominum suum. Irascitur forte populus, quia comparatur asello, in quo sedit Dominus. Et dicent mihi aliqui superbi et elati: Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini, quisquis hoc dicit: ne sit equus et mulus, quibus non est intellectus.* David noster et se iumentum Domini esse gloriabatur, Ps. 72.23. et erat mansuetissimus, Ps. 131. v. 1. Eam ob rem fuit Psaltes excellens.

V. Quinto denique, mansuetudo compescit tumultum et strepitum extrinsecum, ne suavitatem musicæ impediat. Hoc accidit præsertim in domibus religiosorum, ubi silentium est et pax, ideo chorus diurnus nocturnusque Angelorum fit in conspectu et Dei. Sunt aves mansuetæ in sylvis suave canentes, avium rapacium cantus est ingratus, ut corvi et aquilarum: Lusciniæ, acanthides, fringillæ sunt pacificæ, mansuetæ et innoxiæ. Mediis in urbibus strepitus est obstrepens et importunus: hic faber ferrarius incudem tundit, hic quadrarii lapidis sector malleo silicem percutit: illic sector lignarius ingrato murmure serram ducit: illic infans ululat, mulier clamat, furit ebrius, execratur blasphemus, omnia molesto fragore instrepunt: strepituque stupefacti mortales obstipo in terram capite in quisquiliis colligendis et complectendis occupantur. Si vero religiosorum claustra subieris, altum ubique silentium, modesta et quieta cernes omnia. Inde itaque libet animus in cælum avolat, et cælestem symphoniam audiens illi læta voce, vultu, anima responsat. Sunt *aves cæli*, de quibus Christus Marc. 4. 12. de illis dicitur Sap. 17. v. 17. *Inter spissos arborum ramos* (in umbra virtutum, cum non est æstus passionum) *avium sonus suavis.* David invitat ad laudandum Deum *volucres pennatas*, Ps. 48. 10. frustra iacitur rete ante oculos pennatorum: avolant enim, et in excelsis arboribus cantant. Qui vero irascuntur, omnia tumultu complent, atque impediunt musicam. Prov. 20. 2. *Sicut rugitus leonis, ita et terror Regis.* Septuag. non differunt minæ Regis a furore leonis. S. Ambros. lib. 2. apolog. David, cap. 3. habet: Non distat ira Regis ab ira leonis. Idem dic de Prælato, Iudice, Magistratu, patrefamilias, præceptore, et aliis auctoritatem habentibus. Illis dic cum auctore Eccl. cap. 32. 4. *Loquere maior natu* (Tigurina, senex) *decet enim te primum verbum* (sappia, loqui) *diligenti scientia* (et accurata, et amoris plena atque benevolentiæ) *et non impedias musicam*, id est honestam recreationem in convivio, de illa enim agit. Secunda, musicum concentum, qui a veteribus Hebræis in mensa solebat adhiberi, ut patet v. 7. et Psal. 69. 13. ac Luc. 15. 25. Tertia, *musicam*, id est concentum et ordinem in disserenda. Quarto, concordiam et amorem mutuum. Cave ne in potestate constitutus rugias per iram et superbiam, atque alios sub tua dominatione gemere et ululare facias. Alphonsus Rex Aragonum conquerentibus de nimia sua lenitate dicebat: *Quid ergo? vultis ursos et leones regnare? Hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos mea clementia servare, quam paucos mea severitate perdere.* Idem interrogatus, quid maxime adversarios flecteret, ait, *Placabilitatis et mansuetudinis nomen.* Sic mansuetudo discordantes revocat ad rectos musicæ tonos. Nam ut ait Salomon Prov. 15. 11. *Responsio mollis* (Hebr. tenera. Tigurina, mitis. Septuag. submissa. Optimum remedium contra iram est vocis demissio) *frangit iram* (Hebr. reverti facit iram) *sermo durus* (Hebr. *verbum doloris*, non est aptum ad musicam. Symmach. θρασυς, id est audax. Vatabl. atrox) *suscitat furorem.* Hercules iratus fregit Lyram Lini: quia ira tollit musicam et harmoniam. Vide Ps. 131. 1. de mansuetudine Davidis Psaltæ nostri.

Quinta cytharæ nostræ cælestis, id est animæ sanctæ, chorda est lætitia spiritualis, vers. eod. 3. ET LÆTENTUR. S. Hieron. *et lætabuntur.* Lætitiam dat mansuetudo, Prima, quia tranquillat passiones et humores, atque impedit internos tumultus et bella. Secundo, quia impedit externas tempestates et procellas. Tertio, quia mansuetus videt se esse Christo similem. Quarta denique, quia Christus se obligavit ad dandam illi pacem et quietem, Matt. 11. 29. *Discite a me* (non ab Angelo, non ab homine, non ex libro, sed a me, ait S. Ioan. Climac. grad. 25.) *quia mitis sum et humilis corde* (hoc est, cordis affectu, seu voluntate, ait S. Bern. serm. 42. in Cant.) *et invenietis requiem animabus vestris.* S. Ioan. Climac. grad. 24. *Mansuetudo est immutabilis animi status, qui in omni fortuna bonorum et contumeliarum æqualem animi habitum conservat. Mansuetudo est, pro aliis te perturbantibus sine perturbatione sincere et ex animo precari. Mansuetudo est* υπερκειμενη θυμῳ θαλαττης πετρα, *prominens adversus iram maris rupes, quæ omnes illisos fluctus dissolvit ac frangit, nec ipsa interim movetur, aut frangitur. Mansuetudo est*, υπομονης στηριγμα, αγαπης θυρα, μαλλον και μητηρ, *stabilimentum patientiæ, charitatis ianua, imo vero parens, prudentiæ argumentum.* Psal. 20. v. 1. dicit David: *In virtute tua* (id est in humilitate et mansuetudine; 2. ope tua et robore) *lætabitur Rex* (is qui sibi imperat) *et super salutare tuum exultabit vehementer.* 23. Vers. 3. 3. Pars. V. Cytharæ chorda, est lætitia spiritualis.

Ex oratione enim tranquillitate facta oritur lætitia: 1. ad Thess. 5. cum dicit Apostolus: *Semper gaudete*, statim subiicit, v. 17. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*, veluti in fontes lætitiæ digitum intendens. Hoc vidit Theophylactus. Sic enim eo loco dicit: *Iter monstrat, qua fiat, ut semper gaudeamus, orationem nimirum, quæ non cesset, atque gratiarum actionem: Qui enim assuefit cum Deo versari, eique gratias agere in omnibus rebus, tamquam utiliter contingentibus, planum est, quod perpetuum sit gaudium habiturus.* De oratione speciatim ait S. Ephrem. tract. de illa: *Oratio est mærentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solatium.* Et postea subdit: *Oratio tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris convertit.* De gratiarum autem actione S. August. epist. 77. ait: *Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Hæc Ephrem. 24. Ex oratione oritur lætitia.

Sexta cytharæ nostræ cælestis chorda, est Fervor in Deo exaltando, v. 4. MAGNIFICATE (vos mansueti) DOMINUM MECUM, ET EXALTEMUS NOMEN EIUS IN IDIPSUM. Magnificari, id est magnus fieri non potest Deus in se, cum sit infinitus in essentia et in omnibus attributis tum essentialibus, tum notionalibus: itaque nullo modo potest in se crescere. Quid addat terræ atomus, guttula Oceano, scintilla Soli et cælo, homulus Deo? potest tamen augeri Deus in nobis, et in proximis, et hoc declaravit ipse Christus variis modis apparens Sanctis, prout in eorum animis erat, modo puer, modo adolescens, modo vir perfectæ staturæ, nunc hortulanus, nunc peregrinus. 25. Vers. 4. 1. Pars. VI. Cytharæ chorda, est fervor.

Primo itaque potest magnificari Deus in nostro intellectu per clariorem et maiorem cognitionem perfectionum 26. Magnificandus est Deus,

I. *In intellectu nostro.* eius. S. Basil. in Ps. nostr. *Magnificat Dominum, qui* μεγάλῃ διανοίᾳ καὶ θεωρήματι βαθυτάτοις, *non mediocri intellectu et sublimiore animi speculatione, rerum conditorum multimodam magnitudinem considerat, ut ex earum magnitudine iusta et pulchritudine, tantorum rerum opificem contempletur. Quanto enim magis in sublimitatem rationum, quibus omnia constant, et omnia reguntur, sese attollet quispiam; tanto magis Dei magnificentiam conspiciet; et quantum in se virium habet, is magnificat Dominum.* Et Ps. 29. v. 1. In ea verba: *Exaltabo te Domine*, sic ait: Ab his dicitur exaltari Deus, qui magna, et quæ Deum nihil dedeceant, intellectu et cogitatione apprehendunt, et vitam omnem ad unius Dei gloriam componunt. Qui igitur ad beatitudinem cum scientia properat, ὑψοῖ θεὸν, Deum exaltat: qui viam ingreditur huic oppositam, quod nefas quidem sit dicere, quantum in ipso situm est, θεὸν ταπεινοῖ, Deum humiliat.

II. *In voluntate.* Secundo, in voluntate nostra magnificatur Deus, cum totus amor illi consecratur, et amatur super omnia. S. August. sermon. de Assumpt. *Quæcumque anima sancta Verbum concipere potest credendo, parere prædicando, magnificare amando, ut dicat: Magnificat anima mea Dominum.*

27. III. *In tota anima.* Tertio, in tota anima nostra magnificatur Deus, cum imaginem Dei sibi impressam, perfectiorem et maiorem facit, per augmentum maioris gratiæ, quam a Deo impetrat. Deipara dicit Luc. 1. 46. *Magnificat anima mea Dominum*, quod considerans S. Ambros. ait lib. 2. in Luc. *Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo. Si secundum carnem una Mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus. Omnis enim anima accipit Dei verbum, si tamen immaculata et immunis a vitiis sit, et intemeratam castimoniam pudore custodiat.*

28. IV. *In ore.* Quarto, in ore magnificatur Deus, cum eum laudamus, quantum possumus. David Ps. 68. 31. ait: *Laudabo nomen Dei* (Chald. addit, *mei*, in creatione, redemptione, glorificatione) *cum cantico: et magnificabo eum in laude* (id est laude, per laudem) *Et placebit Deo* (illud laudis sacrificium) *super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas*, id est, præ aliis omnibus victimis. Ad eam laudem Deo dandam hortatur auctor Eccli. cap. 39. 41. *Nunc in omni* (id est, in toto; est metonymia) *corde et ore collaudate, et benedicite nomen Domini.* Et fusa cap. 43. 32. Lactantius eam esse Deo acceptissimam hostiam docet his verbis lib. 6. divin. institut. cap. ult. *Summus colendi Dei ritus est, ex ore iusti hominis directa laudatio, quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, humilitate, et timore, et devotione maxima opus est.* Et S. August. in Ps. 68. loco citato, vocat gemmas laudis de thesauro interiore prolatas.

29. V. *In toto corpore.* Quinto, in toto corpore magnificatur Deus: Primo, per generosam tolerantiam tentationum et afflictionum. Secundo, per bona opera. Philipp. 1. ait Paulus v. 20. *Magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* De toleratione et victoria tentationum ait S. Basilius in Psal. nostro: *Magnificat Dominum is, qui* μεγάλῃ διανοίᾳ, καὶ γαύρῳ φρονήματι, καὶ ἐπηρμένῳ, *magno mentis proposito, celsoque animo et erecto pro pietate tentationes tolerat.* De operatione heroica et cælesti ait Theophylactus in Lucam: Magnificat Deum, qui digne iuxta Deum ambulans vocatur Christianus, non attenuans nomen et dignitatem Christi, faciendo quod non oportet, sed magnificans operando magna cælestiaque opera: ita Theophylactus.

30. VI. *In proximis.* Sexto, in proximis potest magnificari Deus eos docendo, et ad virtutes exercendas incitando. Sic dicebat Paulus Galatis cap. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, id est, Christi fides, spes, charitas. In quibusdam Christus est tantum embryo, in aliis puer, in aliis adolescens et vir, in hoc speciosus est forma præ filiis hominum, in hoc rugas contrahit, sicut apparuit Deipara in specie vetulæ corrugata facie et deformi B. Iosepho Ordinis Præmonstratensis, quod Procurator domus factus omitteret certas preces, quas in eius honorem dicere erat solitus: in uno Christus crescit, in altero claudicat, in Christo enim vivit iustus, et in iusto Christus.

Septima cytharæ nostræ spiritualis corda, est Charitas, et voluntatum consensio, v. eod. 4. Et exaltemus nomen eius in idipsum. Hebr. יַחְדָּו *iachdav*, id est simul, pariter, coniunctim. S. August. sermon. 2. de Assumpt. legit, *in invicem.* Quidam apud ipsum hic, *in unum.* S. Hieron. *pariter.* Felix, *simul.* Aquila ὁμοθυμαδὸν, id est, *unanimiter.* Arabs vertit, *nobilitate nomen eius omnes.* Invitantur ad laudandum Deum omnes, sed ea conditione, ut charitate sint quasi unus, atque animo Deum laudent, ne sit ingrata eius auribus dissonantia. S. Aug. hoc loco monet, ut omnes ad Deum trahamus: *Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis iunguntur, et omnes qui sunt in domo vestra. Si amatur a vobis corpus Christi, id est unitas Ecclesiæ: rapite eos ad fruendum, et dicite: Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum. Quid est exaltemus nomen eius in idipsum: hoc est, in unum. Nam multi codices sic habent. Ergo rapite, quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate. Rapite ad amorem, ut si magnificant Dominum, in unum magnificent. Et pars Donati videtur sibi magnificare Dominum. Quid eos offendit orbis terrarum? Dicamus illis fratres. Magnificate Dominum mecum, etc. Quare in præcisione cultis magnificare Dominum? Ille unus est, quare duos populos vultis facere Deo? Quare cultis discipere corpus Christi? Certe enim ipse pendebat in cruce, quando tympanizabat. Et cum penderet in cruce, emisit spiritum: et venerunt illi, qui eum suspenderant, et invenerunt eum emisisse spiritum, et non illi fregerunt crura. Venit persecutor, et non fregit crura Christi: venit Donatus, et disrupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce inter manus persecutorum est, et inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ:* ita August. deplorans schisma Donatistarum, qui cum essent in uno Africæ angulo, apud se solos veram Ecclesiam residere iactabant. Ecclesia una est et Catholica, id est universalis. Christus dicit Ps. 39. v. 10. *Annuntiavi* (Græc. εὐηγγελισάμην, Evangelium, id est bonum nuntium protuli) *iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Magnus est Deus et magnificandus domum et hæreditatem magnam postulat; de ea vide Psal. 28. et Psal. 21. 26. Ad eam omnes aggregandi pro viribus, ut fecerunt Apostoli ad faciendum unum tabernaculum. Exod. 26. 6. *Facies et quinquaginta circulos* (id est, circulares fibulas) *aureos, quibus cortinarum vela iungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat.* Lege totum caput, multa de cortinis, sagis, ac tabulis sibi iunctis in eam rem reperies.

31. Vers. 4. 2. Pars. VII. Cytharæ chorda, est charitas.

32. Charitas et concordia sit in familia religiosa. Nota, hæc dicebat David militibus ad se confugientibus in speluncam *Odollam*, quæ significat *congregationem.* Hoc attendat congregatio religiosa, quæ Deo militat, et intra Christi vulnera procul a mundo se abscondit, ut in Christo unita illi unanimiter canat, et cælum evadet; ubi tot erunt astra et Angeli, quot religiosi, ut possit illis dici cum Davide Ps. 148. 1. *Laudate Dominum de cælis* (Chald. Laudate Dominum creaturæ sanctæ de cælis) *laudate eum in excelsis* (Chald. Laudate eum omnes Angeli excelsi) *Laudate eum omnes Angeli eius* (Chald. addit, qui ministratis coram eo) *Laudate eum omnes virtutes eius* (Hebr. omnes exercitus eius, tum quæ dicuntur militares religiones, tum quæ bellum tantum spirituale gerunt. Vocatur societas Iesu, *la compagnie de Iesus*, verbo militari) *Laudate eum Sol et Luna: laudate eum omnes stellæ et lumen.* S. Hieron. omnes stellæ luminis. Stellæ obtenebratæ caligine sunt viri docti aut ingeniosi, qui luce sua fumosa et nebulosa ad tenebras vitiorum ducunt, ut ignes fatui ad lacus et præcipitia. S. Chrysost. in eum Psalmum, ait, Esse hoc sanctis in more positum, propter pium et gratum suum animum, ut cum Deo sint acturi gratias, accersant multos laudationis socios: et hortentur, ut καλὴν ταύτην λειτουργίαν, *pulchrum hoc munus* obeant. Probat exemplo trium puerorum, qui omnes creaturas ad Deum lau-

dandum invitant; ne Davidis, qui sæpe hoc facit: atque Isaiæ, cap. 49. 13. Vegetius lib. 1. de re militari ait, nihil magis prodesse in pugna, quam ut milites in acie dispositos ordines servent: ne videlicet sint nimis constipati, et consequenter sint sibi impedimento in pugna: aut nimis sint rari et interlucentes, quia tunc aditum prorumpendi hostibus dabunt. Sic in pugna spirituali, duo extrema vitanda sunt, nimius scilicet atque inordinatus amor, et iactura veræ et Christianæ unionis. Laudant Deum omnes virtutes eius: id est exercitus, cum sibi bene uniuntur, et voce consona exultant.

33. *Dei gloriam quære, ut sis cum aliis concors.* Nota secundo, modus bene inter omnes concordandi est quærere exaltationem nominis Dei, non suam. Ædificatores turris Babel dixerunt inter se Genes. 11. 4. *Venite, faciamus nobis civitatem* (Babylonem) *et turrim* (quæ fuit in ipsa Babylone) *cuius culmen pertingat ad cælum* (est hyperbole. S. Hieron. ait fuisse altam quatuor millia passuum, id est milliare magnum seu Germanicum) *et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur* (Hebr. ne forte dispergamur) *in universas terras.* Qui celebritatem et gloriam nominis sui quærebant, et in ea civitatem, id est, civium unitatem fundare volebant et coniungere; ideo Deus descendit, et confudit, hoc est, permiscuit idiomata eorum, ita ut vel inviti dividerentur, et a se invicem separarentur per universam terram.

34. *Mundani quærunt delicias, divitias et honores.* Hebræi in Ægypto servientes Pharaoni, id est peccatores, diabolo ædificant tres civitates: nempe *Phithom*, id est, 1. *os deficiens*; 2. *os abyssi*; 3. *buccella eorum.* Hæc est luxuria, quæ ore averni fumos et fœtorem eructat de puteo abyssi, hanc nutrit gula, et iuvat mendacium ac fallacia. Secundo, ædificant *Ramesse*, id est, *tonitru tineæ*; 2. indignatio seu commotio tineæ; 3. malum dissolvens. Hæc civitas est avaritia, ubi multus est tumultus inter opifices, mercatores, ac divitiis potentes: tonant, sed velut tineæ, quæ post corrosionem causant ruinam domus cum fragore, et ea quoque occidunt, et perit memoria eorum cum sonitu, atque a se invicem dividuntur odiis, calumniis, litibus, iniuriis, et furtis. *Figurantur in ædificatoribus civitatum in Ægypto.* Tertio, ædificant in Ægypto, id est in mundo, *Heliopolim*, hoc est civitatem Solis, ut addunt Septuag. quod S. Hieron. in locis Hebr. suspectum sibi esse ait, quod Heliopolis iam esset ædificata, ut habetur Gen. 41. 45. Sed dic eam antea eversam fuisse, et ab iis reparatam, vel ita auctam, ut nova urbs videretur, sicut Semiramis et Nabuchodon. auxerunt Babylonem, et suam dixerunt: vel esse aliam urbem ab ea, quæ recensetur in Genesi. Septuag. eam vocant *On*, id est dolorem, tristitiam, iniquitatem. Civitatem Solis mundani ac terreni ædificat, qui vanam gloriam et lucem captat: sed pro splendore et lætitia reperit dolorem et tristitiam, atque iniquitatem, quæ a πονος, id est, labor dicitur πονηρια. q. d. laborans, aut sub labore gemere faciens. Tres illas civitates aliter applicat S. Bern. in sententiis: *Triforme*, ait, *impiorum refugium: deceptricis documentum fallaciæ, quæ est Phithom; 2. sæcularis munimentum potentiæ, quæ est Ramesse; 3. simulatricis figura iustitiæ, quæ est civitas Solis. Has ædificari iubet Pharao.* Ad eas autem ædificandas ad lateres faciendos dispergebantur Hebræi per totam Ægyptum quærentes paleas. Qui paleas, id est, res inanes et frivolas quærit, dispergitur et dividitur perdens charitatem pro temporalibus acquirendis, et gemit sub captivitate Pharaonia, non canit in libertate filiorum Dei. Pharao significat Hebr. dissipantem.

35. Vers. 5. VIII. *Cytharæ chorda est diligentia in Deo quærendo.* Octava cytharæ nostræ spiritualis chorda, est Diligentia in Deo quærenda, eiusque ope impiorando. v. 5. EXQUISIVI DOMINUM, ET EXAUDIVIT ME, ET EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS MEIS ERIPUIT ME. Pro *exquisivi*, Hebr. est דרשתי *darasti*, id est, quæsivi, ut vertit S. Hieron. et Pagnin. *inquisivi*, ut habet Psalt. Roman. et Ambros. Secundo, interrogavi, percunctatus sum. Hinc Campens. vertit: Consului Dominum, et responsum dedit mihi. Mercerus monet in thesauro, *daras* includere curam, sollicitudinem, et diligentiam. Unde Vatabl. reddit, *Anxie quærebam Dominum.* S. Basilius in Græca voce εξεζητησα notat esse emphasim, et plus esse quam ζητεω. Sic plus est apud Latinos exquirere, quam quærere: denotat enim, 1. diligentiam; 2. constantiam; 3. scrutationem. Tullius hoc indicat, cum ait lib. 4. Academicarum quæst. Neque nos studium exquirendi defatigati relinquimus. Quæsivit porro David Dominum, cum periclitaretur apud Achis. Primo, ut eum instrueret, quid esset faciendum. Hinc Chald. vertit: *Quæsivi doctrinam a conspectu Domini.* Secundo, ut adiuvaret omni humana ope destitutum.

Pavor stupidum efficit. Nota secundo, pro *tribulationibus*, Hebr. est מגורות *megurot*, id est pavoribus in peregrinatione acceptis. Deducitur enim a radice גור *gur*, hoc est, peregrinari, expavescere, formidare. Vatabl. ex omnibus pavoribus meis eripuit me. Pagnin. timoribus. Sed pavor melius exprimit trepidationem summam, quæ tanta fuit, ut David stupidum se et insanum finxerit. Est enim pavor, ut ait Tull. lib. 4. Tuscul. quæst. timor loco movens mentem. Vernacule vocatur *frayeur*. Ennius apud Tull. 3. de Oratore, Pavor, inquit, sapientiam omnem mihi ex animo expectorat. Septuag. vertunt θλιψις, id est, compressiones, constrictiones, elisiones, angustias mentis comprimentes. Hæc optime congruunt in aula Achis clauso, et ad ostia impingenti. Symmach. vertit, περιστασεις, id est, circumstantias, hoc est, hostes et calamitates ex omni parte circumstantes, ita ut nulla spes exeundi relinquatur. Tunc si spes in Deum erigatur, eripit ex omnibus. Primo, hostium vires minuendo. Secundo, vires obsessorum augendo ad resistendum. Tertio, animum et robur addendo ad aggrediendum. Quarto, felicitatem, et facilitatem ad evadendum. Quinto, prudentiam ad cavenda futura incommoda atque pericula. Vide dicta Ps. 26. 1.

Tropolog. nota, ut bene Deus quæratur, debet quæri in interioribus, non in exterioribus: ita S. Aug. et Cassiodor. qui legunt, *inquisivi Dominum*, q. d. intus quæsivi. Verba S. August. sunt: *Ubi exaudivit Dominus? Intus. Ubi dat? Intus. Ubi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti intus, exauditus es. Beatificatus es, et non scit qui iuxta te stat. Gestum est a te totum in occulto, sicut Dominus in Evangelio dicit Matth. 6. 6. Intra in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora in occulto, et Pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi. Cum ergo intras in cubiculum tuum, intras cor tuum. Beati qui gaudent, quando intrant ad cor suum, et nihil mali ibi inveniunt. Attendat sanctitas vestra, quomodo nolunt intrare domos suas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum et gaudent: cœpit hora esse, qua intraturi sunt in domum suam, et contristantur. Intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones, etc. Quanto miseriores sunt, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur.* Ait deinde cor esse mundandum, ut ibi oretur, et Deus quæratur atque invocetur. Lombard. breviter: Exquisivi, ait, Dominum intus munda conscientia. Et Cassiod. Inquisivi Dominum, inquit, non spatio longo terrarum: non per locorum latitudines forte distentos: sed in corde, ubi si maiestatem ipsius cogitamus, ibi eam præsentem modis omnibus invenienmus. — 36. *Tropol. Quæri debet Deus in interioribus.*

Secunda nota, non dici, exquisivi a Domino, sed exquisivi Dominum. S. August. id expendit: *Aliud est*, inquit, *inquirere a Domino, aliud ipsum Dominum inquirere. Inquisivi, inquit, Dominum, et exaudivit me. Tu autem quando oras, et dicis: Occide illum inimicum meum, non Dominum inquiris, sed quasi facis te iudicem super inimicum tuum, et facis quæstionarium Deum tuum. Vide sis* (sic corrigo, pro, unde scis) *ne melior te sit, cuius mortem quæris: eo ipso forte, quia ille non quærit tuam? Ergo noli aliquid a Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te: et adhuc te loquente dicet, ecce adsum. Quid est, ecce adsum? Ecce præsens sum: quid vis? quid a me quæris? Quidquid tibi dedero, vilius est, quam ego: meipsum habe, me fruere, me amplectere:* ita August. qui ait id nunc fieri per fidem, in cælo autem per claram visionem. Ruffin. vim facit in τω *exquisivi*: Exquisivi Dominum, ait, q. d. Extra omnia postpositis temporalibus, vel ex toto corde, ex totis viribus quæsivi Dominum: et

exaudivit me, ut invenirem eum. Sic Moses in suis afflictionibus et difficultatibus ad Deum se conferebat in tabernaculum, Exod. 33. 8. et seq. Num. 7. 89. et 16. 43. atque aliis locis. Et ibi audiebat Angelum loquentem sibi ex propitiatorio, et oracula fundentem, atque opem Dei, sæpeque sensibilem obtinebat.

37. Vers. 6. IX. Citharæ chorda est fides. NONA citharæ nostræ spiritualis chorda, est Fides, quæ non tantum sonum, sed etiam lucem fundit. Inde addit David, v. 6. ACCEDITE AD EUM, ET ILLUMINAMINI, ET FACIES VESTRÆ NON CONFUNDENTUR. Pro *accedite*, nunc Hebr. est הַבִּיטוּ *hibbitu*, id est aspexerunt. Unde Vatabl. vertit: Respicient ad illum, et confluent: nec suffundentur pudore facies eorum. Sed noster, Sept. et S. Hieron. per imperativum reddunt meliori sensu. Legerant *habbitu*, et bene; correctiores enim codices Sept. habuerunt, quem nunc habemus.

Nota secundo, pro *illuminamini* est נַהֲרוּ *naharu*, id est, Primo, accurrite, procurrite, cum celeritate et proclivitate accedite. Unde Campensis vertit: *Concertant se ad illum propere, quotquot sapiunt*. Duas attigit significationes. Secundo, *nahar*, significat confluere, cum copia et affluentia occurrere instar fluvii, qui inde dicitur Hebr. *nahar*. Hinc S. Hier. vertit: Respicite ad eum et confluite. Tertio, *nahar* idem est, quod illuminare. Hinc collige, Primo, ad Deum accedendum esse cum fervore. Secundo, cum charitate et liberalitate. Tertio, cum lætitia. Quæ ut melius percipiantur.

Moraliter nota, tria nos hic moneri. Nempe, ad Deum esse accedendum, et cur: quibus virtutibus id fiat: quis inde fructus sequatur.

38. Ad Deum est accedendum ut illuminemur. Ac primo, Ratio, cur ad Deum sit accedendum, est, quia lux est substantialis, et fons omnis lucis: *Accedite ad eum, et illuminamini*. S. Dion. Areop. cap. 4. de divin. nominib. ponit Lumen inter intelligibilia Dei nomina. S. Ioan. 1. 9. vocat Lucem veram, q. d. omnis alia lux falsa est, et fallens, ac mendax. S. Ambr. lib. 1. Hexaem. cap. 9. *Auctor lucis Deus: locus autem et causa tenebrarum, mundus est*. In eam rem Clem. Alex. ait, ad Deum esse accedendum, oculosque in eius contemplatione defigendos, ut lucem eum vocemus. Verba eius sunt in admonitione ad Gentes: *Eum qui vere est Deus, contemplemur, hanc ei primam vocem acclamantes*, χαῖρε φῶς, *salve lux, quia lux nobis e cælo orta est*. S. Dion. cap. 5. de divin. nomin. dicit, quod Deus est ὑπέρσοφος σοφία, sapientia omni sapientia superior; et Philo lib. de mundo, πάνσοφος, id est omnia sciens. S. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 8. *substantialiter lux*. Christus ait Ioan. 8. 12. *Ego sum lux mundi*; a S. Simeone vocatur Luc. 2. 32. *Lumen ad revelationem Gentium*. Arab. Lumen, quod apparuit Gentibus. Theophylact. Lumen ad illustrationem Gentium obtenebratarum. S. Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet* (Christus est lux formalis, qua Deus; et lux causalis, qua homo) *et tenebræ eum non comprehenderunt*. Gr. οὐ κατέλαβεν, id est, non susceperunt, ut Vatabl. reddit. Tenebræ sunt homines obtenebrati, et excæcati maxima ignorantia, infidelitate, cupiditatibus et peccatis. Triste et deplorandum fuit spectaculum, videre quindecim millia Bulgarorum

Basilius Imper. excæcat quindecim millia Bulgarorum. excæcatorum per crudelitatem Basilii Imp. victoris, qui in singulis centuriis unum tantum monoculum reliquerat; qui alios duceret, ut refert Zonaras in hist. et Volaterranus in Antrop. ad quem aspectum Samuel eorum Princeps ita indoluit, ut dolore exanimatus conciderit, et mortuus sit. Pene omnes mortales cæci sunt, vix uno relicto, qui myriadem unam ducat. Oculatissimi sunt in terrenis, sed cæci prorsus, ut reperiant portam cæli, sicut Sodomitæ, ut invenirent ostium domus Loth, qui significat resinam pretiosam, quæ dicitur stacte: id est, primam myrrham sponte fluentem: non reperiunt delicatuli iter ad mortificationem, sine qua nemo ingreditur regnum cælorum, quod vim patitur, et violenti datur. Syri seu Aramæi, id est, excelsi; 2. decipientes; 3. maledicti, non reperiunt Elisæum, hoc est Dei salutem, seu Deum salvantem, excæcat enim superbos celsitatis amantes, avaros decipientes, luxuriosos maledictos malitia eorum. Tunc demum oculi illis aperiuntur, cum ex improviso astant ante regem Israel, 4. Regum 6. 20. qui significat Domini protectionem, hoc est, cum Iustitiæ divinæ in iudicio puniendi sistentur, et videbunt, in quem transfixerunt.

39. Virtutes duæ ad Deum nos ducunt. Secundo, duabus virtutibus ad Deum ducimur, Primo, fide. Secundo, charitate, seu operibus.

I. Fides. Primam virtutem, nempe fidem nos docet vox Hebr. הַבִּיטוּ *habbitu*, ut legerat S. Hieron. Unde vertit, *respicite*. Fides est oculus mentis, qui Deum nobis ostendit, ut ad eum pergamus. Hebr. 11. 6. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia* (quod) *est, et inquirentibus se remunerator* (μισθαποδότης, mercedis redditor) *sit*. Ad hoc sufficit cognitio naturalis, quæ proponit nobis Deum velut auctorem naturæ, et a quo bona tantum naturalia expectare debemus. Fides est templi cælestis porta, ut docet S. Gregor. hom. 17. in Ezech. ubi de fabrica templi agens dicit: *Signatur per portam fides: per atrium charitas: per locum vero, qui ad faciem vestibuli portæ interioris propinquat, signatur spes: sine quibus tribus virtutibus quisquis iam uti ratione potest, ingredi ad cæleste ædificium non potest. Habeatur ergo fides in porta, quia introducit ad intelligentiam: charitas in atrio, quia mentem dilatat in amorem. Spes in loco quinquaginta describitur cubitis, quia per desideria atque suspiria introducit animum ad secreta gaudia quietis.*

II. Charitas. Secundam virtutem, nempe charitatem denotat vox Græca προσέλθετε, id est, accedite. Non vult Deus sui spectatores otiosos. Beati sunt immaculati, qui ambulant. Cum Deo, et ad Deum est ambulandum. Tobias senior filio suo Tobiæ et Azariæ eius comiti, id est Angelo Raphaeli, dicebat ituris in Rages ad Gabelum, pro recuperando pecunia illi accommodata, Tob. 5. 21. *Bene ambuletis, et sit Deus in itinere vestro*. Deus, id est Michael Archangelus custos populi Dei, apparet Mosi in cacumine Horeb, hoc est in supremo vertice montis Sina: sed quomodo? *in flamma ignis de medio rubi*, 1. ut ei luceret; 2. ut eum inflammaret, ita ut non veritus rubum, id est tribulationem, diceret: *Vadam, et videbo* (prius ire festinat, quam desidiose spectare) *visionem hanc magnam*, hoc est rem hanc magnam, quæ se mihi videnda obiicitur. Est metonymia: ponitur enim actus pro obiecto. Pes ad Deum nos ducens est charitas: et hic duplex est, nempe charitas Dei, et charitas proximi: hic sinister, ille dexter est. S. August. in Psal. nost. *Accedite ad eum, et illuminamini, ecce ad Gentes dicitur: Crucifixus Christus inter Iudæos erat sævientes, et videntes, Gentes absentes erant. Ecce illi accesserunt, qui in tenebris erant: et qui non viderunt, illuminati sunt. Unde accedunt Gentes? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis Dei et proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum: quia ut curreres, ipse hortatus est, et ipse suum lumen aperuit sic, ut magnifice et dicive se sequi possitis. Et vultus vestri non erubescent.*

40. Accedens Deum duo obtinet. Tertio, Fructus duplex illius ad Deum accessus ponitur. Primus, illuminatio. Secundus, postulationis adeptio.

I. Nam primo, Deus sanctis suis circumfusus eos facit esse perelia, id est, soles, æterni Solis similitudinem referentes. Ps. 4. 7. ait David: *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Vide illum locum. Apud Cresollium nostrum l. 11. Mystag. ait Ecphantes Pythagoreus, præstantium in hominum animis lumen quoddam esse divinum, ac proinde Regis ac dominantis animum debere esse, καθαρώτατον καὶ διαυγέστατον, purissimum et eximia charitate fulgentem. S. Isid. lib. 16. et Origen. tradunt, Lychnitem de ardentibus lapillis unum duplici facie emicare, quorum una *purpuræ in morem* splendescat, altera *cocci rubore* accendatur: regibus lux utriusque charitatis est necessaria, et erga Deum, et erga proximum: ut quod splendoris et ardoris a Deo acceperint, in populum transfundant, et sint Principes lucis, et non tenebrarum. Tales fuerunt Ecclesiæ Principes Apostoli, quos S. Cyrill. Alex. in Isa. c. 45. vocat *œcumenica lumina*. Lucent in utroque hemisphærio, id est, in corpore et anima, in cognitione

*

et actione, in prosperis et adversis, pauperibus et divitibus. S. Dion. Areop. epist. 10. ad S. Ioan. Apost. nuncupat S. Ioan. Evangelistam, ἥλιον εὐαγγελίου, Evangelii solem, eique attribuit, πανφαεῖς ἀκτῖνας, id est, radios clarissima et continua luce fulgentes. S. Leo serm. 4. in Natali Apost. Petri et Pauli, illos dicit in Ecclesiæ corpore geminum esse Lumen oculorum. S. Greg. Naz. orat. 23. S. Athanasium vocat οἰκουμένης ὀφθαλμὸν ἁγιώτατον, sanctissimum orbis oculum. David noster dicitur 2. Reg. 21. 17. *Lucerna Israel.* S. Ioan. Bapt. Ioan. 5. 35. appellatur *Lucerna ardens et lucens.* S. Gregor. senior Theologi pater dicit Episcopos debere esse lumina Ecclesiæ. Sic enim epist. ad Cæsarienses, λύχνος τῆς ἐκκλησίας ὁ ἐπίσκοπος, *Ecclesiæ lucerna est Episcopus.* S. Isid. Pelusiota singulis hoc sacerdotibus tribuit, ἅπτει, ait, λύχνον ὁ Θεὸς ἱερέα, *Lucernam Deus, hoc est sacerdotem accendit,* ἵν' ἐξαστράπτῃ φωτισμόν, *ut coruscantem dogmatum et actionum splendorem Ecclesiæ impertiatur.* Denique S. Paulin. epist. 41. loquens de S. August. *O lucerna,* inquit, *digne super candelabrum posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lychno pastum, oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lumen veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.*

40. *Postulata adipiscitur.* Secundo, qui ad Deum accedit, quæ petit, obtinet, ut promisit Christus Matth. 7. 8. *Omnis qui petit, accipit.* Quidquid petat, modo cum fide et spe accedat, ibid. cap. 21. 22. *Omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.* S. Bern. serm. 15. in Ps. 90. Pes vester spes vestra est. De illa mox dicetur. Recte itaque accedentibus ad Deum ait Propheta noster: *Et facies vestræ non confundentur.* Vatabl. *non suffundentur pudore,* ob repulsam scilicet, q. d. non reiiciet preces vestras, sed postulata concedet. Alludit ad faciem Mosis (quæ radiabat ex colloquio cum Deo in monte Horeb, id est in excelso iugo montis Sinai) et ad efficaciam precum eius, nihil enim illi Deus denegabat.

Nota, prius oportet Deus accedat ad nos per primam gratiam et lumen fidei, quam ad eum accedamus per aliquem actum supernaturalem: ad eum naturæ vis non pertingit. Secundo, ut Deus accedat ad nos per gratiam habitualem et sanctificantem, requiritur, ut ad eum nos accedamus per fidem et actum charitatis supernaturalis, et in hoc sensu ait David: *Accedite ad eum et illuminamini,* q. d. quia illuminabimini, lumine scilicet perseverante et habituali. Iacobi 4. 8. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis,* sicut accidit Magdalenæ, quæ accedens ad Christum in domum Simonis Leprosi, ab eo sanctificata est, eamque sæpius Christus invisit, et post resurrectionem ei primo apparuit, si Deiparam excipias. Prov. 8. 17. *Ego diligentes me diligo.*

41. *Tota vita ad Deum est accedendum.* Nota secundo, quamdiu vivimus, semper accedendum est; sumus enim in via: in cælis erimus in termino, et tunc non accedemus, sed fruemur. S. Bern. in illud: Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, sic loquitur serm. 31. in Cant. *Solem iustitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo, sicut illuminat, illuminatus potest, tamquam iam in aliquo similis: sicuti est, omnino non potest, tamquam nondum perfecte similis. Propterea dicit: Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. Ita sane, sed si quantum satis est, illuminamur, et revelata facie speculantes gloriam Dei, in eamdem imaginem transformemur de claritate in claritatem, tamquam a Domini spiritu. Ergo accedendum est ad eum, non irruendum, ne irreverens scrutator maiestatis opprimatur a gloria. Nec locis sane accedendum, sed claritatibus: ipsisque non corporeis, sed spiritualibus tamquam a Domini spiritu, a Domini plane, et non a nostro, quamvis in nostro. Qui itaque clarior, ille propinquior: esse autem clarissimum, pervenisse est. Porro iam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quam esse sicuti est, et aliqua dissimilitudine confundi.*

Decima denique citharæ nostræ chorda, est Spes in Deum, quæ et orationis ardorem inflammat, et benignitatem ac liberalitatem et misericordiam Dei commovet ad petita citius et abundantius concedenda. Hine addit David de seipso loquens, v. 7. Iste pauper clamavit (id est ego clamavi. Hebræi tertiam personam sæpe usurpant de se loquentes) et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum. 42. *Vers. 7. X. Citharæ chorda, est spes in Deum.*

Nota, David se pauperem vocat. Primo, quia fuit ovium pastor, et fratrum natu minimus in numerosa familia, Ps. 77. 70. Secundo, quia licet gener esset regis Saulis, tamen ab eo fuerat bonis omnibus spoliatus, et domo eiectus. Tertio, quia ab Achis etiam repulsus, quo se verteret, et unde sibi subsidium quæreret, nesciebat.

Allegor. Christus se hic nuncupat pauperem. Fuit enim pauper in nativitate, in vita, in morte. In cruce positus se exauditum fuisse dicit Ps. 21. 25. *Non sprevit, neque despexit deprecationem* (S. Hieron. modestiam) *pauperis.* S. Hieron. in cap. 29. Isaiæ, eum appellat, *pauperum principem,* quæ magna est consolatio paupertate pressis. 43. *Allegor. Christus fuit pauper.*

Moraliter, paupertas iuvat, ut orationes exaudiantur. Primo, quia maior est necessitas auxilii. Secundo, quia pauperes minus in se confidunt. Tertio, quia ardentius orant. Ps. 9. 13. *Non est oblitus clamorem* (Psalt. Rom. orationes) *pauperum.* Quarto, quia maior Dei misericordia et potestas. Sed vide ut te agnoscas esse pauperem, si vis exaudiri. S. August. id monet hoc loco, *Inops clamat, et exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut etsi habeas aliquid, non inde præsumas de viribus tuis: ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tamdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum, qui facit te divitem.* Id homines de se putare possunt, sumus enim inopes, id est, sine ope. Nam naturæ viribus nec gratiam nec gloriam mereri possumus. 44. *Moral. paupertas iuvat orationis exauditionem.*

Symbol. et Tropol. Hesychius, Primo, *pauperem* sumit gentilem populum, qui non virtutis modo, sed legis et prophetiæ indigens erat, et nihil boni ac divini ante conversionem credebat, nec proprium quidquam habebat: Iste igitur ubi credidit in Deum, clamavit, et Deus ipsum ab omni sathanica tribulatione liberavit. Secundo, *pauperem* interpretatur S. Basilius eum, qui timet Dominum. Nam qui timet, adhuc est in numero servorum: qui vero a charitate profectus est, ad filii dignitatem in reliquum pervenit: quapropter servus adhuc pauper dicitur, eo quod nihil proprium habet. Filius vero etiam cum dives est, eo quod paternæ facultatis hæres est: ita ipse. Tertio, *pauperem,* ait Hesychius, intelligi humilem et pauperem spiritu, quod S. Basil. ad Christi discipulos, et eos, qui sponte divitias contemnunt, applicat. Quarto, *pauperem,* hoc loco appellari vult Didymus eum, qui ex præsentibus tribulationibus seipsum servare non potest; omnes vero huiusmodi paupertate laboramus, ut de quocumque, qui a Deo salutis egeat, loquatur. 45. *Symbol.*

SECTIO SECUNDA ET ULTIMA.

Tria exequitur. Primo, timentium Deum securitatem, delectationem, et abundantiam ostendit, vers. 8. Secundo, edocet, in quo consistat timor Dei: nempe in mali fuga, et prosecutione boni, vers. 12. Tertio denique, timentes Deum ab eo aspici, audiri et iuvari asserit, vers. 16.

PARAPHRASIS.

8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos.*

8. Castrorum in morem Angelus in custodiam singulorum timentium Deum deputatus, eos circumsistet, et adversus irruptiones hostium muniet: atque ita, ubi res poposcerit, cælesti gladio effusas densatasque acies dividens, ex angustiis in apertum liberumque campum educet.

9. *Gustate et videte: quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.*

9. Ne vos timoris nomen terreat, timor hic omni melle suavior est, nec prius eius sentitur iucunditas, quam gustus accesserit. Macte animis, ad uberem bonæ benignitatis fontem os apprimite: gustate, tunc intelligetis, quam suavis sit Dominus. O felicem eum, qui in eo spes suas omnes habet repositas.

10. *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.*

10. Felicem, quæ lætæ spei securum timorem miscuerit: hunc a vobis etiam reposcit: qui avictis animi motibus, domitisque vitiis iam prope metam sanctitatis et victoriæ attigistis. Is enim omnibus animi divitiis circumfluet, nec fortunæ adiectanea requiret, qui timore Dei ductante itineri se commiserit.

11. *Divites eguerunt, et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

11. Qui divitiis solis, velut leones prædæ, inhiant, illi mediis in aureorum acervis inopes, Tantalorum instar, perenni fame sitique enecantur, maiorem semper in rogum, quo plura aggeruntur, succensa eorum cupiditate, ac sæpe in cineres et favillas omnibus eorum operibus defluentibus. Qui vero caicatis terrenis Deum cælatasque gemmas investigant, illi bonis omnibus abundabunt. Ut et terrenis vitam cum gaudio sustentant, et divinis animam pascant tanta ubertate, ut si quid caducum defuerit, hoc solidis virtutum opibus compensetur.

12. *Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.*

12. Accurrite igitur omnes salutis vestræ studiosi, quos paterno affectu veluti filios charissimos complector, mihi utilitatem vestram spectanti aures præbete: paucis perstringam, qua in re timor cultusque Domini consistat.

13. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?*

13. Quis est, qui in hoc sæculo vitæ longævæ desiderio tenetur, et in futuro vitæ perpetuæ? Quis est, qui hic cum animi quiete dies transigere, at in cælo felicitatem finis omnis expertem appetit possidere?

14. *Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum.*

14. Huc illa advolet, ut quibus viis ad votorum summam possit pertingere, animadvertat. Lubricos linguæ lapsus, omnesque fraudes evitet.

15. *Diverte a malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam.*

15. Nec linguam modo, sed et manus animumque ab omni opere et cogitatu depravato coerceat, et quod bonum est, ac rationi consonum, hoc expleat. Pacem cum Deo, proximo, et seipso conquirat, eamque viis omnibus et artibus investiget.

16. *Oculi Domini super iustos: et aures eius in preces eorum.*

16. Labores ea de causa susceptos digna merces manet: Deus enim intentis oculis et auribus iustorum commodis consulit: benigno enim affectu eos intuetur, ut noxia submoveat, atque utilia suppeditet: faciles orantibus aures præbet, petitia ut bonis illos cumulet.

17. *Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.*

17. Impios autem torvo flammantique oculo despicit, faciemque ira succensam in eos dirigit: ut ex hac viventium terra ad tenuissimas usque fibras excisos in æternam mortem deiiciat, et omnem eorum memoriam at nominis famam extinguat.

18. *Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos: et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

18. Non vana et inaudita temere effutio. Testis mihi est omnis retro patrum memoria, qui ad primum orationis sonum, Dei adiutricem manum senserunt, qua ex omnibus tribulationibus eruti inaccessam calamitatibus brevitatis terram incoiunt.

19. *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde: et humiles spiritu salvabit.*

19. Si vel fulminis more intimas animi medullas vehemens tribulatio pervaserit, et cor ipsum contriverit, benigniori flamma mentem Deus permeat: nec loco absistit, quin ad tantum casum attonitos atque obstupefactos ab angustia eximat

20. *Multæ tribulationes iustorum: et de omnibus his liberabit eos Dominus.*

20. Non imbelles enervesque milites amat Deus, multis eos hostium insultibus exercet ac præliis: sed certantibus animum reddit, vires sufficit, victoriamque benigne elargitur.

21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.*

21. Nec sinit eos ullis patere vulneribus: scutum est impervium, quo tela arceantur, ut ne vel cutem ipsam perstringant, vel os unicum conterant. Quod si ossa corporis comminui patitur, animi robur auget atque constantiam, ut auctiores coronæ concedantur.

22. *Mors peccatorum pessima: et qui oderunt iustum, delinquent.*

22. Sceleratos vero eum ærumnis luctantes deserit, et misera morte in suis criminibus sepultos ad æternum lacum deiicit, summa cum severitate cruciandos. Quisquis enim in virtutem eiusque alumnos odio impio insanit, in varia lapsus scelera tandem in inferos præceps corruet.

23. *Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes qui sperant in eo.*

23. Sed cultui suo addictorum animas, sanguine in cruce effuso redemptas, a morte omnibusque huius vitæ malis eruet: nec patietur eos, qui spes suas in illo defixerunt, in virtutis proposito labare: aut si forte erraverint, ad vitæ finem devios vagari: sed in iustitiæ tramitem reducet: atque in perenni vita gaudiis cælestibus cumulabit.

QUÆSTIO UNICA.

Quam ingentia timoris Dei commoda.

46. *Ordo Sectionis.* Propheta noster post evitatum periculum apud Achis regem in speluncam Odollam fugit, ut dixi supra, eo confluentes plurimos ad spem in Deum excitat et ad virtutem. Itaque veluti circumcinctum in castris Deum depingit, atque ab hostibus impetitum; sed qui instar Imperatoris fortissimi militibus suis succurrat.

Primo, Angelus velut fortissimum se vallum hostibus obiicit in castrorum universo circuitu, vers. 8. *Immittet* (Hebr. castrametatur) *Angelus Domini in circuitu timentium eum: et eripiet eos.*

Angelus pios tutatur. His in castris nihil deest. Primo enim, non deest annona animi, v. 9. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.* Secundo, non deest annona corporis, v. 10. *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.* Tertio, nullum aliud bonum deest, v. 11. *Divites eguerunt et esurierunt: timentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Et Deus ipse. Secundo, Deus dux in medio castrorum emicat, ut Primo suos ad prælium instruat, vers. 12. *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Secundo, coronam et parata præmia ostentat, ut magis eos exacuat, v. 13. *Quis est homo, qui vult vitam: diligit dies videre bonos?* Tertio, currus instruit bellatorum suorum, atque timentium se. Primæ duæ rotæ seu equi continent præcepta negativa: duæ ultimæ præcepta affirmativa.

Prima itaque rota est linguæ directio sapiens, v. 14. *Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum.* Secunda, est fuga omnis mali in opere et cogitatione, v. 15. *Diverte a malo.* Tertia rota, est prosecutio boni ac virtutis: *Et fac bonum.* Quarta denique rota, currus timoris Dei, est amor pacis, tam internæ cum Deo et seipso, quam cum proximis: *Inquire pacem, et persequere eam.*

Tertio, Deus ducis partes omnes et officia obit in omnibus castrorum suorum partibus partim oculis, partim voce, partim manu et toto corpore adiuvans.

Primo enim, oculos in omnem partem flectit, ut milites suos eo aspectu recreet, animet, iis provisurum se declaret, v. 16. *Oculi Domini super iustos.*

Secundo, postulantibus opem aures accommodat: *Et aures eius in preces eorum.*

Tertio, hostes vultu flammato exterret, et in fugam vertit, v. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Quarto, læsis militibus suis succurrit manu, v. 18. *Clamaverunt iusti, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*

Quinto, prostratos consolatur voce, v. 19. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit.*

Sexto, globis hostium circumdatos iuvat, toto corpore in eos impressionem faciens, eosque dividens, ut servos suos expediat, ac a periculo liberet, v. 20. *Multæ tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus.*

Septimo, telis hostium impetitos clypeo suo tegit, ne vulnerentur, v. 21. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.*

Octavo, captos in prælio hostes ignominiosis suppliciis afficit, sicut alios gladio transfixerat, cum præliarentur, v. 22. *Mors peccatorum pessima: et qui oderunt iustum, delinquent.*

Nono denique, trucidatis hostibus captivos, ab illis detentos libertate donat, v. 23. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes, qui sperant in eo.*

ARTICULUS I.

Quanta securitas timentium Deum ob Angelorum custodiam.

Seipso solo Deus homines tueri potest, sed Angelis utitur ad maiorem benevolentiam denotandam, atque

A ut hominum dignitas magis eluceat. David itaque militibus suis, ne Saulem timeant, ob oculos ponit Angelorum custodiam, vers. 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. *Vers. 8.* Pro *immittet*, Hebr. est חנה *chone*, id est castrametans, subauditur, est. Sæpe Hebræi ponunt Benoni, id est participium pro præsenti, quo carent. Vertit Noster: per futurum, non quod excludat tempus præsens, sed ut confirmet suos adversus timores de irruptionibus a Saule faciendis.

Eius autem custodiæ Angelicæ, variæ proprietates hinc desumi possunt: **47.** *Angelicæ custodiæ proprietates.* Primo, securitas totalis. S. Hier. enim vertit: *Circumdat Angelus Domini in gyro.* Ita scilicet, ut nullius prorsus aditus hosti pateat. Secundo, ordo et recta dispositio. Septuag. παρεμβαλεῖ, id est castra ordine collocabit. Polybius verbum παρεμβάλλειν, sumit pro tentoria collocare ordinibus distincta, atque inter se paribus spatiis congruentique positu respondentia. Idem significat castrametari, q. d. metas et terminos ponere, divide-

B re, metiri, distribuere, ordinare in castris. Munsius, Pagninus, Volfg. vertunt: *Castrametatur Angelus Domini circum timentes eum.* Tertio, stabilitatem declarat Campensis, cum vertit: *Castra figit Angelus Domini circum eos qui ipsum timent.* Quarto, diuturnitatem Felix, qui habet: *Moratur Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Chald. שרי *sciare*, interpres vertit, immoratur: est participium: Rad. *sciara*, est sedere, habitare, manere, commorari, diversari, castrametari, castra ponere. Quinto, curam et sollicitudinem Syrus, qui vertit: *Cohors Angelorum Domini circumsepit timentes eum.* Vox enim *hadar*, est ambire, circuire, circumdare, converti, convertere se circumquaque. Sexto, diligentiam denotat Eobanus, et vigilantiam, qui reddit: *Ceu castris circuit illos Pervigil, et salvos Angelus esse facit.* Septimo, robur Magnetinus, habet enim: *Vallat, et infestis medios tutatur in armis.* Octavo, Noster significat amorem et desiderium iuvandi, cum vertit: *Immittet.* Nono, quietem et delectationem, Caiet. *Habitans.*

Quæres, quis, et quid immittet? Primo, Deus immittet Angelum suum, qui Davidem et milites eius custodiat.

C Cassiodorus clare vertit: *Immittet Angelum Dominus.* S. Isidorus lib. de vocatione gentium cap. 10. legit: *Emittit Angelum Dominus.* Emittit e cælo, et immittit in castra servorum suorum. Sed hanc versionem iure S. August. vocat mendosam. Nam חנה *chana* Hebr. non est verbum actionem in alium significans: sed est neutrum, residere, considere, subsidere, coronæ in modum cingere. Mercerus censet significare, placide et sensim se in locum ponere, quiescendi, immorandi, seu habitandi causa.

Secundo, et melius, *immittet Angelus*, 1. seipsum, ut sit vice exercitus; 2. auxilium suum, quod prope continuum est, licet a nobis sæpe non sentiatur. Græc. παρεμβάλλειν, est interiicere latenter, clam immiscere, ut Galen. et Theophr. usurpant.

Quæres secundo, an de uno, an de pluribus Angelis agit David? **48.** *An de uno, an de multis Angelis David est intelligendus?* Primo, potest intelligi de uno: loquitur enim suis militibus in spelunca clausis prope urbem Odollam, facile autem erat vel unico Angelo os speluncæ obstrue-

D re, et aditum ad illam impedire. Secundo, Angelus potest sumi pro multis Angelis per enallagen Hebraicam. Tertio, arbitror agi de Angelo quodam præcipuo qui alios veluti castrametator, in ordinem disponat circa totum montem et speluncam, in qua erat David, et postea circa eius exercitus sanctorum virorum in quocumque tandem sint loco: sive ille Angelus præcipuus intelligatur S. Michael, ut vult Pantaleon Diaconus, erat enim custos Synagogæ: sive secundo, potius Archangelus qui erat custos Davidis Principis. Suarez enim lib. 6. de Angelis cap. 17. n. 24. censet, probabile esse Principibus esse custodes duos: nimirum inferiorem, quatenus tales personæ sunt: et superiorem, ratione muneris. Nam sicut duplici egent prudentia et rectitudine: et illa quæ ad bonum commune pertinet, altioris rationis est: ita duplici egent gubernatore et custode Angelo: sive tertio, Angelum intelligas custodem exercitus seu cohortis David. Nam exercitibus etiam

singulis suum esse præsidem et custodem Angelum probabile est, et patebit infra.

Nota, alludit David ad Angelum, qui columnam nubis et ignis ducebat in deserto, ut ab æstu diurno et tenebris nocturnis populum præservaret. Cum enim Ægyptii persequerentur populum Israel, qui erat in castris super mare, non poterat effugere, cum esset cinctus mari, montibus, et exercitu Pharaonis. Sed Angelus *immisit se medium* inter Ægyptios atque Hebræos, ut his illi nocere non possent. Exod. 14. 19. *Tollensque se Angelus Dei* (in columna nubis delitescens, eamque movens) *qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum: stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel: et erat nubes tenebrosa* (ex parte Ægyptiorum, quia illam ibi densaverat Angelus) *et illuminans noctem* (ex parte Hebræorum, ut possent transire mare rubrum illa nocte) *ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.*

49. Vita hæc est militia. Moraliter nota primo. Vita hæc est militia continua in densis tenebris. S. Gregor. Naz. orat. 10. appellat vitam nosirum νυκτομαχιαν, id est pugnam nocturnam: et Honorius III. frequentes in illa Ægyptiaca caligine lapsus deplorans, non tam militiam, quam malitiam arbitratur esse nuncupandam: *Vita hæc*, inquit, *non tam militia est, quam malitia*, vocare possis militiam malitiosam, vel malitiam pugnacem et tumultuosam.

In illa egemus Angelis ut illuminent. Secundo, in ea militia tenebrosa egemus luce et robore, utrumque præstant Angeli. Sunt enim non tantum filii, sed etiam parentes et datores lucis. Eorum est homines illuminare, ut docet S. Thom. 1. part. quæst. 111. artic. 1. et seqq. S. Chrysost. vocat eos φωταγωγους, id est lucis administros. In Gedeonis militibus figurantur, qui titiones et faces ardentes manu præferunt, ut in fugam vertant Madianitas, Iudic. 7. 20. In septem lampadibus ante thronum Dei, et consessum 24. seniorum, id est principum, et quatuor animalium, atque Agni, eos figuratos vidit S. Ioannes Apocal. 4. 5. *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei:* septem scilicet Angeli primarii Ecclesiæ, et fidelibus præfecti, ut sicut in se cognitione et amore Dei inflammantur, ita alios illuminent et accendant. Alludit autem Ioannes ad septem lucernas candelabri Mosaici, quod erat in Sancto prope altare thymiamatis.

Et roborent. Luci addunt robur Angeli. Nam, ut ait Theodorus in epitome, Στρατιωταις εικασι συμμαχουντες ημιν: *Militibus similes sunt nobiscum pugnantes.* S. Cyprian. in prologo de operibus Christi, vocat eos, *superiora agmina.* Dionysius Papa epist. 2. *cælestes militias.* Pantaleon Diaconus c. 9. encom. in S. Michaelem: *Divinum*, ait, *militiæ principem habemus Michaelem.*

Robur eorum expresse declarat David Ps. 102. 20. *Benedicite Domino* (Chald. nomini Domini) *omnes Angeli eius potentes virtute.* S. Hieron. fortes robore. S. August. potentes fortitudine. Daniel ait cap. 9. 21. *Ecce vir Gabriel* (id est Gabriel apparens specie viri) *quem videram in visione a principio tetigit me.* Quo in loco ait S. Hier. non Angelum aut Archangelum vocari, sed virum) *ut nequaquam sexum, sed nomen fortitudinis ostenderet.* Idem S. Hieron. Bernard. et alii docent Gabrielem significare fortitudinem Dei. Proclus Cyzicenus in homil. quæ habetur in Concilio Ephes. idem esse quod *homo Deus.* Theophylact. in cap. 1. Lucæ, idem quod *vir Dei.* Nam *gheber* fortitudinem et virum significat: *el*, Deum. Si vir Dei esse cupis, robur et vires postula ab Angelis, quorum activitatem, cui resisti non possit, docent trucidati una nocte omnes primogeniti Ægyptiorum, Exod. 13. 13. Sennacheribi concisus exercitus, Isai. 37. 36. Sodomæ eversio, Genes. 19. 24. S. Petrus epist. 2. cap. 2. 11. *Angeli fortitudine et virtute* (δυναμει, id est potentia et robore) *cum sint maiores*, id est maximi.

Armis radiantibus effulgurant, sicut Israelitarum principi et ductori Iosue in terram promissam intranti ostensum est. Cum enim hæsitabundus animo fluctuaret, qua ratione tot munitam urbibus, et propugnatoribus firmatam provinciam aggrederetur, Angelus astitit, qui opem offerret. Iosue 5. 13. res sic narratur: *Cum autem esset Iosue in agro urbis Iericho* (egressus ex Galgalis, ubi prima castra posuerat post transitum Iordanis: Galgala autem vix media leuca distabat a Iericho, decem scilicet stadiis) *levavit oculos, et vidit virum stantem contra se* (coram se, et e regione sui) *evaginatum tenentem gladium* (Serarius opinatur galea quoque, thorace, et balibeo accinctum fuisse) *perrexitque ad eum, et ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit, nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, et nunc venio*, ut scilicet tibi præsidio sim, et hostes prosternam. Eius virtus patuit in eversione murorum Iericho, et in celebri illa pugna prope Gabaonem, cum sol et luna steterunt, fuisse S. Michaelem putat Lyranus: dicitur enim Daniel. 10. Princeps populi Israel. Abulensis vero quæst. 71. in Iosue putat fuisse Gabrielem, qui etiam habebat curam populi Iudaici, ut patet Daniel. 8. 9. et 10. et fortasse, ut ait Suarez tract. de Angel. lib. 6. cap. 19. n. 22. Michael habebat superiorem curam, et Gabriel propriam totius exercitus bellatorum. Ubi idem Suar. ait dari Angelos custodes exercituum præsertim fidelium, et qui causam Dei agunt. Atque id probat ex Psalmi nostri versu quem consideramus, et dicit a Patribus sic etiam usurpari. Hinc est consequens sæpe a militibus ac ducibus invocandum esse Angelum, qui præest eorum exercitui.

Tertio nota, Angelis curæ esse non quoslibet, sed Dei servos: licet enim nullus sit hominum, qui careat Angelo custode, specialius tamen iuvant eius amicos. Hinc David noster dicit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Zach. 9. 8. ait Deus: *Circumdabo domum meam* (id est, templum) *ex his qui militant mihi euntes et redeuntes*, nempe per Machabæos. Paguin. vertit, Ero sicut castra domui meæ, ut non timeat ab exercitu a transeunte et redeunte. Sumpsit, *militant mihi*, id est contra me: sed melius, *mihi*, id est pro me. S. Hieron. id exponit de Angelis; templum Dei, est anima sancta, ubi habitat. 50. Dei servos præcipue curant Angeli.

Sunt vero in circuitu nostro, 1. sicut montes; 2. sicut turres; 3. sicut vigiles; 4. sicut custodes.

I. Sunt montes in eorum circuitu. Primo, enim tamquam montes nobis eos proponit David noster, Ps. 124. 2. *Montes in circuitu eius, et Dominus* (Chald. maiestas Domini) *in circuitu populi sui:* montes hos interpretatur Angelos S. Thom. Quo sensu explicari potest, quod de Iudæis Ammonitæ et Moabitæ dicebant Holoferni duci Nabuchodonosoris regis Assyriorum, Iudith 7. 8. *Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, et muniunt illos colles.* Angeli, sunt montes et colles ambulantes, iustum impenetrabilem reddentes, impium obterentes, atque tela in eum retorquentes.

II. Sunt turres. Secundo, Angeli, sunt turres Ecclesiæ et fidelium. Cantic. 4. v. 4. ait Sponsus suæ sponsæ, id est Ecclesiæ, et animæ iustæ: *Sicut turris David* (id est arx Sion, ait Rupert. vel potius turris pulcherrima a Davide facta iuxta arcem Sion, ut vult Adrichom.) *collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis* (id est pinnis turrim munientibus, et oris formam exhibentibus. Tigurina vertit, ad usum dirigendi homines) *mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Syr. omnes principes potentes. S. Greg. Nyssen. hom. 7. in Cantic. *Existimo*, inquit, *eam turrim clypeorum multitudine significare Angelicum præsidium, quo circumsepti sumus.* Turres itaque sunt Angeli, et quidem clypeis, id est protectione, opportunæ.

51. III. Sunt vigiles. Tertio, Angeli sunt vigiles super muros Ecclesiæ, et animæ piæ stantes, ut adventantem hostem videant, et audiant, atque ad resistendum cives suo clamore excitent. Hebr. עִיר *ir*, id est vigil, Angelum significat. Dan. 4. 10. ubi Nabuchodonosor rex Babylonis, qui everterat Ierusalem, Danieli narrans somnium suum de arbore magna ab Angelo excisa dicit: *Videbam in visione capitis mei super stratum meum: et ecce vigil* (Septuag. Angelus) *et sanctus de cælo descendit.* Sunt enim Angeli incorporei, insomnes, infatigabiles, vigilantissimi inspectores nostri et gubernatores. Vigiles sunt, et nos vigilare faciunt. Chald. עיר

ur, qua lingua loquebatur Nabuchodonosor, et item Hebr. significat, vigilare, evigilare, expergisci: et active, excitare, expergefacere, suscitare.

Ob illam vigiliam Angeli appellantur oculi, et aures Dei, Ps. 33. 16. *Oculi Domini super iustos, et aures eius in preces* (S. Hier. ad clamores) *eorum*. Sic enim S. Basilius exponit: Quemadmodum, ait, sancti corpus sunt Christi, et membra ex membro: et posuit Deus in Ecclesia quosdam ut oculos, quosdam ut linguas, nonnullos ut aures: alios item manuum, alios qui pedum rationem obtinerent. Sic et sanctæ spirituales virtutes circa cælestem versantes locum, aliquæ oculi dicuntur, quod curam susceperint nos intervisendi, curaque nostri omnium illis sit concredita: nonnullæ aures, ut quæ nostras excipiunt preces: ita Basilius. Et S. Hilarius in illud Psal. 129. 2. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, monet Angelos posse appellari aures Dei, oculos, manus, et pedes. Et Philo lib. de somniis ait: *Sunt quædam* purissimæ optimæque omnium, quæ *altius diviniusque sapiunt, aspernatæ ista terrestria et humilia, ministræ omnipotentes*, ὥσπερ μεγάλου βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ ὦτα, *tamquam magni regis oculi et aures*. Alludit ad ministros regis Persarum, qui vocabantur Regis oculi et aures.

52. IV. Sunt custodes.

Quarto, Angeli sunt custodes. Non enim tantum vident hostem venientem, sed eum ab ingressu prohibent, et reluctantem sternunt. Deus dicit Ecclesiæ Isa. 62. 6. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes* (id est Concionatores, Prophetas, Pastores, et Prælatos, ut ait S. Cyrill. S. Angelos, ut S. Hieron. Procopius, et S. Bern. serm. 4. de dedicatione Ecclesiæ) *tota die et tota nocte non tacebunt*, id est non quiescent: est catachresis. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Genes. vocat eos, συλλήπτορας καὶ ἐπαρωγούς, id est auxiliatores et protectores.

Arma illis sunt defensiva et offensiva. Gladium illis dat Salomon Cant. 3. 7. ubi animæ quiescentis tranquillitatem custodientes inducit: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel* (Alludit ad triginta fortes Davidis. Vatabl. vertit, Sexaginta heroes ex heroibus Israel) *omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi, uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores* (Chald. horrores) *nocturnos*. Aponius id de Angelis exponit: *Edocuit*, inquit, *Angelos sanctos contra singulos principes vitiorum, qui supradictos obsident sensus, spiritualibus armis accinctos propter insidias eorum nocturnas, et occultas*. Secundo, Angelis clypeum dat, et eos, ut sic loquar, totos facit clypeos. S. Bernardinus Senensis tom. 2. concion. 51. artic. 3. cap. 2. ubi ait Deiparam præter arma interiora habuisse etiam scuta exteriora, inter quæ primum ponit innumerabiles multitudines Angelorum. Ugo Card. vult illos quoque esse scuta interiora, cum ait, munire intus et extra.

Amantes et ferventes.

Sacrorum illorum custodum ostendit ardorem et charitatem Nahum propheta cap. 2. 3. *Clypeus fortium eius ignitus* (id est Chaldæorum et Medorum Niniven tempore Sardanapali Imper. corruptissimi vastantium) *viri exercitus in coccineis* (Pagnin. induti vestibus vermiculatis. Tygur. clare Primo, *Viri militares purpurati sunt*. Et postea, *igneæ habenæ currus in die præparationis eius*. Chaldæus et Vatabl. vertunt, currus expeditionis eius tempore erunt velut ignis lampadarum. Hoc de Angelis charitate ferventibus longe verius est. Comparari possunt Chaldæis et Medis, quatenus erant executores divinæ iustitiæ contra Ninivem peccatricem. Secundo, Angelorum custodem diligentiam advertit S. Macarius hom. 22. cum docet illos, κυκλοῦν καὶ φυλάττειν, circumdare et custodire servos Dei. Tertio, eorum vigilantiam adumbrant leones thronum Salomonis ambientes. 3. Regum 10. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis*; ebur notat animæ innocentiam, magnitudo latitudinem cordis, aurum charitatem; v. 19. subdit: *Duo leones stabant iuxta manus singulas* (sive in adversis, sive in prosperis nihil operare sine ope Angeli tui, is tibi semper est ad manum) *et duodecim Leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde*. Si vis ascendere sine lapsus periculo, innitere Angelis.

53. In Angelorum castris sunt equites et pedites.

In exercitu angelico sunt equites et pedites. Primo, peditis armati in morem apparuit S. Michael Iosue duci populi Dei, Ios. 5. 13. Secundo, Iuda Machabæo exercitum ducente contra Timotheum Antiochi Eupatoris Regis ducem, ipsis hostibus apparuerunt quinque Angeli equites frænis aureis decori Iudæis ducatum præstantes. 2. Mach. 10. 29. *Cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decoris, ducatum Iudæis præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant: in adversarios autem tela et fulmina iaciebant, ex quo et cæcitate confusi, et repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti, et equites sexcenti*. Lege reliqua. Tertio, usi sunt curribus Angeli, 4. Reg. 6. 17. cum enim exercitus a Benadab Rege Syriæ ductus obsedisset urbem Dothan, ut caperet Elisæum, timido Giezi servo eius aperiuntur oculi: *Et ecce mons plenus equorum et curruum igneorum in circuitu Elisæi*. De Angelis equitibus vide Zachar. 1. 7.

54. Unicus Angelus est instar totius exercitus.

Quarto nota, vel unicum Angelum esse nobis pro integro exercitu. *Immittet* (Hebr, *castra metabitur*, ut iam dixi) *Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Castra integra et exercitus Angelorum offert Deus Iacobo, id est luctatori forti, e domo Laban, id est mundi, ad domum paternam, id est Dei, redeunti, Gen. 32. 2. cum fugientem Iacob persecutus esset Laban per septem dies, et in monte Galaad comprehendisset, eoque recedente Iacob versus Chananitidem pergeret, obviam fuerunt Angeli. Quos cum vidisset, ait Gen. 32. 2. *Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est castra*. Ibi postea, ut ait Salianus, fuit urbs munita illo nomine appellata. Adverte autem *Mahanaim*, esse in duali numero, et significare duo castra, seu duas acies. Uni aciei præerat Angelus præses Mesopotamiæ, qui cum Angelis sibi subditis et subordinatis deduxerat Iacobum usque ad fines Chananææ, alteri aciei præerat S. Michael, ut vult Diodorus Tharsensis, sive alius Angelus præses Chananææ, ut cum suis etiam Angelis securum præstaret ipsum usque ad domum patris Isaac adhuc viventis. De S. Michaele locum Psalmi nostri sumit Pantaleon Diaconus, ut supra monui.

Mentionem tamen unius Angeli facit David, quia vel unus sufficit. S. Basilius in Psalmo nostro: *Considera*, inquit, *quanta sit Angelorum natura: quoniam* ὅλῳ στρατοπέδῳ καὶ παρεμβολῇ πολυανθρώπῳ παρεικάζεται ὁ εἷς ἄγγελος, *universo exercitui, et castris numerosæ hominum multitudinis unus assimilatur Angelus. Ob magnitudinem eius, qui te custodit, castra tibi munitionesque præbet Deus: propter vero Angeli virtutem*, οἱονεὶ περιτειχίζει σε πανταχόθεν τῇ ἀπ' αὐτοῦ ἀσφαλείᾳ, *veluti circumvallat te undique securitate, quæ est per illum*. Muris deinde nos ambientibus Angelum protectorem comparat: *Sicut enim muri civitatis circumducti ex omni parte arcent, propulsantque hostiles insultus. Sic et Angelus te præmunit a fronte, et a tergo custodit, et nihil utrinque incustoditum relinquit*.

55. S. Vitum puerum servant Angeli.

Quinto nota, licet Angeli omnes iuvent, tamen, ut iam dixi, præsertim adsunt servis Dei: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Sollicitam et continuam Angeli curam erga cultores Dei collige ex vita S. Viti pueri. Primo enim, cum sanctus puer, et Modestus, minas Diocletiani contemnerent, in teterrimum carcerem coniiciuntur. Inclusi et omni solatio destituti, votis precibusque Christi opem implorarunt. Et ecce repente ingenti terræ motu carceris fundamenta quassata sunt, et ferrea vincula instar cineris dissipata, et voces Angelorum cum suavi melodia auditæ, aliaque multa, quibus exterriti carceris custodes, pavidi cuncta Imperatori nuntiarunt. Secundo, ille furore percitus iussit Vitum in clibanum plumbo, resina, et pice ferventem coniici. Mox autem adfuit Angelus Domini, qui excussa ignis flamma, puerum plane illæsum et candidissimum eduxit. Tertio, Imperator ea re in furorem ac rabiem versus ferocissimo eum Leoni obiecit, quem Vitus edito crucis signo ita domuit, ut pro-

velutus ad pedes eius plantas illius lamberet, tum Vitus: Nondum, ait, o impiissime, agnosces Creatorem tuum, quem bruta animalia venerantur? Eo miraculo mille fere homines permoti Christi fidem amplexati sunt. Quarto, Diocletianus furiis totus agitatus B. Vitum cum Modesto et Crescentia, qui Viti prædicatione in Christum crediderat, in catasta atrociter torqueri iussit; adeo ut dissipatis ossibus viscera apparerent. Cum autem tam atroci supplicio cruciaretur, Vitus ingenti voce exclamavit: Deus in nomine tuo salvos nos fac, et in virtute tua libera nos, statimque terræ motus extitit, et terribiles fulgurum coruscationes, et crebra tonitrua omnes in effusam fugam compulerunt, corrueruntque templa idolorum non sine ingenti multitudinis strage. Ipse quoque Imperator territus aufugit, percutiens manu frontem suam, et cum ingenti clamore dicens: Væ mihi, qui a tantillo puero turpiter superatus sum. Descendit autem Angelus Domini, et a catasta eos absolvens, repente transtulit ad Silerum flumen: ubi S. Vitus cum aliis sub arbore quiescens, has ad Dominum preces fudit: Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, perfice desiderium cordis eorum, qui in tuo sancto nomine voluerint gloriari de passione martyrii mei, custodi illos Domine ab omnibus periculis huius sæculi, et perduc eos ad gratiam et gloriam magnificentiæ tuæ: et cum complesset orationem, facta est de cælo vox, dicens: Vite, exauditæ sunt preces tuæ. Tum S. Vitus dixit circumstantibus: Sepelite corpora nostra, et quidquid petieritis Dominum in vera salute vestra, percipietis per orationes nostras, et liberabit vos a nequitia diaboli. His dictis, beatæ sanctorum animæ cum gaudio cælum petierunt, et corpora eorum a Fidelibus pretiosis condita aromatibus honorifice in loco, qui Marianus dicitur, sepulta sunt. S. Ambros. lib. 1. de virginitate ait, Angelos præsertim adesse virginibus: *Neque*, ait, *mirum, si pro vobis Angeli militant, qui Angelorum moribus militatis.*

56. *Socratis genius.* Ipsi Ethnici genium peculiarem Socrati assignarunt, ob eximiam eius virtutem. Maximus quidem Tyrius oratione 20. sic loquitur: *Mireris*, ait, δαιμονιον, *genium quemdam adfuisse Socrati amicum et futuri præscium*, και παρεπομενον, *comitem vitæ individuum*, και μονον ηχι γνωμης αυτης ανακεκραμενον, *mentisque illius hospitem: qui et corpore purissimus sit, et animo optimus, et vivendi ratione perfectissimus, atque in dicendo esset suavissimus: qui pie cum Deo, sancte cum hominibus versabatur. Cur hoc, inquam, miraris, nec miraris vulgarem Delphicam Pythone, aut ciirum Thespium Dodonæ, aut in Ammonis templo Libycum, aut Ionicum Clari, aut Lycium Xanthi, aut in Apollinis Ismenii æde Bæotum, aliosque quotidie multos cum Deo agisse: nec in rebus tantum suis, quid aut fugiendum aut sequendum esset; sed et aliis, qua publice, qua privatim oracula reddidisse*: ita Maximus. Genius ille Socratis ater an albus fuerit, non est huius loci quærere. Sed filiis Dei iustis omnibus, quis Angelum negandum esse existimet adiutorem et inspiratorem, cum fatidicia illis aniculis ad nutum præsto dæmon adfuerit?

Vide tantum, ne tuis vitiis Angelum a te expellas. S. Basilius in Psalmo nostro sic ait: ως μελισσας καπνος φυγαδευει, και περιστερας δυσωδια εξελαυνει: *Quemadmodum fumus apes fugat, et fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem, abigit multa lacrymarum aspergine dignum et graveolens peccatum.*

57. *In toto Orbe pugnaverunt Angeli pro Christianis.* Cum hic de exercitu agatur, orbem decurramus, ut in Christianorum castris militantes Angelos videamus.

I. *In Iudæa.* Primo igitur, ut omittam in Iudæa, quæ in veteri Testamento contigerunt Machabæis, aliisque, Guillelmus Tyrius Archiepiscopus, qui anno 1180. vivebat, refert lib. 10. de bello sacro: Balduini Regis exercitum servatum fuisse ope Angeli. Cum, ait, in inevitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina, ut errarent omnes in invio, et non in via, et angustiis locorum intercludentibus, ab ingruentibus hostibus omnes cædendi essent: prævio ignoto duce, nempe cælesti nuntio, eodemque signifero, per alias vias est secure deductus usque Ierosolymam. Qui et admirabili perfunctus ministerio, ab omnium mox evanuit oculis. Sicque sacratissimæ crucis adminiculo, in expeditione omnium periculosissima, cum Rege omnis exercitus est divina virtute liberatus: ita ille. Robertus etiam Monachus refert in sua historia, Christianos in Oriente adversus Saracenos, Arabes, et alios Infideles pro terra sancta certantes, et multitudine innumerabili pene obrutos, ducente Persarum exercitum Corbona, ab Angelis fuisse adiutos. Nam in formam bene ordinatorum agminum, sub specie albatorum equitum, barbaris contra Christianos furiose dimicantibus, apparentes, tantum illis incussere tremorem, ut trepidatione stuporeque semianimes, conturbatoque exercitus ordine, magnis gressibus fugam maturarent. Eorum tergo insistentes Christiani, ex illis equitum centum millia, peditum vero præ multitudine innumerabiles barbaros Christiani nominis hostes infestissimos, ultore divinæ iustitiæ gladio victoresque necaverunt.

II. *In Thracia.* Secundo, in Thracia Constantinopoli cum Gaines Arcadio Imperatore iratus ob denegatum Arrianis suis templum, misisset milites, qui palatio ignem iniicerent, videre sibi visi sunt multitudinem armatorum vastis corporibus formidabilium: idque ipsum aliis sequenti nocte missis, ipsique etiam postremo Gainæ accidit. Tunc ille ratus Imperatorem novum exercitum in urbem introduxisse simulans se a dæmone vexari, relicta in urbe maxima barbarorum parte, ipse urbem egressus est, quasi oraturus ad Ecclesiam, quam in honorem S. Ioannis Baptistæ Theodosius Imperator in Hebdome construxerat, septimo ab urbe lapide. Cæterum hos palatii et urbis custodes, fuisse Angelos, omnibus exploratum fuit, cum præter milites Prætorianos nullus esset tunc in urbe miles: ita Baronius anno 400. Arcadii Imperatoris VI. Visione Angelorum in Bithynia facta, ubi dixerunt se fore πολεμω βραβευτας, id est administratores belli, cives eiusdem urbis regiæ confirmati sunt, ut ait Socrates l. 7. 18. Tunc timebant toti imperio ob potentem Bararanis Regis Persarum exercitum, qui erat prope Nisibim, tempore Theodosii Iunioris Imperatoris. Felix autem fuit belli exitus cæsis Persis et Saracenis ad centum millia.

III. *In Scythia.* Tertio, in Scythia suam vim ostenderunt Angeli. Cum enim Ovinius Gallicanus Constantini Magni dux adhuc paganus in extremas angustias a Scythis redactus esset, defectionem insuper sui exercitus pateretur, ipseque de fuga cogitaret, hortatu Ioannis et Pauli se Christo vovit, eiusque ope per Angelos prævia Cruce ministrante, gloriosissima victoria potitus, Scythas sub tributum redegit: et se Consulatu abdicans, ac bona sua pauperibus distribuens, ad Ostia Tiberina secessit, ibique infirmis ac pauperibus ministrans diutius vixit, ut memorat Baronius anno Christi 330. Constantini Imperatoris 25. Vide Acta sanctorum Ioannis et Pauli apud Surium die 26. Iunii, ubi hæc fusius narrantur.

IV. *In Perside.* Quarto, in Perside Ardaburius dux Theodosii Iunioris feliciter bellum confecit adversus Persas, divino auxilio et Angelorum administratione, ut narrat Socrates lib. 7. cap. 18. 19. et 20. atque Theodoret. lib. 5 cap. 36.

V. *In Polonia.* Quinto, in Polonia Casimirus Rex, qui prius fuerat Cluniacensis monachus, regnum in statum optimum revocavit, exhibito ei ad debellandos hostes Angelico ministerio, sicut tradit Longinus, et Baronius anno Christi 1041. Michaelis Paphlagonis Imp. 8.

VI. *In Bohemia.* Sexto, in Bohemia S. Wenceslaus Rex Corinensi Duci fines provinciæ suæ cum numerosis copiis ingresso obvius occurrit, atque ut multorum sanguini parceretur, singulare certamen obtulit: in quo manus cum hoste conserenti astiterunt Angeli, illum protegentes, illique arma ministrantes. Qua visione territus Corinensis Dux ex equo prompte desiliit, et ad pedes S. Wenceslai concidit, sibi ignosci postulans, et errati veniam petens. Quem pius et clemens princeps alacriter concessit. Vide vitam eius apud Surium.

VII. *In Italia.* Septimo, in Italia Ioannes tyrannus ingentibus barbarorum copiis stipatus Ravennæ cum securitate degens, extinctus est ab Aspare Ardaburii filio, adversus eum

post esptum patrem misso: eui Aagelus Dei in babitu et forma pastoris ducem itineris se præbeas, aumdem per stagnum Ravennæ adiacens, aqua divinitus exhausta, euai enpiis suis in civitatem introduxit: ita Socrates l. 7. cap. 23. et Baronius anno Christi 425. Theodosii Iunioris 18. et Valentiniani tertii primo.

VIII. In Gallia. Octavo, in Gallia dicit Nazarius in panegyrico, missos fuisse exercitus Angelorum in auxilium Constantini. Verba eius sant: *In ore est omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos præferebant. Et quomcis cælestia sub oculos hominum venire non soleant, quod crassam et caligantem aciem simplex et inconexta natura tenui substantia eludat: illi tamen auxiliatores tui aspici, audiri patientes, ubi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium non refugerunt. Sed quænam illa dicitur fuisse species, qui vigor corporum, quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum nescio quid umbones corusci, et cælestium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc eorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant, Constantinum petimus, Constantino imus auxilio.*

IX. In Hispania. Nono, in Hispania Ramirus Rex Legionensis, votis nuncupatis, conciliato animo, præviis Angelis sub forma equitum, victoriam plane ingentam consecutus est de Arabibus Hispaniam et Africam incolentibus, qui iunctis armis exercitum centum quinquaginta millium peditum, equitum quinquaginta millium adversus Christianos eduxerant. Cæsa enim sunt hostium octoginta millia, ducto captivo Rege Mauro nomine Abenaia, Cæsaraugustæ regnante, cæteris fuga dispersis, ipsoque Rege Abderragham Cordubæ regnante vix elapso. Scripserunt hæc Sampyrus atque Tudensis: quæ et ipsi Arabes suis Annalibus intexuere. Baronius id refert anno Christi 938. quo accidisse opinatur Ambrosius Morales lib. 11. Chron. Hispan. Secundo, res Hispaniarum sub Veremundo Rege magis ac magis labefactatæ, miserando interitu ita attritæ sunt, ut amisso Legionensi regno, et Galleciæ civitate Compostella excisa, Ecclesiisque dirutis, vix sepulcro S. Apostoli virtute Dei illæso servato, in ultimum discrimen essent adductæ: cum exiguæ vires Christianorum Principum in unum collectæ, Almanzorem Regem Arabum numerosissimo pollentem exercitu superavere quam felicissime, desideratis ex peditibus eius septuaginta millibus, equitum vero quadraginta millibus, cuius et ipse exercitus dux ex desperatione abstinens cibo noluit tantæ cladi superesse. Porro nullam hac victoria gloriosiorem, aut utiliorem, aut opportuniori tempore a Deo concessam esse, tum veteres, tum recentiores affirmant. Iisdem temporibus, sub Garzia Fernando Castellæ Comite etiam adversus Arabes pugnante, accidit, ut cum in ipso pugnandi procinctu, pietate ac fide nobilis vir Ferdinandus Antolinus in Ecclesiam se recepisset, ut precibus victoriam Regi suo impetraret, idque ei æmuli ignaviæ et timori tribuerent, manifestis voluerit Deus signis ostendere, pietate potius quam armis parari victoriam. Siquidem eiusdem Ferdinandi specie visus est Angelus ante alios adeo fortiter præliari, ut a cunctis ipsi victoria tributa fuerit; cuius etiam equus et arma inventa sunt divino miraculo sanguine conspersa. Tradunt hæc veteres rerum Hispanicarum Scriptores: ita Baronius anno Christi 998. Ottonis III. Imp. 3.

X. In Lusitania. Decimo, in Lusitania Alphonsus Henriquez Rex propter auxilium sibi in bello ab Angelo præstitum, cum quo victoriam retulit, instituit Ordinem militantium sub instituto Cisterciensi. Fortasse totam historiam afferam Ps. 35. 8. ubi aptius adhuc quadrabit. Vide etiam dicta Ps. 90. 11. fuse de auxilio nobis exhibito ab Angelis.

59. Ex his tria sequuntur. I. Non esse timendum, ob Angel. custod. Hinc sequitur Primo, non esse timendum, cum tam amantes et tam fortes custodes habeamus. S. Chrysost. in Ps. 45. *Quid*, ait, *mihi dicis, castra, et barbaros, et homines, qui pereunt? Considero Dei vires, ex regno, quod in cælis obtinet*, οτι στρατοπεδα αορατων δυναμεων υφ' εαυτω τεταγμενα, *quod invisibilium potestatum exercitus sub se habeant instructos.* Et S. Laurentius Iustin. libro de casto connubio Verbi et animæ, cap 8. *Non autem sub Sanctorum positos custodia Angelorum formidare fas est. Ut pugnemus viriliter, ut in spirituali, qua constituti sumus, Christiana militia perseveremus, supernorum spirituum divina nos voluit sapientia muniri adiutorio, eidemque complacuit cælestis patriæ gloriam polliceri vincentibus.* Hæc Chrysostom.

II. Angelos esse amandos et colendos. Secundo sequitur, nos summo amore et reverentia debere hos ductores et doctores nostros prosequi. S. Bernardus in illud Psal. 90. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, sic ait: *O quantum debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! pro præsentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam.* Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. vocat Angelum custodem, μυσταγωγον τῳ βιῳ, ducem vitæ, atque singulis hominibus tota vita assistere. Si Rex aut Princeps ita se erga te gereret, ut tota vita diu noctuque adesse tibi vellet, quid diceres, quid ageres, quo affectu et reverentia eum coleres?

III. Angelice vivendum esse. Tertio sequitur, enitendum esse, ut vitæ probitate et cælestium rerum contemplatione et amore eis te quam simillimum facias; similitudo enim parit amorem et nutrit. Clemens Alexandr. lib 2. pædag. c. 9. *Anima*, ait, *Deum mente semper versans, per continuam consuetudinem corpori vigiliam inserens, exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens.* Religiosi præsertim virginitate sua, orationibus et continuis virtutum exercitiis vitam Angelicam degunt. S. Ephrem in Parænesi 50. *Castra*, inquit, *sanctorum Angelorum, multitudo est monachorum in idipsum bene ordinata, mentem suam ad Deum bene ordinatam habentium.*

ARTICULUS II.

Quantam suavitatem ex Deo percipiant servi eius?

Non securitatem tantum dat Deus servis suis per Angelos, sed etiam suavitatem per seipsum et per cætera sua dona, v. 9. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo. Pro *suavis* Hebr. est טוב *tob*, id est bonus; 2. benignus, lenis, humanus, clemens, minime austerus; 3. pulcher; 4. iucundus, suavis. Hinc S. Hieron. et Felix, aliique vertunt primo, *Gustate et videte, quoniam bonus est Dominus.* Vatabl. quod bonus sit Dominus. Campensis, quam bonus sit Dominus, q. d. statim sentietis esse meliorem rebus omnibus. Arabs, gustate, et certi estote de bonitate Domini. Secundo, Septuaginta vertunt, χρηστος, id est utilis, commodus, iucundus, humanus, fructuosus, clemens, indulgens, facilis ad gratificandum. S. Petrus eadem voce usus est 1. Petr. 2. 3. huc alludens: *Si tamen gustastis, quoniam* χρηστος, *dulcis est Dominus.* Solent Apostoli, imo ipse Christus, sequi versionem Septuaginta Interpretum, quod esset notior et vulgatior, atque a pluribus posset intelligi. Tempore enim Christi et Apostolorum in nulla provincia homines loquebantur Hebraice: sed in parva, Syriace tantum; Græca vero lingua latissime patebat, præsertim in Oriente, ubi Græcorum imperium per annos 304. floruerat, ab Alexandro Magno, qui mortuus est anno mundi 3730. usque ad mortem Cleopatræ Reginæ Ægypti, quæ ex Græcia aliquid de illo imperio retinuerit. Mortua autem est anno mundi 4021. Augusti Imp. 14. ante Christum anno 29. Apollinaris reddit, μειλιχος, id est, mellitus, melleam quandam habens suavitatem, verbis aut factis demulcens, deliniens, sibi concilians, blandus, placidus, lenis, mitis, mansuetus, placabilis. Magnetius, o suavem gustate Deum, sincera paterni mella probate animi. — 60. Vers. 9. Deus est suavis Dominus.

Sensus porro duplex esse potest. Primo, gustabitis Deum, et invenietis eum suavem esse, si attente consideraveritis ipsum. Secundo, et melius, est exhortatio, q. d. gustate, ut videatis: id est, si gustaveritis, videbitis: ipse gustus vobis aperiet oculos et cognitionem de suavitate Domini, sicut mel gustatum a Ionatha, illi oculos illuminavit, 1. Reg. 14. 27. — Sensus huius loci.

Nota, Deus est bonus et suavis. Primo, in se. Secundo,

61. Deus est bonus et suavis tripliciter.

in verbis suis. Tertio, in factis. Omnia enim opera Dei attribuuntur bonitati eius, ut ait S. Thom. 1. p. q. 105. art. 2. ad 2. Deus enim vult, quod sua bonitas multiplicetur ex sui similitudine propter se, sicut propter finem operantis: et propter utilitatem creaturæ, sicut propter finem operis, 1. p. q. 44. art. 4. ad 3. Omne autem bonum est bonum solo similitudine divinæ bonitatis, q. 105. art. 5. docet quoque q. 6. art. 4. et 2. 2. q. 23. art. 2. ad 1. et q. 27. art. 3. Omnia esse bona bonitate Dei, velut principio effectivo, exemplari, et finali. Gustatur autem Deus, 1. per contemplationem; 2. per affectionem; 3. per donorum, veluti lactis divini, perceptionem.

62. I. Deus est in se bonus.

Primo igitur, Deus est in seipso bonus, imo ipsa bonitas, fons, et abyssus inexhausta bonitatis. Est enim Deus sua bonitas essentialiter, ut docet S. Thomas 1. p. q. 3. art. 2. et q. 6. art. 3. est summum bonum, q. 6. art. 1. ad 2. Quodlibet bonum creatum est bonum particulare, sed solus Deus est bonum universale.

Tota Trinitas habet hanc bonitatem, et eam ad extra communicare vult. Pater quidem, in creatione. Filius, in redemptione. Spiritus sanctus, in sanctificatione. Primo, quid suavius Deo Patre, qui tot creaturis in usum hominum mundum exornavit? Macrobius refert, Isidem ab antiquis totam mammis contectam pingi, ut denotarent terram esse fœcundissimam nutricem. S. Chrysost. fontes vocat terræ mammas. Quot mammis Deum contegimus, qui terram, cælum, maria, flores, fructus, cæteraque omnia, veluti deciduum lac, non Iunonium illud fabulosum, sed vere divinum, huic orbi aspersit. Hinc vocatur ab Hebræis שדי *sciaddai*, q. d. mammeum.

Secundo, Christus suavis est, imo ipsa suavitas et humanitas ac salus. Clemens Alexandr. eum nuncupat, μαζὸν πατρὸς, mammillam Patris. Est hic et oleum effusum in terra. S. Petr. 1. epist. 2. 3. de eo loquitur loco iam citato, et in Psalmo nostro, sicut ibi apud Petrum quidam legunt χριστὸς, per iota, id est Christus, pro χρηστὸς per *ita*, id est benignus, suavis. Talis fuit Christus, et tales debent esse eius servi. Hæc Christi bonitas in omnes et singulos diffluit, *ut sit omnia in omnibus*, ut ait Paulus 1. Corinth. 15. 28. Hoc de Christo sic explicat S. Hieron. ad Amandum: *Dominus atque Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis: verbi gratia, in Salomone sapientia: in Davide, bonitas: in Iob, patientia: in Daniele, cognitio futurorum: in Petro fides: in Phinees et Paulo, zelus: in Ioanne, virginitas: in cæteris, cætera. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.* In hac etiam vita est quodammodo totus in singulis sanctis, sed non totaliter, aliquid enim dat de singulis suis bonis, sed de aliquo copiosius. Poiræus noster tract. 2. de Deipara c. 5. *Erit*, inquit, *illis Ecclesia ad preces, palatium ad tutelam, domus ad delectationem: bibliotheca studiosis, campus spatiari volentibus, sedes labore fractis, etc.*

Tertio, Spiritus sanctus suavissimus est: est enim columba, et Patris æterni mammilla altera, quam nobis porrexit, ut sicut Apostoli possimus etiam inter virgarum crepitus ire exultantes. Sap. 12. 1. *O quam bonus et suavis est Domine spiritus tuus* (communis toti Trinitati, ut ait Cornel. 2. spiritus notionalis, id est Spiritus sanctus, ut S. Athanas. epistol. ad Serapionem) *in omnibus*: primo, rebus, eas creando, conservando, alendo, gubernando: secundo, et præsertim, in omnibus hominibus. Unde Syr. vertit: *Quoniam spiritus tuus bonus inhabitans est in omnibus.*

Quarto denique, Trinitas tota abundat suavitate infinita. S. August. in Ps. 26. *Quidquid*, inquit, *præter Deum est, dulce non est: quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det.* Et in Ioan. serm. 19. *Deus*
63. *tibi totum est: si esuris, panis: si sitis, aqua: si in tenebris*
II. *es, lumen tibi est: si nudus es, immortalitatis tibi vestis est.*

Deus est suavis in verbis suis.

Secundo, Verba vitæ et suavitatis æternæ habet Deus, quæ præsertim nobis aperuit Verbum Patris æterni ad nos veniens, et aperiens os suum. S. Cyrill. Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 38. de divinorum verborum notitia locum, quem sugimus, exponit. S. Athan. serm. de Passione Dom. explicat de suavi Sapientiæ vino. Hæc verba suavissima sibi inspirari optabat Sponsa, cum dicebat Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hebraice, Syr. Arabs, osculis. Unum Verbum essentiale plura dat oscula in Scripturis. Miram enim dat rationem Sponsa, cur illa petat oscula. Pergit enim, *quia meliora sunt ubera tua vino*, (alii vertunt apud Origenem, meliores sunt loquelæ tuæ super vinum. Hebraice, meliores sunt amores tui vino) *fragrantia unguentis optimis.* Syrus, in odorem *suavitatum* tuarum. Septuag. vertunt: Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Arab. Odor *suavitatum* tuorum est præstantissimus omnium suavitatum. Gustaverat illa, quam suavis sit Dominus.

Nota, Scriptura sancta, quæ est promptuarium verborum Dei, continet potum et cibum animæ.

64. Scriptura dat cibum et potum suavem animæ.

Primo enim, est lac infantium. Isaiæ 55. 1. *Omnes sitientes* (Chaldaice, omnes discere, et sitim cupiditatis extinguere cupientes) *venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.* Chald. venite, et audite absque pretio, *absque pecunia, doctrinam meliorem vino et lacte.* S. Hieron. ait, quod olim in Occidentis Ecclesiis etiam suo tempore renatis in Christo vinum et lac tribuebatur. Philo Carpathius in cap. 1. Cant. ait duo Sponsi ubera esse vetus et novum Testamentum, ex quibus lac cælestis et divinæ doctrinæ hauritur: *Ut duo ubera*, inquit, *duæque mammæ hinc inde pectori affixæ cor ambiunt: ita et duo testamenta ex Spiritu sancto spiritalem nobis potionem, divini lactis instar effundunt, nosque super delectationes omnes humanas suavissime lætificant, atque tuentur.* Oseæ 2. 14. *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Chaldæus vertit: *Propterea ecce ego subiiciam eam legi.*

Est vinum lætificans.

Secundo, Scriptura sancta est vinum perfectorum, cor ipsorum lætificans et corroborans. Eccl. 32. 7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri* (id est, in pala annuli aurei) *et comparatio* (id est ut Græca habent, concentus) *musicorum in convivio vini.* Aurum est sapientia, ut patet Proverb. 2. 3. v. 11. et vinum etiam ac musica; dicitur enim Eccl. 10. 20. *Vinum et musica lætificant cor, et super utraque dilectio* (Tigurina, studium) *sapientiæ.* Prov. 9. 2. in convivio sapientiæ, id est Christi, qui est sapientia increata et incarnata, est vinum.

Est cibus solidus.

Tertio, cibus quoque est divina Scriptura. Hebr. 5. 14. *Perfectorum est solidus cibus: eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Solidus cibus est solida et perfecta doctrina. Ezechieli ait Angelus cap. 3. 1. *Comede volumen istud;* v. 3. addit, *et factum est in ore meo sicut mel dulce.* S. Cæsar. Episcopus Arelatensis vocat S. Scripturam, animæ lumen, et *cibum æternum.* R. Moses Ægyptius, dictus Rambam l. 1. doctoris dubitat; cap. 29. mentem hanc veterum Doctorum esse admonet, cum ait: *Sapientes utuntur hac similitudine comedendi in sapientia, et dixerunt: Omnis cibus, vel potus, qui ponitur in hoc libro, non est nisi sapientia.*

65. Et quidem omnis cibus. I. panis.

Cælestis hic cibus variis nominibus appellatur. Primo, panis. Eccl. 15. 3. de sapientia, id est Christo, iustum cibante dicitur Eccl. 15. 3. *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Gr. συνέσεως, id est, intelligentiæ. Syr. Intelligentiæ et sapientiæ: id est, dans intellectum et sapientiam: intellectum replens et nutriens. Hunc panem dabat Christus duobus discipulis euntibus in Emmaus, quæ postea dicta est Nicopolis, id est victoriæ civitas, et cognitus est ab eis in fractione panis, Luc. 24. 31. et 35. S. Eucherius Episc. Lugdun. hom. in dedication. Ecclesiæ: *Nunquam*, ait, *sic cognoscitur Iesus, sicut in panis fractione: nunquam sic ostenditur Dominus, sicut in sanctarum expositione Scripturarum. Hoc enim pane reficitur anima.* Secundo, Scri-
2. mel.
ptura est mel divinum. Ps. 118. 103. *Quam dulcia faucibus meis* (S. Oresiesis lib. de institutione monast. legit, gutturi meo) *eloquia tua: super mel ori meo.* S. Petr. Damiani lib. 7. Epist. 19. sive Epist. 143. super mel et fa-

*

vum. Vide ibi dicta. S. August. lib. 9. Confess. cap. 4. ait, Scripturas sanctas esse de melle cæli melleas, de Dei
3 manna. lumine luminosas. Tertia, manna sunt Angelorum. Sap. 16. 20. *Angelorum esca* (Psal. 77. 27. panis cæli dicitur) *nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem*. Gr. ad omnem gustum ἁρμόζοντα, accommodatum. Syr. auget, cum vertit: *Suaviorem omni dulcedine, et gustabiliorem præ omnibus gustabilibus*. Arab. *Panem fortiorem suavitate* (non est suavitas enervans, est panis suavissimus et fortissimus) *et præ omnibus delectabilibus*. S. Aug. serm. 91. de tempore id sic explicat. Si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide et tota devotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras. Verbi gratia, Primo, si tribularis, consolatur te dicens Ps. 50. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Secundo, si lætaris, prospere cumulat tibi gaudia dicens, Ps. 31. 11. *Lætamini in Domino, et exultate iusti*. Tertio, si iracundus es, mitigat te dicens, Ps. 102. 3. *Dominus sanat omnes languores tuos*. Quarto, si paupertate consumeris, consolatur te dicens, Ps. 112. 7. *Dominus erigit de terra inopem, et de stercore erigit pauperem*. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris. Ita August. ubi vides Psalmos nostros continere omnem suavitatem; plurium affectionum dulcedinem ibi sugere potes. Radulphus enim Decanus Tungrensis propositione. 9. vere dixit: *Sicut olim manna habuit omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis: ita nunc psalmi habent affectum omnium orationum, et sensum cuiuslibet intentionis*.

4. denique, cibus omnis. Quarto denique, Scriptura est mensa opipara, in qua sunt omnes omnium generum divinæ sapientiæ cibi. Proverb. 9. 2. *Sapientia immolavit victimas suas* (Arab. holocausta sua) *miscuit vinum, et proposuit* (Syr. præparavit. Chald. ordinavit. Vatabl. instruxit) *mensam suam*. Ibi facit cœnam magnam, Luc. 14. 16. Mensa panum propositionis, id est, propositorum ante Deum figurabatur, Exod. 25. 23. Ibi summæ deliciæ. Nam ut dicit Petrus Abbas Cellensis lib. 2. myst. expositionis tabernaculi: *Huius mensæ delicias tam impossibile est explicare, quam universum abyssi pelagus absorbere*. Et S. Dionys. Areopag. Epist. ad Titum, ait divinam sapientiam cuique pro captu alimenta præbere. Idcirco, ait, divina et spiritualia eloquia, et rori, et aquæ, et lacti, et vino ac melli merito assimilantur: quoniam vivificandi et fœcundandi, veluti in aqua: et ad incrementum perducendi, ut in lacte: et recreandi confortandique, ut in vino: et purgandi simul atque conservandi, velut in melle vim obtineant.

66. Deus in factis est suavis. Tertio, in factis etiam suavissima est tota Trinitas, ut patet oculos in cælum, terram, maria, animalia, pisces, aves, aliaque omnia conlicienti. In Christi unius factis præsertim hæreamus.

I. In Incarnatione Christi. Prima, Incarnatio eius et Nativitas suavitatem maximam effundunt in gustantem ea mysteria, et Bethlemiticam speluncam intrantem. Tit. 3. 4. *Benignitas* (Græc. Χρηστότης, id est, bonitas, et benevolentia) *et humanitas*, (φιλανθρωπία, id est, singularis erga homines amor) *apparuit Salvatoris nostri Dei*. Hæc appropriantur Christo humanato, proprie tamen dicuntur de Deo Patre, qui Salvator vocatur, quia secundum suam misericordiam salvos nos facit in lavacro regenerationis et renovationis per Spiritum sanctum, quem effudit in nobis abunde per Iesum Christum Salvatorem nostrum.

Incarnationem S. Bernard. mensam vocat. Sic enim ait serm. de cœna Domini: *Mensa*, inquit, *ad quam resident fideles, epulaturi cum eo, Incarnatio ipsius est. Parasti in conspectu meo mensam, id est, Incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo et recogito adversus eos, qui tribulant me*. Deinde ibi proposita fercula prædicat: *Regia quidem ibi sumuntur fercula, et accuratiori arte diligentius præparata, deliciosa multum ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia vera ad medicinam*. Primum ferculum dicit esse obedientiam. Ait enim Christus, Ioan. 4. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, Patris*. Se-

A cundum, paupertatem spiritualem. Tertium denique, mortem Christi reverendam.

Figuram huius mensæ Rupertus in cap. 7. Exodi vult esse mensam panum propositionis, atque in hac Christi humanitate salutarem gratiæ cibum, atque mysteriorum suavissima fercula a Deo Patre proponi, atque ab Evangelistis, quatuor veluti circulis aureis, omnes in orbis partes deferri. Quanta aviditate et lætitia ad eam mensam sit accedendum, vide Ps. 94.

Secundo, Christus passionem suam sibi voluit esse fellis et absynthii plenissimam, nobis ipso melle suaviorem. 67. II.
Utrumque uno verbo expressit ipse Christus, Ps. 117. 12. In Passione.
ubi agens de crucifixoribus suis et hostibus dicit: *Circumdederunt me sicut apes*. In Arabica est, *Circumvallarunt me sicut apes circa ceram*. Et in Græco, ἐκύκλωσάν με ὡσεὶ μέλισσαι κηρίον. *Circumdederunt me sicut apes favum*, q. d. aculeis me suis fodiebant affusi crabrones, sed in apes illos converti, ut dum de me perdendo et fodiendo cogitarent, in melleam me suavitatem converterint, eo B maiorem, quo acrioribus in me stimulis sæviebant. Ea mens fuit Bedæ in Psalmum citatum: *Sicut apes*, inquit, *magno studio et diligentia favum artificiose componunt: ita hostes mei quanta maiorem diligentiam in me excrucianda insumpserunt, tanto quasi artificiosiorem, id est, exemplariorem fecerunt. Potest quoque et in bonam sic accipi. Circumdederunt me quidam ex gentibus, sicut apes, quia sicut apes valde confertim stipant favum, ut quod dulce est, inde colligant: ita ipsi multum me stipantes, dulcedinem Verbi Dei de me quasi de favo excusserunt. Tum sequitur: Et exarserunt sicut ignis in spinis: id est, tam vehemens dilectio accensa est in eis, quanta ardoris vis in igne illo est, qui ardet in spinis*.

Torcular crucis calcavit Christus, et suavitatis nobis vinum expressit. Isaiæ 63. 3. *Torcular calcavi solus*. Hoc S. August. serm. 118. de tempore, et S. Cyprian. lib. 2. Epist. 3. sensu indirecto explicant de Christi passione, qua seipsum comprimens hostes suos compressit et contrivit, et sanguinem suum tamquam vinum et nectar suaC vissimum nobis propinavit. Unde dicit exultans David, Ps. 115. 4. *Calicem salutaris* (id est, salutis, seu Salvatoris) *accipiam, et nomen Domini invocabo*; accepto enim et hausto Christi sanguine, quis eum non laudet, qui tam salutiferum, et suave, divinum poculum propinat. De eo possis dicere illud Ps. 22. 5. *Calix meus inebrians, quam præclarus est!* Hoc est præclarissimus existit. S. Bernard. hunc calicem exhauserat, qui ait: *Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quod carnem induit; Sapienter, quod culpam vitavit. Fortiter, quod mortem sustinuit. Sed super omnia reddit te mihi amabilem, bone Iesu, calix, quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc enim amorem nostrum sibi vendicat. Hoc inquam, nostram devotionem blandius allicit, iustius exigit, arctius stringit, et vehementius afficit*.

Tertio, Christus in Eucharistia præsertim suavissimus. 68. III.
Ibi omnibus est inclamandum: *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus*. De Eucharistia hunc locum exponunt In Eucharistia.
S. Aug. Beda, Ruffin. Lambard. Bredembach. S. Cyrill. D Alexandr. in homil. de cœna Domini, S. Cyprian. lib. 1. cap. 21. S. Ambros. de initiand. cap. ultim. S. Gaudent. Brixiensis tractat. 2. de Pascha, Iulius Firmicus, R. Moses Hadarsan, Innocentius, et alii. S. Augustin. verba sunt: *Nonne aperit se Psalmus, et ostendit tibi illam quasi insaniam, et furorem constantem, et sanam insaniam, et sobriam ebrietatem illius David, qui figurate sacramentum Dominicum ostendebat, quando illi miseri coram Rege Achis dixerunt: Quomodo est? Quando dicebat Dominus: Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam. Et illi, in quibus regnabat Achis: id est, error et ignorantia, dixerunt, Ioan. 6. 52. Quomodo iste poterit nobis dare carnem suam manducare? Si ignoras, gusta et vide, quam suavis est Dominus; si autem non intelligis, rex es Achis. Immutabit faciem suam David* (id est, Christus) *et recedet a te, et dimittet te, et abibit*. Alludit ad id, quod accidit Davidi in

domo Achis, Regis Gethæorum, ut habetur in titulo Ps. 2. alludit ad etymon Achis, qui significat, *quomodo est?* ab אך *ach*, id est, quomodo: et יש *ies*, est.

Suavitas Eucharistiæ denotatur Cant. 5. 1. ubi Sponsus, id est, Christus ait: *Comedi favum* (Arabs, panem, S. Ambr. lib. de initiand. cap. ult. cibum meum. Syr. aptius psalmo nostro, suavitatem) *cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo*, id est, ait Cornelius, bibi cum Apostolis, imo eis præbibi, et exemplum dedi bibendi meum sanguinem, in Eucharistia latentem sub specie vini. Lac vero est deitas Verbi latens sub sanguine, eiusque pinguedo et dulcedo: ac dulcissima doctrina, gratia, inspiratio, et consolatio: qua animam in spiritu nutrit, impinguat, et exhilarat. Sicut enim lac ex mammilla matris profluit, sic verbum ex vi generativa Patris, quasi ex mammilla procedit: ut homines lactet, doceat, et pascat: ita Clemens Alex. lib. 1. pædag. cap. 6. qui id confirmat ex 1. Petr. 2. 1. ubi pro *rationabile lac*, Gr. est, λογικον γαλα, per quod Clemens intelligit *verbale lac*, quod est ipsum Verbum Patris æterni: unde ipse sic legit: *Tamquam modo geniti infantes verbale lac concupiscite, ut in ipso crescatis in salutem: si gustastis, quod Christus est Dominus:* id est, Deus, q. d. concupiscite bibere sanguinem Christi in Eucharistia, ut simul cum ipso Verbum ipsum eiusque deitatem, ceu lac divinum bibatis: ita fiet, ut crescatis in gratia, quæ vos ad salutem et gloriam deducet: si tamen gustastis, id est, gustu interno animæ, ex ipsa dulcedine Eucharistiæ, Christique in animam illapsu cognovistis, quod Christus est Deus. Addit Clemens, lac notare sanguinem Christi: lac enim non est aliud, quam sanguis concoctus, candidus, et dulcis, ad alendum parvulos idoneus. S. August. vero in Psalm. nostr. conc. 1. docet, Verbum esse panem Angelorum, quod in se purum et merum pascit Angelos, panem vero in lac, eum, ut hominibus quasi parvulis lactescat, eosque ut lac nutriat, candidas et quasi lacteas azymi panis species in Eucharistia induit: *Sicut*, inquit, *quia minus aptus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat* (id est, comedendo, et digerendo, vi caloris naturalis in carnem vertit) *et per humilitatem mammillæ, et lactis succum de ipso pane pascit infantem.* Nempe de lacte, in quod convertit panem. Philo Carpat. Episcop. a S. Epiphanio ordinatus, quique floruit circa annum Christi 374. hunc locum Cantici exponit de Eucharistia, atque in ea meditanda tantum esse *suavitatis fructum*, ut recte dicere possimus: Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus. S. Chrysostom. hom. 1. in Ps. 50. Christum nobis matre benigniorem et suaviorem esse ostendit, quod etiam velit esse nutrix: *Cum* ait, *genuerit filium mater* (nobilis et dives) *statim eum tradit foris, et pietatis insignia abscondit superbia. Erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater. Christus autem non ita. Ipse nutritor, et mater est; ideo et pro cibo propria nos carne pascit, et pro potu sanguinem nobis propinavit.* Psalmum nostrum concini solitum, cum populus ad Eucharistiam accederet, tradit Clemens Romanus Constit. Apostol. lib. 8. cap. 20. Iulius Firmicus Maternus de errore profanarum religionum cap. 19. de Eucharistia agens citat Psalmum nostrum, et subdit: *Dulce est cœleste pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in se miseræ famis triste tormentum, et in medullis hominum præcedentis veneni virus excludit.* Lege dicta Psal. 21. et 22. atque Ioannem de Ragusio, oration. habita in Concilio Basileensi de communione sub utraque specie.

69. IV. *In cæteris sacramentis.* Quarto, Christus in cæteris quoque sacramentis suavis est: in baptismo, confirmatione, ordine, et extrema unctione: olei unctio denotat suavitatem Christi erga nos. Matrimonium vero, unionem amoris Christi cum Ecclesia significat. De pœnitentia, tum in baptismo, tum in sacramento pœnitentiæ, ait Paulus Rom. 2. 4. *An divitias bonitatis Dei* (id est uberem et exundantem beneficentiam ac benevolentiam. Est catachresis) *et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: id est, adducere cupit.*

Theodoretus in Psalmo nostro ab hac mente non recedit, versiculum nostrum degustans: *Sententia*, inquit, *quæ in profunditate litteræ latet, divinorum mysteriorum gratiam innuit. Nam per sanctum baptisma verus splendor accedentibus acquiritur, et vitalis cibi gustus bonitatem Salvatoris manifeste ostendit. Quid enim sic dilucide eius benignitatem ostendit, ut crux, et cruciatus, et mors pro nobis suscepta, et quod ipse propriarum ovium cibus simul et fons factus sit.* De sacramentorum participatione Psalm. explicat S. Bonaventura.

Quinto, Christus in omnibus donis suis et operibus tum naturalibus, tum supernaturalibus, suavissimus est. Primo, de naturalibus S. Paulus, ait Lystrensibus Actor. 14. 16. *Deus non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra.* Apuleius illa aliaque dona considerans, ait lib. 11. Metamorph. *Dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit Deus: nec dies, nec quies ulla, ac ne momentum quidem tenue, eius transcurrit beneficiis otiosum.* Secundo, de supernaturalibus donis a Deo datis dicitur Coloss. 1. 13. *Transtulit nos in regnum filii dilectionis suæ* (id est, sibi dilectissimi. Est hebraismus) *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Regnum Christi est regnum dilectionis et charitatis, quod Poiræus noster sic explicat de triplici corona Deiparæ, tract. 2. cap. 5. Rex, inquit, princeps est charitatis; 2. lex primaria et fundamentalis, charitas; 3. finis, in quem omnia diriguntur, charitas; 4. magistratus a charitate ducuntur, ut imperent; 5. subditi aguntur a charitate, ut obtemperent; 6. lucrum præcipuum est charitas; 7. moneta nulla est alicuius pretii præter charitatem; 8. lingua, qua omnes utuntur, charitas est; 9. a cæteris barbaris una charitate secernuntur; 10. denique charitas imperat, charitas obedit, charitas mutuo vinculo cor singulorum colligat, et caput victorum coronat. De suavi Christi iugo exponit versiculum nostrum, *Gustate*, etc. Auctor imperfecti operis in Matth. homil. 28. 70. V. *In omnibus donis.*

Sexto denique, in cœlesti præsertim beatitudine Deus amicis suis, filiis, et hæredibus, tota æternitate suavissimus est. De illa locum nostrum exponunt S. Bernardus sermon. 1. de omnibus Sanctis, et sermone de nativitate beatæ Mariæ, ac S. August. de spiritu et anima, cap. 58. et Soliloq. cap. 22. et vero essentialem et integralem beatitudinem hic reperies. Primo, actum voluntatis habes: *Gustate.* Secundo, actum intellectus, *et videte.* Tertio, potentiarum omnium delectationem, *quoniam suavis est Dominus.* Ut enim ait S. Thomas 1. 2. q. 3. art. 4. Beatitudo consistit in visione Dei, et in delectatione fruitionis; et 1. p. quæst. 26. artic. 2. dicit essentiam beatitudinis consistere in actu intellectus, sed delectationem eius esse in voluntate. 71. VI. *In cælesti beatitudine.*

In cœlo potum suavissimum habes. Ps. 35. 9. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vide illum locum. Secundo, cibum suavissimum. Apoc. 2. 7. ait Christus Ioanni: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, id est, de fructu arboris vitæ, nempe de ipsa divinitate immortalitatem dante, *quod est in paradiso Dei mei*, et in nullo alio. Hoc scribi mandat Angelo, id est, Episcopo Ephesi, hoc est S. Timoth. q. d. honoranti Deum. Et v. 17. mandari iubet Episcopo Pergami clarissimæ civitatis Asiæ. *Vincenti dabo manna absconditum*, id est, Eucharistiam, ait Ticonius et Aretas. Secundo, arcana divinitatis et æternam felicitatem, ait Richard. a S. Victore. Vide dicta Ps. 16. vers. ult.

Quarto, hæc gustanda sunt, ut videantur. S. Bernard. lib. de convers. ad Cleric. cap. 21. manna absconditum, de quo in Apocal. ait, esse dulcedinem contemplationis, quæ in rerum cœlestium contemplatione percipitur: *Suavitas*, inquit, *Domini est, nisi gustaveris, non videbis. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Manna absconditum est, nomen novum est. Quod nemo scit, nisi qui accipit: non illud eruditio, sed unctio docet, nec scientia sed conscientia comprehendit.* Ionathas filius Saulis 1. Regum 14. 29. ait: *Vidistis ipsi, quod illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto.* Vide nostrum Al- 72. *Hæc omnia sunt gustanda, ut intelligantur.*

varez de Poz in fine tom. 3. ubi fuse de contemplatione agit, et 15. eius gradus profert.

Ex illo gustu et visu oritur delectatio et fruitio suavitatis Domini, quæ tanta est, ut totum hominem ad se rapiat, et explicari sufficienter non possit. S. Bernard. lib. de Amore Dei: *Saporem*, ait, *sentio dulcem adeo confortantem, ut si perficeretur in me, nil ulterius quærerem: sed cum accipiens, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu advertere me permittas, quid sit; cum accepero, tenere et ruminare volo, et diiudicare eius saporem, sed statim transit. Deglutio quidem illud, quidquid istud est, in spem vitæ æternæ.*

Hinc conclude, reiiciendas esse luteas, et futiles ac vanas mundi et carnis delectationes, ut puris illis cælestibus ac solidis frui possimus. S. Aug. in Soliloq. cap. 22. *Renuit consolari anima mea, ut digna habeatur tuis consolationibus æternis: quia iustum est, ut amittat te, quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quam in te. Et obsecro summa veritas te per te, non permittas me in aliqua consolatione vana consolari, quam in te: sed peto, ut omnia mihi amarescant, ut tu solus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæstimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur. Tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit, tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit. Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem et gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Ioannes potavit. Hanc vero ut gustavit Petrus omnium inferiorum oblitus clamavit quasi ebrius dicens, Matth. 17. 4. Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Unde concludit: *Hæc est enim illa beatitudo, Domine Deus noster, quam expectamus daturum te nobis, pro qua tibi Domine continue militamus, pro qua tibi mortificamur tota die, ut in tua vita tibi vivamus.*

Illo gustus, et visus, atque delectatio foventur crebra lectione, contemplatione et degustatione Scripturæ. Ps. 118. 77. *Lex tua meditatio mea est.* Hebr. delectatio mea est. Cant. 4. 11. ait Sponsus: *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua.* Ubi Philo Carp. Quemadmodum, ait, in favo mel et cera latent, quorum altero pascimur, altero lumen accendimus: sic in litteris sacris suavissimus cibus animi, et lumen mentis insunt, modo rite quærantur.

ARTICULUS III.

Quanta abundantia timentium Deum.

Primo articulo securitatem timentis Deum vidimus, perspectis Angelis eum in acie circumvallantibus. Secundo articulo, delectationem illius attendimus, obtenta victoria Deum gustantis, eiusque bona affatim in victorem congesta recipientis. Nunc Propheta pergit explicare abundantiam, quæ finito bello et pace parta datur timenti Deum, virtutum læta messe mentis ipsius fertiles agros

Vers. 10. complente, v. 10. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.

73. Timor Dei in mediis armis securos facit. Quæres, cur hic inter arma, facit mentionem timoris? Resp. primo, timorem sumi pro reverentia et cultu Dei: unde Arabs vertit: *Colite Dominum, o omnes Sancti eius.* Resp. secundo, timorem Dei omni esse robore et audacia fortiorem et potentiorem. Dat enim arma partim ad protegendum, partim ad aggrediendum.

I. Timor Dei est murus. Primo enim, timor Dei murus est ita firmus, ut nulla hostium machina concuti aut labefactari possit. S. Cyrill. lib. 2. in Isai. *Tenendum est*, ait, *animam Dei timore, velut muro obseptam fortem esse, et quodammodo invictam, et vires eorum, qui manus cum eo conserunt, expugnare.* Secundo, timor Dei turris est altissima et fortissima, gradibus omnibus et scalis impervia, quam nec igniariæ machinationis cuniculus, nec suffossionis parietariæ dolabra possit evertere. Hoc asserit S. Chrys. hom. 15. Ο φοβος ουδεν ετερον εστιν η τειχος, και ασφαλεια, και πυργος ακαταμαχητος; timor nil aliud est quam murus, et munimentum, et turris inexpugnabilis. Tertio, timor Dei est arx montis in vertice posita subiectos despectans, arreptantesque eludens hostes: tam firmis fulcita et roborata munimentis, tamque copiosa annona dives, ut nec vehementes impetus, nec diuturnam obsidionem reformidet. In eam opinionem nos inducit S. Ephrem. serm. ascetico de timore Dei: *Timor Domini*, ait, *munitio animæ. Qui timet Dominum, similis est civitati supra montem positæ, murisque munitæ, a cuius conspectu improbi contremiscunt dæmones.* S. Greg. Nyss. tr. 1. in Ps. cap. 8. timorem Dei vocat φυλακτηριον, id est, arcem. Quarto, timor Dei est arcis pervigil custos, quam nec diurna irruptio frangat, nec nocturnæ insidiæ deludant. Hanc illi laudem tribuit S. Hier. in Epist. *Timor*, inquit, *virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Timor odit vitia, virtutes custodit, cor sedula vigilantia observat, ab ingressu eius noxias cogitationes repellens clava terribili, videlicet memoria æternæ pœnæ.*

Secundo, si hostis est aggrediendus, Primo, timor Dei 74.
dat robur. Prov. 14. 16. *In timore Domini fiducia fortitu-* II.
dinis, id est, fiducia fortis atque robusta. Syr. vertit. Ti- Dat robur ad
mor Domini est spes valida et fortis. Hoc recte explicat aggre-
S. Gregor. 5. Moral. 12. ipsum consule. Eliphaz Thema- diendum.
nites loquens Iobo iungit fortitudinem timori, velut radici surculum, et prolem parenti. Sic enim ait cap. 4. 6. *Ubi est timor tuus, fortitudo tua.* David morti proximus hortatur Salomonem 3. Reg. 2. v. 2. *Confortare, et esto vir.* In Chaldæo est: *Et esto in virum timentem peccata.* Perinde quasi robur a Dei timore dimanet. Secundo, timor Dei scutum est ad arcenda tela, et ad impellendos obruendosque hostes. S. Ephrem. oration. de timore Domini: *Sit*, inquit, *timor Dei in corde tuo, charissime, sicut scutum in manu militis, excipiens in eo atque repellens in humilitate tentationes, quæ adversum te inferuntur a diabolo, ut instar pulveris comminuantur a facie inimici tui. Confide, non enim superari poteris, dum scutum atque armaturam eiusmodi tenes.* Tertio, timor Dei est gladius ad legiones oppositas perrumpendas. S. Ephrem. oration. de patientia et consummatione huius sæculi: *Timor Dei*, ait, *velut gladius anceps est omnem concupiscentiam pravam excidens.* Quarto, timor Dei est miles armatus et terribilis hostibus, omnesque ab iis excitatas passiones comprimens. S. Chrysost. hom. 15. Sicut, inquit, in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit; sic et metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt et pelluntur, τυραννιδι φοβου παντοθεν εξελαυνομενα, *timoris imperio undique exactæ.* Quinto, timor Dei est dux exercitus, omnes animæ potentias, et membra corporis ordinans. S. Isidor. Pelusiota lib. 1. Epist. 291. ad Gerontium: Si hostes, inquit, vincere cupis, αγε στρατοπεδον φοβω Θεου, *Dei metu exercitum ducito.* Iustitia enim hoc affert, ut quis strenue ac feliciter pugnet. Contra, iniustitia nostra hostium est auxilium. Sexto denique, timor Dei est vexillum regium, sub quo militare debent omnes et vincere. Psal. 59. 6. *Dedisti metuentibus te significationem.* Hebr. נס *nes*, id est signum, vexillum militare. Chald. dedisti metuentibus te vexillum ad extollendum.

In hoc exercitu timentium Deum, nullus est terror panicus. Eccli. 34. 16. *Qui timet* (Tigurina, qui reveretur) *Dominum nihil trepidabit, et non pavebit* (ita ut pavore superetur) *quoniam ipse est spes eius.* Vide dicta Ps. 22. 4. 75.
Ps. 26. 3. Ps. 124. 1. Timor

Quare, verum est dictum S. August. de Symbolo cap. 4. Dei tota
Pavor omni securitate appetendus. vita etiam

Quæres secundo: Cur etiam ipsis sanctis timor est ne- Sanctis est
cessarius? Resp. quia primo quamdiu sub tentoriis car- necessa-
nalibus versamur et pellibus, tela hostilia involitant, et rius.

I. Ob hostes continuos. iam victores nonnunquam confodiunt. S. Hier. id exprimit in regula Monachorum tit. de fide et timore, si tamen eius est illa tractat. Ibi sic ait: *Nunquam tuta est humana fragilitas: et quanto magis virtutibus crescimus, tanto magis timere debemus, ne de sublimibus corruamus.* Et in illud Ps. 133. *Qui fecit cælum et terram*, Iudæ Apostoli lapsu exterritus, et conversione Pauli in admirationem raptus, ait: *Multi de terra cæli fiunt, et multi de cælo terra. Infelix Iudas cælum fuit, et factus est terra. Paulus Apostolus eo tempore, quo persequebatur Ecclesiam, terra erat: confessus est, et cælum factus est. Nec, qui cælum est, debet esse securus: nec qui terra est, debet desperare de vita.*

II. Ob Dei maiestatem. Secundo, etiam Sancti debent timere Deum, ob summam eius maiestatem et potentiam. Sic dicebat Iob c. 31. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum, et pondus eius ferre non potui.* Deinde ob exactissimam iustitiam, qua repetit novissimum quadrantem datum ad operandum, et de verbo otioso exigit rationem. Hinc idem Iob ait cap. 9. 28. *Verebar* (Septuag. contremiscebam) *omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*, id est, vel levissime peccanti. Delicti et peccati differentiam alias attuli.

III. Ob timoris excellentiam. Tertia, etiam Sancti timorem Dei debent conservare ob excellentiam illius. Ut enim dicitur Ps. 110. 10. *Initium sapientiæ timor Domini*. Ubi Hebr. ראשית *rescit*, et Græcum ἀρχὴ, non tantum principium atque inchoationem significat, sed etiam quod præcipuum ac summum est, ac velut apex et colophon. Ut videas timorem Dei et fundamentum esse ædificii virtutum, et verticem. Unde auctor Eccli. 2. 6. monet: *Serva timorem Dei, et in illo veterasce.* Tigurina habet: Tuere religionem eius, et in ea consenesce. Nullam ætatem, nullam annis corroboratam virtutem excipit David, qui hic ait: Timete Dominum *omnes sancti eius*, id est, qui non tantum exterius lucetis hominum oculis, sed qui vere Dei oculis grati et accepti estis, et iam velut ipsius possessio ad ipsum pertinetis. Sive scientia, sive miraculis, sive prophetiæ dono, aliove excellas, habe et retine timorem Dei. Adverte tamen, esse quintuplicem timorem, 1. naturalem; 2. mundanum; 3. servilem; 4. initialem; 5. filialem. Primus est indifferens: secundus, est malus: tertius et quartus, boni sunt, a charitate tamen foras mittuntur, sed cum illa manet timor filialis etiam in cælo.

76. Qui timet Deum non eget ulla re. Quæres tertia: Quomodo verum est, quod non est inopia timentibus Deum? Resp. primo, hoc posse intelligi de inopia spirituali. Nam timor Dei ditat animam omnibus virtutibus, ut fuse dicetur Ps. 111. Resp. secundo, etiam de inopia corporali hoc posse accipi, eo modo quo docebimus Ps. 36. 25. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Ut enim ait S. August. in Ps. nostr. potior est ratio, ut Deus pascat innocentes et servos suos, quam sceleratos: *Pascebat*, inquit, *te Dominus contemnentem se, et deseret timentem se?* q. d. id fieri non potest: itaque monet non esse peccata facienda ut ditescamus.

Timor Dei, est hortus et ager fœcundus. Primo, eum nobis veluti hortum amœnis floribus vernantem atque selectis fructibus divitem pingit auctor Eccli. 40. 27. *Non est in timore Domini minoratio* (Græc. ἐλάττωσις, id est diminutio, defectus, inopia) *et non est in eo inquirere adiutorium. Timor Domini sicut paradisus benedictionis*: id est benedictus. Vatabl. vertit: Religio Domini instar horti fortunati est, in quo contegenda omnis est superata magnificentia. Secundo, timor Domini ager est Evangelicus, in quo est thesaurus absconditus. Tob. 4. 23. ait Tobias senior filio suo Tobiæ: *Noli timere, fili mi; pauperem quidem vitam gerimus* (Gr. ἐπτωχεύσαμεν, id est mendici sumus) *sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* Hebræus textus editus a Paulo Fagio habet: Viriliter age, et esto robustus, quia Dominus erit tecum, ut te adiuvet, et prosperum faciat si requisieris eum in toto corde tuo, et tota anima tua. Si Dominum timueris, et custodieris temetipsum ab omni peccato, *ipse dabit tibi divitias magnas.* Licet enim sancti velut cælestes aquilæ, supra nubes oculum in cælo figere ament, pondere tamen corporis

A depressi coguntur nonnunquam in terris hærere, ut vires reparent, quibus iterum in altum avolant. Itaque de necessariis providet Deus, ita ut nihil desit. Felix vertit: *Nihil deest timentibus eum.*

Contra vero, divites scelerati multis rebus indigent, 77. Vers. 11.
v. 11. DIVITES EGUERUNT ET ESURIERUNT: INQUIRENTES AUTEM DOMINUM NON MINUENTUR OMNI BONO. Nota, pro divites, Hebr. est כפירים *chephirim*, id est leunculi. Ubi adverte, quod *chephir* est leunculus maior, quam גור *gur*. Dicitur a rad. *caphar*, id est tegere, occludere, quia non sæpe exivit adhuc extra suam speluncam. Unde Felix et Wolfgangus vertunt, *catuli leonum inopes facti sunt.* Vatablus, leunculi penuria et fame laborant. S. Hier. leones indiguerunt et esurierunt. Comparationem avari cum leone habes Ps. 9.

Divites sunt egeni. I. Quia sæpe divitiæ eorum defluunt. Quæres, quomodo divites egent et esuriunt. Respond. Primo, quia sæpe a divitiis suis excidunt, ut patuit in Dionysio tyranno, Belisario, Baiazete, et aliis. Pro eguerunt, Hebr. est רשו *rascin*, id est depauperati sunt, pauperes

B effecti sunt. Syr. et Arabs vertunt, divites depauperati sunt, et esurierunt. Septuag. ἐπτώχευσαν, id est ostiatim more pauperum stipem quæritarunt, mendici facti sunt. Pagnin. vertit, Leunculi depauperati sunt, et famescent. Thesauri divitum auro gemmisque nonnunquam referti sunt, sed statim instar dolii Danaidum hæ aquæ in mare salsuginis et doloris defluunt, ob sumptus nimios in ædificiis et conviviis, ob luxuriam uxorum in vestibus, et filiarum compotationes ac ludos in ganeis et lustris. Similes illos divites dixeris animali, quod Koka vocat Albert. lib. 8. de anim. quidam volunt esse montanum murem, qui cum in hyeme cibum sibi potumque congregavit, fœminam a fovea expellit: illa vero aliud foramen furtim factum nacta, usque ad ciborum penu clanculum ingreditur, congestaque annona lautius quam mas vescitur. Est enim mas naturaliter avarus, fœmina autem prodiga. Inter homines contrarium ut plurimum contingit, avaræ sunt fœminæ, viri prodigi.

II. In mediis divitiis egent.
C Secundo, etiam cum ditissimi sunt impii, tunc maxime agent, quia instar Tantali in mediis aquis sitiunt, et instar Cerberi semper os famelicum aperiunt, plura semper appetentes. Syr. vertit: *Divites* אתמסכנו *ethmascanu, seipsos ad pauperiem redegerunt.* Est enim in coniugatione Ethpael, ut vocant Masius et Waserus: seu, ut malunt loqui Buxtorphius et Ludov. de Dieu, in coniugatione Ethpaal, quæ actionem in se ipsum significat, sicut Ithpael apud Hebræos. S. Aug. *Quantum habuit quidam, et quis eam satiavit? Sic mortuus est egens, quia plura volebat acquirere, quam tenebat.*

Tertia denique, ut plurimum, ditissimi in bonis temporalibus, sunt pauperrimi in spiritualibus, nisi maxime sibi provideant. Itaque egeni habendi sunt, non divites: vir vero iustus censendus est dives, licet inopia temporali prematur. S. Augustin. id perpendit: *Cum*, ait, *repletus fueris spiritualibus divitiis, pauper eris: Et ille dives ideo fuit, quia habebat lectum eburneum: et tu pauper eris, cuius cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum iusti-*
D *tiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ et tolerantiæ? Explica divitias tuas, habes illas, et compara divitiis divitum. At ille in mercato invenit mulas pretiosas, et emit eas. Si fidem invenires venalem, quantum pro illa dares, quam te voluit Deus gratis habere, et ingratus es? Egent ergo, illi divites egent: et quod est gravius, pane egent. Quare egent pane? Si non intelligis panem, ille dixit Ioan. 6. 52. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Et Matth. 5. 6. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.*

Has divitias præsertim spirituales, Intuens David dicit Vers. 11. 2. Pars.
vers. eod. 11. INQUIRENTES AUTEM DOMINUM NON MINUENTUR (Hebr. non deficient) OMNI BONO. Non omni, id est, nullo. Eutychianus Papa epist. 2. legit: *Quærentibus Dominum non deerit omne bonum*: sive animi, sive corporis: sive Deus ipse, qui est omne bonum. Quomodo cor- 78.
poris et fortunæ mala, sint iustis bona, vide Ps. 1. v. 3. Timor Dei est
Hæc omnia bona oriuntur a Dei timore, qui Primo pa- parens
rens est et nutritius virtutum. S. Bern. Epist. 87. *Timor* virtutum.

pius, humilis, fructuosus, qui generat, nutrit, et servat non solum humilitatem, sed mansuetudinem, sed patientiam, sed longanimitatem. Quem non delectat tam inclyta proles. Secundo, timor Dei est custos et pædagogus virtutum. S. Cypr. Epist. ad Donatum appellat eum innocentiæ custodem. Cassian. lib. 4. Instit. cap. 39. Per timorem Dei, inquit, et initium conversionis et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his, qui imbuuntur ad viam perfectionis, acquiritur. Tertio, in timoris Dei schola et tutela crescunt virtutes, et magnis auctibus adolescunt, ut docet S. Chrys. hom. 15. *Non, ait, improbas tantum passiones expellit timor:* ἀλλὰ καὶ πᾶσαν εἰσάγει μετὰ πολλῆς εὐκολίας ἀρετήν: *Sed et omnem cum multa facilitate, virtutem inducit. Ubi timor est, ibi et eleemosynæ studium, et orationis intentio, et lacrymæ ferventes, ac continuæ, atque gemitus multam habentes compunctionem.* Denique summum timoris encomium subtexit: Οὐδὲν γὰρ οὕτω κατεσθίει μὲν ἁμαρτήματα, ἀρετὴν δὲ αὔξεσθαι ποιεῖ, καὶ θάλλειν, ὡς διηνεκὴς φόβου φύσις. *Nihil enim tantum peccata consumit, virtutem vero crescere facit et germinare, quantum continui timoris natura.* Quarto denique, timor Domini est arrha salutis æternæ. Isa. 26. 18. *A facie tua* (Sept. per timorem tuum) *Domine concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis.* Et cap. 33. 6. *Divitiæ salutis sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius.* S. Laur. Iustinian. tr. de ligno vitæ: Timor, inquit, est robur animæ, lumen intelligentiæ, et spes salutis. Tertull. lib. de cultu fœmin. cap. 2. Timor fundamentum est salutis: timendo cavebimus, cavendo salvi erimus: qui sollicitus est, is vere poterit esse securus.

Et pædagogus.

Ac tutor.

Atque salutis arrha.

ARTICULUS IV.

Effectus timoris Dei.

Cum audita timentium Deum securitate, delectatione et abundantia cerneret David plurimos tantorum bonorum desiderio teneri, eos ad se vocat, ut quid præstandum sit, edoceat, v. 12. *Venite*, etc. Secundo, hac voce excitatos, et throno suo affusos cernens maiori desiderio incendit, figurate per brevem sustentationem magis ac magis illos inflammans, v. 13. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?*

79. Tertio, aperit, quinam sint effectus timoris in locutione, operatione, et cogitatione. Primo, timor Dei linguam refrænare debet, v. 14. *Prohibe linguam tuam a malo*, et veritatem sincere dicendo: *et labia tua, ne loquantur dolum.* Secundo, opere peccata fugiendo, v. 15. *Diverte a malo.* Et virtutem sectando: *et fac bonum.* Cum perfecta charitate: *inquire pacem, et persequere eam.* Tertio denique, cogitatione: considerando Deum videre opera proborum et improborum, v. 16. et 17.

Effectus tres timoris Dei.

Ac primo, ostensurus Propheta, in quo timor Dei consistat, exordio hoc utitur, v. 12. Venite (Aquila ἀποβλέψατε, respicite) FILII AUDITE ME, TIMOREM DOMINI DOCEBO VOS. Ibi captat Primo benevolentiam David, cum gener regis Saulis confugientes ad se omnes, qui erant in angustia constituti et oppressi ære alieno, et amaro animo, filios suos vocat: *Venite filii.* Secundo, sibi docilitatem eorum conciliat, monens, de quo argumento sit tractaturus: *timorem Domini docebo vos.* Tertio, attentionem excitat, a rei magnitudine, iucunditate, et utilitate: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* et uno verbo, prius dixerat, *audite me.*

Vers. 12.

80. Nota secundo. Solent DD. habere discipulos filiorum loco, eo quod fingant illos quodammodo, ac forment ad virtutes, ac pene veluti novi patres eos iterum generent: ita Euthym. Sic filios appellabat Galatas Paulus c. 4. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quod S. Chrysost. admirans in eam Epist. ait, Apostolus hic matrem refert de liberis trepidantem, vides paterna, imo materna viscera, vides anxietatem, vides qualem emittat eiulatum, multo tristiorem, quam solet esse parturientium. Et S. Gregor. 30. Mor. cap. 21. in cap. 39. Iob. 1. dicit: *Video Paulum quasi quemdam cervam in partu suo magni doloris rugitus emittentem.* S. Bern. serm. 23. in Cant. Prælatos alloquens ait: Discite subditorum matres vos esse debere, non Dominos. Studete magis amari, quam metui, et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica: ita Bern. Vicissim discipuli cor filiorum et aures præbeant præceptoribus, e quibus habent vitam nobiliorem animali. Aristoteles docet parentibus et præceptoribus parem gratiam rependi non posse.

Doctores discipulos suos vocant filios.

81. Nota tertio, timorem Domini doceri et disci: quoniam non in terrore, sed in ratione doctrinæ est. Neque in trepidatione naturæ, sed præceptorum observantia, et operibus vitæ innocentis, et cognitione veritatis ineundus: ita S. Hilarius, qui etiam advertit, quotiescumque de timore Domini in Scripturis sermo est, nunquam eum solitarium relinqui: sed subiici multa, aut anteferri, ex quibus illius ratio et perfectio intelligatur. Et probat ex c. 2. Proverb. ubi multis quasi gradibus ad eum pervenitur. S. Ephrem vocat timorem Dei, *animæ scholam.* S. Pachomius asserit eum instruere nos super decem millia pædagogorum. Clemens Alex. lib. 2. Strom. ab eo nos in cælum duci asseverat: Fides, inquit, est prima ad salutem inclinatio, post quam *timor*, et spes, et pœnitentia. Petavius hic vocat κακῶν παυστῆρα, malorum averruncum. S. Laur. Iustinian. tract. de ligno vitæ: *Non cursus,* inquit, *siderum, non rerum naturas, neque cælorum secreta, sed Domini timorem docebo vos. Horum scientia sine timore inflat, timor autem Domini absque scientia illorum salvat. Quicumque desiderat sapientia et scientia repleri, et qui salutari spiritu munitus, anhelat ad culmen pertingere virtutum*, non aliunde incipiat quam a timore Domini. *Nam ipse timor est robur animæ, lumen intelligentiæ, et spes salutis.*

Timor Dei docetur et discitur.

82. Nota quarto, si vis timorem Domini discere, sis parvulus in oculis tuis, et veluti puer. Tales docet Deus. Proverb. 9. 4. ait Sapientia increata: *Si quis est parvulus, veniat ad me.* Et Matth. 19. 14. discipulis pueros ab eo arcentibus, dicit: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire. Talium enim* (Syr. eorum qui sunt sicut isti) *est regnum cælorum.* S. Ambros. lib. 8. in Luc. Pueritia, inquit, ætas est infirma viribus, invalida ingenio, immatura consilio. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas designatur. Salomon eos a Deo doceri docet Proverb. 3. 32. *Abominatio Domini est omnis illusor* (R. Levi, qui a recta via deviat, et iter flexuosum ingreditur) *et cum simplicibus sermocinatio eius.* S. Gregor. 3. part. Pastoralis admonit. 1. 2. Cum simplicibus, inquit, Deus sermocinari dicitur: quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. Et ipse Christus ait Matth. 11. 25. *Confitebor tibi* (te laudo, tibi gratias ago) *Pater Domine* (Syr. dominator) *cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus* (a Capharnaitis, qui ad mare Galilææ siti, sunt sagacissimi mercatores; et a Scribis, qui sunt doctores legis) *et revelasti parvulis.* Syr. puerulis. Gr. νηπίοις, hoc est infantibus, Apostolis scilicet, qui erant simplices, inerudititi, impoliti, in sermone et discursibus infacetes. Vide dicta Ps. 8. 3.

Timorem Dei discunt humiles.

83. Secundo, fructum timoris Dei, et operum ex eo secutorum proponit David, vitam scilicet, ac dies bonos, v. 13. QUIS EST HOMO, QUI VULT VITAM (Hebr. vitas) DILIGIT DIES VIDERE (sentire, habere. Hebræi visum sumunt pro quolibet sensu) BONOS? S. Cypr. de unitate Ecclesiæ, legit, dies optimos. Nota, quando vita absolute ponitur, significat beatam atque æternam, ut monet S. Cyrill. Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 74. in illa verba Ioannis Bapt. quæ dixit Iudæis se Messiam agnoscere volentibus, Ioan. 3. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam* (in spe et iure velut in semine et radice) *qui autem incredulus est Filio, non videbit* (non percipiet ac sentiet) *vitam, sed ira* (vindicta) *Dei manet super eum.* Quis poterit eius pondus sustinere? Vita nostra in terris mors potius dicenda est, quam vita, cum eius progressus et augmentum sit

Vers. 13. Vita absolute in Scripturis posita significat beatam.

mors continua. Tantum enim vitæ perdidimus, quantum in annis augemur. S. Bern. serm. 17. In Ps. *Qui habitat*, ille verba perpendens: *Longitudine dierum replebo eum*, sic loquitur: *Hæc vita, qua vivimus, magis mors est: nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo dicimus, quando morti certissime appropinquat. Quid vero agimus, ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, et incipere mori? Sed et dies qualescumque vitæ huius pauci et mali sunt, sicut sanctus Patriarcha testatur. Ibi vere vivitur, ubi vivida vita est et vitalis. Ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum.*

84. Dies boni sunt in cælo, ob tres causas. 1. quia sunt lucidi et sereni.

Nota secundo, ut dies boni sint, tria requiri, 1. ut sint lucidi et sereni; 2. ut sint longi; 3. ut felicie in illis contingant. Hæc autem in cælo reperientur: Primo, ibi erit lux vera. Apocal. 22. 5. *Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos*, Sanctos scilicet in cælesti Ierusalem. Et Isai. 60. 19. *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te. Sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam.* Alloquitur Ierusalem, id est Ecclesiam cælestem.

2. æterni.

Secunda, in cælo dies erit æternus. Apoc. 22. 5. *Nox ultra non erit.* Isai. cap. cit. v. 20. *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur* (Sol et Luna deitatis, felicitatis, et visionis beatificæ)

3. felices.

quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Tertio, in cælo sunt dies felices, et a quibus omnis miseria excluditur. Isai. ibid v. 20. et seq. *Complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus, omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ,* (id est, germina gratiæ et gloriæ: his enim fiunt sancti) *opus manus meæ ad glorificandum* (id est, ut et me glorificent, et ego illos) *Minimus erit in mille, et parvus in gentem fortissimam.* In his vero terris sunt dies: Primo, tenebrosi. Ioan. 1. 5. *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt*: tenebræ, id est, peccatores. S. August. lib. 1. de peccator. merit. et remiss. cap. 25. Sicut sol a cæcis, inquit. quamvis eos suis radiis quodammodo vestiat, sic a stultitiæ tenebris lumen Dei non comprehenditur. Et tractat. 2. in Ioan. concludit: Noli cadere in peccatum, et non tibi occidet hic sol: si tu feceris casum, tibi faciet occasum: Ita August. Sanctis ipsis apparet Deus in obscuritate, id est, in fide, quæ est ænigma, hoc est, obscuritas, oratio verborum involucris tecta. Deus dicit Mosi, Exod. 19. 9. *Veniam ad te in caligine nubis.* Et duxit populum suum in *columna nubis*, cap. 13. 21. Secundo, dies huius terræ breves sunt. Iob. 14. 5. *Breves* (Hebr. decurtati) *dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est.* Omne quod est numerabile, breve est, et cito finitur. Unde idem Iob ait cap. 10. 20. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* De brevitate vitæ impiorum vide Ps. 54. 24. et in nostro v. 22. S. August. generaliter loquitur l. 50. homiliarum, hom. 1. *Quantum est autem in hac vita longum, quod erit aliquando finitum? et quod erat longum, erit nullum? quia et quando erat, non stabat: quando producebatur, non augebatur, nec addendo crescebat, quia veniendo recedebat.* Tertio denique, dies nostri in terra sunt infortunati et repleti miseriis. Gen. 47. 9. ait Iac. Phar. inquirenti, quot natus esset annos, cum descendit in Ægyptum: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt parvi* (Hebr. pauci: respectu Isaac, qui vixit 180. Abrah. qui 175. Tharæ, qui 205. Iared, qui 962. Mathus. qui 969. sed longe magis respectu æterni.) *et mali*, hoc est miseri et ærumnosi. Novem eius præcipuas afflictiones ibi refert Cornel. a Lap. S. August. in Psal. nostr. exemplo Eliæ, et Abraham, et Pauli probat, Sanctis dies vitæ huius fuisse malos. S. Chrysost. id fusius ostendit tr. de providentia, multos enumerans. Rationem affert S. Basil. in Psal. nostr. *Sæculi huius dies mali sunt: quoniam et hoc sæculum, mundi cum sit mensura, de quo dictum est 1. Ioan. 5. 19. quod mundus totus in maligno sit positus, naturæ assimilatur mundi quem dimetitur. Partes huius temporis sunt dies ipsi: propterea dicit Apostolus Ephes. 5. 16. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Igitur* nunc *quidem* in *vita* non *sumus, sed* in *morte. Ideo optabat Paulus, dicens Rom. 7. 24. Quis me liberabit a corpore mortis huius?*

Hinc sequitur, non esse dies bonos quærendos in terris, aut saltem in terrenis: sed in cælo, et in virtute. S. August. hic: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Non hic quærat dies bonos. Bonam rem quærit, sed non in regione eius illam quærit. Quomodo, si aliquem iustum quæreres, sed in ea patria, ubi non habitaret: diceretur tibi, bonum virum quæris: magnum virum quæris: quære illum, sed noli hic. Superfluo hic eum quæris, nunquam eum inventurus es. Dies bonos quæris, simul eos quæramus, nolite hic. Sed habuerunt illos patres nostri. Fallimini. Omnes hic laboraverunt.* Et paulo post generatim dicit: *Semper dies mali in sæculo, sed semper dies boni in Deo.* Lege totum eius serm. 30. de verbis Dom. in Ioan. ibi ait: Qui sunt dies boni? Vita sine fine, requies sine fine, requies sine labore. 85. Dies boni non sunt quærendi in terra.

Tertio, quoniam timentes Deum mediis in castris posuit, in quibus dux et custos est Angelus, Deus præmium, annona virtutes: curribus eorum militaribus quatuor equos iungit, 1. linguam frænatam, v. 14. *Prohibe linguam tuam a malo*; 2. fugam peccati, v. 15. *Diverte a malo*; 3. prosecutionem boni: *et fac bonum*; 4. denique pacis desiderium: *Inquire pacem, et persequere eam.* Primus equus eget fræno, cæteri calcaribus. 86. Timoris Dei currus habet quatuor equos.

Prima, David imperat moderationem linguæ, velut equi ferocientis. v. 14. PROHIBE LINGUAM TUAM A MALO (a maledicentia et malitia) ET LABIA TUA NE LOQUANTUR DOLUM. S. Cypr. lib. de unitate Eccles. et Epist. 42. legit insidiose, q. d. ne facias labia tua et os veluti muscipulam, aut foveam insidiose floribus et frondibus tectam, ut incautos intercipias et perimas. Nota, pro *prohibe* Hebr. est נצור *netsor*, id est, custodi, quod diligentiam et vigilantiam esse necessariam denotat. 2. S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 21. legit, cobibe. S. Cypr. Epist. 42. contine. Tertull. lib. 5. cap. 14. compesce, quæ verba indicant esse opus mentis robore. 3. Sept. habent, παυσον, id est cessare fac, quod ostendit dominium voluntatis cito adhibendum, ne semper in peius ruat lingua. Ubi etiam adverte linguæ procaciam et proterviam, quæ non sine labore compescitur, et semper prompta est ad malum. Magnet. id exprimit: *Exertam cohibe sæva in convicia linguam.* Et Agell. *Observandum est*, inquit, *quod Hebraicum verbum nezzor* (malim scribi netsor) *significat quasi claustris quibusdam ac seris claude: in quo lubricum linguæ vitium, et ad malum evulgandum propensio indicata est, quæ seris ac vectibus inhibenda sit, ne foras erumpat.* Hæc ille, quæ vera sunt quoad rem, sed verbum Hebr. tantam vim habere non videtur. Habet tamen affinitatem cum *tsur*, coarctare, ligare, obsidere, et cum *tsorar*, constringere, concludendo premere, comprimere, concludere. 87. Vers. 14. 1 Pars. Lingua est fræno timoris Dei comprimenda.

Nota. Lingua equus est levis et præceps, uno in loco stare nescius, sed huc illuc sine ratione transvolans. Ps. 72. 9. *Posuerunt in cælum os suum, et lingua eorum transiit in terra.* Syrus, perambulat terram. S. Hieron. deambulavit. Quale monstrum! Ut os sit in cælo, et lingua pertingat usque ad terram, cum e cælo empyreo ad terram sint plusquam centum milliones leucarum. Chald. *Et lingua eorum ardet in iustos terræ.* In cælum ponit os blasphemus contra Deum, et deinde terram decurrit, et sanctos impetit. S. Ambr. lib. 1. Offic. *Pravi sicut in censu leves sunt, ita in locutione præcipites: quia quod levis conscientia concipit, levior protinus lingua prodit.* 88. Lingua est equus habens quinque vitia. I. Est præceps, et uno in loco stare non potest.

Secunda, lingua est equus in lubrico loco versari cupiens, ideo facile decidens. Agapetus Diaconus in capitib. Paræneticis ad Iustinian. Imp. cap. 51. ait: Ευολισθον γλωττης οργανον, και μεγιστον παρεχει τοις αμελουσι κινδυνον. *Minimum est instrumentum linguæ, maximumque affert negligentibus periculum.* S. Gregor. Nyss. hom. 1. in Ecclesiasten: υγρα η γλωσσα και ευτροπος, lingua est humida et versatilis. II. Facile cadit.

Tertia, lingua est equus mordax, et in omnes insiliens. Hugo a S. Vict. l. 2. de anima, id deplorat: *Lingua*, inquit, *dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat et ligari non potest, labilis est, et te-* III. Est mordax.

neri non potest: sed labitur, et fallit. Labitur, ut anguilla, penetrat, ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et interficit: blanda est et subdola, et parata ad exhaurienda bona, et miscenda mala.

IV. Est rabidus. Quarto, lingua est equus rabidus, morsu omnes in rabiem agens. Vitiis enim omnibus sese immiscet, et illa efferat, 1. Superbiæ animos facit, ut se omnibus præferat; 2. avaritiæ sitim ac desiderium accendit, aurum laudans; 3. luxuriæ mulliculis blanditur verbis; 4. iram stimulis ardentibus fodicat; 5. invidiæ venena suffundit; 6. gulam prorltat; 7. pigritiæ adulatur. Hoc versatile et multiforme ingenium linguæ aperit S. Basil. in Ps. nostrum: προχειροτατη ait, και πολυτροπος αμαρτια, δια γλωσσης εστιν ενεργουμενη. *Peccatum, quod per linguam admittitur, omnium fere propensissimum est, et maxime multiforme. Iratus es? mox lingua succurrit. Concupiscentia teneris? habes et hic linguam ante omnia*, οιονει τινα μαστροπον και προαγωγον, *quasi lenam et conciliatricem, quæ cooperetur* B *peccato.*

V. Est effrænis. Quinto denique, lingua equus est effrænis. Hinc Theognides gemit: Θνητοις, ait, εν γλωσση δολια νουσος επεστιν. *Mortalibus in lingua dolosa est morbus effrænis.* Iamblicus in vita Pythagoræ cap. 31. docet, cohibere linguam esse παντων εγκρατευματων χαλεπωτατον, omnium animi moderationum difficillimam. Eam ob rem Anacharsis Scytha dexteram ori apprimebat, sinistram vero aliis corporis partibus, declarans, μειζον ειναι γλωττης κρατειν η ηδονης, maius esse linguam frænare, quam voluptatem. Cum hoc sinistræ tantum opus, illud dexteræ esse ostenderet. Quantum porro in voluptatem, et quam acre bellum gerendum sit, norunt, qui in spiritus palæstra exercentur.

89. Remedia septem ad linguam effrænem coercendam. Remedia sunt: Primum divinæ opis imploratio. S. Aug. serm. 4. de verb. Domini: *Homo, ait, domat feram, non domat linguam, domat leonem, et non refrænat sermonem; domat ipse, et non domat seipsum: domat, quod timebat: et ut se domet, non timet, quod timere debebat: ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aspis, quæritur homo.*
I. *Ergo Deus quæratur, ut dometur homo.*

II. Secundum remedium, est firmum propositum linguam C continendi. S. August. serm. 39. de verb. Domini: *Non iussit Deus tibi rem laboriosam, sed membrum, quod inter omnia membra cito moves, ipsum tibi præcipit refrænare.*

III. Tertium remedium, est linguæ infrænatio. Eccli. 28. 29. *Verbis tuis facito stateram, et frænos ori tuo rectos, et attende, ne forte labaris in lingua tua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.* Vide Ps. 38. 2. et 140. 3. S. Chrysost. hom. 52. linguam equo comparat, qui generosæ indolis cum sit, si a perito domitore ad fræno et sessorem patiendum condocefiat, usui esse vel regibus possit: si vero domituræ impatiens negligatur, vel oris improbi, vel refractarius, vel calcitro, vel offensator equus evadat. Verbo illius sunt: μαλλον κορης φυλαττε γλωτταν, ιππος εστι βασιλικος η γλωσσα. *Magis quam pupillam oculi linguam tuam custodias. Regius quidem equus est lingua nostra. Sic ergo quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem iactari permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti.*

IV. Quartum remedium, est linguæ frænatæ custodia, ne frænum excutiat, et omnia disrumpat. Ps. 38. 1. *Dixi custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Vide illum locum.

V. Quintum remedium, est punitio linguæ, si oberret. Plutarch. libello de garrulitate, ait, eam esse mordendam dentibus: *Si*, inquit, *ratione intus*, κατατεινοντος και σφιγγοντα, *resonantia fræna premente, obedire nolens prosiliat, morsibus eam lancinantes, eius compesceamus intemperantiam.* Idem præceptum dat S. Chrys. ut alias dixi.

VI. Sextum remedium, est frequens examen conscientiæ, et consideratio diligens omnium verborum nostrorum, ut omnia per prudentiam dirigantur. S. Chrysost. tom. 6. serm. de Spiritu sancti, σοφια, inquit, οπλον εστι στοματος, συνεσις οπλον καρδιας. *Sapientia armatura oris est: intellectus vero, cordis.* S. Valerian. hom. 5. de oris insolentia: *Ma-* A *gnum est*, inquit, *tacere: magnum est loqui: sed sapientis est utrumque moderari.*

Septimum denique remedium ad continendam ubique, VII. et in omnibus linguam, est timor Dei. Ut enim dixit Ptolemæo regi Ægypti unus ex septuaginta interpretibus, sicut refert Aristæas: καταρχων θεου φοβω λαμβανων, εν ουδενι διαπιπτοις. *Initium actionum a divino timore si sumpseris, nulla in re concides.*

Secundus equus currui timoris Dei, assignatur fuga 90. Vers. 14. 2. Pars. Peccati fuga oritur a timore Dei
peccati, v. eod. 14. Diverte a malo, tamquam a furioso, qui stricto gladio viam occupat, et transeuntes aut mactat, aut vulnerat. Secundo, Hebr. est סור *sur*, id est declina, recede, ut idem significat Chald. *zur*. Felix vertit, *declina a malo*, tamquam a leone rictu deducto in obvios insiliente, aut tamquam a fero sue exertis dentibus omnia diffindente. Tertio, S. Hieron. et Vatabl. *recede a malo*, velut a fraudulento amico, aut a Lamia blandiente, ut decipiat ac devoret. Quarto, Syrus, *præteri ac transgredere malum*, veluti sylvam latronibus plenam, aut Nilum crocodilis abundantem. Quinto, Arabs, *dista a malo*, sicut ab homine pestilenti lue affecto, qui circumstantem aerem inficiat. Vide Ps. 1. v. 1. Sexto, Sept. εκκλινον απο κακου, *deflecte a malo*, sicut prudens gladiator in duello exit ictum adversarii. Septimo, Petav. κακιας σχιζε, velut a cibo gulam proritante, sed serpentis veneno afflato, aut a pomo Evæ, aut ab auro Tolosano, vel equo Seiano, quorum possessores miseri fuerunt. Octavo, Magnet. *mitte scelus*, veluti servum ebriosum, et domi tumultuantem, aut scintillam flammas in sinu tuo concipientem. Nono, Apollin. φευγε κακορραφιας, *fuge malorum machinationem*, velut hostem a tergo instantem, qui ense districto iam latus pungit, aut erecto brachio capiti imminet, vel sicut serpentem, qui lingua trisulco venenum emittere molitur. Iesus Syrach auctor Ecclesiastici id monitum dat cap. 21. 2. *Quasi a facie colubri fuge peccata: et* (id est, quia) *si accesseris ad illa, suscipient te*, 1. ut te spiris suis implicent; 2. ut tabe et veneno inficiant; 3. ut te mordeant; 4. ut devorent, sicut vermis ille Indicus apud Ctesiam ipsos elephantes, et draco African. milites reguli. Pro *suscipient* Gr. est δεξεται, id est mordebit te, ut etiam Syrus vertit. Leoni deinde dentato et rhomphææ bis acutæ, διστομω, id est bicipiti, utrinque ore acuto et devorante, peccatum comparat. Peccatum est Amphisbæna serpens, ex utroque parte capitata, quæ et primo morsu titillet, et in extremo doloribus innumeris perfundat. Peccatum item est Scythale serpens, quæ variis et versicoloribus notis interpuncto luce sua et pulchritudine incautos allicit, ut interimat.

Moraliter non potest in virtute excellere, qui peccata 91. In virtute non potest excellere, qui peccata non vitat.
non vitat. Hic primus est ad perfectionem gradus. Ex Ægypto prius egrediendum est, quam Deo grata tul ipsius sacrificia offeras. Exod. 5. 3. ait Deus Pharaoni: *Deus Hebræorum* (id est transitorum a peccato scilicet) *vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro.* Secundo, exitus a peccato figuratus est in egressu Iudæorum, id est laudantium, seu gratias agentium e Babylone, id est a confusione, per Cy- D rum, id est Solem, nempe Christum, qui est Sol oriens ex alto, et Sol iustitiæ. Isaiæ monet cap. 58. 2. *Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis.* Chaldæi, id est quasi dæmones, sunt peccata: unde Marci 16. 9. dicitur Christus eiecisse a Mario Magdalenæ septem dæmonia, id est septem vitia capitalia, septem virtutibus primoriis contraria, quibus præsident dæmones, ut explicant S. Gregor. Theophylact. Cornel. et alii. Tertio, exitus a peccato figuratus est in exitu Christianorum a Ierusalem infideli, polluta, et blasphema, mox a Romanis expugnanda, succendenda et diruenda cum suo templo. Isai. 52. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini, qui fertis vasa Domini:* id est corda, quæ Christum per fidem, spem et charitatem portant et possident.

Virtutum et vitiorum separata sunt domicilia. In obscuris et sulphuratis speluncis scelus accubat, et tartareos

fœtores ore et naribus captat. In montis autem floribus vestiti, atque amœnis arboribus ac fructiferis ornati palatium sibi regnumque virtus constituit: pari passu ad virtutum coronas accedes, quo a furiarum carcere te subduxeris. Hoc monet Euseb. Emissenus in quadam homil. *Quantum, ait, a vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis: quia abdicatio criminum, adeptio virtutum est.* Non incalescit, nisi qui frigus a se expulerit. Non sanatur, nisi qui morbum abegerit. Divinis non ardet flammis, nec ad cælestia evolat, nisi qui terream molem abiecerit: neque cælestibus lucet ignibus, qui tenebras scelerum amat. Non vident stellam, nisi qui ob Herode discedunt: neque loquitur Iesus in navi, nisi a terra subducta. Elias prius non audit Deum, quam discedat a Iezabel, id est ab insula sterquilinii: erat enim Iezabel pulchra in superficie cutis, alluebatur aquis deliciarum et divitiarum, sed illæ aquæ in eam infundebant spumam et stercus. Erat insula stercoraria, plena omnis putredinis et vitiorum. S. Ambr. exhortat. ad virg. *Iezabel, idem est, quod vanitatis profluvium, vel vana et vacua redundantia, qualis in avaritia, ambitione, omnique concupiscentia, cuius idea est Iezabel.* Elias idem est, ac Deus meus Dominus. Non erit Deus, Deus tuus, nisi exeas de Ur Chaldæorum: tunc enim dixit se Deum Abrahami, cum inde exivit. *Ur* significat flammam, sed est Chaldæorum, id est, quasi dæmonum: in vitiis est lux tartarea. Elias est ἥλιος, id est, Sol, ait S. Chrys. hom. 3. de Elia. Lux illa est cælestis, non patitur secum peccata. Eccli. 48. 1. *Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Vatabl. quasi fax ardebat. Syr. ardens, quasi clibanus succensus. Surrexit, a terra scilicet, deinde factus est ignis, et cum luce ardorem habuit, in terra ignis extinguitur: ut luceas, exi a terra. S. August. serm. 36. de verbis Domini: *Prius, ait, accinge lumbos tuos* (ibi sunt terrenæ illusiones) *et tunc lucernas accende: illud per continentiam, hoc per iustitiam. Quomodo dicturus sum ei, vesti nudum, qui adhuc spoliare vult vestitum, qui premit civem suum, quomodo habet suscipere peregrinum?*

Optimus eductor a malo velut a fovea scorpionum et basiliscorum est timor Dei. Proverb. 16. 6. *Misericordia et veritate redimitur iniquitas: et in timore* (per timorem) *Domini declinatur a malo.* Est bonus auriga, qui scit et vitat præcipitia et insidias. Clem. Alexandr. lib. 7. Strom. vertit, ἀποχὴν κακῶν ἐργάζεται ὁ φοβούμενος. *Abstinentiam a malis* (ut a cibis venenatis Babylonicæ meretricis, et a poculo eius pleno abominatione et immunditia fornicationis) *operatur is qui timet.*

Nota, pleraque peccata per fugam et declinationem melius superantur, quam per pugnam aut luctam: *Diverte a malo:* sive sis in via purgativa, sive in illuminativa, sive in unitiva. Primæ typus est David domum propriam et uxorem Michol deserens, ut fugiat Saulem: ac postea insaniam simulans, ut evadat ex domo Achis, qui significat, frater est. Licet pro insano sis habendus, egredere de terra tua, et de cognatione tua: et si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et proiice abs te. Qui amat patrem, aut bona sua plusquam Deum, non est illo dignus. Omnia sua reliquit Loth in Sodomis, ut salvaret animam suam.

Secundæ vitæ, nempe illuminativæ, typus est Samson, qui idem est atque parvus sol. Nam conclusus a Philisthæis in Gaza, quæ fortitudinem sonat, media nocte surgit, et portas civitatis ferens humero ad montem evadit iudicio. Si vis in monte, id est in perfectione salvari, fuge Philisthæos.

Tertiæ vitæ, id est unitivæ, typus est Ioseph, id est augmentum, is fugit impudicam cum famæ et vitæ periculo, Gen. 39. 12. Quod autem hoc ei utile fuerit ad unionem cum Deo, patet v. 23. ubi dicitur: *Dominus erat cum illo, et omnia opera eius dirigebat.*

92. TERTIUM currui timoris Dei adiungit equum David,
Vers. 14. 3. Pars. nempe virtutis prosecutionem, vers. eod. 14. ET FAC BONUM Magnetius, *cole virtutes*: est hic bonus ager, dabit non solum in eodem anno, sed in eadem hora centuplum.

Hoc virtutis exercendæ studium commendat Deus Iudæis, Isai. c. 1. 17. *Discite benefacere.* Id est cum diligentia, studio, et aviditate, atque prudentia operi vos accingite. Non enim satis est abstinentia a malo, nisi facias bonum. Neque satisfaciet Domino suo servus, qui cancellatis domi brachiis in cathedra residebit, placido vultu singulos intuens, blandisque verbis demulcens. Quam iusta ira decussetum hunc morionem herus de sede sua deiiceret, eique fuste urgeret gradum, licet nec factis, nec verbulo ulli esset iniurius: neque enim levis noxa est, hæc ab opere cessatio. Nam, ut ait Cassiod. l. 3. Epist. 5. *Culpæ genus est, non te fecisse, quod summum est.* Contra vero Mamertinus in Panegyrico Imperatorem laudat a continua actione: *Quæcumque, ait, pulcherrima fecistis, continuo transitis, et ad maiora properatis: ut dum vestigia vestra miramur, dumque vos adhuc esse in conspectu putamus, iam de vobis audiamus longinqua miracula.*

Legis præcepta, ait Lorin. partim negantia, partim affirmantia erant, quorum magnum numerum recenset R. Moses lib. 3. Doctoris dubitation. cap. 56. et 57. et ex illis trecenta sexaginta quinque: ex istis ducenta octodecim. Surgere paralyticum de lecto, S. Gregor. 23. moral. cap. 15. vel 23. exponit declinare a malo: portare lectum et ambulare, facere bonum: atque hom. 18. in Evangel. prius evellendum esse oppetitum a mente, ut postea quæ possides, largiaris. Circumcisio prodest, si legem observes: hoc est, ut Origen. in cap. 2. ad Roman. declarat, abscindere vitia, cessareque a malis, si facias bona, quia perfectus esse non potest, qui nihil agit mali, sed si aliquid facit boni. Terram occupat, qui non fructificat, obnoxius excisioni, flammisque, ut notat S. Greg. hom. 31. in Evang. Declinat a malo, qui non facit quod obest, ait Tertullian. lib. 1. ad uxorem cap. 3. facit bonum, qui addit insuper quod prodest. Priore præcepto improbatur otium, ait S. Hier. Epist. 24. posteriore, imperatur studium: ibi animus coercetur, hic incitatur: illic fecisse, hic non fecisse culpabile est: et hic ordo disciplinæ, ut S. Ambros. docet in Ps. 1. ut ab imperfectioribus ad perfectiora contendas: Christiano quidem iam ab ipso principio professionis non modo cavenda prohibita, sed facienda quoque imperata sunt. S. Thom. diversos gradus charitatis distinguens, ait 2. 2. quæst. 24. art. 9. *Diversi gradus charitatis distinguuntur secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis eius, quæ in contrarium charitatis movent: et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat: et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, et esse cum Christo. Sicut etiam videmus in motu corporali, quod primum est recessus a termino. Secundum autem est appropinquatio ad alium terminum. Tertium est quies in termino:* ita S. Thom. Quod si Deus in laudibus Iobi, postquam negavit esse ei similem in terra, simplicem, rectum, ac timentem Deum, dixit esse: tandem postremo loco adiecit cap. 1. vers. 8. *Et recedens a malo.* Respondet Origen. ut plurimum cæteros homines bonis, quæ agunt, aliquid operis mali miscere, paucos sicut Iob ita veraces, irreprehensibiles, iustos cultores Dei reperiri, ut hæc omnia agentes abstineant se ab omni re mala. Aliqui in declinatione mali est initium: perfectio in eo quod faciamus bonum, ut S. Hieron. docet lib. 1. contra Iovinianum.

93. Præcepta multa habebant Iudæi.

94. Charitatis varii gradus.

Modus et incitamentum ad boni prosecutionem est timor Dei, quem hic David docet. Eccli. 15. 1. dicitur: *Qui timet Deum, faciet bona.* Græce est αὐτά, id est, *ipsa*, quæ scilicet dicta erant cap. præcedenti: id est, opera beneficentiæ, iustitiæ, sapientiæ bene expensæ.

QUARTUM equum iungit David currui timoris Dei, nem-

Vers. 15 pa pacis sinceræ desiderium, v. 15. INQUIRE PACEM, ET PERSEQUERE EAM. Nota, postquam dixit, *fac bonum*, mentionem facit pacis, et non ante: quia, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 29. a. 3. ad 1. *Sine gratia gratum faciente non potest esse vera pax, sed solum apparens.* Pax enim est proprius charitatis effectus, ut ipsa charitatis dilectio se ad Deum et proximum extendit. Et David noster dicit Psal.
95. Pax non est impiis. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam* (Chald. addit, in hoc mundo) *et non est illis scandalum*, id est, offendiculum, ruina, casus, occursus malus, q. d. omnia illis prospera eveniant. S. Thom. quæst. cit. a. 2. ad 3. ab impiis pacem removat. Vera pax, inquit, non potest esse, nisi circa appetitum *veri boni*: quia omne malum, etsi secundum aliquid appareat bonum, unde ex aliqua parte appetitum quietet: habet tamen multos defectus, ex quibus appetitus remanet inquietus et perturbatus. Unde pax vera non potest esse, *nisi in bonis, et bonorum*. Pax autem, quæ malorum est, est pax apparens et non vera. Unde dicitur Sap. 14. 22. *In magno viventes inscitiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Et Isaias dicit 48. 12. *Non est pax impiis.* Adverte etiam, quod sicut ex virtute oritur pax, ita per pacem augentur et conservantur virtutes. S. Dionys. lib. de divin. nominib. *Divinæ, ait, pacis communione ac societate primæ virtutes conciliatrices et secum ipsæ, et inter se, et cum una mundi pace prima coniunguntur: inferiora tam ipsa secum, tam inter se coniungunt, tum cum uno eodemque perfecto omnium pacis principio et auctore, qui ad omnia individue cum venit,* ωσπερ τισι κλειθροις διαιρεμενων συμπτυκτικοις, *quasi claustris ac septis quibusdam, quæ divisa sunt, copulant, omnia definit, determinat et munit: nec ea quæ divisa sunt sine ordine, sine firmitate ac sede a Deo deserta, et a coniunctione sua dimota confusaque, alia cum aliis infinite et in immensum fundi patitur.*

96. Pax est ardenter quærenda. Nota secundo, pro *persequere* Hebr. est רדוף *redoph*, id est, sequere, sectare, insequare. S. Hieron. S. August. et Cassiodor. legunt, *sequere*. Vatabl. *consectare*. Noster vertit, *persequere*, q. d. perfecte sequere, ait Ugo. Syr. magis exprimit, *curre post eam*, id enim significat *haret*, qua etiam voce usus est 1. Tim. 6. 11. et 1. Cor. 14. 1. ubi Vulgata vertit *sectare*. Septuag. reddunt διωξε, quod adhuc maiorem vim habet. Nam διωκω, ut placet Eustathio, dicitur, quasi διω ωκα. Verbum autem διω etiam separatim sumptum significat currere celeriter, ut patet Iliade X. v. 25. 1. et dicitur παρα τον διε, id est, κιριον, ut sit currere perinde, quasi mole terrena non graveris, sed sis ex aere et vento factus: unde de cursore dicitur, quod prævertat ventos cursu, ωκα etiam celeriter. Itaque διωκω ex his duobus factum erit, summa celeritate currere, omnes et animi et corporis vires intendere ad celeriter assequendum aliquem fugientem, quem maxime cupiamus tenere. Hoc verbum denotat, 1. affectum assequendi; 2. celeritatem currendi; 3. constantiam in cursu suscepto, donec rem optatam teneas.

97. Placet Deo fervor. Ex hinc collige primo, Deo placere in virtutum inquisitione celeritatem, sicut in fuga vitiorum placet illi fuga velox: unde exeuntes ex Ægypto tulit super alas aquilarum, ut ait Exod. 19. 4. cum pergerent ad terram promissionis, quæ fluebat lacte et melle, quæ recte sunt symbolum suavitatis in pace et virtutibus. 1. Tim. 6. 11. et 12. dicit Apostolus: *Tu autem o homo Dei hæc fuge: sectare vero* (insequere, ut venator feram, et cursor Olympicus coronam) *iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, mansuetudinem* (S. Ambr. legit, tranquillitatem animi. Hæc est pax interior, quæ est effectus virtutum, præsertim charitatis et mansuetudinis.) *Certa bonum certamen* (Gr. καλον αγωνα, id est, pulchrum certamen. Talia etiam in pace fiunt ad recreationem et exercitium) *apprehende* (veluti palmam. Gr. επιλαβε, id est, manum iniice, corripe: ne scilicet fugiat et elabatur) *vitam æternam, in quo* (εις ην, ad quam) *vocatus es.* Syr. habet, curre ad iustitiam, etc. Sic 1. Cor. 14. 1. ubi habemus: *Sectamini charitatem*, Græc. est διωκετε την αγαπην. Syr. currite post charitatem, ut sponsa post sponsum, Cant. 1. 3. Hic enim est dilectus, imo ipsa dilectio et charitas.

98. Pax non est in terra. Collige secundo, pacem fugere facile ex his terris, velut ex fornace ferrea Ægypti, ubi est tumultus persequantium. Cælestis enim virgo est, quæ musica cælesti delectatur, tempestates mundi fugit. Ut enim docet S. Thom. 2. 2. q. 29. art. 2. ad 4. pax perfecta est tantum in Beatis: sed pax imperfecta est in viatoribus. Ab aquis diluvii columba olivam abstulit, et in arcam, id est, in domum veri Noe qui requiem significat, transtulit. Non invenit in aquis huius diluvii, ubi requiescat pes eius, id est, affectus stabilis et quietus.

99. Pax etiam fugiens est persequenda. Collige tertio, pacem tibi esse persequendam, licet a te fugiat, ob turbulentum ingenium adversarii tui, qui eam a se reiicit. Apostolus monet 1. Thess. 1. 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum sectamini in invicem, et in omnes*, id est, ait Theophylact. Impense studete benefacere: et in invicem, hoc est, erga fideles: et in omnes, id est, etiam erga infideles. Hebr. 12. 14. ait idem Apostolus: *Pacem sequimini cum omnibus.* Gr. διωκετε, persequimini: ut scilicet pacem etiam remotam vel fugientem instar leporis insequamini, et comprehendatis, ait Cornelius. Illi statim addit sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Syr. vertit, currite post pacem. Romanis dicit cap. 14. 19. *Quæ pacis sunt, sectemur* (Syr. post pacem curramus) *et quæ ædificationis sunt in invicem, custodiamus.* Deus seipsum quodammodo, et sua vult deseri, ut post pacem curramus, aut potius non vult se a nobis inveniri sine pace. Matth. 5. 24. ait Christus: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater* (hæc vox te tangat) *tuus habet aliquid adversum te* (non dicit, si habeas aliquid adversus ipsum) *relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Id fecit S. Ioan. Patriarcha Alex. cognomento Eleemosynarius, ut alias dixi. Abulensis q. 162. putat esse solum consilium, sed verius est esse præceptum. Ut enim ait Tertull. lib. de orat. cap. 10. *Quid est ad pacem Dei accedere sine pace? ad remissionem debitorum cum retentione? quomodo placabit patrem iratus in fratrem? Nam et Ioseph dimittens fratres suos ad perducendum patrem: Et ne, inquit, irascimini in via.*

100. Pax triplex est quærenda. Nota tertio, triplex est pax quærenda et persequenda. Prima, cum Deo. Secunda, cum proximo. Tertia, cum seipso.

I. Cum Deo. Ac primo, pax cum Deo quærenda est, quia si bellum cum eo geramus, pereamus necesse est. 2. quia amat pacificos, et eos facit suos filios, Matth. 5. A pacifico enim pacifici oriuntur. Christus dicitur ab Apostolo Ephes. 2. 14. *Pax nostra*, ab Isaia. cap. 9. 7. *princeps pacis*, a S. Dionys. lib. de divin. nominibus Deus dicitur pag. 257. θεια και αρχισυναγωγος ειρηνη, *divina et conciliandi princeps pax*; et pag. 258. *Dicendum est*, ait, *divinam pacem ipsius pacis, tam universæ, tum singularis esse procreatricem, omniaque inter se non confusa eorum coniunctione temperare, qua sine divisione, et intervallo coniuncta, tamen in sua quidem specie integra permaneant: ita ut nec perturbata sint contrariorum temperatione, nec quidquam obscurent, et obruant certæ sanctæque coniunctionis. Unam igitur ac simplicem coniunctionis pacis naturam videamus,* ενωσαν απαντα εαυτη, και εαυτοις, και αλληλοις, *quæ omnia sibiipsi ac sibiipsis, et inter se coniungit, omniaque in non confuso omnium complexu et immista et temperata conservat. Hac divinæ mentes coniunctæ cum suis notitiis et perceptionibus, coniunguntur etiam cum iis quæ intelliguntur, rursusque ascendunt ad incognitam eorum, quæ mente superiora sunt, coniunctionem. Secundo, hac animi suas omnium generum rationes coniungentes, et ad unam mentis puritatem colligentes, progrediuntur congruenter sibi via et ordine per materiæ expertem individuamque intelligentiam ad intelligentia superiorem coniunctionem. Tertio, hac denique una atque ea indissolubilis omnium coagmentatio divino eius concentu cohæret, perfectoque concentu, concordia et consensione convenit: ita ut sine confusione cogatur et contineatur sine divisione: penetrat enim perfecte pacis integritas ad ea, quæ sunt omnia, simplici*

maxime et liquida potentiæ suæ, unius effectricis potentia, ενουσα παντα, και συνδουσα τα ακρα δια των μεσων τοις ακροις *coniungens omnia et colligans extremo per media cum extremis,* κατα μιαν ομοφυες συζευγμενα φιλιαν, *coniuncta una eademque cognata amicitia. Quarto, eadem se dat fruendam etiam ultimis universi finibus, omniaque unitatibus, rebus iisdem, coniunctionibus et collectionibus cognata efficit, cum interim divino pax individua manet, atque in uno omnia ostendit, et per omnia penetrat, nec naturam suam exuit. Progreditur enim ad omnia, seque cum omnibus pro copia suo communicat, fœcunditatisque pacis copia redundat, et coniunctionis præstantia tota cum toto, et per se totam secum coniuncta permanet:* ita Dion. Christus est verus Salomon, id est, pacificus. Est verus Melchisedech, de quo Paulus Hebr. 7. 2. *Rex Salem, quod est Rex pacis.* Salem, cuius Rex fuit Melchisedech, erat Ierusalem, id est, visio pacis. Christus suos salutare solitus erat bis verbis: *Pax vobis,* Luc. 24. 36. Ioan. 20. 21. et 26. et idem ut faciant Apostolis imperat, Matth. 10. 13. quod si in domo non sit filius pacis, pollicetur pacem ad eos redituram: unde Titus Bostrorum Episc. qui vixit sub Iuliano, et obiit sub Valente circa an. 365. ait in cap. 24. Luc. Pax vobis fuisse Christi discipulis εντριβες ρημα, id est, consuetam vocem. S. Basil. in Ps. nostr. dicit eum qui pacem quærit, Christum inquirere: Ο ζητων ειρηνην, ait, χριστον εκζητει. *Qui pacem quærit, quærit Christum: quoniam ipse est pax nostra, qui duos in unum hominem novum constituit, faciens pacem, et per sanguinem crucis suæ, sive quæ in cælo, sive quæ in terris sunt, purificans.*

101. II. Cum proximo. Secundo, pax cum proximo studiose est inquirenda. De illa tibi aliam dicit David: *Inquire pacem et persequere eam.* Primo, quia omnibus est amabilis, qui secum pacem portat. Pacem enim omnia appetunt, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 29. art. 2. *Necesse est,* inquit, *quod omne appetens appetat pacem: in quantum scilicet omne appetens appetit tranquille, et sine impedimento pervenire ad id quod appetit: in quo consistit ratio pacis, quam S. Aug. lib. 19. de civ. Dei cap. 23. definit, tranquillitatem ordinis.* Secundo, quia qui est pacificus, tollit perturbationes a corde proximi, itaque eum delectat, et cor eius sibi unit et inserit velut surculum agrestem et amarum trunco domestico et suavi. Ut enim ait S. Thom. 2. 2. q. 29. artic. 1. *Concordia importat unionem appetituum diversorum appetentium. Pax autem supra hanc unionem importat etiam appetituum unius appetentis unionem.* Tertio, quia pacifici expellunt a se dæmones, quos inimicitia fovet, ut terrifico exemplo alias ostendi. Tertull. lib. ad Martyres c. 1. *Iaceniat diabolus pace munitos, et concordia armatos: quia pax vestra bellum illi est.* S. Gregor. hom. 8. in Ezechiel: *Antiquus,* inquit, *inimicus castitatem in nobis non timet, si sine charitate fuerit; quia ipsa nec carne premitur, ut in eius luxuria dissolvatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non utitur, quia necessitate corporis non urgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem charitas desit, quia divitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, quam nobis vicissim impendimus, timet, et nimis concordiæ nostræ invidet.* Quarto, qui pacem habent, secum conservant, et ad se evocant Angelos. Isai. 33. 7. vocantur *Angeli pacis:* quia eam amant, causant, fovent, adaugent. Hi nuntiant quietis pastoribus a tumultu aulæ Herodis abhorrentes, et a superbis Pharisæis. S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Coloss. *Oramus,* inquit, *et dicimus petentes Angelum pacis.* Quinto, pax est fons et radix bonorum omnium, eaque diffundit quocumque pergit. S. Chrysost. ibid. *Semper,* ait, *pacem petimus,* ουδεν γαρ ταυτης ισον. *Nihil enim potest ei æquiparari. In ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, et semel, et bis, et ter, et sæpe eam dat is, qui præest Ecclesiæ, dicens: Pax vobis. Quamobrem:* οτι αυτη μητηρ αγαθων εστι αυτη χαρας υποθεσις. *Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudii materia et argumentum.* Sexto denique, qui pacem habet, Deum habet. 2. Cor. 13. 11. *Idem sapite, pacem habete, et Deus pacis* (auctor, donator, et remunerator, ait Cornel. cui complacitum est in pace, ut quasi Deus paci præsit et præsideat) *erit vobiscum.* Edinerus in vita S. Anselmi Archiepiscop. Cantuar. ait eum dicere solitum, eos qui in hac vita salva æquitate se oliorum voluntati conforment, et pacem ament, id a Deo mereri, ut Deus post hanc vitam se accommodet eorum voluntati, et cum eis pacem et amicitiam colat. E contrario autem eos, qui hic ob aliis voluntate discordant, pari modo post hanc vitam neminem reperire, qui suæ concordet voluntati. Hanc enim esse iustam divinæ iustitiæ censuram: qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

Tertio denique, pax in nobis vel maxime quærenda est. 102. III. Cum nobisipsis.
Quid enim tibi pax regni, provinciæ, urbis, familiæ, domus tuæ prodest, si bello et tumultu intestino ardeas? *Inquire pacem, et persequere eam,* ne nobis Christus dicat, et totus populus: Medice cura teipsum. S. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. ait, quod Gorgias Rhetor librum pulcherrimum de concordia, Græcis inter se dissidentibus et discordantibus recitavit Olympiæ. Cui Melanthius inimicus eius: Hoc nobis, inquit, præcipit, qui se, et ancillam, et uxorem, tres in una domo concordare non potuit: æmulabatur enim uxor ancillæ pulchritudinem, et propter hoc quotidianis virum iurgiis agitabat: ita, inquit Thom. Anglicus, habemus tres in una domo: scilicet intellectum, id est, partem rationalem, irascibilem, et concupiscibilem, quas si concordare nequimus, derisibile est apud Deum, quidquid contra discordiam extrinsecam laboramus: ita ille. Rebeccæ in utero Iacob et Esau duellabant, Gen. 25. 22. *Collidebantur in utero eius parvuli.* Aquila, confringebantur. S. Hier. calcitrabant. Symm. διεπαλαιον, id est, colluctabantur, quasi palæstritæ. Causam huius certaminis inquirenti ait Deus v. 23. *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi ex utero tuo dividentur.* Idumæi scilicet, id est, sanguinarii, hoc est, peccatis polluti: et Iudæi, id est, laudantes: seu Israelitæ, id est, potentes Deo, sive per et erga Deum. In nobis pars superior cum suis potentiis, at pars inferior cum suis passionibus, et membris, ac sensibus stant semper veluti duæ acies telis et machinis continuis in se agentes. Paulus ipse, qui Hebr. mirabilem significat, licet in tertium cælum raptus, sive extra corpus, sive in corpore, cum gemens dicebat Rom. 7. 23. *Video* (id est sentio) *aliam legem in membris meis repugnantem* (Gr. αντιστρατευομενον, id est, contramilitantem, rebellantem) *legi mentis meæ, et captivantem* (in actu inchoato, hoc est, captivare volentem) *in lege peccati* (id est, sibi ipsi. Est hebraismus: repetitur enim antecedens pro relativo) *quæ est in membris.*

ARTICULUS V.

Mors peccatorum est infelicissima.

Postquam timoris divini effecta David recensuit, et quo iure consistant, exposuit, modum aperit, quo conservari possit: nempe considerationem divinæ pietatis erga iustos, et indignationis erga impios. 103. Deus totum se expendit in usus iustorum.

Primo enim Deus se totum in usus iustorum expendit, ut eos adiuvet, et a calamitatibus liberet.

Primo, oculos in eos coniicit, ut videat ipsorum mala, et remedium afferat, eosque dirigat, v. 16. Oculi Domini super iustos. Honorius Papa II. hoc sibi in symbolum assumpsit, ut refert Cicconius. Lege dicta Psal. præced. vers. 18. I. Oculos.

Secundo, Deus aures adhibet piorum precibus: Et aures eius in preces eorum. S. Hieron. *Ad clamores.* Sis fervens, ut exaudiaris. De exauditione precum vide Ps. 4. 1. II. Aures.

Contra vero flammanta vultu Deus aspiciens impios illis iram et vindictam intentat, v. 17. Vultus (S. Gregor. in Ps. 4. pœnit. *Oculi.* Chald. Ira) autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Vide dicta Ps. 20. 10. et Ps. 36. v. 35. et Ps. 1. 4. et seq. Nota Deus aspicit pios et impios, sed longe diverso modo. Hoc figuratum est in columna deducente Israelitas, quæ de die apparebat velut columna nubis, de nocte velut columna ignis. S. Gregor. homil. 24. in Evang.

agens de Angelo apparente mulieribus in Christi sepulcro: *In fulgure*, inquit, *terror timoris est, in albo autem blandimentum candoris; hinc in resurrectione Christi Angelus talis apparuit, ut sua specie et terreret improbos, et mulceret pios. Unde Hebræos per desertum gradientes columna ignis in nocte, et columna nubis præibat in die: in igne enim terror est, in nube visionis lenæ blandimentum: dies autem vita iusti, et nox accipitur vita peccatoris: in die igitur columna nubis monstrata est, et in nocte columna ignis, quia Deus in iudicio veniens per lenitatis mansuetudinem blande iustos demulcebit, peccatores autem per iustitiæ districtionem terrebit:* ita Gregor. Secundo, in eodem hic diversus Dei aspectus declaratur, cum Angelus in ea existens illuminabat Israelitas super littus maris rubri stantes, et tenebras offundebat Ægyptiis illos persequentibus. Exod. 13. 20. *Erat nubes tenebrosa* (ex parte Ægyptiorum) *et illuminans noctem* (ex parte Israelitarum) *ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.* Chald. clare vertit: Erat nubes et obscuritas Ægyptiis: Israeli autem erat lux tota nocte. Tertio, diversus ille aspectus Dei super pios et impios declaratur in ipso transitu maris rubri, cum dirigebat Israelites in maris transitu, ita ut totam eius latitudinem, quæ sex leucas continet, dimidia nocte transiverint tricies centena millia, Ægyptios vero puniebat. Exod. 14. 24. *Iamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis interfecit exercitum eorum, et subvertit rotas curruum.* Quarto, ille diversus Dei aspectus patuit in eadem columna, cum Mosen et Aaronem ad tabernaculum fugientem radiis suis recreat et vestit, rebelles vero exterret. Num. 14. 10. *Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.* Et Deus dicit se eos percussurum peste, et consumpturum: Mosem vero facturum principem super gentem magnam, et fortiorem, quam illa esset. Sed oratione sua Moses Deum placavit, et cap. 16. 43. postridie mortis Core, Dathan et Abiron, atque 250. procerum, qui ambiebant sacerdotium, cum oriretur seditio, et tumultus increscerct, Moses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis: *Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini*, id est, splendor quidam solito maior, qui Dei, id est, Angeli eius legati præsentiam denotaret. Sic Moses et Aaron servati sunt, et 14. millia, et 70. ex rebellibus perierunt igne a Deo immisso. Quinto, ille diversus aspectus Dei super pios et impios repræsentatur in visione S. Ioannis, cum Apoc. 1. ei apparuit Christus, cuius oculi erant flamma ignis, id est, fulgetræ ad terrorem perditorum, et qui in manu septem stellas habebat, id est, plurima benefica et iucunda lumine, quibus cerneret, illuminaret, dirigeret, ac iuvaret iustos. Unde hoc lumen est in manu, quia non est otiosum, sed actuosum et efficax ad eorum opera promovenda.

104. III. Voluntatem. Tertio, voluntatem suam et pium affectum iustis offert Deus, v. 18. CLAMAVERUNT IUSTI, ET DOMINUS EXAUDIVIT EOS: ET EX OMNIBUS TRIBULATIONIBUS EORUM LIBERAVIT EOS. Hoc patuit in Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iosepho. Iudæis sub Pharaonis servitute gementibus, in Mose, Aarone, Iosue, Gedeone, Daniele in lacu leonum, tribus pueris in fornace, Machabæis in bello. Vide Ps. 4. 1. et Ps. 21. 5. et 6.

105. IV. Pedes. Quarto, pedibus accurrit Deus ad iustos afflictos, et toto corpore illis est instar scuti, v. 19. IUXTA EST DOMINUS IIS, QUI TRIBULATO SUNT CORDE, ET HUMILES SPIRITU SALVABIT. S. Cyprian. lib. 3. Testim. cap. 6. legit: Proximus est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit. Quod Deus sit iustis pro scuto eos coronante, habes Ps. 5. vers. ult. Quod præsertim sit cum tribulatis, vide Ps. 90. 15. quod vero humiles consoletur, et iuvet, habes Ps. 93. 18. et Ps. 112. 4.

106. V. Manibus. Quinto denique, manibus iustos eripit Deus ex omni tribulatione, v. 20. MULTÆ TRIBULATIONES (Tertull. 2. in Marcion. cap. 19. pressuræ) IUSTORUM: ET DE OMNIBUS HIS LIBERABIT EOS DOMINUS. Et vers. 21. CUSTODIT A DOMINUS OMNIA OSSA EORUM: UNUM EX HIS NON CONTERETUR. S. Hieron. non confringetur. Tertullian. lib. 2. in Marcion. cap. 19. non comminuetur. Alludit ad agnum paschalem, qui 1. iugulabatur; 2. pellis detrahebatur; 3 intestina aut sublata ex agno, et mox reposita, ut placet Abulensi: vel relicta in ipso agno, ut censet Caietan. lavabantur, ut cum agno et in agno torrerentur; 4. integer agnus, non dissectus cum capite et pedibus torrebatur; 5. comedebatur cum lactucis agrestibus, quæ amaræ sunt. Hebr. על מרורים *al merorim*, id est, *cum amaris*, hoc est, ut Chald. et Lyran. exponunt, cum quibuslibet herbis amarulentis. S. Ambros. habet, cum amaritudine; 6. denique, si quid erat residui, non reservabatur in diem sequentem, sed igni comburebatur, ut præcipitur Exodi 12. Quæ omnia denotant multas esse tribulationes iustorum. Custodiam vero declarat, quod dicitur, v. 46. *Nec os illius confringetis.* Sic nec Christo, qui erat agnus Dei, fracta sunt ossa in Cruce, Ioan. 19. 36. Nec tibi frangentur, si sis agnus paschalis, id est, transiens B in terra, non in ea habitans, et sis absque macula.

Multæ fuerunt Iosephi tribulationes, et de omnibus his liberavit eum Dominus, et nihil est passus, quod non insigniter ipsi remuneratum sit, ut notat Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 40. Nam primo, pro odio fratrum, acquisivit gratiam Regis et Principum eius. Secundo, pro exilio adeptus est exaltationem. Tertio, pro labore meaum in servitio, accepit annulum aureum. Quarto, pro pallio, quod illi adultera detraxerat, amictus est stola byssina. Quinto, pro compedibus, cinctus fuit torque aurea. Sexto, pro eo quod vinctis ministraverat, nunc Princeps constituitur. Septimo, pro carceris humilitate, sedet super currum regium. Octavo, pro eo quod contemptus fuit, nunc ab omnibus honoratur genuflexione. Nono, pro nomine servi accepit nomen regium, vocaturque Salvator mundi. Decimo, pro contempta adultera, et turpi voluptate, accepit uxorem prænobilem. Lege S. Chrysost. tres libros de provid. tom. 4.

C SECUNDO. Deus impios exterminat, v. 22. MORS PECCATORUM PESSIMA, ET (id est, quia, ait Beda) QUI ODERUNT IUSTUM, DELINQUENT. Hebr. pro *delinquent* est יאשמו *iesciamu*, id est, desolabuntur, ut vertit Pagninus et Felix; devastabuntur, ut Vatabl. et Wolfg. extirpabuntur, ut Campensis; culpabuntur, ut S. Hieron. Radix *asciam* significat 1. peccare, errare, delinquere; 2. desolari, destrui, exterminari, perire, deficere; 3. condemnari, reum peragi. Chaldæus vertit, *odio habentes iustum damnabuntur.* Arabs, osores innocentis *peribunt.* Per iustum porro S. Aug. et Beda intelligunt Christum: hic est enim Sanctus Sanctorum, quem nemo potest arguere de peccato. De omnibus iustis accipe. Syr. vertit, *osores iusti deficient.* Verbum סוף *suph*, quo utitur, idem est quod deficere, desinere, consumi, finiri, consummari. Græce πλημμελήσουσι, hoc est, incomposite, inconcinne, immoderate se gerent, perperam agent, aberrabunt. Deducitur πλημμελέω a πλὴν, id est, præter, et μέλος, id est, melodia, carmen, q. d. melodiam impedio et perturbo. Virtus est Nympha D seu Musa cælestis ore et instrumentis musicis iucundam efficiens melodiam. Peccatum vero stygium est monstrum, quod ululatu suo, cornibus et unguibus omnia perturbat et confundit. Peccatori dicendum est illud Eccli. 32. 5. *Non impedias musicam.* 107. Vers. 22. Deus impios exterminat.

Nota, mors peccatorum est pessima. Primo, quia præ- 108. Mors impiorum est pessima ob sex rationes.
matura. Ps. 54. 24. *Viri sanguinum et dolosi non dimidia-*
bunt dies suos. Secundo, quia cum doloribus multis cor-
poris sæpe coniuncta est, ut patuit in Ioas Rege, in An-
tiocho Epiphane Rege Syriæ, et Herode Ascalonita Rege
Iudææ, atque in aliis, de quibus infra. Tertio, *mors pec-*
catorum pessima, ob dolores animæ ortos ex peccatis præ- 1.
teritis, ex amore inordinato deliciarum, honorum ac di- 2.
vitiarum, quas oportet relinquere. Quarto, *mors peccato-* 3.
rum pessima, ob timorem iudicii instantis, tum particula- 4.
ris, tum generalis. Quinto, propter peccata impatientiæ, 5.
obmurmurationis in Deum, desperationis et impœnitentiæ
finalis. Sexto denique, *mors peccatorum pessima*, quia est 6.

transitus ad pœnam æternam, atque ducit ad habitaculum dæmonum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. S. Bernard. serm. 41. ex parvis: *Mors peccatorum pessima: Primo, mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Secundo, peior in dissolutione carnis, o qua evelluntur animæ a spiritibus malignis. Tertio, pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis simul addicuntur ignibus. E contrario bonorum mors optima: quoniam quidem sit ibi requies a labore, sit iucunditas de novitate, sit securitas de æternitate.* Idiota idem contemplans lib. 5. contemp. de morte sic loquitur: Mors peccatorum pessima est Domine Iesu Christe. Mala siquidem est in amissione mundi, peior in separatione carnis, pessima vermis, et ignis contritione duplici. Habebit namque peccator horrorem in exitu, dolorem in transitu, pudorem in conspectu tuo, et pavorem nimium, cum dimissis omnibus (quorum erat illi præsentia iucunda, gratus aspectus, cohabitatio familiaris) de nota patria egrediens, ad incognitam penitus veniet regionem, cui etiam occurrent teterrimæ creaturæ, horridæque larvæ hostium antiquorum. O benignissime Domine Iesu Christe, quis iuvabit peccatorem in die tantæ necessitatis? Quis tuebitur eum a rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Hæc et plura Idiota. Mortem illam pessimam peccatorum horrescens quoque Urbanus Papa IV. metaphrasi in Ps. 50. dicit: *Sciebam quod stipendia peccati mors. Sciebam, quod peccatum, quod consummatum fuerit, generat mortem; et non solum momentaneam corporis huius mortem, quæ per peccatum intravit in mundum; sed etiam mortem animæ per subtractionem vitæ gratiæ in præsenti, privationem gloriæ, et obligationem pœnæ perpetuæ in futuro. Et hoc ipsum didiceram te docente: quia anima quæ peccaverit, morietur. O vita æterna, statue contra faciem animæ meæ, mortem illam æternam, qua moritur immortalis anima per peccatum: ut ipsa anima mea coram se semper videat, et fugiat quasi a facie colubri, mortem illam. Audivi enim a quodam familiari amico tuo, cui tu (Deus meus qui revelas condensa) diuturnitatem et acerbitatem revelaveras huius mortis: quod hæc est mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors illa semper vivit, et finis semper incipit, et defectus deficere nescit: hæc est mors peccatorum pessima. De hac morte, misericordissime tu dixisti: nolo mortem peccatoris. Sed heu ego et alii miseri peccatores, contra voluntatem tuam volumus propriam mortem nostram.*

Nota secundo, pro *mors peccatorum pessima*, Hebr. est, *interficiet impium malitia.* Quibus verbis clarius denotatur causa efficiens et formalis calamitosæ mortis: cum scilicet veluti informatur impœnitentia finali et aliis sceleribus, quæ causant mortem æternam. Malitia itaque est gladius iugulans Saulem, est laqueus suffocans Achitophelem et Iudam, et lancea transverberans Absalonem; sed prætereа est furia deiiciens in flammam inextinguibilem.

109. Hæreticorum præsertim mors est pessima.

109. Nota tertio, omnium quidem peccatorum est mors pessima coram Deo et Angelis eius, licet sit optima nonnunquam in oculis hominum: ut in divite epulone, qui sepultus est in inferno, ostendit fuse S. August. in Ps. nostr. Sæpe tamen Deus etiam coram hominibus pessimam esse manifestat mortem impiorum. In hæresiarchis et hæreticis hoc nunc videamus, orbem decurrentes.

Exemplis Prob. 1. Simonis.

Primo enim hæresiarcha Simon Magus ex aere deiectus est, volens ope dæmonum in cælum ascendere, et crure fracto brevi post est mortuus: Anno Christi 68. S. Petri 24. Neronis Imp. 12. ut refert S. Clemens Papa, Clem. 6. constit. 9. et Arnob. adversus Gentes lib. 2. Vocatur a S. Irenæo primogenitus satanæ: fuit enim primus hæresiarcha post Christum. Secundo, Montanus cum sua Maximilla, dæmonum impulsu, qui in illis inhabitabant, laqueo mortem sibi consciverunt, et eumdem cum Iuda proditore vitæ exitum adepti sunt: sed et Theodoretus, qui primus illius commentitiæ prophetiæ quasi procurationem susceperat, mente captus fraudulento spiritui seipsum concredidit, et ab eo sublimis aliquando in aerem sublatus, et derepente præceps deiectus misere periit, ut Apollinaris ait apud Euseb. lib. 5. hist. cap. 15. hoc contigit anno Christi 173. Aniceti 7. Marci Aurelii Imp. undecimo. Tertio, Manes, qui se Apostolum Iesu Christi nominavit, et vas electionis: unde cum Curbicus diceretur, Manes id est vas lingua Babylonica dici voluit: quem eius discipuli Manichæum, q. d. manna fundentem vocabant, sed Græci verius furiosum, insanum, amentem appellabant, id enim est μανης: illo, inquam, Manes ægrotanto filio Regis Persarum removens medicos promisit se illum per orationem sanaturum: sed mortuo parvulo, qui medicorum opera sanari potuerat, ex fuga retractus lege Persica excoriatus est; corpus bestiis devorandum est traditum; cutis vero tamquam uter ante portas suspensa est. Spiritum sanctum seu Paraclitum etiam impius ille prædicabat. Excoriatus est anno Christi 277. Aureliani Imp. septimo. Quarto, Arrius Constantinopoli domo eductus ab Eusebianis Episcopis, ut ante Alexandrum Episcop. Constantinop. Ecclesiam occuparet, in via positus ad latrinas publicas, ventre eum urgente sive ob naturæ necessitatem, sive ob timorem, divertit, ibique medius crepuit, effundens una cum excrementis viscera omnia, splen et iecur, ut ait S. Athan. epist. ad Serapion. et orat. 1. contra Arrianos, Socrates, Sozom. Theodoret. Ruffin. et alii. Id accidit anno 336. Constantini Imper. trigesimo primo. Quinto, Nestorius in Oasenam Ægypti provinciam relegatus, lingua vermibus exesa misere periit, ut refert Evagr. lib. 1. c. 7. cum lingua totum ipsius corpus computruisse docet Theodorus Lector in collectaneis. Mortuus est anno Christi 436. Theodosii Iunioris vigesimo nono. Sexto, Marcus Ephesinus, qui Florentino Concilio plurimum adversabatur, et pertinacissime errores Græcorum fovebat, per os eiectans stercora, fœtidam animam exhalavit, anno 1440. Eugenii IV. decimo, Friderici III. Imper. primo. Septimo, Lutherus, qui in oppugnanda Ecclesiæ Catholicæ doctrina, et ritibus, schismaticis omnibus posteriorum horum sæculorum viam aperuit, et cunctis hæreticis iniquitatis arcana detexit, ut loquitur Spondanus, post vespertinam crapulam de nocte suffocatus. Laqueo sibi fauces interclusisse, quidam dicunt. Mortuus est anno 1546. Pauli III. decimo secundo, Caroli V. vigesimo octavo. Octavo, Œcolampadius et Carolstadius noctu dormientes strangulati sunt. Nono, Bucerus morti proximus a dæmone qui cunctos exterruit, e lecto deturbatus est, atque effusis hinc illuc per cubiculum visceribus, summo cum cruciatu obiit. Decimo, Calvinum totis quatuor annis, ut ait ipse Beza, novem acutissimi morbi torserunt, cholica, dolor articulorum, calculus, hæmorrhoides, febris, asthma, hemicranium, pituita, sanguinis vomitio. Tandem pediculis undique scaturientibus periisse fertur, et hoc tradit auctor vitæ eius gallica exaratæ. Hieron. Bolsecus, eius olim discipulus, sed ad fidem catholicam redux, et Iacobus Laingeus Scotus scriptum reliquerunt: eum intolerabilibus doloribus oppressum dæmones invocantem, deierantem, execrantem vitæ suæ diras imprecantem, ac suis studiis et scriptis maledicentem, denique ex suis ulceribus intolerabilem fœtorem emittentem, in locum suum descendisse. Obiit anno 1564. Pii IV. quinto, Ferdinandi I. septimo. Vide ibi plura de eo apud Spond. in Annal. Eccles. t. 3.

2. Montani. 3. Manetis. 4. Arrii. 5. Nestorii. 6. Marci Ephesini. 7. Lutheri. 8. Oecol. et Carol. 9. Buceri. 10. Calvini.

110. Secundo, varii Imperatores impii in Oriente misere perierunt ob hæresim et scelera. Primo, Iulianus Apostata in prælio contra Persas occisus est. Callistus satelles Imperatoris, qui eius res gestas carmine conscripsit, ait, illum fuisse a dæmone transfixum. S. Gregor. Naz. orat. 1. in prim. id tribuit bonis Angelis. S. Ioan. Damascenus orat. 1. de imaginibus, refert S. Basilio ostensum esse necem Iuliani per S. Mercurium martyrem factam esse. Nicephor. lib. 10. cap. 35. id attribuit sanctis Mercurio et Artemio. Obiit anno Christi 363. Liberii 12. imperii ipsius secundo. Secundo, Valens a Gothis victus fugatusque in tuguriolo rustico crematus est. Tertio, Zeno ab Ariadna uxore vivus sepultus est. Quarto, Anastasius improviso fulmine ambustus et interfectus. Quinto, Heracleonæ Heraclii filio nasus præsectus, Martinæ uxori eius abscissa

11 Imperatorum Hæreticorum Oriental.

lingua, uterque imperio privati exilia petierunt. Sexto, Philippicus imperio et luminibus est privatus. Septimo, Constantinus Copronymus moritur clamaos, *vicus adhue sum igni inextinguibili traditus*. Octavo, Leo eius filius coronam, quam Mouritius Deo dicarat, capiti scelerato imponit, sed in eo enascitur carbunculus, febris inflammatur, ipse interit. Nono, Nicephorus a Bulgaris ex improviso de nocte occisus, ex eius calvaria, poculum ad potum factum est o Crumo eorum rege. Decimo, vide miseram mortem Michaelis Stratiotici, Isaacii Comueni, Romani Diogenis, Michaelis Botoniatæ, Andronici Comneni, Isaaci Angeli, Alexii Angeli, Alexii Marzuffi, Andronici Paleologi, Cantacuzeni, et aliorum, usque ad Constantinum Paleologum, qui Constantinopolim amisit, et in Turcarum ingressu est trucidatus.

111. 12 Imp. Occid. Tertio, de Occidentis Imperatoribus hæreticis aut schismaticis, misere pereuntibus, sic loquitur Thomas Bozius lib. 13. de signis Ecclesiæ: In his, ait, post imperium restitutum primus se offert Henricus III. Hic ab Henrico IV. filio suo, potestate et honore omni spoliatus, et ab omnibus suis derelictus, in summa calamitate decessit, ac multos iacuit annos insepultus. Secundo, post hunc est Fridericus, qui a proprio et ipse filio Manfredo est suffocatus. Tertio, ultimus est Ludovicus Bavarus, Pontificiæ potestati haud ita ut superiores infensus, qui in venatione repente deiectus, humique gravissime allisus, protinus animam reddidit: eum scribit Crantius, dato veneno a muliere, quam maxime adamabat, periisse, et ob id ex equo lapsum esse.

112. 13. Regum Vandal. Quarto, inter Vandalos Reges hæreticos primus Gundericus a dæmone correptus, et diu vexatus, Isidoro teste, interiit. Secundo, Gensericus spectro quodam in somnis, a quo sibi regnum eripi viderat, perculsus et exanimatus, paulo post e vita migravit, ut S. Gregorius in dialogis tradit. Tertio, Hunericum vult Isidorus effusis visceribus instar Arrii defunctum: Victor Uticensis a vermibus exesum, et in frusta discerptum, ita ut partes corporis, non integrum corpus sepeliri potuerit Quarto, Guntamundus Hunerici successor Catholicis amicus fuit, non ita Thrasamundus, de cuius tamen obitu nihil acerbum legi. Quinto, Hildiris a Gilimero occisus. Sexto, Gilimer ultimus Vandalorum Rex a Belisario victus et captus Constantinopolim ad Iustinianum Imperatorem est missus.

113. 14. Regum Wisigothorum. Quinto, inter Wisigothos Reges item hæreticos primus Rex, postquam sedes posuere in Gallia primum, deinde in Hispania, Ataulphus, cui successere ex ordine Sigericus, Wallia, Theodoricus, Turismundus, Theodoricus, Euricus, Alaricus, Gesalicus, Theodoricus, Amalaricus, Theudis, Theudiscius, Agila, Athanagildus, Leovigildus, sextus autem decimus Reccaredus Catholicus, reliqui Arriani, excepto Athanagildo, ut Lucas Tudensis tradit: et Wallia, si Iordano credimus; S. Gregorius Turonensis, ait etiam Leovigildum fuisse Catholicum supremo vitæ tempore, negat S. Gregorius Magnus: omnes tamen de consilio et voluntate ipsius Reccaredum ad nos concessisse. Omnes porro Arriani, præter Euricum, vel ab hostibus, vel plerumque a suis, interempti: ita ut a tredecim Regibus Wisigothorum unus dumtaxat inimici gladium effugerit.

114. 15. Regum Ostrogothorum. Sexto, inter Ostrogothos Reges etiam Arrianos in Italia regnarunt Theodoricus, Athalaricus, Amalasuntha, Theodohatus, Vitiges, Ildobaldus, Araricus, Totilas, Teias, Arriani omnes: et Theodoricus quidem spectro horribili perculsus et exanimatus ut refert Iordanus lib. de rebus Geticis sive Gothicis, occubuit. Athalaricus tabe est consumptus: cæteri omnes ab aliis perempti.

115. Septimo, Longobardorum reges multi Arrianas partes sunt secuti. Fuerunt hi Alboinus, Clepho, Autharis, Rotharis, Rodualdus, Gundebertus, omnes veneno aut ferro extincti, excepto Rhotari. Chilpericus Suessionensis Rex in Gallia dicitur a quibusdam Sabellianus fuisse, hic a Suingisilio sicario apud Calam vicum Parisiorum fuit interfectus. Nullus porro regum qui totam Franciam obtinuere, vel in suspicionem hæresis est vocatus: unde tam diuturna et felix est Regum nostrorum posteritas, quam ad finem usque orbis et in fide et in gloria permansuram esse speramus. 16 Regum Longob

Octavo, Ladislaus IV. Hungariæ Rex a fide nostra defecit, et a Cardinali Firmane Legato Pontificio ob id est excommunicatus, et paulo post a Cumanis Tartaris interemptus, sicut Bonfinius tradit. 116. 17. Regum aliorum in variis provinciis.

Nono, Georgius Podebrachius Hussita Rex Bohemiæ multis ærumnis confectus ignobiliter decessit. Poloniæ. Bohemiæ.

Decimo, in Hispania Suintilla et Rechimirus ob hæresim suo regno deturbati infeliciter obierunt. Vitiza post hos a Roderico peremptus, Rodericus a Saracenis: qui duo tum schismatici, tum hæretici videntur fuisse, sicut ex Roderico Toletano, Sancio, Vasæo, et cæteris Hispanicarum rerum scriptoribus apparet. Hispaniæ.

Undecimo, primus e Regibus posteriore sæculo ab Ecclesia discessit Daniæ Rex Christiernus: hic ob nimiam crudelitatem regno expulsus, mox captus, et cavea ferrea inclusus, veneno dato est peremptus, ut ait Surius. Daniæ.

Duodecimo, in Anglia Henricus Octavus, a vera fide primus defecit: hic duabus uxoribus adulterio notatis, et ob id publico supplicio, eius iussu affectis, Anna scilicet Bolenia, et Hauarda, infamis, nimia in omnes crudelitate exosus, morboque gangrenæ diu cruciatus, e vita decessit. Angliæ.

Decimo tertio, in Svetia Gustavus Rex ab Ecclesia secessionem fecit. De illo sic Natalis Comes. Gustavus, ait, Svecorum Rex post annos triginta quinque regni sui naturæ concessit, cum multa suorum popularium lætitia, quorum universam prope nobilitatem in morem Tarquinii Romani delevisset, veritus ne quod imperium illegitime occupasset, legitime sibi extorqueretur: ad hoc impulerat etiam innata quædam alienæ opulentiæ sitis, et avaritia, et cupiditas, propter quam in omne genus hominum crudelissime sæviebat. De recentioribus regibus aliorum esto iudicium. Sveciæ.

Si superborum, avarorum, luxuria perditorum, aliisque vitiis inquinatorum mortes pessimas velis congerere, quos texes catalogos! Ad horrorem vitiorum moveat te acerbitas suppliciorum, sed præsertim æternorum. Quam miserum est his in terris per breve momentum fulgere, et in æternis flammis semper ardere! terrena neglige quæ defluunt et inficiunt: virtutem cole, quæ te comitabitur et exornabit coram sanctis per totam æternitatem. Ut enim ait S. Ambrosius in cap. 12. Lucæ: *Remanent in sæculo cuncta quæ sæculi sunt: sola virtus comes est defunctorum*. Et David Psalmum nostrum concludit v. 23. REDIMET (id est liberabit, 1. a servitute peccati; 2. a vinculis corporis et malis terrenis; 3. ab æterna damnatione) ANIMAS SERVORUM SUORUM, ET NON DELINQUENT (Syr. non damnabuntur. Felix, non desolabuntur. Vatabl. non devastabuntur. S. Hier. non peccabunt. Campens. non exterminabuntur.) OMNES QUI SPERANT IN EO. S. Aug. in eum. Arabs vertit, non fraudabit Deus confidentes in se, Alleluia: et Camp. explicat, non sinet interire quemquam eorum, qui sese crediderunt illi. Proiice igitur te in eum, et securus esto te nunquam esse periturum. Cum iustorum animæ in manu Dei sunt, non tangit illos tormentum malitiæ aut mortis. 117. Sola virtus sequitur mortuos. Vers. 23.



INDEX QUÆSTIONUM

ET EORUM, IN QUOS DIVISUS EST, ARTICULORUM,

CONCIONATORI UTILISSIMUS.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM

IN SECUNDUM TOMUM COMMENTARII IN PSALMOS.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat : literæ additæ ea, quæ columnis interiecta sunt, denotant: postremus numerus est marginalia.

A

D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

R

S

T

U

V



INDEX

MATERIARUM PRO CONCIONIBUS.

DOMINICA I. ADVENTUS.

DOMINICA II. ADVENTUS.

DOMINICA III. ADVENTUS.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIVIT.

DOMINICA I. POST EPIPH.

DOMINICA II. POST EPIPH.

DOMINICA III. POST EPIPH.

DOMINICA IV. POST EPIPH.

DOMINICA V. POST EPIPH.

DOMINICA VI. POST EPIPH.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

DOMINICA RESURRECTIONIS.

DOMINICA IN ALBIS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

DOMINICA III. POST PASCHA.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

DOMINICA V. POST PASCHA.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

DOMINICA PENTECOSTES.

DOMINICA XVI. POST TRIN.

DOMINICA XVII. POST TRINIT.

DOMINICA XVIII. POST TRIN.

DOMINICA XIX. POST TRIN.

DOMINICA XX. POST TRIN.

DOMINICA XXI. POST TRINIT.

DOMINICA XXII. POST TRINIT.

DOMINICA XXIII. POST TRIN.

DOMINICA XXIV. POST TRIN.

FESTA S. THOMAS.

NATIVITAS CHRISTI.

S. STEPHANUS.

S. IOANNES EVANGELISTA.

CIRCUMCISIO DOMINI.

EPIPHANIA.

PURIFICATIO B. V.

S. MATTHIAS APOSTOLUS.

S. IOSEPH.

FERIA II. PASCHÆ.

FERIA III. PASCHÆ.

SS. PHILIPPUS ET IACOBUS.

ASCENSIO CHRISTI.

FERIA II. PENTECOSTES.

FERIA III. PENTECOSTES.

FESTUM CORPORIS CHRISTI.

S. IOANNES BAPTISTA.

SS. PETRUS ET PAULUS.

S. MARIA MAGDALENA.

S. IACOBUS.

FINIS TOMI SECUNDI PSALMORUM.

